PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUORUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA.— VENEUNT MILLE ET TRECENTIS FRANCIS SEXAGINTA ET DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — HÆC LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR ; III AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR

PATROLOGIÆ TOMUS CXCVIII.

ADAMUS SCOTUS, CANONICUS REGULARIS ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS. PETRUS COMESTOR. GODEFRIDUS VITERBIENSIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1855

Digitized by Google

C 530.1



1878, Coll. ?
Walker fund.

Digitized by Google

SÆCULUM XII.

ADAMI SCOTI

CANONICI REGULARIS ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS

OPERA OMNIA,

AD FIDEM EDITIONIS ANTWERPIENSIS ANNI 1659, IN-FOL., QUAM CURAVIT GODEFRIDUS GHISELBERTUS, TYPIS MANDATA.

ACCEDUNT

MAGISTRI PETRI COMESTORIS HISTORIA SCHOLASTICA,

SERMONES

OLIM SUB NOMINE PETRI BLESENSIS EDITI,

NECNON

GODEFRIDI VITERBIENSIS CHRONICON,

CUI TITULUS :

MEMORIÆ SÆCULORUM SIVE PANTHEON.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

VENIT 9 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE

1855

Digitized by Google

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXCVIII CONTINENTUR.

ADAMUS SCOTUS CANONICUS REGULARIS ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

	Col.
Sermones.	97
Liber de ordine, habitu et professione canonicorum Præmonstratensis ordinis.	439
De tripartito Tabernaculo.	609
De triplici genere contemplationis.	795
Soliloquia de instructione animæ.	843

GODEFRIDUS VITERBIENSIS.

Pantheon sive Memoriæ sæculorum.	871

PETRUS COMESTOR

Historia scholastica.	1045
Sermones.	1721

Ex Typis L. Migne, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

EPISTOLA DEDICATORIA.

Amplissimo ac plurimum reverendo in Christo Patri et domino D. Carolo Fernanaez de VELASCO, *Ecclesiæ Grimbergensis antistiti, nec non S. Nicolai in oppido Furnensi ordinis Præmonstratensis. Patri abbati meritissimo, atque in amplissimo excellentissimoque Statuum Brabantiæ consilio regi Catholico a consiliis, etc.,* Petrus BELLERUS, *typographus.*

Non arbitrario delectu, præsul amplissime, at ultroneo quodam delapsu, non conquisito colore, sea agnati amoris pondere nominatissimus familiæ Norbertinæ magister et scriptor, Adamus dictus Præmonstratensis vestrum subit conspectum, ambit infulas, familiari sese insinuat tractationi. Eccujus nomen alterius, si primum in vivis ageret, suo vellet litterario fetui præscriptum? Cujus alterius securiori patrocinio constiparetur? Cujus benigniori exciperetur alloquio, et gremio foveretur? Imo nuncupavit ipse jam pridem, et reverendissimorum præsulum animis manibusque tractandos et terendos ingenii sui defæcatissimi partus præbuit et commendavit. Candidæ ipse etenim societatis contubernalis et strenuissimus archistrategus, non alibi lubentius quam in candidi sinu pectoris, non alibi honoratius quam ad latus ejusdem instituti primorum atque antistitum novit quiescere. Quid? Quod argumentum, et tota scriptionis materies eodem ducit? Canonicorum Præmonstratensium ordinem multiplicis eruditionis splendore illustrat, sua vetustate venerationem conciliat, eminenti dignitatis suæ gradu convehit auctoritatem, et suaveolenti promicantium virtutum odore respergit. Siquidem cum omnium mores saluberrimis informat monitis, vitamque singulorum quodam præceptorum sabulo substernit, atque incautos animos a vitiorum præcipitiis, quasi sepibus quibusdam, præmunit, tum præsertim omnes religiosæ disciplinæ partes, privatas et publicas, et scandendæ perfectionis clivum in charitate non ficta, in spiritus unitate absolvit. An memorem quod alias instar unius e mysticis nubibus, per superna contemplationis spatia sublime volitet, et prægnantem cœlestis rore eloquii alveum, inferiores legentium animos irrigando diffundat? An quod instar columbæ, assumptis alis, in excelsa atque elevata quadam mentis regione, imbribus aurisque superior spiritualium expandat intelligentiam Scripturarum? Verum lectorem desiderat, apud quem id probet, cujus sit idem cum docente propositum, ut ille proficere velit, non secius quam hic prodesse. Collecta personæ et materiæ subjectæ dignitas ingens momentum obtinent, in quod lubens volensque cujusque animus propendeat. Neque paulo aliter quam vasis argentei, aut eburnei, major solet esse æstimatio a solerti manu cælati, et dædala arte politi, atque interest plurimum a cujus dextra vibretur telum. Sic quævis doctrinæ monumenta ut penetrent, juvat imprimis (quod hic occurrit) conglobatæ pondus auctoritatis.

Non alterum acceptiorem R. P. V. confido potuisse accidere non tantum quia domesticus et symmystes, neque adeo ob ea quæ jam præfati sumus; at vel maxime ob vitæ similitudinem morumque vestrorum rectitudinem, quam in scriptis suis expressam ac expolitam auctor edisserit. Quæ quisque amat et habet, amari ab aliis desiderat, atque odit dissentientes. Veteres illos Patres in deliciis atque amoribus vobis esse, inde ominari licet, quod, ad eorum strata vestigia factorumque magnitudinem, omnes qui norunt, venerantur connitentem. Doctoris Stridonensis (1) *gnomologiam crebro meminí audire usurpantem : « Meum propositum antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt, et a fide Ecclesiæ Catholicæ non recedere. » Ad singulares actus me non recipio, ne modestiæ vestræ, quæ solum Deum intendit inspectorem et remuneratorem, lascivias importune et moleste viderer corrosurus, repulsæ magis quam gratiæ obnoxius.*

Amplectere itaque, amplissime præsul, hunc eximium disciplinæ regularis præconem, cui conservandæ zelose adeo afficeris; hunc vitæ spiritualis doctorem et magistrum, qui subditos tuos virtute et doctrina excultos quotidie exhortando, et prævios figendo gressus informas. Nec aliunde rectiora consilia et fidiora responsa quam ex hisce pridem mortuis hauriri posse, Alphonsus ille regum celeberrimus respondisse fertur. Quod ex Apollinis oraculo dato Zenoni roganti, qui ad virtutis semitam evadere posset, gentiles asserunt, si mortui hominis colorem indueret, id est, si veterum res gestas, et majorum qui corpore desierunt, scripta lectitaret. Neque alio visus est referre veræ sapientiæ conquisitionem Sirachides, cum hæc insonat : « Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens (Eccli. XXXIX). » Quæ verba ex purpuratis Patribus expendit Hugo : Omnium antiquorum : id est saporem et cognitionem cœlestium, quam antiqui plenius habuerunt, exquiret, id est extra alia quæret; sapiens, id est ecclesiasticus. Atque Jeremias vates : « Interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona, et ambulate in ea (Jer. VI, 16). »

Amplectantur et hunc SS. pene Patribus parem magistrum stellæ se præeuntis ductu excitati tui celeberrimi

(1) S. Hieron, tom. I, epist. ad Minerv. et Alex.

Digitized by Google

monasterii verbi Dei præcones, ex hoc fonte evocati ad cathedras salubrem hauriant undam, cujus irrigatione multiplicentur genimina, pinguescant speciosæ deserti, valles abundent frumento, et exsultatione colles accingantur (*Psal.* LXIV, 11-13). *Bibant limpidam, quam postmodum foras derivent, et in plateis dividant de cisterna sua aquam et fluentam putei sui* (*Prov.* V, 115, 116), *non mendicato vivere opus quibus copiosum domi penus et largæ opes.*

Patere igitur, præsul amplissime, ut tuo decoratus splendore diem orbi faciat et Ecclesiæ firmamentum collustret. Typis meis hoc opus commissum gaudeo quam plurimum, partim quia beneficiis ab amplitudine sua in me collatis gratias referre impari, debitorem me saltem suum publice testando dabatur, ut non omnino ingratus viderer, partim quia novo hoc beneficio hæreditarium quasi jus mihi manebat et confirmabatur. Ut taceam enim alios ordinis scriptores quamplurimos, a familia nostra excusos, Philippus Bonæ Spei abbas, auctor disertissimus, et notissimus Belleriana Opera, ab hinc annis plus minus triginta diem primitus aspexit. Faxit Deus ut talium præsulum exemplo viri, undequaque doctissimi et in omni scientiarum genere versatissimi, quibus per Belgium Candidus scatet ordo totus, arreptis calamis testatum mundo faciant Præmonstratenses, non solum præclare agere, sed (quod non nemo negare visus) et olim et modo scribere nosse! Talium sane scripta sub prelo nostro sudare semper fuit et est volupe mihi, non alio nobiliori musto torcularia mea redundare gestiunt. In horum evulgationem libens et gaudens, typis, curas, operam, me totum denique ordini candidissimo addico, offero, consecro. Finem facio cum humili osculo manuum amplitudinis suæ, quam Deus et Pater universorum in beato et diutino Ecclesiæ suæ regimine servet incolumem.

Quod vovet

Amplissimæ paternitatis suæ famulus,
Petrus BELLERUS.

INTRODUCTIO AD LECTOREM.

Magistrum Adamum Præmonstratensem, ab eminenti doctrina eximium, a dignitatis gradu sublimem, a stirpe avita percelèbrem, decentiori amictum veste in lucem, usumque communem protrahimus. Hunc ipsum e nostris primum Candidæ Casæ in Scotia (incolæ Witherne dicunt) cathedram episcopalem præfecturæ sociatam regulari ascendisse, vetera sonant monumenta. E reliquis evangelicum præconem et scriptorem laudatissimum ausim pene unum pronuntiare, quem dignitatis suæ parem florida, eaque prima parentum nostrorum effudit ætas: imo in optimis et nubilo prolabentium temporum servasse superstitem, quantumvis mutilum, ut quantum bonum interpositis sæculis negaverit liquida testatione profiteatur. Cujus utinam reliquas scriptas operas, quas in bibliothecis abditas latere alicubi ominamur, e profundo oblivionis naufragio benignior genius ad nostram derivaret notitiam! o quisquis, inquam, hæc legis, aspira, et pulcherrimæ vesti desideratam laciniam ne celes amantes.

Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum (*Eccli.* XXXVII, 18), juxta gnomologiam Sapientis. Habent utique naucleri in summitate mali excubitores suos, qui adventitia pericula denuntient, qui scopulos, vada, terras, portus explorent: sic a divina manu hunc custodem atque exploratorem, qualem se alibi profitetur, super muros Jerusalem accepisse, atque e quadam præcelsa mentis specula pervigilem ac intonantem audire videmur.

Hic auspicare melioris vitæ stadium, hac perge, et insiste. Sic inoffenso cursu comprehendes bravium: hæc sunt arma petendis hostibus; istud sume scutum tegendis ictibus. Hunc deflecte cursum, qui ducit in præcipitia. Illa esto disciplina cœnobiis, hæc norma singulis. Istam omnibus compone morum panopliam, illac scandes culmen contemplationis, quo nemo pervenit, nisi qui accipit. An habes præesse? Sed fideliter, prudenter, utiliter. An subesse? Sed humiliter et patienter. An coesse, ut dixerim, et convivere? Sed leniter, et hilariter. Qui nobis verius quam ille apud poetam:

Hæc genitor præcepta dabat. Velut ille carinæ
Longævus rector, variis quem sæpe procellis
Exploravit hiems, ponto jam fessus et armis,
Æquoreas alni nato commendat habenas;
Et casus artesque docet, quo dextra regatur
Sidere, quo fluctus possint moderamine falli.

Fideliter adeo atque feliciter (si pauca philosophi (2) mutuata verba ascribam), posterorum negotium egit, illis aliqua quæ possunt prodesse conscripsit. Salutares admonitiones, velut medicamentorum utilium

(2) Senec., epist. 8.

Digitized by Google

compositiones, litteris mandavit, esse illas efficaces in meis ulceribus expertus, quæ etiamsi persanata non sunt, serpere desierunt. Rectum iter, quod sero cognovi, et lassus errando, aliis monstro. Siquidem, auctore nostro loquente (3), *dum in tantum superabundant vitales ac prædulces Patrum orthodoxorum deliciæ, erubui nec immerito illis qui ad illas non tam crebro quam jugiter sedent, insipidum meæ paupertatis olus apponere, et inter torrentes limpidissimos lutosam paludem meam propinare.* Verum, eo deinde fatente, suorum coæqualium allectus precibus, et superiorum compulsus imperio, applicuit animum studio et calamo manum : tamque ex iis quæ ad concionem dixerat eximius declamator, quam ea quæ ex unctione Spiritus docentis de omnibus imbiberat, fetum hunc litterarium suis editum symmystis nuncupavit. Atque alibi in confesso astruit ex agro Patrum fecundissimo, rationum assumptis seminibus, et causarum originibus, quasi a Bethlehemita Booz facta licentia, remanentes spicas, quæ metentium effugerant manus, sese excussisse collectas. *Unde*, inquit (4), *liquido patet quod nec tecum, nec cum messoribus tuis sentiunt, qui in me Ruth spicas colligentem corripiunt, dum et tu concedis, ut metat, et isti reprehendunt, si colligat.* Prioribus igitur compositus Patribus cum Sapiente ecclesiastico demisso sensu dicat : *Et ego novissimus evigilavi, et quasi qui colligit acinos post vindemiatores* (*Eccli.* xxxiii, 16). Spe autem largitatis divinæ erectior : *In benedictione Dei et ipse speravi ; et quasi qui vindemiat, replevi torcular* (*ibid.*, 17). Nunc retro conversus ad posteros : *Respicite, quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam. Audite me, magnates, et omnes populi, rectores Ecclesiæ, auribus percipite* (*ibid.*, 18, 19).

Docet itaque auctor noster quod didicerat non a seipso, id est a præsumptione, pessimo præceptore, ut habet S. Hieronymus (5), sed ab illustribus Ecclesiæ viris. Neque alia ratione ipsum S. Hieronymum in sensu veterum insequendo extollit Hesychius (6) S. Augustino ab epistolis familiaris : aut dissimili Ambrosio ac Augustino defert S. Bernardus in epistola ad Hugonem (7) de S. Victore. Denique ut insequens Patrum ætas litteratos falces submiserit Gregorio Nazianzeno, effert in summa Scholastica præclarum theologorum decus Thomas Aquinas. Coram quibus, velut cano capite, assurgendum sibi (*Levit.* xix, 32), non aliter atque ex Spiritus sancti oraculo arbitrabantur. Agricola arborem insipidam sterilemque redditurus usui mortalium, ab uberis olivæ ramis mutuatos inserit frutices, quibus oleaster in dulcem exuberet dulcedinem : sic a sanis illis canisque Patribus, quos velut olivas in agro Ecclesiæ suæ evangelici hortulani plantavit manus, inserendum, et discerpendum volenti in fructus desideratos exsurgere. Nec omnino vacat quod vulgo dicitur e vase primum effluere quod optimum est. Atque observatu non est difficile a complurium religiosorum exordio, primævi utique spiritus musto quodam effervescentium, vicinos mox præcelluisse scriptores, spirasse quid magis vividum, asportasse palmam. Velut aquam maris in imo dulciorem perhibent quam in summo, sic vetustioris et melioris ævi studia penetrasse altius, et quamdam suavitatem auctoritate paterna attemperatam referre comperimus. Talem hunc nostrum habemus, et commendamus, primæ ab instituto Præmonstratensi ætatis, primi fervoris et primitiarum Spiritus consortem.

Circa quem istud imprimis virorum religiosorum consilium, nominatim RR. PP. Cœlestinorum conventus Parisiensis approbo : quo inter refectiones corporales, necessarium vectigal faucibus exposcentibus, et auribus verbum Dei esurientibus, hunc nostrum spiritualis vitæ magistrum diebus maxime solemnibus uti majores ejus familiæ retulerunt, adhuc chirographum prælegi consueverunt. Huic alibi, puta in Prolegomenis, laudis symbolam præscripsi, eo præsertim fine (vox est S. Hieronymi) (8) ne doctrinæ auctoritas cassis operibus destruatur : *In probrum namque abit, sonum linguæ calamumque aptasse stylo, atque alienis animum composuisse moribus, ubi ex veteri contagione intueri magis homines assolent, quid Jupiter fecerit, ait S. Augustinus* (9), *quam quid docuerit Plato, vel censuerit Cato.* At noster replicat (10) : *Esto quod imperitus, sed non vacuus dilectione; certe dummodo ejus videat præsentiam, quæ ædificat, temerariam non præcipitabit sententiam, sapiens in ejus absentiam, quæ inflat. Illam, ut scitis, charitatem; hanc autem scientiam Paulus appellat.* Pyriden gemmam memorent latentes ignes non prodere, nisi quis defricet, aut atterat, sic ipsa dictionis virtus, et venus quæ latet in venis, introspicienti suavius arridebit.

Lectorem delectando, pariterque movendo
Hic meret æra liber Sosiis : hic et mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat ævum.

Verum quis hisce exulceratis, postremisque temporibus complures, in clero Ecclesiæ altiorem sanctitatis gradum professos, sive in cœnobiis, sive mistim in sæculo degant, videat, nec indoleat, præ quodam languore inertiæ inimicam animæ otiositatem, ut sacra intonant eloquia, ipsis adeo amicam esse, invisas litteras, neglectam virtutem? Quibus tamen, si dissimulare non velint, ignorare non possunt quanta sit indita probitatis necessitas, cum in sortem Domini sublimius asserti, ex affuso sanctitatis habitu, et nun-

(3) In Præfat. I par.
(4) Epist. ad Joan. Abbat.
(5) In Epitaph. Paulæ circa finem.
(6) Epist. 79 apud S. August.
(7) Epist. 77.
(8) Ad Fabiol. de veste sacerd. inspectio doctrinæ et veritatis.
(9) De civit., lib. II, c. 7
(10) In præf. 2 serm.

Digitized by Google

cupato vitæ proposito, ascripti Ecclesiæ sanctuario, ante oculos agunt judicis cuncta cernentis, bonis præmia, malis supplicia dispensantis.

— Quid æternis minorem
Consiliis animum fatigant?

Apposite noster Philippus abbas (11) : *Hoc mihi videtur officium clericale, hoc clerico præ cæteris assignatum est speciale, ut cum Deum diligit sejunctus a negotiis quibus vita sæcularium implicatur, in legendo et scribendo præcipuum ejus studium impendatur.* Et rursus (12) : *Nec ignavum est otium, sed utile negotium litteris inservire, et quid rite delectet vel expediat in eis frequenter invenire, quas ad hoc in Ecclesia Deus, ut arbitror, voluit frequentari, ut earum frequentia ipse, quem prædicant, possit cognitus plus amari.* Generosa sunt sensa aientis (13) : *Contemnenda omnia quæ supervacuus labor velut ornamentum et decus ponit. Cogitandum præter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est* (14). Intrinsecus, id est, in animo esse nostram beatitudinem Patrum est Orthodoxorum firmata consensio.

Intus est hominum vigor, inquit togatus et Christianus ille philosophus (15)

Arce conditus intima.

Quod autem in hac parte est opellæ meæ, imo verius divinæ auxiliantis gratiæ, succollantis infirmitatem meam, non statim benignus, et candidus lector deputet temeritati, non mox præsumptionis, quæso, insimulet. Non diffitear interiora domus meæ ingresso necessarium magis recognoscere quæ desunt mihi, atque intra silentii et quietis septa constringi, quam prodire foras, aut ambulare in magnis, tanquam in mirabilibus super me, occinente poeta :

Respice quod non es, tollat sua munera cerdo,
Tecum habita, ut noris quam sit tibi curta supellex.

Atque ut ferme loquar cum auctore nostro : Quam insolens, ac fatua testudinis intra testam convolutæ cum pernicissima tigride discertatio, aut talpæ suffodientis de perspicacitate visus cum aquila, aut formicæ de leonis incessu, tam impar sit viribus meis vetustiores et saniores illos Patres, non dicam æquare scriptione, quin nec sublimia eorum sensa penetrare lectione.

Metiri se quemque suo modulo et pede verum est.

At neque consilium fuit sapientissimo huic magistro Adamo nostro, aut primoribus nostris patribus commensa insistere vestigia, sed pro virili mea vindicare e tenebris, commodo multorum ac usui propinare, quem Spiritus cœlestis unctio luculenter constipasse probatur, ut lecythus ejus septiformi accensus lychno, sui communione, absque imminutione, sanare complures atque inflammare valeret. Cum igitur fortuito, vel bono prælucente genio, ut fieri amat, ab annis plusculis in veteris ac pravæ impressionis codicem incidissem, et propior inspectus professionis nostræ auctor incendisset animos, coævus patribus, qui primordia ordini Præmonstratensi dederunt, et pomœria extenderunt, comperi eum vitæ regularis momenta digna lance tractare appensa, tota dictionis energia assurgere, et lectorem ducere qua mundi status supra lunam,

Perpetuum nulla temeratur nube serenum.

Denique velut in tabula depingere,

Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.

Studium itaque mentemque adverti, si forte purgatior ac emendatior a pluribus teri posset, nec absque querula mussitatione indolui, tantum lumen eousque tacita sub umbra torpuisse. Eapropter inquirere de vita et scriptis ejus animus, aut Deus impulit.

Duplex mihi a præstito cœlitus favore solamen imputo. Primum est, non paucas horas repurgandis et limandis defæcatissimis alioquin operibus, quasi lambendis ursi fetibus, aut everrendo, ut aiunt, Augiæ stabulo, non otiose, neque omnino inutiliter, uti spero, insumpsisse. Cujusce vero molestiæ et tædii sit, tam cum veteri, eaque maculata impressione, quam cum manuscriptione, plerisque abbreviatis, intercisis, dilapsis vocibus, ambiguo marte, Andabatarum more, luctari, expertis plenius erit dijudicandi arbitrium. Ubi diversa præsertim exemplaria non sint, ad quæ transsumpta conferantur, nec ipsum autographum, tanquam ad libellam cætera examinentur. Atque adeo interpretem sæpius, vel divinum agere oporteat. Sic pleraque pendula, divulsa, imminuta.

Alterum mihi vice levaminis est scitum illud eruditione et sanctimonia clarissimi præsulis Salviani (16) : *Mens boni studii, ac pii voti etiamsi effectum non invenerit cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis.* Neque enim pluribus prodesse satagentis apud Deum irritus et cassus est conatus. Atque illud incitat beatissimi patroni nostri Augustini (17) : *Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis ve-*

(11) Philippus abbas Bonæ Spei in Hann. De silent. cleric., cap. 49.
(12) Epist. 17 ad Com. Henr.
(13) Senecæ Epist. 8.
(14) Vide S. Aug. De serm. Domini in monte, c. 5.
(15) Boet. De cons., l. IV, m. 3.
(16) De prov. præf. l. IV.
(17) De doctr. Christ. cap. 11.

Digitized by Google

rum arcare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus, non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum? Sed quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes atque discentes, propter fastidia plurimorum, etiam ipsa, sine quibus vivi non potest, alimenta condienda sunt. Quæ cum ita se habeant, conficit S. Hieronymus (18), *obsecro te, lector, ne laborem, reprehensionem existimes antiquorum; addo ego, et majorum : in templo Dei offert unusquisque quod potest.* Offerentibus aliis aurum, argentum, lapides pretiosos, ut deinde subnectit, *nobiscum bene agitur, si obtulerimus pelles, et caprarum pilos.*

Fluctuabam initio num magis e cura mea, vel re communi fuisse, voces quasdam, si quando grammaticæ nostræ leges non adeo æquare, et difficilis lectionis, aut syntaxeos ex obsoleto usu et charactere viderentur (ut *degui* præteriti temporis, *innotesco* significationis activæ, et paucæ quædam non absimiles notæ) truncare paululum, vel alias substituere; at ubi ex ipso temporis processu deprehendi, non tantum dictionis genus amussitatum, quin et ipsa sensa, et vocum inflexiones priscis illis Patribus Augustino, Gregorio, Maximo, Bernardo, Anselmo, Hugoni et Richardo a S. Victore, cæterisque germanas, familiares et consonas, mox a proposito resilui, atque arctius vestigia auctoris insti. Si vocula hic, et alibi ob hiatus confusionesque graphicas inserta, transposita, extusa, seciusque correcta, suasit fieri necessitas, obrepsit incogitanti, in transumpta scriptione leviter inflexit præceps calamus, præter operam, et inspectionem meam; neque malitia, aut pervicacia ulla adfuit.

Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus, et mens;
Poscentique gravem persæpe remittit acutum :
Nec feriet semper quodcunque minabitur arcus;

Neque illud omnino dissimulem, facilem carpendi et cavillandi segetem præcisurum, cum viris religiosis ac eruditis, quos huic operæ R. ordinis nostri præfectus generalis præstituerat, indecoræ impressionis libros ad limam et incudem reduxisse, cum præside conventus Cœlestini (cujus alibi memini) loca quævis implexa crebro contulisse, cum aliis frequenter relegisse, atque alios a meis sensibus ac oculis lubenter admisisse arbitror, et errorum si qui videantur socios. Non diffitear tamen menda quædam esse reliqua, nec ideo fraudulentus dici velim. Quin aliquis vinitor, si racemos grandiores et obvios quosque legat, doli mali non arguitur, si latentes et minores quosdam transeat : sic nec ego, qui primam ac invariatam auctori fidem stare et efferre volui, si quædam minuta effugerint incautos oculos aut manus.

Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus.

Argumenta sermonum et capitum, distinctiones verborum, interpunctiones sensuum, S. Scripturæ locos et syllabas, qui facili obtutu totum lectori contextum objicerent, adjectitios esse facile est observatu. In prolegomenis aliis nimis, aliis minus me effudisse videar. Illi non ignorant unumquemque proclivius laudare quod possidet; nec isti, sagittarium tironem ultra citraque destinatum circulum ejaculari leviter. Absque prævia auctoritate et scriptione aliorum nihil admodum volui assertum. Plura peculiarius transmisi disceptanda, cum ob asperi ævi hujus censiones evitandas, quo, inquit, Christianus poeta, (19)

Tantum nocet error
Ut juvet errare, et veteris contagia morbi
Tam blande obrepunt, ut quo languetur, ametur;

tum quia major firmitas circa auctorem non illuxit. Ejuscemodi habes, an doctoris contemplativi nomenclaturam antonomasticam fuerit promeritus, de stirpe ejus et genealogia, de loco natalium, professionis religiosæ, conversationis; de gradu dignitatis, diuturnitate, discessu, et si quæ non dissimilia. In quibus vel reprimendo gressum, vel trepidum figendo arbitrarie sum progressus.

Quale per incertam lunam, sub luce maligna,
Est iter in silvis.

Extra viam alibi deflexi, ne petulanter vellices, aut verberes. Imo reduces potius, si me audis et amas. Distorta quædam, aut prava deprehendisti? Corrige, inquam, instrue, diriges per te, licet.

Respicere ignoto discam prudentia tergo.

Multo est laudabilius, referente S. Augustino (20) *libenter accipere corrigentem, quam audacter corrigere devientem.* Absint convicia, livor, et viperina contentio.

Nubila mens est, vinctaque frenis,
Hæc ubi regnant.

Sicut ergo bonarum frugum copiam non gignit cœli inclementia, non horridus vepribus aut lappis ager; at tellus bene culta, et serena temperies : sic animorum fructum, ex scriptis gestisve orthodoxorum non extundit subsannandi, aut lancinandi studium, sed mentis serenitas, proficiendi aviditas, et vel maxime Christiana charitas, quæ non male æmula, sed patiens et benigna dignoscitur. Erit ex voto meo et scopo, si plures hinc meliori igne caleant, et prodeant. Vetustioris est ævi, quod aiunt :

(18) Præfat. in lib. Reg.
(19) S. Prosp. De ingr., cap. 33.
(20) Epist. ad Hieron tom. II oper. Hieron

Digitized by Google

Non unus aliquis scire natus omnia ?
Sed aliud alii præmium posuit Deus.

Ubi tamen, advehente Justo Lipsio (21), *sæpiuscule videmur nobis belli, festivi, saperdæ, cum simus copreæ.* Et rursus : *Facile est pugnanti dictare ictum ex muro.*

Mihi postremo sit venia ex conditione et confessione mea. Ut quid enim istam dediguer, mortalem, labi facilem, humilem. De humo, inquam, sumptam, et mox in eam abituram. Inter cujus incommoda militat caligo mentium : *Nec tantum necessitas errandi*, ait ille morum philosophus (22), *sed et errorum amor.* Ecce jam vigesimus tertius annus est, cum potentissimi Romanæ et Catholicæ communionis reges hostilibus aciebus dissidentes concurrunt, et perpetuo terrore concussos, alterno marte quater metatis exercitibus obsidione nostri oppidi (et quæ comitari assolent) intra paucos annos subegerunt. Nec modo adhuc redituræ securitatis aut serenitatis aurora affulget : imo graviores tempestatum minaciæ. *Etenim Assur venit cum illis. O qui dominaris potestati maris, motum fluctuum ejus tu mitiga!* (*Psal.* LXXXVIII, 9, 10). In commiserationis et proclivioris indulgentiæ partem ista veniunt, si quæ mentem humanam in declivia aut desultoria abduxerint.

Quod vero rectum et placitum occurrerit, divini est muneris, et lucis gratiæ ejus. *Ipsa liberum excitat arbitrium,* inquit melle dulcior Bernardus (23) ; *cum seminat cogitatum ; sanat, cum immutat affectum, roborat, ut perducat ad actum ; servat, ne sentiat defectum.*

(21) Adversus dialogist., init. ex Varrone.
(22) Seneca, De ira lib. II, cap. 9.
(23) S. Bern. De grat. et lib. arb.

PROLEGOMENA DE VITA AUCTORIS.

CAPUT PRIMUM.

Virorum illustrium gesta, et scripta cognitu utilia.

Vitam illorum, qui rebus præclare gestis excelluerunt, ac ingenii monumenta quibus efloruerunt, transmittere memoriæ posterorum vetus juxta atque laudabile est institutum. Et juvat profecto eos novisse ac identidem inspexisse quos in paris gloriæ incitamentum elaborata virtus extulit.

An is ardor inflammasset Themistoclem, si trophæa Miltiadis a majoribus imitanda non accepisset ? (24) Conspexerat Gadibus Alexandri statuam Julius Cæsar, et quam calidas ab æstu pectoris voces expressit ! Atque ob eam causam vetustæ imagines, fumosæque avorum ceræ, oblitæ cedro, in atriis ostensæ nepotibus, et longo ordine nomina familiæ, multis stemmatum illigata flexuris,

Inde Qu. Maximum, et P. Scipionem Romanæ reipublicæ præclaros viros, referente Crispo Sallustio (25), sæpe dicere solitos accepimus : *Cum majorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam, neque figuram tantam in se vim habere, sed memoria rerum gestarum flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam, atque gloriam adæquaverit.* Hoc utique compendio cum moribus, industria, fortitudine majorum suorum, æmula contentione, discertaturos facile posteros ; atque ad non imparem laudem enisuros.

Neque multo aliter complures Christianæ militiæ sectatores, et duces, conceptis ex simili occasione

(24) Seneca, lib. III De benef., cap. 28.
(25) De bello Jugurth. post init.

A sanctioribus flammis accensa corda cœlo affixisse comperimus, quam lectione aut enarratione præcedentium gestorum, in quibus participata quædam Dei virtus resplendebat, atque saucios affectus latenter percellebat. Hoc inde supremæ et cœlestis sapientiæ studium ducebant, culmen omne felicitatis terrenæ despicere, conquirendis vacare virtutibus ; quarum vel sola inquisitio jam præponenda etiam inventis thesauris regnisque gentium, et ad nutum circumfluentibus corporis voluptatibus (26).

Audiverat Potitianum melioris stadii strenuissimus athleta futurus Augustinus enarrantem præclara facta Antonii, percelebris in Ægypto monachorum Patris, cum parturitione novæ vitæ turbidus non tam voces, quam flammas excussit. *An*
B *quia præcesserunt*, inter cætera inclamat (27), *pudet sequi, et non pudet vel saltem sequi ?*

Inspexerat eumdem gestorum codicem apud Treviros unus e curialibus imperatoris, atque accensus amore sancto, et sobrio pudore repletus, conjectis in contubernalem suum oculis, ac evolutis cordis sui fluctibus, discrevit decrevitque meliora, nec jam verba, sed opera potius verbis reddidit. Et alter : *adhærere se socio tantæ mercedis, tantæque militiæ.* Quæ pluribus enarrata sanctus doctor in Confessionum suarum libris complectitur. Quod probatum habet Sapiens, ubi ait : *Justorum semita quasi lux splendens* (*Prov.* IV, 18). Ac illud
C verissimum nostri Salvatoris : *Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt* (*Joan.* XI, 9).

(26) Vide S. August. lib. VIII Conf., cap. 7.
(27) S. August. lib. VIII Conf. cap. 6, 8

Digitized by Google

Cui rei vicinum est, facitque plurimum, gentis suæ clariora facinora, nullo temporis tractu intermoritura consignare litteris. Scripta itidem et narrationes virorum nominatorum in lucem efferre, vel sic luculente versaturos in notitia sequentium sæculorum (*Eccli.* XXXIX, 2). Quo illud poetæ (28) quisquam non immerito inflectat :

Vile latens virtus : quid enim demersa tenebris
Proderit ? Obscuro veluti sub remige puppis,
Vel lyra quæ reticet, vel qui non tenditur arcus.

Et concors est Sirachidæ gnomologia : *Sapientia abscondita, et thesaurus invisus : quæ utilitas in utrisque ?* (*Eccli.* XX, 32, 41, 18.) Itaque non aliter quam Zeuxis inter pictores nobilis Junonem suam speciosissime effigiaturus virgines regionis pulcherrimas conduxit, et a singulis aptavit quod præstantissimum in quaque esset : virtutis etiam avitæ studiosis ipsum præstandum venit. Ab exemplis, inquam, sermonibusque Patrum suorum, in quibus viva animorum effigies etiamnum respirat, et litteris demandata perennat, vitæ suæ et disciplinæ rationem formandam habent.

(29) *Inde sibi, suæque reipublicæ, quod imitentur, capiant, inde fœdum inceptu, fœdum exitu prospiciant quod vitent :*

(30) *Et quæ mox imitere legas, nec desinat unquam*
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve duces, assuesce futuræ
Militiæ ; Latium retro te confer in ævum.

CAPUT II.

Dicendorum circa auctoris vitam ratio, ac unde petita.

Memorandos litterarum partus, quos sapientissimi magistri depurata mens olim profudit, ac insequens ætas partim invidiosa offudit tenebris, partim confusa serie, preloque impolito immodice corrupit, succollante divinæ gratiæ præsidio, quæ suaviter dat omne bonum velle, et fortiter perficere, typis emaculatioribus, atque usui plurimorum daturus, ex destinati ratione consilii futurorum existimabam, si præmitterem quæ vitæ statum, gradum, tempusque auctoris contingunt, et circumstant : Majoris notitiæ, in quantum pro tempore assequi datum fuit, ac clarioris famæ argumentum. Prænosse siquidem, in quam, quisque scriptor ætatem inciderit, quæ patria, qui natales obtigerint : quam nactus societatem, quam vivendi normam professus, quo dignitatis gradu sublimatus, legentis atque amantis interest plurimum.

Fateor e veteribus religiosorum hominum familiis monumenta numero et pretio suo ingentia lapsu quodam rerum omnium, et voracitate temporum deperiisse. Ipsos deinde Patres veritos, quibus in corde erat plurimum facere, et minimum de se loqui, ne si nimium se efferrent Scriptorum ingenia, virtus eorum potius verbis tradita, quam operibus comprobata diceretur : ubi tamen optimus quisque facere, quam dicere ac aliis benefacere, æternæ remunerationis intuitu, quam laudis humanæ ambitum quærere malebat, ut de candidissimo Præmonstratensium canonicorum ordine ferme loquitur Aubertus Miræus (31). Verum ut est, non absque iterato mentis singultu deperdita requirimus, desideramus integra, amamus intacta. Ex non paucis enim, quæ superant clarissimorum virorum pignora, et vitio, opinor, ignaræ aut ignavæ transsumptionis (non enim ad hunc modum et decorem typographicis sudoribus excultus orbis formabatur) suis mutilata vibicibus, et deformata vulneribus, velut Scævæ apud Cæsarem clypeus, ad manus devenerunt. Hanc novercantem cariosæ ætatis sortem auctoris nostri salutares fetus admordisse graviter, in consequentibus dolenter commemorandum occurret. Quæ vero quocunque ex casu elapsa defluxerunt, nunquid ex placito revocamus ? Hic quispiam nihilo amplius faciet compendii, quam ille, de quo poeta :

Rusticus exspectat, dum labitur amnis, et ille
Labitur, et labetur in omne volubilis ævum.

Partim igitur quæ ex manuscriptis, præsertim annalibus, quos ordinis sui meditabatur Mauritius a Prato, apud Ambianenses, in Sancti Joannis cœnobio canonicus, veterem certe rerum studiosus, sed præmaturæ mortis casu in conamine nobis ereptus, partim quæ ex ipsius auctoris reliquis operibus observare sparsim licuit, conquisivi ; in quemdam deinde narrationis ordinem redacta conduxi.

Ipse siquidem, in non absimili ascribente Tertulliano (32), loquitur in stylo, auditur in cera, manus omni sono clarior, littera omni ore vocalior. Et nunquid quispiam Patrum ejusmodi vetustiorum domestica usus consuetudine ipsos penitus coram dignovisset, quam diligens lector ac inspector ; cum scriptis eorum, mentis puræ et defæcatæ reliquiis, frequenter confabulatus ? Vix equidem opinor. Imo efficacius fortassis auscultes, aut altius insinues in ejusmodi tractatores mortalis auræ exsortes, quam consortes ; mortuos, quam vivos. Sic amice conferunt, docent fideliter, deterrent fortiter, consulunt sapienter, consolantur leniter, citra palpum adblandiuntur, instruunt veraciter. Demum quod dissimulasse existimes, dum vixerunt, majori verborum pondere insonant, postquam vivere desierunt.

Verum et illud ab omnibus assertum video ejus nos lubentiores scripta pervolvere, atque ejus doctrinæ monita profundius in mentem dimittere, cujus ad omnem sanctimoniam compositi mores ducunt sequaces animos ad discendum securius, ubi et præcognita magistri nobilitas inflammat vehementius, et docentis confirmat auctoritas robustius.

(28) Claudian. de IV Const. Honorii.
(29) Livius init. histor.
(30) Claud. loco sup. cit
(31) In Chron. ordinis Præmonst. initio
(32) Lib. De idol. cap. 23.

Digitized by Google

Nescio enim quid amplius latentis energiæ per ductiles operum tubas personans oratio complectitur. Illa namque, ut inquit S. Gregorius (33), vox lubentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat. *Unde duo Ecclesiæ doctoribus*, habet S. Fulgentio coævus Scriptor (34) in Vita, *necessaria judicantur : vita bona, et sana doctrina. Vita enim bona commendat sapienter docentem : doctrina vero sana ornat bene viventem. Vita bona facit amabilem, doctrina sana laudabilem. Vita bona continue creditur imitanda : doctrina autem sana nunquam repudianda. Vita bona tollit occasiones detrahentibus, doctrina sana resistit contradicentibus.*

Et cum nostro prope synchronus melliti sermonis Bernardus (35) : *Nihil etenim hac luce clarius, nihil hoc gloriosius testimonio, cum veritas in mente fulget, et mens in veritate se videt.* Neque pluribus velim sententiam ab omni vetustate et frequentia sanctorum Patrum, et quorumvis scriptorum hic morari.

CAPUT III.

Quo tempore Adamus noster vixit. Errores castigati.

Definiti notitia temporis, quo noster floruit, primum quasi fulcrum substernendum est, cui reliqua narrationis crepido insistat. Et ne libera cuiquam a vero deflectendi ansa præbeatur, visum est ipsamet verba auctoris ascribere liquidum hac de re testimonium ferentis. In libris De tripartito tabernaculo sex mundi ætates recensentis hæc sunt verba (36).

Prima ætas ab Adam usque ad Noe, habens annos mille sexcentos quinquaginta sex; secunda a Noe usque ad Abraham, habens annos ducentos nonaginta duos, tertia ab Abraham usque ad David habens annos nongentos quadraginta duos; quarta vero a David usque ad transmigrationem Babylonis, habens annos octingentos septuaginta tres; Quinta autem a transmigratione Babylonis usque ad Christum, habens annos quingentos octoginta quinque; sexta vero ætas a primo Christi adventu usque ad secundum : ex qua quidem ætate jam anni mille centum octoginta transacti sunt.

Atque iterum ejusdem tractatus capite duodecimo, et decimo tertio; dignitatis cum ecclesiasticæ, tum civilis ordinem et gradum evolvens, pontifices Romanos a B. Petro apostolo continuata serie prosecutus, subsistit in Alexandro successore Adriani quem ejus nominis tertium in hæc tempora sedisse exploratum est. Imperii autem Romani monarcham in catalogo suo postremum designat Fredericum: quem eadem cum Alexandro rexisse ætate inficietur nemo. In texenda autem serie regum Franciæ exorsus a Clodoveo, qui sextus rex Francorum, primus regum gentis ejusdem a B. Remigio baptizatus Christo nomen dedit, eos usque ad Ludovicum Lotharii filium perducit; qui rex ex clerico factus, a Francis captus Lauduni interiit : in quo progenies Caroli Magni in regibus Francorum defecit. *Post hunc autem Ludovicum*, inquit, *reges ponimus Francorum, qui de genere Hugonis Capeti fuerunt, et perducimus eos usque ad hunc, qui in præsenti est, Philippum Ludovici filium. Post hunc vero Philippum reges ponimus Anglorum, perducentes eos ab Alvredo rege Christianissimo, usque ad hunc Henricum tertium, secundi Henrici filium.* Post quem deinde reges ponit Scotorum a Malcolmo, aut si mavis, ab ipso Adamo, fonte generis humani, perducens eos usque ad hunc, infit, Willelmum regem Scotorum. Cujus pater Henricus comes Northumbriæ et Hunditoniæ a religiosissimo rege Davide progenitus, totaque pietate, ac ore referens, in ipso ætatis flore, immatura morte eum prævertit; in abbatia de Calco, narrante Reusnero in Genealogia regum Scotiæ (37), anno 1152 sepultus.

Duodecimo igitur sæculo salutis nostræ sub Alexandro tertio Pontifice-Maximo, Frederico Ænobarbo Romanorum imperatore, Philippo Pulchro Francorum, Henrico tertio Anglorum, Willelmo Scotorum regibus effloruisse nostrum in propatulo est. Anno quidem millesimo centesimo octogesimo, cum libros De tripart. tabernaculo illustri ac erudito abbati Joanni de Kelchou (aliis Calco, vel Kelzo) inscribebat; cujus ad Adamum de hac ordinanda fabrica elegans prostat epistola. Concinnaverat ante hæc volumen centum homiliarum ad suæ professionis canonicos Præmonstratenses destinatum, atque alterum de dulcedine Dei (et nos alibi distinctius referemus) (38). Libri De contemplatione posteriores ejus nisus fuere.

Ex quibus illud firmiter confectum habes, quod anno septuagesimo atque octogesimo sæculi duodecimi, ab instituto ordine Præmonstratensi, quinquaginta, ab obitu S. Norberti ejus fundatoris, triginta sex, a discessu sancti Bernardi Claræ-Vallensis abbatis quem noster sub tacito nomine sancti et sapientis viri alibi allegat (39) annis admodum septemdecim, multa pietatis ac eruditionis, multa prædicandi verbi Dei celebritate atque facundia præcelluit.

Dimovendus itaque error Anton. Possevini in Apparatu sacro, aientis in hæc verba : *Adam ordinis Præmonstratensis, Parisiensis professor, anno 1518, edidit librum, qui Beatæ Dei Genitricis inscribitur; ubi agit de ordine et habitu et professione religiosorum Præmonstratensium; de tripartito item tabernaculo Moysis, Christi, Spiritus sancti : de triplici genere contemplationis.* At quam mendosus, et veri alienus verborum iste contextus sit, sublato in sequentibus fascino, liquebit manifestius. Nec minus hic deflectit in brevi chronico suo Præmonstratensi Aubertus Miræus (40); ubi ad annum 1518, duos

(33) Curæ Pastor., part. II, cap. 3.
(34) In Vita S. Fulgentii, cap. 1.
(35) In Cant. serm. 85.
(36) De tripart. taber. par. II, cap. 6.
(37) Vide Reusner. in Geneal. regum Scotiæ.
(38) Parte II, Prolog. cap. 2.
(39) Parte II, serm. in præf.
(40) Aub. Miræi in Chronico Præmonstr. an. 1518.

Digitized by Google

cognomines, at immerito, scriptores refert. Et quod magis fortassis mireris, e nostris hic sua hæsit aqua Martino Mertz, viro alioquin apprime docto, in tractatu de instituto canonicorum Præmonstratensium. Verum hi, et si qui alii, levi et volubili oculo per paucas auctoris pagellas oberrantes, tempus impressionis aliquorum ejus operum, ac ætatis qua floruit, sine ulteriori indagine promiscuum habuerunt.

CAPUT IV.

Nomen ejus ab aliis discretum, agnomen item, et patria.

Ab eventu nomen pluribus accommodasse veteres legimus, nunc pro integritate privata, alias pro dignitate publica. Ea ratione apud Romanos T. Manlius, dictus Torquatus, a torque aurea Brennoni Gallorum Senonum duci detracta; M. Valerius ab opitulante corvo, dictus Corvinus. Q. Servilius a Fidenis expugnatis, Fidenas; unus deinde Asiaticus, alter Africanus, et plures in hunc modum. Apud Græcos Dion Prusius, vulgo Chrysostomus ab eris aurei eloquio; Ptolomæus Evergetes, a beneficentia; Phocion a probitate Orestus; Damippus ab audacia Ceraunus. Quis nesciat Hebræis initio non alia ratione, quam ab ipsis rebus appellatos significantissimis nominibus? Nec omnino Christiani a simili nomenclatura desciverunt: qui nomini, quo per sacras undas abluti discernebantur, aliud a loco originis, professione status, dignitate stirpis superadditum consciverunt. Hoc propius ad rem nostram, atque olim usitatius, ut qui curis sæculi procul habitis, vitæ perfectiori et regularibus claustris sese arctius mancipassent, nomen avitæ, si quod erat, dignitatis exuentes, ab accepto sanctioris vitæ proposito, vel natali solo invenirent. Atque ea de causa Adamus noster a professione religiosæ vitæ, suppresso majorum claro nomine, communi vocabulo Præmonstratensis, in manuscriptis codicibus nunc Anglicus, modo Scotus, alias Anglo-Scotus agnominatur.

Neve ipsum Adami nomen quempiam in transversum agat, huic ætati viciniores, eo nomine celebrati tres præter nostrum, quem præ manibus habemus, reperiuntur cognomines. Primus S. Norberti discipulus, patria Metensi oriundus, illustris prosapiæ famosas imagines insigni morum sanctitate egregie extulit. Teneræ ætatis adolescens Lauduni Galliarum cuidam Rudolpho litteris excolendus in disciplinam traditus, ægre admodum limosas pubertatis lubricæ scatebras ac illecebras superabat. Quadam autem die cum Norbertum more suo graviter e suggestu intonantem de dignitate animæ et flagitiorum indignitate, de sæculi hujus fugacitate, et semper mansura æternitate cum cæteris auscultasset, mox vehementi adeo terrenorum fastidio corripi, et supernorum desiderio accendi, ut ultro oratoris et parentis optimi statim premeret vestigia, et missis fluxis omnibus, se Deo consecraret. Qui tanti posthæc virtute animi illud lasciviæ jumentum, ut loquitur S. Hieronymus, domare, et vacare cœpit interiori cultui, ut angelicis spiritibus familiaris, laudes, rhythmosque Virgini matri, quam singulari affectu totus deperibat, decantanti faces illi ipsi accensas subministrarent: quem frequentes adeo ecstases abducebant a corpore, ut in sortem eorum jam nunc transivisse corporeæ prope molis expers videretur: demum B. Miloni ad Morinorum episcopalem cathedram evecto in præfecturam Ecclesiæ S. Judoci in nemore (alias Dom-Martinensis) suffectus veri pastoris virtutes et munia ibidem absolvit anno millesimo centesimo sexagesimo quinto.

(41) Alter fuit Adamus archicœnobii Præmonstratensis abbas et præfectus generalis ordinis, qui a multiplicis doctrinæ nomine commendatus sub Clemente V, consilio Viennensi interfuit: multos dein a primoribus favores promeritus, exacto viginti duorum annorum regimine, anno trecentesimo vigesimo septimo, post millesimum hac vita discessit. Hujus præfecturam excepit Adamus secundus ejus nominis præpositus generalis, qui laudis pristinæ et sanctæ conversationis non minus, quam nominis hæres, evolutis sex annis in eo honoris gradu, ante altare majus Præmonstrati mortalis corporis exuviis depositis, anno 1333 hac vita defunctus est. Neque in alios cognomines mihi licuit offendere, qui famæ claritatem dignitate regiminis, aut illustribus ingenii monumentis in posteros transmiserunt. Ex quibus liquet deponendum Aubertum Miræum, cum inquit (42): *Adamus Præmonstratensis et totius ordinis præfectus generalis, vir admodum doctus, scripsit libros tres*, nostrum videlicet auctorem atque opera accensens.

Scriptor ergo noster antiquioris, ut patet, ævi, ab horum præfectura discernitur: qui Præmonstratensis agnomen mihi visus circumferre, vel ab illo nobili archicœnobio, quod in tractu Laudunensi situm toti ordini professionis nomen suum communicavit vel a religiosæ vitæ statu; quo pacto a Carthusia, et Cistercio, ac ejusmodi matricibus Ecclesiis, quæ ab iis derivantur, aut subjacent, nomen crebrius mutuantur. At quam scriptori nostro natalem, quam sedem auspicandæ sanctioris vitæ ascribendam remur in sequentibus relegimus.

Patriam auctori nostro non aliam ab Anglorum regno assignem. Hoc in fronte expressum præmittit vetustus codex manuscriptus apud religiosos Cœlestinos Parisiis. *Magistri Adami Anglici ordinis Præmonstratensis sermones.* Atque in id ego sim propensior, ut ex Berniciorum provincia oriundum accipiam, parte olim Northumbriæ, ejusque cum Gallovidia subjecta regulo. Eam priscis temporibus australes incoluisse Pictos, ac intra limites regni Scotiæ contentam; tamen et ætate Vener. Bedæ, ut alibi meminit (43), et multo post regi paruisse Anglorum in comperto habemus. Nunc igitur natalis

(41) Pagius in Biblioth. lib. II, fol. 470, cap. *Mihi et iis.* v, fol. 939.

(42) Miræus in Chron. Præmonstr. an 1518.

(43) Lib. III Histor. Angl. cap. 4.

Digitized by Google

soli, quod Berniciorum sedem statuimus, et Scotos propius attingit, nunc regni, cujus tenebatur limitibus nunc totius insulæ, quæ a nominatiori parte, apud exteros præsertim nomen Angliæ complectitur, agnomen scriptori nostro adaptare his atque illis adlibuit.

Eo me plane ducunt auctor Bibliothecæ Præmonstratensis (44): *Adam*, inquiens, *Præmonstratensis ordinis natione et professione Scotus, vir multæ pietatis et doctrinæ, scripsit multa, eaque præclara.* Mauritius a Prato (45), cujus annales probe Ambiani inspexi: *Eodem quoque anno, scilicet* 1180, *Adam Præmonstratensis ordinis, in Scotia canonicus; quemque puto non alium, quam Adamum, seu Edanum primum priorem, aut abbatem Candidæ-Casæ, nam ætas et nomen conveniunt; quantum ex ejus scriptis colligere est, vir in sæculo clarissimus, scripsit plurima.* Sub annum 1177: *Circa hæc, ait* (46), *tempora Christianus Candidæ-Casæ episcopus in Galweia Scotiæ regione, canonicos suæ Ecclesiæ cathedralis, jam regulares, in Præmonstratenses convertit. Qua de re ut fundator illius Ecclesiæ nominatur in obituario Præmonstratensi Nonis Aprilis. Vocati ex viridi stagno primi canonici, et eis primus prælatus, seu abbas datus est Adam, seu Edanus, eo nomine insignitus in obituariis.* Convehit in eam sententiam Demsterum De scriptoribus Scotiæ, quem expendere non licuit. Deinde Syntagma Vitæ ejus, quod Antuerpiæ asservatum apud canonicos insignis Ecclesiæ S. Michaelis in novem digestum numeros ipse transsumpsi anno 1629 in hunc ordinem: 1, *Adamus in Anglo-Scotia;* 2, *nobilibus parentibus ortus;* 3, *fumigantibus generis et proavorum imaginibus derelictis;* 4, *Candidæ et canonicæ Sancti Norberti;* 5, *in quadam Scotiæ Ecclesia;* 6, *societati se addixit;* 7, *ubi primorum ordinis Præmonstratensium Patrum;* 8, *quibus pæne coævus vixit, spiritu probe instructus: et sui ævi sodalibus verbo et opere præluxit, atque quo posteri formarentur, manu exaratum reliquit. Ibi adhuc anno* 1508 *erat Henricus prior. Postremo in epitome Chronica, quam Ambiani impressam dictus Mauritius edidit an.* 1655, *Christianus episcopus Candidæ-Casæ favente Fcogusio principe Galoadiæ, Præmonstratenses in suam invexit cathedralem, eisque primus præfuit Adamus scriptis nobilissimus.* Consentanea sunt quæ ipse auctor (47) ad Præmonstratensis Ecclesiæ canonicos scribit apud quos peregre, non stabiliter hæsisse se exhibet: *Obstupescimus quoties nobis occurrit qualiter nostram dignata est celsitudo vestra parvitatem, et ad vos venientem suscipere, et apud vos commorantem tractare, et dimittere a vobis recedentem.* Et mox: *Cum apud vos præsentes corporaliter essemus, a quibus etiam nunc in regno Scotorum positi spiritualiter absentes non sumus; placuit vobis ex humilitate precari quod ex potestate vobis licuit imperare ut librum, quem de tabernaculo Moysi una cum pictura, ante hoc biennium rogatu quorumdam fratrum nostrorum, et maxime viri illustris Joannis cujusdam abbatis, qui in terra nostra est, composuimus, vobis transmitteremus.* Quam terram cum Joanne abbate communem, quosve fratres nactus, ex iis quæ palam suggessimus, quis facile conficiat. Et si cui forsan non factum satis, *sciant*, ait alibi, (48) *inspectores tabulæ hujus quod sicut nos, pro eo, quod in terra Anglorum, et in regno Scotorum sumus, Anglorum in ea, et Scotorum posuimus reges; ita quoque possunt ipsi, si forte aliam, secundum formam istius facere voluerint; etiam Christianissimos in ea regnorum suorum reges ponere.* Hic igitur exceptus genibus, hic studia liberalia edoctus, quæ immodicis deinde profectibus adauxit. De regione autem barbara traxit nihil. Non amplius ut cum S. Bernardo (49) in simili loquar quam pisces maris, de sale materno. Quin ut radii solis in loca caligantia et lutosa conjecti, splendore suo ea illustrant, non inquinantur; sic in agresti quondam patria resplenduit candore virtutis, ac multiplicis doctrinæ suæ luce: *Sapientiam dictitans sororem suam, et prudentiam vocans amicam suam.* (*Prov.* VII, 4.) Sed ubi prius cum deposita prætexta inspexerimus.

CAPUT V.

De adolescentia in sæculo transacta, ac amplexu religiosi status.

Quam verum sit illud quod e veteribus quisquam cecinit:

Quem non corrupit pubes effrena, novæque,
Libertas properata togæ.

Quis nesciat, si adolescentium mores, eorum maxime, quos sors nascendi felicior et fortuna opulentior supra cæteros exemit, introspiciat? In præcipiti omnino et declivi est illius ætatis decursus, nisi retinaculis quibusdam, ceu frenis salutaribus constringatur. Sin minus, lamentis postmodum multisque lacrymis eluat quod improvida adeo et facilis deliquit. Accedit ex secreta divini consilii dispensatione nec desunt super hoc sanctorum Patrum placita, aut exempla: *ut animæ virtutis capaces et fertiles*, loquente S. Augustino (50), *præmittant sæpe vitia quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimum accomodatæ, si fuerint præceptis excultæ.* Vividum siquidem naturæ impetum, quo antea in deteriora ferebatur, ad meliora transfert divina Providentia: ut sibi semper similis, atque ad ardua assuetus animus sive errori obsequatur, sive virtuti, non æstimet se fatigationem primam exuisse, sed melius commutasse.

Quorum consideratione defixus, et suo eruditus experimento auctor noster inclamat (51). Non ex

(44) Biblioth. Præmonstr. lib. I, cap. 17
(45) Mauritius a Prato in annal. M. SS. an. 1180.
(46) Idem ad annum 1177.
(47) Epist. ad Præmonstr.
(48) De tripart. tabern. part. II, c. 13.
(49) In Vita S. Malachii.
(50) S. August. contra Faustum, lib. XXII, cap. 70.
(51) Serm. 4 de Adventu.

Digitized by Google

mente excidit vobis qualiter dudum ambulantes vias non bonas, sed sequentes impetum vestrum, et euntes post concupiscentias vestras, currentes adversus Deum erecto collo, per plateas Babylonis sub Pharaone, luto voluptatis in Ægypto sordentes, et vanitatis palea leves, errabatis penitus sicut oves errantes. Ipse autem Salvator vester, qui dives est in misericordia, pastor et episcopus animarum vestrarum, propter charitatem suam, qua dilexit vos, cum adhuc tales essetis, misertus est vestri eripiens vos de potestate tenebrarum, et transferens vos in terram hanc valde bonam, in qua nunc habitatis. Emisit namque manum suam de alto, eripiens et liberans vos de manu filiorum alienorum, educens nihilominus vos de lacu miseriæ, et de luto fæcis, statuit supra petram pedes vestros, immittens in os vestrum canticum novum, carmen Deo vestro. O mutatio dexteræ Excelsi! o manus Dei vobiscum bona! o voluntas beneplacens et perfecta, et gratuita gratia, qua vobiscum misericorditer actum est, ut illis jam vitiis viriliter dominemini, quibus quondam enerviter eratis prostrati, spiritu facta carnis mortificando, exterminantes gentes illas alienas, et possidentes terras earum!

Atque extemplo hæc ad se pertinere singularius demonstrans: *Quia vero*, inquit, *multos hic video, qui a puero cum Samuele in tabernaculo enutriti, nequaquam sicut nos de longe venerunt, exhortamur eos attentius, ut et ipsi Salvatori suo non minus se debitores agnoscant, quia idem est, qui eos custodivit, et qui nos erexit: modo quidem bono, sed diverso, nos et illos justificans revocando videlicet nos, conservando illos.* Abierat itaque longius a se quadam juvenilis ætatis abreptus licentia, non regionibus segrex, sed moribus, non terris discretus, sed studiis, et quasi interfuso vanitatis sæcularis æstu, divortia habebat sanctorum

(52) *A quo ut dissimilis tetra in deserta recedit,*
Sic vita merito proximus est similis.

(53) Etenim qui recedit a verbo vitæ, esurit; qui recedit a fonte, sitit; qui recedit a thesauro, eget; qui recedit a sapientia, hebetatur; alienus a virtute dissolvitur. Cœpit ergo egere, qui thesauros sapientiæ et scientiæ Dei, qui divitiarum ejus altitudinem adhuc ignorabat.

Verum sicut benignus parens erroneum per abrupta vitiorum filium intuitus, per matrem ei denuntiat paternam indignationem, ni supplex redeat, gratiam et munera, si obaudiat; sic Pater ille misericordiarum divinæ gratiæ favorem, quasi melioris cœpti genitricem ad eum destinat, voluntatem excitans ut velit, potestatem præbens ut possit. Cum territus et concussus: Heu, inquit, quid feci? ubi fui? Recessi a Deo meo, Creatore et Redemptore meo, paulo minus habitans in inferno; et nimis ebeu! securus stertens in umbra mortis! Ibo mihi ad patrem, si forte misereatur, et propitius fiat peccatis meis. Hæc intra mentis adyta tractantem conspicit piissimus Pater, fibras cordis ejus illuminando, occurrit adjuvando, complectitur dona gratuita impertiendo. Deinde patrio affectu in collum labitur, ut jacentem erigat, ut peccatis oneratum, et in terrena deflexum in superna reflectat, ut cervicem jugo pravæ servitutis exutam suaviori mandatorum suorum sarcinæ præparet. Denique quem amicitiæ suæ vult consortem, etiam munerum suorum facit participem. Nec vacuum desiderat, sed ornatum. Profert stolam, qua pristinam infirmitatem spiritualis sapientiæ virtute convestiat; annulum, quo sibi eum stabili charitatis et fidei sponsatum fœdere consociet; calceamenta prædicationis Evangelii, ut *qui audit, dicat, Veni* (*Apoc.* XXII, 17). Denique vitulus occiditur saginatus, cum mysteriorum sanctorum potitus consortio, ipse fidelibus ea dispensat, et repletus sicut adipe et pinguedine, in labiis exsultationis oris sui claustra omnipotenti Deo consecrat.

Sed juvat verbum propriæ confessionis attendere, et quasi furtive suscipere aure demissa venas susurri ejus (*Job* IV, 12). (54) *O anime, quomodo digne in sensu comprehendes quod te in sæculo talem, qualem te ibi fuisse reminisceris, tam patienter sustinuit, tam misericorditer vocavit? ibi longanimis, hic autem misericors. Vocatum tanto talique ornatu justitiæ decoravit? Dans tibi, ut omni tempore vitæ tuæ ab his te contineas, a quibus vix aliqua die te abstinere valebas. Et quod etiam hora modica sustinere laboriosissimum fuit, jam omnibus diebus tuis ferre suavissimum sit. Gratias tibi, Domine bone, et dulcis, benigne et suavis. Tu me creasti non existentem, tu perditum redemisti, tu vocatum justificasti, remittens mihi peccata mea, largiens dona, assiduitatem in lectione, devotionem in oratione, studium in meditatione, dulcedinem in speculatione, puritatem in contemplatione, sanitatem, prout mihi expedire nosti, tribuens in corpore, ut ad opus bonum reddas et validum; et aliquando infirmitatem, ut a mala actione retrahas, et timidum efficias. Semper et in omnibus salutem meam zelans, bello me tentationis fatigans, quiete me rursus pacis consolans: ibi ne me extollam, hic autem ne nimis pusillanimis fiam. Ubique et semper mihi assistens, et omnia mea, non solum bona, sed et mala in bonum mihi cooperari faciens. Adde post hæc, adde et ad hæc quia hæc omnia nihil merenti contulisti. Quid enim ego prius feci, ut tot me, et talibus tantisque donis dignum judicares? Nihil boni, nihil non mali feci, et ipse omnia bona contulisti.*

Et conversa ad suos oratione (55): *Jam ubi est impetus spiritus, illuc gradientes, tota vita exercere pro ludo tenetis. Sublimia quidem, et non minus dura quam nova Sublimia assero, quia quodam modo su-*

(52) S. Prosp. Epigr. 80.
(53) Vide auctorem De Tripl. contempl., par. III, § 10; et serm 9, I par.
(54) Serm. 13 Adventus.
(55) Vide Serm. 14 Advent.

Digitized by Google

pra naturam; nova vero quantum ad veterem consuetudinem : dura dico propter infirmitatem carnis vestræ. Hæc jure testimonium ferunt, et scimus quia verum est testimonium eorum, crebra, quæ exercetis jejunia; continuæ, quas ducitis vigiliæ : hæc, quam circumfertis, vilitas in habitu : hæc, quam sustinetis, asperitas in victu : hæc quam exercetis, parcitas in affatu ; omnia, ut ita dicam, corporis vestri membra quotidiano martyrio exponentes, nec ipsam etiam voluntatem in potestate habentes. Conficit : *Igitur per gratiam Salvatoris nostri salvati sumus, et nos qui longe fuimus, et illi qui prope inventi sunt. Dei enim donum est, ne quis sive ex nobis, sive ex illis in hoc glorietur.*

(56) *Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante*
Te gerimus : tu corda moves, tu vota petentis,
Quæ dare vis, tribuis; servans largita, creansque
De meritis merita, et cumulans tua dona coronis.

CAPUT VI.

In qua ecclesia vitam religiosam professus se primum Deo devovit, claustralis quietis præco singularis.

Quæ de præclarissimis viris contentio, ac æmulatio legitur, ut plura oppida et regna natales illorum sibi vindicarent, atque alia rursus pia colluctatione cives suos repeterent, eadem de Adamo nostro complures opinantium tenuit diversitas, ut Galli suum decernerent, Angli suum inscriberent, Scoti suum dicerent, Northumbri suum esse inquilinum contenderent. De patria quidem, quæ mortalis vitæ communicavit originem, sententiam meam, quam tunc assequi potui, expressam dedi. At spiritualis vitæ incunabula, et sanctioris disciplinæ exercitia, non alibi huic assignem, quam in nobili Præmonstratensi archicœnobio, quod teste Paulo Morigeo (57) in sua historia De religionum origine, tanta fecunditate mox ab institutionis suæ primordiis excrevit, ut mille octingenta tam virorum, quam sanctimonialium monasteria (præter alias minores Ecclesias, quam plurimas, quas prioratus, grangias, parochias appellant) ante annum ducentesimum nonum supra millesimum connumeraret. Hic, inquam, spiritus sui religavit primitias, hanc cœlestis militiæ delegit stationem; hic perpetuam Deo nuncupatis votis firmavit servitutem. In hanc pinguem et fecundam insertus olivam, oleo mystico exundavit.

Nec quemquam dimoveat aliena patria, quam in regno Anglorum ei figimus. Præterquam enim quod Angli ea tempestate bonam Galliæ partem insiderent, plurimos tirones ex dissitis Christiani orbis plagis divinus Christi amor, et virtutis capessendæ studium, missis spebus mundanis, et nobilissimis avorum titulis, cum in Præmonstratensi, tum aliis ejusce ordinis recenti sanctitatis odore fragrantibus familiis excivit, atque inflammavit. Talem sub hæc tempora diœceseos Laudunensis cœnobium Buciliense effert beatæ memoriæ Royardum Scotorum regis filium sub laica ac humili professione, multarum virtutum vere nobilem. Talem suspexit insula B. Mariæ ordinis Præmonstratensis in Geldria beatum Robertum primum abbatem, cujus agnatus Henrici primi Anglorum regis sanguis, et sanctæ conversationis dispersus odor regem ad submittenda donativa plurima ejus Ecclesiæ suaviter inflexit. Nec memorem Richardum Anglicum vitæ innocentia et doctrinæ eminentia in Arnsbergensensi Westphaliæ cœnobio anno Domini 1190, inter Præmonstratenses illustrem. Cujus dextra quatuor ab obitu suo lustris primævæ integritatis tenax, inter sanctorum deinde pignora non morituram laboris et meriti sibi vindicat memoriam. Sic cœlum spoponderat, cum primam, revera, Præmonstrati ordinis fabricam mirabili visione designatam circumscriberet (58) : pendenti namque animis novellæ societati Salvator noster Jesus e cruce pendulus promicantibus in eum septenis radiis, B. Hugoni, primo a S. Norberto præfecto ordinis, conspicuus ingentem peregrinorum ostendit a quatuor mundi partibus confluentem multitudinem, quæ supplici gestu, dato osculo ac adorato Redemptore, velut accepta quaquaversum licentia repedabat. Quos S. Norbertus venturos interpretabatur tirones novam hanc militiam inituros, ac per omnes mundi regiones in finem gesturos. *Verum siquidem fuit,* ait Vitæ ejus (*cap.* 27) contemporaneus scriptor, *quod subsecuta actio quotidie insinuat in his, qui relictis omnibus, ut peregrini veniunt, et professione, quasi osculo dato, facta, ad obtinendas præliorum acies ad diversas nationes recedunt. A mari usque ad mare tuba sonuit, et ipsorum audita est vox, in qua et opera Dei manifesta sunt, et exquisita in omnes voluntates ejus.*

At nostrum propius ut relegamus, et aliquid probabili indulgeamus conjecturæ, annos admodum triginta ab ordine instituto sub vegeto et felici regimine B. Hugonis, salutis circiter 1150 in Præmonstratensi solitudine, cum Abraham patre multitudinis, qui et excelsus dicitur, tetendit tabernaculum (*Gen.* XII, 8), quod peregrinantium vel militantium est domicilium (59). Quem in proferendo ex se actionem bonam, quasi generando prolem sanctam fervor boni desiderii fecundum, et rectitudo intentionis soli Deo placendi reddebat excelsum. In Angliam quidem ex Liskensi primum celebri tum cœnobio palmites suos extendisse ultra mare Præmonstratenses refert Clemens Reynerus in suo Apostolatu Benedictino sub annum 1146, Stephani regis decimum, (Mauritius ad annum priorem trahit) quos vulgus, inquit ille, canonicos albos vocavit, atque in comitatu Lincolniensi S. Martiali dicatum posuit monasterium Petrus de Saulia, vocatum Newhouse, id est, domus nova. Verum ad boreales Angliæ par-

(56) S. Prosp. De ingr. c. ult.
(57) De relig. orig., c. 57 et Biblioth. Præm. lib. I, c. 18.
(58) Biblioth. Præmonstr. lib. II, c. 19.
(59) Vide auctorem, serm. 56.

Digitized by Google

tes, quæ Northumbriam et Scotiam adjacent, non aliunde quam ex illustri archicœnobio Præmonstratensi virorum spiritu ferventium, et speciatim quæ Sanlefiete in Glascoensi diœcesi conterminatur, profluxisse colonias comperimus. Sic exerte Mauritius in suis manuscriptis annalibus Feoguzium comitem Galoadiæ quarto Idus Maias in Necrologio Præmonstratensi fundatorem abbatiarum de Sanlefiete (quæ et Viridis stagni, et Sedis animarum dicitur) atque Candidæ Casæ inscribi, de qua rursus redibit sermo. Neque ex alia matrice Ecclesia, quam Præmonstratensi translatam immediate propaginem ad Viridis illius stagni ambitum multarum virtutum turgentem racemis, catalogi, quos recensentes monasteria licuit inspicere, pari conspirant assensu. Inter primos hosce socios novosque colonos habeo Adamum nostrum, qui primum in Viridi stagno, deinde ad Candidæ Casæ gubernacula sublimatus, spectabili sanctimonia et benignitate compositos mores egregie extulit.

Nec aliter facile cuiquam videbitur diversa opinantium sensa æqua colligare concordia, ut neque ab Anglorum regno Natale decus, quod vetus memoria in codicibus ei posuit, divellat: atque Præmonstratensi Ecclesiæ submittat, quem altera æquabili jure sibi non vindicet. Eo prorsus volentem inflectit capituli generalis decretum, cujus hic tenor transumptus est: *Item ordinatum est, quod quidam liber compilatus per fratrem Adam religiosum monasterii Præmonstratensis, tradetur imprimendus, et cuilibet abbas nostri ordinis tenebitur emere.* Quod celebratum anno 1517, partem operum ejus in lucem eduxit. Facit deinde quod sese specialem uteri ejus Ecclesiæ filium non semel vocitet, a cujus utique spirituali eductus gremio processerat (60). Videnda epistola ad canonicos Ecclesiæ Præmonstratensis ab eo inscripta.

In hac, inquit (61), *solitudine ille qui nos liberos dimisit, qui nostra vincula solvit, etiam domum nobis dedit, ut in ea Deo Jacob construamus tabernaculum, id est, in hac interna mentis quiete, nostrum cum Deo ædificemus secretum. O libertas! O solutio! O solitudo!* Et alibi (62): *Quis in hac vita status liberior statu illorum, qui in claustro sincere degunt, vel quietior? Nec regum, nec pontificum, nec aliquorum principum, nec aliquorumlibet omnino sublimium statuum in hac vita, istorum ne dicam statum excedere, sed nec comparari ei in aliquo potest. Est fortasse sublimior in potestate, sed non liberior in quiete. O liber et quietus claustralium status! qui nec sperantes aliquid, nec pertimescentes, tanto moderamine contenti sunt, ut copiosa quadam inopia aporiati et inopi copia ditati, nihil possint amittere antiquum, quos constat esse tanquam nihil habentes, nihil acquirere novum, quos constat esse omnia possidentes.* Pluribus ipse ibi, atque alibi eam materiam persequitur. Cum Christiano poeta abrumpam.

(63) *Libertas nulla est melior, majorve potestas,*
Quam servire Deo, cui bene servit amor.
Absque jugo posita est ditionis amica voluntas,
Quæ viget affectu, non gemit imperio.

CAPUT VII.

Qualitas ordinis et disciplinæ Præmonstratensis sedis apostolicæ approbatio, invida insectatio.

Sublimis illa mens Norberti cœlestibus roborata præsidiis, ac instructa auxiliis in loco, cui Præmonstratum non abs re nomen est, annos admodum triginta priusquam noster in eam vallem spiritualis uberem frumenti, instar lilii germinaturus descenderet, eleganti adeo commistione ordinem suum a beatissimo et maximo viro Augustino Hippone-regio jam diu propagatum attemperaverat, ut nihil pristinæ clericorum dignitatis, nihil veterum monachorum observantiæ prætermisisse merito videri posset (64). Non aliorum luculentius incidit testimonium, quam venerabilium præsulum Guiberti a Novigento, atque Henrici monachi deinde abbatis S. Martini apud Nervios, et Philippi Bonæ-Spei apud Hannones, qui coram inspexerunt, et manibus, ut sic dicam, contrectaverunt, quod libris suis insertum prodiderunt. Hujus nunc pauca verba expendo. Christus loco, cui Præmonstratum vocabulum est, quosdam ferventes spiritu congregavit, per quos ad religionem debitam longe lateque cæteros excitavit. Illic quippe clericorum tanta efferbuit sanctitudo, ut vere in eis reformari vita apostolica videatur: quæ usque ad defectum, diutini languoris molestia premebatur. Illic, inquam, abjecto sacculo pecuniariæ facultatis, exsecrantes mortifera lenocinia propriæ voluntatis, relinquentes eas quas vel habebant vel ambiebant, Ecclesiæ præfecturas, ducentes pro nihilo dignitates velocius transituras, tantum studium labori, silentio, paupertati; tantam denique impenderunt diligentiam sanctitati, ut apud eos inveniri posset et laboriosa afflictio monachorum, et sancta et devota religio clericorum. Quod profecto signanter Deus in valle voluit actitari, ut ipsa loci forma concors esset negotio salutari, et patenter ostenderet, quia clericis, quibus ruinæ occasio erat excelsa dignitas et libertas præsidendi, opportuna erat voluntaria depressio, et humilitas pœnitendi. Et mox (64*): *Ad modum enim crucis eadem vallis in quatuor cornua dilatatur, ejusque planities in quatuor angulis terminatur, a quorum orientali in occidentalem tenditur longitudo; ab aquilonari vero in australem ejusdem latitudo. Quæ loci facies, cui tanta similitudo crucis est infixa; quæ vallis non humano molimine, sed naturali opere quodammodo, est crucifixa: quid monet vel præmonet: nisi ut ad eam confluentes mundo vivere jam non curent, sed se illi, imo Christo crucifixione congrua configurent?* Atque ejusdem est velut epiphonema: « *Felix plane est hæc vita clericorum, a quibus adhuc in terra positis more vivitur angelorum: dum*

(60) Vide epist. I et II, ad Præmonst.
(61) De Trip. Tabern. part. III, cap. 2.
(62) Vide Serm. 37
(63) S. Prosp. Epigr. 8.
(64) De continentia cleric. c. 126.
(64*) Vide infra secunda part. Prol. cap. 3, n. 5.

Digitized by Google

non solum exterioris habitus, sed candore potius animorum, conformantur non solum angelis, sed regi potius angelorum. Apud illos plura, cui libet, videbit.

Disciplinæ regularis jam tum fervidæ et rigidæ gravis et copiosus est paraphrastes auctor noster cujus mihi oratio vultus animi ac imago factorum est (65). Adminicula etenim externæ sanctitatis, octonario commensa numero, in rigore jejuniorum, instantia vigiliarum, manuum labore, carnis castitate, gravitate vultus, parcitate affatus, vilitate habitus, maturitate incessus, internæque in puritate meditationis, in desiderio veniæ peccatorum, gratiæ meritorum, gloriæ præmiorum, in virtute humilitatis, in stabilitate perseverantiæ, similibusque asceticis, familiari adeo atque frequenti exercitatione tractata astruit (66), ut quotidiano martyrio non inmerito componat (67). Quæ vero victus et vestitus asperitatem, providæ cultum œconomiæ, præsidum et subjectorum rationes, totamque spectant status dignitatem, ut religiosa familia fundanda et stabilienda est petra pietatis, temperanda charitatis cæmento, nunc benignitatis respergenda illicio, alias pœnali ferienda terrore, in quatuordecim præsertim sermonibus ad regulares, præcellens ipse vitæ spiritualis magister edisserit. Nec ego succiso verborum tenore facile assequar.

Tria exercitia iterato et sedulo commendabat, quibus alterna vicissitudine viros religiosos distendendos prædicabat: lectione, operatione, oratione. In sermone quidem de Epiphania Domini loquitur: *Quicunque vitam communem professi sunt, semper, prout opportunitas se præbuerit, vel in lectione, vel in oratione, vel in opere manuum reperiri debent. Et studium quidem lectionis per eruditionem illuminat, devotio vero orationis per puritatem sanctificat, labor utique bonæ actionis per utilitatem fructum præstat.* Ac de Adventu Domini: *primum exercitium bonæ actionis habeamus ad necessitatis subsidium, propter proximum; secundum, quod est lectio, ad animæ pastum, propter nos ipsos; tertium, quod est oratio, ad internum affectum propter Deum.* Hæc tria sunt, ait noster Adam (68), quæ in hac domo nostri continuo habere debent sacerdotes. Quia semper, cum a cura necessaria corporis vacant, vel in operatione, vel in lectione, vel in oratione esse debent. Quæ singula profusius deducta extollit. Et nominatim sermone decimo quarto ad religiosos, et de tabernaculo Spiritus sancti (69), hanc esse mensam vitalis cibi, ad refectionem, candelabrum indefecti luminis, ad illustrationem; altare odoratissimi thymiamatis, ad suavitatem odoris. Et pluribus alibi.

Ex quibus illud consideranti liquet, arctissimum vitæ genus, quod Præmonstratensibus Polydorus Virgilius ascribit (70), nosterque magis firmando accedit in cumulum, in primis præsertim illis patribus, quibus ulla indulgente dispensatione, primævi rigoris nihil etiamnum defluxerat: ad quem nec jam desunt, qui laudabiliter nitantur assurgere. Hunc a S. Norberto indictum vivendi morem S. R. E. cardinales pro tempore illo in Galliis legati Petrus Leonis presbyter, et Gregorius de S. Angelo diaconus, in pontificatu summo dictus; deinde Innocentius II præclaro elogio ac diplomate dato Noviomi anno 1124 honorarunt confirmaruntque. Juverit fortassis paucas lineas legendas objicere: *Omnipotenti Deo, cujus misericordia super vitas, gratias agimus, quia vos estis qui sanctorum Patrum vitam probabilem renovatis, et apostolicæ instituta doctrinæ, primordiis Ecclesiæ sanctæ inolita, sed et crescente Ecclesia jam pene deleta instinctu S. Spiritus suscitatis.* Et aliquo deinde intervallo: *Hanc Urbanus pontifex et martyr instituit, hanc Augustinus suis ordinavit regulis, hanc Hieronymus suis epistolis reformavit. Non minoris itaque est meriti, vitam hanc primitivæ Ecclesiæ, aspirante et prosequente Domini Spiritu, suscitare, quam florentem monachorum religionem ejusdem Spiritus perseverantia custodire. Vestrum ergo propositum sedis apostolicæ, cujus legatione fungimur, auctoritate firmamus, et firmos vos in ipso stare adhortamur, et tanquam Deo per nos exhortante præcipimus. Constituentes, ne cuiquam omnino liceat hunc vestri ordinis statum commutare, cujus tantus in tot terrarum partibus fructus exuberat, ut plures vestri saporis dulcedine condiantur.* Anno 1126, Honorius II (71) Norberto firmius robur accersenti, ac in urbe benigne habito hæc indulta sanciv.t! *Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis, Norberto fratri in Christo, et canonicis Præmonstratæ ecclesiæ S. Mariæ, eorumque successoribus regularem vitam in perpetuum professis. Quia igitur vos religiose vivere, et canonicam vitam secundum B. Augustini institutionem ducere, inspirante divina gratia decrevistis, propositum vestrum sedis apostolicæ gratia confirmamus.* Alibi pleni tenoris habes, quæ nos quasi in vitellos selecta dedimus.

Illud imprimis memorandum quod alios enarrare non memini (72): uti S. Benedicto ex adverso venisse presbyterum quemdam Florentium, sic Norberto Hugonem Metellum, genere et doctrina alioquin in sæculo clarissimum, candorem vestium et animorum affectis oculis invidisse, atque animo exasperato invectum fuisse. Et quidem ad proceres Ecclesiæ, quos in Gallia supra vidimus, aculeato stylo inscripsit (73): *Cardinibus terræ super quos posuit Deus orbem.* Laudata primum eorum prudentia,

(65) De trip. Tab. par. IV, cap. 6; et Serm. 46, 21.
(66) Serm. 14 de Adventu.
(67) De externa internaque œconomia religiosa legendi sunt 14 Sermones ad regulares.
(68) De trip. Tabern. part. II, c. 19
(69) Part. III, c. 7 et 8.
(70) Lib. VII, c. 3, De invent.

(71) Biblioth. Præmonst. lib. II, c. 28; ac init. Statut. Ordinis.... Secunda confirmatio ab Honorio II, an. 1126.
(72) S. Gregor. l. II *Dial.* cap. 8.
(73) *Excerpsi ex Bibliotheca S. Genovefæ in monte Canon. Reg. Parisiis.*

Digitized by Google

scientia, et providentia subinfert : *Cum itaque sitis tantæ prudentiæ, tantæ potentiæ miramur, si salva vestra pace mirari possumus, cur tantam varietatem ordinum in vestibus, imo vestium in ordinibus sustineatis. Ecce isti sunt superpelliceati, isti tunicati; quasi regnum cœlorum obtineatur vestibus, non moribus.... Tunicati exordium sumpserunt a Norberto, superpelliceati a B. Augustino. Ab heri, et nudiustertius emerserunt tunicati a ducentis et eo ampliu annis floruerunt jam superpelliceati. Consuetudinem autem, ut dicit B. Gregorius, immotam permanere censemus.... Et tamen toleranda esset hæc novitas, nisi scandali nasceretur enormitas. Multi siquidem, sive omnes, qui non sunt illius sectæ, scandalizantur in illa veste.... Qualiter autem divina pagina abominetur novitatem, audite B. Hieronymum ad Nepotianum scribentem. Vestis, inquit, sit tibi nec satis munda, nec sordida, nulla novitate notabilis... Item : Non absque lineo amictu incedere laudabile est, sed pretium linearum vestium non habere. Et B. Augustinus legis nostræ lator : Non, inquit, sit notabilis habitus vester etc. Si vero Norbertini centauris similes, nec equi, nec homines, ad vestium suarum defensionem adduxerint cum aspera veste Joannem Baptistam, exeant de medio hominum, tollantque scandalum de medio fratrum; et væ homini, per quem scandalum venit. Scire autem vos volumus, et forsitan vos melius nobis scitis, Urbanum papam et martyrem regulam canonicorum instituisse; B. autem Augustinum legiferum nostrum suis regulis ordinasse; Hieronymum vero dictis suis, et epistolis informasse. Horum dictis et scriptis legimus Urbanum II annuisse, et subscripsisse canonicis S. Rufi, ita scribens : Vestrum, inquit, propositum*, etc. *Isti tanti doctores, regulæ nostræ plantatores, hunc statum ordinis transmiserunt nobis : quo sancta Ecclesia floruit trecentis annis. Timeat anathema, qui sanctorum Patrum obviaverit scriptis.* Prolixius habentur in manuscripta historia monasterii Erivallensis can. regularium diœcesis Parisiensis : quorum ipse Hugo Metellus numero censebatur, consilium Altissimi diruere nequidquam connisus : *Appendit autem corda Dominus* (*Prov.* XXI, 2).

Ex præfatis exinde liquet, qua specie veri libris suis insertum committant Hieronymus Platus (74) De bono status religiosi, et Franciscus Amicus in theologia sua Scholastica, nullum ordinem ante religionem beatorum Dominici et Francisci a sede apostolica approbatum legi. Nec ejus palam sententiæ videtur Bellarminus, quem iste adducit; fassus quidem veteres Antonium, Basilium, Augustinum, Benedictum approbationem quæsivisse non legi, et ferendi præcepti ejus natam post hæc occasionem ex pauperibus de Lugduno, quorum vivendi normam superstitiones et variæ hæreses resperserant; at cætera exerte non edisserit, aut ejusdem reus est accersendus errati. De quo videndus Baronius in Annalibus anno 1126. Nec mitius paulo impingunt, qui cæteros lubenter ad subsellia deponunt monachorum, ut suas absque consortibus cathedras sustollant.

Ut gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, et sardo cum melle papaver
Offendunt.

CAPUT VIII.

De contemplativæ atque activæ vitæ studiis, quibus præcelluit.

Activa vita, inquit noster (75), bifaria est : *quia et in prædicatione veritatis consistit, et in opere virtutis. In prædicatione, ad instructionem cordis, in operatione propter subsidium corporis. In prædicatione, ut errantem proximum instruamus, in operatione, ut ejus indigentiæ succurramus.* Hæc prædicatio ignorantiam abstergit veritatis, opus virtutis abundantiam resecat vanæ cupiditatis. Prædicatio proponit legem et disciplinam, virtus usum postulat et doctrinam. Disciplina damna removet concupiscentiæ; doctrina tollit nubila ignorantiæ. Hæc bina vincula noster (76) appellat Satanæ, ignorantiam dico et concupiscentiam : a quibus probi, et electi sese atque alios liberaturi student veritati et per Dei virtutem et sapientiam missam faciunt cupiditatem. Quo facit ille usus, ab exordio frequentatus Ecclesiæ, verba pro cor cione faciendi. Cujus apud suos noster (77) iterat meminit. Quia non aliter atque ferrum absque cura et usu rubigine aspergitur, mens nostra melioribus non exercita sermonibus obducit torpedinem. Ignescit itaque ab exercitio, nec aliud est quod simili energia affectum feriat, atque viva vox a pectore profecta non frigido. *Quod nimirum*, ait auctor (78), *sanctum et salubre linguæ opus tunc digne exercemus, cum et in oratione pura Dei laudibus vacamus, et in prædicatione sana, circa proximi exhortationem laboramus. Huic officio gemino sanctam decet linguam insistere.* Et pluscula ibi.

Quam fervidus ipse atque succensus, quam disertus atque indefessus verbi divini ecclesiastes fuerit, in speculo vultum animi ejus admetient resplendet aliquousque, utinam coram videre, et audire vivæ vocis tonitrua licuisset! Dabat aquilo, nec prohibebat auster (*Isa.* XLIII, 6). Sociali erga suos coæquales, ut modeste fatetur (79), attractus affectu, et reverentiali superiorum compulsus imperio, jactato in Domino cogitatu, applicare coactus studio animum, et calamo manum, litteris, quæ in publico dixerat, superadditis quibusdam, expressit. Quod sibi familiare ac ordinarium non obscure insinuat (80) : *Invenitur*, inquiens, *apud Ezechielem quidam gladius malus, et hic peccatum est, de quo*

(74) Lib. I, De bono status Rel. cap. 2, tom. IV, disp. 7, sect. 3, num. 77.
(75) De Trip. Tab. par. III, cap. 14.
(76) Serm. 27.
(77) Serm. 15, in Adv.
(78) Serm. 43 Epiphan.
(79) Vide Præfat. Auctoris primæ partis.
(80) Serm. 37.

Digitized by Google

legitur: « *Si viderit gladium, et non insonuerit buccina* (*Ezech.* xxxvi). » *De speculatore loquebatur. Quod sequitur; avertat Deus a nobis, qui ejus esse speculatores videmur. Damnatione namque se dignum prædicator noverit, si cum regnare peccatum viderit, a doctrina cessaverit.* An vero cum alterius potestate dignitatis Ecclesiæ deinde præsederit in sequentibus sermo tractabit. In hoc prædicandi munere, qua gratia et nominis celebritate excelluerit, scripta ejus spiritu vivido, sublimi ac igneo turgentia loquuntur. Ex epistola ad canonicos Ecclesiæ Præmonstr. pauca hæc trutinanda appendo: (81) *Tacemus quam celebre nomen nostrum apud vos, cum esse constet indignum, ut vel nominetur. Non solum autem, sed et dicere supersedemus, quoties asseruistis vos desiderare reditum nostrum, ut sonet vox nostra in auribus vestris, cum nec vox nostra dulcis, nec facies sit decora* (82). *Quid enim nos, aut qui nos vel quales, sive quanti nos, ut nos perduceretis huc usque?* Ejus argumenti sunt, quæ in præfatione nuncupatoria prosequitur. Unde crebras profectiones ex Northumbria in Gallias ad suos Præmonstratenses adornasse, multis beneficiorum ac honorum titulis cumulatum, multa enituisse dicendi gloria, ingenti sui desiderio ægre dimissum, et comitantes usque ad portum, non nisi feritate marina avulsos, et fraudatos suavi verborum illicio, merito conficias.

At, quæso te, quam demisse præoccupat celebratam sui opinionem? *Vox quidem*, inflt, *vox Jacob, manus autem, manus sunt Esau. Auris audiens admiratur nos, sed indignos se nos judicat oculus videns, quia longe alii sumus præsentes in facto quam verbo absentes. Nam quem sæpe pulchrum hominem depingimus, ipsi pictores fœdi sumus. De velocissimo Tigridum cursu disserimus, pallidæ sub lutosa palude nostra, vix repentes ranunculæ, et intra distortæ involutæ testam testudines molles. Leonum in modum vires afferimus agilitate non agili, sub nostro nos pulvere moventes formicæ magis, quam viventes, in corpus solare aquilam limpidissimum docemus infigere visum talpæ suffodientes, lumen non ferentes, nec scientes solem.* O verba facundi pectoris, demissi cordis! Istud in oratore, ex placito Demosthenis, atque in nostro singulare considero, quod in declamatore primum, secundum, et tertium est, dico pronuntiationem: quæ ex vocis et totius corporis apto moderamine profluens, dictionem animat, auditores inflammat, demulcet animos atque fecundat. *Lingua eucharis in bono homine abundat* (*Eccli.* vi, 5). Ea fuit præclara pars ac hæreditas sanctissimi institutoris nostri Norberti ab Ecclesia catholica, singulari præconio, verbi Dei præconem eximium appellari. Et probavit apud Antverpienses cæterosque Belgas spurcissimæ et sacramentariæ hæreseos, Tanchelino auctore, gloriosus triumphator. In hanc, tanquam legitimam suam tanti patris præclari filii successione felici et locupleti accessione complures venerunt. Testes appello beatissimos Isfridum, et Evermodum episcopos Rasenburgenses, et Wandalorum apostolos, Cainum et plures episcopos Olomucenses: quorum vox, ut gesta loquuntur, sonora ut tuba, et quasi angelorum. Nec memorem Walterum Laudunensem, apud Ducenos, Helinum Floreffiensem præconem crucis Christi usque ad Syros, Waltmannum Antverpiensem apud suos, Henricum Tongerloensem, Matthæum Ninivensem, atque apud Leodienses Lucam montis Corneliani, celeberrimos abbates, (e pluribus paucos licuit nominare), ignem cœlestis patriæ, quo toti fervebant, accendisse in cordibus plurimorum, præluxisse errantibus, dextras et portum dedisse naufragantibus. Quorum gloriæ seges ab aliis sublimius est efferenda.

Sed nostrum revisamus paululum, qui a sarcinis ad quietis dulcedinem alterno discurrens officio, fecundos Liæ formosæ Rachelis miscet amplexus. Egreditur ad populum responsa delaturus cœlestia; alias cum Moyse ingressus secreta velaminis terrena omnia generoso despectu calcat, corporalia abscondit, cœlestia aperit, et supra seipsum abreptus amabili quadam dulcedine pascitur, gloriam Domini contemplatur (83). Hic invenit Deum super omnia, non exaltatum; subtus omnia, non substratum; intra omnia, non inclusum; extra omnia, non effusum. Imo in his nihil invenit nisi se non posse omnino invenire eum. Hic fassus se scire quod nesciebat, nec solum scire se quod nesciebat, sed scire se etiam quod scire non posset, et quod non nescire non posset. Ab hac quadam exstasi mentis, qua luce gratiæ illustratus deprehendebat in Deo esse et quod a nullo, et id quod ab alio, et id quod ab utroque, essentiam videlicet a semetipso, sapientiam ab essentia, et ab utraque amorem, Deum esse gignentem, esse genitum, esse et procedentem; gignentem genitum, genitum a gignente, procedentem nec a solo genito, sed a gignente simul et genito; Deum describit in semetipso confessus incomprehensibilem, terribilem in reprobis, suavem in electis. Rursus foras parumper egressus super multa operum Dei magnitudine, magnaque eorum multitudine obstupescens, singula quæque in genere suo quinque nostris corporalibus sensibus se offerentia et inferentia, diligenti naturarum suarum inspectione, perquirit de Conditore. Quæ omnia clamore valido Deum esse pronuntiant, sed qualis aut quantus sit, non definiunt. Intro autem conversus, qualis sit vita sanctorum scrutatur, atque inhiat ore cordis in superna fluenta fontis vitæ. Demum retro respectans, impiorum indignatur peccatis, hinc suspirans in fragilitate humana, inde respirans in misericordia divina, velut inferiori ac superiori cogitationum suarum mola hæc ruminans, timore concussus, et tenebris obseptus, in quantum audet,

(81) Epist. 1, ad Canon. Præmonstr.
(82) In 1 præfatione.
(83) Vide lib. De contempl. par. III.

Digitized by Google

conquerendo et quæritando investigat quare ille universitatis Creator qui omnia potest quæ vult, et nisi quod bonum est non vult, creaturam suam rationalem permittit ut in peccatum cadat, quo digna postmodum fit ut in peccatum ruat (84). Cum veraciter constet eam, sicut nec bonum posse agere, nisi ipso et aspirando præveniente, et adjuvando prosequente, sic nec malum, in eo dumtaxat, in quo nunc est, statu, omittere, nisi eo retinente; nec admittere, nisi eo permittente. Sed hæc cogitationum suarum hebetatis dentibus non valens comminuere, igni magis divino reservat, atque cum Apostolo exclamat : O altitudo ! (*Rom.* xi, 33.)

(85) *Cum Paulo tremuisse juvat : stupidumque* [*modeste,*
Inflctum ad solium Christi suspendere nutum;
Cujus judicium sic inscrutabile et altum
Dicimus, ut verax prorsus fateamur et æquum.

Nobis itidem :

(86) *Claudite jam rivos, pueri, sat prata biberunt.*

O pura et digna cœlo mens, quam nos leniter his *infimis* eximis, et summis inseris ! Legimus te, atque animo erigimur, si tamen intelligimus, aut non negligimus, sed cum attentione legimus. Et quis aliter potest ? Tantus ubique vigor et calor est. Sic omnia spirantia et animata, ut non scripta legere, sed verba audire, nec imaginem ejus in typis, sed crebro ipsum hominem oculis sensibusque usurpare videar. Sicut facem ad accendendum frustra quis admoveat, nisi accensam, sic sermonem ad excitandum, nisi vegetum et calentem. In nostro, nisi fallor, arsit animus cum scripsit : *Ab animo stylus, a stylo utinam nos!* Fatendum mihi est, in cacumine montis Olympi, ut aiunt, subinde esse videor, cum hunc lego, supra ventos et spiritus procellarum, supra mobilitatem rerum humanarum. Finio in elogio quod a centum quadraginta annis vetustæ impressioni præscriptum observo (87) : *In ducenda virtutum quadriga, et via regia tenenda, quondam sollicitam navavit operam Adam, religionis nostræ pugil fortissimus, cujus vitam, et ingenuos mores sua scripta affatim testantur. Per hæc enim videtur Deum, quem nemo vidit unquam, in carne adhuc fœculenta existens vidisse. Tam luculenter de illo loquitur, tam dilucidè semitam ad illum perveniendum docet, ut plane videatur in cœlo fuisse.*

CAPUT IX.

Humilitas animi, devotio singularis circa tremenda missæ mysteria, charitas.

Præcipuæ fuisse humilitatis affatim testatum faciunt ejus monumenta, mentis ornatissimæ pignora. Huic merito primus est locus, quæ reliquis præjacet, ac instar reginæ chorum ducit virtutum. (88) *Ipsa namque est,* inflt, *quæ vitia perimit et annihilat; virtutes vero fundat, et fundatas conservat. Ipsa est universæ sanctitatis in anima nostra custodia et defensio. A qua auferre humilitatem non aliud videbatur, quam a civitate murum, a vinea maceriam, ab horto sepem.* Sermone quadragesimo quarto, ubi totus circa humilitatis archetypum desudat, ex propria locutus experientia exclamat : *O sancta, et inter virtutes cæteras veraciter sanctificans animam humilitas : cujus est in nobis virtutes, et cum desunt acquirere, et cum adsunt custodire, et cum forte subtractæ sunt, restaurare ! Hoc enim proprium esse humilitatis officium, etiam proprio jugiter experimento sentimus.* Et statim : *Ibo mihi ad eam, et assumam mihi eam sociam individuam, ut veniant mihi omnia bona per illam, cum gratiam sentio absentem; ipsa custodiet eam, ne perdam præsentem, et forte subtractam ipsa restaurabit, ut mihi restituatur.* Asceticos deinde virtutis hujus scandendæ gradus mire exerit, et plantandæ arboris hujus prorsus fecundæ praxim religiosis cordibus per exempla inserit, cujus in corde fixa radix, in ore folia, operumque fructus colonum suum vere humilem probent. Neve auctor ipse velut fatua arbor, viridantibus crepans foliis, fructuum expers videatur, propius eum notant quæ in publicum profitetur (89). *Non enim in corde, et corde; sed coram Deo in Christo loquor, testimonium mihi perhibente conscientia mea, in Spiritu sancto, quem in veritate video qualem me ore confiteor, talem et in corde intueor : vilem me faciens, et in oculis nihilominus meis humilis existens.* Nec illud omnino transmittendum, quod cordis sui arcanum palam ediserit (90). *Dico vobis amicis meis, experto credite: Nihil tam efficax habere potest homo ad gratiam spiritualem, non solum antequam data sit, acquirendam : sed et postquam data ei fuerit, ad retentandam et augendam, quam ut semper sit humilis in oculis suis, semper pavidus et circumspectus, semper timidus et sollicitus, semper conscius sibi, quod non altum sapiat, sed timeat ; semper et in omnibus semetipsum accuset, quia quo major in mente humilitas habetur, eo magis in eo et gratia augetur, et habenti dabitur et abundabit.* Magna profecto et rara virtus, ut magnum licet operantem, magnum te nescias, et manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem; mirabilem te apparere, et contemptibilem reputare. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico. Hoc et ego in nostro præ cæteris extollo.

Qua vero animi reverentia, quo mentis ardore suique totius effusione, in divino, quotidiano et jugi sacrificio, ad sacra altaria operabatur ? *Totus,* inquit (91), *concussus et liquefactus. Hanc* quam legalis expers maculæ oblatio figurabat *et nos quotidie immolamus, quando sacrosanctum Domini nostri corpus fideliter sumimus..... partes quidem in sacramento facimus : sed ipsum a se non dividimus... ubi pars ibi et totum, quia sicut in diversis locis unum, ita et in singulis partibus potest esse totum... species*

(84) In præfatione libri De contempl.
(85) S. Prosp. De ingr. 3, 36.
(86) Virg. Buc. Egl. 3 — vers. 112.
(87) In epist. dedicat. anno 1518.
(88) Vide serm. 41.
(89) Præfat. 1.
(90) Serm 38, et alibi passim, serm. 39, 41.
(91) De tripart. tabern. part. II, c. 10.

Digitized by Google

apparet cujus non est substantia, et latet substantia, cujus non apparet forma. Et plura apud ipsum veraciter et catholice. Hic ipsos penetrantibus cœlos suspiriis, et madentibus oculis prius sese mactabat, Deo factus hostia, quam faceret. Hic contemplabatur humanum in verbo corpus, divinitatem in carne, hominem in Deo. Hic potabat largiter de fontibus Salvatoris. Hic omnem medelæ, et fiduciæ suæ rationem, totamque vitam animæ suæ habebat repositam. Lubet ipsum ferventius audire loquentem : (92) *Dico vobis amicis meis : solida mihi spes est, et fiducia firma, quod peccatorum, quæ in corpore gessi, et per corpus contraxi, consequar veniam per immolationem immaculati corporis Agni, qui tollit peccata mundi. Quam nimirum mihi spem et confidentiam illa beati Joannis sententia confert, quæ talis est :* « *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (*I Joan.* II). Ac deinde : *Quid enim, si immundum et pollutum est corpus quod gesto? Sed est sanctum per omnia et purum, quod in Christo possideo. In omni, quod in me, vel minus boni, vel magis reperio mali, recurro ad vivificum corpus Jesu mei, inter Patris æquitatem, et meam iniquitatem, clypeum faciens illius sanctitatem. Quid enim si in corpore meo, et visum polluit curiositas et auditum inanitas, et olfactum voluptas, et gustum edacitas, et tactum impuritas? Non nimis turbatus ero, non pusillanimis nimis. Scio enim quid faciam. Ibo mihi ad purissimum corpus Domini mei : in quo nullum malorum horum est, illud in ejus judicio tenens pro clypeo : Quod in meo est malum, per illud diluens : quod in illo est bonum, mihi vindicans. Sic etiam non eum jam timebo ut judicem, sed amabo ut fratrem; frater enim et caro mea est.*

O verba ex meracissimo sapientiæ penu deprompta! o dulciora mihi super mel et favum : invitus, fateor, abrupi. Paucula relambo tanta illectus suavitate. *Sic ergo curro ad corpus, quod non fecit peccatum, ut et mihi remittatur, quod per corpus feci peccatum. Quod si in me caro concupiscit adversus spiritum; si me vitia carnis tentant, si stimuli ejus titillantes infestant; nonne et tunc mihi magis recurrendum est ad solum et solidum refugium meum, Jesu mei corpus, ut corporis mei concupiscentia exstinguatur, superentur tentationes, stimuli hebetentur? Quod enim tam efficax auxilium ad obtinendum hujusmodi triumphum, quam meditatio* [*al.* manducatio] *corporis ejus? Ipse enim est, qui scit compati infirmitatibus nostris.* Ita ipse, et qui amat pluribus insistet. Timantem pictorem ex eo celebrant quod in ejus tabulis semper aliquid amplius intelligeretur, quam pingeretur; sic in illis, quos ab auctore (93) nucleos, vel aphorismos colligo, plus habent, et notant, quam dividui sonant. In vicem auctarii memorandum quod sicut pientissimæ matri, ejusque carne et spiritu filio, S. Augustino nihil prius, aut antiquius fuit, quam sui a decessu jugem ad altare Dei cogitare memoriam; unde sciebant dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis, sic noster Præmonstratenses fratres suos, Christi servos, quibus voce et corde, et litteris serviebat, flexis genibus mentis, pedibus eorum prostratus memores sui esse obsecrat in (94) sacrificiis suis vespertinis, offerentes sanandum piis conspectibus. Advocati nostri, mitis et mansueti Jesu, qui quod pro se non debuit, solvit pro nobis, et sacerdos pro nobis factus et hostia, emptor et pretium, sacrifex et sacrificium, medicus vulnerum nostrorum et medicina, larga pii cruoris sui effusione immundos nos abluens, et reconcilians reos. Et conficit : *Mementote itaque diligentis vos peccatoris Adæ, cum de ipsis intimis altaris aurei emisso odorifero Sancta sanctorum impletis aromatis fumo. Et ibi quam maxime ubi Patri Filius immolatur : cujus sanguis clamat de terra, melius quam Abel* (*Hebr.* XII. 24). *Sed et hoc petitionibus nostris superadderemus, nisi forte temerariæ foret præsumptioni imputandum, scilicet ut nomen in albo sanctæ congregationis vestræ, una cum vestrorum, qui jam discessere nominibus, juberetis post mortem ascribi, quia et nos vestri sumus.* Rem æque atque submisse postulatam impetravit, et nomen ejus in Præmonstratensi Necrologio, IX Decembris expressum legitur.

Finivi, si charitas virtutum clauserit agmen, quæ nunquam excidit. Hæc quasi totius operis materies ubique prominet atque exæstuat (95). Hæc ubique loquitur; et si quis horum, quæ leguntur, velit adipisci notitiam, amet. Lingua enim amoris, ei qui non amat barbara est, sicut æs sonans, vel cymbalum tinniens, nec capit ignitum eloquium frigidum pectus. Et noster : *Esto quod imperitus sermone, sed non vacuus dilectione.* Hanc causam scribendorum, hanc agendorum obrussam sibi fixerat, ex celebri, S. Augustini (96), quam ore et calamo iterabat, gnomologia : *Habe charitatem, et fac quod vis;* ejusque non dissimili (97) : *Habe charitatem, et quocunque volueris, induere vestimento.*

Hæc, ipso docente, scala est, cujus inferior pars terram, summitas vero tangit cœlum. Hæc in erecto in titulum lapide effusum oleum : hæc unitas cubiti in consummatione et summitate arcæ Noe : hæc lignum paradisi, imo ipse paradisus est. Hæc facit vitam cœnobiticam sanctam, quietam, jucundam. Demum hæc tanta et talis est, ut cæterarum omnium virtutum primatum teneat, sine qua virtutes cæteræ vocari quidem, sed falso virtutes possunt; esse autem virtutes veraciter, nullatenus possunt. Cui uni acquirendæ, possidendæ, fovendæ reliqua omnia faciant præcepta. Ac in epistola ad suos (98) : *Ad hoc*

(92) Serm. 40.
(93) Lib. IX Conf., cap. 13.
(94) Epist. I, ad Præmonst.
(95) Vide S. Bernard. serm. 79, in Cant
(96) Præfat. serm. 3, ad Relig.
(97) Serm. 8, ad relig., et serm. 12, ad eosd.
(98) Epist. I, ad Præmonst.

Digitized by Google

totam ordo noster intentionem suam dirigit, ut charitati militare possit. Seu igitur parcat, seu feriat, seu constringat, seu relaxet, seu dispensatorie aliquid, interveniente causa aliqua rationabili, agat, aut certe aliquid in aliud mutet, totum ad charitatis integritatem transferat, ejusque in nullo modum transeat, ut habere se in medio sui lignum vitæ demonstret. Hæc enim si parcit, remissa pietas non est: si charitas corrigit, districtio rigida non est. Et plura, quæ finem meditanti succidere necessum est.

Ex hoc charitatis fervore, quem totus spirabat, quo Deo suo, complexu intimo, adhærebat in firmam adeo et constantem, mortalis prope conditionis immemor adsurrexit fiduciam, ut in sortem sanctorum ac inter domesticos Dei, depositis terrenæ carnis exuviis, abiisse videretur. Sic ipse in quodam excessu mentis jucundatur, et vocem emittit epulantis (99): *Considero hæc, Domine Deus meus: considero, inquam, hæc, et hilaresco. Video hæc, et exsulto. Cerno hæc, et tantam etiam de me spem concipio, ut et me quoque esse unum ex eis audeam sperare. Hæc namque diligenter intuens, me quidem, non meis aliquibus intervenientibus meritis, sed sola tua gratuita gratia, intra electorum tuorum consortium firmiter spero admittendum: ita ut illam et jam ad me viri SS. audeam trahere sententiam, quam de se suisque coelectis dixit, eam de me dico:* « *Nunc* filius *Dei* sum, *et necdum apparuit quod* ero (*I Joan.* III, 2). *Et unde mihi, Domine, ista spes, ut me tantillum, et talem audeam sperare tibi similem futurum? procul dubio ex incomprehensibili amoris dulcedine, quo nos tam gratuito, tamque stabiliter amplecti dignaris. Unde et animam meam, per contemplationem multimodam beneficiorum a te mihi collatorum, ad laudem tuam incito, et dico:* « *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus* (*Psal.* CIII, 1). » Et quæ sequuntur.

At quispiam florentis horti septa ingressus, non statim rapaci ungue in omnes omnino flores, quos avidis metitur oculis, ibit desævitum; quin hinc et inde legit aliquos compositurus ex iis fasciculum, quo apud amicos horti famam ex variegato serto efferat; sic mihi agendum ratus ex quarumvis collectione virtutum quasi florilegium decerpsi, unde clarior cum laude notitia accresceret. Ecce quantæ deliciæ in heliotropio gratitudinis, in viola humilitatis, in versicoloribus vitæ mistæ tulipis, in hyacintho cœlestis desiderii, in juglande temperantiæ, in liliis devotionis et puræ orationis, in amarantho fervidi spiritus, in rosis candidis purpureisque flammati erga Agnum immaculatum affectus, qui lavit nos suo sanguine, et quotidie immolatur pro nobis? Quanta denique venustas in malogranatis suaviter redolentibus ol amorem in proximum, punicee autem rubentibus, propter charitatem in Deum? An forte diffidis? ipse, sodes, hæc amœna septa ingredere, pulvillos mysticos introspice, areolas percurre, in quibus tot florida germina, quot passim sententiarum occurrunt momenta.

E plurimis igitur, qui supererant, paucos strinximus virtutum thyrsos. Ex propriis monumentis auctorem investigavimus, et quis rectius noverit, quam ipse se auctor? Vulgare id, et receptum magis, ut ex bonis quisque suis innotescat alteri. Ecqua bona, nisi hæc scripta acceperis, in quibus vivida sui resplendet imago? Recte quidam: *Laude ipse sua se sonet, et laureatus spiritu scriptis coronetur suis.*

CAPUT X.

De libris veterum deperditis querimonia, et Syllabus operum Adami.

Celebre illud est scitum Hussitæ vatis: *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia* (*Job* XII, 12); atque alterius, qui apud comicum sapientes habet eos qui utuntur vino veteri, scriptis utique priscorum. Quæ vel sola in rebus humanis opera esse debuissent quæ nulla tempestas involveret, nulla consumeret vetustas. Cætera quæ per constructionem lapidum, et marmoreas moles in magnam educta altitudinem constant, non propagabunt longam diem, ait Seneca (100). Quippe et ipsa intereunt. Immortalis est ingenii memoria. Unde conquirenti et requirenti sæpenumero scriptores vetustiores a cana fide, et sana dictione commendatos, occurrit quod olim de Cæsare dictum fertur, aut nasci eum in republica non debuisse, aut non mori; sic præclaros viros exarandis monumentis suis insudare non debuisse, aut ea non periisse. Ut enim parentes levius ferunt liberos sibi non natos quam immature denatos, sic nobis fortassis scripta complurium nescientibus tantus dolor non esset. Nunc vero fragmenta et titulos deperditorum operum intuiti angimur desiderio et torquemur:

(101) *Sed quod decora novimus vocabula,*
Num scire consumptos datur?
Jacetis ergo prorsus ignorabiles,
Nec fama notos efficit.

Quod mihi fateor, identidem accidit; sapientissimum et nominatissimum Adamum nostrum recolenti, vitæ sanctimonia celebrem, scriptorem illustrem, avita prosapia splendidum, dignitate sublimem, non scholasticæ modo theologiæ, sed mysticæ illius atque asceticæ vitæ magistrum oppido eximium, et sanctioris philosophiæ quemdam Epictetum, usque adeo jacuisse squalidum, delituisse obscurum, vel prodiisse mutilum. Ecquod aliud referebat nobis monumentum perdurare integrum; facilem sui copiam ac usum insinuare omnibus, castum ac emaculatum transmitti memoriæ posterorum? Quis, ubi a sanctis Patribus paululum discesseris, venustate sermonis, copia eruditionis, vivacitate pectoris, ac tota dicendi methodo parem cum eo teneat gradum? Non alius, aut rarus meos versatur ob oculos, qui san-

(99) De contempl. par III, § 7
(100) Consol. ad Pol. cap. 37.

(101) Boeth. l. 2. De consol. met. 7.

Digitized by Google

etioris vitæ compendia tam copiose edisserat, spiritum concretione mortali gravem tam sublime ducat, religiosæ vitæ symbola maturius conferat, dignitatis ecclesiasticæ momenta æquius appensa ponderet. Est sua Tullio dictionis ubertas, amœnitas Lælio, Frontoni gravitas. Est sua Ambrosio venustas, acrimonia Hieronymo, acumen Augustino, Gregorio emphasis, Bernardo mellea facundia, et sic percurrendo reliquos. Nec in humanis vultibus disparatior est, quam in stylo scriptorum diversitas : noster flumini, quam torrenti similior, ab exortu leniter progressus in ipso decursu accrescit magis, et suo augetur alveo, quo lectorem secum trahat.

Hoc in confesso ponit, (102) quod Scripturam sacram in omnibus rectæ viæ, ac beatæ vitæ filum non fallax tenuerit et triverit. Huic studio diu noctuque insistebat ; ibi comperiens quod robustus comederet, et infantulus sugeret, ubi agnus tenellus ambularet, ac elephas immensus vix enataret. Hic incipientes lacte historiæ, proficientes pane allegoriæ, bene operantes cibo tropologiæ, perfecti, et ad summa provecti, vino anagogiæ pascerentur et contemplationis theoricæ. Hinc sibi spiritum et vitam induit, hinc latentes in libris sparsit virtutum igniculos, qui incurios et jam legentium animos inflamment. *Qui in solem venit*, ait ille philosophus (103) *licet non in hoc venerit, colorabitur ; qui in unguentaria taberna resederunt, et paulo diutius commorati sunt, odorem secum loci ferunt*, et qui venerabiles hosce Patres legerint, traxerint aliquid necesse est, quod prosit etiam negligentibus.

Istud demum in nostro, aliisque Ecclesiæ Catholicæ scriptoribus est animadvertere, eloquentiæ quamdam majestatem, qua pollebant, dissimulasse sæpius, et fugisse, ut non otiosis grammaticorum aut philosophorum scholis, ut loquitur S. Hieronymus (104), sed universo loquerentur hominum generi : quod noster non semel voluisse fatetur, magis habens imbuenda corda quam componenda verba. Catalogum librorum ejus, si placet, damus.

(105) Ab Adventu Domini exorsus, per festiviores totius anni dies transcurrens, tam ex iis, quæ in concione præcellens Ecclesiastes dixerat, quam ex quibusdam adjectis, homilias seu sermones centum Ecclesiæ Prænonstratensis canonicis suis nuncupatos, ut fatetur, congessit. Ex quibus prima classis tenore, qui sequitur, decurrit, per duos tomos : Prior.

A prima Dominica in Adventu Domini, usque ad vigiliam Natalis Domini, decem et octo sermones. In ipsa vigilia quatuor. In die Natalis Domini sex. In die S. Stephani protomartyris quatuor. In die S. Joannis apostoli et evangelistæ unus. In die sanctorum Innocentium tres. In Dominica infra octavas Nativitatis Domini quatuor. In die Circumcisionis duo. In die Epiphaniæ Domini duo. In Dominica secunda post Epiphaniam Domini tres. Atque has quadraginta septem homilias in unum digestas volumen M. SS. benigne mecum communicavit religiosa congregatio Patrum Cœlestinorum Lutetiæ Parisiorum, ubi tum cum potestate præpositi, quem priorem vocant, R. P. Franciscus Liegault, ob singularem doctrinam ac humanitatem non intermoritura mihi dignus memoria.

Alter tomus, in Capite jejunii, feria quarta, complectitur sermonem unum, in Dominica Palmarum, unum; in Cœna Domini, unum; in festivitate Paschali, quatuor ; in hebdomada tertia Paschæ, feria secunda in synodo, unum ; in sequenti feria tertia, in eadem synodo, unum; in die Ascensionis Domini, unum; in festivitate Pentecostes, sex ; in octavis ejus, unum; in dedicatione Ecclesiæ, unum ; in electione cujusvis prælati, unum. Viginti præterea sunt, quos habuit, ut ait, in festivioribus Natalitiis sanctorum. Tomum alterum lugemus eheu ! deperditum : vel alibi potius requirimus latentem. O quisquis forte rescis, hunc nobis abditum revela thesaurum. Indulge tantumdem candori precantis, amori supplicantis.

Secunda classis est operum, quæ a præside comitiorum generalium Jacobo de Bachimont sacrarum litterarum doctore et professore, atque ordinis Prænonstratensis præfecto generali jussa sunt typis mandari, ad id suam locante manum Amato a Fonte Cameræ-Fontis abbate, anno, ut supra monuimus, quingentesimo decimo octavo supra millesimum, sub hisce titulis :

De ordine, et habitu atque professione canonicorum ordinis Prænonstratensis, sermones quatuordecim. De tripartito tabernaculo Moysis, quod dudum erat in re, Christi, quod est in communi fide Ecclesiæ ; Spiritus sancti, quod in secreta consistit puritate animæ humanæ. Tractatus hic tribus absolvitur partibus : Tabernaculo in sensu litterali, allegorico, tropologico discusso. Hunc monitu, quin et jussu clarissimi eo sæculo abbatis Joannis S. Mariæ de Kelchou in Scotia adorsus, ut conferenti mutuas liquet epistolas, ex præscripta decursum serie, eidem inscripsit. De triplici genere contemplationis, quod Deus incomprehensibilis sit in semetipso, terribilis in reprobis, suavis in electis, in tres itidem divisum partes sacro conventui Ecclesiæ Prænonstratensis nuncupatum emisit.

Tertia classis est rursus eorum quæ nobis interciderunt. Ac nominatim liber ille, quem de dulcedine Dei se conscripsisse fatetur auctor. *In quo*, inquit, *sufficiens eruditio habebatur de divinis beneficiis, et hymnidicis laudibus quas electi Conditori suo in æternum decantabunt.* Epitomen quamdam, si juvat, damus : *Creatio nostra, redemptio, protectio, beneficium. Creavit namque nos, redemit, liberavit, protegit, et benefacit nobis. Creavit non existentes, redemit perditos, protegit infirmos, benefacit indignis.*

(102) Epist. Auctoris ad Joan. Abbatem.
(103) Sen. epist. 108.
(104) Epist. ad Pamm. vide serm. 11 et 15, i partis.
(105) Vide Auctorem 1 præfat.

Digitized by Google

Creavit, inquam, nos in asinitate, redemit in humanitate, literavit a captivitate : protegit in præsenti infirmitate, benefacit in æterna felicitate. Ipse enim Creator noster est, redemptor, liberator, protector, et benefactor. Hæ sunt misericordiæ Dei, quas in æternum cantabimus, ait auctor, annuntiantes veritatem ejus in ore nostro. Quinque his potissimum beneficiorum capitibus hic liber insistebat. Sed et alia quædam opuscula conciunasse omnino arbitror, et non obscure in pluribus locis insinuat, de quibus distinctius nihil asserendum habeo, nisi quod conscriptum ab eo volumen epistolarum astruit Pagius in sua Bibliotheca (106), quod idem legere me recolo in manuscripto tractatu Michaelis Ghierii abbatis Dom-Martini in finibus Artesiæ, quem De scriptoribus ordinis Præmonstratensis collegit. Atque eo propendere videtur Aubertus Miræus (107) in brevi chronico.

CAPUT XI.

A quibus scriptoribus noster celebratus. Cur vetustæ impressioni præmissus titulus : « Liber beatissimæ Dei genitricis Mariæ, et S. Joannis Baptistæ. »

In secunda classe recensita opera, typisque Parisiensibus a centum et quadraginta admodum annis evulgata, quæ sui in utilitate, et dignitate, accurate ac emendate edi oportuisset, adeo depravata in manus devenerunt posterorum, ut ea vix ullus attingere, nedum evolvendo conterere fuerit ausus, procul dubio cum perplexo istiusmodi genere characteris, tum mendarum monstris, et lacunis absterritus. Quod vitione illius ævi, typographicis artibus non usque adeo expoliti, an magis incuria et neglectu impressionem procurantium, contigerit, in promptu non est quod definiam. Ea de causa tenuem sui famam apud plerosque sparsit. Tenuior scriptorum ejus notitia evasit. Quam paucos omnino videas scriptionibus suis auctoritatem ab eo, et salutaria accersere documenta? Quam paucos audias in exedris suis, in triclinis, in musæis hunc eloquii mystici pervolvisse magistrum? At rarior, qui sublimia ejus sensa assecutus institerit. Qui tamen mihi occurrunt, sunt hi præcipui.

Imprimis Joannes Molanus, apud Lovanienses clarissimus theologus, tum in sua concionatorum Bibliotheca auctoris nostri adcenset opera, tum in libro, quem de Canonicis inscripsit (108), a nostro petito auctoritatis pondere suos canonicos dignitatis, suæque obligationis reddit memores. Antonius Possevinus in Apparatu sacro (109) adnumerat his verbis : *Adam ordinis Præmonstratensis, Parisiensis professor anno 1518 edidit librum, qui beatissimæ Dei Genitricis inscribitur. Ubi « de ordine, et habitu, et professione religiosorum Præmonstratensium. » Et quæ reliqua habemus edita.* Hoc in viro docto gravate quis ferat, nisi candor animi abstergat, quod demisso nomine canonicorum, aliud substituerit, non quidem inferius aut indignius, si nullus animum oculumve ejus insederit nævus. Quale vero sit Præmonstratensium institutum summos pontifices censuisse supra legimus, et luculenter edisserit auctor. In Patrum deinde choro repositum Adamum nostrum contueor ab Aloysio Novarino (110), viro hac ætate doctrina et scriptis claro. Eodem ordine, quo promulgata diximus, recenset Aubertus Miræus in brevi Chronico Præmonst. : (111) *Adamus*, inquiens, *Abbas Præmonstratensis, et totius ordinis præfectus generalis, vir admodum doctus, scripsit libros tres, studio atque industria Amati a Fonte abbatis Cameræ Fontis an.* 1518, *Parisiis in folio excusos.* Titulos dein subjicit iteratos. Cujus ad veritatis limam et lineam inflectenda verba quæ præmisimus, edocent. Nec minus implectit, quod apud eumdem Crespetius doctor theologus Parisiensis in summa ecclesiastica annectit (112) : *Sed et cantum, atque officium habemus ab Adamo Præmonstratensi cardinali devotissimo editum, officio solemnitatis ecclesiasticæ per omnem modum in modulatione conforme.* Nec dissolvit Molanus, vice *ecclesiasticæ*, *eucharistiæ* substituendum ratus : cujus solemnia centum fere annos ab ætate Adami nostri instituta dignoscuntur. Dignitatem vero cardinalitiam in Romana Ecclesia propendente licet affectu, huic aut alteri cuivis apud nostros ejus nominis ascribere æquæ vetat rationis indago. Apud Crespetium ex eo visus mihi irrepsisse error, quod apud Ciaconium in suo cardinalium catalogo, Adam quispiam Anglicus inveniatur insertus, at alterius a nostro ævi ac instituti.

In istud magis eam, ut Adamum nostrum præstantissimi in scholis theologi, aut etiam doctoris, ut aiunt, laurea et gradu insignitum rear. Cujus omnino reum veritatis agunt vetera manuscripta apud Patres Cœlestinos Parisiis frequentata, quæ æque in fronte ac calce, *magistri Adæ* titulum complectuntur. Non aliis, quam facultatis theologicæ laureatis professoribus, multiplicis eruditionis, ac nominis gloria percelebribus ejuscemodi honoris accommodasse appellationem priscæ illius ætatis homines, in multis facile comprobatur. In distinctione Regulæ S. Augustini ab eo in duodecim profluentis capita, atque in usum et constitutiones Præmonstratensium etiam nunc deductæ, non alio agnomine, quam *Venerabilis* appellandum Patres Ordinis censuerunt : quales et in eadem Britannia Bedam, et summos viros dicere consuevimus. In eos sermones auctoris, qui propius regulares concernunt, commentarios quosdam attestante Servatio Lairvelz in sua Optica (112*) adornavit Præpositus cellæ omnium Sanctorum in Suevia ordinis Præmonstratensis. De quibus nihil

(106) Lib. 1 Biblioth. cap. 17. M. SS. exstat apud nos.
(107) Ad annum 1518.
(108) De Canon. l. 1, cap. 4.
(109) Anton. Possevin. Appar. lit. 4.
(110) Aloysius Novarinus in electis, l. 1, cap. 13, n. 722.
(111) Aubertus Miræus, ad an. 1518
(112) Crespetius verbo *Maria.*
(112*) Lairvelz opt. spec. III.

Digitized by Google

præterea rescire datum, neque publici juris arbitrer emersisse. Complures e nostris in scriptis suis ejus meminisse non me fugit, uti Martinus Merzius in tractatu De instituto canonicorum Præm. Landtmeter commentario in regulam S. Augustini, Moerbecius in Scala purpurea, Pagius in sua Bibliotheca, Mauritius a Prato in Annalibus, et plures.

Neve quis leviter animi pendeat, cur vetusta impressio hunc sibi præfixum in frontis aditu titulum gerat : *Liber Dei Genitricis, et S. Joannis Baptistæ*, difficile non est vertere in planitiem veteri memoria repetenti, ante inventos typos in plerisque familiis receptum morem codicibus manuscriptis, ad quas spectarent, nomen præfigere, ne ex æquo, vel iniquo a sede sua dimoti facili alias negotio exsularent. Cum itaque noster (uti non semel edisserit) Ecclesiæ Præmonstratensis canonicis fratribus suis, et Christi servis ingenii sui partus nuncupandos destinavisset, pars operum ejus inde prelo submissa, quam fronti suæ initio præmissam tulerat, conservavit inscriptionem.

Quod ut omnibus, ex affectu peculiari in hanc Divam compertius evadat, breviter memorandum rodit Norbertum a Bartholomæo Laudunensium episcopo cujusdam Falconis in Burgundia principis filio benigne imprimis et familiariter habitum, per ditionis ejus limites circumductum crebrius, subverente ne tanti viri spectata virtus alio deflecteret, ut si qua tellus, aut Ecclesia arrideret, suo deligeret arbitrio, sempiterno designaret acceptam hospitio. Sed liceat ipsum episcopum in suo diplomate audire profantem : *Sanctæ rectores Ecclesiæ quanto cæteris dignitate et honore videntur præeminere, tanto lucidius et firmius quæ statuunt et disponunt, debent definire. Notum igitur fieri volumus, tam præsentibus quam futuris, quod, anno Dominicæ Incarnationis* 1120, *virum spectabilis religionis, Norbertum nomine, per episcopatum nostrum transire contigerit; cujus agnoscentes sanctitatem, honestatem, doctrinam atque facundiam, multis eum precibus coegerimus, ut apud nos hiemaret. Quem quanto amplius loquentem audivimus, et familiarem nobis adstrinximus, tanto magis boni odoris ejus fragrantia refecti sumus. Deinde jam fere transacta hieme, cum vir ille sanctus a nobis vellet recedere, a personis Ecclesiæ nostræ, et a quamplurimis episcopatus nostri nobilibus rogati sumus quamvis et hoc satis desideraremus, ut eum in nostra diœcesi, alicubi ad serviendum Deo collocaremus ; quod vix tandem, divina gratia cooperante, ab ipso impetravimus. Nostrarum igitur perlustrantes terminos possessionum, ad locum valde desertum, qui Præmonstratus dicitur, tunc temporis inhabitabilem venimus; quem vir Dei considerans : « Locum, inquit, video secundum cor meum, a Domino mihi ante omnia tempora præparatum. » Hoc igitur audientes, gavisi sumus gaudio, et ipsum ibidem cum paucis Christi pauperibus, loco illi terminis impositis, ad commanendum ordinavimus.* Hæc ipse, et pluscula (113). Admirabilis igitur spirituum, quin et locorum discretor Norbertus, non fertilem terræ glebam. non populi antecepit frequentiam, neque immanis solitudinis salebris, neque rupium asperitate, neque paludum hiatu. instar voraginis abyssi horrorem movente, a proposito deterritus, vallem delegit Præmonstratam, situ quidem suo invisam, cultu intractabilem, aspectu formidabilem, at religione S. Joannis Baptistæ, cui exile sacellum in ea eremo vetus Patrum pietas extruxerat, omnino venerabilem. In illo evigilata precibus nocte, arcana divini edocetur consilii ; in illo sacratissima Dei mater et virgo Maria luce splendidior, et sole candidior, novæ fabricæ jacienda fundamenta demonstrat, habitum, quo sese, et socios amiciat, exhibet, et robur novello gregi ab Romano hierarcha accersendum denuntiat. In illo denique prognostica et multiplici rerum divinarum visione, et beata servorum Dei ad patriam destinatione, valli reapse acquisivit, quod nomine tenus pridem præ se tulit. Platonem celebrant, quod cum locuples esset, — ut cujus Phrygios toros lutosis Diogenes pedibus conculcavit, — villam Academiam ab urbano strepitu remotam, corporum valetudini selegit adversam philosophandi studio. Hoc sapienti consilio, ut morborum conflictu, noxiæ libidinis impetus temperaret, nec aliam, nisi a rebus quas sui discerent, voluptatem persentiscerent. Qui vel ex hoc, loquente S. Hieronymo (114), divinus dici meruit, quod loca carnis saluti contraria, ad philosophiæ sectanda studia deligeret, in quibus infirmata carne, ejusque ardoribus, qui mentem gravant, imminutis, liberior spiritus ad altissimarum rerum contemplationem exsurgeret. Sublimius accipio S. Norberti consilium, cœlo utique inspirante, quo æternæ lycæum sapientiæ, omni alio excusso delectu, suis præparavit in loco horroris et vastæ solitudinis.

Ex hac origine Virgo deipara et Joannes Baptista decreti tutelares divi, et majori ecclesiæ a S. Norberto exædificatæ assederunt in titulum, quorum deinde per totum hunc ordinem cultus derivatus singulari veneratione conservatur. Et hic quidem præter festa solemnia, inter quotidianas horarum canonicarum preces, matutinum et vespertinum vice patroni obtinet suffragium. Benignissimæ vero parenti, ac optimæ apud Deum advocatæ suæ, cujus formatus auspiciis, et beneficiis adultus, cujus contegente succrevit patrocinio, ut aliquam grati animi partem testatam reponeret, ecclesias suas omnes et conventus Mariano nomini ac honori devotos consecravit. Sacrarum horarum pensum in dies per choros ei publice persolvit, festos ejus dies pridiana inedia præparatos solemniori ritu, et cum octavis, ut vocant, decurrit. Quam candidi ordinis protectricem et patronam singularem pluribus effert Au-

(113) Vide Biblioth. Præm. lib. II, cap. 12, Vitæ S. Norberti.

(114) Lib. II, contra Jovin.

Digitized by Google

gustinus Wichmans in Brabantia sua Mariana, Aubertus Miræus in Chronico (115), Chrysostomus a Stella in Vita S. Norberti, et plures. Memorabile est regum Galliæ Ludovici undecimi, et Caroli octavi ejus filii testimonium in hæc verba : *Dum penes mentis nostræ arcana propensius revolvimus sinceritatem, integritatem, longævamque durationem, ac divinam, imo miraculosam institutionem Præmonstratensis ordinis : qui magnis jam defluxis temporum curriculis, mystico spiramine, a beatissima ac gloriosissima virgine Maria Christi Redemptoris nostri matre revelante, per pium illius ordinis Patrem, primumque institutorem B. Norbertum, virum quidem vitæ sanctimonia, multisque coruscantem, clarentemque miraculis noscitur institutus, atque illi candidus dicti ordinis habitus, pariter atque locus in pago Laudunensi, per eamdem beatissimam, ac gloriosissimam virginem Mariam, ubi Præmonstratense monasterium* B *præfati ordinis caput et fundamentum construi deberet præmonstratus, unde Præmonstratensem ordinem sibi nomen assumpsisse multis authenticis documentis, historiisque probatissimis compertum est : nos tanto magis ferventioreque desiderio, ad ipsum Præmonstratensem ordinem afficimur, etc. Datum in palatio Parisiensi anno Domini* 1491 (116).

Huic rei firmandæ facit ab auctore et magistro nostro petita professionis formula, qua S. Norbertus primique socii ad cunas vagientis Jesu in Natali Domini, et sinum Virginis matris ad illam beatæ perennitatis civitatem solemni votorum nuncupatione, seipsos conscripserunt : *Ego offerens trado meipsum Ecclesiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique illius, et promitto conversionem morum meorum.* Et quæ alibi habes (117). Vides quemque immobili verborum tenore, quaqua patet ordo diffusus, ecclesiam suam S. Dei Genitricis memoriæ et cultui mancipatam edixisse? Quod profecto generatim fieri nequivisset, nisi hæc Diva ecclesiis omnibus præstitisset tutelaris. Nec a fide dimovet quod plures aliorum a Deiparente sanctorum titulo appellari vulgo meminerim, vel enim prius eorum nomina indita præferebant, quam a Præmonstratensibus susciperentur, vel ob sacra lipsana veteremve sanctorum memoriam inibi celebratam, similibusque de causis, aliis atque aliis cœlitum D prænominibus in vulgus circumferri expediebat, cum tamen æquabili jure, et pari vinculo hæc atque illustrior auxiliaris Diva præsideat. Hæc liquidius ab eo tractanda forent, cui beneficia Deiparæ matris, atque obsequia Candidi Ordinis tantæ devota patronæ ex instituto prosequi consilium esset. Fecit nuper ex nostris (118), qui Virginem Candidam Præmonstratensem libro suo inscripsit, nisi quod A astrictior quibusdam videatur, quam pro Ordine Candido titulus ferat.

CAPUT XII.

De Ecclesia Candidæ Casæ, seu Withernæ, cui præfuit Adamus ; ac cathedralibus ecclesiis a Præmonstratensibus jure Ordinario, et præterordinario insessis.

Cathedram Candidæ-Casæ, in Gallovidia, littus maris Hibernici adjacentis (incolæ Withernam dicunt) a S. pridem Niniano Deo in memoriam S. Martini sacratam volunt ; alii episcopum primum insedisse S. Plechelmum, ven. Bedæ in historia Anglicana suffulti testimonio. Et cui gravius ab altero possit accedere? Videndus adhæc Miræus in fastis Belgicis, 15 Julii ; Usuardus in suo Martyrologio ; et meminit vita S. Switberti apud Surium Kalendis Martii. Ex quibus Plechelmum floruisse anno salutis nostræ 690 Ninianum, imperantibus Honorio et Theodosio, dignitate episcopali effulsisse, atque ex Romanis martyrum tabulis die 16 Septembris an. 432 obiisse (119) dabitur introspicere. Neque ea ex Anglorum fastis petita erroris ausim accersere. At veritatis conciliandæ injecturus vinculum, S. Ninianum episcopum et fundatorem præsedisse arbitror, absque firma successorum serie : demum sub beato Plechelmo solemni incolarum conventu, et consensu cæterorum episcoporum, infulas illi Ecclesiæ decretas, constanter perdurasse. Multam atque implexam quæstionem quæ reges inter Anglorum, atque Scotorum, eorumque, plurium annorum decursu, C intercessit episcopos de primatu, jure metropoleos, immunitate, atque adjunctis largius expendendam ablego ad Polydorum Virgilium (120), Harpfeldium (121), Baronium (122), Gabrielem Pennottum ; et nos supra attigimus. Istud de hac re in subsecivis pono, quod nemo in controversiam merito trahat : duos in regno Scotorum post hæc obtinuisse metropolitas. Quorum Princeps in Ecclesia S. Andreæ subjectos habet Dunkeldensem, Aberdonensem, Moravensem, Domblacensem, Brechnensem, Rossensem, Cathanensem, Orcadensem. Alter est Hierarcha Glascuensis, quem in sacris agnoscunt principem Candidæ-Casæ, Lismocensis, Sodrensis.

Ad Adamum dilapsus, primum e nostris in Candida-Casa religiosi cœtus præfectum : primum in ea Ecclesia, dignitate episcopali sublimem, patenter ac exerte Mauritius a Prato in Annalibus edisserit sub annum 1177. Non pigebit fortassis pauculas lineas relegere (123) : *Christianus Candidæ-Casæ episcopus in Galluveja, Scotiæ regione, canonicos suæ ecclesiæ cathedralis, jam regulares in Præmonstratenses convertit, Qua de re ut fundator illius ecclesiæ nominatur in obituario Præmonstratensi Nonis Aprilis : Vocati sunt ex Viridi*

(115) Lib. III, cap. 29, in præf. Chron. Præm.
(116) Vide Biblioth. Præm., lib. III, fol. mihi 762.
(117) Serm. 5 ad Relig. Vide Brabantia Marian lib. III, cap. 29.
(118) Herdegom Canonicus.
(119) Martyrol. Rom. 16 Sept.
(120) Histor. Angl., l. IX, fol. *Mihi* 153, et l. XIII *Penn.* l. II, cap. 36.
(121) Harpfel. Hist. Angl. lib. XXII.
(122) Baron., an. 1191.
(123) Vide Prol. cap. IV.

Digitized by Google

stagno primi canonici, et ex eis primus prælatus seu abbas datus Adam, seu Edanus, eo nomine insignitus in obituariis ordinis IX *vel* X *Kal. Decembris.* Dempsteri de scriptoribus Scotiæ, et vetustiorum monumentorum conspirat sententia.

Vetus manuscriptum Averbodiense distincte et breviter : *Candida-Casa filia Viridis-Stagni. Est sedes episcopalis, et Prioratus ; et electio episcopi pertinet ad conventum hujus loci.* Idem reponunt auctor Bibliothecæ Præmonstratensis, ac Servatius Lairvelz in sua regularium Optica, statim citandi nec ullus, opinor, probatæ adeo veritatis inibit inficias. Luculentus accedit testis Aubertus Miræus in notitia episcoporum (124) : *Candida-Casa, Witherne episcopatus, sub archiepiscopatu Glascoensi, in Gallovidia Scotiæ provincia. Fuit olim abbatia canonicorum regularium, in qua sedes erat episcopi, nec is alios habebat canonicos in sua Basilica cathedrali, quam regulares.* Ac de indulta libertate (125) : *In Scotia*, inquit, *episcopatus sunt exempti per Cœlestinum secundum, anno* 1192, *teste Baronio, S. Andreæ, Glascoensis, Candidæ Casæ :* et quos enumerat. In Catalogo monasteriorum Præmonstratensium regularium Opticæ adnexo (126) : *Candida-Casa*, inquit abbas Servatius, *filia Viridis Stagni, cathedralis ecclesia, in qua olim præsidebat abbas ordinis nostri qui etiam erat episcopus a suo collegio canonicorum Præmonstratensium, qui cathedralem illam ecclesiam occupabant, electus.*

At non pigeat quemquam, ab hac ora transmarina, per alias atque alias mundi partes, quasi saltuatim, peregrinari sublimes honoris cathedras, quas a Præmonstratensibus dati episcopi insederunt (127), inspecturum. Prioris occurrunt lustrationis, quas jure ordinario, non alio suffragante cœtu atque auctoritate, quam religiosorum suorum electi suffragiis, Præmonstratenses ascendebant. Neque alii, quod forsan mireris, in præpositos, decanos, archiadiaeones, præcentores, ac id genus majora, minoraque, ut plurimum, delecti officia, quam ex regulari professione. Hæc prius S. Norbertus ad cathedram raptus Parthenopolitanam presserat vestigia : qui non alibi securius et sanctius a pompis obstrepentis sæculi, atque apud suos ratus posse quiescere, collegio B. Mariæ palatio suo archiepiscopali ferme contiguo, translatis ex cujusque placito viginti inde canonicis, suos substituit clericos regulares : *Ut ibi fratribus suis immixti, aliquando a tumultu, qui officio imposito debebatur, paululum spiritum refocillaret*, ait ei synchronus vitæ Scriptor (128), non aliter quam pictores longa intentione hebetatos oculos ad specula aut virores colligunt. Præter hanc, et alteram ibidem S. Mauritii, dignitate et primatu sublimiore reliquis, ab Innocentio secundo in concilio Rhemensi, an. 1131, archiepiscopalem Ecclesiam obtinuit, in quam sui instituti canonicos ex opportuno valeret inducere. Quod, enarrante Alberto Krantzio (129), canonici ejusdem matricis ecclesiæ passi sunt lubenter, atque in ordinem Præmonstratensem redigi, et Norbertini dici. Quas nostri deinde pleno jure, nec interrupta plurimorum annorum successione, in capite et corpore tenuerunt, sequuntur : Havelburgensis ecclesia cathedralis, Brandeburgensis, cathedralis, Raseburgensis, cathedralis in Alemannia Saxonica : de quibus videndus Krantzius (130). Plocensis quæ est cathedralis in Polonia. Belburchensis, cathedralis in Sclavonia. Candidæ-Casæ in Scotia, quæ et sanctissimæ Trinitatis ab aliis dicitur, jam meminimus ; Rigensis, metropolitana in Livonia, cui decem suffraganei subjacebant, non alterius quam Præmonstratensis, ut aiunt, instituti ; Oiselensis, Derptensis, Topatensis, Gerbandensis. Curiensis, Culinensis, Sambiensis, Varmiensis Pomesaniensis in insula B. Mariæ, et Ruthenensis. Adcenset Servatius in suo indice cœnobiorum, Isagrabiam, cathedralem in Sclavonia, vel potius Pomerania, sanctæ Trinitatis ecclesiam cathedralem in Dacia, atque alias quinque in Saxonia ; item cathedrales Rilzmadum, Lucich, Linomam, Imbriam, Aldeberch : in quibus olim præsidebant abbates ordinis nostri, e suo collegio canonicorum Præmonstratensium, qui cathedrales illas ecclesias occupabant, electi. Quibus firmandis Dabravius episcopus Olomucensis in Historia Bohemica, et Augustinus Olomucensis in Catalogo episcoporum Olomucensium, illud volunt assertum : viros ex Præmonstratensibus numero plurimos, virtute præcipuos, meritis sublimes in Ecclesia summum gessisse principatum. Refert Chrysostomus a Stella in Vita S. Norberti, apud quem Stephanus cardinalis S. R. E. titulo SS. Joannis et Pauli in diplomate dato Avennione, Clementis sexti anno decimo ex instrumentis pontificiis, verbis expressis et meditatis, Præmonstratensibus sexdecim cathedras episcopales plenario ac ordinario jure subjectas, et incorporatas attestatur. Vide Aubertum Miræum in brevi Chronico. Præclara sane hæreditas, si nemo vellicasset. Id ex Alberto Krantzio (131) velim adjectum, nostros tenuisse complures ad ducentos, atque trecentos, et amplius annos, ut signanter de Rasebürgensi expressit, primum a B. Evermodo, discipulo quem diligebat Norbertus, deinde præposito B. Mariæ Magdeburgensis, insessam non interrupte a nostris usque ad annum quadringentesimum octogesimum supra millesimum. In epitome Chronica Mauritii typis evulgata ad annum 1181 : *Moritur*, inquit, *Eskilus quondam Londensis in Dania episcopus, qui suam cathedralem sub-*

(124) Lib. v, cap. 1.
(125) Lib. II, sup. notit.
(126) Servatius Lairvelz in indice Monast.; Miræus in chron. Præm. ad an. 1480.
(127) Vide Biblioth. Præm. l. I, cap. 17.
(128) Cap. 45 Vitæ, et 49.
(129) Lib. VI, cap. 12 metrop.
(130) Lib. XII, cap. 8 sup.; et lib. VII, cap. 50.
(131) Krantz l. VI, 12, metrop.

Digitized by Google

misit ordini Præmonstratensi, ac ejusdem instituti duo alia cœnobia dotavit. In Dania ejus exemplum secutus Tycho episcopus Burgilavensis suos quoque canonicos Præmonstratensem observantiam tenere desideravit, ac perfecit. Veteri et firma manu traditum asservatur (132): *Summa claustrorum, sive monasteriorum ordinis Præmonstratensis : mille abbatiæ, trecentæ præposituræ; cœnobia vero sanctimonialium quingenta. Insuper in ordine præfato sunt sedecim episcopatus : de his sunt septem archiepiscopi, et novem diocesani episcopi.* Quas Cathedras obivimus, ampliorem adæquant numerum : cupidior observet propius sibi probandas atque improbandas.

Altera nobis perlustratio levissimo obtutu transmittenda : Ecclesiarum, dico, non successione, aut quasi hereditate ut prius : at principum Christianorum, vel cleri ipsius postulatione, ac benevolentia antistites sibi sufficientium delectos. Ex Præmonstratensi gremio, præter beatissimos viros Norbertum ac Evermodum, quorum memini velut e divite penu prodierunt B. Galterus Laudunensis episcopus (133), B. Milo Morinensis, Galterus alter Cabilonensis, Navarrus Coseranensis, Gervasius Sagiensis. Gloriatur Ecclesia S. Martini Laudunensis uti ejus monumenta, Romanæ sedis pontifice maximo Gregorio VIII, B. Godescalco Atrebatensi, Concordato Eduensi, Arnoldo Courensi episcopis. Ecclesia Strahoviensis hic luculentius et splendidius ostentavit decus (134). Septem enim, non interrupta serie, ex familiæ suæ alumnis eduxit et suspexit in metropolitana Bohemiæ cathedra archiepiscopos : quibus octavus accessit beatus Joannes Lobelius. Ad hæc B. Adelbertum episcopum Salisburgensem (135), atque decem fecundo partu effudit Olomucenses. Quorum res gestas et nomina brevi sermone non distringam. Delibant ea Aubertus Miræus, et Pagius in sua Bibliotheca. Quod sublime munus tanto moderamine, et commendatione gesserunt Præmonstratenses, centum et quinque annorum inviolata successione, ut Vratislaus Bohemorum dux non alios quam Strahovienses canonicos ad eum honoris gradum vulgato diplomate sanciverit assumendos. Quod cœnobium idcirco episcoporum seminarium audiebat : ex quo per totam Moraviam episcopi cathedras scandebant. Non memorem Almaricum ex Floreffensi cœnobio Sidoniensem episcopum in Palæstina (136); ex ecclesia S. Judoci in Nemore, vulgo Dommartinensi, Andream Noviomensem; ex S. Pauli Virdunensis monasterio Nicolaum Psaulmeum, apud eosdem Virdunenses summum præsulem, ac concilio Tridentino præsentem; et B. Alberonem ex episcopo Virdunensi in eodem cœnobio disciplinæ Præmonstratensis sectatorem : ex S. Joannis Ambianensis Nicolaum Lagreneum episcopum Ebronnensem et suffraganeum Ambianensem, et S. Augustini ad Morinos Danielem Taispelium episcopum Gibeldensem, et suffraganeum Morinensem; Flogerum Sagiensem in Polonia : Ecclesias obvias magis notavimus : omnes percurrere morosum foret. De quibus Annales Præmonstratenses. Usurpem hic illud lyrici vatis :

Est et fideli tuta silentio
Merces.

(Horat. *Carmin.*, od. 2, vers. 25, 26.)

Hoc ausim assertum dare, Præmonstratenses clericos per hierarchicas functiones grandem gnavamque desudasse operam, atque cum reliquis merito certare de palma.

CAPUT XIII.

A regulari Præmonstratensium instituto alienum non esse majores minoresve administrare Ecclesias.

Ne quis statim corrugare, aut aspernari valeat, sublimiores illas vellendo cathedras, et carpendo Præmonstratenses ab inferioribus parochiis, quas et jam nunc administrant, signandos duxi potius auctores auxiliares, quam conducendos. Primæ sunt ab auctore nostro probatissimo suppetiæ (137): *Quotquot enim in unitate baptismatis et fidei sumus, magni corporis quod est Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, sub uno capite, Mediatore videlicet Dei et hominum, Deo et homine, Domino nostro Jesu Christo, in diversitate linguarum, professionum et meritorum, in differentia officiorum et graduum, membra eidem catholicæ matri nostræ, ad honorem præfati capitis, et utilitatem membrorum debemus quidquid vivimus, et sumus, possumus et scimus. Nec eorum, qui in ea sunt, ullo modo debet resistere aliquis, cum obsequium partis auctoritas expetierit totius. Quocirca cum sancta mater Ecclesia et te, ut ejus necessitatibus deservias, idoneum agnoverit, et ad regimen suum, interposita electione canonica, assumpserit, et ad hoc te dignum judicaverit, professionis quidem tuæ poteris, ut opinor, locum mutare, et alio, ubi id agas, ad quod te vocavit, cum consensu tuorum, inter quos degis, transmigrare.* Ejuscemodi plane fuisse institutum S. Augustini, e quo eminentioribus Ecclesiis alii, atque alii plures cæteris inferioribus præfecti, functiones susceptæ præstarent sacerdotii, luculentus testis asserit Possidius (138). A quo non dilapsi Præmonstratenses; imo a Deo destinatos merito dixit Robertus Arboricensis episcopus : *ut lapsus ordo canonicus S. Augustini suas detergeret sordes, suorumque æsseclarum exemplo meliorem indueret formam.* Id ex divini ratione consilii in Ecclesia opportune evenisse, ut restauratores calcatæ sepis,

(132) Vide Servatium Lairvelz : opt. spec. 111, et indicem monast. Miræi sub finem.
(133) Videndus Guibertus Abbas de Novingento in Catalogo Abbatum Eccl. Laud.
(134) Miræus in Chron. ad an 1126.
(135) Bibloth. Præmonst. fol. mihi 317.
(136) Vide Miræum in chron. ad an 1548.
(137) Serm. 7, ad regul.
(138) In Vita S. Augustin., cap. 11 : De tuendo cælib. tom. II, et apud Laudun. De veteri cler., par. III, cap. 1.

Digitized by Google

novi buccinatores defluentis militiæ, novi languentium incentores animorum; viri, inquam, spiritus apostolici habentes primitias resuscitati prodirent, docti a Domino quid amore tenerent veritatis, quia officio charitatis impenderent, consensus omnium evincit sæculorum (139). Quod in canonico ordine a vita communi collapso factitatum, egregie docet Joannes Molanus in libris, quos de canonicis inscripsit (140).

Quinimo beatos effert illos canonicos, et vere omni laude dignissimos; qui non contenti bona vita, et canonico Ecclesiæ officio (141), secundum mensuram donationis, opitulatores esse cupiunt in Ecclesia Dei, scientes hanc esse vocationem suam. Non est ergo, quod aliquis ex eo capite obstrigillet, quod dedignetur, aut potius amplexetur. De Præmonstratensibus loquitur Aubertus Miræus (142), quorum vitam, neque in sola contemplatione, neque in sola actione, sed in utraque positam descripserat. *Habent fere singula hujus instituti monasteria parœcias sibi annexas plurimas, quibus præfecti seu pastores e numero religiosorum dari solent. Quod ut huic ordini pene est proprium, sic et afflictæ Dei Ecclesiæ, in hac tanta bonorum pastorum inopia, quammaxime commodum.* Istud esse proprium officium clericorum, quorum numero censebatur, egregie docet Philippus ab Eleemosyna abbas Bonæ-Spei (143), ne videretur, ut ait, id dixisse quod erat, et amasse quod non erat. Et Jacobus de Vitriaco de canonicis Præmonstratensibus (144): *Parochiales*, inquit, *ecclesias, et animarum sæcularium curas in propriis personis suscipiunt.* Videndus Martinus Mertz Ecclesiæ Rothensis in Suevia canonicus et prior, in singulari tractatu de instituto canonicorum Præmonstratensium (145). Ubi ab omni ætate petitis SS. Pont. placitis lituras a Francisco Suarez, aut quodam posthumo ejus, Præmonstratensibus in suo tractatu de statu et virtute religionis, inspersas absterget. Eidem consonant argumenta quæ Moerbecius Averbodiensis canonicus in Scala sua purpurea demirando censet (146); et festucam quorumdam oculis insidere visam eximit. Videndus præterea Augustinus Wichmannus in Brabantia sua Mariana. Ubi passim et sparsim, quæ eos ducunt, plura; et hanc spiritualis vitæ condituram vitæ contemplativæ et mistæ; primo et perseveranter S. Norbertum suo Ordini allegasse disserit. Nec alter, e celebri Tongerloa, mittendus Laurentius Landtmeter, tam in libris de veteri clerico, quam in suis ad regulam S. Augustini commentariis (147), et plures mox citandi.

Neque enim tot summorum pontificum indulta, ac privilegia, neque tot episcoporum placita innumeros in diversis provinciis pastoratus, complures archiepiscopatus, atque episcopatus non administrandos tantum, verum ordinario jure uniendos Præmonstratensibus permisissent, ac ultro potius obtulissent, si ecclesiastici, aut communis juris limites violandi, et transponendi, aut ipsorum instituto dissonum et contrarium fuisset. Gaudet profecto hic ordo amplissimis, iisque plurimis a sede apostolica concessis favoribus, ac privilegiis: quibus enucleandis immorari, quid aliud esset quam Iliada, atque Odysseam remetiri? Coronidis vice quædam adnecto, atque adnoto; ex quibus plura valent erui. Primo non tantum unita, seu quovis titulo, et jure ad se spectantia sed et quælibet beneficia curata impetrandi, ac ea, per suas, officiandi ex concessione Bonifacii IX, omnimoda potestate munitur. Vide Landtmeter (148) in regulam S. Augustini. Ubi quoad curas sæculares, et simplicia beneficia illam extendit facultatem. Gabrielem Pennottum (149), et Pagium (150) in sua Bibliotheca, Zypæum (151) in Analyticis. Subjacet deinde ordo iste, ut omnes norunt, immediate sedi apostolicæ, exemptus a jurisdictione episcoporum: qua etiam gaudent regulares Parochi, non aliter ipsis, aut officialibus ipsorum quam de sacramentorum dispensatione; de œconomia et moribus, prælatis responsuri regularibus (152). Si presbyteros sæculares parochiis suis, ex re nata, substitui contigerit, quod valent: velut precarium honestamentum citra usucapionis damnum, ad pristinæ relabi facultatis arbitrium. Sic plura SS. pont. diplomata cum in bibliotheca Præmonst. edita, tum in archivis monasteriorum asservata. De quibus præter citatos Augustinus Barbosa libro II Juris ecclesiastici, cap. 12; de potestate episcopi, par. III, et apostolicarum decisionum allegatione 105. Tamburinus de jure abbatum (153). Condecoratur demum communicatione, atque extensione privilegiorum ordinum mendicantium, et non mendicantium. Videnda bulla Clementis VIII, et Gregorii XIII, apud Roderiques (154): illius data an-

(139) S. August. De civit., l. XIX, cap. 19.
(140) Lib. II. De canon., cap. 23.
(141) Sup., cap. 24 et 27. Vitæ mistæ officia.
(142) In Chron. Præmonstr., initio.
(143) De continent cler,, cap. 97.
(144) Histor. occident.. cap. 22.
(145) Adnotat., 12 et seq.
(146) In Basil., scalæ purp., § 10, n. 3, et scalæ grad. 3, coll. 2, § 1, lib. III, cap. 29 et 30.
(147) In regul. S. August., cap. 1, n. 8. et cap. 4, n. 10
(148) In reg., cap. 4, n. 10.
(149) De canon. regul. l. I cap. 72.
(150) Lib. I, sect. 18.
(151) Lib. III, De regul., n. 46, l. V, De apostatis, n. 10; et De privil., n. 4; et cons., can., l. III, cap. 1.
(152) Vide P. Marchant, resol. pract. De regular. casu 2 et 3, pag. mihi 49 et 52; Lairvelz, opt. reg. spec. 44, instr. 19; Vide Chassaing. De privil. reg. per totum; Bibl. Præm., I, III, priv. 74, et priv. 127 et seq.
(153) Tom. II, disput. 5, quæst. 11, n. 23.
(154) Tom. II, quæst. regul., bul. 21, et Greg., bul. 15.

Digitized by Google

no 1593 hujus 1572. Provinciæ primum Hispanicæ, ac ille deinde ad instantiam Joannis Lohelii vicarii generalis per Germaniam ; hic rogatu Joannis Despruetis, præfecti generalis ad totum ordinem expressius derivarunt. Quæ deinde confirmavit Paulus V et Urbanus VIII, ad Petrum Gossetium tum præfectum generalem (155). Quæ pluribus cupidus lector asserta reperiet apud Georgium Kiene, in tractatu de casibus reservatis Constantiæ edito (156). Hieromymum Roderiques in compendio (157). Joannem de la Cruz, De statu religionis (158). Ascan. Tamburinum, De jure abbatum (159). Simonem Porrræum, in compendio indulgentiarum Insulis Flandrorum anno 1650 impresso (160). Et plures. Atque ordinem Prænonstratensem in scribatu Romanæ curiæ Carthusiensi, Cisterciensi, Camaldulensi privilegiatis adcenseri testis est luculentus Servatius Lairvels in Optica (161) :

Verum hæc ipse equidem spatiis exclusus iniquis
Prætereo, atque aliis post me memoranda relinquo.

CAPUT XIV.

Beata mors episcopi Præmonstratensis Anglici, verisimiliter Adami, miraculis illustris. Ex Cæsario Heisterbacensi, lib. III, cap. 21 et 22.

Eumdem illum accipiendum esse, quem in lucem efferre studium est, cui allubescit, calculum conferat. Cuivis est arbitrariæ, quod mihi probabilissimæ fit conjecturæ. Inducunt omnino quæ locum, tempus, personam, moresque adjuncta comitantur, ac intime assident. Loci vestigia relegenda non sunt. Anglorum regnum sedem suam fassum audivimus. Consensus temporis cum narratore expenditur, Cæsario, inquam, in Heisterbachensi Cisterciensis instituti cœnobio anno, præter millesimum, nonagesimo nono, religione et doctrina celebri. Quis ad ea tempora assurrexisse nostrum inficiabitur, non immemor ad insulas demum provectum anno circiter 1186, quas lustris aliquot tenuisse propensioris est arbitrii. Personæ vultum introspicienti occurrit nobilissima progenies regum principumque agnatus sanguis, episcopalis dignitas, doctrinæ eminentia, quæ reliquis charum et venerandum proceribus ad moderanda regni negotia proniori consilio admovebant.

Igitur clerici familiares salutis ejus cupidi extreme tunc decumbenti paræneticum insonabant : *Consiliis regis interesse solebatis* (162). An rursus cum nostro sit idem Adamus, quem sub hanc ætatem secretioris administrum concilii connotat Polydorus Vergilius, peritioris rerum Anglicarum committam indagini et sensui. Pergo siquidem, ac si patenter oggesserint. Diluendæ lacrymis, expurgandæ salutari confessione sordes, quæ ex lubrica magnatum conversatione adhæserunt. Quibus ipse episcopus : *Non aliter fui coram rege, quam Christus coram Pilato. Hoc quidem dixit et fecit episcopus ille sanctus pro exemplo, sciens scriptum :* « *Ante mortem confitere.* » (*Eccli.* I, 16.) Sic ipse synchronus. Ecce ut nullus locus, nullum tempus viro sapienti vacuum est a laude virtutis ; verum ut fluvii per medios æstus maris ferri dicuntur primævæ tenaces undæ ; sic per circumfusos strepitus nullam contrahit ipse animorum salsedinem ex curialium tractatione negotiorum. Occlament alii veterem paroemiam ; fraudem sublimi regnare in aula, nec stare quemquam firmiter culmine lubrico. Hinc noxias rancoris atque invidentiæ aves corrodere jecur, cujusque ad hunc caucasum alligati. Inde palpantes sirenas incautis facile mentibus parare decipulas, innectere laqueos. Ista ego, et plura non diffiteor, non inficior. Neque Platonis de Philosopho gnomen (163). *Revera corpus ejus tantum in civitate agit, aut potius peregrinatur ; mens autem et cogitatio hæc omnia parvi, aut nullius æstimat. Quocunque fertur cum Pindaro, terræ infera et cœli supera pervadens, ac dimetiens, et omnem ubique naturam curiose investigans.* Hinc apud S. Hinronymum : *Ex Philosophis jugem mortis meditationem primus extulit Pythagoras* (164) : *quotidie de carcere corporis absentem educere animæ libertatem. Hanc meditationem neque in aulæ frequentia vir sapiens (si quando interesse necessum est) dimittit. Incertum novit quo quemque loco mors expectat* (165) : *itaque ipse illam omni loco exspectat. Id meditari libertatem dicit.* Qui enim mori didicit, servire didicit : supra omnem potentiam est, certe extra omnem. Hanc philosophiæ partem e cœlo noster episcopus acceperat. De quo habemus : *Quotidie solitus fuit mundare conscientiam, nec differre confessionem suam de die in diem* (*Luc.* XII ; 37). O servum beatum, cujus januam pulsans Dominus invenit vigilantem.

Sanctus præsul digesta insecutus exempla Patrum, inter Christianorum regum consessus ex dictamine charitatis multorum utilitati consulebat ; aulæ illecebras, adjacentia vitia nesciebat. Quin ut tela amiantina ignem patitur ad splendorem ; ipse palatia ad virtutis communionem atque incensionem. Scitum est illud S. Norberti, quod ab optimo parente imbiberat bonus filius. Illum viri principes velut melioris sæculi instrumentum, sana prorsus, et matura depromentem consilia, atque ipse Lotharius rex primum Saxonum deinde Romanorum imperator Augustus (ut habent gesta) imprimis diligebat virum Dei Norbertum (166) : *eo quod ejus con-*

(155) Biblioth. Præm., l. III, priv. 150 ; priv. 152 ; priv. 145, etc.
(156) Par. 3, cap. 8, n. 11.
(157) Resol. 116, verb. priv. comm., n. 44.
(158) Lib. II, cap. 4, dub. 1, concl. 3.
(159) Tom. I, disp. 17, n. 16 et 20.
(160) In præf., fol. mihi 14.
(161) Spec. III, instr. 5, et Biblioth. Præm., l. I, cap. 13.
(162) Hist. Angl., l. XIII, n. 20.
(163) Plato, in Theat. apud Liss., 2, manud., dissert. 2.
(164) Adversus Ruffin.
(165) Vide Senec., epist. 26.
(166) In vita S. Norb., c. 52.

Digitized by Google

illis, quæ strenuitate et providentia pollebant, assidue utebatur; et quia ab eo cœlestis dulcedinis potum hauriebat, et pane divinæ refectionis quotidie reficiebatur. Quo consulente (167) cum gravissima regni tractabat negotia, tum spiritu prophetico complura ab eo prænuntiata accipiebat. Erat autem ipse [Lotharius, docente synchrono, *strenuus belli ductor præcipuus in armis, providus in consilio, terribilis inimicis Dei, et sanctæ Ecclesiæ, veritatis amicus, justitiæ socius, injustitiæ inimicus.* Viden ut æquabili tenore mentem irrigant, fovent, atque roborant sanctorum, quos vere sapientes dixeris, consilia; quorum *multitudo est sanitas orbis terrarum* (*Sap.* VI, 26).

Ab exemplo episcopi obiter assertam velim exomologesim, seu peccatorum confessionem, hominibus vice Dei factam, inter necessaria lapsis, et sacrosancta reconciliationis symbola, stabiliter in Ecclesia catholica repositam et conservatam. Quæ virtute a Christo institutore derivata, quod gerit externe, latenter et potenter operatur in anima. Ut quod corde pœnitenti et humili, ad hoc spontaneum tribunal homo detulerit expiandum; de eo non confundatur, cum loquetur inimicis suis in porta. Norunt Christi fideles, qui in via hac mortali divinam adinventionem, et salutare multorum lapsuum habuerunt retinaculum. Qui præsentissimum id expurgationis semper coluerunt amuletum; multarum impræsentiarum virtutum gymnasium. *Mirentur qui volunt* (*verba assumo maximi et SS. pontificis* [168]) *in quolibet justo castitatis continentiam; mirentur integritatem justitiæ; mirentur viscera pietatis: ego non minus admiror confessionem humillimam peccatorum, quam tot sublimia opera virtutum.* Hanc criminibus diluendis necessariam, quotidianis et venialibus defectibus commendabilem, non absque immodico pietatis quæstu orthodoxa frequentat Ecclesia. Ubi reus ex humanæ cujusdam angustia verecundiæ, et contriti cordis submissione, quæ comitatur, facile noxarum damna eluit, atque divinæ amicitiæ societatem conciliat. Hac bolide suprema ratio in seipsam collecta, ad instar præsidentis Navarchi, inscrutabilia alias vada propriæ tentat confidentiæ, profunda incontinentiæ, prærupta avaritiæ, ut si quæ impegerit in naufragandi discrimina, volatili cogitatione, labili locutione, vel pravo opere, vela colligat, rectumque ad salutis portum teneat cursum. Nec aliud expedit compendium ad Christianæ philosophiæ arcanum: quo *seipsum nosse*, id est, animum, et quod ab eo geritur, jubetur. Ubi discernat quid valeat divino munere, et quo labascat ex propria infirmitate.

Multus in hac exomologesios doctrina, sparsim in scriptis commendanda antistes noster; at sanctior et studiosior in ejus boni operatione. Cui A utique pietas in corde firmior, quam in ore: hanc benefactis satius exercendam ducens quam per conquisita verba prædicandam. Multum alienus ab his quos castigat Apostolus: *Qui alios docent, et seipsos non docent* (*Rom.* II 22).

Qui etiam post mortem, ait Cæsarius, miraculis claruit. Ne singularius discussa evolvam, caligo, fateor, actorum intercipit, et ne disquiram, lig·t necessitas. Penes auctorem mea est fides miraculis a morte præsulem illustratum. Quod certius, et securius affirmate loqui liceat (169): *Mirabilia non conferre homini justitiam, sed hominum notitiam. Quisquis autem hominibus fuerit notus, nisi fuerit justus, ad æterna perveniet supplicia condemnatus. Ille vero qui per misericordiæ cœlestis opera justificatus, in conspectu solius Dei vixerit justus, etiamsi parum sit hominibus notus, beata sanctorum gaudia percipiet coronatus.* Neque enim a sanctis Dei hominibus præter datas naturæ leges aut supra statum illud moderamen, miranda quævis ad sui commendationem; sed ad alienæ necessitatis levamen, et cæterorum commonitionem noscuntur patrata; apud posteros tamen famæ splendorem, ut gemma auro atque odor balsamo, in longum diem propagatura.

(170) *Audi episcopi cujusdam verbum bonum, verbum sanctum, verbum memoria dignissimum. Sicut didici a quodam abbate, nuper in Anglia defunctus est episcopus ordinis Præmostratensis, vir bonus et magnæ religionis. Hic cum ageret in extremis, nec confessionem requireret, dixerunt ei Clerici sui: Domine, debilis estis valde, quare non facitis confessionem vestram? Respondit episcopus: Non faciam. Illis verbum exhortationis repetentibus adjecit: Putatis stolidi quod usque ad hanc horam distulerim confessionem meam? Dixerunt ei iterum: Consiliis regis interesse solebatis. Quibus iterum respondit: Non aliter fui coram rege quam Christus coram Pilato. Hoc quidem dixit, et fecit episcopus ille sanctus pro exemplo, sciens scriptum: « Ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil perit confessio. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et glorificaberis in miserationibus illius* (*Eccli.* XVII, 26). » *Quotidie solitus fuit mundare conscientiam, nec differre confessionem suam de die in diem, sicut multi faciunt. Qui etiam post mortem miraculis claruit.*

CAPUT XV.

Elogia regulæ S. Augustini: cui servandæ oratio et lectio.

Quia Præmonstratenses sub regula S. Augustini ex professione, libet aliqua de ea notare cum nostro Adamo. Inter plures regulas quas a Patribus Latinis acceptas religiosi cœtus sequendas ample-

(167) In Vita S. Norberti.
(168) S. Greg., lib. XII, moral., cap. 14.
(169) In Vit. S. Fulg., cap. 3

(170) Ordo narrationis ex Cæsario Heisterb., lib. III, rerum memoral., cap. 21 et 22.

Digitized by Google

ctantur, sicut ea, quam beatus Augustinus clericis suis tradidisse dignoscitur, prima tempore, sic dignitate habetur potissima, *observatione* facillima, discretione præcipua, auctoritate suprema, mandatis suis ordinatissima, rebus præstantissima, speculum vitæ, lex disciplinæ ecclesiasticæ, perfecta actionum norma, futuræ ac beatæ vitæ aurora, splendida clericorum cynosura, expressa spiritus apostolici forma quam inspexit S. Norbertus, et laudavit *in paucis compositam, in multis tamen dispositam.* Si ex eo regula vocis suæ trahat originem, vel quod recta sit, vel recta ducat, vel regat, aut recta faciat, quid rectius, quid ordinatius haberi possit, quam in eo propositus ordo disciplinæ? quid nos hominibus magis venerandos, quid in mente magis quietos, quid reddat Deo magis acceptos, et rectos corde? Verba sunt sanctissimi legislatoris ad beatum Norbertum : *Ecce habes regulam, quam ego conscripsi, sub qua si bene militaverint confratres tui, filii mei, securi Christo astabunt in extremi terrore judicii. Ergo*, (inquit S. Norbertus, uti refert scriptor *vitæ ejus* [171], quem non alium accipio, jussu, si non stylo, quam B. Hugonem, discipulum ejus, et successorem in regimine), *quia de dilectione, quia de labore, et de abstinentia escæ, et jejunio, de vestitu etiam, de silentio, de obedientia, et quod invicem honore prævenire debeant, et patrem suum honorare, evidenter hæc regula determinat, quid est quod amplius alicui regularium, ad salutem obtinendam expediat?*

Et sodes, cur ipsius caput regulæ tam benigne, tam tenere exhibet mandatum dilectionis? An quia mox eam, quam demonstrat, vult etiam sectatores suos insistere sublimiorem viam? *Quia*, inquit (172), *ista præcepta sunt principaliter nobis data.* Principaliter, quia in eis *tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII, 40) : principaliter, quia quidquid præcipitur, in sola dilectione solidatur quæ omnibus proposita, cætera præcepta obligat (173). Principaliter, quia salubre tibi noveris quidquid agis, si charitatem habueris. Principaliter, quia : *Habe charitatem, et fac quod vis*, inquit alibi S. Augustinus (174). Princi, aliter, quia totius exercitii spiritualis, sive ut Deo placeamus, sive ut proximo succurramus, causa et origo utriusque debet esse dilectio. Principaliter, quia Dei et proximi dilectio sicut universis aliis virtutibus statum tenet sublimiorem, ita et præ cunctis locum in nobis debet habere priorem. Principaliter, quia non tantum prius, sed et plus diligendus est Deus, ut in amore nostro non tantum proximum nostrum præcedat in ordine, verum etiam excedat in mensura quantitatis. *Demum*, loquente magistro Adamo nostro (175), *principaliter ista nobis præcepta data sunt, quia sicut illa, cujus sunt præcepta, cæterarum virtutum obtinet primatum, ita et hæc ejus præcepta aliorum in se habent principatum præceptorum. Apte quoque Pater et advocatus noster beatus Augustinus in primo capite illo, et in ipso mox exordio regulæ suæ, de dilectione Dei et proximi facit mentionem, utpote quam novit universi, cui debemus insistere religiosi exercitii, et causam, et originem, ut incipiatur; et formam, et rectitudinem, ut ordinetur; et augmentum, ut crescat; et constantiam, ut maneat; et finem, ut sine consumptione consummetur.*

Spiritualis itaque Pater, quasi aquila provocans pullos suos, et super eos volitans, jam non in carne vivens, sed spiritu, viam spiritualem sequacibus suis complanat. Fructus Spiritus sunt, referente Apostolo : *Charitas, gaudium, pax* (*Gal.* v. 22). Hinc præmisso dilectionis Dei mandato ante omnia, utpote quod sit bonorum omnium principium, causa et finis ; et proximi, ut non quidem in ipso, sed cum ipso gaudeamus in Deo, methodo prorsus eximia substernit mandatum alterum de sincera concordiæ unitate in animo, et abjectione proprietatis in usu rerum temporario, suique abnegatione perfecta. Etenim, amabo te, quandiu stabit inviolata dilectio Dei et proximi, ubi quidem multi habitant in una domo, deest tamen unitas in animo? quandiu persistet serena pacis unitas, ubi strident frigidæ illæ voces, meum et tuum ; ubi, inquam, dominatur abusus proprietatis, ubi exsulat rerum communio; ubi negligitur necessariorum distributio, ubi perturbat ordinem affectata personarum acceptio? Non stabit, inquam, nec quisquam poterit statuere eam. Sapientissimus ergo legislator, volens nos sanctos, volens nos jucundos, volens nos quietos, ante omnia substernit fundamentum geminæ charitatis ; mox deinde glutinum firmissimum astruit animorum, per concordiam unitatis ; non in carne, per concupiscentialem mollitiem ; non in mundo, per curiositatem mundialis lætitiæ ; non in diabolo per tumorem arrogantiæ, sed in Deo, per legem charitatis. Ipsa siquidem charitas nos sanctos, ipsa animorum concordia jucundos, ipsa æquabilis rerum communitas dat esse quietos. *Et, o vita sancta*, inquit auctor (176), *jucunda, quieta! Siquidem sancti sumus dum, Deum medullitus, et proximum amamus. Bonam nihilominus jucunditatem, et jucundam bonitatem nanciscimur, dum in unum habitamus, et unum dicimus omnes, nec sunt in nobis schismata. Suaviter quoque requiescimus, dum duo hæc verba tollentes de medio, meum, et tuum, phylargyriam peculiaritatis largitate commutamus communionis.*

Moribus in sanctis pulchra est concordia pacis
Cum multis unum convenit, atque placet.

(171) In append. Cappenb., cap. 5 Vitæ S. Godefrid. Vitæ ejus cap. 24.
(172) Adamus noster serm. 8, ad relig.
(173) Greg. Homil. 27, in Evang., et congrue.
(174) Aug. De disc. ecclesiastica
(175) Serm. 8 ad relig.
(176) Ubi supra.

Digitized by Google

Sed tamen hoc cohibenda modo sunt fœdera amoris,
Ut solis pax hæc sit tribuenda bonis (177).

Multus, imo nimius sim analogicarum rationum per totum regulæ contextum indagator, commentatoribus illud operæ pretium est. Istud huc potius facit, quod plures sunt regulæ, quas cœnobiorum præfecti alumnis suis scripserunt sapienter, cum ipsi publica sanctitatis nota eximii non essent; alii vero sunt legislatores (178), quos vitæ sanctimonia, non item commendat sapientiæ sublimitas : atque alii demum, qui sanctitatis juxta ac sapientiæ opinione celebrantur, non pollent tamen eminenti quadam auctoritate, nulla dignitatis effulgent amplitudine. Et cum omnibus laudis suæ sit æstimatio propria, il ius procul dubio est excellentissima, qui omnium nomina encomiorum conglobata teneat. Cujus, inquam, placita sapientiæ sale condita conspersit testata virtus scriptoris; eminentis personæ commendat sublimitas, et receptæ auctoritatis pondus confirmat. Ejuscemodi profecto est regula beatissimi Patris Augustini rerum divinarum humanarumque cognitione expertissimi, vitæ sanctimonia celeberrimi, doctoris et episcopi in Ecclesia catholica maximi.

Fateor complures in Ecclesia doctores insigniter novisse scientiarum nervos, atque hos quidem expandisse vela allegoriarum, illos demisisse antennas in enodandis Scripturarum involucris, istos obturasse rimas maledicorum gentilium, vel obstinatas compages destruxisse hæreticorum; alios autem nunc in malos ascendisse, et per homilias prospexisse saluti credentium; nunc per foros discurrendo, quemvis sexum, ætatem, ordinem castis moribus ædificasse; nunc vero sentinam exhauriendis profligasse vitiis, et pravis affectibus depurasse corda populorum : Aurelius Augustinus assidens clavo in puppi Ecclesiæ, omnium exercet munia, omnium fatigationes sustinet, omnium sudores deterget, omnium gressus, lacertos, operas confirmat, tuetur, attemperat (179) : placidissimus omnium, et laboriosissimus, otiatus in hoc negotio, et negotiatus in otio. *Post apostolos enim* (gratificante parenti suo ven. Philippo abbate Bonæ-Spei) *quorum doctrina fulget Ecclesia, dispensandi verbi Dei primus refulsit gratia, vere imitator apostolicus, doctus scriba, doctor catholicus. Multos libros cum adhuc esset laicus, multos presbyter factus, plurimos vero episcopus dictavit, quos incorrectos ante obitus sui diem diligenter retractavit. In hoc enim studio totius ætatis suæ tempore seipsum infatigabiliter exercitavit* (180) *; in hac palestra sudavit, et alsit; in hoc gymnasio decertavit; in hoc* (pace sanctorum, qui tunc et deinceps fuerunt dixerim) *plus omnibus laboravit.* Ac alibi : *Ut mihi videtur, non mediocriter arguendus est culpæ, qui clericum profitetur, nisi Augustinum præceptorem suum tenere diligat, devote recolat, sedulo veneretur. Ipse quippe est decus, et forma hujus nostræ professionis, ipse est speculum, et regula nostræ religionis.*

Sanctus Gregorius in libris Dialogorum (181) res præclare gestas a beato Benedicto, qui Patris Monachorum nomen invenit, commemorans : *Hujus,* inquit, *si quis velit subtilius mores, vitamque agnoscere, potest in eadem institutione regulæ omnes magisterii illius actus invenire; quia sanctus vir non potuit aliter docere quam vixit.* Insigne testimonium vitæ et doctrinæ. De sancto Augustino in Vita ejus scribit venerabilis abbas Philippus dictus ab Eleemosynis (182) : *Servos Dei, quos ad regulariter vivendum collegerat, tantis moribus instruebat, ut eorum continentia, paupertas, obedientia multos longe lateque accenderet ad deserendum propria, et convolandum in unum; ubi omnia omnibus essent communia. Ut autem hæc religio non solum apud præsentes, verum etiam longe post futuros sine defectu posset consistere, sanctæ institutionis regulam eis studuit scribere. In qua eleganter expressit quid facere debeat subditus, quid vero præpositus, quid omnibus conveniat generaliter, quid singulis specialiter. Ne quid vero horum possit aliqua oblivione negligi, semel eamdem in hebdomada regulam mandavit legi, ut haberent tam prælati, quam subditi fidele commonitorium, et nullus eorum aliquod prætenderet excusatorium. Eis etiam, quos docebat, totius religionis formam seipsum exhibebat. Erat, sicut scriptum est, in illis quasi unus ex illis, cultu et habitu similis, sola differens episcopali dignitate, non fraterna, et interna humilitate.* Multos, fateor, ex anachoretis, atque eremitis ad monasteriorum claustra transtulit regula B. Benedicti, pluros e sæculo ad vitæ communis exempla pertraxit, plurimos e cœnobitis in sancto proposito firmavit, et quasi semen Abrahæ, aut stellæ cœli multiplicati sunt nimis. Non tamen ea in quoquam inferior, quæ est S. Augustini, qui et ipse magnus Pater clericorum appellatur, qui jam pene obliterata vitæ communis vestigia, pridem ab apostolis formata, ac in eorum actis expressa, restituit; primitivæ Ecclesiæ instituta mire extulit, sanctioris vitæ et disciplinæ evangelicæ legem revocavit, et per orbis universi partes mirifice propagavit. Fusius hæc demonstrata complectitur Gabriel Pennottus, in Tripartita Historia canonicorum regularium, et ex eo Joannes Pagius in Bibliotheca Præmonstratensi; Landtmeter, De veteri clerico Quos si libet, videbis.

Hæc ipsa est, inquam, salutaris conversandi ratio, quam abundanti illius Spiritus musto ebrii, et fervidi a divino haustam Magistro primis discipulis propinarunt apostoli : hæc trita evangelicæ perfectionis semita; quam ipsi sequacibus deinde compla-

(177) S. Prosp., epigr. 29.
(178) Vide Umbertum, Comment. in reg. S. Augustini initio.
(179) Cap. 27 Vitæ ejus.
(180) Cap. 31 Vitæ.
(181) Lib. II, cap. 36.
(182) In Vita S. Augustini, cap. 26.

Digitized by Google

narunt, quam toto orbe Christiano ab initio frequentatam in hunc diem conservat, et commendat Ecclesia catholica. Hoc sublime institutum oraculorum suorum placitis mirum in modum prædicarunt et consecrarunt summi Romanæ Ecclesiæ antistites (183). Urbanus primus vitam appellavit *Ecclesiæ primitivam apostolicis institutam doctrinis*. Benedictus duodecimus: *In primitiva Ecclesia exortam, a sancto Augustino sacris institutionibus stabilitam;* Sixtus quartus: *Primorum christianæ religionis clericorum norma, traditionibusque fundatam.* Plura alii; ego ex ore trium verbum confeci. Quis autem dubitet, inquit Umbertus, vitam apostolicam vitæ cunctorum viventium præferendam? Antiquitas etiam multum confert ad laudem Scripturarum; quia quanto antiquior, et quanto per plurium legentium examen transiens non passa calumniam, tanto judicio plurium approbatur. *Cum ergo Regulam beati Benedicti multis annis præcesserit, et per tot virorum illustrium, et conciliorum judicia transierit, quis audeat eam modo calumniari?* At, inquit aliquis, beati Augustini regula sua brevitate quibusdam restrictior et minutior visa est. Esto quidem; sed nunquid legem brevem esse oportet, quæ, attestante philosopho, jubeat, non disputet? *Qui jaculari alium docet* (inquit Justus Lipsius) (184) *satis habet manum, oculosque dirigere ad certos quosdam scopos; ille deinde arte ea utitur in quocunque loco aut intervallo; sic animus qui semel principia ista firmiter hauserit, facile ad alia transfert, nec monitorem in singulis requirit. Semen quamvis exiguum in bono solo sparsum facile comprehendit; sic itidem breve monitum in bona mente.* Aliorum sunt leges quæ magna ex parte circa operas externas distentæ præscribunt exercitationes corporales; hæc unam pietatem conciliat, quæ ad omnia utilis est. *Omnia sine ulla exceptione, referente Magistro Adamo* (185), *quæ in libello scripta sunt, de spirituali animæ decore disserunt, et quomodo interior homo noster virtutum spiritualium ornatum, quo decoratur, acquirat et conservet, ostendunt.* Et ipse sanctissimus doctor: *Donet autem Deus, ut observetis hæc omnia tanquam spiritualis pulchritudinis amatores.*

Oratio est Patris nostri, inquit commentator (186), *circa ipsa extrema regulæ suæ orantis pro nobis, et optantis nobis.* Ecce primum servandæ regulæ, et propositi sui Deo reddendi adminiculum, oratio. Sed quid orat, quid, quæso, optat? ut bono Christi odore de bona conversatione fragrantes, non simus sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. *Et rectus quidem ordo, quo nos pius affectus Patris exhibet puros, deinde testimonium conscientiæ securos interne, et bona opinio externe commendatos, post hæc sancta nos reddit conversatio justos. Imo hoc unum exoptat potius, ut in ornatu sacerdotis cæteris sanctis vestibus casula superposita, curramus per excellentiorem viam, omnis consummationis videntes finem, latum mandatum Domini nimis; parati ad omnem voluntatem illius, non jam ut servi a facie Domini timentes, sed ut filii ad Patris præsentiam suspirantes.* Finem itaque hujus regulæ committe principio, et ultima primis; una fundat omnia charitas, connectit media, consummat postrema. Ipsa tota lex est, et prophetæ. *Et, quæso, quid aliud quam charitatis flammas ore, vel stylo poterat cor illud prorsus exæstuans evaporare, quod charitas Christi vulneraverat, cujus gestabat verba in visceribus suis, et exempla servorum Dei, quos de mortuis vivos fecerat, tanquam carbones vastatores? Et quoniam, ut ad præmissa legislatoris nostri verba aptissime perpendit Umbertus, boni doctoris est non solum studere sapientiæ, ut sciat quid doceat; et non solum docere verbo vel scripto, sed et dare operam, ut observetur quod dicit, ut proficiat; quia vero non est seminantis, nec terræ satæ fructum producere, sed Dei solius: ideo recurrit bonus doctor super hoc ad orationem.* Recurrit ipse, et præcurrit nos exemplo, ut sciamus omne auxilium abs Deo, et disponamus ascensiones ad eum, in corde nostro, in valle lacrymarum. *Sicut* (inquit Hugo Victorinus ad verba regulæ proxime allegata) *qui seminant, si hoc operire dissimulaverint, veniunt volucres, et totum quod seminatum videbatur, diripiunt; ita quidem isti, qui in agro cordis sui semina verbi Dei, psallendo, legendo, prædicando asperserint, nisi postea orando in corde clauserint, et quodammodo sepelierint, veniunt volucres, id est cogitationes hujus sæculi volatiles, inanes et vacuæ, et rapiunt quod in carne fuerat seminatum.*

Alterum nobis subsidium statuit prudentissimus legislator a studio lectionis. *Ut autem, inquit, in hoc libello quasi in speculo possitis conspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur.* Ecce speculum habes, ad quod mores tuos componas, in quo crebriori intuitu faciem tuam introspicias, et quæ fœda aut pulchra deprehenderis, merita castigatione, aut approbatione recenseas.

Quid aliud autem est speculi inspectio, quam attenta regulæ lectio? *Per ipsam siquidem*, ait noster Adamus (187), *inter dona cætera duo quædam nobis conferuntur insignia; quia et eorum, quæ eatenus ignoravimus, nobis infundit agnitionem; et memoriam nostram reddit tenacem. Confert siquidem nobis claritatem instructionis, et negligentiam nihilominus oblivionis alienam a nobis reddit assiduitas hujus, de qua loquimur, lectionis.* Adde quod sicut aspectus noster a circumfuso aere lumen accipit; ita internus mentis oculus ab usu crebræ lectionis. Et novit is rectius quanta sit magnitudo peccati, reverentia Numinis, æstimatio virtutis.

Hinc Præmonstratenses assiduam regulæ memoriam, quasi jugem speculi inspectionem ob mentis

(183) Vide Mauburnum in venatorio canon. Et Landtmeter De veteri clerico, lib. I, parte III, cap. 2 et seq. SS. pontificum De conciliorum decretis. Comment. in reg. S. Augustin.

(184) Vide Just. Lips. præf. ad polit.
(185) Serm. 12, II par.
(186) Ibidem.
(187) Serm. 12, ad relig

Digitized by Google

oculos posituri, post divina officia (puta primam ex horis canonicis) lecto, uti moris est, Martyrologio, ubi ex officii Romani ritu consequitur lectio brevis, partem ipsi regulæ S. Augustini prælegere consueverunt. Ac dominica quidem die, de dilectione Dei et proximi; feria secunda, de concordia et necessariorum distributione; feria tertia de oratione et attentione; feria quarta, de temperantia in victu, et lectione sub refectionem; feria quinta, de modestia in habitu exteriori; feria sexta, de fugiendo litigio; Sabbato, de obedientia ac moderamine prælatorum.

Quem morem peregrinum non esse, aut alienum ab instituto canonico, luculentus testis est Joannes Molanus Lovaniensis professor eximius in libris quos de canonicis inscripsit (188). Pauca ex eo verba transumpta damus. *Veteres illi et venerandi nostri majores longe plenius quam nos meditabantur Christianam vitam, perpetuam pœnitentiam, ut concilium Tridentinum loquitur esse debere : ideo ipsi omni die sub finem primæ horæ canonicæ ad conventum capitularem ire solebant : ubi primo legebatur Martyrologium; secundo memoriæ defunctorum; tertio unum caput regulæ. His autem peractis, in capitulari conventu, si quæ corrigenda erant, tractabantur. Cujus rei brevis mentio est in concilii Moguntiaci statuto nono, ubi inter alia legitur, ut canonici clerici singulis diebus mane primo, ad lectionem veniant, et audiant quid eis imperetur.* Quæ singula apud Præmonstratenses, et plerosque regulares incorrupti moris atque observationis esse, nemo facile diffiteatur. Hunc namque S. Norberto primisque parentibus in Præmonstrato funiculum fuisse distributionis; hanc ingentem, et selectam partem desudantium sub jugo suavi Christi Domini, et religatorum funiculo triplici ad crucem ejus, vitæ nimirum spiritualis atque asceticæ apud clericos præsertim, et canonicæ professionis homines et elanguidæ, nedum emortuæ, studia restaurare, edisserunt, qui noverunt, ac propius inspexerunt. Occurrit venerabilis Guibertus abbas de Novigento (189) tempore, territorio, dignitate compar, commentarios suos in prophetas ei inscribens, sub primis hisce, quas damus, lineis: *Amantissimo Patri, et venerabili Domino, universa charitatis affectione colendo, totius sanctæ interioritatis vero cultori, ac veræ discretionis magistro* NORBERTO, *frater* GUIBERTUS *monachus nomine, peccator operibus, prosperis qui, suorumque gaudere successibus.* Juxta habenda quæ in Appendice operis ejusdem ab Hermanno monacho, deinde abbate S. Martini apud Tornacenses, sancti Norberti mundano fastu, dehinc vitæ sanctiori militantis in Præmonstrato teste oculato, et luculento, pluribus attexuntur (190). Levandæ satiei pauca hæc legis : *Nescio quid alii sentiant, mihi videtur verum esse, quod plurimi asserunt, a tempore apostolorum nullum fuisse, qui tam brevi temporis spatio, sua institutione tot perfectæ vitæ imitatores Christo acquisierit.* Apud quem compositus Bernardo Clarævallensi Norbertus præfertur in pluribus; at charius mihi dixerim, non æquanda, non disceptanda; at celebranda, atque imitanda sanctorum Patrum gesta et merita.

CAPUT XVI.

Commentatores in S. Augustini regulam celebres : et quomodo ea S. Norberto tradita.

Percelebres in S. Patris Augustini regulam commentatores Hugo a S. Victore, atque Umbertus quintus ordinis prædicatorum magister generalis, scriptores clarissimi in multorum manibus, atque oculis non sine immodico virorum spiritualium fructu, ac quadam interna orexi versantur. Et ille quidem in tantum divinis Scripturis eruditus priscorumque Patrum in omni litteratura existit æmulus, ut alter ævi sui Augustinus audire meruerit. Ingenio utique adeo subtilis, ornatus eloquio, nec minus conversatione, inquit Trithemius (191), quam eruditione venerandus. Hic autem cum quinto loco ordinis sui magisterium, summamque gessit præposituram, nihil magis dulce habuit quam in Scripturis sacris meditari, atque ad religiosæ perfectionis apicem, quo impigre ipse enitebatur, aliis secum viam complanare. Declamator egregius, inquit idem Trithemius, vita evangelicus, conscientia purus, actione præcipuus, eloquio dulcis, et ad persuadendum idoneus. Floruit ille sub annum Christi centesimum tricesimum; hic vero ducentesimum quinquagesimum supra millesimum. Ille, ut commentarios legenti patet, sermone tersus, sententiarum acumine amœnus, alias constrictus, et paululum minutus. Hic dictione largior, et familiarior, stylo tamen aliquantulum inferior, et aliubi, ut videtur, remissior; a multorum tamen usu atque experientia, morum religiosorum sedulus inspector.

Horum medius Adamus noster, quin potius vicinus ætatis Hugonis Victorini anno admodum Septuagesimo et octogesimo supra millesimum centesimum commentarios suos in beatissimi Augustini regulam efformavit, ac facile amborum laudes, qui inde celebrantur adæquavit. Sic totus mentem lectoris ingreditur, tam industrie distorta corrigit, tam solide recta confirmat, totamque virorum religiosorum actionem ad perfectæ virtutis arcem transfert. Sic ipse revelat sensus suos. Sic aperit mysticos sinus Scripturarum, et spargit passim sapida ac salutaria quædam monita, quæ nunquam sine desiderio, nunquam sine fructu dimittas, quæ hoc agant, quod non agunt; plus dicant, quam sonant; sic utique in ipsos affectus se insinuant. Sed præterea, quam tota elocutione sua gravis, judicio sanus, densus sententiis, stylo placidus, et compar Patrum orthodoxorum, quorum passibus atque ornatu incedens multis post se parasangis Umbertum relin-

(188) Lib. I, cap. 11.
(189) Prodiit Parisiis ann. 1651.
(190) De mirac. S. Mariæ Laudun. l. III, cap. 7.
(191) In catal. Script. eccles.

Digitized by Google

quit, atque in eo Hugonem videtur transcendere, quod is restrictum omnino, et summarium agit interpretem, noster autem oratorem undequaque absolutum: qui per sermones ideo voluit incisa dictionis suæ membra, ut corporalis præsentiæ vices e suggestu usque sustinens, suos coram alloqueretur, atque hac ratione pondus verbis suis acrius, et voci suæ vocem virtutis conciliaret. Habet enim nescio quid energiæ viva vox; ac in discipulorum aures, ab ore doctoris transfusa sonat fortius, atque inflammat vehementius. Sic ferme noster (192-206): *idcirco*, inquit, *per sermones distinxi, ut eorum sic quasi præsens allocutio legentium, et illustret intellectum, et inflammet affectum, quatenus eorum nihilominus competens incisio, et fastidium auferat pigris, et desiderium conferat studiosis* (207). Ab his alii, fateor, diligentes expositores, uti Gilbertus Sancti Ruſi abbas, quem citat Umbertus (208); Augustinus Ticinensis, Joannes Trullus, Ricciardinus apud Pennottum, et alii. Sicuti non inferioris ævi, ita nec dignitatis fortassis fuerunt, at quoniam nuda nominum cognitio ad me pervenit, de iis nihil arbitrandum habui.

(209) E nostris laudem non vulgarem hic promeritus est Eustachius Lensius doctor theologus Ecclesiæ Viconiensis canonicus, ac deinde Vallis-Serenæ et Christianæ in Gallia abbas, qui, ut ipse ait, regulam canonicam per regulas canonum exponendam ratus Gervasio primati ordinis Præmonstratensis (qui floruit tempore Honorii tertii cujus pœnitentiarius fuit, et Sagiensis episcopus) commentarios inscripsit. Prologum ejus ex vetustis pergamenis, quæ in manibus sunt, non otiosum, erit subjicere. *Reverendo Patri, et domino in terris honorando, venerabili abbati, domino* Gervasio *Præmonstratensis ordinis totius primati*, E. Eustachius *de Viconia præsentem otii sui fructum. Cum sapientia scribenda sit in otio, sapiens otium suum negotium reputat, et quanto magis se senserit negotiosum, tanto se amplius æstimat otiosum. Ego vero inter crebras valetudines, et quotidianas meas sollicitudines, unicum mihi habui solatium, amorem et studium litterarum, propter illud beati Hieronymi: Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. Ex prologo ejus hæc damus. Ponens autem ante meæ mentis oculos professionis nostræ speculum, regulam beati Patris Augustini, attendi quod pene ab omnibus legitur, juxta illud quod ibidem legitur, semel in septimana vobis legatur; dolui quod a plurimis negligitur, cum in eadem scriptum sit: Si quid servatum non fuerit, non negligenter prætereatur. Ita ut quot legentium sunt affectus, tot pene sint etiam intellectus. Sunt enim sicut in aliis Scripturis divinis, multa verba quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte præsumit, sed non oportet. Sicut enim unum testamentum per alterum exponitur juxta illud: « Abyssus abyssum invocat; » ita unus canon per alium explanatur. Unde Hieronymus ait: « Non afferamus stateram dolosam, ubi appendamus quod volumus pro arbitrio; sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris divinis. » Ideo ut regularibus opella mea deserviat; præsenti in opere operam volui adhibere, ut regula canonica per regulas canonum exponatur. Ex ipsis enim Scripturis sensum oportet capere veritatis,* ait beatus Clemens. *Ne autem propter numeros appositos simpliciorum lectio retardetur, sed inoffenso pede affectuum per plana discurrat, canones ipsos cum suis domiciliis, extra seriem litteræ, in plano videlicet marginis installavi. Igitur de intra medium canonum aquæ pertransient expositionum, quo et bestiæ agri, et volucres cœli, id est, activi et contemplativi habeant ad potandum. Quod autem paternitati vestræ præsens opusculum censui dedicandum, suasit tum præeminentis dignitas, quam sortiti estis ex prælatione; tum perspicaciæ vivacitas, qua præditi estis ex ingenita discretione; tum et nobilis conscientiæ charitas, quæ se mihi ægrotanti sic benignum præstitit, in compassione, exemplo Apostoli, qui ait: « Quis infirmatur, et ego non infirmor? » Accipiat ergo benigna paternitas vestra, reverende Pater, munus oblatum, utilitati publicæ desudatum, vestræ tamen gloriæ dedicatum, et ei, si dignum judicaverit, auctoritatis vestræ pondus imponat. Si quid minus doctum repererit, imperfectum meum viderint oculi vestri, et manum perfectionis apponat. Si quid vero de purgatorio meo minus politum, et purgatum evaserit, sapientiæ vestræ lima confricet, et emundet.* Ita ibi: obiit ipse decrepitæ ætatis 1225 multorum librorum parens, quos luci et utilitati publicæ viri docti satius, quam blattis aut tenebris donandos rogant.

Complures neotericos, qui fortassis non spernendam in commentanda regula operam navarunt, nolim astruere, ne videar temporum nostrorum furfurem cum probatissima vetustioris ævi siligine committere. Binos tamen e nostris, quos recentior ætas commendat, non eodem silentio prætere m; puta Servatium Lairvelzium, et Laurentium Landmeterum. Atque ex hujus quidem in regulam commentariis, ubi ipse succinctus, et solidus; ac præcipue tribus libris De veteri clerico et monacho, tam priscam, quam recentem vitæ totius religiosæ œconomiam quis facile dignoscat. Illum autem doctorem theologum atque apud Mussipontum in paucis illustrem abbatem non tantum doctrina, sed vitæ sanctioris exemplum, et arctioris disciplinæ zelus, quem in egregio opere (catechismi novitiorum nomen præ se fert) ac altero, puta commentariis Augustinianæ regulæ legentium oculis expressit, summopere commendabilem; imo pene, veteribus æquandum extulit. In quo tamen uno hoc Becardus

(192-206) In præf. part. II.
(207) In reg. cap. 5.
(208) Lib. I, cap. 18, n. 2.

(209) Vide Andream Valerium in sua Biblioth. Belg.

Digitized by Google

noster, ac alii demirandum habuerunt, quod præter receptum ordinis morem (uti ex Adamo nostro liquet) et consequenter in supposititio regulæ fetu lambendo, non modicam suæ operæ partem insumat. Videndus Landtmeter in eamdem regulam quæstione prodroma.

Feliciter omnino, nec absque divinis auspiciis, nova candidæ militiæ præsidia conducere, novos habere delectus, nova signa conferre properaverat. Vir Dei Norbertus, cum in loco, qui Præmonstrati nomen non abs re invenit, consederant clerici admodum quadraginta, et laici complures : quædam utique primordia, et quasi semen ejus multitudinis, quæ postmodum subsecuta est. Sed quoniam illius vallis angustiæ pares non erant capiendis hominibus, quos cœlum insigni accessione per orbem Christianum diffundendos spondebat ; prius ad definitum ac stabile vitæ genus, veluti ad præstitutam ducis sui tesseram transferendi erant, quam discessionem peregre pararent ; atque statum fœdus vita et moribus socii omnes non violabili constantia tenerent. Vixerant in eum diem tirones communibus pietatis officiis contenti, Evangelii atque institutionum apostolicarum sectatores avidi, quos ipse Pater Norbertus gravibus sæpe verbis de incundo regulæ delectu, de immobili vitæ religiosæ proposito, deque aliis sanctæ professionis insignibus adhortatus. Antistites interea diversos, viros sanctitatis forma conspicuos, ac primores Ecclesiæ super hac re in consilium adhibebat ; quanquam ad canonicæ vitæ genus, quod ipse a tenera ætate cum plerisque suorum amplexus erat, magis propenderet, lucis e cœlo nubilam adhuc mentem detersuræ spe constantior et erectior. Moxque alius, habita ratione horridæ solitudinis, in quam se abdiderat, anachoreticam ; alius, inspecto pœnitentiæ rigore, quo se macerabat (et plures in eam partem conveniebant) vitam eremiticam suadebat. Alius, rursus attendens Cisterciensis ordinis decus, quod jam tum nova propagine reflorescens melleo verborum illicio demulcebat, et sanctæ conversationis exemplis (210) S. Bernardus apud Claramvallem abbas mire dilatabat, monastices prorsus amplectendæ auctor erat. Cum Norbertus, referente vetusto scriptore vitæ ejus *cujus opus, et consilium de supernis pendebat : qui suum principium non sibi, non hominibus ; sed ei, qui est omnium rerum initium commendabat, in corde suo cuncta conferens*, ut ait sapiens, *velox ad audiendum* (*Prov.* XXIX, 20 ; *Jac.* I, 19), *qui differt et reservat in posterum*. Multis precationum æstibus cœleste exposcens subsidium in partes varias rapiebatur, perque omnia versabat animum quodammodo consilii inopem.

Et, o favor ! ex intimis cœlorum penetralibus nuntius desideratissimus, ancipitis diribitor consilii, nutantis firmator animi, oranti Norberto spectabilis factus est Augustinus, Pater ac celeberrimus institutor clericorum, gregem hunc novellum in suam assumpturus familiam. *Qui et auream regulam, a latere dextro prolatam, illi porrexit : seque ipsum luculento et sermone intimavit, dicens* (211) *: Quem vides Augustinus, ego sum Hipponensis episcopus. Ecce habes regulam, quam ego conscripsi, sub qua si bene militaverint confratres tui, filii mei, securi Christo astabunt in extremi terrore judicii.* O favor, inquam, o amor ! favor patrocinantis, amor adoptantis ; patrocinantis, et securitatem spondentis in extremi terrore judicii ; adoptantis in filios, et desiderantis per ostensam legem vitæ, et disciplinæ, eos in communione sanctorum, qua jucundabatur nostræ peregrinationis sollicitus, et filiorum salutis providus. Non pauci barbararum gentium legislatores, uti Seleucus, Zoroastres, Minos, et novissime Mahometes, quo pondus atque auctoritatem legum suarum placitis conciliarent, ea uni cœlo referebant accepta, ab ipso numine profecta, a divino ore dictata. Ægyptii Mercurium legislatorem venerati theologum quemdam, et divinum habebant, nec alio nomine, quam Trismegisti, sive termaximi nomine circumferebant. Spartiatis leges daturus Lycurgus Delphos profectus, consuluit oraculum. Respondit Pythia eum diis charum esse, magisque Deum quam hominem : quærentique de bona legum latione, dixit eum a diis sponderi reipublicæ statum, qui præstantissimus esset. Quare Lycurgus leges suas vocavit, quasi decreta deorum. Noti sunt familiares congressus, et colloquia, quæ cum dea Egeria finxit Numa Pompilius secundus rex Romanorum : cujus e congressu, inquit Plutarchus, in virum felicem, ac divinarum rerum peritissimum evasisse creditur. Pythagoram memorant aquilam cicurem sistere vocibus, et deducere consuevisse, tanquam per eam e Jovis throno legum suarum dogmata prompta mereretur. Verum apage sint hæc fabulosæ antiquitatis commenta, tam ingeniosa ad fictionem, quam præsumptuosa ad deceptionem. Sit præterea sua Israelitis acceptæ legis gloria per dispositionem angelorum ; sint inter Christianos quibusdam religiosis cœtibus sua divinis inspirationibus, atque ostensionibus accepta primordia, firmatæ leges, sancitæ promissiones ejus vitæ, quæ nunc est, et futuræ ; nihil illis imminutum, nihil velim detractum. Nec vicissim quispiam amplissimas e cœlo prærogativas Prænonstratensi familiæ factas asserenti obtrectet, criminetur nemo ; neque singulis immoror, unius narratione modo affectus.

Sanctissimus itaque præsul Aurelius Augustinus :

Cujus ab ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem ;
Quæ mites humilesque bibunt, campisque animo-
[rum,
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos (212).

Posteaquam vir, inquam, ille beatissimus annis admodum septingentis et decem hac mortali vita defunctus esset, cœlestis gloriæ inquilinus, et victoriæ

(210) Vitæ ejus cap. 24.
(211) In Appendice Vitæ ejus apud Capp., cap. 5.
(212) S. Prosp. Carmen De ingr., cap. 3.

Digitized by Google

quidem suæ non incertus, nec certaminis nostri obliviosus, gregique suo tanquam verus pastor intentus, fit Norberto deliberanti de genere vitæ conspicuus, fit cœlestis legatus, consiliarius non fallax, patronus optatissimus.

Cum jam alieni non indigus consilii ad superni dives auxilii, non ignarus virum illum beatissimum post apostolos omnium sapientissime clericorum institutionem ordinasse, vitamque apostolicam renovasse (213), *cum allatam regulam diligenter inspexisset in paucis compositam, in multis tamen bene dispositam, statim in die Natali Domini* (ut referunt Gesta) *quæ instabat, ad instar Dominicæ descriptionis, sub eadem et stabilitatis in loco, et professionis gratia, ad illam beatæ perennitatis civitatem singuli seipsos conscripserunt.* Ubi tamen prius (ut habet vetustus codex Historiarum ms. (214) monasterii Rivallensis, quem Parisiis in cœnobio S. Genovefæ canonicorum regul. inspexi) *professionem eos facere, secundum apostolicam, et canonicam institutionem, et beati Augustini regulam docuit, et ad voluntariam paupertatem, et promptam obedientiam eosdem diligenter instruxit.*

Ipsa verborum meditata series, qua primi Patres se arctius Christi vagientis præsepio, et obsequio alligarunt, exuentes veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate erat, ni fallor, ejuscemodi. *Ego, frater N., offerens trado meipsum Ecclesiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctique illius, et promitto conversionem morum meorum, et stabilitatem in loco secundum Evangelium Christi, et secundum apostolicam institutionem, et secundum canonicam regulam beati Augustini; promitto etiam obedientiam usque ad mortem in Christo, domino N. præfatæ Ecclesiæ Patri, et successoribus ejus, quos pars senior congregationis canonice elegerit. Nam et hoc attendit,* ait scriptor Vitæ ejus (215), spiritualis ille Pater, *quod nunquam exorbitare possent, qui secum velint remanere, si professionem suam secundum Evangelia et dicta apostolorum, et propositum sancti Augustini facerent, et opere complerent. Hoc vidit; et has professiones, ut præmissum est, hoc modo fieri consuit.* Neve primum robur, atque adolescentem animi rigorem inflecteret alia atque alia sanctæ illius regulæ expositio, atque interpretatio diversa, quam regulares clerici plerique mitius, et sub lineo; sui rigidius, et sub laneo habitu observabant: gravi verborum pondere obfirmandis atque exstimulandis tironum animis; *Quid miramini,* inquit homo Dei (216), *vel hæsitatis, cum universæ viæ Domini misericordia sint et veritas.* Et si diversæ, *nunquid adversæ? Si usus mutatur et institutio, nunquid mutari debet charitatis vinculum, quod est dilectio? Regula quidem dicit, primo diligatur Deus; deinde proximus: Regnum Dei non operatur sola institutio, sed veritas, et mandatorum Dei observatio. Ergo quia de dilectione, quia de labore; et de abstinentia escæ, et jejunio, de vestitu etiam, et silentio; de obedientia, et quod invicem honore prævenire debeant, et patrem suum honorare, evidenter hæc regula determinat; quid est quod amplius alicui regularium ad salutem obtinendam expediat? Quod si de colore, vel grossitate, et subtilitate vestium fiat aliqua inter aliquos spirituales contentio, dicant, qui ob id derogandi occasionem accipiunt; dicant, inquam, de hac regula, dicant de Evangelii, et apostolorum institutione, ubi albedo, nigredo, subtilitas, vel grossitudo, præceptum dando, describatur: et erit eis credendum. Unum est tamen, quod testes resurrectionis angeli in albis apparuisse leguntur; auctoritate vero, et usu Ecclesiæ pœnitentes in laneis sunt. In laneis similiter, in veteri testamento, exibant ad populum; in Sanctuario vero, ex præcepto, uti consueverant lineis. Quia vero sanctorum Patrum, et prædecessorum nostrorum docet expositio, sanctis prædicatoribus, et canonicæ professionis utentibus horum angelorum in typo vicem gerere; de albis vestibus scandalum non generent. Et si sint pœnitentes et si eos ad populum exire suum cogat officium, laneas non abhorreant. Quod si ad sanctuarium Dei ingressuri sunt, lineas non prætermittant.* Hæc optimi parentis verba spiritu sapientiæ et scientiæ Dei plane gravida sunt: cujus lingua quasi fistula aquæ vivæ erat, et calamus scribæ velociter scribentis. Dignissima prorsus, quæ singulari indagine seorsim librentur singula, intellectu utique feta sublimiori. At amabo te, quod aliud consilium magistri nostri Adami, quis scopus alius, quem sibi in sermonibus hisce quatuordecim præstituit; quam ut gravissimam paranesim uti præmissam audivimus, eleganti paraphrasi illustraret, ad objecta primorum parentum præclare gesta similem vitæ rationem in posteris exigeret, sancti illius propositi momenta, professionis voto firmatæ dignitatem, et quæ consequuntur, internis mentis aspectibus jugiter præsentaret?

CAPUT XVII.

Singularis cultus Præmonstratensium erga S. Augustinum. Regula ejus canonica. Nec Præmonstratenses sub alia regula.

Non otiosum cuiquam videbitur seorsim disquirere paululum, cur primi parentes nostri sapientissimi juxta ac sanctissimi homines distincte adeo et mature religiosæ professionis sacramentum exegerint ad regulam beati Augustini canonicam. Quo faciunt ex prioribus plura, atque imprimis sancto Norberto patriarchæ nostro, omnium justorum spiritu pleno, pendenti animis, atque ex diverso procerum ecclesiasticorum dictamine, ut præmisimus, in varia distracto, spectabilem fuisse S. Augustinum. Cujus rei eventum pro communi exedra, seu loco capitulari congregatis fratribus Ecclesiæ Cappenbergensis ipse orthodoxæ veritatis assertor Nor-

(213) Cap. 24 Vitæ ejus.
(214) Sub. an. 1119.
(215) Cap. 25, in Vita.
(216) Cap. 24 Vitæ ejus.

Digitized by Google

bertus (217) *humiliter tanquam de alio, ut loquuntur gesta prosecutus est; nos tamen ipsum fuisse, cui hoc revelatum est, indubitanter advertimus.* Quid igitur? hac ipse cœlesti visione mirum exsultans, tam propter singularem superne acceptam prærogativam; tum etiam ex eo quod (218) *professioni canonicæ, cui et ipse, et quotquot cum ipso vivere volebant, attitulati fuerant ab infantia, injuriam inferre videretur:* in ipso appetente Servatoris nostri Dei Natali anni millesimi centesimi vigesimi primi, solemni ac stabili voto cum paucis sociis, amores suos, ac vitæ institutum parvulo Jesu nuncupavit. Transivit Norbertus statim a visa regula in partes clericorum, quin potius in quibus antea steterat jam firmatior ac certior, sancti Augustini patrocinium fratres suos ambire, eum amabili Patris nomine a suis dignanter invocari, tam publicis quam privatis pietatis officiis perpetuo voluit honorari; in cujus tutelam, ac institutum seipsum, ac progressus suos transcripserat (219). Volentes Præmonstratensis familiæ sodales erga magnum Parentem suum, non quidem pares gratiæ vices reponere; attestari saltem: hunc divum tutelarem, ac singularem patronum non intermoriture complectuntur affectu. In officiis ecclesiasticis solemnes dies tam beati transitus ejus ad æternam vitam, quam translati sacri corporis ejus, cum octavis, ut aiunt, festive decernunt; sub quotidianas et publicas Ecclesiæ preces commemorationem, ac invocationem ejus habent: demum in confessione generali, quam sub primam horæ canonicæ, sub completorium, atque tremenda missarum mysteria ex more instituunt, et alibi sæpius interpositam opem, ac sancti Patris Augustini suffragaturam exigunt appellationem sancita in comitiis ipsorum decreta.

Sed nunquid, viso eo legislatore, in professionem canonicam adeo exardescere potuisset Norbertus? nunquid Præmonstratensibus clericis ipse S. Augustinus esse in Patrem, ac illi ex nomine adoptari in filios? nunquid, inquam, primis illis patribus sic impune, ac solemniter licuisset jurare in Regulam canonicam; si vel ambiguum fuisset quod vitæ genus instituisset S. Augustinus, vel incertum quales habuisset spiritualis uteri sui filios, vel controversum quænam ea regula, aut quibus tradita, quam a sexcentis jam tum annis, et eo amplius acceperat, et conservaverat Ecclesia? nullus videlicet alienæ opinionis rumor hos Patres resperserat, quos communis, ac indubitatus ecclesiasticæ traditionis sensus instruxerat. *Norbertus*, sic loquitur contemporaneus scriptor Vitæ ejus, *regulam quam beatus Augustinus suis instituit, afferri præcepit; apostolica enim vita, quam in prædicatione susceperat, jam optabat vivere, quam siquidem ab eodem beato viro post apostolos audierat ordinatam, et renovatam fuisse.* Audis egregium imitatorem apostolorum Augustinum, quorum vivendi normam in se ac suis renovavit? Videsque huic supparem Norbertum, in cujus exempla vitæ, ardore apostolico, jam pridem exarserat?

Hanc, puta vitam canonicorum, aiunt ad S. Norbertum pro eo tempore in Galliis legati, *Urbanus pontifex instituit, hanc Augustinus suis ordinavit regulis, hanc Hieronymus suis epistolis informavit* (220). Honorius vero pontifex ad Præmonstratenses: *Quia vos religiose vivere; et canonicam vitam secundum beati Augustini institutionem ducere inspirante divina gratia, decrevistis: propositum vestrum sedis apostolicæ auctoritate confirmamus, et firmos vos, in remissionem peccatorum vestrorum, in eo persistere adhortamur. Statuimus itaque ut in ecclesiis vestris, in quibus fratres vitam canonicam professi degunt, nulli omnino hominum liceat, secundum beati Augustini regulam, ibidem constitutum ordinem commutare.* Hæc diplomata accepta anno salutis 1126 et 1124, aliquanto protractius supra allegavimus. Quis dissimulatam veritatem fucato velit obnubere pallio, qui legit Patrum probabilem vitam, et apostolicæ instituta doctrinæ a S. Norberto renovata, qui prospicit vitam canonicam ex institutione S. Augustini, qui Regulam quamlibet suæ cuique vocationi conformem, ac ad mensam, velut opifici instrumenta artis perpendit?

Si forte quem delectet ex sanctorum pontificum oraculis amplius aliquid lucis aspicere, ecce diploma Innocentii secundi ad beatum Hugonem sancti Norberti discipulum et successorem, altero mox anno a felici Patris sui obitu, millesimo, scilicet, centesimo tricesimo quinto. *Statuimus et apostolicæ sedis auctoritate sancimus, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini Regulam, et Præmonstratensium fratrum observantiam in eadem Ecclesia constitutus esse dignoscitur, in omnibus et jam ordinis vestri ecclesiis perpetuis temporibus inviolabiliter observetur.* Eadem reposuit Adrianus quartus in diplomate dato ad annum 1154. Alexander vero tertius verbis paululum mutatis anno 1177 sic habet: *Ordo canonicus, quemadmodum in Præmonstratensi Ecclesia secundum beati Augustini Regulam, et dispositionem recolendæ memoriæ Norberti quondam Præmonstratensis ordinis institutoris, et successorum suorum in candido habitu institutus esse dignoscitur, per omnes ejusdem ordinis ecclesias perpetuis temporibus inviolabiliter observetur.* Unius tenoris plurium summorum pontificum, videlicet Honorii secundi, Lucii tertii, Urbani tertii, Clementis tertii, Innocentii tertii, Honorii tertii, Gregorii noni, Innocentii quarti, Urbani quarti, Gregorii decimi, Clementis sexti, et plurium est, quod sequitur: *Quia vos religiose vivere, et canonicam vitam secundum beati Augustini institutionem ducere inspirante Domino decrevistis propositum vestrum sedis apostolicæ auctoritate firmamus, et vos firmos in remissionem peccatorum vestrorum in eo persistere adhortamur: statuimus utique ut in ecclesiis, in quibus fratres canonicam vitam degunt, nulli*

(217) In append. Capp., cap. 5.
(218) Cap. 24 Vitæ ejus.
(219) Vide Pagium, Biblioth. lib. II, cap. 16.
(220) Vide sup. prol. p. II, c. 7.

Digitized by Google

liceat hominum, secundum beati Augustini Regulam ordinem ibidem constitutum mutare, etc., quæ ex ordine videnda sunt apud Joannem Pagium in sua Bibliotheca libro tertio (221) et quæ de canonica Regula edisserit libro primo.

Absolvam, si paucis magistrum Adamum loquentem auscultemus (222). *Pater et advocatus noster beatus Augustinus magna, fratres charissimi, clericis regularibus instanti a circa ipsa exordia, in eorum Regula, crimen inhibet peculiaritatis.* Et alibi (223-24) : *Clericalis exigit prærogativa, ut honestati inter virtutes cæteras diligenter acquirendæ, viriliter exercendæ, perseveranter retinendæ instent clerici, et insistat venustati. Decet enim ut sicut eis specialis non deest dignitas in ordine, sic et specialis nihilominus eis adsit honestas in conversatione. Ne forte, quod absit, dignitatis eorum fastigium non debeat jure honorari, cum conversationis eorum exemplum digne meretur reprehendi. Unde et regularis disciplinæ eorum institutor magnus Pater Augustinus ostenso qualiter se debeant habere in victu, instructionem ad eos habet et de eorum vestitu.* Ac postremo sub finem Regulæ. *In verbis istis*, inquit, *regulari suæ disciplinæ, quam de institutione scripsit clericorum, beatus Augustinus imposuit finem.* Plura erant ad manum, at decuit trino testimonio contentum esse. Cardinalis Vitriacus vicinus ferme illorum temporum, doctrina et sanctitate pollens, in illud Isaiæ : *Percutiet Dominus fluvium Ægypti in septem rivis* (*Isa.* xi). *De loco voluptatis, id est*, inquit, *primitiva Ecclesia procedens, id est de primitivis fidelibus, quorum erat cor unum et anima una in Deo*, etc. *Ab hoc loco voluptatis dirivatus est fluvius usque ad beatum Augustinum : et ipse cœpit vivere secundum Regulam sub sanctis apostolis constitutam. Hic autem fluvius septem rivos ex se produxit, septem scilicet congregationes canonicas, id est fundamentum, seu instituta diversa. Unus rivus canonici Præmonstratenses, alius Grandimontis, tertius ordo sancti Victoris, quartus ordo Arroasiæ, quintus ordo Vallis Scholarum, sextus ordo Vallis Caulium, septimus ordo fratrum Prædicatorum.* « *Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris domus Rechab* », *sicut in Paralipomenon dicitur, in fine* (*I Paral.* ii). *Cinæus, id est* luctus, possessio et hæreditas.

Et notandum venit quod auctor, sicut S. Augustinum passim (225) appellat Patrem clericorum, et S. Benedictum ducem monachorum, sic ex opposito utrumque Regulam illius canonicam, hujus monasticam, aut monachorum recte inscribit. Eodem filo decurrunt, quæ multis tractatibus dilatat Philippus ab Eleemosyna, abbas Bonæ Spei, vir magni nominis, et cujus familiares prostant epistolæ ad S. Bernardum, qui sancti Augustini vitam post Possidium primus conscripsisse creditur, liter ab omni partium affectu, utique quæ nondum essent. Quem e neotericis Laurentius Landtmeterus Tongerloensis Ecclesiæ canonicus in libris De veteri clerico, brevi et placido stylo suffulcit. Aliunde conquisita non profero, ne viderer ipse Tuscum suscitare jurgium, aut quemvis Pythagoram, ut aiunt, de Euphorbo suo gloriantem lacessere.

Notandus hic præterea crassus error, nec ferendus, quo complures scriptores respersi, alioquin clari admodum, tradiderunt, Præmonstratenses militare sub Regula S. Benedicti; et quod mireris, S. Norbertum professum monachum Benedictinum. Alii rursus fassi Præmonstratenses sequi modo ductum Regulæ Augustinianæ, arbitrantur initio Patres nostros antiquiores Regulæ Benedictinæ obsecutos. Verum quo tempore, vel qua de causa illa sit introducta mutatio adeo non exprimunt, ut se ignorare fateantur. Sic hodie quosdam adhuc ex doctoribus familiæ Benedictinæ loquentes audias, quo glorientur hunc partum e gremio ordinis sui prodiisse. Quibus ego : Chara mihi amplitudo ordinis S. Benedicti, chari alumni; sed multo charior est veritas. Quid multis? Rem enarrasse, erit ipsam confutasse, et propius ementitum dignovisse colorem, obliterasse. Ut autem patentem januam, si qua fuit, fictioni aperiamus, paucis recolendum venit, quod S. Norbertus a mirabili sua conversione, et missis sæculi lenocinantis blanditiis, *extunc conceptum divini amoris ignem*, ut habent gesta (226), *paulatim augmentans, nec subito mutavit habitum, nec statim reliquit sæculum : sed asperitate cilicii membra domabat, sub mollibus indumentis : et erigere se contra se prætentabat... Collectis ergo interim ad se vir Dei viribus, rediensque introrsum apud se, corroboransque animum suum, et altiora secum versans consilia, mutavit funditus atque convertit omnia vitæ suæ studia ad vias penitus alias, et omnino diversas. Jam igitur edoctus pugnare cum hoste, retraxit continuo pedem a curia, et domi residens, vel in abbatia Sigebergensi, cum bonæ memoriæ Conone abbate, qui tunc illi cum laude præerat monasterio, mirandæ sanctitatis viro commorans, et Scripturas divinas memoria colligens, exspectabat, ut dicit Salomon :* « *Sapiens usque ad tempus* (*Eccli.* xx); » *et tirocinia quædam futuræ conversionis exercens, quidquid paupertatis apud se disponebat, quidquid passionum, et agonum accidere poterat, infatigabili meditatione levigabat.*

Ex Vita S. Norberti cap. 2, habes tironem Norbertum in melius mutatis vitæ studiis, consilii ac instructionis gratia digressum fuisse ad monasterium ordinis Benedictini; sed nunquid inibi attonsum aut cucullum indutum? Nequaquam. Eodem prorsus modo sibi vindicarent Norbertum eremicolæ, quia vitæ perfectioris addiscendæ desiderio cellam frequentavit cujusdam eremitæ Ludolphi : et

(221) Biblioth. Præm. l. iii, Priv. 19, et lib. i, sect. 1 et seq.
(222) Serm. 9. part. ii.
(223-24) Serm. 10, 12.
(225) Vide serm. 10, etc.

Digitized by Google

suum repeterent canonici Regulares (et videtur eo propendere Gabriel Pennottus) ad quorum ipse Rodense cœnobium eodem stimulatus incentivo crebrius repedavit. Hinc Aubertus Miræus in præfatione Chronici Præmonstratensis (226-27): *De S. Augustini*, inquit, *patrocinio nihil opus est dicere, cum omnibus notum sit Præmonstratenses ex præscripto Regulæ S. Augustini vitam suam instituere. Quod quidem quanto judicio suis B. Norbertus præscripserit, in historia Vitæ ejus cap.* 24, *est videre, ut equidem mirer D. Antoninum in sua Historia, et Philippum Bergomatem in Supplemento chronicorum Norbertinos Regulæ S. Benedicti ascribere, maxime quando ipse divus Augustinus apparuit et tradidit Regulam B. Norberto, uti legitur in vita B. Godefridi comitis Cappenbergensis; ut quidem mirer D. Antoninum in sua historia.* Et quis non æque cum Miræo demiretur si beati Antonini historiarum libros pensiculatius hic inspiciat? Sic equidem habet secundæ partis historiarum titulo decimo quinto cap. 14: *Post Benedictum omnes monachi Occidentis militant sub Regula beati Benedicti, et ipsum habent in Patrem, exceptis Carthusiensibus, qui habent speciales eorum constitutiones.* Et paucis interpositis: *Inde enim ordo Cluniacensium, ordo Præmonstratensium, Cisterciensium, Camaldulensium*, etc. Ejusdem vero tituli capite decimo quinto, § septimo: *Circa annos*, inquit, *Domini mille octoginta cœpit reflorere in Ecclesia Beati Quintini Belvacensis ordo canonicorum Regularium primum ab apostolis, postea a beato Augustino episcopo, et doctore eximio regulariter institutus sub magistro Ivone venerabili ejusdem ecclesiæ præposito, postea Carnotensi episcopo.* Et parum sui memor subjungit: *Ad hunc etiam ordinem canonicorum* (228) *regularium videtur pertinere ordo Præmontratensis, de quo etiam infra dicetur.* Quid ergo dicit? *Anno Domini millesimo centesimo vicesimo ordo Præmonstratensium incœpit. Cujus scilicet et loci, et ordinis fundator vir Dei Norbertus exstitit... Tandem divinitus inspiratus in loco Præmonstrati resedit, ibique solitariam et religiosam vitam agere cœpit. Tempore quadragesimæ ad colligendos socios solus egressus, ante Pascha cum tredecim sociis rediit, et cum his in Præmonstrato loco, secundum canonicæ institutionis normam ad tenorem Regulæ beati Augustini commilitare Deo cœpit.* Et postremo sub finem ejusdem capitis, Norbertus *Præmonstratum rediens, et quadraginta jam clericos secum habens cum multis laicis, professionem eos fatere secundum institutionem apostolicam et canonicam Regulam beati Augustini docuit, et ad voluntariam paupertatem, cæteraque militiæ spiritualis instrumenta eosdem diligenter instituit.* Hæc ipse de more suo secutus Vincentium Belvacensem, cui in plerisque syllabatim inhæret. Cuivis autem in comperto est, quam discordi temperamento nunc regulæ substrati monasticæ, aut familiis commisti monachorum, nunc apostolicæ institutionis sectatores, et canonicæ regulæ discipuli ab eodem auctore memorentur Præmonstratenses. Sic etenim quandoque bonus dormitat Homerus.

Post hæc aliquanto avidius Benedictinus scriptor Arnoldus Wion (229), advecta plurium auctoritate, in libro, cui nomen est Lignum vitæ, suis adcenset Norbertinos, his verbis: *Feruntur et alii tres ordines Regulam S. P. N. Benedicti sequi, vel saltem olim secutos fuisse, quorum primus est ordo Præmonstratensium institutus a Norberto, natione Coloniensi, et monacho Sigebergensi ordinis S. Benedicti circa annum Domini* 1119. *Ut auctores sunt Jacobus Philippus in supplemento Chron. lib.* XII, *sic inquiens: « Anno Domini* 1119 *ordo Præmonstratensis sub divi Benedicti Regula hoc in Laudunensi diœcesi, sub quodam Northoberto nomine, patria Coloniensi, initium sumpsit. » Et Marcus Guazzus in Historia sua vulgari. Duo quippe Hispani, scilicet F. Joannes de Pineda ordinis Sancti Francisci in Monarchia Ecclesiastica, lib.* XXII, *cap.* 22, § 6; *et Dominus Gonzalvus de Illescas abbas S. Fromæ in Historia pontificali lib.* V, *c.* 20, *in fine, in idem conspirant. Ex his igitur*, ait, *testimoniis manifestum est, hujus religionis Patres primum sub Regula S. Benedicti institutos esse, etsi illam hodie non observent, sed S. Augustini, quam sibi postmodum assumpserunt; sed quo tempore hæc permutatio facta sit, adhuc non reperi. Fuit deinde S. Norbertus archiepiscopus Magdeburgensis* XV, *creatus anno* 1126, *et eam potestatem exercuit annis octo, et miraculis clarus obiit anno* 1134, *die* 6 *Junii.* Hæc ille. Et rursus in Martyrologio sanctorum ordinis sui, die sexta Junii: *Eodem*, inquit, *die sancti Norberti episcopi, Magdeburgensis fundatoris ordinis Præmonstratensis, qui obtenta a Gelasio II, Rom. pontifice, prædicandi facultate, multos ad viam veritatis reduxit.* Atque in adnotationibus ad eum locum hæc reponit. *De quo Martyrologium Rom. cum Baronio; Molanus in additionibus ad Usuardum, Galesinius et Felinus hac die. Vitam ejus offert Surius tom.* III. *Erat Norbertus natione Agrippinas, Christoque primum nomen dedit in monasterio Sigebergensi sub Regula S. P. N. Benedicti. Inde factus est episcopus Magdeburgensis, ut adnotavit Krantzius Metrop. lib.* IX, *cap.* 12. *Et Demochares De sacrificio Missæ tom.* II, *cap.* 41. *Sed ante episcopatum facultate a Gelasio papa II obtenta prædicandi Evangelium, ordinem novum Præmonstratensium incœperat in episcopatu Laudunensi sub Regula S. P. Benedicti primum, ut auctores sunt Philippus Bergomensis lib.* XI, *Supplem. chronicorum; frater etiam de Pineda ordinis S. Francisci in monarchia ecclesiastica l.* XXII, *c.* 22, § 6, *et Marcus Guazzus in Historia sua, et alii. Succedente vero tempore præfati ordinis Patres regulam S. Augustini sibi assumpserunt, sub qua in hodiernum usque militant. Vixit autem in episcopatu Norbertus annos octo, et a sæculo migravit anno a partu Virgineo* 1134.

(226-27) Lib. II, cap. 70, n. 1.

(228) Lib. XV, c. 15.

(229) Lib. I, c. 71. Natus est hic auctor Duaci an. 1554, de quo Andreas Valerius in Biblioth.

Digitized by Google.

Porro ipsum latere non potuit, quod Trithemius Spanheimensis in Chronicis Hirsaugiensibus pridem, et palam edisserit: nos pauca ejus de hac re verba damus (230), occurrent plura inspicienti. *Anno 1126, ordo Præmonstratensis cœpit in diœcesi Laudunensi sub Bartholomæo episcopo, rege Francorum Ludovico regnante, Patre Norberto venerandæ sanctitatis viro, ipsum cum Regula S. Augustini, cum* XIII *sociis, instituente circa festum Paschatis, quem Calixtus papa confirmavit. Qui ordo in brevi tempore postea mirabiliter crescens ampliatus est.* Ubi cœpti ordinis edicuntur incunabula, ulteriora nequidquam inquirantur primordia. Alter est quoque scriptor Benedictinus, ætate aliquanto gravior, nec auctoritate dejectior, Joannes Iperius abbas, qui in chronico suo Bertinensi de S. Norberto fundatore ordinis Præmonstratensis lenius multo et verius infit: *In loco Præmonstrati a Deo sibi ostenso solitariam vitam agere cœpit, semper nudis pedibus incedens. Postea ibidem discipulos et collegium congregavit, quibus beati Augustini Regulam principaliter observandam instituit, cum aliquibus additionibus Regulæ S. Benedicti. Nam secundum beati Augustini Regulam horas cum novem lectionibus observant. Tunicis albis, et superpelliceis in officiis ecclesiæ utuntur: alibi vero cappas albas et scapulare pro regulari habitu deferunt, et curas animarum suscipiunt, seque non monachos, sed Præmonstratenses canonicos appellant. Secundum vero Regulam Sancti Benedicti carnes in refectorio, nec alibi, nisi in infirmitate comedunt, duobus pulmentariis in refectorio contentantur, vestiti dormiunt et caligati, camisiis non utuntur, nec pellibus nisi ovinis.* Et quædam similia quæ ibi prosequitur. Neque ego diffitear Præmonstratenses quasdam arctioris ac monasticæ disciplinæ observantias regulæ ac professioni canonicæ accumulasse (231). Hoc enim nos pro singulari Patris nostri gloria contendimus; cujus postmodum æmuli fuerunt plerique ordinum religiosorum fundatorem: sanctum dico Norbertum cæteris priorem temperatissima commistione dignitatem clericalem cum observantia monastica, et vitæ activæ cum studiis contemplativæ associasse. At nunquid exinde partibus transcribendus monastices, ausuque præcipiti canoni substernendus monachorum? Non magis opinor, quam reliqui ex religiosis cœtibus quilibet, vitæ communis et clericalis contubernio, gloriantes. Obiit vero Joannes Iperius, referente Andrea Valerio in Bibliotheca Belgica, anno 1383, a regimine monasterii S. Bertini apud Audomaropolitas decimo-septimo.

Et rursus præfatis omnibus recentior Ascanius Tamburinius tom. II, disput. 24, monachus Vallis-Umbrosæ easdem opinionis umbras sectatus, hæc retulit: *Præmonstratensis canonicorum regularium congregatio, primum sub Regula S. Benedicti instituta a S. Norberto, teste Jacobo Philippo in Supplem. Chron. l.* XII; *Guazzus in sua Historia; Illescas, et aliis apud Arnoldum Wionem part.* I *Ligni vitæ, lib.* I *cap.* 71. *Deinde nescio quam ob causam an.* 1120 *sub Regula S. Augustini, sub qua ad hæc usque tempora vivit, eam transtulit. Dicti autem sunt canonici hujus congregationis Præmonstratenses a monte Præmonstrato in diœcesi Laudunensi suffraganea Remensi, ubi D. Norbertus jam ecclesiam ædificavit. Viget maxime hæc familia per Galliam, Germaniam, Flandriam, Hispaniam: in Italia fere nulla sunt monasteria. Novissime Romam canonici Præmonstratenses venerunt, et in Via Felici apud S. Mariam Majorem emptis domibus suum exstruunt collegium. Fuit confirmata hæc congregatio anno Domini* 1126, *Kal. Martii ab Honorio II pont.*, etc. Hæc ibi. Ac eadem dicti tomi quæsito quinto agens de Regula S. Benedicti, deque congregationibus sub eadem militantibus reponit in hunc modum: *Præmonstratensis item congregatio instituta fuit an.* 1120 *sub S. Benedicti Regula, a S. Norberto Coloniensi et monacho Sigebergensi ordinis S. Benedicti, et ita expressis verbis testatur Jacobus Philippus in Supplem. Chronici lib.* XII; *Guazzus in sua Historia Italico idiomate conscripta; item D. Gonsalvus Illescas abbas S. Fromæ in Historia Pontif. cap.* 20, *lib.* V. *Vide Wionem parte* I *Ligni vitæ, lib.* I, *cap.* 71.

Atque hos existimem auctores præcipuos, qui propensiori erga S. Benedictum ejusque sectatores affectu, aut forte alius alium tanquam prudentiorem secutus, a veri linea devii abierunt. De pluribus utique scriptoribus, quod Cato (232) quondam de populo Romano, merito resumpseris, gregi pecorum similes, quæ singula non arbitrantur, aut discernunt, sed universa ductorem aliquem sequuntur; sic Romani privatim consulerent neminem, in concionem vero cœtumque coacti ab aliis agi facile se permitterent. Neque ego hæc profusiori relatione dirigenda censui. Apage ergo liberas nænias, ac inanes insanias potius, quam ut calidiori stomacho concoquantur. Tu si mavelis, ordinis Præmonstratensis incunabula cum progressu ætatis modernæ, et prima vitæ Norbertinæ in melius mutata studia cum iis, quæ hoc opere passim sparsa occurrunt, committe, nec veritati fucandæ vel tenuis color apparebit. Et vero memor veteris paræmiæ, per viam publicam ne ambules; id est, ne sequaris multorum errores.

Potiori omnino jure, ac evidentiori ratione, quam præfati scriptores ad institutum, aut regulam S. Benedicti transferre nequidquam studuerint, ordinem Præmonstratensem, illi eidem ordini de pluribus religiosis familiis, quæ tanquam ornatæ sponsæ de canonicorum Præmonstratensium thalamo prodierunt, non in se, sed in Deo suo glorificandum esset. Neque si palam edixero, videbor insipiens. Ubi in primis veteri memoria recolen-

(230) Vixit an. 1500.
(231) Vide Baron. ad an. 1124 sub finem.
(232) Plutarch. in Catone.

Digitized by Google

dum venit, quod S. Dominico ordinis Prædicatorum præclaro fundatori contigisse gravissimi scriptores ejusce instituti tradiderunt (233). Is videlicet cum Romæ apud summum Ecclesiæ hierarcham, Innocentium tertium, ageret pro impetrando novi ordinis stabilimento, quem vir Dei spiritu apostolico plenus jam tum parturiebat, res ea (nescio an sors, an Deus dederit) multo supplicantis tædio protracta, ac eo pluribus remoris, quo diuturnioribus moris implicita, nullum consecuta est effectum, donec tandem ex nocturna visione ruinam meditantis Ecclesiæ Lateranensis, cui vir ille subjicere humeros labenti videbatur, pontifex edoctus mentem mutaret, et maturaret consilium. Igitur statim accersito ipse benigne annuit, ac novæ congregationis instituendæ facultatem fecit : illa tamen interposita cautela, ne novam regulam, aut vivendi statuta sibi, aut sociis procudere liceret, verum habito delectu, cuidam ex prioribus religiosorum virorum ordinibus, quem cathedræ pontificiæ sancivisset auctoritas, magis placito se addiceret, ac vitæ suæ rationes conformaret. Eo pacto discessit lætus ab Urbe Dominicus, atque in Gallias se contulit ad socios, qui Provillæ considebant, cum quibus inito consilio, ac interposita divini Numinis ope, mentem sibi bonam inspirari diu multumque rogabant quo fieret delectus maxime salutaris. Cum tandem consensus omnium, ac una vox Patrum fuit, ut beatissimi Augustini Regulam sub eo constitutionum moderamine, quo a religiosis Præmonstratensibus in usum deducta fuerat amplecterentur : neque aliud videri conducibilius ad propositam vitæ rationem, nihil rectius quod alumnos ad optatum finem perduceret, nihil quod magis publicum Ecclesiæ bonum promoveret. Verba igitur factis commiserunt, atque non multo post in Hispanias profecti, Tolosæ primi monasterii fundamenta sub annum salutis nostræ millesimum ducentesimum decimum sextum feliciter jecerunt, elapso primo ferme sæculo ab auspiciis Præmonstratensis ordinis.

Non est aliud gravius aut luculentius testimonium quam B. Umberti, magistri ordinis Prædicatorum generalis quinti, hæc affirmantis (234) : *Notandum quod Præmonstratensium statuta eodem modo incipiunt. Ex quo elicitur quod nostræ constitutiones ex illorum sint extractæ, quoniam ipsi præcesserunt nos. Et quidem hoc justum fuit. Præmonstratenses enim reformaverunt et auxerunt Regulam S. Augustini, sicut et Cistercienses Regulam S. Benedicti : et excedunt in austeritate vitæ omnes regulæ illius professores : in cæremoniarum quoque decore, et observantiarum pulchritudine et discretione ; maximæ multitudinis regimine, per generalia et annua capitula. Beatus igitur Dominicus, et fratres sui temporis cum a Domino papa, secundum conceptum fervorem, novam, et satis arctam regulam, seu vitam invenire non potuissent, et ob id a suo repulsi proposito, elegerunt Regulam S. Augustini, non immerito cum illis constitutionibus inde assumentes, quæ suæ professioni plus convenire putarent.* Familia itaque beati Dominici quasi altera proles est sancti Patris Norberti, aut si mavis, fetus beatissimi, ac magni parentis Augustini gemellus. Sic prorsus (si præcipue initia spectes) alter alterum ordinem expressit : non tantum in Regula et constitutionibus, sed in cæremoniis divini cultus, externo corporis habitu, proposito vitæ genere pari. Et sicut S. Norbertus, ex canonico inclytæ ecclesiæ Sanctensis in Clivia, monstrante cœlo laneum habitum, eumque candidum assumpsit cum scapulari et caputio : nemo tamen nisi injurius eum discessisse dixerit ab ordine clericorum, quem correxisse, et ornasse palam est : sic beatus Dominicus mittens tunicam lineam, quam in ecclesia Oxonensi canonicus regularis gestaverat, ex conformitate vestis Præmonstratensium, (235) tantum in colore birri seu cappæ dissimilis, quæ nigra illi, nobis cum reliqua veste candida, nihil perdidit dignitatis pristinæ, nihil vitæ apostolicæ, quam potius insigni accessione adauxit.

De habitu quidem Præmonstratensium Matthæus Galenus quondam præpositus S. Amati ac cancellarius facultatis Duacensis, in libro De originibus monasticis, contendit eum præ reliquis propius ad primitivæ Ecclesiæ morem accedere, cum ait : *Ex iis quæ modo apostolica traditio subministravit nobis, facile cuique est perspicere hac quoque in parte ad originem suam accidere Præmonstratenses, quibus nihil ornamenti indumentive adest, quod eos non animi candoris, simplicitatis, ac puritatis admoneat : nisi quod frigus Germanicum, unde progressi fuere primum, non passum sit nudum lini usum, eumque suaserit sancto Norberto cum lana permutare. Nam quod quidam lineas vestes superinducant laneis interioribus, affectatius quam germanius esse videtur. Nam pallia seu togas extimas, ipsasque exomidas fuisse laneas, et harum vicem in æstibus illis Orientalibus nonnunquam æstate supplevisse, Philonis verba postremo loco ascripta palam arguunt.* Sic ille, qui tamen in eo non usque adeo placet, quod assumptæ vestis lanceæ causam nimis humilem, ac inferiori respectu admensam censeat. Sublimior multo fuit S. Norberti intuitus, ac defæcatior, quod utique habitus laneus convenientior sit pœnitentiæ, cujus præcones esse tam opere quam ore decet esse viros religiosos. Deinde quod vestis linea magis servanda videretur rei divinæ officiis, quia jucundius nonnunquam et gratius potest repeti, inquit magister Adamus (236), quod ad tempus contingit intermitti. Sic egisse filios Sadoch ac sacerdotes legis veteris describit propheta Ezechiel (c. p. XLIV), sic habet usus receptus Eccle-

(233) E nostris Chrysost. Vander Sterre in Vita S. Norberti lib. II, cap. 5; Pagius. Biblioth. lib. I, cap. 17. Ex Ordine S. Dominici Ferdinandus de Castilla lib. I, cap. 17. Fulco Tolos. Theod. de Apolidia B. Umbertus et fuse habentur apud Ribadin. in Vita S. Dominici, 4 Augusti, etc.

(234) In I Cap. statut. F. Prad.

(235) Cap. 12.

(236) Serm. 3, part. II.

Digitized by Google

siæ, optimus ac probatissimus omnium magister. Nec velim per omnia comprobari adinventiones Polydori Virgilii, ubi de Præmonstratensibus (237) : *Amiciuntur tunica alba, cum linea toga, sub candido pallio, quo potissimum a canonicis differunt.* Propius facit quod referente Clemente Reynero in suorum per Angliam apostolatu legimus (238) : S. Gilbertum anno 1148 ordinem de Sempringem sub duplici Regula fundasse S. Benedicti, sanctique Augustini, ut sanctimoniales et canonicos in eadem conjunxisse ecclesia, convenientibus disjunctos ædificiis. Ea quidem ratione, ut sanctimoniales ritu Cisterciensium, divinis laudibus sub Regula S. Benedicti vacarent; canonici vero albi ritu Præmonstratensium, sub Regula S. Augustini Deo servientes, sanctimonialium præsertim in spiritualibus, temporalibusque administrandis, curam gererent.

Ut autem redeamus a quo paululum digressi sumus, sciendum præterea est Præmonstratenses ac Dominicanos perpetuæ necessitudinis vinculum a principio intercessisse, quod renovari petierunt prædicatores Teutonici ad communionem precum et bonorum operum a Præmonstratensibus in conventu publico et generali habito Præmonstrati anno millesimo ducentesimo tricesimo tertio admissi. Conventionis litteras asserunt Miræus in Chronico Præmonstratensi, et Joannes Pagius in sua Bibliotheca. Unde et ea quæ commendat S. Thomas (239) princeps scholasticorum de cautela professionis apud aliquos religiosos, qua non tam Regulam ex voto servandam, quam secundum eam quasi ad exemplar, vitam proponunt instituendam, quo laqueum gravioribus peccatis præcidunt. *In aliqua tamen religione*, inquit, *scilicet ordinis fratrum Prædicatorum, transgressio talis, vel omissio ex suo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem; sed solum ad pœnam taxatam sustinendam, quia ad hunc modum ad talia observanda obligantur.* Quæ, inquam, in suis, et ibi, et alibi commendat S. doctor, canonicis Præmonstratensibus ex æquo convenire cuivis volenti attendere, levi opera occurret. Hic est tenor vetustiorum statutorum Præmonstratensium. *Institutiones quas in præsenti libro conscripsimus non ad culpam obligare transgressores intelligimus, sed ad pœnam, nisi aliqui eas transgredi præsumpserint ex contemptu. Excipiuntur tamen illa tria, quæ de substantia ordinis esse dignoscuntur.* Et mox : *Præterea ea, quæ de privilegiis, et statutis Romanorum pontificum inseruimus in hoc libro, non nostras institutiones, sed privilegia, et statuta sedis apostolicæ reputamus.* Atque illam præfationem (neque enim per totum codicem libet discurrere) hinc ferme verbotenus mutuatam Dominicani ordinis Patres etiam præ fronte suarum constitutionum exhibuerunt, eamdem nobiscum præfationem, eamque obligationis cautelam non aspernati.

Quin etiam, attestante nostro Becardo (240), eremitæ S. Augustini, quos vulgo nuncupant Augustinianos, suas item constitutiones ab iisdem verbis ordiuntur. Quibus conformis scripsit Joannes Pagius in sua Bibliotheca (241). *Sunt et aliæ quamplures religiosorum familiæ, et congregationes, ut fratrum Cruciferorum, de Mercede; eremitarum S. Augustini; canonicorum Sancti Salvatoris prope Florentiam, et pleræque aliæ, quæ Præmonstratensium nostrorum mores, constitutiones, statuta et ordinationes in omnibus (exceptis vestibus) imitantur et observant.* Sic ille. Certe de suis Cœlestinis, ut dictis auctarium accedat, hæc scripta reliquit Petrus Crespetius doctor Parisiensis (242): *Sed et cantum atque officium nos habemus ab Adamo, Præmonstratensi cardinali, devotissime editum, prædictæ solemnitatis ecclesiasticæ per omnem modum in modulamine conforme.* Atque hos veluti ramos quosdam non immerito quis dixerit palmæ Præmonstratæ cœlitus, exaltatæ in Cades, plantatæ secus salutarium decursus aquarum, dantis fructum in tempore quam utique honor sublimat, confirmat sanctitas, sapientia exornat, et viridantium ramorum decor fecundat. Ejusce nitore oculi aspectabat constitutiones nostras B. Umbertus (243): *Præmonstratenses pulcherrimas observantias, quasi quasdam cæremonias ad majorem Dei cultum pertinentes, addiderunt. Porro hæ observantiæ sunt ad majus meritum, quoad Deum; sunt servitia gratuita superaddita debitis. Et ad majorem fortitudinem contra hostes, sunt antemurale additum muro. Et ad majorem decorem quoad proximos, sunt varietas picturæ addita super albedinem. Item valent ad majorem calefactionem charitatis, sicut vestis : ad meliorem conservationem regulæ, sicut sepes circa vineam; ad majorem colligationem in bono, sicut duplicata cingula fortius ligant sellam.* Sic ille generalis magister ordinis atque asceta egregius.

(237) Lib. VII De invent cap. 3.
(238) In apostol. Benedictine in Anglia, lib. I, § 20.
(239) 2-2, q. 286, art. 9.
(240) In Annal., ad an. 1120. n. 74.
(241) Lib. I, cap. 17.
(242) In summa verb. Mariæ apud Miræum in chron Præmonstr. sub an. 1518.
(243) Tract. 4, collat. 11, Serm

Digitized by Google

PRÆFATIO

IN HOMILIAS SEU SERMONES SEQUENTES

MAGISTRI ADAMI

Dicti Anglici.

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

1 Summarium. — 1. *Litterarum inventio adminiculatur memoriæ.* — 2. *Earum utilis et necessarius usus.* — 3. *E suggestu proclamata jussus scripto committere.* — 4. *Diu avocatur ob parvitatis propriæ, ac invidentiæ alienæ respectum.* — 5. *Sui depressio, Patrumque ac Ecclesiæ doctorum sublimatio.* — 6. *Charitati suorum, atque auctoritati superiorum satisfacit.* — 7. *Nuncupat labores suos Ecclesiæ Præmonstratensis canonicis.* — 8. *Quos diligit sine fictione, recolens beneficia sine adulatione.* — 9. *Præstatio retributionis possibilis.* — 10. *Homilia centum per annum distributæ.* — 11. *Spiritualis et corporalis medici analogia.* — 12. *Scripta sua subjicit corrigenda.*

I. Inter cætera, o vitæ venerabilis viri, mihi in Christo dilectissimi, in quibus et sciendi, quæ antiquitus acta, vel dicta sunt, et retinendi quam maxime quæ sciuntur, vel materia vel occasio consistit, illud nimirum primum ac præcipuum est, quod in diversitate quæ sub sole linguarum sunt, notæ jamdudum inventæ sunt litterarum. Siquidem dum sine ambiguo constat, quod sicut ex litteris syllabæ, sic et ex syllabis dictiones, et ex dictionibus sunt orationes contextæ, quo major litterarum in nobis et evidentior notitia apparet : eo profecto consequenter in nobis et clarius contra ignorantiam scientia nitet, et firmius contra oblivionem memoria viget. Hinc quoque in primo Etymologiarum libro Isidorus dicit : *Litteræ autem sunt indices rerum, signa verborum, Quibus tanta vis est, ut nobis dicta absentium sine voce loquantur.* Et adjunxit : *Usus*, inquit, *litterarum repertus est propter memoriam variarum rerum; nam ne oblivione fugiant, litteris alligantur.* Et addidit causam ; *In tanta enim rerum varietate, nec disci audiendo poterant omnia, nec memoria retineri.*

II. *Litterarum necessitas.* Cum igitur res litteræ indicent, cum verba nihilominus signent, cum et earum tanta vis sit, ut sine voce quoque loquantur nobis absentium dicta, patet procul dubio quod earum sit necessarius usus, dum per eas apud 2 nos, quæ scire, non retinere volumus [*al.* valemus], alligantur, quæ solo auditu nec eruditio docere, nec memoria sufficit retinere.

III. *Sermonum scribendorum ratio.* Inde quidem est quod quorumdam nostrorum tam coæqualium prece quam superiorum præcepto fatigare quam sæpe parvitatem meam pulsando dignata est devotio ; ut quædam ex his, quæ ad ædificationem coram positorum antea dixeram tam illorum quam istorum litteris mandarem. Et hæc nimirum est causa [*al.* hac nimirum de causa], qua sunt, quæcunque scripta sunt, litteris mandata. Quatenus pariter videlicet et qui cum voce habere non possent præsentem, haberent quoque loquentem, etiam sine voce absentem. Et memoriæ nihilominus facile commendarent legendo sæpe repetita, quæ difficile in memoria retinere possent audiendo semel prolata.

IV. *Obstacula bina : primum exilitatis propriæ, secundum invidentiæ alienæ respectus.* Verum cum ita fuissem multoties tam prece, quam præcepto pulsatus, hinc rubore perfusus, hinc et timore concussus : hinc, inquam, super propria ignorantia erubescens, hinc quoque mordentes detrahentium linguas pertimescens, nequaquam omnino vel obsecrantibus acquiescere, vel jubentibus decrevi parere : sed tam illis diu quam istis resistens, nec illorum me permisi petitionibus flecti, nec istorum præceptionibus compelli. Ecce quippe tunc levius judicavi offendere benivolos non modo socios, sed prælatos, quam contra pusillanimitatem meam provocare malivolos. Quibus dum, qui dicit, displicet [*al.* qua dicit, displicent,] consequenter non æquo judicio et quod dicit, non placet. Nec honori esse possunt, quæ percipiuntur auribus verba, quando vilescit, quæ oculis cernitur, persona. Cumque acuto linguæ cædant gladio, quod coram est prolatum audiunt : sed multo nonnunquam crudelius in id debacchantur, quod exaratum in charta deprehendunt. Dum vero livoris intrinsecus malitia torquentur, magis ubi eis reprehensionis quam ædificationis patere possit occasio rimantur : qua videlicet ædificatione mediante instruantur quanquam [*al.* quam quid *vel* quamque] illud salubre sit, quod eos et a malo retrahat impetuosos, et ad bonum excitet pigros.

V. *Sui ipsius præ Patribus orthodoxis submissio.* Non solum autem, sed calamum arripere et propriæ quoque dissuasit aliquandiu conscientia ignorantiæ : quia dum in tantum superabundant vitales ac prædulces Patrum orthodoxorum deliciæ,

Digitized by Google

erubui, nec immerito, illis, qui ad eas non tam crebro quam jugiter sedent, insipidum meæ paupertatis olus apponere, et inter torrentes limpidissimos lutosam paludem meam propinare. Quis enim id, nec injuste, non omni censeret subsannatione dignum? unum quippe ac idem foret ac si talpa suffodiens, et cæca magis quam cæcata aquilæ se ingereret volanti, ut soli cum ea radiis non intuens inferret obtutus. Quod mihi in sentiendo acumen, quisve nitor in proferendo, quæve in conversatione perfectio, ut quidquam apponendum delicatis ac copiosis in deliciis suis de sacco meo cilicino præsumerem? Hoc autem eorum proprie proprium est, qualis non sum egó : quos et prædivites reddit aurum in acumine ingenii, et claros argentum in nitore eloquii, et ornatos lapides pretiosi in vita laudabili. Sed talis ego non sum. Sed pauper, obscurus et indecorus, utpote cui deest et profunditas sapientiæ, et fulgor eloquentiæ, et meritum vitæ. In his itaque et hujusmodi excusatio mea, nec petitiones ad exaudiendum admittens [*al.* admittit], nec præceptiones ad implendum complectens [*al.* complectitur].

VI. *Superat et præcipientis auctoritas et petentis charitas.* Cæterum sicut aliquando fortassis excusare me decuit, sic procul dubio semper recusare mihi non licuit, quia non minus damnabile hoc obstinationis, 3 quam istud indicium probabilis foret humilitatis. Id quippe dedit tolerabile exorati ac jussi humilitas; hoc autem procul pellere habuit et charitas petens, et auctoritas jubens. Ita quoque per omnia factum est. Magisque judicavi cruentas in me detrahentium admittere manus, quam voluntatibus eorum resistendo vel sociales erga coæquales, vel filiales erga superiores non habere affectus. Attractus igitur et devictus, jactansque cogitatum meum in Domino, applicare cœpi studio animum, et calamo manum (*Psal.* XLIV, 2), et quæ interim pro temporis congruentia, ac loci opportunitate occurrere poterant litteris, tam quæ in publico antea dixeram, repetens, quam quæ necdum coram dixeram superaddens expressi, et expressa vestræ potissimum charitatis sinceritati transmisi.

VII. *Nuncupatio operis, et suiipsius.* Vobis utique, vobis, inquam, o viri reverendi sinceræ dilectionis ulnis in Christo complectendi, hoc specialiter opusculum dignum duxi destinandum, quos inter famulos Christi universos, sicut dignum et justum est, in ipsius complector visceribus, mihi tenere et insolubiliter contrictos, quos et sanctarum unitor mentium Patris et Filii, et Spiritus sancti unus idemque cum eis Deus, compage veri amoris indeficienti, meo in se spiritui concessit esse unitos, vester [*al.* vestrum] ex toto esse desidero, si quid in verbo Dei valeo; imo si quid mihi datum est in aliquo exercitio spirituali, quod esse possit ædificationi. Accipiat igitur sinceritatis vestræ dulcedo munus istud, omnino quidem exiguum, non exigua tamen dilectione transmissum; nullatenus æstimans, quod id valde vobis putem necessarium; sed ut ex transmissione conjiciat, atque perpendat; quem qualemve erga vos habeam in Domino affectum. Totus quippe semper, et ubique, et ad omnia inquantum et scientia nosse, et facultas contulit posse; in Christo vester sum, si quid tamen sum. Vester utique; vester, inquam, in obsequio famulus, in beneficio obnoxius, in eruditione discipulus, in adoptione filius, in pace catholica socius, in dilectione amicus; in ipso denique, qui Dominus est dominantium, conservus. An istud quis asserat magnum, quod me ex toto assero vestrum? Ego autem non contradicerem: si ipse magnus essem. Nunc vero non me existimans esse aliquid, cum nihil sim, ne ipse me seducam (*Gal.* VI, 3), sed potius sciens quid desit mihi, non magni aliquid me agere deputo, etiam cum me ex toto ad amandum colligo; qui me tantillum et talem, a tantis ac talibus, tantum ac taliter amari non ignoro.

VIII. *Dilectio sine fictione, et beneficiorum recognitio sine adulatione.* Cogitans siquidem apud me et recogitans, volvens ac revolvens, in quanto, et quali me in Domino complectamini affectu, dum hinc me prævideo tam indignum, hinc autem tanti apud vos habitum: super inæstimabili hac dilectione vestra erubesco, fateor, obstupescens, et ob stupesco erubescens. Neque enim in corde, et corde, sed coram Deo, in Christo, loquor: *Testimonium mihi perhibente conscientia mea, in Spiritu sancto* (*Rom.* IX, 1), quem in veritate video, qualemque me ore confiteor, talem et in corde intueor; vilem me faciens, et in oculis nihilominus meis humilis existens. Sed nec ad lingendum linguam mihi assumo caninam in recordatione ac confessione eorum, quæ mihi a vobis tam copiose collata sunt beneficiorum, agendo gratias vocem laudis emittens. Non autem [*al.* inquam] oleo vestrum caput impingue, succum adulationis admittens. Quis itaque ego, aut qualis ego, vel quæ domus patris mei (ut quidam ait [*II Reg.* VII, 18]) in Israel, ut mihi talem, quam fructuosis comitantibus affectibus, et quidem copiosissime vestra in domo universitas sinceræ 4 largiatur dilectionis affectum? Quis majorem, quam ego, invenit gratiam in oculis omnium vestrum? et, ut aliquid amplius addam: quis etiam tantam? et quidem ita esse clamitare non cessat devotio universitatis vestræ, in eo quod parvitatem meam, et tam hilariter suscipit ad se venientem; et tam pie tractat apud se commorantem, et tam invita dimittit a se recedentem. Quando enim non de ejus causata est absentia, hilaris effecta de præsentia, sicut lætata de accessu, sic et contristata de discessu?

IX. *Quæ condigna beneficiorum retributio.* Reddat vobis Dominus vicissitudinem [*al.* vicem] hanc, in cujus conspectu capilli etiam electorum suorum ad remunerationem, et numerati sunt. Nam ut condignam ego vobis remunerationem impendam, longe superexcedit pauperiem meam, nisi forte ad

Digitized by Google

rependendam in aliquo vicem, etsi valde modicam, suffragrari aliquatenus possit plena quam mihi scio non deesse, charitatis impensæ et cognitio in corde, et confessio in ore. Scio namque et fateor me debitorem, scio nihilominus et fateor me condignum non esse posse redditorem : non ignorans quidem esse multum per omnem modum, quod a me acceptum est, sed et quia [*al.* id *vel* illud] quod rependatur, apud me nihil est. Nec id profecto ad dispendium vestrum, quia eo vobis uberius largitor reddet, ac remunerator omnium bonorum, quo plus illi, pro ejus nomine, contulistis, qui nihil habet quod reddat vobis. Unde et ejus ad quemdam in Evangelio exhortatio est, hunc habens modum. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte et ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium voca pauperes, ac debiles, cæcos, et claudos : et beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur autem tibi in resurrectione mortuorum* (*Luc.* XIV, 13 et 14). Erit autem in eadem resurrectione et retributio vestra, quia et illi bene fecistis, qui non habet reddere vobis. Utpote quem et egestas spiritualis efficit pauperem ; et concupiscentia carnis debilem, et caligo ignorantiæ cæcum, et desidia in bono opere claudum. Sed de his hactenus sileamus.

X. *Liber homiliarum complexus sermones centum et distributio illarum.* Librum autem istum sermonum sive homiliarum, quem vobis in indicium debitæ dilectionis, qua vestræ in Domino complector dilectionem universitatis, transmitto : ea quæso a vobis dignanter devotione suscipite [*al.* dignetur devotio suscipere], qua eum vobis a me scio destinari. Sed et hoc quoque precibus meis coram sinceritate charitatis vestræ flexis genibus mentis superaddo, quatenus si quid in eo, ad ædificationem pertinens, vestra sagacitas invenerit, ita approbet, ut si quid nihilominus ineptum quoque, et aliter se habens deprehenderit, nullo modo inemendatum relinquat. Sic enim volo, ut si quæ in aliquibus opusculis vel studiis parvitatis meæ recta sunt, a sinceritate dilectionis vestræ comprobentur, ut et quæ distorta sunt, ad vestrum examen corrigantur. Ab Adventu vero Domini exordium sumens et per festiviores dies transcurrens, quædam ex his quæ jam in audientia dixeram, excerpsi. Quædam vero, quæ necdum coram dixeram, superaddidi : et centum sermones, prout potui, composui. Sunt autem a prima Dominica in Adventu Domini usque ad vigiliam natalis Domini decem et octo sermones. In ipsa vigilia quatuor ; in die Natalis Domini sex ; in die Sancti Stephani protomartyris quatuor ; in die Sancti Joannis apostoli et evangelistæ unus ; in die sanctorum Innocentium tres ; in Dominica infra octavas Nativitatis Domini quatuor ; in die Circumcisionis duo ; in die Epiphaniæ Domini duo ; in Dominica secunda post Epiphaniam Domini, tres ; in capite jejunii feria quarta unus ; 5 in Dominica Palmarum unus ; in cœna Domini unus ; in festivitate Paschali quatuor ; in hebdomada tertia Paschæ, feria secunda in synodo unus ; in sequenti feria tertia in eadem synodo unus ; in die Ascensionis Domini unus ; in festivitate Pentecostes sex ; in octavis ejus unus ; in dedicatione Ecclesiæ unus ; in Electione cujuslibet prælati unus. Post hos autem sermones sunt et alii, qui specialiter ad viros spectant religiosos quatuordecim, quibus succedunt viginti in festivioribus natalitiis sanctorum.

XI. *Ecclesiastes est instar medici herbas salubres quærentis.* Si qui vero sunt lectores, quibus non placet, quod tanta quidam sunt prolixitate extenti, quod et mihi quoque plurimum displicet ; ad memoriam quæso, revocent quod, qui multa ob ædificationem audientium proponit, non semper quando voluerit convenienter ac decenter proposita terminare poterit. Sermo quippe decurrens non valet detineri. Sane contingit quam sæpe, quod cum medicus aliquis ut herbas quærat salubres, longe lateque vagatur in silvis, quarum viribus, quos suscepit curandos, succurrere possit ægrotis : longa in eis mora detinetur, et nimis sero nonnunquam cum disco ad aperta plana egreditur. Ut tunc nimirum quam maxime, cum earumdem silvarum longius se densitas extendit, et ad inveniendum, quæ diligenter quæruntur, herbarum se copia præbet, quarum collectioni eo se mora longiore medicus impendit, quo suorum sanitatem ægrorum amore ferventiore exoptat. Nonne medico valet convenienter assimilari, qui ut animarum medeatur languoribus, cum vitæ merito prædicationem divini susceperit verbi ? et quid aliud herbæ salubres in densitate silvarum, nisi sententiæ spirituales in profunditate Scripturarum ? quibus profecto perscrutandis eo nonnunquam morosius prædicator intendit, quo et Scripturas sacras, de quibus tractat, mediante infusione spiritus, et acumine intellectus, profundiores invenit ; et ædificationem audientium, quos Christo desiderat lucrari, pia intentione sollicitius quærit.

XII. *Subjectio ad correctionem.* Nec idcirco ista dixerim, quia tædiosam horum sermonum prolixitatem reprehensione indignam asserere velim ; sed hoc quoque in eis juste reprehendendum sicut et alia, quæ in eis digna fuerint reprehendi ; ad vestrum volo arbitrium corrigi, ut quos nimium prolixos judicaveritis ad competens et aptum compendium redigatis. Et, ut breviter dicam, sicut justissima ego sum dignus reprehensione animadverti, qui non scribenda temere scripto digessi ; sic et vos, ut pace vestra dixerim, laude in hoc digni non eritis, si quæ in eis corrigenda sunt, emendare neglexeritis, dum eos vestræ offero et diligentiæ perscrutandos, et peritiæ corrigendos. Id quidem solum in eis habiturus per omnia ratum, quod justum vestri examinis acceptaverit arbitrium. Singulorum vero titulos et causas præfa-

Digitized by Google

tione ista finita propono, ut cum aliquis, quæ sit uniuscujusque materiæ, de qua tractat, scire desiderat; statim absque singulorum revolutione, reperire queat. Orantem pro nobis religiosam universitatem vestram gratia sua atque misericordia Redemptor noster, et redemptio, sacerdos et hostia, emptor et pretium Dominus Jesus a cunctis malis protegat: sanam semper et ubique, et incolumem custodiat, et ad beatam atque beatificantem suam, in futuro visionem feliciter perducat. Amen.

ADAMI PRÆMONSTRATENSIS

SERMONES.

SERMO PRIMUS.

DOMINICA PRIMA IN ADVENTU DOMINI.

De nominibus Christi, et quomodo ei adventanti occurrere debemus.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Salvatori venienti obviam occurrendum ex Invitatorio officii divini; hoc tempore cantari soliti. — 2. Cui, a quibus, et quo modo occurrendum. — 3. Commendatur fervor spiritus: tepiditas arguitur præ quadam frigiditate. — 4. A divinis officiis omne tædium atque instabilitas mentis aut corporis arcenda. — 5. Deficiendi periculo exponitur, a quo proficiendi voluntas deponitur. — 6. De sex nominibus Deo attributis. — 7. Mirabilis, in creatione præsertim hominis expenditur. — 8. In imaginem Dei non est inducenda similitudo pecorina. — 9. Cur dictus consiliarius. — 10. Item Deus, et fortis. — 11. Amicus et Pater futuri sæculi. — 12. Princeps pacis et Salvator. — 13. Vocatus Filius Dei. — 14. Deus et homo Emmanuel.

I. Jam instat salubre, o dilectissimi, tempus, quo decet unumquemque nostrum cursoris officio fungi. Hoc siquidem continere videtur vox illa commonitoria, qua nocte hac, in ipso vigiliarum exordio, alter alterum excitastis, quando non modo colloquendo per verbum, verum etiam ad exprimendum internam animi alacritatem, et concordiam sonando concorditer per cantum, dixistis: *Occurramus obviam.* Et quidem admonitio valde salubris quam nimirum non diffitemini et vos, si diligenter advertitis, cui. Nam cui, nisi *Salvatori nostro*, de quo incontinenti addidistis? præmisistis et causam, quando aistis: *Ecce venit Rex. Ecce*, verbum est non solum demonstrationis; sed admirationis, nonnunquam et exsultationis. Et quidem cum lætitia mista, et cum admiratione læta suscipiendus hic Rex. Et utrumque debet habere, qui fructuose huic occurrere voluerit Salvatori. Occurramus itaque venienti.

II. Venit namque Creator et Magister; venit Dominus et Rex; venit Amicus et Sponsus: venit Salvator et Filius; venit etiam Deus et homo. Si ergo ita est, imo quia ita est, occurrat plasma Creatori, Magistro discipuli, occurrant Domino servi, milites Regi, occurrant Amico consortes, Sponso paranymp'i, occurrant Salvatori captivi, filio cohæredes. Occurrant denique homini quidem homines, mediante homine Deo, deificandi. Occurrant, inquam, sed cum mentis devotione, sed cum fervore spiritus. Idcirco fortassis commonuistis vos invicem, non quidem ut eatis, sed ut curratis. Ire namque etiam piger quilibet nonnunquam valet, currere vero semper festinantis est. Dignum plane et justum est ut curramus, quia cui occurrendum asserimus, magis cucurrit quam ivit. Nos ergo occurramus ei, quia et ipse prius cucurrit propter nos. Qui enim vidit testimonium perhibuit, quia *exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII, 7). O hilarem, o fortem, o ferventem! Siquidem in exsultante latitudo cordis, in gigante fortitudo operis, in currente fervor spiritus notatur.

III. Occurramus eo modo ei, quo ipse propter nos cucurrit, ut simus videlicet hilares datores, quia tales diligit Deus. Simus *stabiles, et immobiles, abundantes in omni opere Domini semper, quia talium labor non est inanis coram Domino* (*I Cor.* XV, 58). Simus spiritu ferventes, quia qui tepidus est, incipiet eum evomere ex ore suo (*Apoc.* III, 15); *Amen, testis fidelis et verax, qui est principium creaturæ Dei* (*Apoc.* XIX. 11). Hæc ideo, dilectissimi, dico, quia multum displicet Deo in quolibet religioso tepor spiritus. Cum enim sint quidam frigidi per culpam, quidam calidi per justitiam, quidam vero tepidi per negligentiam, magis tamen æquanimiter toleratur a Domino, in Angelo Laodiceæ, frigus quam tepor. Quia licet non tam mali 7 esse videantur, qui tepidi videntur stare in bono, quam sunt illi, qui frigidi jacent in malo: plerumque tamen inflante illo igne, quem Dominus venit mittere in terram (*Luc*, XII, 49), frigidi quidem accenduntur; et accendi nolentes, ab ore Domini tepidi evomuntur. Item a gratia projecti excluduntur, et exclusi ejiciuntur.

IV. Pertimescant igitur qui corde arente et tædente opus spirituale, et maxime qui divinum in Ecclesia exercent officium. Quia non modicam illis propheta vindictam intentat, qui opus Domini fraudulenter faciunt (*Jer.* XLVIII, 10), et desidiose. Omne quod agitis opus, spirituale est, et pro omni exspe-

Digitized by Google

ctanda et expetenda retributio spiritualis. Et ideo sive in opere manuum, seu in officiis ecclesiasticis, seu in aliquo, quod ad Deum pertinet, negotio fueritis, abjecto tepore noxio, renuntiata ex toto omni levitate corporis, et pro posse etiam instabilitate mentis: in habitu et gestu, in statu et incessu, in omnibus denique motibus vestris, tam exterius quam interius, nihil fiat quod divinum, vel angelicum vel humanum offendat aspectum (sed quod vestram, ut beatus vos Pater vester admonet Augustinus (244), deceat sanctitatem), ut in omnibus exhibentes vos fideles et prudentes, sollicitos et devotos, ipsum in futuro habeatis remuneratorem, quem modo agonis vestri habetis inspectorem. Ipsos etiam modo apud illum habeatis adjutores, quos habetis et testes.

V. Recalescat itaque in vobis animus, ferveat spiritus, et quæ retro sunt, non solum relinquentes, sed et obliviscentes; in ea, quæ ante sunt, extendite vos (*Philip.* III, 13). In conversatione namque spirituali non proficere quodam modo deficere est. Et ut sanctorum aliquis dicit: *Ibi deficiendi incurritur discrimen ubi proficiendi appetitus deponitur*, scitote quia non eum admittit Dominus in gratiæ suæ sinum, quem in opere suo invenit indevotum. Evomit ex ore suo, quem sentit tepidum, excludit ab augmento muneris sui, quem suo cernit intendere obsequio, ex usu magis, quam ex affectu. Omni enim habenti bonum desiderium dat, ut abundet: ab eo autem qui non habet, et quod videtur habere, aufertur ab eo (*Luc.* VIII, 18). Non solum itaque eamus, *sed curramus obviam Salvatori nostro*, sicque curramus, ut apprehendamus. Quasi enim duo in itinere spirituali pedes sunt incedentis, fervor boni desiderii, et stabilitas perseverantiæ, ut non desit ei qui currere voluerit non in incertum, et qui accipere voluerit bravium, tam perseverantia ardens, quam ardor perseverans.

VI. Vocatur itaque, qui ad nos venit, cui et occurrere debemus: Creator et magister, Dominus et Rex, amicus et Sponsus, Salvator et Filius Dei, et est idem Deus et homo. Et videte ne forte hæc ei nomina et in Scriptura sacra assignata sint. *Vocabitur*, inquit Isaias, *nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis* (*Isa.* IX, 6). Nomen primum pertinere videtur ad Creatorem, secundum ad magistrum, tertium ad Dominum, quartum ad regem, quintum ad amicum, sextum ad Sponsum.

VII. Cum enim in omnibus, sine ulla exceptione, mirabilis sit, maxime quoque in creatione nostra mirabilis apparet. Quod ipse profecto evidenter creatio ostendit a mirabili tam mirabiliter celebrata, ut mirabilis sit non immerito et ipsa. Quis enim digne mirari sufficit, quod hominem condens spiritum simul conjunxit et linum? et corpus quidem de materia præjacente formavit, id est de terra; animam vero de nihilo, ad imaginem tamen et similitudinem suam. O admirabilis plasmatio corporis humani! quam admirabilis et inspiratio vivificatoris et inhabitatoris illius spiritus, videlicet rationalis! Insignivit spiritum gemino munere, illuminans eum, et afficiens: in uno clarificans eum, ad agnitionem veritatis, per intellectum: in altero quoque inungens eum ad amorem virtutis per affectum. O intellectum, quo radiante claret electio veri: et affectum, quo inungente sapit dilectio boni! dono quoque gemino ditavit et corpus: sensibus illud exornans, et in distributione membrorum ejus, ædificationem spiritui præparans. Unum ad usum bonæ actionis, aliud vero ad fructum internæ instructionis. Unum, quo oculis confertur ut videant, auribus ut audiant, naribus ut olfaciant, faucibus ut gustent; cæteris vero membris, et maxime manibus ut tangant, quatenus inhabitator ille invisibilis a foris hauriat, et introrsum sorbeat, quæ quolibet modo 8 formata sunt per visum, quæ sonora sunt per auditum, quæ olent per olfactum, quæ sapiunt per gustum, quæ palpabilia sunt per tactum. Ipsa vero membrorum distributio non modica eidem spiritui instructio est. Et maxime quod solis pedum plantis terram contingentibus, sursum homo uniformiter præ cæteris animantibus erectus est. Unde et gentilis quidam ait:

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

OVID. I Met.

VIII. Considera itaque, o spiritus, quem lumen rationis clarificat: considera, inquam, in jumento tuo, cui more equitis præsides, quem præsis more aurigæ, qualem te debeas exhibere. Erigere ad superna, desere terrena. Pudeat te, o homo, in ea parte, qua ad Dei similitudinem creatus es, similitudinem inducere pecorinam. Paucis adverte, abjectis cœlestibus, terrenis enerviter incumbere, quæ in imo sunt quærere, quæ super terram sunt, sapere, similitudinem pecorinam induere [*al.* inducere] est. Econtra vero terrena utiliter expendere, eisque frui nolle: districte autem uti velle, quæ sursum sunt quærere per effectum, quæ sursum sunt sapere per affectum: inferioribus solummodo possessis ad usum, supernis desideratis per propositum, quasi solis plantis pedum terram contingentibus, toto corpore elevato, caput ad summa erigere est. Cum igitur anima rationalis, et caro unus homo sit, in illa veritatis fulget agnitio, et virtutis ardet dilectio; in hac vero sic ad externam sensus adsunt necessitatem, ut ipsæ variæ membrorum distributiones ad internam non desint instructionem.

IX. En quomodo admirabilis hominis creatio admirabilem clamat hominis Creatorem. Qui vero magister est, consiliarius est; et qui singulariter omnium Deus, specialiter est omnium Dominus. Nonne, teste Isaia, vocatur nomen parvuli, qui natus est

(244) In Reg. cap. 6.

Digitized by Google

nobis, *Consiliarius et Deus?* et idem in Evangelio : *Vos*, inquit, *vocatis me magister et Domine, et bene dicitis : sum etenim* (*Joan.* XIII, 13). Quia, qui verba vitæ accepit dare nobis, consilium gessit magistri, sive magisterium consiliarii : et qui solus disponit omnia suaviter ; solus etiam exercet dominium Dei.

X. Ipse nihilominus Rex noster, ipse et Fortis noster : *Attingens a fine usque ad finem fortiter* (*Sap.* VIII, 1). Rex qui attingit a fine ut Rex magnus, et sine ulla contradictione usque ad finem exercens plenam potestatem in regno suo. Fortis, quia et fortiter attingit. Nonne, sicut audivimus, ita et videmus, quod juxta vaticinium Jeremiæ : *Ipse regnat Rex, et sapiens est, faciens judicium et justitiam in terra?* (*Jer.* XXIII, 5) et fortem nihilominus armatum devincens ; ejus quotidie arma aufert et spolia distribuit? (*Luc.* XI, 21.)

XI. Cujus, quæso, magis amicus exstat quam ejus, quem per prædestinationem ad futurum sæculum generat? Quod bene sensit ille, qui ait : *Omnis, qui natus est ex Deo non peccat, quia generatio cœlestis servat illum, et malignus non tanget illum* (*I Joan.* V, 18). Omnino non peccat, qui ex Deo natus est, quia si quæ deliquisse videretur in tempore, non apparent in æternitate : pro eo quod charitas Patris ejus operit multitudinem peccatorum suorum (*I Petr.* IV, 8). Ut idem ipse et amicus sit, vel a peccatis, ne committantur, eum conservando, vel jam commissa ex toto remittendo, qui ei Pater est, ad futurum sæculum prædestinando.

XII. Et quis alius princeps pacis est, nisi pax nostra, faciens utraque unum? (*Ephes.* II, 14) cujus jam instat tempus, quo venit nuntiare pacem his, qui prope, et his qui longe fuerunt, qui unam sibi ex utroque populo ecclesiam conjunxit, qua *circumcisionem* justificans *ex fide, et præputium per fidem* (*Rom.* III, 30), fecit ut mons Sion et latera aquilonis una sint civitas, cujus ipse Rex magnus est (*Psal.* XLVII, 3). Quod vero nomen ejus Salvator sit, testatur nativitatis ejus nuntius Gabriel, qui matrem ejus alloquens ait : *Et vocabis nomen ejus, Jesum.* (*Matth.* II, 21). Addidit et causam : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*ibid.*). Nomen profecto ex re portat, quia id operatur, quod vocatur. Qui dictus est Salvator, operatur *salutem in medio terræ* (*Psal.* LXXIII, 12). Hic est noster verus David, in cujus manu salvat nos Deus Pater de manu Philistinorum, interficiens in manu ejus Goliath de Geth (*I Reg.* XVII, 22). Qui onustus utpote non vacuus, sed plenus gratiæ et veritatis, commendato grege custodi, venit ad fratres suos, qui contra eum pugnabant (*ibid.*, 20). Dimittens videlicet nonaginta novem oves in deserto, abiit quærere illam, quæ perierat (*Matth.* XVIII, 12), quam inventam humerisque impositam reportavit domi, caput Gethæi ferens in Jerusalem.

XIII. Quod autem Filius Dei vocetur, quid lucidius eo, quod Angelus ait : *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei?* (*Luc.* I, 35.) Et bene non sanctificatus quasi de præterito, nec sanctificandus quasi in futuro, sed jam sanctum. Quia qui venit ad nos per Virginem, nec peccato aliquo exstitit pollutus, quod contraxit conceptus, nec polluendus aliquo, omni postmodum tempore inter homines conversatus.

XIV. Deus et homo est. Et sic vocatur, attestante propheta, qui dicit nomen filii Virginis vocandum *Emmanuel*, quod exponens Evangelista : *quod interpretatur*, inquit, *nobiscum Deus* (*Isa.* VII, 14; *Matth.* I, 23) : si nobiscum Deus Emmanuel, cum quibus ipse est Deus, nisi cum hominibus, id est cum illis, quorum unus erat, qui hoc dicebat? quia et ipse homo erat. Nobiscum Deus, et ubi nobiscum? nobiscum in nativitate ; nobiscum in ipsa carnis corruptione, sine carnis pollutione ; nobiscum in ipsa morte. Nobiscum, ut breviter dicamus, quod naturaliter sumus nos. Quod audis Deus : in æternitate, est ex patre sine matre; quod audis nobiscum in tempore, est ex matre sine patre. Venit itaque Creator, admirabilis, magister, consiliarius : occurrat ei plasma suum, et discipuli. Venit Dominus Deus, et fortis Rex : occurrant ei servi et milites. Venit Pater, amicus, et Sponsus pacificus : occurrant ei consortes et paranymphi. Venit Salvator, Dei Filius, idemque Deus et homo occurrant ei captivi, ab eo redimendi, homines per assumptum ab assumente deificandi, qui est Deus super omnia benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

ITEM DOMINICA I IN ADVENTU DOMINI.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Creatura occurrat Creatori. — 2. Magistro discipuli. — 3. Et domino servi. Nam ipse Dominus, nos servi. — 4. Timor Domini præcurrit amorem. — 5. Regi occurrant milites, et quæ pugna spiritualis. — 6. Amici occurrant amico, et in quo se probarit vere amicum. — 7. Expenditur ardor dilectionis in Christo. — 8. Nomen amici cæterorum origo et terminus. — 9. Amor reciprocus exhibendus, et quomodo. — 10. Deus in tribulatione fidelis et misericors.

I. Venit, dilectissimi, Creator; occurrat et plasma suum. Devotas ei, pro primo, quod ei contulit, esse, gratias agens : ex intimis cordis medullis clamans [*al* clamet] : *Ipse fecit nos, et non ipsi nos* (*Psal.* XCIX, 3). Gratias tibi, æterne rerum Conditor, quod fecisti me, quia nullatenus faceres, nisi diligeres. Nam quare fecisti me, nisi quia magis esse quam non esse voluisti me? Quid minus vel tu dare, vel ego accipere potui? et tamen nisi hoc primitus daretur ; nihil postmodum adderetur : nec nisi mediante pariete, tectum in domo superponeretur.

II. Occurrant magistro discipuli, aures offerentes, audientes, et quæ addiscimus opere implere studentes. Ecce de auditorio Magistri nostri intonat auribus nostris vox illa salubris, qua dicitur : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Intonat et illa : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (*Joan.* XIII, 34). Hæc itaque, et alia in hunc modum præcepta, ac lex vitæ et disciplinæ. Hæc salutis consilia quando avide audiun-

Digitized by Google

tur, audita intelliguntur, intellecta memoriter retinentur, retenta effectui mancipantur, profecto a discipulis Magistro occurritur.

III. Sed et Domino occurrunt servi, si timentes a facie ejus, præcepta ejus implent; prohibita devitant, ne asperrimos minarum ejus effectus incurrant. Pavere, namque servorum est, et sub Domini virga tremere : *Qui eis metuentibus significationem dat, ut fugiant a facie arcus* (*Psal.* LIX, 6). Audistis quia dictum est antiquis : *Ego Dominus* (*Levit.* XVI, 19). Frequenter, ut scitis, quando præcepta promulgabantur, a promulgatore, terribiliter intonari solebat : *Ego Dominus*. Et quid esse putatis, datis sanctæ Regulæ institutis, statim dicere : *Ego Dominus*, nisi hoc quod aperte datur intelligi, quia, qui auditoribus institutionis est promulgator, idem ipse transgressoribus pœnarum erit inflictor.

IV. Sic sic omnino expedit eis, ut eos interim timor deterreat, et terror concutiat, quousque in libertatem amoris currere possint. Horum gessit personam qui terrorem Domini aspiciens, eumque alloquens ait : *A facie manus tuæ solus sedebam, quia comminatione replesti me* (*Jer.* XV, 17). Jeremias hic erat, futuram videns percussionem, nisi devitaret transgressionem. Alius quoque eodem spiritu timoris Domini repletus : *In me*, ait, *transierunt iræ tuæ et terrores tui conturbaverunt me* (*Psal.* LXXXVII, 17). Hoc est dicere; 10 præsentia tua flagella valde quidem gravia sentio, et adhuc graviora in futurum formido. Sanctus etiam Job : *A facie*, inquit, *ejus turbatus sum; et considerans eum, timore sollicitor* (*Job* XXIII, 15). Et item : *Semper, quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, et pondus ejus ferre non potui* (*Job* XXXI, 23). Hi itaque cæterique eis similes sancti, terrorem ejus perspicientes, eum ut Dominum timent, et ad cordis contritionem et spiritus humilitatem confugientes, de meritorum suorum qualitate diffidentes, missa legatione quæ pacis sunt, postulant.

V. Rex etiam Dominus noster Christus, quem humilitatis diademate Virgo Mater coronavit (*Cant.* III, 11). In quem, ut oculo cum imitationis videant : de sensu et affectu carnis, ad contemplationem, et amorem spiritus, egredi jubentur filiæ Sion. Hic pugnavit contra mundum, contra diabolum dimicavit, et expugnavit utrumque. Siquidem illum devicit : hunc autem foras ejecit. Occurrant itaque Regi suo hoc modo pro eis pugnanti milites sui, nec habeat necesse dicere eis : *Vos fugam capitis et ego immolari vado pro vobis* (*Joan.* XVI, 32). Et illud : *Vos dispergimini unusquisque in propria, et me solum relinquitis* (*ibid.*, 32). Et quid est unumquemque nostrum dispergi in propria, et illum solum relinquere, nisi singulos nostros in peccata nostra, quæ eo nobis sunt propria, quo et a nobis perpetrata, dividi? et ipsum Dominum in sanctitate imitari nolumus, quando solum esse permittimus. Sed imitentur Regem suum milites strenui in pugna hac, resistentes mundo blandienti, per temperantiam; adversanti, per patientiam; hosti vero illi versipelli occulte suggerenti resistant, per prudentiam, aperte sævienti, per justitiam. Non alliciat, non frangat et vincitur mundus blandiens, et terrens. Non seducat, non corrumpat : et prosternitur adversarius occulte consulens, et aperte irruens. *Sint oculi vestri*, o milites sapientes, *in capite vestro* (*Eccle.* II, 14). *Si in mundo pressuram* habetis, *confidite, quia* ipse vicit *mundum* (*Joan.* XVI, 33): *et si vos odit, scitote, quia ipsum priorem odio habuit* (*Joan.* XV, 16), nisi forte majores illo estis, et a facie principis ejusdem mundi, quid formidatis? Sperate in eo, *in quo non habet quidquam* (*Joan.* XIV, 30); et superabitis. Certate legitime, ut coronemini (*Rom.* VIII, 17). *Laborate sicut boni milites Christi Jesu, si enim compatimini, et conregnabitis* (*II Tim.* II, 3), hoc est, si bonos cum illo, et propter illum vos exhibueritis milites : beatos vos et ipse secum constituet reges.

VI. Non ambigo multis vestrum datum per experientiam sentire, quod Dominus Jesus amicus vester sit. *Charitas enim diffusa est in cordibus vestris, per Spiritum sanctum qui datus est vobis* (*Rom.* V, 5). *Ipse*, inquit, *Pater amat vos, quia vos me amastis* (*Joan.* XVI, 27). Vox hæc Filii est. Sed quis dicere audebit, quod Pater amat amantes Filium suum; ipse autem Filius non amat amantes seipsum? Et ubi est illa veridica Filii promissio, quam ad consolationem dilectorum suorum contulit : *Qui*, inquit, *diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum?* (*Joan.* XIV, 21) Quomodo aliter verum esset quod alibi dicit : *Ego diligentes me diligo?* (*Prov.* VIII, 17.) Quod amicus vester sit, ex amore considerate, quem vobis impendit, si enim alia de causa quis amicus dici non potest, nisi quia amat; quis nobis amicus melior isto? Quis etiam tam bonus ut iste, qui nos tantum amavit? Quod si amatis et vos, quid tamen hoc ad amorem ejus, qui ex eo nimirum in amore succumbitis, quod prius, et plus diligit quam vos? Quod si probatio dilectionis, ut vulgo dicitur, exhibitio est operis : quid sublimius isto? amorem quem habuit, opere ostendit. Scriptum de eo est : *Qui dilexit nos, et lavit nos* (*Apoc* I, 5). Quia dilexit, ideo lavit, quoniam nisi dilexisset, nunquam lavisset. Causa igitur ablutionis subsequentis, fuit magnitudo dilectionis præcedentis, quia idcirco officio functus est abluentis, quia personam induerat diligentis. Et a quibus nos sordibus lavit? a peccatis nostris. Et in qua ablutione? in sanguine suo.

VII. Aperite, obsecro, oculos spirituales; et perspicite celsitudinem gratiæ hujus; et perpendite, si potestis, quanta erga vos in isto amico dilectio flagravit. Quia, dum adhuc peccatores essetis, ne diu peccatores remaneretis, innoxium pro vobis tam largiter sanguinem fudit. Considerate quanta in eo dilectio, qua actum est, ut ad abluenda peccata vestra, tanta tanti sanguinis daretur effusio. Nunc vero quidem diligit, quia amici estis; sed prius dilexit ut amici essetis, quia nisi prius inimicos diligeret, quos postmodum diligeret, amicos non haberet. Qui-

Digitized by Google

ergo dilexit, a peccatis lavit, et in sanguine suo lavit. Apud eum namque et magna : *Et copiosa apud eum redemptio* (*Psal.* CXXIX, 7). Et vere copiosa, quia ad abluenda peccata nostra manavit non gutta, sed unda. Videte itaque quantum vos amavit, qui vestram redemptionem proprii sanguinis 11 tam largam æstimavit effusionem. Sed quod nos sic abluit, quæ nobis utilitas inde provenit? subjunxit : *Et fecit nos Deo nostro regnum, et sacerdotes* (*Apoc.* I, 6). Sacerdos et hostia nostra mitis Jesus, ut dignitatis, cum eo, nomen participemus, qui ejus in altari sacrosanctum corpus et sanguinem immolamus.

VIII. Certe prius quatuor nomina, quæ huic, cui occurrendum prædicavimus, assignavimus; et ante quatuor, quasi in medio hoc nomen posuimus ; de quo modo tractamus, quia tam præcedentium quam subsequentium nominum causa est. Quare enim se vobis exhibuit Creatorem, eruditorem, dominatorem, rectorem, nisi quia amicus est? profecto inde fuit quod vobis dedit, ut tam profundum sciatis, ut tam fructuose timeatis, ut tam fortiter pugnetis, quia amavit. Et unde hoc vobis quod se vestrum *fecit* sponsum, salvatorem vobis; confratrem in vobis, hominem pro vobis? Nonne inde quia amicus fuit? nam qui prius amavit, dedit vobis ut ei sitis conjuncti, ab eo redempti, per eum adoptati, in eo deificati : tanto igitur ac tali occurrite amico.

IX. Quomodo dicitis, occurremus? Quomodo, nisi amando? nam, cum constet eum qui venit, esse amatorem, et ad hoc venisse ut ametur, non invenio modum, quo ei occurratur, congruentiorem, quam ut ei, amando, occurratur : quatenus, licet bonorum nostrorum non egeat (*Psal.* XV, 2), amorem ei pro amore rependamus. Amate ergo illum, eique per insolubilem affectum adhærete, ut unus cum eo spiritus sitis : *Quia qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo* (*I Cor.* VI, 17). Et ut satis vulgo dicitur (245) : *Idem velle et idem nolle, firma amicitia est.* Testimonium hoc verum est, sed, si adderetur secundum Deum, firmior esset, et eo firmior quo sincerior et fructuosior. Videte itaque ut velle et nolle vestrum secundum velle et nolle ipsius sit, ut nullatenus audeatis ejus in aliquo voluntatem vel temere prævenire, vel subdole prætergredi; vel ei superbe contraire, ut veros proinde vos probetis amicos, dum ex toto vos vobis renuntiantes, nihilque ex vobis in vobis retinentes : occultis ejus vos, ex toto, motibus [*al.* nutibus] dedatis. *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te, omni tempore* (*Sap.* IX, 4, 10). Da mihi ut ex toto me tibi committam, innitar tibi soli ; secure sequar te, quocunque me præieris, sumens mihi ab amico benevolentiam, qua benigne vis facere *in bona voluntate tua Sion* (*Psal.* L, 20); ab omnipotente vero fortitudinem, qua, quod benigne cupis, etiam efficaciter adimplere potes. Quid formidabo me ex toto committere tibi, qui nihil vis, nisi quod mihi bonum est; eoque [*al.* eo quod] amicus meus es? et omne quod vis bonum, bene conferre vales, quia omnipotens es? *Tene ergo, Domine, manum dexteram meam, et in voluntate tua deduc me* (*Psal.* LXXII, 24). Ideo *notam fac mihi viam in qua ambulem* (*Psal.* CXLII, 8), et quo volueris, deduc me, tantum ut me deducas ad te. Ubi enim male mihi tecum, et ubi bene poterit esse sine te? *Nam, etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, si mecum fueris* (*Psal.* XXII, 4). *Et si ascendero usque ad cœlum, et caput meum nubes tetigerit : quasi sterquilinium in fine perdar, nisi fueris mecum* (*Job* XX, 6). Igitur, sive peccator fuero, sive justus, non ero sine te. *Etenim, si peccavero, tuus sum, sciens magnitudinem tuam; et si non peccavero, scio quia apud te computatus sum* (*Sap.* XV, 2).

X. O quantum meam ubique zelas salutem! mihi quanta sollicitudine intendis! O quoties mihi tentato ades ne consentiam, nutanti ne cadam, pugnanti ne succumbam! O quoties præbes refugium, ut si cecidero, a casu meo resurgam! Quod enim melius refugium invenio a te, ad te, quam te? de me namque omnino diffidens, et te non modicum timens, fugio a te, ad te. Fugio a te justo, et ad te misericordem confugio, quia et misericordia indigeo, et justitiam ferre non valeo. Sic itaque tibi occurro, o amice non fallax, amore amori tuo, etsi gradu longe inferiori, pro modo meo respondens : et me tuæ semper, et ubique voluntati, et in omnibus dedens. Et hoc modo, fratres, amico vestro Domino Jesu occurrere debetis. Ipsum, ut dignum est, reclamantes, et ejus vos per omnia nutibus committentes. Sed, quia jam multa dicta sunt, quæ de hac adhuc materia dicenda restant, in alium sermonem differamus, ne minus digne pertractentur, si ob fastidium vestrum ea citius percurrimus vel minus avide audiantur, si ob eorum profunditatem, diu [*al.* diutius] eis immoramur. Quæ igitur dicta sunt, memoriter retinete, fructuose exercete, occurrentes Creatori, gratias ei de ipsa vestra 12 agendo conditione. Magistro, quæ dicit avide audiendo, et sollicite implere studendo. Domino, digno ejus comminationibus timore respondendo. Regi, ipsum in pugnando contra mundum, et ejus principem imitando. Amico, eum totis cordis medullis redamando, et ejus per omnia voluntati obsequendo, cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

(245) Salustius in Catil.

SERMO III.

ITEM DOMINICA I IN ADVENTU DOMINI.

De eo, quomodo Christo sponso venienti occurrendum sit.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. A Scripturis sanctis, ac omnibus creaturis ad amorem homo incitatur Creatoris. — 2. Agnoscendus et reponendus amor mutuus. — 3. A paranymphis Ecclesiæ occurrendum Sponso, scilicet Christo Domino. — 4. Quare prælati, et congregationum præpositi di-

Digitized by Google

cantur paranymphi. — 5. Officium ipsorum quod sit. — 6. Quam multi deflectant ab eo. — 7. Complurium deploranda vitæ licentia et cordis duritia. — 8. Adventui Domini non imparatum esse convenit. — 9. Non venit Paracletus nisi abeat Christus. — 10. Unctionis internæ abundantiam quare Deus subtrahat. — 11. Epulæ spirituales earumque apparatus. — 12. Fercula varia, ac instrumenta bene sonantia. — 13. Quam dispensatorie cum suis agat Deus, abiens et rediens.

I. Scitis, fratres mei dilectissimi, quia ad hoc omnis Scriptura sancta dirigit intentionem, ut hominem ad Conditoris sui excitet amorem. Hoc omnis Scriptura verbis et exemplis prædicat; hoc etiam omnis creatura magna instructionis voce proclamat. Hoc dicunt omnia de tellure germinantia, cuncta in aquis natantia; universa in aere volantia; hoc dicere non cessat quidquid est, ab B angelo, usque ad vermiculum: a supremo, ut ita dicam, rerum cardine, usque ad inferiorem basim earum; cœlum videlicet, terra, et mare, et omnia quæ in eis sunt. Singulorum autem hæc vox est: Si me diligis, o homo, quia quoddam me vides, secundum quemdam modum, bonum; quoddam dulce, quoddam pretiosum; magis illum dilige qui me condidit, quia me longe melior, pretiosior est. Hanc autem vocem salubrem auribus audiendi non percipiunt Adæ filii, qui cum *superbo oculo et insatiabili corde* (*Psal.* c, 5), deserto Creatore, toto affectu adhærent creaturæ; quos quidem perdet Deus, quia fornicantur ab eo (*Psal.* LXXI, 26).

II. Sed vos, dilectissimi, quos elegit Dominus, et assumpsit in propinquos, intuemini quantus sit iste qui venit; et amando occurrite ei. Sponsus vester est, salvator vester. Illic honorate dignationem suam; hic autem amplectimini liberationem vestram. Filius Dei est, et venit, ut vos hæredes faciat Patris sui, cohæredes autem suos. Et, ut hoc incomprehensibili quodam modo faciat, *cum in forma Dei* existens, *non rapinam* arbitraretur *esse se æqualem Deo: semetipsum exinanivit, servi formam accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philip.* II, 6). Quis tam cæcus, quis tam lucis alienus, ut non videat hoc quod Filius Dei venit, esse inæstimabilis charitatis: quod vero Deus efficitur homo, incomprehensibilis nihilominus humilitatis?

III. Sed quatuor hæc sollicita jam discussione percurramus; et debito in istis ei obsequio occurramus. Sponsum itaque Ecclesiæ dicimus Dominum Jesum; et oportet ut, cum venientem audiverint, properent in occursum ejus paranymphi. Et quare paranymphi, et non potius ipsa Sponsa? Et certe ab occursu ejus non prohibetur Sponsa, licet ut ei occurrant, admoneamus paranymphos. Occurrant igitur venienti Sponso paranymphi, occurrat et Sponsa. Illi ornatui Sponsæ quo Sponsum audiverint propiorem, magis semper ac magis insistendo: hæc autem se jam ornatam ostendendo. Ut ipsum Sponsum *in uno oculorum* suorum, *et in uno crine* A *colli* sui vulnerans (*Cant.* IV, 9), audire mereatur: *Tota pulchra es, amica mea, tota pulchra es: et macula non est in te* (*ibid.*, 7).

IV. Sed qui sunt Sponsæ paranymphi? Sanctæ Ecclesiæ prælati sunt et hujus sancti conventus custodes, qui pro eo quod Sponsæ Domini sibi commissæ ornatui sollicite intendunt, Sponso nimirum occurrere dicuntur. Quanquam Sponsa in eo quod ab eis edocta et admonita, eidem Sponso suo semper decora apparere satagit, et ipsa ei occurrere non incongrue perhibetur. Legitur namque de Martha, quod, *ut audivit* 13 *quia venit Jesus, occurrit ei*. Sed de Maria habetur, quia *domi sedebat* (*Joan.* XI, 20). Quæ tamen et ipsa ei occurrit, sed a Martha, ipso vocante, invitata, sicut in sequentibus dictum est: *Venit Martha et vocavit sororem suam silentio, dicens: Magister adest, et vocat te* (*ibid.*, 28). Et quid ibi sequitur? *illa ut audivit, surrexit cito, et venit ad eum* (*ibid.*, 29).

V. Audite et intelligite, o paranymphi! Auscultate, o amici sponsi! si tamen stantes auditis eum: et gaudio gaudetis propter vocem ejus (*Joan.* III, 29). Audite, inquam, quale esse debeat officium vestrum. Discurrite solliciti medii inter Sponsum et Sponsam, quid ipse velit sciscitantes; quid agere debeat, innotescentes. Ejus ab eo præcepta addiscite, et Sponsæ opera adimplenda nuntiate. *In omnibus laborantes opus facite evangelistæ; ministerium vestrum implete* (*II Tim.* IV, 5). Adventum Sponsi explorate C cum sollicitudine. Occurrite venienti cum devotione; illum adventare Sponsæ evangelizantes, vocatam eam asserentes, et ut Sponso ipsa occurrat suggerentes. Hoc opus, hoc studium, hæc cura ad paranymphos pertinet Sponsæ.

VI. Sed heu! longe aliter agunt quamplurimi qui in his diebus sunt paranymphi: in quibus diebus tempora periculosa jam non instant, sed exstant. Adsunt namque dies illi novissimi, quos prophetavit Apostolus, in quibus dixit futuros *homines se ipsos amantes, cupidos, elatos, superbos* (*II Tim.* III, 1); et quales in subsequentibus describit, tales sunt modo multi ex paranymphis nostris; suam in Sponsa, non Sponsi gloriam quærentes. Nec advenienti Sponso ipsi D occurrunt, nec ut Sponsa occurrat invitant; decorati et ornati, sed corporaliter, Sponsæ divitiis ipsi incedunt, sed quam fœda, quam squalida ipsa sit omnino non curant. Nonne cum eos indutos videris, necesse habes ut magis milites, imo quod deterius est, et eo deterius quo fœdius, ut histriones suspiceris? Prædia ecclesiastica, et possessiones, decimas et oblationes a subjectis plebibus violenter exigunt, exacta avide suscipiunt, suscepta illicite expendunt: raro autem cum eis de peccatis vitandis, sive abjiciendis; de virtutibus acquirendis seu retinendis; aut de emendatione morum, vel de aliquibus, quæ ad Sponsæ pertinent ornatum, sermonem habent. Sic squalet Sponsa; sic eam lutum platearum deturpat, dum ejus paranymphi nec verbis, qualiter

Digitized by Google

formositas acquirenda sit, ostendunt : nec exemplis, qualiter deformitas devitanda, declarant.

VII. *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum?* (*Jer.* IX, 1.) Ut die ac nocte non modo verbis plangam, sed lacrymis plorem, et amare defleam Sponsam Domini talibus commissam, non quidem amicis sed inimicis; non paranymphis castis, sed procis impudicis; non denique custodibus sollicitis, sed prostitutoribus impuris; sed sileamus interim de eis. Non enim capit sermo in eis (*Joan.* VIII, 37). Quinimo *ut acetum in nitro, ita et cum carmina cantamus eis* (*Prov.* XXV, 20). Sæviunt namque in nos, cum ista dicimus, et veritas odium parit. Ita ut tacendo necesse habeamus paci nostræ consulere, et quieti; tum quia se non corrigunt, tum quia se excusando, et verbis in nos malignis garriendo, deteriores fiunt. Quia nec, cum cantamus, saltant; nec plangunt, cum eis lamentamus (*Matth.* XI, 17). Adde quod eis consuetudo dat quodam modo licere quod agunt, et numerositas audaciam præstat, et impudentia verecundiam tollit. Suspendentes itaque organa nostra, non quidem cedris montis Libani, sed salicibus fluminis Babylonici (*Psal.* CXXXVI, 2), loquamur ad nostros.

VIII. Vos igitur, fratres, explorate adventum Sponsi vestri, et occurrite venienti. Explorate solliciti, ne diu [*al.* dum] eum habere, priusquam venerit, sitis indigni; si ad suscipiendum cum venerit, sitis imparati. Imparati estis, si quando venit ignoratis. Nunquid menti excidit, quia *beatus ille servus, quem cum venerit dominus, invenerit vigilantem?* (*Luc.* II, 36.) Vigilare adventum Sponsi explorare est. Venit quoque Sponsus, et occulte venit; et tamen cum silentio non venit. Nunquid ignorantibus loquar? Nunquid in libro propriæ experientiæ frequenter non legitis: *Media nocte clamor factus est, ecce Sponsus venit, exite obviam ei?* (*Matth.* XXV, 6.) Nocte igitur venit, quia occulte venit; et tamen cum silentio non venit, quia cum clamore venit. Nonne et ad vos similiter venit, ignorantibus quidem vobis illud in quo vult venire tempus; non tamen surdas habentibus aures *ad verbum* ejus *absconditum*, cujus *susurrii venas furtive* (*Job* IV, 12) scrutatur cordis intellectus? Vadit itaque Sponsus vester et redit, quia in sapientia est spiritus stabilis et mobilis : spiritus videlicet vadens et rediens. Nunquid quia vadit, vos deserit? Absit. *Non vos*, inquit, *relinquam orphanos* (*Joan.* XIV, 18). Et addidit : *Vado*. Sed quid subjunxit? *et venio ad vos* (*ibid.*). Et quidem sicut ad utilitatem venit, ita et vadit. *Expedit*, inquit, *vobis, ut ego vadam* (*Joan.* XVI, 7). Et cur expedit? subjunxit : *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos* (*ibid.*). Igitur et venit, ut gaudeat cor nostrum; et vadit, ut ad nos mittat Paracletum.

IX. Sed quid est quod ait : *Si enim non abiero Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos?* Igitur et venit, ut gaudeat cor nostrum; et vadit, ut ad nos mittat Paracletum. Sed quid est quod ait : *Si enim non abiero Paracletus non veniet ad vos?* Non venit Paracletus, nisi abeat Christus, quia ex renovatione sui animæ consolatio non infunditur, nisi ad tempus unctio subtrahatur. Paracletus, ut scitis, *consolator*, Christus autem, *unctus* dicitur. Aufert namque Dominus spiritus eorum, cum quibus taliter ludit, cum quibus has vices alternare solet; et deficiunt, et in pulverem suum revertuntur (*Psal.* CIII, 29). Sed ut impleatur dulcissima promissio illa : *Vado, et venio ad vos, et gaudebit cor vestrum*, emittit Spiritum suum et creantur; et renovat faciem terræ (*ibid.*, 30). Expedit igitur nobis ut et ipse vadat.

X. Si enim semper adesset præsens, celsitudinem gloriosæ præsentiæ sufferre continuo non valentes, succumberetis. Dum quod ex ipso est, ex vobis arbitrantes esse : destituti munere suo, deorsum vergeretis pondere vestro. Benigne namque facit vobiscum in bona voluntate sua, præstans decori vestro virtutem; avertit autem faciem suam a vobis, et facti estis conturbati (*Psal.* XXIX, 8). Quasi quidam prædives rex, et magnus est hic Sponsus vester qui venit ad vos : habens secum duces et milites, familiamque multam nimis : intentionem videlicet rectam et voluntatem devotam et internam illam quam intra vos frequenter habere soletis, Ecclesiam sanctarum cogitationum. Sed rex iste hospitari venit, non immorari; visitare vos, non permanere apud vos. Non enim sufficit inopia vestra tanto talique regi; et tantam præsertim secum habenti curiam, diu convivium exhibere. Consulens itaque paupertati vestræ, et sciens omnino expedire vobis ut ipse vadat, subtrahit se ad tempus, ne ullatenus fastidiatur præsens, et avidius desideretur absens. Ut dulcis ipsius præsentia eo gloriosius a vobis honorificetur iterum indulta, quo ardentius desideratur subtracta. Si sic affectos vos viderit : *Iterum veniet ad vos et gaudebit cor vestrum;* et dum hoc modo in ejus occursu fueritis, *intrabitis cum ipso ad nuptias;* et intrante ipso ad vos, *cœnabit vobiscum, et vos cum illo* (*Apoc.* III, 20).

XI. In his nuptiis internis, in hac cœna mutua, in hoc denique convivio festivo mactatur taurus cervicositatis, occiduntur et altilia voluptatis (*Matth.* XXII, 4), quia pariter et in mente iste qui his nuptiis præest, auctor humilitatis, tumorem sedat, et in carne lasciviam amator munditiæ necat. *Sedet namque Rex in solio judicii sui : et dissipat omne malum intuitu suo* (*Prov.* XX, 8). Quod non est aliud nisi quam spiritus Sponsi in recta mente quiescens, omne in ea peccatum sua inspiratione evacuat. Apponitur et panis fortitudinis, et vinum contemplationis, ex quibus, teste Psalmista, *Ille quidem cor hominis confirmat* (*Psal.* CIII, 6); istud autem lætificat. Sugitur autem *mel de petra, oleumque de saxo durissimo* (*ibid.*, 15), dum in palato mentis sapit dulcedo illa admirabilis, ex miraculis Christi profluens ante passionem, et pinguedo spiritus, qui erat datus, ex quo Jesus erat glorificatus (*Joan.* VII, 39).

Digitized by Google

Nec deest ibi *butyrum de armento, et lac de ovibus, cum adipe agnorum et arietum* (*Deut.* XXXII, 13), id est doctrina sublimium, et sobrietas simplicium, cum charitate humilium subjectorum atque præeuntium prælatorum. Hirci autem ibidem eduntur *cum medulla tritici, et sanguis uvæ bibitur meracissimus* (*ibid.*, 14). Quia ut eos imitemur, peccatores, sed pœnitentes, nobis in exemplum proponuntur cum decora intentione boni propositi, et passione uvæ nostræ in torculari crucis expressæ, quæ uva cum medulla tritici habet in mensa sua et hircum. *Quia cinerem tanquam panem* manducans (*Psal.* CI, 10), sic sibi incorporat peccatores pœnitentes, sicut et justos a peccatis continentes.

XII. Et ut breviter dicam, brevique multa sermone comprehendam, quot nobis in hac interna mentis refectione contemplationum genera, Spiritu revelante, infunduntur, quasi tot in hac mensa magna, ad quam, de more, sedetis, fercula vobis sapidissima, Sponso administrante apponuntur. Tot sapores, quot devotiones; quot etiam virtutum insignia, tot quoque instrumenta sonantia. Ibi enim primum quidem, ut nihil ad festivam lætitiam pertinens desit, resonat sonus tubæ, terror videlicet divini timoris, quia *initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX, 10). Sonat quoque psalterium bonæ actionis, et cithara corporalis mortificationis; sonat tympanum abstinentiæ, et chorus concordiæ. Chordæ non silent mutuæ exhortationis, nec organa religiosæ conversationis. Absit omnino ut sileant ibi cymbala bene (*Psal.* CL) sonantia, sanctorum contubernia; superiora sibi invicem arbitrantia; et ideo honore invicem prævenientia.

XIII. Ecce quam festiva jucunditas et quam jucunda festivitas nobis provenit ex adventu Sponsi vestri. Quia turba multa, quæ convenit ad diem festum hunc, Ecclesiam loquor internarum cogitationum: siquidem *reliquiæ cogitationis diem festum agent Domino* (*Psal.* LXXV, 11), ideo [*al.* atque adeo] gaudet gaudio magno, et jubilat in vociferatione. Verumtamen in hoc nolite privato gaudio gaudere, quod sic epulamini, et sic gaudetis; nec dicatis in abundantia vestra, quod non movebimini in æternum (*Psal.* XXIX, 7), quia ex abrupto auferetur a vobis Sponsus, et tunc jejunabitis; et quos lugere necesse non fuit quandiu fuit, plorabitis eo subtracto (*Matth.* IX, 15). Subito namque, dum eum tenetis, evanescet ab oculis vestris; et dum eum amplectimini, exsiliet de manibus vestris; sicque declinabit, atque transibit. Sed ita oportet suspiretis, in absentia abscedentis, ut in spe reversuri respiretis, quia qui recedit ut fastidium auferat, et elationem; redibit profecto, ut aviditatem conferat, et consolationem. Cui sit honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

ITEM DOMINICA I IN ADVENTU DOMINI.

De magna miseria hominis, et de beneficio Salvatoris.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Venit Salvator ut redimat, liberator ut solvat, protector ut defendat. — 2. A lapsu homo obnoxius pœnæ, culpæ, tentationi. — 3. Triplex felicitas naturæ integræ, et lapsæ. — 4. Deus venit assumens quod non erat, et manens quod erat. — 5. Appropinquavit, et carnis nostræ infirmitates portavit. — 6. Ligatis vulneribus, infusoque oleo, jumento Samaritani æger imponitur. — 7. Triplex beneficium Salvatoris. — 8. Primum est in fide Redemptionis, quam corde, ore, fronte gestamus. — 9. Secundum in liberatione a servitute peccati. — 10. Status religiosi libertas et dignitas. — 11. Tam qui a longe venerant, quam qui prope inventi sunt, debent beneficio Salvatoris. — 12. Tertium est in protectione nostræ infirmitatis in bello. — 13. Beneficio adoptionis, quod Christus est per naturam, accipit homo per gratiam. — 14. Similitudo Dei per imitationem sanctæ conversationis. — 15. Iniqua affectatio angeli apostatæ, æqua consentientis cum voluntate Dei. — 16. In quo meritum consistat justitiæ. — 17. Christus in eo quod homo, imitandus; in eo quod Deus, desiderandus.

Fratres dilectissimi, patienter, ut sentio, sustinetis verbum prolixum de adventu Sponsi et de deliciis Spiritus, atque de interno gaudio mentis: quod in anima devota infusio gignit sanctæ unctionis patienter, inquam, sustinetis, quia, quod foris auditis, intus sentitis. Nec solummodo in vobis auris verba dijudicat, sed et fauces saporem. Verumtamen oportet ut et de Salvatoris adventu aliquid loquamur, et qualiter ei occurrere debeamus ostendamus. Venit itaque Salvator vester, lætamini in Domino et exsultate captivi, et gloriamini omnes (*Psal.* XXXI, 11), qui clamatis *ad Dominum a facie tribulantis*, quia jam mittit vobis *salvatorem et propugnatorem, qui liberet vos* (*Isai.* XIX, 20). Qui sicut vacuus non venit, quia venit plenus gratiæ et veritatis (*Joan.* I, 14), per quem gratia et veritas facta est: ita nec ad hoc venit, ut sit otiosus, quoniam ad hoc venit, ut redimat, ut solvat, ut defendat. Ut redimat captivos, solvat vinctos, ut defendat infirmos. Salvator dulcis, liberator pius, protector fortis. Hæc tria propheta (*Isai.* XIX, 20) non tacuit, qui asseruit a Domino mittendum Salvatorem: nec modo Salvatorem, sed et propugnatorem, et ad hoc, ut liberet. In Salvatore igitur redemptionem, in liberatore absolutionem, in propugnatore notate protectionem. Respiret qui in captivitate deprehensus est: venit Salvator, ut redimat a miseriis suppliciorum. Speret qui in captivitate ligatus est: venit liberator ut solvat a vinculis peccatorum. Confidat qui in infirmitate nutabundus est: venit protector, ut defendat a servitiis [*al.* servitute] tentationum.

II. Ecce quam misericorditer tecum agitur, o homo; magna est Dei tui misericordia super te; magna est, inquam, misericordia sua super te, quia et magna est super te miseria tua. Deprimebant te pœnæ, redemit te. Ligaverant te culpæ, absolvit te. Tentationes quotidie fatigant te, et ipse incessanter tuetur te. Hæc tanta mala tua angustiant te; hæc tria bona dona Domini tui adjuvant te. Quandiu in pace humili cum Deo steti-

Digitized by Google

sti, hæc in te omnino non sensisti, sed stabilitatem internæ pacis deserens ad mutabilitatis incertum descendisti : et in hoc statim periculum pervenisti. *Quis enim restitit ei*, ut ait sanctus Job (cap. IX, 4), *et pacem habuit?* pacem itaque relinquens, prorusti ad defectum; sicque a Jerusalem descendisti in Jericho.

III. In pace factus erat locus tuus, ubi et habuisti Dei tui visionem, angelorum cohabitationem, tui ipsius possessionem. In prima beatitudo, in secunda altitudo, in tertia fortitudo erat. Sed a Jerusalem descendens in Jericho stabilitatem pacis pro defectu mutabilitatis commutasti : a felicitate ad miseriam pœnarum lapsus; ab altitudine in fæces culpæ immersus; et a fortitudine cadens per multa infirmitatis frusta confractus, dissolutus atque comminutus es. Incidisti namque in latrones, quia suum super te dominium exercuerunt dæmones. Et quid tibi fecerunt? primo *despoliaverunt*, secundo *vulneraverunt*, tertio *semivivum reliquerunt* (*Luc.* X, 30). Primo vestem abstulerunt felicitatis, induentes te *turpitudine captivitatis*; secundo altitudinem ademerunt *sanitatis*, plagas tibi inferentes iniquitatis; tertio infirmum relinquentes, et si non ex toto annihilaverunt, ex magna tamen parte robur debilitaverunt fortitudinis. Quia qui semivivus, licet non ex toto perimitur, omnino tamen infirmus dimittitur. Ecce triplex, o homo, periculum tuum : asperitas calamitatis, tortitudo iniquitatis, fragilitas infirmitatis, ad quod de triplici Conditoris tui munere corruisti : de beatitudine divinæ visionis, de altitudine angelicæ cohabitationis, de fortitudine propriæ possessionis.

IV. Sed venit *custos* ille (hoc enim interpretatur nomen istud, quod est Samaritanus), venit, inquam, et fecit iter suum. Quia nisi iter faceret, non veniret. Venit non quidem illo, ubi prius non erat; sed patebat, qui prius latebat. In mundo namque erat, et tamen in mundum veniebat; iter aggressus est, ut veniret, assumens videlicet quod non erat, ut æternus fieret temporalis; et qui semper in se stat, in natura assumpta, de loco ad locum transiret. Fecit itaque iter suum, et secus te fecit, quia mutabilitatis, quam non habuit, naturam suscepit, et propter te suscepit. *Et videns*, inquit, *misericordia motus est : et appropinquans* (*ibid.*, 33). Quid sibi vult ordo iste verborum? vidit, condoluit, appropinquavit. Vidit, quia ad vitam elegit; condoluit, quia misericordiam impendit; appropinquavit, quia tuæ, vulnerate, se miseriæ conformavit.

V. Annon appropinquavit, qui *semetipsum exinanivit, servi formam accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo?* (*Philip.* II, 7.) Adde quod etiam *semetipsum humiliavit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*ibid.*, 8). Lege quia apud Isaiam : *Languores nostros ipse tulit, et infirmitates nostras ipse portavit. Ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra* (*Isai.* LIII, 4). Et vide si non appropinquavit. Quomodo tibi propior esse poterat quam ut te ab eo quod tolerabas, liberaret? nisi appropinquasset, non te curasset. Quia et propheta ille potens in opere, et sermone, qui te de sublimi cœlorum monte matris miseræ precibus devictus descendens, ad mortuum venit, nec jacentem ullatenus erigeret, nec defunctum suscitaret; nisi ita se ei, superincumbens, conformaret, ut caro ejus calefieret (*IV Reg.* IV, 34).

VI. Fortassis aliquis vestrum dicit : Bene loqueris, sed, si de his tractares quæ pertinent ad materiam tuam. Sic faciam : exspectate paulisper. Nonne hoc nostri propositi est ostendere quid veniens ad nos secum attulit Salvator? Utrum autem hæc congrue ad illud pertineant, etsi modo nescitis, scietis autem postea. Igitur postquam ita appropinquavit, quid fecit? in Evangelio quid scriptum est? Quomodo legitis? *Ligavit vulnera ejus infundens oleum et vinum : et imponens super jumentum suum, duxit in stabulum* (*Luc.* X, 34). Superius habuistis, quia despoliatus est, quia vulneratus, quia semivivus relictus. Hic autem misericors Samaritanus despoliati vulnera ligavit, in jumentum posuit, in stabulum duxit. Quod non est aliud nisi quod Apostolus ait : *Sicut per hominem mors, ita per hominem resurrectio mortuorum; et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (*I Cor.* XV, 31). Quod enim est jumentum Samaritani, nisi corpus Christi? *Vidi*, inquit, *cœlum apertum et ecce equus albus* (*Apoc.* XIX, 11). Et post pauca : *Et vocabatur nomen ejus Verbum Dei* (*ibid.*, 13). *Joannes* hic erat *frater*, ut ipse dicit (cap. I, 9), *noster; particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu.* — *Et cœlum apertum*, intellexi occultum mysterium fuisse 17 mihi revelatum. *Et ecce equus albus*, corpus Christi a peccati nigredine alienum; cujus sessor *verbum Dei vocatur*. Illud quod in principio erat et apud Deum erat. Divinitas quippe præsidet humanitati. Equus iste ad illud pertinet jumentum, in quod Samaritanus imposuit vulneratum.

VII. Quod nimirum tunc actum est, ad illud pertinet, quando a pœnarum, quam peccando incurrit, calamitate, hominem Dominus Jesus redemit per passionem carnis suæ. Infuso oleo et vino, vulnera ligavit quando per correctionem mordens et per consolationem demulcens, peccata delevit. In stabulum duxit, quando roborata infirmitate pristinam eis nonnullis [*al.* nonnullam] fortitudinem contulit, ut curam illius agens in lapsus eum pristinos cadere non sineret. Agnosce, o homo, qualiter a triplici bono cadens, et in triplex periculum ruens; illud jam per triplex Salvatoris tui beneficium, a quo cecidisti; bonum in quibusdam primitiis percipis. Qui enim despoliatus dehonestaris, impositus in jumentum honoraris. Et qui plagas tibi impositas gemis : vulnera tua jam alligata lætaris. Qui vero semivivus relictus infirmaris, ductus in stabulum honoraris. Sic sic per Salvatorem tuum, qui modo venit, et a calamitate redimeris, et ab

Digitized by Google

iniquitate liberaris, et infirmitate tua defenderis. Hæc autem in se ipso unusquisque vestrum agnoscere potest.

VIII. Et primum quidem, quod vos larga pii sui cruoris effusione redemit; latere vos non sinit clamosa vox ejusdem innoxii sanguinis clamantis de terra, melius quam Abel (*Hebr.* XII, 24). Illius namque terræ inhabitatores estis, quæ non operit sanguinem nostri dolentis, nec in ea locum latendi invenit clamor ejus. Terra hæc sancta etiam est, quæ humanitatis Redemptoris sui sacramenta, et potissimum sacrosanctæ passionis illius insignia, et firma fide constanter credere non omittit; et alacri confessione prædicare non erubescit. Evidenter itaque scitis, quia et carnis pro nobis humilitatem susceptit, et crucis vilitatem sustinuit; et mortis asperitatem toleravit. Hoc namque vobis incessanter repræsentat et fides, quam de ejus incarnatione firmam tenetis : et salutiferum vivificæ crucis vexillum, quod in fronte gestatis, et singularis atque efficacissima illa medicina vulnerum nostrorum, quam in altari quotidie conficitis, ubi pro salute nostra in sacramento Patri Filius immolatur. Ubi spiritualiter Deus in Christo, mundum reconcilians sibi. Ex abundanti est super hoc commonere vos.

IX. Donum autem secundum, quod ad vestram pertinet liberationem, quo peccatorum percepistis remissionem, nec hoc quidem latet vos. Non enim ex mente excidit vobis qualiter [*al.* qualiter vos] dudum ambulantes per vias non bonas, sed sequentes impetum vestrum; et euntes post concupiscentias vestras, currentes adversus Deum, erecto collo, per plateas Babylonis, sub Pharaone, luto in Ægypto voluptatis sordentes, et vanitatis palea leves, eratis penitus sicut oves errantes (*1 Petr.* II, 25). Ipse autem Salvator vester, qui dives est in misericordia sua; pastor et episcopus animarum vestrarum, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit vos, (*Ephes.* II, 4) cum adhuc tales essetis, misertus est vestri, eripiens vos de potestate tenebrarum, et transferens vos in terram hanc valde bonam, in qua vos nunc habitatis. *Emisit* namque *manum suam de alto, eripiens et liberans vos de aquis multis, et de manu filiorum alienorum* (*Psal.* CXLIII, 7). *Educens nihilominus vos de lacu miseriæ, et de luto fœcis : statuit supra petram pedes vestros, immittens in os vestrum canticum novum, carmen Deo nostro* (*Psal.* XXXIX, 3).

X. O mutatio dexteræ Excelsi! o manus Dei vobiscum bona! o voluntas ejus bona, beneplacens ac perfecta : et gratia gratuita, qua misericorditer vobiscum actum est, ut illis jam vitiis viriliter dominemini, quibus quondam enerviter eratis prostrati, spiritu facta carnis mortificando, exterminantes gentes illas alienas, et possidentes terras eorum. Quod dudum vel uno die intermittere durum fuit, jam cum tempore eo carere pro nihilo habetis. Quinimo, ut aliquid amplius addam, ante, ni fallor, mori eligeretis, quam ad quædam redire, in quibus dudum fuistis. Item quod hora valde modica olim sustinere horruistis; jam ubi est impetus spiritus, illuc gradientes; tota vita viriliter exercere, pro ludo tenetis. Sublimia quidem, et non minus dura quam nova. Sublimia assero, quia quodam modo supra naturam; nova vero, quantum ad veterem consuetudinem, dura dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Hac in re testimonium ferunt, et scimus quia verum est testimonium eorum : crebra, quæ exercetis, jejunia; continuæ, quas ducitis, vigiliæ : hæc quam circumfertis, vilitas 18 in habitu; hæc, quam sustinetis, asperitas in victu; hæc, quam exercetis, parcitas in affatu. Omnia, ut ita dicam, corporis vestri membra quotidiano martyrio exponentes, nec ipsam etiam voluntatem vestram in potestate habéntes. *In quo ita abluti estis, sanctificati, justificati, nisi in nomine Domini nostri Jesu Christi?* (*I Cor.* VI, 11) Non ut confundam vos, hæc dico, sed ut fratres meos charissimos una mecum moneo, quatenus a quantis simus periculis liberati considerantes, quantas debeamus liberatori nostro gratias agere, agnoscamus.

XI. Quia vero multos hic video, qui a puero [*al.* a pueris] cum Samuele in tabernaculo enutriti, nequaquam sicut nos de longe venerunt; exhortamur eos attentius, ut et ipsi Salvatori suo, non minus se debitores agnoscant, quia idem est, qui eos custodivit, qui et nos erexit, modo quidem bono, sed diverso nos et illos justificans, revocando videlicet nos, conservando illos. Nam, nisi quia Dominus adjuvit illos, paulo minus habitasset in inferno anima illorum. Jam torrentem etsi non pertransivit, quoad illam pertinet futuram libertatem; in aliquo tamen pertransivit anima eorum. Sed quomodo pertransisset anima eorum aquam intolerabilem, si eos dedisset Dominus in captionem dentibus earum? et anima quidem nostra ex parte erepta est de laqueo venantium; illi autem nec eumdem laqueum incurrerunt (*Psal.* CXXIII, 7), sed in his omnibus non minus eorum adjutorium, quam nostrum, in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram (*Col.* I, 10). Hic est magnus ille omnium medicus in quibusdam sanitatem conservans, in quibusdam vero ægritudinem curans. Hic est verus Salvator noster, mitis et pius Jesus, cujus innocens sanguis tanti est pretii, ut per eum non solum quæ in terris sunt, sed etiam qui in cœlis sunt, pacificentur. Et quomodo per sanguinem illum ea quæ in cœlis sunt pacificantur, nisi quia, qui hominem lapsum sua gratuita gratia ad amissam pacem revocavit (*Ephes.* II, 17), ipse stanti Angelo eadem gratuita gratia, ne eam amitteret, dedit? Igitur per gratiam Salvatoris nostri salvati sumus et nos, qui longe fuimus; et illi, qui prope inventi sunt. Dei enim donum est, ne quis sive ex nobis, sive ex illis in hoc glorietur.

XII. Donum vero tertium, quod est gratia defensionis, quo nos tam infirmos protegit; eo evidentius coram oculis habetis, quo illud quotidie, magis autem continue sentitis, utpote qui nec ad horam sine

Digitized by Google

illo subsistere potestis. Jam ipso curante convaluistis de infirmitate; et, eo roborante, fortes facti estis in bello (*Hebr.* II, 34). Sed bellum istud, in quo tam viriliter, nunc quidem contra carnem, nunc autem contra mundum, nunc vero contra occultum adversarium vestrum, qui nunquam sævire cessat, sed sine intermissione circuit, quærens quem devoret, dimicatis; quis vestrum vel uno momento sustineret, nisi ipsum protectorem haberet? En venit ventus ille turbinis ab aquilone, nubem secum afferens magnam (*Ezech.* I, 4) : quomodo, quæso, vel ad unum ipsius flatum abjectus adeo pulvis stare subsisteret [*al* staret, *aut* subsisteret], nisi ipse defenderet, ad quem mundi hujus princeps venit et in eo nihil suum invenit? (*Joan.* XIV, 30.) Jam itaque statis, sed in Domino. Et qui in vobis infirmi omnino et imbecilles nihil potestis : nunc omnia potestis in eo, qui vos confortat.

XIII. Occurrite igitur, o redempti, redemptori vestro; liberatori, liberati, protectori, defensi. Occurrite, inquam, obviam venienti; devotas ei gratias agentes de redemptione a calamitate, de liberatione a pravitate, de protectione in hac vestra infirmitate. Occurrite Filio Dei : venit namque ad vos, et ad hoc venit, ut vos adoptet in fratres, ut assumat in cohæredes. Patris ab æterno existens unicus, noluit remanere unus, dans nobis ut illo secum honoremur nomine per gratiam, quo ille honoratur per naturam. *Frater namque et caro nostra est* (*Genes.* XXXVII, 27). Unde et Mariæ in corpore apparens redivivo : *Vade*, inquit, *dic fratribus meis : Ascendo ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum* (*Joan.* XX, 17). Et in persona ejus sanctus David : *Narrabo*, ait, *nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* XXI, 23). Et quanta dignitas Patrem nobis esse Deum, fratrem autem unicum Filium ejus! et qualem putatis nos in futuro percepturos dignitatem, qui tantam jam, talemque tenemus arrham in præsenti? Qualem, nisi ut in hæreditate fratris nostri, quæ et nostra est, semper videamus faciem patris nostri, qui in cœlis est? Non aliud recte mihi sensisse videtur, qui ait : *Nunc filii Dei sumus; et nondum apparet quod erimus* (*I Joan.* III, 2). Hoc de arrha, quam in præsenti accepimus. Subdit et de munere, quod in futuro nos accepturos speramus.' *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*ibid.*). O felicitas incorporalis! Deum, quod mundis cordibus specialiter promittitur, videre eique similes esse.

19 XIV. Sec hæc nullatenus in futuro apprehenditur similitudo per divinam visionem, nisi quædam prius ejus similitudo in præsenti per sanctam exerceatur conversationem. Si summi Patris estis filii; si fratres Christi, studete ejus similes esse. Quomodo namque vel illius filios, vel hujus vos fratres gloriamini, si eis similes non estis? solent quippe, ut ipsi scitis, hæ tres personæ, pater videlicet, et filius atque fratres, nonnullam invicem non solum in corpore, sed et in moribus similitudinem habere. Hinc de bono boni patris filio scriptum est : *Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus : similem enim dereliquit filium post se* (*Eccles.* XXX). Miro modo vivit in superstite filio patris etiam defuncti persona, dum in eo similitudo appareat paterna. Naturalis quoque ille cœlestis Filius Patris, in tantum Patri suo similis est, ut qui videt illum, videat et Patrem suum. Ipse namque in Patre, et Pater in ipso est (*Joan.* XIV, 9). Nec hoc ideo dico, quia eis ita similes esse possumus, sicut sunt ipsi; qui non modo unus, sed unum sunt : pro eo quod una eademque natura eis substantia est.

XV. Certe peccatum peccavit quidam qui dixit : *Similis ero Altissimo* (*Isai.* XIV, 15). *Verba oris ejus, iniquitas et dolus* (*Psal.* XXXV, 4). Quia et prius iniquitatem meditatus est in cubili suo. Nam parificari voluit, non humiliter imitari. Non autem eis non modo similes facit, sed etiam unit, id est in voluntate consensus, juxta illud : *Qui adhæret Deo unus spiritus est* (*I Cor.* VI, 17). Simus eis consentibiles, quibus non sumus consubstantiales : nec erit de cætero, qui nos eis deneget similes. Dissentire vero ab eis in voluntate, longe ab eis similitudinem quamdam habere est. Exite, quæso, vos, ab hac regione dissimilitudinis, et apprehendite similitudinem Patris vestri, qui voluntarie genuit vos verbo veritatis suæ (*Jacob.* I, 18). Apprehendite et similitudinem Fratris vestri : estote similes Fratri vestro. Nam quomodo fratres ejus, si ei similes non estis? *Similes*, ait, *ei erimus, cum apparuerit* (*I Joan.* III, 2). Hoc de similitudine, quæ in præmio erit. Sed, ut jam superius dictum est, si vultis ei similes esse in præmio, similes estote in merito. Quomodo, dicitis, fiet istud? Idem Filius ait : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Mites ergo, et humiles sitis; et in aliquo similes estis.

XVI. Et manifeste verum est, quia *salvatorem quidem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* (*Philip.* III, 20), si primum cor nostrum conforme fuerit cordi humilitatis et mansuetudinis suæ. Si quænam Dei similitudo sit, interrogas, *diverte a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXIII, 15), et ejus similitudinem induisti. Ait namque Psalmista : *Rectus est Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo* (*Psal.* XCI, 16). Esto rectus et tu, ut exerceas bonum; et non sit iniquitas in te, ut devites malum, et Deo similis es. Item ait propheta David : *Justus Dominus et justitias dilexit : æquitatem vidit vultus ejus* (*Psal.* X, 8). Esto justus et tu in te ipso; dilige justitiam proximo tuo; æquitatem videat vultus tuus, ut ad hoc solum tibi adesse, et proximo studeas prodesse, quatenus soli Deo placere appetas, id est ut sic te boni operis exsecutorem et actionis tuæ proximum cupias esse imitatorem, ut nullum alium quam solum Deum laboris tui et laudatorem desideres, et remuneratorem. Sic, dum in te ipso exerces sanctitatem, proximo autem impendis sollicitudinem, Deo quoque re-

Digitized by Google

ctam offers intentionem : sobrie, juste, pie vivis in hoc sæculo (*Tit.* II, 12), ut securus de cætero, exspectes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei ; dum sic et tibi parcus, et proximo promptus, et Deo fueris devotus.

XVII. Hæc si sollicite agis, Filio Dei, fratri videlicet tuo, venienti occurris. Sed considerate post hæc, quoniam qui venit, Deus et homo est, et cum una persona Deus et homo sit, in eo quod homo est, pro nobis interpellat : in eo vero quod Deus est, nos adjuvat. In eo quod homo, dum ex compassione miseriæ nostræ nobis proximus est ; nostrum quodammodo una nobiscum sentit periculum ; in eo vero quod Deus, dum per unionem nostræ in eo assumptæ naturæ a nobis non remotus est, etiam efficax nobis confert remedium : in homine, quod imitemur ; in Deo quod desideremus. Cum tamen non sit alius, et alius, de quo loquimur : sed unus idemque mediator Dei et hominum, Deus, et homo, Dominus noster Jesus Christus (*I Tim.* II, 5). Sed, quia pro eo quod jam multa diximus, quem habemus in manibus, cogimur finire sermonem, non possumus ad præsens his diutius immorari, quamvis adhuc nonnulla occurrant, quæ videantur non debere prætermitti. Igitur et huic venienti occurritis, si sic per exemplum currere studetis, quod proponitur in imo, ut ad primum conemini pertingere, 20 quod proponitur in summo, ascendentes et descendentes super Filium hominis. Et his quidem modis occurrere debetis Sponso vestro venienti, et Salvatori, Filio Dei, eidemque Deo et homini, qui cum Patre et Spiritu sancto Deus est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO V.

ITEM DOMINICA I IN ADVENTU DOMINI.

De quinque generibus visionum.

SYNOPSIS SERMONIS.—1. In visione Dei omnis boni s:tietas. — 2. Ubi bona Domini, et terræ viventium.—3. In præsenti, nec vere vivimus, nec videmus quod demum in statu beatitudinis consequemur.—4. Aliter a mundis, aliter ab immundis corde Deus hic videtur.—5. Qualiter visionem intellectus, et qualiter comitetur affectus.—6. Fructuosa visio, quam sanctitas meretur ; quod in typo expressit Jacob.—7. Deus visus a Moyse in rubo quid portenderit.—8. Mortuo Ozia rege, videt Isaias Dominum, et meritoriæ visionis conditiones probantur.—9. Quinque genera visionum, quarum postrema sol est futuræ patriæ. — 10. A visionibus singula cavenda nebula. — 11. Prima est creaturarum contemplatio, et qua ejus nebula —12. Secunda, per visitationes divinas, vel imagines. Ejus nebula.—13. Tertia est fidei. Ejus nebula. — 14. Quarta, per spiritalem unctionem, ac multiplicem operationem. — 15. Nebula cavenda segniorum affectuum. — 16. Discretionis necessitas.

Aspiciens a longe, ecce video Dei potentiam venientem ; et nebulam totam terram tegentem. Quam felices sunt, qui cor ubique mundum circumferunt ! Felices, inquam, quia veracem ab ipsa veritate promissionem acceperunt, quod Deum visuri sunt. *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). O si vel tenuiter nobis daretur, etsi non gustare, odorare saltem quam suavis dulcedo quamque dulcis sit suavitas in visione Dei ! Quid citra devotæ animæ sufficere valet, quid ultra quærere debet ? et quidem esset fortassis aliqua sufficientia, si quid laudabile sine ea citra esset. Deberet nihilominus aliquid quæri ultra, si quid ultra vel esset, vel esse posset. Nunc vero cum nihil non videntibus adsit, nihil videntibus desit, citra impatiens non quiescit ; ultra, utpote jam pacata, se non extendit. Quid magis desideratur quam vita ? est vita animæ visio Dei.

II. *Credo*, ait sanctus David, *videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVI 13). Quæ putamus bona Domini, nisi ipsum Dominum ? neque enim aliud bona Domini, et aliud ipse. Quia quod habet hoc est. Quæ quidem in numero plurali expressa sunt, cum in eum numerus non cadat, propter multam ejus magnitudinem, quam nulla mensura constringit : et propter magnam multitudinem, quam nec aliquis numerus includit, asserente Propheta quoniam *magnitudinis ejus non est finis* (*Psal.* CXLIV, 3) ; et : quia *sapientiæ ejus non est numerus* (*Psal.* CXLVI, 5) ; et : *Magna multitudo dulcedinis* suæ, *quam* abscondit *timentibus se* (*Psal.* XXX, 20), patefecit autem sperantibus in se Et bona dicuntur magis quam suavia, et dulcia quam pretiosa, vel speciosa ; quam congrua vel utilia, aut aliquid in hunc modum. Quia si quod est aliud quod probabile sit, in hoc verbo instauratur. Credidit ergo Propheta videre bona Domini in terra viventium : ubi idem est videre quod vivere. Et quare hic ea non vidit, nisi quia in terra morientium est ? Quis hic videat, qui nec habet ut vivat ? *Ego*, inquit, *vivo et vos vivetis* (*Joan.* XIV, 29). Ergo futurum est, ut vivamus ; ita perfecto, ut et videamus. *Vivemus*, ait sanctus Osee, *in conspectu Domini, et sciemus* (*Ose.* VI, 3). Ecce vita, ecce et visio. Sed utraque in futuro, non autem in præsenti est.

III. *Omnes morimur*, ait mulier quædam, *et quasi aquæ delabimur in terram quæ non revertuntur* (*II Reg.* XIV, 14). Aquarum in terram lapsus hominis est nunquam permanens status. Qui enim quodam modo nec habet essentiam, quomodo habet visionem, cum naturaliter videre præcedat esse ? de quibus aquis aperte dicitur, quod non revertuntur. Inde ergo morimur, quia quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. Quia *recordatus est*, ait Propheta, *quia caro sunt : spiritus vadens, et non rediens* (*Psal.* LXXVII, 39). Merito sanctus patriarcha habitat ad puteum cujus nomen Videntis et viventis (*Gen.* XVII, 14), ut interim immoretur perfectus apud intimum profundum hujus, de qua loquimur visionis vitalis, et vitæ videntis : ad instar aquilæ ad præceptum Domini elevatæ, quæ ponit in arduis nidum suum (*Job* XXXIX, 27). Deo quoque in regno similem esse, nonne magnæ, ut in sermone præcedenti jam diximus, felicitatis est ? et videre eum, similem ei esse est. 21 *Similes*, ait, *illi eri-*

Digitized by Google

mus, *quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III, 2); hæc itaque causa quia ei similes erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Nonne Deus lux, incommutabilitas et æternitas est? videndo autem lucem erimus et nos lucidi, videndo autem incommutabilitatem, et nos efficiemur incommutabiles; videndo æternum, erimus et nos perennes. Et ita sentiendum est etiam de aliis, quæ in hunc modum sunt. Hoc autem maximum et pretiosissimum, dulcissimum et suavissimum Deum videlicet videre, quem qui mundo corde sunt, habent in promissione.

IV. Est alia quoque visio, qua etiam in præsenti videtur Deus, licet non in se ipso, etsi qui videtur, sit ipse. Et videtur quidem ab illis quos hac gratia dignos judicat, quos et ipsos mundos corde esse oportet. Neque enim vel hæc visio, nisi a mundis cordibus apprehendi potest. Hæc est quæ per imagines sive mentis sive corporis ostensas oculis, aut etiam per unctionem (*I Joan.* II, 27), quæ docet de omnibus; fideli animæ confertur, qua vel raptim per intellectum vel securitate certa per fidem videt. *Beati*, inquit, *oculi qui vident quod vos videtis* (*Luc.* X, 23). Sic enim oculis carnis hominem videbant, ut in eodem, oculis fidei, Deum, quæ per dilectionem operatur, non omitterent. Sed damnabilis eos deprimebat cæcitas etiam oculos habentes, qui per diem incurrentes tenebras, et quasi in nocte sic palpantes in meridie, in ipsam lucem impegerunt. De quibus dicitur: *Nunc autem viderunt, et oderunt* (*Joan.* XV, 24). Viderunt infirmitatem quam irriderent, non virtutem quam honorarent: impii namque erant. Et *tollatur impius*, ait Scriptura, *ne videat gloriam Dei* (*Isai.* XXXV, 3). Viderunt naturæ assumptæ ignominiam, non gratiam assumentis. Denique viderunt eum, in quo non erat eis aspectus; et quasi abjectus vultus ejus, et despectus. Unde nec reputatus est ab eis. Non autem viderunt, in quo intuitus est eum sanctus David, speciosum *forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 3) multo minus autem in quo desiderant eum angeli prospicere (*I Petr.* I, 12).

V. Hæc autem visio fidei, qua Deus cernitur absens et præsens. Præsens quidem per fidem, absens autem per speciem. Cum [*al.* cum autem, vel quidem] per visitationem aliquam honoratur, et per unctionem internam dulcoratur: plena nimirum et perfecta claritate potitur: ita duntaxat si et visionem rectus intellectus, et unctionem discretus comitetur affectus. Quia hunc, cui hæc visio indulgetur, et visitatio excitat ad admirationem, et unctio inflammat ad affectionem. Et unctio quidem nunquam sine affectu est: est autem quam sæpe visitatio sine intellectu: inungere namque afficere est, non item visitare est illuminare, sicut nec idem, quæ videatur rem ostendere, et quo videatur, oculum præbere. Visitatus est quondam per somnium Pharao, visitatus est et Nabuchodonosor. Sed quod in visitationibus, illis utrisque regibus somnium: hoc sanctis Joseph et Danieli prophetia fuit. Illis enim visio non intellecta solummodo somniatores; istos autem intelligentia prophetas fecit. Hæc autem divinæ visitationis visio licet reprobis nonnunquam sine intellectu; electis vero multo cum intellectu datur. Sed tunc fructuose confertur, cum eam præcedens sanctitas meretur.

VI. Vidit enim quamdam scalam Jacob (*Gen.* XXVIII, 11): sed prius, ut legitis, de terra sua exivit: post solis occasum ad quemdam locum venit, de jacentibus lapidibus unum tulit, capiti supposuit, et in eodem loco obdormivit. Simili modo et tu exi de terra tua, in qua vitiis et peccatis nutritus es: cadente fervore tentationis, quo urebaris, locum adi sanctæ conversationis de sanctis multis, quos si dinumeras super arenam multiplicabuntur: unum de multis, Sanctum videlicet sanctorum, elige, per imitationem menti tuæ suppone, et in conversatione eadem, perseveranti quiete, et quieta perseverantia plenæ omnium visibilium mortificationi intende. Si ita te Dominus dimiserit per vias rectas ostendet tibi regnum Dei, dans tibi scientiam sanctorum, ut pariter et sublimia videas et visa intelligas.

VII. Moyses quoque et ipse visionem vidit (*Exod* III, 3); in una videlicet eademque re ignem, sed non ustionem: visionem plane, ut ipse confitetur magnam. Sed legimus quod prius oves pavit, ad interiora deserti minavit, ad montem Dei venit. Ita et tu innocuas intra te cogitationes et simplices nutri; contemnendo visibilia: deduc eas ad intima secreti per puritatem defæcatæ mentis, quantum tibi divinitus datur; volatu boni desiderii, ad ipsam altitudinem Dei. Tunc dignus eris ignem videre in rubo ardentem, sed rubum non comburentem: ut scias quia in una eademque Christi persona, nec naturam superiorem inferioris assumptio 22 imminuit, nec inferiorem glorificatio superioris consumpsit. Quod ita sit crede; sed cur, vel commodo ita sit, omnino discutere non præsume. Ne, si dixeris cum Moyse: *Vadam, et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus* (*ibid.*); videns Dominus quod pergis ad videndum, dicat tibi: ne appropies huc: ne scrutator majestatis opprimaris a gloria.

VIII. De Isaia legimus, quia vidit Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum; sed hoc non nisi post [*al.* prius] mortem Oziæ regis. Sic enim legitis: *In anno quo mortuus est rex Ozias vidit Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* (*Isa.* VI, 1). Moriatur in te præsumptio superbiæ, moriatur et lepra luxuriæ, et est mortuus præsumptuosus rex, et leprosus. Tunc mundus carne et humilis, in mente intueri mereberis Dominum præsentem intelligentiæ creaturæ rationalis et angelicæ a casu custoditæ, et humanæ per misericordiam Redemptoris a lapsu erectæ. Igitur nec in terra sua scalam vidit Jacob, nec in Ægypto Moyses ignem in rubo ardentem, sed non comburentem; nec Isaias Dominum sedentem super solium

Digitized by Google

excelsum et elevatum, nisi mortuo rege Ozia. Visionem itaque divinæ manifestationis sanctitas promereatur [*al.* promeretur], ut sit : intellectus assequatur, ut fructuosa sit : fides regat, ne temeraria sit; unctio dulcoret, ut sapida sit. Quia et in futuro visio faciei ad faciem providebit, ut unaquæque harum visionum renumerata sit.

IX. Est adhuc quædam visio, quæ in ordine debet esse prima, quæ et in commune omnibus proponitur : inspectio videlicet visibilium creaturarum. In promptu namque omni utenti [*al.* omnium utentium] ratione est, *invisibilia* Dei *per ea, quæ facta sunt, intellecta* conspicere (*Rom.* I, 20); sed absque præcedentibus, quas breviter attigimus, visionibus, hæc omnino infructuosa est. En quinquepartitam vobis proposuimus visionem. Intelligite mysterium, magis autem sentite fructum. Prima est in creaturarum inspectione; secunda in mystica visitatione; tertia in fidei cognitione; quarta, in interna unctione; quinta, in ipsius Dei, sicuti est, visione. Et prima quidem ad cognitionem invitat, secunda clarificat, tertia gubernat, quarta inflammat, quinta plene beatificat. Primæ quatuor, quasi quædam in præsentis vitæ nocte, lucentes stellæ sunt, nam quinta sine ullo defectu æterno lumine fulgens futuræ patriæ sol est. Quis enim ibi Dei invisibilia per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere opus habebit, ubi quæ modo invisibilia sunt, visibilia erunt? Quis ibi per somnia, seu visiones nocturnas, Deum opus habebit videre, per speculum in ænigmate, ubi omnes facie ad faciem videbimus? (*I Cor.* XIII, 12.) Quis ibi ambulabit per fidem, ubi omnes cernunt per speciem? sed nec spiritus tunc, sicut nunc, habebimus unctionem, quem ibi tenebimus, et non dimittemus, quibus ita se æterna illa infundet charitas, ut nulla nos ab ea in æternum divertat satietas.

X. Sed cum stellæ sint, moneo, ut omnis quæ eas in aliquo obscurare potest diligenter nebula caveatur. Abigatur sollicite a lumine primæ stellæ nebula, quæ est levitas voluptuosæ sensualitatis. A lumine secundæ, nebula, quæ est seductio diabolici phantasmatis. A lumine tertiæ, nebula, quæ est præsumptio temerariæ perscrutationis. A lumine quartæ, nebula, quæ est nimietas deceptricis indiscretionis. Hoc est quadripartitum lumen in quo videbimus et nebulam non quidem aliquam partem terræ, sed in multis totam terram tegentem. Potentia Dei lux est. Et in luce hac quadripartita videmus lucem potentiæ, diem; tenebras vero nebulæ, noctem. Tu ergo, qui puritati contemplationis in mente insistis, aspiciens a longe, vide Dei potentiam venientem. Aspice, et vide. Hoc est, contemplare et intellige. Sed aspice a longe, contemplare profunde. A longe namque sunt, quæ profunda, quæ intima sunt. Nonne a longe esse videntur, quæ in exordio mundi fuerunt, et quæ in fine mundi erunt; illa jam facta, hæc vero facienda?

XI. Itaque si opera Dei admiranda, et stupenda, pia curiositate perscrutaris : si a summis cœli usque ad ima terræ; si a supremo omnium creaturarum cardine neque ad inferiorem earum, ut ita dixerim, basim, in contemplatione mentis tuæ oculum perducis : si quæ solummodo sunt [*al.* si non solummodo quæ sunt], si quæ sunt et vivunt, sentiunt et discernunt, mundo oculo perspicis, et tantorum ac talium Deum conditorem, dispositorem ac provisorem admiraris : nonne Dei ad te potentia venit quæ in operibus ejus visibilibus tam admirandis, super invisibili ejus potentia obstupescis? Sed cave in hac consideratione 23 tua, nebulam, quæ totam solet tegere terram. Etenim animalis homo nullatenus percipiens quæ Dei sunt, quia stultitia est illi, et non potest intelligere (*I Cor.* II, 14), continuo tamen præ oculis habens, quæ condita sunt. Intuetur quidem opera Dei, sed oculo carnis voluptuoso, non aspectu mentis contemplativo. Utens superbe et libidinose creaturis ad injuriam Creatoris, ac proinde ad cumulum propriæ damnationis. Nonne in isto terram nebula tegit, dum in eo ex toto voluptuosæ sensualitatis levitas, et interius mentem per appetitum illicitum obscurat, et exterius carnem per opus nefarium fœdat? Quod cum ita sit, considerate, quoniam ubi justus in admirationem divinam erigitur; ibi impius in libidinem propriam prosternitur; et ubi Dei ad illum potentia venit, ibi in isto totam terram nebula tegit. Dum et ipse invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciens (*Rom.* I, 20), sempiternam quoque ejus virtutem et divinitatem venerando et laudando admiratur; et iste, quæ quidem facta sunt conspiciens, sed solum in eis cupiditatis propriæ explementum quærens, sive in eis mentis elationem sive carnis corruptionem adimplere conatur.

XII. Post hæc aspice a longe in secundo genere contemplationis, quod brevius superius perstrinximus, et vide Dei potentiam venientem. Quod nimirum facis, dum ea quæ ad te sunt, sive occulte per divinas visitationes, sive aperte per aliquas rerum imagines sane intelligis, et recte interpretaris, ut Dei et in eis potentiam admireris. Nonne Dei ad Jacob per scalam potentia venit, quam vidit, qui pavens ait : *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam? Quam terribilis est locus iste! non est aliud nisi domus Dei et porta cœli* (*Gen.* XXVIII, 17). Nonne ad patrem, et fratres Joseph in somniis, quæ et ipse vidit, Dei potentia venit, cum a fratribus dicitur : *Nunquid rex noster eris, et subjiciemur ditioni tuæ?* (*Gen.* XXXVII, 8.) Et a patre : *Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? nunquid ego et mater tua, et fratres tui adorabimus te super terram?* (*Ibid.*, 10.) Nonne ad eumdem Joseph in somniis Pharaonis Dei potentia venit (*Gen.* XLI, 1), qui, quod Deus potenter postmodum facturus fuit, in eisdem somniorum visionibus plene intellexit? Quid de Daniele dicemus? Nonne et ipse regis somnia audiens, in statua ex diversis metallis compacta (*Dan.* II, 45); in lapide de monte sine manibus ex-

Digitized by Google

eiso; in arbore quæ universam terram implevit, Dei potentiam venientem vidit, dum potentiæ ejus opera postea potenter adimplenda, in eisdem somniis aspexit? Ipse quoque apostolorum princeps vidit nova, audivit facienda, dixit vera, et in his omnibus Dei potentiam vidit; et descendens vas quoddam, velut linteum magnum quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo omnia reptilia, et quadrupedia continebantur. Qui invitatus mactare et manducare, sed renuens, commune et immundum eatenus se non comedisse asserens, audivit : *Quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris* (*Act.* x, 15). Sciens vero postmodum illa terrena animalia, Cornelium loquor, et ejus necessarios amicos, intra vas fidei admittenda, visionem quam vidit, spiritu discernens, aiebat : *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus. Sed in omni gente qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi* (*ibid.*, 34). Et infra : *Mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem* (*ibid.*, 28). Sed hic necesse est prudens quisque sollicite vigilet, quia hic maxime se solet Satanas transfigurare in angelum lucis, ne forte nebula tota ejus terra tegatur, et videre se Dei potentiam venientem arbitretur. Multi enim diabolici phantasmatis seductione illusi sunt, et honorari se divina visitatione æstimaverunt, sicque totam earum terram nebula texit, quia mentem eorum erroris phantastici caligo obscuravit. Propter quod, charissimi, nolite fallaciis intendere somniorum, ne seducamini : *Multos enim*, ut Scriptura ait, *errare fecerunt somnia, et illusiones vanæ, et exciderunt sperantes in illis* (*Eccli.* xxxiv, 7). Et iterum alia Scriptura dicit : *Non augurabimini, neque observabitis somnia* (*Levit.* xix, 26). Et vos ne vice claritatis potentiæ Dei, obscuritatem suscipiatis nebulæ.

XIII. Sed et oculis fidei solet quam maxime Dei potentia veniens videri. Quis enim alius est oculus, quo filius per mortem videtur ignominiosam descendere [*al.* in foveam descendere]; ascendere autem filius resurrectionis? Quo alio quam oculo fidei sub specie panis et vini veritas corporis et sanguinis Christi videtur? similiter et in aliis sacramentis, dum aliud est ipsum velamen, quod exterius cernitur, aliud vero ipsa rei veritas, quæ esse inibi creditur, procul dubio Dei est potentia, quæ ibi veniens videtur. Sed et hic nihilominus oportet, ut tenebrosi hostis caliginosa claritas, quæ vera nebula est, exploretur, explorata deprehendatur, deprehensa 24 devitetur, ne præsumentes plus sapere quam oportet sapere. Quæ sola attingi possunt fide humana conemur discutere ratione. Si enim bestia tetigerit montem, lapidari in Exodo jubetur (*Exod.* xix, 12); et quod de sacrosanctis agni carnibus edere non sufficimus, igni præcipimur reservare (*Exod.* xii, 10). Quod aliter agentes nonnulli, dum majestatem potentiæ Dei nimis irreverenter perscrutati sunt, oppressi a gloria nebulæ in tenebras irruerunt, quia dum arcana fidei reverenter humiliter noluerunt, justo Dei judicio cæcati, in tenebras erroris corruerunt.

XIV. Videndum post hæc quia unctio, quæ docet de omnibus, dat nobis potissimum videre Dei potentiam venientem. Paracletus namque spiritus sanctus, quem mittit Pater in nomine Filii, ipse nos docet, et suggerit nobis, [quæcunque idem Filius dicit nobis (*Joan.* xiv, 26). Ipse nos docet omnem veritatem; ipse etiam quæ ventura sunt annuntiat nobis. Ipse nos non modo ad cognitionem illuminat, sed ad affectionem inflammat. Et variis quidem modis varios in nobis affectus format. Modo enim peccata, quæ jam commisimus, mentis nostræ oculis opponit et ad pœnitentiam pectora nostra excitans, dolore nos maximo ferit. Modo nobis quantam et in carne, et in mente infirmitatem circumferimus, demonstrat, et omnem in nobis superbiam perimens, in suo nos conspectu humiliat; aliquando vero, quam nullius momenti sunt omnia temporalia ostendit, et ante mentis nostræ oculos universa quæ hic volvuntur vilipendens, in eorum nos contemptum viriliter erigit. Nonnunquam quam sit terribilis Dominus super filios hominum nos erudit, et occulta ejus judicia valde formidanda asserens (*Psal.* lxv, 5), timore nos validissimo concutit. Plerumque horribiles inferni pœnas considerationis nostræ oculis repræsentat, et earum immanitatem modis diversis et horridis in mente transcribens, cruciatu nos vehementissimo deterret. Ipsa etiam festa supernæ patriæ, ipsa gaudia internæ claritatis, nostris aliquando mentibus per aspirationem sui amoris imprimit, et quam sit eorum et felicitas æterna, et æternitas felix, lectissimis in corde schematibus depingens, in eorum nos appetitum atque desiderium vehementer accendit. Nonnunquam etiam ad perfectionis culmen totis desideriis ascendere per piam conversationem, et ad intuenda sanctorum præcedentium exempla nos excitat, ut Jeremiam de profundo non solum funes, sed et panni veteres extrahant (*Jer.* xxviii, 6); et ostenso nobis, ut Ezechieli præcipitur, templo metientes fabricam (*Ezech.* xlv, 10), confundamur et erubescamus ex omnibus quæ fecimus.

XV. Nonne in his omnibus Dei potentiam venientem videtis? sed necesse est ut et hic nebulam terram tegentem, indiscretionem animam seducentem, caveatis. Quamplures enim multoties vidimus in his quos nunc breviter attigimus, affectibus graviter fuisse deceptos et quia discretionis medium ignorabant, claudicantes a semitis suis, quod virtutem esse putaverunt grave postmodum peccatum fuisse deprehenderunt, et in quo se putabant ad ascensum posse pertingere sanctitatis, in eo versa vice, in magnam præcipitati sunt ruinam pravitatis. Sicque dum videre se Dei potentiam venientem arbitrati sunt, nebula totam eorum terram tectam vel sero ingemuerunt, dolentes per viam ambulasse, quæ recta eis visa est; sed ejus ducunt novissima ad mortem (*Prov.* xiv, 12). Clare igitur ex verbis

Digitized by Google

istis apparet quæ in omni cui intendimus negotio spirituali, sic virtutes exercere debeamus, quatenus, quæ eis contraria sunt vitia, totis devitare viribus studeamus, ne, si incaute per iter virtutum incedimus, ab eo declinantes, in vitiorum foveam proruamus.

XVI. Et idcirco, sive in creaturarum inspectione, seu in divina visitatione; vel in fidei credulitate, aut in interna etiam unctione aliquid nobis suggeratur, quamvis probabile videatur, sollicita tamen primum a nobis perscrutatione discutiatur, et tunc demum diligenter discussa admittatur. Unde et post hæc [*al.* posterius hoc] commonendo dicimus (246) : *Quique terrigenæ et filii hominum, simul in unum dives et pauper* (*Psal.* XLVIII, 3), *ite obviam ei*, subjungimus et orando hoc modo : *Qui regis Israel, intende; qui deducis velut ovem Joseph : qui sedes super cherubim, nuntia nobis si tu es ipse* (*Psal.* LXXIX, 2). Succedit post hæc vox ista deprecatoria, qua oramus sic : *Excita, Domine, potentiam tuam et veni, ut salves facias nos, qui regnaturus es in populo Israel.* Et cum oratio ad duos sequentes versus pertineat : in primo oramus, ut nuntiet nobis si ipse est, in secundo, ut veniat ad salvandum nos, qui regnaturus est in populo, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

25 SERMO VI.

ITEM DOMINICA I IN ADVENTU DOMINI.

De cautela quæ in spiritualibus visionibus habenda est, et de mysterio adventus Christi.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Ad primum contemplationis genus spectant terrigenæ. — 2. Ad secundum, filii hominum, quorum gradus triplex. — 3. Ad tertium, divites. — 4. Ad quartum, pauperes. — 5. Insigne elogium charitatis. — 6. Quid sit Israel regi, Joseph velut ovem deduci, et super cherubim sedere. — 7. Activi et contemplativi in schola dilectionis erudiendi. — 8. Convenienter prænoscitur, qui Salvator advenire nuntiatur. — 9. Quale remedium hominibus statim Deus providerit a lapsu. — 10. Hominem pœna infirmum, culpa fecerat cæcum. — 11. Salvator mox subvenit, qui tantum in fine pervenit. — 12. Adventus ejus in dictis et factis prophetarum, diversisque sacramentis. — 13. Imperfectior notitia Redemptoris in lege naturæ, quam scripta, aut prophetarum. — 14. Trium temporum apta epigraphe. — 15. Deus amabilis in sanctis, suavis in electis, in seipso incomprehensibilis. — 16. Ut prophetæ noverunt mysteria redemptionis. — 17. Per lignum victus, et victor homo.

I. In præcedenti sermone, quatuor diximus esse genera speculationum : quorum primum creaturarum est inspectio; secundum, divina visitatio; tertium, fidei cognitio; quartum, interna unctio. Et hi quatuor sunt qui admonentur, ut eant venienti obviam (247). *Terrigenæ*, *filii hominum*, *divites*, *pauperes* (*Psal.* XLVIII, 3). Ad primum speculationis genus terrigenæ pertinere videntur, quorum proprium est invisibilium Dei cognitionem per visibilium inspectionem meditari. Hoc autem genus speculationis quasi primus ad contemplationem ascendere volentibus gradus est. Quo tamen soli indigent terrigenæ, qui in hoc, de terra geniti non incongrue dicuntur, eo quod nulla nisi sola Dei visibilia conspicantur. Non autem eo indigent cœlicolæ, qui Deum facie ad faciem intuentur (*I Cor.* XIII, 12). Sed eant hi terrigenæ obviam, et dicant : *Nuntia nobis si tu es ipse* (*Psal.* LXXIX, 1), quia erudiri quam maxime indigent inspectores isti ut sciant quomodo puritas defæcatæ considerationis erigit in admirationem. Quia vero fœditas voluptuosæ sensualitatis profluit in libidinem, caveant ne putantes suscipere regem Israel, regem suscipiant Babylonis : dum volentes ad divinam in pura visione pertingere laudem, a bono illo abstracti, et ad malum, per propriam voluptatem [*al.* voluntatem] illecti (*Jac.* I, 14), ad vitiorum proruant confusionem, et omittentes enutriri in croceis, amplectantur stercora (*Thren.* IV, 5).

II. Ad secundum speculationis genus filii hominum spectant. Hoc loco filios hominum imitatores accipimus perfectorum. Sunt enim homines culpabiles, sunt et fragiles; sunt autem et rationales. De primis Apostolus : *Cum*, inquit, *sit inter vos zelus et contentio, nonne homines estis?* (*I Cor.* III, 3.) Id est dum per invidiam invicem zelatis, dum per iram invicem offenditis, jure vos culpandos esse monstratis. De secundis Psalmista : *Sciant*, inquit, *gentes, quoniam homines sunt* (*Psal.* IX, 21). Id est intelligant quam debiles et fragiles sunt. De tertiis idem Psalmista : *Homines*, inquit, *et jumenta salvabis, Domine* (*Psal.* XXXV, 7). Id est non solum summa ratione præditos, sed humili simplicitate compositos ad spiritualem salutem vocabis. Legitur et de his in libro Job : *Respiciet homines, et dicet : Peccavi* (*Job* XXXIII, 27). Ut dum alios contra oblectamenta peccati mentis ratione persistere considerat, ipse quoque peccati dominio se enerviter subjacuisse ingemiscat. Tales autem hominum filii, perfectorum videlicet imitatores, quos sua Dominus visitatione judicat non indignos, eant et ipsi obviam ei et dicant : *Nuntia nobis si tu es ipse.* Ne ipsi quodammodo seducti, illusionem diabolici phantasmatis honorem æstiment divinæ visitationis.

III. Divites autem abundantes in fide vocamus. *Divites* namque *in fide elegit Dominus, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se* (*Jac.* II, 5), qui et ipsi necesse habent ire obviam ei et dicere : *Nuntia nobis.* Ut per rectam eis ire regulam donet, ne qui simplicem tenendo fidem, in summo valent stare credulitatis, temere perscrutando, in blasphemiam incidant erroris.

IV. Pauperes humiles sunt. Hi sunt, quibus lubenter Spiritus ille veritatis gratiam suæ unctionis infundit, ut valles abundent frumento (*Isai.* LXIV, 14) et *mansuetis*, ut Salomon ait, *des*

(246) In Officio ecclesiastico.

(247) Ex I Resp. primi noct. Dom. I Adventus.

Digitized by Google

gratiam (*Prov.* III, 34); *Super quem enim requiescet spiritus Domini, nisi super humilem et quietum et trementem verba ejus?* (*Isai.* LXVI, 1.) Sed et isti nihilominus non omittant ire obviam ei et dicere ut nuntiet eis. Quatenus discretione spirituum ornati, evidenter deprehendant quid illud sit, quod spiritus **26** ille veritatis infundit ad salvationem : quid item, quod spiritus ille seductorius suggerit ad deceptionem. Sed ad agnoscenda arcana hæc, et occulta, non solum quærendo, sed et orando pertingemus. Et sæpe pius invenit pulsator quod temerarius non meretur perscrutator. Et ideo non solum debemus ei ire obviam, sed in hanc etiam vocem prorumpere, et dicere : *Qui* (248) *regis Israel, intende; qui deducis velut ovem Joseph; qui sedes super cherubim, nuntia nobis, si tu es ipse* (*Psal.* LXXIX, 2).

V. Scitis, fratres, quia omnium virtutum primatum charitas tenet. Si enim charitas parcit, remissa pietas non est; et si charitas corrigit, districtio rigida non est. Si ipsa erigente in contemplatione sublimaris, non errabis, quia mente excedis Deo (*II Cor.* XV, 13). Si ipsa moderante ad actionem descendis, non præcipitaberis, quia sobrius es nobis. Hæc namque, de qua loquimur, charitas, scala est, cujus inferior pars terram, summitas vero tangit cœlum. Quæ et ipsum Dominum sibi gerit innixum (*Gen.* XXVIII, 12, et seq.), qui paratus est remunerare non solum ascendentes, sed etiam descendentes. si tamen hoc solum curatum fuerit, ut super Filium hominis ascendant et descendant (*Joan.* I, 51). Igitur per Israel visio accipitur divinæ contemplationis, per Joseph augmentum bonæ actionis, per cherubim perfectio dilectionis, quia cherubim *plenitudo scientiæ* dicitur. Et, attestante Paulo, *plenitudo legis est dilectio* (*Rom.* XIII, 10). Sed Israel regitur, quia in contemplatione maxime, ne aberremus, gubernari a Domino indigemus. Multi enim visione divinæ contemplationis illuminati sunt, sed quia Deum in hac visione peccatis suis exigentibus, ductorem et dispositorem non habuerunt, luminis, quod super se emicabat, et cui temerarie, utpote sine duce [*al.* ductore] intendebant, immensitate reverberati, in tenebras caliginosi erroris devoluti sunt. Joseph velut ovis deducitur, quia vadit de virtute in virtutem, simplex, active, velut ovis de pascuis ad pascua. Ut quasi tot pascuis ovis pinguescat, quod sanctis actionibus egregius operator insistere non cessat. Sed quia qualiter vel contemplando viri sancti excedere Deo, vel bene operando sobrii esse debeant, nobis matris charitatis disponere est, postquam [*al.* et ideo postquam] regit Israel, postquam deducit Joseph, etiam sedere Dominus super cherubim perhibetur. Ut in quiete geminæ charitatis plene addiscant, vel quando omissa, ad tempus, actione vacare debeant contemplationi propter dulcedinem Dei, vel subtracta contemplatione, insistere actioni, propter necessitatem proximi.

VII. *Qui* ergo *regis Israel, intende*, id est, disponis contemplativos, ne aberrent : *Qui deducis velut ovem Joseph*, id est de actione in actionem provehis simplices, activos, ne tepescant. *Qui sedes super cherubim*, id est tam activos quam contemplativos in schola dilectionis erudis, ne vel isti temere scrutando in errorem, vel illi desidiose negligendo incidant in teporem. *Nuntia nobis, si tu es ipse*, ut lumine claritatis clarificati agnoscamus qualiter contemplari, qualiter etiam debeamus operari. Et ardore item ejusdem claritatis inflammati, sciamus quomodo te, et affectare debeamus per desiderium amoris; et promereri queamus per exercitium laboris. Quæ vero posthæc in subsequenti versu dicuntur : *Manifestare* (249) *coram Ephraim, Benjamin et Manasse*, plenam omnium visibilium designat oblivionem; quæ non nisi per solam perfectam acquiritur dilectionem. Igitur, postquam eundo ei obviam, de seipso percunctati sumus; postquam orando an ipse sit, ut nobis nuntiet, deprecati sumus, certi jam de ipso effecti, ut ad salvandum nos veniat, oremus et dicamus : *Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos.*

VIII. Nonne hunc tenuit ordinem sanctus Josue, qui videns angelum requisivit dicens : *Noster es an adversariorum?* (*Josue* V, 13 et seqq.) Qui postquam agnovit quis esset, ad obediendum promptum se et paratum exhibuit. *Quid*, inquit, *Dominus loquitur ad servum suum?* Ipse quoque apostolorum primus venire ad Dominum supra mare voluit; sed prius, an ipse esset, erudiri optavit : *Domine*, inquit, *si tu es, jube me venire ad te super aquas* (*Matth.* XIV, 28). Potentiam suam excitat, cum nos salvare decernit, quia si decrevit salvare nos, continuo liberabimur. Venit, cum gratiam nobis salutis impendit. Salvat vero, cum salutis perseverantiam tribuens, ipsum plene ac perfecte in nobis morbum captivitatis evacuat.

IX. Est adhuc in verbis istis sensus alius, minus quidem subtilis, sed magis communis, quem breviter jam percurremus, quia debitum exposcit sermonis hujus prolixitas finem. Scitis quia versutia diabolica prolapso homine in culpam, ac per hoc depresso et in pœnam, idem hostis versipellis, qui eum primitus fraudulenter, postmodum violenter tenuit, ut ei non sufficeret, quod stantem prostraverat, nisi tyrannidis suæ dominium **27** exerceret et in prostratum. Itaque tam miserabiliter seductus, tamque graviter culpæ simul ac pœnæ vinculis ligatus, nisi ei, qui solus potuit, gratuita sua gratia succurreret : æternæ damnationis jugum nullatenus evadere posset. Providens ergo Deus gratiam salvationis ejus, providit et modum ejusdem redemptionis. Salvationem videlicet homi-

(248) Ex Officio eccles. Dom. primæ Adventus.

(249) Ex officio eccles. ubi sup.

Digitized by Google

nis præfiniens in homine Christo quatenus juxta id quod Apostolus ait : *Sicut per unum hominem mors, per hominem esset et resurrectio mortuorum* (*I Cor.* xv, 21). Atque ut nominibus suis nostrum et captivatorem exprimat, et liberatorem : *Sicut in Adam*, inquit, *omnes morimur, ita et in Christo omnes vivificamur* (*ibid.*, 22). Quia vero statim postquam peccaverat, pœna ab ipso mundi exordio, et in corpore homo per pœnam mortalitatis, et in anima ægrotare cœpit per culpam iniquitatis, missus est confestim etiam ex tunc medicus ad curandum. Missus, inquam, et si non in se ipso, in remediis tamen suis missus est, diversis videlicet sacramentorum generibus ad spiritualem hominis curationem institutis. Qui per singulas ætates mundi pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo (*Act.* x, 38), et intra sinum salvatricis gratiæ collocans, quotquot erant præordinati ad vitam æternam (*Act.* xiii, 48).

X. Ad hominem itaque miserum et miserabilem, quem et pœna debilitatis infirmum, et culpa ignorantiæ fecerat cæcum, venit potens sapientia, et sapiens potentia Dei, ut ejus et ignorantiam illuminaret sapiens, et infirmitatem roboraret potens. Venit, inquam, et a principio venit, qui in fine pervenit, saliens, ut dicit sponsa, in montibus patriarcharum, et transiliens colles prophetarum : donec miserationem induens et veritatem, similis fieret, capreæ hinnuloque cervorum. Stans quidem post parietem nostrum, sub velamine infirmitatis nostræ, virtutem suæ rectitudinis occultans, respiciens tamen per fenestras divinorum, quæ in homine gessit operum, et prospiciens per cancellos salubrium, quæ protulit verborum (*Cant.* ii, 8 et seqq.). Quatenus videntes opera, quæ dedit ei Pater ut perficiat ea quæ et testimonium perhibent de eo (*Joan.* v, 36), dicamus ei : *Scimus quia a Deo venisti, magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo* (*Joan.* iii, 2). Et audientes nihilominus verba ejus, quæ spiritus et vita sunt, in hanc vocem et nos prorumpamus : *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo* (*Joan.* vii, 46), quia, quem misit Deus, verba Dei loquitur. Itaque ab eo tempore asserimus eum venisse, quo scimus eum subvenisse. In fine quoque pervenisse dicimus, quando in ea forma visibilis apparuit, in qua specialiter operatus est salutem nostram in medio terræ (*Psal.* lxxiii, 12).

XI. Quia enim ægrotanti homini in remediis sacramentorum, oblationum et sacrificiorum et diversorum mandatorum atque præceptorum tam in figuris patriarcharum quam in dictis prophetarum ab ipso ægritudinis suæ exordio subvenit, non incongrue dicimus de eo, quoniam ex tunc ipse venit. Nam, sicut de rege aliquo vulgo solet dici, quod tunc venit, quando, prævenientibus ejus militibus, adventus ipsius nuntiatur, licet longo fortassis post tempore ipse quoque venturus sit ita et magnus Rex noster Dominus Christus in patriarchis et prophetis ipsum prævenientibus et adventum ejus undique nuntiantibus, et ipse quodammodo venit. Nonne in Apocalypsi de Agno legimus dictum : *Agni, qui occisus est, ab origine mundi?* (*Apoc.* xiii, 8.) Quomodo enim ab origine mundi occisus fuit? pro eo quod ab origine mundi fuerunt hi, pro quibus in fine mundi occisus fuit. Ita et ab origine mundi quodam modo venit, quia nullo tempore defuerunt hi pro quibus in fine mundi venit ; quibus etiam prius profuit adventus ejus quam adfuit. Quanquam nullo modo prodesset, nisi aliquando adesset. Eodem namque ejus adventu in se quidem adhuc futuro, illi in ipso mundi exordio salvati sunt : quo nos jam, eo præterito, in quos fines sæculorum devenerunt (*I Cor.* x, 11), salvamur. Quia *et qui præibant, et qui sequebantur eum clamabant : Hosanna* (*Joan.* xii, 13). Ut unus idemque et præcedentium esset salvator, qui futurus erat, et subsequentium.

XII. Aspice ergo a longe et vide Dei potentiam venientem, id est contemplare profunde et intellige Patris virtutem Christum Dominum nostrum ad humani generis redemptionem in oraculis patriarcharum et dictis prophetarum, in sacramentis tam legis naturalis, quam scriptæ appropiantem. Vide et nebulam totam terram tegentem, hostem videlicet illum caliginosum, diabolum loquor, reprobos, qui relictis cœlestibus terrena inordinate diligendo, et ipsi terra [*al.* et cætera] fiunt per ignorantiam, semper magis ac magis obscurantem [*al.* obscurati], sicut enim ab ipso mundi exordio, eo, quo superius diximus, modo, in electis suis Dei potentia venit ita et in reprobis totam 28 terram nebula diaboli texit. Quia quemadmodum in viris sanctis evidenter adventum Filii Dei agnoscimus, sic et versuti hostis tenebras in impiis videmus. Aspiciamus itaque a longe, et contemplemur innocentiam Abel, obedientiam Noe, bonam verecundiam Sem et Japhet, fidem Abrahæ, munditiam Isaac, tolerantiam Jacob, pudicitiam Joseph, mansuetudinem Moysis, sanctitatem Aaron, zelum quem exercuit Phinees, fortitudinem Josue, simplicitatem Samuelis, humilitatem David. Admiremur etiam diversa genera sacramentorum, quæ partim sub lege naturali, partim sub scripta lege instituta sunt. Admiremur nihilominus patriarcharum facta, prophetarum dicta ; legamus etiam omnia, quæ scripta in lege Moysi et prophetis, et psalmis de Christo. Nec dicere jam poterit quis quin videamus potentiam Dei venientem. Aspiciamus eam a longe, et videamus tot nationes sub cœlo, ab ipso mundi exordio tenebris diabolicis involutas, sine Deo in hoc mundo existentes, ad simulacra muta ductas, et pereuntes, relictis, imo prorsus ignoratis cœlestibus, et terrena totis affectibus amplectentes, et intueamur nebulam totam terram tegentem.

XIII. Sed Dei nostri potentia, quam a longe aspexerunt venientem, quo longius fugit, eo minus nota fuit. Sub lege namque naturali nisi paucissimis, quænam humano generi redemptio exhibenda erat, non patebat. Sub lege autem agnovit homo

Digitized by Google

per legem peccatum, sed quia neminem ad perfectum adduxit lex (*Hebr.* VII, 6), sentiens quia non est data, quæ posset justificare, cœpit anxie quærere redemptionem suam. Et cum multi eo tempore Salvatorem ad liberandum hominem venturum agnoscerent : quæ tamen persona ad hoc negotium salutiferum ventura erat, sive homo videlicet, sive angelus, non nisi pauci sciebant. Postea vero temporibus prophetarum multifariam, multisque modis loquente Deo patribus in prophetis (*Hebr.* I, 1), agnita est a multis, et persona Redemptoris, et modus redemptionis. Quo videlicet Filius Dei, et in carne venturus, et in eadem carne pro homine erat moriturus. Qui autem eo tempore hujus jubaris lumine clarificati sunt, ut tantus ac talis redemptor festinanter adveniret : non modo internis affectibus exoptabant, sed crebris atque devotis, ut passim legitis in libris prophetarum, precibus expetebant. Unde et quidam ait : *Utinam disrumperes cœlos et venires* (*Isai.* LXIV, 17). Sponsa quoque in Canticis : *Quis mihi*, inquit, *det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, et inveniam te foris?* (*Cant.* VIII, 1.) *Foris eum* invenire voluit ; ut qui intus in divinitate latuit, in humanitate foris visibilis appareret. Psalmista quoque, quomodo et hujus Redemptoris exposcit adventum vestræ, ut opinor, diligentiæ occultum non est.

XIV. Hæc itaque tria tempora sunt, naturalis legis, et tempus Scripturæ, et tempus prophetarum in quibus, dum ad liberandum hominem sacramenta, et mandata atque præcepta, et oracula plura Dei potentia præmisit, et ipsa quodam modo in eisdem temporibus Dei potentia venit. Ad quæ profecto tempora hi tres sequentes versus pertinere videntur. Qui enim tempore naturalis legis naturali cognitione contenti quasi *terrigenæ*. Qui humana erant ratione præditi, quasi *filii hominum*. Qui sensu subtili sublevatus, *ut dives*, qui simplicitate compositus erat, ut pauper ; ibant ei obviam observando atque exercendo quæ tunc instituta erant sacramenta, venientem Dei potentiam suscipiebant. Qui vero sub lege existentes venturum Redemptorem præsciebant, sed personam ejus ignorantes, an homo, an angelus futurus erat, requirebant : hanc sibi quodammodo vocem vindicabant, et dicebant : *Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph ; qui sedes super cherubim, nuntia nobis si tu es ipse* (*Psal.* LXXIX, 2) ; hoc est dicere : qui te nobis per legem venturum ostendis etiam per prophetas dic nobis si *tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* (*Matth.* XI, 3.) Tu dic qui te facie ad faciem videntes angelos regis, qui et sanctos homines per quos electorum, quem salvare intendis, quotidie numerum adauges, de virtute in virtutem provehis, ut pastor bonus de pastu ad pastum ducis oves, ut et ipsi quandoque cum veris Israelitis videant te Deum deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII, 8). Qui denique in teipso omnino incomprehensibilis existens scientiam tam angelorum quam hominum transcendis, qui ascendens super cherubim, et volans super pennas ventorum (*Psal.* CIII, 3), tam sensum beatorum illorum spirituum, quam intellectum fidelium excedis animarum.

XV. In quibus verbis innuitur, quid Deus sit in electis angelis, quid in hominibus sanctis, quid etiam in seipso. Quia interno suo regimine angelos a lapsu custodiens, et in beata atque beatificante 29 sui ipsius visione, semper retinens, in eis est amabilis. Homines, ut quos secundum propositum vocat sanctos, quibus et omnia cooperari facit in bonum præsciens, et prædestinans eos conformes fieri imaginis Filii sui (*Rom.* VIII, 28) : *Quos et elegit in Christo ante mundi constitutionem, ut sint sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate* (*Ephes.* I, 4) ; dum eos et per veniam emundat, et per justitiam exornat, miro eos et misericordi modo disponens, de malis ad bona revocans, de bonis ad meliora provehens : in eis dulcis est per omnia, et suavis et multæ misericordiæ. In seipso autem dum pax illa exsuperat omnem sensum (*Philipp.* IV, 7), dum sapientiæ ejus non est numerus, dum magnitudinis ejus non est finis, incomprehensibilis et inæstimabilis est.

XVI. Qui vero prophetarum temporibus exstiterunt, et personam Redemptoris, modumque ex dictis prophetarum evangelizantium intellexerunt, Redemptorem ut veniret votis omnibus precabantur, hanc sibi vocem assumentes, et dicentes : *Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos, qui regnaturus es in populo Israel* (*Psal.* LXXIX, 3). Excita miserando, veni carnem assumendo, salva in cruce moriendo. Excita, Domine, potentiam tuam, ut exsultes quasi gigas ad currendam viam (*Psal.* XVIII, 6), alacrem te exhibens in opere nostræ redemptionis, et fortem. Veni, ut in forma hominis visibilis appareas, formam tamen Dei non amittens, sed retinens, et manum ponens in ambobus (*Job* IX, 33), et utrumque arguens, utpote mediator unius non existens, ut homo pro homine satisfacias, et Deus Deo hominem conjungas, reum reconcilians, atque offensum placans.

XVII. Et ad extremum ut hæc ita sint, morere in ligno, ut sanguis tuus innocens peccatum expiet ; quod erat commissum in ligno. Quatenus sicut in Adam omnes morimur, ita et in Christo omnes vivificemur (*I Cor.* XV, 22). Sic sic, Domine, tu qui regnaturus es in Israel ; sive illo populo, qui te nunc absentem per fidem, sive illo, qui præsentem contemplatur per speciem, excita potentiam tuam exsurgendo, et miserendo Sion, quia tempus miserendi ejus jam venit (*Psal.* CI, 14). Et veni exinaniens temetipsum, servi formam accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Philipp.* II, 7), salvos nos fac : ut te moriente pro peccatis nostris, justificati nunc in sanguine tuo, salvi simus ab ira per te, qui cum Patre et Spiritu, Deus, es benedictus in sæcula. Amen.

Digitized by Google

SERMO VII.

DOMINICA II IN ADVENTU DOMINI.

De fide sanctæ Ecclesiæ et de vocatione Synagogæ ad fidem.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Christus revelavit se Ecclesiæ ex gentibus. — 2. Figuratur in Isaac Christi, et Rebecca Ecclesiæ typum gerentibus. — 3. Major Christi dilectio in Ecclesiam, quam Synagogam. — 4. Adumbratur in regina Saba, et civitate justi, id est Jerusalem. — 5. Vineæ sinistra acceptio Synagogam, acediam, hypocrisim notat. — 6. Æqua vineæ acceptio S. Scripturam, fidem rectam, Christi imitationem designat. — 7 Montes Babylonis Judæi perfidi, spiritus maligni, homines superbi. — 8. Per montes Jerusalem sublimitas sanctitatis, doctrinæ, contemplationis signatur. — 9. Status Ecclesiæ diversus per colles, valles, campos expressus. — 10. Gaudium Ecclesiæ ob gentiles ad fidem conversos. — 11. Judæorum reprobatio, et invidentia quanta. — 12. Sub finem ad Christum convertentur. — 13. Ad convertendos Judæos apostrophe. — 14. Quorum conversio in Scripturis præfigurata.

(250) *Jerusalem, plantabis vineam in montibus tuis, et exsultabis, quia dies Domini veniet. Surge, Sion, convertere ad Deum tuum: gaude et lætare, Jacob, quia de medio gentium Salvator tuus veniet.* Verba ista prophetica, profunda, et gravida sunt, et attentum requirunt auditorem. Et ideo invocandus est benignus ille spiritus sapientiæ, quatenus qui inspiravit, ut primitus dicerentur, det et modo, ut recte intelligantur, tam nobis qui prædicaturi sumus quam vobis qui audituri estis. Prophetatur Jerusalem quod vineam plantabit in montibus suis, et quod exsultabit pro eo, quod dies Domini veniet. Sion vero admonetur ut surgat et ad Deum suum convertatur. Ad Jacob autem dicitur ut gaudeat et lætetur, nec tacetur et lætitiæ suæ causa, *quia de medio*, inquit, *gentium Salvator tuus adveniet.* Quæ singula ad perscrutandam magni sacramenti profunditatem nos invitant, nec a fructu fraudabimur inventionis, si impigri in inquirendo fuerimus. **30** Ergo puto, si vobis aliquid profundius ad præsens non patet, quod quantum ad sensum allegoricum de fide Ecclesiæ, de cognitione veritatis, qua illi primi et summi principes ejus illuminati sunt, in his verbis sacrosanctis mentio fiat. Apparens namque in carne Filius Dei, qui vere, juxta Pauli sententiam, *est pax nostra faciens utraque unum, pacificans suo sanguine et quæ in cœlis, et quæ in terra sunt* (*Col.* I, 20). Ecclesiæ de gentibus se revelavit, ut revelatus videretur; visus quoque diligeretur.

II. Utpote verus noster Isaac, gaudium nobis conferens, quod nemo tollit a nobis. Qui egressus in agrum ad meditandum, inclinata jam die (*Gen.* XXIV, 63), in fine videlicet temporum, exiens a Patre, et veniens in mundum, ut operaretur opera, et faceret voluntatem ejus, qui misit illum (*Joan.* IV, 34), cujus lex meditatio ejus fuit. Veniens itaque Rebecca, Ecclesiam de gentibus exprimens, et edocta per servum suum Patris nostri, prædicatorum scilicet ordinem, quis filius Domini sui esset, qui apparuit, A viso eo, qui pax nostra est, ut Jerusalem, quæ *visio pacis* dicitur, ex re nomen haberet, de altitudine superbiæ ad ima humilitatis, et ad regulam fidei de fortitudine incredulitatis descendit, tollens boni operis velamen, et operiens se, sciens beatos, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* XXXI, 1). Hæc itaque spiritualis est illa Rebecca, quæ, ex quo vidit Isaac, descendit, et pallio se operuit (*Gen.* XXIV, 66), quia ex quo Christum Ecclesia gentibus per fidem agnovit, humiliavit se, et tegmine boni operis ornavit se; quam in tabernaculum matris suæ inducens, sibi in sponsam assumpsit. Ut multi ab Oriente venirent et Occidente; et recumberent cum fidelibus patribus in regno Dei, cum ipsi filii regni, pro eo quod Sara mortua est, B ejiciantur in tenebras exteriores (*Matth.* VIII, 11).

III. Quam etiam in tantum dilexit; ut dolorem, qui ex morte matris acciderat, temperaret. Quantumvis, si dolet Isaias lapides cecidisse, hæc ei sit consolatio, quod quadris lapidibus ædificat, et pro sycomoris succisis, cedros immutat. Quod tunc nimirum actum est, quando Judæis carnalibus in perfidiam lapsis, stabiles et perfecti de gentibus viri, ad ædificationem hujus, de qua loquimur, Jerusalem vocati sunt, et loco fatuorum, qui in Synagoga fuerunt, contemplativi surrexerunt.

IV. Hæc est illa regina, quæ audita fama *pacifici* nostri, hoc enim interpretari dicunt nomen istud, quod est Salomon, de ultimis finibus properare non omisit ad eum (*III Reg.* X, 1); astans nunc a dextris ejus in vestitu deaurato circumamicta varietate C (*Psal.* XLIV, 10): dum uni Domino in unius fidei et baptismatis unitate ac ornamento [*al.* unitatis ornamento], diversi in ea fidelium ordines obsequuntur. Hæc itaque, Ecclesia videlicet sancta, sive uxor Isaac, sive regina veniens ad Salomonem. Hæc nihilominus civitas justi, urbs fidelis, quæ visa pace sua suscepit eam populo suo ut Jerusalem vocetur, et sit. Plantare non omisit vineam; primum quidem in montibus suis, ut postmodum plantaret in collibus; plantaret in campis, plantaret denique et in vallibus. Ut capitis unguentum, non modo descenderet in barbam, sed ad ipsam etiam influeret oram vestimenti (*Psal.* CXXXII, 2), ut non sit qui se abs- D condat a calore ejus (*Psal.* XVIII, 7). Quod non est aliud, nisi quia sancta Ecclesia ipsis, qui in ea fuerunt, summis viris primum fidei gratiam contulit, et deinde ipsis mediantibus ad inferiores eam transmisit.

V. Sed sciendum quia vinea est quam nullatenus plantat Jerusalem in montibus suis. Est enim quasi vinea Synagoga, de qua dicitur in Canticis: *Vineam meam non custodivi* (*Cant.* I, 5), quia Synagogam ob incredulitatem a se Dominus abjecit. Est et vinea negligentis cujuslibet vita, ut in parabolis Salomon, *per vineam*, inquit, *transivi viri stulti* (*Prov.* XXIV, 30). Id est, vitam intuitus sum hominis negligentis. Est etiam vinea hypocrisis, de qua dicitur in Job

(250) Ex primo Responsorio tertii nocturni Dominicæ secundæ Adventus.

Digitized by Google

Quia lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus (*Job* xv, 33). Pro eo quod actio hypocritæ per laudis humanæ favorem, corrumpitur in prima sua ostensione. Verum nullam istarum vinearum plantat in montibus suis Jerusalem, quia nec Synagogæ amaritudinem, nec negligentiæ teporem, nec hypocrisis duplicitatem sancta Ecclesia sublimibus viris suis committit.

VI. Sed est vinea, quam studiose plantat Jerusalem, illam videlicet, quæ Christus est. De qua in Canticis dicitur, *Videamus, si floruit vinea* (*Cant.* vi, 12), id est, explorent ecclesiastici viri, si in hominibus per fidem floruit Christus. Plantat et vineam fidei, de qua legitis in Genesi dictum de Juda: quia *ligaturus erat ad vineam pullum suum* (*Gen.* xlix, 11). Pro eo quod vinculis fidei ligaturus sibi erat Christus populum gentium. Sacræ etiam Scripturæ vineam plantat, de qua scriptum habetis in Job: 31 quod vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiavit (*Job* xxiv, 6). Quia hæretici, scripturam viri catholici, quem affixerunt, sibi vindicant. Hæc itaque triplex vinea est, quam Jerusalem plantat in montibus suis, quoddam videlicet triplicis gratiæ insigne, quod sancta committit Ecclesia sublimibus viris suis, Scriptura sancta, fides recta, imitatio Christi, ut Scripturam sacram prædicatores audiant ad instructionem, fidem suscipiant ad confirmationem, Christum imitentur ad perfectionem.

VII. Prophetatur igitur huic nostræ Jerusalem quod vineam plantabit in montibus suis. Et bene in montibus suis; sunt enim montes quidam, quos alloquens in libro Regum propheta. *Montes*, ait, *Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos* (*II Reg.* i, 21). Quia infidelium Judæorum superbæ mentes, qui Christum occiderunt, prædicationem veritatis non suscipiunt. Sunt montes, homines superbi, de quibus habetis in Job quod *Beemoth herbas ferunt* (*Job* xl, 15); pro eo quod superbi quique diabolum per elationem pascunt. Sunt et montes spiritus maligni, sicut legitis apud Habacuc quod *contriti sunt montes sæculi* (*Habac.* iii, 6), quia per Christum destructi sunt spiritus maligni, qui sunt principes mundi. Igitur Judæi perfidi, spiritus maligni, homines superbi, montes quidem sunt, sed montes Babylonis, non montes Jerusalem.

VIII. Sunt alii montes, videlicet Angeli sancti. De quibus Psalmista: *Priusquam*, inquit, *montes fierent*, id est, antequam Angeli crearentur, *tu es Deus* (*Psal.* lxxxix, 2). Prophetæ quoque sancti montes sunt, ut legitis, quod *fundamenta ejus*, haud dubium, quin Ecclesiæ, *in montibus sanctis* (*Psal.* lxxxvi, 1), quia ipsa sancta Ecclesia fundatur in prophetis. Nonne et apostoli montes sunt, ad quos dicit Psalmista, levasse se oculos suos (*Psal.* cxx, 1) pro eo quod cordis sui intuitum ad doctrinam erexit apostolorum? Montes etiam præcepta sublimia sunt, ut dicit David, quod *montes excelsi cervis* (*Psal.* ciii, 18). Quia præcepta sublimia pertinent ad perfectos. Sed et duo Testamenta montes sunt, ut ait Psalmista: *quia inter medium montium pertransibunt aquæ* (*Ibid.*, 3), in consensu videlicet duorum Testamentorum discurrent fluenta doctrinæ. Prædicatores nihilominus montes sunt, quia juxta sententiam Psalmistæ, *suscipiunt montes pacem populo* (*Psal.* lxxi, 3). Quod non est dictum, nisi quia pœnitentiam nuntiant prædicatores subjectis. Quod si et internas contemplationes per montes accepimus, non erit qui juste nos reprehendat, pro eo quod legimus in Job dictum de onagro, quia *circumspicit montes pascuæ suæ* (*Job* xxxix, 8). Quia considerat perfectus quilibet altitudinem internarum contemplationum, in quibus devotæ animæ pastus, et refectio est. Populi etiam gentiles ad fidem vocati montes sunt, sicut legimus in libro Machabæorum quod *refulsit sol in clypeos aureos, et resplenduerunt montes ab eis* (*I Mach.* vi, 9). Quia luxit cognitio, et arsit dilectio spiritus in apostolis sanctis, et per illos clarificati sunt populi de gentilitate electi.

IX. Isti, quos modo breviter commemoravimus, montes sunt Jerusalem, in quibus vineam plantat, dum ipsis confertur apostolis, plena imitatio Christi, quibus dicit: *Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim* (*Matth.* xix, 28). Dum prædicatoribus tribuitur gratia doctrinæ, quibus Dominus dat verbum evangelizantibus virtute multa (*Psal.* lxvii, 12); dum summis de gentilitate viris datur robur fidei, quasi quædam firma stabilitas, quæ illis inest quadris lapidibus, de quibus superius fecimus mentionem, qui cadentibus lateribus in ædificationem assumpti sunt (*Isa.* ix, 10). Ab his montibus derivatum est sanctitatis meritum ad inferiores, quia suscipientibus eis populo hanc triplicem pacem, ipsis mediantibus donum susceperunt gratiæ, non solum qui in clivo ascendunt consiliorum per justitiam, et colles sunt: sed et qui emergunt ab imo peccatorum per pœnitentiam, et valles sunt, et qui in plano ambulant præceptorum, et campi sunt. Et videte quomodo montes isti in robore fidei, sobrii sunt ad seipsos; in doctrina verbi, justi ad proximos; in imitatione Christi, pii ad Deum, ut secure perinde exspectare possint beatam spem et adventum gloriæ magni Dei (*Tit.* ii, 13). Quatenus impleatur, quod nostræ post hæc prophetatur Jerusalem: quod exsultabunt videlicet ligna, veniet dies Domini. Et hoc reor esse quod ait Psalmista: *Exsultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quoniam venit* (*Psal.* xxv, 12). Ligna silvarum sunt gentiles, qui, dum adhuc per fidem culti non erant, silvestres omnino fuerunt.

X. Si autem scire volueris quomodo hæc ligna silvarum exsultaverunt ante faciem Domini, quoniam venit, ut scias consequenter quomodo mater tua Jerusalem exsultaverit, quia dies Domini venit, lege librum Actuum apostolorum. Ubi pro eo quod Judæi repulerunt verbum Dei indignos se judicantes æternæ 32 vitæ, apostoli se convertebant ad

Digitized by Google

gentes (*Act.* xv, 40). Quid ibi scriptum est? *Audientes*, inquit, *gentes gavisæ sunt, et glorificaverunt verbum Dei, et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam* (*ibid.*, 48). Hæc itaque est exsultatio matris nostræ Jerusalem, quæ postquam plantavit vineam in montibus suis, vidit diem Domini venientem, fulgorem videlicet claritatis divinæ coruscare super filios suos, ut orto super eam Domino, et visa gloria ejus in ea; ambulent gentes in lumine hoc, et reges in splendore isto. Nec mirum quod exsultet Jerusalem quando diem Domini venientem videt, quia filios suos de longe venire, et filias suas de latere surgere aspiciens, affluebat, et mirabatur, et dilatabat cor suum, pro eo quod conversa fuit ad eam multitudo maris, fortitudo gentium venit ei (*Isa.* lx, 4).

XI. Sed, cum tanta talisque lætitia in Ecclesia agatur, cur tu, o Synagoga, invidia tabescis? cur tu, o fili senior, qui tandiu moraris in agro, cum fratrem tuum te juniorem, post dissipationem omnis substantiæ suæ, a patre audis susceptum, primæ innocentiæ stola indutum, annulo fidei, in manu bonæ operationis ornatum, exemplis bonis instructum, quasi calceamentis in pedibus munitum, vitulo quoque saginato occiso, totam familiam angelorum epulantem (*Luc.* xv, 23 et seq.), utpote quibus gaudium est, super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, Judæis scilicet, ad perfectionem numeri centenarii non pertingentibus, qui non indigent pœnitentia (*ibid.*, 7). Quia tu semper cum patre tuo usque ad reditum fratris tui fuisti, et nunquam mandatum ejus præteristi. Cur, inquam, audita symphonia unius fidei et choro dilectionis, ex qua fides operatur: introire ad finem dedignaris? An nescis quia epulari et gaudere te oportet; quia frater tuus mortuus fuerat et revixit, perierat, et inventus est? Nunquid putas, o Esau, quod unam tantum benedictionem habeat pater tuus (*Gen.* xxvii, 38), ut quia jam benedixit Jacob, non possit et benedicere tibi?

XII. Lege in Paulo, quia cæcitas in parte contigit in Israel donec plenitudo gentium introeat, sicque omnis Israel salvus fiat (*Rom.* xi, 25). Quod non est aliud, nisi quia tandiu foris moraris tu; donec instinctu matris gratiæ benedictionem frater tuus junior acquirat paternam, ut vel post sero veniens, et ejulatu magno plorans, et sic te oporteat, disponente patre tuo, servire fratri, audias, quia tempus erit, ut excutias jugum ejus de cervicibus tuis, ut impleatur quod prophetavit Isaias: *Si fuerit numerus Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient, ex eo* (*Isa.* x, 22). Neque enim timendum de duodenni archisynagogi filia, quin eam suscitet Dominus Jesus (*Marc.* v. 41), quia salutem sibi præparaverat ab annis duodecim sanguine fluens mulier, quæ inter turbam comprimentem sola tetigit (*Matth.* ix, 20). Et ideo, quia jam plantavit vineam Jerusalem, in montibus suis, quia exsultavit, eo quod dies venit.

XIII. Surge, o Sion, et convertere ad Deum tuum. Prius surge, et post convertere. Surge, quæ hucusque jacebas; convertere, quæ aversa eras: jacebas per negligentiam, aversa eras per blasphemiam. Surge itaque, o Sion, quæ designas Synagogam. Surge, et convertere, ut diligas, quem neglexisti: credas in eum, quem negasti. Gaude nihilominus, et lætare, o Jacob, quia de medio gentium Salvator tuus veniet. Quis est iste Salvator nisi qui salvum facit populum suum a peccatis eorum Dominus Jesus? (*Matth.* i, 21.) Et hic ubi est modo? Nonne apud gentes? Sustulit namque de carrecto filia Pharaonis Moysen, quia asperitatem deserens Judæorum, venit Jesus ad Ecclesiam de gentibus; in cujus fide et conversatione nunc manet etiam grandis factus; qui parvulus apud parentes proprios, Judæos loquor, nutritus est. Sed veniet tempus, quando et Judæi clamabunt ad Dominum a facie tribulantis (*Isa.* xix, 20); et hunc, de quo loquimur, Moysen, mittet eis Salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos. Veniet quoque tunc ad te, o Jacob, de medio gentium Salvator tuus. Quia ex Ægypto vocavit Dominus filium suum (*Matth.* ii, 15) et de Ægypto cum parentibus Jesus, ad terram Israel redibit, ut dolens nudus noster, qui nudus egressus est de utero matris suæ, nudus revertatur illuc.

XIV. Et quando hoc erit? Quando illum incipies, o Jacob, esurire panem, qui de cœlo descendit: quem modo fastidis perniciose? Et audiens frumentum venundari in Ægypto, mittes illuc filios tuos, quibus se revelavit verus ille Joseph (*Gen.* xlii; 1, etc.), quem nos lingua nostra vocamus Salvatorem mundi, eisque, ad te, officium legationis injanget, et dicet: *Ite, et adducite eum ad me, ut possit vivere.* Verum est omnino, o Jacob, verum est, quod est, quia vivere nullatenus potes, nisi venias ad Joseph. Tunc ad te 33 venient legati ex Ægypto, et dicent: *Joseph filius tuus vivit, et ipse dominatur in tota terra Ægypti* (*Gen.* xlv, 26 et seq.), et enarrabunt tibi omnem gloriam suam. Quo audito, reviviscet spiritus tuus, ut postquam aures audiendi habueris, spiritualem in fide vitam acquiras, et de gravi somno infidelitatis evigilans, in hanc vel sero vocem erumpes, et dices: *Vadam, et videbo eum, antequam moriar* (*ibid.*, 28). Gratias Deo, quod vitam jam tuam, intelligis esse in visione Joseph. Consentis namque cum eo, dum ille præcepit, quatenus ad hoc adducaris, ut possis vivere. Tu autem dicis velle te videre eum; antequam moriaris. Itaque, fratres, de sancta ac spirituali lætitia, quam nunc in filiis suis Ecclesia de gentibus habet, de reversione quoque Judæorum ad fidem, quæ in fine erit, hæc verba prophetica ad laudem Dei exposuimus, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

SERMO VIII.

ITEM DOMINICA II IN ADVENTU DOMINI.

De triplici sanctæ Ecclesiæ statu.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Triplex status Ecclesiæ per Sion, Jacob, Jerusalem expositus. — 2. In suo exortu recte Sion dicta, et quare. — 3. In progressu, ob persecutiones, dicta Jacob. — 4. Persecutores ejus sunt facti propugnatores ejus, et hostes cives. — 5. Velut Jacob primogenita tulit Esau, id est, principes gentium obsequio fidei subegit. — 6. In tertio statu Ecclesia dicta Jerusalem ob datam pacem. — 7. Exercitationes in pace frequentandæ. — 8. Quartus status in die Domini ac exsultatione claritatis ejus. — 9. Hæc ipsa statuum diversitas per Arcturum, Orionas, Hyadas, et interiora austri signatur. — 10. A missione Spiritus sancti, martyres, deinde doctores floruerunt. — 11. Restant interiora austri, id est, sinus patriæ cœlestis.

1. Si quis vestrum, charissimi, hæc verba superius posita, de sola Ecclesia, quæ de gentibus ad fidem vocata est, intelligere voluerit, dicere poterit eam diversis his nominibus, Sion videlicet, Jacob, et Jerusalem, secundum diversos ejus status appellari: cum ipsa tamen toto orbe terrarum una sit, dicente Sponso in Canticis, *quia una est columba mea, perfecta mea* (*Cant.* VI, 8), quanquam Psalmista, circumdatam asserit varietate (*Psal.* XLIV, 12). Videntur enim mihi tres esse status Ecclesiæ ad hæc tria nomina pertinentes. Et primus quidem est, in quo ad Deum suum conversa, redemptoris sui personam, et modum speculans [*al.* speculatur] redemptionis suæ. Quia et hoc sonare videtur nomen istud, quod est Sion. Secundus, in quo exercitata, et multis anxietatum turbinibus afflicta, in eo ad extremum, qui vincit mundum, adversarios suos supplantavit et vicit. Ut merito propter hunc statum, nomen Jacob, quod interpretatur *supplantator*, ei possit aptari. Tertius vero est, in quo pacificata, et sopitis retroactis perturbationibus, jam quieti reddita libere intendere potest spiritualibus plantandis vineis, et exsultare ob hanc diem Domini, quæ tanta super eam claritate effulsit. Quia, ut scitis, Jerusalem, *pacis visio* dicitur.

II. Primum siquidem mater nostra Sion videns per speculum in ænigmate, unam eamdemque in Christo personam, Deum esse, et hominem, videns Filium, ac per hoc et Patrem suum, videns nihilominus opera, quæ dedit ei Pater, ut perficiat ea, quæ et testimonium perhibent de eo (*Joan.* V, 36) puduit mox eam prostrationis suæ, puduit aversionis, et surgens a fovea negligentiæ, convertens etiam se a blasphemia perfidiæ, cœpit credere in eum, quem primitus nescivit. Cœpit diligere, quem primum contempsit, ut esset in ea, illa, de qua loquitur Apostolus, *fides, quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* V, 6). His itaque duabus viis surgens, et convertens ad Deum suum, pervenit Sion, recte videlicet in eum credendo: et eum ardenter amando, ne si per unam sine altera incederet, plene ad eum pertingere non posset. Si enim sane sapuit Paulus: *Sine fide impossibile est placere Deo.* (*Hebr.* XII, 6). Et, ut A sensit coapostolus ejus Jacobus: *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II, 26). Hanc devote obtulit oblationem pusillus ille grex, quibus complacuit Patri dare regnum, qui reliquerunt omnia, et secuti sunt Christum (*Luc.* XII, 32). Hanc quoque, quam devote offerre studuit Ecclesia primitiva in Jerosolymis, de quibus legitis quia *multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia* (*Act.* IV, 32). Et item: *Omnes etiam qui credebant erant pariter, et habebant omnia communia* (*Act.* II, 49).

III. Sed hæc fides atque dilectio multis est statim afflictionibus perturbata; multis persecutionibus vexata. Venit 34 namque tempus, de quo Propheta B ille magnus prophetavit, potens opere ac sermone, quia, *pressuram in mundo erant habituri* (*Joan.* XVI, 33), quam hujusmodi verbis definivit. *Injicient*, inquit, *in vobis manus suas, et persequentur, tradentque vos in conciliis suis, et in Synagogis suis flagellabunt vos, et ante reges et præsides ducemini propter me, et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum* (*Matth.* X, 17). Sed hæc omnia cum gaudio continuerunt; nec tantis tribulationibus vel a fidei rectitudine incurvari, vel ab ardore charitatis poterant tepescere. Nonne de apostolis legitis quia: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu, contumeliam pati?* (*Act.* V, 41.) Item scitis, quia tamen convenerunt eos Judæi, ut C nomen Jesu sub modio silentii ponerent constanter responderunt: *Non possumus quæ audivimus et vidimus non loqui* (*Act.* IV, 20). De Ecclesia quoque primitiva habetis quia *facta est persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, et dispersi sunt per regiones Samariæ* (*Act.* VIII, 1). Et quid in sequentibus legitis? Igitur qui dispersi fuerant, pertransibant *evangelizantes verbum* (*ibid.*, 4). Quomodo digne admirabimur vas illud electionis? scitis de quo loquor: cui Dominus ostendit, quanta oportuit eum pro nomine suo pati (*Act.* IX, 16). En virgis cæditur, lapidibus obruitur, pelago submergitur, pericula sustinet latronum, pericula ex genere, pericula ex gentibus, pericula in civitate, pericula in solitudine, et quæ magis ei molesta erant, pericula ex falsis fra D tribus (*II Cor.* II, 26). Supra modum gravatus est, et supra virtutem, ita ut tædeat eum etiam vivere (*II Cor.* I, 8). Sed in his omnibus verbum Dei non est alligatum, nec cessat adimplere ea quæ desunt, passionum Christi, in carne ejus; pro corpore suo, quod est Ecclesia (*Coloss.* I, 24).

IV. His ergo omnibus tempestatum turbinibus tepere non potuit ignis ille, quem de excelso misit Dominus in ossibus eorum (*Thren.* I, 13), non deficere fides, qua erudivit eos; imo et charitas adaucta, et fides magis ac magis semper erat roborata. Nonne fortis ille athleta, de quo superius fecimus mentionem, dicit se non solum certamen certasse, et cursum consummasse, sed et fidem servasse? (*II Tim.* IV, 7.) Et de charitate quid dicit? *Quis*, inquit, *nos*

Digitized by Google

separabit a charitate Christi? tribulatio an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? (*Rom.* VIII, 35.) Verum ad hæc, negando, sic intulit [*al.* quod sequitur : vel scilicet. Sed inter, etc.] : *Scimus, quod in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos* (*ibid.* 37). Et adjunxit : *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei* (*ibid.*, 38). Ergo occidi poterant tempore illo amici Dei, flecti non poterant; perimi, non superari : quin potius superaverunt moriendo, succumbendo triumpharunt. Non solum autem ; sed et ipsos infideles converterunt ad fidem ; adversarios suos etiam mutaverunt in socios ; in concives inimicos ; persecutores in prædicatores ; ut lingua canum domini esset ab inimicis (*Psal.* LXVII, 24), dum qui primitus adversi fidem expugnabant, jam conversi pro fide latrabant, mori gaudentes pro Christo, quem prius ubique pro viribus persequebantur. Supplantavit profecto hoc tempore persecutionis suæ sancta Ecclesia hostes suos. Supplantavit, inquam, hostes, sed ne diutius essent hostes, imo ut desinentes esse hostes, essent de cætero consortes, quatenus nomen ei, quod est Jacob, posset ex re aptari. Cumque esset Ecclesia astuta, dolo eos cœpit, ut seductrix quidem, sed verax.

V. Juste in hoc statu vocatum est nomen ejus Jacob, pro eo quod primogenita Esau tulit (*Gen.* XXVII, 36) ; dum ipsos primos, et summos rerum dominos, Romanos principes loquor, non solum per patientiam superavit, sed et per miracula ad fidem convertit. Ut jam domino, per ejus fortitudinem et industriam rhinoceros serviat, et moretur ad præsæpe suum, ligatus ad arandum loro, et confringens glebas vallium post eum (*Job* XXXIX, 9, 10), sementem reddens ei, et aream suam congregans, ita ut habeat ipse quoque Dominus fiduciam in magna fortitudine ejus, et derelinquat ei labores suos. Sic gentes quæ non sectabantur, imo persequebantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem, quæ ex fide est (*Rom.* IX, 30). Jam apud eas est Christus intrans, inter eas, et exiens, et loquens de regno Dei. Descriptusque est universus orbis (*Luc.* II, 1), dum Evangelium prædicatur omni creaturæ : et eunt omnes, ut profiteantur singuli in civitatem suam (*ibid.*, 3). Quomodo putatis, jam gaudet, et lætatur mater Ecclesia, quæ in prima statu Sion dicta ; nunc vero nomen quod est Jacob, ex re sibi vindicans, jam videt Salvatorem suum in medio gentium commorari, de medio gentium venire; dum subjectis summis mundi principibus sub jugo fidei et curvatis eorum cervicibus ad crucis opprobrium, et improperium crucifixi conflantur ubique **35** terrarum gladii in vomeres, et lanceæ in falces, nec levat gens contra gentem gladium, nec exercentur ultra ad prælium (*Isa.* II, 4), concurrentibus omnibus in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei (*Ephes.* IV, 13). Quid jam superest, nisi ut dum ei pacis tranquillitas indulta est, a nomine quod est Jacob, in quo laboriosa ejus expressa est lucta, ad nomen illud, pacis insigne præ se ferens conscendat, quod est Jerusalem.

VI. Quæ itaque Sion est in conversione, Jacob in tribulatione, jam est Jerusalem in pacis possessione, speculans personam Redemptoris, et modum redemptionis suæ, et se ad Deum plene convertens in electione apostolorum; desudans in lucta laboriosa, et eos qui contra se luctabantur lucrans ad fidem; in persecutione pacem videns, et acquirens in multorum fide Christianorum. Et in eo maxime quod ad eam conversa est, numerositas regum et principum terrenorum. Sed nunquid [*al.* num], quia pax tibi, o Ecclesia data est, otio indulgebis? indignus profecto pace est qui tempore pacis ab opere justitiæ vacat. Præsertim cum tali hæc duo (de pace loquor et justitia) invicem fœdere conjuncta sint, ut dicat Psalmista : *Justitia, et pax osculatæ sunt.* (*Psal.* LXXXIV, 11). Præmiserat quidem : *Misericordia, et veritas obviaverunt sibi ;* et bene quidem hæc omnia dicta sunt. Nam misericordia sine veritate, nimis mollis remissio, et veritas sine misericordia nimis severa districtio est. Simili modo videte, quia pax sine justitia, quidem est status otiosus ; justitia vero sine pace, motus furiosus.

VII. Non itaque otio tibi licet torpescere, o Ecclesia purificata : maxime cum dicat Scriptura, quia *otiositas inimica est animæ.* Quid ergo facies? plantabis vineam in montibus tuis. Nam eo liberius vineam plantare, plantatam fodere, fossatam stercorare, stercoratam putare, id est fidelium conventum in institutionibus sublimibus instituere, institutum corripere, correptum humiliare, humiliatum purgare vales : quo magis sedatis persecutionum turbinibus, quasi fugatis quibusdam pluviarum ac ventorum, atque nebulosorum frigorum tempestatibus serenus, et per omnia amœnus dies illuxit. Dies Domini, exsultationis, non doloris ; dies pacis, non perturbationis. Coloni itaque et operarii Jerusalem, vineam in montibus plantant, quia prædicatores et doctores Ecclesiæ sacram Scripturam in sententias profundas extendunt, et per sermones sublimes exponunt.

VIII. Et quid post hæc Jerusalem restat nisi in die Domini exsultare, ut eat de pace, ad pacem? De pace quam Dominus relinquit, ad pacem, quam dat (*Joan.* XIV, 27), ut sit ei mensis ex mense, et Sabbatum ex Sabbato (*Isa.* LXVI, 23). Quatenus, quæ nunc, dum vineam plantat in montibus, videt per speculum in ænigmate, tunc, cum dies Dominicæ claritatis effulserit, videat facie ad faciem (*I Cor.* XIII, 12). Quæ nunc cognoscit ex parte, tunc cognoscat, sicut et cognita est, et succedat plantationi vineæ in montibus, exsultatio in die Domini. Ecce quadripartitum sanctæ Ecclesiæ insigne, quia primo spiritualibus videns oculis, Redemptorem et redemptionem suam, surgit, et ad Deum suum se convertit. Secundo,

Digitized by Google

adversarios lucrando, ad fidem salubriter eos supplantat. Tertio, a laboriosa luctam jam libera effecta, et pace redditam, vineam plantat in montibus, dum sacram exponit Scripturam in verbis sublimibus. Quarto, exsultat in die Domini, dum in claritate lætatur beatæ ac beatificantis visionis.

IX. Et videte si non eodem hoc ordine incedit beatus Job de diverso Ecclesiæ statu loquens, ubi dicit primum quidem fecisse *arcturum*, secundo *Orionas*, tertio *Hyadas*, quarto *interiora Austri* (*Job* IX, 9). Ut enim super hæc verba beatus Gregorius (251) non minus nitide dixit quam profunde sensit: Arcturum Dominus fecit, quando septiformis spiritus lumine radiantem in cœlesti conversatione Ecclesiam fundavit. Facto Arcturo fecit. Orionas, quando roborata Ecclesiæ fide contra procella mundi, martyres emisit. Quibus emissis etiam Hyadas protulit, quia convalescentibus contra adversa martyribus, ipsisque jam subductis, repressa etiam infidelitatis hieme, et persecutionis remota tempestate, apparentis quoque pacis tranquillitate, quasi quamdam veris arridentis temperie, ad infundendam ariditatem cordium humanorum, doctrinam spiritualium contulit magistrorum. Post hæc omnia interiora austri fecit, quia secretissimos illos supernæ patriæ sinus, quos calor implet Spiritus sancti, nobis patefecit. »

X. Sic Arcturo facto, quasi lumine septiformis spiritus clarificata Sion, ut ardenter Deum diligendo surgat; recte in eum credendo, ad eum se convertat. Factis autem Orionibus, ut præeuntibus in Ecclesia martyribus, tam per patientiam **36** suam, quam per patrationem miraculorum suorum, supplantatis, cognita etiam fide, ipsis hostibus fidei, de medio gentium proprius contra domum sævientium ipse Salvator veniat, quasi hostibus Gedeonis non modo ob sonitum tubarum, sed et propter fractionem lagenarum, et coruscationem lampadarum in fugam dilapsis. (*Jud.* VII, 19). Factis nihilominus Hyadibus, ut pacificata jam Ecclesia; unde merito ei etiam nomen aptatur, quod est Jerusalem, vineam plantet in montibus, sacram scilicet Scripturam, in sermonibus profundis doctorum exponat

XI. Jam restat ut fiant interiora austri, quatenus Jerusalem exsultet, quia dies Domini venit. Decorum valde est, quod surgente Sion, et ad Deum suum se convertente Dominum ardenter sancta Ecclesia diligit, et in eum recte credit Eo quod supplantante eam salubriter adversarios, per sanctos martyres ad fidem eos lucrando, gaudet et lætatur Jacob, quia de medio gentium Salvator ejus venit. Quia sane et profunde exponentibus in eam Scripturam sacram doctoribus sanctis, Jerusalem plantat vineam in montibus suis. Sed hoc in ea eo pulchrius, quo felicius est, eoque in claritate cœlestis patriæ tripudians exsultat; quia adest jam dies Domini. Simili modo mirum valde est, ut beatus ait Gregorius (252), « quod solidata Ecclesia Arcturum Dominus statuit; quod roboratis contra adversa martyribus, Orionas misit, quod repletis in tranquillitate doctoribus Hyadas præbuit. Sed post hæc valde est admirabile, quod sinum nobis cœlestis patriæ, quasi interiora Austri præparavit. » Et hæc vobis allegorice dicta sufficiant, quæ autem juxta intellectum moralem occurrere poterunt, in sermone vobis altero ostendemus, nec subterfugiemus, quin benigne vobis manifestemus, quidquid vobis per nos mittere dignabitur ille Pater luminum, a quo descendit omne datum optimum, et omne donum perfectum (*Jac.* I, 17). Ex cujus munere est, si quid vel acute sentire, vel nitide possumus proferre, pro utilitate nostra, pro ædificatione vestra, ad laudem et gloriam nominis sui, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

(251) IX, Moral. cap. 9.

SERMO IX.

ITEM DOMINICA II IN ADVENTU DOMINI.

De tribus quæ ad timorem Dei, et de tribus quæ ad amorem ejus pertineant.

SYNOPSIS SERMONIS. 1. Peccatum avertit a summo et prosternit in imo. — 2. Deus peccatori misericordiam et judicium, id est promissa et minas intentat. — 3. Peccati, quod est mors animæ, differentia triplex. Ut curandum a spirituali medico. — 4. Non sapiunt cœlestes deliciæ palato voluptatibus terrenis depravato. — 5. Primum instillanda peccatori sui ipsius notitia, peccati malitia : vitæ brevitas mundi fugacitas. — 6. Deinde horror objiciendus inferni. — 7. Postremo demulcendus promissis. — 8. Timor amore temperandus. — 9. Fons misericordiæ divinæ largus et inexhaustus. — 10. Conversus carnem subigat spiritui, nec avertatur propter ora loquentium iniqua. — 11. Obstrepente linguæ remedium sunt exempla sanctorum. 12. Spes inculcandæ retributionis.

I. Quia aliquandiu allegoricus nos in sermone præcedenti detinuit sensus : quæ moraliter dicenda erant usque modo distulimus. Ut eo avidius ad audiendum conveniretis; quo per intervallum quietis reparati estis. Incumbit itaque nobis ostendere, auxiliante, fine quo nihil possumus, Spiritu sancto, quid sit ad emendationem morum juxta intellectum tropologicum, Sion surgere, et se convertere ad Deum suum. Quid deinde sit Jacob gaudere et lætari, pro eo quod de medio gentium ejus veniat Salvator; quid postremo sit Jerusalem plantare vineam in montibus suis, et cur dicitur ei quod exsultabit, quia dies Domini veniet. Salvo igitur unicuique meliori et profundiori, qui ei super his revelatus est, intellectu, mihi videtur, quod omnis anima, quæ, quod malum est, in affectum admittit; et quod bonum est, per effectum exercere omittit; et in imo prostrata jacet, et a Deo aversa est. Nam criminale aliquid, ut scitis, in mente per amorem amplecti, in imo nimirum prosterni est. Nonne et simili modo illum reputabis ab eo, qui summe bonus est, deviare, qui opere exercere, quod bonum est, abhorret? Sed surgat Sion; surgat, inquam, et **37** convertatur ad Deum suum. Surgat prostrata, et convertatur aversa.

II. Quibus, inquis, modis? timendo et amando.

(252) IX, Moral. cap. 9.

Digitized by Google

Nam per timorem a malo receditur, ut Sion surgat; per amorem ad bonum acceditur, ut ad Deum suum se convertat. Qui igitur in imo prostratus jaces, time aspera comminantis, et surge, qui a Deo tuo aversus es, ama suavitatem promittentis, et ad ipsum convertere. Speculare itaque tam aspera illa quam suavia ista, ut et hæc diligas, et illa pertimescas. Et quidem Deus animam ad se volens corrigere humanam, prius eam aliquando demulcere solet, promittendo; deinde terrere comminando. Sic enim legitis de pio illo Samaritano, qui vulneribus illius, qui semivivus relictus fuerat a latronibus, prius oleum, deinde infudit vinum (*Luc.* x, 34). Et scriba doctus in regno cœlorum, non vetera et nova, sed de thesauro suo profert nova et vetera (*Matth.* xiii, 32). Nonne et Isaias primum inducit Dominum promittentem deinde comminantem? dicit namque de eo in quodam sic: *Si audieritis, et volueritis me, bona terræ comedetis* (*Isa.* i, 19). Suavitatem pollicentis redolent verba hæc. Et statim adduxit quædam, quæ non minus amaritudinem proferunt comminantis. *Quod si nolueritis*, inquit, *et me ad iracundiam provocaveritis gladius devorabit vos* (*ibid.*, 20). Et profecto, ni fallor, ideo dulcis et rectus Dominus noster (*Psal.* xxiv, 8), non rectus et dulcis, quia prius nobis cantandam misericordiam offert, deinde judicium (*Psal.* ci, 1), ut se ostendat semper ad parcendum paratum, ad feriendum autem pigrum. Et cum ferit, forte magis incorrigibili nostra pertinacia ad hoc coactum; quam aliqua sua crudeli iracundia instigatum. Sed licet ipse nobis, quantum in se est, ad instar apis mel in anterioribus effundat; in posterioribus vero aculeum proferat; expedit tamen nobis nonnunquam ut prius nos terreat quam demulceat, quia aliquando nullatenus nobis saperet amor, nisi nos morderet primitus timor. *Initium* enim *sapientiæ timor Domini* (*Psal.* cx, 10).

III. Igitur time gladium hunc, de quo superius fecimus mentionem, devorantem, ut surgas prostratus: ama et bona terræ, ut convertaris aversus. Sed hæc fortassis propter simplices quosque, qui in vobis sunt, magis profuse quam profunde replicanda sunt: peccavit, nescio quis, peccatum grande, et jacet in peccato suo, ac per hoc et in morte. In morte namque esse dixerim, qui in peccato criminali perseverat. Alioquin non diceret Paulus: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* v, 14). Mortuus est itaque aliquis non solum occulte in conscientia, per consensum cum filia principis; quæ mortua jacet in thalamo (*Matth.* ix, 35); sed et aperte per actum cum filio viduæ extra portam elato (*Luc.* vii, 14), fortassis cum Lazaro sepultus est per pravam consuetudinem; fetens etiam per infamiam (*Joan.* ii, 39). Non solum autem sed et superposito lapide pertinaciæ in spelunca conversationis nefariæ deprimitur: et secundum duritiam suam, et cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* ii, 5). Ad hunc itaque qui accedis, cum pertractas verbum, cui [*al.* pertransis verbum, cujus] dispensatio credita est: qualem te ei in prædicationis tuæ exordio exhibebis? Num ei statim supernæ beatitudinis gaudia promittes? bene quidem facies, sed non audiet te. Nam quomodo auribus audiendi audiet te, hymnum cantantem ei de canticis Sion (*Psal.* cxxxvi, 3): qui *sublevatus*, ut ait S. Job, *confortatusque divitiis, tenet tympanum et cytharam, gaudetque ad sonitum organi* (*Job* xxi, 7), vivens secundum carnem, et obediens sibi ipsi, nec prohibens cor suum, quin omni voluptate fruatur, et omnia quæ desiderant oculi ejus, non negans eis.

IV. Quomodo sequetur te, qui venis, eum invitare ad cœnam magnam quem constat villam emisse vanitatis, duxisse uxorem voluptatis: et ad probanda quinque, quæ emit, juga boum (*Luc.* xiv, 18 et seq.), per quinque sensuum curiositatem intendere? nam quas ei offers, sapidissimæ quidem deliciæ sunt: sed ipse nescit eas. Quin potius statim, ut quem ei apponis, viderit panem, in hanc vocem prorumpet et dicet: *Manhu*, quod significat, *quid est hoc?* (*Exod.* xvi, 15) ignorat enim quid sit. Tu vis ut pascatur in croceis, et ille amplexatur stercora (*Thren.* iv, 5); et cupit ventrem implere siliquis porcorum; ad quos pascendos in villam suam misit eum civis ille, cui adhæret; nec quidquam aliud novit desiderare in hac valida fame, quæ facta est in regione ista longinqua: ubi dissipavit omnem substantiam suam cum meretricibus, vivendo luxuriose (*Luc.* xv, 13), pascens sterilem, et viduæ bene non faciens (*Job* xxiv, 21). Nam, quomodo abjiciet quod tam dulce sentit, pro eo quod penitus nescit, maxime cum, quod tam ardenter diligit præ manibus habeat? tu autem in tempus ei longum prophetas (*Ezech.* xii, 27).

V. Non ergo sic agas in primordio cum eo, sed ausculta magis quod loquor, et quod dico tibi, hoc fac: et salvabis animam ejus a morte. Insiste omnimode imprimis ostendere se sibi, ut juxta illud 38 Græcorum: *Noscat seipsum*. Et cum Psalmista, *sciat quid desit sibi* (*Psal.* xxxviii, 5). Sciat quid desit: sciat et quid adsit. Quid adsit mali, quid desit boni. Annuntia itaque ei peccata, et scelera; si forte talis ei appareat, qualis est. Et occurrat ei, sicut vere est: homo miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus (*Apoc.* iii, 17). Et ut breviter dicam; quam velox ad malum, quam piger sit ad bonum. Quam nihil ei ad bonum adsit, nihil ad malum desit. Ita prudentia sua percutiet superbum, humiliabit elatum, audacem concutiet, terrebit securum. Et erit ei ostensio hæc quasi quædam quodammodo prævaricatio [*al.* præparatio] ad sanitatem, dum seipsum abhorrens, et talem se sustinere non valens, quæret alius esse, quam est. Propone ei post hæc, quia vita brevis, *et laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ ad instar puncti*, et illud quod sequitur, quia videlicet: *si ascenderit usque*

Digitized by Google

ad cœlum superbia ejus, ut caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, et qui eum viderunt, dicent: Ubi est? velut somnium avolans non invenietur, transibit sicut visio nocturna (*Job* xx, 5 et seqq). Auditam fac ei etiam vocem illam, nimis quidem seram, satis tamen veracem : quam in fine sibi assument impii, quando turbati timore horribili dicent, præ angustia spiritus gementes : *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius præcurrens, et tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam; cujus, cum præterierit, non est vestigium reperire, nec semitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam avis, quæ transvolat in aere, et post hæc, nullum invenitur argumentum virtutis illius* (*Sap.* v, 8 et seq.); et quæ ibi sequuntur. Hæc autem ad illud arbitror pertinere, quod in libro Regum legitur quoniam *mulus, cui seaerat Absalon, pertransiit* (*II Reg.* xviii, 9). Quod non est aliud quam mundus, cui per affectum inhæret superbus, pertransit, et ad nihilum tendit, juxta illud : *Et mundus transit et concupiscentia ejus* (*I Joan.* ii, 17). Ideo pertransit mulus, et muli moritur sessor, quia transit mundus, et mundi punitur amator.

VI. Hac autem gemina scientia infundes huic, de quo loquimur, peccatori cor contritum et humiliatum, quod Deus non spernit (*Psal.* l, 19). Quatenus in sui ipsius consideratione humilietur, ne diutius se extollat, et agnita brevitate vitæ hujus, conteratur, ne diutius gaudeat. Duc illum post hæc in *terram illam tenebrosam*, de qua loquitur sanctus Job, *et opertam mortis caligine*, quam etiam dicit esse, *miseriæ et tenebrarum* (*Job* x, 22), asserens quid sit [*al.* quod sit] ibi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans. Revoca illi etiam ad memoriam illud Isaiæ, quod *vermis eorum*, haud dubium quin virorum, qui prævaricati sunt in Dominum, *non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Isa.* lxvi, 24). Hoc quoque quod per semetipsam Veritas ait : quia *exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum et mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* xiii, 50). » Quid in his omnibus videt quod non timeat, quid intuetur quod non exhorreat? Hæc itaque tria sunt, quæ ei proponere debes, ut ad plenum eum timorem provoces. Fœditas videlicet pravæ suæ conversationis infundit ei humilitatem quæ infusa inanem in eo perimit tumorem; consideratio brevitatis vitæ præsentis infert ei dolorem, qui illatus lætitiam ab eo aufert mundialem; contemplatio pœnæ infernalis immittit timorem qui immissus noxiam perturbat securitatem.

VII. Jam puto tuas promissiones libenter attendet, tuis consiliis acquiescet, quia nimirum, Domino per te illum illustrante, videns pravam vitam, quam exercet, nec diu durare, nec æternam se posse, si in ea finierit, pœnam evadere evacuatus et territus, utpote amissa omni spe, quæ nunc habet retinendi habita etiam plena certitudine [*al.* certa plenitudine], quæ ei comminaris nisi se emendarit, incurrendi, obedienter se tibi subjiciet tam jubenti quam promittenti. Jubenti aspera in conversatione, promittenti suavia in mercede. Et eo fortassis fructuosius, quo humilius : eo efficacius, quo ardentius. Nec mirum si paret tibi pollicenti maxima, dum videt se retinere non posse vel minima. Et sic [*al.* et si] tibi assentit imponenti suavem asperitatem, quæ remunerat, dum vento velocius videt evanescere asperam suavitatem, quæ damnat.

VIII. Igitur postquam ei sic infuderis timorem, insiste ei et infundere amorem. Et ita medium teneat uterque, ut nec timor desperationem, nec amor generet dissolutionem. Temperante calore amoris frigus timoris, ne nimis expavescat ex frigore : item frigore timoris calorem amoris, ne insolescat. Quod recte facies, si tria quædam ad amorem pertinentia his tribus, quæ ad timorem spectare diximus, alia opposueris, ut dum in his intuetur, quod terret, in illis autem quod demulcet; sic in eo ibi commoveatur **39** terra, et conturbetur, ut et hic contritio ejus sanetur. Quatenus dum ita cum eo agitur, et commotio sua sana, et sanitas sit commota : potumque percipiat in lacrymis, sed in mensura (*Psal.* lxxix, 6). Diximus, quia primum illorum trium, quæ perspecta infundunt timorem, consideratio est propriæ iniquitatis. Et in ea quid non fœdum et fœtidum, ac per hoc quid non horroris ac confusionis? Sed ne nimia sit, mitiget eam intuitus misericordiæ Dei, quia desperare non potest de iniquitate propria; dum in pietate sperat divina. Videat, quia magna quidem et admiranda opera Domini : *Sed miserationes tamen ejus sunt super omnia opera ejus* (*Psal.* cxxxiv, 9).

IX. Intueatur fontem illum patentem qui profluit *in ablutionem peccatoris, et menstruatæ* (*Zach.* xiii, 1); ut videat quomodo David in eo adulterii maculas abluit, et homicidii (*II Reg.* xii, 13). Qualiter in Maria Magdalena, tot in ea inquinamenta abluuntur, quot ei peccata remittuntur. (*Luc.* vii, 37). Qualiter Petrus a sorde negationis expiatur (*Matth.* xxvi), qualiter deprehensa in adulterio non condemnatur. Qualiter mutatio dexteræ Excelsi, de latrone efficit martyrem, et paradisum tribuit post crucem (*Joan.* viii, 3). His itaque et aliis, quæ in hunc modum sunt, inspectis : respiret in spe misericordiæ divinæ, qui suspirat in consideratione nequitiæ propriæ. Sciens plus posse eum remittere, quam se delinquere.

X. Animatus igitur per hæc, et confortatus, *manum suam* mittat *ad fortia* (*Prov.* xxxi, 19). Post hæc necesse est, ut et ferrum tollatur de aqua (*Job* xxviii, 2), et silex detur pro terra, et pro silice torrentes aurei (*Job* xxii, 24). Quatenus qui effrenis, eatenus in mollitie enerviter jacuit carni substratus : de cætero ad bonam se extendat actionem, etiam contra carnem erectus, et supra carnem elevatus, et exhibeat jam membra

Digitized by Google

sua servire justitiæ in sanctificationem (*Rom.* VI, 19), qui ea primum exhibuit servire iniquitati ad iniquitatem. Sed garrient statim labia iniqua, obstrepet lingua dolosa: propria protendetur fragilitas, ut arrepta annulletur novitas; ventumque ostendent, ne seminet: nubesque monstrabunt, ne unquam metat (*Eccli.* II, 4). A

XI. Ad hæc autem omnia, et ad ea, quæ in hunc modum sunt, nescio quid dari possit valentius, et apponi, quam quod sibi ipsi Psalmista hunc ascendenti gradum, et talia quædam sustinenti, dictante Spiritu sancto dedit et apposuit: *Sagittas*, videlicet, *potentis acutas cum carbonibus desolatoriis* (*Psal.* CXIX, 4). Producatur itaque in medium coram eo innocens Abel, sanctus Henoch, obediens Noe, verecundus Sem, et Japhet, fidelis Abraham, mundus B Isaac, ac patiens Jacob, providus Joseph, mansuetus Moyses, devotus Aaron, legis zelator Phinees, simplex Josue, benignus Samuel, humilis David: et cæteri hujusmodi carbones, quos ignis quondam Domini succendit in Sion; nunc autem caminus ejus inflammat in Jerusalem (*Isa.* XXXI, 9). Ut accensi, linguæ dolum, et labiorum devastent iniquitatem. Quatenus ille non grave sibi reputet ad perpetrandum, quod ab aliis et sexu fortassis et ætate tam infirmis viriliter videt perpetratum. Foveat interim talibus odoramentis saucia viscera sua. Hilarescat in hac sancta novitate, qui primum de vitæ præsentis ingemuit brevitate.

XII. Restat nunc ut ad allevandum ei onus in C labore innotescas ei, quanta erit felicitas in retributione. Ut sicut mercenarius præstoletur finem operis sui; et sine omni dubio sciat, quoniam, qui nunc vadit de virtute in virtutem, sanctus, videbit postmodum Deum deorum in Sion beatus (*Psal.* LXXXIII, 8). Et si compatitur, consequenter et conregnabit (*Rom.* VIII, 17). En per hæc tria plenum ei infundes amorem. Quia illum procul dubio amat, de cujus misericordia confidit; de cujus nomine pixe conversationi insistit, cujus beatam et beatificantem visionem in æternum sitit contemplari. Itaque in tribus præcedentibus ad timorem pervenit nostra Sion, quo terrente, a malo recedit, ut surgat. In his vero tribus subsequentibus, ad amorem conscendit. Quo demulcente ad bonum acce- D dit, ut se ad Deum suum convertat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO X.

ITEM DOMINICA II IN ADVENTU DOMINI.

De pugna et pace, et de contemplatione eorum.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. In via spirituali pugnæ conflictus non deest. — 2. A tergo instant vitiorum phantasmata, a fronte tentationum molestia. — 3. Faciunt ad spiritualem luctam et conservandam humilitatem. — 4. Raro tuta pax cum vitiis, quæ superest per Dei fiduciam et auxilium. — 5. Pacatæ mentis habitus et decor figuratur. — 6. Conversatio sanctorum in exemplum, gaudia beatorum trah. — 7. Justis in die Domini exsultatio: impiis horror et tenebræ. — 8. Quantopere desiderandus status æternæ patriæ, ubi revelata facie videtur Deus. — 9. Ex communicatione sanctissimæ Trinitatis triplex in sanctis est donum beatitudinis. — 10. Ut ibi mala exsulant, sic in corpore et anima bona abundant.

I. Dum regia, charissimi, via timoris et amoris devotus quisque incedit, diversas hinc inde adversitates incurrit, quia paratus suscitare Leviathan (*Job* III, 8) eo acriori erga eum sævientem invidia, eumdem Leviathan habet; quo virilius ei tam in malo omittendo per timorem, quam in bono admittendo per amorem contradicit. Jam cum his duabus turmis ad domum patris non manufactam, æternam in cœlis regreditur Jacob (*Gen.* XXXII, 22), sed accurrit Laban a tergo, occurrit et Esau a facie, dum et ex his eum tentat, quæ jam deseruit, mundus; et per hæc, quæ necdum expertus est, molestat inimicus. Sed conscius ipse sibi, plene se mundum contempsisse, et ea quæ in mundo sunt: scrutanti omnem domus suæ supellectilem, et aliquid suum sive in mente sive in corpore ejus invenire volenti, sed non valenti, ait: *Scrutare, et quidquid tuorum apud me inveneris, aufer* (*Gen.* XXXI, 32). Hoc est dicere: pleno te contemptu abjeci [*al.* abjicio] munde tumide, nihil in me, ad te pertinens reperies. Non vult autem Jacob, ut simul gradiantur ipse, et Esau, nec ut sit socius itineris illius. Sciens ignem non posse quemquam portare in sinu suo, quin vestimenta ejus ardeant (*Prov.* VI, 27).

II. Populus Domini, sæcularium tenebrarum Ægyptum deserens, et ad religiosæ conversationis desertum tendens, Ægyptios insistentes habet a tergo; et ante faciem invenit mare. Ut sciat fidelis quisque, et posteriorum, quæ jam reliquit toleranda phantasmata vitiorum; et ab his quæ adhuc futura sunt, molestiam sibi fore sævitiam tentationum. Populus ingens Amalech (*Exod.* XVII, 11), qui est cœtus reproborum terrenis per affectum inhærens nullatenus superatur, nisi devotus quilibet ex hujus sæculi fluxu salvatus (ut ex re nomen portet, quod est Moyses) sic in monte emineat contemplationis [*al.* orationis], sic innitatur lapide stabilitatis, ut suorum operum manus in sacrificio elevet vespertino: tam fortis sublimitas et sublimis fortitudo humilitatis, quam exprimit mons fortitudinis Aaron; quam ignis charitatis, quem nomen, quod est Ur, significare dicitur; ne vel manus sinistra ad malum se extendat, si superbia intumescit, vel dextera a bono se retrahat, si per negligentiam torpescit.

III. Sunt et aliæ gentes quam plures, quas nec delere ex toto valemus, nec eis tamen consentire debemus. Præsertim cum præcipiat nobis Dominus, ne ullum cum eis habeamus fœdus, nec ineamus cum eis amicitias (*Exod.* XXXIV, 12). Restat ergo ut sic eas toleremus, quatenus tributarias nobis faciamus. Quoniam et ad hoc derelictæ sunt, ut in eis nos Dominus experiatur. Cum itaque nec ipsæ bonæ sint, nec bonum nobis velint: ad bonum tamen serviunt nobis. Ita ut non ingemiscere et

Digitized by Google

dolere, sed magis gaudere debeat Jacob et lætari, quia de medio harum gentium Salvator ejus veniet. Nonne Salvator venit, quando salus venit? vera autem salus, ut scitis, humilitas est. Hæ vero gentes graviter insistunt, insistentes vero infestant, sicque timere faciunt Jacob. Timens humiliatur, humiliatus salvatur, salvatus gaudet et lætatur; quia de medio harum gentium, Salvator ejus hoc modo venit. In quo Salvatore confidens noster Jacob subditas sibi habet, quas breviter commemoravimus, gentes non dominantes: acclamans eidem Salvatori, nonnunquam alludens, et dicens. *Præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me* (*Psal.* XVII, 33). Sancti itaque viri suggestionibus vitiorum nequaquam enerviter succumbunt, sed Domino in eis, et pro eis pugnante, virtutis eos calce perimunt, non quidem fidentes in se, sed in Domino, qui de tantis eos periculis eripuit, et eruit, in quo sperant, quoniam et adhuc, id est quandiu necesse est, eripiet: super hoc gratias ei agentes, totumque ei deputantes, et dicentes: *Subjecit populos nobis et gentes sub pedibus nostris.* (*Psal.* XLVI, 4).

IV. Felix profecto, cujus protector Dominus in quo sperat, subdit populum suum sub se, qui et gaudet ereptum se a Domino de contradictionibus populi, et constitutum in caput gentium (*Psal.* XVII, 44). Quatenus data sibi pace a Domino, (ut in ænigmate in libro Josue legitur (*cap.* XXI, 42), in omnes per circuitum nationes: ita ut nullus ei hostium resistere ausus sit, etiam de laborioso nomine, quod est Jacob, ad pacis possit conscendere visionem, et nomen, quod est Jerusalem. *Quis est hic et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua* (*Eccli.* XXXI, 9). Non quidem in se, sed in eo qui ipsum confortat; in quo etiam omnia potest. De quo scriptum est: *Qui facit mirabilia magna*, et additum est *solus* (*Psal.* CXXXV, 4), ne putet homo se mirabilia posse facere sine illo; qui sine 41 illo nihil potest facere, qui sufficiens non est vel cogitare aliquid ex se, quasi ex se, sed sufficientia sua ex ipso est (*II Cor.* III, 5). Facit tamen, qui hujusmodi est, mirabilia in vita sua; sed per illum, qui facit mirabilia magna solus. Hic enim est qui hebetatis, pro posse, acutis stimulis carnis; sedatis quoque, quantum in hoc corpore possibile est, *quod corrumpitur et aggravat animam* (*Sap.* IX, 15), tumultuosis motibus mentis: pacatus in se, et pacificus erga alios nil nisi pacem videt. Ut merito Jerusalem vocetur, quæ *visio pacis*, ut sciunt universi, dicitur. Pacata in eo, et tranquilla, quieta, et sedata omnia sunt. Nihil quod tortum sive crudele est, amat. Nil, nisi quod ad pacem pertinet, apud se tractans, nil in vultu præferens, nil etiam opere exercens.

Jam apud se, seniores in plateis sedent (*I Mach.* XIV, 9) dum sensus ejus interiores spirituali prædita maturitate, in latitudine pacis hujus se humiliant, utpote quos non conclusit in manus inimici, stantes in loco spatioso pedes eorum (*Psal.* XXX; 9). Et de bonis terræ tractant, dum nihil apud se in intimis versari sciunt, quod ad illa non pertinet bona, quæ se credit sanctus David (*Psal.* XXVI, 13), videre bona, in terra viventium. Juvenes quoque induunt se gloriam et stolas belli (*I Mach.* XIV, 9), quia robustæ in eo cogitationes testimonium ubique secum circumferunt conscientiæ suæ, eo quod in simplicitate et sinceritate, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversantur in hoc mundo. Et in Domino, quo roborante vicerunt, de præteritis vitiorum triumphis bene sibi conscii, exsultant. Sicque dum non est suggestio in mente, quæ terreat per consensum, dum deficit impugnans eum actus illicitus super terram carnis suæ: sedet in eo unusquisque cogitatus in vite sua, et sub ficu sua (*III Reg.* IV, 25). Ita sedato animo, et mediæ temperato, ut in vino fervoris mansuescat per suavitatem, ne nimis sit rigidus, et in ficu suavitatis mordeat per fervorem, ne nimis sit remissus. Jam tempus est, ut quoniam bellis quieta sunt omnia, domum Domino Salomon construat (*I Par.* XXVIII, 13), quam ædificare non potuit vir sanguinum et bellator David. Et quiescente terra a prælliis, vineam plantet Jerusalem in montibus suis, quod agere [non vacabat noster Jacob, quem incessanter intendere] oportuit laborioso adversantium luctamini, et resistentium hostium supplantationi.

VI. Vineam itaque plantet Jerusalem in montibus suis, radicitus scilicet pacatus in se quilibet, et pacificus erga alios, mentem inserat conversationi virorum sanctorum, in terra exsulantium, et gaudiis civium beatorum in patria regnantium. Illorum admirans sanctitatem, ut eos imitetur, ad istorum vero pertingere desiderans felicitatem, ut ea una cum eis perfruatur. Illi sunt montes antiqui, montes æterni, in quibus, vinea hujus nostræ sanctæ Jerusalem mittit radices deorsum, et facit fructum sursum (*Isa.* XXXVII, 31), dum mens hominis tranquilli et quieti tam subtiliter facta perscrutatur in vitis sanctorum, quam gaudia civium beatorum. Ut ibi fructum proferat ad exemplum secundum eos conversandi, hic autem ad desiderium sine fine cum eis regnandi. Hoc esse puto quod apud sanctum Job, ipso Domino asserente, legi: quia *in petris mane aquila elevata, et in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus* (*Job* XXXIX, 28). Quod ideo dictum arbitror, quia dum vir sanctus intellectu subtilis, et contemplatione sublimis, cogitatione et aviditate intuendis bonis operibus in sanctitate stabilium [*al.* sublimium.], et in gaudiis perennibus beatorum, cadentibus angelis apostaticis, plene confirmatorum intendit (ut superius dictum est,) illa in exemplum proponat; et hæc in desiderium assumat. Quam amabile huic Jerusalem, vineam plantare in montibus suis? Quam dulce aquilæ huic elevatæ, manere in petris istis, commorari in præruptis silicibus atque inaccessis rupibus? ut ibi conetur anima devota cogitando commorari, ubi necdum videndo

Digitized by Google

potest conversari, et ibi, ut quidam sanctorum ait, *figere desiderium, quo nequit inferre hospitium.*

VII. Hoc itaque opus Jerusalem, hic sine labore labor. Ut saliat interim in montibus istis, incessanter frequenter eos, plantet in eis vineam (*Matth.* XXVI, 23); quatenus vinum bibat, quandoque; cum eisdem montibus novum in regno Patris et Dei. Quod nimirum tunc implebitur, quando exsultabit hæc eadem Jerusalem, quia venit dies Domini. O dies Domini! O exsultatio Jerusalem! Nec mirum quod de adventu diei Domini exsulat Jerusalem, cum constet tantam ei in die illa adfuturam exsultationem. Sed, sicut exsultabunt electi, ita ingemiscent in ea impii, quia memor erit Dominus filiorum Edom in die Jerusalem (*Psal.* CXXXVI, 7). Dies Jerusalem dies Domini est, tum quia exsultationem confert Jerusalem, tum quia collatam suscipiet. Domini est, pro eo quod lætificabit, et 42 quia in eo lætificabitur Jerusalem, etiam ipsius erit. In hac itaque die exsultabunt sancti in gloria (*Psal.* CXLIX. 5), sed dolebunt injusti in pœna. *Ibunt*, inquit, *hi*, scilicet injusti, *in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 46). Hinc eosdem injustos propheta alloquens: *Væ*, inquit, *desiderantibus diem Domini. Ut quid eam vobis?* et adjunxit: *dies enim Domini tenebræ et non lux* (*Amos* V, 19). Sed quibus tenebræ erit? Certe injustis, qui ligatis manibus et pedibus mittentur *in tenebras exteriores* (*Matth.* XXII, 13) Cæterum electis lux erit, et magna lux quidem: erit et exsulatio. Quomodo non lux, quando plateæ hujus, de qua loquimur, Jerusalem, *sternentur auro mundo* (*Tob.* XIII, 22); cives videlicet ejus in vera charitate dilatati supernæ sapientiæ, splendore clarificabuntur æterno? Quomodo non exsultatio, quando *per omnes vicos ejus alleluia cantabitur* (*ibid.*), dum unusquisque de corporis incorruptione de animæ perfecta beatitudine lætificabitur?

VIII. Fratres, bonum est nos hic esse. Jam enim corde et ore in luce sumus indeficienti, in luce incomprehensibili. et in exsulatione ineffabili. Lucem indeficientem et incomprehensibilem, dixerim, quando dies illa illucescet, cui nox nulla succedet. Quæ etiam vesperam nescit, quia ab ea pariter et æternitas defectum, et stabilitas imminentem propellet occasum. Exsultationem nihilominus ideo ineffabilem dico, quia ibi *vox* resonabit *exsultationis et salutis in tabernaculis* sanctorum (*Psal.* CXVII, 15), eritque in voce exsultationis et confessionis sonus epulantis. Et bene epulantis, quia faciet Dominus eos discumbere (*Luc.* XII, 37), ut edant et bibant super mensam suam, in regno suo, et præcinctus transiens ministrabit eis. O charitas Dei exsulatione plena, quando *justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth.* XIII, 43), quando illa erit hora, et quidem non sine æterna mora, in qua jam non in proverbiis loquetur nobis, sed palam de Patre Filius annuntiabit nobis (*Joan.* XVI. 25) ostendens nobis non solum se, sed et seipsum, quando ipse nos spiritus veritatis docebit non aliquam sed omnem veritatem (*ibid.* 13); quando cessante Patre, qui usque modo operatur, et requiescente ad omni opere, quod patrarat (*Gen.* II, 1), perfecti erunt cœli et terra et omnis ornatus eorum. Ut nec terræ corporis nostri ulla jam insit corruptio, nec cœlo animæ nostræ aliqua jam desit perfectio.

IX. Fratres, bonum est nos hic esse. Cogitatu enim et verbo in die sumus summæ potentiæ ad Patrem pertinentis, qua corrorabit nos. In die æternæ sapientiæ attinentis ad Filium, quæ clarificabit nos. In die benignissimæ suavitatis, quæ spectat ad Spiritum sanctum, qua inflammabit, ut dum benigni fuerimus in invicem; dum potentes in nobis ipsis; et sapientes in Deo; et ipse *Deus sit omnia in omnibus* (*I Cor* XV, 28). In monte etiam sumus cum Domino nostro Jesu, ubi et videmus eum transfiguratum (*Matth.* XVII, 2). Nonne transfiguratum videmus, quem formosum intuemur in stola sua, speciosum *forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 3), qui in hac valle lacrymarum visus est in vultu abjectus et despectus? Unde nec est reputatus, sed putatus tanquam a Deo percussus et humiliatus (*Isa.* LIII, 4). Facies ejus fulgorem habet solis, et vestimenta albedinem nivis. Dum ipso apparente similes erunt electi sui, quibus modo quasi vestimentis quibusdam induitur, quia videbunt enim sicuti est. *Nec potest fullo*, ut ait Evangelista, *facere tam alba super terram* (*Marc.* IX, 2). Quia spiritualis ille fullo, qui aspergit vestimenta sua, electos videlicet suos, hyssopo ut mundentur, illum nequaquam confert decorem in exsilio; quo eos ornabit in regno, quia longe alia est munditia, quam in via habent in merito sanctitatis; alia vero quam in patria in præmio felicitatis.

X. Scimus et in die illa, quia *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis* sanctorum suorum (*Apoc.* XXI, 4). Propter quod bonum est nos hic esse: et non erit amplius neque luctus, neque clamor, nec ullus dolor, sed lætitia sempiterna super capita eorum: possidentibus eis, duplicia in terra sua (*Isa.* LXI, 8), ut exsultet Jerusalem, quia venit dies Domini. Exsultet itaque in corpore; exsultet in anima. Ibi per plenam incorruptionem, hic autem per æternam æternæ beatitudinis possessionem. Sed cum bonum sit nos hic esse, revocant tam nos hinc quædam, quibus, et si intendere non libet, tamen oportet, quia et sic expedit. Nam a suavissimis amplexibus Rachelis pro mandragoris filii sui, ad suos [*al.* ad se] vocat Lia Jacob (*Gen.* XXX, 16). Quæ pro fructu boni operis, a gustu limpidissimæ contemplationis, devotus quilibet ad exercitium nonnunquam invitatur bonæ actionis. Surgite ergo, eamus hinc. Hæc ad præsens dicta sint, quod Sion in his verbis admonetur ut surgat, et ad Deum suum se convertat. Quod ad Jacob dicitur, ut gaudeat, et lætetur, quia de medio gentium Salvator ejus veniet. Quod prophetatur 43 civitati Jerusalem, quia vineam plantabit in montibus suis, et exsultabit, quia veniet dies Domini. Quæ ergo sive allegorice de verbis

Digitized by Google

istis in sermone præcedenti, sive tropologice in isto subsequenti dicta sunt : percipite in intelligentia, retinete in memoria ; glorificantes ac laudantes Deum ac Dominum nostrum, cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XI.

ITEM DOMINICA II IN ADVENTU DOMINI.

De bonis et malis auditoribus, et quid responsorium « egredietur Dominus, » etc., significet, et de sapientia Dei.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Avida susceptio verbi Dei est signum prognosticum filiorum Dei. — 2. Quidam audiunt ex vanitate, curiositate, elatione ; alii utilitate. — 3. Singulorum ex audientibus censura. — 4. Responsorium post lectionem, est obedientia dictorum in prædicatione. — 5. Fructuosus auditus verbi cum operatione. — 6. Mysteria Scripturarum sunt nobis abscondita, et quare. — 7. Samaritana mulier typus Ecclesiæ gentium. — 7. Egredi Dominum de Samaria, est sapientiam nobis in tempore revelari. — 9. Ex beneplacito Patris, et Filii, et ab utroque manantis Spiritus sancti omnia ex ordine creata sunt. — 10. Deus per sapientiam suam et malos angelos damnavit, et bonos in sanctitate confirmavit. — 11. Per Dei sapientiam Ecclesiis hierarchia disponitur et defenditur.

Cum magna, charissimi, aviditate, ut mihi videor intelligere de vobis, expetitis et exspectatis aliquid audire a me ac si mihi quidquam pateat in verbo Dei, quod lateat vos. Ad instar illorum certe parvulorum, quos Jeremias asserit (*Thren.* IV, 4), panem petiisse ; petitis panem et vos. Et a me petitis, quasi ego vel melius sciam frangere quam vos, vel quem frangam, alium habeam panem, quam vos. Sed quia ex Deo estis, unde et istud est, quod ejus tam libenter verba auditis (*Joan.* VIII, 47). Non erit vobis, ni fallor, fastidio, si nota dicantur : et si talia proferam, quæ magis me repetente recognoscatis ; quam de me docente agnoscatis Verum cum certum sit, illos ex Deo non esse, qui verba Dei non audiunt ; vos ideo auditis, quia ex Deo estis.

II. Videte, quæso, quomodo audiatis. Eorum namque qui etiam avidissimi verbi auditores sunt : scimus quosdam, qui ab hoc solummodo audiunt, ut sciant, quid, aut qualiter dicturus est, quem audiunt. Et inhonesta ut scitis curiositas est. Dicenti namque non tam pro his quæ dicit, quam pro se, qui dicit, intendunt. Nec tam, ut ex his, quæ audiunt, erudiri queant (*al.* quærant) ; quam ut sciant, quid de ejus, quem audiunt, loeutione sentire debeant. Sunt et alii, qui ad hoc solummodo audiunt, ut audita sciant ; et reprobanda vanitas est. Superbi namque et cupidi sunt, et ad hoc multa scire desiderant ut superbe nimis scientes [*al.* sentientes] tumide se extollant. Sed sunt quidam, quos non immerito his omnibus præferimus, quorum in audiendo verbum hæc intentio est, ut quod percipiunt aure, impleant opere, et magnæ utilitatis est. Sollicite namque attendunt, quid in verbo Dei audiant, quod ad morum valeat ædificationem, quod ad vitiorum reprobationem, et virtutum exhortationem. Quid pertinet ad contemptum præsentium sive desiderium futurorum, quid ad gaudiorum promissionem, seu pœnarum comminationem. Quid deinde devitandum pro eo quod malum est, quid appetendum pro eo quod bonum est. Et hæc omnia, et quæ in hunc modum sunt, ad instar bonæ terræ cum gaudio suscipiunt, et fructum afferunt in patientia (*Luc.* VIII, 15).

III. Itaque quos primo loco posui, damnabilis obstinatio obdurat ; quos secundo, reprehensibilis superstitio instigat ; quos in tertio inanis elatio elevat ; quos in quarto, salubris ædificatio salvat. Ad eos, qui in primo loco sunt, pertinere reor eos, qui auditis ipsius veritatis sermonibus, horrore propemalitiæ indurati, dixerunt : *Dæmonium habet, et insanit. Quid eum auditis ?* (*Joan.* X. 20), sed et illi : *Quia bonus non est, seducit turbas* (*Joan.* I, 12). Ad eos qui in secundo sunt, illi pertinent ; qui audientes, quod Jesus esset in Bethaniam venerunt : *Non propter Dominum tantum, sed ut et Lazarum viderent : quem suscitavit a mortuis* (*Joan.* XII, 9). Et ille Iniquus, de quo legimus, quod erat cupiens *a multo tempore eum videre : quia sperabat se aliquod signum ab eo videre fieri* (*Luc.* XXIII, 8). Ex illorum autem videtur fuisse numero, qui in tertio loco sunt, qui, visis signis, quæ Dominus faciebat, ait illi : *Magister sequar te, quocunque ieris* (*Luc.* IX, 59). Cui ille districtor cogitationum et intentionum cordis, respondit : *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* (*ibid.*, 58). Ac si diceret : Prima me intentione sequi vis ; sed in te et arrogantia locum habet, et fraudulentia : et ideo divinitatis meæ majestatem nullatenus sequi vales. Ad illos vero, qui in quarto loco sunt, illi spectant, quibus ipse Dominus dicit : *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis* (*Joan.* XV, 3). Hos autem et vos sequimini, qui non curiositate aliqua instigati, non vanitate elevati ; sed solius spiritualis utilitatis causa, verbum Dei audire desideratis. Ut ideo delectet spiritualem cibum apponere vobis, quia pura et munda eum aviditate esuritis.

IV. De responsorio quod nuper cantastis, quæritis, ut ejus vobis verba edisseram, quæ ita se habent. *Egredietur Dominus de Samaria ad portam, quæ respicit ad orientem, et veniet in Bethlehem ambulans super aquas redemptionis Judæ. Tunc salvus erit omnis homo : quia ecce veniet.* Petitis ut hæc verba vobis exponantur ; et justum est id quod petitis ; sed ab indigno petitis, quod ab abundante petere deberetis. Accipite itaque quod inops quidem sensu, dives autem affectu, apponit vobis. Et cum paupertatis suæ insipidum sumpserit is olus delicias a ditioribus quærite dulciores. Quæritis de verbis responsorii hujus, qualiter intelligenda sint. Sed prius quærite, quid sit responsorium. Cum per lectionem, quæ præcedit, doctrinam accipiamus prædicatorum : quid per responsorium subsequens, nisi obedientiam accipere debemus auditorum ? Prius lectio auditur, deinde responsorium dicitur, quia prius auribus prædicatio percipitur, deinde opus bonum

Digitized by Google

obedienter adimpletur. Et quia *hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX, 7), quasi perlecta lectione, cum cantu responsorium dicitur, dum prout præcedens prædicatio instruxerit, opus bonum cum hilaritate subsequitur. Responsorium siquidem, ut scitis, a respondendo dicitur : et quodammodo audita lectione responsorium dicis, dum alloquenti te per prædicationem suam, doctori bene operando respondes. Unde et de responsorio quod post lectionem apostoli seu alicujus prophetæ ad missam dicitur : quidam non minus nitide, quam veraciter cecinit in hunc modum dicens (253) :

Lectio quæ sequitur doctrinam signat eorum,
Qui sunt præmissi, septuaginta duo ;
Illorum monitis, dum responsoria cantat,
Edocet assensum se tribuisse chorus.

V. Prius itaque lectio, postea responsorium. Quia per prædicationem credes ; credens bene operaris, ut idem, de quo superius memoriam fecimus, ait (254).

Audis ut credas, quia credis ut hostia fias.
Taliter incipimus esse, sumusque Dei.

Et ut Apostolus ait : *Fides ex auditu : auditus autem per verbum Christi* (*Rom.* X, 17). Hoc est dicere responsorium bonæ actionis ex lectione procedit sanæ prædicationis. Dicit item ipse : *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* (*Ibid.* 14.) Quasi his alludens, quæ in manibus habemus subinferat. Quomodo decens est ut responsorium dicant ante lectionem? Quomodo autem lectionem audient sine legente? Et tamen ita de modernis agunt nonnulli, quia prompti quidem ad audiendum : pigri ad operandum. Legi quidem eis lectionem volunt ; sed responsorium dicere nolunt. Imitantes illum, de quo dicit Salomon, quia *qui dicis, intelligit, et respondere contemnit* (*Prov.* XXIX, 19). Vos autem, fratres, non sic. Vultis audire virum sanctum, recte de his sentientem? *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* (*I Reg.* III, 10). Samuel hic erat puer sanctus. Sanctus quoque quando senuit, et incanuit. Nec potuit eum homo a pueritia usque ad senectutem accusare. Laudabilis certe, ut vulgo dicitur, per omnia dies, cujus a mane usque ad vesperam claritas non deficit. Quod auditis, *loquere*, ad lectionem ; quod vero statim subinfertur : *quia audit servus tuus*, ad responsorium pertinet, quia lectione perlecta statim responsorium cantabo. Et de his ad præsens, breviter quidem : fortassis non infructose hæc dicta sunt.

VI. De hoc autem quod hic dici auditis de Domino, quod egressurus sit de Samaria, ad portam quæ respicit ad orientem, et venturus in Bethlehem, ambulans super aquas redemptionis Judææ : si pie pulsatis, aderit ex more clavis David, *qui aperit, et nemo claudit ; claudit et nemo aperit* (*Apoc.* III, 7). Nec patiemini ullatenus repulsam ab eo, qui pul- A santibus aperit thesauros absconditos, et arcana secretorum (*Isa* XLV, 3). Mihi autem videtur, quod profunda quædam ac mystica in his continentur. Sicut enim cum arcam aliquam clausam manibus apprehendimus, ex mole et pondere ejus, intra eam multa latere sentimus ; licet quid in ea sit, pro eo quod clausa sunt omnia intrinsecus posita, omnino nesciamus ita sæpe in sacrosanctis 45 divinæ paginæ sententiis, ex verbis ejus gravidis profunda ac mystica latere sacramenta conjicimus, quanquam necdum revelatis per spiritum oculis mentis nostræ ejus interiora videre valeamus. Quid igitur nobis agendum, nisi ut tandiu pulsemus quoadusque nobis aperiatur? Non enim fallere novit, sicut nec unquam falli potuit, qui ait : *Pulsate, et* B *aperietur vobis* (*Luc.* II, 9). Et post pauca : *et pulsanti*, inquit, *aperietur* (*ibid.* 10). Non ergo claudit, quin aliquando aperiat ; sed ut ad pulsandum nos avidos reddat. Non solum autem, sed ut tam gratiam aperientem collaudemus, quam apertum nobis internum secretum diligamus. Aperi ergo, Domine, nobis. Quid est egredi de Samaria? Egredere, quæso, ad nos de Samaria hac, ut iste tuus, de quo modo loquor, egressus de Samaria, indicet nobis, quid sit te egredi de Samaria. Nam a Samaria, fratres, potest aliquid boni esse? multum per omnem modum. Nam quomodo non multum boni a Samaria, cum et ipse Dominus egredi dicatur de Samaria?

VII. Et quidem, ut scitis, viles apud populum Domini quondam habebantur Samaritani, nec ullam C cum eis communionem habere dignabantur, juxta illud : *Non enim cotuntur Judæi Samaritanis* (*Joan.* IV 9). Unde cum verus ille Judæus, qui confitetur videlicet Domino Patri cœli et terræ, qui abscondit a sapientibus et prudentibus, quæ revelat parvulis (*Matth.* II, 25) cum sexta ætate mundi instaret hora, qua fatigatus ex itinere (*Joan.* IV, 6) mortalitatis assumptæ, se deret super fontem, humilians se in similitudinem carnis peccati (*Rom.* VIII, 3), et a fide Ecclesiæ de gentibus se peteret potari : ignara mysterii mulier, et nesciens donum Dei, nec quis erat, qui dixit ei. Da mihi bibere, nec valens ad eum venire, nisi fidelem adduceret intellectum, virum scilicet vocans suum, quæ quondam quinque corporalium sensuum viris D juncta errorem modo pro fide, adulterium pro viro habebat, respondit : *Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* (*Joan.* IV, 9.) Sed jam mirantur quantum volunt discipuli, quod cum muliere loquitur Jesus. Increpant et Petrum fratres quod intrat ad viros præputium habentes, et manducat cum illis (*Act.* II, 3). Tempus est ut ab aquilone aurum veniat, et a Deo formidolosa laudatio (*Job* XXXVII, 22), ut et aquilo det et auster non prohibeat (*Isa.* XLIII, 6). Quia oportebat eum transire per Samariam, qui pertransiit benefaciendo (*Act.* X, 38), et sanando omnes oppressos a diabolo, ut per fidem venientibus ad eum Samari-

(253) Hildebertus Turon. archiep. in vers. *De sacrif. missæ*. Vide biblioth. SS. Patr. tom. XII.
(254) Qui supra.

Digitized by Google

tanis ad infundendam eis dilectionem geminam, maneat apud eos duos dies, quatenus et corde credant ad justitiam, et ore confiteantur ad salutem (*Rom.* x, 10) dicentes: *Ipsi audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi* (*Joan.* iv. 42). Non ergo nihil boni a Samaria, nec abominandus Samaritanus: cum apud eum misericordia inventa sit, quæ apud sacerdotem et levitam locum habere non potuit (*Luc.* x, 33).

VIII. Sed, licet de vocatione gentium hæc verba apte intelligi possint, prius aliquid in eis altius et profundius quæramus, sicque de montibus superiorum sensuum ad campos inferioris intelligentiæ convenienter postmodum descendemus. Salvo igitur unicuique intellectu subtiliori quem ei prout vult, et quando vult, et qualiter vult, et quantum vult spiritus ille veritatis revelat; mihi videtur quod egressio Domini, cognitio ejus est, quæ homini indulgetur. Qui de profundo et alto Patris sui secreto, quo quasi quadam custodia, hoc enim Samaria sonat, ab æterno reconditus est, quando et qualiter voluit procedens, inde tamen non recedens: exiens, non abiens utpote quem Pater emisit, non amisit, destinavit et retinuit, ad cor hominis venit, eique a Patre de Patre annuntiavit. Quia, ut ait theologus ille, *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus autem Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit* (*Joan.* x, 18). Ipse siquidem Dominus noster cui dixit: *Sede a dextris meis* (*Psal.* x, 1). Quod nulli angelorum dixit. Quod tamen sibi præsumptuose rapuit, cujus verba iniquitas et dolus, qui ait: *Similis ero Altissimo* (*Isa.* xiv, 14). Ipse, inquam, de occulta illa custodia egressus est, ut videri posset. Qui quandiu in illa Samaria fuit, videri non potuit, nec ullatenus videretur, nisi egrederetur.

IX. Nonne in occulta custodia fuit, qui in ore, in corde, in utero fuit? Sed ille cujus *cor eructavit verbum bonum* (*Psal.* xliv, 2); ille, qui dixit: *Filius meus es tu* et: *ego hodie genui te* (*Psal.* ii, 7); et illud: *In splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te* (*Psal.* x, 3). Ille etiam: *Ex cujus ore sapientia prodiit, primogenita ante omnem creaturam* (*Eccli.* xxiv, 5). Quod ab æterno in eadem sapientia concipit, quod in eodem verbo suo habet, quod cum eodem filio suo consulit, astante incommutabili utriusque beneplacito, coæquali videlicet eis et coæterno ab utroque manante Spiritu sancto, adesse proprium creaturam perduxit. In formam quodque suam rationabili 46 ordine distinxit per loca, et tempora sua. Sorte quidem aliquando diversa, sed omnino congrua divisit. Videns cuncta quæ fecerat, quæ et necdum facta vidit; et erant non quidem simpliciter, sed dum additamento *valde bona* (*Gen.* i, 31). Adfuit itaque sapienti Deo semper sapientia sua, quam *possedit in initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio* (*Prov.* viii, 22).

X. Quomodo enim sciret per quas actionum vias operando incederet, nisi in ipsa videret; vel qualiter aliquid faceret; si non quid esset faciendum in ea agnosceret? *Nondum erant abyssi, et* ipsa *jam concepta* erat (*ibid.*, 24), quando præparabat cœlos aderat. Nec mirum. Et quomodo tenebrosos et profundos illos spiritus, apostatas angelos loquor, damnaret, vel illos qui remanserunt in sanctitate confirmaret, nisi per coæternam sapientiam suam sciret et malum quod reprobaret, in illis, bonumque eligeret (*Isa.* vii, 15), quod remuneraret in istis? Itaque, antequam essent abyssi, concepit eam, judicium in ea exercens erga easdem abyssos damnationis. Quando præparabat cœlos præsentem habebat, ipsa sic disponente, gratiam eisdem cœlis conferens confirmationis.

XI. *Necdum fontes aquarum eruperant* (*Prov.* viii, 24), dona scilicet gratiarum processerant. Necdum montes gravi mole constiterant: superbi videlicet damnabili periculositate [*al.* perversitate.] corruerant, et ipsa, subaudis, concepta erat: certam super his apud se definitionem habens. Adhuc ecce non fecerat et flumina et cardines orbis terræ: populos fideles, et prælatos Ecclesiæ catholicæ. Quando certa lege et gyro vallabat abyssos: ordinem constituens reprobis, et mensuram qualiter, et quousque in iniquitate sua progrederentur. Quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum: electos corroborans in desideriis æternorum, conferens eis suarum dona gratiarum. Quando circumdabat mari, gentilitati videlicet sævienti terminum suum: ne ulterius persequendo sæviret. Et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: dispositionem statuens persecutionibus, ne metas transgrederentur divinitus præstitutas. Quando appendebat fundamenta terræ: summos exornans viros Ecclesiæ, cum eo erant cuncta componens. Quia universa cum eo disposuit. Cui sit honor et gloria in sæcula. Amen.

SERMO XII.

ITEM DOMINICA II IN ADVENTU DOMINI.

Quibus modis Dei invisibilis ad nos cognitio veniat.

Synopsis sermonis. — 1. Incommutabilis ab æterno Dei sapientia per creationem manifestata—2. Quam occulta in reprobatione, et electione creatura rationalis. — 3. In Jacob electi, in Esau figurantur reprobi. — 4. Quid sit Dominum egredi ad portam Orientis. — 5. Porta Orientis triplex: prima, ratio naturalis, altera, aspectus creaturarum. — 6. Tertia est, Ostensionis divina. — 7. Triplicis portæ ordo conveniens ab Apostolo petitus.— 8. Veritatis damnabilis cognitio, quam non comitatur vera justitia, et dilectio. — 9. Impiis et mala et bona in malum cooperantur. — 10. A vanitate cogitationis ruunt in stultitiam operis. — 11, Quibus gradibus ac incrementis ad perditionem sternatur via.

Quomodo, fratres, transitorio nostro verbo, de illo loquemur [*al.* loquebamur] verbo, quod *in principio erat apud Deum, et Deus erat. Per quod omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* i, 1), in quo, et quod factum est in eo? Filius autem non facit quidquam, nisi quod videt Patrem facientem. Quia *quæcunque ille fecerit, hæc et Filius similiter fa-*

Digitized by Google

cit (*Joan.* v, 19), quem Pater diligit: et in æterna illa, et incomprehensibili illa genitura, demonstrat ei quæcunque ille facit. Ecce Sapientia prodiens ex ore (*Eccli.* xxiv, 5). Ecce verbum eructatum ex corde (*Psal.* xliv, 1). Ecce filius ex utero genitus (*Psal.* ii, 7). O os, o cor, o uterus! Os nihil transitorium efflans. Cor nihil intrinsecum ejiciens. Uterus nihil novum concipiendo assumens: nihil antiquum pariendo amittens. O incommutabilis in se, incomprehensibilis ad nos prudentia! o falli nescia in sui dispositione providentia! o longa et lata; profunda et alta Samaria! ibi omnia ab æterno in illo secreto, quæ temporaliter hic apparent in hoc publico, in occulta quadam apud Deum custodia occulte recondita, quæ per creationem suam in se ipsis apparentia sunt et revelata.

II. Ibi rationabilis reproba creatura judicium habens justum quidem, sed occultum. Incomprehensile, irreprehensibile 47 tamen, eo terribile, quo immutabile. Ibi et rationalis electa astantem sibi, et pro se statu fixo et immobili pacis sententiam habens ministrantem sibi, misericordias Domini ab æterno usque in æternum, ut nec initium habeant, cum ab æterno sint, nec terminum, cum in æternum sint. Ibi namque præstitutus ille populus stultus et insipiens (*Deut.* xxxii, 6), generatio prava et exasperans, adultera et perversa. Ibi prædestinatus populus, laudabilis ille, *cui* juxta Isaiam, *Dominus benedixit* (*Isai.* xix, 25.) *Gens illa*, juxta Psalmistam, *beata*, *cujus est Dominus Deus ejus; populus quem elegit in hæreditatem sibi* (*Psal.* xxxii, 12). Nec valet figmentum dicere ei qui se finxit: *quid me fecisti sic?* (*Rom.* ix, 20). Cum potestatem habeat figulus luti ex eadem massa aliud quidem vas facere in honorem, aliud in contumeliam (*ibid.*, 21). Volens itaque excellentissimus ille, et immensus, terribilis, et magnus valde, occultus et justus, tremendus et metuendus nimis, ac Dominus Deus, volens, inquam, ostendere æternam gratiam suam, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut et ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in æternam gloriam (*ibid.*, 23).

III. O uterus Rebeccæ! O secretum præscientiæ divinæ! quia ab eodem utero dividuntur hæ duæ gentes ab invicem diversæ, et populi duo in invicem diversi (*Gen.* xxv, 23). Tales huc egredientes in tempore, quales ibi sunt in æternitate. Esau videlicet ob crudelitatem rufus, et propter voluptatem, qua undique tectus et involutus est, totus in morem pellis, hispidus. Jacob vero lenis, quasi ab his malis immunis, non solum antequam quidquam operentur, verum etiam priusquam per creationem nascantur, ut, secundum electionem, propositum Dei maneat, non ex operibus, cum necdum in se quidquam sint operati, sed ex vocante verbo Domini, et vereci et immobili, quia *Jacob dilexi*, *Esau autem odio habui* (*Rom.* ix, 13). Habetur odio Esau qui in ipso utero rufus continetur, et totus in morem pellis hispidus. Qui per creationem egressus, et per liberum arbitrium adultus, efficitur vir gnarus venandi, et homo agricola. Diligitur econtra Jacob, qui in eodem cum eo utero lenis portatur, et ut quem prædestinavit Dominus, hunc et vocaret. Qui in ventre lenis est, exiens plantam fratris tenet manu, et ut quem vocavit, hunc et justificaret, vir simplex habitat in tabernaculis. Et ut quem justificavit, hunc et magnificaret ad paternam postmodum benedictionem pervenit (*Rom.* viii, 30); ibi itaque omnia occulte recondita sunt quæ hic creata, et apparentia emergunt, a summis usque ad ima: *Unum contra unum; et non fecit ut quidquam deesset* (*Eccli.* xlii, 25).

IV. Hæc est Samaria illa de qua Dominum quodammodo egredi, est ipsum per hæc, quæ ibi occulta latent, hic autem apparentia emergunt, agnosci. De quo in his verbis profundis quasi de futuro dicitur quod egredietur, qui in se egredi non potest recedens, sicut nec ingredi accedens. Utpote *apud quem*, teste apostolo Jacobo, *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* i, 17). Sed, quia tandiu intus in sua quodammodo Samaria est, quandiu per ea, quæ de eadem Samaria huc apparentia egrediuntur, nobis non patet. Egressus est, sed illis quibus se jam revelavit. Egredietur, sed illis quibus se revelabit. Sed qua egredietur? de Samaria. Hic est introitus, quo Dominus ingreditur, quando de Samaria egreditur. Porta videlicet ad orientem respiciens, quæ est contemplatio ad agnitionem veritatis perducens. In oriente namque claritas lucis surgens erumpit, quæ et in occidente quodammodo deficiendo cadit. Oriens claritas cognitionis, occidens cæcitas ignorantiæ est.

V. Est quædam porta in oriente ad quam Dominus de Samaria egreditur, ipsa videlicet hominis naturalis ratio, qua eruditus Deum suum intuetur. Instinctu namque rationis propriæ, sibi naturaliter insertæ excitatur et invitatur homo ad cognitionem Dei sui. Ministratur et ei exterius ministerium quinque corporalium sensuum, quo creata universa visibilia duntaxat et corporalia attingit: intuendo formata, et audiendo sonora, vel odorando quæ olent, aut gustando sapida, seu tangendo palpabilia. Est et quædam alia porta ad orientem respiciens, qua Dominus egreditur. Si autem, ut superius diximus, Dominum egredi est ipsum agnosci, ad hanc portam egreditur, quia per creaturam Creator agnoscitur. Expanditur hic liber coram homine intus scriptus, et foris (*Ezech.* ii, 9). Ut interius intrans legat in ratione ipsa; exterius exiens, legat in condita creatura? et in anima sua noscat eum ad cujus imaginem et facta est. Agnoscat eum et in creatura, quæ ab eo tam pulchra, tam 48 immensa, quam utilis condita est. Creaturæ itaque tot modis mirabiles. Quædam sunt viæ admirabiles ejus, qui eas mirabiles fecit. Sicut de Sapientia legitur quia: *In viis suis ostenait se illis hilariter, et*

Digitized by Google

in omni providentia occurrit illis (*Sap.* VI, 17). Habetis in hac gemina sententia geminam illam quam vobis superius construximus portam, quia et in viis suis se nobis ostendit, dum per intuitum creaturarum suarum ejus ad nos cognitio venit. Et in omni nihilominus prudentia nobis occurrit, dum per rationis vestræ inquisitionem vobis innotescit.

VI. Est quoque ostensio divina, interponens se inter rationem hominis quæ interius perscrutatur, et inspectionem creaturæ conditæ quæ ea quæ exterius sunt intuetur, et est, quasi porta tua, pulchra et fortis, et ipsa ad orientem respiciens, pulchritudine sua portam rationis decorans, et fortitudine sua portam exterioris inspectionis corroborans. Decorat namque portam rationis ne eam deturpet phantasma irruens; corroborat nihilominus portam interioris inspectionis, ne eam infirmet sensualitas lasciviens. Itaque, si per Dominum, hoc est per ostensionem Domini ad contemplandum introieris, salvaberis. Et ingredieris ad internam rationem, et egredieris ad externam inspectionem, et pascua invenies in sapida ipsius veritatis cognitione (*Joan.* X, 9).

VII. Ecce ab oriente portæ tres: porta internæ rationis, porta exterioris inspectionis, porta divinæ inspectionis. Videte si non Apostolus egredi asserat Dominum de Samaria ad hanc trinam portam, quæ respicit ad orientem, ubi dicit: *Quod notum est Dei manifestum est in illis* (*Rom.* I, 19); et cætera quæ ibi sequuntur. Manifestum est in illis quod notum est Dei. Quia naturaliter eis insertum est, ut eruditi a ratione propria agnoscant Deum. Hæc porta rationis internæ, ad quam Dominus egreditur, dum per eam agnoscitur. Dixit in sequentibus et de porta exterioris inspectionis: *Invisibilia*, inquiens, *ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (*ibid.*, 20). Nos siquidem si creatura mundi sumus, per ea quæ facta sunt, invisibilia ipsius agnoscimus, sempiternam quoque ejus virtutem et divinitatem. Interponit vero inter has triplices portas, portam divinæ ostensionis, dum dicit quod Deus illis manifestavit. Omnino namque insufficiens esset ratio interna, et inspectio externa ad comprehendendam cognitionem Dei, nisi adesset et ostensio divina. Quia, quod ratio scrutando interrogat, quod inspectio foris considerat ostensio intus manifestat. Hoc itaque est Dominum egredi de Samaria ad portam quæ respicit ad orientem, ipsum, per ea, quæ de secreta et alta ejus erumpunt custodia, ut in se existant et appareant, scrutante ea ratione, considerante ea inspectione, manifestante ea divina ostensione ab hominibus agnosci. Hæc autem, de qua loquor, cognitio sanctitatem quidem aliquam inchoat, sed, si desit affectio, inchoatam nunquam consummat.

VIII. Quamplures enim novimus multa scivisse; sed, quia non dilexerunt, minime profuit eis. Nam et isti de quibus Apostolus dicit: *Quod manifestum est in illis, quod notum est Dei* (*ibid.*, 19). Et quod *Deus illis manifestat* (*ibid.*). Et quod *invisibilia ipsius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas* (*ibid.*, 20). Audite qualiter ab eo approbantur: imo qualiter reprobantur. *Revelatur*, inquit, *ira Dei de cœlo super omnem impietatem et iniquitatem hominum* (*ibid.*, 18). De impietate eos arguit et iniquitate, ostendens eos et per fidem offendisse per incredulitatem, et in opere per pravitatem. *Eorum*, inquit, *qui veritatem Dei in injustitia detinent* (*ibid.*, 19). Ergo veritatem Dei habuerint; sed in injustitia eam detinuerunt, quia, cum docti fuerint in cognitione, injusti autem in actione, sapientes fuerunt ut facerent mala; bene autem facere nescierunt (*Jer.* IV, 22). Quid eis profuit veritatem Dei habuisse, cum eos constet in injustitia eam detinuisse? Ad quid tantæ cognitionis lumine illustrati sunt? Audite ad quid. *Ut sint*, inquit, *inexcusabiles* (*Rom.* II, 20) Nam quod est Dei quidem manifestum est in illis, quia lux in tenebris lucet, et tamen tenebræ sunt (*Joan.* I, 5). Et lucet in eis, nec tenebræ esse desinunt. Quia et cognitio fulget in reprobis; sed quia sic fulget eis; ut non effulgeat eis, claritate nimirum hujus, de qua loquimur divinæ agnitionis perfunduntur, sed cæci remanentes, amoris eam oculo non conspicantur. Sed cum manifestum est in illis, quod notum est Dei, cum Deus illis manifestaverit, cum invisibilia ipsius per ea quæ facta sunt conspexerint, ad hæc tamen hæc omnia [*al.* ea omnia] ut sint inexcusabiles, quia cum lux in tenebris luxerit, tenebræ eam non comprehenderunt (*Joan.* I, 5). Si enim comprehenderent, non solum illuminati per intellectum, 49 sed et accensi essent per affectum, sicque [*al.* sicut] jam essent et per affectum. Nam jam comprehendunt juxta illud: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis* (*Ephes.* III, 16).

IX. Nunc autem lux lucet in tenebris, nec tamen lucem tenebræ comprehendunt, quia impii, quos ignorantia cæcos, et iniqui, quos malitia reddit frigidos, luce divina perfunduntur, sed perfusi eam non intuentur. Visi quidem in pravitate sua per superbiam indurati, nec pœnæ supplicium evadant; sed non videntes eam per compunctionem emolliti, ut ad pœnitentiæ refugium concurrant. Itaque ad hoc, triplici hac cognitione sunt insigniti, quasi intra trinam hanc portam admissi ut sint inexcusabiles. Quatenus, dum ad velamentum non possunt concurrere excusationis, plenitudinem incurrant damnationis. Sicque mirando ac miserabili modo, non solum mala, quæ operantur, sed et bona nonnunquam, quæ eis conferuntur, illis in malum cooperantur. Et quare non possunt excusabiles esse? *Quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt* (*Rom.* I, 21). Ecce quia cognoverunt, non tamen cognitum glorificaverunt. Et quidem si non glorificaverunt, dehonestaverunt. Quid enim sequitur? *Sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapien-*

Digitized by Google

tes, stulti facti sunt (*ibid.*, 22). Quod prius dixit, *evanuerunt in cogitationibus suis*, hoc plenius postmodum subintulit, *dicentes se esse sapientes*. Et quod primum dixit, *obscuratum est insipiens cor eorum*, hoc apertius subjunxit, *stulti facti sunt*. Nam de vanitate cogitationis venerunt ad arrogantiam oris, ut ex abundantia cordis os loqueretur. Et de obscuritate cordis venerunt ad stultitiam operis, ut prius per ignorantiam excæcarentur, deinde per luxuriam polluerentur.

X. Sic enim sæpe, imo pene semper contingit. Quia cum contaminatur radix, non potest integer esse ramus, et cum vitiatur quod sub terra deorsum est, non conservatur inviolatus fructus, qui in superioribus est. Et quantum pro vanitate cogitationis obscuratum est insipiens cor eorum, tantum dicentibus ipsi se esse sapientes, stulti facti sunt. Audite quantum. *Et immutaverunt*, inquit, *gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium* (*ibid.*, 23). Quæ major esse potest obscuritas cordis insipientis? Quæ major stultitia operis, quam ut creator incorruptibilis in creaturam mutetur corruptibilem: et non tam in creaturam quam in creaturæ imaginem? Et quæ merces tantæ blasphemiæ? *Propter quod tradidit*, inquit, *illos Deus in reprobum sensum, et in desideria cordis sui* (*ibid.*, 24). Et post pauca: *Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ* (*ibid.*, 26). Et item: *Et sicut non probaverunt habere Deum in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate* (*ibid.*, 28).

XI. Considerate, quæso, incrementa perditionis. Quia quod super se emicuit lumen, humiliter honorare noluerunt, ad superbiam mentis corruerunt. Et de superbia mentis venerunt ad arrogantiam oris, *quia ex abundantia cordis os loquitur* (*Luc.* VI, 45). De arrogantia vero proruerunt ad cæcitatem mentis. Quia dum teipsum ore extollis, justo judicio [*al.* justo Dei] etiam in mente tenebras incurris. De cæcitate mentis ad blasphemiam venerunt erroris, quia, dum quo graderentur ignorabant, usque ad id etiam pervenerunt, ut adorarent quod nesciebant. Ad extremum vero a blasphemia erroris ad horrendam et detestandam submersi sunt corruptionem carnis. Hoc est quod dico, charissimi et desideratissimi fratres mei, quia non multum prodest, quod apprehendatur veritas per cognitionem, nisi et exerceatur virtus per dilectionem, ut mentem, quam præcedens illuminat veritas per intellectum, subsequens incendat charitas per affectum. Unde et hic postquam de Domino dictum est quod egredietur de Samaria ad portam, quæ respicit ad orientem, statim subinfertur quod veniat et in Bethlehem. Quod in sermone alio ostendemus, adjuvante Domino, quid sit, jactantes cogitatum nostrum in ipsum, sine quo nihil possumus. Cui sit honor et gloria in sæcula. Amen.

SERMO XIII.

ITEM DOMINICA II IN ADVENTU DOMINI.

De confessione peccatorum et laudis divinæ, et de modo utriusque.

50 SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Intellectui quod verum est, affectui sapiat quod bonum est. — 2. Deo confitenda sua munera, cui confessioni opposita damnabilis negatio. — 3. Confessio peccatorum qualis esse debeat. — 4. A peccatore culpæ suæ introspicienda enormitas. — 5. Peccati debita pœnarum acerbitas confitendi pudorem evacuat. — 6. Sese conveniendi et timorem illum nocturnum eliminandi methodus. — 7. Spe divinæ misericordiæ peccator erigendus. — 8. Praxis excitandæ fiduciæ de divina bonitate. — 9. Tres viæ et modi ducentes ad confessionem peccatorum. — 10. Alia est confessio laudis, et divinorum beneficiorum. — 11. Singulariun beneficiorum consideratio et nominatiun ad statum religiosum. — 12. Gratitudinis affectus et gratiarum actionis ad Deum. — 13. Confitendorum Dei numerum viæ tres cum anacephalæosi.

I. Dominus, qui egressurus de Samaria dicitur ad portam, quæ respicit ad orientem, venturus asseritur et in Bethlehem. Ut autem, quæ super his animo occurrunt, breviter ostendamus, quid esse putamus venire Dominum in Bethlehem, nisi nos quoque qui venire et ire, qui accedere et recedere possimus, ipso ducente, ad mansionem venire internæ refectionis? Ut enim celebra Patrum expositione estis edocti, Bethlehem *domus panis* dicitur. Et quæ alia est juxta sensum moralem, domus panis, quam refectio securæ et benevolæ mentis, quam et Salomon jugi convivio comparat? (*Prov.* XV, 15.) Ad quam tanquam ad Bethlehem venit Dominus, postquam de Samaria egressus est ad portam, quæ ducit ad orientem, ut postquam menti nostræ, quod verum est, per intellectum, etiam quod bonum est, sapiat per affectum. Et hoc est Dominum venire in Bethlehem, per gustum saporis internum, nostræ nos mentis inhabitare mansionem. Si enim ardenter diligimus, quod manifestum est in nobis per rationem nostram; quod Deus nobis manifestavit per ostensionem suam; quod de invisibilibus ejus, ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur per inspectionem externam (*Rom.* I, 20), quodammodo et ipse, postquam egressus est de Samaria, ad portam, quæ respicit ad orientem venit, dum post veram eorum, quæ ad ipsum pertinent, agnitionem, suavem erga seipsum, et in seipso mentis palato gustamus dilectionem.

II. Per hoc vero quod additur: *ambulans super aquas redemptionis* Judæ, modos et vias quibus ad Dei nostri conscendimus dilectionem accipimus. Si Judas confessio est; unde redimitur Judas, videlicet nisi de eo quod ei contrarium est, scilicet negatione? Quid enim negat non confitetur; et qui confitetur, non negat. Quis est qui confitetur, nisi qui se in ratione dati, et accepti Deo agnoscit obnoxium? Aquæ redemptionis Judæ, dona sunt gratiarum, quibus et invitatur devotus quilibet ad confitendum largitori earumdem gratiarum: et quasi ambulans super aquas redemptionis Judæ, Dominus venit in

Digitized by Google

Bethlehem, modos nobis manifestando, quibus abjecto damnabili peccato negationis, virtutem exercere possimus confessionis, suavitatem etiam menti nostræ interni infundendo saporis. Sed jam aliquid de Juda et de aquis redemptionis ejus loquamur. Prius scilicet videntes quibus modis hanc, de qua loquimur, confessionem exercere debeamus; deinde quibus quoque modis eam acquirere possimus. Postremo, quod plures sint confessiones demonstrantes, et unicuique proprios, quibus acquirenda est, modos, assignantes.

III. Mihi autem videtur quod primitus confessio sicut est in nobis, ita esse debet et de nobis, juxta illud quia *Justus in principio accusator est sui* (*Prov.* XVIII, 17). Quatenus talem exterius te ostendas in ore, qualis intus apud teipsum lates in mente. Et qualis apud teipsum es in mente, nisi injustus et peccator, si tamen non dissimulas, si undique in te oculos apertos retorques? Nonne si projicis a te illa folia ficus, quibus consutis [*al.* consuti] agnoscentes se esse nudos, protoplasti illi fecerunt sibi perizomata (*Gen.* III, 7), videbis quia a planta pedis usque ad verticem, non est in te sanitas? (*Isa.* I, 6.) Qui ergo apud te jam quatriduanus fetes in spelunca conscientiæ, veni foras in confessione (*Joan.* XI, 39). Confitere te, sicut vere es, peccatorem. Detege peccatum tuum ut impleatur in te quod prophetavit Isaias, qui ait: *Revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos* (*Isa.* XXVI, 21). Terra revelans sanguinem suum, anima est per confessionem detegens peccatum suum. Quæ etiam ultra interfectores suos non operit, dum cogitatus ejus interiores vita spirituali, per consensum peccati, privatos non abscondit. 51 Valde salubris, ut scitis, confessio ista utpote sine qua ad veram salutem pertingere nequimus. Nonne hoc sensit ille qui ait: *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini?* (*Jac.* V, 16.) Cujus nobis sententiæ utilitatem [*al.* veritatem], quod ei contrarium est dispendium aperit, quod tale est, nisi confitemini alterutrum, et oretis pro invicem, non salvamini. Cui sensui et hoc astipulari videtur, quod Salomon ait: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur* (*Prov.* XXVIII, 13). Verum omnino, verum est hoc, quoniam et qui revelat peccata sua, promovebitur; qui autem tegit et fovet ea, æterna eum damnatio consequetur.

IV. Audistis quænam esse debeat hæc prima confessio. Videte nunc quibus ad eam viis accedere debeatis. Sit tibi prima diæta usque ad intuendam plene enormitatem facinoris tui. Nullatenus enim peccatorem te esse fateberis, si te peccatorem esse non intelligis, nec tua medico vulnera demonstrabis, si te vulneratum non agnoscis. Auferens ergo te post tergum tuum, ubi te projeceras, arguens te, statue te contra faciem tuam (*Psal.* XLIX, 21), et vide quam fœdus et fetidus sis, quam tabidus et ulcerosus, ut displicens tibi etiam horrori tibi sis. Et elevans vocem commotionis magnæ, his verbis aggrediaris teipsum, et dicas tibi aliqua in hunc modum: Heu, heu! cur tot tantisque plagis vulneravi animam meam occurrens adversum Deum, erecto collo, per plateas Babylonis; seminans in carne, involvens meipsum in volutabro luti, infixus in limo profundi? et omissis aquis Judæ quæ mundant, in Abana me et Pharphar fluviis Damasci immergens (*IV Reg.* V, 12), caput aspidum sugens, et a lingua viperæ occisus, ipsam videlicet in initio tentationis suggestionem blandientem in corde admittens; sicque vitam in me spiritualem subsequenti assensu amittens? En qui in sacculo signata habeo peccata mea (*Job* XIV, 17); et modo miserabili horrori mihi, et tædio effectus, qualem me cogor aspicere, talem me nequeo sustinere. Quidni tam ægrum te intuens, medico citissime tuam ægritudinem exponas? Alioquin vulnus, dum negligitur, et maxime dum absconditur, in putredinem vertitur. Putredinem vero sequitur mors. Restat ergo ut auribus audiendi audias, qui leprosus es, quod leprosis ad eum clamantibus verus ille medicus injunxit. *Ite*, inquit, *ostendite vos sacerdotibus* (*Luc.* XVII, 14).

V. Quod si ad confessionem trahere non potest cognitio culpæ, trahat te saltem consideratio pœnæ, ut qui taces etiam horrore peccati confusus, loquaris, vel terrore supplicii concussus. Et quare non vis confiteri? fortassis propter pudorem. Sed cur pudet te peccatorem dicere, cum magis pudere te debeat esse? Pudor, quæso, pudorem projiciat, verecundiam verecundia expellat, ut sicut de sancta illa pœnitente beatus Gregorius ait (255), tam vehementer temetipsum erubescas intus, ut nihil esse credas, quo verecunderis foris. Magis nimirum, pudere te debet tui, quando fosso pariete animalium atque reptilium abominationem intueris (*Ezech.* VIII, 10) quam quando eumdem parietem aperiens, ad hoc ut deleantur, abominationes illas exponis. Et forte præ timore non confiteris, ne videlicet confitenti gravia aliqua injungantur, expavescens, et ideo operire te per silentium eligens. Sed magis timere potes terribilem illam post mortem inimici exprobrationem et horribilem inferni damnationem. Alloquere ergo animam tuam super his, si forte timorem expellere possis timore. Et ut discedat timor, qui confessionem impedit, et succedat qui efficit, conveni eam in verbis istis:

VI. Væ mihi, qui in conspectu ipsius omnipotentis et viventis Dei, in cujus manus, ut ait Apostolus, horrendum est incidere (*Hebr.* X, 31), in præsentia quoque tot millium tam hominum quam spirituum ultorum habeo confundi: terribile quidem tunc effectus spectaculum, non solum mihi, sed et angelis, et Deo, et hominibus (*I Cor.* IV, 9). Væ, inquam mihi, qui ligatis manibus et pedibus, missus in tenebras exteriores (*Matth.* XXII, 13), persolvere habeo in puteo infernali, tot tantaque tormenta; igne pa-

(255) S. Gregor. homil. 33.

Digitized by Google

riter inexstinguibili exustus, et verme immortali corrosus. Nonne mitius mihi est ut corporali cruciatu, et mentis momentaneo luctu, æternum illum qui in camino illius erit ignis, qui exstingui non novit, dolorem devitem et cruciationem? Quid enim tale in jejuniis, vigiliis, sive in aliquibus, ut breviter dicam, animæ aut corporis afflictionibus, quisque tolerare potest, quale illud est supplicium infernale? ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans (*Job* x, 22), corpus quidem quod erit in combustionem, et cibus ignis, æterno cruciatu affligens; animam vero vita mortali vegetans, et morte vitali perimens. Et hoc gehennali supplicio cruciari **52** dignus erit, qui hic scelera sua, ut deleantur confiteri contemnit. Hic itaque timor de pœnæ consideratione procedens, quasi alia via est, hominem ad confessionem perducens. Ut non horreat hic confitens aliqua sustinere gravia, qui sibi non confitenti agnoscit imminere longe graviora.

VII. Est adhuc via quædam, quam spes certa divinæ misericordiæ sternit, quæ et ipsa ad confessionis exercitium hominem perducit : suavior tibi duabus illis, de quibus hucusque diximus, viis ad gradiendum. Quia, cum cuncta in eis sentias aspera, nulla omnino in hac via invenis nisi plana. Quid dulcius, quidve suavius, vel quid lætius cogitare potest homo, suam pristinam deflens iniquitatem, quam ineffabilem divinæ misericordiæ bonitatem? Ut enim arte, sicuti dicitur, medicinali, calida frigidis, et e converso frigida calidis curantur, ita et verus ille noster medicus, pius et benignus Jesus, sua nos in confessione peccati nostri dulcedine demulcet amaricatos, exasperatos lenit; contritos sanat, exhilarat contristatos.

VIII. Secure et cum omni firmæ spei certitudine confiteor tibi vulnera animæ meæ, o singularis et efficax medicina vulnerum meorum, qui et vulneratus es propter iniquitates meas, et attritus es propter scelera mea, bone Jesu! (*Isa.* LIII, 5.) Quoniam tu bonus, quoniam in sæculum misericordia tua. Et venisti in hunc mundum peccatores salvos facere, et non vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam (*Luc.* v, 31). Video te quotidie innumeros colligere peccatores, dantem nivem sicut lanam, et cinerem tanquam panem manducantem (*Psal.* CXLVII, 16; CI, 10). Dum et illi qui in iniquitate sua diu frigidi erant, quasi vestimentis tuis te operis, et sic tibi peccatores per pœnitentiam et confessionem sicut justos per continentiam et bonam unis actionem. En David non despicis pœnitentem, sed ad veniam admittis confitentem (*II Reg.* XII, 13). Chananæam exaudis clamantem (*Matth.* XV, 22), Mariam emundas plorantem (*Luc.* VII, 38), Petrum amplecteris flentem (*Matth.* XXVI, 75), latronem in paradisum inducis orantem (*Luc.* XXIII, 42). Ipsam denique Ecclesiam suam, ac per hoc et te persequentem, Paulum loquor, in vas electionis immutans, gentium in fide et veritate efficis doctorem (*Act.* IX, 31). Hæc bona, fratres, ac plana via est, ambulate in ea, quia confitentibus vobis adversum vos injustitias vestras Domino, et ipse remittet impietatem peccati vestri (*Psal.* XXXI, 5).

IX. En tres vobis proposui vias, quibus ad peccati confessionem venitur : Prima est consideratio iniquitatis vestræ; secunda, intuitus supplicii gehennæ; tertia, spes misericordiæ divinæ. Considera itaque enormitatem pravitatis tuæ, et exhorresce. Intuere profunditatem calamitatis gehennæ, et pertimesce. Contemplare immensitatem bonitatis divinæ, et confide. Prima te via ad confessionem perducet per horrorem confusum, secunda per terrorem concussum, tertia per spei certitudinem consolatum. Et accipe has tres primas aquas redemptionis Judæ, super quas Dominus ambulabat, dum in Bethlehem venit, modos scilicet nobis manifestans, quibus prima confessio acquiritur, ut sapor nobis intimæ refectionis infundatur. Quid ergo hæc confert aut quæ utilitas ejus? multa per omnem modum. Quia veniam tibi tribuit peccatorum tuorum. Dum enim tu devotus eorum accedis confessor, et ipse incontinenti plenus tibi adest eorum remissor, accepta post hæc venia peccatorum, et indulta nihilominus gratia emendatius de cætero vivendi.

X. Huic confessioni succedit confessio alia, qua sua necesse est Deo confitearis munera, ut ibi quidem tua accuses mala : hic autem sua ei deputes bona. Et hæc quidem confessio bona et bona valde, quia non solum, quæ jam accepisti, tibi dona custodit, sed ad accipienda adhuc ampliora te dignum reddit; sic enim facere solet bonus et justus Dominus Deus noster, majoribus accumulans quæ necdum acceperunt, suæ gratiæ donis : quos devotos sollicitos et gratos esse percipit in jam acceptis. Et rectæ quidem viæ, quibus ad hanc confessionem accedere debes, hæ sunt : Primum sollicite considera quam beneficus, quamque largus et copiosus in donis sit. Nonne copiosus et largus, qui dona gratiæ nec ab ipsis abstinet inimicis, gratiæ suæ solem oriri faciens super malos et bonos, et pluens super justos et injustos? (*Matth.* v, 45.) Quomodo non copiosus, qui, ut brevi multa sermone concludam, aperiens manum suam implet non quidem aliquod, sed omne animal benedictione? (*Psal.* CXLIV, 16), ita ut non sit qui se abscondat a calore ejus (*Psal.* XVIII, 7). Quis tam indomiti cordis est, quin in hac immensæ largitatis ejus consideratione mansuescat? Quis tam duri, quin mollescat? quis tam tepidi quin flammescat, et accendatur ad confitendum ei?

53 XI. Secunda vero via est intuitus excellentiæ munerum ejus. Quia sicut copiosus et largus est qui donat, ita nec pauca vel modica, sed magna et multa sunt, quæ donat. Quis nostrum eorum vel multitudinem numero includere novit, vel magnitudinem mensura capere valet? Potest nimirum unusquisque vestrum, si diligenter inspicere voluerit, dona sibi collata evidenter perpendere : quam devote quamque hilariter per hanc viam ad ejus

Digitized by Google

debeat currere confessionem. Ut enim silentio supprimam ad præsens dona illa creationis tuæ, quæ in primo esse tuo accepisti, ut etiam taceam opus redemptionis tuæ excellentissimum, quod [quam nimirum] tam mirabiliter et omnino incomprehensibiliter, supra omnem intellectum, non modo humanum, sed et angelicum, Deus homo factus, Deus et in homine duram, et diram indignamque mortem passus, implevit. Quomodo digne in sensu comprehendes, quod te in sæculo talem, qualem te ibi fuisse reminisceris, tam patienter sustinuit, tam misericorditer vocavit? ibi longanimis, hic autem multum misericors, vocatum tanto talique ornatu justitiæ decoravit? Dans tibi ut omni tempore vitæ tuæ ab his contineas, a quibus vix aliqua die te abstinere volebas, et quod etiam hora modica sustinere laboriosissimum fuit, jam omnibus diebus tuis ferre suavissimum sit.

XII. Gratias tibi, Domine bone, et dulcis, benigne et suavis. Tu me creasti non existentem, tu perditum redemisti, tu vocatum justificasti, remittens mihi peccata mea, largiens dona tua, assiduitatem in lectione, devotionem in oratione, studium in meditatione, dulcedinem in speculatione, puritatem in contemplatione, sanitatem, prout mihi expedire nosti, tribuens in corpore, ut ad opus bonum robustum reddas et validum. Et aliquando infirmitatem, ut a mala actione retrahas, et timidum efficias, semper et in omnibus salutem meam zelans. Bello me tentationis fatigans, quiete me rursum pacis consolans. Ibi ne me extollam, hic autem ne nimis pusillanimis fiam. Ubique et semper mihi assistens, et omnia mea non solum bona, sed et mala in bonum mihi cooperari faciens. Adde posthæc; adde et ad hæc, quin [*al.* quia] hæc omnia nihil merenti contulisti. Quid enim ego prius feci, ut tot me et talibus tantisque donis dignum judicares? nihil boni, nihil non mali feci; et ipse omnia bona contulisti. Laudandus quidem quod tanta dedit, sed quod indigno dedit, nimirum valde admirandus. Est itaque et hæc via, de qua loquimur, perducens ad confessionem, ut, si videtur devote laudandus pro eo quod tanta et talia dedit, videatur tibi multo devotius debere laudari pro eo quod tantillo ac tali dare voluit.

XIII. Habetis ergo vias tres etiam ad hanc confessionem perducentes. Quarum prima consideratio est divinæ largitatis; secunda, intuitus excellentiæ muneris ejus; tertia, conscientia nullius meriti, quo aliquid accipere dignus esses, præcedentis. Et prima quidem te excitat ad mirationem, ut merito tantæ largitatis abundantiam mireris. Secunda invitat ad dilectionem, ut in ejus quem tanta taliaque tibi dedisse agnoscis, amore inflammeris; tertia, salubrem tibi infundit humilitatem, ut dum te consideras et multa accepisse, et nihil prorsus meruisse, nihil ex omnibus, quæ in te vides, bonis, tibi attribuens, sed illi omnia, ex cujus munere sunt, ascribens in conspectu largitoris largissimi, utiliter humilieris. En geminam vobis ostendimus confessionem: unam, qua mala nostra occulta detegimus; alteram vero, qua Deum laudamus pro munere suo. Et singulis tres assignavimus modos, quibus, et cum desunt, acquiri, et cum adsunt, debent exerceri. Dum autem his modis, ut tam mala quæ te perpetrasse reminisceris tibi imputes, quam bona quæ tibi adesse perspicis, Deo ascribas, unctionem gratiæ suæ Dominus inspirat, quasi super aquas, nimirum redemptionis Judæ, Dominus ambulat. Aquæ namque, sicut superius diximus, quibus redimitur Judas, modi sunt et viæ quibus a negatione prava eripitur confessio. Quia quasi in captivitate quodammodo Judas detinetur, dum, obsistente negationis obstinatione, confessio non exercetur. Sunt adhuc confessiones aliæ ad Judam pertinentes, habentes et ipsæ modos et vias suas, quasi aquas redemptionis earum, super quas Dominus ambulat, dum per easdem vias et modos, ad acquisitionem et exercitium earum nos excitat. Sed quia obsistit jam hora, ne de his in præsenti loqui possimus, alia vice, auxiliante Domino, de eis tractabimus, ad ejus laudem et gloriam, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

54 SERMO XIV.

ITEM DOMINICA II IN ADVENTU DOMINI.

De quadripartita confessione, et de quatuor panibus, ac de quatuor generibus ægritudinis humanæ.

Synopsis sermonis. — 1. Medici corporalis et spiritualis in morborum curatione analogia. — 2. Alia est confessio proprii criminis, alia divinæ laudis et fides, utrobique necessaria constantia. — 3. Ad constantem fidei confessionem via prima est passio nostri Redemptoris. — 4. Secunda est fortitudo tui Adjutoris. — 5. Tertia est, magnitudo remunerationis. — 6. Confessio beatorum in patria, quæ est vox lætitiæ et laudis, ex triplici capite. — 7. Confessio quadruplex, et tres viæ singularum recapitulantur. — 8. Bethlehem, id est domus panis, in qua Dominus quadrifariam pascitur. — 9. Primo subcinericio, id est pœnitentia; secundo, pane sartaginis, id est laboris. Tertio craticulæ, id est tribulationis. Quarto clibani ardentis, qui est angelorum. — 10. Ægritudo animæ quadruplex: prima est duritia cordis. — 11. Secunda, desidia in opere. Tertia, blasphemia in fide. — 12. Quarta, ignorantia felicis æternitatis. — 13. Deo omne bonum tribuendum.

I. Qui de arte medicinali se intromittit, tanta talique sollicitudine medicaminum suorum confectionibus debet insistere, ut in ægro suo, qui purgatione duntaxat indiget, qualia purganda sint purget, quatenus juxta quod peritissimus ille medicorum Hippocrates asseruit, conferat et bene ferat. Erga ægrum profecto suum peccatorem quemlibet, in spirituali nimirum sanctæ prædicationis medicatione, similem gerere debet sollicitudinem spiritualis animarum medicus, prædicator verbi vitæ. Sicut enim qui corporaliter ægrotat, ad plenam non facile valet pertingere sanitatem, nisi humore primitus noxii, qui ægritudini nutrimenta et causa sunt, expellantur, ita peccator quilibet, quem ægrum esse, et aliquando quod pejus est, quem etiam mor-

Digitized by Google

tuum esse, dum in affectu peccati criminalis mentem radicitus figit, dubium non est ad veram nullatenus posse salutem pervenire, nisi peccata ejus occulta per confessionis potionem, prius evomantur. Quid enim aliud sunt vitiorum corruptiones, et maxime peccata occulte commissa, et in conscientia abscondita, nisi quidam humores perniciosi in corpore latentes, et corpus perimentes? Et sicut hi non expulsi generant mortem, sic et illa per confessionem non ostensa perducunt ad damnationem. Rursum quid aliud est prædicatio ad confessionem exhortans, nisi instructio potionis, antidotum demonstrans? Inde est quod in sermone, quem proxime habuimus de virtute confessionis, locutionem tam prolixam contexuimus, quia eam pernecessariam non ignoramus.

II. Et est confessio prima, qua mala nostra occulta detegimus. Sed quia in hac confessione, quæ timore procedit, conscientia nostra gravatur, succedit huic confessio alia, qua gravata conscientia tua alleviatur [*al.* consolatur], quæ exercetur, dum in donis suis benedicetur Deus ac laudatur. Et est confessio hæc quasi electuarium quoddam, stomachum mentis mitigans et confortans, in qua quietem percipit anima consolationis, quæ in præcedentis confessionis potione laborem protulit vexationis. In illa confessione, qua peccata tua detegis, veniam percipiens, a perniciosis humoribus purgaris. In hac vero, qua Deum in donis suis benedicis, gratiam acquirens internæ visitationis ornaris. Sed sic purgatus et ornatus (purgatus dico per pietatem veniæ, ornatus per largitatem gratiæ), necesse est ut virtutem in te habeas constantiæ, quia, qui te diluculo visitat, subito probat (*Job* VII, 18), ut oporteat te pro tuenda pietate sanctitatis, contra occultum pugnare tentatorem, et, cum necesse fuerit, pro defendenda fidei virtute contra apertum dimicare persecutorem. In hac itaque pro defensione fidei congressione confitere non modo Deo, sed Deum, quia si confessus eum fueris coram hominibus, confitebitur et ipse te coram Patre suo (*Luc.* XII, 8). Si autem negaveris, et ipse negabit te.

III. Quod si quæris quæ via ad hanc te possit perducere confessionem, sit tibi prima, et quidem valde recta, passio nostri Redemptoris. *Per patientiam* itaque *curre propositum tibi certamen, aspiciens in auctorem et consummatorem vitæ Jesum. Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta* (*Hebr.* XII, 1, 2). Verba hæc Pauli sunt, quibus concinit consors atque collega martyrii et coapostolus Petrus. *Christus* inquit, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* II, 2). Nec mirum si pro te pateris, qui pro te passus est, et quidem Dominus pro servo. **55** Recordare quia *non est servus major domino suo; ut si ipsum persecuti sunt, persequantur et te* (*Joan.* XV, 20). Ergo, si *odit te mundus, scito quia ipsum te priorem odio habuit* (*ibid.*, 8). *Et si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis et domesticum ejus?* (*Matth.* XVIII, 25).

IV. Sit tibi via secunda fortitudo adjutoris tui, quia ipse pro quo pugnas, tibi indubitanter et viriliter assistet ut vincas. Nonne imbre lapidum vallatus, beatus Stephanus Filium vidit hominis stantem a dextris virtutis Dei? (*Act.* VII, 55). In eo quod audis stantem, intellige pugnantem; in eo autem quod audis a dextris virtutis Dei, agnosce expugnantem. Stans bellat, et dimicat : virtuosus vero superat et triumphat, quia et ad pugnam status, et ad virtutem pertinet triumphus. Cum ergo te duxerint tradentes, pone in corde tuo non præmeditari quemadmodum respondeas, quia ipse tibi hora eadem dabit os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii tui (*Luc.* XXI, 14, 15).

V. Sit tibi via tertia remuneratio illa æterna, quia pro quo pateris, cum illo quoque regnabis. Qui itaque pateris propter justitiam beatum te scito, quia merces laborum tuorum regnum erit cœlorum. Unde gaudere potes in illa die et exsultare, cum te oderint homines, et exprobraverint, et ejecerint nomen tuum tanquam malum, et dixerint omne malum adversum te mentientes, quia merces tua magna est in cœlis (*Luc.* XXVI, 22). Per has tres vias accedere ad confessionem hanc datur? Et sit tibi prima passio Redemptoris; secunda, fortitudo Adjutoris; tertia, magnitudo Remunerationis. Passio Redemptoris tibi sit ad exemplum, robur Adjutoris ad auxilium, magnitudo remunerationis ad solatium. Ad exemplum passio, ut imitemur; ad auxilium fortitudo, ut remuneremur; ad solatium remuneratio, ut lætificemur.

VI. Hanc sequitur confessio quædam, læta quidem, et lætificans, beata et beatificans; sed in futuro erit (non in præsenti est) in patria, non in via, non in exsilio, sed in regno. Hæc est illa de qua sanctus David : *In voce*, inquit, *exsultationis et confessionis, sonus epulantis* (*Psal.* XLI, 5). In superna illa Jerusalem est confessio hæc, quo quotidie ascendunt tribus, *tribus*, inquam, *Domini ad confitendum nomini Domini* (*Psal.* CXLI, 4). Huic insistunt cives illi beati, qui habitant in domo Domini, non manu facta æterna in cœlis, in sæcula sæculorum laudantes eum (*Psal.* LXXXIII, 5), misericordias ejus in æternum cantantes, in quorum ore resonat canticum lætitiæ, et vox laudis. Et tribus hanc confessionem exercent de causis, quasi totidem ad eam viis accedentes : quod ab æterna videlicet perditione liberati sunt, quod gaudia cœlestia consecuti, quod ea sine ullo defectu duratura agnoscunt. Hæ causæ tres ad Dei sui eos confessionem invitant. Evasio a captivitate, exsultatio de felicitate, securitas de æternitate.

VII. Habetis ergo quatuor genera confessionum proposita vobis, quorum tria exercent in præsenti exsilio sancti, quartum vero in cœlesti regno, beati. Et est prima confessio peccati, et pertinet ad pœnitentes; secunda meriti, et vindicant eam sibi bene

Digitized by Google

vivantes; tertia fidei, et exercent eam sancti martyres; quarta præmii, et exercent eam sine omni defectu cives in cœlesti patria felices. Primam hilaritas remunerat veniæ, secundam adauget cumulus gratiæ, tertiam fortitudo roborat constantiæ, quartam decor exornat indeficientis gloriæ. Habet et unaquæque earum quatuor confessionum tres usque ad eam viam perducentes. Primæ confessionis viæ, considerata enormitas culpæ, pœna gehennæ, benignitas misericordiæ. Enormitas culpæ, considerantі horrorem inducit, ut talem se esse pudeat. Calamitas pœnæ terrorem incutit, ut timeat; benignitas misericordiæ fiduciam infundit, ne desperet. Viæ ad secundam confessionem sunt, abundantia divinæ largitatis, excellentia muneris ejus, conscientia nullius meriti præcedentis. Gradientem per primam cognita largitas ad stuporem te excitat, ut admireris. Per secundam visa excellentia munerum ejus ad amorem te invitat, ut inflammeris. Per tertiam habita fragilitas propria præ oculis te illuminat, *ut illumineris* [*al.* humilieris]. Tertiæ confessionis viæ sunt passio Redemptoris, fortitudo Adjutoris, celsitudo Renumeratoris. Prima martyribus proponitur in exemplum, ut illud imitentur; secunda, ad auxilium, ut corroborentur; tertia, ad solatium, ut exhilarentur. Ad confessionem vero quartam hæc tria invitant : Quod a captivitate sunt liberati, quod felicitatem consecuti, quod in plena ac perfecta securitate tranquilli. Hæc de quadripartita Juda, et de aquis redemptionis ejus diximus, unicuique Judæ tres, ut scitis aquas assignantes. Super has aquas redemptionis Judæ Dominus ambulabat et venit in Bethlehem. Quia hæc in se quatuor genera confessionum anima exercens, **56** et ad singulas viis propriis gradiens Deum in se omnipotentem suscipit mansorem, qui internam et spiritualem in ea, et cum ea celebrat refectionem.

VIII. Si enim Bethlehem, quomodo non domus panis, mens devoti pœnitentis, qui confessioni insistit peccati? mens continenter viventis, qui confessionem exercet meriti? mens sancti martyris, qui pro confessione dimicat Catholicæ fidei? mens denique civis felicis, qui confessionem celebrat æterni gaudii? Nonne Dominus pascitur apud mentem pœnitentis, qui in Psalmis dicit se cinerem tanquam panem manducare (*Psal.* CI, 10), sic sibi videlicet peccatorem incorporans per pœnitentiam, sicut et sanctum per justitiam? Discumbebat aliquando, ut scitis, cum Pharisæo, sed apud mulierem peccatricem (*Luc.* VII, 36), sed pœnitentem, ut beatus ait Gregorius (256) mentis epulis delectabatur. Sed et apud continenter viventes et bene operantes quis eum neget epulari, cum dicat ipse suum esse panem, ut impleatur voluntas Patris sui? (*Joan.* IV, 34). Hoc idem et alibi innuit, ubi asserit eum qui plena obedientia audierit vocem exhortationis suæ, et fidei, atque confessionis ei aperuerit januam, intrabit ad illum, et cœnabit cum illo, et ipse cum eo (*Apoc.* III, 20). Ut sit jam mens ejus quædam Bethlehem, dum veram, per tantum ac talem hospitem, nacta securitatem, sapidam intra se gaudet celebrare refectionem, juxta illud Salomonis, quod *secura mens juge convivium* (*Prov.* XV, 15). Si quis fidei, in athleta spirituali, fervorem suum asserat panem, neminem, ut arbitror, sane sapientem, in hoc habebit contradictorem. Quid enim aliud esuriebat, quando ad ficum veniens, in ea nihil aliud nisi folia invenit : *cum tamen*, ut ait Evangelista, *non esset tempus ficorum?* (*Marc.* II, 13.) Quid, inquam, aliud esuriebat, nisi fidem Judæorum? Qui quidem nihil in se nisi folia verborum legalium habebant. Nec erat tempus quo fructum fidei ferrent, quia oportebat primum plenitudinem gentium introire, et sic omnis Israel salvus fieret (*Rom.* II, 25). Quod autem apud felices illos epuletur in cœlesti patria quotidie, imo continuo splendide, dubium non est, quibus ipse disposuit, sicut ei Pater suus disposuit regnum, ut edant et bibant super mensam suam in regno suo (*Luc.* XXII, 29), ibi adipe frumenti satiat eos, ibi satiabitur David, quia manifestabitur gloria Domini sui (*Psal.* CXLVII), 14). Ecce sicut quatuor vobis modis Judam exposuimus, sic et quadripartitam nihilominus vobis Bethlehem demonstravimus suum uniquique panem assignantes.

IX. In prima domo panis est coctus sub cinere, quia pro eo quod ad humilitatem pertinet, pœnitentiæ subcinericius est, et est panis doloris. De quo loqui videtur sanctus David, ubi nobis præcipit surgere postquam sederimus, qui manducamus *panem doloris* (*Psal.* CXXVI, 2). Quod non est aliud nisi quod tunc in spem veniæ erigi possimus, cum primitus in gemitu pœnitentiæ, pane lacrymarum cibati (*Psal.* LXXIX, 6), plenæ humilitatis opus ad veram pœnitentiam pertinens perfecte impleverimus. Secundæ vero domus panis, pro laboriosæ actionis exercitio ad sartaginem mihi videtur posse referri, et est panis laboris. Cujus tibi idem Psalmista facit mentionem, ubi dicit quod *labores manuum tuarum manducabis, et ideo beatus es, et bene tibi erit* (*Psal.* CXXVII, 2). De craticula quoque est panis, qui in tertia domo est, eo quod igne magni agonis frigitur, qui usque ad sanguinem et usque ad ipsam etiam mortem, pro fidei defensione stare et certare conatur, et est panis tribulationis. Qualem sancto quondam prophetæ, pro eo quod sibi verba veritatis protulit, iratus Achab et in furorem versus, jussit apponi dicens : *Mittite virum istum in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis, et aqua angustiæ* (*II Reg.* XXII, 27). Quartæ vero domus panis magno illo indeficientis charitatis igne succenso coquitur in clibano, quem caminus Domini inflammat, qui est in Jerusalem, estque panis angelorum, de quo qui manducaverit, ultra non esuriet (*Joan.* VI, 35).

X. Habetis itaque quadripartitam Judam et unicuique domui spiritualem sibi assignatum panem. Sed et ternas redemptionis Judæ aquas super quas

(256) S. Gregor. homil. 36.

Digitized by Google

Dominus ambulat, ut veniat in Bethlehem, his quos superius ostendimus, modis et viis ad veram nos confessionem perducentes, et suavem nobis spiritualis refectionis saporem, sapidamque, ut ita dixerim, suavitatem in quatuor istis, quas commemoravimus, domibus infundentes, unicuique Judæ attributas. Ingens admodum utilitas in hoc ejus adventu in Bethlehem, et magna omnino salus. Unde et hic in fine dicitur quod tunc salvus erit omnis homo, quia ecce veniet. Si intelligitis quid sit secundum hunc, quem usque modo in manibus habuimus, sensum, Dominum venire in Bethlehem, scitis consequenter omnis hominis, qui spiritualiter salvari desiderat, in ejus illo adventu consistere salutem. **57** Nec ullatenus curari posse aliquem hominem interiorem, nisi suavem et sapidam hanc, de qua nonnulla jam diximus, apud eum celebret refectionem. Sed considerate quæ sit hujus de quo loquimur, hominis ægritudo, et videte si non est ita. Est aliquis qui semetipsum projecit post tergum suum, et incorrigibilis jacens in peccato suo durior adamante; nullum divini timoris respectum habens, sed attrita exterius fronte, et indomabili corde domus per omnia exasperans effectus (*Ezech.* XII, 3). Nonne istum infirmum, et quidem pene usque ad mortem censes, qui secundum duritiam suam et impœnitens cor thesaurizat sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei? (*Rom.* II, 5.)

XI. Est et alius non magno fortassis aliquo peccati pondere gravatus, nullo tamen boni operis decore vestitus: marcidus jacens, et negligens. Sicut non in crimine frigidus, ita nec in virtute calidus, sed in torpore tepidus, et ideo ab ore Domini evomendus (*Apoc.* III, 16); et istum sanum quis nisi insanus dixerit? in quo a planta pedis, qui incedit in cogitatione, usque ad verticem, qui eminere debet in actione, sanitas non est (*Isa.* I, 6). Certe si hoc secundum aliquem modum est, animæ esse sanum, quod et decorum (qui enim per sanitatem valet, ipse consequenter et per speciem nitet), nescio quo pacto hunc sanum esse fateberis, qui nequaquam vigilans, sed dormiens, non custodit vestimenta operis sui (*Apoc.* XVI, 15). Certe, nec aliqua habet, sed nudus ambulat, et vident omnes turpitudinem ejus. Et de illo quid judicabis, qui inerti, in mente, debilitatus infirmitate, in fide offendit, dum fidem non defendit; in corde quidem retinens, unde credat ad justitiam; sed os aperire non præsumens, ut confiteatur ad salutem? (*Rom.* X, 10.) Num ei salutem dices inesse, quem vides pro fidei viriliter non stare defensione? Nam, dum in fide peccat, quæ salvat, profecto deest ei salus, ac per hoc nec est sanus. Si enim fortis ac sanus esset in corde, nimirum viriliter dimicaret pro fide. Juxta quod Apostolus dicit de sanctis: *Qui per fidem vicerunt regna*, quia *convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello* (*Hebr.* XI, 34). Dicturus siquidem, *fortes facti sunt in bello*; præmisit, *convaluerunt de infirmitate*. Ut innotesceret nobis, non posse quemquam ascendere ex adverso, et opponere se murum pro domo Israel, ut stet in prælio in die Domini (*Ezech.* XIII, 5), qui necdum per virtutem spiritus convaluit de infirmitate.

XII. Puto quod nec illi veram asseres inesse salutem, in cujus terra, pro eo quod suaviter vivitur (*Job* XXVIII, 13), inveniri non potest sapientia. In quo cum profundus per concupiscentiam, et amarus sit per malitiam: abyssus dicit sapientiam non inesse (*ibid.*, 12), et mare loquitur secus eam non esse. Quonam modo dicendus est iste habere salutem, qui supernæ suavitatis dulcedinem nec gustu contemplationis prægustare, nec palato novit desiderii affectare? Sunt itaque hæc quatuor genera ægritudinis hominis: duritia videlicet, desidia, blasphemia et ignorantia. Quadripartitæ Judæ, et quatuor totidem Domini panibus omnino contraria. A quibus nullatenus homo iste, de quo loquimur, spiritualis salvabitur, nisi eo, quo superius diximus, modo, ambulet super aquas redemptionis Judæ Dominus, ut veniat in Bethlehem. Et est duritia in corde, desidia in opere, blasphemia in fide, ignorantia de illa æterna et felici suavitate, felici et suavi æternitate.

XIII. Sed ambulat Dominus super aquas redemptionis Judæ, et venit in Bethlehem. Ostendit, videlicet, modos huic infirmo, quibus ad veram, quam et quadripartitam esse superius indicavimus, accedere possit confessionem; et sapidissimam ei infundit internæ refectionis, quam in quadruplici domo panis consistere diximus, suavitatem. Tunc vero, ut ostendamus quomodo homo salvatur, duritia quæ est primum ægritudinis genus, emollitur. Et emollita duritia pœnitens in prima domo, quæ est austeritas pœnitentiæ, primum comedit panem, qui est panis doloris. Et in prima Juda, confessionem exercet peccati. Deinde desidia ad secundum pertinens infirmitatis genus pellitur, et ipsa depulsa devotus in domo secunda, quæ est instantia bonæ actionis, secundum comedit panem, qui est panis laboris. Et in secunda Juda, confessionem exercet meriti. Post hæc blasphemia, quam sibi tertium vindicat infirmitatis genus, destruitur. Ipsaque destructa fidelis in domo tertia, quæ est fortitudo rectæ credulitatis, tertium edit panem, qui est panis tribulationis. Et terna Juda, confessionem habet fidei. Novissime vero ignorantia, quæ est quartum ægritudinis genus projicitur. Qua projecta in domo quarta, quæ est æternitas supernæ felicitatis, quartum, etsi necdum per rem et effectum, per speciem tamen et desiderium, comedit panem, qui est panis angelorum. Et in **58** quarta Juda, per cogitationem et aviditatem, confessionem celebrat gaudii, in voce confessionis et exsultationis, sonum emittens exsultantis (*Psal.* XLI, 5). Merito itaque tunc salvari dicitur homo, cum venit Dominus in Bethlehem, ambulans super aquas redemptionis Judæ. Quæ autem et quot sint aquæ istæ, vel quid sit per eas Judam redimi, et unde, superius partim in sermone isto, partim in

Digitized by Google

illo qui hunc proxime præcessit, ex parte, ut arbitror, ostensum est.

En, fratres, in plures quam putavimus, verba nostra, super verbis responsorii hujus protraximus, sermones. Quia quando loqui incœpimus, non omnia hæc in meditatione simul habuimus; quæ postea præeunte nos gratuita gratia sua spiritu veritatis, et revelante nobis, scrutati sumus. Putavimus enim in uno nos sermone posse comprehendere quod vix in quatuor invenimus [*al.* invenimur] explesse. Quod cum ita sit, quid aliud hic sciendum, nisi hoc quod aperte datur intelligi, ut dum postmodum patuit in tractando, quod prius latuit in cogitando, credatur datum pro vobis, quod primitus non patuit, in occulto cogitantibus nobis. Sic videlicet elationem in nobis destruemus, agnoscentes humiliter bonum, quod est in nobis, sicut non esse a nobis, sic nec esse pro solis nobis. Quia vero quædam adhuc de his verbis dicenda occurrunt, in alium ea sermonem differamus. Tum quia multa jam dicta sunt, tum quia quæ dicenda restant, verbis paucis expleri non possunt. Quandoquidem tam magna, tam profunda sint, ut non putemus, quod uno comprehendi sermone possint. Ipse autem in quo speramus, qui et nos perduxit hucusque Spiritus sanctus, revelare dignetur oculos vestros; ad consideranda mirabilia de lege sua. Suam nobis tam in sentiendo, quam in proferendo gratiam administret ad laudem suam, et ad ædificationem vestram. Cui sit cum Patre et Filio, a quibus ab æterno procedit, honor et gloria in sæcula. Amen.

SERMO XV.

ITEM DOMINICA II IN ADVENTU DOMINI.

De modis quibus mentes prædicatorum in docendo disponuntur, et moventur, et de fastidiosis auditoribus.

Synopsis sermonis. — 1. De nobis modica, de aliis qualiter magna sentiamus. — 2. Sicut beato Augustino præter intentionem, prædicatoribus interdum lingua movetur. — 3. Illis nunc verborum copia, nunc provenit inopia. — 4. Multiplices cenodoxiæ insidiæ, et quis vitii genius. — 5. In auditoribus duo vitanda, fastidium et curiositas. — 6. Scripta SS. Patrum prædicatori commendata. — 7. In prædicatione non affectata verborum compositio, sed magis cordium spectanda instructio. — 8. Prædicatores ut custodes Sponsæ Dei, id est Ecclesiæ quales esse oporteat. — 9. Egressus Domini de Samaria, id est occulta custodia ad nos. — 10. Quantopere adventus Domini mundo desideratus.

1. *Egredietur Dominus de Samaria ad portam quæ respicit ad Orientem, et veniet in Bethlehem, ambulans super aquas redemptionis Judæ: tunc salvus erit omnis homo, quia veniet* (257). Debitores, dilectissimi, nos vobis recognoscimus, et est tempus, ut quod polliciti sumus, reddere pro viribus studeamus. Sed priusquam ad indaganda, quæ verbis istis, insunt profunda, accedamus: delectat paululum commemorare quam miro modo, in verbo suo, Deus omnipotens disposuit nos. Plerumque enim multa nobis coram loquentibus, ut in fine præcedentis sermonis diximus, occurrunt; quæ in occulto meditantibus, et multo fortassis studio quærentibus non patuerunt, ut donum intelligentiæ, et nostræ subtilitati non tribuamus, et coram quibus confertur, pro illis conferri credamus. Sicque fit ut humiliter in oculis nostris, de nobis modica, de aliis sentiamus magna, non ambulantes in magnis, neque mirabilibus super nos (*Psal.* CXXX, 1). Alioquin plura apud nos, ut ea postmodum loquamur, in meditatione versamus: quam in ipsa postea locutione, pro eo quod non occurrunt, non proferimus: disponente, tunc temporis, mentem et linguam nostram, et ad alia trahente ipso, in cujus manu sumus nos et sermones nostri. Quia licet quæ loqui proponimus, in cogitatione tractata fuerint, bona hæc tamen quæ locutionis tempore, et Dominus menti, et mens ministratori; illis fortassis, qui tunc præsentes sunt, auditoribus, sunt magis necessaria; ac per hoc quantum ad ipsos, meliora.

59 II. Quod Patri ac doctori nostro egregio, beato, quadam vice legimus contigisse Augustino, qui, dum ex more verba faceret ad populum, ad aliud repente, quam vel propositum ejus erat, vel materia in se habebat, de qua agebat, ejus se lingua, inter loquendum, derivavit. Ad quem tempore postmodum congruo, quidam humiliter accessit, et quid in mente efferebat, unctio illa docens de omnibus (*I Joan.* II, 27), per verba illa, quæ impræmeditate protulit, aperuit. Nonnunquam vero visitante mentem spiritu, multa in meditatione apprehendimus: et eadem multa, movente eodem spiritu linguam, in locutione postmodum effundimus, nonnihil bonum providente in hoc tam de nobis quam de auditoribus nostris, ut et in occulto per semetipsum pascat nos. Ita fit ut dum omne quod in nobis est bonum, non ex nobis, sed ex ipso fit, et nobis ex auditoribus nostris, et illis meritum provideat ex nobis; conservante ipso, apud se, ad remunerationem, et quam, eis loquendo, impendimus prædicationem; et quam ipsi nobis in audiendo, exhibent humilitatem.

III. Sæpe vero, nec multa nobis in meditatione patent, quæ proferamus, nec postea, etsi velimus, proferre valemus. Ut subtrahente ipso, ad tempus, mentibus nostris, intelligentiæ donum, et nobis per hoc a vestris auribus verbum; et nos quidem dum nobis demonstrat, quod non sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex ipso est, salubriter humiliet (*II Cor.* III, 5). Et vos nihilominus, dum scitis mandatum nubibus ne pluant imbrem (*Isa.* V, 6); sollicitos et devotos in oratione reddit. Quatenus quod vobis effundamus, ipse prior nobis infundat. Sicque dum voce ad Deum clamant concordi, tam humilitas nostra quam vestra oratio, uberius et quodammodo lætius ad nos quod ipso transmittente administremus, redeat intelligentiæ donum, quam si nunquam fuisset sub-

(257) Ex officio Eccles., unde sup. Dominic. 2 Adventus, 3 noctur.

Digitized by Google

tractum. Sed hæc de nobis dicentes, qui loquimur, et de vobis qui auditis, hoc etiam addimus, quia in uno eodemque Dei verbo, magis tangit periculum linguam nostram, quam aurem vestram.

IV. Vos enim eo securius quo humilius auditis, nos vero eo periculosius in sermone Domini incedimus, quo elationem quæ inter cætera vitia magis gratiæ inimica est, molestius nos infestantem habemus. Nam aliquando bene aliquid dicere studemus, ut vobis, qui auditis placeamus; vel [*al.* qui] etsi forte placere non multum exoptamus, displicere tamen formidamus. Aliquando delectamur [*al.* delectari] turpiter in laude, quam offertis nobis; licet nec corde, nec ore quæsita fuerit a nobis. Et quidem placere velle, et displicere nolle, non semper malum est, sed beatus qui in utroque illi soli quærit placere cui sicut placere optimum, ita et displicere pessimum est. Illud autem tertium quod posui in laude videlicet non quæsita, sed ab auditoribus oblata delectari, malum esse non possumus diffiteri.

Quin [*al.* quod], necesse habemus, nos, qui loquimur, cum ab eo forte fuerimus intercepti, ut ante ejus oculos, cui soli esse debet honor et gloria, conversi ad cor nostrum, crebris lamentis tergamus. Infirma siquidem mens, suavia laudis verba libenter et gaudenter suscipit, quæ etiam plerumque, et cum nihil fortassis exterius et ad laudem pertinens audit, bene a se dicta in occulto apud se revolvit, et aliis per se hæc nota recogitans, illisque hæc valde placere sibi renuntians, privata quadam apud se lætitia inaniter hilarescit. Et, cum nec ista sine gravi, apud se, culpa mens versare possit, quid de eo dicemus, cujus ex abundantia cordis os loquens aperte jactando se (*Luc.* VI, 45), quæ jam protulit, creberrime repetit profunde cogitata : nitide quoque turpissimo et inanissimo arrogantiæ vento inflatus asserit prolata? Ille quoque qualiter irridendus, qualiter subsannandus est, qui laudem corde quidem quærens, ore autem quasi fugiens, nihil penitus valere quidquid dixerit, conqueritur; malle se tacuisse quam sic locutum fuisse asserit. Ad hoc totus in hac ejus exteriore accusatione intendens, ut alios ad laudem suam excitet, quatenus dum tam anxie ore eum conqueri audiunt, et turpem inanis gloriæ appetitum, qui in corde tam impatienter exspectat, tamque ardenter expetit, non conspiciunt, quasi consolantes bene dixisse asserant, et jure eum laudandum pro verbis tam laudabiliter prolatis affirment. Detestabile certe jactantiæ genus ad hoc humiliare te, ut exaltes, et laudem quærere fugiendo.

V. Hæc mala, fratres, et quæ in hunc modum sunt, loquentibus insidiantur, a quibus vos, qui auditis, immunes estis. Quia in occulto servata apud vos pulchritudo devotionis vestræ dum exterius visa, vel audita non agnoscitur, humanæ nimirum laudis pulvere non offuscatur. Sed sicut nobis ab hac perniciosa 60 elationis peste cavendum est, ita et vobis nihilominus a pessimo cavetote vitio fastidii, et curiositatis. Sunt enim quam plures, quos sæpissime experti sumus, qui cum maximo fastidio suscipiunt verbum in sermonibus, qui diebus festis ex more recitari solent, magis ex usu præsentes se exhibent, quam ex affectu; plus exspectantes et desiderantes finem, quam aliquam desiderantes, vel colligentes sibi ædificationem spiritualem. Non solum autem, sed dum propter disciplinam ordinis vel corporaliter abesse non possunt, pernicioso fastidii pondere gravati, contrahentes facies intra capitia, quasi per maturitatis frenum, oculorum lasciviam cohibentes, inerti dormitioni insistunt. Sunt vero alii qui libenter quidem audiunt quæ dicuntur, sed nihil penitus approbant nisi nova et inaudita dicantur. Denique solent finito sermone, et si forte verbis tunc non possunt oris, vel verbis digitorum, aliqua, uti ipsi multoties deprehendimus, et in hunc modum invicem conferre frequenter audivimus. Nonne Augustinus, nonne Gregorius, nonne alii doctores hæc eadem dicunt? quæ passim in libris doctorum furatus memoriter retinuit, hæc nobis pro sermone recitavit, ac si et nos non possimus ista videre, ut ipse ea vidit, atque collegit.

VI. Hæc vox eorum nolentium attendere. Quia juxta Comicum : *Nihil est dictum quod antea non sit dictum*. Hæc, inquam, vox illorum, ac si nos quidquam dicere vel sciamus, vel debeamus quod non dixerunt, et in scriptis suis ad doctrinam nostram reliquerunt præcedentes nos doctores sancti. Præsertim cum præcipiat nobis Psalmista, ut *in ecclesiis benedicamus Domino de fontibus Israel* (*Psal.* LXVII, 27). Et divinitus percussi sunt filii Aaron in Leviticо (*Levit.* X, 1); pro eo quod ignem alienum oltulerunt, quod eis præceptum non erat. Quibus istos similes dixerim, nisi carnalibus istis Israelitis, qui fastidientes manna, cibos, ut scitis, desiderabant Ægyptiacos (*Num.* XXI, 5). Sed quæ fuerit pœna illorum, si hi diligenter attenderent, talia, ut arbitror, non dicerent.

VII. Illos autem, qua subsannatione et irrisione judicabitis tangendos, qui cum omnino nullum vel admodum modicum habent in Scriptura intellectum : habitum ad eos sermonem penitus respuunt, nisi totus in verbis Latinis, et quod magis irridendum est, nisi quibusdam verbis pomposis et insolitis persolvatur. Bene, inquiunt, et acute sensit in mente; sed quidquid dixit minus est probabile, minusque acceptabile, dum sua vulgarem hanc locutionem assumpsit in prolatione, cum ipsi nihil omnino intelligant ex omnibus quæ dicuntur, nisi vulgariter eis exponantur. Vos autem, fratres, non sic, sed tanta aviditate esuriant mentes vestræ verbum Dei, ut iterum illud esuriatis. Sed et omnem in eodem verbo devitate locutionem; quæ non ædificat. Magisque [*al.* magis quoque] affectate, ut in vobis imbuantur corda, quam vobis componantur verba. Emundantes itaque vos a fæcibus istis : compatimini miseriis nostris multimodis. Erectis fidelibus animis suspirate ad illum pro nobis; qui nostra in his omnibus, quæ superius vobis exposuimus, et in ca-

Digitized by Google

teris, quæ in nobis innovantur malis: spes sola et singulare refugium est. Quatenus et qui illis, qui ejus magisterio adhærebant, pedes lavit; speciosos quoque reddat et pedes evangelizantium vobis (*Rom.* x). Ut non simus sicut quidam plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquamur.

VIII. Et qui ad hoc constituti sumus, uti custodes Sponsæ suæ sanctæ Ecclesiæ, quæ estis vos, ejus ipso transmittente per nos verba, præstemus [*al.* proferamus] ipsum ab ea amari, ipsum laudari; et eum nequaquam adulterantes, aliquid in ea nostrum, quod ad ipsum solum Deum pertinet, quæramus. Quatenus ut fideles paranymphi, et amici Sponsi, sinceri stantes in rectitudine internæ intentionis, et cordis eum auribus audientes gaudio gaudeamus, non propter vocem nostram, sed propter vocem ejus (*Joan.* III, 29). Ut enim idem ait: *Qui a seipso loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam ejus qui misit illum, hic verax est, et injustitia in illo non est* (*Joan.* VII, 18). A semetipso loquitur, qui a semetipso æstimat esse, quod loquitur; ille etiam a seipso loquitur, qui pro ipso solo loquitur, vel ob emolumentum videlicet alicujus commodi temporalis; vel ob favorem humanæ laudis. Sed vos adjuvate in orationibus vestris infirmitatem nostram, ut sapienter inter illum et vos incedentes, ejus in vobis gloriam quæramus, qui misit nos.

IX. Audite quid in verbis istis sacrosanctis et profundis, ipse dignanter revelavit nobis, ut et nos ad ipsius laudem et utilitatem vestram revelaremus vobis. *Egredietur Dominus de Samaria ad portam quæ respicit ad orientem.* Per hunc Domini **61** egressum de Samaria, salubrem ejus de illa alta et secreta custodia, ubi illum Pater in sinu suo custodivit, ad homines accepimus adventum. Quia, ut ipse ait: *Exivi a Patre, et veni in mundum* (*Joan.* XVI, 28). Et juxta Psalmistæ sententiam: *A summo cœlo egressio ejus* (*Psal.* XVIII, 7). Nonne in custodia fuit qui in patre invisibili, invisibilis absconditus fuit? Nam quandiu nullam aliam in se naturam nisi divinam, quæ et invisibilis est, habuit, quasi tandiu intus fuit. Sed, quando *Verbum caro factum*, id est Deus homo factus est, *et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14); ac secundum quod Jeremias ait: *In terra visus est cum hominibus conversatus est.* (*Baruch*, III, 38). Tunc nimirum de hac, de qua loquimur, Samaria egressus est.

X. Hinc ejus egressum illa quondam in Canticis ardenter videre exoptavit: quæ magno affecta desiderio ait: *Quis mihi det te fratrem meum, ut inveniam te foris?* (*Cant.* VIII, 1.) Intus quidem jam eum invenerat, quia in eum credebat, quem in divinitate invisibilem agnoscebat. Sed foris eum videre concupiscit, ut in illa videlicet natura appareret, quæ oculis corporalibus videri posset. Sed ut in tali natura appareret, oportuit ut in unitate eam personæ suæ assumeret, et non sub aliqua se forma phantastica absconderet: sed illud veraciter esset, in quo appareret: sicque frater esset, dum homo esset. Prius ergo eum fratrem suum fieri voluit, ut eum postmodum foris invenire posset. Quia, postquam frater et caro nostra factus est, dum in similitudinem hominis factus, et habitu inventus ut homo, de secreto paternæ Samariæ, ad publicum nostræ egressus est naturæ; sicque foris inventus est in natura nostra, qui intus fuit in sua. Qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XVI.

ITEM DOMINICA II IN ADVENTU DOMINI.

De adventu Christi ad Ecclesiam per virginem Mariam.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Portæ diversa acceptio in Scripturis. — 2. Porta orientalis est Virgo Maria, ad quam insignis apostrophe. — 3. Ante Mariam nemo virginitatis Deo sacravit propositum. — 4. Plenitudo gratiæ per Mariam in fideles derivatur. — 5. Moysen de fiscella scirpea filia Pharaonis, Christum de Virgine natum suscepit Ecclesia gentium. — 6. Bethlehem, id est domus panis: qui reprobus triplex. — 7. Panes Ecclesiæ probati decem recensentur. — 8. Quis fructus, in Ecclesia, singulorum.

I. De Samaria egressus Deus ubi primum apparuit? utique ad portam, quæ respicit ad Orientem. Quia illam, in qua videretur, de virgine Maria suscepit apparitionem. Est porta quædam Christus, de qua dictum habetis in Job de impio, quod *Longe fiant amici ejus a salute, et conterentur in porta* (*Job* V, 4). Quia Synagogæ populi a vera se salute elongantes, veniente Christo, per infidelitatem corrupti sunt. Est et alia ad fidem pertinens porta, de qua sanctus David: non confundetur, *Cum loquetur*, inquit, *inimicis suis in porta* (*Psal.* CXXVI, 5), id est quando disputabit cum hæreticis pro fide tenenda [*al.* tuenda]. Est quoque bonum, quod exercemus opus, quasi porta quædam, quia per illam de bona voluntate, quam coram Deo intrinsecus habemus: ad oculos proximorum extrinsecus eximus; de qua ait sanctus Job: *Quando procedebam ad portam civitatis* (*Job* XXIX, 7). Quando videlicet exterius exivi ad opus bonum coram aliis. Sed et exitus ab hac vita, porta nobis est. Sicut in Ezechiele legimus (*cap.* XL, 3), quod propheta interius stans, oculos exterius habuit ad portam, Pro eo quod electus quisque in fide Ecclesiæ vivens, ad exitum suum ab hac vita, desiderium suum extendere debet, ut cum Christo esse possit.

II. Porta quoque sancta et perpetua, virgo est, ut in eodem dictum invenitur Ezechiele, quia *porta hæc clausa erit et non aperietur* (*Ezech.* XLIV, 2). Quia ipsa semper, et ante partum incorrupta, et post partum mansit illæsa. Ad hanc portam egressus Dominus de Samaria venit, quia ipsa in mente aperta per fidem, et in corpore clausa per castitatem; sine pollutione, eum munda concepit, et sine læsione integra generavit. Vere tu es, o Virgo beata, porta in Ezechiele orientalis. Tu et ista, de qua nunc agimus, porta, respiciens ad orientem; quia tu es, in qua Christus suum sine omni viola-

Digitized by Google

tione et ingressum habuit et egressum, per quam et nos introitum habemus ad regnum. Et sanctitatem exercere nunquam omittis, utpote gratia plena. Tu soli Christo placere contendis, utpote quæ nec primam similem visa es, nec habere sequentem. Nam sit oriens pueritia nostra, de qua 62 ætatis nostræ sol primum emergit. De quo in Evangelio legitur, quod *multi ab Oriente venient* (*Matth.* VIII, 11); pro eo quod plures ab ipsa pueritia ad Christum accedunt. Et cum sit populus Judaicus quodammodo oriens, ut invenitur in Apocalypsi, quia *ab Oriente portæ tres* (*Apoc.* XXI, 13), pro eo quod et ipsi fides sanctæ Trinitatis sit nuntiata. Est quoque [*al.* quidam] verus Oriens Dominus Christus, ad quem respicis tu, ut ei soli placeas in interna intentione. Est et sanctitatis opus, ad quod similiter respicis, ut illud pro ejus nomine exerceas in conversatione.

III. Totus adhuc pene mundus ad occidentem carnis vergebat operans in ea, et proferens ex ea fructum mortis, quando tu ad virginitatis orientem oculos elevans, gloriam in te præferebas futuræ incorruptionis. Qualis ille sanctæ Ecclesiæ fulgebit pulcherrimus et felicissimus status: in quo non nubent fideles ejus, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo! (*Matth.* XXII, 30.) Quæ enim erat illo tempore mulier hanc vocem proferre valens aut volens: *Virum non agnosco?* (*Luc.* I, 34.) Certe nullam tunc fuisse asseres, si vocis hujus virtutem plene agnoscas. Quid enim est virum non cognosco, nisi virum cognoscere non propono? Non solum in præsenti virum ignorans, sed et omni vitæ meæ tempore firmum ignorandi propositum habens. Quin potius, pro maledicta habebatur tunc sterilis: in tantum ut magis plangendum et dolendum sibi arbitraretur filia Jephtæ (*Judic.* II, 34), quod carnem virgineam intulit sepulcro, quam quod gladio jugulata est paterno. Sed tu respexisti Christum in interna intentione; respexisti ad Orientem, carnis virginitatem, in pudica conversatione. Respexisti, inquam, etiam præ mulieribus cunctis unde et per sæcula beata prædicaris in cunctis. Sed quem sola tunc suscepisti, sola habere noluisti, sed, qui de sinu Patris venit ad te, usque ad nos quoque venit per te.

IV. Sicque ros qui primum in solo vellere fuit (*Judic.* VI, 40), totum postmodum aream humectavit, ut sola quidem, primum ipsum susciperet; ut eum deinceps cunctis gentibus inferret. Hoc est quod ait sanctus David, quia *descendet* primum *sicut pluvia in vellus;* et deinde *sicut stillicidia stillantia super terram* (*Psal.* LXXI, 6). Primum descendit in vellus, deinde in terram. Sed in vellus, ut pluvia, in terram vero, ut stillicidia. Quia primum Christus ad virginem cum gratiæ plenitudine venit, deinde fideles et electos suos ad participandum vocavit. Unde sicut primum ros in vellere, deinde in area, ita et Dominus egrediens de Samaria, primum ad portam quæ respicit ad Orientem, deinde venit in Bethlehem. Hoc est quod in missa cantamus de ea (258), quia primum *unigenitum filium suum sancti Spiritus obumbratione concepit.* Et deinde: *Virginitatis gloria permanente huic mundo lumen æternum effudit, Jesum Christum Dominum nostrum.* Nam Bethlehem Ecclesia est vocata de gentibus, ut ejus domus sit, qui ait: *Ego sum panis vivus* (*Joan.* VI, 52). Ad quam domum panis venit Dominus, postquam egressus est de Samaria, ad portam quæ respicit ad Orientem. Quia de sinu Patris per carnis assumptionem ad virginem accessit, et ipsa mediante per fidem ad Ecclesiam pervenit.

V. Hæc dicens egregiam illam, ad mentem, verterem historiam Exodi (*cap.* II, 3) revoco. In qua legitur de Moyse, quod noviter natum abscondit eum mater tribus mensibus. Cumque jam celari non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam intus, et foris bitumine ac pice, posuitque intus infantulum. Quem postea, ut scitis, quia longum est ire per singula, sustulit filia Pharaonis. Quis hic Moyses tribus mensibus in domo absconditus paterna, nisi Dominus legifer noster, qui accepit verba vitæ dare nos tribus temporibus: sub natura, sub lege, sub prophetis, in hac, de qua jam multa locuti sumus, latens Samaria? Sed elatus de domo paterna, positus est in fiscella scirpea bitumine linita ac pice. Quia egressus de Samaria venit ad portam quæ respicit ad Orientem. Extractum de fiscella Pharaonis eum filia suscepit, et Christum natum de Virgine Maria, per fidem electa Ecclesia de gentibus excepit, quod est Dominum a porta quæ respicit ad Orientem, venire in Bethlehem. Quasi bitumine fiscella linita est, ac pice dum munditia ornata est virgo nostra, ac humilitate: ut virum se non cognoscere asserens, quod perfectæ esse castitatis nemo ambigit, et ancillam Domini se vocans (*Luc.* I, 38), quod magnæ ac profundæ humilitatis est, omnipotenti Deo et picem humilitatis in mente, et bitumen offert castitatis in carne. Quod ergo in psalmo septuagesimo primo dicitur descendere (*Psal.* LXXI, 6); deinde in vellus, postremo in terram; quodque in Exodo, primo Moyses celari non valens, manifestatur; deinde in fiscella 63 ponitur; novissime vero a filia Pharaonis suscipitur, id hic est primum Dominum egredi de Samaria; deinde ad portam accedere, quæ respicit ad Orientem; novissime vero in Bethlehem venire, Christum videlicet de secreto Patris, inde tamen non recedendo, exire ad virginem, carnem de ea et in ea assumendo, accedere ad Ecclesiam de gentibus, alimentis fidei eam reficere.

VI. Sed cum Ecclesia Bethlehem, Bethlehem vero *domus panis* sit, sciendum, quia est panis cujus ipsa non est domus, quia eum intra se hospitari non permittit. Est enim panis quidam, doctrina hæretica, ut in Parabolis legitur, quia *panis absconditus*

(258) In præfatione missæ encomium Mariæ.

Digitized by Google

suavior est (*Prov.* VI, 17), pro eo quod doctrina hæretica reprobis charior nonnunquam est quam doctrina sana. Est et carnalis delectatio panis, quo anima peccatrix pascitur, sicut habetis in Job de impio dictum, *cum se moverit ad quærendum panem* (*Job* XV, 23), id est cum se intromiserit carnalem quærere delectationem. Sed et induratus quilibet, perseverans in peccato suo, panis est, ut reperitur apud Osee, quod *Ephraim factus est panis subcinericius, qui non reversatur* (*Ose.* VII, 8), quia induratus peccator in immunditiis suis jacet, et de eis non pœnitet. Hujus tripartiti panis Ecclesia domus non est, quia per affectum, sive per effectum mansio non est. Primus panis edentem perducit ad blasphemiam in fide ; secundus, ad consensum in pravitate ; tertius vero, ad æternitatem in pœna gehennæ. Doctrina namque hæretica per errorem seducit, delectatio peccati ad consensum perducit, perseverantia in iniquitate in æternam perditionem mergit, ut justo Dei judicio sicut hic nunquam voluit terminare culpam, *sic* et ibi nunquam finiat pœnam.

VII. Sed est alius panis ad Ecclesiam pertinens, cujus et illa domus est. Ipse est primus qui de seipso ait : *Ego sum panis vivus* (*Joan.* VI, 52), quia in ipso vitalis animæ refectio est. Est et secundus panis ejus, ille quem in sacrosancto altari quotidie sumit. De quo in Parabolis dicitur : quia *panem otiosa non comedit* (*Prov.* XXXI, 27), quia ipsa corpus Redemptoris sui sine fructu boni operis non percipit. Est et tertius gratia spiritualis, ut in Isaia habetur quod *panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt* (*Isa.* XXXIII, 16), id est gratia spiritualis viro ecclesiastico collata est, contemplationes ejus erroneæ non sunt. Est et quartus, sacra doctrina, ut ait Jeremias quia *parvuli petierunt panem* (*Thren.* IV, 4). Humiles videlicet et simplices desideraverunt doctrinam audire. Est et quintus Ecclesiæ panis, actio bona, sicut et vox illa continet sancti Spiritus in Isaia, quæ talis est : *Panem nostrum comedemus* (*Isai.* IV, 1), pro eo quod septiformis Spiritus in bono opere, quod nobis agendum inspirat delectatur. Est et sextus panis ejus robur charitatis. De quo Dominus in Evangelio : *Quis ex vobis petit panem*, id est charitatem? (*Luc.* XI, 11). Est et septimus virtus humilitatis, ut in libro Regum legitur : *Et ecce ad caput ejus subcinericius panis* (*III Reg.* XIX, 6), quia in mente viri sancti humilitas est consideratione propriæ infirmitatis. Est quoque et octavus, homo sanctus [*al.* sanctificatus], ut in psalmo habetur de Domino quod *cinerem tanquam panem manducat* (*Psal.* CI, 10). Quia non solum incorporat sibi virum sanctum per justitiam, sed et peccatorem per pœnitentiam. Est certe et nonus, consolatio, ut ait Jeremias : *Populus gemens et quærens panem* (*Thren.* I, 11), id est dolens et desiderans consolationem. Est adhuc decimus panis ejus, subsidium vitæ præsentis. De quo ait in Genesi sanctus Jacob : *Si dederis mihi panem ad edendum* (*Gen.* XXVIII, 20), id est si mihi contuleris subsidium, ad corroborandum.

VIII. Hujus itaque bis quinque partiti panis domus Ecclesia est, ut jure nominetur Bethlehem et sit. Primum habet per fidem pasta ; secundum, sacramentaliter cibata ; tertium, in occulto visitata ; quartum, audiendo instructa ; quintum, in bono opere occupata ; sextum, dilectione impinguata ; septimum, in semetipsa humiliata ; octavum, per exercitium sanctificata ; nonum, per consolationem roborata ; decimum, per subsidium munita. Ad hanc Bethlehem egrediens de Samaria ad portam, quæ respicit ad Orientem Dominus venit, quia de secreto Patris exiens, et de virgine Maria naturæ nostræ publicum sumens, Ecclesiæ se per fidem ostendit. Qui nobis præstet, ut qui jam eum per fidem cognoscimus, usque ad contemplandam speciem suæ celsitudinis perducamur. Cui sit cum Patre et Spiritu sancto honor et gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

64 SERMO XVII.

ITEM DOMINICA II IN ADVENTU DOMINI.

De eo quod in sacramentis Veteris Testamenti Dominus ad Ecclesiam venit.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Panis animæ verbum Dei. — 2. Per Judam vel Bethlehem Ecclesia, per aquas redemptionis sacramenta designantur. — 3. Pro tempore sacramenta diversa. — 4. A vulnere peccati cœpit medicina sacramenti. — 5. Aquarum in malam partem acceptio septuplex ; quæ sunt perditionis Damasci. — 6. In bonam partem acceptio ; quæ sunt aquæ redemptionis Judæ. — 7. Jesus operatur quod vocatur. — 8. Evangelizantibus et pulsantibus dat Dominus verbum virtute multa et occulta. — 9. Pro meritis auditorum se habet sæpius lingua prædicatorum.

1. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus. Gratias ei, qui epulis nos quotidie spiritualibus magis ac magis reficere dignatur, admittens nos in interioribus suis, et ostendens nobis thesauros suos absconditos, et arcana secretorum suorum, revelans etiam oculos nostros, et faciem, ut et mirabilia de lege sua scrutemur, et gloriam ejus speculemur. Ecce quot nobis in verbis responsorii hujus profunda, quam magna revelavit, et quam occulta? et certe, quando primitus apud me ea ruminare cœpi, putavi me uno sermone, vel ad plus, duobus ea exponere, cum jam sex expleverimus, unum modo habentes in manibus, et adhuc nonnulla de eis dicenda habemus. Mirabile, fateor, genus cibi, qui non solum ob maximum, qui ei inest saporem, quo magis comeditur, eo et magis esuritur, sed etiam quo frequentius editur, eo et plus augetur. Quod hic experti sumus, quia crebro jam comedimus, sed edentium sub dentibus crescit [*al.* crescat] in ore cibus. Aggrediamur jam quod de his adhuc verbis restat exponere.

II. *Ambulans super aquas redemptionis Judæ.* Hinc incipiendum est, quia hic desiit sermo præcedens. Venit ergo Dominus in Bethlehem, Ecclesiæ de gentibus per fidem se ostendens, sed venit ambulans super aquas redemptionis Judæ, fundans in eadem Ecclesia ab initio sacramenta salutis humanæ. Unam siquidem eamdemque, per Judam, Ecclesiam accipimus ; quam et per Bethlehem intelligimus, quia

Digitized by Google

quæ reficitur per agnitionem veritatis, ipsa et sublimatur per virtutem confessionis : ibi corde credens ad justitiam, hic autem ore confitens ad salutem (*Rom.* x, 10). Quæ Juda aquas habet redemptionis suæ, super quas ambulans Dominus venit in Bethlehem, quia sunt in ea instituta sacramenta, partim sub lege naturali, partim sub scripta, partim in tempore gratiæ, in quibus suam esse salutem confitetur, quousque ipse verus Salvator et in primo adventu apparuit, in quo in ara crucis semetipsum immolans, carnem suam nobis in cibum et sanguinem in potum ministravit. Et in secundo apparebit, quando finis erit, cum *tradet regnum Deo et Patri; et Deus erit omnia in omnibus* (*I Cor.* xv, 24), ut conferente ipso nobis sempiternam beatitudinem, cessent et omnino desinant, non solum quæ ante primum ejus adventum erant, promittentia Salvatorem, sed et quæ post secundum sunt [*al.* promittunt] modo salutem. Tunc non in Proverbiis loquetur nobis, sed palam de Patre annuntiabit nobis (*Joan.* xvi, 25). Nec sub velamine sacramentorum accedet ad nos, quia *videbimus eum facie ad faciem; et videbimus eum sicuti est* (*I Cor.* xiii, 12; *Joan.* iii, 2).

III. Quia vero non ad statum pertinet ambulare, sed ad motum, super aquas redemptionis Judæ, ut veniat in Bethlehem, Dominus ambulat. Quia quousque se in carne manifestaret Filius Dei, sacramentorum quæ Ecclesiæ præfigurabant redemptionem; alia pro aliis, prout ratio postulavit, mutavit, et alia aliis juxta cursus temporum et series generationum succedere fecit. Elevate oculos vestros, et videte quomodo Dominus, quousque in tempore gratiæ venit in Bethlehem, tempore naturæ, et legis scriptæ, super aquas redemptionis Judæ ambulabat. Pauca quidem sub natura sacramenta instituens, et ea sub lege scripta multiplicans, quousque a porta quæ respicit ad Orientem veniens Bethlehem introiret, per virginem videlicet in carne apparens, Ecclesiam per fidem inhabitaret, jamque figuræ et signa cessarent, et res ipsa, atque veritas apparens regnaret. Itaque, prius quam in Bethlehem venit, super aquas redemptionis Judæ ambulavit; at vero postquam in Bethlehem venit, tanquam in domo propria, omni jam suavitatis refectione plena requiescit.

IV. Hoc esse arbitror, quod in libro Regum legitur dixisse Dominus ad Nathan : *Non habitavi*, inquit, *in domo a die qua eduxi filios Israel de medio Ægypti:* 65 *sed ambulavi in tabernaculo et tentorio per cuncta loca quæ transivi, cum omnibus filiis Israel* (*II Reg.* vii, 6). Dies qua filios Israel ex Ægypto eduxit, claritas [*al.* claritatis] est gratiæ, qua electos suos, quos sua in æternum visione beatificendos prædestinavit, visitans, de tenebris illis extraxit; quas per peccatum primi parentis, et per mortalitatem in corpore, et per iniquitatem contraxerunt in mente. Statim enim post peccatum, ex quo calamitas cœpit, et ipse eos hac gratia visitare cœpit, infirmo homini medicinam in sacramentis diversis, prout ratio expetebat, præparavit; alia sub natura, alia sub lege : diversa quidem quantum ad speciem, ad unam tamen tendentia sanitatem. Illis autem temporibus necdum in domo habitavit, hoc est nondum ad Bethlehem sanctæ, quæ nunc est, Ecclesiæ venit, sed ambulabat in tabernaculo et tentorio per cuncta loca quæ transivit, homini videlicet appropiquans in sacramentis, quorum quædam suo tempore cessaverunt, et alia illis pro illis successerunt. Sicut tabernaculum atque tentorium stabiles mansiones non sunt, sed de loco ad locum transferuntur, et ibi solummodo haberi solent, ubi domus construi non possunt. Et pertransivit hoc modo bene faciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo (*Act.* x, 38), quos ad hanc sanitatem elegit ambulans super aquas redemptionis Judæ.

V. Sed adhuc aliæ præter has in Scripturis aquæ sunt, quas bibunt iniqui, sed redemptionis Judæ non sunt, sed sunt perditionis Damasci. Quia nequaquam electi in eis abluuntur, ut salventur, sed in eis reprobi potius demerguntur, ut condemnentur. Sunt etiam quasi quædam aquæ peccata nostra, quæ nobis Dominus per pœnitentiam remittit, sicut legimus in Genesi, quod *spiritus Domini ferebatur super aquas* (*Genes.* i, 2), quia major est ejus pietas, quam nostra iniquitas. Et charitas ejus operit multitudinem peccatorum nostrorum (*I Petr.* iv, 8). Scientiæ quoque hæreticorum aquæ sunt, ut dicitur in parabolis; quod *aquæ furtivæ dulciores sunt* (*Prov.* ix, 17). Quia dulciores esse videntur reprobis, occultæ scientiæ hæreticorum, quam documenta orthodoxorum. Sed et persecutiones pravorum aquæ sunt, ut ait Psalmista, quod *fundavit terram super aquas* (*Psal.* cxxxiii, 5), roboravit videlicet Ecclesiam super persecutiones. Aquæ etiam instabiles cogitationes sunt, unde et postulat idem Psalmista, ut *liberet eum de aquis multis* (*Psal.* cxliii, 7). Hoc est de multis instabilibus cogitationibus. Per aquas blandimenta accipimus tentationum, sicut ait sanctus Job, quod *lapides excavant aquæ* (*Job* xiv, 17), pro eo quod fortes etiam nonnunquam viros tentationum blandimenta emolliunt. Aquæ nihilominus voluptates exprimunt reproborum, sicut ait sanctus David : *convertit aquas eorum in sanguinem* (*Psal.* civ, 29), quia Dominus nonnunquam malas reproborum voluptates in amaritudinem perducit. Pœnæ quoque infernales per aquas designantur, ut legitur de Ægyptiis, *submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus* (*Exod.* xv, 10); id est ruerunt ponderosi peccatores in pœnis infernalibus. Hæ, et si quæ in hunc modum aquæ sunt, ad Abanan et Pharphar fluvios Damasci pertinent (*IV Reg.* v, 12), et non ad aquas redemptionis Judæ.

VI. Sed sunt et aliæ aquæ, quas spectare ad redemptionem Judæ non immerito dixerim, sicut sunt illæ, de quibus Psalmista. *et aquæ*, inquit, *quæ super cœlos sunt* (*Psal.* cxlviii, 4), id est an-

Digitized by Google

geli sancti, qui in superioribus versantur, laudent nomen Domini. Istæ sunt aquæ redemptionis Judæ, quia liberationi et defensioni sanctæ Ecclesiæ angeli semper insistunt. Insistunt et animæ a carne solutæ, pro Ecclesia sancta indesinenter orantes, quæ et ipsæ aquæ sunt, de quibus sanctus David : *qui tegis*, inquit, *aquis superiora ejus* (*Psal.* CIII, 3). Quia nos in quibusdam quidem sacram Scripturam intelligimus; sed animæ beatæ plene ejus profunda comprehendunt. Insistunt etiam sancti, qui in ea modo sunt, sicut idem Psalmista dicit, quod *flumen Dei repletum est aquis* (*Psal.* LXIV, 10). Pro eo quod quotidie in sancta Ecclesia et merito et numero populus Deo augetur serviens. Lamenta quoque humilitatis aquæ sunt, quæ hanc frequenter Judam redimunt. De quibus sanctus Job : *si lotus*, inquit, *fuero quasi aquis nivis* (*Job* VIII, 30), id est si perfusus fuero lamentis humilitatis. Ad hujusmodi vero pertinent aquas et devotiones sanctorum, de quibus item beatus Job quod *aquas appendit in mensúra* (*Job* XXVIII, 25). Quia modo admirando devotiones electorum suorum Deus moderatur; ut non possint tantum aliquando explere in effectu, quantum comprehendere possunt in affectu. Populi etiam qui quotidie in Ecclesiam a malo liberantur, aquæ sunt redemptionis Judæ. De quibus Psalmista Dominum alloquens, *viderunt*, inquit, *te aquæ et timuerunt* (*Psal.* LXXVI, 17), id est intuiti sunt populi credendo, et timuerunt pœnitendo.

66 VII. Quomodo autem in his et in hujusmodi aquis consistat redemptio Judæ, nostrum satis vobis ingenium dicat. Super has redemptionis Judæ aquas quotidie Dominus ambulat, veniens in suam Bethlehem, per eas incessanter suam Ecclesiam visitans. Sed quæ utilitas in hoc quod egrediens Dominus de Samaria ad portam quæ respicit ad Orientem, venit in Bethlehem, ambulans super aquas redemptionis Judæ? Multa quidem, et admodum magna. Nam sequitur : Tunc salvus erit omnis homo, quia ecce veniet. Merito quidem. Nomen quippe ejus Jesus. Quia id operatur quod vocatur, salutem videlicet in medio terræ (*Psal.* LXXIII, 12). Salvum faciens populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I, 21). Non enim misit eum Deus Pater in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum (*Joan.* III, 17). Quatenus verum sit, quod hic dicitur : quod *tunc salvus erit omnis homo, quia ecce veniet*. Sed his secundum sensum allegoricum auditis, ardenter, ut mihi videtur, expetitis, nec sine spe exspectatis, ut aliquid vobis de hoc Domini egressu secundum sensum moralem loquamur. Et quidem deesse vobis non audeo, etiam cum aliquid forte petitis, quod supra me est.

VIII. Sensi enim frequenter, et expertus sum, quia pulsatus ego, ac per hoc pulsare compulsus, et ipse mihi nonnihil patere vidi, quod me prius latuit. Quod profecto tunc non pateret, nisi pulsarem, sed nec pulsarem, nisi pulsatus fuissem. Quod certe [*al.* profecto] his, qui erga opus verbi devoti et assidui sunt, sæpe contingit. Eos namque intentores eorum intentos faciunt, in eo quod ipsi intenti sunt et dum pulsant ad eos, aperit eis Dominus quod eos prius latuit : *præparans*, ut ipse ait ad sanctum Job : *corvo escam suam, quando pulli ejus ad Deum clamant vagantes, eo quod non habeant cibos* (*Job* XXXVIII, 41). Et plerumque fortassis præparat escam illam corvo, magis propter pullos clamantes quam propter ipsum corvum, tribuens dispensatoribus fidelibus et prudentibus quos constituit super familiam suam, quando parvuli eorum petunt panem; non solum quem eis frangerent (*Thren.* IV, 4), sed et quomodo frangant; ne in petitione tam justa patiantur repulsam. Ardor igitur quem in audiendo verbum habetis vos, magnum nobis affert commodum; tepor vero non minus dispendium. Quia cum non pauca desideratis vos, dat nobis pastor omnium nostrum, non solum unde vos pascamus, sed unde una vobiscum pascamur. Cum vero panem illum vitæ fastiditis vos, illum, obsistente fastidio vestro, non meremur accipere nos.

IX. Et inde est quod sæpe quando loqui vobis debemus, debiles et inopes efficimur ad loquendum, quia vos infirmi et debiles facti estis ad audiendum. Nec nisi modicum quid tunc vel acute sentire vel prompte proferre possumus, obsistente tepore vestro, ne id possimus. Econtra vero cum loquentes vobis alacres vos signis, sive modis aliquibus ad audiendum, et avidos, cum humilitate tamen vera, et intentione profectus spiritualis deprehendimus, ministrantur nobis in ipsa locutione, quædam antea non cognita a nobis quæ vobis apponamus. Ut repentina desiderii vestri agnitio, subita sit nobis, novæ gratiæ administratio. Sed hunc modo sermonem terminantes, in alium quod ad sensum pertinet moralem differamus, illum laudantes qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XVIII.

ITEM DOMINICA II IN ADVENTU DOMINI.

De triplici ordine cœnobitarum.

SYNOPSIS SERMONIS. 1. Ex cœnobitis, alii obedientiarii, claustrales, novitii. — 2. Designati per Abraham, Isaac, Jacob : et vocatos diversis horis ad vineam Patrisfamilias. — 3. Per David egredientem et ingredientem ad imperium regis. — 4. In obedientiariis quanta prudentia et fidelitas requisita. — 5. In novitiis sit mundi contemptus, et religionis affectus : sit humilitatis, et pœnitentiæ amor perseverans. — 6. Claustralibus quies animi et corporis necessaria. — 7. Obedientiarius vitet desidiam, novitius sæculi vetustatem, claustralis vagationem curiosam. — 8. Frequentent sanctam actionem, sacram lectionem, puram orationem. — 9. Monasterium carcer voluntarius, quænam spirituales compedes. — 10. Deus dura ex ejus amore sufferentibus vires suggerit, et spe retributionis erigit. — 11. In illa requie beatitudinis nec minima cogitatio bona erit sine mercede. — 12. Passionem tribulationis sequitur consolatio æternæ mercedis.

1. Videtur mihi quod in his verbis, de quibus jam multa dicta sunt, 67 tres notari ordines possunt

Digitized by Google

eorum qui in sancta congregatione existunt. Ac primum quidem illi sunt, qui ob curam exteriorum sibi commissam obedientiarii vocari possunt. Deinde inter vos admittuntur et vocantur novitii : et illorum ordo, qui omissa omni occupatione exteriori et cura, solis interioribus intendunt, et appellantur claustrales. Dicitur namque Dominus egredi, venire, ambulare. Et, ut unicuique istorum trium servetur sua proprietas, egreditur ad portam quæ respicit ad Orientem; venit in Bethlehem, ambulat super aquas redemptionis Judæ. Horum tamen omnium origo et causa, Samaria. Quia inde egredi, inde venire et ambulare perhibetur. Egreditur ergo, ut breviter percurramus, in obedientiariis, quos ob curam et provisionem exteriorum eis commissorum, sæpe non quidem solum in corpore : sed et de ipsa nonnunquam spirituali mentis quiete exire necesse est.

II. Venit in novitiis, qui vel ab ipsa pueritia, quasi ab ipso incipientis ætatis oriente, vel in ætate jam senili quasi ab occidente veniunt, ut recumbant cum fidelibus et obedientibus, quos designat Abraham, cum his, qui sibi bene conscii de firma gaudent spe futurorum, ad quos Isaac pertinet : cum his, qui contra vitia viriliter pugnantes, eorum modis omnibus supplantationem intendunt, quos Jacob exprimit; et ad hoc veniunt, ut cum his obedientibus, sperantibus, pugnantibus recumbant in hoc regno cœlorum (*Matth.* VIII, 11), spiritualiter videlicet in hac sancta epulentur, quam coram video, congregatione justorum, panem vitæ edentes in hac sancta Bethlehem. Hi sunt qui diversis horis ad vineam Patrisfamilias illius supremi accedunt (*Matth.* XX, 1) : alii quidem in mane pueritiæ, alii hora tertia adolescentiæ, alii sexta juventutis, alii nona senectutis, alii etiam undecima ultimæ et decrepitæ ætatis. Et cum nequaquam in veniendo unum omnes habeant tempus, singulos tamen denarius remunerat unus, quia et unus est Dominus mediator noster, qui de se ipso suos in Bethlehem pascit novitios, et consolatur in vinea laborantes. Ipse qui in novitiis venit, in claustralibus ambulat, qui auxilio ab ipso percepto, ascensiones in cordibus suis disponentes, in valle hac lacrymarum, eunt de virtute in virtutem, ut videant Deum deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII, 7) et eo quidem expeditius eunt, eo etiam celerius perveniunt, quo ab exteriori funditus cura liberi, solis interioribus intendunt.

III. Ad hæc spectare arbitror, quod de sancto David in ejus laudem dicitur : *Quis enim in omnibus sicut David fidelis, egrediens, et ingrediens, et pergens ad imperium regis?* (*I Reg.* XXII, 14.) Ingrediens propter novitios, egrediens propter obedientiarios, pergens propter claustrales. Sed oportet ut egredientes nostri ad portam egrediantur, quæ respicit ad Orientem, et venientes ad Bethlehem veniant, et ambulantes, ambulent super aquas redemptionis Judæ. Quia et David nec egreditur nec ingreditur, nec pergit nisi ad imperium regis. Et ut sciatis quomodo sic agere possint, videte quia et Samaria est locus unde habent egredi, venire et ambulari. Et fidelitas similiter causa, quod ingreditur et egreditur, et pergit ad imperium regis sanctus David. Sentitis, ni fallor, aliquid in his clausum contineri, ut sciatis perinde pulsandum vobis, quatenus aperiatur. Samariam dicunt *custodiam* interpretari. Adsit igitur egredientibus nobis custodia, ut egredi possimus ad portam quæ respicit ad Orientem. Adsit, inquam, et ipsa duplex; et prima prudentia, et secunda fidelitas sit.

IV. Talem enim describit Dominus dispensatorem, qui super familiam suam constitui debet, ut sit fidelis, ne eum injustitia corrumpat; sit prudens, ne eum ignorantia fallat (*Matth.* XXIV, 45). Sit et prudens in agendis, fidelis in expendendis. Ut et quæ desunt, caute acquirat; et quæ adsunt, juste expendat. Sit denique prudens, ut quidquid agendum est, secundum rationem agere sciat, et sit fidelis, nihil contra rationem agere volens. Hac gemina custodia egredientes nostri, secure egredi possunt ad portam, quæ respicit ad Orientem. Ut eo modo operationem exerceant exteriorem, quo digni sunt æternam promereri mercedem. Quia in eo quod prudentes sunt, quæ mala sunt, præcavent, ut immunes sint a supplicio : in eo quod fideles sunt, quæ bona sunt, exerceat, ut digni sint præmio. Hæc itaque porta est, quæ respicit ad Orientem : actio videlicet sancta, tam aliena a malo, quam ornata in bono : illum sempiternum in mercede habitura Orientem, de quo propheta : *Ecce,* inquit, *Vir Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI, 12). Ut quibus Christi amor suavis est in operatione, sit et visio ejus luminosa merces in retributione.

V. Sed et novitiis nostris adsit custodia **68** duplex, ut et ipsi a Samaria venire in Bethlehem possint. Plenus videlicet erga mundum contemptus, et perfectus ad religionem affectus. Dum enim duæ sint pestes, quibus attacti fuerunt in sæculo, tumor videlicet elationis, qui eos erexit in mente, et fetor corruptionis, qui dehonestavit in carne; geminum in sancta Bethlehem contra hæc duo mala antidotum inveniunt; vilitatem humilitatis, quæ in corde eorum perimat vanitatem; et rigorem asperitatis, quæ in corpore voluptatem. Sed ut æquanimiter novæ vitæ exerceant aspera, oportet ut plene vetustæ vitæ contemnant suavia, et odio habeant perfecte, quam in sæculo amabant vanitatem, quatenus fructuose diligere possint sanctæ, quam inchoaverunt, religionis vilitatem. Hic est panis geminus, qui, in hac eis, ad quam venerunt, domo est apponendus. Hujus videlicet mundi contemptus, et sacræ religionis affectus. Quibus, si perseverantia adfuerit, ut in utriusque hujus bonitate persistant, habent procul dubio et tertium panem, ut amicus vester, qui venit de via ad vos, de regione longinqua, ubi dissipavit omnem substantiam suam vivendo luxuriose, ubi et porcos pavit,

Digitized by Google

diutinum egestatis detrimentum. et famis sustinens periculum, his tribus panibus reficiatur (*Luc.* xi, 5; xv, 3). Primus subcinericius est propter humilitatis vilitatem; secundus hordeaceus propter asperitatis rigorem; tertius triticeus est, pro eo quod major est per virtutem et robur perseverantiæ : et tam suavitatem quam præstat, et vigorem.

VI. Custodia etiam gemina necesse est, ut claustrales incedant muniti, quatenus internam videlicet quietem super omnia affectent. Et quidquid ei contrarium senserint, ab eo se pro posse, mente, ore et opere elongent. Sunt enim multi claustrales intus quidem positi corpore, foris discurrentes mente, ut ait Salomon : *garruli et vagi, quietis impatientes, nec valentes in domo consistere pedibus suis* (*Prov.* vii, 21). Et hoc corporaliter, dum singulis quibus possunt, horis, furtim foras egrediuntur. Spiritualiter autem, dum in interioribus cogitationum suarum affectibus apud se nulla hora in mente commorantur. En cur dixi claustrales debere super omnia quietem affectare : non modo corporalem in claustro, sed et spiritualem in animo. Cuncta igitur quæ exterius accidunt, et huic suæ quieti contraria sunt, et maxime quæ ad eos non pertinent : necesse est, uti pro nihilo, si possibile est, ducant, quatenus eam et sapienter quærere sciant, et quæsitam atque inventam firmiter retinere queant. Numquam enim tranquille pausare poterunt, nisi sicut quietem internam amant : ita et universa, quæ ei exterius adversari considerant quibus valent modis, et maxime pro nihilo ea habenda effugiant.

VII. Hæc via vestra recta, o claustrales, ambulate per eam. Ut consequenter ambulare possitis super aquas redemptionis Judæ, quæ sunt cœlestes contemplationes animæ, quas in interna illa frequentare debetis quiete. In his aquis fidelis anima, in divinitatis confessione devota se excoquit : has etiam bibit, et in his nihilominus se abluit. Excoquit, ne cruda sit carni molliter acquiescens. Bibit, ne arida sit mundo enerviter succumbens, abluit ne immunda sit cum diabolo fortiter [*al.* turpiter] se prostituens. Sic in aquis istis a triplici Judas eripitur calamitate. Excocta in eis, a carnis eripitur mollitie. Potata, a mundi protegitur seductione. Abluat, a diaboli liberatur pollutione. Tunc salvus erit omnis homo, quia ecce veniet. Vere tunc salvus erit omnis homo, quia et obediențiarii salvantur a desidia noxia, per bonam, quam exercent, actionem. Et novitii a vetustate prava, per sanctam, quam inchoant, novitatem; et claustrales a vagatione curiosa, per internam, quam frequentant, quietem. Possumus etiam in his verbis tripartitum vestrum intelligere exercitium, quia semper vel in lectione, vel in actione, vel in oratione esse debetis; si enim in Samaria fueris stans cum propheta super custodiam tuam (*Habac.* ii, 1) et, ut præcipit Salomon, omni custodia servans cor suum (*Prov.* iv, 23), a sanctitate secretæ cogitationis ad utilitatem egrediens exterioris actionis. Fructum faciens sursum, dum sic radicem miseris deorsum : meditansque in matutinis boni operis in Domino, dum ejus primitus memor fueris super stratum mentis.

VIII. Egredieris ergo ad portam quæ respicit ad Orientem, sanctam exercens actionem, quæ digne pro meritis æternam percipiet retributionem. Venies et in Bethlehem, ut in loco pascuæ collocatus, per assiduitatem sacræ lectionis, in sensu illo quadripartito, historiali videlicet, allegorico, tropologico, anagogico suavem dulcedinem et dulcem percipias suavitatem cujusdam quadruplicis panis. Ambulabis quoque super aquas 69 redemptionis Judæ, ut super aquas refectionis educatus internas illas devotiones in conspectu Altissimi deprecans, in spirituali confessione et pura exerceas oratione. Sic ornatus eris per exercitium bonæ actionis, impinguatus, per cibum studiosæ lectionis; potatus, per devotionem puræ orationis. Ut primum habeas ad necessitatis subsidium, propter proximum; secundum ad animæ tuæ pastum, propter temetipsum : tertium ad internum affectum, propter Deum. Cumque hoc modo sobrie, juste et pie vixeritis in hoc sæculo, secure poteritis exspectare beatam spem et adventum gloriæ Dei (*Tit.* ii, 13), ut tunc salvus sit omnis homo, quia ecce veniet.

IX. Occurrit adhuc et alius sensus, quem vobis intimare proponimus, breviter tamen, quia valde diu in his demorati sumus. Si quid autem in verbis istis posthæc vobis quærendum videtur; si diligenter quæ dicta sunt considerare velitis, satis per vos ipsos reperire poteritis. Hoc autem est quod volo dicere. Unde et ego multum compatior vobis, quia in tribulationibus estis magnis, et in asperitatibus multis. In quadam namque arctissima custodia vos video contineri : detineri dicerem, si vos in ea invitos esse viderem. Nunc vero, quia sponte in ea estis, continetis vos in ea, non detenti estis ab ea. Ait quondam sapiens quidam : *Fili, infer pedes tuos in compedes Domini* (*Eccle.* vi, 25). Quod jam fecistis et vos. Non solum illos interiorum affectuum pedes, in spirituales Domini vestri compedes inferentes, sed et corpus vestrum in strictissima exterius custodia coarctantes, atterentes illud in jejuniis, et attenuantes vigiliis; mortificantes membra vestra quæ sunt super terram (*Colos.* iii, 5), et carnem vestram cum vitiis et concupiscentiis crucifigentes (*Gal.* v, 24), usque ad hanc horam esurientes, et sitientes, et laborantes manibus vestris (*I Cor.* iv, 11). Hæc est illa, in qua nunc estis, Samaria. Custodia videlicet non solum in corde, quod omni custodia servantes, et super vestram cum prophęta custodiam stantes, parati estis quotidie imo continue suscitare Leviathan (*Job* iii, 8). Sed in arctissima, etiam in corpore, vos custodia tenetis : intra metas statutas semper vos et ubique pro loco et tempore compescentes, nihil in vobis vestrum reservantes, non linguam, ut quidquam sine lima loquamini. Non manus, ut aquam sine mensura detis,

Digitized by Google

vel accipiatis. Non denique pedes, ut quoquam nisi quo constitutum est, progrediamini. Sed videte ne contristemini, ne turbetur cor vestrum; nec vos tædeat, bis pro adipiscendo regno cœlorum, asperitatibus affligi, et pedes vestros in hos compedes inferri. Quia exaudiet Dominus pauperes suos, et vinctos suos non despiciet (*Psal.* LXVIII, 34); sed solum vos compeditos sufferte, et statuet in loco spatioso pedes vestros (*Psal.* XXX, 9).

X. Ipse enim modo in vobis, ipse et vobiscum patitur. Ipse æterna vos tunc lætitia consolabitur. Ibi perennem per potestatem vobis conferens mercedem; qui hic temporalem, per compassionem, in vobis sustinet laborem. Tunc enim egredietur de hac Samaria; faciens vos egredi de ea, et deducet atque educet, ut precatur sanctus David, de custodia (hoc enim sonat Samaria), animam vestram, ad confitendum nomini suo (*Psal.* CXLI, 8). Egrediens videlicet ad portam in vobis, quæ respicit ad Orientem; ut per exitum de hac vita, ad luminosam et indeficientem illam vos perducat retributionem. Et qui modo ambulat, in vobis, super aquas redemptionis Judæ, promovens vos de virtute in virtutem; secundum sanctas, quas tenetis, institutiones, et consuetudines quas non immerito aquas redemptionis Judæ dixerim, pro eo quod animam a mollitie carnis, a blanditiis mundi, ab infestationibus diaboli redimant. Tunc in vobis in Bethlehem veniet, satians vos in manifestatione gloriæ suæ, disponens vobis, sicut ei disposuit Pater suus, regnum (*Luc.* XXII, 29), ut edatis et bibatis super mensam suam in regno suo.

XI. De Samaria egredietur ad portam, quæ respicit ad Orientem : de Oriente veniet in Bethlehem : de bona vos vita, ad bonam perducens mortem. Non enim potest male mori, ut vulgo dicitur, qui bene vixerit. De morte bona ad requiem, quæ erit in anima, beatam. Et sic animæ simul ac corpori in domo illius vivifici panis, in qua suos faciet discumbere, et transiens ministrabit illis (*Luc.* XII, 37), felicitatem conferet sempiternam. Tunc salvus erit omnis homo, quia ecce veniet, quia omnis qui in unoquoque nostrum modo est, tam in mente quam in corpore motus, secundum rationem se habens, ad remunerationem pertinget. Nec capillus etiam de capite vestro peribit (*Luc.* XXI, 18); vel minima, scilicet bona quæ in mente fuerit, cogitatio sine mercede non erit. Ibi vestrum, quod nunc tenetis, silentium, ibi jejunia vestra, ibi vigiliæ, ibi labores; ibi, ut breviter dicam, singula vestra, quæ 70 modo frequentatis, exercitia bona, quasi quidam boni morales operarii, qui nunc strenue in vinea hac operantur, suos accipient denarios (*Matth.* XX, 10). Nec id in vobis tunc alienum erit a mercede, quod nunc vacuum non est in vobis a bono opere.

XII. Et vide si non et ipse Dominus hoc se promittat ordine inposterum acturum : *Ubi*, dicit : *cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum* (*Psal.* XC, 15). *Cum ipso sum in tribulatione;* manens vobiscum, et comes individuus assistens vobis, in hac, de qua multa dicta sunt, Samaria. *Eripiam eum;* in porta videlicet vobiscum incedens, et vos præcedens. Illa, inquam, porta, quæ respicit ad Orientem. Quia *cum dederit dilectis suis somnum; ecce hæreditas Domini* (*Psal.* CXXVI, 3). Hæc porta est quæ ducit ad civitatem; sed præ angustia, quæ inest ei, ferrea dicitur. Et quia non est homo qui non videat mortem (*Psal.* LXXXVIII, 49), ultro se aperit. In illa, inquam, porta eripiet eum, ne circumveniamini in illa hora ab accusatore callido; ne rapiamini ab hoste violento. *Et glorificabo eum;* requiem vobis conferens in Oriente, quiescente anima nostra post mortem. *Longitudine dierum replebo eum;* in Bethlehem videlicet, quæ est in dextera sua, perenni vos illa satietate implens, cujus profecto satietatis, sicut suavitas nescit fastidium, sic et æternitas ignorat defectum. *Et ostendam illi salutare meum,* ut in ostensione salutaris hujus, homo in vobis omnis salvetur; dum omnia, quæ in vobis rationabiliter pro ejus nomine, sive in voluntate ejus posita, seu in effectu operis expleta sunt; in salutem in se Dominus æternæ conservat mercedis. Et ipse vos Dominus in hac modo vestra Samaria consoletur, egrediens comitetur, et per portam quæ ducit ad Orientem, perducat vos ad Bethlehem (ubi eo veraciter, quo perenniter salvemini) ipse, in quo salus nostra singularis, plena consolatio, solum refugium, unica spes, protectio firma, beatitudo æterna Deus ac Dominus noster Christus Jesus, qui est cum Patre et Spiritu sancto benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XIX.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

De prostratione quæ eo die fit in capitulo.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Cur pronuntiata Nativitate Filii Dei, ex Martyrologio, corpora prosternantur. — 2. Nativitas Christi gemina, æterna et temporalis, utriusque discrimen. — 3. Admiratio majestatis et devotio divinæ pietatis est causa profundæ humiliationis. — 4. Prophetæ ex stupore majestatis Dei in faciem prostrati. — 5. Qualem præparationem solemnium festorum esse oporteat. — 6. Ornamenta mentis quænam potissima, et fructuose exercenda.

I. Quid est hoc, fratres, quod audistis, quid est quod fecistis? Lectum est coram vobis, quod *nascitur Christus Filius Dei in Bethlehem Judæ*. Hoc vobis legi audistis, et mox ut audistis, in facies vestras corruistis. Quod exterius auditum est, interius attractum est. Influxit hæc vox extrinsecus auribus vestris per sonum; sed illapsa virtus ejus mentibus vestris, movit eas per affectum. Magna certe vis vocis hujus, quæ statim ut auribus insonuit, corpora in terram prostravit. Quia et corda commovit, et non modicum, ut sit vox commotionis magnæ. Commota sunt corda ad admirationem, ad devotionem, et ad utriusque ostensionem prostrata sunt corpora ad humiliationem. Quis enim digne in auditu hujus vocis prolatæ, in intellectu hujus audi

Digitized by Google

tæ, sufficienter et ob immensitatem rei in admirationem erigatur stuporis; et ob suavitatem in devotionem accendatur amoris? ut perinde modicum videatur, ac omnino exiguum, quod ea audita, etiam corpora vestra ad humiliationem inclinantur prostrationis. *Christus Filius Dei nascitur.* Hæc est vox illa exsultationis et salutis (*Psal.* CXVII, 15), vox plane virtutis et magnificentiæ.

II. In his verbis, gemina unius ejusdemque Christi Jesu nativitas declaratur. Una ex Deo Patre est; altera ex homine matre. Quis geminam esse Christi nativitatem audeat contradicere? Prorsus nemo eorum duntaxat, qui in confessione veræ fidei sani sunt. Natus ex Deo Patre Deus : nascitur ex virgine matre homo. Ibi ab æterno, et sine matre, hic in tempore, et sine patre. Ibi sine initio : hic sine exemplo : utriusque nimirum nativitatis magnitudinem, singulari penitus attestante prærogativa. Quia et divinitas incomprehensibilem clamitat Patrem : et virginitas admirabilem 71 prædicat Matrem. Porro, sicut magnum quid est natum tueri ex Deo Deum : sic videre Christum nasci ex homine hominem, suavissimum. Quia ibi non sublimatus, sed sublimis in forma Dei, et ipsi per omnia coæqualis : hic tam humilis, ut in humiliata forma servi, altissimus humillimus, temporalis æternus; magnus et immensus, parvus, et modicus sit. Illud itaque intueri magnum et admirabile, et omnino incomprehensibile : hoc autem pium, et supra modum suave et dulce.

III. Prosterni nihilominus toto corpore in terram, quis magnæ humilitatis neget indicium? Hæc itaque tria, in his quæ hic legi, audivi, et fieri vidi, notanda considero : admirationem, devotionem, humiliationem. Prima duo, in his, quæ legi, audistis; tertium [*al.* videlicet] vero in his, quæ ipsi fecistis, cadentes videlicet in facies vestras, toto in terram corpore prostrati. Quid enim est quod magis admirari debetis, quam id quod sine quantitate tantum est, sine qualitate tale, quod sicut est, nec ore exprimi, nec corde valet comprehendi? Hoc autem est æterna illa Patris et Filii æqualitas; æqualisque eorum æternitas, in quorum una Deitate cum unus generet ingenitus, alter generetur; non generans generante, nec genito gignens prior est in aliquo, vel major; nec gignente posterior genitus, vel minor. Quod item cui magis [*al.* nulli assertive] devotus, magisque debes esse obnoxius, quam humilitati naturæ? plenum siquidem omni suavitate et dulcedine Deum hominis conditorem intueri factum hominem propter hominem. Illud itaque ad celsitudinem pertinet majestatis, quam admireris per stuporem : hoc autem ad suavitatem pietatis, cui devotus sis per amorem. Et propter hæc duo in verbis istis, quæ audistis, in facies vestras cecidistis. Quod enim lectum est : *Christus Filius Dei*, majestatis sonat celsitudinem : quam, ut dixi, obstupescas : quod vero statim ibi adjunctum est : *In Bethlehem Judæ nascitur* : pietatis ostendit dulcedinem, quam jure ames. Merito, his auditis, prostrati terræ incubuistis : ostendentes vos audita majestate stare non posse, nec debere.

IV. Quem enim tanta celsitudo, cum intonat, stare permittit? Quem item tanta dulcedo, cum demulcet, ad prostrationem non trahit? Prophetæ illi eximii Ezechiel, Daniel, et alii aliquid de hac aliquando majestate, seu visu, seu auditu perceperunt; sed nunquid percipientes steterunt? unus eorum prout potestis legendo intelligere, visa similitudine gloriæ Domini, *cecidit in faciem suam* (*Ezech.* II, 1); alter vero, ut verbis ejus utar, *visionem ut vidit grandem, non remansit in eo fortitudo. Sed et species ejus immutata est, et emarcuit, nec habuit in se quidquam virium. Sed jacebat consternatus super faciem suam, vultusque ejus hærebat terræ* (*Dan.* X, 8). Et post pauca : *Dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium, sed et halitus meus intercluditur* (*ibid.* 16). Quatuor quoque animalia, et viginti quatuor seniores in Apocalypsi ceciderunt proni in terram coram Agno, quia omnes sancti in consideratione humilitatis illius Agni mansuetissimi, qui tollit peccata mundi, ex amore se humiliant, illum infra omnia humilem videntes : et ipsi coram illo nullatenus superbire præsumentes. Igitur et illi, et isti prostrati sunt : admirantibus illis potestatem, istis vero amantibus pietatem. Sic et vos auditum nomen majestatis prostravit stupefactos; pietatis vero, devotos. Et quidem justissimum, ut audita humilitate vestræ in eo sumptæ naturæ, vos ex amore, ad agendas ei gratias prosternatis in terram, qui pro vestra salute de sublimi illo palatio se humiliavit usque ad terram. Intellexi itaque admirationem vestram : et in stupore comperi devotionem vestram, et in amore vidi humilitatem vestram, quia et vos eam ostendistis in prostratione.

V. Sed hoc quod dicitur : *In Bethleem Judæ nascitur*; non ad hodiernam, ut scitis, sed ad crastinam pertinet diem. Die autem crastina oportet vos multum esse devotos, nec tamen vos ideo hodie decet esse otiosos. *Hodie* namque *scietis quia veniet Dominus, et mane videbitis gloriam ejus* (*Exod.* XVI, 7). Habetis in his verbis paucissimis quid hodie agere debetis; quod die crastina percipere poteritis. Nam hodie scire debetis, ut cras videre possitis. Et quid est, quod veniet hodie te scire, nisi ad futurum te ejus adventum præparare? Nam mihi videtur, quod, eo dominum suum servus venturum ignorat, quo venienti ut digne suscipiatur, quæ sunt necessaria, præparare dissimulat. Scitis profecto quanto, qualique contra hanc festivitatem, viri sæculares, apparatu insistant. Tot genera ciborum et potuum, tot ornamenta vestium, et alia, quæ ad decorem et lætitiam pertinent temporalem, sollicite præparare non omittunt. 72 Verum, cum hæc omnia spectent ad corpus, Deus noster spiritus est. *Nam spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan.* IV, 24). Testimonium hoc verum est. Ita necesse est, ut qui ei student placere, in spiritu placeant et veritate. Non

Digitized by Google

ergo nitorem vel delectationem requirit temporalem, sed splendorem et suavitatem in vobis desiderat spiritualem.

VI. Hæc studete habere apud vos; et ostenditis vos scire quod veniat. Facite voluntatem patris vestri, qui in cœlis est (*Matth.* XII, 50) : et in domo vestra panibus abundatis. Studete etiam vino potari compunctionis, et infundi interius gratia sapidissimæ devotionis, ut comestus prædictus panis in stomacho mentis ad spiritualem ejus sanitatem dirigatur; nec dicere jam poterit quis, quin abundetis et potu. Quod si arma induimini lucis, ut in die honeste ambuletis, honeste ambulantes maxime ad eos, qui foris sunt (*Rom.* XIII, 13) : quis vos negabit apparere in vestitu nitido, et habitu splendido? Hæc omnia deliciæ mentis sunt, non ventris : ornamenta cordis, non corporis. Et fructuose atque utiliter exercentur intus, pompose et inaniter ostenduntur foris. In his scitote hodie, quia veniet Dominus : ostendentes vos scire esse venturum, dum tales vos exhibuistis contra ipsum, cui sit honor et gloria in sæcula. Amen.

SERMO XX.

ITEM IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

De sanctificatione et munditia, qua videamus majestatem Dei in nobis.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Qualis munditia vel sanctificatio nobis paranda sit. — 2. Ut religiosi soli habitare dicuntur, ex quadam prærogativa familiaritatis divinæ.— 3. Sanctificatio servatur munditia et actione bona : reparatur confessione. — 4. Commendatur munditia carnis, instantia boni operis, frequentatio sacræ confessionis. — 5. Occultatio peccati quantopere Deo displiceat, præsertim mortalis, et proprietatis in religiosis. — 6. Voluntas nostra conformanda et submittenda divinæ. — 7. Quid scire, quid ignorare Dominum venturum. — Alio Dei majestas, et alio oculo inspicienda infirmitas, qua nostrum omnem aufert languorem.

1. Sicut nocte hac, dilectissimi, invicem commonuistis : *Sanctificamini filii Israel, et estote parati* (*Luc.* I, 35). Admonitio certe valde salubris : Sanctificamini et estote parati. Et sanctificari, parari est. Qui veniet sanctus est. Quia quod nascetur ex te sanctum, ait angelus ad virginem : et oportet sanctos esse, ad quos venit. Unde et in lege : *Sancti*, inquit, *estote, quia ego sanctus sum* (*Levit.* XI, 44). Ergo sancti sint, necesse est, ad quos venit, sicut et ipse sanctus est, qui venit. Non enim venit sanctus ad corruptos; non purus ad immundos, non ad pollutos immaculatus. Sanctificamini ergo et vos; maxime qui filii estis Israel. Quomodo, dicitis, sanctificabimur? Audite paucis : sanctificatio vestra, munditia vestra est. *Hæc enim*, ut Paulus ait, *voluntas Dei, sanctificatio vestra* (*I Thess.* IV, 3). Ut autem nobis ostenderet quid sanctificationem vocaret, adjunxit : *Ut sciat*, inquit, *unusquisque vestrum, vas suum possidere in sanctificatione et honore; non in passione desiderii; sicut et gentes, quæ ignorant Deum* (*ibid.* 4). Quod omnino absit, et procul absit a vobis, qui nequaquam inter gentes reputamini, quæ ignorant Deum. Sed computati potius estis inter filios Dei : et inter sanctos sors vestra est (*Sap.* V, 5) : ut jure filii Israel vocemini, et sitis (*I Joan.* III, 1).

II. Intelligite de nobis spiritualiter dictum, quod in libro Numeri legitis : *Populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur* (*Num.* XXIII, 9). Verba sunt Spiritus sancti, prolata per Balaam; spiritualium Israelitarum, in quibus dolus non est, quales estis vos, exprimentia prærogativam. *Populus*, loquit, *solus habitabit*. Et ut solus, attamen quodammodo non solus. Quia soli estis vos, in eo quod electi a Domino : et assumpti ab eo in proprios, a conventiculis estis sæcularium segregati. Sed omnino non soli, quia quot sanctorum vitas et exempla mente revolvitis; quasi tot concivibus et consortibus consociati estis. *Et inter gentes*, inquit, *non reputabitur* (*Apoc.* XXII, 15). Quia foris canes, malefici; homines scilicet immundi, et operarii iniquitatis. Vos autem in interioribus thalami ejus conversamini, ob magnam dulcissimæ dilectionis teneritudinem : qua ei estis astricti, familiarius [*al.* quam elegistis ei astricti et familiarius] secretis ejus consilii admissi. Et quid mihi de his, quæ foris sunt, judicare? (*I Cor.* V, 13.) Nonnullos etiam illorum, qui intus in corpore Christi sunt, et ejus per fidem membra fiunt, in hac **73** erga eum familiaritate vos præcedetis [*al.* præceditis], et longe excedetis [*al.* exceditis]; quia cum ipsi membra sint, vos ejus viscera estis. Præ ipsis estis dilecti, et in ferventiore vos habet charitate, et in majore apud seipsum familiaritate. Videte quantum necesse est, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore, qui tam tenere estis ab eo dilecti, et in tanta familiaritate apud eum habiti. *Non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum* (*I Thess.* IV, 3).

III. Et quidem non multum indigetis commoneri super his, sed ita modo nobis intercidit, ut hæc breviter attingeremus, quia, quem habemus in nobis, sermo de sanctificatione, loquitur de munditia carnis. Obtinet et locum in ea actio bona, quia non tibi sufficit, ut corpore mundus sis, nisi et in bono fueris opere ornatus. Cum te utrumque bonum habere oporteat, et utroque pro viribus pollere, quatenus unum foris exerceas propter proximum; alterum vero in te habeas propter temetipsum. Alioquin non est plena sanctificatio vestra Nonne utrumque simul conjunxit, et neutrum sanctificationi deesse voluit, qui ait : *Sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus?* (*Psal.* XCV, 6). Quod si forte in quovis eorum aliquod, ut nonnunquam evenire solet, detrimentum incurreris : nescio melius consilium, quam ut ad remedium confugias confessionis, quia et ipsa pertinet ad sanctificationem. Quod quidem consilium ab ipso didici, qui asserit : *In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro : factam esse Judæam sanctificationem ejus* (*Psal* CXIII, 2). Interpretationem nimirum Ju-

Digitized by Google

dæ eo plenius agnoscitis, quo id devotius ex usu quotidiano frequentare soletis. Si ergo te, qui mente soles videre Deum, carnalium forte titillationem ad tempus, tenebræ obscuraverint; si a bono opere alienus ille vitiorum populus, quem auxiliante Domino supplantare quondam solebas, te cessare fecerit: exeunti tibi ab Ægypto harum tenebrarum, exeunti etiam tibi ab hujus populi barbari dominatu, sit Judæa sanctificatio tua, ut per humilem et puram recuperes confessionem, quod tibi videris ad horam perdidisse, vel per suggestionem in carne, vel per teporem in actione.

IV. Multa quidem et alia ad sanctificationem pertinentia in sacra passim Scriptura reperire potestis, sed quia de exteriori hac, quæ imminet, loquimur festivitate, de hac quoque, quæ etiam ab hominibus videri potest, tractamus sanctificatione, quæ ut in auctoritate sacri eloquii nobis occurrit, triplex invenitur. Munditia videlicet carnis, instantia in bono opere, et sedulitas in bona confessione. Prima te faciet mundum, secunda ornatum, tertia recuperabit, si quod forte vel in munditia vel in ornatu, fuerit amissum. Magna certe sanctificatio, confessio vestra; et quæ bona destructa reparat, et recuperat perdita: fracta consolidat, et in integrum restituit collisa. Frequentate eam assidue, exercete indesinenter, et maxime cum festa præcipua instant, ut eo mente, in eis, sitis jucundiores, quo per confessionem fueritis puriores; eo etiam quietiores in conscientia, quo, ipsa plenum vobis afferente testimonium, nihil a vobis recordamini commissum, quod non sit, et ei, cui debetis, et eo modo, quo debetis, per confessionem revelatum. Nunquam enim mens quieta erit, quandiu peccatum aliquod in se habet coopertum; semper quippe remordet conscientia, vermem in se habens, et ubique circumferens corrodentem, et ignem ejus interiora depascentem. Et quemadmodum ægrum illum pronuntias, et omnino infirmum, quem noxiis vides humoribus inflatum, nec ullatenus ad aliquam posse pertingere sanitatem, nisi prius noxium omnem, quo lethaliter inflatus est, evomuerit humorem, sic nihilominus judica confidenter et istum prævalido languore obsessum, nec ullam ei patere posse viam salutis, nisi venenosum prius phlegma, quod in mente, per peccati contraxit absconsionem, internæ evomuerit corruptionis.

V. Scitote præterea, dilectissimi, Deo nihil adeo displicere quam absconsionem peccati. Displicet quidem ei, quod peccatum commisisti; sed multo plus, quod commissum abscondisti; et id per confessionem ad tuam absolutionem detegere noluisti. Peccati namque absconsio tanti ponderis est coram Deo, ut non solum abscondentem judicet pœna dignum, sed et eos nonnunquam inter quos conversatur, a pœna alienos esse non sinat. Nec a me, in hoc dissentio; si in mentem vobis venerit verax illa historia de Achan filio Charmi (*Josue* VIII), qui solus quidem ut scitis, peccavit, sed quandiu peccatum coopertum fuit, populo etiam innocenti non parum obfuit. Nam coram hostibus suis populus stare non potuit, donec peccatum et proderetur, et proditum puniretur. Quid enim dicit Scriptura? *Filii*, inquit, *Israel prævaricati sunt mandatum, et usurpaverunt* 74 *de anathemate* (*ibid.*). Notate, quæso, diligenter hæc verba. Ecce quomodo filii Israel dicuntur usurpasse de anathemate, cum solus usurpaverit Achan. Et adjunxit Scriptura: *Iratusque est Dominus contra filios Israel* (*ibid.*). Solus Achan mandatum prævaricatus est; et non solum contra illum, sed contra filios Israel Dominus iratus est. Usurpasse dicuntur de anathemate, pro eo quod inter eos usurpatum est: magis autem quod [*al.* sicut] sit ipsis etiam nescientibus inter eos usurpatum: ita inter eos quoque et absconditum est. Unde et ait Dominus ad Josue: *Peccavit Israel, et prævaricatus est mandatum meum: tulitque de anathemate et furati sunt; atque mentiti, et absconderunt inter vasa sua, nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate. Non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum, qui hujus sceleris est Reus* (*ibid.* 11). Item: *Quicumque*, inquit, *in hoc facinore est deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua, quoniam prævaricatus est mandatum Domini, et fecit nefas in Israel* (*ibid.* 15). Hoc autem factum, quod ego vobis modo ad terrorem propono, posuerunt quondam, ut legitis, principes legationis Israel filiis Ruben et Gad, et dimidiæ tribui Manasse, quando dixerunt: *Nonne Achan filius Zare præterivit mandatum Domini, et super omnem populum ira incubuit?* (*Josue* XXII, 20.) Et ille erat unus homo. Atque utinam solus periisset in scelere suo. Absit ut inter vos sit aliquis prævaricans mandatum Domini, quod transmisit per Josue, ut tollat ullus [*al.* ullus eorum], qui inter vos sunt, de anathemate; et maxime, ut furetur, et mentiatur, et abscondat inter vasa sua.

VI. Quod est hoc anathema, quo pollutus est populus, nisi hic mundus, in cujus significatione dictum est ad eos: *Sit civitas hæc anathema, et omnia quæ in ea sunt?* (*Josue* VI, 17) quæ quidem verba ille vobis exponit discipulus quem diligebat Jesus: *Nolite*, inquiens, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* (*I Joan.* II, 15). Et tu si peccatum aliquod mortale, quo mundi hujus incessanter solent involvi amatores, commiseris, et illud per confessionem non detexeris, sed apud te intra arcana conscientiæ celaveris: et maxime cum aliquid, quod prohibitum in proprietate, in occulto possederis, nimirum de anathemate urbis Jericho tulisti, et quod pejus est intra vasa tua abscondisti. Sed miserere tui, miserere et eorum inter quos conversaris, ne forte cum solus peccaveris, non solus puniaris: involvente Domino, justo quidem, sed terribili judicio suo pariter tecum in peccato tuo contubernales tuos, etiam innocentes; non tantum pro eo, quod iniquitas a te commissa est, quantum

Digitized by Google

pro eo quod a te inter eos conversante, et intrante, atque exeunte abscondita est. Hæc, fratres, etsi dicta sint ad vos, non tamen dicta putetis propter vos. Sed dum confessionis utilitatem ostendere nitimur, hæc et fortasse non infructuose, licet non propter vos, qui modo præsentes adestis, sed propter quosdam tamen, quos habere adhue poteritis inter vos, occurrerunt.

VII. Sanctificamini itaque hodie, filii Israel, hac triplici sanctificatione : ut sitis corpore mundi, in bona conversatione ornati, et in confessione puri, et hoc modo purificati et parati. Quomodo, dicitis, erimus parati? Ecce quomodo. Exhibete vos promptos ad voluntatem Dei, et devotos : ut in nullo ei contraire præsumatis: sed vos vobis ex toto renuntiantes, ejus vos nutibus semper et ubique committatis. Talem se senserat, qui dicebat : *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum* (*Psal.* LVI, 8). Præsto fuit ad omnem voluntatem Dei sui, id volens quod voluit ipse : id etiam agens, quod, ut ageret, præcepit ipse. Unde et addidit: *Cantabo et psalmum dicam Domino* (*ibid.*). Hilarem se fecerat in expletione voluntatis divinæ datorem, qui se asserit cantare, et psalmum dicere Domino. Hilaritatem quidem ostendens per canticum, et donum per psalmum. Cantare autem, ad exsultantem ; psalmum dicere, pertinet ad operantem. Hanc formam præparandi vos, præfixit vobis dux ille vester, et Dominus, qui non venit ut faceret voluntatem suam, sed ejus, qui misit illum (*Joan.* VI, 38); *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Phil.* II, 8). Videtis itaque quod virtus et amor obedientiæ vos efficit paratos, quoniam nullatenus paratus est, qui ad obediendum devotus non est.

VIII. Sanctificamini igitur, filii Israel, et estote parati, quia in die crastina, videbitis majestatem Dei in vobis. Sanctificari quoque et parari, hoc est hodie scire quia veniet Dominus, sicut econtrario, a bono opere tepescere, commissa peccata operire, præceptis seniorum nolle parere, quod Dominus veniet quodammodo ignorare est. Si hoc modo scientes [*al.* scientes fueritis], quia hodie veniet Dominus, mane videbitis gloriam ejus; et si sanctificati hodie fueritis et parati, die crastina videbitis majestatem Dei in vobis. Item dicitur (259) quod *Descendet Dominus crastina die et auferet a vobis omnem languorem.* 75 Certe quando majestatem et gloriam Domini videbitis, consolabitur vos, et omnem auferet languorem a vobis. Quia in visione tantæ majestatis, et gloriæ nullus poterit languor locum habere. Sed nunquid alia majestas ejus, alia gloria ejus? Absit. Unum enim idemque in eo majestas et gloria ejus est. Attamen cum aliud non majestas ejus, aliud gloria ejus; aliud tamen, quantum ad nos videtur mihi esse, videre vos simpliciter gloriam ejus, atque aliud videre majestatem ejus in vobis.

IX. Viderunt enim quondam sancti Patres nostri, multifariam multisque modis, majestatem ejus; sed non eo modo viderunt eam in se ipsis, quo vobis promittitur, quod eam visuri estis die crastina in vobis, quam et videbitis unitam vobis. Quando Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14), quando in similitudinem hominum factus, et habitu iuventus est ut homo (*Philip.* II, 7) : tunc visa est illa majestas in vobis, quod crastinæ, ut scitis, diei specialiter reservatum est. Nonne ipse majestas sua? Plane ita est. Quod si ita est; imo quia ita est, cum videtur populus ejus, nonne videtur et majestas ejus? Et nonne die crastina videbimus Deum, quando dicemus : *Visibiliter Deum cognoscimus?* (260) in quo tunc visibiliter cognoscetur, nisi in eo quod visibile habebit, quod et habebit ex vobis? Die igitur crastina videbimus majestatem Dei in nobis, quando dicemus : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Quando et festinanter venient pastores in Bethlehem (*Luc.* II, 15), ut et ipsi videant, quod factum est Verbum : quod nisi factum esset, videri ab eis non posset. Mane etiam videbitis gloriam ejus, quando dicemus (261) : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Videbimus die crastina majestatem Dei in nobis; sed in infirmitate nostra, sicut et gloriam in ignominia nostra. Ita videbimus mane, ita videbitis et crastina die.

X. Et tunc poterit veraciter dici de vobis : *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis* (*Luc.* X, 23) ; et eo præsertim modo, quo vos videtis. Quia cum alius in vobis sit oculus, quo in uno eodemque mediatore Dei et hominum, Deo et homine, Domino nostro Jesu Christo, majestatem videtis et gloriam; alius vero quo infirmitatem et ignominiam, sic utrique in eo naturæ et assumenti et assumptæ proprietatem conservatis, ut personam nequaquam geminetis. Descendet etiam die crastina, et auferet a vobis omnem languorem, pro eo quod a mundo abstulit peccata sua, ut jure a Præcursore suo, Agnus Dei vocetur : *Qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29). Peccatum siquidem languor animæ est. Hic languor est, qui mundum prævalide usque ad Christi infecit adventum. Quia *ægrotavit*, ut scitis, *filius viduæ, et erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus* (*III Reg.* XVII, 17). Sed pietate commotus venit vir Dei Elias, et suscitavit defunctum, et halitum reaccendit exstinctum, ut impleretur, quod de isto nobis promittitur, quia ad vos die crastina descendet, et auferet a vobis omnem languorem, qui cum Patre et Spiritu sancto Deus est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXI.

ITEM IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

De spirituali Verbi ad animam adventu.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Internæ gratiæ accessus et

(259) In officio Eccles. Vigiliæ Nativitatis Domini.

(260) In præf. nat. Ex officio missæ.
(261) Ubi supra.

Digitized by Google

recessus quam dispensatorius sit erga electos. — 2. Sanctificandi filii Israel, id est cogitationes cordis ex sanctis ortæ desideriis. — 3. Sanctificatio interna per abstinentiam, silentium, quietem, vigilias, studium sacræ lectionis, meditationem, fervorem boni desiderii. — 4. Postrema et ultima sanctificatio est perseverantia in oratione; cum recapitulatione præcedentium. — 5. Quanta cautela pellendo errori, et sollicitudo fugando torpori necessaria sit. — 6. Modus excipiendi et retinendi Deum hospitio. — 7. In accessu et recessu gratiæ uti se habendum est. — 8. Vespere comedere carnes, et mane saturari panibus, est hic sanctorum exemplis pasci, donec lux et saties gloriæ oriatur.

1. *Sanctificamini hodie, et estote parati* (262). In sermone præcedenti, fratres charissimi, de hoc humili Salvatoris nostri adventu quædam ad vos diximus, in quo per carnis nativitatem, sicut sacrosancta hæc, quæ modo instat, festivitas, repræsentat, apparere oculis mortalium, et ipse mortalis factus, dignatus est. Sed unusquisque vestrum convertatur modo ad seipsum; et quod dicturi sumus, in propria studeat experientia videre. Visitat vos interna gratia frequenter: accedens ad vos, et recedens a vobis; et in unoquoque tam videlicet accessu suo, quam recessu, **76** vestram salutem quærens. Nam accedit, ut exhilaratos efficiat, et recedit, ut avidos vos reddat. Videte, ut et digno jubilo glorificetis præsentem, et desiderio infatigabili quæratis absentem. Et si totam vos oporteat circuire civitatem, per vicos singulos et plateas (*Cant.* III, 2): non vobis sit onerosum quærere quem diligit anima vestra. Tantusque erga eum, quem quæritis, ardeat amor, ut in quærendo non sit fastidio labor. Nullum habebit anima tua levamen, ipso absente; sicut nec gravamen sentiet, ipso præsente, quia sicut sursum omni levitate portaris, et erigeris cum præsens est munere suo, ita et deorsum vergis et deprimeris, cum absens est pondere tuo.

II. Sensistis quidem sæpe, et experti hæc, quia nullatenus possunt filii Sponsi lugere, quandiu cum illis est Sponsus. Sed quando auferetur ab eis Sponsus, tunc jejunabunt (*Matth.* IX, 15). Nec mirum. Cum enim ipse auferetur ab eis: auferetur ab eis panis, et necesse erit jejunare eos, dum non habent quod manducent. Consulo ergo, ut sanctificent se hodie filii Israel, et sint parati. Quia si hoc egerint, securos eos facio, quia die crastina, videbunt majestatem Dei in se. Filii Israel internæ sunt illæ cordis cogitationes, quas ex se bona desideria a Spiritu sancto concepta, gignunt; quæ Deum per fidem, et sanctum fervorem vident. Neque enim per affectum se in eum extenderent, nisi prius per intellectum eum aliquatenus viderent. Hi filii Israel sanctificent et præparent se, ut sanctificati et præparati diem exspectent crastinam cum omni sollicitudine. Quia tunc videbunt majestatem Dei sui in se; videbunt et gloriam ejus, qui etiam ad hoc descendet, quia isti in imo, illi autem in sublimi sunt. Ad hoc enim descendet, ut auferat ab eis omnem languorem.

III. Sit prima eorum sanctificatio abstinentia: Ut cum viro illo desideriorum abstineant ab eo quod suave ventri, quatenus gustu attingant interno, quod dulce est menti (*Dan.* I, 8). Sit secunda, silentium oris, ut eo plenius verbum, quod ad eos dicitur absconditum, audiant; eo etiam perfectius, quasi furtive suscipiant aures eorum interni susurrii venas (*Job* IV, 12), quo in se per gravitatem stabiliti diffluere per noxia verba refugiunt, et dum otiosis verborum fabulis non intendunt, vocem quasi auræ lenis (*Job* IV, 16), auditu illo interiore, percipiant. Sit tertia, quies ab exteriori [*al.* exteriorum] occupatione, quia *in tempore vacuitatis scribenda sapientia est: et qui minorantur, actu percipient eam* (*Eccli.* XXXVIII, 25). *Cum dicat abyssus, Non est in me; et mare loquatur Non est mecum* (*Job* XXVIII, 14). Sit quarta, instantia vigiliarum, ut postquam caro per abstinentiam fuerit afflicta, et mens per gravitatem silentii matura fuerit effecta, per quietem, ab occupatione exteriorum, internam tranquillitatem adepta, per instantiam vero vigiliarum puritatem nacta internam, illam quoque, quæ intus lascivire solet, insolentem instabilitatem plene sedans, in quodam jam gaudeat die Sabbati, in claritate videlicet interni secreti. Sit conjunctum studium sacræ lectionis, in quo velut in speculo faciem suam videntes, quid eis adsit decorum, quod eis placeat, quid fœditatis quod displiceat, deprehendant. Et tam ad illud agendum, quam ad hoc inveniendum totis viribus insistant. Sit sexta, pura meditatio, ut accensa promptæ cognitionis lucerna domum mentis everrant, et tam diu tota diligentia quærant, quousque dragmam perditam reperiant (*Luc.* XV, 8), in cujus forma, et Domini sui quærant imaginem et similitudinem deprehendant. Sit septima, fervor boni desiderii, ut viso tantillo lumine, quod inest imagini, inardescant amplius ad intuendam claritatem, quæ est in sole ipsius rei, et per impatientiam desiderium hoc ferre non sustinens, et tamen præ magnitudine deficere non valens, quo longius differtur, eo magis et augeatur.

IV. Tempus est ut jam diutius non fraudentur a desiderio suo, sed sit eis octava sanctificatio, perseverantia in oratione; cui tandiu insistant, donec ipse, quem desiderando quærunt, et quærendo desiderant, suavis et hilaris illabatur sensibus, spem eorum, et desiderium [*al.* spes illorum: desiderium] cordis eorum tribuens eis, et in voluntate labiorum ejus non fraudans eos (*Psal.* XX, 5). Sed intret ad illos, et cœnet cum eis, de illa claritate habitaculi, unde recenter venit, aliquid eis favorabile enarrans, non verbis obstrepens, sed affectibus blandiens; non auribus sonans, sed cordibus illabens; non exterius proferens sermonem, sed interius infundens unctionem. Sic spinas et tribulos, quos in horto corporis nostri mater Eva plantavit, jejunium etsi non funditus eradicet, vel solo tenus abscindit: silentium noxia in ore verba destruit. Quies

(262) Ubi supra. Ex primo respons. vigil. nativ. Domini.

Digitized by Google

ab occupatione exteriori omnem in mente inquietudinem sedat. Puritas vigiliarum instabilem insolentiam, per sanctam maturitatem castigat, ut dein'e sensum lectio illuminet, illuminatus sensus **77** affectum desideril procreet, desiderium fervens puram orationem emittat, et eum, de quo lectio narrat, meditatio quærit, desiderium invenit, puritas orationis apprehendat [*al.* apprehendit], perseverantia retineat, et dicat: *Tenebo eum, nec dimittam* (*Cant.* IV, 3).

V. Sanctificamini in his, o filii Israel, interiores, inquam, filii Israel et spirituales, et eo magis spirituales, quo interiores. Sanctificamini, dico, et estote parati. Porro paratos efficiet hos filios Israel cautela et sollicitudo, ut venientem et per cautelam agnoscant, et per sollicitudinem apprehendant. Cautela procul pellit errorem, et sollicitudo fugat torporem. Multi quoque partum mentis suæ visitationem putaverunt internæ gratiæ: et decepti sunt. Solliciti fortassis erant ut venientem gratiam apprehenderent, sed, quia ad agnoscendum prudentes non erant, dum se æstimaverunt Spiritus suscipere infusionem, instabilem cordis sui susceperunt cogitationem. Alii internæ gratiæ quando venit, visitationem agnoscunt, sed ad comprehendendum atque tenendum solliciti esse nesciunt. In deprehendendo quidem cauti, sed in comprehendendo nequaquam solliciti. Unde fit, ut statim eam amittant, quia, sicut repente venit, ita dum amplecti eam nesciunt, statim fugit. Sicut ex abrupto veniens: sic et sine mora recedens. Isti scientiam habent, sed sine zelo; illi zelum quidem, sed nequaquam scientiam (*I Rom.* X, 2). Ideo dixi utrumque illis adesse donum, qui parati esse volunt, cautelam et sollicitudinem, quatenus nec error eos fallat, quin agnoscant quando venerit, nec tepor negligentes et desides reddat quin retineant cum venit.

VI. Aliquantulum, ut ita dicam, si tamen ita dicere audeo, est elatus hospes iste, de quo loquimur, et inde motum quemlibet dedignans, nisi multum rogetur, non perendinat. Nisi violenter cogatur, non manet: etiam manens, nisi fortiter teneatur, recedit et repente, dum 'nescis, evanescens elabitur. Sed quid in his agendum nobis sit, evangelici illi nos viri instruunt. Qui videntes quod finxit se longius ire, non simpliciter petierunt, sed, sicut scriptum est: *Coegerunt illum dicentes; Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies* (*Luc.* XXIV, 29). Vade, et tu fac similiter, ut dum sollicitus observator et discretor internorum motuum in te erumpentium, tam illorum qui fuerunt ad te, in te, quam qui fuerunt ex te, in te, senseris internam se velle gratiam subtrahere, apprehendens eum [*al.* eam], fortiter teneas, et firmiter stringas, et violenter cogas atque dicas: *Mane mecum, Domine, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies.* Hoc est, ad occasum, te abscondente, vergit in me internæ claritatis sol. Mane mecum illuminans me; et accede, ne accrescant ignorantiæ meæ, si obscuratur claritas mea: et multiplicentur delicta mea, si refrigescit charitas mea.

VII. Intrabit tunc, si tamen jam foras exierat. Intrabit, inquam, si tu intraveris. Et ideo intrabit tecum, juxta id, et *intravit cum illis.* Sed statim ut in fractione panis, in revelatione scilicet interni intellectus, apertis spiritualibus oculis mentis, cognoveris eum, evanescet ab oculis tuis. Quando autem taliter pro more suo, se erga vos habuerit, nolite contristari, nec turbetur cor vestrum. *Vadit*, inquam, *sed iterum veniet ad vos, et gaudebit cor vestrum* (*Joan.* XVI, 22). Et ideo in die malorum ne immemores fueritis bonorum (*Eccli.* XI, 27), sed quando est gratia absens, ad mentem revocate dona, quæ contulit præsens, et dicite: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret Scripturas?* (*Luc.* XXIV, 32.) Et fit ut sic ex toto, nec in absentia lucis, tenebrosi; nec in absentia panis, sitis jejuni. Quia et vesperam hoc modo mutabilis in diem; et ad instar mundi animalis, ruminabilis, dum mandere non valetis. Hæc vespera ad istud spectat, quo dicitur his spiritualibus filiis Israel: *Sanctificamini hodie, filii Israel, et estote parati.* Et item: *Hodie scietis quia veniet Dominus* (263) ut sæpe interim salvi facti sint, qui de ipsius rei absentia desolati sunt.

VIII. Hæc vespera est, de qua ad hos rursum dicitur filios Israel: *Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus* (*Exod.* XVI, 12). Quid est vespere carnes comedere, nisi abscedente gratia, quæ et luminosa est in eo quod per cognitionem nos veritatis illustrat, et ignea, quia per amorem nihilominus nos virtutis inflammat; abscedente, inquam, et se ad tempus subtrahente, delectabilibus sanctorum exemplis, mentis condire palatum, donec oriatur mane et suos summo illo diluculo, quo nos visitat, quos subito probat paululum (*Job* VII, 18), radios emittat: et ablatis a medio carnibus, quas vespere comedebamus, panibus nos satiet? Ad hoc pertinere arbitror, quod verbis aliis Sponsa dicit: *Paululum cum pertransissem eos* (*Cant.* III, 4). Haud dubium quin custodes civitatis, et ea Sponsum quærente, **78** absentem invenerit: *Inveni, quem diligit anima mea* (*ibid.*). Ut ipsos jam quodammodo poneret ad dorsum, dum ad ipsius dilecti pervenit amplexum, et interim omitteret edere sanctorum præcedentium quasi carnes: habens nimirum tam sapidos in donis visitationis suæ, in approximatione, et adventu internæ gratiæ, non solum quos comedat, sed quibus satietur, panes. Vespere itaque comedunt filii Israel carnes, et mane saturantur panibus, ut hoc modo sanctificentur et sint parati, quia in die crastina videbunt Dei majestatem in se. De hac item vespera in eodem loco: *Vespere*, inquit, *scietis, quod Dominus eduxerit vos de manu Ægypti, et mane videbitis gloriam Domini* (*Exod.* XVI, 6). Non ergo nimis doleant filii Israel quando hæc super eos vespera venit; sed recordentur, quia eduxit Dominus eos de terra Ægypti, sicque eis hæc recordatio, nonnulla

(263) Ex officio Eccles. ubi supra.

Digitized by Google

erit in hac vespera consolatio, donec oriatur mane eis illud ; in quo videbunt gloriam Domini, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXII.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

De interna gratia animam visitante.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Mane illud desiderabile, quo languor animæ et corporis auferendus. — 2. Absente gratia Dei adjutrice damna animæ tentationibus et infestationibus variis subjectæ. — 3. Præsente gratia interna, exoritur quies animæ et corporis, et subjectio spiritui. — 4. Totum hominem mire componit, firmat et ornat divina gratia. — 5. Effectus divinæ gratiæ conglobati mentem tranquillantis, purgantis, elevantis. — 6. Quis spiritualis animæ languor optabilis. — 7. Status animæ fruentis dilecto. — 8. In hac vita mortali accessus et recessus abundantis gratiæ secreto dispensatur. — 9. Qua de causa illa subtractio sanitatis internæ contingat in sanctis. — 10. Vicissitudo alternabit in nobis, donec oriatur dies expers occasus. — 11. Ut in mane illud æternæ gloriæ parandi sumus. — 12. Judæa et Jerusalem ex nominis etymo confessionem et pacem sonant. —

I. *Hodie scietis, quia veniet Dominus : et vespere scietis, quia Dominus eduxit vos de terra Ægypti* (264) (*Exod.* XVI, 6). Ut eum sciatis cum lumine venturum, qui *vos* quondam *de tenebris* (hoc enim nomen Ægypti sonat) *vocavit in admirabile lumen suum* (*I Petr.* II, 9), sitque hujus geminæ scientiæ remuneratio beata et beatificans divinæ gloriæ visio ; quæ tunc erit, quando, ex toto vespera abscedet, et mane illucescet Cum quanta, putas exsultatione interim isti filii Israel hanc exspectant crastinam diem, in qua visuros se sperant Dei in se majestatem, in qua et descensurum sciunt ipsum Dominum, ut ab eis omnem auferat languorem ? sed et mane illud, non cum modico gaudio exspectant, in qua Dei se visuros gloriam confidunt. O mane, in quo Dei videbimus gloriam ! o dies crastina, in qua Dei videbimus majestatem ! non quidem simpliciter, sed in nobis. In qua et ipse descendet, non ut aliquem, sed ut omnem a nobis tollat languorem. In hoc hodie, in ignominia fuimus, non in gloria ; in infirmitate, non in majestate ; non in sanitate, sed in languore. Ignominiam, contumeliosam carnis appello tentationem. Infirmitatem, fluxam dico mentis instabilitatem. Languorem, multimodam utriusque appello ægritudinem.

II. Et videte, si non est ita. Absente namque gratia, ut unusquisque vestrum multoties sentit et experitur, carnis statim tentatio sævit Hæreditatem dominæ præoccupare tentat ancilla. Delicate aliquando nutritus servus ille malus et piger, *contumax*, ut promittit Salomon, *sentitur* (*Prov.* XXIX, 21). Eva furit ; illicitam viro comestionem suggerit (*Gen.* III, 6, 17). Insurgunt, et germinant, atque in immensum crescunt, ipsa rigante et excolente, quas in agro corporis nostri plantavit, spinæ. Et tribuli pungunt, et cruentant stimuli. Induitur caro putredine, et sordibus, et pulvere (*Job* VII, 5), ipsam denique colaphizare non cessat angelus Satanæ (*II Cor.* XII, 7).

(264) Ex invitatorio vigiliæ Nativitatis Domini.

A Hæc et in hunc modum alia gloriæ esse asseres, an ignominiæ ? Mens quoque et ipsa, absente hac, de qua loquimur, gratia adjutrice, protinus infirmatur, effecta tanquam pulvis, *quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* I, 4). Levis videlicet, quam a vigore stabilitatis status rapit tentationis. *Garrula*, propter internam loquacitatem ; *vaga*, propter inordinatam affectionem ; *quietis* impatiens, propter dissolutionis, cui dedita est, motionem : *Nec valens in domo consistere pedibus* (*Prov.* VII, 21) affectuum suorum ; suo ad ima pondere vergens ; et 79 seipsam omnino portare non valens. In tam horrendum nonnunquam casum proruens, ut mons etiam in eam cadens defluat, et saxum transferatur de loco suo. Lapides excavent aquæ, et alluvione paulatim terra B consumatur (*Job* XIV, 18). Quod nimirum, ut scitis, tunc fit, quando sublimis in mente contemplatio, ad ima, dejecta dissolvitur, et robur internum in enervem debilitatem commutatur. Fortitudo etiam cogitationum, et mens fructuosa quondam et stabilis, dum modica spernit, sensim influente suggestione hostili evacuata et dissoluta destruitur (*Eccli.* XIX, 1). Quæ omnia ad infirmitatem magis pertinere, ut arbitror, asseres, quam ad majestatem.

III. Hoc etiam [*al.* enim] geminum malum, nunc maximum deputas morbum. Hanc inquam, infirmitatem ignominiosam, et ignominiam infirmam nonne fortissimum asseris languorem ? Ægrotat certe iste, imo pene usque ad mortem, et est lan- C guor ejus fortissimus, ita ut vix remaneat in eo halitus (*III Reg.* XVII, 17). Sed erumpente hoc luminoso, de quo loquimur, mane : illucescente, et hac clara crastina die, illapso scilicet in mentem adventu internæ gratiæ, videbunt hi spirituales filii Israel Dei gloriam, qui suam primitus nimis horrendam viderunt ignominiam : qui suam in se intuiti sunt infirmitatem. Et utriusque ab eis descendens Dominus auferet angustias languoris, qui eos eatenus et in carne per subreptionem voluptatis, et in mente per levitatem oppressit instabilitatis. Perceptio siquidem lætificante et vivificante ipsius adventu caro debilis et infirma subjicitur, spiritus roboratus et promptus dominatur, id est spiritus facta carnis valenter mortificat. Viriliter Job, cum D malo suadentem conjugem audit, quasi unam ex stultis mulieribus locutam esse redarguens asserit (*Job* II, 10). Refrenat spiritus jumentum suum ; carnem suam, ne sit impetuosa, urget ; et calcaribus, ne sit pigra, exstimulat ; ne audeat pigritari excitata, nec reluctari retracta, nec, ut quondam solebat, audeat quæritare superfluum : sed nec murmurare, si aliquid ei negetur, etiam necessarium. Pro ludo habentur jejunia ; pro re, quæ maxime frequentatur, vigiliæ ; nuditas habetur pro fomento ; paupertas possidetur pro summo oblectamento.

IV. Quodcunque denique durum reputatur et asperum, lene reputatur et leve. Quodcunque amarum et durum, suave efficitur et molle. Nonne hæc

Digitized by Google

gratia est Domini, quam in hoc mane intuemini? non visum elevat vanitas, non auditum inquietat curiositas, non olfactum inficit voluptas, non gustum ingurgitat edacitas, non tactum polluit impuritas, non alicujus membri motum reprehensibilem reddit levitas, composita sunt singula corporis membra, et coaptata, singula propriis officiis ordinate et decenter intendunt. Quod proprium habent in parte, in commune ad obsequium, in toto conferunt. Fulget vilitas in habitu, gravitas in vultu, puritas in affectu, maturitas in incessu, paupertas in victu, mediocritas in usu, utilitas in effectu. Et, ut brevi multa sermone comprehendam, in cunctis ejus motibus nihil omnino fit, quod vel humanum, vel angelicum, vel etiam divinum offendat aspectum. Nonne hanc admirabilem pulchritudinem diei affirmabis esse gloriam, quam tibi luminosum hoc mane intulit videndam? Mens quoque visitatur, visitata mundatur, mundata ornatur, ornata impletur, impleta consummatur, consummata lætificatur, lætificata plena cum fiducia, etiam remunerationem præstolatur.

V. Sicque in pace in idipsum dormit et requiescit, singulariter in spe constituta (*Psal.* IV, 10). Fiunt omnia, in ea, prava in directa, et aspera in vias planas (*Isai.* XL, 4). Illuminantur tenebrosa, accenduntur frigida, et ne modum prætergradiamur, accensa temperantur, revelantur abscondita, respiciuntur præterita, aspiciuntur præsentia, prospiciuntur futura, excitatur sensus, clarificatur intellectus, inflammatur affectus, universa delectabilia mundi contemnuntur, contempta abjiciuntur, abjecta etiam oblivioni traduntur, cœlestia approbantur, approbata amantur, amata desiderantur, pro adipiscendis eis infatigabiliter insistitur, cuncta laboriosa levia deputantur. Fit mens præ amore liquefacta, præ desiderio anxia, et a terrenis segregata, in supernis fixa, studiosa in lectione, pura in oratione, dulcis in meditatione, suavis in speculatione, defæcata in contemplatione. Unum quidem semper et ubique in cogitatu, et affectu circumferens, unum diligens, unum amplectens, ad unum tendens, in uno requiescens, et charitate vulnerata quousque plene in æternum possideat, quem nunc quoque indeficienter amat. Omnia prorsus fastidiens, nec in re aliqua sæculari ullam penitus requiem habens. Cum hoc in vobis sentitis, quid aliud quam **80** Dei in vobis majestatem videtis? Et dum hac gemina sospitate gaudetis, nonne omnem quodammodo a vobis, Domino descendente ad vos, languorem auferri sentitis? Nam omnem quodammodo hac die crastina languorem Domini a vobis auferet descensus, dum in tanto veritatis splendore, et virtutis ardore, tam in carne exstinguit voluptatem quam in mente tranquillat instabilitatem internæ gratiæ adventus.

VI. Potest etiam per languorem ipse cruciatus desiderii intelligi qui animam devotam plene penetrat et perforat, qua avidissime ad Redemptoris sui præsentiam suspirat. Unde et ipsa in Canticis dicit: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ut, si inveneritis dilectum meum, nuntietis ei quia amore langueo* (*Cant.* V, 8). Obsecrans animas devotas, et omnino contestans, ut, cum in oratione per puritatem Deum repererint, bonum ei propositum ipsius insinuent, desiderium atque anxietatem enarrent, eique misericordiam atque pietatem impetrent. Item in eodem Cantico amoris: *Fulcite me floribus; stipate me malis, quia amore langueo* (*Cant.* II, 5). Quia amore languet, floribus se petit fulciri et malis stipari. Quod aliud non est, nisi quod religiosa et pia anima, quo majorem in desiderio, quo erga suum flagrat Conditorem, tolerat cruciatum, eo sollicitius abundare satagit, quibus invitatur et floribus bonarum cogitationum ad interiorem affectum, et malis piarum actionum ad exteriorem fructum. Sciens probationem dilectionis operis esse exhibitionem.

VII. Habeat, frater mi, anima tua languorem hunc, ut conetur istam sibi vocem assumere [*al.* Habet, frater mi, anima tua languorem hunc, si communiter istam vocem assumere possit]: *Vulnerata charitate ego sum.* Hunc languorem descendens Dominus aufert, cum animæ quod desiderat confert; non quia vel tunc desiderare omittit, etiam postquam quod desideravit, accepit; sed quia, licet desideret videre, quem habet præsentem desideratum, tamen jam tenens, non anxie cruciatur propter absentem. Habens quippe apud se præsentem, quem non sine cruciatu desideraverat absentem, alleviatum quidem se sentit; sed ideo tamen non minus, imo plus fortasse quam antea diligit; et desiderando desiderat. Imitans jam in hoc ipsos angelos, de quibus dicitur: *In quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I, 12). Qui et semper prospiciunt, ne beatitudinem tantam omittentes, vel ullo saltem momento prospicere, maximum tolerent cruciatum. Et semper prospicere desiderant, ne tantam suavitatem atque dulcedinem non esurientes, mortale atque perniciosum incurrant fastidium. O mane, in quo replebimur misericordia Domini, videntes gloriam ejus! O dies, in qua mandabit et annuntiabit nobis misericordiam suam: ut et videamus majestatem ejus in nobis, et gaudeamus auferri languorem a nobis!

VIII. Apparet itaque visio hæc læta, et lætificans cum hoc mane, et cum hac crastina die aufertur, ipsa illucescente, et languor [*al.* qua aufertur illucescente iste languor], et quandiu mane apparet et dies fulget, tandiu durat et perseverat prædicta hæc gloriæ et majestatis divinæ visio, et languor ablatus locum non habet. Sed heu! quod tam cito et [*al.* istud] mane disparet, et dies declinat, ut sicut gaudere possumus in possessione præsentis claritatis, ita gemere nos oporteat in exspectatione futuræ caliginis, exspectantes cum beato Job vesperam, et replebimur [*al.* replebor] doloribus usque ad tenebras (*Job* I, 4). Dies namque et mane

Digitized by Google

abeunt, et hæc omnia superius memorata, quæ cum eis venerunt, cum eis pariter recedunt. Evanescit læta visio majestatis et gloriæ, et mœsta se infert visio infirmitatis et ignominiæ, et qui ablatus fuerat languor, redit; et sanitas, quia data non erat, sed commodata, recedit.

IX. Hoc esse puto quod de sancto patre nostro legimus, quia *ascendit Dominus ab Abraham, et ille reversus est in locum suum* (*Gen.* XVIII, 33). Ita et tu reverteris ad locum tuum, cum Dominus ascenderit a te, colligens se in summis, et dimittens te in infimis, ut in teipso relabens, locum invenias ignorantiæ, infirmitatis et languoris. Quia ascendens Dominus a te, tulit secum gloriam suam et majestatem, et illam quam tibi, dum tecum fuit, contulit sanitatem. Hoc est quod deplorat sanctus David, revocans in memoriam bona, quæ quandiu cum eo fuit, ei Dominus contulit; sed ab eo ascendens subtraxit, et in locum suum reversum se ingemiscens, dicit: *Domine in voluntate tua*, non in aliquo merito meo, *præstitisti decori meo virtutem. Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (*Psal.* XXIX, 8). Sed cum sic contigit, recurrendum ad eum est, si forte rursum permiserit se deprehendi, quia et hoc consilium sibi, quamvis turbatus, dedit sanctus David, et humilem hanc, qua abeuntem revocaret, et converteret aversum, confessionem emittens, et dicens: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* (*ibid.*, 10.) Et nunquid in hoc aliquid **81** profecit? Et quidem multum. Nam petens accepit, quærens invenit, et pulsanti apertum est. *Audivit siquidem Dominus, et misertus est mei; Dominus factus est adjutor meus* (*ibid.*, 11). In quo ei misertus? In quo ei adjutor factus? In eo quod convertit planctum suum in gaudium, sibi conscidit saccum suum, et circumdedit eum lætitia (*ibid.*, 12); auditam faciens ei mane misericordiam suam, ut in hoc mane viriliter stans, iterum videret gloriam suam, ut in hoc mane viriliter astans ei, et clare videns, non desidiose jacens, et in tenebris caligans, mandatam haberet in die misericordiam suam, quatenus majestatem ejus in se videret, et in eo, hac die descendente, omnem ablatum a se languorem gauderet.

X. Sic pius Dominus, rationabiliter et valde salubriter has suæ in nobis dispensationis vicissitudines alternans, dum aperit manum suam, omnia nostra implentur bonitate (*Psal.* CXLIV, 16). Avertente autem ipso faciem suam, turbamur; auferente eo spiritum suum, deficimus, et in pulverem nostrum revertimur (*Psal.* CIII, 29). Sed ne ad nihilum redigamur, si diu ab eo deseramur, iterum ex more suo visitat nos in salutari suo, emittens Spiritum suum, ut creemur, et renovetur facies terræ nostræ (*Ibid.* 30). Erumpere nobis faciens denuo hoc mane, in quo videbimus gloriam ejus, et crastinam dans nobis illucescere diem, in qua videbimus majestatem ejus in nobis, descendens nihilominus in eadem die ad nos, ut omnem a nobis auferat languorem. Et hoc modo nobiscum nunquam agere cessabit, donec illa veniat dies, quæ non declinabit ad vesperam, cui non succedet nox, quam nullæ tenebræ obscurabunt. Hæc est crastina dies illa, in qua delebitur omnino iniquitas terræ, et regnabit super nos Salvator mundi. Regnabit et in nobis evacuans omnem principatum, et potestatem, et virtutem tradens regnum Deo et Patri, ut et inimica destruatur mors, et sit Deus omnia in omnibus (*I Cor.* XV, 24 et seqq.).

XI. Respectu diei illius tota hæc vita præsens hodie appellatur, in quo sanctificari studemus, et esse parati quicunque veraciter filii sumus Israel. Sanctificari a malo divertendo, esse parati bonum faciendo, ut evellendo et destruendo mundati, ædificando vero et plantando ornati, digni simus mane astare ei, et videre gloriam ejus; videre etiam majestatem Dei in nobis, ablata omni de medio, et penitus annihilata tam ignominia infirma quam infirmitate ignominiosa. Descendet Dominus in illa crastina die, auferens a nobis omnem languorem, ut sit nobis salus propitians non quidem aliquibus, sed omnibus iniquitatibus nostris; sanans, nec ibi, aliquas, sed ad omnimodam sanitatis perfectionem, omnes infirmitates nostras (*Psal.* CII, 3); redimens de interitu vitam nostram, et coronans nos in misericordia, et miserationibus, atque replens in bonis desiderium nostrum (*Psal.* CIII, 3-5). O mane luminosum, in quo astat Psalmista Domino, ut videat! (*Psal.* V, 5.) O cras præclarum, in quo respondebit sancto Jacob justitia sua! (*Gen.* XXX, 33.) O mane, in quo ita replebuntur electi misericordia Domini, ut exsultent et delectentur [*al.* lætentur] in æternum! O cras! in quo de exsilio ad regnum, de mœrore ad gaudium, de morte ad vitam egredientur veri confessores, et internam pacem mente et desiderio videntes [*al.* videbunt].

XII. Hæc enim sonant famosa hæc duo nomina; Judæa et Jerusalem. Egredientur, inquam, et erit Dominus cum eis, et erunt per omnia constantes, videntes auxilium ejus super se. O dies benedicta, in qua non solum nos requiescemus, sed etiam requiescet Deus quousque modo laboratur in nobis. Laborat autem sustinens in reprobis. Huic diei benedicet, et sanctificabit eum, requiescens in eo, a labore duro, in quo ei modo in pravis moribus, et iniquis operibus, molesti sunt reprobi. Requiescet in eo et ab omni opere, quod patrarat (*Gen.* II, 2), in his, qui ad æternam vitam præordinati sunt, quando perfectis in eis cœlis, et terra, et omni ornatu eorum (*ibid.*, 1), ipsis, de quibus loquimur, electis nulla inerit corruptio, nulla deerit perfectio, nihil aderit mali, nihil deerit boni, videntibus eis æternum in æternum. Cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

SERMO XXIII.

IN DIE NATALI DOMINI.

De sublimitate incarnationis Christi, et de spirituali electorum profectu.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Nec ore digne exprimi, nec mente comprehendi valet incarnationis sublimitas. — 2. In unam personam creaturæ et Creatoris conventio quam stupenda. — 3. Quis natus, de qua, et quando pensiculatius consideranda. — 4. Quam congruenter natus de Virgine, in Bethlehem, tempore pacis. — 5. Violatores pacis remorantur, aut fugant Christum in se nasciturum. — 6. Quid sit lanceam et falcem converti in vomerem. — 7. Quantopere aversandum quod charitatem violat fraternam. — 8. Electos et reprobos una excipit sors nascendi: diversi mores vivendi. — 9. S. Joseph typus electorum, quorum meritum consistit in conversatione sancta, et fide recta. — 10. Corde credere, et ore confiteri, deinde probe conversari recta oportet intentione. — 11. Ascensus a Galilæa in Judæam et a Nazareth in Bethlehem virtutum cardinalium signat exercitium. — 12. Non est decor boni operis absque rectitudine intentionis.

1. Exigit, dilectissimi, hujus sacratissimæ diei excellentia, exigit et devotio vestra ut inter vos hodie maxime non sileat lingua nostra, non ferietur verbum nostrum [*al.* cor vestrum]. Indignum namque est ut ea die a laude Dei lingua cesset humana, qua ex carne virginea prodit Deus homo. Sed et injustum nihilominus est, ut vobis tam avide petentibus panem vitæ, denegemus. Verumtamen, etsi mihi forte aliquid datum sit quod vobis apponam, non est, fateor, tanta in me vel profunditas in sentiendo, vel in proferendo facundia, ut venerandam hujus diei elegantiam, vel mente comprehendere, vel ore exprimere queam. Cogitans namque apud me, et recogitans, volvens crebro in mente et revolvens quod hac die evenit; non minus admirabile quam suave, non minus præcelsum quam pium, eo magis inde recogitandum intelligo. Et quod non modicum mirum est: quo plus inde comprehendo, eo minus jam quodammodo me comprehendisse deprehendo. Verumtamen ut quid dico, quo plus inde comprehendo? quia hoc solum inde comprehendo, quod inde quidquam comprehendere non valeo. In hac siquidem consideratione mea, in luce inaccessibili accedo, solas, per eam, tenebras meas intuens; ipsam vero penitus intueri non valens. Sic mirabile fit hoc ex me scientia Dei confortata est, et non possum ad eam (*Psal.* CXXXVIII, 6). Ipso mihi per eam notificante [*al.* innotescente] ignorantiam meam, *ut sciam quid desit mihi*, illud Philosophorum exclamans: *Scio quod nescio.* Quis enim, non dico, comprehendere, quod quidem omnem excedit sensum tam angelicum quam humanum; sed quis digne vel obstupescere potest, quod ex femina Deus natus est? quis satis miretur factum videns, omnium factorem, temporalem æternum, Verbum carnem, Deum hominem: et quia nimis longum est ire per singula, quæ in hunc modum sunt, in puero isto qui hodie natus est, et hominem accipere, incomprehensibile illud, quod solius est Dei, et Deum illud humile quod solius est hominis?

II. O Deus, idem homo! O homo, idem Deus! Creator noster, filius noster, Deus noster, frater noster, conditor noster, caro nostra; Dominus noster, conservus noster, fortitudo nostra, infirmitas nostra, gloria nostra ignominia nostra, pastor noster, esca nostra, et multa in hunc modum. *Jesus Christus heri, et hodie: ipse et in sæcula: Jesus Christus* (*Hebr.* XIII, 8), ne geminetur unitas personæ; *heri*, ne natura assumpta extendatur æternitate; *hodie*, ne assumens includatur tempore; *ipse et in sæcula*, pro eo quod in æternum vivat, temporalis in æterno (265), in quo mortuus est, qui vivit in æternum; uno eodemque temporis momento, propter *hodie*, assumentis dominatur (266) gloriose una Jesu Christi persona in cœlo; et propter *heri*, assumptæ, moritur ignominiose in ligno. Ecce Deus noster hodie visibilis apparet, cum dicat verax theologus ille: *Deum nemo vidit unquam* (*I Joan.* IV, 12). Et ipse ad dilectum et familiarem suum Moysem: *Non poteris*, inquit, *videre faciem meam; non enim videbit me homo et vivet* (*Exod.* XXXIII, 20). Jam Deum oculis perspicimus; jam verbum manibus contrectamus, Deum in homine, verbum in carne, intuentes omnem plenitudinem divinitatis habitare in hoc parvulo nostro, fratre nostro, filio nostro, etiam corporaliter (*Coloss.* II, 9). Ut jam se adorari ab Joanne, angelus non sinat (*Apoc.* XIX, 10), qui supra se, in Christo, naturam Joannis adorat.

III. Certe mihi triplex in hac nativitate sacrosancta consideratio ingerit stuporem, considerante me quæ sit ejus persona, qui natus est; quæ mater, de qua natus est; et quod, in quo natus est, tempus. Et invenio Deum esse qui nascitur, Virginem de qua nascitur. Quid horum, fratres, non admiramini? super quo horum non obstupescitis? Quid mirum, si Deum admiramini ex homine prodire hominem; si virginem admiramini matrem? Ibi una eademque persona, Deus et homo: hic autem una eademque femina mater et virgo. Ibi Deus humanatus, et idem homo qui Deus. Hic autem et fecunditas virginea, et virginitas **83** fecunda. Sed et tantæ pacis et quietis tempus, quomodo non erit vobis admirationi, superbos filios intuentibus Adam: qui turrim volebant construere, ut celebrarent nomen suum (*Gen.* XI, 4): invicem provocantes, invicem invidentes, et alterutrum supergredi cupientes (*Gal.* V, 26), in tantam concurrere concordiam, ut, sopitis bellorum turbinibus, et tam pacifice consentientibus ad invicem cunctis gentibus, unum contingeret universo orbi principem dominari, universum etiam orbem describi, uno denique universum orbem numismate concludi? Siquidem *exiit*, ut nocte hac sacratissima legi in Evangelio audistis, *edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Et ibant omnes, ut profite-*

(265) *Al. in æterno vivat, temporalis in æternum;* Forte semel *in æternum* redundat.

(266) *Al. divinitatem*, vel *dominante*: Mendosus erat locus.

Digitized by Google

ventur singuli in suam civitatem (*Luc.* II, 1, 3). Et hinc contigit, sicut scitis, ut providente Dei, qui bodie in carne apparet, Sapientia, quæ et attingit a fine usque in finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1); contigit, inquam, ipsa providente, ut ejus Bethlehem insigniretur nativitate, sicut honorata fuit civitas Nazareth ipsius conceptione. Et ideo ad profitendum, juxta edictum imperatorium, illuc cum gloriosa Virgine oportet venire Joseph, prodente evangelista causam, videlicet *eo quod esset de domo ac familia David* (*Luc.* II, 4); cujus ipsa Bethlehem civitas dicta est.

IV. *Et factum est, dum essent ibi, impleti sunt dies ejus* (*ibid.*, 6) : haud dubie quin beatæ Virginis *ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum* (*ibid.*, 7). Deus itaque est qui homo natus est. Et est pax nostra faciens utraque unum (*Ephes.* II, 14). Qui venit nuntiare pacem his, qui longe erant, et pacem his qui prope, *pacificans in sanguine suo quæ in cœlis, et quæ in terris sunt* (*Colos.* I, 20). Sed, sicut Deum nasci non decuit nisi de carne virginis, sic nec nasci voluit nisi in tempore pacis. Et ne locum prætergrediamur nativitatis, natus est in domo panis, qui et ipse panis est vivus, de cœlo descendens, de quo, si quis manducaverit, vivet in æternum (*Joan.* VI, 52). Decuit ergo Deum nasci de carne virginis; voluit pax in tempore pacis, debuit et panis in domo panis. Considerans autem personam nascentis, omnino deficio; intuens autem personam parientis, supra modum obstupesco, in illius celsitudine expavescens, et istius prærogativam non comprehendens. Puto autem quod etiam dicetis hæc de vobis et ipsi. Sed in hac gemina consideratione reverberati, et ad vos repulsi, tempus nativitatis ejus proponite vobis ad exemplum, scientes quod sicut per nativitatem carnis in terra apparere noluit, nisi in tempore pacis, sic nec velle eum inter vos per adventum internæ gratiæ suæ apparere, nisi pacem habueritis ad invicem.

V. Væ illis, per quos Christus, et cum absens est ne veniat, moratur; et cum præsens est, ne maneat, fugatur. Qui sunt hi? nisi perturbatores pacis, unitatis divisores, turbati, et alios turbantes, seminantes inter fratres discordias? (*Prov.* VI, 19.) quales Dominus non modo odit, sed et detestatur anima ejus, mortiferum illud venenum, quo ipsi inflati sunt, non solum per pravæ conversationis exemplum propinantes, sed et per suggestionem perniciosi consilii aliis infundere gestientes. *Vos autem, fratres, non ita didicistis Christum, si tamen eum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Christo Jesu* (*Ephes.* IV, 20). *Pax vobis* (*Luc.* XXIV, 36), spirituale nostri pacifici verbum. *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis* (*Joan.* XVI, 33). Et item : *Pacem*, ait, *habete inter vos* (*Marc.* IX, 49). *Scitote quoniam qui conturbat vos, portabit judicium, quicunque est ille* (*Galat.* V, 10). Vox Domini est in Apostolo loquentis, et in Propheta : *Idem ergo sapite, pacem habete, et Deus pacis vobiscum erit et dilectionis* (*II Cor.* XIII, 11). Unusquisque vestrum modis omnibus ab alterius læsione abstineat, *sollicitum se exhibens servare unitatem spiritus in vinculo pacis; si fieri potest, quod in se est, cum omnibus hominibus pacem habens* (*Rom.* XII, 18). Quia, sicut, teste Domino, filii Dei vocantur qui pacifici sunt (*Matth.* V, 9), sic audacter dico quod filii diaboli vocari digni sunt, qui seminatores discordiæ sunt.

VI. Considerate quia illud in nativitate Christi pacis tempus claruit in mundo, de quo prophetavit Isaias, quando ait : *Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces* (*Isai.* II, 4). Et adjunxit : *Non levabit gens contra gentem gladium nec exercebuntur ultra ad prælium* (*ibid.*). Facite, quæso, spiritualiter tempus illud apud vos, conflate gladios vestros in vomeres et lanceas vestras in falces. Gladius et lancea arma sunt, et vulnera infligunt; vomer autem et falx instrumenta quædam sunt usui humano valde necessaria, et hominum pastui serviunt. Sed cum arma gladius et lancea sint, cominus gladio percutimus; lancea vero longe posita attingimus. Similiter cum instrumenta vomer et falx valde necessaria sint, vomere quidem terram suffodimus in arando, falce vero segetem secamus in metendo. Et quid esse putamus gladios et lanceas, nisi duras verborum asperitates, et asperas eorum **84** duritias, pacem in auditorum cordibus perturbantes? Nonne hoc sensit sanctus David, qui dentes asseruit filiorum hominum arma et sagittas, et linguam eorum gladium acutum? (*Psal.* LVI, 5.) Gladio itaque, et quidem valde acuto proximum feris, cum cum verbo probroso, et aspero tumore iracundiæ inflatus aggrederis. Sed committe gladium tuum in vaginam, in teipsum convertito ferrum, increpans et accusans teipsum, et dimittens interim proximum tuum, arguens et statuens te contra faciem tuam. Considera magis trabem quæ est in oculo tuo quam festucam quæ est in oculo fratris tui (*Matth.* VII, 3). Quia, etsi hæc ex parte turbat, sed illa ex toto excæcat. Fode parietem, profunde scrutans interiora tua; et ingressus quod tibi apparet ostium, vide animalium et reptilium abominationem, et quæ in eo depicta sunt idola (*Ezech.* VIII, 10) : et tolerabile videbitur quidquid culpabile cernis in proximo tuo, respectu horribilium quæ apparent in teipso. Sic conflabis gladios tuos in vomeres, eisdem videlicet verbis corripiens et humilians teipsum, quibus tumide et superbe irritare et provocare solebas proximum tuum. Acumine propriæ accusationis suffodiens interiora tua, qui proximi iracunde solebas pungere etiam exteriora. Lanceis vero longe positos tangis, dum absentes a verbis detractionis tuæ quietos esse non sinis, Domino te odibilem exhibens, dum surdo, contra legem, maledicere præsumis (*Levit.* XIX, 14). Consumptione nihilominus te exhibens dignum, dum symbola dans, et venenosis potibus vacans (*Prov.* XXIII, 20), carnes quoque ad manducandum confers.

Digitized by Google

VII. Cur tibi tam suave videtur absenti derogare, detrahere non audienti? cur non magis tam proximi quam propria bona ulnis amoris amplecteris, ut quod in futuro ob hanc benevolentiam te manet præmium, spei et certitudinis oculis intueri possis? Quod si sollicite agere studueris, nimirum lanceas tuas mutabis in falces, dum tam proximi, quam propriis modis omnibus, benedictionibus insistens, agnoscis te de benedictionibus messurum vitam æternam, atque a derogationibus proximi cessans, illius intendis utilitatibus sermonis, pro quibus dignus sis præmium in futuro æternæ percipere refectionis. Non levet, quæso, in vobis gens contra gentem gladium. Quod quidem tunc agitis, cum vos, *non defendentes*, ut admonet Apostolus, *datis locum iræ* (*Rom.* XII, 19). Sed nec exerceamini ad prælium, ut in honore invicem prævenientes, et in humilitate spiritus superiores vobis invicem arbitrantes (*Phil.* II, 3), nequaquam efficiamini gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes (*Gal.* V, 26). Sic pacis tempus in vobis efficietis, in quo apparere dignabitur inter vos auctor ille pacis et amator, qui illo tempore per carnem apparuit in mundo, quo in unam convenerunt concordiam, cuncta in orbe terrarum regna uni subjecta imperio: ostendens se super hoc, suæ quandoque missurum præcones veritatis, qui vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis (*Prov.* IX, 3) filios Dei, qui erant dispersi congregantes in unum (*Joan.* XI, 52) et colligentes a quatuor ventis terræ.

VIII. *Exiit* itaque *edictum a Cæsare Augusto*, magis autem a Domino Jesu Christo, ut *describeretur universus orbis* (*Luc.* II, 1). Quod quidem tunc edictum exiit ab eo, quando in prædicationem mittens discipulos suos, ait: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI, 15, 16). *Tunc ibant, ut profiterentur singuli in civitatem suam* (*Luc.* II, 3): quia credentes et baptizati secundum quod suus unicuique dictabat status: fidei confessionem per bonam ornabant conversationem: Unusquisque in suo ordine. *Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Bethlehem civitatem David, eo quod esset de domo et familia David* (*ibid.*, 4). De statu electorum, qui quotidie fidei et bonorum operum profectibus, ad futura de præsentibus, ad alta de infimis tendunt, in verbis his, juxta sensum allegoricum, fit mentio. Scitis, fratres, quod omnes sine ulla exceptione tam electos, quam reprobos eadem, juxta carnem, nativitatis corruptio producit. Nec est aliquid tam eorum qui ad sortem electorum quam eorum qui ad massam pertinent reproborum, cui hæc vox Psalmistæ non congruat: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal.* L, 7), excepto duntaxat illo, qui *solus est inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 6). Qui, cum Deus esset, peccatum non contraxit, in matre conceptus; nec fecit inter homines conversatus. Sed cum unum habeat universitas filiorum Adam initium [*al.* interitum], non unam habent omnes in vita conversationem, nec unam per mortem sortiuntur mansionem. Sed electi quidem gratuita gratia confirmantur per justitiam, in sanctitate, ut salventur; reprobi vero, justo, sed occulto judicio, relicti per pravitatem in **85** malitia indurantur, ut condemnentur. Hinc est quod reprobi de malo semper ad pejus proruunt, donec ad æternam damnationem perveniant. Electi vero, quodam quasi ingenito dignitatis appetitu ad superna, desiderando, tendere non cessant: quousque regnum quod eis ab origine mundi paratum est, percipiant. Sicut enim regis alicujus filius in servitute, sive statu aliquo ignobili natus, cum aliorum postmodum relatione, ingenuitatem, libertatem suam atque hæreditatem cognoscit, modis eam omnibus acquirere studet: ita sanctorum electorum Ecclesia in præsentis exsilii servitute captiva, et captivitate servili nata, cum per doctorum instructionem, et divinam inspirationem, cœlestis ei ad quam prædestinata est, patria innotescit: statim donec eam acquirat, infatigabiliter insistere non desistit.

IX. Electi itaque, atque ad vitam æternam prædordinati ad hunc pertinent Joseph, de quo audivimus, quod *ascendit a Galilæa, de civitate Nazareth in Judæam civitatem David, quæ vocatur Bethlehem*. Vos autem, fratres mei, hic exprimit Joseph, ut et vos a provincia conscendatis ad provinciam; a Galilæa ad Judæam, et a civitate in civitatem, a Nazareth in Bethlehem. Frequenter, ut scitis, Dominus Jesus solebat has obire provincias. Invenitur etiam honore maximo has duas honorasse civitates; unam conceptione sua, alteram vero nativitate. Duo sunt in quibus nostrum in præsenti meritum consistit: fides videlicet recta et conversatio sancta, ut et recte credamus, et sancte nihilominus vivamus, sed minus perfecta fides est, cui confessio non attestatur, scilicet ut sicut: *Corde credis ad justitiam, et ore confiteris ad salutem* (*Rom.* X, 10); similiter et actio licet bona in se fuerit, retributione tamen nullatenus digna erit, nisi sicut sanctitatem habes in exteriori conversatione, sic et rectitudinem teneas in interna intentione. Quatenus ideo quod bonum est agas, ut oculis illius interni inspectoris placeas: illum solum operis tui quærens laudatorem, quem exspectas remuneratorem. Ideo necesse est, ut quod habes in corde, usque ad confessionem proficiat in ore. Quatenus tribulationis tempore non erubescas, nec pertimescas fateri in publico, quod de unius fidei veritate sentis in occulto. Oportet nihilominus ut a sanctitate exterioris actionis, ad rectitudinem conscendas internæ intentionis, quatenus sic extrinsecus exerceas bonum opus ad exemplum coram proximo, ut humani plenam favoris mercedem fugias, ne præmium intrinsecus exspectes, et exspectes a solo Deo. Nam et: *Dominus dissipat ossa eorum qui hominibus placent; confundantur, quoniam Deus sprevit eos* (*Psal.* LII, 6). Et qui opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, *receperunt mercedem suam*,

Digitized by Google

(*Matth.* vi, 5); nullam a Deo habituri remunerationem, solum quem in opere suo quæsiverunt humanum pro mercede, recipientes favorem.

X. Quod cum ita sit, cavete vobis, charissimi, in bono opere vestro a furtivo appetitu laudis, qui et præsentis est gratiæ occisor, et futuræ nihilominus retributionis destructor. Hunc autem geminum spiritualem profectum, a fide scilicet ad confessionem, a sanctitate exterioris actionis ad rectitudinem internæ intentionis: hic duplex ascensus a Galilæa ad Judæam, a Nazareth ad Bethlehem designat. Nam Galilæa, ut scitis, *revelationem;* Judæa vero *confessionem* sonat. *Flos* vero interpretatur Nazareth, et *domus panis* Bethlehem. Itaque Galilæa ad fidei revelationem; Judæa vero ad oris pertinet confessionem. Sic et Nazareth floridum designat decorem sanctæ conversationis; et Bethlehem sapidam refectionem, qua Deus delectatur in rectitudine internæ intentionis. Ascende ergo a Galilæa ad Judæam, a Nazareth in Bethlehem, ut quod in corde et fide sentis, etiam coram ipsis persecutoribus, et impugnatoribus *fidei* fateri non timeas. Quæcunque etiam de bono opere exterius coram aliis ostendas: interius illius, qui discretor est cogitationum et intentionum cordis, oculis humiliter offerre studeas. Plene utique et perfecte hæc quatnor agis; si in occulto recte credis, si in publico audacter confiteris; si exterius bonum quidem ostendis opus ad exemplum, et interius per intentionem soli Deo placendi, semper illud optas esse secretum.

XI. Et videte si non in quatuor istis quatuor illæ virtutes continentur, quæ ob magnam, quæ eis inest, perfectionem, cardinales sive principales appellantur, nam secretum fidei nobis habere revelatum, prudentiæ; fidem vero constanter coram hostibus fidei confiteri, fortitudinis est. Sic nihilominus bonam exercere operationem justitiæ; omnem vero in eodem bono opere humanam refutare laudem atque favorem, temperantiæ est. Non enim solummodo ad temperantiam pertinet, carnem ab experientia temperare 86 voluptatis; sed et mentem ab appetitu cohibere vanitatis. Ascendite ergo a prudentia quæ est in fidei agnitione usque ad fortitudinem, quæ est in oris confessione. Ascendite a justitia, quæ in sanctitate est exterioris actionis, usque ad temperantiam, quæ in rectitudine est internæ intentionis. Hoc modo de virtute in virtutem spiritualiter proficiendo quotidianum magis ac magis in sanctitate augmentum (hoc enim dicunt sonare illud nomen quod est Joseph) percipietis. Ascendetis et vos a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam civitatem David, quæ est Bethlehem.

XII. Et notate quod spiritualiter Bethlehem dicitur civitas David: quia maxime in rectitudine internæ habitat intentionis et moratur Christus. Quia illud solummodo opus bonum approbat, quod propter se pure factum videt. Illi etiam se debitorem agnoscit in retributione, cui se esse cognoscit in opere. Gloriosa quidem civitas Nazareth, sed Bethlehem gloriosior, quia major gloria in Christi ortu, quam in conceptu; majorque utilitas in pane qui sapit, et per refectionem satiat, quam in flore qui nitet, et per suavitatem fragrat. Flos itaque est omnis bona actio nostra, decorem in se proferens et odorem; ut et præsentes alliciat, et absentes provocet: illos per bonum exemplum, quod conspiciunt, istos vero per veracem famam, quam audiunt; præfert de se et spem, quia de flore bono speratur fructus in tempore; sic et pro opere sancto merces in fine. Sed hujus speciosi et suavis atque boni floris et in deformitatem decor, et in fœtorem mutatur odor. Ipse etiam qui speratur fructus non apparet: nisi teneritudinem ejus a nebuloso et frigido vento, et ventosa et frigida nebula, a vento et nebuloso frigore humanæ laudis rectitudo protegat internæ intentionis. Hoc modo a Galilæa in Judæam, a Nazareth ad Bethlehem conscendit S. Joseph. Est et alius sensus in hoc gemino ascensu, qui a nobis nullatenus occultandus est: quia propter vos nobis est revelatus, et vobis per nos transmissus, sed bonum est ut in alterum vobis differamus sermonem; tum quia ejus ad præsens intendere non possumus ostensioni; tum quia vos nimis non estis onerandi. Laudemus itaque totis cordis medullis, et glorificemus natum de Virgine, Deum verum, et hominem verum: Dominum nostrum Jesum Christum, qui est cum Patre et Spiritu sancto Deus per omnia sæcula benedictus. Amen.

SERMO XXIV.

ITEM IN DIE NATALI DOMINI.

De spirituali profectu sanctorum, et de magna multitudine dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, perfecit autem sperantibus in se

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Damna cenodoxiæ vitanda, exemplo Domini Jesu. — 2. Sub ascensu a Galilæa in Judæam, et a Nazareth in Bethlehem, spiritualis notatur profectus. — 3. Præsentia instar floris caduca; quæ æternum permanent, desideranda. — 4. Operum bonorum exercitium est beatæ prædestinationis indicium. — 5. Ordo spiritualis ascensus per anacephalæosim ostenditur. — 6. Post lapsum festinare ad pœnitentiæ remedium, et crebro suspirare ad Deum, salutis futuræ est probabile signum. — 7. Quod confirmat perseverantia, in sua cujusque vocatione. — 8. Profectui spirituali necessarium divinæ gratiæ auxilium: cujus dandæ finaliter certi non sumus. — 9. In Abisag gratiæ divinæ idea, sub finem revelandæ exprimitur. — 10. Dies mystici, in quibus spiritualiter negotiandum. — 11. Quod gratia nunc operatur occultum, tunc exhibebitur manifestum. — 12. Virtutum actus ut finiendi in patria. — 13. Cur nunc non pateat, quod gratia Dei de nobis disponit. — 14. Hæc vita tabernaculum est militantis, ubi Christus instar fullonis nos exercet. — 15. Electi sunt quasi Christi vestimenta, quæ in via ad patriam semper mundanda. — 16. Alia Christi facies turpata: alia formosa et desiderata.

I. Videtis jam, ut arbitror, quod tam necessarium vobis est, ut a Nazareth ascendatis ad Bethlehem, quam est ut a Galilæa ad Judæam, nam sicut illum non confitebitur Dominus coram Patre suo, qui eum modo, cum recte credat, coram hominibus non con-

Digitized by Google

fitetur; sic nec mercedem habebunt apud Patrem suum, qui in cœlis est (*Matth.* x, 33), qui opera sua faciunt ut videantur ab hominibus. Fac nos conscendere, o sancte David, in civitatem tuam Bethlehem de civitate Nazareth, ut tuam et non nostram in omni bono opere nostro laudem quæramus. O mitis et humilis Jesu, qui in forma nostra, hodierna die, humilis apparens, quandiu in mundo **87** fuisti, non quæsisti gloriam tuam, sed ejus qui misit te : procul pelle a nobis hunc oculum nequam, qui corpus reddit tenebrosum (*Luc.* II, 34). Fuga a nobis, qui multoties in bono opere nostro se ingerit, humanæ laudis appetitum, internæ gratiæ inimicum; qui opus etiam quamvis sit bonum, a retributione efficit alienum. Da ut tibi soli, in omni quod agimus placere quæramus : et a te affectemus in opere videri, a te etiam cupiamus in opere remunerari. Da quoque ut in nobis ad locum, unde exeunt flumina, revertantur, quatenus in sapida refectione civitatis tuæ, o pulcher et fortis David, commoremur, nec suavi flore, decore, et decora ejus sanitate [*al.* suavitate] illicite delectemur. Sic, Domine, ascendemus a Nazareth ad Bethlehem, dum et humanum, qui de sanc itate et fama boni operis procedere solet, omnino respuimus favorem : et tuis, quodcunque agimus, occultis obtutibus, offerimus per rectam tibi soli placendi intentionem. Vox tua, o pie, o bone Jesu hæc est : *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est* (*Joan.* VI, 54). Et iterum dicis : *Ego non quæro gloriam meam* (*ibid.*, 50). Fratres, si gloria Christi nihil sit si glorificat se ipsum : quid est vel quid esse potest gloria nostra, si glorificemus nos ipsos? Emundemus itaque nos ab immunditia fæcis hujus, quæ sensim influere conatur in internis motibus nostris : studeamus puri atque defæcati apparere in conspectibus ejus, qui est discretor cogitationum et intentionum cordis.

II. Videamus nunc quis iste sit sensus, quem geminus in se hic continet ascensus, a Judæa videlicet in Galilæam; a Nazareth in Bethlehem. Si quidquid tibi Deus de se ipso, sive de his quæ ad eum pertinent, revelat : non de acumine subtilitatis, vel de merito sanctitatis tuæ, sed a gratuita ipsius gratia provenire non solum pio corde sentis, sed et pleno ore confiteris, ut cum Paulo (*II Cor.* III, 5) dicas non sufficientem esse te cogitare aliquid ex te, quasi ex te; sed sufficientiam tuam ex ipso esse, tunc de occulto revelationis ad publicum ascendis confessionis, ac per hoc a Galilæa ad Judæam. Quod si tam avide esuris, et sitis justitiam, ut nequaquam te perfectum æstimes, quantumcunque perfectus fueris; sed, cum consummatus fueris, deputes te incipere (*Eccli.* XVIII, 6) respectu illius boni, quod adhuc deest, quasi pro quadam teneritudine [*al.* qui pro quadam habes teneritudine] floris, quidquid tibi in bono opere adest si niteris etiam [*al.* intromittis te etiam] omnibus modis, quibus vales, ab his, quæ jam acquisivisti, ad ea quæ necdum apprehendisti pertingere : nimirum a Nazareth ascendis ad Bethlehem. Utilissimum [*al.* ultimum] certe vobis hoc modo est ascendere, quia quo devotius ab illo esse confitemini in publico, quod vobis jam revelatum est in occulto; eo videbitis vobis copiosius patere, quod eatenus sensistis vos latere. Nihil etiam Deo acceptius, quam fervoris spiritualis profectus, quam justitiæ esuries est et sitis. Justum profecto, ut esurientes suos impleat bonis, faciens eos a Nazareth ascendere ad Bethlehem : desiderium cordis eorum tribuens eis, panem videlicet eis conferendo operationis solidioris : qui præ nimis. quam habent, ei placendi aviditate, sanctitatem, omnis quam exercent conversionis, quasi quamdam deputant teneritudinem floris. Sic et in hoc sensu ascendit Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam civitatem David quæ vocatur Bethlehem, si quidquid tibi in corde revelatur, ex Deo esse pleno ore confiteris : et ab his quæ jam explevisti, ad ea quæ nondum aggressus es, pia aviditate currens, ut et ea opere expleas.

III. Intelligite etiam, quia multa vobis Deus in præsenti revelat, manifestans vobis, et quomodo peccata evitare debeatis, ne supplicium incurratis : et quomodo virtutem exercere, ut ad præmium pertingatis. In futuro vero pro his, quæ vobis non revelantur, ejus in æternum laudibus vacabitis : misericordias ejus in æternum cantabitis, in voce confessionis, et exsultationis sonum emittentes exsultantis (*Psal.* XLI. 5). Quodcunque [*al.* quacunque] etiam hic in præsenti exercetis, sic est ad illud præcellens, quod in illa felicitate habebitis, sicut flos ad panem. Nonne hæc sentit ille, qui ait : *Id quod in præsenti momentaneum est et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (*II Cor.* IV, 17). Quid est momentaneum hoc et leve? at per hoc deputavit quamdam teneritudinem floris : quid vero ibi : sublime et æternum? ac si id refectioni comparet cuidam sapidissimi panis : et ideo si ab hac vitæ præsentis ærumna, in qua tibi bene vivendo revelatur modus, qui est in merito, ad illam amoris et desiderii passibus ascendis felicitatem, in qua Dei in æternum laudibus insistas in præmio : profecto a Galilæa ascendis ad Judæam : hic enim Dominus incerta et occulta sapientiæ suæ manifestans revelat tibi condensa (*Psal.* XXVIII, 9), in quibus diem illic constituas solemnem, sed ibi in templo suo omnes dicent **88** gloriam : quod est in illa superna Judæa, quia cœlestis illa, quam Deus inhabitat, Jerusalem, in divinæ semper laudis confessione est. Si autem a decoro et odorifero flore ad solidum illum æternæ felicitatis panem præparare te studes, *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo* (*Phil.* I, 23); illis quandoque admisceri cupiens, quos facit discumbere, et præcingens se, atque transiens ministrat illis (*Luc.* XII, 38) : quodammodo de Nazareth in Bethlehem conscendis, ut sicut permanes cum eo in tentationibus suis in Nazareth : ita disponente ipso tibi regnum edas et bibas super mensam suam

Digitized by Google

in regno suo (*Luc.* XXII, 29). Quod regnum pertinet ad Bethlehem, quia evangelista Bethlehem spiritualiter appellat ejus civitatem (*Luc.* II, 4).

IV. Sed unde hoc isti Joseph, quod sic ascendere possit? Ostendat nobis evangelista quare sic ascendere potest? *Ascendit*, inquit, *Joseph a Galilæa civitate Nazareth in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem* (*ibid.*). Addit et causam, *eo quod esset de domo et familia David* (*ibid.*). Unde est hoc, mi frater dilectissime, quod tam studiose in omni loco et tempore exercitiis insistis operum bonorum, nisi quia ad sortem pertines electorum? nam *quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit* (*Rom.* VIII, 30). Quid ergo concluditur, nisi quos prædestinavit hos et justificavit. Domus itaque ac familia David hæc est, felix ille est cœtus, qui ad vitam prædestinatus est æternam. De qua domo atque familia ut simus, obnixe rogamus cum dicimus : *Ab æterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum nos jubeas grege numerari* (267). Præmittimus de hoc gemino ascensu, quo de Galilæa ad Judæam, a Nazareth ad Bethlehem ascendimus dicentes : *Diesque nostros in tua pace disponas.*

V. Ideo ergo a Galilæa ad Judæam, a Nazareth ad Bethlehem ascendis, quia es de domo ac familia David, quia ideo coram ipsis etiam persecutoribus Deum confiteris in publico, quem per fidem tenes in occulto : ideo ab ipso esse pleno ore confiteris, quodcunque tibi per revelationem inspiratum esse sentis : ideo etiam a revelatione, quæ tibi in merito præsentis vitæ contingit, cursu desiderii ad illam acceleras patriam, in qua divinæ laudis perenniter celebres confessiones. Ideo quoque a sanctitate bonæ actionis, quam exterius proximis ad utilitatem demonstras, ad internæ rectitudinem conaris pertingere intentionis, per quam soli Deo placeas : ideo nihilominus ab ea, quam jam exercuisti, operatione, ad illam, quam necdum aggressus es, desideras venire conversationem ; ideo denique a decore præsentis sanctitatis, quam nunc exerces in merito, ad sapidissimam cupis conscendere refectionem futuræ felicitatis, qua frueris in præmio, quia summi Patris es Filius, et ad vitam æternam præordinatus : illis siquidem tribus modis diximus spiritualem Joseph a Galilæa ad Judæam, a Nazareth ad Bethlehem ascendere : causa vero est quod esset de domo ac familia David. Unde enim nobis quod tam studiose quotidianis, imo continuis amoris passibus, his quibus hucusque modis ascendendum docuimus, contenditis ascendere a Galilæa in Judæam, a Nazareth in Bethlehem, nisi quia de domo estis ac familia David?

VI. Unde hoc vobis quod totis viribus odio habetis, quod malum est, et amatis quod bonum est, inclinantes vos prompte, et perseveranter omnibus, quibus scitis et valetis modis, voluntati divinæ, et si quando, tangente aliquo tentationis impulsu, ab ea vos aliquatenus contingit declinare ; nullam omnino quoadusque ei per pœnitentiam plenam, et confessionem puram, atque satisfactionem condignam reconciliemini, pacem habere valentes, pungente ipso vos timoris et amoris stimulis [*al.* stimulo] in conscientia ; et fugante atque trahente vos ad se, nisi quia dilecti, et quadam estis ei cognatione conjuncti? magnum et vere mirabile et divinum quid, quod ita: *Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris, per Spiritum sanctum, qui datus est vobis* (*Rom.* V,5). Ejus *habetis primitias, et pignus, clamante ipso intrinsecus ad vos Abba Pater : ipso quoque testimonium perhibente, quod estis filii Dei : ac per hoc si filii, et hæredes ; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom* VIII, 17). Magnum, inquam, et vere mirabile et omnino divinum, quod suggeritur vobis in mente, ut tam infatigabiliter suspiretis ad ipsum, pro certo habentes apud vos, nihil vobis posse sufficere citra, nihil vos debere, quærere ultra, sed ad eum tendere, et in eo requiescere. Utique non fallax hoc indicium salvationis vestræ, non mendax erga vos testimonium electionis vestræ.

VII. Hinc est, dilectissimi, quod non solum ad hunc, in quo nunc estis, sanctitatis statum venistis, sed in eo quoque viriliter statis. Eo quod ad illum [*al.* quod ad illum] pertinetis populum, *quem elegit Dominus in hæreditatem sibi* (*Psal.* XXXII, 12); ipso, *qui vos præscivit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui* (*Rom.* VIII, 29) : vocante et justificante, in quem speratis, quod confirmans opus suum, quod operatus est in vobis, quandoque et magnificabit : 89 ascendentibus interim vobis a Galilæa ad Judæam, a Nazareth ad Bethlehem, eo quod estis de domo et familia David. Et ad quid illo ascendit Joseph? utique ut profiteretur : hoc esse puto, quod ait Psalmista : *Quia illuc ascenderunt tribus :* non omnes quidem, sed *tribus Domini* (*Psal.* CXXI, 4); illæ videlicet, quæ pertinent ad domum et familiam David : et ascenderunt *ad confitendum nomini Domini* (*Psal.* LXXXIII, 5) : qui enim in domo illa habitant, in sæcula sæculorum laudabunt eum et qui in illa Judæa commorantur, divinis in æternum laudibus vacant [*al.* vacabunt], vocem emittentes exsultationis et confessionis.

VIII. Sed nunquid ut profiteretur solus Joseph ascendit? nequaquam, sed ascendit ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Istis, de quibus locuti sumus, in præsentis vitæ via, profectibus intendentes, matrem gratiam nos comitantem, nos denique ducentem habemus. Quia nullatenus proficere possumus nisi ipsa nos et præveniret aspirans, et subsequeretur adjuvans, et comitaretur consolans. Sed cum sit ipsa nobiscum in via, quid nobis faciet in fine? etsi pie speramus nequaquam plene certi, neque omnino securi sumus. Nonne operantem in se habent gratiam, qui, ipsa ministrante, justitiam percipiunt atque sapientiam? et tamen Salomonis vox hæc est : *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei sunt, et*

(267) In canone missæ.

Digitized by Google

tamen nescit homo, un *odio*, *an amore dignus sit* (*Eccles.* IX, 1). Arridet nobis mater nostra gratia interna, et pie speramus quod ipsa nobis, quæ modo sanctitatem confert in via, custodiens et perficiens opera misericordiæ, conformiter et felicitatem nobis conferet in patria, et quæ cœpit in nobis opus bonum perficiet usque in diem Jesu Christi (*Philip.* I, 6); sed tamen vitam nostram absconditam intuentes, et circumdatos atque involutos nos tenebris intelligentes, plene, ut dixi jam, certi non sumus. Hæc est Maria desponsata Joseph uxor : pro stella se exhibens in mari vitæ præsentis, quia inter tot, quas modo a carne, modo a mundo, modo vero a diabolo sustinet iste Joseph, procellas : quomodo ad salutem pertingere posset, nisi luce stellæ maximæ, internæ gratiæ lucem præviam haberet? Hanc sibi habet noster Joseph desponsatam, sed carnaliter non cognoscit eam, ut et tu sic tibi intelligas eam, de qua loquimur, gratiam adjutricem adjunctam, ut nihil ad mollitiem gloriæ et laudis tuæ pertinens requiras in ea, vel per eam, nec te, quem tantæ sponsæ castum decet esse custodem, impudicum, versa vice, quod absit! contingat esse corruptorem.

IX. Hinc est quod Adoniam Salomonis sententia morti addixit (*III Reg.* II, 25), quia misceri cum Abisag carnaliter voluit, quam senex calefacientem quidem habuit, sed, ut Scriptura ait : *Eam non cognovit, senuerat namque rex David, habebat igitur ætatis plurimos dies* (*III Reg.* I, 1), ut et tu ad sanctitatis maturitatem pertingere studeas : et multimodam virtutum spiritualium claritatem acquirere contendas. *Cumque operiretur vestibus non calefaciebat se* (*ibid.*). Ut tu quoque cum tibi etiam ad abundantiam terrena suppetunt, nullam in eis consolationem habeas, juxta Psalmistæ admonitionem : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere* (*Psal.* IX, 11). Quid enim sunt terrena omnia nisi quædam corporis vestimenta? sed cum nullum præbeant ei vestimenta calorem, accedat speciosa et casta Abisag ut calefaciat senem, ut tu cum nullam in rebus terrenis invenis delectationem, pudicum internæ gratiæ requiras complexum, qui te calore spiritualis desiderii accendat. Sic, dum renuit consolari anima tua, memor sis Dei et dilectionis (*Psal.* LXXVI, 4), quatenus ascendens a Galilæa ad Judæam, a Nazareth in Bethlehem, Mariam tibi desponsatam tecum habeas comitantem. Et quidem scimus, quod mater nostra Gratia super filios adoptionis suæ cogitat cogitationes pacis, et non afflictionis. Sed postquam eos de præsentibus ad futura perduxit, tunc primum quid de eis sentiat, ostendit. Quare et Maria prægnans quæ ascendit cum Joseph, sed quem occulte apud se in utero gerit thesaurum, nequaquam effundit per partum, nisi ipsa pariter et Joseph veniant in Bethlehem. Sic etiam legitis : *Et factum est cum essent ibi* (*Luc.* II, 7), haud dubium quin Bethlehem, *impleti sunt dies ejus ut pareret : et peperit filium suum primogenitum* (*ibid.*).

X. Dies istos Mariæ, qui in Galilæa et Nazareth incipiunt, sed in Judæa et Bethlehem implentur, desideria accipimus beata, et sancta opera, et quæcunque alia sunt virtutum spiritualium exercitia; quibus magis ac magis quod impræguata sit, deprehenditur Maria. Quia nimirum eo majorem proponit nobis mater Gratia in futuro conferre mercedem in felicitate, quo majorem et numerosiorem nobis prorogat sanctitatem in conversatione. Nam ego puto quod fides quando lucet in nobis, quasi quædam clara dies est : Magna, fateor, claritas diei hujus, qua fulgente in nobis, credimus **90** Deum, credimus Deo, credimus in Deum. Summe potentem credimus Deum, summe sapientem, summe bonum. Et in hunc modum credimus Deo veraci promissori. Credimus in Deum ut in ipsam suavitatem indeficientem, et dulcedinem non fallentem. Sic et spes quædam dies, et quidem valde clara, qua illucescente in nobis spiritualiter videmus, quod corporaliter non valemus, asserente Apostolo: *Spe nos salvos factos esse* (*Rom.* VIII, 24); et quod non videmus sperare, et ideo per patientiam exspectare. Dolor quoque qui nos pungit in consideratione malorum præsentium, et timor qui concutit in consideratione futurorum, dies tibi videbuntur si recte perpendis. Nonne scientiæ claritas, et sapientiæ nihilominus maturitas in animo quemdam asseris esse lucidum solem in cœlo? et quidem per illam in mente oritur dolor; ad hanc vero via est timor, dicente Salomone : *Qui addit scientiam, addit et dolorem* (*Eccles.* I, 18); et affirmante sancto David : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX, 10). Dolor itaque quædam est in te dies, quia quo magis in hac vita super præsentes tenebras doles, eo plus claritatem futuræ illuminatus spiritualiter vides. Est et timor, quia quo plus times supplicia incurrere pœnæ infernalis, eo magis illuminaris ad quærenda gaudia patriæ cœlestis. Diei timoris succedit dies pœnitentiæ, quia tum bene vides, quantum pœnitere debes de perpetratione culpæ, cum primum plene videris supplicia pœnæ : hanc sequitur Justitia, quæ et ipsa dies esse non dubitatur, quam sol charitatis, ut unicuique reddere possit, quod suum est, illuminat, ut qui in hac die honeste ambulat sciat reprobare malum et eligere bonum : illud quidem ne alicui noceat, istud vero ut prosit omnibus. Post hanc dies illucescit septima, et est Sabbatum requietionis, clara videlicet quies et quieta claritas internæ contemplationis.

XI. Hi sunt dies matris, quos habet quidem in Galilæa in Nazareth, sed consummatos eos in Judæa, in Bethlehem ostendit, dum ibi filium peperit. Sic et has in nobis virtutes mater Gratia in præsenti exercet, sed eas in superna patria consummabit et finiet. Ubi nobis propositum, quod de nostra habet salvatione ostendet, quo hic quidem in spi-

Digitized by Google

rituali profectu prævenions, et subsequens impinguata fuit. Quod etiam omnino apud se firmum et stabile habuit, sed a nobis in suis illud occultum interioribus gestans, et absconditum esse voluit. Modo habet in nobis dies suos in fide, dum recte credimus; in spe, dum firmiter speramus; in dolore, dum medullitus ob mala præsentia dolemus; in timore, dum mala intuentes, futura timemus: habet et in pœnitentia dum pœnitendo culpas perpetratas punimus. In justitia dum operamur bonum ad omnes; in interna contemplatione, dum per speculum in ænigmate, quantum in hac nobis carne mortali possibile est, gloriam Domini speculamur. Hos, inquam, in nobis habet dies, dum nobiscum in Galilæa Nazareth commoratur, ut vero cum ascendentes una cum illa, a Galilæa ad Judæam, a Nazareth pervenerimus [*al.* perveniemus] in Bethlehem: ibi se nobis exhibet parientem, quæ se modo exhibet prægnantem, quia bonum id nobis atque beatum ostendet aperte, quod de nobis modo cogitat occulte.

XII. *Impletis* his diebus ut pariat, consummatis videlicet *his*, de quibus locuti sumus virtutibus, ut quod hic de nobis sentit, ibi aperiat. Nonne tunc impleta, id est finita et consummata erit dies fidei, cum tunc, ut ait Apostolus: *Non ambulabimus per fidem, sed curremus per speciem?* (*II Cor.* v, 7.) Sic et dies spei tunc finietur, quando videbimus quod modo speramus, et plene habebimus, quod per patientiam exspectamus. Finietur quoque et dies doloris et timoris, et fulgebit in æternum dies gaudii et securitatis. Nihilominus dies pœnitentiæ finientur, quia nullum ulterius culpæ morsum in conscientia sentiemus, ut pœnitere indigeamus. *Misericordiam*, ut ait Psalmista, *et veritatem ejus quis requiret?* (*Psal.* LX, 8) non requirent tunc veritatem promittentis sperantes, quidquid promisit jam plene tenentes. Sic nec requirent misericordiam remittentis pœnitentes: nihil ad reatum pertinens de præterito non indultum habentes, nihil pro quo misericordiam necesse habeat requirere ex tunc committentes. Dies finietur justitiæ, et finietur dies gloriæ, in quo metemus non deficientes, quod modo seminamus: nam in die justitiæ seminamus in spiritu, et in die gloriæ metemus vitam æternam. Contemplationis nihilominus dies finietur, in qua nunc videmus per speculum in ænigmate, et succedet illi dies ista claritatis indeficientis, in qua videbimus eum facie ad faciem (*I Cor.* XIII, 12).

XIII. His diebus impletis, his videlicet virtutibus renuntiantes, pariet Maria filium: ostendet gratia, quam hic erga 91 nos occultam habuit sententiam pacis, et immobile nostræ electionis propositum. Quod quidem propositum, quoniam pacificum hic erga nos habuit, tunc plene monstrabit, quando gaudio nos æterno remunerabit. Unde et hic dicitur: *Et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio* (*Luc.* II, 7). Quod tunc quodammodo fiet, ut videlicet quod in utero portavit Maria pannis involvat, et præsepio reclinet; quando, prout de nobis in præsenti mater gratia cogitat delectabilibus æternæ felicitatis suavitatibus, et suavibus nos circumdabit delectationibus, in supernæ nos illo patriæ reponens secreto Ad hoc pertinere videtur verax illa beati Joannis assertio, et læta promissio, quæ talis est: *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus; scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III, 2); hoc est dicere: nunc de Galilæa ad Judæam, de Nazareth conscendimus ad Bethlehem, quicunque de domo sumus ac familia David. Nondum apparet quod erimus, quod prægnans portat mater, cum qua ascendimus; quid illud sit. Scimus quoniam quando implebuntur dies ejus ut pariat, pariet filium, et pannis eum involvet, et reclinabit eum in præsepio. Et cur non hic mater gratia ostendit, quod de nobis sentit? ideo certe quia hic in exsilio sumus, non in regno: in via, non in patria: non in requie, sed in labore.

XIV. Et hinc est quod reclinatur in præsepio, quia non erat illi locus in diversorio. Tota vita nostra quasi quoddam diversorium nobis est. Quando huc nascendo venimus, huc quidem divertimus; et ad hoc divertimus huc, ut hic ad tempus simus, non in æternum maneamus. Est itaque hæc vita præsens tabernaculum militantis, non cubiculum quiescentis: stabulum viatoris, non domus inhabitatoris: ergastulum exsulis, non mansio civis: diversorium denique itinerantis, non aula manentis. Non est ergo locus Mariæ in diversorio, sed reclinat filium suum in præsepio. Quia congruum non est ut vobis præstetur in exsilio, quod donabitur in regno, ut enim ait evangelista: *Non potest fullo facere vestimenta Jesu tam alba* (*Marc.* IX, 2), sicut apparent, quando in monte transfiguratur. Et quis est iste fullo, nisi iste, de quo Psalmista se dicit aspergendum hyssopo, ut mundetur; et lavandum ut supernivem dealbetur? (*Psal.* L, 9.) Vere tu, Domine Jesu, fullo noster es, qui nos mundos esse asseris, propter sermonem quem locutus es nobis (*Joan.* XV, 3). Tu enim nos in præsenti statu nostro, infusa aqua compunctionis in pelvi mentis nostræ, timore et amore conculcas nos: et sic fullonis agens officium, ac proinde fullonis portas vocabulum, ablutionis aqua vestimenta tua emundans. Nonne nos tua vestimenta sumus, quibus per fidem, quæ per dilectionem operatur, indueris?

XV. Hæc itaque vestimenta tua quotidie dealbare dignaris effundens super ea aquam mundam internæ compunctionis, ut mundentur ab omnibus inquinamentis suis. Sed quis in hac vita tantum mundari valet, ut nihil mundandum in se habeat? nam, ut ait Salomon, quis potest dicere: *Mundum est mihi cor, purus sum a peccato?* (*Prov.* IX, 20.) Itaque sunt mundi viri sancti, vestimenta Domini, et adhuc mundandi; quod quidem ita esse et ipse Dominus innuit, qui discipulos suos mundos esse asseruit, et eorum

Digitized by Google

tamen pedes lavit (*Joan.* XIII, 5). Erit autem quando nihil in se habebunt quod mundetur, nulla penitus indigentes mundatione, nulla inquinati erunt pollutione. Et quando hoc erit, nisi quando *fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth.* XIII, 43), quando in justitia apparebunt in conspectu Christi mediatoris sui, quando clarebit sanctorum animarum status, de quo in Apocalypsi Joannes: *Sine macula*, inquit, *sunt ante thronum Dei* (*Apoc.* XIV, 5). Hic est mons in quo transfiguraberis, Domine Jesu! in quo apparebit facies tua altera, illa videlicet supernæ felicitatis sublimitas, in qua juxta promissionem suam dilectoribus suis ostendet se ipsum.

XVI. Quid ergo? nunquid bifrontem facimus Christum? nunquid geminam dicendus est faciem habere, ut de eo dicatur in transfiguratione faciem alteram habere? (*Luc.* IX, 29) sic utique. Nonne facies ejus erat, in qua intuitus est eum, qui dixit: *Vidimus eum, et non erat aspectus? unde nec reputavimus* eum: et adjunxit, *nos putavimus eum tanquam leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum* (*Isa.* LII, 3); sed in facie longe alia eum conspexit, qui eum vocavit speciosum *forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 3). Hanc autem utramque ejus faciem conspexerant; qui et ipsum in stola sua formosum, et rubrum ejus intuiti sunt vestimentum (*Isa.* LXIII, 1). Legitur quidem in Evangelio quod *Conspuerunt Judæi in faciem ejus* (*Matth.* XXVI, 67); sed longe altera erat, ad quam totis medullis suspirabat, qui ait: *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* XLI, 3.) Hæc est illa quam sibi demonstrari cupiebat sanctus Moyses, qui ob magnam gratiam, **92** quam ergo Deum invenerat dicere audebat: *Ostende mihi faciem tuam ut videam te* (*Exod.* XXXIII, 13). Hæc est illa altera facies ejus; quæ ipso transfigurato in monte apparuit: decor videlicet divinitatis ejus, in quo videbant eum electi sui in sublimitate supernæ felicitatis. In qua felicitate, plena per omnia charitate cum eo fulgebunt electi sui, ut sint in monte hoc vestimenta ejus alba (*Marc.* IX, 2). Et tam alba sint, qualia non potest fullo facere super terram; quia longe major est munditia, quam electis suis Dominus in sublimi illa conferet felicitate; quam est illa, quam eis in præsenti confert sanctitate. Itaque alba non sunt in terra, ut reclinet Maria filium suum in præsepio, quia locus ei non est in diversorio. Ad quod nos perducere dignetur præsepium, qui pro nobis humiliter dignatus est reclinari in præsepio Jesus Christus Dominus noster qui cum Patre et sancto Spiritu Deus est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXV.

ITEM IN DIE NATALIS DOMINI.

De triplici summi imperatoris edicto.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Descriptus orbis est Ecclesia electorum: cujus prælati sunt cardines. — 2. Prima descriptio in vocatione populi Hebræorum. — 3. Status ejus triplex: primo sub patriarchis, secundo jugo servitutis, tertio lege Moysis. — 4. Singulorum inter se expensa proportio. — 5. Progressus Hebraicæ religionis sub lege Mosaica. — 6. Lex vetus imago futurorum. — 7. Sapientiores veterum Christum clarius noscebant venturum. — 8. Secundæ descriptionis edictum in vocatione gentium. — 9. Christus sua humilitate superbiam, et prædicatione ignorantiam destruxit gentilium. — 10. Prærogativa Ecclesiæ ex gentibus collectæ, secundum Isaiæ vaticinium. — 11. Sacramenta religionis Christianæ velut pannis obvoluta. Judæis aberrantibus successerunt gentes fideles. — 12. Edictum tertium est inspirationis internæ Quartum erit in novissimo die. — 13. Gratiæ præsentis et gloriæ futuræ analogia — 14. Carnis nostræ duplex diversorium, viventis mundus, mortuæ sepulcrum. Christus in diversorio natus, in præsepio reclinatur. —15. Apostrophe ad Christum, factorem omnium, factum in tempore: et matrem ejus virginem.

I. *Exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis* (*Luc.* II, 1). Benedictus agnus ille mitis et innocens, qui hodierna die in domo panis nascens, in præsepio reclinari voluit, ut se ipsum nobis jumentis suis in vitale proponeret alimentum. Qui et in cruce moriens dedit ut velum templi scinderetur medium (*Luc.* XXIII, 45), quatenus revelatis oculis nostris considerare possimus mirabilia de lege sua. En juxta quod promittit in Isaia: *Aperit nobis thesauros absconditos, et arcana secretorum* (*Isa.* XLV, 3), admittens nos ad interiora secretorum suorum, et profundos nobis et mysticos in Scriptura sua sensus aperiens. Nec uno quidem modo, sed multifariam multisque modis loquitur nobis in Scriptura sua, ut cum unus sit sacræ Scripturæ panis, varietas nos demulceat saporis. Aperiamus ergo fauces nostras spirituales, et conemur interno sentire palato, quis iste sit sapor, quo hunc hodie panem sanctus Spiritus nobis condire dignatus est; qui tertio quidem jam in conspectu nostro est positus, sed cum sit per usum comestionis vetus, est tamen adhuc per varietatem saporis novus. Ego enim puto, quod non uno sed pluribus modis exiit edictum a summo imperatore nostro, omnipotente Deo, ut describeretur universus orbis. Quis est iste orbis nisi Ecclesia sive cœtus electorum, seu quocunque alio congruentiori vocabulo eorum potest exprimi conventus; qui secundum propositum vocati sunt sancti, quibus omnia cooperantur in bonum? *Quos* quidem *præscivit et prædestinavit Deus Pater, conformes fieri imagini Filii sui ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (*Rom.* VIII, 29). Hic itaque est orbis, quem Dominus per Psalmistam asserit esse suum: *Meus est*, inquit, *orbis terræ, et plenitudo ejus* (*Psal.* XLIX, 12), quia suus est proprie et specialiter cœtus electorum, in superna felicitate locandus. Hic orbis est, quem, ut ait sancta mulier illa, posuit Deus super cardines suos: *Domini*, inquiens *sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem* (*I Reg.* II, 8); quia domini sunt prælati Ecclesiæ, et ecclesiam electorum suorum eis imposuit regendam, ut autem hic orbis describeretur, invenies non quidem semel exiisse edictum a rege nostro Domino; si diligenter considerare volueris, quoties suorum ad se electorum aliquos Dominus ab exordio mundi vocavit per varios

Digitized by Google

status temporum et diversas 93 successiones generationum ; et eos vocare ad se nullo tempore cessabit quousque veniet, et tradet regnum Deo et Patri: *Et Deus erit omnia in omnibus et inimica destruetur mors* (*I Cor.* xv, 28).

II. Primum ab eo edictum exiit, ut describeretur orbis, quando institutum fuit, ut ad ejus agnitionem antiquus ille Hebræorum populus vocaretur. Hæc descriptio prima facta est tempore patris nostri Abrahæ. Illius namque antiqui populi status ab illo fideli et beato sene, qui prima credendi via est, exordium sumpsit. Quamvis enim lex scripta per Moysen data sit, in sacramento tamen circumcisionis, in quo multa ejusdem legis sacrificia continebantur, ante quodammodo data fuit : quandoquidem circumcisionem primus, ut scitis, Abraham suscepit. Unde de ea Judæos Dominus alloquens, et apud quos exordium sumpsit, ostendens : *Propterea*, inquit, *Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse, sed ex patribus* (*Joan.* vii, 22). Circumcisionem quidem vobis dedit Moyses, non tamen ex Moyse, sed ex patribus fuit. Quia nequaquam eam Moyses noviter, quasi quæ primum non fuit, instituit, sed primo illi summo patriarchæ datam, et per ipsum ad posteros transmissam, ne dimitteretur, sed devote exerceretur, per legem postmodum confirmavit. Apparet quoque nobis tripartitus illius antiqui populi status diversis temporibus distinctus.

III. Et primus quidem fuit, in quo vocatus est ille magnus pater Abraham, ad agnitionem et cultum unius veri Dei, et post eum Isaac et Jacob, et filii ejusdem Jacob; qui duodecim patriarchæ vocati sunt, segregati ab aliis gentibus, et a Domino assumpti in proprios. Secundus vero est, in quo a dira et dura, atque diutina servitute Ægyptiorum per Moysen et Aaron liberatus fuit, et ab Ægypto in manu forti et brachio extento eductus. Detentus namque erat aliquandiu ille populus Domini in domo illa servitutis per mortem Joseph, et ustus in fornace ferrea: *Odientibus*, ut in Exodo legitur (cap. i, 13), *Ægyptiis filios Israel, atque ad amaritudinem perducentibus animas eorum operibus duris luti et lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus opprimebantur*. Exclamantibus autem illis ad Dominum a facie tribulantis (*Isa.* xix, 20), recordatus ipse misericordiæ suæ compassus est illorum miseriæ. Recordatus nihilominus fœderis quod pepigit cum patribus eorum Abraham, Isaac et Jacob misit et liberavit eos. *Misit* namque *Moysen servum suum, Aaron quem elegit ipsum : ponens in eis verba signorum suorum, et prodigiorum* (*Exod.* ii, 24 ; *Psal.* civ, 26), qui regem Ægypti induratum una cum gente sua gravissimis ferientes plagis, populum ab ejus dominio eripuerunt, et ereptum de Ægypto eduxerunt. Tertius quoque ejusdem populi status fuit, in quo eum Dominus in lege sua per Moysen et Aaron erudivit, varia ei, ad formam vitæ pertinentia, statuta promulgans, et divisa ei in pluribus sacrificiorum ac institutionum generibus sacramenta imponens.

IV. Ecce triplex ille antiqui populi status variis temporum articulis distinctus: primus, in quo in ipsis primis et summis patribus, ad unius est veri Dei agnitionem vocatus; secundus in quo ad Ægyptiorum est servitute liberatus. Tertius vero, in quo est per Moysen et Aaron in lege eruditus. In primo statu exiit edictum a summo imperatore Deo, ut describeretur universus orbis: ille videlicet Hebræorum populus in excelso patre Abraham, et cæteris eum subsequentibus patriarchis ad unius veri Dei agnitionem et cultum vocaretur. In secundo postmodum statu, liberatus a captivitate de bono ad melius profecit, majore jam et numero auctus et fortitudine roboratus. Nam exceptis mulieribus et parvulis, sexcenta tria millia quingenti exierunt de Ægypto viri fortes, et expediti ad pugnandum, (*Exod.* xii, 37), quasi quidam, juxta sensum spiritualem, Joseph qui ascendit a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam civitatem David quæ vocatur Bethlehem. In primo statu descripti ibant omnes ut profiterentur singuli in civitate sua, unum verum Deum colentes, et sacramentum circumcisionis, in sua singuli domo ac familia, exercentes. In secundo vero ascendit idem populus jam auctus, quia hoc exprimit idem nomen quod est Joseph : et ascendit a revelatione, quam de Deo suo acceperat, et a teneritudine illorum paucorum sacramentorum, quæ subierat in Ægypto, ad plenam ejusdem Dei confessionem, et solidiorem in multis, et variis sacramentorum generibus refectionem quasi Joseph, qui ascendit a Galilæa in Judæam, et a Nazareth in Bethlehem. Venit Moyses missus a Deo ad populum in Ægypto, revelans et manifestans eis, quod „Dominus respexisset eos: et erat quasi quædam Galilæa revelatio hæc.

V. Postmodum vero in deserto, ex 94 quo tanta, taliaque ejus signa in Ægypto, in mari Rubro, et in ipso introitu, in deserto intuitus est, eumdem Deum suum et per amplius atque perfectius agnovit, et devotus atque fidelis confessus est. Sic quoque in Ægypto super sacramento agni paschalis populum sanctus Moyses erudivit, per cujus immolationem ab Ægyptiorum eos servitute liberavit. Et quidem magnum et admodum mirabile sacramentum hoc; sed quantum ad numerositatem, et varietatem multorum ac diversorum sacramentorum, quæ postmodum per legem addita sunt; sic quodammodo hoc ad illa fuit, sicut flos ad panem est. Status itaque ille in quo a captivitate est liberatus, quasi quædam est, juxta hunc sensum, Galilæa et Nazareth : ille vero per quem, per legem, in deserto est eruditus, quasi quædam Judæa et Bethlehem. Ascendit ergo Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam civitatem David quæ vocatur Bethlehem, quia profecit auctus populus ille a revelatione, quam de Deo suo perceperat, et a paucis illis sacramentis, quæ susceperat in Ægypto, ad plenam Dei sui con-

Digitized by Google

fessionem, et spiritualem refectionem, qua et impinguatus postmodum est in temporalibus, et diversis sacramentorum generibus in deserto. Et ideo ad hunc pertingere meruit ascensum, quia de domo erat ac familia David (*Luc.* II, 4). Hunc itaque populum in tempore illo, præ cunctis quæ tunc sub cœlo erant gentibus, elegit summus ille David, quæ et præ cæteris, quæ in mundo erant nationibus, ad sortem tunc videbatur pertinere electorum, quasi quidam spiritualis Joseph, qui erat de domo ac familia David. Et ad hoc ascendit Joseph ut profiteretur, quia ad desertum populus ille venit, ut Dei sui obsequiis insisteret. Nonne hoc innuere videtur Moyses, qui dicit : *Viam trium dierum ibimus in desertum ut immolemus Domino Deo nostro?* (*Exod.* v, 3). Dicit item ipse Pharaoni : *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto* (*ibid.*, 1).

VI. Sed quid esse putamus quod dicitur : *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante?* (*Luc.* II, 5) nisi quod populus ille ut breviter dicamus Deo serviebat in deserto legi copulatus et conjunctus occulta in se mysteria continenti. Hæc est Maria Joseph desponsata uxor, lex videlicet illi antiquo populo, quasi in quodam spirituali matrimonio data, quæ etiam bene prægnans dicitur, ob profunda scilicet mysteria, quæ in se lex continebat occulta. Hæc autem quæ usque ad adventum Filii Dei in carne duravit, eumdem Dei Filium tam in suis cæremoniis, quam in prophetarum dictis prænuntiavit et in fine etiam præsentem exhibuit. Unde hujus, de quo loquimur, legislator, et dux populi Moyses : *Prophetam*, inquit, *suscitabit Dominus de fratribus vestris ; tanquam me ipsum audietis* (*Deut.* XVIII, 15). Itaque dum in hoc statu sub tempore legis scriptæ et prophetarum populus ille fuit : ipse finis legis ad justitiam omni credenti Christus apparuit, quia *Dum essent ibi, impleti sunt dies ejus* (*Rom.* X, 4), haud dubium quin Mariæ, *ut pareret : et peperit filium primogenitum* (*Luc.* II, 7). Quodammodo Maria peperit filium, dum lex nuntiavit Christum ; sed hæc Christum lex sub velamentis holocaustorum et sacrificiorum, victimarum et cæremoniarum : prophetia quoque sub figuris et ænigmatibus absconditum habuit, quia et Maria filium suum pannis involvit, dum lex et prophetia Christum, quem prænuntiavit sub occultis mysteriis abscondit.

VII. Quæ lex et prophetia omnibus quidem imposita fuit ; sed non ab omnibus intellecta, soli perfectiores et sapientiores, quod Christus ad salvandum genus humanum venturus erat, agnoscebant. Ad hos arbitror pertinere præsepium, in quo Maria filium, quem peperit, pannis involutum reclinavit ; ad illos vero qui legem quidem et prophetiam suscipiebant, sed venturum minime intelligebant spectare æstimo diversorium, in quo ei locus non fuit ; divertit siquidem lex et prophetia ad omnes, sed non ab omnibus intelligebatur ; apud perfectiores et sapientiores annuntiatus, per eam, Christus per intelligentiam requievit. Ut non immerito Maria, quæ peperit filium, reclinaret in præsepio, cui locus non erat in diversorio.

VIII. Hæc de primo edicto, in quo antiquus ille Dei populus ad spiritualem venit profectum dicta sunt. Ut autem de quodam loquamur edicto, quod ad novum Ecclesiæ populum pertinet, qui de gentilitate ad fidem vocatus est, tunc quodammodo, ut nobis videtur, exiit edictum a summo illo rege Christo, ut describeretur universus orbis, quando salubre illud discipulis suis opus injunxit, dicens : *Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI, 15). Hoc quodammodo per spiritum intellexit sanctus **95** propheta Isaias edictum, quando in persona summi imperatoris nostri clamavit, dicens : *Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum, et ingrediantur portas duces* (*Isa.* XIII, 2). Mons caliginosus profunda gentilitas fuit, mons propter superbiam, caliginosus propter ignorantiam. Quia enim per elationem inflata tumide se erexit, mons fuit, quia vero non solum per superbiam intumuit, sed et tenebris ignorantiæ cæcata a veritatis lumine aberravit, non simpliciter mons sed etiam caliginosus exstitit. Surgebat jam [*al.* tunc] jussio ut super hunc montem caliginosum levaretur signum ; nam *exiit edictum ut describeretur universus orbis* (*Luc.* II, 1). Signum siquidem hoc : signum est humilitatis conversationis Christi, et veritatis prædicationis in quo positus est : tam humilia ostendens vivendo, ut præberet exemplum, quam vera prædicans instruendo, ut infunderet documentum. Cui tamen a multis contradicitur : nam signo veritatis ab hæreticis, et humilitatis quidem a scribis.

IX. Hoc autem signum quomodo [*al.* quodammodo] super montem caliginosum levatum fuit? hoc est, quando superbæ gentilitati insigne patuit humilis conversationis Christi, ut elata humiliaretur, quasi veritatis prædicationis ejus insigne patuit aberranti, ut cæcata humiliaretur. *Exaltate*, inquit, *vocem : prædicate evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI, 15) ; ut prædicationis nimirum clamore mediante, et veritatis lumine irradiante, caliginis depellatur obscuritas, quæ montem solebat operire. *Levate manum*, ut mirabilia quidem in miraculis ostendentes, sed humilia in prædicatione prætendentes, per exemplum humilitatis tumorem, et altitudinem montis in plana et ima commutetis. *Extunc ingredi poterunt portas duces*, id est in cordibus humiliatorum et illuminatorum subjectorum per obedientiam intrare poterunt doctores. Sed quibus hoc injunxit negotium, ut hoc modo signum super montem caliginosum elevaretur, ut vox exaltaretur, ut manus levaretur? *Ego*, inquit, *mandavi sanctificatis meis : vocavi fortes meos in ira mea, exsultantes in gloria mea* (*Isa.* XII, 3). Apostoli itaque, martyres et sancti doctores sunt, quibus hoc officium imposuit. Nam sanctificati sui illi spiritualiter sunt, de

Digitized by Google

quibus et pro quibus Patrem in passione alloquens, ait : *Et pro eis sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate* (*Joan.* XVII, 19). Fortes in ira sua, sunt martyres in furore persecutionis robusti. Exsultantes in gloria mea : sunt sancti doctores, pacis tandem tempore arridente, in Domino lætantes.

X. Tunc autem, ut in sequentibus habetur, sonuit vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium, pro eo quod instanter verbo Dei præconibus insistentibus veritatis, in populis innumeris sonus intonuit confessionis fidelis. Et subsecutus idem propheta adjunxit : *Vox sonitus regum, et gentium congregatarum* (*Isa.* XIII, 4); quod non est aliud, nisi quod apostoli profecti prædicabant ubique, et veritatem suscipiebant, et confitebantur gentes in unitatem fidei collectæ. Primum itaque vox sonuit regum ; deinde gentium congregatarum. Quia primum exeunte edicto a Christo, ut describeretur universus orbis : ierunt apostoli in mundum universum prædicare Evangelium universæ creaturæ. *Et tunc ibant omnes, ut profiterentur, singuli in civitate sua*, quando, ut in Actibus apostolorum legitis : *Crediderunt gentes quoquot erant præordinatæ ad vitam æternam* (*Act.* XIII, 48) ; *confluentibus*, ut ait Isaias, *ad montem illum domum Domini omnibus gentibus* (*Isa.* II, 2). Hoc est, quod ait sanctus David, velle se cognoscere in terra viam Domini (*Psal.* LXVI, 3); in Ecclesia scilicet de gentibus fidem ejus, et in omnibus gentibus Jesum suum. Tunc eximius ille apostolorum chorus a populo Judæorum, cui per legem et prophetas de Christo revelatum erat : ad confessionem Ecclesiæ de gentibus accessit, et a Synagoga quæ exteriorem in littera legis florem tenuit, ad populum gentilem venit. Qui in eo quod fidem suscipiens sacræ Scripturæ panem, spiritualis intelligentiæ dentibus, per expositionem, comminuendo, comedit : illius in quem desiderant angeli prospicere (*I Petr.* I, 12) et qui fortis et potens est in prælio (*Psal.* XXIII, 8), in se mansionem construxit. Quia *visu desiderabilis* vel *manu fortis* sonat David. Nonne hic sanctus Joseph, gloriosus scilicet apostolorum cœtus de domo est ac familia David, quos ipse non jam servos, sed amicos, quos fratres suos alibi nuncupat? (*Joan.* XV, 13; XX, 17) quos etiam Patris sui appellat filios? (*Matth.* V, 45). *Et ascendit ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore*, ut gentilitati confessionem fidei prædicaret, habens sibi conjunctam sapientiam quam Salomon vocat amicam suam (*Prov.* VII, 4). In qua profundorum quidem mysteriorum latitat sensus sicut in prægnante latitat fetus.

XI. *Et factum est, dum essent ibi, impleti sunt dies ejus ut virgo pareret : et peperit filium* 96 *suum primogenitum*. Tunc spiritualiter quodammodo in Bethlehem Maria Christum peperit, quando ipsum catholica sanæ prædicationis sapientia per plenam rectæ fidei notitiam gentilium cordibus infudit. Qui pannis involutus reclinatur in præsepio, quia in fidei latens sacramentis, in mansuetorum et humilium latet intellectu. Quid enim aliud est sacramentum baptismi in aqua; sacramentum corporis et sanguinis Christi in pane et vino : sacramentum impositionis manuum in unctione chrismatis : quid cætera sanctæ fidei sacramenta, in quibus agnitus esse creditur, nisi quidam panni, in quibus natus involvitur? et præsepium, ubi domita animalia mittuntur. Nonne sacri verbi est intellectus, ubi mansueti et humiles spiritualiter reficiuntur? quiescit ergo in sano sacri verbi intellectu apud gentiles, qui in nulla carnali litteræ intelligentia quietem habet apud Judæos, quia ideo reclinatur in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio. Nam qui in mundum venit, apud Judæos primitus divertit ; sed ibi locum non invenit, quia ut ipse ait : *Venit in nomine Patris sui, et non receperunt eum* (*Joan.* V, 34). Et alibi de eo per Joannem dictum est : *In propria venit et sui eum non receperunt* (*Joan.* I, 11). Sed filiis alienis mentientibus ei, et claudicantibus a semitis suis (*Psal.* XVII, 46), populus quem non cognovit servivit ei, in auditu auris obedivit [*al.* servivit] ei. Quia Judæis eum per prophetas venturum prædicantibus, sed præsentem negantibus, et a via veritatis aberrantibus : populus gentium prius non electus, eumdem Christum Dominum, et per fidem suscepit, et ejus obedienter præceptis acquievit. Qui nimirum Judæi, quod negligenter prætereundem non est, et filii vocantur, pro eo quod secundum electionem charissimi sunt propter Patres; sed alieni, qui secundum Evangelium inimici, propter gentes. Et hoc modo dum locum habere non potuit in diversorio, reclinavit eum Maria in præsepio : infundente ipsum sapientia intellectui gentium dum per fidem introitum habere non potuit ad corda Judæorum.

XII. Est adhuc quoddam tertium edictum, de quo una cum his quæ ad illud pertinent, in duobus his sermonibus, qui hunc proxime præcedunt, prout Spiritus veritatis infudit, coram charitate vestra locuti sumus : ipsum est interna inspiratio, qua fortis ille pugnator noster, ad cujus beatam suspiramus visionem, suum quotidie non cessat visitare electum : ascendere faciens suum Joseph a Galilæa ad Judæam, a Nazareth in Bethlehem, eo quod sit ipse de domo, ac familia David, ut profiteatur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante, eo modo, quo vobis ostendere curavimus in his duobus sermonibus, qui hunc proxime præcedunt. De uno adhuc loqui volumus, et quidem quoad brevius possumus, quia debitum edictum necdum ab imperatore nostro exiit, exibit autem tunc, quando illa instabit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent (*Joan.* V, 28). Tunc exibit edictum istud, quando *canet tuba, et mortui resurgent incorrupti* (*I Cor.* XV, 52). Tunc exibit qui media nocte clamor fiet : *Ecce sponsus venit, exite obviam ei* (*Matth.* XXV, 6). Hoc exeunte edicto ibunt non quidem aliqui ; sed omnes, quia virgines omnes tam prudentes quam fatuæ, sponso veniente, surrexe-

Digitized by Google

runt, quæ ipso moram faciente dormierunt, et dormitaverunt. Et quidem ibunt omnes, ut profiteantur omnes singuli in civitate sua, quia *tunc surrexerunt*, ait Evangelista, *omnes virgines illæ et ornaverunt lampades suas* (*Matth.* XXV, 7). Celebrabitur a singulis professio sua die illa, quia nihil tunc celabit conscientiam, ex omnibus, quæ in se anteacta habuit vita. Tunc ascendet electus quilibet a requie animæ, ad felicitatem, quam simul in anima habebit et corpore, quasi quidam spiritualis Joseph, qui a Galilæa ascendet ad Judæam, a Nazareth ad civitatem David, quæ vocatur Bethlehem. Et istud ei proveniet, quia de domo ac familia David est.

XIII. Quousque vero exeat illud edictum, in sola electus quisque animæ suæ requie exsultat, quod evidenter beatus Joannes in Apocalypsi innuit, qui datas sanctis stolas singulas albas dicit. At vero cum ad illam civitatem cœlestem Bethlehem perveniunt, cum ad terram suam, quæ Judæa est ascenderint; in eadem terra sua, juxta promissionem prophetæ duplicia possidebunt, quia plenam simul in corpore et anima beatitudinem sine fine habebunt. Tunc æternaliter gaudebit sanctus Joseph in voce exsultationis et confessionis (*Psal.* XLI, 5) : in illa domo panis, edens et bibens super mensam Patris sui (*Luc.* XII, 30), Ad cujus domus felicitatem sic requies illa est, quam habebunt in anima sancti, sicut flos ad panem. Profitebitur tunc idem Joseph cum Maria sibi desponsata uxore prægnante, ut cor suum et caro sua exsultent in Deum vivum. **97** Quis neget carnem spiritui subjectam, uxorem quamdam esse animæ desponsatam? quæ profecto culpanda est sicut meretrix immunda, cum contra spiritum repugnans, explendis fœdæ concupiscentiæ operibus insistit : sic nimirum ut uxor est pudica laudanda, cum spiritui acquiescens, bonis strenue actibus intendit. Et considerate quam rectum in consummatione hominis observat et congruum ordinem Deus. Primum namque bonus homo bonum in anima concipit propositum, deinde ipsa disponente ad bonum illud, per corporis ministerium, perducit officium. Sic et ipsa anima in ipsa sola requie sua primum lætatur : deinde felicitate æterna simul corpus et anima perfruitur. In sancta hac Bethlehem parit hæc virgo filium, jucundum in se æternæ incorruptionis possidens fructum, qui etiam quot beatitudinis donis cumulatur, quasi tot pannis involvitur. In præsepi reclinatur, dum in illo superno secreto reponitur, quia non erat ei locus in diversorio.

XIV. Geminum, ut videtur mihi, caro nostra habet diversorium, hunc mundum, et suum, in quo, post animæ egressum fodietur sepulcrum. Divertit namque in mundum per nativitatem, divertit in sepulcrum per mortem. Sed in neutro locus ei est, in quo honeste reclinetur, quia locus ei iste mundus laboris est, non securitatis aut quietis. Sepulcrum vero dedecoris et fetoris, non honoris vel incorruptionis. En quatuor modis verba vobis hæc evangelica exposuimus, vestro relinquentes arbitrio, quis eorum vobis congruentior videatur, sed sive aliquid eorum susceperitis, sive omnes simul reprobaveritis, hoc pro certo habemus, quod magnæ omnino humilitatis, quod natus de Virgine Deus, Dei Filius pannis involvitur : magnæ nihilominus mansuetudinis, quod in præsepi reclinatur. Quid nonne bovis et asini præsepe locus est? puer iste Deus est, puer iste Dei Patris sapientia est. Nonne miraris Dei sapientiam poni ante asinum, divinitatem ante bovem? et tamen ita expediebat, nam nisi ita esset, nec bos cognosceret possessorem suum, nec asinus præsepe Domini sui.

XV. O puer omnium Creator, quam humiliter reclinaris in præsepio (*Isa.* I, 3), qui potenter dominaris in cœlo! ibi cœli cœlorum capere te non possunt, hic autem in angustissimo præsepi contentus es, ibi in mundi principio terram herbis virentibus, et facientibus fructum ornasti, lignisque pomiferis et semen facientibus; firmamentum sole videlicet, luna et stellis decorasti, cœlum volatilibus, aquas piscibus, terram reptilibus, jumentis et bestiis replesti : hic autem in fine mundi pannis involutus es! O majestas! o vilitas! o sublimitas! o humilitas! o immensus, æternus et Antiquus dierum! o parvus, temporalis et infans, cujus necdum est unus diei vita super terram! Gaude et lætare, o Virgo beata! illum amplectens in ulnis, illum tenens in brachiis, quem innumerabilis cœlestium spirituum chorus plene capere non potest, latentem in sinu Patris. Hinc eum adoras ut Creatorem, hinc portas ut infantem, hinc veneraris ut Dominum, hinc amplecteris ut filium; hinc ei in mente prosterneris ut Excelso, hinc vultu ei blandiris ut parvulo. Gaude et exsulta hodie quam maxime in partu tuo, O virgo dulcis! o suavis, o mitis! quia quem concepisti sine corruptione, portasti sine onere, peperisti sine læsione. Assiste nobis et excusa nos, pia mater et clemens, in tremendo judicio ejus, ut quem modo Redemptorem læti suscipimus, venientem quoque Judicem securi videamus. Qui cum Patre et Spiritu sancto regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXVI.

ITEM IN DIE NATALIS DOMINI.

De triplici gratia Dei et de beneficiis ejus tripliciis gratiæ.

SYNOPSIS SERMONIS.— 1. Dei incarnatio dicta antonomastice opus Dei. Creationis nostræ dona. — 2. Homo initio possessor sui, Dei, et creaturarum, per lapsum spoliatus gratuitis, imminutus in naturalibus. — 3. Miseria status lapsi, cujus misertus Deus naturam assumpsit, quam salvare voluit. — 4. Mirabilis verbi divini et humanæ naturæ unio, in unitate personæ et communicatione idiomatum. — 5. Vita Christi mors est peccati : mors Christi vita hominis est. — 6. Quadruplici miseriæ reposuit quadruplex suæ beneficium gratiæ : quæ salvantis nos præstantior, quam creantis. — 7 Salvator noster paradisus est voluptatis, de cujus plenitudine omnes accepimus. — 8. Fluvius divisus in quatuor capita nota totidem gratiæ insignia. —

Digitized by Google

98 9. Totius copia gratiæ, semen est ad fructum beatitudinis, et gloriæ. Cujus triplex munus. — 10. Status beatitudinis reddet nos potentes, sapientes, benignos æternos in Deo. — Gratiæ Dei per effecta recapitulatio.

I. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, juste, et pie vivamus in hoc sæculo exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei* (*Tit.* II, 11). Cum multæ, charissimi, et magnæ sint causæ, quæ hominem Deo constituunt debitorem: hæc quoque præcelsum inter cæteras obtinet locum, quod pro nobis Deus factus est homo. Opus Dei est hoc : et opus omnino grande, et ita grande, ut nullum huic inter omnia opera ejus comparari possit. Longe namque majus quid est, se ipsum facere, quam omnia quæ præter ipsum sunt, creare. Magnum quid, quod ait Joannes de eo : *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3); sed multo majus quod in subsequentibus adjunxit : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*ibid.*). Quis enim mortali non solum carne circumdatus homo, sed quis etiam in sua puritate persistens angelus, tam profundi est sensus quin obstupescat; factum intuens factorem universorum, Deum hominem, verbum carnem? et quidem quodcunque boni Deus confert homini, ex gratuita ejus gratia procedit; sed quid ad hanc accedit, ne dicam hanc excedit? creavit hominem ut saltem esset, creavit ad imaginem et similitudinem suam, ut sublime quiddam esset, sed nisi utrumque ex gratia esset, neutrum penitus fuisset. Quod enim ut vel esset; maxime autem ut tantum ac tale quid esset, qui nihil fuit, ei dedit : cui nihil defuit, cui nihil quidquam adesse potuit novum, nec aliquid deesse antiquum. Quod majus, quidve tam antiquum [*al.* quid magis tam antiquum], quam æternum? Ille ergo omnipotens, qui augeri non potest, quia perfectus est : nec minui, quia immensus est; sola gratia hominem creavit : utpote cujus bonorum non indiguit, cujus sicut nec mala quidquam auferre possunt omnipotenti, sic nec bona aliquid conferre possunt omnia habenti. Et illuxit hic magna in homine condito conditoris gratia, tum quia nihil fuit, qui conditus fuit, tum quia tam sublimiter conditus fuit, ut ad conditoris sui imaginem et similitudinem. Sed gratia hæc, conditoris gratia fuit : non modica tamen gratia hæc, per quam non solum ut et esset, et tam sublime quid esset, homo accepit; sed et tertium magnum quid per eam ipse suus Conditor contulit, ut ab omni videlicet creatura visibili propter se facta, obsequium acciperet : et cunctis quæ in mundo erant creaturis imperans, illi soli, a quo hæc omnia ei collata fuerunt, libertate voluntaria, et voluntate libera serviret.

II. Hæc tria homini condito gratia contulit Conditoris, essentiam, dignitatem, pietatem ut videlicet esset, ut tam dignum quid esset : tanta ac talia largienti, ut Creatori servire posset. Primum cum creaturis sibi subditis habuit commune; secundum vero et tertium, post illud possedit spirituale. Quandiu gratia hæc in homine integra fuit, et ipse nimirum homo integer fuit : possidens in primo ejus bono se ipsum; in secundo Deum; in tertio subjectam sibi creaturam. Ut in medio constitutus, et descenderet, obsequium a creatura accipiens ad sublevandam temporalem necessitatem; et ascenderet obsequium Creatori impendens ad promerendam æternam felicitatem; totumque ad bonum reflueret proprium, et quod accepit, et quod impendit obsequium. Eousque vero hæc cum homine gratia fuit, quousque in eo peccatum non fuit. Statim vero ut ad peccatum interdictæ arboris fructum contingens hostis persuasionibus deceptus accessit : et hæc ab eo magna ex parte gratia, de qua loquimur, abscessit. Abstulit namque ab eo versipellis seductor, quod benignus ei contulerat Creator, quia divinæ in eo imaginis atque similitudinis claritas obscurata; et potestas quam in subjecta acceperat creatura, non modicum est ablata, sola utcunque permanente cum eo essentia. Sic ergo culpæ simul ac pœnæ addictus, quia, *cum in honore esset non intellexit* (*Psal.* XLVIII, 13) : divinam per superbiam, similitudinem appetens jam in profundum lapsus : *Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est eis* (*ibid.*); et se ipsum possidere cessans, generalem in creatura subjecta sibi pietatem ablatam sensit.

III. Extunc super miserum et miserabilem hominem ira Dei descendit, quia extunc in anima eum cæcitas ignorantiæ obscuravit, et in corpore calamitas mortalitatis oppressit. Miseria vero mortalitatis concupiscentiæ, in carne humana arborem plantavit, quæ illam tam per impetum ad malum, quam per contemptum ad bonum corrumpens, atque in immensum excrescens egit incessanter, ut per unum appeteret prohibita, **99** quod Deus noluit, volens; et per alterum despiceret et omitteret jussa, quod Deus voluit, nolens. Sed hic miser homo caliginosus, malitiosus, desidiosus : caliginosus per tenebras ignorantiæ, malitiosus per horrorem nequitiæ, desidiosus per teporem negligentiæ, quid aliud merebatur nisi supplicium gehennæ? erant itaque hæc quatuor mala in homine; ignorantia per errorem excæcans, desidia a virtute abstrahens, malitia ad peccatum alliciens, damnatio in æternum affligens. Compatiens ergo tantæ ejus miseriæ Deus, formam induit Salvatoris, ut eum ab hac quadripartita calamitate liberaret. Et ut quis istud salubre ac sublime congrue aggrederetur, eamdem in se naturam suscepit, quam salvare proposuit. Ut ergo salvaretur homo, ipse Deus factus est homo, quatenus in salvato homine, gratia appareret Salvatoris Dei, in quo creato gratia quondam apparuit Dei Creatoris.

IV. In homine itaque apparens pro homine totum a se hominem assumptum in se assumente sublimavit. Totum, inquam, in se hominem assumpsit, animam videlicet et carnem, naturam non personam, sed hominem in persona. Ideo naturam, quia animam rationalem et carnem; ideo non personam,

Digitized by Google

quia caro illa et anima antequam assumerentur non erant unitæ ad personam. Ideo in persona, ut susceptum et suscipiens una eademque esset in Trinitate persona. Nec pro eo quod hominis naturam in suam filius suscepit personam, mutabilitas in Deo aliqua facta fuit, sed eadem quæ ab æterno fuit Trinitas mansit, nec in assumente immutata, nec in assumpto adaucta. Ex quo homo assumptus Deus assumens esse cœpit per ineffabilem illam unionem, quæ, ad unum fuit : et una fuit, nec alia persona esse incœpit, quam illa quæ eum suscepit, nec ideo Deus esse cœpit, quia homo esse incœpit, quia priusquam hoc esse incœpit, sic nunquam esse desinit, carnem vero cum pœna suscepit sine culpa; cum mortalitate, sine iniquitate; cujus quidem pœnæ infirmitatem potestate retinuit, voluntate in se admisit, non necessitate sustinuit. Quam carnem anima rationalis in Christo rexit, et ad vitam sanctificavit : secundum liberam voluntatem peccatum respuens, et justitiam exercens. Hoc etiam ex societate Verbi, a quo assumpta est, habuit, nisi spontanea quidem voluntate bonum faceret, sed ad malum faciendum nulla prorsus necessitate, aut infirmitate declinare valeret. Quæ et carni jungebatur ut suo inferiori, et divinitati ut suo superiori, vita carnis ipsa existens [*al.* propter se ipsa existens]. Unde ipsa recedente caro moriebatur; vitam suam divinitatem habens : unde et a carne cum recessit, a divinitate non separabatur. Dolores quoque et tristitias ad tempus sustinuit in sensu carnis, sed plenum spiritu ac perfectum possedit gaudium in societate divinitatis.

V. Ecce Deus hominis pro homine factus homo, utramque in se substantiam hominis, carnem et animam mundam suscipiens, nec utrumque in homine mundum inveniens. Quia animam, ut superius dictum est, hominis ignorantia reddidit obscuram, et carnem concupiscentia effecit corruptam. Quæ quidem caro administrante eadem concupiscentia habuit, ut esset et per teporem ad bonum pigra; et propter nequitiam ad malum prona : sicque et caro in homine et anima æternæ erat damnationi obnoxia. Sed solus iste *inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 6) sanctitatis in opere suo ostendit exemplum, ut formam ab eo accipiens homo, in uno quidem ad deserendum in malo [*al.* ad deflectendum a malo], et versa vice [*al.* una vice] præcisis supra nominatis concupiscentiæ ramis, primum peccatum totis viribus devitaret, deinde virtutes exerceret; ad extremum vero carnem suam mundissimam in ara crucis immolans et animam innocentissimam in manus Patris commendans, eo quod indebitam in ligno mortis corporeæ damnationem pertulit, debitam quoque ab homine, quam in corpore simul et in anima meruerat, mortis æternæ perditionem abstulit.

VI. Ecce quanta, qualisque apparet gratia Salvatoris nostri Dei : longe sublimior, longe præstantior illa, quæ in primordio apparuit, gratia Creatoris nostri Dei. In hoc nimirum et illa succumbente isti, et ista præcellente illi : quod ad tempus hominem illa stantem ornavit, hæc autem ad æternitatem promovit. Vere magna et omnino immensa gratia hæc, illuminans cæcum emundans pollutum, emundatum exornans, et reconcilians reum. Sic profecto quadripartitum hoc ex se efficacis beneficii insigne, quo quadripartitum superius ostensum malum annihilatur in homine; illuminans cæcum per veritatis prædicationem, emundans pollutum per pravitatis reprobationem, exornans emundatum per virtutis electionem, reconcilians reum per mortis passionem. Erige oculos tuos, o homo, et circumspice et vide, quam misericorditer **100** actum est, ut magnas ex totis medullis illi gratias agas, a quo sic tecum actum est. Et vero tenebris involutus, et interioribus oculis avulsis, omnino cæcus eras, et ubi fidei vel operis poneres pedem ignorabas. Venit ad te ille magni consilii angelus rectæ credulitatis veritatem, et sanctæ tibi annuntians operationis virtutem, ut illam tenens, quæ per dilectionem operatur, unam sine altera tibi scires non sufficere ad salutem. Cum et Paulus dicat : *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* II, 6); et nihilominus Jacobus asserat : *Si non habet opera, mortuam esse in semetipsa* (*Jac.* II, 17). Pollutus eras et immundus, undique fæce peccatorum infectus perniciose : et ideo perniciose, quia nihil minus, quam quod malum est, odio habebas. Qui autem venit ad te liberator nihil in opere suo admisit malum, nihil omisit bonum, ut et tu videns in decore spiritualis conversationis suæ nihil abesse, quod debuit adesse, nihil adesse quod debuit abesse; malum quidem reprobans, erigente a peccato, et bonum eligens caveres tibi a delicto. Novissime vero pium et innocuum in ara crucis sanguinem fundens, et reum te Dominus tuusque mediator reconciliavit, et damnatione dignum, morte turpissima indigne damnatus ipse, ab æterna damnatione liberavit. Hæc est gratia Salvatoris nostri Dei majus nobis et sublimius aliquid conferens, quam gratia contulit Creatoris nostri Dei, quia nobis essentiam quidem dedit ut essemus : et ad suam nos imaginem et similitudinem creavit ut sublime aliquid essemus omnem nobis creaturam visibilem supposuit, ut ei præessemus. Hæc vero nos ignorantes erudivit, liberans ab errore; pollutos lavit eripiens a sorde; lotos ornavit, decorans sanctitate : reos judicii sibi reconciliavit salvans a damnatione. O quadripartitum salvatricis gratiæ bonum, prædicatio veritatis, reprobatio pravitatis, exsecutio sanctitatis, passio asperæ mortis.

VII. Multa quidem et alia bona apparens in carne nobis contulit Salvator, sed superiorem hæc inter alia obtinent, et habent in se cæterorum primatum. Unde et propter eorum prærogativam de ea illud arbitror pertinere, quod in libro Geneseos legimus, quia videlicet : *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita* (*Gen.* II, 10). Quis abneget hunc esse locum illum de quo Apostolus : *In quo*

Digitized by Google

habitat, inquit, *omnis plenitudo divinitatis corporaliter?* (*Colos.* II, 9) per Apostolum hunc vidit locum, in quo asserit omnem habitare plenitudinem divinitatis. Sed qui eum vidit tantæ magnitudinis, nunquid non vidit ineffabilis esse voluptatis? Adjunxit : *Et estis*, inquit, *in illo repleti* (*ibid.*, 10). Locus ergo est, et quidem peramplus, in quo omnis habitat divinitatis plenitudo; et est voluptatis, in quo nostra continetur repletio, habens in se omnem nostræ plenitudinem suavitatis. Plane locus voluptatis est Dominus meus Jesus, in quo quodcunque video, amœnum; quidquid audio, delectabile; quidquid odoro, suave; quodcunque gusto, dulce, utque nullum de sensibus prætermittam, quodcunque tango, acceptabile. Utique locus voluptatis, in quo, ut breviter dicam, nihil prorsus quod reprobare, quod non approbare possis. Verum, cum in eo bonum et sine qualitate tale, et sine quantitate tantum sit, non avare illud sibi soli retinere, sed et copiose nobis distribuere solet, cum id partiri decernit, sciens quidem illud ob benignitatem communicari posse, ob *immensitatem* vero minui non posse. Nam de sua illa *abundantia* nobis nonnihil confert, præbens in se nobis gratiam salvationis novam, qui in primis parentibus nostris Creatoris gratiam amisimus antiquam. Unde et Joannes : *De plenitudine ejus*, inquit, *nos omnes accepimus* (*Joan.* I, 16); et gratiam pro gratia. De ejus plenitudine non quidem aliqui, sed omnes accepimus, dicente sancto David : *Quia non est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII, 7). De electis utique non est, qui se abscondat a calore ejus; quod et hic innuit Joannes, cum dicit : *Nos omnes*. Nam quid est nos? nisi nos ad vitam præordinati æternam, nos secundum propositum vocati sancti. Nos, quos præscivit et prædestinavit Deus Pater conformes fieri hujus, de quo loquimur, imaginis Filii sui (*Rom.* VI, 28). *Hæc plenitudo*, ad eum [*al.* quam ad illum] reor pertinere fluvium, qui de loco voluptatis egreditur : ob ejus quidem simplicitatem ibi remanens; ob benignitatem vero usque ad nos dimanans, ut unigenitum illud bonum et caput, a quo est, non deserat, et usque ad ipsam oram vestimenti descendat.

VIII. Fluvius itaque de loco voluptatis egrediens in paradiso, gratia est a Salvatore, in quo omnis plenitudo est suavitatis, veniens ad rorandum cœlitus Ecclesiam sanctorum electorum. Qui dividitur in quatuor capita, pro eo quod salvatrix hæc, de qua loquimur gratia, principaliter quatuor nobis confert beneficia : **101** prædicationem, quæ nos liberat ab errore : emundationem, quæ a culpa, et sanctitatem, quæ ornat in conversatione. Denique mortis passionem, quæ salvat a damnatione. Hæc quodammodo fluvii quatuor capita sunt. Quia gratiæ dona principaliora sunt. *Nomen uni Phison* (*Gen.* II, 11), *os pupillæ* dicunt interpretari, et sicut locutionem ad os; ita et ad visionem pertinere pupillam, nemo qui dubitat. Et unde visio cognitionis in oculo mentis, nisi ex claritate sanctæ instructionis, quæ ex ore procedit Christi prædicationis? primum itaque gratiæ beneficium, os pupillæ ex re vocatur, ut primum ab ore Christi verbum audiatur, ac deinde spiritualis in homine visus purgetur, nec jam oculum animæ cæcitas opprimar ignorantiæ, dum ab ore Salvatoris locutio insonat doctrinæ. Quæ veritatis doctrina dum plene hominem repleverit, ad aggrediendam sanctitatis novitatem confestim excitat, ut dum ei perfecte per claritatem cognitionis illuxit, quod verum est : per gustum quoque affectus intimi in conversationis maturitate sapiat ei, quod bonum est. Unde et hic dicitur de Phison, *quod circuit omnem terram Evilath, ubi nascitur aurum* (*ibid.*). Evilath, ut quidam volunt, *parturiens* dicitur, et novæ vitæ partum aggredi proponentes designat. Quid auro clarius, quid sapientia pretiosius? circuit Phison Evilath, ubi nascitur aurum, quia instructio illuminans illi utique menti præcipue adest, quæ studet non solum quæ vera sunt, clare videre, sed et per maturitatem sapientiæ, quæ sancta sunt jugiter exercere. Et *aurum terræ illius optimum est* (*ibid.*, 12), quia illius prudens quisquam sapientiam probabilem asserit, qui eam in sanctitate conversationis ostendit. Aurum vero terræ illorum propheta optimum esse negavit, de quibus ait : *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere, nescierunt* (*Jer.* IV, 22).

IX. Per hoc autem quod secundus fluvius circuire dicitur omnem terram Æthiopiæ, et tertius ire contra Assyrios, innuitur tibi quanta utilitas ex secundo et tertio dono gratiæ provenit, quia in relictione mali, quodcunque illicitæ in te nigredinis contraxisti, a te abjicis, et in exsecutione boni, in operibus bonis pugnantibus contra te dæmonibus resistis. Sed nec prædicatio, quæ illuminat; nec emundatio quæ purgat, nec sancta conversatio, quæ exornat ullatenus prodest, nisi sequatur passio quæ redimat, et æternæ salutis fructum conferat, quia *fluvius quartus ipse est Euphrates* (*Gen.* II, 14). Huic gratiæ succedit alia, quæ electis in futura plene aderit vita, beatitudine eos ditans sempiterna, quæ quidem beatitudo triplex erit, conferens eis potentiam, sapientiam et benignitatem, ut sint fortes et incorrupti in se ipsis, benigni invicem, et ideo sapientes; erit profecto unumquodque istorum trium sempiternum. Ecce quatuor in quibus nos hæc gratia confirmabit : potentia, sapientia, benignitas, æternitas; potentia sapiens, sapientia benigna, et benignitas æterna [*al.* æterna sapientia], potens, æterna sapiens benignitas : æterna, sapiens, et potens æternitas. Discent sancti, qui plene comprehendent, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum (*Ephes.* III, 18). Sublimitas potentiæ, profundum sapientiæ, latitudo charitatis, longitudo æternitatis. Primum Patri deputamus, secundum Filio, tertium Spiritui sancto, quartum ipsi Trinitati : ita tamen ut quod personis singulis assignamus, simul omnibus assignare curemus, ut et sit

Digitized by Google

Deus hoc modo omnia in omnibus. Et hæc quidem tertia gratia spectat ad Spiritum sanctum et est gratia confirmationis. Nam Pater creavit, Filius salvabit, Spiritus sanctus confirmabit.

X. Prima gratia creatrix, et fuit in exordio; secunda salvatrix; tertia confirmatrix, et erit sine fine. Prima contulit ut essemus, ut sublime quid essemus: ut omni creaturæ visibili præessemus. Secunda illuminavit nos cæcos, ne ignorantes ulterius erraremus; purgavit immundos, ne polluti remaneremus; ornavit purgatos, ut in sancta conversatione fulgeremus; reconciliavit reos, ne pereuntes condemnaremur; illuminavit verba vitæ prædicando; purgavit mala penitus abjiciendo; ornavit sanctæ conversationi insistendo; reconciliavit in cruce pro nobis moriendo. Tertia vero nos gratia perfecte roborabit, ut simus potentes; illustrabit ut plene sapientes; inflammabit ut invicem amantes; perpetuabit, ut simus funditus indeficientes. Poterimus sine debilitate, sciemus sine errore, amabimus sine offensione, permanebimus sine defectu: Deo existente omnia in omnibus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

102 SERMO XXVII.

ITEM IN DIE NATALIS DOMINI.

De eo quod solis electis prodest gratia Dei, et de debito, quo erga nos ipsos tenemur obstricti, atque de obedientia exhibenda prælatis.

Synopsis sermonis. — 1. Prima gratia Creatoris, secunda Salvatoris, tertia confirmatoris nostri Dei. — 2. Gratia Salvatoris nostri Dei apparet omnibus ad imitationem. — 3. Solos erudit electos ad operationem. — 4. Qualiter apparet gratia Dei omnibus, quos non erudit. — 5. Gratia Christi nos erudit imitari Christum, et virtutis ejus insignia. — 6. Qualiter se reprobi habeant ad Dei gratiam sibi apparentem. — 7. Vincula Satanæ ignorantiam, et concupiscentiam dissolvit Christus sua prædicatione et conversatione. — 8. Sobrie nobis, juste proximo, pie Deo vivendum in quo animi et corporis consistit moderatio. — 9. Sobrietas corpori necessaria non denegat. — 10. Proximo justitia, superioribus præstanda obedientia. — 11. Inobedientiæ exempla ex Scripturarum oraculis deprompta. — 12. Contemptorum superiorum grave crimen: extorta venia est inobedientiæ crimen. — 13. Obedientia sit prompta, grata, sincera, perseverans. — 14. Christus perfectæ obedientiæ prototypon.

I. Locuti sumus, dilectissimi, in sermone, qui hunc, quem modo aggredimur proxime præcessit de triplici gratia Dei nostri. Et prima quidem fuit, secunda modo est, tertia in fine et sine fine. Cumque unus idemque sit Deus noster, primam assignavimus Creatori, secundam Salvatori, tertiam confirmatori nostro Deo, cum ipsum tamen habeamus creatorem, quem salvatorem et confirmatorem; ipsum salvatorem quem creatorem et confirmatorem; ipsum denique confirmatorem, quem salvatorem et creatorem. Prima gratia in omnibus hominibus, secunda omnibus hominibus, tertia cum omnibus hominibus. Ideo prima in omnibus, quia in omnibus est hominibus imago et similitudo Dei, omnibus etiam in primo Patre datum est, ut subjectæ præessent creaturæ. Ideo secunda apparuit omnibus, quia omnibus ad salutem et exemplum apparitio Filii Dei in homine proposita fuit. Ideo tertia cum omnibus, quia sicut illa in æternum, ita et ipsa cum illis in æternum gaudentibus id eis in fine exhibitum, quod erit sine fine mansurum.

II. Sed gratia Salvatoris nostri Dei, de qua loqui nostrum maxime propositum fuit, ob cujus demirandam excellentiam, aliarum duarum fecimus mentionem: illa, inquam, gratia apparet quidem omnibus, nec tamen prodest omnibus, quia salubris Christi in carne apparitio, unicuique ad imitationem proponitur; sed nequaquam per eam unusquisque in sanctitate componitur. Unde et per prophetam conqueritur, quod per magnificum illud quod gessit in homine opus non solum non acceptant reprobi, sed etiam refutant, et conquerens super hoc dicit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi* (*Isa.* LXV, 2). Populus non credens sed contradicens, populus est ille stultus et insipiens, cœtus videlicet exsecrabilis reproborum; qui, etsi audit Christum ad se manus suas extendisse, hoc est, opera quæ in assumpta gessit natura ad exemplum proposuisse; vel errore perfidiæ cæcatus non credit, vel per concupiscentiam abstractus et illectus in conversatione contradicit. Hinc sanctus Simeon positum eum prophetavit in signum cui contradicetur. Quod est illud in quo positus est Dominus Jesus in signum cui contradicitur (*Luc.* II, 34), nisi acutus, ut ita dixerim, gladius rigidæ conversationis, cum quo viri sancti spiritu facta carnis mortificant, carnem suam crucifigentes cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* V, 24), abnegantes se ipsos, et tollentes crucem suam quotidie, et sequentes Christum (*Luc.* IX, 23)? huic signo, quo electi signatos se esse gratulantur, a reprobis quidem, qui, etsi forte per fidem credant, contradicunt per operationem, confitentes, ut ait Apostolus, se nosse Deum, factis autem negantes (*Tit.* I, 16). Sed quod damnabiliter abjiciunt reprobi, salubriter sibi assumunt electi; librum pariter vitæ sibi Christum proponentes, et signum, ut in uno eodemque Redemptore suo ejus et ibi salubres, quos protulit, legant sermones; et hic pro viribus, quas exercuit, sanctas imitentur actiones.

III. Unde et hoc in loco vas electionis Apostolus Paulus, qui dicit gratiam Salvatoris nostri Dei apparuisse omnibus **103** hominibus (*Tit.* II, 11), asserit eam nos erudire: ut omnibus quidem hominibus suam proponat apparitionem, sed nobis suam imponat eruditionem. *Apparuit*, inquit, *gratia Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus erudiens nos* (*ibid.*). Quid est *nos?* nos electos, nos, ut superius diximus, ad vitam æternam præordinatos. Nos denique ut simus conformes imagini Filii sui, præscitos a Deo Patre et prædestinatos (*Rom.* VIII, 9). Nos, inquit gratia erudit, quæ omnibus apparet, quia eam sibi propositam reprobi vel excæcati non

Digitized by Google

agnoscunt, vel indurati contemnunt ; nos vero eam nobis non tantum propositam, sed impositam et illuminati agnoscimus per fidem, et inuncti amamus per operationem. Hinc Redemptor noster, quia videt se extendere manus suas ad populum non credentem, sed contradicentem sibi : eas credenti populo, et consentienti sibi expandit : non populo stulto et insipienti, sed populo illi laudabili, cui Deus exercituum benedixit, quem, ut ait sanctus David, *in hæreditatem elegit sibi Dominus* (*Psal.* XXXII, 12). Denique, per Jeremiam clamat : *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus !* (*Thren.* I, 11.) Per viam transeuntes electi sunt, vitam præsentem contemnentes, calcantes quidem in transitu, non autem amplectentes eam in statu. Habentes eam in usu temporis et necessitatis, non permanentes in ea, per affectum amoris et æternitatis. Gradientes denique per eam in licito fomento corporis, non jacentes in ea in deceptorio somno mentis. Hi sunt attendentes dolorem Salvatoris sui, et videntes, ad *cujus manus* extentas populi supra nominati sunt non credentes, sunt et contradicentes, ut pias, quas pro eis, in natura assumpta, pertulit angustias, electi et illuminati per credulitatem intueantur in fide, et inflammati per charitatem imitentur in conversatione, dum eas reprobi vel excæcati ignorant, vel indurati non amant. Ecce quomodo nos gratia Salvatoris nostri erudit, quæ omnibus apparet.

IV. Sed cur hæc gratia non omnes homines erudivit, quæ omnibus apparuit, quia prædicatoribus eam sibi evangelizantibus, vel non crediderunt, vel si crediderunt, non amaverunt, manu fortassis eam credulitatis suscipientes, sed manu eam charitatis non colligentes. Nam audierunt, ut fides esset ex auditu (*Rom.* X, 17), quia et prædicatores insonuerunt, ut esset auditus per verbum Christi, et ut sint inexcusabiles, *in omnem terram exivit sonus eorum* (*Psal.* XVIII, 5). Sic apparuit gratia Salvatoris nostri Dei in omnibus hominibus, prædicatio Evangelii in omnes gentes, exeuntibus evangelistis illis eximiis, in orbem universum ut prædicarent Evangelium omni creaturæ (*Marc.* XVI, 15). Sed erudit nos, quia *viderunt illi et oderunt, et ipsum et Patrem suum* (*Joan.* XV, 24). Sed nos qui spiritualiter sui sumus, non solum docemur, quatenus ipsum audiamus loquentem, verum etiam ut imitemur operantem, juxta quod dicit de nobis : *Oves meæ vocem meam audiunt et sequuntur me* (*Joan.* X, 27). Qui autem ex ejus ovibus non sunt, etsi forte vocem ejus aliquando audiunt, ipsum tamen non sequuntur, quia licet exteriorem, in eis ejus sermones penetrent auditum, per fructuosum tamen eos non explent effectum : quatenus sic ejus eis gratia appareat, ut eos non erudiat.

V. Quæ, cum ita sint, ad vosmetipsos, fratres, redite, et videte si erudivit vos gratia Salvatoris nostri Dei, quia sine dubio non uno sed multis modis apparet vobis. En vobis gratiam suam in sermone ejus annuntiamus ; videte si per id quod exterius auditur, vester interius animus eruditur. Et in vobis quidem aurem tangere possumus per vocem nostram, sed ejus solius est mentem commovere in vobis per motionem suam, ut per linguam nostram vobis omnibus gratia appareat, opus est ut per suam ipse inspirationem vos erudiat. Ecce quam magna, hoc die, apparuit gratia Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus : et certe videmus quam paucos erudit? ut enim sileamus de cæteris virtutibus gratiæ (nam quis eas omnes posset colligere?) apparet hodie in Salvatore nostro nato, toto orbe terrarum, gratia magnæ humilitatis, castitatis, paupertatis. Nonne maximæ humilitatis est, quod Deus apparet in homine, Verbum in carne, in infantia sapientia, in vagiente parvulo Dominus universorum, in infirmitate fortitudo. Quod autem inter virtutes cæteras castitatem præcipue diligat, quod valet evidentius esse indicium, quam quod nasci valuit de Virgine? O paupertas magna reclinari in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio ! nonne hoc homines per cognitionem sciunt? pauci autem per imitationem apprehendunt, ut dici veraciter possit et in hac parte, quia apparet gratia Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus, sed paucos erudit. Utinam vel nos erudiat, ut cum Apostolo dicere possimus : *Apparuit gratia Salvatoris nostri Dei* **104** *omnibus hominibus erudiens nos* (*Tit.* II, 11). Quod quidem verum est, si discitis ab eos mites esse et humiles corde (*Matth.* XI, 29); si scit *unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore* (*I Thess.* IV, 4); si mores vestri sunt sine avaritia contenti præsentibus, nec levatis oculos ad opes, quas habere non potestis; sed habentes alimenta, et quibus tegamini, his contenti estis (*I Tim.* VI, 8).

VI. O quam aliter agunt omnes pene quibus hæc gratia apparet extrinsecus. Celebrantes nativitatem humilis et parvuli Christi, ipsi superbi et in suis oculis magni : casti et pudici Christi, ipsi impuri et corrupti ; pauperis et inopis Christi, volentes divites fieri, ac per hoc incidentes in multa [*al.* in desideria multa] inutilia et noxia ; radicem omnium malorum cupiditatem appetentes et ideo inserentes se doloribus multis inflati, inquinati, inflammati. Inflati per tumorem vanitatis et superbiæ, inquinati per fetorem voluptatis et luxuriæ, inflammati per ardorem cupiditatis et avaritiæ. Quis in honoribus superbus, quis impudicus, quisque cupidus est, cui hodie non apparet in Salvatore nostro Deo, gratia humilitatis, castitatis et paupertatis? apparet eis utique, non erudit eos : videntque ignem et lucem, et ipsi frigidi remanent, et tenebrosi : intuentur cibum et medicum, ipsi esuriunt et ægrotant. Si enim quæ apparet gratia erudiret, et tenebrosi illuminarentur, et frigidi accenderentur, et esurientes reficerentur, et ægroti sanarentur. Hoc est, ut breviter dicatur : et quod malum est dimitterent, et quod bonum est,

Digitized by Google

exercerent. Unde et hic asserit Paulus gratiam Salvatoris nostri Dei, quæ apparuit omnibus hominibus erudiens nos, *ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie pie et juste vivamus in hoc sæculo* (*Tit.* II, 11).

VII. Duo sunt, ut ex superioribus conjicere potestis vincula Satanæ, quibus reprobos pertrahit ad æternam pœnam gehennæ; ignorantia, qua excæcantur, ne, quod verum est, agnoscant, et concupiscentia, qua trahuntur illecti, ut quod malum est exerceant. Ibi non recte credentes, hic autem non sancte viventes. Impietas [*al.* impietatis malum] ut mihi videtur, pertinet ad primum: sæcularia vero desideria ad secundum. Quia impietas, ut quidam asserunt, est, quæ hominem offendere facit in fidem; sæcularia vero desideria ad nefariam impellunt actionem. Erudit nos Salvatoris nostri Dei gratia, ut abnegemus impietatem et sæcularia desideria. Quia, si accedis ad gratiam prædicationis suæ, quid ibi audis, quod erroris impietatem non destruat? si ad gratiam conversationis suæ: quid ibi invenis, quod sæcularia in mente desideria non exstinguat? Christum, ait Apostolus, Dei virtutem et sapientiam (*I Cor.* I, 24); auribus audiendi audi sapientiam, et errare te non faciet impietas a recta credulitate; in mente amplexibus amoris virtuti conjungere, nec te inflammabunt sæcularia desideria iniquitate. Mirum utrumque hoc bonum verbis paucis complexus est sanctus David, qui ait: *Dominus illuminatio mea et salus mea* (*Psal.* XXVI, 1). Hoc est, illustrabit me lux mea Dominus, ne impietatis me tenebræ obscurent: salvabit me salus mea Dominus, ne sæcularia me desideria subvertant. Quem timebo, cum ipso me illuminante, impietas jam excæcare non valet per errorem; et, ipso me salvante, sæcularia me desideria fedare non possunt per iniquitatem. Sic dirige me, Domine, in veritate tua, et doce me, ne per impietatis devia aberrem a fide. Aufer a me nihilominus concupiscentiam, ne per sæcularia desideria sordeam in pravitate. Hoc itaque modo illuminante gratia contra impietatem clarificati; a sæcularibus quoque desideriis purgante eadem gratia mundati, necesse est ut sobrie, pie et juste vivamus, et studeamus vivere in hoc sæculo.

VIII. In his verbis, ut crebra Patrum testantur documenta, triplex illud debitum continetur, quo nobis et proximis nostris, atque Deo debitores et obnoxii tenemur: nam sobrietatem nobis, justitiam proximo, pietatem vero debemus Deo. Porro sobrietatem tibi confert affectio sancta, et mortificatio rigida, ut quod illicitum est nec per appetitum circumferas in mente, nec per affectum exerceas in opere. In quolibet horum deliqueris, sobrietatem perdis, tam in appetendo videlicet quod malum est, quam in agendo. Ideo meditatio sancta servet te in mente, ne illicitum quid per impuram desideres affectionem, continentia rigida mortificet te in carne, ne quid nefarium per malam exerceas actionem. Hoc geminum est frenum, quo impetuosus tam mentis, quam corporis cohibendus est motus, ut et lasciviam lubricam interius maturitas coerceat, et ab omni exterius irruptione reproba continentia retrahat. In mente, inquam, maturitas frenum sit, ab omni, quod in ea emergens huc, illucque **105** eam trahere conatur, viriliter retrahens: sicut et ambitio caduci honoris, appetitus transitorii favoris, inflatio superbiæ, tumor invidiæ, rancor iracundiæ, rubigo acediæ, inquietudo avaritiæ, inhonestas gulæ, turpitudo luxuriæ, et qui in hunc modum perniciosi impetus sunt, qui infelicem animam nulla hora felicem sinunt. In corpore nihilominus continentiæ frenum sit, quod singula in eo membra, et a pravitate cohibeat, et rectitudine coaptet; retrahens a curiositate aspectum, a vanitate auditum, a voluptate olfactum, ab edacitate gustum, ab impuritate tactum, a stultiloquio affatum, a levitate incessum. Hoc est quod reddit hominem irreprehensibilem in ambulando et stando, in sedendo et jacendo: in tacendo et loquendo, in operando et quiescendo, in orando et legendo, in comedendo et jejunando, in omni denique loco et tempore, in omni negotio, et erga omnem personam.

IX. Hoc est debitum, o homo! quo erga teipsum teneris astrictus: omnis illiciti cogitatus, et actus frenum et compes, sobrietatis modus. Ut cum anima rationalis et caro sis, ita utramque custodire et servare sis sollicitus, quatenus nec intrinsecus illam illicitus inquinet affectus, nec extrinsecus istam nefarius dehonestet effectus. Et adhuc tertium quid debes tibi ipsi; ut et corpori tuo quæ ei necessaria sunt in cibo et potu, in somno et veste, et cætera quæ justa ejus exposcit necessitas fructuose non neges? Non minus enim sobrietatis modum excedis, cum a corpore tuo necessaria excludis, quam cum superflua impendis. Jumentum namque est, et ideo curet necesse est discretor sessor ejus spiritus, sicut ei imponere frenum ne recalcitret, ita et apponere fenum ne deficiat. Nam qui in Apostolo dixit Spiritus sanctus: *Curam carnis ne feceritis in desideriis* (*Rom.* XIII, 14); idem in eodem et alibi ait: *Nemo carnem suam odio habuit, sed fovet, et nutrit eam* (*Ephes.* V, 29). Quanquam in hac una sententia: *Curam carnis ne feceritis in desideriis*, utrumque complexus sit sobrietatis genus. Nam dicens *carnis curam* necessaria concedit, addens vero *ne feceritis in desideriis* sola superflua abscidit: et idcirco sicut a voluntate [*al.* necessitate] expellis illicita, ne per impuritatem ea appetat; sic a carne eliminas nefaria, ne ea per iniquitatem committat, ut sic a corpore non subtrahas necessaria, ne per debilitatem succumbat. Ita te habe, talem te exhibe, et sobrie vivis in hoc sæculo.

X. Verum quia nemo nostrum sibi vivit, est debitum aliud, quod a te proximus tuus exigit; et hoc spiritualiter hoc in loco Apostolus justitiam appellat. Justitia namque est, ut definire solent quidam, virtus unicuique tribuens quod suum est. Redde

Digitized by Google

ergo superiori quod suum est : redde et æquali, redde et inferiori, et juste vivis. Quid debetur superiori? primum obedientia juxta apostolicum præceptum : *Anima tua potestatibus superioribus subdita sit* (*Rom.* XIII, 1); pare itaque superiori tuo, quiscunque vel qualiscunque ipse fuerit loco Dei tibi proposito. Et ut breviter dicam, quæcunque tibi sive in prohibendo, sive in jubendo injunxerit, quod tamen secundum legem Dei sit, non secus accipias, quam si a Deo audisses. Cave tibi a negligentia quam parit oblivio; et maxime sicut a morte cave tibi a contemptu, cujus causa est omnis peccati initium elatio (*Tob.* IV, 14) : in præceptis namque, etiam quæ minima videntur, nec excusari negligentia potest, cum peccatum sit : nec sine gravi pœna dimitti debet contemptus, cum crimen sit.

XI. Culpavit quondam, ut scitis, Jonathan Saul (*I Reg.* XIV, 44), quia ejus trangressus est prohibitum, et tanti apud se ponderis illam habuit transgresionem, ut morte dignum etiam pater filium judicaret transgressorem, cum tamen constet ejusdem *prohibitionis* eum non fuisse auditorem. Vir quoque Dei, qui de Judæa ad Jeroboam missus est (*III Reg.* XIII, 22), quia præceptum Domini, non quidem per propriam obstinationem elatus, sed per alterius suggestionem seductus, transgressus est : leoni ad devorandum traditus est. Cujus mihi, ut verum fatear vobis, non modicum multoties et culpa considerata stuporem, et pœna ingerit timorem, quia nisi pro eo quod hac in causa summa illa æquitas est, quæ nihil pravum sive distortum agere potest, videtur quod tanta in propheta illo, talique vindicta inobedientia illa puniri non debuit, quam, ne inobediens esset, incurrit. Quid enim? retinere eum violenter voluit rex, et nullatenus consensit, quia sciebat id sibi interdictum. Reducere eum conatus est senex, et primo negans, tandem acquievit, quia prohibitum non modo inconcessum, et injustum, sed mutatum existimavit. Itaque sicut, ut obediret, remanere non acquievit; sic quoque, ni fallor, ne non obediret redire consensit : utrobique voluntati Dei sui obedire paratus, licet alterius mendacio deceptus, ab cujus postmodum **106** ore sententiam mortis audivit veracem, qui ab eo primitus subversionis audierat fallacem.

XII. Considerate ex his, qua pœna punientur, qui præcepta seniorum per plenum contemptum, tumore superbiæ inflati transgrediuntur. Perpendite qua pœna mulctandi Dathan, Abiron atque Core (*Num.* XVI, 1), qui in tantam talemque, ut scitis, superbiam, se contra prælatum suum Moysen erexerunt. Si cum leo devorans occidit, qui quantum ad se quodammodo, si ita dicere fas est, ne inobediens esset, inobediens fuit : nam, si peccavit, imo quod peccavit, profecto videtur, quod ne peccaret, peccavit. Conjicite inter hæc quam graviter peccavit rex Saul (*I Reg.* XV, 9), qui ut avaritiæ suæ satisfaceret, juxta præceptum Domini Amalec percutere noluit usque ad internecionem, et universa ejus demoliri, cum idem Saul etiam filium suum Jonathan reum mortis judicavit, pro eo quod ejus prohibitum etiam nesciens transgressus est. Cave etiam tibi a venia extorta, quam patres nostri, ut ejus plene malum ostendant, sororem inobedientiæ vocant. Cave, inquam, tibi ab ea; ne forte cum præ nimietate importunitatis ejus, vis prælatum tuum violenter compellere, tolerare, vel etiam concedere quod petis : ordine confuso, et ipsum quodammodo tuum subjectum, et te ejus efficias prælatum.

XIII. Pare ergo superiori tuo prompte, grate, hilariter, sincere et perseveranter. Sit primum prompta obedientia quam exhibes, ut non tibi in mente vel tenue murmur inesse permittas. Sit et grata, ut hilaritatem in vultu præferas, quatenus qui per mentem benevolam interius placas Deum, per faciem quoque hilarem exterius exhilares proximum S.t tertio sincera, ut non in ea tuum solum aliquid requiras, astuto quodam molimine occulte agens, ut id tibi præcipiatur, quod ut inani cupiditati, et cupidæ tuæ inanitati consulas, agere te delectat, magis tamen in hoc voluntatem carnalem implere intendens, quam vel præcepti utilitatem, vel præcipientis velle attendens. Vultis audire sinceram obedientiam? *Fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I, 38). Accipite et a Samuele sinceræ obedientiæ exemplum : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* (*I Reg.* III, 10). Non quid loquaris justo, sed solum ut loquaris peto, quia quidquid locutus fueris tu Dominus meus, obedienter exsequar servus tuus. Novissime sit perseverans obedientia tua, ut semper et ubique, pro loco et tempore, pro scire tuo et posse, præcipienti tibi parere paratus sis.

XIV. Igitur prompte te dixerim obedientem, si sponte et non cum murmure obedis; sed corde perfecto, et animo volenti. Grate, si hilaritatem in executione præcepti etiam in vultu ostendas. Sincere, si te tibi renuntians, nihil tuum carnale in eo, quod jubetur, requiris; sed solam et jubentis voluntatem, et jussionis utilitatem attendis, et libentius etiam dura et aspera, quam suavia et mollia amplecteris Perseveranter, si illum in obedientia sequeris, de quo legis : *Factus est obediens usque ad mortem* (*Phil.* II, 8); illum tibi solum præfigens terminum obediendi, qui est et vivendi. Hæc de obedientia diximus, quam superioribus nostris exhibere debeamus. Sed quia hunc jam cogimur finire sermonem; quæ illa sint, in quibus adhuc superioribus, sive coæqualibus, seu etiam inferioribus debitores tenemur, in sequenti, præstante Deo, sermone ostendemus. Id etiam proponimus, quidquid de hac nobis materia occurrit, religiosis vestris auribus committere. Illum in omnibus donis et misericordiis laudantes, et glorificantes, qui tam crebro in hac Nativitate sua sacrosancta spiritualibus nos epulis satiare dignatus est, Dominus noster Jesus Christus, cui sit honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

SERMO XXVIII.

ITEM IN DIE NATALIS DOMINI.

De quindecim gradibus charitatis, tribus scilicet majoribus debitis, tribus subditis, et tribus cœqualibus, et aliis sex omnibus debitis : et de sobrietate, justitia, pietate, et perseverantia, et triplici gratia scilicet Creatoris, Salvatoris, et confirmatoris.

Synopsis sermonis. — 1. Prælatis debetur obedientia, reverentia, ordinata familiaritas. — 2. Difficilius discrete imperare, quam sponte obedire. — 3. Prælatus debet subditis disciplinam, mansuetudinem, discretionem. — 4. Superiorem et subditum, obligatio mutua. — 107 5. In prælato sit disciplina moderata, in subdito reverentia grata. — 6. In illo sit mansuetudo cum charitate, in hoc dilectio cum familiaritate. — 7. Coæqualibus debetur honor et amor cum humilitate obsequii. — 8. Hilaritas in dulcedine verbi. — 9. Passim omnibus debetur compassio et consolatio in adversis : congratulatio et exhortatio in prosperis. — 10. Sobrietas dat potentiam, justitia benignitatem, pietas sapientiam. — 11. Gratia Creatoris Patri, Salvatoris Filio, confirmatoris tribuitur Spiritui sancto. — 12. Virtutum exercendarum practica epitome.

I Habetis, fratres, in fine sermonis præcedentis, qualem superioribus vestris debeatis obedientiam exhibere. Oportet namque te, quicunque habitum religionis circumferre vis; ut juxta admonitionem Apostoli obedias prælatis tuis et subjiciaris eis. *Ipsi enim*, ut idem subinfert, *pervigilant quasi rationem reddituri pro anima tua* (*Hebr.* XIII, 17). Primum ergo prælato tuo talem exhibe obedientiam, qualem in eo, quem proxime habuimus, sermone descripsimus. Exhibe secundo devotam et humilem ei, qui tibi præest, reverentiam, quia loco Dei præest tibi. Pro ejus itaque reverentia et timore, cujus vice fungitur, et ipse tibi reverentiæ ac timori sit. Subditus erat quondam sanctus Samuel peccatori Eli, electus David reprobo Sauli, et neuter inventus est usquam prælatum suum licet peccatorem, et reprobum inhonorasse; sed in magna reverentia habuisse. Sanctus, ut scitis, David persequentem se Saulem fugit ut dominum (*I Reg.* XXIV, 6); et, ut ait beatus Gregorius, cum locum feriendi reperit, non recognovit, quin potius percussit cor suum, quod vel in abscissione oræ chlamidis suæ dehonestaverat eum. Sed obedientia hæc atque reverentia non magni apud Deum meriti est, nisi comitetur utramque amor ordinatæ familiaritatis, ut ei, cui pro Deo obedis, quem loco Dei veneraris, etiam in privatis, et internis tuis, ex amore non ficto secundum Deum familiaris sis.

II. Magnum certe debitum hoc, quod debemus superioribus nostris. Et est quoddam non minoris, imo majoris ponderis fortassis, quo ipsi astricti tenentur nobis. Quod eorum debitum? verbis paucissimis, sed profundissimis comprehendit Apostolus dicens : *Qui præest in sollicitudine* (*Rom.* XII, 8). Quæ sollicitudo, si plene scire volueris, tu, qui præes, quam multimoda sit, lege dicta super hoc sanctorum Patrum, maxime autem pastorale beati Gregorii, et agnosces, quid sit debere te qui præes A esse in sollicitudine. Et certe difficilius est tibi reddere subjecto tuo in multis, quod debes ei, quam ipsi quod debet tibi : nam difficilius est te imperare discrete, quam illi obedire sponte : tibi præesse utiliter, quam illi subesse humiliter, tibi regere sine superbia, quam illi regi sine querela : te versari in sollicitudine, quam illi morari in quiete : tibi denique providere ea quæ animæ suæ salubria, et quæ corpori sunt necessaria, quam illi provisione tua uti.

III. Sed cum multiplex sit debitum, quo erga eum teneris astrictus : hæc tria a te præcipue exigit, disciplinam, lenitatem, discretionem, debet disciplinam : exhibe ei disciplinam, et ipsam geminam : custodiam videlicet et curam illam ne lapsum incurB rat, istam, ut si incurrerit, a lapsu resurgat. Memento quia medicus es, quia pastor es. Verum ita in arte tua peritus non es, nisi scias sanitatem cum habetur, retinere ne amittatur; et cum amittitur, revocare ut recuperetur. Hoc autem bonus pastor non es, nisi in ovibus non quidem tuis, sed Christi, tibi vero commissis, quod pingue et forte est custodias, et quod infirmum est alliges, et quod confractum est consolides (*Ezech.* XXXIV, 4). Sed, ne disciplina modum excedat, temperet eam mansuetudo. Scito te quia basis templi es, debere esse non modo leonem rigoris, sed et bovem mansuetudinis. Sed, quia cavendum tibi, ne sicut illa nimium districta, sic et hæc sit nimium remissa, interveniat mater discretio, qua ducente virtutes in itinere suo C medium tenent. Et interponens se, utrumque sibi invicem conjungat, ut dum simul se invicem miscuerint, nihil exerceat pietas mansuetudinis non rigidum, nihil rigor disciplinæ non pium. Si ergo rigor dulcis, et rigida in te fuerit dulcedo; habes tu qui basis es templi, lora in leone et bove tuo dependentia (*III Reg.* VII, 29), quatenus pro tempore et causa, pro loco et tempore uterque retrahatur in malo, uterque relaxetur in bono.

IV. Et videte quomodo triplex hoc debitum, quo subjecto obstrictus tenetur prælatus, cum bene persolvitur, cogit quidem et efficit, ut triplex illud, de quo superius egimus, quod prælato debet subjectus, persolvatur. Diximus siquidem prælato debere subD jectum obedientiam, reverentiam, familiaritatem. Diximus et subjecto prælatum debere disciplinam, bonitatem et lenitatem; et ut hæc utiliter exerceantur, discretionem habendam 108 esse. Sed, quomodo subjectus tuus tibi ad obediendum erit voluntarius et promptus, si tu in jubendo immoderatus fueris, et indiscretus? Putas tibi licere unicuique jubere semper pro velle, et ex ratione tibi esse infusum, quidquid in voluntate fuerit conceptum, illam tibi vocem assumens :

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas?

utique illicitum hoc. Quid, inquis, cum hæc duo simul concurrerint libet et licet, nunquid non semper aggrediendum? non utique. Tune liberior illo, vel potentior, qui ait : *Omnia mihi licent, sed non omnia expe-*

Digitized by Google

dicunt; omnia mihi licent, sed non omnia ædificant? (*I Cor.* x, 22.) nunquid illi in aliquo comparandus, qui ne scandalizaret etiam alienos, dedit quod ei ideo retinere licuit, quia dare nullo modo debito constrictus fuit? *Ne*, inquit, *scandalizemus eos, da eis pro me et pro te* (*Matth.* xvii, 26).

V. Si autem mihi prætendis illud beati Benedicti consilium, ut videlicet si fratri impossibilia injungantur, et relaxare noluerit, qui injungit, ut injunctum suscipiat. Dico quia admonitio est sancta, et consilium sanctum et justum et bonum, neque enim injustum consilium dare potuit, qui plenus spiritu omnium justorum fuit. Sed nunquid, quia illi incumbit suscipere, si impossibilia injungis, tu bene facis cum impossibilia, et maxime hoc tempore injungis? secundum imperfectionem hujus temporis loquor. Nunquid illi irreprehensibiles erant, de quibus Dominus ait, quod alligabant onera gravia, et impossibilia ipsi imposuerint, sed nec digito suo ea movere voluerint? (*Matth.* xxiii, 4.) Et ideo ut mihi videtur ex discretione jubentis consensus multoties procedit obedientis, ut dum tu sollicite et diligenter locum et personam, causam et tempus observaveris in jubendo, ille cui jubes, eo minus velit, quo minus debet resistere contradicendo. Exhibere debet tibi subjectus tuus reverentiam, sed exhibe tu ei disciplinam, quia sunt subjecti nonnulli, in quibus nisi prius disciplina seminetur, postmodum reverentia non metetur. Verumtamen non hoc generaliter de omnibus, sed quibusdam, et non nisi de illis, qui valde imperfecti et teneri sunt dico, qui dum vident prælatum suum aliquantulum se dejicere, et communem se exhibere: dedignantur eum venerari, et qualis in oculis propriis est, talis est et in eorum. Cæterum sapientes et boni discipuli, quo magis humilem prælatum suum intuentur, eo magis eum reverentur; et quo plus communem conspiciunt, eo et humilius venerantur. Et tamen moderata in prælato disciplina gratam in subjecto reverentiam operatur.

VI. Familiaritatem ex amore diximus prælato debere subjectum; quam nimirum nunquam ei plene persolvet, nisi ipsum erga se mansuetum et amabilem senserit. Nam quomodo se tibi in privatis et intimis suis familiarem exhibebit ex dilectione, nisi te illum diligere, nisi te erga se mansuetum, et amicabiliter agere cognoverit; nam, sicuti jugi experientia edocti sumus, raro nisi ei, quem diligimus, secreta et interna nostra plene aperimus. Porro dilectio dilectionem parit. Dilectio vero parta fiduciam infundit, quæ infusa arcana sine ulla suspicione revelat: occulta sine manifestatione aliqua manifestat; si sic amari te vides, ipsum redamare nimirum studes; et cui amorem rependis, de ipso utique et confidis. Cui autem bene credis, hinc consequenter in occultorum tuorum revelatione secure te committis. Igitur ut hæc quæ sibi prælatus et subjectus debent, breviter repetamus; sit in prælato discretio in præcipiendo, ut sit in subjecto prompta voluntas in obediendo: sit in illo disciplina moderata in auctoritate, ut sit in isto reverentia grata in maturitate, sit denique in illo mansuetudo ordinata in charitate; ut sit in isto dilectio non ficta in familiaritate. Ecce quomodo ex invicem prælatorum et subjectorum merita pendent.

VII. Tempus est ut loquamur de debito, quod debes æquali tuo. Nolo hic modo aliquid novum ex meis inventum apponere vobis: sed considerate quid hic Apostolus dicat: *Reddite*, inquit, *omnibus debita* (*Rom.* xiii, 7). Et adjunxit: *Cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem* (*ibid.*); timorem ut Domino, vectigal ut exactori, honorem ut Patri. Et addidit: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis* (*ibid.*, 8). Hoc est debitum quod semper invicem debetis reddere, et ita reddere ut debeatis [*al.* ut debetis]: ita debete ut reddatis, id est debendo reddere et reddendo debere. Debetis nihilominus invicem honorem; ut unusquisque vestrum honoret alterum, assurgat et inclinet alteri. Superiorem ei in omni loco et tempore, et in omni verbo et negotio, prout decere et congruere, prout licere noverit et expedire offerens. Hoc est illud bonum et jucundum, ad quod invitat nos Paulus cum dicit: *Honore invicem prævenientes* (*Rom.* xii, 10). Et item: *Per* 109 *charitatem spiritus servite invicem* (*Gal.* v, 13). Et alibi: *In humilitate*, inquit, *spiritus superiores arbitrantes sibi invicem* (*Phil.* ii, 3). Illud quoque: *Cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate;* et rursum: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* iv, 2). Et multa alia in hunc modum, quæ ad honorem, amorem, obsequium nos invitant fraternum.

VIII. Tertio quoque præbete ad invicem in vultu hilaritatem. Præbete, inquam, ad invicem, suscipite et ab invicem; quia nihil inter vos habere potestis gratius, nihil delectabilius. Nam *verbum bonum*, ait Salomon, *super datum optimum* (*Eccli.* xviii, 17), et: *Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos, et lingua eucharis in bono homine abundabit* (*Eccli.* vi, 5). De hilaritate habetis; quia *hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* ix, 7). Quasi condimentum inter cibos, hilaritas est inter omnes virtutes. Nam insipidum mihi videtur quod agis, nisi gratia illud commendet hilaritatis. Sit amor in charitate animi, honor in humilitate obsequii, hilaritas in vultus gratia, et dulcedine verbi. Sed opus, ut sit charitas sine duplicitate et fictione; humilitas sine vanitate et adulatione, hilaritas sine levitate, vanitate, dissolutione.

IX. Sunt et debita alia, quæ non solis superioribus, nec solis æqualibus, nec solis inferioribus debetis, sed pro posse et scire, prout congruit et licet, prout expedit et decet, debetis passim omnibus. Nam quem adversitate videris oppressum, debes ei compassionem, debes et consolationem. Illa in animo, hæc autem erit in verbo. Quem vero prosperitas adjuvat, debes ei congratulationem, de-

Digitized by Google

bes et exhortationem ; et illam in mente, hanc vero in ore. Itaque ei cui adversitas molesta est, ex intimis compatere, et ne deficiat consolare. Illi vero quem prosperitas demulcet, ex corde gratulare, et ut in bono magis ac magis proficere studeat, exhortare. Utrique autem, et auxilium debes et consilium, ut qualiter agere debeat, tam qui in prosperitate, quam is qui in adversitate est : utrumque consolando instruas et ad id quod agendum est, utrumque adjuvando fortem et validum reddas. Hæc autem sex, si superioribus novem adjunxeris, quasi quindecim in scala, charitatis justitiæ gradus habebis, per quos ascendas et descendas super Filium hominis. Hæc itaque omnia, quæ de justitia longa quidem, sed non infructuosa fortassis disputatione diseruimus, si diligenter inventus fueris implere, nimirum juste vivis in hoc sæculo. Pie autem vivis, si ex sincero et intimo affectu Dei tui cultui perseveranter insistis. Si enim divinis te semper astare obtutibus perspicis ; si occultis ejus nutibus paratus ubique existis ; si dicens cum Psalmista : *Oculi mei semper ad Dominum* (*Psal.* XXIV, 15), quid ipse velit, quidve nolit prompte ubique ad exsequendum sollicita mente inquiris, ut mihi videtur, pie vivis in hoc sæculo. *Abnegantes* ergo *impietatem et sæcularia desideria sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo* (*Tit.* II, 12), donec illo futuro sæculo frui possumus. Idcirco addidit Apostolus et ait : *Exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi* (*ibid.*, 13). In quibus utique verbis perseverantia notatur.

X. Hæc itaque quatuor sobrietatem, justitiam, pietatem, atque perseverantiam eruditens nos gratia Dei Salvatoris, in sua nobis eruditione ostendit, ut illis quatuor mediantibus, ad illa quatuor quæ, nobis confert in futuro gratia confirmatoris nostri Dei, pertingere possimus. Diximus superius in primo, quem de hac materia habuimus, sermone, a gratia confirmatrice, quatuor nobis in futuro conferenda : potentiam videlicet, sapientiam, benignitatem, et æternitatem : ad quæ profecto quatuor pertinges, si hæc quatuor quæ gratia salvatrix habenda docet, sobrietatem videlicet, justitiam, pietatem atque perseverantiam diligenter exerceas. Nam per sobrietatem pertinges ad potentiam, dignus plane temetipsum ibi in libertate possidere, si prius hic te et in corpore et in mente freno studueris sobrietatis gubernare. Per justitiam pertinges ad benignitatem, ut qui in via quod suum est unicuique reddis, in patria quoque cum unoquoque per dilectionem læteris ; et charitatem, quam hic erga proximum habuisti, ibi cum eodem proximo sine termino finias ; sine consumptione consummes. Pietas vero ad æternam te perducet sapientiam, ut qui hic in Dei tui continuo memoria delectabaris, in ejus ibi præsentia æternaliter lætificeris, sapiatque in æterna ibi quiete per præmium, qui sapit tibi in temporali hic labore per meritum. Si perseveres, pervenies ad æternitatem, ut sobrie, juste, pie, vivens in hoc sæculo, exspectando beatam spem, et adventum **110** gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, in adventu ipsius præclaro possidere merearis æternitatem, si veniens Dominus invenerit te sic facientem. Similitudinem namque quamdam æternitatis virtus in se perseverantiæ ostendit, quæ etiam sola æternitatem meretur. Quam nisi in hac vestra via in qua ambulatis, habueritis, non proficietis, sed deficietis : curretis quidem sed in vacuum, quia non comprehendetis.

XI. Hæc autem prolixe superius dicta, compendiosius possunt repeti, ut queant arctius in memoria teneri. Apparuit gratia Salvatoris nostri Dei. Triplex gratia, prima est Creatoris nostri Dei, et erat in exordio, pertinens ad Patrem ; secunda Salvatoris nostri Dei, et est modo in fine, spectans ad Filium. Tertia confirmatoris nostri Dei, et est sine fine, attinens ad Spiritum sanctum. Prima itaque creatrix, secunda salvatrix, tertia confirmatrix. Prima hæc tanta nobis contulit, essentiam ut essemus ; ad imaginem et similitudinem Dei, ut sublime quid essemus : potentiam, ut subjectæ creaturæ præessemus. Hanc autem in homine gratiam culpa obscuravit, ad hæc quatuor mala perducens, ignorantiam, desidiam, malitiam, damnationem. Et erat ignorantia excæcans ; desidia a virtutibus abstrahens : malitia ad peccata alliciens ; damnatio in æternum affligens. Sicque factus est homo caliginosus per errorem ignorantiæ, desidiosus per teporem negligentiæ, malitiosus per sordem nequitiæ, damnatus per horrorem pœnæ. Venit Salvator prædicavit vera, reprobavit mala, elegit bona, et mortis pertulit aspera : sicque gratia salvatrix illuminavit hominem cæcum per veritatis prædicationem eripiens eum ab erroris caligine : emundavit pollutum per pravitatis reprobationem, abluens eum a sorde malitiæ : exornavit desidiosum per virtutis electionem, erigens eum a tepore negligentiæ : reconciliavit reum per mortis passionem extrahens ipsum a damnatione gehennæ. Primo ergo Salvator vera prædicans, cæcum illuminavit ; secundo mala reprobans pollutum mundavit ; tertio bona exercens nudatum ornavit : quarto in cruce moriens reum judici reconciliavit. Confirmatrix vero gratia hæc quatuor confert nobis : potentiam, sapientiam, benignitatem, æternitatem, primam a Patre, secundam a Filio, tertiam a Spiritu sancto, quartam ab ipsa Trinitate, ut sit Deus omnia in omnibus. Primam habemus in nobis ipsis, secundam in Deo, tertiam in invicem, quartam denarius ille est, quem omnes simul indifferenter habebunt, qui indifferenter tamen in vinea non laborarunt. Poterimus ergo sine debilitate, sciemus sine errore, amabimus sine offensione, permanebimus sine ulla in æternum defectione. Salvatrix nos gratia erudit, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria sobrie juste et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei. Sobrie nobis, ut pertingamus ad potentiam ; juste proximo, ut ad

Digitized by Google

benignitatem; pie Deo, ut ad sapientiam; exspectantes perseverando ad æternitatem. Sobrie vivis, si cogitationes servans, mentem ab impuro compescis affectu: si membra tua, quæ sunt super terram, cum vitiis et concupiscentiis crucifigens, carnem ab illicito refrenas affectu (*Galat.* v, 24); si necessaria corpori discrete concedens, custodis illud a defectu. Juste vivis, si reddis quod debes superiori, quod inferiori, quod æquali, quod passim omnibus: superioribus obedientiam, reverentiam, familiaritatem. Sit obedientia sine murmure, reverentia sine fictione, familiaritas sine adulatione. Inferioribus disciplinam, lenitatem, discretionem: disciplinam quæ terreat, lenitatem quæ demulceat, discretionem quæ utramque temperet. Æqualibus amorem, honorem, hilaritatem; amorem in charitate animi sine duplicitate vel fictione; honorem in humilitate obsequii, sine vanitate et adulatione; hilaritatem in gratia vultus, et dulcedine verbi sine levitate et dissolutione: passim omnibus, cum in adversitate fuerint, compassio ut miserearis: consolatio ut eos erigere conearis; cum vero in prosperitate, gratulatio ut per charitatem eis congaudeas. Exhortatio, ut ad bonum eos per instructionem excites. Utrisque ut tam his qui in adversitate quam in prosperitate fuerint constituti, impendas consilium et auxilium, ut per illud de his, quæ nesciunt, eos erudias, et in his ad quæ per se non sufficiunt, eos adjuves. De cætero, fratres, collaudate hanc gratiam salvatricem, suspirate ad confirmationem, ut sobrie et juste et pie viventes in hoc sæculo **111** secure beatam spem exspectetis, atque ad videndam perpetuo gloriam magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi pertingatis: præstante eodem, qui, hodierna die, de Virgine nasci dignatus est, Deo et homine Christo Jesu qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula. Amen.

SERMO XXIX.

IN DIE SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS.

De tribus festis quæ diei Nativitatis Dominicæ proxime succedunt: et virtute charitatis, atque patientiæ.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Natalem Domini cur sanctorum Stephani, Joannis, Innocentium excipiat nativitas. — 2. Christus in sanctis suis quodammodo patitur et moritur: non est hic verum et stabile gaudium. — 3. Mundanum gaudium interpolat morsus amaritudinis: mortem sanctorum lætitia vitalis. — 4. In S. Stephano charitas ad compassionem, zelus ad correptionem, oratio eminuit ad emendationem. — 5. In Judæis furor in corde, exprobratio in ore, conspiratio in mortem. — 6. Æquo animo suscipienda correptio. — 7. Iracundiæ motus præcavere, prudentiæ est; comprimere, patientiæ. — 8. Virtutis patientiæ definitio explicata. — 9. Conspiratio in malum pessima: ferendæ correptionis remedium. — 10. Mala cuncta ministrat iracundiæ impetus: qui exemplo S. Stephani temperandus. — 11. Bonus est correptionis zelus, quem format dilectionis affectus.

1. Si diligenti sollicitudine, et sollicita apud vos diligentia, charissimi, perpendere volueritis, quod sancti isti quorum in his tribus diebus festa celebramus, singulorum in singulis, communi omnium Redemptori valde dilecti fuerint, tum cum multa sint alia, etiam hoc potestis indicio deprehendere, quod dies eorum natalitii, tam recenter post ipsum, in quo ille est natus, diem ordinate sine ullo intervallo succedentes, se nobis celebrandos ingerunt. Et hodie quidem passionem beati Stephani pia devotione recolimus; qui idcirco, ut scitis, locum inter martyres obtinet magnum in dignitate, quia primum habet in ordine, ut enim beatus Maximus ait, si quid distare inter martyres potest, præcipuus videtur esse, qui primus est. Crastina vero die gloriosum gloriosi Joannis apostoli et evangelistæ, Deo volente, celebrabitis festum. De quo, quod in maxima familiaritate apud Christum habitus sit, nulli dubium est, cui Evangelium ejus incognitum non est. Nonne ipse est, qui ad testimonium amoris præcipue, supra pectus ejus in cœna recumbere meruit, qui etiam præ cæteris cunctis, ut evidenter suum ei exprimeret traditorem, Dominum rogare ausus fuit. *Domine*, inquit, *quis est?* (*Joan.* XXI, 20) sed nec illud tacendum, quod, cum omnes discipulos suos amaverit Dominus, non est præsumptionem arbitratus dicere de se ipso: *Discipulus ille quem diligebat Jesus* (*ibid.*, 7). De sanctis quoque Innocentibus, quorum dies natalitius festo succedit beati Joannis, quod Christo recenter nato, recenter nati, et ipsi fuerint dilecti, quis est qui ambigat, cum ejus nativitas mortis ipsorum causa et occasio sit? parvulus siquidem Jesus, parvulos sibi conjunxit, innocens innocentes, nascens morientes.

II. Sed quid, quæso, est, quod cum gaudio maximo celebrari debeat Natalis dies Christi: tamen præcipuorum amicorum et familiarium suorum passionis dies ingerunt, et mortis? namque pene, eodemque tempore, et ejus in mundum introitus, et horum de mundo a nobis celebrandus est exitus: uno horum mortem, et illius celebramus nativitatem. Et quidem in electis et dilectis suis Christus patitur, et in morientibus moritur. Alioquin nec de persecutione diceret ad Saulum: *Saule, Saule, quid me persequeris?* (*Act.* XXVIII, 7) nec de morte ad Petrum: *Venio Romam iterum crucifigi.* Quid ergo est hoc, quod tam recenter, post ejus in se ipso ingressum in mundum, ejus in dilectis familiaribus suis de mundo celebramus egressum? possunt quidem ei sancti ejus et istud dicere: *Heri venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi* (*II Reg.* XV, 20). Quid in hoc putatis nobis innuitur, nisi quod brevis est nostra in hoc mundo mora: tristis nihilominus universa, quam hic agimus, lætitia? Hesterna die ejus in seipso celebravimus nativitatem; hodierna vero ejus in Stephano quodammodo celebramus passionem. Heri facta est cum angelo multitudo cœlestis militiæ laudantium Dominum. Hodie factus est furor Judæorum lapidantium **112** Stephanum. Mortem hodie persecutores lapidantes intulerunt Stephano: evangelizatum est heri gaudium magnum

Digitized by Google

quod erat futurum omni populo. In quibus omnibus, ut jam diximus, ostenditur nobis, quod in hoc mundo est vita brevis, et lætitia tristis. *Quæ est vita nostra?* ait sanctus Jacobus, *vapor est ad modicum parens* (*Jacob.* IV, 15). In quibus verbis patenter monstratur vita nostra magis aliquid apparere, quam aliquid esse, nec diu posse superesse etiam modicum illud, quod videtur apparere.

III. Pone mihi modo aliquem ab ipso mundi exordio usque hodie vixisse, et hodie debere mori, quidnam longanimitate temporis ejus judicabis? desinit esse qui fuit, eumque edax et consumptrix deglutit mors. Quæ item tanta in rebus humanis est gaudii dulcedo, quam morsus non interpolat amaritudinis? nam voluptatum corporearum appetentia, ut ait quidam, plena est anxietatis, satietas vero pœnitentiæ, et adjunxit : quantos illæ morbos, quam intolerabiles dolores, quasi quemdam fructum nequitiæ fruentium solent inferre corporibus? nam tristes esse voluptatum exitus, quicunque suarum voluerit libidinum reminisci, intelliget. Et item de eodem :

Habet hoc voluptas omnis,
Stimulis agit fruentes,
Apumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, et nimis tenaci
Premit icta corda morsu

BOET. l. II, met. 7.

O vita, quam cito curris ad mortem! o lætitia, quam festinanter cadis in errorem! credo per hoc Dominum admonere vos, ut ad illam studeatis properare vitam, a qua æternitas procul pellit occasum, et ad illam lætitiam, a qua universitas omnem fugat defectum. Hæc illa lætitia est, ad quam sancti per præsentem attingunt mœrorem. Hæc illa vita est, ad quam per corporalem perveniunt mortem. Quam delectabilis mœror hic, quam desiderabilis est hæc mors? illum namque gaudium remunerabit, quod propter immensitatem ejus in nullo poterit minui; hanc vero vita quæ, propter æternitatem nullatenus poterit finiri. Ad quam vitalem lætitiam et lætam vitam beatus hodie Stephanus pervenit, lætitia immensa dolorem commutans temporalem, et vita æterna mortem corporalem.

IV. In quo quidem veræ habetis, inter cætera, quibus enituit, virtutum insignia, charitatis exemplum. Charitatem namque in se habuit veram, et ideo veram, quia ornatam. Unde et dicitur plenus fuisse Spiritu sancto (*Act.* VII, 55), quia et id amavit quod debuit, et eo quo debuit modo. Hoc est unam eamdemque amavit personam, tam in fovendo scilicet naturam, quam in persequendo culpam. Alioquin plene Spiritum sanctum non haberet, si vel columba vel igne careret, maxime cum constet in utroque eum apparuisse. Non est itaque in corde plenitudo spiritus, nisi sicut excitatur per affectum ad dilectionem, ita et accendatur per zelum ad æmulationem. Utrumque beatus Stephanus in se habuit et dilectionem et æmulationem, illam ad compassionem, hanc vero ad correptionem. Nam quomodo obstinatos corripuit Judæos? *Dure*, inquit, *cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut et patres vestri, et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis, quia accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis* (*ibid.*, 51). Sed qui ita resistentes sibi corripuit, qualiter pro eisdem se lapidantibus oravit? *Domine*, inquit, *ne statuas illis hoc peccatum : quia nesciunt quid faciunt* (*ibid.*, LIX). O amara in ore correptio, o dulcis in corde compassio! et una eademque utriusque causa fuit, et radix dilectio. Nam quos corripuit ut se corrigerent, oravit ne perirent; et in utroque, tam videlicet in corripiendo, quam orando, nihil præterquam eorum salutem quæsivit, ita disponente atque providente charitate, quam intrinsecus in mente possedit. Hæc itaque tanta in beato Stephano imitemur, quatenus et invicem diligamus, et invicem corripiamus, et pro invicem oremus, sitque dilectio tam correptionis, quam orationis causa : providens sollicite et diligenter curans, ut et correptio discreta, et oratio assidua sit.

V. Cæterum sicut hæc in isto athleta Christi vobis imitanda proponitis, ita et a tribus illis malis, quibus iniquos notare potestis fuisse Judæos, qui eum persequebantur, omni vobis diligentia cavete, iracundiam videlicet, exprobrationem et malitiam. Quid enim dicit Scriptura : *Audientes*, inquit, *hæc dissecabantur cordibus suis.* Ecce furor iracundiæ: *et stridebant dentibus in eum* (*ibid.*, LIV) ; ecce exprobratio. Et post pauca : *Exclamantes* **113** *autem voce magna continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum* (*ibid.* LVI). In quibus verbis nihil ad malitiam pertinens notare possumus ipsis defuisse, dum a veritate auditum avertentes, ea quæ Dei erant, nec exterioribus poterant auribus percipere. Ejus quippe se esse membra monstrabant, de quo legitur, quod *corpus ejus quasi scuta fusilia compactum squammis se prementibus : et una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas* (*Job* XLI, 6). In plenitudine quoque vesaniæ conspirati, tota aviditate mortem ejus atrocissimam sitiebant. Longe, quæso, facite a vobis hæc, ne de vobis veraciter dici possint. Absit ut in vobis unquam impleantur verba hæc : *Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum!*

VI. Absit, inquam, ut audita correptione salubri, quam charitas in corde dictat fraterno, et exprimit ore fraterno, dissecemini cordibus vestris male exasperati, et ad verba salubria nimis temere commoti! Scitis quam multæ sunt in sacra Scriptura sententiæ exhortantes vos ut verba correptionis humiliter audiatis, quia, sicut ad vulnus medicina, sic ad culpam correptio est. Etenim sicut illa vulneri sanitatem, sic et ista peccato confert remissio-

Digitized by Google

nem. Ait Salomon : *Qui diligit disciplinam, diligit sapientiam ; qui autem odit increpationes, insipiens est* (*Prov.* XII, 1) ; et item : *Stultus irridet disciplinam patris sui ; qui autem custodit increpationes, astutior fiet* (*Prov.* XV, 5) ; et iterum : *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus, et eum sanitas non sequetur* (*Prov.* XXIX, 1). Ecce quanta utilitas in correptione, et quantum ei imminet periculum, qui eam humiliter recipere recusat. Estote itaque intrinsecus, cum vos forte periculum tangit, integri : et ne permittatis vos gladio iracundiæ in cordibus vestris secari. Quod si forte plenam integritatem in cordibus vestris servare non potestis, contendite totis viribus ut ad prolationem [*al.* prolocutionem vel complicationem] saltem oris non pertingat ullatenus tumor mentis, ut cum Psalmista unusquisque vestrum dicere possit : *Turbatus sum et non sum locutus* (*Psal.* LXXVI, 5). Et si tantæ perfectionis non es, quatenus continere te possis, ne corde tuo dissentias ; tantæ saltem præsumptionis atque vesaniæ non sis, ut strideas dentibus in eum qui corripuit te, quod nimirum tunc facis, cum in eum, qui te corripuit, ad ulciscendum te, verba furoris evomis et exprobrationis. *Filii* namque *hominum*, ut ait sanctus David, *dentes eorum arma et sagittæ* (*Psal.* LVI, 5) ; dentibus itaque stridere, verbis mordentibus furere est.

VII. Magnæ profecto fortitudinis est, iram in corde vel ne omnino surgat per providentiam præcavere, vel postquam forte, ut sæpe solet, surrexerit, saltem per patientiam comprimere. Asserente Salomone, quia *melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium* (*Prov.* XIV, 32). Scimus utique quantum amari et approbari solet a filiis Adam corporis fortitudo, sed longe ea excellentior mentis fortitudo et sublimior est. Et hæc quæ alia est, quam patientia ? esto patiens et fortis es, et quidem quo patientior eo fortior. Nulla penitus valet fortitudo corporis non modo æquari, sed nec comparari fortitudini cordis, cum juxta Salomonis sententiam, sit *melior patiens viro forti*. Sed dixis fortasse tu, quæ est hæc virtus tam pretiosa, de qua loqueris ? vel quomodo acquiri valet, cui omnis fortitudo corporalis succumbit ? Num omnis qui patitur patientiam habere dicendus est ? non utique. Nam est qui patitur, sed invitus ; et ideo patiens dici nullatenus valet, quem Salomon meliorem asserit viro forti. Nam quomodo patiens est, qui pondere propriæ pusillanimitatis vergens ad ima, in rancore cordis et murmure oris jacet prostratus ? nam etsi forte os clauditur, clamosum tamen intrinsecus cum omni amaritudine silentium ; et silens cum inquietudine et perturbatione magna obstrepere non cessat multiloquium. Hicne tibi fortis videtur, qui repræsentans sibi eum, in foro cordis, erga quem commotus est, verbis eum silentibus amarissime aggreditur, convicia dans et convicia recipiens ; comminationes intentans et jacula maledictionis intorquens, cum absente vacuus litigator decertans ? nequaquam dixerim hunc patientem esse. sed solum videri, quia nec patientiam habet.

VIII. Est enim patientia *adversitatis tolerandæ voluntaria et diuturna propter Deum perpessio. Tolerandæ adversitatis*, dixi, ut illam omnem a virtute patientiæ adversitatem excludam, quæ olerari non debet. Nam est adversitas quæ, si toleratur, contra Deum est. Cum igitur aliqua 114 te tangit adversitas, quæ contra Deum, ac proinde contra salutem animæ tuæ est, non est utique toleranda. *Voluntaria*, dixi, quia tunc veram habes patientiam, quando cum appetitu benevolæ mentis aliquid pateris, et hæc postmodum apud te retractans, ea te passum esse lætaris : non solum nulla erga eum, qui ea tibi intulit, ira commotus, sed majore erga illum dilectione succensus. Recordare quod de Apostolis dictum est, quia *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V, 41). Et quidem non solum contumeliam passi, sed etiam graviter cæsi erant. *Diuturna* autem addidi, ut quotiescunque, quantumcunque adversi irruerit, patientia nullatenus deficiat in mente, quandiu vita fuerit in corpore. De omni virtute illa Domini intelligitur sententia : *Qui perseverat usque ad finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 13). *Propter Deum*, in fine dixi, pro eo quod id solum a Deo remuneratur, quod propter ipsum pure exercetur ; ut cui amor Dei causa est in labore, ei sit et visio in retributione merces. Igitur qui hic patitur quod debet, et eo modo quo debet, id est voluntarie et perseveranter et qua de causa, hoc et propter Deum, hunc vere patientem dixerim. Hic *patiens est melior viro forti ;* hic dominatur animo suo, et melior est expugnatore urbium. O quantum homo is exaltaretur, qui vel unam urbem posset subjugare ! sed ei nullatenus comparari potest, qui animo suo dominatur, etiam quando non modo urbem, sed et urbes subjugaret.

IX. Audientes itaque verba correptionis ab aliquo, nolite dissecari cordibus vestris, nec strideatis dentibus in eum, qui vos corrigit, per iram interius furentes, et verbis in eum exterius mordentibus garrientes. Sed et hoc cavete, ne continentes aures vestras unanimiter impetum faciatis in eum. Hoc est pessimum et damnosissimum crimen conspirationis, quod a se semper elongare debent universi habitu religionis induti, qui vel modicum quid sentiunt de cœlo. Exsecrabilis plane coram Deo unanimitas ista et hominibus, qua furibundus in proximum fit impetus. Procul distat ab illa quam vobis habendam suggerit beatus Augustinus ubi dicit : *Hæc sunt quæ observetis, præcipimus in monasteriis constitutis, ut unanimes habitetis in domo, et sit vobis anima una et cor unum in Deo* (268). Itaque charitatis correptionem audientes, non secus

(268) S. August. In Reg. init.

Digitized by Google

quam ut causam salutis vestræ, amplectamini eam, scientes meliora esse vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis (*Prov.* XXVII, 6). Quia si forte iracundiæ motu præventus in illa ebrietate furoris, in patientia possidere animam tuam non potes, includant saltem labia tua, et murus ille osseus linguam, nec obnubilet perturbans faciem tuam, ut, dum mens foras non emittit quod intus tolerat, alterius nec per vultum turbatum offendas aspectum, nec per verbum iratum percutias auditum. Laudabile quidem et omnino probabile est, ut tam caute tempore adversitatis te habeas, quatenus quod intus toleras, nec vultu nec verbo passim foris ostendas, sed humilitatem, pro posse, in lingua et facie præferens, scias nebulosam hanc in quam venisti horam tentationis, disponente Deo, in horam noviter transituram pacis et tranquillitatis, quia qui irruere super te permittit vesperum ad fletum, arridere quoque ipse faciet tibi continuo matutinum ad lætitiam (*Psal.* XXIX, 6).

X. Quam multa, ut frequentissima experientia edocti sumus, iratis nobis suggerit ira ut dicamus et agamus, quæ post tempus furoris nullatenus dicenda vel agenda fuisse, sedati jam atque tranquilli effecti evidenter perpendimus? Et idcirco sapiens admodum est, qui furibundum erumpere præ sui vehementia gestientem intrinsecus modum comprimens, cum beato Job (*cap.* III, 28) dissimulat, silet, quiescit, ut et vultus hilaritatem incontaminatam custodiat, dissimulans; et ab aspero se servet verbo silens, et ab actu se compescat illicito quiescens; in vultu hilaris, in verbis lenis, in factis irreprehensibilis. Ne vero contineatis aures vestras impetum facientes unanimiter in eum, non indigetis ut prohibeamus vobis. Quamvis enim necdum omnes ad illud conscendistis culmen perfectionis, ut ab occulto iræ motu qui ex abrupto quam sæpe irruit, et multoties, priusquam præveniri vel provideri possit, violenter et importune se ingerit, semper immunes sitis: absit tamen ut putem aliquos esse inter vos tantæ malitiæ veneno infectos, ut illis aliquando insidias moliantur, a quibus salubres se accepisse correptiones recordantur! Hæc itaque tam iniquos deprehendimus Judæos in passione beati Stephani exercuisse; furorem in corde, exprobrationem in ore et conspirationem in ipsius mortem; qui, teste Scriptura: *Dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum, et impetum faciebant unanimiter in eum* (*Act.* VII, 54). Quem ejicientes extra civitatem lapidabant. Ille vero beatus martyr, contra tria illorum mala, tanta exercuit bona; contra furorem in corde, sinceram charitatem; contra exprobrationem in ore, salubrem correptionem; contra conspirationem in ejus mortem, devotam orationem, qui pro se lapidantibus orabat sic: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt* (*ibid.*, 59).

XI. Quam severa correptio, quam munda oratio! quia nimirum utramque, in una eademque persona, unius sinceritas dilectionis formavit. Talis erat sanctus Joseph, qui fratres suos et intrinsecus perfecte dilexit, et in eos exterius aspere sæviens in aperto quidem corripuit, ut per austeritatem culpam deleret; sed in occulto flevit, ut per pietatem dilectioni satisfaceret. Verba increpatoria in ore formavit zelus, quem lacrymis ab oculis intimus dilectionis affectus excussit (*Gen.* XLIII, 30). Et quidem aliquandiu, licet vix, hunc in se abscondit affectum, sed maxima vehementia ejus, ut erumperet, postmodum compellebat. Quid enim dicit Scriptura? *Non enim ultra se poterat continere Joseph multis coram astantibus* (*Gen.* XLV, 1). Et post pauca: *Elevata quoque voce cum fletu dixit fratribus suis: ego sum Joseph* (*ibid.*, 3). Mortuo vero sancto sene Jacob, timentes fratres ejus, ne eum ad se ulciscendum mors paterna laxaret, cujus, ut putabant, manus vita patris ab ultione continuerat, hæc ei mandaverunt, dicentes: *Pater noster præcepit nobis antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro ut obliviscaris scelerum fratrum tuorum, et peccati, et malitiæ quam exercuerunt in te: nosque oramus, ut servo Dei patri tui dimittas iniquitatem hanc* (*Gen.* L, 17). Quibus auditis flevit Joseph. O virum sanctum et justum utrobique compositum! amantem pie corripientem severe, mollia gestantem viscera ad lacrymas, dura proferentem verba ad correptiones! Quid de sancto Moyse dicemus, qui mansuetus et discretus, Domino, ne populum feriret restitit, ob magnum quem erga eumdem populum habuit affectum: et idololatras, ne culpa impunita esset, ob ingentem, quem in lege Dei sui habuit, zelum, morte percussit. Ibi tam pius et tanto erga subjectos suos ardens amore, ut diceret Deo: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro quem scripsisti* (*Exod.* XXXII, 31). Hic vero tam rigidus, et tam magno zelo succensus, ut his, qui adjuncti sunt ei de filiis Levi, præciperet, dicens: *Ite et redite de porta ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem suum, et amicum et proximum* (*ibid.*, 27). Patet ex his quod vera charitas, quam et ordinari in se petit in Canticis Sponsa, sic menti infundit lenitatem ad affectum (*Cant.* II, 4), ut infundat pariter austeritatem ad zelum, quatenus quicunque cuma postolis percepit Paraclitum, sic ignem habeat ad affectum dilectionis, ut habeat et linguam ad verbum eruditionis, præstante eodem Spiritu sancto, qui est cum Patre et Filio benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXX

ITEM IN DIE S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

De diversitatibus cœlorum et luminaribus eorum.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Exempla Scripturarum, ex quibus discant ministri verbi non deficere quandoque despecti. — 2. A Spiritu sancto est intendere in cœlum, ut notatur in S. Stephano. — 3. Cœli mystici, Ecclesia, fidelis anima, Scriptura, mysterium, vitæ sanctitas, cœtus beatorum, felicitas patriæ. — 4. In primo cœlo, id est Eccle-

Digitized by Google

sia, sol sacerdotium, luna regnum, stellæ viri sancti. Quanta hic obscuratio. — 5. In secundo, temperantia in prosperis, sol est : patientia in adversis luna, bonæ cogitationes stellæ. — 6. In tertio, sensus mysticus sol ; litteralis, luna : exempla virtutum stellæ. — 7. In quarto, intellectus est sol, luna fides, modi contemplationis stellæ. — 8. In quinto, sol est amor, luna timor, actiones externæ sunt stellæ. — 9. Cœlum aliud quinquepartitum : primum est Deus, cujus longitudo æternitas, latitudo charitas, altitudo majestas, sapientia profundum. — 10. Secundum est Christus, cujus divina et humana natura sunt duo luminaria ; stellæ verba vitæ et salutis opera. — 11. Tertium, intellectus angelicus, in quo notitia Verbi, creaturarum, et sui, sunt sol, luna, et stellæ. — 12. Quartum, hic mundus : cujus sol Christus, luna Scriptura, stellæ Apostoli. — 13. Quintum volucrium, sive aer : cujus sol, luna, stellæ patent. — 14. Cœli duodecim suis decori luminaribus. — 15. Angeli a visione Dei nunquam vacant ; quæ visio sol est, nostri compassio luna. **116**. — 16. Beati in Deo potentes sine debilitate, sapientes sine errore, diligentes sine offensione. — 17. Deum esse in seipso incomprehensibilem, in reprobis terribilem, in electis amabilem, est in eo considerare solem, lunam, stellas. — 18. Anacephalæosis cum assertione præcedentium. — 19. Simile a viatoribus longum iter uno die metiri non valentibus.

I. *Cum autem Stephanus esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum vidit gloriam Dei* (*Act.* VII, 55). In passione, fratres, beati Stephani protomartyris patientiæ nobis exemplum accipere possumus, si a nostris forte auditoribus in aliquo contemnimur, cum eis verbum vitæ prædicamus. Suis namque ipse auditoribus exhortationem salubrem impendit, verbis eos increpatoriis ex charitate convenit ; sed ut de eis legitur : *Audientes hæc dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum.* Ecce vitæ audientes præconem, occulta ira concussi sunt, quod per hoc notatur, quod dissecabantur cordibus suis. Aperto furore dilacerati sunt, quod per hoc innuitur quod stridebant dentibus in eum. Non solum autem, sed audientes eum referre quod vidit cœlos apertos et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei : *Exclamantes voce magna continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum, et ejicientes extra civitatem lapidabant.* O malitia multimoda ! O vesania non minus perversa quam diversa ! in exclamantibus impatientiæ notate vesaniam : in continentibus aures suas, obstinationis duritiam ; in facientibus impetum unanimiter in eum, furentem conspirationem ; sive, si id melius accipitur, conspirantem furorem ; in ejicientibus extra civitatem, dedignationem ; in lapidantibus, crudelissimos ac cruentissimos eos intelligite carnifices. Non ergo nimis dure, quantum ad te, accipias, quando verbum evangelizas, si te forte despici consideras, sciens te non meliorem esse Stephano. Non melior illo, de quo cum veritatis verba referret, a perfidis auditoribus clamatum est : *Tolle de terra hujusmodi, non est enim fas eum vivere* (*Act.* XXII, 22). Paulus hic erat, apud quem verbum Dei nunquam erat alligatum ; qui occidi pro Domino potuit, tacere autem de Domino nostro non potuit (*I Tim.* II, 6). Accipite et alium athletam. Allocutus est sanctus Jeremias quondam populum, dicens ad eos, quæ per eum Dominus mandavit ; sed intonuit vox hæc terribilis, ut scitis, in fine sermonis ejus : *Morte moriatur homo iste. Quare prophetavit in nomine Domini?* (*Jer.* XXVI, 8). Michæas filius Jemla (*III Reg.* XXII, 27), cum in nomine Domini quod verum erat idololatræ et homicidæ regi loqueretur, mandatum accepit ut mancipatus custodiæ pane sustentaretur tribulationis et aqua angustiæ. Sed quid de eis dico, cum non sit servus major domino suo, neque apostolus major eo qui misit eum? (*Joan.* XIII, 16.) Nonne, ut multa alia sub silentio præteream, cum ipse æternitatis Dominus coram incredulis hæc verba proferret : « *Antequam Abraham fieret, ego sum,* » *tulerunt lapides ut jacerent in eum?* (*Joan.* VIII, 58.) Igitur cum evangelizas verbum, ut adamantem et silicem exhibe faciem tuam, quatenus nec elatione dilateris susceptus, nec dolore contraharis contemptus, nec pretiosum te æstimes cum audiris, nec cum despiceris vilem.

II. Et de his hactenus. Videamus jam quid sibi vult hoc, quod de beato Stephano audivimus : *Cum intendit in cœlum, vidit gloriam Dei.* Fateor, intentum me faciunt verba hæc : puto autem quod et vos. Gloriam Dei vidit, sed eam non videret nisi in cœlum intenderet, sed nec in cœlum intenderet ut videre Dei gloriam posset, nisi Spiritu sancto plenus esset. Sic enim se habet ipse ordo verborum. *Cum esset*, ait sanctus Lucas in Actibus apostolorum, *Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei.* Quasi inde ei acciderit, quod gloriam Dei vidit, quia in cœlum intendit, qui Spiritu sancto plenus fuit. Ita est. Videamus quid sit cœlum hoc, ut et consequenter cognoscamus, quem [quare] oporteat Spiritu sancto esse plenum, qui intendere desiderat in illud. Multis in locis de cœlo invenio tractare Scripturam, et puto illud non unam, sed diversam habere significationem.

III. Mihi videtur quod sancta Electorum Ecclesia toto orbe terrarum diffusa, quasi quoddam cœlum est, de quo legitur dixisse in Genesi Deus : *Fiant luminaria in firmamento cœli* (*Gen.* I, 14). Hoc est, sint viri spirituales in summa eminentia et eminenti firmitate Ecclesiæ. Est et anima sancta, de qua puto dixisse in Apocalypsi Joannem, quod *factum est* videlicet *silentium in cœlo, quasi media hora* (*Apoc.* VIII, 2), pro eo quod exiguo admodum momento, interna durat quies in anima. Sed et Scriptura sacra visa fuit Psalmistæ quasi quoddam esse cœlum, quod ait Dominum extendere quasi pellem (*Psal.* CIII, 3), quia nimirum sacram mortalibus aperit Scripturam. Occultum quoque mysterium Dei si quis dixerit esse cœlum, non videtur deviare a vero, pro eo quod Joannes in Apocalypsi vidisse se asserat **117** *ostium apertum in cœlo* (*Apoc.* IV, 1), id est deprehendisse se, intellectum

Digitized by Google

sibi fuisse de occulto mysterio revelatum. Sanctitas quoque vitæ cœlum quodammodo est, de quo Beatum Job alloquens Dominus : *Gelu*, inquit, *de cœlo quis genuit?* (*Job.* XXXVIII, 29) pro eo quod ipse multos nonnunquam post sublimem sanctitatem in iniquitate, occulto sed justo judicio indurari permittit. Cœtum vero illorum supernorum spirituum sanctus David cœlum esse intellexit, qui ait : *In æternum verbum tuum, Domine, permanet in cœlo* (*Psal.* CXVIII, 59). Quia cadentibus spiritibus apostatis, sine ullo defectu supernorum spirituum, cœtus eorum qui remanserunt divini verbi obedientiam custodit. Quod autem cœlestis illa, ad quam suspiramus beatitudo, cœlum appelletur, nemo qui dubitat. De quo mentionem videtur facere Isaias, qui diabolum alloquens dicit : *Quomodo cecidisti de cœlo* (*Isa.* XIV, 12), id est, de cœlesti beatitudine? intendite huic septiformi, quod vobis proposuimus, cœlo ; si forte in eo videre poteritis gloriam Dei. Primum sancta Ecclesia est, secundum anima fidelis, tertium Scriptura sacra, quartum mysterium occultum, quintum sublimitas sanctitatis, sextum supernorum spirituum cœtus, septimum beatitudo illa cœlestis.

IV. Nonne tibi videtur sancta Ecclesia esse cœlum, in qua velut sol fulget sacerdotium, ut luna lucet regnum, et quot sanctos continet viros, quasi tot præclaras habet stellas? In istis cœli hujus luminaribus claritatem videmus modo non modicum obscuratam, illa namque tempora periculosa non tam instant, quam exstant, in quibus Apostolus prædixit futuros homines se ipsos amantes, quod et nos videmus impletum in his luminaribus (*II Tim.* III, 6), de quibus prophetavit implendum esse propheta ille potens in opere et sermone, quando ait : *Erunt signa in sole et luna et stellis* (*Luc.* XXI, 25). Quod signum? nisi quod evidentius prædixit Joel : *Sol.* inquiens, *convertetur in tenebras, et luna in sanguinem?* (*Joel.* II, 31.) Nonne solem aspicis in tenebras conversum, cum obscurato, ut deflet Jeremias (*Jerem.* IV, 23), auro, mutato colore optimo, dispersis lapidibus in capite non quidem aliquarum, sed omnium platearum, est sicut populus, sic sacerdos? (*Ose.* IV, 9.) Sed et lunam nonne humidis cum oculis conversam vides in sanguinem, cum reges vides deserere justitiæ æquitatem, exercere autem crudelitatem? signum vero quod tibi in stellis horribile apparet, hoc est, quod in Apocalypsi videlicet vidit Joannes (*Apoc.* XII, 4), caudam utique [*al.* videlicet.] draconis trahere mediam partem stellarum cœli et mittere eas in terram. Quod, etsi tunc spiritualiter fiet quando revelabitur homo ille in suo tempore; qui proprie appellatur homo peccati, filius perditionis (*II Thess.* II, 3); qui in massa reproborum est, quæ corpus est diaboli, quem exprimit draco; pro eo quod in fine apparebit, quasi cauda erit; eos qui in Ecclesia lucere videbuntur, vel minis vel blanditiis attractos de sublimibus ad ima, de cœlestibus pertrahet ad terrena. Quamvis, inquam, id tunc diabolus per eum, peramplius et perfecti is faciet, id tamen nec modo agere desistit : quia ministerium jam operatur iniquitatis. Ad hoc etiam æstimo pertinere, quod in eodem dicit libro, quia *Sol factus est sicut saccus cilicinus : et luna tota facta est sicut sanguis : et stellæ de cœlo ceciderunt super terram* (*Apoc.* VI, 12); pro eo quod sacerdotium asperitas iniquitatis denigrat : imperium furor crudelitatis cruentat, alii vero sancti relicta altitudine contemplationis cœlestis, devolvuntur in terrenis. Attamen duo hæc magna luminaria, in cœlo, duo sunt hi præcellentes ordines in Ecclesia. luminare majus, quod præest diei contemplativorum, et luminare minus, quod præest nocti activorum.

V. Nonne et anima videtur esse cœlum, quam cœleste afficit desiderium sublimem, in qua temperantia in prosperis velut sol est in die, patientia in adversis tanquam luna in nocte; in qua quot apparent cogitationes bonæ, tot nimirum fulgent stellæ præclaræ? Et bene temperantia luminare majus, patientia luminare minus, quia difficilius est cum pacata fortuna non dissolvi, quam sub offensa non frangi.

VI. In cœlo quoque Scripturæ nonne sensum spiritualem per expositionem revelatum quasi solem esse vides in die, historialem vero adhuc indiscussum velut lunam in nocte, ac per hoc illum luminare majus, hunc vero minus? in qua vide innocentiam Abel, sanctitatem Henoch, perfectionem Noe, verecundiam Sem et Japhet, obedientiam Abrahæ, munditiam Isaac, simplicitatem Jacob, justitiam Melchisedech, pudicitiam Joseph, mansuetudinem Moysi, zelum quem habuit Phinees, rectitudinem Josue, fortitudinem Caleb, pietatem Samuelis, humilitatem David, cæteraque in hunc modum innumera sanctorum exempla et præclara insignia, nec puto **118** jam quod lucidis carere stellis hoc cœlum asseres.

VII. Quartum cœlum occultum mysterium, in quo pro sole fulgeat tibi intellectus, pro luna fides. In quo etiam quot modi internorum tibi contemplationum apparent, nonne tot in eo lucidæ stellæ nitent? Intellectus luminare majus est, et fulget in die; fides vero minus, et in nocte. Quia cum certam nobis in occulti mysterii cœlo tam ista, quam ille ostendat veritatem; ille tamen manifestam et nudam, hæc vero clausam demonstrat et involutam. Ut sicut in sole hoc visibili et luna videmus, in illo sit lux clarissima; in hac vero, respectu illius, etsi lux est, sit tamen obscura. Fides siquidem nihil habet dubium, sed nec aliquid nudum, ut sit hæc lucens utique, pro eo quod veritatis habet certitudinem; sed lucens in nocte, pro eo quod detinens eamdem veritatem in involutione, nudam non profert manifestationem. At vero intellectus pro eo quod veritas ei ambigua non est, sol nimirum est lucens, quia vero clausa non est, in die est fulgens. Modi quoque internarum contemplationum, quos in occulto hoc suscipis mysterio, stellæ sunt tibi lucentes in isto cœlo.

Digitized by Google

VIII. Sanctitas vitæ quintum cœlum est, quod duo magna luminaria decorant; luminare majus, quod est amor illuminans te ad intellectum et inflammans ad affectum, ut in die honeste ambulans justitiæ claritatem exerceas; et luminare minus quod est timor, lucens tibi, ut in nocte irruentis tentationis, nequitiæ caliginem devites. Habet et stellas, actiones per membra corporis exercens præclaras. Sed quo progredior? num ut unicuique istorum septem, quos vobis proposui cœlorum propria assignem luminaria præsens exigit materia? nonne hoc expedit magis ut ostendam quomodo intendens in cœlum videre possis gloriam Dei?

IX. Et profecto præter hoc septiforme cœlum est adhuc quoddam quinquepartitum cœlum, in quod si intendis, videre poteris, ut æstimo, gloriam Dei. Et primum quidem summum illud cœlum omnibus aliis cœlis sublimius : ipsum est Deus noster altissimus et investigabilis : *Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit unquam, sed nec videre potest* (*I Tim.* VI, 16). De hoc cœlo sanctus David : *Posuerunt, inquit, in cœlum os suum* (*Psal.* LXXIII, 9); id est Deum verbis blasphemiæ irritaverunt : *Nemo ascendit ad hoc cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo* (*Joan.* III, 13); pro eo quod nemo novit Patrem nisi Filius (*Matth.* XVI, 27), qui processit a Patre, qui et in Patre, et Pater in ipso est (*Joan.* XVI, 28). Hic est qui exivit a Patre, et venit in mundum, et vadit ad Patrem, quia *occursus ejus usque ad summum ejus* (*Psal.* XVIII, 7). Magnum utique et vere magnum hoc cœlum, cujus magnitudo [*al.* magna est], longitudo, latitudo sublimitas et profundum. Magnitudo quadrifaria, sed una; quadrifaria in oris prolatione, una vero in fidei confessione. Longum nobis hoc cœlum ostendit æternitas, latum charitas, altum majestas, et sapientia profundum facit, longitudo non protensa et est sicut initio, sic carens termino. Latitudo non prætensa : nihil eorum quæ fecit odio habens (*Sap.* XI, 25); sed est ei cura de omnibus. Altitudo non sursum elevata, et est supra omnia, cui adest manus omnia potens; profundum non subtus depressum, et est infra omnia. Cui non deest oculus omnia videns. Ecce quam magnum cœlum hoc; sed quam magnum quis apprehendet? *Magnus*, inquit, *Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus* (*Psal.* CXLVI, 5); sic et magnitudinis ejus non est finis (*Psal.* CXLIV, 5). O altitudo in excelsis! o longitudo in promissis! o latitudo in beneficiis! o profundum in judiciis! Suspice in cœlum hoc, et inferet consideranti tibi altitudo stuporem, ut obstupescas, longitudo spem ut sustineas, latitudo amorem ut diligas; profundum timorem ut expavescas. Vide quia hoc cœlum omnibus aliis, de quibus huc usque locuti sumus, sive loquimur; sublimius et dignius est. Quæ sint ejus luminaria nolite quærere a me. Fateor, revolvo quædam apud me, quæ ad ea fortasse possunt pertinere, sed utrum plena possit ad ea congruentia referri, necdum comprehendo. Unde vobis proferre in medium non præsumo : instruet vos Dominus super his per semetipsum, dum non vult per me. Nam si vellet, per me ea vobis ostendi, primitus ea mihi revelaret, ut per me ad vos ea transmitteret.

X. Christum quoque mediatorem Dei et hominum, Deum et hominem quidem [*al.* et quoddam] et quidem valde sublime dicimus cœlum : ad quod videtur tunc sanctus David oculos elevasse, quando ait : *Cœlum cœli Domino* (*Psal.* CXIII, 16); intelligens, ut credo, Deum Filium Dei quasi cœlum cœli in omnibus sine ulla exceptione Patri adesse. Quæ esse putatis duo magna in hoc **119** cœlo luminaria? forte duæ sunt in Christo naturæ. Considerate si non luminare majus ille sol sit indeficiens divinitatis suæ, in æternitatis præfulgens die : luminare minus quasi quædam luna, mutabilitas sit nostræ in eo assumptæ naturæ, videlicet humanitatis suæ. Quæ pro eo quod munda quidem, sed temporaliter suæ unita est personæ; lucet profecto, sed in hujus temporis nocte. Lunam aiunt suscipere lumen a sole : et quid habet quod non accipit etiam in Unigenito humana natura? Nonne legistis in Evangelio quod cum approquinquaret Dominus Jericho, lumen cæcus recepit? quem, ut scitis, clamantem quidem transiens audivit, sed stans illuminavit (*Luc.* XVIII, 35). Quid? nonne Jericho luna dicitur? nonne per transitum nostræ mutabilitas in eo naturæ, per statum vero suæ æternitas exprimitur? Videtis ergo quod in transitu lunæ suæ, et in statu solis sui, nostræ cœlum hoc cæcitatis tenebras tersit. Sed in illo per pietatem quidem eidem est cæcitati meæ compassus : in isto vero per pietatem auxiliatus. Sed hujus cœli stellæ quæ sunt? puto quod verba sint, quæ habuit, vitæ æternæ, et quæ in terra operatus est opera salutis nostræ. Inclina itaque aurem tuam, et audi utilia, quæ protulit ore : aperi oculos tuos et vide mira, quæ ostendit in opere, et dic hæc omnia stellas, et quidem valde lucidas esse, quæ cœpit Jesus facere et docere (*Act.* I, 1) : nec mendacii argueris.

XI. Est tertium quidem [*al.* quoddam] cœlum, altum quidem, inferius tamen isto, capacitas videlicet angelici intellectus. Hoc est, quo omnipotentem, ut verbis ejus utar, quæ quidam amicorum Job asseruit, excellentiorem, et excelsiorem, cum eum ad perfectum non posse reperire affirmavit : *Excelsior*, inquit, *cœlo est, et quid facies* (*Job* XI, 8)? volens, credo, per hæc Sophar, qui hæc verba ostendisse invenitur, ipsum convincere, quod suo Deum omnipotentem intellectu, cum humanus sit, perfecte reperire [*al.* reperiri], hoc est, plene comprehendere non posse, qui in luce habitans inaccessibili non modo aliquem, sed omnem sensum, ipsum etiam angelorum intellectum longe transcendit. In cœlo isto, videlicet in intellectu angelico, triplex emicat lumen, quo illustrati Christum agnoscunt angeli, qui eos fecit; et hunc intellige solem : crea-

Digitized by Google

turam mutabilem, quam eis condidit, et hæc est luna : et se ipsos, qui singuli in personas [*al.* in hierarchias] dispositi, in ordinibus distincti, stellæ sunt in perpetuas fulgentes æternitates. Intellectum itaque angelicum communem omnium illum conditorem, naturam a se fictam [*al.* factam] mutabilem, et se ipsos pure aspicere, hoc est tertium, de quo agimus, cœlum solem et lunam et stellas habere. Cœlum quartum mundus iste est, de quo in Apocalypsi Joannes : *Signum*, inquit, *magnum apparuit in cœlo* (*Apoc.* XII, 1). Hoc est, miraculum magnum in mundo. Et quod signum? mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim, in quibus verbis describitur Ecclesia, quæ peregrinatur in mundo per baptismatis sacramentum Christo induta, cujus gressibus lucet sacra Scriptura, quasi lucerna lucens in caliginoso loco (*II Petr.* I, 19), et sicut ille sol, sic et hæc luna est. De qua loquitur sanctus David : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (*Psal.* CXVIII, 105). Quæ etiam mulier duodecim stellarum ornatur corona, dum totidem apostolorum instruitur doctrina ; nam ipsi stellæ sunt. Est itaque cœlum quoddam mundus hic ; lunam vero hujus cœli instabilitatem accipe hujus mundi ; singulæ vero res ab hoc artifice creatæ quasi quædam stellæ sunt ; ipse vero decor universitatis eorum pura speculatione et attentione [*al.* et inspectione] consideratus solis quamdam in mente speculantis effigiem præfert.

XII-XIII. Quintum cœlum si vultis videre, ipsum est aer iste, quod volucrum esse pluribus in locis in sacra Scriptura dicitur, pro eo quod in aere volitare videntur. Cujus luminaria, cum ipsum visibile sit, et ipsa visibilia sunt. Hæc sunt illa quæ realiter quarta die in ipso mundi exordio, posuit Deus in ipso firmamento cœli (*Gen.* I, 14), ut essent, sicut modo omnes corporaliter videmus in signa et tempora et dies et menses et annos, et dividerent diem et noctem et lucerent in eodem firmamento cœli et illuminarent terram. En plures vobis proposuimus cœlos, et non sub una sed sub gemina divisione, ut et evidentius intellectu caperentur, et arctius in memoria retinerentur. In prima vobis divisione ostendimus sex, in secunda quinque. Unicuique autem prout nobis occurrere potuit ad præsens, propria luminaria aptavimus exceptis tribus : illo videlicet altissimo cœlo, qui Deus est, et duobus aliis, quorum unum beatorum illorum spirituum cœtui, alterum vero beatitudini assignavimus cœlesti. Repetamus eos modo ex ordine et omnes sub una divisione, quia **120** quod sæpius solet repeti, arctius contingit in memoria retineri.

XIV. Primum cœlum est aer iste visibilis, secundum mundus iste mutabilis, tertium Ecclesia sancta, quartum anima devota, quintum Scriptura divina, sextum occultum mysterium, septimum sanctitas religiosæ conversationis, octavum spirituum supernorum cœtus, nonum beatitudo illa cœlestis, decimum, capacitas angelici intellectus, undecimum primogenitus mortuorum ille princeps regum terræ, mediator Dei et hominum, Deus et homo Dominus noster Jesus Christus (*I Tim.* II, 5); duodecimum, qui lucem habitat inaccessibilem (*I Tim.* VI, 16), rex immortalis et invisibilis, qui suo nobis ortu diem affert solus omnipotens, et dominans Deus trinus et unus. In primo cœlo sol est visibilis, qui suo ortu nobis diem afferens, et occasu auferens quotidie oritur et occidit, et, ut ait Ecclesiastes : *Ad locum suum revertitur : ibique renascens gyrat per meridiem et flectitur ad aquilonem lustrans universa* (*Eccl.* I, 5, 6). Luna ejus quæ sit, sive stellæ satis intuentes deprehendunt. In secundo mutabiles ejus eventus pertinent ad lunam ; singulæ ejus creatæ a Deo visibiles res ad stellas, decor universitatis per contemplationem inspectus ad solem pertinent. In tertio, ut breviter perçurramus, sacerdotium et regnum, et viri sancti sol, luna, et stellæ. In quarto sol temperantiæ, luna patientiæ, stellæ sanctarum lucent cogitationum. In quinto sol in sensu spirituali, luna in historiali, stellæ in revelatione virtutum, quas dudum exercuerunt sancti. In sexto sol micat in intellectu, in fide luna, singuli autem internarum contemplationum modi singulæ sunt stellæ. In septimo fulget sol amoris, luna timoris, et bonarum actionum corporalium stellæ. In decimo cognitio Dei præfulget ut sol, creaturæ mutabiles ut luna, et dum propriam lucem singulæ habent, lumine quodam decoro, et decore luminoso stellæ singulæ micant. In undecimo sol est assumentis nostram naturam, luna assumptæ ; singula vero quæ ab eo audiuntur verba, et singula quæ in eo conspiciuntur opera, stellæ sunt.

XV. Puto quod desideratis multum videre luminaria horum trium cœlorum de quibus necdum quidquam diximus. Scio enim piam et religiosam curiositatem vestram non posse quiescere, quandiu non invenit quod quærit. Num istud prout solitum, negabit largus ille Dominus aperire secretum? pulsemus ad eum, quia mentiri non potest qui ait : *Pulsanti aperietur* (*Luc.* II, 10). Perseveremus in pulsando, ut dare vel importunitas compellat, quem compellere fortassis amicitia non valet. Pulsemus, inquam, si forte pulsantibus concedat ; quod scrutantibus negat, sic enim sæpissime solet. Nam multoties, quod perscrutando non potuimus invenire, licuit quoque nobis pulsando extorquere. Aperi nobis, Domine, ad laudem tuam, ad utilitatem nostram, quæ sunt luminaria in cœlo, quod est beatorum tuorum spirituum cœtus, et in illo quod est beatitudo quam nobis promittis, cœlestis ; et in illo etiam quod ipse es. Ex his beatis, qui in tua tecum exsultant gloria, spiritibus, quosdam intelligimus tuo indesinenter vultui assistere, et ab intimis nunquam recedere, quosdam vero opus ministerii sortientes foras ad nos exire, effectos te disponente, administratorios spiritus ; a te in mi-

Digitized by Google

nisterium missos propter nos, qui hæreditatem capimus salutis (*Hebr.* I, 14). Et hæc de eis dedit mihi sentire ille servus tuus, qui ait : *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei* (*Dan.* VII, 10). Sed rursum video nec istos deesse aliqua hora, qui ad nos foras exeunt, nec illos nobis, qui tibi indesinenter assistunt. Nam quomodo possunt esse perfecti vel illi in charitate, si etiam tibi assistentes curam de nobis nullam haberent, vel isti in felicitate, si cum ad nos exeunt beatam et lætificantem visionem tuam non modo amitterent, sed vel brevissimo momento videre intermitterent? Itaque et qui assistunt tibi nobis non desunt compassione : et qui ad nos veniunt, tibi assistunt, imo in te sunt contemplatione. Hæc autem sollicitudo, qua isti nobiscum degentes astricti tenentur erga te, et illi tibi intendentes de nobis; nonne lux magna est, qua stellæ illæ lucidæ, illos de quibus loquimur, beatos spiritus dico, præfulgent? Ministerium vero eorum, quia id apud nos, qui in præsentis vitæ caligine mutabili, et mutabilitate versamur caliginosa, exercent, nonne luna est? nam tuæ semper intendere claritati, visionis splendidissimo indeficientis solis jubare perfrui est, igitur in assistentibus fulget sol, in ministrantibus luna, et dum singuli perfecta tibi adsunt contemplatione et nobis compassione, magna hæc eos perfectio fovens magna est lux stellas illas singulas illustrans.

XVI. Cœlestem illam ad quam aspiramus **121** felicitatem triplicem esse invenio, dum apud me quæro, quid erimus in nobis, quid in te Deo nostro, quid simul omnes in invicem. Et invenio nos in nobis potentes, et in te sapientes, et in invicem amantes [*al.* in suos invicem vel se invicem] : omnia poterimus sine ulla debilitate, omnia sentiemus sine ullo errore, et invicem plene diligemus sine ulla offensione. O robur fortitudinis indeficientis, qua in nobis potentes! o claritas omnimodæ cognitionis, qua in te Deo nostro sapientes! o suavitas veri amoris, quo invicem amantes! Hæc tamen omnia tu nobis eris, qui, dum totus in nobis eris, etiam totum in nobis eris, conferente nobis potentiam in nobis, te summo Deo Patre; sapientiam in te Deo nostro, te summa sapientia Filio : Benignitatem in invicem, te summa benignitate Spiritu sancto, ut sis Deus omnia in omnibus (*Coloss.* III). Quia vero nos, in quibus hæc erit potentia, mutabiles sumus natura, et sicut luna habet secundum quosdam lumen a sole, sic et nos, quidcunque habemus boni, a te habemus : videtur nobis, quod quædam in cœlo luna, ista, in illa beatitudine cœlesti, erit potentia. In te vero sapientiam habere, nonne solis est claritatem possidere? quid in hoc sole [cœlo?] visibili clarius sole? quid in illa beatitudine splendidius quam, in te omnia sciente, omnia scire? singulos autem concives illos insolubili indeficientis charitatis compage benignitas uniens in te; obscuritatis omnimodæ nescia, claritas est in singulis illis stellis irradians. Habet itaque cœlum illud solem, dum illis filiis regni cœlestis illa beatitudo (hoc est enim cœlum) sapientiam confert in Deo, per omnimodam cognitionem; lunam, dum eis potentiam, singulis in se, per robustissimam fortitudinem; clarissimam etiam lucem, et lucidissimam claritatem in stellis, dum suavitatem in singulis, in invicem veri amoris.

XVII. Restat, Domine, ut de illis cœli luminaribus, quod tu es, aliquid dicamus. Ergo tuo splendore mica, et illum na nos, ut sine tenebris erroris, de eis loquendo incedamus. Si cum cœlum sis, solem, lunam et stellas habes, tu quidem hoc ipse es, qui nihil in te habes, quod ipse non es : sicut enim tu verum esse non potes non esse, sic nec aliquid in te esse poterit, quod tu non sis. Tu enim, ut ita dicam, esse tuum es, in quod nihil est nisi quod es; aliis tamen in te ostendis solem, aliis lunam, aliis stellas, cum tu non aliud et aliud, sed ipse idem sis, cum idem est esse quod est. Qui autem considerat quid es in te ipso, quid in reprobis, quid in electis, videre, ni fallor, potest, esse in te solem, lunam et stellas. Video te in te ipso; omnino incomprehensibilem, ac per hoc quemdam, quem nullus vel angelicus vel humanus intellectus penetrare sufficit, solem. Tu vere unus, et ideo in te non suscipiens numerum : immensus, ac per hoc nullum admittens augmentum; æternus et idcirco nullum patiens defectum : tu sub quo transeunt cuncta, nihil tibi. Tu magnus, sed sine quantitate; tu simplex, sed sine extenuatione; tu bonus, sed sine qualitate, tu semper sed sine tempore, tu ubique sed sine loco; tu in omni re, sed sine tui definitione; tu in omni tempore, sed sine tui mutabilitate. Nec potes ullatenus nec pro [*al.* vel pro] tui puritate maculari, vel simplicitate dividi vel immensitate comprehendi, vel incommutabilitate mutari : sed nec cognitionem variare potes, qui sapientissimus es; nec affectum, qui optimus, cujus potentiæ omnis effectus subjicitur, cujus sapientiæ omne occultum manifestatur, cujus deliberationem omnis eventus sequitur, cujus nec æternitatem æquat tempus, nec bonitatem virtus, nec sapientiam sensus, nec potentiam opus. Quod sic sit, quis non credit? Quomodo autem sit sic, quis comprehendit? Ecce sol in hoc cœlo magno et spatioso, quod tu es. Adhuc se ad alium solem intuendum tuus Paulus erexit, sed reverberatus ad oris rediit strepitum ubi sermo incipitur et finitur et exclamavit dicens : *O altitudo divitiarum scientiæ, et sapientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* et adjunxit: *Quoniam ex ipso, et in ipso et per ipsum sunt omnia, ipsi gloria* (*Rom.* XI, 33). Ex te, Domine, omnia sunt, tu principium omnium; per te omnia, qui principium, tu et artifex; in te omnia, videlicet in virtute, non quasi in loco. *Ex*, *per*, *in*, Trinitatem innuunt in personis; *ipsi* autem unitatem, quæ est in

Digitized by Google

substantia, nec in illa multiplicitatem, nec solitudinem recipimus in ista; illam non confundentes, hanc autem non dividentes. Cum enim dicimus unum, nec nos Trinitas conturbat, quia essentiam nec variat, nec multiplicat, nec partitur. Cum vero tria non nos unitas redarguit, quia illa tria, neç in confusionem cogit, nec in singularitatem redigit. Hæc autem, Domine, quia ratio plene non prospicit, nec tamen opinio ambigit, sed sola fides persuadet, **122** pertinere ad quemdam in te, arbitror, clarissimum solem, dum sic te considero omnino incomprehensibilem. Luna vero, et si secundum quosdam lumen suscipiat a sole, diu illud non retinet, sed confestim in defectum recepti luminis vergit. Et quis est, Domine, etiam in reprobis, qui se abscondat a calore tuo? (*Psal.* XVIII, 7.) Sed dum quam eis confers gratiæ claritatem, in eis per virtutem perseverantiæ non custodis, sed justo occultoque judicio obscurari permittis, nonne te lunam in eis quodammodo ostendis, dum cum perversis et ipse quodammodo perverteris? terribilem te video in eis, quos et si occulte, juste tamen ab æterno reprobas, ut eos in æternum condemnes. Cæterum amabilis in electis tu es, quos ad vitam prædestinatos, in te dum multimodo gratiarum tuarum lumine illustras, præclaras in te quasdam stellas, et ab æterno per prædestinationem, et in æternum per salvationem lucem demonstras.

XVIII. Igitur in cœlo illo, quod est supernorum spirituum cœtus lucet sol, dum tibi assistunt: lucet et luna, dum ad nos foras exeunt. Singulæ etiam stellæ lucidæ sunt, dum et assistentes nobis in compassione, et exeuntes tibi non desunt in contemplatione? In illo autem cœlo, quod beatitudo cœlestis est, fulgebit electis quasi sol sapientia, quam in te Deo suo habebunt, quasi luna potentia, quam in se ipsis; quasi claritas stellarum simul lucentium benignitas quam in invicem, per amorem. In cœlo vero altissimo quod tu es, maxima est solis claritas, incomprehensibilis tua in te ipso immensitas: ad instar quoque luminaris mutari te ostendis in reprobis, et quasi quædam lucidissimæ stellæ sunt, qui in te ad æternam vitam prædestinati sunt. In te ipso incomprehensibilis, terribilis in reprobis, suavis in electis; si hæc, Domine, sic stare possunt, tibi gloria et laus. Sin autem minime: ignosce, quæso, cæcitati meæ, et veritatem de omnibus revela servis tuis, conservis autem meis, ut per ipsos horum notitia perveniat ad me.

XIX. Ecce, fratres, sicut viatoribus quam sæpe, qui totum suum, ipsa qua illud aggressi sunt die, proponunt peragere iter, et non possunt, quia irruit super illos nox: et ideo hospitari, quodque de itinere residuum est usque in crastinum differre coguntur: ita et nobis accidit. Totum namque iter capituli nostri, quod in exordio hujus sermonis proposuimus, uno putavimus expositionis die terminare, et ecce quasi tota die perreximus, et necdum ad propositum finem pervenire potuimus. Et hoc nobis inde accidit, quod in itinere isto sensuum spiritualium superficies, quasi quædam ramorum capita eminus vidimus; sed latentes eorum profunditates quæ sunt quasi quædam interjacentium vallium concava et camporum nequaquam deprehendimus. Restat ergo ut intermittendo modo hospitemur, et quod de itinere expositionis residuum est, reservemus, ut ad id quod dicendum est eo alacriores, quo præmissa oratione securiores accedamus; laudantes ac glorificantes Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, qui est cum Patre et Spiritu sancto Deus per omnia benedictus in sæcula. Amen

SERMO XXXI.

ITEM IN DIE S. STEPHANI PROTOMARTYRIS

De gloria Spiritus sancti et de spiritualibus cœlis.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Ut nos in cœlum cum B. Stephano intendere valeamus. — 2. Quis Spiritu sancto plenus, et videat gloriam Dei. — 3. Apparet Spiritus sanctus in specie ignis, columbæ, linguarum: et quare. — 4. Ubi deest affectus, non est aspectus; cognitio ignorantiam, charitas fugat concupiscentiam. — 5. Rectæ intentionis necessitas. Et quis ad prædicandum idoneus. — 6. Spiritu sancto plenus securus annuntiet verbum. — 7. Cœli pluraliter in Scriptura mystice angelos, apostolos, prædicatores, sapientes, viros spirituales, modos contemplationum signant. — 8. Ut licet hos cœlos videre apertos. Et primum de modis contemplationum. — 9. Viri spirituales quasi cœli, quorum nomina ut stellæ splendent. — 10. Exempla virtutum in Joseph, Moyse, Phinees, Josue. — 11. In Samuele et Davide. — 12. In Elia, et Eliseo: Jeremia et Isaia: Tobia et Daniele, tribus pueris et Matthatia. — 13. Sanctorum veteris et novæ Legis dignovisse virtutem, est cœlos habere apertos. — 14. Quid sit reliquos cœlos aperiri. — 15. Novem chori angelorum, ac officia eorum. — 16. Deus ut omnia in omnibus et singulis.

I. Eia aggredimur iter, quod usque modo distulimus. Demorati sumus tandiu in cœlis istis et luminaribus eorum, quod, quomodo debeat in eis videri gloria Dei, ostendere non vacabat nobis. Quia ergo docuimus jam qui sunt cœli isti, quæve luminaria eorum, ostendamus nunc prout possumus, quomodo **123** intendentes in cœlum cum beato Stephano videre Dei gloriam possimus. Nolumus hac vice intrare in cœlos istos, ne si forte intraverimus in eis, amœnitate eorum delectati, et claritate luminarium, quæ in eis sunt detenti, aliquandiu in eis demorari cogamur, et sic ad explananda cætera ad capitulum istud pertinentia, persolvere non possimus. Sed vos illorum retinentes numerum, quem in sermone præcedenti habetis evidenter expressum, ad eos cum aviditate conscendite, cum pietate eos perambulate, ut illam vocem Apostoli efficiatis vestram: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 10) Ut autem breviter videatis quid [*al.* quis] mihi videatur, in cœlum intendere, et intendendo gloriam Dei videre, ego puto quod in cœlum attenditis, si unumquodque istorum, a primo quod aerium dicitur et visibile est usque ad duodecimum, quod ipsum Deum omnipotentem exprimit, sobria, prout interna vos de singulis instruxit unctio curiositate, et puro de-

Digitized by Google

fæcatæ contemplationis oculo perlustrare studetis.

II. Et intendendo in cœlum gloriam Dei videtis, cum sic intuendo, atque perambulando ac pervidendo singulos, in admirationem stuporis; seu, si sic melius dicitur, in stuporem admirationis elevati, Deum glorificatis. Verum ut fructuose in cœlum intendatis (tunc enim fructuose intenditis cum gloriam intendendo videtis; ut, inquam fructuose, in illud intendatis) sancto Spiritu repleri necesse habetis. Sic enim se habet ipsa series verborum: *Cum esset*, inquit, *Stephanus plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum vidit gloriam Dei* (*Act.* VII, 55). Hæc ergo causa quod vidit, quia intendit; hæc etiam quod sic intendit ut videret, quia Spiritu sancto plenus fuit. Ego pro meo sapore æstimo, quod ille Spiritu sancto plenus sit, qui bonæ ubique pro posse actioni insistens, tempusque et locum, modum etiam et personam observans, veritatem evidenter agnoscit, virtutem ardenter diligit, ut verbum Christi habitet in eo satagit; et in omnibus his veram in interna intentione rectitudinem integram custodit.

III. Hæc ideo dico quia sanctus, ut scitis, Spiritus apparuit in columba, apparuit quoque in igne et lingua. In quibus hæc quatuor notare potestis, si diligenter inspicitis. In igne duo sunt, splendor et calor; ille ut illustret, hic ut inflammet. Simplicitas quoque accipi solet per columbam, et verbum proferri non potest nisi per linguam. Credo vos jam prævolare et præscire, quo velim ire, audientes quod in his apparuit Spiritus sanctus; et retinentes memoriter quod modo dicimus, illum videlicet esse plenum Spiritu sancto, qui quod verum est agnoscit, quisquis verbum Dei strenue circumfert in ore, qui rectitudinem tenet in interna intentione. Ecce præ manibus habetis in igne duo illa præcipua sancti Spiritus dona, agnitionem et dilectionem, illam namque splendor illuminans, hanc vero calor innuit succedens: utrumque tibi donum valde necessarium est; quia neutrum eorum sine diminutione salutis tuæ abesse potest. Utrumque siquidem legis, et ignorantem ignorandum (*I Cor.* XIV, 38), et qui non diligit manere in morte (*I Joan.* III, 14). Itaque per splendorem hujus ignis sanctissimi, quem Dominus Jesus venit mittere in terram (*Luc.* XII, 49), in cognitione veritatis illuminaris, ne per tenebras cæcitatis aberres; per ardorem vero ejus in dilectione virtutis inflammaris, ne per absentiam frigescas. Sic duo hæc spiritualia bona, duo illa depellunt originalia mala, cognitio ignorantiam, dilectio concupiscentiam; illud malum mentem hominum obscuravit, abstrahens ab ea lumen veritatis, et tenebras ei infundens erroris: hæc vero carnem polluit ab opere sanctitatis abstrahens, et ad fructum mortis alliciens. Illa quod bonum est dat nesciri: hæc autem quod malum est, exerceri. Fit quoque modo miserabili, ut quisquis gemina hac peste infectus est, nec verum eligat, nec falsum respuat, ignorantiæ tenebris cæcatus, nec bonum admittat, nec malum omittat, concupiscentiæ telis transfossus.

IV. Vides ergo quantum indiges, hac in parte, repleri Spiritu sancto tu qui in cœlum intendere desideras, ut Dei gloriam videre queas. Nam quomodo illud intendis de eo, quid sit, de quo an sit penitus nescis? Quod si id jam scis, quomodo fructuose scire te dicis, quod non diligis? Vetus proverbium est: *Ubi amor ibi oculus;* et id quidem verum: nec tamen isto verius, quod simile huic: Ubi non affectus, nec aspectus. Sed cum quid sit cœlum hoc evidenter cognoscis, jam in illud puritatis oculo intendis. Cum vero non tuam sed Dei gloriam, quam alteri dare non vult, pro eo quod soli sibi debetur (*Isa.* XLVIII, 11); cum, inquam, ejus gloriam ardenter diligis, jam eum amoris oculo intueris. Quasi quidam duo oculi in capite, hæc duo bona sunt in mente, qui rectum faciunt iter pedibus nostris, ne aliquando offendiculum incurrant. Nam **124** cognitio errorem pellit ignorantiæ ab intellectu in mente, clarificans eum jubare claritatis.

V. Dilectio vero fugat fetorem concupiscentiæ ab actu in corpore, venustans illud decore virtutis. Quæ, cum ita sint, illa dat tibi in cœlum intendere, hæc autem Dei gloriam videre. Sed oportet summopere ut sicut intendis clarificatus et vides succensus, sic et intendendo pariter et videndo sis etiam in mente rectus, ut magnum illud bonum quod lucraris, dum in cœlum intendis oculo cognitionis, dum gloriam Dei vides oculo dilectionis, integrum et illibatum recta tibi simplicitas, et simplex conservet rectitudo internæ intentionis. Hæc est columba in qua apparuit, qui et in igne, ut ostenderet te illo non esse repletum ut sicut [*al.* qui non similiter] illuminatum per cognitionem veritatis habes intellectum, sicut inflammatum per dilectionem virtutis possides affectum, sicut utraque [*al.* sicut in utraque] tam in cognitione videlicet, quam dilectione defæcatum, et ab omni laudis humanæ appetitu alienum, et per rectitudinem internæ intentionis perfecte purum, per omnes occultos motus tuos, mentis oculos ad solius Dei erigas aspectum. Qui vero Spiritum sanctum sic jam accepit in igne, qui eum et sic accepit in columba, non dubito quin secure ostendere possit eum sibi adesse et in lingua. Pretiosissimos illos thesauros, quibus eum dotavit Spiritus sanctus intus, ad laudem Dei et ædificationem proximorum ostendat foris. Prædicet verbum, instet opportune, importune, arguat, obsecret, increpet (*II Tim.* IV, 2). Habet enim impius patientiam et patiens impietatem. Secure ostendat se habere spiritum in lingua locutionis, quem tam excellenter habet et in splendore cognitionis, et in ardore dilectionis, et in columba simplicis intentionis. Aperiat os suum, et non sileat amplius; quidquid videt annuntiet de plenitudine, qua impinguatus est; eructet quod hausit, effundat de quo inebriatus est, propinet quod bibit: plenus namque Spiritu sancto est.

VI. Nonne Spiritu sancto plenus, qui per cognitionem veritatis; in secretis sapientiæ callet, per amorem virtutis, in operibus justitiæ splendet; per

Digitized by Google

rectitudinem intentionis soli Deo placere cupit, per studium prædicationis ignorantem proximum instruit? plane hic Spiritu sancto plenus, qui incerta et occulta cognoscit, clare videns quæ agenda sunt opera justitiæ, sollicite facit, proximum ardenter amando, qui nullum omnino humani ad se favoris appetitum admittit, divinis solum occultis obtutibus placere gestiens : qui denique Christum ubique et sincere annuntiat, nequaquam verbum Dei adulterans, sicut ex Deo, coram Deo, in proximo loquens. Jam dicat, veni, qui sic audivit; doceat sic edoctus, instruat sic instructus : nequaquam errabit sic clarificatus, nequaquam offendet sic affectus : nequaquam ad ulla se distorta inclinabit sic erectus [*al.* rectus]. Et ideo quodcunque illud est cœlum in quod intendit, qualiscunque, quantacunque est gloria Dei, quam videt, secure nobis revelet : et cum beato Stephano plenus Spiritu sancto intendens in cœlum et videns gloriam Dei, exclamet et dicat : *Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei* (*Act.* VII, 55).

VII. Qui, putas, hi cœli sunt, quos videt apertos? ego puto cœlos habere diversam significationem in numero plurali sicut jam in sermone præcedenti habere ostendimus in singulari. Sunt enim cœli et quidem valde excelsi, sancti angeli, de quibus sanctus David : *Cœli*, inquit, *distillaverunt a facie Domini* (*Psal.* LXVII, 9), quia ad nos mandata Dei deferunt angeli. Nonne apostoli et cœli fuerunt, qui reliquerunt omnia, et secuti sunt Christum? de quibus videtur sanctus Job dixisse : *Spiritus ejus ornavit cœlos* (*Job* XXVI, 13). Pro eo quod juxta Salvatoris promissionem Paracletus Spiritus sanctus quem misit Pater in nomine suo, docuit apostolos omnem veritatem. Cœli autem quidam sancti nostri prædicatores sunt, de quibus Psalmista : *Cœli*, inquit, *enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII, 7), quia in speciale summorum prædicatorum officium est, ut annuntient gratiam Christi. Sed et sapientiores quique in Ecclesia cœli quidam sunt, quos mihi videtur legislator et dux populi Israel in ipso exordio cantici sui in Deuteronomio alloqui : *Audite*, inquiens, *cœli, quæ loquor* (*Deut.* XXXII, 1); in verbis istis profunditatem, ut æstimo, eorum quæ dicturus erat commendans dum ad audienda ea cœlos invitat. *Audite, cœli, quæ loquor*. Hoc est dicere, vos qui sapientiores estis, magna et subtilia, quæ dicturus sum, auscultate. Spirituales nihilominus viros in Scriptura sacra cœlos frequenter inveni appellatos. Ut est istud in Psalmo, ubi dicitur *fecisse Dominus cœlos in intellectu* (*Psal.* CXXXV, 6) ; pro eo quod viros spirituales omnipotens Deus cœlestia facit non modo credere per fidem rectam ; sed et intelligere per internam virtutem. Nonne tibi videntur viri spirituales cœlorum ex re nomen portare **125**, quos vides et solis claritate ardere in corde, et luna castitatis splendere in mente et carne ; et pro vario stellarum nitore multimoda fulgere claritate in actione? Sunt adhuc quidam item cœli, sublimes videlicet, quos frequentare solent speculativi consideratores, videlicet contemplationum modi, quorum arbitror Psalmistam facere mentionem ubi dicit de quibusdam, quod *ascendunt usque ad cœlos* (*Psal.* CII, 26), pro eo quod ad excelsos pertingunt contemplationum modos.

VIII. Hi sunt quos vobis modo annuntiamus, cœli, in quibus habitat ille, cui quotidiana devotione solemus dicere : *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9). Sed et sanctus David : *Ad te*, inquit, *levavi oculos meos, qui habitas in cœlis* (*Psal.* CXXII, 1). Vellem scire, si datum esset alicui vestrum videre hos cœlos apertos ; et quando hi nobis cœli aperiuntur, nisi quando eorum nobis proprietates revelantur? nam quasi tandiu se nobis clausos exhibent, quandiu eorum proprietates nobis non patent. Eleva nunc oculos tuos ad cœlos, quos breviter proxime attigimus, si forte potueris eos videre apertos. Ipsi sunt sublimes contemplationum modi ; a quibus incipiens omnium illorum cœlorum apertionem ascendendo perquire, qui eorum descendendo copiosam jam audisti descriptionem. Et quia varii et multi sunt contemplationum modi, quibus præcedere nos solet Spiritus ad interiora, ad internorum secretorum suorum nos ducens notitiam, ducens plane et quatenus vult, et prout nos vult. Sæpe enim, ut scitis, creaturarum immensitatem pulchram et utilem, pulchritudinem utilem et immensam, utilitatem immensam et pulchram occultis nostris obtutibus repræsentat ; et per horum visibilium agnitionem, ad aliquantam nos invisibilium inspectionem perducit ; sicque, dum in libro Sapientiæ legimus ea, quæ in eo extrinsecus scripta sunt ; ad ea, quæ in eo intrinsecus scripta sunt, legenda et intelligenda pertingimus, ostendente se nobis eadem, de qua loquimur, sapientia in viis suis hilariter : *Et in omni*, ut Scriptura ait, *providentia occurrente nobis* (*Sap.* VI, 17). Cum itaque tecum hoc modo agi perspexeris, poteris nos alloqui et dicere : *Ecce video cœlos apertos ;* invisibilia videlicet Dei per ea quæ facta sunt, intellecta aspiciens (*Rom.* I, 20) : non solum autem istis, sed quibuscunque aliis modis, ad internorum et arcanorum per contemplationem, spiritalem notitiam pertingis : scito cœlos tibi hac in parte esse apertos, secretos quoque internæ contemplationis modos revelatos.

IX. Illos quoque cœlos, qui viri spirituales sunt, tunc tibi non ambigo esse apertos, cum eorum te sanctitas et virtus non latet : quamque sunt in spirituali conversatione sublimes cognoscis. Interiores ergo oculos ad eos cœlos erigens, deprehende quam erat innocens Abel, qui cum a fratre legatur occisus, non legitur reluctatus (*Gen.* IV, 8). Quam sanctus Henoch, qui sancte inter homines vivens, ab hominibus meruit auferri (*Gen.* V, 22). Quam perfectus Noe (*Gen.* VI, 9), qui universitate mundi per peccatum corrupta, in medio nationis pravæ et perversæ, quasi luminare luxit in mundo (*Phil.* II,

Digitized by Google

15), et obediens voci Dei, quem ad ejus præceptum omissa omni rei cura familiaris, per annos circiter centum in sui fabrica occupatum, detinuit arca. Quam probabili et sancto pudore patris virilia tegebant Sem et Japhet (*Gen.* IX, 13), et priusquam ore humano decorum illud esset promulgatum decretum: *Turpitudinem patris tui non revelabis* (*Levit.* XVIII, 7), ipsi turpitudinem patris sui non modo non revelabant, sed et revelatam cooperiebant. Et ne quid eis ad honestatis venustatem deesset, quod censuerunt cooperiendum, nequaquam sibi concesserunt ad conspiciendum. O viros egregios honestatis decore ornatos, quos honestatis reddidit amor et ad operiendum quæ aliter se habebant sollicitos, et ad intuendum verecundos! Quomodo sufficienter patris nostri Abrahæ obedientiam laudabimus et admirabimur finem? siquidem obedientiæ fuit, quod jussus egredi de terra sua, et de cognatione sua, et de domo patris sui exiit, nesciens quo iret. Fidei vero, quod contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei: *Sic erit semen tuum sicut stellæ cœli* (*Gen.* XV, 5). *Et non infirmatus in fide, non consideravit corpus suum emortuum, cum fere centum esset annorum, nec emortuam vulvam Sarræ* (*Rom.* IV, 19). Ad commendandam vero hujus fidei magnitudinem, quid subjunxit Apostolus? *In repromissione*, inquit, *Dei non hæsitavit diffidentia; sed confortatus est fide dans gloriam Deo, et certissime sciens, quod quæcunque promisit, potens est et facere* (*ibid.*, 21). Quantum vobis videtur, virtuti obedientiæ adjecisse in eo quod et ipsam posteritatis suæ spem, unigenitum suum filium, loquor, Isaac sua manu cruenta tollere non exhorruit? (*Gen.* XXII, 10), seri quoque patris semen, dum per mentis munditiam omnem semper aspectum impuritatis fugit, longe plus ventura, etiam captus oculis carnis videre meretur. Hujus quoque filius sanctus **126** Jacob in simplicitate virili et virtute simplici habitat domi (*Gen.* XXV, 27); et fraternæ humiliter, per fugam, iracundiæ cedens, divitias in exilio serviens, conquirit, quas in patria postmodum possidet.

X. Quomodo amplificamus innocentem Joseph, cujus innocentiam tunica commendat talaris (*Gen.* XXVII, 23); innocentem, inquam, et simplicem, obedientem, patientem, verecundum et pudicum, pium et benignum. Absit ut aliquid istorum ei putes abfuisse! Legas actus ejus, et invenies eum innocentem fuisse in vitæ conversatione: simplicem in somniorum revelatione, obedientem pro imperio, patientem usque ad venditionem, verecundum usque ad fugam, pudicum usque ad carcerem, pium usque ad lacrymas, benignum usque ad injuriæ remissionem. Vir Dei Moyses præesse populo (*Exod.* IV, 3), quia humilis fuit, recusavit; sed ne esset obstinatus, vel statim consensit. Ibi propriam infirmitatem intuens, hic autem Deo non parere formidans. Et o quam pius quamque districtus, quam pie districtus, quamque districte pius! Nonne pium asseris, quem pro blasphemante populo etiam morti se objicere vides? (*Exod.* XXXII, 32) sic nihil minus districtus, qui contra eumdem populum aliquando irascens, etiam ad ipsius interfectionem, per zeli studium, sæviit (*Num.* XXV, 3). Quid dicam quod uno eodemque tempore et lapidibus eum obruere rebellis populus proposuit, et ipse tabernaculum ingreditur oraturus pro eo? (*Exod.* XVII, 4) merito pronuntiavit Spiritus sanctus, quod esset *vir mitissimus, super omnes homines, qui morabantur super omnem terram* (*Num.* XII, 3). Plane mitissimus qui orare studuit pro persequentibus et calumniantibus se. Irascitur Phinees (*Num.* XXV, 7), nequando irascatur Dominus; manum in illicite se commiscentes extendens, et manum Domini a populo avertens (*ibid.*): sicque dum zelat zelum legis, accipit testamentum sacerdotii æterni, quia reputatum id est ei ad justitiam a generatione in generationem usque in sempiternum. Josue (*Num.* XXVII, 18) humiliter subesse non renuit ut postmodum humiliter præsit, quia cui obedientiam impendit, huic et in regimine succedit.

XI. Sanctum quoque Samuelem nec prælatio superbum, nec dejectio exhibuit turbatum (*I Reg.* III, 20). Ipse quoque est cujus in tantum fama percrebuit, ut de eo scriptum legatur: *Cognoverunt omnes a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel esset propheta Domini* (*I Reg.* XII, 3). Hic itidem est, qui se et in prælatione immunem custodivit ab avaritia et a querela. Ibi propriæ consulens sanctitati, hic autem paci et subditorum quieti. Nonne sine avaritia præfuisse asseris, de quo legis, quod pecuniam, et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit? ut autem scias quia incessit in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela, vide quod sequitur: *Et non accusavit eum homo* (*Eccli.* XLVI, 22). Unde et secura conscientia populum alloquebatur, dicens: *Conversatus ab adolescentia mea coram vobis usque ad hunc diem, præsto sum, loquimini coram Domino et Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim vel asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu alicujus munus accepi, et contemnam illud hodie, restituamque vobis. Et dixerunt, Non es calumniatus nos, nec oppressisti neque tulisti aliquid de nobis. Dixitque ad eos: Testis est Dominus adversum vos, et testis Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quidpiam: et dixerunt: Testis* (*I Reg.* XII, 2). Et quidem in bono illud testimonium non solet esse suspectum quod illi dicunt, de quibus constat quod adversarii sint. Sed et hoc non mediocriter venerari debemus in eo, quod peccare se credidit, si ipsis persecutoribus suis vel in oratione defuisset vel in doctrina. Absit, inquit, *a me hoc peccatum in Domino, ut cessem pro vobis orare, et docebo vos viam bonam et rectam* (*I Reg.* XII, 23). Quis est qui in sancto David non admiretur sapientiam tantam, humilitatem et fortitudinem? Assigna sapientiæ,

Digitized by Google

quod sedet in cathedra sapientissimus (*II Reg.* XXIII, 8); humilitati, quod ipse est quasi tener ligni vermiculus: fortitudini, quod ipse octingentos interfecit impetu uno (*ibid.*). Hic *fidelis est servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam* (*Matth*: XXIV, 45), eligens eum *ut pasceret Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam, et pavit eos in innocentia cordis sui, et intellectu misericordiæ suæ dilavit eos;* siquidem et prudentiam eum docuit, ut persecutorem suum Saulem, quasi hostem fugeret, et cum se ultionis occasio offerret, sicut domino parceret (*I Reg.* XXIV, 3).

XII. Viros illos eximios, Eliam et Eliseum loquor (*IV Reg.* IV, 27), sic zelus erigit, sic humilitas sternit, ut neuter eorum etiam regem peccantem virga correptionis aggredi timeret. Et ille humiliter ante Achab accinctus lumbos currere, et iste a muliere tangi non perhorrescit (*III Reg.* XVIII, 46). Nuditatis confessionem ad præceptum Domini, in prædicatione, Isaias subire non dedignatur (*Isa.* XX, 2). Descendere in Ægyptum **127** Jeremias (*cap.* XLIII, 7) populum vetat, sed dum eum veraciter diligit, quo descendere prohibet, et ipse una cum eis descendit, bonus quidem consiliarius ad salutem, fidelis autem comes ad laborem. Quis non ausum Judith, prudentiam Esther, multimodam quoque Tobiæ laudat sanctitatem? Puer Daniel, et tres ejus socii dum in loco deliciarum corpus virtute abstinentiæ domant (*Dan.* I, 8), non modo usque ad sublime culmen sapientiæ pertingunt, verum etiam illud mirabile in dono percipiunt, ut in istis novo et inaudito miraculo, vim virtutis suæ ignis oblitus sit (*Dan.* III, 50), et illum etiam fame afflicti leones sævissimi pertingere non præsumerent (*Dan.* VI, 22). Reducite ad mentem sancti Mathathiæ zelum (*I Mach.* II, 2), et admirabiles filiorum ejus triumphos obstupescite.

XIII. Sed quo progredior? neque enim singulos virtutis viros, quos vel ante, vel post Christi Incarnationem, vitæ sanctitas evexit in lucem ad memoriam revocare vel scio vel possum. Ut autem festinanter per Evangelii tempora transcurram, Baptista [*al.* forte deest (sanctitate primus est) Baptista, etc.] Joannes, quo inter natos mulierum non surrexit major (*Luc.* VII, 28), admirabilis est apostolorum prærogativa, martyrum constantia, sanctitas confessorum, munditia virginum. Statum itaque et conversationem sanctorum, tam eorum qui in Veteri fuerunt, quam qui in Novo modo sunt Testamento, cogitatione et aviditate percurre, et poteris cum ad nos veneris dicere quia vidisti cœlos apertos (*Act.* VII, 55). Viri namque sancti ut superius ostensum est, cœli sunt. Qui nimirum cœli tunc tibi aperiuntur, cum sanctorum status et conversationes revelantur. Si autem datum tibi fuit agnoscere quanta in pectore Moysi sapientia fuit, cum legem conderet; quanta et in sancto David, Isaac, Jeremia cæterisque prophetis exstiterit, in hac nihilominus parte cœlos apertos videbis.

XIV. Vade etiam ad expositiones Patrum orthodoxorum, et illorum tractatibus atque doctrinis assiduitate studiosæ lectionis insistens, videre poteris, et hic cœlos apertos. Cœli quoque apostoli sunt, et quidem rorantes desuper. Quorum prærogativa magna, dignitas excellens. Et quidem cœli tibi etiam apud ipsos aperiuntur, cum tibi, quæ ad eos pertinent, per spiritum revelantur. Sed et pennis desideriorum ad sublimes vola illos spirituum cœlestium choros, et insiste et instanter pulsa, si forte tibi aperiantur, cœli enim sunt. Intuere beatos illos spiritus vita immortales, Dei visione felices, in personas distinctos, in dignitates dispositos, in semetipsis potentes, in se invicem amantes, in Deo sapientes, ipso existente omnia in omnibus. Sortiuntur autem ordines eorum nomina hæc: Angeli, archangeli, virtutes, potestates, principatus, dominationes, throni, cherubim atque seraphim. Hæc omnia sortiuntur, et ex re. Quæ ut breviter percurramus, neque enim his diu immorandum est, de quibus constat sanctos Patres sufficienter multis in locis disputasse;

XV. Ut ergo ea breviter percurramus, considera, prout potes, quam feliciter sancti angeli in notitia divinorum judiciorum, archangeli in cognitione internorum consiliorum excellant. Annuntiantes hæc, juxta nominis sui rationem, quibus et quando, quomodo et quantum ipse judicaverit, pro quo legatione funguntur. Vide etiam virtutes potenter miracula et prodigia exercere; potestates, malitiam tyrannicam et tyrannidem malitiosam dæmonum hominumque reproborum, pro his qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* I, 14), deturbare, propulsare et evacuare; principatus jura regnorum, et altitudinem dignitatum ad nutum illius summi et increati Spiritus distribuere, qui etiam super omnes ordines istos, cœlum elevat dominationum. Sed et quoque super thronos sua in eis judicia decernens, siquidem semetipsum eis infundens, suaque eis arcana patefaciens ipsis ea mediantibus et perferentibus transmittit ad inferiores, ut sciant angeli, quid, quibus et quantum debeant annuntiare; archangeli quid revelare; virtutes quid operari; potestates, quæ tutamina conferre. His omnibus superiora illa duo sunt agmina, octavum et nonum, cherubim et seraphim, quibus ut sua quibusque vocabulorum interpretatio servetur, illa scientia Dei replentur; hæc autem charitate, quæ Deus est, inflammantur. Sunt sublimes cœli illi, apud quos commoratur, cui quotidie dicimus: *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9). Hos adimplet Dominus Deus noster, maximaque beatificans mansio eorum, amantem se exhibens seraphim, qui charitas est; scientem in cherubim, qui veritas; sedentem in thronis, qui æquitas est; dominantem in dominationibus, qui majestas est; regentem in principatibus, qui principium est; tuentem in potestatibus, qui salus est; operantem in virtutibus, **128** qui non modo virtuosus, sed summa virtus est; in archangelis reve-

Digitized by Google

lantem, qui candor lucis æternæ est; in angelis assistentem, qui pietas est. Hæc omnia operatur unus idemque spiritus, omnium tam spirituum, quam corporum conditor omnipotens Deus noster, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII, 11). Cum ergo hæc atque alia hunc pertinentia in contemplationis apice levatus claro mentis intuitu perspicis, poteris, cum ad nos descenderis, dicere vidisse te cœlos apertos, ad laudem et gloriam Dei, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXII.

ITEM IN DIE S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

De duabus naturis Christi, et de spiritualibus cœtis.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Cœlis apertis videndus Filius hominis. — 2. Quid sit videre Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei : imo sedentem, et ambulantem. — 3. In ambulatione Christi, operatio ; in sessione modus operationis attenditur. — 4. Hoc unum mirabile in vita Christi, infirma nostra suscepisse. — 5. Ambulat Jesus in mortalitate, sedet in glorificatione, stat in æternitate. — 6. Ex subjecta contemplatione quis fructus hauriendus. — 7. In novem choris angelorum quid præcipuum spectandum occurrat. — 8. Felices qui Filium hominis ambulantem, feliciores qui sedentem, felicissimi qui stantem contemplantur. — 9. Deficientes in contemplatione Verbi, pausent in ea, quæ est Filii hominis. — 10. Filiæ Sion sunt animæ adhuc infirmæ humanitatis Christi operibus inspectandis detentæ. — 11. Anacephalæosis per cohærentiam materiæ.

I. Habetis jam et qui hi cœli sunt, et quomodo pulsare debeatis, ut vobis aperiantur. Sed dicitis : Quæ utilitas in apertione horum cœlorum? multa quoque et magna per omnem modum. Nam cœlis apertis quid beatus Stephanus vidit? dixit quidem se videre cœlos apertos, sed quid adjunxit? *Et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei* (*Act.* VII, 55). Et certe, fratres, felix qui potest assidue eo quo vobis diximus, modo videre cœlos apertos. multo autem felicior, qui Filium hominis meretur videre stantem a dextris virtutis Dei. Non me video satis idoneum ad aperiendum sacramentum hoc, nec plene comprehendo, quid sit videre Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei, quia caliginosos habens oculos, et ad ima semper pene deflexos, hujus Filii hominis statum tam sublimem, tamque inflexibilem intueri non possum. Qui autem hos cœlos frequenter ingredi, et pia solent curiositate perambulare, atque hujus Filii hominis statum, duce spiritu veritatis, audent explorare : ecce hi sciunt et possunt, si volunt dicere vobis, quid sit videre Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei.

II. Si vero tutius arbitrantur servare secretum suum sibi, dicam ego igitur quid mihi visum sit videre Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei; in nullo eis præjudicans, qui de hoc verius et profundius dicere noverunt. Invenio hunc Filium hominis (nam quis sit dicere necesse non est, est namque Dominus noster Jesus Christus sine matre Filium Dei, sine patre Filium hominis. Invenio, inquam, hunc Filium hominis non solum stantem, sed et sedentem a dextris virtutis Dei. Lego namque in Evangelio dixisse Judæis : *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei* (*Matth.* XXVI, 64). Marcus quoque evangelista : *Dominus*, inquit, *Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei* (*Marc.* XVI, 19). Habetis itaque non modo eum, ut apud Stephanum stantem, sed et apud evangelistam sedentem a dextris virtutis Dei. Stetit quidem et aliquando apud nos, sicut legitis : *Qui stans jussit eum adduci ad se* (*Marc.* X, 49); præfigurans illum suum, quem habet a dextris virtutis Dei, statum, unde habuit ut cæcum illuminare posset. Sedit nihilominus et apud nos, ut dicit Joannes; quod fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem et adjunxit : *Hora erat quasi sexta* (*Joan.* IV, 6). Quod quid aliud esse putamus, nisi quod laborans ille primogenitus mortuorum ex mutabilitate naturæ assumptæ sexta mundi ætate humiliavit se usque ad profunditatem humilitatis nostræ; cui quidem sic ad tempus subjacebat voluntate, ut ei semper emineret potestate. Quatenus ei hoc sit fatigato ex itinere hora sexta sedere; non quidem in fonte, sed supra fontem. Sed et ambulantem invenio crebro eum in regione nostra. Toto namque illo tempore ambulare non cessavit apud nos, quo *Pertransivit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* (*Act.* X, 38).

III. Et hanc quidem Petri sententiam consortem ejus Paulum arbitror exponere, qui in secunda ad Corinthios epistola **129** dicit : *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* V, 19). Vide ergo in Virgine de Spiritu sancto conceptum, de conceptu, qui erat sine corruptione ad nativitatem venientem, quæ fuit sine læsione; de utero ad præsepium, de nativitate ad circumcisionem, de circumcisione ad oblationem, de oblatione ad baptismum, de baptismo ad jejunium, de jejunio ad esuriem, de esurie ad tentationem, de tentatione ad prædicationem, de prædicatione ad miraculorum perpetrationem, de miraculorum perpetratione ad passionem, de passione ad mortem crucis, de morte crucis ad sepulcrum, de sepulcro ad resurrectionem, de resurrectione ad ascensionem; in omnibus his considera ambulantem; ejus siquidem apud nos ambulare, est in mutabilitate naturæ assumptæ nostram operari salutem in medio terræ. Si quis autem et sedere suum, et ambulare ad unum quid tendere dicat, non mihi videtur a veritate dissentire; nam, si ambulare ejus nostram fuit operari salutem, quomodo operatus est, nisi agendo et docendo? Alioqui non diceretur : *Propheta potens in opere et sermone* (*Luc.* XXIV, 19), nec affirmaret se sanctus Lucas sermonem fecisse *de omnibus quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I, 1). In ambulatione itaque ejus operationem considera salutis tuæ; in sessione vero modum ejusdem operationis. Et hic quidem geminus nam *speciosus forma præ filiis hominum*, pro-

Digitized by Google

pter mira quæ fecit; *diffusa est gratia in labiis suis* (*Psal.* XLIV, 3) propter salutaria quæ dixit.

IV. Et certe ex omnibus, quæ fecit, mirabilibus, nihil arbitror magis mirabile, quam quod infirma sustinuit; magis namque videtur mirabile, quod panis esurit, fons sitit, vita moritur, quam quod esurientes multos paucis de cibariis reficit, quod aquam in vinum commutat, quod mortuos suscitat. Habes autem utrumque hunc operationis modum in gemina sessione ejus; nam sedit in monte apostolos docens, ut auribus audiendo percipias, quæ protulit sublimia (*Matth.* XV, 29): sedit et super fontem fatigatus ex itinere (*Joan.* IV, 6); ut mente humili venereris, quæ pertulit, infirma. Comprehendamus itaque sub una significatione suum hic sedere, et ambulare: quod autem stetit, sive cæci clamantis aperuit oculos (*Luc.* XVIII, 40), sive quando discipulis aperuit post resurrectionem non jam in mari, sed in littore, nec ambulans sed stans (*Joan.* XXI, 4); qui ante resurrectionem apparuit eis laborantibus in remigando (*Marc.* VI, 48), non quidem in littore, sed in mari, nec stans sed ambulans, sive cum aliquo alio in loco, seu modo, stare invenitur; ad hunc ejus pertinet æternum et incommutabilem statum, quem habet a dextris Dei. Peracta vero ambulatione sua apud nos, in sede paternæ dextræ se recepit sedens ibi in sede glorificationis, qui hic ambulare solebat in labore mortalitatis. Status vero quem a dextris Dei habet, coæterna et coæqualis ejus est cum Patre majestas: a cujus dextris ejus stare, est coæternum et coæqualem ei esse.

V. Quæ cum ita sint, eleva oculos tuos et vide Filium hominis ambulantem, vide sedentem, vide et stantem. Ambulantem in mortalitate, sedentem in glorificatione, stantem in æternitate. Et felix quidem qui assidue ambulantem intuetur: felicior, qui sedentem; felicissimus vero qui stantem. Qualis fuit ambulans interroga sanctum Isaiam, et dicet tibi: *Vidisse se illum, et non erat aspectus: et desideravimus*, inquit, *eum novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem: et quasi absconditus vultus ejus, et despectus: unde nec reputavimus eum. Et nos putavimus eum tanquam leprosum, et percussum a Deo et humiliatum* (*Isa.* LIII, 3). Et item: *Vere languores nostros ipse tulit, et infirmitates nostras ipse portavit* (*ibid.*, 4); et cætera plura, quæ in hunc modum sunt. Qualis vero sit sedens, Apostolus nobis ex parte innotescit, dicens eum gloria et honore exaltatum a Deo, *et datum illi esse nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Phil.* II, 9); et cætera in hunc modum, quæ vobis satis manifesta sunt. Stantem autem a dextris Dei quis aspexit? æstimo quod ille, qui ait: *In principio erat Verbum; et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat* (*Joan.* I, 1). Nonne tibi videtur iste æqualiter oculos in coæternos et æquales sibi Patrem, et stantem a dextris ejus Filium infixisse, et vidisse neutrum eorum alterum vel excedere potestate, vel præcedere æternitate; sed eos vere summoque in una unum esse deitate? Vade et tu fac similiter.

VI. Apertis tibi his, de quibus multa jam diximus, cœlis, vide Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei, per fidei certitudinem æqualem eum per omnia agnoscens Deo; scito quod Filius Dei est. Hæc enim tota utilitas, hic totus fructus in eis, quatenus ad hoc videlicet pius magis et humilis pulsator, quam temerarius 130 et elatus perscrutator eos frequenter perambules, ut videas Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei. Quid enim proficis, ut eosdem modo breviter cœlos attingamus: quid, inquam, proficis, quod ad sublimes contemplationis modos pertingas, quod Dei scilicet invisibilia per ea quæ facta sunt, intellectu conspicias, si non in iisdem visibilibus ipsum admireris, per quem Deus Pater omnia fecit, sine quo factum est nihil, in quo quod factum est, vita erat? si super laudabili virorum spiritualium conversatione obstupescis, illum maxime in eis glorifica, qui operatur in eis velle et perficere pro bona voluntate (*Phil.* II, 13); quos cum confortat, omnia possunt in eo, sine quo nihil possunt. Quidquid in sapientibus Ecclesiæ profunditatis seu maturitatis intueris, nequaquam illis ascribas, utpote qui nec sufficientes sunt cogitare aliquid ex se, quasi ex se; sed illi potius, quem prædicat Paulus, Dei virtutem, et sapientiam (*I Cor.* I, 24), cui non possunt resistere et contradicere omnes adversarii eorum. Magno quidem honore digni sunt, qui laborant in verbo et doctrina; nimisque honorandi apostoli Christi, quos jam non dicit servos, sed amicos; pro eo quod omnia quæcunque audivit a Patre suo non fecit eis (*Joan.* XV, 15). Sed non plus, nec tantum, quantum ipse Christus. Non enim prædicator verbi ipso verbo, *neque Apostolus major illo, qui misit illum* (*Joan.* XIII, 16). Magna ergo, et vere magna delectatio, perambulare cœlos istos, sed fructuosa non est, nisi videas in illos Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei.

VII. Quid de angelis, quid de archangelis dicis? stupent quidem illi in notitia divinorum judiciorum; isti autem in cognitione divinorum consiliorum, sed longe utrumque excedit ordinem in dignitate, cui Pater omne judicium dedit (*Joan.* V, 22), qui et magister omnium angelorum est. *Tanto quippe melior angelis effectus est, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim aliquando dixit angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* (*Hebr.* I, 4.) Et hic certe est, quem ipsi angeli adorant. Exhibent miracula virtutes; habent ut omnes refrenent, super omnes dæmones, hominesque superbos et reprobos fortitudinem potestates: sed totam ab ipso acceperunt qui Dominus est virtutum: *Dominus fortis et potens in prælio* (*Psal.* XXIII, 8). De quo etiam legitur, quod *facit mirabilia solus*

Digitized by Google

(*Psal.* LXXI, 18). Quid si moderamine principatuum omnis in terra principatus mutatur, et transfertur, constituitur et regitur? ut etiam hoc possint, ipse eis dat, singulis dividens prout vult (*I Cor.* XII, 11), in cujus manu sunt omnes potestates, et jura regnorum, cui *data est omnis potestas, in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18); qui dominatur in regno hominum, et cui voluit, dat illud. Si autem cunctis his vides præeminere ordinibus dominationes, scito illi esse subjectas (*Dan.* IV, 14), qui habet in vestimento et femore suo scriptum : *Rex regum et Dominus dominantium* (*Apoc.* XIX, 16). Sedent throni, sedent et judicant; sed nisi in eis sederet, et discerneret Filius hominis, et in rectitudine offenderent judicantes, et quietem sedentes non haberent. Nam licet scriptum sit : *Illic sederunt sedes in judicio* (*Psal.* CXXI, 5); nemo tamen qui nesciat multum distare per omnem modum inter sedem et in sede sedentem. Refundunt cherubim concivibus suis scientiæ fluenta; sed quomodo refunderent, nisi sibi primitus infusa fuissent? vel, quomodo propinarent, nisi primitus hausissent? quid enim habent ipsi, quod non acceperunt? (*I Cor.* IV, 7.) Quod si acceperunt, imo quia acceperunt, a quo acceperunt nisi a Dei sapientia Christo, *quæ ex ore Altissimi primogenita ante omnem creaturam?* (*Ecclic.* XXIV, 5.) Si etiam jugi luce resplendent cherubim, sciant hanc, de qua loquimur Sapientiam, de eis dixisse : *Ego feci, ut oriretur in cœlis lumen indeficiens* (*ibid.*, 6). Succensi sunt seraphim? sed succendit eos ignis Dei, imo Deus ignis. Et si charitate ardent ab ipso acceperunt, qui charitas est. Quæris quis sit iste? quid a me quæris? quære a Joanne, et dicetur tibi, quia *Deus charitas est* (*I Joan.* IV, 8). Videtis jam, ni fallor, si intellexistis hæc omnia, quid sit videre cœlos apertos, quid etiam sit videre Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei.

VIII. Reminiscor paulo ante me dixisse felices illos, qui vident Filium hominis ambulantem; siquidem *Filius hominis vadit, sicut scriptum est de eo* (*Matth.* XXVI, 24). Nec ambulare potest nisi in eo, quod est Filius hominis, quia qui dixit : *Ambulavit verbum*, statim subjunxit, *et exivit in campis* (*Joan.* X, 23 et 40) : significare, ni fallor, volens, quam habuit verbum in ambulando mobilitatem, ex eo accepisse, quod ad camporum nostrorum latitudinem exivit. Dixi ergo felices esse, qui viderint eum ambulantem; feliciores autem, qui a dextris Dei sedentem, qui vero a dextris stantem, felicissimos. Sed dicitis, Cur tu in uno eodemque hominis Filio hos distinctionis fabricas gradus? non abs re quidem. Sed ideo quia non pari in eo nitent claritate mortalitas de matre nascentis, et glorificatio regnantis, **131** et coæternitas et coæqualitas, atque substantialitas Unigeniti a Patre, cum eodem Patre. Nam si vultis accipere; eum Verbum Dei hic Filius hominis sit, tamen caro factum, contemptibile visum fuit, utpote in diademate apparens, quo coronavit eum mater sua (*Cant.* III, 11). In carne vero post supplicium mortis, et resurrectionis triumphum, per gloriam Ascensionis elevatum; jam non indecorum fuit et debile, sed speciosum et forte, utpote formosum in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suæ (*Isa.* LXIII, 1). Quid enim si rubrum vestimentum suum, si tinctæ vestes? mutuavit ex nobis, ut manus in Jacob essent manus Esau (*Gen.* XXVII, 22).

IX. Porro verbum ejus a principio, quod apud Deum erat, et Deus erat, lucem habitat inaccessibilem, *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* (*Joan.* I, 18). Qui igitur in nobis spirituales sunt, et puritate conscientiæ confortati, atque claritate interni aspectus illustrati, audent per semetipsos sequi spiritum, quocunque ierit, erigant oculos in Filium hominis, stantem a dextris virtutis Dei, magnam ibi gloriam, imo incogitabilem, visuri; et audituri nihilominus verba, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII, 4). Sed opus est eos, qui ad hæc sublimia aspirant omnem penitus ponderosæ et caliginosæ humanitatis, quæ in eis est, deponere grossitudinem, et solam puræ, et defæcatæ spiritualitatis assumere subtilitatem : maxime cum ad dilectum et familiarem suum, non tam servum, quam amicum Dominus dicat : *Non enim videbit me homo et vivet* (*Exod.* XXXIII, 20). Qui vero ad sublime illud solis clarissimi jubar oculos necdum erigere possunt, videant glorificatam a dextris Dei naturam assumptam. Videant, inquam, naturam illam, in Christo exaltatam ad dexteram Patris, quæ nec culpam aliquando committens cum hominibus deguit in terris : et pœnam mortis tam ignominiosam quam duram sustinens, pependit in patibulo crucis. Quod si qui sunt, quos vel gravat phantasma irruens, vel dilaniat culpa remordens, vel angustat sensus agens, ut ad neutrum istorum vacare possit; sed mirabilis sit admodum ex eis utriusque hujus scientia, et sic confortata ut non possint ad eam (*Psal.* CXXXVIII, 6); habere possunt præ oculis, hunc, de quo loquimur Filium hominis, ambulantem, et pertranseuntem, et sanantem omnes oppressos a diabolo (*Act.* X, 38).

X. Egrediantur itaque istæ filiæ Sion; filiæ namque sunt, et videant regem Salomonem *in diademate, quo coronavit eum mater sua* (*Cant.* III, 11); quousque filii esse mereantur, videntes eum in diademate, quo coronavit eum Pater suus. Abeant sibi, et revocent ante oculos pro posse, atque colligant apud se, prout eis datum fuit, quomodo in motu stabilitatis nostræ, a die qua natus est : *Cœpit Jesus facere et docere, usque in diem, qua præcipiens apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est* (*Act.* I, 1), respicientes eum cum præcursore suo ambulantem, et consequenter exclament cum eo, et dicant : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 36). Nec modicum quid se existiment accipere ab hac visione, sed omnino magnum, cum constet eos videre oculis suis, et audire auribus suis, et attrectare manibus suis in Verbo vitæ [*al.* de

Digitized by Google

Verbo vitæ] quodcunque illud sit (*1 Joan.* I, 1). A Paulo quoque apostolo appellatum *magnum pietatis sacramentum*, quod etiam asserit *manifestatum in carne, justificatum esse in spiritu, apparuisse angelis, prædicatum in gentibus, creditum in mundo, assumptum in gloria* (*1 Tim.* III, 16).

XI. Ergo magnum quid videre ambulantem; siquidem *quod infirmum est Dei fortius est hominibus* (*1 Cor.* I, 25). Sed longe majus est videre ad dexteram sedentem. Verum illum dixerim altissimum conscendere gradum, qui cœlos videns apertos, meretur eum conspicere stantem a dextris virtutis Dei. Et fortasse hi sunt tres cœli, ad quorum tertium se raptum perhibet Paulus; ubi etiam dicit, se audivisse *verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui* (*II Cor.* XII, 2). Et quidem ego puto, quod sicut hic [*al.* sicut ille locus erat mendosus] et ille, quæ non licet homini manifestare vidit. Sed jam sermo iste vergit ad debitum finem. Audistis quantum ad præsens judicavimus sufficere, quid sit videre cœlos apertos; quive, et quot sint cœli isti, quidve sit istis apertis videre Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei. Non solum autem stantem, verum etiam quid sit videre eum sedentem, quid etiam ambulantem. Dictum est nihilominus nobis quid sit intendere in cœlum, et intendendo in cœlum videre gloriam Dei, quid denique sit repleri Spiritu sancto. Pendet namque unumquodque istorum ex altero, quia nec gloriam videre poteris, si non intenderis; sed nec fructuose intendere valebis, nisi plenus Spiritu sancto fueris. Quæ ergo de his aliquantulum prolixe dicta sunt retinete in memoria, exercete in vita, ut et ibi clarificetur intellectus ad puritatem, hic autem exornetur affectus ad sanctitatem. Invocate itaque Spiritum sanctum in **132** vos, et orate ut vos replere dignetur, quatenus et vos sicut de beato Stephano legitur, pleni Spiritu sancto, et intendere in cœlum, et videre Dei gloriam possitis, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXIII.

IN DIE S. JOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

De triplici honore, quo Dominus eumdem beatum Joannem honoravit in vita et in morte.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Quantus, et quam simulatus in filiis Adam sit honoris ambitus. — 2. Quis verus honor, atque appetendus. — 3. S. Joannes honoratus est ob virginitatem corporis, puritatem mentis, familiaritatem dilectionis. Sublimitas Evangelii ejus præ reliquis. — 4. Quid sit eum cibari pane vitæ, et potari aqua sapientiæ salutaris. — 5. Quanta usus sit familiaritate conversationis cum Christo. Quanta amoris in eo prærogativa. — 6. Secretarius Christi recubuit in pectore ejus, id est thesauro sapientiæ ejus. — 7. Audet rogare præ cæteris proditorem. — 8. S. Joannes virgo Virgini Matri a Christo morituro commendatur. — 9. Familiaritas Dei, non principum terrenorum, impense ambienda. — 10. Triplex prærogativa S. Joannis, ac intelligentiæ perspicacitas. — 11. Tripliciter honoratur in morte : et primo a Domino moriturus visitatur. — 12. Secundo invitatur ad cœlestes epulas. — 13. Tertio in sepulcro ejus quid notet repertum manna. — 14. Cur nobis formidanda hora mortis? ob hostem accusantem, conscientiam attestantem, judicem ferientem. — 15. S. Joanni a Domino tripliciter honorato in vita respondet honor in morte. — 16. Visio beatificans nos Deo reddit similes.

I. Ad honorem gloriosissimi et beatissimi apostoli et evangelistæ expetit non quidem sine desiderio, et exspectat nec sine spe, devotio vestra audire aliquid a nobis in hac præclara festivitate ipsius, quod sic mores audientium instruat, ut ejus prærogativam commendet. Sed cujus valet esse ponderis honor aliquis a nobis delatus ei, quem ab ipso communi omnium Domino tam sublimiter, tamque singulariter constat bonorari? Nam respectu honoris divini, cujus poterit humanus esse momenti? Quanta aviditate desiderant acquirere honorem filii Adam? sed fallax, et omnino nihil est honor, qui a Deo non est. Non plene comprehendo unde hoc est, quod etiam ipsi perfecti ab appetitu honoris immunes et alieni non sunt. Qui si forte non appetitur, delectat tamen cum offertur, nec sine dolore amittitur cum habetur. Testis itaque ipse est, quia dum cruciat amissus, delectat possessus. Hic est qui sub spe spiritualis profectus se palliat (non de honore, sed de appetitu honoris loquor) consulens præesse, quasi ad hoc solum ut possit prodesse. Hoc autem dolosum consilium ejus ita occultum est, et sic quodam [*al.* quodammodo] in uno susurrat latibulo, ut vix a sapientissimo quolibet comprehendi queat. Nam dum suggerit [*al.* suggeritur *vel* se suggerit] utilitas laboris, ad hoc furtiva quadam fraudulentia, et fraudulento furto trahere nititur, ut appetatur sublimitas honoris, quæ, et si debeat aliquando dum ita res exegerit ob profectum spiritualem tolerari; nunquam tamen debet propter se solam, vel cum abest optari, vel cum adest amari.

II. Sed cum fallax, et plane instabilis sit nonor, quem pro magno misere decepti habent mortales : felicem prorsus dixerim illum, qui pertingere poterit honorem, de quo Dominus ait : *Honorificabit eum Pater meus qui in cœlis est* (*Joan.* XII, 26). Præmisit de honore quodam, quem suis modo confert in præsenti, qui ad illum quidem æternum honorem via est : *Si quis mihi ministraverit* (*Ibid.*). Ergo ministrare Domino, honorari est; plane ita est : Solus ille honoratur qui illi famulatur, solus etiam regnat, qui ei ministrat. Hic est honor quem copiose attulit beato Joanni, qui ab eo sublimiter honoratus, a nobis quoque debet honorari, sicut nocte hac cantavimus de eo (269) : *Valde honorandus est beatus Joannes*. Verum est utique, verum est hoc, quia non simpliciter honorandus, sed valde honorandus est beatus Joannes. Honoravit eum Christus, unde dignum est, ut eum honorent, quicunque sunt Christi, quia inter homines, quem honorat rex, honorare solent universi famuli

(269) Ex officio ecclesiastico de die ejus festo.

Digitized by Google

regis. Honoravit eum Christus in vita, honoravit eum in morte, ut per hoc apud nos ratum sit, quod modis quibusdam ineffabilibus honoret eum in æternum post mortem.

III. Honoravit eum in vita tripliciter, conferendo ei virginitatem, puritatem et familiaritatem : virginitatem in corpore, puritatem in mente, familiaritatem 133 in dulci et sincera erga seipsum dilectione. Cum multa sint alia, quæ ei distributor interiorum, et remunerator Dominus Jesus contulit munera gratiarum : hæc tamen nobis ad præsens occurrunt. Virginem eum elegit, sicut cantavimus hodie de eo (270), quia virgo est electus a Domino, et virgo electus, virgo in ævum permansit. Quantam in corde munditiam, quantam in mente puritatem habuerit, quis nostrum comprehendere valet? Magnæ profecto puritatis vir, qui cuncta visibilia transcendens, semetipsum etiam supergrediens claritate interioris oculi, verbum vidit esse in principio, et apud Deum esse, omniaque per ipsum facta esse, et sine ipso factum esse nihil; et quod factum est in ipso, vitam esse (*Joan.* I, 1). Nonne cum legi Evangelium audis, supra modum admirari et obstupescere cogeris, audiens eum ita propere et seriatim post tanti temporis spatium verba Domini ad alios, et aliorum ad ipsum referre, ac si contigisset ea hora ipsum eadem audire? unde cum animalibus alii, ut scitis, expressi sint (*Ezech.* I, 5); ipse quoque ob simplicem puritatis, ut ita dicam, angelicæ prærogativam, quam ei Dominus contulit, aquilæ assimilatur, nec simpliciter aquilæ, sed volanti (*Apoc.* IV, 7) : nam aquila volans Joannes est, præ cæteris sublimia internorum mysteriorum arcana puritate mentis comprehendens. Hoc attestatur mirabilis profunditas Evangelii ejus. Hoc et Apocalypsis clamat Jesu Christi, *quam dedit ei Deus palam facere servis suis, et signavit, mittens* (ut ipse scribit) *per angelum suum servo suo Joanni : qui testimonium perhibuit Verbo Dei, et testimonium Jesu Christi in his quæcunque vidit* (*Apoc.* I, 1).

IV. Bene et congrue cantamus ei et dicimus de eo: *Cibavit eum Dominus pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum* (*Eccli.* XV, 3). Dicta sunt quidem hæc de viro, qui timet Deum, sed aptissime referri possunt ad eum. Nonne pane vitæ et intellectus asseris cibatum, cujus defæcatum et mundissimum spiritum, quot cernis secretorum cœlestium revelare refectionem, tot quasi sapidis agnoscis spiritualium ciborum ferculis saginatum? Nam si sic vivitur et in talibus vita spiritus ejus, quem panis ille spiritualis impinguat, dum ei et internum administrat robur ad vitam, et saporem ad intellectum. An vero aqua sapientiæ salutaris potatus sit, quis ne dicam negare, sed vel dubitare audebit, qui verba Christi ante tot annos prolata ita proprie et per ordinem narrat, et scribendo repetit? Quod ninivitæ nullatenus posset, nisi Spiritu Christi potatus esset. Nam aqua sapientiæ spiritus est Christi.

270) Ex off. eccles. sup.

A Nisi enim aqua spiritus esset, nequaquam postquam dixerat Dominus: *Aqua, quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan* IV, 14); hic de quo loquimur, Joannes subjungeret : *Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum* (*Joan.* VII, 36). Paulus *Christum* vocat *Dei virtutem et sapientiam* (*I Cor.* I, 24), ut ergo Joannes tam profunda referret verba Christi, imbutus est spiritu Christi. Si enim juxta sententiam apostolicam: *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (*I Cor.* XII, 3), quomodo iste in Evangelio suo tam profunde tamque perfecte diceret Dominus Jesus, nisi Spiritu sancto plenus esset? Igitur pane illum vitæ et intellectus dixerim cibatum in agnitione cœlestium secretorum: aqua vero sa- B pientiæ salutaris potatum in tam propria expressione, et prolatione Dominicorum verborum. O Patris tabernaculum! o Filii cubiculum! o Spiritus sancti umbraculum! o sanctæ Trinitatis reclinatorium! et ut nihil videar præterisse! o individuæ unitatis oraculum, purissimum et mundissimum hujus, de quo loquimur Joannis.

V. Jam de familiaritate, quam erga eum Dominus habere dignatus est præ cæteris, quid dicemus? Qualiter satis, jucunda cum dulcedine, et cum dulci jucunditate amplecti eum possumus, inter cæteros magis dilectum; et in singulari quadam etiam præ cæteris familiaritate complexum? Nonne ipse est, qui, ut alia nos vice dixisse recolimus; veritate hu- mili, et humilitate vera de seipso dicere solebat : C *Discipulus ille, quem diligebat Jesus?* (*Joan.* XXIII, 23.) Quid est hoc? non diligebat discipulos alios Jesus? imo diligebat : *Cum enim dilexisset suos, qui erant in mundo*, (ut ait idem beatus Joannes) *in finem dilexit eos* (*Ibid.* 1), ut scias, non quidem simpliciter solummodo diligebat, sed plene et perfecte. Hoc in finem diligere est. Sed ego puto, si congruentior vobis ad præsens causa non occurrit ; quod de ipso dici voluit Spiritus sanctus, quia Jesus diligebat eum, pro eo quod etsi 134 non exclusis aliis a sinu dilectionis suæ, singulariter diligebat solum ; præ cæteris tamen etiam dilectis suavissimis sinceri amoris brachiis amplectebatur unum. Inter cæteros itaque diligebat eum Jesus, ut neminem eo- D rum plus, quia et ab ipso Jesus dilectus est, a quo dilectus est nemo eorum plus. Sed si ita est, quid, quæso, est quod per propriam assertionem hujus nobis dilectionis manifestatur prærogativa, ut de seipso dicat discipulus ille, quem diligebat Jesus, cum magis pertinere debuerit ad alios evangelistas id dicere de eo, juxta quod Sapiens dicit : *Laudet te alienus, et non os tuum : extraneus et non labia tua* (*Prov.* XXVII, 2); nisi quod aperte datur intelligi, quia securitas et audacia veri amoris per hoc nobis ostenditur? Quid ad se pertinens fateri non audet perfectus amor? Quid timere potest *perfecta charitas*, quæ illum, quo timet, quisquis timet, *foras mittit timorem*? (*I Joan* IV, 18.) Videtur inesse cha-

Digitized by Google

ritati aliquando præsumptio, sed nunquam inest elatio, quia in eo quod non timet, nullatenus tumet: semper et ubique exercens audaciam, sed nunquam et nusquam superbiam. Hinc est quod Amata et Amans in Canticis dicit: *Dilectus meus mihi et ego illi* (*Cant*, II, 16); sic et iste discipulus inquit, *quem diligebat Jesus: Dilectus meus mihi, et ego illi.* Hoc est, cura illi maxima est de me, et mihi de illo: dilectæ ab illo, et illum diligenti. Et quidem proprie proprium hoc habere solent amantes, ut vix quidquam sciant loqui, nisi quod pertinet ad amorem; et tunc maxime, cum vel ad invicem, vel de invicem loquuntur. Vera est enim Redemptoris nostri sententia, quia *ex abundantia cordis os loquitur* (*Matth.* XII, 34). Quæ nimirum tam de bona, quam de mala abundantia arbitror quod intelligi potest, quia quidquid illud sit quod abundat in corde; necesse est ut inde aliquid sonet in ore. Indicium itaque securitatis audacia est, non vanitatis, non superbiæ, sed dilectionis! qua seipsum vocat discipulum Joannes, quem diligebat Jesus, quia tam ardenter amans, tamque familiariter amatus, se esse illum, qui sic amabatur, non poterat celare. O summa et plena beatitudo amare Christum, et amari a Christo; et familiaritatem habere erga ipsum!

VI. Sed quomodo dilectus et familiaris ei erat Joannes? Quando ullus secretis Christi interfuit, quando Joannes defuit? ubi eum contigit emitti, cui datum est admitti? Nam transfiguratum viderunt Petrus et Jacobus, et non vidit Joannes? Num in ipsa nocte, quæ passionis suæ diem præcessit ad locum iturus orationis Petrum secum assumpsit et Jacobum, et non Joannem assumpsit? Num resuscitationi filiæ archisynagogi Petrum et Jacobum adesse voluit, et Joannem exclusit? nusquam invenies aliquod alii discipulo communicatum secretum a Joanne occultatum. Quin imo ad quædam admissus est, et quidem valde familiariter, et eo magis familiariter, quo omnino singulariter, ipsa re clamante aperte, et instanter attestante, nullum ei esse parem, ne dicam superiorem in charitatis dilectione, dum nullus cum eo particeps esse meruit in admissione familiaritatis. Hinc est ut quædam in medium proferamus, quod supra pectus ejus in cœna recubuit (*Joan.* XXI, 20): pulvinar faciens sibi ipsum sacratissimum pectus Dei. Quam dilectum illud sibi caput Christus habuit, quod supra pectus suum quiescere permisit? et magna quidem familiaritas hæc; exterius tamen fuit: nam longe alia major quædam fuit, quæ interior erat, nec ideo solum major, quia interior; sed quia hæc veritas, illa figura erat. Exterius enim Joannis caput quiescebat in pectore Jesu: interius vero ejusdem caput, de mente ejus loquor, collocavit, et reclinavit se, in thesauris sapientiæ et scientiæ Dei, qui omnes reconditi sunt in pectore Jesu. Illud ad honorem, hoc autem ad eruditionem fuit. In tantam tunc familiaritatem non quidem uno, sed gemino modo admissus, quid quærere posset, quod non inveniret? quid petere, quod non acciperet?

VII. Quod bene perpendens ipse apostolorum primus, cum uni eorum proditionem suam imponeret Jesus: quis tam immane esset scelus acturus, scire quidem cupiens, sed interrogare nullatenus præsumens, conveniendum super hoc negotio censuit dilectum, ut ipse quis esset, interrogaret Dominum. Sic enim scriptum est: *Innuit ei Simon Petrus, et dicit ei: Quis est, de quo dicit?* et quid sequitur? *Itaque cum recubuisset ille super pectus Jesu, dicit ei: Domine, quis est?* respondit ille: *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero* (*Joan.* XIII, 24). Et cum intinxisset panem, dedit judæ Simonis Iscariotis. Scivit Petrus 135 Joanni ad interrogandum inesse ausum, quem tantæ agnovit erga Dominum invenisse familiaritatis affectum. Quem enim in tantum familiarem vidit, ut supra pectus ejus recumberet, non dubitavit quin auderet interrogare quod vellet, nec discredidit quin ad hoc ei responderetur, quod interrogaret. Et hæc quidem omnia ita fuisse, ipsa invenietur continere series verborum, si diligenter consideretur; nam quid aliud innuere videtur quod dicitur: *Itaque cum recubuisset ille supra pectus Domini, dicit ei: Domine, quis est?* prius quidem quod supra pectus ejus recubuit mentionem faciens, deinde quis esset interrogans, quasi inde fuerit, quod quis eum proditurus esset, interrogare præsumpsit, quia supra pectus ejus recubuit. Et nonne ita est? quid enim iste vel interrogare non auderet, qui supra pectus ejus caput reclinare, et supra id recumbere indultum sibi esse perspexit; vel ille ab interrogante absconderet, quem ad interna sapientiæ et scientiæ suæ secreta introduxit?

VIII. Quid enim ad hoc dicemus, quod die crastina moriens, et semetipsum pro totius mundi salute hostiam salutarem in ara crucis offerens, cum jam prope esset, ut spiritum in manus Patris traderet, dilectam commendare dignatus est dilecto matrem discipulo, Virginem virgini, Mariam Joanni? Quid enim in Evangelio suo ipse refert Joannes? *Cum videret*, inquit, *matrem, et discipulum quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua* (*Joan.* XIX, 26). O honor, omni qui in præsenti haberi potest sublimior! fratrem Christi et filium quodammodo esse Mariæ! et hoc honore sublimi solus censetur dignus Joannes. Cui enim dixit aliquando hominum Christus de matre sua: *Ecce mater tua*, nisi Joanni? et de quo ad matrem: *Mulier, ecce filius tuus*, nisi de Joanne? O quantum tibi dilectum videras, o Agnus innocens, mansuete et mitis Jesu! quantum dilectum, inquam, tibi videras, cui illum tam cœli quam terræ thesaurum pretiosissimum, matrem tuam loquor, committendum credebas! Ad matrem inquis: *Ecce filius tuus*; ad discipulum autem: *Ecce mater tua.* Obsecro, quid sibi volunt hæc? Cur non præcipis discipulo dicens: Servi, et ministra atque obsequere

Digitized by Google

ei, ut dominæ tuæ, matri autem meæ? Matri etiam cur non dicis, Utere famulatu discipuli mei, ut famuli et servi tui! sed longe honorabilius et favorabilius sonare videtur, quod dicis de discipulo ad matrem : *Ecce filius tuus;* et de matre ad discipulum : *Ecce mater tua.* Nonne hoc est quodammodo dicere : Usque modo tibi assistens non solum tibi jure filius fui, sed et devotum me tibi filium in obsequendo exhibui : nunc vero, quia hic, ut vides, in hac cruce morior, et a te recedens corporaliter tecum non sum, nolo ut, quamvis me ad præsens habere non potes, sine filio permaneas. Istum loco meo habe pro filio, et tu loco meo habe pro matre. Nulla tibi, o mater, inter mulieres par est, nullus te inter eos qui tui sexus sunt, o discipule, in eundo superior est. Unde per omnia decens est ut, dum illa in sexu femineo, in corporali incorruptione, non habet parem, tu vero in masculino, excepto me, non habens superiorem, invicem conjungamini. Intendat virgo Virgini, Mariæ Joannes, Maria Joanni : illa affectu materno; tu vero obsequio et cura filiali.

IX. Quid ad hoc dicitis, filii Adam, genus avarum et ambitiosum, filii alieni et inveterati, inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes (*Gal.* v, 26), honores appetentes, mendaces atque fugaces, respuentes veraces, quia cœlestes, quia permanentes? O pro quanto habetur, cum obtinet aliquis locum familiaritatis apud divitem, cum gratiam invenit apud regem! Quam bene, inquiunt, iste est cum rege! ecce æqualiter corridet et conjocundatur ei rex. Quam hic familiaris est ei, et rex cum eo! cui iste offensus est, et infestus, nec ei rex pacatus est, vel pius. Et si ita est; quid tamen hic stabile et sincerum? ac per hoc quid approbabile et appetendum? Nonne sæpe contingit ut qui hodie prope sunt cras longe fiant? et qui heri familiares fuerunt et domestici, hodie hostes sint et adversarii? Crebra de his quotidie videntur exempla. Sed studete familiares et amici esse Dei, contendite discipuli et domestici esse Christi. Quomodo, dicitis, Christi amici esse poterimus et discipuli? Audite quomodo : *Si manseritis in sermone ejus, vere discipuli ejus eritis* (*Joan.* VIII, 31); et quidem si de amicis agitur, vel amici ejus estis, *si feceritis quæ ipse præcepit vobis* (*Joan.* XV, 14); promissiones ejus istæ sunt. Sanctus autem Joannes mandatorum ejus obsecundationi insistens, ejus et discipulus fuit et amicus, et honore **136** ab eo non quidem impuro et instabili, sed sincero et perenni honoratus fuit.

X. Et est hic triplex modus, quem breviter attigimus, quo eum in vita honoravit, conferendo videlicet ei, inter multa alia, quibus eum ditavit, gratiarum suarum munera, virginitatem in corpore, puritatem in mente, dilectionem in sincera familiaritate, sive, si ita melius dicitur, familiaritatem in sincera dilectione. Et stabilitatem ei contulit in puritate, mentem ejus in contemplatione fixam custodiens, stabilitatem nihilominus in virginitate, quia quem virginem elegit, virginem semper conservavit, ab omni penitus quod polluere eum poterat, contagio defendens; familiaritatis ei inter condiscipulos ejus prærogativam impendit, non solum, ut jam dictum est, cum cæteris, sed et præ cæteris in dilectione eum et familiaritate amplectens. Quæ sibi ita fuisse, verba quæ de eo legimus, attestantur, quæ ita se habent : *Et firmabitur in eo, et non flectetur; et continebit illum, et non confundetur; et exaltabit illum apud proximos suos* (*Eccli.* XV, 4). Præmissum quidem fuerat et dictum de eo, quod *Cibabit illum Dominus pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum* (*ibid.*, 3). Quæ verba quomodo ad beatum spectent Joannem breviter superius ostendere curavimus; nam cibabit illum pane vitæ et intellectus, quæ ejus arcana erant, et mystica ad internam ei saporis refectionem revelans, in quorum cognitione sanctus quilibet et illuminatur ad intellectum, ut quod verum est eligens, in lumine veritatis fulgeat; et vegetatur ad vitam, ut, quod bonum est diligens, in opere sanctitatis se exerceat. Aqua vero sapientiæ salutaris potavit illum, verba ei inspirans intelligere, et intellecta retinere, atque memoriæ retenta proprie et seriatim, sicut prolata erant, scribere : quæ ipse Filius, qui sapientia Patris est, in carne apparens, ad humanam dignoscitur salutem protulisse. Firmatus quoque in illo, et nequaquam flexus est, quia per agnitionem veritatis, et amorem virtutis in Christo fundatus, et ab ejus contemplatione, et dilectione avulsus non est. Ne ergo defæcatæ mentis puritas in aliquo posset corrumpi, studuit amoris in eo radicibus, in quo nihil inquinatum incurrit, consolidari ut, dum sic in illo firmaretur, nullatenus flecteretur. Continuit etiam eum, et confusus non est, quia, dum in virginitate eum custodivit perfectum, quem in ea invenit integrum, confusus non est, dolens se a bono quod arripuerat proposito cecidisse, qui sibi conscius est, se in eo magis ac magis proficiendo conscendisse. Exaltavit nihilominus eum apud proximos suos, amplectens eum in ea quam superius ostendi, familiaritate et dilectione inter condiscipulos suos.

XI. Pro eo quod quomodo honoravit eum in vita ex parte declaravimus, restat quoque, ut quomodo eum in morte honoravit dilector ejus Jesus, demonstremus : in cujus conspectu, sicut vita, ita et mors nihilominus pretiosa est. Sicut tribus modis in vita, sic et tribus eum honoravit in morte. Et primus quidem, ut mihi videtur, est quod ipse ad eum Dominus in morte venit. Secundus quod sanctissimam animam ejus, sicut fas est credere, ad sempiternam suam gloriam perduxit. Tertius vero quod post ejus discessum in sepulcro ejus, nihil nisi manna inventum sit. Hinc egressurus ab ipso Domino visitatur, anima ejus in æternæ felicitatis gloria collocatur, sepulcrum illius novo quodam et insolito honore sublimatur. Apparuit namque charo suo Joanni, ut legimus, Dominus Jesus Christus cum discipulis suis

Digitized by Google

et sit illi: *Veni, dilecte mi, ad me, quia tempus est ut epuleris in convivio meo cum fratribus tuis.* Implevit Dominus, quod de eo consorti et coapostolo suo Petro promisit, quando audienti de seipso qua morte esset clarificaturus Deum, et de Joanne interroganti et dicenti: *Domine, hic autem quid?* respondit, *Sic eum volo manere donec veniam* (*Joan.* XXI et seqq.). In quibus profecto verbis evidenter ostendit qualem erga eum habuerit dilectionem, dum dicit se velle sic eum manere, donec veniat. Donec veniat vult eum manere, non donec mittat. Quæ quidem verba, ut scitis, tantæ prærogativæ discipuli illi, qui tunc præsentes aderant, esse intelligebant, ut exiret sermo inter eos, quod discipulus ille non moreretur.

XII. Magnus ubique [*al.* utique] honor quo ipse Dominus eum dignatus est invitare ad convivium suum, in quo electi ejus epulantur, et exsultant in conspectu ejus, ipso eis disponente regnum, ut edant et bibant super mensam suam in regno suo (*Luc.* XXII, 30). Et quidem apparenti sibi Domino et invitanti ad convivium suum, respondit, expandens utique utrasque manus suas ad Deum: *Invitatus ad convivium tuum venio gratias agens, quia me dignatus es, Domine Jesu Christe, ad tuas epulas invitare:* **137** *Sciens quod ex toto corde meo desiderabam te.* Et item: *Domine, suscipe me, ut cum fratribus meis sim, cum quibus veniens invitasti me. Aperi mihi januam vitæ, et perduc me ad convivium epularum tuarum. Tu es enim Christus Filius Dei vivi, qui ex præcepto Patris mundum salvasti, tibi gratias referimus per infinita sæcula.* Cum quanto vero honore eum ad æternum perduxit convivium quis nostrum comprehendere sufficit?

XIII. Sed et illud quomodo aliquis digne poterit admirari legens sive audiens quod in ejus sepulcro nihil nisi manna contigit inveniri? Manna in quibusdam sacræ Scripturæ locis, panis appellatur angelorum; putredinis quoque locus et fetoris solet esse sepulcrum. O sancte, o beate Joannes! Quam dilectus eras Christo vivens in corpore, evidenter nobis per hæc ostenditur, quæ circa te aguntur in morte. En tibi apparet tuus qui te diligit Jesus cum discipulis suis, concivibus autem tuis, ad sapidissimas illas æternæ refectionis epulas invitavit [*al.* invitans] ille te cum honore incomprehensibili eo perduxit, et ut non solum nihil ad honorem pertinens tibi in morte desit, sed et plurimum etiam contra ipsius naturæ consuetudinem adsit; sepulcrum quoque tuum omni prorsus putredine non tam vacuatum, quam vacuum, cibo angelico vacuum esse non sinit.

XIV. Considerans gloriosissimum tuum ab hac vita discessum admiratione læta, et lætitia admirabili exsilio, prævidens autem meum miserrimum, timore pariter et confusione concutior. De quo quidem quando vel ubi erit penitus nescio, quod tamen aliquando vel alicubi erit, non ignoro. Non video me talem ut aliquem [*al.* ut quod habeat] ex pacificis suis, debet mittere ad me æstimem, vel ut per seipsum ad me eum venturum putem. Venit ad eum, ipso teste, princeps mundi hujus, et in eo non habuit quidquam. Quod autem et ad me venturus sit idem princeps, non contradico; sed quod in me nihil suum habeat, dicere non præsumo. Quam infelix civitas illa, quam circumdant inimici sui vallo, et coangustant eam undique, et ad terram prosternunt eam, et filios ejus, qui in ea sunt, non relinquentes in ea lapidem super lapidem (*Luc.* XIX, 43): quæ omnia ad animam reprobam de corpore exeuntem juxta sensum pertinent moralem: quam, ut ait beatus Job, tollet ventus urens, et velut turbo rapiet eam de loco suo (*Job* XXVII, 21). Illam itaque apud me versans horam, qua egrediar, sed nescio quo, sed nescio quando, contremisco timore valido a facie callidi accusatoris et districti judicis, depingens modo apud me quam terribilis illa mihi erit hora, et qua de corpore compellar egredi, et qua me continget aspectibus tremendi judicis offerri. Tria mihi cogitanti de hora illa formidanda valde occurrunt; multimoda mea injustitia, malitiosa, sed vera tamen callidi accusatoris calumnia, et tremenda districti judicis sententia. O me miserum! cui causa languida non minus judicem districtum quam calumniatorem exhibet infestum! Hæc tria hora illa timeo: hostem accusantem, conscientiam attestantem, judicem ferientem. Sed adesto mihi hora illa, mihi quidem indigno, tamen supplici tuo ex totis te medullis cordis in auxilium invocanti. Occurre et succurre mihi tunc, o sanctissime et beatissime frater Christi et fili Mariæ. Occurre, inquam, ad solatium, succurre ad præsidium, flecte judicem, procul pelle accusatorem, ut nec me iste convincat, nec ille condemnet. Non autem in consideratione fetoris et putredinis corporis mei timeo, confundor tamen non modicum et erubesco, sciens quod longe distabit dedecus et ignominia, sicut dignissimum est sordidissimæ et fetidissimæ speluncæ meæ ab honore et gloria mundissimi et pulcherrimi sepulcri tui. Speluncam namque meam fetore perhorrescentem et vermibus scaturientem cadaver meum horribile reddet, tuum vero sepulcrum honorabile exhibet manna.

XV. Et videte, fratres, quomodo hic triplex honor quo dilectum et familiarem suum Dominus Jesus honoravit Joannem in fine; illi respondet honori triplici quo eum honoravit in vita. Ipse enim per semetipsum in transitu suo ad eum familiariter venit, qui se ei familiarem in vita exhibere solitus erat. Viventem eum intimis suis secretis admittens, discessurum vero ad æternum illud convivium invitat. Sanctissimus etiam et beatissimus spiritus ejus ad semper duraturam illam translatus est felicitatem, qui tantam hic largiente et infundente spiritu Creatore, nactus est puritatem, ut Verbum videret in principio, de gloria in gloriam, de claritate in claritatem translatus, quæ per speculum nunc est in ænigmate, ad illam pertingens, quæ est facie ad

Digitized by Google

faciem (*I Cor.* XIII, 12). Ut ibi jam sine fine felix gaudeat in **138** æternum, ubi etiam hic in corpore positus suas religatas indesinenter habuit primitias, et radicatum indissolubiliter desiderium. Dignum posthæc fuit et omnino conveniens ut manna venustaret locum, quem corpus intravit virgineum, quia manna quodammodo virginitatis appellaverim prærogativam, ut corpus cœlesti virginitatis munere honoratum, quoddam esse decoratum manna sepulcrum.

XVI. Jam vero de honore illo quo eum perenniter honorat, aliquid dicere deberemus, si quidquam inde dicere sciremus. Nunc vero cum constet, nec oculum vidisse, nec aurem audisse, nec in cor hominis ascendisse, quod dilectori et dilecto Dominus Jesus præparavit, et jam etiam præbuit Joanni, quomodo aliquid sufficienter de honore illo lingua exprimat, cum eum nec mens comprehendat? Impletur jam in eo quod non solum de se, sed et de concivibus suis ait in Epistola sua : *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus* (*I Joan.* III, 2), et adjunxit; *scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*ibid.*). Quis nostrum tantæ modo puritatis est, ut hujus posset modo comprehendere visionis præstantiam? quæ ipsum, quem videt, similem efficit ei qui videt, ut idem sit videre, et ei qui videtur similem esse : O læta et beatificans visio! o beata et beatificans similitudo! in qua cum dilectore suo Domino Jesu gaudio gaudet inenarrabili beatus iste de quo jam multa diximus Joannes, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXXIV.

IN DIE SANCTORUM INNOCENTIUM.

De fructu salutis, quem superna nobis Sapientia infundit, et quomodo superbia in nobis persequitur humilitatem.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Per Joseph virtutis profectus, per Mariam sapientiæ partus figuratur. — 2. Joseph de domo David in cœlorum palatio jugiter conversatur. — 3. Animus in sublime assurgens per Joseph ; per Mariam radio sapientiæ illustratus notatur, ut stat electio gratiæ.— 4. Regem David senem vestibus non calefieri est non recipere terrenas consolationes. — 5. Quæritur Abisag Sunamitis, id est vera sapientia. Quibus servis quæratur. — 6. Ministerium Abisag stare per rectitudinem intentionis, dormire per quietem mentis, fovere per internam suavitatem, calefacere per ignem charitatis. — 7. Demonstratio gratuitæ electionis ad gloriam. — 8. Jesu in corde præsentis indicia ex profunda humilitate, cujux triplex est gradus. — 9. Quantus humilitatis fructus, cui totum convenit militare. — 10. Patientiæ, et triplicis compunctionis effectus a præsente gratia. — 11. Octo beatitudinum perfectionem operatur Jesus in nobis. — 12. Salutis operibus insistere est puerum Jesum tenere : cui Herodes, id est illis superbia insidiatur, ut pereant. — 13. Occultus superbiæ astus, in benefactis subrepentis magis delegitur. — 14. Mulier amicta sole, sub pedibus luna, est anima sapiens, comitante bona fama. — 15. Quid corona stellarum duodecim, et cruciatus ut pariat. — 16. Prærogativa quadruplex mulieris, bona conversatio in amictu solis, contemptus famæ in subjecta luna, ornatus virtutum in corona XII stellarum, in cruciatu parientis affectus boni disiderii. — 17. Superbia velut draco incendit cauda, intentionis depravans rectitudinem. — 18. Auriga et mensura virtutum discretio, cujus magna necessitas.

I. Audistis, charissimi, in hodierna sancti Evangelii lectione, quod puerum Jesum, ad perdendum eum quærit Herodes (*Matth.* II, 13, et seqq.). Quam cito in hoc mundo hostes invenit Jesus, cujus recentissima adhuc nativitas a crudelitate immanis persecutoris libera non fuit. Fugit humiliter persecutores suos, ut etiam nos erudiat quid agere debeamus, cum nos quærit Herodes ut perdat. Nam nec hodie in nobis cessat Herodes quærere puerum Jesum ad perdendum eum. Angelus autem Domini apparet in somnis Joseph, dicens ei ut tollat puerum, et matrem ejus, et fugiat in Ægyptum. Non solum autem hoc, sed ut sit ibi usque dum dicat ei : nec ei tacet ille vel causam fugæ, vel inibi moræ, *Futurum est*, inquiens, *ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Quis putas iste est Joseph? fortassis animus est sincerus et purus, multis modis, juxta interpretationem hujus nominis, quod est Joseph, spiritualium virtutum augmentis ditatus. Nonne tibi videtur ad istud, juxta hunc sensum, suspirare nomen, qui patrem illum luminum, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum descendit (*Jac.* I, 17), alloquitur dicens : *Multiplicabis in anima mea virtutem?* (*Psal.* CXXXVII, 3.) **139** Hic est, cui conjuncta Maria Filium parit, cujus nomen est Jesus, pro eo quod superna sapientia (hæc est enim Maria), fideli, et devoto animo per internam inspirationem fructum confert salutis. Quis enim diffitetur sapientiam supernam sincero animo fructum salutis, sive intus in affectu puræ dilectionis, sive exterius in effectu strenuæ actionis administrantem, Mariam esse, puerum Jesum Joseph [*al.* cum Joseph] parientem? Ipsa pro sapore meo, ipsa, inquam, est virgo incorrupta, et mater fecunda desponsata viro, cui nomen est Joseph et nomen virginis Maria (*Luc.* I, 27).

II. Nonne tibi fortis et virilis animus in Deo, dum quotidianis conversationis sanctæ augmentis, magis semper ac magis ditari contendit, vir esse videtur, cui nomen est Joseph? Qui etiam bene ostendit se esse de domo David, dum curiositate sobria, et aviditate pia domum illam non manufactam æternam in cœlis, quantum ei in hoc sæculo possibile est, perlustrare et circuire studet, lucidas illas beatorum spirituum mansiones perambulans, ut illam sibi Pauli vocem vindicare possit : *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Phil.* III, 20). Circuit enim incessanter iste Joseph ordinem angelorum, curantium de nobis et providentium de nobis, utpote quos non ignorat spiritus esse administratorios, in ministerium missos propter eos qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr.* VIII, 14). Circuit colloquium archangelorum interna nobis colloquia revelantium, virtutum miracula et prodigia operantium, potestatum, dæmonum hominumque reproborum malitiam atque tyrannidem coercentium et debellantium : admira-

Digitized by Google

tur regiam principatuum, dominationum prærogativam, placidissimam æquitatem in thronis, plenitudinem scientiæ in cherubim, et indeficiens divini amoris incendium in seraphim. Perambulat patriarcharum cuneos, prophetarum choros, senatum apostolorum, purpureas martyrum coronas, candida virginum serta, et aureas in Catholicis doctoribus torques.

III. Ecce noster Joseph supernam illam domum frequentans, religans ibi primitias spiritus sui adinstar illius aquilæ, quæ, ad præceptum Domini elevata, ponit in arduis nidum sibi, in petris manens, et in præruptis silicibus, atque inaccessis rupibus commorans (*Job* xxxix, 28). Cernente autem eo hoc modo terram de longe, Regem nonnunquam in decore suo vident oculi ejus, in ipsum David conspicuos visus defigit, in quem desiderant angeli prospicere (*I Petr.* i, 12). Cum autem talem animi tui statum, qualem in verbis istis descripsimus deprehendis, poteris non immerito dicere te vocari Joseph, et esse de domo David. Quod autem nomen virginis Maria sit quis est qui contradicat, nisi quis forte est, qui, quod ejus officium, ignorat. Nam maris stella, ut scitis, dicitur Maria. Nonne quædam est maris stella superna sapientia, animo per internam inspirationem infusa, dum eumdem animum discretionis suæ radio, in hoc illustrat mari tempestuoso, quod in eo sæpe inundare solet, ut sciat quid evitare, quove inter undosa cogitationum suarum volumina incedere debeat. Hunc puerum Jesum parit Joseph, fructum conferens salutis devoto animo et fideli. Et parit quidem eum Joseph; sed eum non suscepit de Joseph. Hoc esse puto quod sanctus quidam dixit Domino: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* xv, 2). Omnes enim quotquot salvamur, per electionem gratiæ salvamur; si autem ex gratia, jam non ex operibus. Alioquin gratia jam non est gratia. Merito quoque asserit Paulus dixisse David *beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus* (*Rom.* iv, 6). Cui consentiens sanctus Isaias, etiam voce omnium electorum assumpta, ipsum communem alloquitur Dominum, *omnia*, inquiens, *opera nostra operatus es in nobis* (*Isa.* xxvi, 12). Ne forte putaret quis gratiæ inimicus mercedem sibi non secundum gratiam imputandam, sed secundum debitum, cum iste de quo loquimur, Joseph de Maria sic puerum Jesum suscipiat, ut ei se primitus semen non infudisse non ignoret.

IV. Nonne quondam David senem ac frigidum Abisag Sunamitis calefecit, et fovit, et eam David non agnovit? quid enim dicit Scriptura? (*III Reg.* i, 1.) *Et rex David senuerat.* Ego puto quod animus in fide recta pius, et in sancta conversatione devotus, dum cunctos [*al.* cunctos in se] motus, tam externos, quam internos, discrete regit, dum in strenuitate bonæ actionis fortiter se exercet, et in desiderium internæ contemplationis mentis perspicaciter [*al.* perspicacis] visum, prout ei divinitus datur, intendit, et rex dici, David non immerito potest appellari Qui etiam tunc senescit, quando ad perfectam sanctitatis maturitatem pertingit. De quo etiam bene dicitur, quod *habebat ætatis plurimos dies*, pro eo quod devotus animus multas in sancta **140** conversatione possidet virtutes. Nam et *ætas senectutis vita immaculata est* (*Sap.* iv, 9); et patres nostri quondam dicebantur senes ab hac vita discessisse et pleni dierum: Hoc est in spirituali conversatione maturi et sanctarum copia virtutum repleti. Et adjunxit Scriptura, *cum operiretur vestibus non calefiebat*, pro eo quod si divitiæ affluant, non vult cor apponere (*Psal.* lxi, 11), omnia quæ mundi sunt reputans detrimenta, et arbitrans ut stercora. Quid enim aliud sunt terrenæ res omnes, nisi quædam corporis vestimenta? Sed cum his vestibus cooperitur non calefit rex David, quia nullam de aliquibus, quæ terrena sunt, perfectus animus consolationem recipit. Verum cum sic renuit consolari anima hæc, memoretur necesse est Dei et delectetur atque exercitetur, bonum super hoc negotio huic David dantibus consilium servis suis, et dicentibus ad invicem. *Quæramus nostro domino regi adolescentulam virginem, et stet coram rege et foveat eum, dormiatque in sinu suo, et calefaciat Dominum nostrum regem*, et subjunxit post hæc Scriptura et ait: *Quæsierunt ergo adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel. Et invenerunt Abisag Sunamitidem, et adduxerunt eam ad regem* (*III Reg.* i, 3).

V Sed dicit mihi aliquis vestrum: Quid tibi modo loqui de David et Abisag, cujus erat paulo ante in ipso sermonis hujus exordio de Maria tractare, et Joseph intentio? Inest adhuc eadem intentio mihi. Quod autem ad illa congruenter hæc pertineant, quæ modo in manibus habemus, statim videbitis, nec culpabitis, ut arbitror, digressionem cum ejus causam videritis et rationem. Quæ est ergo hæc Abisag, quæ interpretata dicitur *Patris mei rugitus*, nisi interna sapientia, animo, cui infunditur, quodam silentis clamoris, et clamosi silentii rugitu summi patris revelans secreta? quæ nimirum dum eidem animo spiritualem tam teneritudinem in affectu quam decorem confert in intellectu, et adolescentula et speciosa est. Est et Sunamitis, id est coccinea, animum, quem replet, dilectionis venustans colore [*al.* calore]. Hanc quærunt servi David ex omnibus finibus Israel, quia inter omnes contemplationis modos sapientia et instantius quærenda, et inventa strictius retinenda est. Et qui sunt hi servi? forsitan consideratio, oratio, conversatio, puritas, perseverantia servi sunt David. Hoc ideo dico: quia hanc, de qua loquimur, sapientiam, et sobria, ut scitis, considerationis profunditas et profunda sobrietas perscrutatur, et orationis eam devotio expetit, et sanctitas conversationis meretur, et puritatis defæcatæ munditia assequitur, et perseverantiæ stabilitas amplectitur: et dicit: *tenui eam, nec dimittam* (*Cant.* iii, 4).

VI. *Et ministrabat ei.* Quid est ministerium Abi-

Digitized by Google

sag quod impendit David ? quod est nisi ad quod a servis quæsita est, ut videlicet stet coram eo, dormiat cum eo, foveat, atque calefaciat eum ? (*III Reg.* I, 4.) Hæc omnia dicitur facere pro eo quod animo dat cui infunditur, ut hæc agat ; nam quodammodo stat, dum ipsi, ut stet, persuadet. Dormit quoque, dum dat ut dormiat, et dum ipse fovetur ac calefit, et ipsa eum fovet et calefacit. Ecce quadripartitum ministerium Abisag stare, dormire, fovere, et calefacere. Primum ad rectitudinem, secundum ad quietem, tertium ad suavitatem, quartum pertinet ad dilectionem. Primum igitur ministerium ejus est ut in omnibus motibus nostris tam exterius quam interius, rectitudinem in interna intentione habere studeamus, illum in intimis nostris, qui discretor est cordium, cogitationum et intentionum cordis indesinenter attendentes, illum etiam omnis, quod in nobis est, boni approbatorem, exspectantes et judicem, ipsum denique remuneratorem expetentes. Secundum vero simile est huic, imperturbabilis videlicet quies mentis. Quid enim est quod jam perturbet conscientiam vel mordeat sive concutiat, cum suam ei integritatem rectitudo intentionis illæsam, et prorsus inconcussam conservet ? Sic ergo in pace, in idipsum fidelis ac devotus animus, ipse est enim David dormiens et requiescens, dormiens in pace per tranquillitatem cordis, requiescens in idipsum, dum non nisi ad unum tendit per rectitudinem intentionis ; quidni delectabile percipiat fomentum intimæ suavitatis ? Jam vero superest ut perfectionis eum fortiter vinculum stringat, per illam viam regiam sine offendiculo incedat, (quam Apostolus excellentiorem appellat) quantum ad Deum, flammescat igne charitas ; quantum ad fratres, accendat ardor proximos. Hæc itaque bona sunt, quæ speciosa Abisag impendit David : interna sapientia animo fideli, rectitudo in interna intentione, quies in mentis cogitatione, fomentum in intima suavitate, ardor in sincera charitate. Hoc autem quartum tria in se præcedentia bona videtur continere, quia charitatem **141** triplicem asserit Paulus (*I Tim.* I, 5) : de corde puro, conscientia pura, et charitate non ficta. Puritatem cordi rectitudo adfert intentionis, bonitatem conscientiæ tranquillitas cordis, et ne fides ficta sit, in interiori animæ palato sanctitatis suavitas sapit.

VII. Post hæc omnia, quomodo conclusit Scriptura ? *Rex*, inquit, *David non cognovit eam* (*I Reg.* I, 4) ; hoc est propter quod cuncta præmissa expositione attigimus compendiosa. Verum est hoc, quia Abisag David non cognovit : sic nec Joseph Mariam, percipit ab adolescentula speciosa Abisag calorem David, nullam per eam sentiens libidinem. Suscipit a Maria puerum Jesum Joseph omnem carnalem cum ea ignorans commistionem, ut agnoscant ingrati, quicunque sunt, gratia se esse salvatos et non ex se ; idque donum Dei esse, ne quis glorietur (*Ephes.* II, 9). *Non vos*, ait Dominus, *me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum* A *afferatis et fructus vester maneat* (*Joan.* XV, 16). Qui itaque non eligentes electi sunt, et qui euntes manentem fructum afferunt, ei ascribant qui eos elegit, et qui eos posuit ut irent. Ut sciat quoque noster Joseph ex sola esse Maria puerum Jesum, quæ sola illi eum peperit, juxta angelicum illud promissum : *Pariet tibi Filium, et vocabis nomen ejus Jesum* (*Luc.* I, 31), quasi qui eum non generavit. Puer ergo Jesus, quem ex se sola Joseph parit Maria, fructus est salutis, quem animo devoto et pio ex sola gratuita gratia inspirat Sapientia : estque calor ille pudicus, quem ab eo non agnita speciosa confert adolescentula Abisag seni et regi David.

VIII. Ut enim de humilitate, quæ cæterarum est virtutum fundamentum loqui incipiamus, cum, in- B quam, cor tuum ad hanc incitari et inflammari per pium desiderium sentis, ut omni te subdas majori, nulli præferas æquali, quis dubitet devotum hunc affectum in te puerum esse Jesum ; qui in natura assumpta, qua minor est Patre, plene se ei et perfecte subdidit : *Factus ei obediens usque ad mortem ; mortem autem crucis* (*Phil.* II, 8). Quod si eousque in humilitatis sublimitate conscendere studes, ut omni te subjicias etiam æquali, nulli quoque te præferens, sed nec minori, jam te puerum Jesum assero a Maria suscepisse, qui et ipse æqualis suo Patri videlicet, cui æqualis est secundum divinitatem, obtemperavit, dum eum Pater imminuit paulo minus ab angelis (*Psal.* VIII, 6), dum illud disponente Patre : *Verbum caro factum est et habitavit* C *in nobis : quod in principio erat, et apud Deum erat, quod Deus erat* (*Joan.* I, 1). Si autem tantæ turri humilitatis vim inferre contendis, et eousque in eam pius invasor, et infatigabilis ascensor, hoc est, usque ad summum ejus ascendere decernis, ut te vera humilitate prosternas minori, non solum te penitus nulli præferens, sed potius subjectus existens omni humanæ creaturæ propter Deum (*I Petr.* II, 3) ; nescio quis jam hac in parte excellentius quam tu illum puerum Jesum mitem et humilem corde habes, qui nec istud in se humilitatis genus inexpletum esse dignatus est, descendens cum Maria et Joseph, et veniens in Nazareth, et existens subditus illis (*Luc.* II, 51) : inclinans se nihilominus Joannis manibus baptizandus (*Matth.* III, 16). D Ecce triplex humilitatis gradus : subesse superiori, quod est incipientium ; æquali, quod proficientium ; minori, quod perfectorum.

IX. Cum itaque quidquid in te carnale est, huic triplici humilitatis gradui militare compellis ; puerum nimirum apud te habes Jesum exhibentem, et in te complentem, quod ait Isaias : *Vectes*, inquiens, *ejus*, haud dubium quin Moab, *usque ad Segor vitulam conternantem* (*Isa* XV, 5). Quod, quid est aliud, nisi quod animo per sanctitatis affectum ad Deum converso, rigidæ carnales passiones (quas originale Patrum nostrorum semen in carne nostra posuit, quia aqua paterna sive ex patre sonat Moab, mortificatæ et in melius commutatæ parvitati obsequuntur : triplicis hujus, de qua loquimur, humili-

Digitized by Google

tatis dulcedine internæ gratiæ abundantis. Nam **Segor, ut scitis,** parvula dicitur; vitula vero, mater, **est humilitas** abundans gratia, ut vitula lacte. Ut enim scriptum est : *Humilibus dat gratiam* (*Jac.* IV, 6). Et tunc maxime cum omnes tres hujus conscenderint gradus. Ut sit vitula conternans, ad quam usque vectes Moab pertingunt, quia parvulam se exhibens humilitas, et gratia abundantem et triplicem, de quo diximus, continet gradum; cui in conversis rigidæ carnalium passionum duritiæ mutatæ et emollitæ obsequuntur.

X. Si vero animum in virtute patientiæ habes perfectum, ut æquanimiter convicia portes, damna toleres, flagella sufferas, convicia dico verborum, damna rerum, flagella in corpore, si ita acciderit, procul dubio puer est Jesus, quem habes. Hic enim triplex est patientiæ gradus. Quod si laborans in gemitu **142** tuo, et lavans per singulas noctes lectum tuum, lacrymisque tuis stratum rigans irriguum possides inferius (*Psal.* VI, 7) : si etiam *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima tua ad Deum :* si sitit *anima* tua *ad Deum fontem vivum* dicens : *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei !* suntque tibi *lacrymæ tuæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI, 2), ut etiam ad irriguum superius ascendere possis (*Judic.* I, 15); si denique universas aliorum, ut proprias calamitates deploras, quia hoc triplex est spiritualis compunctionis genus, scito sine dubio, quia salubris hic, quem tibi inspirat affectus, quem Joseph Maria parit, est puer Jesus. Ecce triplex paupertas, cui promittitur regnum cœlorum : triplex mansuetudo, cui debetur terræ possessio, triplex nihilominus luctus, quem annullabit consolatio.

XI. Si autem esuriens et sitiens justitiam tam innocenter vivere studes, ut nulli inveniaris obesse, et misericors existens tam utiliter te habere conaris, ut omnibus pro viribus appareas prodesse, gaudio gaude puerum Jesum apud te habens. Pro eo namque quod tibi fieri non vis, alteri non facis, ab eo es saturandus : et quia quæcunque vis ut faciant tibi homines, et tu facis eis, misericordiam consecuturus es (*Matth.* V, 7) : remetiente tibi in eadem mensura justo judice Deo, in qua tu prius mensus es. Quod si te hac triplici sorde, concupiscentiam videlicet carnali, gloria temporali, recordatione pristinarum pravitatum tuarum dedignaris inquinari, non solum per consensum in voluntate, sed etiam per delectationem in affectione; adhuc autem quod perfectorum est, vel tenuiter per memoriam in cogitatione, quis jam diffiteri audebit salubrem hanc, quam habes puritatem, ad puerum Jesum pertinere? profecto, præmium tuum erit visio Dei : quod quidem præmium tantæ in corde munditiæ nitor præcedit. Quod si quis super hoc dubitat, audiat veracem ipsius veritatis promissionem : *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt* (*ibid.* 8). Si vero omnes in te turbulentos motus in mente tua sedare studes; si sic etiam exterius plenam pacem exhibes, ut in vultu, in verbis, omnibus denique motibus tuis, nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum; sed magnum hoc bonum, his qui non habent offerre volens, quoscunque perturbatos aspicis, et pacificare, et ad concordiæ unitatem revocare conaris, non est qui dubitet speciale hoc esse opus parvi Jesu, in quo *Deus erat mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* V, 19); in cujus nuper ortu pacem nuntiabant angeli hominibus bonæ voluntatis, qui etiam *Pax nostra est, faciens utraque unum, pacificans sanguine suo et quæ in cœlis sunt, et quæ in terris* (*Luc.* II, 14). Nec mirum si Filius Dei voceris, cujus officium exercere inveniris. Ut autem nullam de octo illis beatitudinibus (*Matth.* V, 3), quas Dominus in Evangelio ponit, videar præterisse : si ardenter desiderat cor tuum persecutiones pati propter justitiam, gaudens cum maledixerint te homines, et persecuti te fuerint, et dixerint omne malum adversum te mentientes : puer est Jesus iste, quem tenes.

XII. Non solum autem de virtutibus, sed et de operibus virtutum hoc idem sentiendum est : quia tunc Jesum habes, quando fructum æternæ salutis operaris. Si enim, verbi causa, abstinentiæ et vigiliis, si orationi et lectioni, si sanctæ prædicationi et fraternæ admonitioni; si eleemosynis vel cæteris quibuslibet sanctæ actionis exercitiis insistis, puer est Jesus, quem penes te habes. Ut enim sæpe jam dictum est opus salutis exercere puerum Jesum tenere est. Sed ut verbis beati Gregorii utar (271) : *Bonum quod agitis necesse est ut cum magna cautela teneatis, ne per hoc quod a vobis rectum geritur, favor aut gratia humana requiratur : et quod foris ostenditur, intus a mercede vacuetur.* Et ut Pater atque advocatus noster egregius doctor in Regula clericorum ait, beatus Augustinus : *Alia quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant; superbia vero bonis operibus insidiatur ut pereant.* Unde et hic sanctissimum hunc puerum Jesum Herodes quærit ad perdendum eum. Herodes pellis gloria dicitur; gloriari vero in pelle, in vanitate gloriari est. Est itaque gloria pellis, gloria elationis Secundum hunc ergo sensum, Herodes superbia est, quæ dum bonis in nobis, ut beatus Augustinus dicit, et quotidiano experimento sentimus, bonis operibus insidiatur, ut pereant, quasi Herodes quærit Jesum ad perdendum eum. Hæc est quæ nonnunquam desiderat, ut bonis actionibus insistamus; sed ad hoc ut ei, per tumorem inanis fastus, faveamus. Unde et versipellis Herodes iste callida magos hortatur versutia, ut eant, et diligenter interrogent de puero, et cum invenerint renuntient ei, quod quid aliud est, nisi quod superbia bonis nos operibus acquirendis, fraude nonnunquam subdola convenit, ut acquisita **143** ad ejus ea vanitatem referamus? nam quid est Herodem ad magos dicere : *Ite et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis renun-*

(271) Hom. 12, in Evang.

Digitized by Google

dicite mihi (*Matth.* II, 8), nisi superbum vanæ gloriæ appetitum, ipse [quippe] est Herodes — bonis et devotis in nobis cogitationibus, — ipsæ quippe sunt magi Dominum quærentes, — suggerere, quatenus ad hoc sanctitatis exercitio insistant, ut ad favendum et placendum ei de ipso se sanctitatis exercitio extollant? quasi enim inventus Jesus renuntiatur Herodi, cum bonum acquisitum opus per appetitum vanitatis famulatur elationi. Qui etiam adjunxit : *Ut et ego veniens adorem eum* (*ibid.*), quia sub specie humilitatis ipsa nonnunquam se superbia palliat, ut eamdem humilitatem destruat, nam superbiam in formam se humilitatis transfigurare, ut eam destruat, Herodem est velle simulare se puerum adorare, ut eum perdat. Cum igitur aliquem videris sub habitus vilitate, vel alio quocunque humilitatis signo, sive in verbo, sive in gestu, sive etiam in actu, nimis insolenter se dejicere, aut nimis improbe submittere : agnosce apud hunc Herodem simulare, se velle adorare puerum Jesum, ut eum perdat.

XIII. Intelligite, quæso, dilectissimi, et intuemini, quam subtilis, quamque ad deprehendendum difficilis est, superbiæ dolus. Cum enim cætera vitia per contrarias sibi virtutes expugnentur, ut per mansuetudinem, verbi causa, vincitur ira, per benignitatem invidia, per hilaritatem acedia, per largitatem avaritia, per abstinentiam gula, per castitatem libido : hæc versa vice, per quam sibi contraria est, aliquando virtutem, id est, per humilitatem augetur, ut quæ incurrere debuit defectum, tunc accipiat plerumque incrementum. Et quidem venenosa admodum pestis hæc, et omnino mortifera, eum piis suggerit affectibus, ut ad hoc, quod bonum est, exerceant, quatenus de eo sese extollant. Quia per hoc innuitur, quod magis dicit Herodes ut eant et interrogent de puero, et cum invenerint, renuntient ei. Sed valde in malitia excrescit, cum animæ persuadet, ut ex ipsa vilitate se efferat, et per humilitatem superbiat. Quod per hoc innuitur, quod simulat idem Herodes se velle adorare puerum, ut eum perdat. Quam quidem occultam superbiæ versutiam mire beatus David et deprehendit, et deprehensam longe a se fugare curavit, qui elatam Michol pro sua se humilitate arguentem alloquens : *Ludam*, inquit, *et vilior fiam, plusquam factus sum, et ero humilis in oculis meis* (*II Reg.* VI, 22). Nam dicens *ludam et vilior fiam plusquam factus sum*, humilem se esse insinuat; adjungens vero *eroque humilis in oculis meis :* nolle se aliquatenus de ipsa humilitate superbire demonstrat. Quasi enim vilis est, sed in oculis suis humilis non est, qui se quidem humilem forinsecus ostendit, sed de ipsa intrinsecus humilitate superbit. Et hoc est perdere humilem puerum Jesum, sub specie adorandi eum. Est ergo Herodes qui quærit puerum ad perdendum eum; superbia videlicet, quæ quocunque modo, sive aperto aliquo, sive isto, quem nunc ostendimus occulto, salutis in nobis militur destruere fructum.

XIV. Hic enim [*al.* etiam] draco iste est, quem in Apocalypsi (*Apoc.* XII, 4 et seqq.) vidit beatus Joannes stetisse ante mulierem : ut cum peperisset, filium ejus devoraret. Placetne vobis ut mysterii hujus arcanum ingrediamur, quatenus quod nobis in eo videre necessarium fuerit, vestræ charitati sine invidia communicemus, sine fraude apponamus? *Signum*, ait, *magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim : et in utero habens, clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat.* Breviter ut percurramus, salvo sensu allegorico, qui pertinet ad Ecclesiam; salvo etiam, qui exprimit ejus prærogativam, omni alio sensu tropologico, quem nos modo dicturi sumus : mulier in cœlo hæc est, de qua superius multa diximus, sapientia in animo. Quæ talis hic describitur apparere, qualem, cui infunditur facit animam esse. Amicta itaque est sole, pro eo quod animam lucida sanctitatis venustat et exornat conversatione. Et luna sub pedibus ejus : quia anima sancta famam omnem deprimit sub affectibus suis. Aiunt, lunam splendorem suscipere a sole. Et quid est solem conferre lunæ ut luceat, nisi splendidam conversationem famæ dare, ut vigeat? Sed hæc mulier sic sole amicta est, ut lunam sub pedibus habeat : quia insurgente superna scientia, sic anima [*al.* suggerente superna sapientia se animo], cui infusa est sanctitatis conversatione ornata et clara appareret : ut in fama humana, nequaquam mollis quiescat, sed sub pedibus affectuum suorum contemnendo premat. Talis erat ille, qui ait : *Si viderem solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare* (*Job* XXXI, 26), ostendens ni fallor, in verbis istis non se fuisse elatum, vel pro vita sancta, quam exercuit, vel pro fama, quæ de ipso apud homines volavit.

144 XV. *Et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Videte ne forte corona stellarum illarum duodecim sit virtutum de quibus Apostolus : *Fructus*, inquit, *spiritus est charitas, pax, patientia, gaudium, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, modestia, continentia, castitas* (*Gal.* V, 22). Quod si aliud vultis recipere, apponite quatuor illas virtutes, quas legitis sapientiam docere : sobrietatem videlicet, et sapientiam, et justitiam, et virtutem (*Sapien.* VIII, 7), illis octo, quas eidem sapientiæ quæ desursum est Jacobus asserit inesse dicens : quod *primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, judicans sine simulatione* (*Jacob.* III, 17) : et componite ex eis quoddam pulcherrimum diadema, et habetote coronam stellarum duodecim. *Et in utero habens clamabat parturiens : et cruciabatur ut pariat* (*Apoc.* XII, 2); quia tantum in sanctitatis desiderio, animo

Digitized by Google

dat, cui infunditur, concipere per propositum : ut d sine magni laboris cruciamine explere nequeat per effectum.

XVI. Ecce quadripartita hujus mulieris prærogativa : splendor bonæ conversationis in amictu solis, contemptus famæ, in luna sub pedibus, ornatus spiritualium virtutum in corona duodecim stellarum : boni desiderii affectus in clamoso cruciamine parturientis. Comparate, si placet, quadripartitam hanc mulieris prærogativam illi quadripartito mysterio Abisag, de quo superius tractavimus : quia unam eamdemque rem significare diximus. Et videte ne forte illam in lecto sanctæ quietis pausare, hanc sit sole amiciri : illam in intentionis rectitudine stare, hanc sit lunam sub pedibus habere : illam senem fovere, hanc sit stellis duodecim coronari : illam B frigidum calefacere, hanc sit in utero habere, et ut pariat cruciari et clamare.

XVII. *Et visum est*, ait Scriptura, *signum aliud in cœlo : et ecce draco magnus et rufus* (*Apoc.* XII, 3). Draco magnus et rufus in cœlo, superbia est sublimis et crudelis in animo. *Magnus :* quia magnum apud se facit esse animum, cui dominatur. Hanc apud se habere magnitudinem noluit, qui ait: *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei : neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me* (*Psal.* CXXX, 1) : sed eam ipse apud se habuit cui dictum est : *Nonne cum parvulus esses caput in tribubus factus Israel es?* (*I Reg.* XV.) Est et *rufus :* pro eo quod crudelem efficit erga C alios eum in quo est : qualis erat ille, qui venator erat robustissimus contra dominum (*Gen.* X, 9). *Habens capita septem*, vitia illa septem ex se capitalia producens : vanam gloriam, invidiam, iram, acediam, avaritiam, gulam, et luxuriam. *Et cornua decem :* dum dura quadam eminentia, et eminenti duritia plene excedere cæteros conatur. Quia cornua et dura sunt, et carnem longe excedunt. Utriusque videlicet tam duritiæ quam eminentiæ plenitudinem per numeri hujus accipimus perfectionem : denarius namque perfectus est numerus. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli; et misit eas n terram* (*Apoc.* XII, 4) : quia ad hoc finem suum superbia dirigit, ut lucidas mentis intentiones terreni favoris appetitu corrumpat; nam cauda draD conis terminus est in intentione elationis : stellas autem cœli, quis dubitat lucidas esse cogitationes animi : quas in tres partes dividimus, dum unam nobis vindicamus, quam sobrietatem appellamus ; alteram proximis tribuimus, quam justitiam dicimus ; tertiam Deo offerimus, et hanc pietatem vocamus. Quam tertiam stellarum partem conatur maxime cauda draconis trahere, et in terram mittere : quia ad hoc totum suum intendit superbia finem dirigere, ut luminaria spiritualia, quibus coram Deo irradiari debemus, pro adipiscendis sive laudibus humanis, seu quibuslibet aliis terrenis, habere studeamus. Hic talis draco stat ante mulierem, quæ paritura est, ut cum peperit, filium A ejus devoret. Quia erigit se elatio, ut fructum, quem nobis proferre dat sapientia, destruat.

XVIII. *Et peperit filium masculum* (*ibid.*). Quia et Maria peperit filium Jesum. Et ibi quidem puer Jesus fructum exprimit salutis : hic autem filius masculus opera innuit virtutis. Quis masculus noster est filius, nisi discretionis est virtus? quæ omni virtuti tam est necessaria, ut sine ea virtus quælibet, etsi dici virtus possit, esse tamen virtus non possit. Unde bene de hoc filio dicitur, quod *recturus erat omnes gentes in virga ferrea* (*ibid.*), pro eo quod discretio virtutes non quidem aliquas sed omnes inflexibili gubernet Justitia. Dum enim virtutes omnes discretio ita per mensuræ lineam modificat, ut eas nec citra contrahi per teporem sinat, nec ultra tendi per amietatem permittat, nonne tibi videtur puer hic masculus virgam tenere ferream, in qua omnes gentes regit? sed quomodo evadet tantus hic filius, ne eum draco devoret! qualiter evadet puer Jesus ne eum Herodes **145** perdat? dicat nobis Apocalypsis de evasione filii masculi : dicat et Evangelium de evasione pueri Jesu. *Et raptus est*, ait, *filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus* (*Ap c.* XII, 5), hoc in Apocalypsi. In Evangelio quid scriptum est? *Ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum ; et esto ibi usque dum dicam tibi* (*Matth.* II, 13). Qui secessit in Ægyptum ut in sequentibus habetur : *et erat ibi usque ad obitum Herodis* (*ibid.*, 15). Raptus filii masculi ad Deum et ad thronum ejus, evasio est ejus a dracone : fuga Joseph cum puero in Ægyptum, evasio nihilominus est ejus ab Herode. Nunquid quia multa jam dicta sunt, debemus ista omittere perscrutari? sed bonum est ut hac vice perscrutari omittamus, et modo ad præsens propter fastidium vestrum supersedeamus ; et quæ super his dicenda sunt in sermonem alterum differamus : oportet autem, quia fuimus ubi finis non est, retineamus ubi fuimus. Et pro eo quod pendentem quodammodo dimittimus materiam, vigentem et vigilantem habeamus memoriam, ut quando de hoc iterum collocuturi conveniemus, sciamus ubi incipere debeamus, ad laudem et gloriam Domini D nostri Jesu Christi, qui est cum Patre et Spiritu sancto Deus benedictus in sæcula. *Amen.*

SERMO XXXV.

ITEM IN DIE SANCTORUM INNOCENTIUM.

De triplici somno spiritualis Joseph, et de trina angeli apparitione ejusque terna admonitione.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Repetitio præcedentis sermonis, et sequentis connexio. — 2. Somni Joseph sunt mentis ad interna recessus, et ad superna excessus. — 3. Tales sunt filiæ Jerusalem in latitudine divinæ contemplationis.— 4. Quibus læva Sponsi pulvinar, dextera amplexus, culcitra est prudentia. — 5. Primus somnus Joseph, est animæ ab omni sensibili cupiditate liberatio. — 6. Secundus, est inutilium phantasmatum excussio. — 2. Tertius, est visibilia et invisibilia transcendere, atque in rerum omnium termino requie-

Digitized by Google

scere. — 8. Hoc ipsum per triplex silentium significatur in anima. — 9. Tertii silentii et somni præstantia et sublimitas. — 10. Tertio apparuit angelus Joseph unde mysterium cernitur. — 11. Incipientium in via Spirituali graphica descriptio. — 12. In progressu elationis tumor qualiter deprimendus. — 13. Remedia tria superbiæ : suæ infirmitatis inspectio; perseverantiæ incertitudo, divini examinis ignorantia. — 14. Ad has tenebras, velut Ægyptum puer Jesus recte portatur salvandus.

I. Ostendimus vobis, charissimi, in sermone præcedenti, quid nobis visum est posse intelligi per Joseph et Mariam : per puerum et ejus persecutorem Herodem. Quia vero inter hæc quædam nobis alia, administrante unctione illa, quæ docet de omnibus (*I Joan.* II, 27), ad ædificationem vestram occurrerunt : ad quæ dicenda, et his, quæ jam dicta erant, adaptanda intendimus, et diutius in his quam putavimus, demorati sumus. Non enim quidquam audemus ex omnibus, quæ Spiritus ille veritatis dignatur ex insperato revelare, abscondere a vobis: scientes ea et propter vos nobis commissa, et per nostrum ministerium ad vestram charitatem transmissa. Inde accidit quod nihil in sermonibus his de sanctis parvulis istis, pro parvulo Jesu occisis tetigimus : quorum festivam hodie solemnitatem celebramus. Distulimus vero usque modo, si meministis, vobis ostendere quid putamus per hoc nobis designatum, quod consultum est parvo Jesu, per fugam Joseph cum eo, et cum matre ejus in Ægyptum, ne perderetur ab Herode : et illo nihilominus filio masculo in Apocalypsi, ut per raptum ejus ad Deum et ad thronum ejus evaderet, ne devoraretur a dracone (*Apoc.* XII, 5). Quæ cum unum quid, juxta hunc, quem usque nunc secuti sumus sensum innuere videantur, spiritualia in se invenientur continere, et præferre documenta, si spiritualiter fuerint discussa.

II. Accipite itaque, quod nobis super hoc sentire datum est : quod accipientes, his quæ vobis idem Spiritus super eisdem revelare dignabitur, nullatenus, quæso, id velitis comparare. *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph* (*Matth.* II, 13). Quis putatis angelus iste est? putatis quod interna inspiratio est? Sic ego interim accipio donec vos me verius super his instruatis, propter illud Apostoli, quia *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit,* **146** *nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum* (*Joan.* III, 8). Et illud Domini in Evangelio : *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis* (*Joan.* III, 8). Non ambigo hunc angelum apud nonnullos vestrum apparuisse in somnis Joseph. qui sunt somni Joseph? fortassis puri sunt et devoti animi per contemplationem, et ad interna recessus et ad superna excessus. Pius namque et fidelis animus ipse etiam est Joseph, a cunctis carnis voluptatibus per plenam mortificationem, et a cunctis mundialibus occupationibus et negotiis sæcularibus per plenum contemptum recedit, et intra semetipsum ad seipsum introiens et cuncta a se, pro posse, irruentia rerum transeuntium phantasmata manu sanctæ puritatis abigens, stratum sibi in illa interna quiete facit; in quo clauso ostio, non solum illo quinquepartito corporis, per quod corporalia ingredi, sed et omni ostio cordis, per quod ipsæ solent corporum imagines et similitudines se ingerere: in pace in idipsum dormit et requiescit (*Psal.* IV, 9), In qua pace, in quo eo ipso, in qua dormitione, mente nonnunquam excedit Deo; somnos habens non minus suaves quam salubres : in quibus angelus Domini apparet.

III. His somnis, suavi quiete, et quieta suavitate Sponsus intendit, quando, pausante ea inter brachia sponsi sui, idem Sponsus adjurare censuit filias Jerusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitarent, neque evigilare facerent eam, donec ipsa velit (*Cant.* II, 7). Ut scirent videlicet infirmæ animæ, devotæ tamen, quarum infirmitas per sexum femininum, et devotio denotatur per pacis locum; ut scirent, inquam, hujusmodi animæ in ipsos cœlestes spiritus, qui ad (*ibid.*) instar caprearum et cervorum in campis intima penetrarent, et summa peterent, in latitudine illius divinæ contemplationis se irruere cum ab his suavissimis somnis importunitate temeraria, et temeritate aliqua importuna Sponsum excitare præsumunt. In ejus autem posuit voluntate evigilare dilectum suum, sciens eam doctam esse ut noverit discernere, et quando debeat mente excedere Deo, et quando sobria esse nobis (*II Cor.* V, 13). O quam suaves, quamque securi hi somni ejus! nam quomodo non suaves cum inter Sponsi sui brachia pauset? quomodo non securi, cum ipsum prohibitorem sollicitum habeat, ne illam aliqua ex filiabus excitare præsumat?

IV. *Læva*, inquit, *ejus*, haud dubium quin dilecti sui, *sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me* (*Cant.* XXI 6). Nonne molle admodum hoc stratum ejus, in quo pulvinar sponsi habet lævam : in quo coopertorium, dexteræ illius habet amplexum : in quo pro culcitra ipsius habet prudentiam? Hæc est quam in utraque tam in dextra, quam in læva habet, quæ pietas est : ad quam admonet electum Apostolus discipulum, asserens eam ad omnia utilem esse, promissionem vitæ habentem, quæ nunc est et futuræ (*I Tim.* IV, 8). Vitæ plane quæ nunc est et futuræ. Illius quidem propter lævam, quæ sponsæ adest sub capite : et futuræ, propter dextram ejus, quæ amplexabitur eam. Nonne angeli descendunt et ascendunt super Filium hominis? (*Joan.* I, 51.) Sed descendere super eum non possent, nisi subtus esset, ubi læva ejus est, sub capite sponsæ suæ : sicut nec ad eum ascendere nisi supra esset, ubi dextera ejus amplectitur eam : suaviter nunc lævam Sponsi sui sponsa substernit capiti suo: sciens dexteram ejus quandoque amplexaturam eam : ex perceptione præsentium munerum firmam habens exspectationem futurorum, *fructum*, quoque suum habens *in sanctificationem*, *finem vero vitam æternam* (*Rom.* VI, 22). In hoc molli strato suaviter

Digitized by Google

pausat, noster Joseph; intendens quam sollicite suavibus somnis suis, in quibus angelus Domini apparet ei.

V. Et primus quidem somnus ejus est, ab omni, ut breviter dicam visibilium et sensibilium cupiditate expediri. Somnus admodum suavis iste: quia dum noster Joseph ei sollicite intendit in quadam quiete triplici pausat. Per eum namque a curiosa et vana voluptate, et voluptuosa ac vana curiositate solvitur. O suavis somnus! Nonne suavem tu asseris somnum; carnalis concupiscentiæ voluptate non fœdari, sæcularis occupationis curiositate non dispergi, sublimis dominationis vanitate non extolli? Ecce tridens in caldariis coctarum carnium (*I Reg.* II, 13): ecce sagittæ tres infixæ in corde Absalon (*II Reg.* XVIII, 14). ecce uxor ducta, quinque boum juga, villa empta, quæ a cœna dominica invitatos alienos reddunt (*Luc.* XIV, 20): Ecce denique concupiscentia carnis animam reprobam polluens, concupiscentia oculorum dispergens, superbia vitæ extollens (*I Joan.* II, 16). A quibus omnibus liber noster efficitur Joseph; dum somno huic non minus suavi, quam salubri in hac triplici quiete intendit. Prima namque quies mundum eum conservat a sorde carnalis corruptionis: secunda quietum reddit a sollicitudine negotii sæcularis: tertia vero **147** liberum efficit a fastu tumidæ dominationis. In prima corporalis passio mortificatur, in secunda mundialis occupatio intermittitur: in tertia ambitio dominandi contemnitur.

VI. Secundus autem est somnus hujus, de quo loquimur, Joseph irruentes rerum corporalium imagines, atque similitudines a cubili cordis ejicere, et cuncta ingerentium se phantasmatum figmenta repellere. Qui quidem somnus eo præcedentem illum excedit in suavitate, quo eum superat in puritate. Nam magna contingit Joseph, in illo somno, suavitate potiri: dum illi per eum datur nullis rerum visibilium seu sensibilium cupiditatibus vivendo irretiri. Sed in isto longe majori, dum illi, per eum, confertur nullis corporalium phantasmatum imaginibus, sive, si ita malis, nullis corporalium imaginum phantasmatibus speculando involvi. Quis, quæso, est, qui diu huic valet intendere somno? *Quis*, inquam, *est hic et laudabimus eum:* facit *enim mirabilia in vita sua* (*Eccles.* XXXI, 9). Cum enim in primo illo somno mundum, et quæ mundi sunt, carnem etiam, et quæ carnis sunt, devincit: in secundo isto ipsum quoque animum potenti quadam libertate, et libera potentia excedit: Quid jam huic restat Joseph, nisi dum in primo somno omnia transgreditur corporalia, in secundo omnia spiritualia, tertium quemdam somnum capiat, in quo ad ipsa, quantum in hoc exsilio possibile est, pertingat divina?

VII. Cuncta igitur quæ creata sunt, visibilia et invisibilia transcendat, atque in illo omnium corporalium et spiritualium, termino requiescat: et suavissimum quidem [*al.* quemdam] hunc arbitror somnum. Si enim primus tibi videtur somnus suavis, ob magnam quæ ei inest, virtutem: secundus vero suavior ob defæcatam, quam continet puritatem: cur non hunc tertium asseres suavissimum ob angelicam, qua plenus totus redundat, felicitatem? Ecce isti sunt somni Joseph, in quibus suaviter pausat, in quibus et angelus Domini ei apparet. Cumque in singulis appareat ei, ad hunc maxime ista ejus, de qua nunc agimus apparitio pertinere videtur, in qua se ei manifestans curat monere eum ut, tollens puerum et matrem ejus, fugiat in Ægyptum: pro eo quod instat tempus, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Quo plus enim in puritate mentis profeceris, eo magis et magis tibi infestam in tentando superbiam habebis.

VIII. Videte ne forte primum ad illud pertineat quietum silentium, de quo legitis: quod cum illud omnia haberent [*al.* haberet] mediumque pertineat ad hoc iter noctis, quod cum in cursu suo haberet nox, omnipotens sermo Domini de cœlis, a regalibus sedibus dicitur venisse (*Sap.* XVIII, 15). Nonne cum visibilium, et sensibilium cupiditatibus mens irretitur: cum videlicet, ut hoc aliquantum fusius ostendamus, vel sorde ardenter desiderat inquinari voluptatis, vel nimietate eam contingit dispergi terrenæ sollicitudinis, vel appetitu huc illucque ferri tumidæ ac vanæ dominationis: magnus et prævalidus atque tumultuosus quidam in ea est strepitus clamoris? sed sileant hæc omnia calcata prorsus voluptate carnis, abjecta inquietudine terrenæ sollicitudinis, despecto etiam fastu elatæ dominationis: sileant hæc omnia apud Joseph, ut jam pausante et soporante eo, primum silentium teneant omnia sua. Sileant nihilominus apud eum rerum corporearum, et similitudinum phantasmata: quæ et ipsa, in ejus conclavi, in quo serenus ille et quietus Dominus debet habitare, immensi solent, cum eis conceditur introitus, emittere rugitum clamoris: juxta illud, quod super hoc conqueritur et deplorat Jeremias; asserens ea vocem dedisse *in domo Domini sicut in die solemni* (*Thren.* II, 7); et ejus jam me ium silentium tenent omnia; quousque tertium silentium ejus in cœlo fiat, quod cum indulgetur non plena fit hora, sed dimidia (*Apocal.* VII, 1): et quidem vix vel illa sentitur: quia et quasi præmittitur. Hoc autem silentium ad illum Joseph tertium somnum pertinet, in quo idem Joseph verbum suscipiens absconditum, cujus *furtive suscipit auris venas susurrii ejus* (*Job* IV, 12): ita illi soli detinetur verbo intentus, ut pro suavitate divinæ in eo sonantis vocis, silentium imponat etiam eloquiis angelicis.

IX. Ad hunc etiam somnum spectare videtur tertium illud iter noctis, quod est contemplatio sublimis, qua usque ad ipsum Deum pertingitur: quæ cum ita cucurrerit, ut medium contigerit, tenentibus tunc omnibus apud Joseph medium silentium, et sentientibus nonnihil de tertio, omnipotens sermo Domini de cœlo a regalibus sedibus venit: quia in hoc somno angelus Domini puniturus eum cum consilio suo, contra cru-

Digitized by Google

dele propositum Herodis apparuit Joseph. Noctem vero pro quiete accipiemus, quæ et pro quiete instituta est : asserente beato Ambrosio Deum Creatorem omnium, polique Rectorem, noctem **148** vestiisse soporis gratia, artus solutos ut quies reddat laboris usui. Quæ primum in suo cursu iter habet tunc, cum expeditus et alleviatus Joseph iste ab omnium visibilium et sensibilium cupiditate, quia ad hoc cursus iste pertinet, pausat in somno primo ; medium autem, cum pausat in secundo ; quia de tertio ejus itinere aliquantulum jam dictum, non quidem quod impossibile est, ut plene exprimeretur, sed ne omnino prætermitteretur. Venit itaque omnipotens sermo Domini de cœlis a regalibus sedibus, pro eo quod interna inspiratio (quæ incessanter in cœlestibus beatas illas summi Regis sedes, supernos illos spiritus loquor, sine ulla exceptione docet de omnibus) animam devotam visitat : quæ dum eam confortat, dat ei in se, ut ait Paulus, omnia posse (*Phil.* IV, 13) : ut jure hic omnipotens sermo dicatur. Qui quidem sermo angelus est Domini, in somnis apparens Joseph.

X. Et profecto triplicem superius Joseph somnum ostendimus, sicut scitis ; et ter, si volumen evangelicum revolvitis, apparuisse ei in somnis angelum invenietis : primo namque ei apparuit monens eum, ne timeret accipere Mariam conjugem suam, cogitante eo dimittere illam (*Matth.* I, 20) : causam ei explicans, *quod*, inquit, *in ea natum est de Spiritu sancto est*. Et subinferens, *Pariet*, ait, *tibi filium, et vocabis nomen ejus*, JESUM. *Ipse enim salvum faciet populum a peccatis eorum* (*Ibid.*). Secundo vero cum instante tempore, quo Herodes quæreret puerum ad perdendum eum, præcepit ei, ut tolleret puerum et matrem ejus et fugeret in Ægyptum et esset ibi usque dum diceret ei ; non celans causam suæ vel illius fugæ, vel inibi moræ (*Matth.* II, 13). Sed dicit mihi inter hæc fortassis aliquis vestrum : De hoc loquere et exhortare, quia hoc exigit materia tua. Sic faciam, sed exposita causa primæ angeli apparitionis, et tertiæ, evidentius hæc media innotescet. Tertio ei apparuit, quando defuncto Herode imperavit ei ut cum puero et matre ejus iret in terram Israel (*Matth.* XIX, 20). Qui etiam ut nihil ex his præteriisse videamur, cum audisset de Archelao quod regnaret in Judæa pro Herode Patre suo, timuit illo ire. Et admonitus in somnis (quanquam in hac admonitione nulla de angelo fiat mentio), non quidem de terra Israel recessit, sed in partes Galilææ secessit : et veniens habitavit in Nazareth (*Matth.* 22, 23). Quid sibi volunt hæc ? Quæ utilitas quod breviter referuntur ad memoriam, nisi et exponantur breviter ad intelligentiam ? Quid sit Joseph, quidve Maria, quid etiam puer Jesus, dixi vobis jam et audistis. Quod si iterum vultis audire, Maria Joseph desponsata superna est sapientia, fideli et pio animo adjuncta : et purus veræ salutis fructus, puer est Jesus.

XI. Et quam sæpe contingit, et maxime in primordie conversionis ipsius animi, ut adjuncta sit ei sapientia ad nonnullam agnitionem, et necdum ad plenam dilectionem · clarificato videlicet eodem jam animo per intellectum, necdum autem succenso per affectum. Cum tamen ipsa sapientia erga eum multa apud se habeat bona in occulto proposito, cogitans de eo *cogitationes pacis, et non afflictionis* (*Jerem.* XXIX, 11) : quæ quandoque confert ei, tunc scilicet, quando per plenum ad eum fuerit amorem conversus. Et hoc est, quod *cum ésset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto* (*Matth.* I, 18). Dum enim priusquam in unam sapientia et animus plene consentiant voluntatem, illa apud se, quo ipse quandoque ditandus est, fructum in occulto conservat spiritualem. Nonne antequam conveniunt Maria et Joseph, invenitur in utero habens de Spiritu sancto ? suam vero inter hæc animus infirmitatem agnoscens, sapientiæ prærogativam intelligens, super hoc, quo oppugnatur, obstupescens : ut sit iste Joseph vir justus, tribuens hac in parte quod suum est unicuique, proponit in occulto se alienare, nolens ei adhærere in exercitio per affectum, cui jam appropinquaverat in ingenio per intellectum, quod est Joseph nolle traducere Mariam, sed velle occulte dimittere eam. Hinc sæpe contingit quod multi a bono, quod illuminati agnoverunt, resiliant : dum se sæpe et nimis infirmos intelligunt, et bonum illud arduum et grave ad exercendum conspiciunt. Nonne horum tibi videtur personam gessisse, qui viso miraculo piscium : *exi*, ait, *a me, Domine, quia homo peccator sum ?* (*Luc* V, 8.) Non dissimili autem modo videtur mihi sapere, imo desipere spiritualis et moralis iste Joseph, qui inveniens quidem Mariam habere in utero, sed, quod habet, ignorans esse de Spiritu sancto, nolens eam traducere, voluit occulte dimittere eam ? (*Matth.* I, 20 et seqq.) Unde, hæc eo cogitante, necesse est ut appareat ei angelus, qui eum moneat, ne timeat accipere Mariam conjugem suam, asserens, quod in ea natum est, esse de Spiritu sancto: eamque **149** pariturum ei filium, cujus nomen vocabit Jesum, pro eo quod salvum faciet populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I, 20). Quæ nimirum omnia tunc fiunt, cum mentem ad aggrediendum laborem spiritualem, timidam et pusillam, et ideo proponentem supernæ non adhærere sapientiæ per exercitium, sed eam occulte deserere; superna gratia visitat excitans eam ad audaciam, et animans ad fortitudinem : dans ei intelligere, quam magnam ei hæc, de qua loquimur, superna sapientia conferet sanctitatem : *fructus* enim *Spiritus est charitas* (*Gal.* V, 22) : quæ cum operit multitudinem peccatorum (*I Petr.* IV, 8), filius est Mariæ dictus ex re Jesus, pro eo quod *salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* I, 21) : quia internas mentis cogitationes amor sinceræ charitatis a cunctis mundat delictis.

XII. Hic itaque primus est somnus Joseph, omnium scilicet visibilium et sensibilium contemptus, in quo infunditur ei per unctionem illam, quæ do-

Digitized by Google

cet de omnibus (*I Joan.* II, 27), ne, quidquid laboriosum videatur esse abhorreat exercere. Sed sicut hunc Joseph timor excitat nocturnus, ut timidus ad laborem et futuræ gratiæ nescius nolit traducere Mariam, sed occulte dimittere eam, quosque liberatus, revelante ei angelo, a nocte, sciat illuminatus quid portet in utero : Et ipso nihilominus roborante, liberatus ab inerti timore, animatus agnoscat, quod tantum ac talem, quantum et qualem superius descripsimus, filium ei paritura sit : ita multum ei metuendum, ne natum hunc puerum Herodes quærat, quæsitum inveniat, et inventum perdat. Quod quidem quid sit, in sermone præcedenti ostendimus; in hunc quem modo habemus in manibus, sermonem disserentes, quomodo ei consulendum est, ne quæsitus inveniatur, et inventus perdatur. Apparens ergo angelus Joseph monet ut tollens puerum et matrem ejus, fugiat in Ægyptum (*Matth.* II, 13). Quod tunc fit, cum internæ inspirationis instinctu animus eruditus ad tenebras confugit infirmitatis suæ : quia tenebras Ægyptus sonat : vel ad latibulum judicii divini, vel ad caliginem, qua de his, quæ super eum ventura sunt, involutus undique tenetur : ut hoc triplici modo humiliatus, fructum, quem habet salutis, immunem conservet a peste elationis, quasi in Ægyptum puerum protegens Jesum a persecutione Herodis. Hi sunt tres principales inter alios modi, quibus discretus animus, salutis in se fructum a corruptione superbiæ custodire solet illæsum.

XIII. Primus est cum suam plene infirmitatem conspicit, quam proclivis, verbi gratia, ad vitia sit, quam ad virtutes invalidus, cæteraque in quibus corruptibilia et fragilia sua videat, sibi præ oculis repræsentat : ut dum ea caute considerat, vel a sagitta superbiæ se vulnerari non sinat, vel ad hanc Babylonem suam, juxta prophetam, ut curetur veniat (*Jerem.* LI, 9). Secundus vero est, cum, etsi aliquid boni nunc operari videtur, an in eo perseveraturus sit, an non, funditus ignorat : quid modo sit utcunque sciens, quid autem post modicum futurus sit penitus nesciens. Ubi quidem hodie pedem ponit in opere videns, sed quid ei crastinus pariat dies prævidere non valens. Et tertius est; cum, etsi aliqua bona faciat, et bona se videat heri perpetrasse, propter præterita : et bona perpetrare hodie, propter præsentia; et bona se sperat perpetrare cras propter, futurum propositum quod habet ad futura : quomodo tamen ea occultus et districtus Judex examinet, qualiter ea apud se penset, omnino nescit. Scit enim, attestante Scriptura sacra, justos esse et sapientes, et opera eorum in manu Dei esse, et tamen nescire hominem, utrum odio an amore dignus sit (*Eccli.* IX, 1), sed omnia usque in futurum reservari incerta. Audit quoque Paulum dicere de se, quod nihil sibi est conscius, sed in hoc tamen justificatus non est, pro eo quod qui judicat eum Dominus est (*I Cor.* IV, 4).

XIV. Hæ sunt tenebræ quibus se involutum videbat qui dicebat : *viro cujus abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris* (*Job* III, 24). Ad quas nimirum tenebras interna inspiratione animus instructus confugit, ut opus suum bonum illæsum a peste conservet elationis, quasi Joseph, qui ad hoc fugit in Ægyptum, ut puerum Jesum a persecutione custodiat Herodis. Tertio vero modo filius ille masculus in Apocalypsi draconem evasit : de quo legitis, quod ad Deum et ad thronum ejus raptus fuit. (*Apoc.* XII, 5). Nam quid est filium masculum ad Deum et ad thronum rapi, ut draconis evadat devorationem, nisi actionem fortem et strenuam ad Deum et ad ejus districtum judicium referri, ne elationis incurrat corruptionem? rapiatur itaque filius masculus ad Deum et ad Thronum ejus, ut dum, quod non justificabitur in conspectu ejus omnis **150** vivens (*Psal.* CXLII, 2), considerat, nequaquam de bono opere tuo te extollas, sed humilies te sub potenti manu Dei, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXVI

ITEM IN DIE FESTO SANCTORUM INNOCENTIUM.

De eadem re unde supra.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Abraham in typo viri religiosi, evasurus famem fugit in Ægyptum, tendens tabernaculum inter Bethel et Hai. — 2. Trepidandum semper ex intuitu propriæ iniquitatis, sperandum in divinæ clementiæ multitudine. — 3. Noster progressus in spiritu non est sine defectu. — 4. Quænam sint damna et remedia superbiæ. — 5. A facie Herodis, et Archelai, ex nominis etymo, prælusorum superbiæ, recedendum in Galilæam, et habitandum in Nazareth. — 6. Abraham in Ægypto non audet Sarai dicere suam uxorem, quia omne datum deorsum est. — 7. Veræ est prudentiæ ex munere fateri divino, si quid est virtutis in animo. — 8. Pharao, in typo cenodoxorum, ut flagellatur a Domino, et humiliatur. — 9. Ferrum a manubrio filiis prophetarum dilabitur, cum elationis motu donum gratiæ deperditur. — 10. Ad parvulos imitandos parænesis.

I. Videtis jam, ut arbitror, fratres, quam dat bonum angelus consilium Joseph, ut fugiat in Ægyptum, quia Herodes quærit puerum ad perdendum eum (*Matth.* II, 13). Quiddam vero ad hunc pertinens sensum legimus in Genesi : ubi habetis de viro illo sanctissimo Abram : nondum vero erat dictus Abraham, quando descendit in Ægyptum, quia prævaluerat fames in terra (*Gen.* XII, 10). Ille in Ægyptum descendit : Joseph autem in Ægyptum fugit; ille ut evaderet famem : hic autem, Herodem. Ecce de mysteriis ad mysteria transimus, de sensibus ad sensus : prout placet et inquantum placet Spiritui, qui præcedit et illustrat nos. Gratias illi. Sed quid? Nunquid ad investigandum nobis non erit necessarium, cum ei ad proponendum id nobis non fuerit pigrum? Tetendit, ut ait Scriptura, tabernaculum ab occidente habens Bethel, et ab oriente Hai (*ibid* 8). Quis est hic Abram, qui interpretatus dicitur *excelsus*, nisi devotus et religiosus quilibet, quem et in proferendo ex se actionem bonam, quasi in generando prolem sanctam, fervor boni desiderii

Digitized by Google

secundum; in studendo soli Deo placere rectitudo intentionis reddit excelsum? Nam tandiu Patris nomine cares, tandiu etiam in infimis es; quandiu in cessando ab operibus bonis sterilis, et in quærendo favorem humanum in imo versaris. Iste suum inter Bethel et Hai tabernaculum tetendit : quia quisquis devotus et religiosus præsentis militiæ et peregrinationis suæ statum (quia militantium et peregrinantium tabernaculum est) inter illam, quam de consideratione divinæ misericordiæ concipit spem, et quam in intuitu propriæ miseriæ incurrit confusionem, habet. Dicunt namque Hai sonare confusionem, Bethel autem domus Dei interpretatur; et si ita est, quid est Abraham inter Bethel et Hai tabernaculum tendere, nisi virum religiosum sic in præsenti militia et peregrinatione vitam degere, ut sciat quidem modo in contemplatione illius domus non manufactæ, quæ æterna in cœlis est, sperare (*II Cor.* v, 1); modo vero in intuitu propriæ confusionis trepidare. Qui etiam altare ibi Domino ædificat, pro eo quod in hoc statu suo cor apud se mundum et spiritum rectum in visceribus suis (*Psal.* L, 12) præparat : in quo holocausta illa, quæ Psalmista medullata nuncupat (*Psal.* LXV, 15), omnipotenti Deo offerre queat.

II. Sed magna discretione indigemus, ut fructuose geminam hanc apud nos considerationem habeamus, ne forte indiscreta nos vel trepidatio nimis pavidos ad desperationem, vel spes nimis lætos reddat ad dissolutionem. Quam nimirum tunc te scias fructuose habere, cum sic studes sentire de Domino in bonitate, ut in te ipso non omittas confundi in propriæ consideratione fragilitatis. Sic autem in intuitu propriæ nequitiæ trepidare, ut in contemplatione divinæ clementiæ studeas sperare. Sic dum non solam Domino cantas misericordiam ne insolescas, nec solum judicium ne desperes; sed utroque eum cantico (*Psal.* C, 1), per timorem prostratus, et per spem erectus, exsultando ei cum tremore et tremendo in conspectu ejus cum exsultatione, collaudas : ad perfectam plagas tuas pertingere salutem læteris, dum eis vinum simul et oleum infundis. Unde et hic Abraham sic tabernaculum suum tetendit, ut ab occidente quidem Bethel, et ab oriente haberet Hai : ut tu quoque cum interna tua cogitatione vides te debere **151** vergere ad occasum pondere proprio, speres te tamen ad beatorum pertinere Ecclesiam. Hæc est enim Bethel, ut cum ex munere divino venustari te ortu solis justitiæ consideras, ne forte gratiæ destitutus auxilio in confusionem proruas vitiorum, pertimescas. Magna autem discretionis cautela opus habemus, ne vel cum bonitatem divinam intueri studemus, quatenus ne nimis reddamur perturbati, cum ad nostram oculos mentis calamitatem reflectimus, statim ad divinam eos pietatem erigamus : et ne rursum nimis exhilarati, cum divinæ clementiæ serenitatem aspicimus, in propriæ confestim confusionis horrorem mentis intuitum figamus, ut fixo tabernaculo nostro ibi ab occidente habeat Bethel, hic autem ab oriente Hai.

III. Quod cum sollicite agimus, ad magnum sanctitatis profectum pertingimus, quia sic suo tabernaculo tenso, sic etiam altari Domino ædificato, perrexit Abraham vadens et ultra progrediens ad meridiem (*Gen.* XII, 10). Quid enim est Abraham pertingere et ultra progredi ad meridiem, nisi devotum quemlibet, quem iste designat Abram, magis semper in sanctitate proficere, et affatu sancti Spiritus attactum ad religiosam tendere conversationem? Sed dum sic paratur suscitare Leviathan (*Job* III, 8), spiritualis nonnunquam, urgente tentatione, in aliquo minuitur profectus, sanctitatis quoque arreptæ incurritur defectus : quia dum sic pergit et progreditur Abram ad meridiem, facta est fames in terra. Fames in terra defectus est internæ refectionis in anima. Sed dum hanc imminere sibi famem Abram sentiret, quod sibi consilium invenit, ne fame eadem periret? quid dicit Scriptura? *Descendit*, inquit, *Abraham in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi* (*Gen.* XII, 10). Quare descendit in Ægyptum, qui paulo ante perrexit vadens et ultra progrediens ad meridiem? *Prævaluerat enim fames in terra.* Non habetis necesse inquirere quid significet descensio in Ægyptum : si retinetis memoriter quid mysterii in se salutaris contineat fuga Joseph in Ægyptum. Causa quoque descensionis illius inopia famis, et fugæ istius sævitia erat Herodis. Verum si fames internæ defectus est gratiæ, per quid idem incurritur defectus, nisi per tumorem superbiæ? Qui enim humilibus dat gratiam, ille superbis et non datam non confert, et habitam aufert (*Jacob.* IV, 6). Nam qui dixit : *Omnis vallis implebitur*, idem et subintulit : *Et omnis mons et collis humiliabitur* (*Luc.* III, 17). Sane quia parvulus esse desiit in oculis suis Saul, recessit ab eo Spiritus Domini (*I Reg.* XV, 17); et datus est Paulo stimulus carnis suæ, angelus Satanæ qui eum colaphizet (*II Cor.* XII, 7); non quidem quia magnitudo revelationum eum extulit, sed ne extolleret.

IV. Instante itaque famis hujus tempore, Abram in Ægyptum descendit, ne videlicet gratiæ internæ refectio tumore quodam devotum quemlibet extollat, in triplicis, quam superius expressimus obscuritatis consideratione se humiliet : illoque Joseph fugiat, ne Herodes puerum perdat. Videtis ergo quam necessarium est Joseph, ut in somno eum instruat angelus, quomodo puerum Jesum ab Herodis custodiat persecutione. Quia in tanta puritatis perfectione indiget ab interna erudiri inspiratione, qualiter salutis, quem exercet, fructum a superbiæ protegere possit corruptione, quia quo majori mens tua puritati insistit, eo graviores a superbia impetus sustinet. *Et erat*, inquit, *ibi usque ad obitum Herodis* (*Matth.* II, 15). Videte quia quandiu vivit Herodes non audet exire de Ægypto Joseph. Nihil enim invenio vivacius, quo superbia vel præcavetur, vel vincitur, quam cum supradicta triplex consideratio sollicite habetur. Sed

Digitized by Google

defuncto isto, de quo loquimur, Herode, apparet in somnis Joseph huic angelus dicens : *Surge et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel ;* subdidit et causam : *defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri* (*ibid.*, 20). Defuncto Herode, exstincta videlicet elatione, terram potest Israel adire, ut mente Deum videat, quod Israel sonat, cui; ut tantæ rei intendat, jam vacat, pro eo quod contra motum superbiæ pugnare necesse non habet.

V. Sed occulta bona sua incauta confessione detegere non præsumat, ne id vitium superbiæ quod ex jactantia gignitur, corrumpat. Quod ad hoc mihi videtur posse referri, quod iste, de quo multa jam diximus, Joseph, *cum audisset quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire* (*ibid.*, 22). Archelaus namque *agnoscens leo* dicitur, per quem jactantia exprimitur. Quæ, dum arcana nostra per occultam scientiam dignoscit, per apertam ex more leonis arrogantiam devorare satagit. Quod ergo in hoc somno de Deo videt Joseph temere in publico confiteri refugit ; sciens Archelaum regnare in Judæa pro Herode patre suo, quia exstincto superbiæ tumore, qui vult **152** timeri, dominatur in arroganti confessione, quod sonat Judæa, proles ejus, jactantia, quæ cupit amari. Magis autem secedens in Galilæam habitet in Nazareth, dicens Deo : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Psal.* CXVIII, 18) ; et se non arbitrans comprehendisse, etiam cum consummavit, deputet se incipere (*Eccli.* XVIII, 6). Siquidem Galilæa revelatio, et Nazareth *teneritudo floris* dicitur. Petat Deum obnixe, ut revelet quid velit, implens eum agnitione voluntatis suæ; et quidquid agit, se magis incipere credat, quam unquam consummasse, et floris potius teneritudinem, quam fructus deputet maturitatem. Videtis itaque quod nequaquam mors Herodis plenam conferat securitatem Joseph, timente eo Archelaum filium ejus.

VI. Sed nec abs re, de quo superius diximus (*Gen.* XII, 12), descensio ejus in Ægyptum, timente eo, ne cum viderent Ægyptii Sarai tam pulchram esse, eam ejus uxorem esse asserant, ipsumque occidant. Et ideo persuasit ei, ut se diceret ejus esse sororem. *Et Joseph secessit in partes Galilææ.* Obsecro non sit onerosum vobis, si brevi hæc expositione in fine sermonis hujus attingamus. Quid de his verax dicit historia ? *Cum prope esset ut ingrederetur*, haud dubium, quin Abraham in Ægyptum, *dixit Sarai uxori suæ : Novi quod pulchra sis, mulier, et quod, cum viderint te Ægyptii, dicent : uxor illius est ; et occident me, teque reservabunt. Dic ergo obsecro, quod soror mea sis : ut bene sit mihi, vivamque ob gratiam tui* (*ibid.*). Ut breviter percurramus, quæ est hæc pulchra uxor Abræ, nisi prudentia, quam vir sapiens vocat amicam suam (*Prov.* VII, 4), quæ in interna illa domo principatur ? quia principes mea Sarai dicitur, quæ etiam decore spirituali nitet. De hac timendum est viro justo : ipse enim est, ut jam sæpe diximus, Abram ; ne eam videntes pulchram, et ejus esse uxorem asserant, ipsumque occidant. Quod tunc fit cum tenebricosi cordis motus [ipsos quoque exprimunt Ægyptii] persuadent, ut putemus, quam habemus prudentiam, nostram esse propriam : et non ab ipso Patre luminum, qui voluntarie genuit nos verbo veritatis suæ (*Jac.* I, 18), neque nobis commendatam [*al.* commodatam] et accommodatam, ut nos spiritualiter perimant. Quasi Ægyptios videre mulierem pulchram esse eamque uxorem esse Abræ, dicere est, occultos cordis motus vanitate caliginosos sibi adblandiri super subtilitate sapientiæ, et prudentiæ acumine. Hoc est enim pulchram Sarai admirari, eamque ad appetitum vanitatis trahere, ut putetur quod subtilitatis est in animo, magis ex acumine esse proprio, quam ex munere divino.

VII. Verum, quidquid vanum illud sit et frivolum, in quo deceptæ cogitationes blandiuntur, ipsa, necesse est, ut in cunctis prudentia humilietur, a quo hominem spiritualiter scit generatum, ab eodem se homini infusam esse fateri non dedignetur. Quod est Egyptiis Sarai pulchritudinem laudantibus, eamque uxorem esse Abrahæ asserentibus, ipsam magis se ejus esse sororem affirmare. Totus, fratres, hic prudentiæ homini insitus fructus est, ut in veritate ipsa se videat. In omnibus, in quibus subtiliter callet, veraciter se humiliet, et a solo Deo se esse recognoscat. Licet in homine sit, ab homine tamen se esse abnuat, ut quo magis a solo Deo se esse confidit, eo majus ab eo in discernendo augmentum recipiat. Nonne bene tibi videtur esse soror Abræ ipsa Sarai ; et quia sic apud eum vivitur, et in talibus vita spiritus ejus (*Isai.* XXXVIII, 16), etiam animam vivere ob hanc gratiam sui, cum hoc modo se ejus dicat esse sororem ? Quid est, quod dicit : *Et occident me, et te reservabunt ?* Ego puto vanos cordis motus vani appetitus mucrone hominem spiritualiter necare, sibique sapientiam vindicare, id est quod audis, et Ægyptios Abram occidere et Sarai reservare ; quod ne fiat uxorem se Abrahæ deneget, sororem affirmet, ut humiliter se intuens prudentia munus se fateatur divinum, acumen se diffiteatur esse humanum.

VIII. *Viderunt*, inquit, *Ægyptii mulierem, quod esset pulchra nimis, et annuntiaverunt Pharaoni, et laudaverunt illam apud eum* (*Gen.* XII, 14). *Discooperientem* sive *dissipantem* Pharao sonat, et appetitum vanæ gloriæ designat, qui dum inaniter occulta nostra bona detegit, ea nimirum dissipando destruit: juxta prophetam, qui vineam suam in desertum asserit poni, dum ejus contigit ficum decorticari (*Joel.* I, 7). Et Ægyptios quodam modo apud Pharaonem mulierem laudare, est caliginosos mentis cogitatus, prudentiam ostendendo laudabilem, ut vanæ gloriæ commisceatur, appetitui persuadere conari. Quæ profecto prudentia dum vehementer insistentibus cogitationibus vanis auscultat, in potestatem nonnunquam, humanum appetendo favorem, redigitur elationis. Verumtamen licet ita per

Digitized by Google

violentiam cenodoxia **153** vincat : ipse quoque in electis suis Dominus elationis tyrannidem humiliat, qua humiliata subtractum ad tempus gratiæ in eis donum reparat : quia *flagellavit Dominus domum Pharaonis plagis maximis propter Sarai uxorem Abræ* (*Gen.* XII, 17). Sicque ei reddita est. Quid enim flagellata domo Pharaonis uxorem sublatam amissam Abrahæ redonari est, nisi humiliato a Domino elationis dominio, viro justo gratiam amissam restitui?

IX. Simile aliquid in Regum quarto libro (*IV Reg.* VI, 5 et seqq.) legimus : ubi invenimus quod cum cædentibus in Jordane ligna, una cum Elisæo, filiis prophetarum, uni eorum de manubrio ferrum prosiliens, et in aquis demersum non appareret : idem ei Elisæus, præciso ligno dilapsum restituit ferrum, quod didicisset ipso exclamante, mutuo se illud accepisse, et in quo loco id contigit cecidisse. Ferrum quippe de manubrio in succisione lignorum fortuito prosiliens, donum est gratiæ a corde, in exercitio virtutum, interveniente elationis motu, evanescens. Sed cum tibi tale quid contigerit, voce cordis valida clama ad illum, qui in loco pro te Calvariæ est occisus, magis asserens te ex mutuo illud accepisse, quam ex te id, vel tuum esse. Tunc autem ille, a quo omnes discipuli ejus, relicto ipso diffugerunt (*Matth.* XXVI, 56) : qui etiam capilli (*Luc.* VII, 38) ejus sunt, qui omnes quoque numerati sunt : ille, inquam, sic calvus propheta potens in opere et sermone (*Luc.* XXIV, 19), cum veritate confessionis tuæ locum ei ostenderis ruinæ, præciso per pœnitentiam cordis ligno, donum tibi restituet amissum. Et hæc quidem omnia ad id pertinent, quod præcipitur Joseph, ut fugiat in Ægyptum : quia Herodes quærit puerum ad perdendum eum. Sed ecce in longum protraximus, dum mysticos in sacra Scriptura sensus scrutari dulce habemus. Jam debitum exposcit tanta prolixitas finem.

X. Igitur, quæ vobis de triplici somno Joseph, et de triplici angeli apparitione dicta sunt, in memoriam conservate conferentes cum cordibus vestris. Imitamini istorum innocentiam parvulorum, quorum devotione hodie celebri et celebritate devota agitis memoriam. Malitia parvuli estote, scientes et pio semper animo recolentes, quia parvulos jubet Dominus, ut sinantur ad eum venire, asserens talium esse regnum cœlorum (*Marc.* X, 14) : nihil apud vos resideat, quod noceat : sicut nec quidquam apud se revolvere novit parvulus, unde per malitiam feriat. Nihil circumferatis in vultu vel in affatu, nihil habeatis in gestu vel actu, quod aliquod intuentibus inferat offendiculum. Et ut vos Pater vester, beatus Augustinus hortatur : « in incessu, in statu, in omnibus motibus vestris, nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. » Ita vos habere, talesque exhibere, qualium est regnum cœlorum parvulos imitari est. Intuemini altissimum illum Dominum majestatis mortalium se conformasse infantiæ; non ergo vos conformari ipsius pigeat parvitati, si in gloria cœlesti ejus desideratis configurari altitudini : ad quam donet vobis pertingere magnus ille et parvus, sublimis et humilis, æternus et temporalis, fortis et debilis, Verbum et caro, Deus et homo, Dominus Jesus, qui est cum Deo Patre et Spiritu sancto benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXVII

IN DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

De exercitio sanctæ religionis, et de statu interioris hominis nostri.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Joseph et Maria mirati leguntur super his quæ dicebantur de puero. — 2. Per matrem Domini congregatio spiritualis, per Joseph ejus prælatus intelligitur. — 3. Opera virtutis et perfectionis exercitia sunt quasi puer Jesus. — 4. Prærogativa singularis status religiosi in libertate, et quiete : super quibus Maria et Joseph merito mirantur. — 5. Obligatio mutua præsidis et subditi. — 6. Sæcularium quorumdam in statum religiosum dicax malevolentia. — 7. Similes Balaam maledicentis populo Dei et sua optantis novissima hujus similia. — 8. Frequens confluxus ad statum religiosum ex omni ætate et gradu. — 9. Status religiosus confertur cum regno Salomonis; — 10. Cum lapide de monte abscisso sine manibus, evertente statuam mundanæ pravitatis. — 11. Quid sit lapidem istum excrescere in altitudinem montis. — 12. Quis gladius pertranseat Mariæ animam. Varia ejus in Scripturis acceptio. — 13. Ex usu prodest, vel obest tribulatio, Dei vindicta, malitia diaboli, mortis angustia. Et vocantur gladii indifferentes. — 14. Quinam sint gladii malæ partis, et declinandi. — **154** 15. Gladii bonæ partis, et desiderandi. — 16. Gladiorum facienda discretio.

1. Refert nobis, in hodierna sancti Evangelii lectione, beatus Lucas miratos fuisse Joseph et Mariam matrem Jesu super his quæ dicebantur de illo (*Luc.* II, 33 et seqq.). Et quid mirum? quid, inquam, mirum si cor Joseph et Mariæ in admirationem erexerunt [*al.* surrexerunt] super his, quæ dici audiebant de Jesu? Gloriam in excelsis Deo angeli decantaverunt, in terra pacem hominibus bonæ voluntatis evangelizaverunt. Pastores festinanter venerunt; magi accurrerunt, intraverunt, prociderunt, adoraverunt, obtulerunt. Prophetizavit Simeon, et Anna confessa est : et fortasis aliquid aliud non nullius ponderis contigit, quod admirationis causa et occasio esse potuit. Sed inter hæc omnia beata et benedicta est mater illa, quæ nobis peperit Jesum, de quo tanta ac talia dicebantur, ut mirari compelleretur, compelleretur et Joseph. Et hoc num aliquid novi? nequaquam. Nisi quia quod ardenter diligimus, quod frequenter dicere solemus, id nimirum etiam ex improviso dat nobis nonnunquam proferre usus ipse affectuosus et affectus usualis.

II. Cæterum si aliquid ad moralitatem pertinens audire delectat, sicut scitis, quod incomparabiliter beata est mater illa et benedicta, sic scire debetis, quamdam aliam esse matrem, etsi longe inferiori modo hanc sanctam congregationem loquor, quam coram positam intueor. Ipsa namque Maria est luminare quoddam magnum et præfulgidum, quod in

Digitized by Google

se continere videtur sacramentum nominis hujus. Ipsa nihilominus parit Jesum, dum in bona conversatione salubre profert exemplum. Quid enim sanctæ religionis est fructus, quem hæc exercet congregatio sancta, nisi puer Jesus, quem portat Maria? hujus matris et pueri servus est Joseph non dominus, adjutor est autem et custos. Hoc esse puto quod vas electionis Paulus ait : *Non quia dominamur fidei vestræ, sed coadjutores sumus gaudii vestri* (*II Cor.* I, 23). Et item inquit, *servos vestros per Jesum* (*II Cor.* IV, 5). Videtis itaque quia Maria mater est Jesu, qui natus est de ea, natus et in ea. An natum fateris de ea et diffiteris in ea? Audi angelum loquentem ad Joseph : *quod*, dicit, *in ea natum est* (*Matth.* I, 20), ac si diceret in ea conceptum est. Mater ergo est Maria Jesu ; mater in conceptu, mater in partu. Utpote quem concepit incorrupta, quem et peperit illæsa. Joseph autem quid? a longe aspicit puerum istum, qui datus est ei ad serviendum, ad adjuvandum. Ad serviendum ut Domino, ad adjuvandum ut parvulum. Videte si non ad hoc pertinet, quod in tabernaculo Domini cortinas tegebant saga (*Exod.* XXVI, 7), et protegebant crebris exposita ventis et pluviis, ne fuscatum suum in aliquo cortinæ sentirent decorem.

III. Et quidem puer magnificus iste Jesus, de quo tanta ac talia dicuntur : ut non possint non mirari super his Joseph et Maria mater ejus. Quod nimirum, fratres charissimi, tunc fit, cum tam ordinatus et tam irreprehensibilis per omnia est status vester, ut juxta quod vos beatus admonet Augustinus (in incessu, statu, et in omnibus motibus vestris nihil sit quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem); quod, inquam, tunc fit, cum *digne ambulatis vocatione vestra, cum omni humilitate, et mansuetudine; cum patientia supportantes invicem in charitate, sollicite servare unitatem Spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 2). Et sicut alibi qui hoc loquitur dicit : *Superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum* (*Phil.* II, 3). *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus pacem habentes* (*Rom.* XII, 17). Cum hæc ergo et alia in hunc modum innumera dicuntur de vestro Jesu, perfectionis namque status, quem fructuose exercet congregatio vestra, puer est Jesus, natus ex matre Maria : cum, inquam, talis de eo fama dispergitur, necesse habent Joseph et Maria mirari super his. Nec me pœnitet, quantumcunque mussitaverit quis, quod fructuosum sanctæ congregationis statum per Filium Mariæ dixi exprimendum, considerans admirabilem prærogativam ejus.

IV. Quis enim in hac vita status liberior est statu illorum, qui in claustro sincere degunt, vel quietior? nec regum, nec pontificum, nec aliquorum principum, nec aliquorumlibet omnino sublimium status in hac vita istorum, ne dicam, statum excedere : sed nec comparari ei in aliquo potest. Est fortasse sublimior in potestate, sed non liberior in quiete : O liber et quietus claustralium status! qui nec sperantes aliquid, nec pertimescentes tanto moderamine contenti sunt, ut copiosa quadam inopia aporiati, et inopi copia ditati, nihil **155** possint amittere antiquum, quos constat esse tanquam nihil habentes : nihil acquirere novum, quos constat esse omnia possidentes (*II Cor.* VI, 10). Hæc et alia in hunc modum sunt, quæ de Jesu dicuntur; super quibus Joseph et Maria mater ejus mirantur. Nonne Maria miratur super his, quæ dicebantur de Jesu, dum communis et sancta congregatio ista in unoquoque vestrum super magnis multisque bonis, quæ de alto in aure mentis Spiritus susurrat humilitatis, obstupescit, longe plura et majora de unoquoque sociorum audiens quam in se videt? miratur simili modo et Joseph, dum singulorum statum perpendit ipse, qui eis adest in cura custodiæ, securiorem, quam suus ipsius est, qui eos custodit. Quod ut breviter dicam aliud non est, quam illud, quod superius de Apostolo proposuimus : *Superiores sibi invicem arbitrantes.*

V. *Et benedixit*, inquit, *illis, Simeon* (*Luc.* II, 34). Quibus illis? haud dubium quin Mariæ et Joseph. Putatis quod Simeonem benedicere Mariam et Joseph, obedientiæ sit virtutem confirmare conventum et custodem ejus? *obedientiam* quippe sonat Simeon : sed sciens sine ullo dubio conventum debere obedire custodi suo : ignorans forte, quod obedientia pertinere debeat ad ipsum custodem ; si ignorasti usque nunc, scito vel modo, custodem suo, juxta quemdam modum debere obedire conventui. Quod si dicis eum non semper debere illi obedire ad voluntatem : non contendo, dummodo assentias nunquam debere non obedire [*al.* nonnunquam debere obedire] ad necessitatem. Magno quidem et valde forti, conventus et ejus custos invicem tenentur vinculo colligati : quo alterno quodam sibi fortiter sunt debito constricti. Iste ut semper et ubique inveniatur, quantum prudentia scire, et facultas monstravit posse, præesse sine superbia, ille subesse sine miseria; iste regere sine tumore elationis, ille regi sine querela murmurationis. Iste providere sollicite ad utilitatem, ille parere prompte ad humilitatem. Iste denique ut in omni sanctitate agendo et loquendo præcedat, ille vero ut vias ejus bonas excogitet, vadens post illum tanquam investigator, et in viis illius consistens (*Eccli.* XIV, 23). Hanc puto esse benedictionem qua benedixit Simeon Mariæ et Joseph : quorum significata, conventus videlicet et custos sic ad invicem connectuntur : ut si eas separes, non secus sit, quam si ab invicem caput et corpus disjungas.

VI. Sunt post hæc verba quædam, quæ non ipsi quidem Joseph, sed soli invenitur dixisse Mariæ matri : *Ecce*, inquit, *positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel* (*Luc.* II, 24). Dicunt, qui genera norunt linguarum, quibus et Ja-

Digitized by Google

tur interpretatio sermonum, quod visionem Dei sonet Israel. Qui autem videt Deum videt et Jesum, Jesus namque Deus. Quis sit autem moralis, de quo loquimur, Jesus, dixi vobis jam et audistis. Quod si iterum vultis audire, ipse est opus salutis vestræ fructuosum, quod juxta tenorem professionis vestræ infatigabiliter exercetis. Cum autem hoc ita sit, qui sunt isti multi videntes Jesum, quibus ipse in ruinam ponitur, et in signum cui contradicitur? fortassis illi sunt, qui fructuosum statum nostrum, ipse est enim Jesus, videndo quidem agnoscunt: sed dum eum non solum non diligunt, verum etiam per odium reprehendunt ibi ruunt: non solum eum non assequentes imitando, sed et derogando persequentes. Salutis esse signum deprehendunt, quod apud vos conspiciunt; sed dum illud non modo humiliter non apprehendunt, sed et superbe reprehendunt, ei omnino contradicunt. Et certe hodie multi sunt in Israel, inter videntes Deum, scilicet de his malevolis et superbis sæcularibus loquor, quibus hic positus est Jesus in ruinam, et in signum cui contradicitur: dum bonum quod apud vos intuentur, vel reprehendendo vel despiciendo persequuntur. Vel si id forte saltem superficie tenus, laudando venerantur, nullatenus tamen per imitationem assequuntur. Sive etiam quod multoties evenire videmus, cujus modo famam ad tempus credentes magnificant, jam in tempore tentationis, imminuere non cessant.

VII. Ad horum videtur numerum pertinere, qui ductus et conductus, ut populo malediceret, in tantum eum populum laudavit: ut *mori optaret animam suam morte eorum, et fieri novissima sua horum similis* (*Num.* XXIII, 10). Sed transacto tempore compunctionis docere non puduit eum *Balach ponere scandalum coram eis edere et fornicari* (*Apoc.* II, 14). Proinde attendite a falsis fratribus, si subintroeunt explorare libertatem vestram, quam habetis in Christo Jesu, ut vos in servitutem redigant (*Gal.* II, 4), scientes multos esse in Israel, quibus noster in ruinam ponitur Jesus, et in signum cui contradicitur. Sed reliquit sibi multos Dominus in Israel, et qui reliqui sunt auferantur ex his, quos modo commemoravimus: qui et ipsi quidem sunt in **156** Israel, Deum videlicet videntes, sed ruentes et contradicentes. Reliquit, inquam, sibi Dominus multos in Israel, quibus iste Jesus ponitur in resurrectionem. Hi sunt multi illi de quibus Dominus: *Multi*, inquit, *venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham et Isaac, et Jacob in regno cœlorum* (*Matth.* VIII, 11).

VIII. Quod profecto quotidie evenire videmus, properare videlicet ad hunc statum vestrum (ipse est enim quasi quoddam regnum cœlorum, in quo inveniuntur Maria et Joseph), et veniunt ut in eo spiritualiter reficiantur. Multi a prima ætate, hæc est oriens: quasi illud primum mane, quo conducuntur operarii, et ducuntur ad vineam. Multi in ætate ultima, hæc est occidens: quasi hora undecima, qua mittuntur in vineam, qui steterant tota die otiosi (*Matth.* XX, 1 et seqq.). Et habent præeuntes in hoc convivio, et comites multos obedientes quos exprimit Abraham, sperantes nonnullos quos Isaac innuit, vitiorum quoque supplantationi insistentes, et hos Jacob designat. Istis mihi videtur poni non in ruinam, sed in resurrectionem, non in signum cui contradicitur, sed cui obeditur. Magnus quidem et vere magnus hic videtur Jesus, de quo tanta ac talia dicuntur, ut non modo compellantur intrare Maria et Joseph, qui propiores sunt, sed ab oriente invitantur multi et occidente, tanquam mulier illa quæ, audita fama Salomonis, relicta patria et gente sua, non est pigritata venire ad eum, etiam a finibus terræ (*III Reg.* X, 1).

IX. Et ecce sacramentum magnum: magnum quidem et admodum nobilem, postquam venit, deprehendit Salomonem, cujus majorem asseruit esse sapientiam propter intellectum, et opera propter effectum, quam erat rumor quem audierat. Quid? nonne status vester quietissimus, quidam est rex pacificus? Nam et hoc sonare videtur Salomon, cujus fama in tantum crebrescit, ut properet ad eum mulier præfata, quatenus dum magna fuerit admiratio super his quæ dicuntur de Jesu, curratur a multis ad eum ab oriente et occidente, utpote qui multis ponitur in resurrectionem. *Aquilo quoque det, et Auster non prohibeat* (*Isa.* XLIII, 6). Veniant undique ad eum, qui contra Aquilonem fortiter dimicant juvenes; et quæ candent in Austri munditie virgines, senes quoque occidentes cum junioribus orientes. Ecce videtur Jesus, quem exprimit Salomon odore magnitudinis suæ prædictam ad se reginam invitans. Ecce et Jesus, quem ille designat lapis statuam terribilem et proceram destruens; qui in tam magnum postea crevit montem, ut impleret omnem terram (*Dan.* II, 35).

X. Nonne lapis firmus vester est fortis status? quandoquidem status ille, cum sit per veram sapientiam maturus, per nitidam prædicationem sonorus per fortem actionem robustus, per stabilem perseverantiam radicatus, per cognitionem propriæ fragilitatis humiliatus; per has quinque virtutes, quinque mala status mundialis destruit. Nam fulgorem annihilat per primam inanis et fallacis sapientiæ, quæ *stultitia est apud Deum* (*I Cor.* III, 19), hoc est aurum. Per secundam nitorem pomposæ eloquentiæ, hoc est argentum. Per tertiam robur elatæ fortitudinis, et hanc per æs accipe. Per quartam pertinaciam rebellis obstinationis, hoc est ferrum. Per quintam lutum libidinis, et hoc est testa. Hac autem peracta victoria fit lapis iste mons magnus replens omnem terram, ut jam civitas abscondi non possit, cum super eum posita fuerit (*Matth.* V, 14): et mirari vehementer compellantur Joseph et Maria mater Jesu super his quæ dicuntur de illo, cum hic positus fuerit in resurrectionem multorum in Israel.

XI. Sed hic lapis, qui mons magnus apud Da-

Digitized by Google

nielem erectus universam terram implet, et civitatem supra se positam in Evangelio continet, sicut *qui credidit in eum*, juxta Petri sententiam, *non confundetur* (*I Petr.* II, 6), pro eo quod positus est Jesus in resurrectionem multorum in Israel : ita non credentibus erit lapis offensionis, et petra scandali his qui offendunt verbo, propterea quod positus est idem Jesus in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicitur (*Luc.* II, 34). *Et tuam*, inquit, *ipsius animam pertransibit gladius* (*ibid.*, 35). Quis est gladius iste ? quidquid autem illud sit quod per eum accipiendum est, ego puto in bonam hic partem debere accipi, pro eo quod gladius est Jesu. Nam bonus plane Jesus, et ideo necesse est ut bonus sit gladius ejus. *Tuam*, inquit, *ipsius animam pertransibit gladius*. Quis ergo est gladius Jesu ? quis, inquam, gladius Jesu, qui animam pertransit Mariæ? Nam quis sit Jesus, quæve Maria, mater ejus, dictum est superius non semel quidem, sed nec bis, imo pluries ; nec puto jam necesse est ut repetatur.

XII. Sed de isto gladio Jesu quæramus quid sit. Invenio in Scriptura sacra, ad quam semper recognoscendi causa **157** veritatem recurrere debemus, sicut pro aqua ad fontem : gladium esse bonum, et per hoc dignum, qui pertranseat animam Mariæ, quia ad Jesum pertinet. Invenio et malum, ac proinde ad Jesum non pertinet, et ideo consequens esse ut animam Mariæ non attingat. Invenio etiam gladium qui indifferenter potest accipi, quia nunc boni, nunc mali occasio esse potest, pro merito utentium eo. Est enim gladius quidam indifferenter accipiendus, tribulatio videlicet temporalis. De quo Dominus in Evangelio : *Vendat*, inquit, *tunicam suam, et emat sibi gladium* (*Luc.* XXII, 36). Ac si præciperet, ut qui Deo placere desiderat, mundiales exuvias abjiciat, et eorum loco mutuatam temporalem pro ejus amore tribulationem non recuset. Est et alius vindicta Dei, de quo in cantico Deuteronomii : *Et gladius*, inquit, *meus devorabit carnes* (*Deut.* XXXII, 42). Id est, vindicta mea destruet carnales. Accipe adhuc alium : *Qui fecit eum*, ait Dominus ad Job de diabolo, *applicuit gladium ejus* (*Job* XL, 44). Quia Deus qui eum condidit, ejus malitiam compescit. Hoc ergo loco gladius Beemoth, malitia ejus. Ostendam tibi, adhuc gladium quartum. Nomen hujus gladii mors est, qua omnes sine ulla exceptione ferimur : *omnes enim morimur* (*II Reg.* XIV, 14). Ipse est, de quo habemus in Genesi de patre nostro Abraham ; quia *ipse portavit in manibus ignem et gladium* (*Gen.* XXII, 6), quia ardor passionis Christi, et acumen mortis ejus in potestate erat Patris. Et fortassis adhuc aliquis alius, sed hi modo occurrerunt.

XIII. Unumquemque istorum puto nos indifferenter posse accipere, quia qui eis percutitur aliquando ad bonitatem proficit ; aliquando vero in malum deficit. Nam per gladium quidam in furorem vesaniæ cadunt, quidam vero ad patientiæ fortitudinem ascendunt. Sic et divinæ vindictæ gladius quosdam fecit, et castigat : quosdam vero percutit, et induratos non emendat. Quales arbitror fuisse, de quibus alloquens propheta Dominum : *Percussisti*, inquit, *eos, et non doluerunt ; attrivisti eos et renuerunt accipere disciplinam* (*Jerem.* V, 3). Malitia nihilominus diaboli quosdam exercet ad felicitatis coronam, quosdam vero magis et magis ad iniquitatis instigat culpam, ut socios secum postmodum et post modicum ad damnationis pertrahat pœnam. Et habetis præ manibus ad utrumque exemplum. Nam diaboli fuit malitia, qua commovit [*al.* quæ commovit] Dominum adversus Job, ut eum affligeret frustra (*Job* II, 3), et qua intravit in cor Judæ ut traderet Christum (*Joan.* XXII, 3). Quis autem utriusque finis, nemo qui ignorat. Et de mortis gladio quid dicemus? Nonne cum omnes feriat, quosdam succidit, ut plantet in vita, quosdam vero ut in morte sepeliat? *Factum est*, inquit, *ut moreretur mendicus et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ : mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno* (*Luc.* XVI, 22) : quo vos nunquam veniatis. Uno ergo eodemque uterque succisus gladio, diversum tamen post succisionem est locum sortitus. Hos itaque gladios indifferenter dixerim accipiendos, nec aliquem eorum esse censuerim, qui proprie ac spiritualiter animam debeat nostræ, de qua loquimur, Mariæ pertransire : quia non minus mali quam boni singuli occasio sunt.

XIV. Sed ostendam vobis gladios malos, non duos quidem aut tres, sed etiam plures, quorum nullus est gladius Jesu, ac per hoc nullus dignus qui animam pertranseat Mariæ. Dicit de quodam gladio sanctus David : qui Domini quidem est, ei tamen in eo non feriat animam meam, *nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit* (*Psal.* VII, 13). Id est, nisi a peccatis cessaveritis, suam vobis iram ostendet. Dicit idem de repugnantia malorum, quæ gladius est : *gladium*, inquit, *evaginaverunt peccatores* (*Psal.* XXXVI, 14), id est repugnantiam exercuerunt peccatores. Videte et alium apud eumdem David gladium malum, sermonem videlicet detractorum : quia de filiis hominum dicit quod *lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI, 5) : pro eo quod sermo eorum, qui imitatores sunt carnalium, mordaci est detractione plenus. Loquitur etiam idem ipse de quodam alio ; qui isto in malo inferior non est, et eum dicimus pravam persuasionem : *de gladio*, inquit, *maligno eripe me* (*Psal.* CXLIII, 10). Ac si oraret Deum ut de mortifera eum erueret persuasione. Invenitur quoque et apud Ezechielem quidam gladius malus, et hic peccatum est, de quo ita legitur : *Si viderit gladium et non insonuerit buccina* (*Ezech.* XXXIII, 6). De speculatore loquebatur. Quod sequitur avertat Deus a nobis, qui ejus esse speculatores videmur. Damnatione namque se dignum prædicator noverit, si cum peccatum regnare viderit, a doctrina cessaverit. Ipsum quoque damnatum hominem, quem Paulus vocat hominem peccati, et filium perditionis (*II Thess.* II, 3), servum suum sanctum Job Dominus alloquens,

Digitized by Google

gladium appellat : *Cum apprehenderit*, inquiens, *eum gladius* (*Job* XLI, 17). Haud dubium quin Beemoth expressit ; quia cum in se diabolum Antichristus susceperit, gravis erit tribulatio in mundo. Sed et ultimum quod in fine mundi erit judicium quidam est gladius, et quidem valde acutus, ut in cantico Deuteronomii Dominus ait : *Si acuero ut fulgur gladium meum* (*Deut.* XXXII, 41), id est, si in ira manifesta vero judicium **158** meum. Æterna vero damnatio gladius est, ut ait sanctus Job : *Si multiplicati fuerint filii ejus*, haud dubium quin impii, *in gladio erunt* (*Job* XXVII, 14). Quia quotquot habuerit impius imitatores, omnes damnabuntur.

XV. Quem ex istis gladiis asseritis bonum ? utique nullum, ac per hoc non pertinent ad Jesum. Primum posuimus iram divinam, ultimum damnationem æternam. Sed dicit mihi aliquis vestrum, quousque nos suspendis? cur tot ad nos gladios profers, et nullum ad Jesum ex his pertinere fateris? Da nobis aliquem qui ad Jesum pertineat, qui et dignus sit animam pertransire Mariæ. Quæram aliquem in Scriptura sacra, et cum invenero proferam ad vos. Attamen non inutiliter, ut arbitror, hanc gladiorum diversitatem attulimus, ut sciatis videlicet qui boni quive sint gladii mali, qui et indifferenter accipiendi. Sed, dicitis, jam ostendisti quosdam indifferenter accipiendos, ostendisti et malos : restat ut aliquos ad nos proferas bonos. Et hoc modo faciemus, si quidem permisit Deus. Si vultis habere gladium bonum, perquirite a Paulo, qui dicit, *gladium Spiritus* accipite (*Ephes.* VI, 17) ; hoc est prædicationem spiritualem exercete. Nam quid ibi accipere voluit per gladium subdendo innotuit, *quod est verbum Dei* (*ibid.*), inquiens. Sed qui hoc dixit de gladio verbi, alibi nihilominus loquitur de gladio ingenii, ubi asserit, quod *sermo Dei penetrabilior est omni gladio ancipiti* (*Hebr.* IV, 12), perspicacior videlicet omni ingenio acuto. Ipse quoque Dominus in Evangelio mentionem facere videtur de quodam gladio bono : qui, ni fallor, separatio est, ubi ait : *Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* X, 34), id est separationem. Nam ut ostenderet id se velle innuere adjunxit : *Veni enim separare filium adversus patrem suum* (*ibid.*, 35). Quidam etiam gladius, et quidem valde salubris, verbum correptionis est ; quo percutit intus in misericordia. De quo Isaias : *gladius*, inquit, *devorabit vos* (*Isa.* I, 20), id est, correptio increpabit vos. Hic est gladius ille, de quo tam frequenter in Veteri legimus Testamento in præliis sanctorum : quia percusserunt adversarios suos *in ore gladii* (*Isa.* XXI, 7), id est, tetigerunt eos voce sermonis increpatorii.

XVI. Ecce extraximus ad vos gladios malos, extraximus et bonos, ut cognoscatis quos cavere, et quibus desiderare debeatis ut percutiamini. Mali, quos superius habuistis, gladii ad illos pertinent de quibus Isaias : *Et conflabunt*, inquit, *gladios suos in vomeres* (*Isa.* II, 4), mutabunt videlicet mala sua in fructuosas commoditates. Hi vero boni, ad illos mihi pertinere videntur, de quibus Psalmista : *Et gladii ancipites in manibus eorum* (*Psal.* CXLIX, 6), quia verba adimplentur in operibus sanctorum. Quomodo vero gladius Jesu transeat animam Mariæ, non vacat nobis ad præsens monstrare, quia aliquandiu in educendo gladios istos jam demorati sumus. Proposui autem id aggredi in sermone subsequenti, prout Dominus dignabitur nobis revelare, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXVIII.

IN EADEM DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

De interno cordis nostri statu.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Triplex gladiorum spiritualium diversitas inter se composita. — 2. Animam Mariæ quadripartitus gladius pertransiisse mystice dicitur. — 3. Salubris est valde gladiorum horum per animam transitus. — 4. Quantæ cogitationes revelatæ ex percussione gladii, quod est verbum Dei. — 5. Octuplex fructus verbi prædicati educitur. — 6. Gladius ingenii animam pertransit per comprehensionem longitudinis, latitudinis, profunditatis, et sublimitatis Dei. — 7. Ut gladius separationis et correptionis pertransit animam. — 8. In monasteriis multi sua quærunt, non quæ Jesu Christi : dyscolorum et proborum religiosorum discrimen. — 9. Maria illuminationis, ratio, Joseph humilis conscientia tropologice accipitur. — 10. Augendæ virtuti necessaria custodia humilitatis. — 11. Humilitas animi est acquisitrix, et conservatrix gratiæ spiritualis. — 12. Homo in fiduciam erigitur obtinendæ mercedis æternæ. — 13. Sic remunerabit Deus quod per hominem boni facit, ac si ex se haberet quidquid facit. — 14. Interna gratiæ visitatio per Simeon benedicentem adumbrata. Quanta sit virtus, et præsentis efficacia. — 15. Nullus est sanctitatis fructus, quem non stipat custodia humilitatis. — 16. Totius spiritualis ædificii ruina est superbia : rectitudo intentionis est index boni operis. — 17. Fervor boni desiderii est gladius Jesu bis acutus, cavens noxia et bona exercens. — 18. Gratia Dei intellectum nostrum perficit et voluntatem.

I. *Et tuam*, ait sanctus Simeon ad Mariam, *ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc.* II, 35). Plures in sermone præcedenti, dilectissimi in Domino fratres, produximus gladios ad vos, ut sciretis qui sint boni et qui sint mali, qui etiam indifferenter accipiendi. Ut autem eorum arctius in memoria **159** diversitatem retineatis, ecce sicut sigillatim, sic et festinanter proferimus eos ad vos. Est gladius indifferenter accipiendus : primus quidem tribulationis temporalis : secundus persecutionis mundialis, de quo nihil tetigimus, quando de aliis tractavimus, quia tunc non occurrit memoriæ nostræ. Est itaque secundus gladius, qui indifferenter accipitur, persecutor, de quo sanctus David ait : *Scutum, gladium, et bellum* (*Psal.* LXXV, 4) : subaudi confregit, quia Dominus in Ecclesia sua et vitium aufert excusationis, et acumen persecutionis, et infestationem hostis. Hunc itaque gladium inter eos ponimus, qui indifferenter accipiuntur ; quia de persecutione incertum est an probet an trucidet. Est tertius vindicta Dei : quartus malitia diaboli : quintus ipsa mors. Est autem gladius malus, primus quidem ira Dei, secundus repugnantia rebel-

Digitized by Google

ium, tertius morsus detrahentium, quartus persuasio decipientium, quintus peccatum, sextus Antichristus, septimus ultimum judicium, octavus damnatio æterna : hi omnes gladii mali. Sed est gladius bonus : et primus est verbum. secundus acumen ingenii, tertius separatio, quartus correptio. Unusquisque istorum gladiorum gladius est Jesu.

II. Unde non abs re mihi videtur esse, si dictis unumquemque eorum Mariæ animam pertransire. Nam ut singulos breviter extrahamus, nonne ipsius animam pertransivit gladius verbi, quæ ait : *Anima mea liquefacta est ut dilectus locutus est?* (*Cant.* v, 6.) Nonne et ille ingenii gladium debere pertransire animam sensit, qui dixit : *Punge cor et profer sensum?* (*Eccle.* xxii, 24.) Et de separationis gladio quid dicemus? Nonne in illis animam ipse pertransit : *Qui dicunt patri suo aut matri suæ : Nescio vos, et fratribus suis Ignoro vos : et nescierunt filios suos* (*Deut.* xxxiii, 9)? obsequium quidem sepulturæ nec paternæ exhibentes, ut festinent annuntiare verbum Dei. De gladio vero correptionis, scimus quod omnino bonum et salubre est ut animam pertranseat. Cum desideret sanctus David, ut corripiat eum Justus in misericordia et increpet, oleum autem peccatoris non impinguet caput ejus (*Psal.* cxl, 5). Pertranseat ergo quadripartitus hic gladius filii tui animam tuam, o Maria! ut te, o congregatio sancta (tu es enim Maria), et verbum erudiat, et ingenium acuat, et separatio perfectam efficiat, et correptio humiliet. Vere singuli hi gladii pertinent, o Maria, ad tuum Jesum : ut de unoquoque eorum dicatur tibi : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Vere, inquam, pertinent ad Jesum, ad hunc salubrem statum tuum, de quibus tanta tibi utilitas provenit.

III. Nam quod utile tibi sit ut animam tuam pertranseat gladius verbi, certam te fecit ille, qui cum summa Veritas sit, nec falli potest omnia sciens, nec fallere vult, omne quod bonum est amans, qui asserit *beatos esse qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud* (*Luc.* xi, 48). Ita dicendum et de ingenio. De separatione quoque nihilominus sentias, quia *accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* (*Psal.* xxxvi, 7). *Et omnis qui reliquerit domum suam, aut patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut uxorem, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* xix, 29). Magnum etiam quid et vere magnum nobis correptio confert : quia, ut ait Salomon, *quem diligit Dominus, corripit* (*Prov.* iii, 12): et dicit alius quidem : *Beatus homo qui corripitur a Domino* (*Job* v, 17). Unde et admonendo subjunxit : *Increpationem ergo Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat et medetur, percutit et manus ejus sanabunt* (*ibid.*, 18). Sed esto, concedamus jam, quod nimirum concedendum est : quod utile sit animam Mariæ pertransire gladium Jesu; sed quid post hæc Simeon adjunxit, et ad quid pertransiturum gladium Jesu Mariæ animam asseruit? *Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes* (*Luc.* ii, 35). Et videte si non hoc verum est. Videte, inquam, sed nunquam id melius videbitis quam in experientia propria.

IV. Nam cum animam pertransit gladius verbi, quis non solum enarrare, sed comprehendere sufficit, quot vel quales revelentur cogitationes? Multæ profecto, et multis modis revelantur cogitationes, pertranseunte verbi gladio animam, juxta quod idem gladius suam vel multiplicat vel variat percussionem. Nam frequenter et diverso modo animam feriendo pertransit. Primo etenim exempla sanctorum in ejus percussione narrantur, et pertransit animam historia. Secundo veritas fidei revelatur et tangit eam allegoria. Tertio mores instruuntur, et percutit eam tropologia. Quarto superna gaudia revelantur, et suaviter vulnerat eam anagogia. Perpendite nunc quales, hoc modo, pertranseunte gladio verbi animam, revelentur cogitationes. Videte si non in tactu historiæ revelantur cogitationes excitatæ ad imitationem sanctitatis, in allegoria illustratæ ad agnitionem veritatis, in tropologia succensæ ad amorem virtutis, in anagogia liquefactæ ad desiderium **160** supernæ felicitatis. Quod si considerare diligenter studueris quot sunt illa, quæ nobis in exhortatione sua proponit verbum Dei : puto quod tunc non dubitabis quin revelentur cogitationes, cum pertransierit animam gladius ejus. Et ecce octo nobis occurrunt; vos autem si volueritis quærite plura, cum vacaverit vobis. Sunt vero ista : prohibitio, præceptio, concessio, persuasio, correptio, consolatio, comminatio, promissio.

V. Verbum, inquam, Dei cum ejus gladius animam pertransit, vel prohibet, vel præcipit, vel concedit, vel persuadet, vel corripit, vel consolatur, vel comminatur, vel promittit. Prohibet mala, præcipit bona, concedit media, persuadet perfecta, corripit inquietos, consolatur pusillanimes, comminatur pœnas inferni, pollicetur gaudia regni. Prohibitiones ejus in imo sunt, præceptiones in clivo. concessiones in plano, persuasiones in summo. In imo vitiorum, in clivo mandatorum, in plano licitorum, in summo consiliorum. Et correptiones pertinent ad vinum, consolationes ad oleum, comminationes ad vetera, promissiones ad nova. Prima duo vindicat sibi misericors Samaritanus ille (*Luc.* x, 33) : secunda duo, scriba doctus in regno cœlorum (*Matth.* xiii, 52). Nonne, cum istis aliisque multis modis hic gladius animam pertransit, revelantur ex multis cordibus cogitationes? nam ex prohibitione revelantur cogitationes ad odium pravitatis; ex præceptione ad effectum probitatis; ex concessione ad libertatem propriæ, sed licite tamen voluntatis; ex persuasione ad desiderium perfectionis; ex correptione ad virtutem humilitatis; ex consolatione ad suavitatem gratulationis; ex comminatione ad terrorem timoris : ex promissione

Digitized by Google

ad ardorem amoris. Ecce gladius Jesu, gladius biceps : quia de ore ejus, qui in Apocalypsi vocatur Verbum Dei (sedebat super equum album [*Apocal.* XIX, 11], pro eo quod Verbum caro factum est), *de ore*, inquit, *ejus gladius utraque parte acutus procedit, ut in ipso percutiat gentes* (*ibid.*, 15). Terribiliter propter vitia feriens malos, et suaviter, propter virtutes, vulnerans bonos. Qui bis acutus gladius et in eadem Apocalypsi, et apud Ezechielem liber vocatur *scriptus intus et foris* (*Ezech.* II, 9). Et ibi quidem in ore devorantis factus est dulcis tanquam mel, sed facit amaricari ventrem ejus (*Apoc.* X, 9). Hic autem et ad dulcedinem carmen, et ad amaritudinem continet et lamentationes et væ (*Ezech.* II, 9). Potestis, ni fallor, conjicere ex his, potestis quoque longe melius in propria quotidie addiscere experientia quod, pertranseunte hoc primo gladio animam, revelentur cogitationes.

VI. Quid de gladio ingenii dicam? nonne et de ipso frequenter sentimus, quod quo profundius pertransit animam, et vehementius cogitationes, ut ait quidam, varie succedunt sibi, et mens in diversa rapitur? Nam sæpissime cum in eo radicati, et fundati comprehendimus cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum (*Ephes.* III, 18), revelantur nimirum ex cordibus nostris cogitationes. Nonne ex comprehensione longitudinis, quæ æternitas est, revelantur in nobis cogitationes perseverantiæ propter promissa: ex comprehensione latitudinis, quæ charitas est cogitationes amoris in nobis revelantur, propter beneficia? Ex comprehensione profundi, quod est sapientia, in nobis revelantur cogitationes timoris propter judicia? Verum quia *universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10); quia duo hæc audivimus, potestatem scilicet et misericordiam (*Psal.* LXI, 12, 13), quia denique Psalmista asserit se cantare Domino misericordiam et judicium (*Psal.* C, 1) : revelantur cogitationes amoris scilicet suaviter consolantis, dum pertransit hic gladius animam, comprehendens longitudinem æternitatis quæ nunquam deficit, et latitudinem charitatis quæ nihil eorum odit quæ fecit; revelantur et cogitationes timoris, dum pertransit idem gladius animam, comprehendens sublimitatem majestatis, quæ est super omnia, cui adest manus omnia potens : et profundum sapientiæ, quæ infra omnia est, cui non deest oculus omnia videns. Videtis ergo quod cogitationes revelari contigit, cum et iste gladius animam pertransit.

VII. Sunt et alii quamplures modi, quibus pertranseunte animam gladio hoc, revelantur cogitationes, quos modo non vacat nobis demonstrare. Si autem scire volueritis, ut breviter percurramus, quia aliquandiu in his jam demorati sumus, quæ revelantur cogitationes, pertranseunte animam gladio separationis et correptionis, accipite perfectam humilitatem mentis, et virtutem veræ charitatis. Nam plenus et perfectus in anima omnium visibilium contemptus, plena etiam separatio ab ipsis propinquis affectus, magna est occasio et causa ad acquirendam et retinendam charitatem internæ quietis. Salubris nihilominus correptio fossa circa arborem est; ad **161** cujus radicem cum stercora mittuntur, mox sterilitate depulsa, ad fructum fœcundatur (*Luc.* XIII, 8). Sic autem et exprobrationem ignominiosam illam, *ut quid terram occupet*, evadit : et terribilem illam sententiam : *succide illam* (*ibid.*, 7), non incurrit. Videtis jam, ut arbitror, unde contingit ut revelentur cogitationes, cum gladius Jesu Mariæ animam pertransit.

VIII. *Ut revelentur*, inquit, *ex multis cordibus cogitationes* (*Luc.* II, 35). Quare non ex omnibus, sed ex multis? quia ut ait Apostolus, *non omnium est fides* (*II Thess.* III, 2). Et hoc est quod gemere solemus : quia pertranseunte gladio Jesu animam Mariæ, non ex omnibus cordibus revelantur cogitationes. Nam cum perfectos et intimos cœnobialis congregationis viros ornet et venustet susceptum obediender prædicationis verbum, subtile acuat ingenium supereminens virtus charitatis Christi (*Ephes.* III, 19) : despectio omnium visibilium et ipsorum etiam propinquorum, sublimiter apud eos inveniatur, correptio nihilominus salubris humiliter admittatur, et horum bonorum fructibus non quidem omnes qui ad eam pertinent congregationem, sed multi ditantur, quia non sola quæ sunt Christi quærunt omnes, qui in ea conversantur. Et sic quasi quadripartitus hic, de quo jam multa diximus, gladius Jesu Mariæ quidem animam pertransit; sed non ex multis cordibus revelantur cogitationes. Non enim omnes in monasteriis suscipiunt insitum verbum, quod potest salvare animas suas (*Jac.* I, 21). Sed sunt multi apud quos crescit, et fructificat, multi vero in quibus sermo Dei non capit : sic et multi sunt, qui accedunt ad cor altum ut exaltetur Deus (*Psal.* LXIII, 8), multi vero qui marcent ignavia : ita ut dormiente præ tædio anima eorum, videntes eos hostes, derideant sabbata eorum (*Thren.* I, 7). Sic et multi quos a via arrepti propositi nullus rerum visibilium, nullus etiam propinquorum affectus retrahit : et si aliquando in eis arcam portantes in plaustro vaccæ mugiant, semper tamen pergunt, nec unquam ad dextram per superbiam in prosperis : nec ad sinistram per impatientiam in adversis declinant, quousque Bethsames perveniant (*I Reg.* VI, 12), et in agro illo Josue Bethsamitis pleno, cui benedicere non cessat Dominus, consistant (*ibid.*, 18). Multi vero sunt, qui, ut breviter dicam, modo huic omnino contrario affecti sunt. Ili sunt qui semper revertuntur ambulantes, non quidem ad instar cœlestium illorum animalium, quæ ibant et revertebantur (*Ezech.* I, 14); sed ad similitudinem carnalium et incredulorum illorum, qui reversi sunt cordibus in Ægyptum (*Num.* XIV, 4). Sunt item multi habentes aures, quæ libenter audiunt increpationes vitæ; molesti sunt nihilominus nobis non pauci, quorum cordi pessimo cum carnina

Digitized by Google

cantamus, acetum esse in nitro agnoscimus (*Prov.* xxv, 20)

IX. Videte ergo et perpendite, quod non sine causa asseruit Simeon, non quidem ex omnibus, sed ex multis cordibus revelari cogitationes, cum gladius Jesu transit animam Mariæ. Quia et Dominus ipse duodecim elegit, et unus ex eis diabolus fuit (*Joan.* vi, 7), et septem electi sunt diacones ab apostolis (*Act.* vi, v), et unus fœdi et fetidi auctor et inventor exstitit erroris. Et hunc in his verbis sancti Evangelii ad præsens accipite sensum. Potest quidem et alius intelligi in eis, etiam isto aliquanto subtilior et profundior, quo nullatenus vos fraudare volo, et ecce accipite eum. Maria ratio perita : Joseph vero humilis conscientia est. Illa Maria stella est, quia rationis est navigantibus occultis cogitationum motibus in profunditate illius interni cordis nostri, ne consensus illiciti scopulis collisæ naufragium nefarii infectus incurrant, providere. Hic vero augmentum dicitur, quia quo magis conscientia humiliatur, eo et uberiore internæ gratiæ munere augetur, juxta illud : *Omnis vallis implebitur* (*Luc.* iii, 5). Dicit quoque et sanctus David, quia *valles abundabunt frumento* (*Psal.* lxiv, 14). Per prophetam nihilominus Isaiam : *Super quem*, inquit Dominus, *requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea?* (*Isai.* lxvi, 2.) Maria mater est Jesu, ratio vero genitrix propositi boni. Concipit ratio propositum sanctitatis; ipsum, inquam, Jesum concipit et parit : affectum concipit in voluntate, per effectum parit in conversatione. Nutritius est Joseph hujus Jesu : est et custos, ut bonum et fructuosum sanctitatis propositum, quod perita rationis subtilitas, et prius a bonorum omnium largitore Deo requirit, et deinde expandente sinus suos voluntate accipit, et novissime exhibens membra corporis arma justitiæ Deo, in actione ostendit (*Rom.* vi, 19) : humilitas simplicis conscientiæ usque ad perfectum nutriat, et provehat, et ab omni detrimento diminutionis, quod vitium inferre solet elationis, custodiat, protegat, et defendat.

X. Sic ergo sanctitatis propositum requirit quidem intellectus, accipit affectus, ad publicum perducit effectus. Sed **162** statim detrimentum incurrit defectionis, nisi cum omni diligentia sollicitudo illud custodiat veræ humilitatis. Videtis non esse sine causa, quod voluit Jesus sicut matrem habere de qua nasceretur, sic et nutritium a quo custodiretur? ut et tu scias tibi nihil prodesse, quæ bona in te spiritualia congregas, nisi diligenti ea et sollicita circumspectione custodias. Ad hoc pertinere videtur, quod legis Deum hominem in paradisum posuisse, *ut operaretur et custodiret illum* (*Gen.* ii, 15). Et te quidem Deus in paradiso ponit, quando delectabilem tibi spiritualium gratiarum copiam gratuito largiens, in secura tranquillitate, et tranquilla securitate pausare te facit; sed vide ut hunc paradisum tuum et opereris et custodias. Opereris per robur fortitudinis : custodias per munimen circumspectionis. Opereris denique impigre, custodias caute. Porro tutela custodiæ humilitas conscientiæ. Operare ergo ut virtutes spirituales fortiter custodias, caveas ne acquisitas negligenter amittas.

XI. Dico vobis, amicis meis, experto credite : nihil tam efficax habere potest homo ad gratiam spiritualem, non solum antequam data sit acquirendam, sed et postquam data ei fuerit ad retentandam et augendam, quam ut semper sit humilis in oculis suis, semper pavidus, et circumspectus : semper timidus et sollicitus, semper conscius sibi, quod non altum sapiat, sed timeat (*Rom.* xi, 20) : semper et in omnibus semetipsum accuset. Est itaque humilis conscientia Joseph, qui augmentum dicitur; quia quo major in mente humilitas habetur, eo magis in ea et gratia augetur; et habenti dabitur, et abundabit. O quanta apud Mariam et Joseph copia spiritualium munerum! quanta superabundans plenitudo spiritualium gratiarum! cum et illa intemeratam se gaudet Jesu esse matrem, et iste sollicitum custodem : fructuosum sanctitatis propositum pariter, et pia rationis inquisitione concipiente et pariente, et vera conscientiæ humilitate nutriente, et custodiente hujus Jesu prærogativam, spiritualis videlicet propositi elegantiam.

XII. Beata certe spei fiducia in immensum attollit magnam ejus in futuro mercedem : et promittit, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* quod dandum esse asserit. Auditur quodam clamore silentii, et silentio clamoso vox spiritus clamantis : *AbbaPater* (*Rom.* viii, 15) : audiuntur quædam, quibus vix et ratio oculum, et conscientia audet præbere consensum : ita ut supra modum Joseph et Maria mirentur super his, quæ dicuntur de eo. Nonne valde mirum est, quod cum omnes gentes sint, quasi non sint coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sint ei (*Dan.* iv, 32), computandum esse hominem inter filios Dei, et inter sanctos sortem illius esse (*Sap.* v, 5) cor audet affirmare, conscientia et fides, charitas et spes? mirum quidem, sed tamen non mirum quoddam. Nam quid non audet cor si fuerit purum, conscientia si bona, fides si non ficta, charitas si perfecta, spes si certa? Dicitur ergo quod pro tantillo, tantum proferetur, quantum nec ab aliis æstimetur; quod tam magnum, tamque multum est per omnem modum, pro eo quod pene est nihil; futura pro præsentibus, cœlestia pro terrenis, pro transitoriis æterna.

XIII. Hæc sunt quæ dicuntur de Jesu : ut immerito non possint non mirari Joseph, et Maria mater ejus super his. Nam fit magnæ admirationis stupor in ratione, hæc est Maria. Fit et magnæ trepidationis timor in conscientia, hic est Joseph. Ipsa ratio stupet super his quæ cernit, conscientia contremiscit super his quæ sentit. Tanta sunt, quæ fama illa interna et verax dispergit de Jesu, ut sint Joseph et Maria mater ejus mirantes super his. Non est

Digitized by Google

sufficiens cogitare aliquid homo ex se, quasi ex se (*II Cor.* III, 5), quanto minus quidquam facere? Et tamen fama dispergit, certitudo spei in foro mentis proclamat, quod ita remunerabit Deus, quod per hominem facit, ac si ex se ipso haberet homo, quidquid boni facit. Promittit et pollicetur spes, quod regnum cœlorum paupertas habebit; mansuetudo terram possidebit; luctus temporalis consolationem accipiet perennem; esuries et sitis saturitatem; misericordia misericordiam consequetur; munditia cordis visionem Conditoris; pacifici honorabuntur nomine filiorum Dei; persecutionis perpessio regnum cœlorum hæreditabit. Hæc autem et in hunc modum multa alia, tanta ac talia sunt ut in eis cum et spes [*al.* quæ cum in eis et spes] præsumat, et ratio caliget, et conscientia contremiscat, admirentur Joseph et Maria mater Jesu super his, quæ dicuntur de eo.

XIV. Sed oportet summopere, ut frequens internæ gratiæ visitatio ineffabilem felicitatis hujus magnitudinem perficiat atque confirmet, qua ditantur **163** Maria mater Jesu et Joseph: non modo in eo quod apud se eumdem habent Jesum, sed in eo quod admirantur super his, quæ dicuntur de eo. Sic enim in suis Deus omnipotens electis agere solet, ut non solum spiritualia eis bona conferat, sed et frequenti gratiæ suæ visitatione collata conservet. Nonne ita secum agi sensit, qui ait: *Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit Spiritum meum?* (*Job* X, 12.) Et quidem in talibus, in vita scilicet et misericordia, vita est spiritus viri justi. Sed nisi datam vitam et misericordiam visitatio custodiat, neutra valet, quia neutra manet. Et hoc est quod hic habetur: *et Benedixit illis Simeon* (*Luc.* II, 34). Simeon interna visitatio est, qui obediens dicitur; obediens nimirum interna visitatio dicitur, pro eo quod quibus se infundit, obedientes facit, juxta id quod Spiritus asseritur postulare pro nobis *gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26); quia quos replet consequenter et postulantes facit. Nam quid boni homo non modo facere, sed et velle potest, si incentivum deest? quid item est quod ejus mens concipere non præsumit per affectum, sed et corpus aggredi formidat per effectum, qui internæ gratiæ visitationem, et incitantem habet ad velle, et auxiliantem ad perficere? Quod si dubitas de quovis istorum, quære apud Paulum, et invenies utrumque apud eum. Nam ipse est qui se asserit *non sufficientem cogitare aliquid ex se* (*II Cor.* III, 5); et *omnia posse in eo qui se confortat* (*Phil.* IV, 13). Vides ergo Paulum in se vermiculum repentem, in Deo autem athletam fortem: dum dicit se, non dicam facere non posse, sed nec cogitare aliquid ex se quasi ex se: et posse se, non solum quædam, sed et omnia in eo qui eum confortat. Jure itaque internæ gratiæ dicitur visitatio Simeon, quæ operatur in homine, ad quem, et in quem operari dignatur, *et velle et perficere pro bona sua voluntate* (*Phil.* II, 13), ita ut ipsa præsente, confidenter dicat: *Paratus sum, et non* A *sum turbatus, ut custodiam mandata tua* (*Psal.* CXVIII 60). Et illud: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo et psalmum dicam* (*Psal.* CVII, 2). Hic est qui rationem lucentem, et conscientiam humilem, in magna certe spei beatitudine, in qua et hic exsultat cum tremore, et illa cum stupore: in stabili ac firmo sanctitatis proposito confirmat. Et hoc esse intellige, quod admirantibus Joseph et Maria matre Jesu super his quæ dicebantur de eo, benedixit illis Simeon. Illius siquidem benedictio internæ gratiæ eruditio est. Et quidem valde necessarium ut admirantibus Joseph et Maria matre Jesu super his, quæ dicuntur de illo, adsit cum benedictione sua Simeon, quatenus multa et magna, quæ in hac admiratione habentur, bona, interna visitatio renovet B et foveat, atque a diminutione defendens in augmentum spirituale promoveat. Non solum autem, sed et renovando et fovendo atque adaugendo perficiat ea, confirmet, solidetque.

XV. Quod nimirum tunc facit, cum rationem erudit quam caute se debeat habere in sanctitatis proposito, quod et in affectu quidem concipit, et parit in effectu. Sanctitatem namque quam in agendo aggredi proponis, si humiliter exsequeris, in fructum tibi vertes spiritualem: si vero arroganter, in usum peccati. Fitque modo miserabili, ut unde ad culmen poteras erigi virtutis, inde in foveam cadas criminis. Et ideo necesse est, ut super hoc interna gratia rationem conveniat, et quatenus hæc mala præcaveat, C sæpissime sic evenire, eam edoceat. Ad quod pertinere videtur, quod dicit Simeon ad matrem Jesu Mariam: *Eum positum esse in ruinam, et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicitur* (*Luc.* II, 34). Si enim vir videns Deum dicitur Israel, nonne virilis animus, qui Deum per speculum in ænigmate videt (*I Cor.* XIII, 12), potest Israel appellari? Et multis in hoc Israel ponitur Jesus in resurrectionem et ruinam, quia multis in animo motibus occultis occasio est sanctitatis exercitium, et ut de bono ad deterius per elationem ruant, et ut de bono ad melius, et ut de meliore ad optimum. Non quasi quidem de valle ad planum, sed potius quasi de plano campi ad clivum collis, et de clivo collis ad summum montis per humilitatem surgant. D Quapropter cavete vobis, fratres, a peste superbiæ, a jactantiæ corruptione. Quam multos novimus, quibus plus nocuit quod virtutes habuerint quam si eis caruissent; nam illi quorum hæc vox est: *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hæc omnia* (*Deut.* XXXII, 27), dum putant quod habent non accepisse, et ideo quasi non acceperint gloriari, expediret eis magis eo, quod habent, caruisse (*I Cor.* IV, 7); scirent enim quid tunc saltem deesset sibi. Nunc autem cum se putant aliquid esse, cum nihil sint, ipsi se seducunt (*Gal.* VI, 3).

XVI. Cavete ergo vobis, qui præcipue habere videmini Jesum apud vos, ne eum habeatis ad ruinam. Quomodo, **164** dicitis, habetur Jesus ad ruinam? Quomodo bonum opus exercetur ad superbiam? nam

Digitized by Google

superbiam intellige ruinam: inanem vero exaltationem, occasionem et causam præcipitationis. Sic enim legitis : *Ante ruinam exaltatur cor* (*Prov.* XVI, 18). Nonne Jesum habuit, qui jejunavit bis in sabbato, decimas dedit omnium quæ possedit? Sed habuit ad ruinam, dum dixit quod non erat sicut cæteri hominum, velut etiam qui præsens aderat publicanus (*Luc.* XVIII, 11, 12, 13). Salubris proinde illa admonitio sapientis : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Eccle.* III, 10) : exhortantis nimirum in his verbis paucis, ut teneretur Jesus; non in ruinam sed in resurrectionem. Dicat itaque in vobis, Mariæ matri Jesu sanctus Simeon, quod ponitur in resurrectionem multorum in Israel. Hoc est, rationem vestram, quæ sanctitatis in vobis propositum et volendo concipit, et operando parturit, internæ gratiæ visitatio instruat, quod per eamdem sanctitatem, cum exercetur interni in animo motus quidam, de bono ad melius, per humilitatem consurgunt : quidam vero ad deterius per superbiam corruunt. Ponitur et in signum Jesu cui contradicitur : sed absit ut et vobis. Non enim de illis estis, qui omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus (*Matth.* XXIII, 5). Rectitudo itaque internæ intentionis signum est, in quod ponitur Jesus, quia hoc habemus signum quod fructuosum et salubre nobis est, bonum quod exercemus, si id ea intentione agimus, ut solius interni inspectoris oculis placeamus. Sicut enim qui opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, mercedem non habebunt apud Patrem suum in cœlis, ita nimirum solis illis visio Dei erit in retributionem, quibus amor ejus solius causa est in actione. Sed huic signo contradicitur a multis, qui gloriam et laudem expetunt ab hominibus, et gloriam quæ a solo Deo est non quærunt.

XVII. Subjungit post hæc idem Simeon : *Et tuam*, inquiens, *animam pertransibit gladius* (*Luc.* II, 35). Quia boni desiderii fervor, qui in sancto proposito habetur, ipsa perforat interiora rationis; nam gladius Jesu sancti desiderii acumen est, quod in sanctitatis proposito, per Jesum designato, habetur. Qui nimirum gladius bis acutus est, tam in cavendo scilicet quod malum est, quam in exercendo quod bonum est. Hic boni desiderii fervor qui in proposito sanctitatis inest, ad mala devitanda, et bona complenda, excitat : quod est gladium Jesu animam Mariæ pertransire. Quod cum sollicite fit, varii in intimis æstus renovantur, quod est ex multis cordibus revelari cogitationes. Sic autem quam sæpe nobiscum agi sentimus, ut videlicet cum aliquid ad sanctitatem pertinens aggredi proponimus; cum id quoque effectui mancipare ardenter desideramus, ipse in nobis rationis interiora penetret, ad quam spectat dona concipere, hæc et parturire; disponere et moderari acumen fervidi desiderii, motusque internos qui modis pluribus variari solent, et inde æstus et curæ, sollicitudines et providentiæ producuntur, ut quod audenter desideratur, devote perficiatur, et devote perfectum perseveranter teneatur.

A Maxime autem ut non intuitu humani favoris, sed causa solius internæ retributionis exerceatur.

XVIII. Et hoc totum quid aliud tibi esse videtur, quam gladium Jesu pertransire animam Mariæ : et ipso ejus animam pertranseunte, revelari ex multis cordibus cogitationes? Quod autem hæc eidem Mariæ manifestat Simeon, scilicet quod positus est Jesus in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicitur, quodque ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes; quod, inquam, hæc omnia Mariæ annuntiat Simeon, quid esse putamus, nisi ut breviter dicam, quod super his bonis internæ gratiæ visitatio, quam exprimit Simeon, rationem convenit, conveniens instruit, instruens certam facit? Ipsa B namque menti, quam sua præsentia judicat dignam, illam solet infundere actionem, *quæ docet*, juxta beati Joannis apostoli sententiam, *de omnibus* (*I Joan.* II, 27); mentem, cui infunditur illustrat ad cognitionem veritatis per intellectum. Quia vero unctio est (*ibid.*), illam emollit ad amorem virtutis per affectum. Et si quid de ea plenius et perfectius vultis agnoscere, ipsa est charitas Dei, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis : qui est cum Patre et Filio Deus benedictus in sæcula. Amen.

165 SERMO XXXIX

IN EADEM DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

C *De interna puritate mentis, quæ soli Deo offerenda est.*

1, Justus in principio sermonis accusator est sui. — 2. Solus justus Dominus Deus noster, a quo omnis justitia nostra. — 3. Ordo conveniens, primum facere, deinde docere. Submissio auctoris. — 4. Ejus prædicatio contemnitur, cujus vita despicitur. — 5. Anna, typus animæ devotæ; gratiam sonat : quæ primum sibi, deinde proximo prosit. — 6. Corporis naturalis et mystici analogia. Ut unus alteri in divisione gratiarum præpositus et suppositus. — 7. Quod solus quis accepit per donum, in commune referat per fructum. — 8. Nullum opus Deo placet, nisi quod propter se factum videt. Sollicitudo acceptæ gratiæ. — 9. Anima religiosa sit sibi provida, utilis proximo, pia Deo. Instar prophetes habeat oculos ante, et retro : ibi cernens præsentem infirmitatem, hic præteritam iniquitatem. — 10. Consideranda dignitas nostræ creationis, et pietas redemptionis. — 11. Pœnæ æternales inferni, et præmia cœlestis regni. In septem fortitudo providæ mentis. — 12. Phanuel, id est, facies Dei : quæ facies in Scripturis septupliciter accepta. — 13. Tribus Aser notat sortem electorum, quorum ætas est profectus virtutum. — 14. Spiritualis animæ torus, et viduitas. — 15. Numeri septenarii, denarii, binarii mysterium. — 16. Interioris gratiæ dispensatoria subtractio.

D I. *Et erat Anna prophetissa filia Phanuel, de tribu Aser* (*Luc.* II, 36). Scriptura dicit, quod *justus in principio accusator est sui* (*Prov.* XVIII, 17). Volui et ego in principio sermonis hujus accusare meipsum. Quia si id facit justus, quanto magis id me decet facere, qui non justus sed peccator sum? et cujus

Digitized by Google

momenti alicujus justitia esse valet, nisi eam vera propriæ accusationis humilitas commendet? Quis nostrum non modo justior, sed comparari ei in justitia potest, qui ait: *Quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ* (*Isa.* LXXIV, 6)? in quibus verbis ejus humillimis, et ideo sanctissimis evidenter, fratres mei, perpendit prudentia vestra, quanti erant pretii in oculis propriis justitiæ suæ (*Isa.* LXIV, 6): dum eas ei voluit rei comparare, quam non solum cernere oculus, sed et cogitare de ea abhorret animus. Accipite et alium propriæ justitiæ fiduciam non habentem. *Non*, inquit, *in justificationibus nostris, quas fecimus nos, prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis* (*Dan.* IX, 18). Sanctus Daniel hic erat. Discipulus quoque ille, quem diligebat Jesus: *Si dixerimus*, inquit, *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8). Sed stet jam in ore horum trium testium verbum hoc: cum sint alii innumeri, imo omnes, qui Deo in sanctitate placuerunt, qui singuli de meritorum qualitate diffidentes, fugerunt a facie gladii, scientes esse judicium, et fugerunt ad pietatem. Unde et uniuscujusque hæc vox est: *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII, 2).

II. Ille solus justus est, qui solus est *inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 5); quem alloquens sanctus David: *Justus es*, inquit, *Domine, et rectum judicium tuum* (*Psal.* CXVIII, 137). Et item: *Memorabor justitiæ tuæ solius* (*Psal.* LXX, 16). Quare justitiæ ejus solius, nisi quia veraciter ille solus est justus? De quo sanctus Jeremias: *Hoc est*, ait, *nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster* (*Jerem.* XXIII, 6). Sed in justitia sua justificat ipse plurimos, *et de plenitudine ejus nos omnes accepimus* (*Joan.* I, 16), ut unguentum capitis media barba descendat in oram vestimenti (*Psal.* CXXXII, 2). Quia *nemo potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi ipse qui solus est* (*Job* XIV, 4). Non ergo te putes nihil habere quod accuses, si quæras esse justus; sed tunc spera te posse justificari, cum diligens observator, et sollicitus perscrutator fueris scrupulose et curiose investigans, quid in te accusandum sit; et cum, quod tibi accusandum est apparuerit, accusare non dissimules. Scito, charissime, quod nulla potest major esse justitia tua, quam accusatio tua. Bene ergo dicitur quod justus accusator est sui. Quia hoc ipsum est justum esse, se ipsum accusare, qui nec justus esse valet, nisi se ipsum accuset.

III. Quem et ego, ut jam dixi, non quidem justus, sed peccator, imitari volo, quia et verba Evangelii, quæ modo tractanda suscepi, nonnullam mihi ad meipsum afferunt causam. Volens enim evangelista Lucas de hac muliere in subsequentibus dicere: quod *superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo, omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel* (*Luc.* II, 36, 37, 38): in præcedentibus ostendere curavit dignam fuisse, quæ Domino confiteretur, et ut loquenti de eo ab auditoribus non discrederetur: ait namque, *et erat prophetissa* **166** *filia Phanuel*. Et cætera usque ad eum locum, *qui exspectabant redemptionem Israel*. Videtis ergo quod primum eam magnis, multisque præconiis extollit, et deinde ad confitendum Domino, aliisque de eo loquendum, inducit. Primum namque virginem eam asserit viro nupsisse, annis quoque multis in viduitate permansisse, de templo non discessisse, Deo semper in oratione et jejunio servisse et tunc demum ad confitendum Domino, et loquendum de eo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel, supervenisse. Ad hoc autem illud arbitror pertinere, quod de Jesu dicitur; quia *cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I, 1). Et quod prophetæ dictus est *potens in opere et sermone* (*Luc.* XXIV, 19). Illud quoque quod ait Psalmista: *A mandatis tuis intellexi* (*Psal.* CXVIII, 104); sed et illud nihilominus quod de Esdra legimus, quia *præparavit cor suum, ut faceret et doceret in Israel præcepta et judicia* (*I Esdræ* 7, 10). Quæ omnia in accusatione et reprehensione mei dico, qui docere quidem videor, facere non invenior; sermonem proferre, non opus habere; intelligere autem, sed non a mandatis tuis, et cum per me alii videantur epulari, ego fame pereo. Et ad quid de singulis modo ad vos vitiis, et virtutibus loquor, asserens me nec illa vitare, nec has exercere? loquor, breviter dicam, de vitiis devitandis, vitiosus ego; de virtutibus exercendis, virtutibus vacuus: et ad instar hujus sanctæ mulieris loqui videor de Domino vobis, qui exspectatis redemptionem Israel. Sed nequaquam dici potest de me, quod non discedam de templo, jejuniis et orationibus vacans, die ac nocte, quæcunque illa sunt, quæ per hæc spiritualiter accipienda sunt.

IV. Hoc autem illis considerandum esset, qui me tam sæpe loqui compellunt, cum juxta viri sancti sententiam (cujus vita despicitur, dignus sit ut ejus prædicatio contemnatur, ipse etiam Dominus super hoc peccatorem verbo increpatorio apud Psalmistam legitur convenire (*Psal.* XLIX, 6): *Cur* videlicet ausus sit *enarrare justitiam suam, et assumere testamentum ejus per os suum: cum eum* constet illis reatibus implicari de quibus in sequentibus agit. Non ergo tantum in me foliorum (si vel hic tamen mihi inesset) venerari deberent decorem cum fructus videant non inesse saporem. Nam quid aliud est homo vacuus et inanis, verba quidem proferens, sed opera non exercens, nisi arbor sterilis folia habens, et fructu carens? (*Matth.* XXI, 19). Et scimus profecto quod Dominus ariditatis maledictione ficum percussit, apud quam esuriens fructum non invenit: cum tamen foliis non careret. Et quod exemplum quidem loquentibus, sed non facientibus magis formidolosum? prius ergo apud me opera quærere quam verba expetere deberent, juxta id quod sponsus alloquens sponsam, in Can-

Digitized by Google

ticis dicit : *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis* (*Cant.* II, 4). Prius ostendi sibi faciem, et sonare deinde in auribus suis voluit vocem, ut suavius postmodum locutio sua impleret auditum, cum prius actionis facies lætificasset aspectum. Videtis itaque prius sponsum a sponsa conversationem quærere ad exemplum, ut gratior postmodum apud eum prædicatio habeatur ad documentum ? Sed jam morali istorum, quæ de hac muliere dicunctur, expositioni intendamus, et quæ in ejus laudem dicuntur, in meam vituperationem assumantur : cujus mihi temere vindico, quam de Domino habuit, ad eos qui exspectabant redemptionem Israel, locutionem, dum ejus laudabilem non habeo conversationem.

V. *Erat*, inquit evangelista, *Anna prophetissa filia Phanuel.* Salvo quocunque sensu allegorico, juxta quem hæc mulier ad sanctam electorum Ecclesiam non dubitatur pertinere, mihi videtur quod anima devota, quæ in vacuum gratiam Dei non recipit (*II Cor.* VI, 1), et quæ vacua in ea non est ; et quæ videt juxta admonitionem Pauli, quomodo caute ambulet (*Ephes.* V, 15), non quasi insipiens, sed ut sapiens, tempus redimens, pro eo quod dies mali sint : talis, inquam, anima videtur mihi quod Anna prophetissa sit. Et sic quidem dant mihi sentire homina hæc, quia et Anna ut dicunt, gratiam sonat, et qui hodie dicitur propheta, olim vocabatur *videns* (*I Reg.* IX, 9). Porro triplici tibi sollicitudine opus est, ne in vacuum gratiam Dei recipias. Ut cures videlicet sollicite donum gratiæ, quod accepisti ; et ad propriam utilitatem retorquere, et in proximo, cum indiguerit, communicare : et in utroque Largitoris tui laudem et gloriam quæritare. Nam si gratiæ donum habes, et tibi non habes, luminare es lucens quidem, sed non tibi. Et quid tenebris prodest si lux lucet in eis : et tenebræ eam non comprehendant ? (*Joan.* I, 5.) Tales profecto sunt, qui *sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt* (*Jerem.* IV, 22). Sunt et illi qui seminant multum, et inferunt parum : comedunt, et non sunt satiati ; bibunt, et non inebriati ; operiunt se, et non sunt **167** calefacti : mercedes congregant, et mittunt eas in sacculum pertusum (*Agg.* I, 6). Ideo curavit Apostolus dilectum admonere discipulum, ut gratiam, quæ in eo erat, resuscitaret : ne datam negligeret : dicens et de se ipso, nolle se abjicere eam (*Gal.* II, 21).

VI. Videtis ergo quod magis expediret gratia carere, quam eam inutiliter habere. Et quid de eo dices, qui quod solus accepisse videtur, solus avare habere conatur : quod suum est quærens, non quod alterius ? nescio quo pacto, qui hujusmodi est, communionem sibi vindicare præsumit sub capite Christo in corpore ejus, quod est Ecclesia cum singula illius corporis pro invicem, sollicita sint membra : ut si quid patitur unum, compatiantur et reliqua. Num in corpore nostro soli, qui vident, oculi, ibi soli vident ? aures, quæ solæ audiunt, audiuntne sibi solis ? et sibi solis ambulant pedes, qui soli quidem ambulant ? nequaquam, sed toti corpori. Singula namque corporis nostri membra, quod proprium habent, ad utilitatem referunt communem : et quod habent, sic proprium habent, ut sit et commune. Proprium quidem ad officium, commune autem ad commodum. Dictante una eademque insolubili charitate, qua invicem pro invicem sollicita sint singula. Nonne singuli vos, quod est sacer conventus iste, corporis Christi singula membra estis ? Pauli sententia hæc est : *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita et multi unum corpus sumus in Christo* (*Rom.* XII, 5). Et adjunxit : *Singuli autem alter alterius membra.* Sicut ergo videtis in corpore nostro, quia non unius ejusdem singula esse membra possunt vel officii vel actionis, ita nec vos singuli, qui hujus corporis (quod est canonica congregatio ista) estis membra : unius ejusdemque valetis esse exercitii vel perfectionis. Nam alius fortassis inter vos est alio corporis viribus valentior, alius in cautela prudentiæ callidior, alius sensus sagacitate perspicacior, alius virtute animi fortior, alius in deprehendendis sæculi hujus versutiis astutior, alius in cognitione exteriorum peritior, alius in sententiis Scripturarum eruditior, alius in cantando gratior, alius in legendo aptior, alius in sentiendo profundior, alius proferendo nitidior, alius in abstinendo rigidior, alius in vigilando sollicitior, alius in orando devotior, alius in contemplando purior, alius in opere manuum robustior. Nullusque inter vos, quem non in aliquo alteri ille idem Spiritus, cujus sunt divisiones gratiarum, præponit (*I Cor.* XII, 11) quem item in aliquo alteri non supponit, operante hæc omnia uno eodemque Spiritu et dividente singulis vestrum prout vult. Ut quid, fratres, bonorum ille omnium largitor cum tanta reverentia disponit vos, alterum in vobis ditans, quo alterum egere permittit : istum adimplens, quo alterum esse vacuum sinit ? nisi ut unusquisque, quid sibi desit agnoscens, altero se indigere sciat, et offerendo charitative quod habet, et imitando humiliter quod non habet, sumat psalmum et det tympanum (*Psal.* LXXX, 3) : pennas, inter vos, animalibus percutientibus altera ad alteram (*Ezech.* III, 13).

VII. Quæ cum ita sint, absit semel, et iterum absit, ut sit aliquis inter vos, qui solus habere conetur, etiam quod solus habere videtur ; sed magis quidquid solus accipit per donum, in commune referat per fructum. His, qui eo abundantius forte habent, non invideat ; eos etiam qui minus habent, non contemnat. Dictante tam humili charitate, quam charitativa humilitate, quod habet, non habentibus pie impendat : quod non habet, ab habentibus sollicite expetat, ut dum tanta, talisque singulos vestrum sollicitudo ad invicem fecerit attentos, et in una pace concorditer ambuletis, et ad unam requiem feliciter pertingatis. *Habentes* ergo

Digitized by Google

donationes, secundum gratiam, quæ data est vobis, A *differentes* (*Rom.* XII, 5) : sive has videlicet, sive illas, quibus inter vos alter sublimiter pollet, alter vero humiliter caret : *Per charitatem Spiritus servite invicem, superiores vos invicem arbitrantes : non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum* (*Phil.* II, 3). Unusquisque autem, sicut apostolorum ille primus hortatur : *Sicut accepit gratiam in alterutrum administrantes illam, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus* (*I Petr.* IV, 10, 11). Hæc autem tunc facitis, si charitas fraternitatis manet in vobis ; si beneficentiæ et communionis non obliviscimini (*Hebr.* XIII, 16) ; si nemo vestrum quod suum est quærit, sed quod alterius ; si *firmiores* inter vos parati sint *imbecillitates infirmorum sustinere, et non* sibi *placere* (*Rom.* XV, 1), si denique unusquisque vestrum sine offensione se exhibet omni Ecclesiæ Dei : per omnia omnibus placens, non quærens quod sibi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant (*I Cor.* X, 32, 33). Et hæc omnia ad id pertinent, quod diximus, debere nos, **168** quod accepimus proximis, prout indiguerit, communicare : ne in vacuum nos gratiam recipere contingat ; sed oportet summopere, ut his omnibus gloriam quæramus, et honorem illius Patris luminum : *A quo* (teste apostolo Jacobo) *omne datum optimum, et omne donum perfectum procedit* (*Jac.* I, 17). Nam gratiam perdit, qui eam ad dantis gloriam non C expendit, et se indignum penitus ostendit, qui in ejus executione quidquam aliud quærit, quam ipsum solum, qui eam concedit.

VIII. Cavete ergo vobis, charissimi, nesciat sinistra vestra quid faciat dextra (*Matth.* VI, 3) ; quia, ut breviter et veraciter dicam : nihil aliud Deus renumerare habet, quam quod propter se factum videt. O raptor occultus, o latrunculus latens, appetitus humani favoris ! videtis jam quam necessarium est ut fiat sicut legitis in Ezechiele, *fossa in altari* (*Ezech.* XLIII, 13). Humilitas videlicet bono adsit operi, ne forte quod per exercitium sanctitatis in ara offertur devotionis, auferat atque omnino dispergat et annihilet ventus elationis. Habete itaque oculum apud vos simplicem, ut et corpus sit lu- D cidum (*Matth.* VI, 22), rectam scilicet intentionem, ut et Deo sit opus acceptum. Teneat ergo animam devotam in acceptione gratiæ hæc sollicitudo triplex : ut ejus quod accepit donum, et ad utilitatem suam retorqueat, et proximo si indiguerit, communicet, et in utroque largitoris sui laudem et gloriam quærat. Ideo ad propriam illud utilitatem retorqueat : quia *maledictus qui partem suam facit deteriorem* (*Prov.* III, 7). Ideo id proximo communicet, quia *si sapiens fueris, non tibi soli eris,* sed et proximo tuo. Ideo datoris gloriam quærat, *quoniam dissipat Deus ossa eorum, qui hominibus placent. Confusi sunt quoniam Deus sprevit eos* (*Psal.* LII, 9).

IX. Jam huic animæ nomen, quod est Anna, quæ et gratiam sonat, poterit non incongrue adaptari cum in dispensando, quam accepit, multiformem gratiam Dei, cum metu et tremore, suam ipsius salutem operatur (*Phil.* II, 12), necessitati proximi et ubique hilariter prompta occurrit, et in omnibus pro posse efficaciter succurrit, ipsum etiam gratiæ, quam exercet, largitorem, in omnibus motibus suis tam occultis quam apertis, et expedit testem, et exspectat remuneratorem. Hæc, inquam, anima Anna vocari potest. Hæc in vacuum gratiam Dei non recipit, cauta sibi : utilis proximo, pia Deo. Cauta sibi per sanctitatem religiosæ conversationis, utilis proximo per operationem fraternæ charitatis, pia Deo, per rectitudinem internæ B intentionis. Sit etiam prophetissa anima hæc ; videat scilicet transacta, videat et ventura, habens oculos ante et retro. Conspiciat mala sua præterita, quæ a se olim commissa erant, ut cumpungatur ad dolorem : conspiciat et futura, quæ tentando instant, ut concutiatur ad timorem. Sicque duplex ei in hac gemina visione proveniet utilitas : ut ablata omni securitate noxia, quæ mater est et nutrix vitiorum, noverca autem et evacuatrix virtutum, concussa et humiliata, et ibi districtum suum formidet Judicem, et hic sollicitum suum revereatur custodem, ne forte videlicet, vel ipse iniquam, et peccatricem morti addicat, vel iste infirmam, debilemque labi permittat. Retorqueat oculos retro ad statum illum miserabilem, in quo prostrata quondam jacuit, eumque damnatione dignissimum esse agnoscat : convertat eos ad hunc in quo utcunque stare videtur, et evidenter sciat, quia prope est casus si se continens, vel ad momentum subtraxerit manus. Ibi videat iniquitatem pro qua doleat, hic autem pro qua timeat, infirmitatem. Hic itaque geminus prophetissæ nostræ status ei consideranti occurrit, illisque oculis, quos retro habet, eum videt statum, qui transactus est, illis vero, quos ante eum, qui modo præsens est.

X. Sunt adhuc quædam alia, quæ videt retro : alia etiam quæ videt ante : sed longe tam hæc, quam illa sunt. Si autem scire desideratis quæ sunt illa, quæ retro sunt, ipsa sunt dignitas nostræ redemptionis [*al.* creationis et pietas]. Illa consideratio admirationem excitat propter sublimitatem : hæc vero ad dilectionem, propter pietatem. Plenum namque omni stupore videre hominem ad imaginem creatum, et similitudinem Dei ; nec minus plenum dilectione Deum aspicere in homine, apparere pro homine, tantaque ac alia pro homine perferre ab homine. Videt hæc prophetissa nostra, ut de facilitate suæ creationis ad præsens taceamus, Deum pro se incarnatum, natum, pannis involutum, in præsepio positum, lacte humano pastum, circumcisum, oblatum, parentibus suis subditum, baptizatum, esurientem, tentatum, a pravis hominibus dehonestatum : in factis sustinentem observatores, in dictis contradictores ; ad lapidandum quæ-

Digitized by Google

situm, ad præcipitandum adductum, dicentem salubria, tacentem ad opprobria, facientem mira, perferentem **169** dura, nec modo dura, sed indigna, videt eum pedes discipulorum lavantem, in agonia prolixius orantem, sudorem sanguineum emittentem, cum gladiis et fustibus captum, ligatum, judicatum, damnatum, velatum, colaphizatum, alapas passum, plagis lividum, sputis illitum, chlamyde coccinea indutum, spinis coronatum, in derisum adoratum, crucifixum, aceto potatum, lancea vulneratum, pro crucifixoribus suis orantem, spiritum emittentem. Videt eum mortuum, sepultum, resurgentem, ascendentem, ad dextram Dei Patris sedentem, in novissimo die venturum, vivos ac mortuos judicaturum, et in æternum in electis suis regnaturum. Hæc autem, aliaque in hunc modum, tam ad sublimitatem creationis, quam pietatem redemptionis pertinentia; illis, quos retro habet, oculis prophetissa nostra intuetur quæ quidem transacta sunt, quantum ad actum, in æternum vero permansura, quantum ad fructum.

XI. Si vero ea vis cognoscere, quæ ante sunt, accipe calamitatem pœnæ infernalis, et felicitatem patriæ cœlestis: illa videntem deterret: hæc autem demulcet; horrori namque aspicienti est illam videre *terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* (*Job* x, 21, 22). Timor quoque et tremor veniunt super te, cum egrederis per cognitionem videre cadavera qui in Dominum prævaricati sunt, vides namque quod eos et vermis corrodit, et ignis exurit, et uterque etiam æternus existit: quia et iste inextinguibilis, et ille dicitur immortalis (*Isa.* LXVI, 24). Sed sicut hæc aspicere horribile est, sic et ei dulce admodum videre *civitatem illam Jerusalem descendentem de cœlo a Deo novam... habentem claritatem Dei, cujus lumen simile lapidi pretioso* (*Apoc.* XXI, 2), *cujus plateæ sternuntur auro mundo, per cujus vicos alleluia* cantatur (*Tob.* XIII, 21, 22). Utrumque ergo hoc, tam supplicium videlicet infernale, quam gaudium cœleste, ante est: et sicut illud videre, terroris seminarium, sic et hoc amoris est incentivum. Videt itaque prophetissa hæc retro quædam, dignitatem creationis, pietatem redemptionis, acerbitatem passionis. Primum videnti ei ingerit stuporem: secundum amorem, tertium vero pudorem. Videt longe ante se æternum supplicium, et supernum gaudium; illud consideratum terrorem, hoc autem desiderium format. His quinque junge sextum illud, quod apud se in præsenti habet, considerationem videlicet propriæ infirmitatis, quam quo plenius mens intuetur, eo et magis timere compellitur. Sed cum his omnibus necesse est, ut quoddam septimum habeatur, ipsum autem est præsumptio sanctæ spei, cujus oportet ut læta certitudo, et certa lætitia horum omnium considerationem in mente comitetur, sine qua et tristia hæc prædicta in mente revolvere, nimis ponderosum: et læta nihilominus non satis lætum est (*Judic.* XVI, 19). Et videte, ne forte hi sint septem crines fortissimi Samson, quos nimirum quandiu habuit, vinci ab hostibus non potuit, quos quidem statim ubi amisit, ipsis jam ludibrio fuit, quibus antea fuerat terrori. Ecce Anna nostra, prophetissa nostra, quæ et filia Phanuel ea de causa, ut arbitror, quia illum Patrem habet, qui teste Apostolo, *voluntarie genuit nos verbo veritatis suæ, ut simus initium aliquod creaturæ ejus* (*Jac.* I, 18).

XII. Dicunt enim, qui interpretationes norunt nominum Hebraicorum, quod Phanuel sonat *faciem Dei*. Et quidem si curiositate diligenti et diligentia curiosa, per Scripturæ sacræ latitudinem discurritis, invenietis in ea faciem Dei, diversas habere significationes. Nam faciem Dei, ipsum Patrem, Dominus in Evangelio appellat, ubi dicit quod *angeli eorum*, haud dubium pusillorum, *semper vident faciem Patris qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII, 10). Neque enim hoc loco aliud Pater, aliud facies ejus. Quid vero aliud facies Dei designet, non multo longius quæras quam apud Psalmistam; ipse enim faciem Dei modo ipsum Filium appellat, modo præsentiam ejus, modo notitiam, modo benevolentiam, modo scientiam ejus vocat. Dicit quoque de prima significatione ejus sic: *Usquequo avertis faciem tuam a me?* (*Psal.* XII, 2.) id est, quandiu differs mittere Christum tuum quem missurus es? dicit et de secunda: *Ne avertas faciem tuam a me* (*Ibid.* XXVI, 9); id est, non deneges mihi in futuro præsentiam tuam. Dicit nihilominus et de tertia, *quærite faciem ejus semper* (*Ibid.* CIV, 4); hoc est: desiderate omni tempore pertingere ad ejus notitiam. De quarta quoque: *Ne projicias me a facie tua* (*Psal.* L, 13); id est, ne sinas me ejici a tua benevolentia. Sed et de quinta: *Avertit*, inquit, *faciem suam, ne videat in finem* (*Psal.* X, 11): pro eo quod solent dicere impii, Deum non habere scientiam qua possit scire mala eorum. Sanctus quoque Habacuc, protectionem Dei, faciem vocat ejus; ubi dicit, quod *ante faciem ejus ibit mors* (*Habac.* III, 5). Quia ubi Deus protegit, ibi diabolus prævalere non potest. Job vero animadversionem **170** Dei faciem ejus accipit dicens: *Tum a facie tua non abscondar* (*Job* XIII, 20). Hoc est dicere: si talis fuero, Dei animadversionem non timebo. Has itaque, et nonnullas alias fortassis in hunc modum invenietis, in Scriptura sacra, faciem Dei habere significationes, si studiose volueritis perscrutari. His ergo diligenter consideratis, puto quod me et jam tacente, aperte jam intelligitis qua de causa, filia faciei Dei, hæc, de qua agimus, mulier dicatur; quod absque dubio sonat Phanuel.

XIII. Quæ et asseritur esse de tribu Aser, pro eo quod per electionem gratiæ, salvata ad sortem electorum, et ad cœlestem pertinet felicitatem: quod dicunt exprimere hoc nomen quod est Aser. Ad illorum namque collegium pertinet, *quos elegit Deus in Christo, ante mundi constitutionem, ut es-*

Digitized by Google

sent sancti et immaculati, in conspectu Dei, in charitate (*Ephes.* I, 4), præsciens eos et prædestinans, vocans et justificans, et in fine magnificans. Vocans, dico, per fidem rectam, justificans per conversationem sanctam, magnificans per beatitudinem sempiternam Sed qui jam de mulieris hujus nomine et officio audistis, de patre quoque et stirpe: tempus est ut de ejus ætate requiratis. Subjungit post hæc evangelista: *Hæc processerat in diebus multis* (*Luc.* II, 6): dies multi virtutes multæ. In tot enim diebus profecisti, in quot te virtutibus exercuisti [*al.* excrevisti vel te exercuisti]. Hi erant dies sancti David, in quibus asserit se velle orare Deum, ubi dicit: *Et in diebus meis invocabo* (*Psal.* CXIV, 2). Sciebat enim, quod *qui avertit aurem suam, ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.* Hi dies, quibus quondam pleni patres nostri leguntur, de quibus habemus quod *mortui sunt senes, et pleni dierum* (*Prov.* XXVIII, 9). Quod recte intelligis, si eos agnoscis de hac vita cum maturitate morum, et plenitudine virtutum discessisse (*Gen.* XXXV, 29). In multis itaque diebus hæc mulier processit; quia in conversatione sancta multimodam sibi virtutum spiritualium charitatem aggregavit.

XIV. *Et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor* (*Luc.* II, 37). Plura, quæ dicenda erant, præterimus, quia ad alia tendimus, in quibus aliquandiu proponimus immorari. Non enim poterimus tam festinanter transcurrere, cum eo loci venerimus, ubi invenitur hæc mulier non discessisse de templo, jejuniis et obsecrationibus vacans die ac nocte. Hoc autem in isto loco videtis, quia breve admodum fuit tempus, quo cum viro suo degait, respectu illius quo in viduitate permansit. Et quid hoc esse putamus nisi quod modicum spirituali ac internæ illi Annæ, animam devotam et piam loquor, modicum, inquam, ei videtur, quando in præsentia viri sui legitimi more amantis sponsæ et sponsum amplexantis, et in ejus vicissim amplexibus suavissimis jucundantis gratulabunda tripudiat: et nequaquam modicum, quando, eo subtracto, ad instar viduæ castæ amantis, in ejus absentia gemit? Præsentia namque illius dulcedinem conferens, tædium tollit; absentia vero amaritudinem ingerens, fastidium immittit. Unde fit ut modicum videatur huic Annæ nostræ, quod cum viro suo vivit; multum vero, quia ejus viduata præsentia, ipso absente, suspirat, et gemit. Vos, qui spirituales estis, in sancto collegio isto, frequenter experimini, quod dico.

XV. Septem annorum spatio legitur vixisse cum viro suo, octoginta vero quatuor in viduitate permansisse (*ibid.*). Et, ni fallor, nihil istorum vacat, sed nobis ad ea introspicienda non vacat. Attamen, ut ea magis superficie tenus attingamus, quam medullitus perscrutemur, possumus ex annorum istorum numero conjicere quod internæ jucunditatis gaudium, quo nostra in præsentia viri sui Anna perfruitur, virtuosam ei spiritualis unitatis confert stabilitatem; quam pius apud se totis solet viribus animus retentare, si eum tamen ex toto Dominus possidet: sicut de Elcana patre Samuelis, legimus, quia fuit vir unus, cujus nomen *Dei* sonat *possessionem.* Quæ nimirum unitas nullatenus in mente habetur, nisi eam septiformis ei gratia Spiritus conferre dignetur: quia et monas septies ducitur. Et si hunc sensnm acceptatis, intelligite ad eum pertinere, quem apud Isaiam legitis: *apprehensuras septem mulieres virum unum* (*Isai.* IV, 1), quia nimirum virilis hæc unitas a septem mulieribus apprehenditur, ut a Spiritu septiformi nostræ Annæ ipsa tribuatur, quæ anno uno septies multiplicato cum viro suo fuisse narratur. Quæ etiam octoginta quatuor in viduitate sua permanet annis; quia pudicum et fervens, quo in absentia viri sui succenditur desiderium, tam Decalogi, quam geminæ dilectionis ei confert, in sancta conversatione observationem; per ejus tamen Spiritus septiformis infusionem. Si enim denarium septies ducis, ad septuaginta pertingis; si binarium septies similiter multiplicatum superaddis, ad octoginta quatuor transcendis; quem numerum viduitatis ejus annos **171** continere legis. Sicut ergo septenarius Spiritum septiformem, sic et denarius exprimere in Scriptura sacra solet Decalogum; sic nihilominus binarius, duplex charitatis præceptum.

XVI. Bene itaque et congrue hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor in viduitate permansisse legitur: quia et si subtrahere se videatur ipse Spiritus ad tempus, quantum ad jucunditatem, non se tamen omnino subtrahit, quantum ad utilitatem: tenens et exercens apud Annam, etiam cum vidua est, per gratiam suam, juxta nominis hujus expressionem, septiformem, et denarium legis, et binarium charitatis. Nonne viro suo Anna viduatur, cum anima fidelis, virtute, qua nitebatur, subtracta, ad tempus destituitur? quod quidem magis dispensatorie, sicut proprio sæpe addiscimus experimento, quam demeritorie fit. Unde sanctus David se nequaquam petit a Domino non derelinqui; sed *non me*, inquit, *derelinquas usquequaque* (*Psal.* CXVIII, 8): sciens nimirum in infirmitate perfici virtutem (*II Cor.* XII, 9). Manet itaque Spiritus cum anima, in observatione legis et dilectionis ad sanctam actionem ejus, cum ad tempus se virtus subtrahit, cui innititur, et ad fortitudinem tantum non ea fruitur ad jucunditatem. Est enim unus idemque Spiritus stabilis, et mobilis, deserens et tenens, recedens et manens: dicente Scriptura veraci de eisdem sanctis animalibus, quod *ibant et revertebantur: et quod non revertebantur cum ambularent* (*Ezech.* I, 14, 17). Videtis ergo quid sibi vult, quod hæc mulier, et annis septem vixit cum viro suo, et usque ad octoginta quatuor vidua permansit. Quid autem sit, quod a virginitate sua septem cum viro suo degait annis, et quod de templo non discessit, in sermone vobis declarabimus subsequenti; prout inspirare nobis

Digitized by Google

dignabitur, sine quo nihil possumus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XL

IN EADEM DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI,

De exercitio religiosæ conversationis.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Ordo et enarratio materiæ. — 2. Per virginitatem sterilitas animæ mysticæ designatur, Annæ viduæ ex Evangelio virtutes. — 3. Quodnam templum, a quo non discedatur. Octuplex templi in Scripturis acceptio. — 4. Primum templum est Christi Domini corpus, cui jugi cogitatione et fiducia immorandum. Incruenti sacrificii missæ efficacia et commendatio. — 5. In Christo possidemus, quod non habemus ex nobis. Cujus salubris est incruenta oblatio. — 6. Concupiscentiæ carnalis præsentissimum remedium est corpus Christi; cujus respectu exaudimur a Deo Patre. — 7. Secundum templum est virgo Maria, cujus est singulare encomium et patrocinium. — 8. Tertium templum est unitas Ecclesiæ extra quam non est salus. — 9. Quartum, est vivorum sanctorum cœtus, a quorum imitatione non discedas. — 10. Quintum, est corpus nostrum, quod sanctificandum est. — 11. Sextum, est anima nostra: cui sanctificandæ facit desiderium veniæ, gratiæ, gloriæ, et virtutum exercitium. — 12. Septimum, capacitas est intellectus creati; Octavum, patria cœlestis. — 13. Ut hæc octo templa animæ devotæ inhabitandæ sunt. — 14. Prolixior alibi confessionis tractatio. — 15. Confessio alia laudis divinæ, alia in sui ipsius accusatione. — 16. Lex Domini, antonomastice est ipsa charitas. — 17. Qualem se Christus manifestabit nobis.

I. Sancta hæc mulier, de qua multa jam, in sermone præcedenti, diximus, vixisse asseritur cum viro suo annis septem a virginitate sua (*Luc.* II, 36). Quid autem ipsa designet, quidve sit ipsam Annam vocari, quidve prophetissam esse, quid etiam annis septem cum viro suo vixisse: quid autem usque ad annos octoginta quatuor in viduitate mansisse; quid denique, quod pene modo omiseram filiam dici Phanuel, et esse de tribu Aser, et in diebus multis processisse; in eo, qui hunc proxime præcessit, sermone, prout tunc occurrere potuit, ostendimus vobis. Quid vero visum sit nobis debere accipi, quod a virginitate sua tot annis cum viro suo vixerit, quid etiam quod de templo non discesserit, jejunando et orando serviens nocte et die, in istum distulimus, quem modo in manibus habemus. Et jam quidem tempus est, ut quod tunc promisimus, pro posse, modo solvere aggrediamur. Quid ergo per hoc putamus nobis posse innui, quod annis septem vixit cum viro suo a virginitate sua, nisi hoc quod quotidie videmus; quia priusquam huic internæ virtuti in stabili puritate, vocante Spiritu septiformi, anima conjungatur, otiositate sterili, et sterilitate **172** otiosa marcet? Virginitas namque sicut magna munditia et puritas est, in hac mortali carne, sic et sterilitatem animæ potest designare.

II. Nonne huic adaptari sensui potest, quod in veraci illa historia legimus, in qua invenimus quod, cum esset immolanda filia Jephte, virginitatem suam deflevit? (*Ephe.* VI, 17.) Quod quid est aliud nisi quod anima cum gladio spiritus, quod est verbum Dei, mortificanda et offerenda est, de antehabita debet sterilitate pœnitere: pro eo quod juxta hunc sensum, nonnihil quod probabile non est, habet virginitas innuere, ipsa quodammodo lex mulierem sub jugo maledictionis sterilem pressit. Quia duo manent pericula arborem infructuosam, securis incidens, et ignis exurens: sententia videlicet mortis vitam auferens, et damnatio in æternum affligens. Sed quæ ab hac virginitate sua septem annis vixit cum viro suo, quæ et vidua erat usque ad annos octoginta quatuor, tam devote fructui, deposita sterilitate, intendit spirituali; tam sollicite actioni abjecta otiositate, insistit probabili, ut dicat de ea Scriptura, quod *erat orationibus et jejuniis serviens die ac nocte* (*Luc.* II, 37). In quibus nimirum verbis, paucis quidem numero, sensu autem profundis, vestra deprehendere diligentia valet, quod perseveranter puritati tam mentis, quam corporis intendebat: siquidem per jejunia mortificatio accipitur carnis, per obsecrationes vero devotio mentis. Per hoc autem, quod his tam die quam nocte intendit, jugis intelligitur perseverantia, quam in bono opere exercuit. Nocte ac die obsecrationibus ac jejuniis vacabat: ut Annam, mi frater, tuam, ab his, quæ ad sanctificationem mentis tuæ et corporis pertinent, nec prosperitas retrahat dissolutam, nec adversitas turbatam. Retrahitur autem ab his, non solum cum appetit malum, sed et cum deserit bonum; cum tentatur videlicet aj concupiscentia abstracta et illecta (*Jac.* I, 14): abstracta a bono, et illecta ad malum: ab illo abstrahit illam claritas prosperitatis, ad hoc vero eam illicit obscuritas adversitatis.

III. Sed quid est quod asseritur non discessisse a templo? Sic enim se habet ipsa series verborum præcedentium. *Quæ non discedebat*, ait Scriptura, *de templo jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte.* Quod est hoc templum, de quo non discedebat? Ego puto multipliciter nos accipere posse templum. Nam curramus ad Scripturam sacram sicut solemus, quoties necesse habemus, et inveniemus modo corpus Christi appellare templum, modo virginem Mariam, modo sanctam Ecclesiam, modo etiam, qui in ea sunt, viros sanctos, modo corpus nostrum, modo mentem nostram, modo quoque capacitatem angelici et humani intellectus, modo denique ipsam, ad quam suspiramus, patriam cœlestem et puto quod congrua præ manibus erunt exempla. De primo namque habemus Dominum in Evangelio dicentem: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*, id (*Joan.* II, 19) est, occidite corpus meum, et in die tertia resuscitabo illud. De secundo sanctus David in psalmis: *Dominus in templo sancto suo* (*Psal.* X, 5): Christus videlicet conceptus in virginis utero. Sed et idem de tertio ait: *Et in templo ejus omnes dicent gloriam* (*Psal.* XXVIII, 9): quia electi in ecclesia confitentur fidem veram. De quarto Apostolus Paulus: *Templum*, inquit, *Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III, 17): ipsos nimirum sanctos, qui in

Digitized by Google

Ecclesia erant, alloquebatur. De quinto idem Paulus: *Nescitis*, inquit, *quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti?* (*I Cor.* VI, 19.) Quia nimirum in cordibus mundis habitat Spiritus sanctus. Idem etiam dicit de sexto: *Si quis templum Dei violaverit*: quod sequitur, avertat Deus a vobis, sequitur enim: *disperdet illum Deus* (*I Cor.* III, 17): hoc est, si quis mentem suam, in qua Deus habitare debet, inquinaverit. Habetis de septimo loquentem Isaiam, ubi dicit: quod *ea quæ sub ipso erant, replebant templum* (*Isa.* VIII). Haud dubium quin sub ipso, quem vidit sedentem super solium excelsum, et elevatum. Quæ sunt, quæ sub ipso erant, nisi omnes creaturæ, quæ in eo quod creaturæ sunt, ejus respectu longe in imo, et eo longe inferiores sunt? de quibus dicit propheta, quod *replebant templum*: quia ipsa etiam admirabilia creaturarum Dei, sensus angelicus et humanus admiratur. Templum autem octavum, quære apud psalmistam, qui ait (*Psal.* LXIV, 5), quod *replebuntur in bonis domus tuæ*, ipsum Deum alloquens. Et adjunxit: *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* Ac si diceret, implebimur gaudiis cœli, ubi habitatio tua omni sanctitate splendet; nec in ea pravitatis alicujus tortitudo apparet.

IV. En octo modis templum vobis ostendi: nec dubito, quin concedatis bonum esse vobis, ut in unoquoque mente **173** immoremini, et a nullo cogitatione et desiderio discedatis. Nam in templo illo, quod Christi esse corpus diximus, mente immorari sicut pium ad devotionem, sic et fructuosum quantum ad utilitatem: plenum siquidem omni pietate est, humanum in verbo cernere corpus: et in divinitate carnem, hominem in Deo. Sed nec minore id pietate plenum. Quid enim in tantum corporis nostri peccata, vel ne committantur obsistit, vel jam commissa diluit, quantum assidua et pura meditatio corporis Christi? Nam, sicut culpat caro sic et purgat caro: et corpus nostrum pollutum emundat et sanctificat natum de Virgine corpus: non quidem jam sanctificatum quasi aliquando esset non sanctum, vel sanctificandum, quasi necdum sanctum; sed semper sanctum ex æquo fuit, ut unum idemque ei fuerit, et corpus esse, et sanctum esse. Dico vobis amicis meis, solida mihi est spes, et fiducia firma; quod peccatorum quæ in corpore gessi, et per corpus contraxi, consequor veniam per oblationem immaculati corporis Agni, qui tollit peccata mundi. Quam nimirum mihi spem et confidentiam illa beati Joannis sententia confert, quæ talis est: *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (*I Joan.* II, 1). Sed et illa nihilominus coapostoli ejus Pauli, quæ similis est huic: *qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis* (*Rom.* VIII, 34): nam quid est eum pro nobis interpellare, nisi nostram in se naturam assumptam habere? Non potest nisi misereri nostri Pater, quibus Unigenitum suum etsi dissimilem in culpa, similem tamen adspicit in natura. Clamat sanguis ejus de terra melius quam Abel (*Hebr.* XII, 24): et pro eis clamat, pro quibus se effundi permisit. Audit Pater sanguinem filii clamantem, audit et interpellantem Filium: audit, inquam, et exaudit.

V. Quid enim si immundum et pollutum est corpus quod gesto? sed est sanctum per omnia et purum, quod in Christo possideo. In omni quod in me vel minus boni, vel magis reperio mali, recurro ad vivificum corpus Jesu mei: inter Patris æquitatem, et meam iniquitatem, clypeum faciens illius sanctitatem. Quid enim si in corpore meo et visum polluit curiositas, et auditum inanitas, et olfactum voluptas, et gustum edacitas, et tactum impuritas: non nimis turbatus ero, non pusillanimis nimis: scio enim quid faciam. Ibo mihi ad purissimum corpus Domini mei, in quo nullum malorum horum est: Illud in ejus judicio tenens pro clypeo, quod in meo est malum per illud diluens, quod in illo est bonum mihi vindicans. Sic etiam non eum jam timebo ut judicem, sed amabo ut fratrem; frater enim et caro mea est: nec coram judicante pavidus, sed coram Advocato ero securus: qui mihi apud Patrem advocatus est, et propitiatio pro peccatis meis. Et quare non tam propitiator quam propitiatio dictus est, nisi ideo, ut non diffidam illarum me culparum consequi remissionem, pro quibus sanctum ejus corpus intueor esse oblationem? ut quid enim nec baptismum, nec manuum impositionem, nec cætera pene omnia sacramenta, in quibus sanctificatio nostra consistit, cum iterari ecclesiastica non permittit consuetudo: oblationem hostiæ salutaris sæpe celebrare præceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati solemus; nisi ut qui sæpe peccando morimur; revocata ad memoriam in sacramento sancta Redemptoris nostri morte, vivificemur; et eum frequentatione mysterii crescat nostræ salutis effectus? Quia ergo sæpe in corpore labimur, necesse est, ut per illud sæpe corpus vivificemur et resurgamus: et sordem, quam frequenter contrahit caro, diluat, et abstergat omni sorde carens illa caro. Itaque, si te vides sordibus intinctum, et abominari te vestimenta tua, vade ad sacerdotem magnum Jesum sordidis vestibus indutum (*Zach.* III, 3), et agnosce ipsum esse, de quo Apostolus dicit: eum, *qui non novit peccatum, pro nobis se peccatum fecit, ut efficeremur justitia Dei in ipso* (*II Cor.* V, 21). Peccatum pro nobis factus fuit, pro eo quod oblatus est, quia ipse voluit, et peccata nostra ipse portavit (*Isa.* LIII, 7, 4). Peccatum tamen non novit, quia *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petri.* II, 22).

VI. Sic ergo curro ad corpus, quod non fecit peccatum: ut et mihi remittatur, quod per corpus feci, peccatum. Quod si in me caro concupiscit adversus Spiritum (*Gal.* V, 17); si me carnis vitia tentant; si stimuli ejus titillantes infestant: nonne et tunc mihi magis recurrendum est, ad solum et solidum refugium meum, Jesu mei corpus, ut corporis mei con-

Digitized by Google

cupiscentia exstinguatur, superentur tentationes, stimuli hebetentur? quod enim tam efficax auxilium ad obtinendum hujusmodi triumphum, quam pura et defæcata meditatio corporis ejus? ipse enim **174** est, *qui compati scit infirmitatibus nostris: pro eo quod tentatus est per omnia pro similitudine absque peccato* (*Hebr.* IV, 15). Ipse enim est, qui in eo quod est tentatus, potens est et nobis, qui tentamur auxiliari. Quod bene intellexit Apostolus: qui cum videret aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, et captivum eum trahentem in lege peccati, quæ erat in membris suis, unde exclamare coactus est: *Infelix ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 23)? invento consilio salubri statim subjunxit: *gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*ibid.* 24): quam, quidem gratiam profundius atque profusius in subsequentibus applicavit, dicens: *Deus Filium suum mittens, in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne: ut justitia legis in nobis impleretur* (*Rom.* VIII, 3, 4). Itaque si scis non habitare in te, hoc est in carne tua bonum: si vides in ea etsi non regnare peccatum, esse tamen: scito quia ipse illud damnat in carne, qui non in veritate, sed in carnis peccati apparuit similitudine. Videns ergo Pater Filium suum in homine, Verbum suum in carne, non vult deesse prostratis in carne per pietatem, ut resurgant; non potest non adesse tentatis in carne, per fortitudinem, ut triumphent. Merito etiam naturam nostram veneratur et pertimescit eam sibi videre prostratam angelus: quam super se in Conditore suo adorat exaltatam. Merito et ei miseretur atque succurrit Pater omnipotens Deus, quam Unigenito suo conspicit unitam. Vides ergo, quam tibi necessum est, charissime, ut de hoc templo cogitatione et spe non discedas, quod et judaica impietas in mortem solvit, et divina post triduum ad vitam potentia resuscitavit.

VII. Secundum templum virgo Maria est; nec ambigo quemquam velle dicere, quam bonum sit, ut de eo non discedatur. Ipsa domina nostra, et advocata nostra; dulcedo et vita nostra: spes et mediatrix nostra. Ipsa Dei genitrix, regina angelorum, amatrix hominum, superatrix dæmonum, refugium miserorum, solamen pupillorum, auxilium infirmorum, robur debilium, confirmatio justorum, erectio lapsorum, absolutio peccatorum, lætitia beatorum. Ipsa patris tabernaculum, filii cubiculum, Spiritus sancti umbraculum, Trinitatis reclinatorium, cœleste habitaculum, incarnati Verbi domicilium, Dei templum. Sed verba sunt hæc quæ nimirum ante deficient, quam ejus plene prærogativa exponatur, tanta est, quæ in ea redundat plenitudo gratiæ. Veneremur, dilectissimi, templum hoc; gaudeamus et exsultemus, et demus gloriam ei, exoremus in eo, et speremus de eo: et laudando atque precando, et confidendo non discedamus ab eo. Sanctum admodum templum, et Sanctum sanctorum humanitas Christo; utpote *in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9). Sanctum et hoc de quo loquimur, beata et gloriosa genitrix ejus, in quo de Spiritu sancto conceptus novem mensibus demoratur. O gloriosissimum, et speciosissimum Dei Unigeniti templum! pande nobis ostium misericordiæ tuæ, et clementiæ: concede nobis introire in te, admitte preces nostras coram te. Voce nostra, in te, ad Dominum clamamus: ut exaudiat de templo sancto suo vocem nostram, et clamor noster in conspectu ejus, introeat in aures ejus. Nolite, fratres, discedere de templo hoc, effundite in eo orationem vestram, et tribulationem vestram in eo pronuntiate: Mater namque Christi est, et quam per eam transmittitis orationem, exaudiet Deus, vestramque per eam sumet precem, qui pro nobis natus tulit esse suus.

VIII. Tertium templum sancta electorum Ecclesia est, a quo, ut breviter dicam, non discedatis: oportet enim nos festinanter per hæc templa discurrere; quia ad finem istum urgemur perducere sermonem, et quædam de hac materia adhuc restant, quæ necesse est ut audiatis. Ab hoc, inquam, templo non discedatis, si ab unitate matris Ecclesiæ per sectarum scandala vos non separatis. Væ illis, qui tunicam Christi inconsutilem scindere student (*Joan.* XIX, 23): qui ab unitate se fraterna per divisiones et dissensiones separant. Sciant qui hujusmodi sunt, quia diluvii aquis submerguntur, qui extra arcam inveniuntur (*Gen.* VII, 23): et quos intra se domus Rahab non occultat, gladius Josue trucidat (*Jos.* VI, 1). Et ut aliquid de gestis evangelicis attingam, non curat aqua turbata nisi unum, cum in porticibus quorumcunque multitudo jaceat languentium (*Joan.* V, 7). Sed nos non habemus necesse super his multum commonere vos. Experimento namque et quidem assiduo didicistis, quam bonum, quamque jucundum est habitare in unum (*Psal.* CXXIII, 2). Audistis nihilominus, dicente ipso Domino quia quamvis, *necesse est ut veniant scandala, væ homini per quem scandalum venit* (*Matth.* XVIII, 7).

IX. Unanimis virorum Ecclesiasticorum conventus, quartum templum est. **175** A quo nimirum templo non discedere, est ab eorum imitatione, per sanctam conversationem, non recedere. Discurre itaque per templum istud, et pulcherrimas, quæ in eo sunt, picturas conspice, et cælaturas; et quo plenius, quæ in eo speciosa et gloriosa sunt intueris, eo magis interno illo captus decore exire abhorrebis. Vide innocentem Abel, cum Deo ambulantem Enoch, obedientem Noe, verecundum Sem et Japhet, fidelem Abraham, sanctum Isaac, simplicem Jacob, pudicum Joseph, mansuetum Moysem, zelantem Phinees, constantem Josue, benignum Samuelem, humilem David, et cæteros innumeros virtutis viros, qui *per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones: qui et testimonio fidei probati inventi sunt* (*Hebr.* II, 33): et scietis quam bonum, quamque jucundum sit habitare et morari in templo hoc. Hoc templum para-

Digitized by Google

disus alibi dicitur : in quo dicuntur ligna fuisse pulchra visu, et ad vescendum suavia : pulchra ad aspectum, suavia ad gustum (*Gen.* II, 9). Pro eo quod in hoc sancto collegio viri sunt sancti, sic ad experiendum sapidi, sicut ad intuendum decori. Cumque ex his viris sanctis multa bona sumis exempla, nimirum et multa et sapida, ex lignis pulchris et suavibus carpis poma.

X. Quintum templum assignavimus corpori tuo. Noli et de hoc templo discedere, id est noli ea, quæ ad sanctificationem corporis tui pertinent, negligere. Cura cibare esurientem, potare sitientem, nudum vestire, hospitem colligere, venire ad incarceratum, visitare infirmum. En sex opera misericordiæ, quibus indigentiæ debemus proximorum juxta vires occurrere, sed prodesse etiam juxta vires velle (*Matth.* XXV, 35). Sunt et octo alia, in quibus corporalis nostra sanctitas consistit, quam profecto quandiu sollicite custodis, de hoc quinto templo non discedis : et si ea audire desideras, primum est rigor jejuniorum : secundum instantia vigiliarum ; tertium in manuum labore exercitium ; quartum munditia in carnis castitate : quintum gravitas in vultu : sextum utilis parcitas in affatu : septimum vilitas in habitu ; octavum maturitas in incessu.

XI. Sed et de sexto templo, quod anima nostra est, non discedemus, si his quæ ad ejus spectant sanctificationem, tota sollicitudine intendimus. Conemur, ut sit anima nostra succensa, integra et perfecta ; et in hoc templo commoremur ; succensa vero est, si eam desiderium inflammat, et ipsum triplex : desiderium veniæ, desiderium gratiæ, desiderium gloriæ. Desideret itaque toto affectu veniam, gratiam, gloriam. Veniam peccatorum, gratiam meritorum, gloriam præmiorum. Peccatorum, ut ab iniquitate mundetur ; meritorum, ut in sanctitate ornetur ; præmiorum, ut in felicitate consummetur. Primum perfecte desiderium habuit mulier illa peccatrix, sed pœnitens, de qua dicitur : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII, 47). Secundum habuit ille, qui ait : *concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore* (*Psal.* CXVIII, 2). Tertio quoque ardenter flagrabat egregius prædicator, *desiderium habens dissolvi et esse cum Christo* (*Phil.* I, 23). Integra anima est, cum ejus memoria munda est, cum ratio perita, cum voluntas devota. Roboret memoriam rectitudo stabilitatis : illuminet rationem cognitio veritatis : exornet voluntatem puritas devotionis. Sed ut hæc acquirantur, oportet primum ut infirmitas depellatur, quæ memoriæ solet robur debilitare : deinde ut ignorantia, quæ rationis lumen obscurare : novissime vero ut iniquitas, quæ voluntatis munditiam commaculare. Sic succensa anima, sic etiam integra effecta, conetur esse et perfecta. Perfectio ejus in quatuor illis famosis virtutibus, quas principales, seu cardinales appellant, consistit. Perfectam siquidem dixerim, quæ scit, quæ scienda sunt et in cognitione veri non caligat ; si quæ agenda sunt, facere potest, et in eorum exercitio non debilitatur : si justa est, ita ut non offendat ; si temperans, ita ut non excedat. Primum ei bonum conferet prudentia, secundum fortitudo, tertium justitia, quartum temperantia. Prudentia, quæ eum illuminet ; fortitudo, quæ corroboret ; justitia, quæ exornet ; temperantia, quæ modificet : hæc itaque et quæ in hunc modum sunt, si sollicite exerceremus, nimirum de templo sexto, quod animæ nostræ adaptavimus, nequaquam discedimus.

XII. Capacitas humani et angelici sensus templum septimum est. Si jugi autem mentis inspectione, quanta sublimitate utrque, tam homo, quam angelus præminet, perpenderis, ut breviter dicam, in hoc quoque templo demoraris. Curemus jam properare ad finem loquendi de templis istis. Si singulas illas beatorum spirituum mansiones perlustrare pia curiositate satagis ; si a superna illa patria cogitatione et aviditate non recedis ; profecto dici jam poterit de te **176** quod de octavo templo, per quod eadem cœlestis patria exprimitur, non discedis. Nonne videtur tibi in hoc habitare templo, qui dicit : *Nostra conversatio in cœlis est ?* (*Phil.* III, 20.) Paulus hic est, *mente excedens Deo, et sobrius existens nobis* (*II. Cor.* V, 13) : quem *conresuscitavit Dominus, et consedere fecit in cœlestibus* (*Ephes.* II, 6). Audistis itaque, et jam ut arbitror intellexistis, quomodo spiritualis Anna nostra debeat in templo morari : quomodo etiam jejuniis et obsecrationibus servire debeat die ac nocte,

XIII. In primo templo habitat per venerationem et spem ; in secundo per laudem et precem ; in tertio per ecclesiasticam unitatem et catholicam pacem ; in quarto per sollicitam imitationem, et sollicitam conversationem ; in quinto per egregias actiones : in sexto per internam puritatem ; in septimo per admirationem et stuporem ; in octavo per aviditatem et amorem. Si autem singula quæ aliquantulum profuse in his duobus sermonibus dicta sunt de muliere hac subtiliter pensatis ; si videlicet diligenter apud vos perpenditis, quid sit Annam vocari eam, et esse prophetissam : quid filiam Phanuel, et de tribu Aser ; quid in diebus multis processisse, et a virginitate sua annis septem cum viro suo mansisse : quid denique de templo non discessisse jejuniis et obsecrationibus serviendo die ac nocte : Si, inquam, hæc omnia studiose consideratis : non dubitatis, ni fallor, quod digna sit, quæ talis est, supervenire ad confitendum Domino, et loquendum de illo omnibus qui exspectant redemptionem Israel. Sic enim post hæc omnia, quæ usque ad hunc locum exposuimus, de ea subjunctum est :

XIV. *Et hæc ipsa hora superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel* (*Luc.* II, 38). Prius confitebatur Domino ; et post hæc loquebatur de illo. Nolumus modo diu de hac ejus loqui confessione : tum quia in sermonibus, quos in Adventu habuimus, satis, ut nobis tunc visum fuit, prolixe, de confes-

Digitized by Google

sione disputavimus : tum quia hunc quem in manibus habemus, sermonem, ad debitum, pro eo quod multa jam diximus, terminum perducere festinemus.

XV. Hoc tamen breviter dicimus : quod si fructuosam atque perfectam Domino volueris offerre confessionem, oportet ut eam ad illum afferas modum duplicem : laudando videlicet eum, et accusando teipsum : illum justum et beneficum : te autem peccatorem, et ad ejus semper beneficia ingratum. Et quidem utraque ei confessio acceptabilis est : cum et accusas teipsum, qui commisisti peccatum, et laudas illum, qui nullum habet peccatum. Differunt tamen in hoc, quia illa pœnitentium est, et incipientium; hæc vero justorum, atque perfectorum. De illa legis, quod *sacrificium Deo Spiritus contribulatus* (*Psal.* L, 19). De ista vero, *Sacrificium laudis honorificabit me* (*Psal.* XLIX, 23). Placat itaque illa offensum ; hæc vero honorat placatum. Hanc lætitia et jubilus format ; illam vero tristitia, et vox commotionis magnæ ; quia illa ex timore, hæc autem ex amore procedit ; habet utraque aquam, sed illa irriguum inferius (*Jos.* XV, 19) ; cujus est fons consideratio supplicii infernalis ; hæc autem irriguum superius (*ibid.*), quod ex contemplatione ebullit regni cœlestis. Hoc itaque gemino modo Anna nostra confitetur Domino. Loquatur jam de illo non quibusdam, sed omnibus, qui exspectant redemptionem Israel. Et quid est loqui de Domino omnibus, qui exspectant redemptionem Israel, nisi ea quæ ad Dominum pertinent, universis nuntiare, qui *primitias habentes Spiritus intra* se gemunt, *adoptionem filiorum exspectantes, redemptionem corporis* sui ? (*Rom.* VIII, 23) tales estis vos, qui spe salvi facti, et quod non videtis sperantes, per patientiam exspectatis habitationem vestram, quæ de cœlo est, superindui cupitis (*II. Cor.* V, 2), et ideo contenditis sive absentes, sive præsentes placere illi.

XVI. Post hæc ita conclusit evangelium : *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo* (*Luc.* II, 39, 40). *Et ut perfecerunt*, inquit, et qui perfecerunt ? nimirum Joseph et Maria, audiat hæc congregatio sancta et canonica; ipsa est enim, ut jam sæpe diximus, Maria. Audiat hæc et custodum ejus auctoritas, nam ad ipsos pertinet Joseph : audiant, inquam, simul hæc Joseph et Maria ; quia ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, tunc revertentur in Galilæam, in civitatem suam Nazareth. Quæ est lex Domini, nisi charitas ? quæ apud Psalmistam vocatur *Lex Domini immaculata convertens animas* (*Psal.* XVIII, 8). Apud quemdam amicorum beati Job, *lex Domini* dicitur *multiplex* (*Job* II, 6) : ideo, ni fallor, quia mentem, quam adimplet, ad innumera mox sanctarum virtutum incrementa extendit. Concinit autem huic **177** expositioni nostræ Paulus, qui dicit : quod *qui diligit proximum, legem implevit* (*Rom.* XIII, 8) : et quod *plenitudo legis est dilectio* (*ibid.* 10). Igitur vos, qui præestis in sollicitudine (*Rom.* XII, 8) ; et vos quos oportet esse subjectos communi subjectione, si non quidem solummodo feceritis, sed perfeceritis ; nec jam quædam sed omnia, secundum hanc legem Domini : sine dubio revertimini ad revelationem floridam, et florem revelatum, quia et hoc continere videntur duo hæc nomina Galilæa et Nazareth, ut videlicet et quod decorum est videatis, et hoc est flos ; et quod occultum est agnoscatis ; et ad hoc spectat Galilæa : quando revelabit nobis Dominus condensa (*Psal.* XXVIII, 9).

XVII. Pulcherrimus nimirum flos Christus, in sua gloria, electis suis : qualis unus cum Patre est Deus manifestatus. Et clarissima nihilominus manifestatio, in qua videbimus Patrem, et *videbimus eum sicuti est*. Et habetis firmam ejus de utraque felicitate promissionem : dicente eo, qui sicut falli non potest, ita nec fallere vult, quia *patam de Patre annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI, 25), o Joseph et Maria, in Galilæa ; et manifestabit seipsum vobis, in civitate vestra Nazareth : tunc puer vester, qui quis sit satis audistis, quando Joseph et Mariam matrem ejus mirantes fuisse super his, quæ dicebantur de illo, intellexistis : tunc, inquam, puer vester crescet et confortabitur plenus sapientia, et gratia Dei erit in illo : quando videlicet occurretis *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV, 13). Idem vero et secundum alium intellectum intelligere potestis, quem in sermonibus præcedentibus huic Joseph et Mariæ assignavimus : quod videlicet, ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, revertantur et ipsi in Galilæam, in civitatem suam Nazareth : ubi et puer Jesus crescet et confortabitur plenus sapientia, et habens secum gratiam Dei : qui nobis et hic bene vivendi gratiam conferat, et ibi suæ gloriæ præsentia perfrui concedat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLI.

IN DIE CIRCUMCISIONIS DOMINI.

De spiritualibus cultris, quibus facienda est circumcisio.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Illicita damna concupiscentiæ circumcidendæ in nobis. — 2. Spiritualis circumcisionis cultri duo ; compunctio et disciplina ; tempus putationis. — 3. Disciplina primo habita conservat, compunctio amissa recuperat. — 4. Usus et necessitas compunctionis vel pœnitentiæ in statu lapso. — 5. Non fallax electionis indicium : fervor bonæ voluntatis, et assiduitas propriæ accusationis. — 6. Tollendum Ægypti opprobrium : ad Religiosos inordinate se habentes. — 7. Ut nomen Dei per discolos Religiosos, vel sacerdotes blasphematur. — 8. Religiosorum probe viventium commendatio in medio nationis pravæ. — 9. Compunctio animæ, disciplina corporis superflua resecat, cujus utilitas prorogatur. — 10. Disciplina quadruplex : prima paupertas voluntaria et honesta : secunda infirmitas corporalis. — 11. Tertia, est adversitas a convitiis, damnis, flagellis. In quibus dant robur inspecta sanctorum exempla. — 12. Sanctus Job triplici adversitatis genere probatus. — 13. Quarta, est

Digitized by Google

tentationum molestia, quæ nutrix est humilitatis. — 14. Quorumnam vitiorum per quadruplicem disciplinam superfluitas truncetur. — 15. Malæ securitatis et superbæ vanitatis ex hac disciplina emanat remedium.

1. Gloria et laus Filio Virginis, Deo et Domino nostro Christo Jesu : qui in hac nativitate sua sacrosancta, decora quadam varietate, et vario decore lætificare nos dignatur, digna cum memoria celebrantes infantiæ suæ sacramenta, ut in eorumdem sacramentorum varietate celebri, et decor conferat oblectamentum, et varietas auferat fastidium. Ecce, qui nuper pro nobis dignatus est nasci, hodie dignatus est circumcidi. Scitote, charissimi, quod magna hæc in salutari nostro humilitas dispensationis fuit, non necessitatis. Quid enim in se summa illa puritas habuit pollutum, quod circumcisione purgaretur? sed nobis circumcisus est, qui nobis natus est. *Parvulus*, ait sanctus Isaias, *natus est nobis* (*Isa.* IX, 6); sic quoque et circumcisus est nobis; et quibus nobis circumcisus est? nobis utique superfluitate nimiis, impietate pollutis. Est itaque circumcisus nobis, qui in nobis non nihil habemus, et quod mundetur impurum, et quod abscindatur superfluum. In his duobus consistit illud magnum malum, quod animæ humanæ et pulchritudinem fædat, et fortitudinem debilitat, et honestatem deturpat, et plenitudinem evacuat, et integritatem dissipat, et venustatem decolorat, et aufert denique ab ea, quidquid bonum est in ea et infert ei quidquid malum est. Nomen **178** hujus horribilis et detestabilis mali, si audire desideras, ipsa est concupiscentia illicita : quæ nimirum dum ordinem deserit, id appetens, quod nullatenus appetere debet, subjectum, cui inest, sive corpus, sive animam, sive utrumque, impuritate pollutionis commaculat; et dum mensuram excedit, aliter in appetendo se movens, quam ei licet, idem subjectum suum superfluitatis nimietate inflat. Quidquid ergo in nobis malum hoc, concupiscentia videlicet illicita, vel per impuritatem pollutum, vel per nimietatem dat esse superfluum, per remedium nos decet abstergere spiritualis circumcisionis.

II. Cultri vero, quibus spiritualis ista facienda circumcisio est, compunctio est et disciplina; illa quod impurum est, abluit, hæc vero, quod superfluum abscidit. Et fortassis illi sunt cultri, quibus adhuc hodie noster circumcidit Josue filios Israel (*Jos.* V, 2). Qui nimirum lapidei sunt propter fortitudinem, ut puto, perseverantiæ : et filii sunt Israel, et tamen a Josue circumcidendi, quia et ipse, qui specialiter a Domino claves acceperat regni cœlorum, audivit : *si non lavero te, non habebis partem mecum* (*Joan.* XIII, 8), et *omnem palmitem, qui* in vite Christo, *fert fructum, purgabit* agricola Pater, *ut fructum plus afferat* (*Joan.* XV, 2). Quod et in amoris Cantico videtur exprimere sponsus, qui postquam asseruit hyemem transiisse, imbrem abiisse et recessisse, flores etiam in sua et sponsæ terra apparuisse : tunc dicit tempus putationis advenisse; nam quando hyems transit (*Cant.* II, 12), nisi quando perfecta charitas foras timorem mittit? (*I Joan.* IV, 18) et ideo ardor æstatis hyemem ejiciens amor est charitatis : timorem expellens. Abit quoque imber et recedit, cum adveniente austro, et hortum sponsæ perflante, irriguum ex toto inferius exsiccatur, et amarus atque anxius, quem peccatorum recordatio format, fletus jam discedit, flores apparent [*al.* apparentes]; sinceri et defæcati sunt piorum atque sanctorum desideriorum affectus, in ipsis cordis intimis erumpentes. Devota itaque et religiosa anima, quando tempore non premitur, quia timore non urgetur : quando imbre doloris non perfunditur, quia gaudio securitatis repletur : quando sterilitate pusillanimitatis non arescit, quia desideriorum floribus nitet : tempus quoque putationis advenisse intelligat : sancto et salubri huic, in hoc tempore accepto, operi insistat : amputare et abscindere in vinea sua, carne sua videlicet, vel mente sua, quod sterile viderit, aut noxium, sollicite non omittat. Sic sponsæ tempus putationis advenit, et jam cum hyems transierit, cum nimbus abierit, cum florum decor enituerit. Sic Petrum Dominus lavat, cum ipse quidquid ligat, aut solvit in terra, cœlum ratum habeat (*Matth.* XVI, 19) : sic quoque agricola palmitem purgat, cum fructum ipse in vite ferat : sic denique, propter quod hæc omnia prosecutus sum, et Josue eos circumcidit, qui filli sunt Israel. *Et circumcidit eos*, ut legimus, *lapideis cultris* (*Josue* V, 2).

III. Seca quæsumus, et abscide in nobis cultris tuis lapideis omnia superflua, et noxia nostra, o bone et benigne noster Jesu! qui succedens Moysi populum tuum filios Israel in terram ducis melle et lacte manantem; in quam ipse eos introducere non potuit : quia *quod impossibile erat legi*, quæ neminem ad perfectum adduxit, *in quo et infirmabatur per carnem : Deus te Filium suum mittens, in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne* (*Rom.* VIII, 3). Effice nos per disciplinam rigidos, effice et per compunctionem concussos : ut illa bona in nobis conservet jam habita, hæc vero recuperet amissa. Hoc opus tuum sit, hoc studium tuum. O anima mea, hæc cura et sollicitudo tua, primum quidem ut mortifices membra tua, quæ sunt super terram (*Colos.* III, 5), carnemque tuam crucifigas, cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* V, 24); et spiritu facta ejusdem carnis mortifices, abstinens te a carnalibus desideriis, quæ militant adversum te, conversationem tuam inter gentes habens bonam (*I Petri.* II, 11) : emundans etiam te ab omni inquinamento carnis ac spiritus, perficiens sanctificationem in timore Dei (*II Cor.* VII, 1). Quod si præventa et superata, abstracta et illecta, minus his intenta, vel minus in his fueris studiosa, redi prævaricatrix ad cor, et arguens te, statue te contra faciem tuam. Dole et plora, geme et suspira (*Job* III, 24) : et quasi inundantes aquæ, sic rugitus tuus su-

Digitized by Google

per otiositate et sterilitate, super mollitie et negligentia tua. Accusa teipsam, ut a negligentiæ fovea, in quam proruisti, erecta, pio ac utili labori, de quo paulo ante egimus, insistas. Nonne videtis, fratres mei, pernecessarium vobis cultrum disciplinæ, quo abscidente quæ in vobis superflua, ita temperati inceditis, ita honeste ambulatis, ut in incessu, statu, habitu, et in omnibus motibus vestris, nihil fiat quod cujusquam **179** offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem?

IV. Sed nec minus necessarium in genere suo, allum, ni fallor, cultrum afferetis, quem vocabimus compunctionem : et maxime in hoc tempore periculoso, in quo repletus multis miseriis, et natus de muliere homo, quasi flos egreditur, et conteritur, et fugiens velut umbra nunquam in eodem statu permanet (*Job* XIV, 2). Cujus sensus et cogitatio prona sunt ad malum (*Gen.* VIII, 21), cum sit caro spiritus vadens, et non rediens. Exercete hæc duo solliciti, disciplinam dico et compunctionem, illam in vestro statu, hanc vero in lapsu, et habetis lapideos Josue cultros, quibus circumcidendi estis, quicunque ex Israel estis. Sic autem agentes, et hoc vos modo habentes, ostenditis vos non habitu solum, sed opere et virtute segregatos esse a reprobis, et in proprios a Domino assumptos : quia illorum est, facinoribus et flagitiis, tam in corpore quam in anima involvi, et attritam frontem, atque cor indomabile circumferentes in nequitiis suis vitam finire; ad instar illorum jumentorum, quæ asserit propheta Joel in stercore computruisse (*Joel.* I, 17). Vos autem non sic; nam vel in bono viriliter statis, gravitate sapientiæ maturi : vel a malo fortiter resurgitis, rigore pœnitentiæ contra vos ipsos erecti : ista siquidem peccatum, cum consummatum fuerit, solet abolere : illa vero, ne omnino consummetur, præcavere : illa ad acutum nostri Josue pertinet cultrum, quo semper, cum excrescere nituntur, abscinduntur superflua; hæc vero in se non minus necessarium habet exercitium, quo purgantur, quæ hominem inquinant, immunda.

V. Mihi credite, fratres, magnum et utique non fallax in homine electionis suæ indicium est, fervor bonæ voluntatis, et assiduitas propriæ accusationis. Quidni ipsum habeas Spiritum testimonium perhibentem spiritui tuo, quod sis filius Dei (*Rom.* VIII, 16), cum testimonium tibi perhibente conscientia tua, in eodem Spiritu sancto, vides quod declinans a malo, et faciens bonum, vitia damnas, virtutem exerces, carnem subigis, spiritum erigis, perfecte et mundum odis, et Deum diligis, omne malum nolens et bona cuncta volens : noxia quæque pro posse, omittens et necessaria omnia pro viribus admittens? Nonne et simili modo ei, qui cinerem tanquam panem manducans (*Psal.* CI, 10), sic sibi peccatores per pœnitentiam incorporat, sicut justos per continentiam, certa debes spe præsumere, et in præsenti per pœnitentiæ fervorem te invisceran- A dum, et in futuro per gloriæ perceptionem uniendum : qui quoties ab illo, vel ad modicum deviare te vides, insistentem eum dorso, et post te clamantem habes; vocem quoque emittentem in mente tua magnæ commotionis ut audiant aures tuæ vocem post tergum monentis? (*Isai.* XXX, 21), Sentis quia repellit sine omni mora, cum ab eo vel paululum recedis, et destruit te, commovens terram conscientiæ tuæ, et conturbans eam (*Psal.* LIX, 4) : ostendens illi inferiori cogitationum tuarum populo dura, et potans eum vino compunctionis, metu easdem cogitationes validissimo faciens, eisque metuentibus dans significationem, ut fugiant a facie arcus. Sic rixam magnam in animo excitat, quæ veram secum pacem faciat : accendente lucernam B muliere illa evangelica, et everrente domum, et prædictam diligenter quærente drachmam, donec inveniat (*Luc.* XV, 8).

VI. Ecce lapidei cultri Josue, duæ istæ vobis virtutes a Christo Jesu cum forti perseverantia et perseveranti fortitudine collatæ. Disciplina videlicet rigida, bona, cum habentur, custodiens : et accusatio propria bona, cum amittuntur, restituens. Quibus cum circumcisi fueritis, confestim a Domino audietis : *hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis* (*Josue* V, 9). Quid est hoc? non aufertur a filiis Israel opprobrium Ægypti, nisi prius lapideis Josue cultris fuerint circumcisi? Et quidem ita est, quod nimirum jam videbitis, cum quid sit Ægyptus, quidve sit opprobrium ejus, patuerit vobis. Et breC viter percurramus : Ægyptus est hic mundus : nam tenebras sonat Ægyptus, et cum *totus in maligno positus sit hic mundus* (*I Joan.* V, 19), solis justitiæ claritate non fulgescit. Si ergo Ægyptus mundus, quod est opprobrium Ægypti, nisi exprobratio eorum, qui imitatores sunt mundi : a quo nullatenus opprobrio liberi eritis, nisi lapideis Josue cultris circumcisi fueritis. Et quanta confusio, ut incircumcisis filiis Israel exprobrent Ægyptii, juxta propheticum illud : *Erubesce Sion, ait mare* (*Isai.* XXIII, 4); cum itaque videris eos, qui habitu induti sunt sæculari, cum illis qui ambulant *in vestitu ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (*Matth.* VII, 15), irrisione justissima exprobrare, et improperare, eo D quod vident eos, in conversatione indisciplinatos, et quod pejus est, de sua emendatione, **180** præ nimia, qua indurati sunt, obstinatione, non sollicitos, opprobrium esse intellige Ægypti, quo tanguntur hi filii Israel, si tamen filii Israel, cum lapideis non sint Josue cultris circumcisi. Væ talibus filiis Israel, in vanum hoc gloriosissimum nomen portantibus! quos jure dixerim Babyloniis non dissimiles, cum ipsis sint quoque Ægyptiis per omnia deteriores. Væ, inquam, eis tollentibus clavem scientiæ! quia et ipsi non introeunt, et eos qui introeunt, prohibent (*Matth.* XXIII, 13). Nonne multos ita se habere hodie cernis, qui cum notitiam et professionem sanctæ habeant religionis, nec ipsi, quæ veræ reli-

Digitized by Google

gionis sunt faciunt, nec alios, quantum in se, religiose vivere permittunt, dum pravis eos suis et monitis et exemplis pervertunt?

VII. Quid vel qualiter cum fumigantibus his titionibus agendum? Nonne his qui scandalizant credentes in Christo pusillos expediret, ut suspenderetur mola asinaria in collo eorum et demergerentur in profundum maris? (*Matth.* XVIII, 6.) hi autem solo habitu et nomine filii Israel requiescunt quidem in lege, et gloriari se dicunt in Deo, et agnoscere voluntatem Dei, et probare utiliora instructos per legem (*Rom.* II, 18, 19): confidentes super semetipsos, duces cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditores insipientium, magistros infantium, habentes formam scientiæ, et veritatis in lege: sed qui alios docent, seipsos non docent. Qui dicunt non mœchandum, mœchantur: qui dicunt non furandum, furantur. Qui in lege gloriantur, et per prævaricationem legis, Deum inhonorant. Nomen enim Dei, per hos dictos filios, blasphematur inter gentes (*Rom.* II, 20-24). Nonne nomini Domini per hos dictos filios Israel blasphemia irrogatur, cum non modo sicut populus sic sacerdos: imo sicut populus non sic sacerdos? (*Osee.* IV, 9) non tantummodo sicut sæcularis sic religiosus, quia sicut sæcularis non sic religiosus: cum iste per omnia, ille vel in malo est inferior, vel in bono superior. Jam animam suam justificat Sodoma et Judæa: dum qui male vivendo mutus esse solebat a laude conditoris sæcularis, solo habitu religiosis, et nomine tenus Christum confitentibus, vel injustitia minor, vel justitia proponit esse major. Nonne dignos asseris istos vocari, et opprobrio notari Ægypti, cum in Ægypto reperiri possunt multi, quos venustat circumcisio cordis in Spiritu, non in littera (*Rom.* II, 29), quorum laus non ex hominibus, sed ex Deo est? Hi autem mente, et conversatione sunt incircumcisi, superfluitate videlicet nimii, impuritate polluti, et exterius denique indisciplinati, interius vero indurati. Sed hæc de illis.

VIII. Vos autem estis, fratres, a quibus ablatum est a Domino opprobrium Ægypti, qui honeste ambulatis ad eos, qui foris sunt (*I Thess.* IV, 11): *in medio nationis pravæ et perversæ*, lucentes *quasi luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam* Christi (*Phil.* II, 15); sic exhibentes lucem vestram coram eis, ut visis bonis operibus vestris, non possint non glorificare Patrem vestrum, qui in cœlis est (*Matth.* V, 16): — unde fit ut is qui ex adverso est, si tamen aliquis est, revereatur, nihil habens mali dicere de vobis (*Tit.* II, 8), confringit namque sanctitas conversationis vestræ molas leonum, et ora obstruit detractorum Deo odibilium (*Rom.* XII, 17), incedentibus vobis in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querela: et providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus pacem habentibus [*al.* quod ex vobis est cum hominibus pacem habentes]. A Quod si forte ad augmentum gloriæ vestræ insidiati vobis fuerint æmuli vestri, veneno invidiæ infecti, pro eo quod Abel esse non valet, quem Cain malitia non exercet, juxta illud proverbium: *Summa petit livor*: si, inquam, tale aliquid vobis evenerit, nolite nimis turbari, nolite nimis pusillanimes fieri. Mementote, quia non nisi *parvulum occidit invidia* (*Job* V, 11), ut ait sapiens quidam: et nisi Joseph pater cunctis filiis plus amaret, fraterna eum invidia non contingeret (*Gen.* XXXVII, 4). Accipite et aliud quiddam ad solamen vestrum, cum tale aliquid advenerit, et quidem non parum efficax, quia non invenirent videlicet Babylonii isti Danieli huic aliquam occasionem, nisi in lege sua, et in Deo suo (*Dan.* VI, 5). Qui itaque hujusmodi sunt, ipso Domino pravum eorum dissipante consi- B lium, *per diem* apud vos *incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie* (*Job* V, 14), introducentibus illis sanctis hospitibus ad se Loth, et claudentibus ostium, sicque hostes foris sævientes cæcitate percutientibus, ut ostium invenire non possint (*Gen.* XIX, 10). Jam intelligitis, ut arbitror, quanta ex istis Josue cultris utilitas proveniat spiritualibus Israelitis, quia cum ipse eos Josue circumciderit, auferetur opprobrium Ægypti, cum eis, a vobis.

IX. Dixi vobis jam, et audistis, qui sunt cultri illi; unum vocans disciplinam, alterum compunctionem. Et cum ex corpore constet homo et anima, illam **181** corporis, hanc vero animæ deputavimus purgationi: illam etiam diximus bona custodire habita: C hanc autem recuperare perdita: resecante illa superflua, ne excrescant: emundante ista sordida ne fœdent. Scire vero debetis, quia disciplina non simplex et una, sed multiplex et varia est: unde et multam salutem operatur. Et quidem omnis volente vel permittente Deo infligitur, et quocumque loco etiam vel tempore, mensura etiam vel modo inferatur, prodest utique illata, si libenti fuerit et perseveranti patientia suscepta [*al.* Si patienti fuerit perseverantia, et perseveranti patientia]. Hinc Salomonis admonitio hæc est: *Fili, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris cum ab eo corriperis:* addidit et causam: *quem enim diligit Dominus, corripit* (*Prov.* III, 11, 12), *flagellat autem filium* D *quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Unus autem amicorum beati Job: *Beatus*, inquit, *homo, qui corripitur a Domino* (*Job.* V, 17). Unde et admonendo subjungit: *increpationes ergo Domini ne repellas, quia ipse vulnerat et medetur: percutit et manus ejus sanabunt: in sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum* (*ibid.* 18, 19). Ostendens nimirum in verbis istis, quia tribulationem illi evadent æternam, qui patienter sustinent temporalem. Econtra autem, *qui timent pruinam cadet super eos nix* (*Job* VI, 16). Hinc salubris illa admonitio magistri nostri: *In disciplina perseverate* (*Hebr.* XII, 7), et post pauca: *Quis enim filius quem non corripit Pater? quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri et non filii estis* (*ibid.* 8). Videtis quia filii

Digitized by Google

esse non possunt, qui disciplinæ participes non sunt.

X. Videtis autem quadripartitum esse genus disciplinæ; et primum diximum cultrum, quo nos oportet circumcidi, si Ægypti a nobis opprobrium desideramus auferri. Quod primum, quidem nobis adest, cum in his rebus mundialibus, inopia nos angustat. Et bonus utique spirituali nostræ circumcisioni deserviens cultellus hic, voluntaria et honesta paupertas. Hæc enim duo necesse est adesse paupertati, voluntatem et honestatem: nam cum voluntaria est affert hilaritatem: cum vero honesta, confert venustatem. Econtra vero paupertas cum voluntaria non est, in murmure est: cum vero honestate caret, nimis rusticana est, ac per hoc a servis Dei non multum appetenda est. Hoc itaque primum est disciplinæ genus, voluntaria paupertas et honesta; quæ in habitu, in victu, et in cæteris vitæ hujus necessariis continetur. Secundum autem simile est huic, debilitas videlicet corporeæ infirmitatis, cui firma opponenda patientia est. Per hanc omnipotens Deus, et perpetrata delicta curat, et ne perpetrentur resistit et obviat. Et habetis Scripturam sacram de utroque attestantem vobis: nam de primo quod dixi, curato a se in Evangelio paralytico Dominus ait: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (*Joan.* v, 14). Secundum autem, quod posui, verum esse in seipso expertus est, qui ait: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet* (*II Cor.* xii, 7). Et hunc cultellum quis neget esse bonum, cujus acumen, et si quæ forte admissa sunt, superflua abscidit, et ne admittantur, quæ nunquam admissa sunt, obviat et resistit. Cum enim homo infirmitate corporea tangitur, ad seipsum sollicitius intuendum convertitur: et timore concussus, et dolore illisus, non modo, quia vulneratus est, dolet; sed ne amplius vulneretur cavet.

XI. Tertium disciplinæ genus agonia est adversitatis, qua Deus electos suos angustiari permittit, et non ad insipientiam sibi. Hæc non uno modo, sed pluribus irruit, et aliquando convicia jaculatur: aliquando damna infert, aliquando etiam flagella infligit. Et convicia quidem in contumelia verborum: damna vero in amissione rerum, et in afflictione corporis accipimus flagella. Singula vero cum vobis forte acciderint, tunc plene superatis, cum tranquillo ea, et quieto animo toleratis. Ad exercendam vero tam sublimem patientiæ virtutem robur vobis et fortitudinem conferent considerata exempla præcedentium sanctorum, qui usque ad sanguinem restiterunt, adversus peccatum repugnantes, et pro justitia decertantes: sancta et justa in pia conversatione operati sunt, et dura atque indigna in gravi certamine perpessi sunt. Itaque si te convicia, et verborum contumeliæ contingunt, revoca in memoriam sanctum David, cui aliquando conviciatus est servus, sæviens in eum verbis contumeliosis: denique verbis garriens in eum, vocavit *virum sanguinum*, vocavit etiam *virum Belial* (*II Reg.* xvi, 17), de quo testatus est occultorum ille cognitor, et internorum inspector, quod invenerat virum secundum cor suum. **182** Verumtamen accepta tanta injuria, sancti prophetæ animus ad iram commotus non est, præsentem filii intuens persecutionem, sicque tolerabilem sibi faciens servi maledictionem. Non solum autem; sed et gratia se sperans accumulandum a Domino, qui tanta se vidit injuria affectum a servo. Sciebat enim quod, qui derisores deludit, ipse et mansuetis atque humilibus gratiam impendit. Accipite et alium, cum verba forte in vos jaculatur aliquis contumeliosa: alium, inquam, dico autem Dominum nostrum Jesum Christum, *qui talem sustinuit adversus semetipsum a peccatoribus contradictionem* (*Hebr.* xii, 3), ut non fatigemini animis vestris deficientes: ipse enim et in factis observatores, et in dictis sustinuit contradictores. Ipse ad lapidandum quæsitus est, ipse ad præcipitandum adductus est (*Joan.* x, 31); ipse homo dictus est *vorax, et potator* vini: *amicus publicanorum et peccatorum* (*Matth.* ii, 19), dictus est dæmonium habens; et ad magnum quoque improperium appellatus est Samaritanus (*Joan.* viii, 48). *Ipse* utique, ut princeps apostolorum ait, *cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur; tradebat autem judicanti se injuste, quoniam peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui justitiæ vivamus* (*I Petri* ii, 23 et seqq.), omnino sicut longe ante de ipso præcinuit Isaias: *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum* (*Isa.* liii, 7). Nam, ut de eo in Evangelio legitur, *cum accusaretur in multis, nihil respondit* (*Matth.* xxvii, 12).

XII. Si quem vero quæritis rerum amissione mulctatum, et pœna in corpore afflictum, præsto est sanctus Job. Ipse enim tot ac tantarum rerum possessione nudatus, prole tam generosa orbatus, in carne etiam est pessimo ulcere, a planta pedis usque ad verticem, percussus. Qui in tantum ad ipsa vilitatis extrema perductus est, ut *testa saniem raderet, sedens in sterquilinio* (*Job* ii, 8). Sed post hæc omnia, quid de ejus æquanimitate, quid de longanimitate patientiæ ejus, vera refert historia? *In omnibus*, inquit, *his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est* (*Job* i, 22). Peccare vitavit ne tristis sive turbulentus per internum esset dolorem in corde; stulte loqui omisit, ne contenderet vel clamaret per exteriorem immutationem in ore. Sed nec a verborum contumeliis liber fuit, conviciantibus eum amicis suis. Nam lege verba singulorum, et invenies eos, sicut ad consolandum venisse, sic et ad convicia proruisse: quantum quidem ad pietatis devotionem [*al.* exhibitionem] devotos, quantum vero ad temeritatem correptionis indiscretos. Habetis ergo in uno homine, sancto Job, virum tripartita hac adversitate percussum: quem videtis conviciis et contumeliis verborum affectum, et damnis in rerum amissione angu-

Digitized by Google

statum, et pœnis in ipsa corporis afflictione mul-
ctatum.

XIII. Quartum vero disciplinæ genus ad tentationes pertinet, quæ nobis indesinenter molestæ sunt. Et bene dico indesinenter molestas nobis tentationes: quia *tentatio est vita hominis super terram* (*Job* VII, 1). Hanc itaque tentationum instantiam, quemdam non minus bonum quam acutum dixerim cultrum: quo mala et reproba in nobis superfluitas circumcidenda est. Ipsa namque, de instantia loquor tentationum, nutrix est humilitatis: humilitas vero, ut scitis, vitia perimit et annihilat; virtutes vero fundat et fundatas conservat: dum enim fortis humilitatem nostram tentatio concutit, ad propriam quoque mentem, nostram cognitionem reducit. Quæ cum se sibi non posse sufficere intelligit, sui prorsus fiduciam amittit, et solius se Conditoris sui gratiæ committit. Sicque fit, ut dum de proprio robore diffidit, et de superno solummodo adjutorio confidit, sit ei dispensatorius iste tentationis tactus, acutus quidam cultellus, quo omne quod in ea superfluum est resecetur, et universa, quæ in ea erumpere et excrescere nititur, carnalis inhonestas abscidatur.

XIV. Habetis itaque quadripartitum disciplinæ genus: virtutem voluntariæ et honestæ paupertatis; debilitatem corporeæ infirmitatis; agoniam irruentis adversitatis; molestiam fatigantis tentationis. Quod nimirum disciplinæ genus quadripartitum, quemdam dixerim quadrifarium cultrum, quo resecare et abscindere debemus quidquid in nobis deprehendimus nimium, et superfluum. Est nimietas, et superfluitas voluptatis, murmurationis, turpitudinis, et hæc triplex superfluitas primo cultro abscinditur, abscissa vero destruitur: paupertatis namque cultro jugulatur voluptas: quæ nimirum **183** paupertas et murmurationem expellit, dum voluntaria est, et turpitudinem diminuit dum honesta est. Est etiam superfluitas quædam deceptio malæ securitatis, et elatio superbæ vanitatis. Et primam nimietatem secundus et quartus cultellus abscidit: secundam vero tertius in nihilum destruendo redigit. Quid periculosius animam solet seducere humanam, quam secura vanitas, et vana securitas? nam fallacem quamdam securitas audaciam infundit, quæ dum sibi sollicitam circumspectionem sui adimit, contingit miserabiliter, ut tanta eam cæcitas caligine obscuret, ut quo pergere, quove itinere incedere debeat, prorsus ignoret: unde fit, ut in tantam nonnunquam miseriam proruat, quatenus dum sibi ipsi absens, in nullo sibi adesse procurat, etiam in quantis delinquat, jam non deprehendat.

XV. Ecce quod quantumque malum hujusmodi securitas operatur. Quid de vanitate dicemus? nonne ipsa mentem quam suo veneno corrumpit, in elationem mox superbiæ erigit; quæ dum eam virtute veræ humilitatis evacuat, sua statim eam defensione ac custodia privat? universæ namque sanctitatis, quæ in anima est, custodia et defensio humilitas est: et idcirco non aliud mihi videtur esse, auferre ab anima humilitatem, quam a civitate murum, a vinea maceriam, ab horto sepem. Videte quanta mali causa, hæc de qua loquimur, superbiæ vanitas est. Nam ut breviter dicamus, sicut humilitatis dissipatrix est, sic et universæ, quæ in anima est, vel esse potest, sanctitatis annihilatrix est. Ut autem scias quod remedium geminæ pesti huic, videlicet superfluæ vanitati et vanæ superfluitati opponendum est, debilitatem corporeæ, cum evenit, infirmitatis patienter sustine; molestiam nihilominus pulsantis tentationis prudenter suscipe, nec dicam jam de te, quin cultrum valde acutum et ipsum geminum habeas, quo periculosæ hujus securitatis superfluitatem abscidas. Nam cum ægritudinis molestia fatigaris, cum tentationis impetu pulsaris, timoris in te anxietas procreatur; et malæ hujus securitatis præsumptio procul fugatur; sicque hoc gemino disciplinæ cultro superfluitas ista resecatur. Sed et agoniam adversitatis, cum irruerit, libenter amplectere: sive videlicet cum quis per verborum te contumelias injuriavit, vel per ablationem rerum aporiavit: aut denique per angustiam pœnæ corporeæ afflixerit. Et habes in manu cultrum bonum, quo vanitatis abscidas superfluum. Siquidem triplex hæc adversitas irruens cum patienter atque humiliter suscipitur, lenitatem infundit menti humilitatis, et inflationem perimit vanitatis. En quantam in anima humana superfluitatem quadripartitus iste disciplinæ cultellus abscidit. Jam nobis de cultro illo loquendum esset, quem compunctionem appellavimus, nisi prolixitas obsisteret sermonis hujus. In hoc itaque sermone sequenti, de eo loquemur, in quo etiam de nominibus pueri hujus Emmanuel, videlicet et Jesu, aliquid quod ipse dederit, tractare proponimus: ad ejusdem laudem et gloriam, qui est cum Patre et Spiritu sancto Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLII.

ITEM IN DIE CIRCUMCISIONIS DOMINI.

De spiritualibus cultris, quibus facienda est circumcisio spiritualis, et de nominibus Christi Jesu et Emmanuel.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Compunctionis usus et utilitas. — 2. Graphica peccatoris lapsi et surgentis demonstratio ab experientia. — 3. Præteriti sceleris dulcedo in præsentaneam vertitur amaritudinem. — 4. Ex peccati fœditate oritur non moriturus vermis conscientiæ. — 5. Remordet conscientia ex sancta complurium attenta conversatione. — 6. Ex gradus vel ordinis professi sanctitate, aut obligatione. — 7. Deinde ex iteratorum lapsuum frequentia. — 8. Post hæc ex personæ offensæ qualitate: puta Dei, ut amici. — 9. Postremo ex considerata districtione Dei, ut severi judicis. — 10. Recapitulatio circumcisionis mysticæ per effectus conglobatos. — 11. Appellatio nominis Jesu non fortuita, sed divino consilio revelas. — 12. David de Goliath triumphans prælusit typice Salvatori Jesu Christo. — 13. Jesus ex re nomen habet, in corde jubilus, in ore favus. — 14. Quæ sit synonymia nominum Jesu et Emmanuel. — 15. Jesus salvationem, Emmanuel modum

Digitized by Google

designat salvationis : a quo nobiscum nascente, vivente, moriente profluxit medela nostræ calamitatis. — **184** 16. Nobiscum nascens vitium abstulit originis, vivens pravi operis, moriens æternæ damnationis. — 17. Tota ratio fiduciæ nostræ est in vita et morte Domini Jesu.

I. Duos, si meministis, ab illio, quem proxime ad charitatem vestram habuimus sermone, produximus cultellos : quibus non tam ille Josue filius Nun, quam noster Jesus Filius Dei, veros et spirituales circumcidit Israelitas. Unum autem disciplinam, alium autem appellavimus spiritualem compunctionem. Sed de cultello disciplinæ, quantum tunc nobis videbatur posse sufficere in sermone illo disputavimus : et jam tempus est, ut de illo alio cultello, de quo loqui usque in istum distulimus, modo juxta promissum nostrum loquamur. Igitur cultellum alium, quo salubrem in anima, quicunque Israelita verus est, facere debet circumcisionem, spiritualem diximus esse compunctionem. Quem nimirum semper nos oportet habere paratum, ut ejus acumine abscindamus, quidquid illicite agendo, superfluum contrahimus. Et quidem inter cætera, quibus mihi adesse solet misericors Dominus largitatis suæ dona impertiendo, magnum reputo signum dilectionis ejus cum post culpam pravæ actionis, salutaris visitare me dignatur remedio compunctionis. Cum enim rectitudinem deserens justitiæ, ad tortitudinem proruo culpæ, non solum dignus non sum ut me erigat ; sed etiam, ut ad deterius corruere permittat. Nam, sicut ipse per prophetam comminatur, *faciente justo injustitiam ponet offendiculum coram eo* (*Ezech.* III, 20); sed non sic facit cum electis suis, pius et misericors Pater, et Dominus noster, dat enim gratuita gratia sua contra filios suos peccata sua et plene cognoscere, et cognita digne defiere.

II. Si autem scire delectat qualiter hoc cum eis faciat, accipite paucis. Tractabo una vobiscum propter hoc, ex propria experientia, quod in hac parte accepi. Peccavi ego peccatum grande; non quidem semel aut bis, sed pluries : unde et ad me jure potest illa exprobratio prophetica dici : *quam vilis factus es, nimis iterans vias tuas* (*Jer.* II, 36). Et ecce post modicum inficit mentem meam amaritudo quædam amarissima, et hoc quidem non ad insipientiam mihi; infunditur namque a summo illo medico antidotum illud salutiferum, quo noviter potatum a visceribus animæ evellatur, et evulsum ejiciatur venenum : afficit itaque mentem salubris amaritudo, quam prius lethalis affecerat dulcedo. Hoc enim proprium solet esse culpæ, ut dulcedinem maximam, proximam proferat per tentationem, pullulans, et pulsans, et nondum perpetrata : et amaritudinem non minorem inferat per consensum admissa, et effectui mancipata. Unde et ait sapiens quidam (272) : voluptatum corporearum appetentiam plenam esse anxietatis, satietatem vero plenam pœnitentiæ; nam dolet se infelix anima fecisse, quæ, ante factum, magnam subiit anxietatem ut faceret; et post pauca subjunxit :

Habet hoc voluptas omnis.
Stimulis agit fruentes,
Apumque por volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, et nimis tenaci
Premit icta corda morsu.

BOET. lib III, 7.

III. Transit enim quod peccato servientem animam delectabat et demulcebat; manet vero quod miseram conscientiam mordeat et rodat. In ingenti habetur odio quod in ardenti prius erat assumptum amore. Vertitur dulcedo in amaritudinem, delectatio in afflictionem. Nonne sic misero et miserabili quondam accidit Ammon? Scitis enim quod illiciti amoris sagitta transfossus, cum quanto labore et astutia ad diu concupitam desiderii sui expletionem pervenerit : quod non minus quidem exhorruit expletum, quam prius desideraverat explendum. Expleto namque jam desiderio, ipsam, quam ex sorore fecerat uxorem, nec oculis videre sustinuit quam necdum expleto, supra modum amavit : maximo in eo amori maximo succedente odio (*II Reg.* XIII, 10). De qua bene legitur, quod fuit et speciosa, et Thamar appellata, intimante per ista fortassis Spiritu sancto, qui ea ad utilitatem legentium suæ inseri voluit Scripturæ, quod cujus peccati speciositas abstrahit animam et allicit, illius quoque consequenter, post peccati ejusdem perpetrationem, amaritudo punit et affligit. Amaritudo namque, ut scitis, dicitur Thamar. Scito ergo, o anima mea, quod quando illicitum quid aspectu concupiscentiæ cernis speciosum, post gustum quoque experientiæ senties amarum. Et heu! quod non tam sapiens tibi est adhuc recta per statum, quantum jam es prostrata per lapsum. Nam etsi bona pœnitentis hæc vox est : *Heu! Heu! quia feci!* sed longe melior ista præcaventis : *absit ut faciam!* Cur sola vexatio intellectum dat **185** auditui tuo? cur non fugiendam tibi ægritudinem consulis? Quid enim? etsi non semper eam sequitur mors; rarus tamen qui dormit in morte, nisi prius dormitet in ægritudine : nec crebro succedit illa, nisi præcedat ista.

IV. Peccatum ergo grande peccavi et frequenter; invadit quoque infelicem conscientiam meam amaritudo magna, tangit eam et concutit, vulnerat et cruciat, movet deinde eam et anxie perturbat. Vox quædam in ea, non quidem susurrat, sed magis clamat; vox, inquam, licet fortassis salutis, non tamen exsultationis, vox non epulantis, sed arguentis : non denique consolationis tranquillæ, sed commotionis magnæ. Clamat autem sic : *Adam ubi es?* et *quid dicam, aut quid respondebo mihi cum ipse fecerim?* (*Gen.* III, 9.) Nam si dicere voluero absconsionis meæ causam esse timorem in me tumidum, et timidum tumorem, et per eam nuditatis meæ velle

(272) Sev. Boetius pros. 7, l. 3.

Digitized by Google

mé consulere decori, audiam, licet invitus : *Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* (*Gen.* III, 11.) Nonne comestio interdicta, consensio est prohibita? illa perdit nuditatem; quia et hæc ingerit confusionem. O quanta audacia puritas conscientiæ! O quanta trepidatio fœditas ejus? sævit itaque vox hæc increpatoria in interioribus domus meæ, tonans et fulgurans cum strepitu magno, arguens et corripiens cum omni imperio sic : Cur tanta est iniquitas in te? quem fructum tunc habuisti in illis, in quibus nunc erubescis? nam finis illorum mors est. *Si in carne seminasti, quid metes nisi corruptionem?* (*Gal.* VI, 8.) cur menti tuæ excidit sententia hæc apostolica? cur et illa : *Si secundum carnem vixeritis, moriemini?* (*Rom.* VIII, 13.) Si mundum dilexisti, quid tibi ad æternitatem duntaxat pertinens emolumentum ejus conferet dilectio, cum ipse transeat et concupiscentia ejus? (*I Joan.* II, 17.) cur adulterium voluisti? quia ipsum diligere, Deum odio habere est, legis namque etsi frustra : *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo* (*II Joan*, II, 15). Sic arguit me, et statuit me contra faciem meam hæc vox signans quasi in sacculo delicta mea (*Job* XIV, 17); de propriis stercoribus lapidans me, et luto meo perliniens faciem meam.

V. Ponit etiam coram me sanctam aliorum conversationem : ut magis ex eo intelligam propriam damnandam esse fœditatem. Instaurat testes suos contra me, ut pene militent in me. Nam ad hoc mihi cum propheta ostendit templum ut metiar illud et confundar ex omnibus quæ feci (*Ezech.* XLIII, 10). Jubet mihi respicere homines, ut consequenter dicam : peccavi (*Job* XXXIII, 27) : et ad cumulum confusionis meæ tales mihi coram oculis proponit, qui, cum me et debiliores esse videantur, et imperitiores, longe supra me, et ad præcavenda sunt inquinamenta callidiores, et ad vincenda tentamenta valentiores. Sapiens itaque es : sed ut facias mala, bene autem facere nescis (*Jerem.* IV, 22). Nam quo pacto, quove fructu sapiens es, si tibi non es : et fortis, si fortitudo tua quasi favilla stuppæ? (*Isa.* I, 31) quam enim stuppa in igne, talem tu habes fortitudinem in tentatione.

VI. Sed et gradus mihi et ordines meos opponit : sublimitatem quoque professionis, et tempus conversionis. Diaconus, inquit, vel sacerdos, canonicus et religionis habitu indutus tale aliquid committere debuit? servum Dei, servum decuit esse peccati? Ergone decens fuit, ut amicus et familiaris Domini, paranymphus et præco Christi aliquid in se admitteret, quod tanto talique Domino tam graviter displiceret? En quoties violasti professionis tuæ vota, quæ distinxerunt labia tua? (*Psal.* LXV, 14.) Quam melius tibi fuerat votum non vovisse, quam votum non solvisse? Quidni multa voventi, et non solummodo votum non solventi, imo contra votum multa præsumenti ipsa sublimitas professionis major cumulus sit damnationis? Et quid tantopere profecisti ex quo ad conversionem venisti? mane visus es iter aggredi et ecce incumbente jam vespera, vix ostium egressus es. Quot longo tempore post te istud cœperunt carpere iter, et non solum quoque usque ad te pervenientes : sed et viriliter præcurrentes; *consummati in brevi expleverunt tempora multa, placita enim Deo erat anima illorum?* (*Sap.* IV, 13.)

VII. Adhuc post hæc omnia, quod magis me movet, magis me turbat, inculcat mihi frequentiam lapsuum meorum : alloquitur namque me hoc modo, et dicit : pessima est plaga tua, et pene insanabilis : toties colligata est, toties *Curata medicamine*, toties *fota oleo*, toties ei cicatrix obducta est (*Isa.* I, 6). Innumeræ sunt vices, quibus sanatus es. Porro scias hoc dictum **186** non ad laudem, sed ad sugillationem tuam, nam sæpe curatus, sæpe te vulneratum ostendis. Idem quoque sentio, et de vicibus emendationis tuæ; nam sæpe mundatus, sæpe et inquinatus. Et usquequo ista apud te? quousque, inquam, tu instar canis reversi ad vomitum suum, et ut sus lota in volutabro luti? (*II Pet* II, 22.) Quamdiu tam hebes, in tantum sensus expers, ut tam sæpe vulneratus jam vulnerari non perhorrescas? Numquid putas et aliquando non tædere medicum ægroti sui, videntem ipsum licet sanitatem quærere, tamen acquisitam nolle retinere; et mundatorem inquinati sui, intuentem illum etsi ablutionem suam, cum deest, desiderantem, cum tamen adest, de ea conservanda non curantem.

VIII. His itaque et similibus inculcat mihi hæc vox magna immanitatem et frequentiam peccati mei. Ponit quoque ante oculos meos, et illum cui peccavi; et modo mihi eum exhibet quasi amicum et dilectorem : modo vero quasi districtum et severum Judicem. Illum ante quem erubescebam, istum vero, coram quo contremiscebam. Dicit mihi de illo sic : Cur sic agere voluisti ut redderes mala pro bonis? cui peccasti, et quem per peccatum offendisti? ipse est amicus et dilector tuus : ipse quoque Pater et Benefactor tuus. Quid fecit tibi, aut quid molestus fuit tibi, quod ad iracundiam eum provocasti? creavit te ad imaginem et similitudinem suam, cum non eras, redemit te larga effusione pii et innocentis cruoris sui cum perditus eras : vocavit te de sæculo, cum peccato venumdatus eras : dedit tibi memoriam tenacem, linguam eruditam, acumen in ingenio, nitorem in eloquio; et quia longum est ire per singula, quæ tibi contulit munera gratiæ suæ, de externo te in proximum, de servo te provexit in filium. Ut autem his aliisque largitatis suæ donis condigne respondisti, tu videris. Vide quid non ab eo præceptum bonum omisisti; quid vero prohibitum malum non commisisti; Sermone brevi te tibi ostendi. Et quid amplius dicam? pejus egisti filius in Patrem, et in talem Patrem quam alius ageret in hostem suum.

IX. De isto videlicet severo et districto judice sic me alloquitur vox hæc : quæ in me omnia interiora

Digitized by Google

mea maximo quodam adimplet dolore. Quomodo, inquit, tu pulvis leves, tu cinis vilis : contra tantam talemque ausus es te erigere Majestatem ? Quomodo tanta insipientia desipuisti, tanta insensibilitate obduruisti, ut tam districtum, tamque severum præsumeres Judicem ad iracundiam provocare ? nescis, quod tangit montes et fumigant (*Psal.* CIII, 32) ; quod adorent eum dominationes, timent potestates : in cujus conspectu omnes conscientiæ contremiscunt, cujus tolerare iram nulla prorsus creatura sufficit. In ipsum prævaricatus es, ipsumque ad iram tuis provocare prævaricationibus ausus es. Et legisti apud Isaiam : quia *virorum, qui prævaricati sunt in eum, vermis non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Isa.* LXVI, 24). Quomodo tu stipula sicca poteris sustinere, cum suarum immensus ignis iste et consumens flammarum exeret ardorem ? cum exarserit in hujusmodi ira ejus ? cum ignis denique succensus fuerit in furore ejus, *et exarserit usque ad inferni novissima, devorans terram cum germine suo, et montium fundamenta comburens* ? (*Deut.* XXXII, 22.) Perpende modo apud te, quid tunc poteris habere animi, cum de singulis tuis non solum factis, sed et verbis, imo non de solis verbis et factis, verum et de ipsis minutissimis cogitationum, et intentionum cordis motibus reddere compelleris rationem. Plange, plange; non quidem paululum, sed diu et multum dolorem tuum. Plange, inquam, quod vadas et non revertaris *ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* (*Job.* X, 21).

X. Istis modis in me hæc vox alloquitur. Primo ponens ante faciem meam, et ostendens mihi, quanta mala commisi : secundo quam frequenter peccavi : tertio quam benignum Patrem, et largum benefactorem offendi : quarto vero in quam districtum et severum Judicem irrui. In prima manifestatione validissimo me horrore afficit : in secunda immenso dolore concutit : in tertia maximo pudore confundit : in quarta, anxio timore deterret. Hic est quadripartitus compunctionis effectus, quem esse secundum cultrum diximus, quo circumcidi debemus. Et quidem acutus valde cultellus iste, non modo contracta jam superflua resecans, sed et ne contrahantur, resistens. Quam enim superfluitatem illicitam in se mens admittet, cum eam considerantem magnitudinem malorum suorum plene afficit dolor ; intuentem vero quoties deliquit, percutit horror, videntem etiam quantum, qualemque **187** dilectorem suum offendit, confundit pudor : aspicientem denique quam tremendum Judicem provocavit ad iram, perturbat timor ? Habetis itaque duos cultros lapideos : nomen uni disciplina, alteri vero compunctio est. Illa circumcidit stantes, ne superfluitatem enormem et enormitatem superfluam incurrant : hæc vero purgat lapsos, ut eam, quam incurrerunt, evadant : et utraque quadripartitum, in emundationis remedio, habet effectum : quia illa commissa jam immunda amputat per voluntariam et honestam paupertatem, hominem temperatum faciens : per debilitatem corporeæ infirmitatis pavidum exhibens : per molestiam irruentis adversitatis, humilitatem ei infundens : per infestationem pulsantium tentationum de sua eum salute sollicitum reddens. Hæc vero interna videlicet compunctio mentis, ei cui se plene infundit, ne alicujus superfluitas impuritatem contrahat, custodit : per dolorem afficiens, per horrorem concutiens, per pudorem confundens, per timorem deterrens.

XI. Sed jam satis diu cultellos istos in manibus habuimus : loquamur modo de nomine Pueri hujus : sicut enim hac die circumcisus est : ita et hac die vocatum est nomen ejus Jesus. Nec fortuito quidem, hoc nomine appellatur, sed angelo prænuntiante. Unde et sanctus Lucas : *Vocatum est*, inquit, *nomen ejus Jesus : quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur* (*Luc.* II, 21). Non in vacuum portat hoc nomen sanctum Sanctus ipse sanctorum : sed opere et veritate. Nam quod vocatur, id et operatur; salutem videlicet in medio terræ (*Psal.* LXXIII, 12). *Pariet tibi filium*, ait angelus, ad sanctum Joseph, *et vocabis nomen ejus Jesum* (*Matth.* I, 21). Nec tacuit causam : *ipse enim*, inquit, *salvum faciet populum a peccatis eorum* (*ibid.*). Videtis ergo quod sit sacramentum hujus beati, et beatificantis nominis Jesu, quia ideo videlicet vocatur Jesus, quia salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Ipse namque verus est David, in cujus manu liberat Dominus populum suum de manu Philistinorum (*II Reg.* XIX, 9) : ad quod puto pertinere quod Paulus ait : *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (*II Cor.* V, 19), sed et illud nihilominus, quod coapostolus ejus Petrus : *Qui pertransivit*, inquit, *benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo* (*Act.* X, 38). O sancte noster David, non modo in omnibus, sed et præ omnibus fidelis ! Quoniam *quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei ?* (*Psal.* LXXXVIII, 7). O ! inquam, quem invenit Deus Pater secundum cor suum, juxta illud verax testimonium : *Hic est Filius meus dilectus in quo bene mihi complacui* (*Matth.* XVII, 5). *Inveni virum secundum cor meum*, ait Deus de nostro David (*Act.* XIII, 22). Et bene virum quem apprehenderunt septem mulieres (*Isai.* IV, 1); quia non ad mensuram dat Deus Spiritum, *cujus gloriam vidimus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I, 14). *De cujus plenitudine nos omnes accepimus* (*ibid.*, 16).

XII. Virum utique, quem vidit Ezechiel vestitum lineis inter viros sex (*Ezech.* IX, 2), qui veniebant a porta quæ respicit ad aquilonem, et uniuscujusque vas interitus in manu ejus, insinuans, ut scitis, fortem hunc et potentem David, utpote Dominum virtutum, mundissima ex Virgine matre, assumpta carne vestitum, inter homines apparuisse, qui omnes per sex

Digitized by Google

ætates mundi, et a peccato per nativitatem corruptibilem procedebant, et in proprio opere nonnihil ad peccatum pertinens mortiferum habebant : quod fortassis tunc erat, quando commendato grege custodi, missus a Patre abiit onustus ad fratres suos (*I Reg.* XVII, 20 et seqq.) : relictis videlicet illis nonaginta novem in deserto, nihil funditus periculi metuens eis, utpote quos in tuto dimiserat loco, missus ad ovem, quæ perierat, descendit plenus gratia et veritate visitare, et consolari omnes, qui eum de toto corde desiderabant (*Matth.* XVIII, 2) ; nec rediit ad Patrem suum, priusquam superbum illum Gethæum, qui procedebat mane et vespere, stans quadraginta diebus, proprio gladio peremisset, quia ipse nullum habuit, et detulisset caput in Jerusalem. Quæ omnia ad nostrum David, puerum hunc hodie circumcisum, necesse est ut studeas referre : cujus et nomen vocatum est Jesus. Ipse enim sicut exivit a Patre, et venit in mundum (*Joan.* XVI, 28) ; ita nec reliquit mundum, et ivit ad Patrem, donec de principe mundi hujus, qui electos suos premebat (hoc enim nomen sonare dicunt, quod est Geth) triumphasset : Qui toto hujus vitæ tempore usque ad ejus adventum tam in prosperis, quam in adversis infestus, atque molestus erat. Fugiebant omnes a facie ejus, nec est inventus aliquis, qui singulare cum eo auderet certamen inire, nisi humilis puer David. Ille solus de eo triumphavit, percutiens eum, et auferens opprobrium ex Israel. Et quomodo de illo triumphavit ? qui in manu propriæ actionis malignum non habuit gladium iniquitatis, dispensatorium ab ipsis membris diaboli **188** suscepit gladium mortis : ut occisus occideret, veraciter *mortuus pro gente, et non tantum pro gente ; sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum* (*Joan.* XI, 51, 52). Ipsos etiam qui in corpore diaboli summi et eminentes erant, unitati et paci sanctæ Ecclesiæ associans. Nunquid hoc esse tibi videtur, et proprio superbum illum gigantem a David gladio peremptum ; et suum ab ejus corpore præcisum in Jerusalem caput allatum ?

XIII. O sanctum et salubre nomen, quod est Jesus ! quia sanctum etiam et salubre opus ejus. Solum, ut mihi videtur, ac singulare salutis nostræ indicium est nomen istud. Quis apprehendere, ne dicam, exprimere sufficit, quam salubre sit vel nomen vel nominis opus ? Nonne hoc æstimandus est sapuisse, qui ait : *aliud nequaquam nomen præter illud datum esse hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ?* (*Act.* IV, 12.) Pulcherrimum et sanctissimum nomen hoc : exsultationis nomen et salutis, nomen lætitiæ et suavitatis, nomen denique dulcedinis et jucunditatis. Quod bene sensit, qui ait : *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo* (*Hab.* III, 18). Quam dulce faucibus suis nomen hoc : super mel et favum ori ejus (*Psal.* XVIII, 11). Quis mihi tribuat ut in hoc nomine indesinenter occupetur, non modo mens mea, sed et lingua mea ? illa in cogitando, hæc vero in loquendo ? Jesus namque sicut in corde lætus jubilus, sic et sapidus in ore cibus. Nimirum non est jam quod contristari faciat cor ; in quo sonat vox hæc exsultationis et gaudii, non est etiam quod amaricari faciat palatum, quod cibum hunc ruminat dulcissimum et sapidissimum. *Vocatum*, inquit Evangelista, *est nomen ejus Jesus : quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur* (*Luc.* II, 11) : priusquam conceptus fuit, vocatus fuit. Quid est hoc ? hunc Jesum Ecclesia in utero concepit ; dum ipsum salutis suæ auctorem, per fidem, quæ per dilectionem operatur, ad interiora sua admisit (*Gal.* V, 6). Sed priusquam eum hoc modo in utero concepit, nomen ejus Jesum angelus vocavit. Si angelus vocavit, si angelus nuntius, quid Moyses et Isaias ; quid denique omnis tam patriarcha quam propheta, qui nostram in isto Jesu, et per istum Jesum, salutem conferendam, et consummandam vel signo vel verbo prænuntiabat, nisi angelus erat ? et dum unusquisque non modo antequam in eum Ecclesia crederet, sed etiam longe antequam in carne appareret, venturum ipsum ad salvandum nos prophetavit ; nimirum vocatum est nomen ejus Jesus, priusquam in utero conciperetur.

XIV. Sed loquendum nobis de causa hujus sanctissimi et dulcissimi nominis, quod est Jesus. Occurrit quæstio : quid est, quod ab angelo vocatur Jesus, ab Isaia vero appellatur Emmanuel ? *Virgo*, ait, *concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isai.* VII, 14). Quod et sanctus Matthæus ad memoriam revocare curavit : ubi inducit angelum causam ostendentem hujus saluberrimi atque beatissimi nominis, quod est Jesus. Nam asserens dixisse angelum ad Joseph, *vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* I, 21), statim adjunxit : *Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur* NOBISCUM DEUS (*ibid.* 22, 23). Nomen ejus vocat angelus Jesum, et quid hoc sit, dicit ; *ipse*, inquiens, *salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Vocat ejusdem nomen propheta Emmanuel, et quid hoc sit exponit, *quod interpretatur*, inquit, NOBISCUM DEUS. Si hic est Jesus qui Emmanuel, hoc idem possumus accipere ipsum nos salvare, et ipsum Deum nobiscum esse. Quod quidem ita esse, certissime inveniemus, si investigare vel quomodo nos salvat, vel quomodo nobiscum est Deus, studemus. Nam si quis quærit, Quis est iste Deus ? Ipse est noster Jesus. Quomodo ergo nobiscum ? Nunquid eo modo, quo rex est sæculorum, immortalis, invisibilis (*I Tim.* I, 17), quo Unigenitus in sinu est Patris, quo ex splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genitus (*Psal.* CIX, 3) : quo lucem denique inhabitans

Digitized by Google

inaccessibilem, æqualis est Patri : *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest?* (*I Tim.* VI, 16). Nequaquam : non eo modo ipse nobiscum Deus : sed eo, ni fallor, modo quo minoratus est ab angelis (*Psal.* VIII, 6) : quo primogenitus est ex multis fratribus (*Rom.* VIII, 19), qui etiam primogenitus est mortuorum (*Apoc.* I, 5) : quo nobiscum habuit, quod ex nobis pro nobis suscepit, quod videlicet apud nos abundat nasci et mori. Ecce hoc modo nobiscum Deus. Plena omni suavitate et dulcedine in ore humano hæc vox, quæ est Emmanuel. Nam quomodo ad proferendum dulce non debet esse homini, quod præ universis aliis creaturis soli competit homini? non enim, juxta hunc sensum, proferre eam possunt angeli, non aliqua alia, ut breviter dicam, creatura; ut eadem **189** illi cum ea insit, cum qua est creatura. Sic autem cum homine est, ut sit cum eo, et homo accipiens in se, quod ipse est, et id existens quod ipse est.

XV. O nomen sanctum et salubre Jesus! O jucundum et lætum nomen Emmanuel! Illud nostram indicat salvationem; hoc autem modum ejusdem salvationis. Ipse salvos nos fecit, et ideo, quia nobiscum Deus fuit. Cum quibus nobis ipse Deus fuit? cum nobis hominibus, nobiscum utique qui nascimur, qui vivimus, qui morimur : nascimur, et in immunditia; vivimus, et in nequitia; morimur, et in tristitia. *Ecce homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis* (*Job* XIV, 1). Vox justi est triplicem hominis deflentis calamitatem, in nativitate inquinati, in vita depravati, in morte damnati. Unde et adjunxit : *qui quasi flos egreditur* nascens de muliere in fragilitate : et *brevi vivens tempore* conteritur, et tamen in pravitate : *et fugiens velut umbra*, currens ad mortem, cum omni festinatione. Sed est consolatio magna, quod nascitur Jesus : et vivit, et ad extremum moritur. Sicque est nobiscum Deus in ortu : est in vita, et in morte. Sed sine impuritate nascens, sine pravitate vivens, purgavit immunde nascentes, et justificavit inique agentes : voluntarie demum atque indebite moriens, et in brevi resurrecturus et in æternum victurus beatificavit damnabiliter morientes. Recenter quoque post nativitatem suam, hodie videlicet circumcisionem in carne sua sanctissima suscipere dignatus est, ad carnem mundandam per legem decretam.

XVI. Anno etiam ætatis trigesimo suscepit a servo Dominus baptismum, instituens illud ad plenam remissionem peccatorum (*Matth.* III, 13). Sicque in his duobus sacramentis remedium instituit morbo peccati originalis his qui sunt de stirpe Abrahæ : hoc tempore revelatæ gratiæ purgationem instituens in baptismatis ablutione. Deinde in conversatione sua omnem exhibuit sanctitatem : in ore proferens veritatem, in opere ostendens puritatem. Peccatum enim sicut non contraxit ex Virgine conceptus, sic nec commisit omni tempore quo est in mundo conversatus; sicque viam fecit nobis conversationem suam, per quam ad patriam pertingeremus cœlestem : quia dum omittendo, quod malum, et admittendo, quod esset bonum ostendit, nimirum quid effugere, quidve appetere debeamus, edocuit. Novissime vero dum peccati omnino nescius, ac per hoc peccato in nullo obnoxius, mortem indebitam pro nobis sustinuit, nos quidem a debita liberavit : æternam quam simul in anima et corpore merebamur, a nobis propellens damnationem : dum temporalem, quam non merebatur, in sola carne sua mortis admisit passionem. Innocens quippe Agni incontaminati et immaculati, pii et mansueti Jesu sanguis, in ara est crucis effusus : per cujus effusionem clamantis de terra melius quam Abel (*Hebr.* XI, 24), et placatur Deus offensus, et reconciliatur homo reus. Unde miro et misericordi modo fit, ut jam sine damnationis metu possit mori homo : quia sine aliquo damnationis debito, pro eo mortuus est Deus homo. Sic noster Emmanuel, et nobiscum nascens vitiatæ nos originis emundavit corruptione; et nobiscum vivens a pravi operis justificavit conversatione; et nobiscum et pro nobis moriens, ab æternæ mortis liberavit damnatione.

XVII. Quid jam timeo, vel cur trepidabo? quid enim, si pollutionem ex primo parente, in quo omnes peccavimus, contraxi originalem? sed emundabit, et emundando delebit eum institutum a summo medico nostro baptismi sacramentum : qui sanat omnes infirmitates nostras (*Psal.* CII, 3), idem illud purificationis remedium sicut nobis instituens, sic et pro nobis in semetipso suscipiens, non solum nihil in se, quod lavaret impurum habens, sed et de immundo conceptum semine mundum facere potens qui solus est (*Job* XIV, 4). Quod si forte in via injustitiæ, non recte incedo, ibo mihi ad illum, qui factus est nobis a Deo, non solum sanctificatio, sed et justitia (*I Cor.* I, 30) : et in libro illo vitæ coram me expanso legam non modo quid ad ruinam pertinens vitiorum debeam præcavere; verum etiam quid ad ascensum spectans virtutis oporteat me exercere. Cum autem hinc me oportuerit egredi, opponam mortem contra mortem : mortem corporis Christi contra mortem animæ meæ; sperabo tunc in morte ejus, sperabo et in resurrectione ejus : in illa ne morte æterna peream, in ista, ut ad vitam resurgam : qui enim, ne moriar, pro me mortuus est, ipse nihilominus, ut resurgam, resuscitatus est. Gratias itaque tibi, o bone et benigne Jesu, qui et ex nobis dignatus es nasci, et in nobis conversari, et pro nobis mori, ostendens te in his sanctum portare nomen, quod est Emmanuel, quod interpretatur *nobiscum* **190** *Deus*. Tibi, tibi, inquam, Domine, qui natus, a vetustate nos emundasti originalis immunditiæ; qui vivens ab iniquitate justificasti nequitiæ; qui moriens a calamitate liberasti gehennæ, tibi ex totis cordis medullis, o Jesu, o Emmanuel : o Emmanuel et Jesu! honor

Digitized by Google

sit et gloria, decus et magnificentia, majestas, laus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLIII.

IN DIE EPIPHANIÆ DOMINI.

De trina apparitione Domini.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Deum laudare et prædicare, geminum linguæ laudabile officium. — 2. Tria uno die facta miracula memorat Ecclesia : quorum ordo discussus breviter. — 3. Per tria hæc miracula, expressa est vocatio nostra, justificatio, glorificatio. — 4. Convenientia vocationis per magos, justificationis per baptismum, glorificationis per nuptias in Cana Galilææ. — 5. Elucidatur amplius trium horum beneficiorum magnitudo, et ordo a similitudine domus manufactæ, ac ætate Christi. — 6. Christus puer in Bethlehem cognoscitur, id est, domo panis : in Jordane baptizatur, id est, descensione. — 7. Manifestat gloriam suam in Cana Galilææ : id est, zelo revelationis. Omni contemplatione, et operatione potior est dilectio. — 8. Herodis nunc regnum est, id est, superbiæ et luxuriæ. — 9. Bethlehem Judæ mystice congregationem designat religiosorum. — 10. Stella religiosæ conversationis est velut stella præfulgens. — 11. Famam bonam negligere est reprehensibile, nedum crudele. — 12. Peccatum viri religiosi gravioris noxæ ob tria notatur.

I. Lætitia mihi magna est, fratres charissimi, et ingens gaudium cordi meo : multasque pro vobis ago gratias Deo, videns vos his sacris diebus tanta alacritate ad audiendum verbum Dei convenire. Et quidem cum omni nos deceat tempore intendere divinis, ipsa quoque exposcit ratio, ut majorem erga ea, quæ specialiter Dei sunt, in diebus festis devotionem impendamus; nam quo magis opera in eis cessant exteriora, eo studiosius necesse est, ut divino insistat operi lingua, et holocausta Deo labiorum nostrorum offeramus, et in eorum apertione laudem ejus annuntiemus. Quod nimirum sanctum ac salubre linguæ opus tunc digne exercemus, cum in oratione pura Dei laudibus vacamus : et in prædicatione sana circa proximi exhortationem laboramus. Huic officio gemino sanctam decet linguam insistere, dignis videlicet Deo præconiis orando jubilare : et sanctis piarum exhortationum sermonibus, mentes proximorum instruere. Et quia uni horum salubrium operum, instantiæ videlicet devotarum orationum curam nonnullam pro modulo nostro, tam nocte hac præcedenti, quam die ista præsenti impendimus, superest ut et alterum, quod est instructio proximorum, quia se modo temporis obtulit opportunitas, aggrediamur, exhibentes nos sicut in illo Deo devotos, sic et in isto proximo necessarios. Locuturi ergo aliquid ad utilitatem audientium, unde potius loquendi materiam sumemus, quam de ipsa die, in qua loquimur? Sicut enim præsentis excellentia diei, ut aliquid ad laudem Dei, et vestram ædificationem loquamur in ea expostulat, ita nihilominus exigit ut et loquamur de ea : maxime cum tanta talisque sanctitas ejus sit, ut uberem nobis et sufficientem materiam loquendi ministrare possit.

II. Nam ut cantamus : *Hodie tribus miraculis ornatum diem sanctum, colimus ; hodie stella magos duxit ad præsepium; hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias; hodie Christus in Jordane baptizari voluit, ut salvaret nos universos* (273). De quibus profecto miraculis multa, ut scitis, Patres orthodoxi dixerunt : Nec a nobis exspectetis audire aliquid novi, qui non solum quidquam invenire novi nequaquam idonei sumus, sed nec adeo, ut eorum dicta plene intelligere possimus, in ingenio sumus perspicaces, nec ut intellecta retinere in memoria tenaces. Hoc autem volo vestra agnoscat dilectio, quia non solum eorumdem miraculorum profunditas et altitudo, sed et series me reddit sollicitum, et ordo; intuentem subtiliter, non modo quia quædam magna Dominus fecit, verum etiam scrutantem diligenter quid eorum prius, quidve posterius gesserit, illud utique ad omnipotentem operantis voluntatem; hoc autem ad ejusdem pertinere mihi videtur dispensationem; utrumque vero spirituali deservire significationi, ac per neutrum nostræ deest ædificationi. Sed antequam de profunditate tractemus, prius aliquid vel breviter, de eorum ordine dicamus. Ordo, ni fallor, iste est : prius gentibus stella duce se revelavit, et revelatum pie ac fideliter **191** adorandum, ac mysticis muneribus honorandum exhibuit. Deinde baptizandum se humiliter beati Joannis manibus inclinavit : et intinctus aquis ad spiritualem nostram emundationem aquis sanctificationem contulit. Novissime vero aquam in vinum ad nuptias potenter mutavit, et convivas lætificans etiam discipulorum credulitatem adauxit. In singulis istis nos sanctam et sanctificantem ejus manifestationem veneramur ejusque admirabilem dignationem implectimur. Et primam quidem manifestationem suam exhibuit magis; secundam vero concessit populis; tertiam autem indulsit discipulis. Nam de prima legitis quod *cum natus esset, ab oriente magi venerunt* (*Matth.* II, 1), venientes quæsierunt, quærentes invenerunt, invenientes adoraverunt. Hæc est, ut scitis, summa Evangelii loquentis de adventu magorum ad puerum Jesum. De secunda habetis, quod cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato et orante, apertum est cœlum, et descendit Spiritus sanctus, corporali specie, sicut columba in ipsum : et cætera, quæ in subsequentibus sanctus Evangelista de ipso commemorat (*Luc.* III, 22 et seqq.). Hunc esse populum putamus, coram quo astante, videns Dominum beatus Joannes ad suum properare baptismum, in hanc statim vocem prorupit dicens : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29). De manifestatione vero tertia, ita se veritas rei habet : *Hoc fecit initium signorum Jesus* (*Joan.* II, 11) : haud dubium quin hoc, quod aquam mutavit in vinum : *Et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus* (*ibid.*).

III. Porro si ipsa aliquid putantur innuere loca

(273) Antiph. ad *Magnif.* in secundis vesp.

Digitized by Google

in quibus eædem apparitiones indultæ sunt : prima Bethlehem fuit, secunda in Jordane, tertia in Cana Galilææ. Et fortassis ad rem pertinet, quod prima fuit in *domo panis;* secunda in *descensione;* tertia in zelo *transmigrationis,* seu *perpetratæ revelationis.* Quia istæ, ut scitis, horum nominum sunt interpretationes. Absit enim ut absque significatione esse putemus, quod apparere voluit Dominus in mansione æternæ refectionis, quod in virtute humilitatis, quod in fervore spiritualis cognitionis. Apparebit jam cum de horum locorum significatione cœperimus tractare utrum aliquid in se contineant spirituale. Ut autem breviter ostendam quid in ordine hujus tertiæ apparitionis Dominicæ intelligam, ego accipio in prima nostram expressam esse vocationem, in secunda emundationem, in tertia vero glorificationem. Magi enim nullatenus ex tam longinquis et remotis terræ finibus ad adorandum puerum noviter natum accessissent, nisi non solum signi exterioris novitate, sed et quadam instructionis interioris voce accersiti fuissent. Sic enim nocte hac, in dictis beati Leonis papæ audistis [*dedit,* inquit, *aspicientibus intellectum, qui præstitit signum, et quod fecit intelligi, fecit inquiri : et se inveniendum obtulit requisitus* (274)]. Qui ita signum præstitit, ut intellectum aspicientibus dederit, quid nisi quædam, qua invitaret eos, ad se vocatio fuit? In Christi vero baptismate, quis nostram non modo exprimi, sed et esse mundationem dubitat? Nam qui baptizatus est, non sibi, sed nobis baptizatus est. Denique baptizatur non ut mundetur, sed potius ut mundet *sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum* (*Tit.* II, 14); pollutionem penitus non habens, et purificationem gratis conferens. In nuptiis vero, ut ait evangelista, *manifestavit gloriam suam* (*Joan.* II, 11). Fuitque virtutis et gloriæ ingens opus illud, quod in eis miraculum fecit.

IV. Ordo certe bonus, et congruentissimus, ut trina, die ista, manifestatione innotescat : in prima [*al.* innotescens in prima, etc.] nos ostendat vocatos, in secunda justificatos, in tertia vero glorificatos. Hoc est quod secreti hujus conscius Paulus sensit, asserens, prout potestis legentes intelligere : Deum *quos prædestinavit, vocasse : et quos vocavit justificasse : et quos justificavit, illos et magnificasse* (*Rom.* VIII, 30). Itaque vocamur, cum ad fidem accersimur : justificamur cum a delictis pristinis emundati, operibus justitiæ exornamur : magnificamur vero, non solum cum in futuro per supernæ gloriæ perceptionem remuneramur, verum etiam cum in præsenti per internæ gloriæ perceptionem, quæ in veraci, non deceptæ conscientiæ testimonio consistit, in Domino gloriamur. Prius ergo longe sumus per ignorantiam in tenebris cæcitatis, vocat nos ut prope simus per fidem in agnitione veritatis; secundo emundans nos ab operibus mortuis, servire nos facit Deo viventi, ut sicut exhibuimus quondam membra nostra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc versa vice visitati mutatione dexteræ Excelsi, exhibeamus eadem membra nostra servire justificationi in justificationem (*Rom.* VI, 19); tertio vero perfecta in nobis charitate, foras mittente timorem, quasi aqua in vinum conversa; cum vetus prius **192** defecerit vinum, hauritur ex hydriis, (*I Joan.* IV, 18) ut non deficiat novum : quæ cum nihil nisi aquam, qua et adimplentur usque ad summum, contineant, nihil tamen nisi vinum, et ipsum bonum, utpote usque adhuc servatum, effundunt. Itaque tertio Dominus noster Jesus spiritualem hanc aquam in vinum æque spirituale convertens, internos illos mentis convivas, cogitationes dico mundas, eo plene securas, quo sibi bene conscias (*securæ* quippe *mens,* ut ait Salomon, *juge convivium* [*Prov.* XV, 15]), illos, inquam, convivas in manifestatione gloriæ suæ quadam admirabili et exhilaratos reddit exsultatione, et glorificatis exhibet revelatione. Hoc, quod modo diximus, confertur in nuptiis, quando sponsa sponso, anima conjungitur verbo. Quæ quidem nuptiæ cum quibusdam fortassis ad eas pertinentibus, quid sibi velint : cum in eum locum venerimus : demonstrare pro posse curabimus. Præcedit ergo vocatio, succedit justificatio, ad extremum vero subsequitur glorificatio. Ut qui cæcati fuimus longe, illuminati simus prope; qui sanctitatis insignibus eramus vacui, justitiæ operibus simus repleti qui cauteriatam habentes conscientiam per appetitum impuræ voluptatis, aliquando exstitimus ignominiosi : bene nobis per omnia conscii, per stabile ac perseverans sanctitatis propositum indefæcata internæ contemplationis puritate simus gloriosi. Frustra glorificaret, qui prius non mundaret; sed nec quos glorificaret sive mundaret, haberet, nisi prius mundandos, qui solus est mundus; et glorificandos vocaret, qui vere est gloriosus

V. Fidelis itaque anima sic et justificata et glorificata, quædam quodammodo est domus, in qua ejus habitare dignatur conditor Deus, in qua profecto domo fides, quæ est in vocatione fundamentum, supponitur; spes vero quæ in justificatione, parietes erigit; charitas quoque, quæ in glorificatione et tectum exterius superponit, et ipsam intrinsecus domum speciosa quadam diversorum colorum aptitudine depingit. Videte ergo, quia quod in domo tectum sine pariete, hoc in anima glorificatio sine justificatione, quod vero paries sine fundamento, hoc justificatio sine vocatione. Agnosce post hæc quod sicut tectum et paries subsistere non possunt sine fundamento, nec valet ad perfectionem domus fundamentum sufficere absque pariete et tecto : sic in anima glorificationem et justificationem vocatione carentem, subsistentia prorsus carere, et nisi utramque hanc habeat, ad salutem sufficientia non habet vocatio. Ipsa etiam anima, ut paulo ante diximus, nullatenus pertingere valet ad glorificationem, nisi prius consecuta fuerit justificationem : nec po-

(274) S. Leo serm. 1 Epiph.

Digitized by Google

terit jam justificari, nisi eam prius contigerit vocari; causa enim glorificationis justificatio est, et necesse est ut vocatio præcedat, quatenus justificatio succedat. Aperta ergo ratione prius, hac sacra die, a vocatis magis puer est Jesus adoratus, deinde non puer quidem, sed vir jam perfectus a Joanne est baptizatus; novissime vero miraculum insigne et sublime faciens manifestata gloria sua, et ipse est glorificatus, innuens nobis, ut jam dictum est, prius nos pueriles et teneros esse, utpote nondum quidquam ad salutem, nisi solam veritatis agnitionem habentes, per rectæ fidei credulitatem ad se accersiendos esse : dehinc ab omni pravæ conversationis sorde, quam peccando contraximus, majorem jam virtutem in spirituali robore nactos a se purificandos, ad extremum vero per internam munditiam, quam cor purum, et conscientia solet habere bona, in se glorificandos.

VI. Quod autem præfatos magos, ut se cognoscerent, ad *domum panis* (hoc enim sonat Bethlehem) vocando incitavit; quid aliud sentire debetis, quod [*al.* quam quod] non est alibi cognitio veritatis, nisi in mansione internæ refectionis? Verus enim panis, ut scitis, verbum Dei est, per verbum itaque agnoscitur verbum : et illa mens evidenter veritatem, quæ Christus est, apprehendit, quam sana et catholica sermonis ejus intelligentia suaviter pascit. Ut ergo invenire possint puerum Jesum, magi vocantur ad Bethlehem : quia si pane verbi Dei in domo tua cares, panem illum verum, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo (*Joan.* VI, 33), apud te non habes. In Jordane vero, cujus nomen descensionem sonat, baptizatus est, quia nisi humiliaris, non justificaris. Nonne hoc sensit sanctus David, qui ait : *Bonum sibi esse, quia Deus eum humiliavit, ut discat justificationes suas?* (*Psal.* CXVIII, 17.) *Super quem*, inquit, *requiescit Spiritus meus, nisi super humilem, et trementem verba mea?* (*Isa.* LXVI, 2.) In Evangelio quoque ait : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus* **193** *vestris* (*Matth.* II, 29). Sit itaque in descensione, qui justificari desiderat, quoniam in Jordane Christum Joannes baptizat : *Et qui humiliat se exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11) : quia *nemo ascendit, nisi qui descendit* (*Joan.* III, 13). Descensio ergo humilitas est : et non alias quam in ipsa quis justificatur, sicut nec alibi, quam in Jordane Christus baptizatur. De qua humilitatis virtute, plura quæ dicenda essent præterimus, quia ad alia festinamus, eaque alia vice dicenda differimus.

VII. In zelo vero transmigrationis seu revelationis (hæc enim in se continere dicuntur hæc duo nomina, Cana et Galilæa) sancta hæc, de qua superius tractavimus, glorificatio confertur. Si enim cum zelo bonæ devotionis, de vitiis bene operando ad virtutes, de præsentibus ad superna pie desiderando passibus amoris transmigras; si ardenter amas per affectum, quidquid tibi evidenter revelatum est per intellectum : internam hanc a Jesu consecutus es glorificationem, qui in Cana Galilææ manifestavit gloriam suam. Itaque glorificationem istam consequeris, si pure contemplaris, si strenue operaris, si denique ardenter diligis, et quod contemplando apprehendis, et quod operando perficis. Hæc exprimere videntur revelatio, transmigratio, dilectio. Tria hæc, major autem horum est dilectio. Nam cum revelatio nonnunquam per falsitatis errorem seducat, transmigratio vero per appetitum vanitatis extollat. Hæc autem semper in lumine est si quid [*al.* et si quia] falsum suggeritur in revelatione sagaciter deprehendit, et quia non inflatur, si qua in transmigratione erumpere inflatio nititur, potenter eam prosternit. Igitur revelatio ad claritatem pertinet, quæ est in intellectu; transmigratio ad utilitatem, quæ est in effectu; dilectio vero ad puritatem, quæ est in affectu. Ita hoc triplici gratiæ dono sancta ista confertur glorificatio, quia quem revelatio per sanctam contemplationem illuminat, transmigratio per bonam actionem exornat. Zelus per puram dilectionem inflammat, eumdem consensum et interna suavitas glorificat. Videtis jam et patenter, ni fallor, agnoscitis quod nequaquam sine aliqua causa Dominus Jesus, in Bethlehem vocatis magis voluit manifestari; in Jordane baptizandis nobis voluit baptizari et glorificandis nobis voluit in Cana Galilææ glorificari.

VIII. Sed his de ordine, atque de locis manifestationum ejus breviter dictis, loquamur aliquid profusius sigillatim de eis, et primum de prima, in qua vocationem nostram diximus esse expressam. Audistis, sacro referente eloquio, quod *cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ in diebus Herodis regis, ecce magi ab Oriente venerunt* (*Matth.* II, 1). Fratres, quod sine mœrore gravi dicere non possumus, modo Herodis regis sunt dies. Regnat in his diebus malis, in his temporibus periculosis *pelliceus*, sive *pellis gloria*, utramque enim interpretationem in se habet Herodes: Beemoth loquor quem in Evangelio Dominus fortem armatum appellat (*Matth.* XI, 21): *cujus fortitudo in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus* (*Job* XL, 11), *omne sublime videns, rex est super omnes filios superbiæ* (*Job* XLI, 25). Imperat hodie super terram, et suam potenter tyrannidem exercet, princeps ille mundi, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas; qui seducit universum orbem serpens, inquam, pectore superbiæ, et ventre luxuriæ repens. Et ex re portat illud nomen elatum et immundum, quod est Herodes, qui pelliceas in his, qui secundum carnem vivunt : pellis vero gloria in eis, qui in carne gloriantur, lætantes *cum male fecerint, et exsultantes in rebus pessimis* (*Prov.* II, 14). Est enim idem serpens peste gemini veneni plenus, utpote qui rigidus et lubricus : quem vocat Isaias *Leviathan, serpentem tortuosum et vectem* (*Isa.* XXVII, 1) : qui in viis inanis gloriæ cupidos sibi subjugat, pellis gloria elatus. In utero vero carnis concupiscentiis deditos conculcat fetore pelliceo correptus. Videte, si non

Digitized by Google

potissimum sunt dies Herodis, dum tanta in filiis perditionis, hoc maxime tempore, et elatio in mente, et corruptio regnat in carne.

IX. Verumtamen in hisce pessimis diebus nascitur Jesus in Bethlehem Judæ: Quid putamus Jesum nasci in Bethlehem Judæ in diebus Herodis regis, nisi ipsum Jesum nonnullos habere *in medio nationis pravæ atque perversæ, lucentes quasi luminaria in mundo verbum vitæ continentes?* (*Phil.* II, 15.) Si etiam vultis recipere, Bethlehem Judæ, est sanctus et religiosus conventus iste, quem et interna in mente refectio impinguat, et **194** confessio sancta, tam in ore quam in opere exornat. Est enim confessio non modo in lingua, sed et in opere: alioquin non diceret Paulus, quosdam factis negare Deum, nisi sciret esse quosdam, qui et factis confitentur (*Tit.* I, 16). Si ergo domus David Bethlehem, quomodo non quamdam Bethlehem sanctam quam exercetis, dixerim conversationem quos regit Dominus, ut nihil vobis desit, in loco vos pascuæ collocans (*Psal.* XXII, 2); ut comedentibus vobis medullam terræ lacte et melle manantis, delectetur in crassitudine anima vestra, sicut adipe et pinguedine repleta? Cibat siquidem vos in mente ex adipe frumenti, et de petra, melle satiat vos (*Psal.* LXXX, 17), suavissimo vos divinitatis sapore, et sapidissima vos reficiens suavitate, per internam contemplationem: et dulcissimis nihilominus vos humanitatis exemplis impinguans per exteriorem mutationem. Sic autem cibati, et in intimis refecti penetralibus cordis, dum non solum Deo confitemini in verbis, sed et Deum confitemini in factis. Nescio qua ratione culpare me poterit aliquis, si Bethlehem vos Judæ appellavero; quos scio et in mente cibatos saluti insistere propriæ, et piam in ore confessionem emittentes laudi vacare divinæ, et Deum in opere sancto confitentes, necessitati succurrere fraternæ. Satis prolixe ut arbitror de hac domo panis, et de generibus hujus confessionis disputavimus in sermonibus quos in adventu habuimus. Quando videlicet ostendimus, quid hoc sit, quod asseritur Dominus venire in Bethleem ambulans super aquas redemptionis Judæ, quæ omnia necesse non est, ut nos repetamus. In hac Bethlehem Judæ natus est Jesus et in diebus Herodis: habens servos multos virtute spirituali fortes (utpote quorum nimis confortatus est principatus) septiformi spiritu plenos, qui sua non habent opera ad peccata inclinata; relinquens sibi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal (*III Reg.* IX, 18). Cum tamen abundent in his temporibus periculosis, quæ jam non instant, sed exstant: *Homines seipsos amantes, cupidi, elati, blasphemi, parentibus non obedientes*, et alii in hunc modum homines monstruosi, quos in subsequentibus amplius describit.

X. Non potest jam civitas hæc sancta abscondi, quæ nequaquam minima est in principibus Juda: ex qua exit dux qui regat populum Israel; nec se patitur lucerna hæc accensa sub modio, sed super candelabrum (*Matth.* V, 15); ut ingressuri domum videant lumen. Hinc est quod nato in Bethlehem Judæ (*Matth.* II, 5) Jesu, stella apparet præfulgens; stella, inquam, sicut flamma coruscans, et Regem regum Deum demonstrans. Tanto namque talique lumine splendet; tanta fulgoris novitate præfulget, ut videntes eam magi dicant ad invicem: [Hoc signum magni Regis est, eamus et inquiramus eum, et offeramus ei munera, aurum, thus, et myrrham (275)]. Fratres, quid vobis videtur nos posse dicere de stella ista? micat ab Oriente usque ad Bethlehem. Magis apparet in Oriente, eorum in se animos sui novitate concutit, ipsos in itinere protegit, et ducem se eis exhibens usque ad Bethlehem, ubi est puer Jesus perducit (276). Dicamus, consulo, si vobis aliquid ad præsens melius non patet, quod stella præclara homines istos, qui tam longe erant, perducens in Bethlehem, ut adorent Jesum, fama est lucida sæculares (quia longe a peccatoribus salus [*Psal.* CXVIII, 55]) ad religiosam et sanctam pertrahens conversationem, ut salubrem apprehendant et exerceant statum, usque ad Bethlehem eos perducit; sed prius eis in Oriente apparet; nam quomodo famam, quam sanctitas ex se religionis emittit, sequi possent, nisi vel aliquantam veritatis notitiam haberent? *Vidimus*, inquiunt, *stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum* (*Matth.* II, 2). Nequaquam ad adorandum eum de tam remotis finibus concurrissent nisi eius prius stellam vidissent.

XI. Merito dixit vir sanctus crudelem esse, qui famam suam negligit. Quia sicut neglecta ruina audientibus ad malum est, ita in integritate veritatis, sive illæsa servata, materia et occasio ad bonum est, et hanc esse arbitror causam, ob quam nos hortatur Apostolus, ut provideamus bona, non tantum coram Deo, sed et coram non quibusdam, sed omnibus hominibus (*Rom.* XII, 17), qui etiam rursus monet nos, ut honeste ambulemus ad eos, qui foris sunt (*I Thess.* IV, 11). Irreprehensibiles vos exhibete coram sæcularibus, nihil in vestro verbo vel opere, nihil in habitu et gestu sit, quod eis offendiculum esse possit. Unde et idem, de quo loquitur Paulus: *sine offensione*, inquit, *estote Judæis et gentibus et omni Ecclesiæ Dei*, **195** *sicut et ego per omnia in omnibus placeo: non quærens quod mihi utile; sed quod multis, ut salvi fiant* (*I Cor.* X, 32). Væ illis, qui sub habitu religionis coram non religiosis ad subversionem eorum, irreligiose se habent: tam inordinate, tam inhoneste se coram eis habentes, ut nomen Dei blasphemetur per ipsos inter gentes. Nimirum expediret eis ut suspensa mola asinaria in collo eorum demergerentur in profundum maris, quam sic scandalo esse pusillis (*Matth.* XVIII, 6). Quid enim sub sæculari agerent velamine? et sicut fortassis minoris esset culpæ, sic etiam minoris forte et pœnæ. Quod vero sub humilitatis habitu

(275) Ex officio Epiph. ant. ad *Nunc dimittis*.

(276) Antiph. ad *Magn.* in primis vesp.

Digitized by Google

faciunt, ideo gravius merentur supplicium : quia gravius judicatur id esse delictum. Illud enim simplex quod malum est, hoc vero duplex, certe et triplex est.

XII. Primum namque est, quod malum facis, quod nulli licitum prorsus est, sub quacunque professione sit. Secundum vero quod sub habitu sanctitatis, opus committis iniquitatis, effectus jam quasi sepulcrum dealbatum. Tertium vero quod illis occasio es ad subversionem, quibus esse debueras ad erectionem : pravo tuo exemplo prostituens ad ima, quos bono elevare debebas ad summa. Cur non jam majore securitate et audacia committat sæcularis malum, quod a religioso videt frontose commissum, quamvis etiam id noverit plene esse malum? Nam velamen quoddam sibi assumit excusationis hoc quod agit : dum id ab eo videt committi, qui habitu indutus est religionis. Væ igitur ei, per quem contingit hoc modo nomen Domini blasphemari inter gentes (*Rom.* II, 24) : et ei maxime, per quem idem nomen potissimum debuit inter eas honorari. Quod a vobis væ, longe magis semper et magis faciat, Dominus noster Jesus Christus, qui est cum Patre et Spiritu sancto Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLIV.

ITEM IN DIE EPIPHANIÆ.

De vocatione et ablutione nostra spirituali.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Ut nomen Dei a nobis honoratur, et benedicitur. — 2. Famæ bonæ conciliandæ modus. — 3. Stabilitas famæ oritur ex stabili sanctæ vitæ conversatione. — 4. In cœnobiis necessaria est sancta puritas ac internæ gratiæ adminicula : indisciplinata monasteria carpuntur. — 5. Querimonia sæcularium de inordinato statu quorumdam monasteriorum. — 6. Tria magorum munera commendant viris religiosis studium lectionis, puritatem orationis, utilitatem bonæ actionis. — 7. Quam necessaria et utilis triplicis exercitii praxis. — 8. Humilitas virtutum acquisitrix, custos, et restauratrix. Omne quasi mutuo acceptum reputat. — 9. Insignis Christi humilitas in ejus relucet baptismo. — 10. Tres humilitatis gradus totius habent mensuram justitiæ. — 11. Supereminens humilitatis actus exemplo Christi exercendus. — 12. Alia humilitas cordis, alia oris, alia operis. — 13. Humilitas alienos defectus extenuat, suos incusat : instar arboris radice, flore, fructu decora. — 14. Modi humilitatis sex recensentur, ac explicantur. — 15. Intentionis necessaria puritas, virtuti mercedem debitam expetit, atque exspectat.

I. In fine sermonis illius, qui hunc proxime præcessit, diximus quod væ illi homini est, per quem nomen, Domini blasphematur (*Rom.* II, 24). Dicimus autem in exordio istius, quod econtra pax homini illi, per quem nomen benedicitur Salvatoris. Quis est hic et laudabimus eum? fecit enim non minus salubria, quam laudabilia in vita sua. Hic enim est, qui ita se intuentibus circumspectum et aptum, ita religiosum et sanctum exhibet : ut nihil A in eo videri, nihil de eo audiri queat, quod cujusquam aspectum, vel auditum offendat; effectus sancta, qua pollet, conversatione agente; et malis timori, et bonis amori, utrisque autem venerationi. Fama vero hujus, quæ late crescens circumquaque volitat, quid nisi præclara et lucida quædam stella est, quæ dum nihil in se habet, nisi quod ad Deum pertinet, et quod eum aliis ad exemplum intuentibus placet, jure de ea dici solet : [stella ista sicut flamma coruscat, et regum Regem Deum demonstrat. Magi eam viderunt, et magno Regi munera obtulerunt] (277) sicut flamma coruscare dicitur propter copiosum sanctitatis et sanctæ **196** lucis exemplum, quod intuentibus ad imitationem spargere non ignoratur, et Regem regum Deum demonstrat.

B II. Quam plenum et sufficiens testimonium! Felix qui toto conamine studet ut talis sit, quatenus quidquid in eo videtur, quidquid in eo auditur, totum sine ulla exceptione summi Regis demonstratio sit; regnum Dei in se advenisse, regnum Dei etiam intra se esse, verbis et operibus, moribus et cunctis suis motibus ostendit; nihil non maturum præferens in vultu, nihil non disertum in affatu, nihil non humile in habitu, nihil non parcum in victu, nihil non irreprehensibile in gestu, nihil denique non grave in incessu. Nihil ad se admittit curiosum per aspectum, nihil vanum per auditum, nihil voluptuosum per olfactum, nihil gulosum per gustum; utque de quinque sensibus præteriisse videar nullum, nihil impurum per tactum. Cum itaque talis C est in veritate fama de ipso volitans, nonne ipsa stella quædam est, sicut flamma coruscans, et Regem regum Deum demonstrans? Quidni jam festinent magi Christo Regi munera deferre, cum illis contingit eam videre? currunt namque cum muneribus suis sæculares devotionis suæ ad novitatem sanctæ conversationis, quam audiunt de eis. Videtis ergo quia stella in causa fuit, quod magi venerunt ad Jesum. Simili modo intelligitur quia his, qui in sæculo sunt, hominibus veritas bonæ et veracis famæ occasio est, ut ad salubrem accedant conversationem.

III. Sed necesse est ut veracis famæ bonitas et bonæ famæ veritas perseverans sit. Sit itaque stabilis sanctitas vitæ, ut sit consequenter stabilis et D integritas famæ. Nimis enim gravis hominem confusio involvit, cum mala de eo exigente reproba conversatione publicantur, de quo prius bona, clamante conversatione religiosa, divulgabantur. Hanc autem, de qua modo loquimur, bonæ et veracis famæ perseverantiam hoc innuere videtur, quod de hac stella legitur : quia *antecedebat eos*, haud dubium quin magos, *usque dum veniens staret supra, ubi erat puer* (*Matth.* II, 9). Nam quid est magos antecedere, donec eos ad puerum Jesum perducat : nisi bonam et veracem sanctitatis famam perseverare? Hoc enim est stellam a sua integritate non minui, quousque eos, quos ad novæ conversationis

(277) Ex officio Ecclesiæ Antiph. ad *Nunc dimittis*.

Digitized by Google

amorem invitat, ad salubrem quam mentis affectu conceperunt, puritatem (ipsam enim designat puer Jesus), etiam per effectum boni trahat.

IV. *Et intrantes domum*, ait sanctus Matthæus, *invenerunt puerum cum Maria matre ejus.* O dilectissimi et desideratissimi fratres mei, non ambigo quin plures perductura sit stella nostra, qui adhuc longe sunt, ad hanc sanctam, in qua vos commoramini, Bethlehem. Studete, quæso, sollicite, ut intrantes domum inveniant puerum, cum Maria matre ejus; hoc est, ut puritatem inveniant sanctam, et gratiam internam apud vos. Quid enim aliud est cum Maria matre ejus puer Jesus in domo, nisi salubris puritas, cum interna gratia, quæ puritatis ejusdem auctrix et donatrix est in cœnobio? Quæ duo bona dum a noviter conversis reperiuntur in cœnobiis, quasi puer Jesus et mater ejus ab intrantibus magis invenitur in domo. Sed longe aliter in multis hodie locis contingit, quæ etsi veraciter dicere possumus, ob quorumdam tamen opprobrium, dicere pertimescimus; quia videlicet dum apud eos domum magi introeunt, nec puerum, nec Mariam matrem ejus inveniunt. Nunquid enim tu ibi puerum asseres Jesum, ubi nihil est purum pertinens ad salutem, sed magis quidquid impurum spectans ad damnationem? Ita profecto, ita penitus ibi est: ubi sunt inflationes et invidiæ, contentiones et iræ, dissensiones et discordiæ, perturbationes et rixæ, lites et contumeliæ, detractiones et blasphemiæ, simulationes et scandala, susurrationes et odia; ubi etiam filii comedunt patres, patres carnes comedunt filiorum, provocantibus eis invicem, et comedentibus eis invicem; sed et invicem mordentibus, et dilaniantibus, ac per hoc ab invicem consumendis (*Gal.* v, 15). Itaque et ibi non est Jesus, ubi tam prælati quam subjecti pleni sunt dolo et malignitate, *susurrones, detractores, Deo odibiles*, contumeliosi, superbi, elati, *parentibus inobedientes* (*Rom.* I, 30 et seqq.): filios ad iracundiam provocantes (illud de rebellibus subjectis, hoc de procacibus dico prælatis) insipientes, incompositi, sine affectione, absque fide sine misericordia; hoc de sociis dico inordinatis. Ubi, inquam **197**, talia in monasteriis sunt, inveniri non potest puer Jesus. Nam quid in istis puritatis, quid salutis? Sed nec mater ibi ejus invenitur Maria, cum nihil sit ibi internam et spiritualem gratiam repræsentans, quæ ejusdem salubris puritatis est auctrix.

V. Hoc est quod graviter solent conqueri nonnulli, circa salutem propriam scrupulosi et avidi, qui bona quidem intentione sæculum despicientes, et ad conversionem pro animarum suarum salute venientes; sed eamdem, quam se reperturos sperabant salutem non invenientes, aliquando in hanc vocem prorupisse comperti sunt. Hiccine, inquiunt, status ille ad salutem animæ pertinens, quem sub religionis et sanctitatis habitu latere putavimus? nunquid ob animarum nostrarum salutem huc nobis persuasimus veniendum? Et ecce vel nulla, vel admodum parva hic salus animæ habetur. Tanta abundat iniquitas, refrigescente charitate: non jam quidem multorum, sed pene cunctorum. Quid enim si habitum circumferant religionis? nam irreligiosi sunt, quantum ad conversationem: latet quippe apud eos sub indumento humilitatis elatio, sub puritatis immunditia, sub quietis perturbatio, sub pacis dissensio, sub lenitatis, inflatio; odium, sub charitatis; corruptio sub honestatis; sub benignitate, æmulatio: sub tegumento denique magnæ sanctitatis malitia non exiguæ pravitatis: omnes pene a professionis sublimitate declinaverunt, frangunt quotidie vota sua, quæ distinxerunt labia sua (*Psal.* LXV, 13): vix invenitur aliquis qui faciat bonum, tantus est numerus eorum, qui *abominabiles facti sunt in studiis suis* (*Psal.* XIII, 1); pene quisque quod libet facit, et quod non licet id audaciter committit. Et quod magis deflendum est, dum unum in malum universi habent consensum, quidquid agunt illicitum, transit impunitum. Non sic ad memoriam istorum revoco querelam, ut horribilia et detestabilia hæc apud vos existimem monstra regnare. *Vos enim non ita didicistis Christum, si tamen ipsum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Christo Jesu* (*Ephes.* IV, 20). Sed sicut mala hæc usque modo longe fuerunt a vobis: ita magis ac magis semper longe sint. Non inveniantur, inquam, hæc mala apud vos, sed magis quæcunque sancta, quæcunque bona, quæcunque salubria, quæcunque utilia, quæcunque pia, quæcunque honesta, quæcunque religiosa, quæcunque pudica, quæcunque pacis, quæcunque ædificationis, quæcunque amabilia et bonæ famæ sunt (*Phil.* IV, 8): ut quicunque ex his qui adhuc foris sunt, intrare voluerint domum vestram, confestim invenire possint in ea puerum Jesum cum Maria matre ejus.

VI. Hoc autem una cum matre sua invento, dicit evangelista, quod *procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt munera* (*Matth.* II, 11). Quod eos audis procidentes adorasse, humilitatem devotionis, seu devotionem humilitatis intellige. Quod vero apertis thesauris suis munera obtulerunt, agnosce bonum in eis propositum eatenus occultum, in pia conversatione et sancta, ostensum. Nam procidentes adoraverunt, ut semetipsos in cunctis humiliantes nonnullam sibi devotionem inesse demonstrent. Apertis vero thesauris munera offerunt, dum prout primitus apud se conceperunt, in aperto bona opera ostendunt, eaque Deo deputant. Si quis quærit de illis muneribus quæ et quod sint, accipiat aurum, thus, et myrrham; tria hæc, salvo autem illo sensu communi tam allegorico, quam morali, qui eo magis notus, quo sæpius inter orthodoxos repetitus est; ego per hæc munera triplex quoddam puto posse accipi exercitium, quod necesse est studiose frequentet, qui in communi; quam elegit [*al.* elegerit] vita fructuose stare desiderat. Est autem triplex exercitium istud, studium lectionis, puritas orationis, utilitas bonæ actionis.

Digitized by Google

Quicunque vitam communem professi sunt, semper prout opportunitas se præbuerit, vel in lectione, vel in oratione, vel in opere manuum reperiri debent. Et studium quidem lectionis per eruditionem illuminat, devotio vero orationis per puritatem sanctificat, labor utique bonæ actionis per utilitatem fructum præstat. Primum itaque exercitium accipe per aurum; secundum per thus; tertium per myrrham. Nam quod nitet metallum auro pretiosius? quid inter charismata spiritus sapientia sublimius? et ipsa quando apprehendetur, nisi sacra studiose lectio frequentetur? Suaviter thus redolet, et suavem coram Deo odorem devotio, et pura oratio præbet. Myrrha quoque, ut aiunt, a putredine corpus mortuum custodit: et tam animam ob otiositate, quæ ei inimica est, quam carnem a voluptate, **198** quæ ad libidinem ei provocatrix est, assiduitas bonæ actionis, et labor rigidæ mortificationis alienam reddit.

VI. Magi ergo isti, qui domum, in qua Jesum inveniunt, et matrem ejus Mariam, introeunt, aurum, thus et myrrham offerunt Christo, ut nos, fratres charissimi, suo instruerent exemplo, quatenus qui hunc jam locum intravimus, et intrantes inhabitamus; ubi et status animæ salubris, et interna gratia est, studiose et diligenter insistamus lectioni, et puræ ardenter incumbamus orationi, et necessariæ non negligenter, carnem mortificando cum vitiis et concupiscentiis, insistamus actioni. Et de studio sacræ lectionis, dicimus quod mentem illuminet, contra ignorantiæ obscuritatem; de puritate devotæ orationis, quod sanctificat contra illicitam seu carnalis seu spiritualis appetitus voluptatem; de assiduitate bonæ actionis, quod exornat contra eam, quæ animæ est inimica, otiositatem (*Eccli.* XXXIII, 29); de mortificatione vero carnis, quod ipsa vera myrrha est, quia dum corporis vitia premit, animam quoque ad spiritualia levem reddit. Hæc de adventu magorum ad Christum, in quo diximus vocationem esse expressam, in quo et primam exhibemus mundo manifestationem concessam. Secundum vero habemus in baptismo ejus, quia nos primitus vocamur, et vocati emundamur. Primum namque vocat nos *de tenebris in admirabile lumen suum* (*I Petr.* I, 9); deinde vero emundat *conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi* (*Hebr.* IX, 14), et ipse quidem in Jordane baptizatus est: quia et spiritualis nostra emundatio in humilitate est. Descensionem etenim Jordanes sonat, et descendere humiliari est.

VII. Descendamus itaque ut humiliemur; humiliemur ut emundemur: quia cum humiliaris tunc solum emundaris. Sicut enim juxta sententiam sapientis: *immundus est omnis, qui exaltat cor suum;* sic nimirum, qui veraciter se humiliat, pronuntiatur sine dubio mundus. O sancta, et inter virtutes cæteras veraciter sanctificans animam humilitas! cujus est in nobis et virtutes, et cum desunt, acquirere, et cum adsunt, custodire, et cum forte subtractæ sunt, restaurare. Hoc enim proprium esse humilitatis officium, etiam proprio jugiter experimento sentimus. Legimus etiam tam indictis quam factis sanctorum ita esse. Quid enim in se beata Maria Dominum asserit respexisse, quo eam beatam dicerent omnes generationes, nisi humilitatem? *Respexit*, inquam, *humilitatem ancillæ suæ* (*Luc.* I, 48). Quod autem humilitas virtutum omnium non modo acquisitrix, sed et custodia sit, quid lucidius eo quod Dominus per servum suum ait, *super quem requiescit Spiritus meus, nisi super humilem?* (*Isa.* LXVI, 2.) Ut vero ipsam esse agnoscas, quæ virtutem reparat, cum forte fuerit amissa, reduc in memoriam illud Elizæi miraculum insigne: qui præciso ligno ferrum elapsum, et de profundo evocavit, et ei, qui amiserat restituit (*IV Reg.* VI, 7). Hoc autem quotidie noster calvus, illum loquor qui in loco Calvariæ est crucifixus: cujus quoque capilli defluxerunt, dum discipuli relicto eo fugerunt (*Matth.* XXVI, 56); ille, inquam, noster Elizæus hoc nobiscum benigne agere non omittit, dum mentem per humilitatem quidem confringit, et amissum forte, per elationem occultam, gratiæ donum restituit. Quod quidem apud eum meretur impetrare humilis illa confessio ejus, quæ tali resonabat clamore Elizæi: *Heu, heu, Domine mi! et hoc ipsum mutuo acceperam* (*IV Reg.* VI, 5). Quid enim habemus quod non accepimus? Sed parum est, debueram enim dicere: Quid habemus quod non mutuo accepimus? Quidquid autem mutuo accipitur, reddendum est; reddere utique debemus quod accepimus, et reddere cum usura. Omnis itaque gratiæ, quam sic accepimus, humilitas est in nobis et acquisitrix absentis, et conservatrix collatæ et restauratrix subtractæ. Ibo mihi ad eam, et assumam eam mihi sociam individuam, ut veniant mihi omnia bona per illam; cum gratiam sentio præsentem, ipsa custodiet eam ne perdam: absentem, et forte subtractam ipsa restaurabit, ut mihi restituatur.

IX. Hanc autem nobis diligenter acquirendam, et jugiter retentandam humilis Jesus edocuit: quam cum in omnibus factis suis excellenter, specialiter tamen in baptismo suo eam ostendit; inclinans se baptizandum manibus Joannis, cum omnis prorsus esset contagii, quod abluerentur immunis. Quis non obstupescat, dilectissimi, videns summam puritatem venire ad ablutionem, Deum properare ut abluatur ab homine, Dominum a servo, innocentem a peccatore, Christum a Joanne? *Venit enim*, ut ait evangelista, *Jesus ad Joannem, ut baptizaretur ab eo* (*Matth.* III, 13), super qua causa adventus ipsius **199** obstupuit idem vehementer Joannes: sicque ad prohibitionem statim humiliter se convertit, *ego*, inquiens, *a te debeo baptizari, et tu venis ad me* (*Matth.* I, 14)? cui respondet Jesus: *Sine modo*, et adjunxit: *sic enim decet nos adimplere omnem justitiam* (*ibid.*). Quid, quæso, est hoc, o bone, o benigne, o mitis et humilis Jesu? Quid est quod dicis, sic implendam esse omnem justi-

Digitized by Google

tiam? tu, qui non solum omnem justitiam imples, sed ipsa vera summaque justitia es, instrue me, cur in hoc omnem imples justitiam, quod cum veneris, ut baptizeris ab eo, qui a te debet baptizari? Et audio te, mi Jesu, aure cordis respondentem ad hæc. Ideo in hoc omnem implebo justitiam, quia in hoc summum et supremum humilitatis impleo gradum.

X. Est enim primus ejus gradus, quem ostendit ille, qui se subdit majori, non se præferens æquali. Est autem altior illo, cum per amorem fraternitatis, quæ nunquam superbire novit, aliquis se subjicit æquali: sed nec minori se judicat præferendum. Si autem tantæ humilitatis sublimitati intuleris vim, ut etiam usque ad summum ipsius evadas, prosternens te etiam minori tuo, efficeris proinde subjectus omni humanæ creaturæ propter Deum, profecto jam nescio, quid tibi desit ad omnem justitiam, cum nullum pateris esse minorem; nec illum quidem, quo te constat longe esse superiorem. De qua nimirum humilitatis perfectione videtur mihi fecisse mentionem, quando dixit in hoc se omnem justitiam impleturum [*al.* esse se, vel impletum]: quando venit ut ab eo baptizaretur, qui debuit a se baptizari. Vade et tu, fac similiter, id per humilitatem tuo offerens et impendens minori, quod illi debitum est offerre, et impendere tibi: et implesti omnem justitiam.

XI. Quod nimirum tunc sublimiter facis, cum per humilitatem tuam illum ad lenitatem studes adducere, quem constat in te deliquisse: vere opus bonum et sanctum, opus grande et sublime hoc, in quo non solum te non defendis, ut des locum iræ, sed et accusas, ut auferas locum iræ non victus a malo, sed vincens in bono malum (*Rom.* XII, 21). Sed ad hæc superbus forte aliquis dicet: absit, non fiat hoc; quia fieri non decet: nam supra Evangelium, ac per hoc contra Evangelium est. Præceptum quidem Evangelii accepi, ut peccanti in me fratri meo, et veniam petenti remittam (*Matth.* XVIII, 15); sed ubi mihi præcepit ut ad hoc me ei humiliem, qui in me offendit, ut eum ad mansuetudinem traham? Evangelium appellasti? ad Evangelium ibis. Prædicationem Pauli quis esse Evangelium neget; qui dicit ab homine se non accepisse, vel didicisse, sed per revelationem Jesu Christi? Et ipse evangelizat *Deum fuisse in Christo, mundum reconciliantem sibi* (*Gal.* I, 12). Habes itaque exemplum in ipso Deo, ut etiam illum, qui in te peccavit, per humilitatem tuam ad mansuetudinem trahere procures; dum ipsum audis, Deum per Christum reum sibi reconciliasse mundum (*II Cor.* V, 19). Et quomodo sibi per Christum reconciliavit mundum? subjunxit idem Paulus: *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis, peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* (*Ibid.*, 21). Pro nobis, qui nihil novimus nisi peccatum, eum, qui non novit peccatum, fecit peccatum. Quatenus et tu non te excuses, quasi non commiseris peccatum, etiam in eo, quod non commisisti peccatum: ut et illum ad humilitatem pertrahas pœnitentiæ, qui te offendendo commisit peccatum. Nonne hoc est quodammodo te mundum venire ad eum, ut quasi purificeris ab eo, qui ad te venire debet, ut sordidus mundetur a te? et sic agere omnem justitiam implere est.

XII. Videtis jam, ut arbitror, quod humilitate baptismus Christi totus plenus redundat; spiritualis namque emundatio nostra in humilitate consistit. Sed hæc, de qua loquimur, humilitas ut plena sit: in corde, in ore, atque in opere sit: et in corde quidem dupliciter, quatenus et humiliter de teipso, et sublimiter sentias de proximo tuo. Primo itaque bona tua, si quæ sunt tibi, abscondens ab oculis tuis, subjice, et tam mala, quæ adsunt, quam quæ bona tibi desunt, mentis tuæ jugiter aspectui repræsenta. Unde quibus et qualibus, quot et quantis peccatorum molibus oneratus es; quam proclivis et velox ad ima vitiorum, quam invalidus et piger ad ardua virtutum attente recogita, circumfer oculos ad viros virtutum, a quibus te vides in omni sanctitate superari; et considera quam longe te sint in humilitate superiores, in charitate benigniores, in patientia fortiores, constantiores in longanimitate, quietiores in tribulatione, in abstinentia rigidiores, in castitate nitidiores, in moribus suaviores, in virtutibus ditiores, devotiores in orando, puriores in speculando, mundiores in meditando, magis in contemplando suspensi, in lectione studiosi, in gravitate vultus 200 maturi, in parcitate victus moderati, in mediocritate habitus honesti, in loquendo discreti, in agendo strenui: et qui sunt denique longe magis quam tu, semper et ubique et erga unumquemque circumspecti, omnis et temporis et loci, et personæ et modi observantes sollicite.

XIII. Quod si forte quid apud eos, quod digne in aliquo reprehendi possit, intueris, cogita statim quod id in eis fortassis reddit excusabile, vel infirmitas, vel ignorantia, aut magna sanctitas eorum, qui in aliis excellentius præpollent, seu aliquid aliud, quod si in te esset, excusationem penitus nullam haberet, et si est, gravi ultione plectendum est. His omnibus, et quæ in hunc modum sunt, diligenter inspectis, conscende tribunal mentis tuæ, et concionante ratione et rectitudine judicii ipsius, intellige in quantum apud te et ipse jaceas in imo: ut proximi tui opera consistant in summo. Et cogitationes istas, quasi quasdam dixerim esse hujus arboris salubris, quæ humilitas est, radices. Quibus, quo profundius figitur in interioribus mentis, eo et excelsius crescere poterit in exterioribus corporis. Excrescit namque confestim in immensum, magnum quemdam et admirabilem ex se præferens et in foliis decorem, et in pomis saporem illum, quo prospicientes delectati gaudeant; hunc autem, quo edentes refecti pinguescant. Nec jam timendum ei, vel a ventis verborum, quantumcunque detra-

Digitized by Google

liendo, sive comminando tumultuent ; vel a flumi- A piger ad honorem : non modo tua, si quæ tamen nibus tribulationum, quantumcunque tribulando sæviant, planta est enim profunde in horto mentis infixa [*al.* plantata ex puncto lii infixa], et innititur fortiter radicibus multis et magnis. Hujus folia arboris, verba sunt veræ humilitatis, quæ et ipsa prout radices illæ ab intimis mentis crescunt, et gemino modo erumpunt, dum propria semper mala reprobans, laceras carnes tuas dentibus tuis, animam portans in manibus tuis, et bona proximi approbans, humilibus ea præconiis extollis, ita tamen, si omni in plene caruerit et tua accusatio simulatione, et illorum laudatio adulatione. Alioquin diminuetur veritas in te, dum sic labia tua dolosa in corde et corde loquuntur (*Psal.* xi, 3) : et tu sic ore quod verum est profers, ut quod B falsum est corde retineas. Absit longe impuritas hæc a vobis, turpissima utique et detestanda. Quod enim magis detestandum impuritatis genus, quam istud, quo turpiter infectus ideo te accusas ut laudes : ideo alium laudas, ut accuses ; ore tuo benedicens et corde tuo maledicens ? Convertite semper gladium vestrum in carnem vestram, confitemini adversum vos injustitiam vestram, et proximorum vestrorum bona extollite, ut semper in ore vestro sonet verbum et alios laudans, et vosipsos vituperans et reprehendens. Post folia verborum sequitur fructus operum, quos tunc suaviter carpitis, cum juxta exhortationem apostolicam, honore invicem prævenitis (*Rom.* xii, 10).

XIV. Et sicut de corde et ore diximus, sic et de C corpore nostro dicimus, quia dupliciter in ejus motibus humilitatem ostendere debemus : primo nos ipsos semper et ubique dejiciamus, deinde ut proximis nostris deferamus, et innitatur quidem hic geminus humilitatis modus, illi, quem tam in cogitatione, quam locutione habendum esse diximus. Primum itaque stude omnem semper in vultu gravitatem circumferre cum dulcedine, et dulcedinem cum gravitate ; et in habitu vilitatem cum honestate, curans, ut breviter dicam nihil non humile in incessu, in statu, in gestu, vel in aliquo motu ostendere ; novissimum ubique quantum in te est, locum elige : et cum forte ad aliquid quod sublime esse videtur, te vocari contingit, sic non improbe in- D sistas, ut tamen humiliter recuses : sic non frontose recuses, ut tamen verecunde excuses. Et si ita res exegerit, tolerandum invitus suscipias, et nequaquam amandum tibi resolutus putes ; nunquam tamen appetas, multo minus certe te ingeras. Deinde sicut in humilitate spiritus alios superiores arbitraris, in humilitate sermonis etiam alios superiores confiteris ; ita necesse est, ut eos nihilominus, in humilitate officii, superiores quoque exhibeas : ubique propter eos officiosus, et devotus discurrens : superiorem eis in omni sermone, et negotio locum tribuens, honore semper eos, et ubique prævenions, sudare cum eis appetens, sublimari refugiens, velox et promptus ad laborem, tardus et

sunt, sed etiam te tibi parce concedens, illis autem tam te, quam tua largiter impendens. En sex vobis ostendimus modos, quibus veræ humilitatis virtutem exercere debetis : duobus quidem in corde, de nobis ipsis humilia, et de proximis nostris sentientes sublimia. Duobus **201** et in ore : nos ipsos sine dissimulatione accusantes, proximos vero nostros sine adulatione extollentes. Sed et duobus in corpore : nos semper et ubique postponentes et dejicientes, illos autem præponentes et honore prævenientes.

XV. Est et septimus quidam, qui horum omnium causa et fructus, initium et finis est. Ipse est qui veram intentioni nostræ confert puritatem, quam Dominus in Evangelio oculi nostri appellat simplicitatem : quam si habueris in corpore tuo, luce non carebis (*Matth.* vi, 22). Hanc autem intentionis puritatem omnium nostrarum humilium tam cogitationum, quam locutionum, et actionum ideo dixi causam esse et fructum ; quia ad habendas eas ipsa nos excitare, et ut fructuose habeamus, ipsa nihi lominus debet nos erigere. Nihil enim tibi prodest, quod humilia de te, et sublimia de proximo tuo sentis : quod te reprehendis, et illum erigis : quod te dejicis, et illum extollis, nisi tam humili hoc intentione exercens, ut et in virtute, virtuose quod virtutis est agas et peragas ; et pro virtute mercedem, quæ virtuti debetur, expetas et exspectes. In virtute siquidem quod virtutis est virtuose et agis, et peragis, si in his humilitatis, cæterisque sanctitatis exercitiis, quæ ad eamdem humilitatem, sive sanctitatem aliam quamlibet, cujus sunt exercitia, pertinent, facere utiliter et perseveranter non omittis. Mercedem utique virtuti debitam expetis et exspectas, si excluso omni, tam favoris humani, quam terreni, alicujus hujusmodi appetitu, solam supernam retributionem et voluntate devota adipisci desideras, et spe certa te adepturum speras. Jam de tertia Christi manifestatione, quæ ad præsentem pertinet diem, in qua aquam mutando in vinum ad nuptias manifestavit gloriam suam, tractare nobis incumbit, sed id aggredi modo non valemus ; sed cum die suo Evangelium de manifestatione illa lectum fuerit, tunc quod ipse nobis de ea manifestare dignabitur, et nos manifestabimus vobis, ostensuri etiam charitati vestræ quædam, quæ de hac ablutione spirituali mente revolvimus, ad ædificationem vestram, et laudem, et gloriam suam, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLV.

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM.

De spirituali nostra ablutione, quæ in humilitate consistit : et de internis nuptiis mentis, quas simul celebrant Deus sponsus et anima sponsa.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Naaman Syrus et leprosus in typo homini superbo et luxurioso prælusit. Luxuria est pœna superbiæ. — 2. Inhonestas lepræ luxuriam, principatus militiæ superbiam notat. — 3. Ex dictamine rationis post peccatum converti-

Digitized by Google

tur voluntarie homo ad animæ suæ medicum. — 4. Virtus humilitatis nos a triplici sorde emundat. — 5. Perioche evangelica nuptiarum in Cana Galilææ, quibus Jesu cum matre, et discipulis interfuit. — 6. Nuptiæ sunt veri amoris symbolum, quo Deus sponsus, et anima sponsa copulatur. — 7. Circa animam sponsam, quatuor operatur Dominus. Primo lavat immundam per sui agnitionem. — 8. Vox pœnitentis animæ, et Deum sibi conciliantis offensum. — 9. Secundo, reparat discissam per opera justitiæ; subministrando gratiæ suæ præsidium. — 10. Quænam sint novæ conversationis insignia. — 11. Tertio, coaptat ad decorem. — 12. Sollicitudo servandi decoris in anima. — 13. Quarto, consummat ad perfectionem. Perfectæ animæ, et amplexum Sponsi desiderantis emblemata.

I. Tenuit nos diutius quam putavimus, in sermone præcedenti, verbum quod ad vos habuimus de humilitate, in qua ablutionem nostram diximus consistere spiritualem: cujus genera cum plura sint, septem nos descripsimus. Primum et secundum diximus habendum in corde; tertium et quartum in ore; quintum et sextum in corpore; septimum vero in interna intentione. Et videte, ne forte istæ sint septem vices, quibus ex præcepto Elisæi in Jordane se lavat Naaman, ut recipiat in sanitatem caro ejus, atque mundetur (*IV Reg.* v, 10). Naaman *decorem* sonat, et designat hominem qui, quantum ad naturam quidem decorus est, pro eo quod ad imaginem et similitudinem Dei conditus est, qui dum superbiam exercet, quæ principatum gerit inter vitia quæ ad militiam pertinent regis **202** pessimi, qui omne sublime videt, pro eo quod *Rex est super omnes filios superbiæ* (*Job* XLI, 25), quasi hic Naaman princeps est militiæ regis Syriæ; quia Syria *sublimis* interpretatur. Et dum ei, qui sibi in peccato dominatur, tam in magnitudine tumoris, quam in appetitu illiciti favoris, placet: quasi magnus est apud dominum suum, et honoratus; dumque de spirituali robore, quo valet, et de copia, qua abundat, stuperbit, in impuritatem nonnunquam luxuriæ cadit: ad quod pertinere videtur, quod de ipso dicitur, quod *vir fuit fortis, et dives, sed leprosus* (*IV Reg.* v, 1). Solet enim justo Dei judicio, qui se in tumorem erigit elationis, in voraginem nonnunquam cadere corruptionis: ut evidenter agnoscat prostratus, per luxuriam, in carne, quam immundus erat coram Deo, erectus per superbiam in mente. Unde Propheta orat, ut non veniat ei pes superbiæ, nec manus peccatoris moveat eum (*Psal.* XXXV, 12), pro eo quod ibi cadant, qui operantur iniquitatem, expelluntur, nec possunt stare: ostendens, ni fallor, in verbis istis non se multum approbare in Naaman, vel robur fortitudinis, vel divitiarum abundantiam, quem fœdatum esse conspicit per lepram.

II. Nam quid est inhonestas lepræ, nisi peccatum luxuriæ? Ideo a castris Israelitarum Moyses ejecit leprosos (*Num.* v, 2), quia a consortio sanctorum lex eliminat luxuriosos. Est itaque homo per naturam decorus Naaman, et per sublimitatem superbiæ princeps militiæ regis Syriæ, et per tumorem et xenodoxiam, in quibus pessimo, cui servit, domino placet, magnus est apud dominum et honoratus. Qui etiam in eo quod de virtute et copia spirituali elatus est, sed luxuriosus, vir utique fortis est, et dives, sed leprosus. Procedunt autem ab hac prædicta sublimitate, occulti tentationum motus ad animam et rationem, qua Deum videre solebat, dum eam delicatam conspiciunt, sed negligentem inveniunt; sub peccati captivitatem redigunt, et immundæ voluntati servire compellunt. Hoc est quod hic habetur, quia *de Syria, egressi erant latrunculi, et captivam duxerunt puellam parvulam de terra Israel, quæ erat in obsequio uxoris Naaman* (*IV Reg.* v, 2). Nam uxor Naaman, immunda est voluntas hominis, per naturam quidem decori, sed per superbiam elati, et per immunditiam leprosi. Cui obsequitur puella de terra Israel captiva, adducta a latrunculis egredientibus de Syria; quia immundæ servit voluntati ratio misera translata a statu luminosæ contemplationis ab occultis motibus procedentibus de superbia.

III. Hujus tamen puellæ aliquando instinctu supermunditia leprosi ipsa voluntas convenitur, asserente ea ipsum debere ire ad Prophetam illum magnum, potentem in opere et sermone (*Luc.* XXIV, 19), qui est in custodia electorum suorum (quia custodiam Samaria interpretatur) ut eum curet a lepra, quam habet. Nam quid est puellam hanc dicere: *Utinam fuisset dominus meus ad prophetam, qui est in Samaria: profecto curasset eum a lepra sua* (*IV Reg.* v, 3 et seqq.), nisi rationem affirmare luxurioso peroptimum esse, ut per mutationem, ad Christum accedat, qui suos semper custodit; quia ipse eum faceret mundum de immundo conceptum semine, qui solus est (*Job* XIV, 4)? A qua quidem lepra ut curetur, ipse etiam iniquus rex Syriæ se intromittit; non quod castitatis in homine munditiam ipse antiquus hostis diligat; sed ad hoc vult eum, vel ad tempus, mundari a contagiis carnis, ut pejus et damnabilius sordidetur per elationes mentis. Solet enim seductor ille versipellis hominem non bona intentione ad virtutem aliquam vel ad abstinentiam verbi gratia, excitare, vel ad castitatem; ut perniciosius eum sibi subdat, de virtute gloriantem. Sed verus noster Elisæus leprosum de sua mundatione sollicitum benigne suscipit, et sic eum sanitati restituit, ut ipsa gratia sanitatis augmentum sit humilitatis. Mandat namque ei, ut septies se lavet in Jordane, et sic recipiat sanitatem caro ejus, atque mundetur. Quia nimirum tunc a morbo, quem in carne, per carnem contraximus plene sanamus, et sanati emundamur, cum in descensione veræ humilitatis, his septem modis, quos superius expressimus, abluimur. *Descendit*, ait Scriptura, *et lavit septies in Jordane, juxta verbum viri Dei: et restituta est caro ejus, sicut caro parvuli pueri, et curatus est* (*IV Reg.* v, 14). Descendit et lavit, quia nisi descendisset per humilitatem, ad spiritualem nunquam pertigisset ablutionem.

IV. Considerate, quæso, quæ ad commendationem

Digitized by Google

hujus ablutionis nostræ diximus, et perpendite ex eis, quanta humilitatis virtus sit. Cum enim perfecte in ejus aquis lavaris, a tribus sordibus emundaris; una in carne duabus in mente. Emundaris namque a carnali corruptione, ab impuritate quam contraxisti, in interna intentione, ab elatione, quam in cogitatione: ut jam dici possit **203** et de te, quod descendente te in Jordane, et loto in eo septies, restituta sit caro tua, sicut caro pueri parvuli, et mundatus sis. Caro quippe restituitur quando a suis contagiis mundatur. In puero autem puritatem, in parvulo vero intelligere potes humilitatem. Habetis itaque spiritualem vestram in baptismo Christi ablutionem, in adventu nihilominus magorum vestram ad ipsum Christum expressam vocationem. In prima ejus manifestatione vestra exprimitur vocatio, in secunda vero ablutio. Usque ad hunc quoque diem, distulimus, ut scitis, loqui de tertia manifestatione ejus, in qua manifestavit gloriam suam in nuptiis coram discipulis suis, ad quas vocatus, aquam mutavit in vinum.

V. Hodie vero patefaciente nobis lectione evangelica, qua occasione, quove ordine, ab eo, illud miraculum non minus profundum quam sanctum factum est, compellit nos promissio nostra, ut aliquid inde, pro posse nostro, tractemus. Loquemur ergo de miraculo hoc quod Deus dederit, et si ea dicimus, quæ magis nobiscum recognoscatis, quam agnoscatis, scitote quod Apostolus dicit *eadem scribere, sibi non quidem pigrum, auditoribus autem suis necessarium* (*Phil.* III, 1); et juxta comicum, nihil esse dictum, quod antea non sit dictum. Hoc ideo dicimus, quia satis superque, ut nobis videtur, ad manum habetis, quid inde sentire debeatis, non solum in antiquorum tractatibus doctorum, sed et in sententiis modernorum. Audivimus ergo hodie in magno magni Joannis evangelio, quod nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et quod erat mater Jesu ibi (*Joan.* II, 1). In ejus, inquam, Evangelio invenimus hoc, quia solus ille, inter evangelistas cæteros de his invenitur tractare, qui non solum matrem ibi fuisse Jesu asserit, quem cum Virgo fuerit, secundum legem nuptiarum non procreavit, sed et ipsum cum discipulis suis. Et cum non taceat, matrem ibi fuisse Virginem, et filium Salvatorem, et discipulos ejus, quod vocata fuerit ad easdem nuptias mater, non dicit: Jesum autem, et discipulos ejus vocatos esse, non silet. *Erat*, inquit, *Mater Jesu ibi* (*ibid.*). Et adjunxit: *Vocatus est autem Jesus, et discipuli ejus ad nuptias* (*ibid.*, 2). Deinde cum deficeret potus, quisque fuerit non taceat, dicit eum fuisse vinum. Cum, inquam, vinum deficeret, inducit matrem erga filium super defectu poculi conquerentem: illum autem respondentem aliquid durius, quam videtur decere, ut talis responderet tali matri filius. Verumtamen quia in his qui se invicem sincere diligunt, nihil amor ad rem duntaxat pertinens, quantumlibet magnum et arduum, non audet petere timidus, nihil negare valet avarus, spei, quam in obtinendo quod petit, habuit, certitudine roborata, et idcirco responsionis, quam audierat, duritia nequaquam consternata, inducitur ab evangelista dixisse ministris, et jussisse ut ejus (haud dubium quin Jesu) quæcunque illa essent, dictis obtemperarent: sciens eum, ni fallor, nolle negare, quod ipsa præsumpsit postulare. Lapideæ itaque hydriæ sex ad Judæorum purificationem ibi positæ, quæ etiam metretas binas vel ternas capiebant singulæ aqua, ipso jubente, a ministris impletæ sunt. Et hausto de eis ad præceptum ejus, atque ad architriclinum deportato, vinum ipsius decernit aspectus, indicat et gustus, quod aquam ministrorum implentium et perceperat oculus, et attrectaverant manus. Qui novitatem quidem miraculi necdum agnoscens, de prærogativa vero poculi vehementius obstupescens, ipsum super hoc alloquitur sponsum, qui in principio juxta morem apponendum, usque ad ultimum, ut putabat, vinum servaverit bonum.

VI. Hæc evangelicæ, ut scitis, lectionis est summa, quæ hoc modo vobis miraculi magnitudinem patefecit. De quo miraculo, ut ipsi legentes, satis scitis, multi multa dixerunt; multa et in suis scriptis reliquerunt, in quibus plane pleneque ostenderunt se habuisse ingenii acumen in sentiendo, et nitore non caruisse eloquii in proferendo. Qua de causa si quid ego coram vobis, inde studeo tractare, nonne ad pretiosas sedentibus epulas vile præsumo olus apponere? Audite itaque hominem insipientem, qui cum loqui nesciat, tacere non sinitur: et cum a me nihil audieritis quod antea non audistis, alia vice esurientes panem ab illo ne cœperitis mendicare, quo vos constat sufficienter, in domo vestra abundare. Salvo ergo intellectu illo vario atque veraci, quem semper miraculi hujus profunditate, a magistris et Patribus nostris percepimus; ad solum sensum moralem linguæ nostræ ministerium hic applicemus, et in nuptiis istis, internam, jucundam, et mundam, qua invicem in unitate veri amoris, copulantur Deus sponsus, et anima sponsa, conjunctionem requiramus. De qua conjunctione loqui **204** non parum fortitudo, quia de ea digne loqui non potest, qui eam in semetipso adhuc expertus non est. Quam vellem lubenter, ut expertus in his, tractaret modo inde aliquis vestrum: et intingens calamum, in atramento propriæ experientiæ, dirigeretur, depingens coram nobis quid est spiritum hominis defæcatum, et purificatum Spiritui illi summo, et increato, omnium tam spirituum, quam corporum conditori, in sancta veri amoris jucunditate, et jucunda (quantum in hoc exsilio possibile est) sanctitate uniri; in tantum hoc bono undique coaptato, et perfecte consummato, ut nec lætitia mutui hujus amoris immunda, nec munditia in aliquo sit turbulenta. Sed substomachans fortassis ad hoc respondet aliquis vestrum, et dicit: Ut quid hæc excusatio tua? quousque nos suspendis? dic nobis in directum sine adjectione aliorum, quæ sunt

Digitized by Google

præter rem : quid tibi videatur super his, quæ proposuisti. Ita fiat. Diximus ergo Deum sponsum, et animam sponsam. O quanta dignitas animæ esse sponsam Dei ! Non autem omnis anima ad hanc potest pertingere dignitatem, nam illa, quæ divaricat pedes omni transeunti, fornicans post amatores suos (*Ezech.* XVI, 25), magis meretrix quam sponsa dicenda est. Attamen de meretrice facit Deus sponsam suam, talem faciens eam, quæ aliquando meretrix fuit, ut jam sponsa esse possit. Lavat namque eam et reparat, coaptat et consummat, ut jam, ex re, sponsa appellari queat. Lavat immundam, reparat discissam, coaptat ineptam, consummat destructam. Denique lavat ad emundationem, reparat ad restitutionem, coaptat ad decorem, consummat vero ad perfectionem.

VII. Ecce quadripartitum opus Domini, quod cum sponsa agit, quam dignam suis nuptiis exhibere proponit. Et primum quidem opus aggreditur hoc modo : Venire dignatur consiliarius ad erroneum, spiritus ad hominem. Emittit siquidem Dominus eloquium suum terræ (*Psal.* CXLVII, 15), internum suum susurrium infundens animæ. Et quia velociter currit sermo ejus (*ibid.*), cito quo pervenit, potenter suæ virtutis effectum ostendit : eamdem, cui se infundit, animam illuminans, illuminatam stimulans, stimulatam reserans, reseratam etiam acuens. Illuminat namque cæcam; stimulat rigidam; reserat quam aspicit clausam; acuit et tepidam. Primo siquidem in anima, quam visitare dignatur Deus, quam et in sponsam sibi assumere proponit : sapientiæ suæ luce tenebras depellit ignorantiæ, quibus obscuratur, splendore eam claritatis suæ illustrans, ut clare jam videre valeat, quod prius vel non videbat, vel dubie caligabat. Luce vero hac illustrata interna, quid ei necessarium magis et prius videre, quam seipsam? Nam nimis obscuram illam dixerim lucem, ac per hoc quodammodo nec lucem, in qua sic alia videt anima, ut non videat seipsam : lucerna longe positas tenebras illuminans, ipsa autem tenebrosa manens. Videat proinde anima primitus seipsam, et semetipsam videre, semetipsam agnoscere est. Nam visio ejus, agnitio ejus. Sciat itaque quid desit sibi (*Psal.* XXXVIII, 5); intuens quam longe a puritate veræ munditiæ sit; quamque polluta et immunda, et quantis spurcitiis plena sit. Aspiciat quam marcida et languida, quam fœda et fœtida turpissimis et inhonestissimis prostitutionibus suis intenderit, ambulans per plateas civitatis Babylonicæ, in carne seminans delectationem, de carne metens corruptionem (*Gal.* VI, 8). Deum post tergum suum projiciens, et illicite sibi ipsi obediens. Quid jam superest, nisi ut talem se videns, talem se esse exhorreat? doleat itaque et gemat, super hac tanta impuritate sua : accipiensque capiti suo aquam, et oculis suis fontem lacrymarum, ploret nocte ac die (*Jerem.* IX, 1), tot tantisque sordibus se circumseptam, talibus se fetoribus scaturientem, talibus quoque fœditatibus circumvallatam. Laboret in gemitu suo, lavet per singulas noctes lectum suum, lacrymis stratum suum rigare non cesset (*Psal.* VI, 7), et in vocem hanc suspiriis ac singultibus plenam prorumpat ac dicat.

VIII. Heu mihi ! quæ tanto tempore cœno immersa et luto infixa, universis pene contagiis sordebam; nihil impuritatis omittens; nihil quod puritatis est, admittens. Jam mihi horrori sum, propriumque non sustineo ferre fetorem. Quid jam necesse est, nisi ut talem se intuens anima, abluendas et detegendas suas fœditates exponat? Quandiu enim eas apud se absconditas tenet, ab eis emundari nullatenus valet. Detectas vero et ostensas magna oportet ut confricatio tangat, quia molliter palpans inveteratam facile rubiginem delere non vales. Magna itaque hominem, qui magnam, in perpetratione peccati dulcedinem habere solebat, occupet amaritudo; nec minor jam pœnitentem afflictio pungat; quam peccantem delectatio mulcebat. **205** Jam mentem dolor, et amaritudo, carnem vero labor invadat et afflictio : semetipsam tam interius, quam exterius offerat Deo, quidquid ex se extrinsecus et intrinsecus ei auferre solebat, ut totum se jam Deus accipiat per pœnitentiam, qui totum si amiserat per culpam. Sic ergo immundam Deus animam purificat, illuminans eam et stimulans, reserans et acuens. Illuminans siquidem cæcam, ut semetipsam videat, stimulans ut se talem esse abhorreat; reserans, ut fœditates suas ei ostendat; acuens, ut emundationem suam totis viribus quærat. Et oportet quidem ut evidenter se conspiciat, vehementer ingemiscat, plene se aperiat; et ut purgetur sollicite insistat.

IX. His itaque modis postquam fuerit emundata, aggrediatur Dominus opus suum, ut qui jam abluit immundam, nunc reparare dignetur et discissam. In operibus vero sanctitatis consistit reparatio illius. Nam sicut immunda est, dum agendo nefaria admittit quod malum est, ita et discissa, dum dimittendo utilia omittit quod bonum est. Si itaque reparatio ejus in operibus justitiæ est, quæ debet hujus esse sollicitudo prima, ut divertat a malo; secunda ut faciat bonum. Quiescat primum, ut admonet propheta, *agere perverse* (*Isa.* I, 16); discat dehinc et *benefacere* (*ibid.*, 17) : Prius evellens et destruens, et sic ædificans et plantans (*Jerem.* I, 10). Sed multum hic indiget Reparatoris sui auxilio, ut videlicet se et a vitiis contineat, et virtutes exerceat : incipiens jam et odio habere, quod prius amabat, et amare quod antea odio habebat. Ne enim primum hunc reparationis suæ conscendere gradum possit, obsistit consuetudo vetus, reluctatur infirmitas carnis, dissuadet pusillanimitas spiritus, grave id esse asserit ad suscipiendum, gravius vero ad sustinendum; laborem quidem fore multum, sed fructum nullum; quia illud devota subit, quod usque ad finem nullatenus perducere valet. Non enim sine magna gravedine dimittere solemus quod cum magna diu dulcedine exercere solebamus. Sic quoque et iter novum

Digitized by Google

virtutis et arduum viriliter aggredi, laboriosum videtur, quia novitas nimirum teneræ abhorret conversionis, quod longo dudum tempore, in magno habuit odio pravitas inveteratæ conversationis. Sed cum utrumque istud, a malo se avertenti, se ad bonum convertenti, non modicum grave et laboriosum sit, utrumque ei non modo tolerabile, sed et leve divina gratia facit: in tantum, ut quod prius tangere non volebat, jam præ amoris, cujus suavi cruciatu vexatur, angustia cibus ejus fit. Nonne vos hæc omnia sentitis in vobis? Quis vestrum est, qui hanc in se non sentit mutationem dexteræ Excelsi? (*Psal.* LXXVI, 11.) Ex ejus utique solius munere est, quo jam non uno die, vel duobus, sed omni tempore vitæ vestræ eo carere penitus, non modo non multum grave, sed et levissimum vobis est, quod vel pauco dudum tempore intermittere non tam grave, quam impossibile fuit. Cujus putatur esse fortitudinis, quod asperæ huic conversationi et duræ, tam jugi inhæretis exercitio, cujus quondam vel particulam modicam uno die, vel etiam contingere horrori fuit: nisi illius, qui Dominus dicitur in Psalmis, *fortis et potens* (*Psal.* XXIII, 8), in quo et vos facitis virtutem, ipsos ad nihilum ducentem inimicos vestros? (*Psal.* CVII, 14.)

X. His itaque modis discissam Dominus animam reparat: præstans ei, ut et a vitiis se contineat, robur virtutis; et ut in virtutibus se exerceat, hilaritatem devotionis. Oportet jam, post hæc, ut et proximis benevolam se exhibeat, et in pia se veræ dilectionis compassione ad alios extendat, sine offensione se præbeat, etiam his, qui foris sunt, et his, qui intus: sine offendiculo quoque sit omni Ecclesiæ Dei. Per omnia ad exemplum Pauli omnibus placeat: *Non quærens quod sibi utile est, sed quod multis, ut salvi sint* (*I Cor.* X, 33). Non quod suum, sed quod alterius est, quærat; effecta sibi tanquam vas perditum, ut vas omnibus gratum et utile fiat. Et bonus quidem iste, quo anima reparanda est, modus. Cum enim eum, in sui reparatione accipit, fit mira in ea, et in hac parte mutatio dexteræ Excelsi. Jam enim se postponit, ut alios præponat, qui se antea et illicite diligebat, et de aliis non curabat. Jam vero quantum ad se, in tantum moderata, quantum vero ad alios, in tantum intenta est: ut in his, quæ ad se pertinent, admodum parca, et nulli penitus importuna: in his vero, quæ ad alios, non modicum larga et sollicita sit. Quid etiam jam de sui reparatione superest, nisi ut firmam de venia **206** fiduciam bene sibi conscia concipiat, speique certitudine subnixa, postremos ab eo errores suos plene sibi indultos non discredat, a quo tam in ablutione, quam in reparatione sua, tot taliaque dona sibi prorogata non ignorat? Jam quodammodo cum Domino, et in hac luce septima, quam benevolentiam vocamus erga proximos, a labore suo pie requiescat; et in hac septima, quæ certa vocatur de venia fiducia, a sepulcro tristitiæ resurgat.

XI. Sic lota anima, et sic reparata, necesse est ut coaptetur; et ab illo coaptetur ut decora sit, a quo lota est, ut munda sit; et reparata, ut integra sit. Concepta itaque firma spe veniæ, instet et insistat pro acquisitione gratiæ, oret sine intermissione, *puras levet manus sine ira et disceptatione, et incumbat observationibus die ac nocte* (*I Tim.* II, 8). Nec verendum jam tali animæ vultus suos ad oculos attollere majestatis illius: cum maculas jam omnes, quibus obscuratos aliquando circumferre solebat vultus, deterserit magnitudo pietatis illius. Nam qui ei spem veniæ inspirat, ipse etiam eam ad deprecandum excitat, asserens se largum esse ad conferendum multum, qui se pium exhibuit ad remittendum peccatum. Ut autem digna sit accipere, quod petit, necesse est ut in opere sanctitatis devota sit; audiat Dominum præcipientem, ut et ipse eam consequenter audire dignetur deprecantem. Alioquin, sciat, *quod si avertit aurem suam, ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis* (*Prov.* XXVIII, 4).

XII. Sed dicit fortassis aliquis vestrum: quid hæc omnia ad expositionem miraculi quod exhibuit in tertia manifestatione sua Dominus Jesus? Imo multum hæc ad eam. Nonne de nuptiis quæ factæ sunt in Cana Galilææ, hunc, quem habemus in manibus, ingressi sumus sermonem? Ut autem qualiter anima humana sponsa possit fieri illius sponsi, qui Deus est, ostendamus, hæc omnia prælibamus. Nam sine his duabus personis, ut scitis, Sponso videlicet et Sponsa, celebrari nullatenus nuptiæ possunt. Igitur post hæc animam capacem facit ad accipiendum quod dedit, qui eam primitus, et ut petat, devotam, et ut percipere mereatur, efficit dignam. Dilatat sinus ejus ad largam benedictionem suam, ut eos plenos reportet: ipso dante colliget hæc, aperiente eo manum suam, et hæc implebitur bonitate (*Psal.* CIII, 28). Sed oportet ut quod accepit, retineat, et non ea temere effundat, ne evacuata inanescat. Divitiæ sunt salutis, quas ex larga manu illius prædivitis acceptas apud se congregavit: consulo, ut in tuto eas loco reponat: non eas immittat in sacculum pertusum (*Agg.* I, 6), ne effundantur, et effusæ in nihilum redigantur. Repræsentet eas quam sæpe ante oculos suos, ut sciat si quid in eis vel fur imminuat, vel tinea sive rubigo corrumpat (*Matth.* VI, 20). Fur, concepta per laudem humanam, nimia lætitia est: rubigo vero contracta, per detractationem [*al.* detractionem] humanam, nimia tristitia est. Hæc mala thesauris nostris insidiantur, agitque dissolutio lætitiæ, ne bonum nostrum purum sit, et amaritudo tristitiæ, ne voluntarium sit. Ideo videat quomodo apud se sint, quæ accepit; et ut mundum se animal probet, cibum revocet in os, quem transmisit ad ventrem. Jam animam quam sic vides orantem, promerentem, capientem, retinentem, satis aptam esse pronuntiabis.

XIII. Superest jam ut consummetur, cujus, ut mihi videtur, consummatio in his tribus consistit: in contemptu præsentium, in desiderio supernorum, et in plena dilectione Conditoris. Arbitretur jam

Digitized by Google

anima hæc omnia visibilia quasi detrimenta (*Phil.* III, 8); reputet ea ut stercora; marcescat apud eam decor eorum; amarescat et dulcedo. Importabile et omnino intolerabile videatur ei, quidquid in hoc mundo, de hoc mundo, videt, audit, gustat, olfacit, et tangit, quem sic possideat [*al.* possideat (per usum) *deesse videtur*], ut ei nullatenus inhæreat per affectum. Moriatur cum Sara morte vitali, et in duplici actionis atque contemplationis spelunca sepeliatur (*Gen.* XXIII, 19): vitam habens absconditam cum Christo in Domino. In virtute simplici et simplicitate virili domi permaneat cum Jacob: nequaquam ad capiendum carnale aliquid per silvas mundialium curarum discurrat cum Esau (*Gen.* XXV, 27). Mortua et aromatibus condita cum Joseph reponatur in loculo in Ægypto (*Gen.* L, 25), ut amori mundi hujus plene exstincta, et diversis virtutum odoribus referta, in interno occultetur secreto, quandiu versari compellitur in statu præsentis vitæ tenebroso. Deinde contemnens terrena hæc, et infima, cœlestia toto annisu desideret et superna: quantoque mortificatur ad appetenda transitoria, **207** tanto et vegetetur ad concupiscenda æterna: desiderium habeat dissolvi, et esse cum Christo (*Phil.* III, 23). Talis jam anima perfecte nubilis est; et venit jam tempus ejus ut cogitet de nuptiis: ita tamen si tertium bonum apprehenderit, quod ad ejus consummationem diximus pertinere. Quod si lubet audire, quod sit, ipsum est plenitudo dilectionis Dei, quem amat anima, quæ talis est, non solum inter omnia, sed et super omnia; ut una cum ipso, et in ipso, gaudeat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLVI.

ITEM DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

De eadem festivitate, quam in internis nuptiis suis simul celebrant Deus sponsus, et anima sponsa.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Status amantis animæ, et repetitio subjectæ materiæ. — 2. Gradus quindecim tendendi ad Deum a sui cognitione exorsa, desinit vita spiritualis in fervorem dilectionis. — 3. In exteriori ac interiori homine, ut Deus sponsam suam perficit. — 4. Maria id est voluntas devota: Jesus id est gratia interna: discipuli sunt ejus charismata. — 5. Ut Jesus vocandus est ad nuptias. — 6. Tres ministri corporis advocantes Jesum: primus rigor jejunii; secundus instantia vigiliarum; tertius maturitas silentii, quod triplex. — 7. Quatuor ministri mentis: meditatio, desiderium, humilitas, perseverantia. — 8. Deficiente vino, id est, spirituali gaudio, ad internam gratiam suspiret anima devota. — 9. Humilitatis ad quodlibet impetrandum efficacia. — 10. Desideria devotarum mentium sæpe reperoussa, vel dilata ex occulta dispensatione divina. — 11. Bonæ voluntatis officium, ac obediendi studium. — 12. In inspirationibus vitanda fallacia: supernæ inspirationis indicia. — 13. Non prius venit hora, quam suos voluntas devota moneat ministros. — 14. Sex hydriæ, sunt totidem genera meditationum, id est, de statu ante primam conversionem. — 15. Secunda est, de statu conversionis: tertia de occultis Dei judiciis: reliquæ de novissimis. — 16. Fructus meditationum ex gratia Dei aspirante.

(277*) Undecimus duodecimusque desunt gradus.

I. Quidni jam talis anima, qualem in superiore sermone descripsimus, in solo Sponsi sui amore feliciter requiescat; locata inter brachia sua, in ipsius tantummodo et amplexibus, et osculis delectetur? Siquidem cuncta, quæ in imo sunt, plene despicit, nullum in eis vel saporem sentit, vel decorem videt; superna vero etsi jam per desiderium teneat, sed necdum in re habet. Quidni interim exerceat se ad pietatem, quæ juxta Apostolum, *ad omnia utilis est, promissionem habens hujus vitæ et futuræ?* (*I Tit.* IV, 8.) Exsultet itaque, et tripudiet cum Sponso, celebret simul castas nuptias, sit commistio cum puritate, sit conceptio in fecunditate, sit partus sine læsione. Habetis itaque sermone præcedenti, quibus modis animam humanam Deus facit sponsam suam. Primo ergo, ut in eo audistis, lavat eam, secundo reparat, tertio coaptat, quarto consummat. Lavat, ut jam diximus, immundam: reparat discissam, coaptat ineptam, consummat destructam. Fit autem ablutio ejus quatuor modis: primo illuminatur, secundo stimulatur, tertio reseratur, quarto vero acuitur. Illuminatur, ut seipsam videat; stimulatur, ut per se et de se doleat; reseratur ut pravitates suas detegat; acuitur ut qualiter emundari queat, totis conatibus quærat. Reparatio autem ejus ita fit: primo percipit fortitudinem, secundo devotionem, tertio benevolentiam, quarto fiduciam. Fortitudinem, ut se a pristinis fœditatibus contineat; devotionem, ut in sanctis se operibus exerceat; benevolentiam, ut se promptam, erga proximum, in omnibus exhibeat; fiduciam, ut de præteritorum delictorum venia speret. Fortitudinem ergo percipit in continendo, devotionem in operando, benevolentiam in obsequendo, fiduciam in sperando. Modi vero, quibus coaptatur, hi sunt: primo confertur ei puritas, ut deprecetur; secundo sanctitas, ut mereatur; tertio capacitas, ut suscipiat; quarto sollicitudo, ut retineat. Consummatur utique, cum cuncta terrena spernit, sola superna concupiscit, in sui Creatoris solius dilectione et dulcedine requiescit.

II. Videte, ne forte hi modi, qui modo quindecim propositi sunt, sint illi quindecim gradus, quos illi cantare decet, qui eosdem studet, gradus ascendere. Nam quia anima in imo, Deus autem in summo est: hos ei gradus quindecim sternit, ut per eos pertingere possit ad ipsum. In primum siquidem eam gradum elevat, dum illam illuminat; in secundum, dum stimulat; in tertium, dum reserat; in quartum, dum acuit; in quintum, dum roborat; in sextum, dum exornat; **208** in septimum, dum informat; in octavum, dum circumdat; in nonum, dum excitat; in decimum, dum justificat; (277*) in decimum tertium, dum erudit; in decimum quartum, dum erigit; in decimum quintum, dum incendit. Illuminat ad agnitionem, stimulat ad compunctionem, referat ad confessionem, acuit ad satisfactionem: et in his ablutio animæ consistit. Roborat ad continentiam, exornat ad justitiam, informat ad benevolentiam, cir-

Digitized by Google

cumdat ad fiduciam, et in his reparatio ejus. Excitat ad petendum, sanctificat ad promerendum, dilatat ad capiendum, revocat ad remunerandum et in istis aptitudo ejus. Erudit ad contemptum terrenorum, erigit ad desiderium supernorum, incendit ad amorem Conditoris, et in his consummatio ejus. A lumine ergo incipit anima propriæ cognitionis, et usque ad ardorem divinæ pertingit dilectionis, quia exordium nostræ salutis est, quod per propriam cognitionem aggredimur bonum; finis vero quod in divina electione consequimur beatum. Itaque in primis quatuor modis, quæ polluta fuit anima mundatur; in aliis quatuor, quæ discissa fuerat, reparatur; in quatuor vero subsequentibus, inepta coaptatur; in tribus autem novissimis destructa consummatur. Abluitur ad emundationem, reparatur ad restitutionem, coaptatur ad decorem, consummatur ad perfectionem.

III. Jam non ambigo quin talibus studiis occupata, hujusmodi exercitiis intenta, copulari in sanctis illis nuptiis internis videlicet gaudiis possit sponsa Sponso, anima Deo. Perficere namque zelat similem suam, tam in his, quæ pertinent ad hominem exteriorem, dum in sancta conversatione de vitio ad virtutem, et de virtute vadit ad virtutem, quasi de malo transmigrans ad bonum, de bono autem ad melius: quam in his, quæ spectant ad interiorem, dum *revelata facie gloriam Dei speculans in eamdem imaginem transformatur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu* (*II Cor.* III 18). Hæc enim innuere videntur interpretationes nimirum istorum, quia Cana, ut dicunt, *zelum* sonat, Galilæa vero *transmigrationem* seu *revelationem*. Fiunt itaque nuptiæ in Cana Galilææ, dum in castis et sobriis spiritualis jucunditatis gaudiis exsultat, et tripudiat sponsa cum Sponso; idque in zelo, quem habet in affectu exterioris transmigrationis, et in intellectu revelationis interioris. Talem zelum devota voluntas format, quæ est mater Jesu, de qua dicitur; quia fuit ibi (*Joan.* II, 1), haud dubium, quin in nuptiis. Hæc est, quæ Jesum, gratiam videlicet internam, per quem salus et vita nobis datur, et data custoditur, concipit per affectum, parit vero per effectum. Per affectum, dico, concipit, dum quod salubre est, occulte in mente proponit. Per effectum vero parit, dum propositum bonum usque ad opus in aperto producit. Apte ergo dicitur, quia mater Jesu erat ibi; oportet enim his nuptiis necessario adsit devotio devotæ voluntatis, cujus quam necessaria sit præsentia, in subsequentibus apparebit.

IV. Interest autem his nuptiis gratia, de qua loquimur, interna: intersunt etiam ut convivium sit plenum ejusdem gratiæ, charismata spiritualia, quia ut legimus, *vocatus est Jesus et discipuli ejus ad nuptias* (*ibid.*, 2). Non adest Jesus sine discipulis suis, nec gratia sine muneribus suis; quia gratia, ut ait Paulus, in me vacua non fuit (*I Cor.* XV, 10). Hoc est quod alibi interrogari præcipit, ubi sit refectio sua, ubi pascha suum faciat cum discipulis suis (*Marc.* XIV, 14), significans, ni fallor, se velle interesse nuptiis, non solum quidem, sed cum discipulis suis. Deinde habes in subsequentibus quod vespere venit cum duodecim (*ibid.*, 17). Quid est hoc, nisi quod occumbente in nobis fervore tentationis, et leni temperie quietis internæ aspirante, visitare nos dignatur gratia, habens in suo comitatu spiritualia sua charismata? Nam qui sunt duodecim isti, cum quibus venit, nisi virtutes illæ eximiæ, quas Apostolus fructus spiritus appellat, quos et duodecim ponit? Sunt autem istæ: *Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* (*Gal.* V, 22). Sed vocatus est iste noster Jesus cum discipulis suis ad nuptias has. Credo nonnullum vestrum, duce experientia, prævolare verba mea, et scire quid putem per hoc intelligendum esse, quod ad nuptias vocatus dicitur Jesus. Quomodo est consuetudo vestra ad nuptias vestras vocare Jesum? Æstimo autem eum, diverso modo, a diversis multoties vocari, secundum quod ipse, qui vocatur, vocantibus voluerit inspirare. Ipse enim facit ut vocemus eum. Quem putas meliorem esse modum, **209** quo ad nuptias vocare debemus Jesum? Absit a me præsumptio ista, ut tantæ rei dicam me habere scientiam: quam ab eo solo reor posse sciri, cui datur experiri.

V. Non ergo vilis homuncio ego, dico me scire meliorem, quo vocandus est modum. Illum tamen puto meliorem, quicunque fuerit, quo vocatus festinantior et hilarior occurrit. Quis autem is sit, quærite, quæso, non a me, sed ab experto, qui internorum motuum tam ad se quam in se, de se erumpentium diligens observator, et cautus discretor, ex longo jam tempore didicit, et in præsentia internæ gratiæ cum Jesu respirare, et in absentia suspirare, nec posse ullatenus quiescere, dum absens est, nec laborare in aliquo, dum præsens est. Verumtamen compulsus et hic prodere insipientiam meam, sicut et in nonnullis aliis, quæ indaganda sunt a perfectis; factus sum insipiens, quia vos me cogitis. Ostendam, prout mihi in præsenti datum fuit sentire, quibus mihi videatur modis advocandus esse Jesus. Quis sit iste Jesus, jam non semel, sed sæpius audistis. Ego autem arbitror, quod ministri corporis simul et mentis mittendi sunt ad vocandum hunc Jesum; quia corporis simul et mentis est reparator cum adest, et mens, prout et corpus ægrotant, cum abest.

VI. Mittat corpus primo ministrum, rigorem jejuniorum; deinde instantiam vigiliarum; postremo maturitatem silentii. Sæpe enim gustare meremur quod dulce menti, dum ab eo abstinemus quod suave est ventri. Habetis exemplum super hoc in sancto Daniele: qui dum panem desiderii non comedit, et aquam concuspiscentiæ non bibit, *vir desideriorum* ex re appellatus (*Dan.* IX, 23), usque ad occultorum notitiam pervenit. Sed et vigilare præcipitur

Digitized by Google

nobis, dum Dominus venturus est (*Matth.* XIII, 35); et ad vigilandum diluculo justus cor suum tradidisse asseritur (*Eccli.* XXXIX, 6). Quod, licet de interioribus vigiliis mentis congrue accipi possit, multum tamen ad acquirendam gratiam corporales etiam vigiliæ prodesse solent. Quid de gravitate silentii dicam? Quomodo auribus audiendi percipere potest verbum absconditum, qui in ore labi et resolvi per verbum non abhorret superfluum? cum silentio quietem comprehendimus ab occupatione exteriore; comprehendimus et solitudinem loci. Perfectorum namquè est non solum verbum in se cohibere superfluum, verum etiam occupationes multoties exteriores. Et ad acquirendos uberiores fructus spiritus, humanum nonnunquam declinare consortium, nam et sapientia scribi præcipitur *in tempore vacuitatis, et qui minoratur actu, percipiet eam* (*Eccli.* XXXVIII, 25). Sanctus quoque David ut requiescere possit, elegit, non modo elongare et fugere, sed et in solitudine manere (*Psal.* LV, 8). Sed et beatus Job dissimulasse se asserit, siluisse, quievisse (*Job* III, 28). Divinitus quoque jubetur, ut legimus de Arsenio, fugere, tacere, quiescere. Hi itaque ministri sunt, quos mittere debet corpus nostrum ad advocandum Jesum. Multa quidem et alia sunt exercitia corporalia, quibus et absens, ut nos visitet, invitanda est gratia : sed hoc triplex ad præsens occurrit. Ad hoc fortassis triplex corporale exercitium aptari non inconvenienter potest, quod Lia dixit, per quod actuale non dubitatur notari exercitium : *Dedisse* videlicet *ei Dominum mercedem, quia tradidit ancillam suam viro suo* (*Gen.* XXX, 18). Ancilla nostra, est caro nostra; ipsa enim sicut dominæ ancilla, sic spiritui debet esse subjecta. Quam viro nostro tradi, est ad imitationem Domini, qui solus animæ legitimus est vir, a vitiis cohiberi. Cohibeatur per jejunium a voluptate, per vigilias a torpore, per silentium a loquacitate : et viro nostro tradita est. Qua tradita, datur merces nobis pro his ministris, quia his invitantibus approximat ad nos Jesus. Nam per rigorem jejunii spiritus elevatur; per instantiam vigiliarum alleviatur; per gravitatem triplicis quod breviter supra tetigimus silentii, ad internam quietem componitur. Hoc triplex gratiæ bonum hoc triplici nobis exercitio confertur. Et triplex nihilominus vitium aufertur : nam per primum voluptas mortificatur; per secundum torpor excutitur; per tertium inquietudo excluditur. Sic dum ancilla viro traditur, merces datur, et dum in vitula Samsonis aratur, ejus problema invenitur (*Jud.* XIV, 18). Et dum caro affligitur, internorum notitia indulgetur : et Jesus cum vocatur, venire non dedignatur.

VII. Mittit autem mens primum, ministrum, meditationis puritatem; secundum, desiderii fervorem; tertium, humilitatis virtutem; quartum, perseverantiæ **210** stabilitatem. Nam per meditationem, ubi et quomodo quærat mens, eruditur; per desiderium inventus, ut veniat, deprecatur; per humilitatem, ut eum apprehendere digna sit, meretur per virtutem perseverantiæ suaviter amplectitur, et fortiter sibi astringens tenet, et dicit : *Teneo eum, nec dimittam* (*Cant.* III, 4). Vocas ergo Jesum et discipulos ejus ad nuptias, si pro adipiscenda gratia, pro acquirendis spiritualibus muneribus, ad augenda et ordinanda interiora gaudia tua, voluptatem in te mortificas, torporem excutis, omnem inquietudinem excludis, puræ meditationi insistis, devotæ orationi incumbis, per humilitatem te dejicis, et in omnibus his stabilitate perseverantiæ te figis.

VIII. Ecce *mater Jesu erat ibi. Et vocatus est ipse Jesus ad nuptias* (*Joan.* II, 1, 2). Sed quæ utilitas in utriusque est? *Deficiente*, ut evangelista, *vino, ait mater ejus*, haud dubium quin Jesu, *ad eum : vinum non habent* (*ibid.*, 3 et seqq.). Nuptiæ sunt, et deficit in eis vinum. Quis enim in hac vita tantæ valet esse puritatis, ut nullum unquam, in eo, spirituale gaudium incurrat defectum? Nunquam in eodem statu permanet homo : motui semper subjectus est suo. Nam modo eum, ad summa, divinum elevat munus, modo vero, ad ima proprium dejicit pondus, ut licet nuptiæ sint, vinum deficiat in eis. Sed deficiente vino, conqueratur apud Jesum mater ejus, pia videlicet querela conveniat internam gratiam devota voluntas, super defectu poculi interioris gaudii spiritualis. Non diu mœstos tenebit convivas vini defectus, si super eodem defectu materna fuerit querela pulsatus Jesus. Hoc est, non longo necesse erit tempore bona desideria nostra, in absentia gemere spiritualis lætitiæ, si pro ejusdem reparatione lætitiæ, apud internam gratiam, sollicitis non destiterit precibus suspirare. Conqueri ergo non desistat mater Jesu, nec se putet pati repulsam, licet in primis increpatorium ab eo suscipiat responsum. Et quidem suavis admodum responsio ejus, etiam eum corripiendo respondet. Nam cum percutit, sanat, et cum occidit, vivere facit. (*Job* V, 18) Percussio autem sua, emendatio nostra, et ipsius correptio nostra instructio est.

IX. Et quidem non ambigo, multos esse inter vos, qui crebro auribus audiendi et matrem Jesu super defectu vini, ipsum convenisse Jesum, et ipsum matri increpatorium dedisse responsum audierunt. *Quid mihi et tibi est mulier?* (*Joan.* II, 4.) Fratres, quid sit juxta hunc sensum, quem modo in manibus habemus moralem, matrem ipsum Jesum super defectu vini convenire, ex verbis nostris audistis; sed longe melius atque evidentius ex propria experientia didicistis. Et si adhuc a nobis breviter id desideratis audire, hoc est, deficiente in mente, ut nonnunquam fit, gaudio spirituali, devota apud internam gratiam voluntate, piis gemitibus suspirare, ut id dignetur denuo restitui. Sed responso aliquantulum duro, hæc eadem voluntas repercutitur, non, ut quod petit, ei denegetur, sed ut de sua petitione humilietur; humiliata, ad obtinendum quod petit, digna reddatur. Est enim inter virtutes cæteras

Digitized by Google

efficacissima, ad obtinendum aliquid, humilitas, magnumque habet in oculis ejusdem gratiæ familiaritatis locum : ac per hoc, in petendo ausum, et in obtinendo effectum. Quid ergo est Jesu matri conquerenti dicere : *Quid mihi et tibi mulier*, nisi internam gratiam devotæ voluntati pulsanti, propriam infundere fragilitatem ad notitiam, ne de magna, qua fervet, devotione, se efferat in superbiam? Quid, inquit, mihi et tibi est, mulier, quæ non ex te quidem, sed ex me fervorem habes in desiderando : solus autem ego, sine te, facultatem habeo conferendi? Spiritualis quidem vini conferre possum dulcedinem : quia plenitudo mihi inest potestatis, ut hoc queam; sed quid ex te est, ut hoc facere debeam? humiliare ergo sub potenti manu mea, ut de bona, quam a me accepisti, in benevolendo, devotione, te non extollas, et ad accipiendum quod postulas, quod mihi quidem et non tibi conferre possibile est, quanto humilior fueris, eo et dignior sis. Hæc itaque causa est quare convenientem bonam voluntatem internam gratiam, super reparatione doni subtracti, eadem gratia humiliare docuerit, quia nisi humilis petitio nostra fuerit, fructuosa omnino non erit. Et ideo quotiescunque gratiam, pro adipiscendo ejus dono, interpellatis, studete ut, sicut in bona voluntate habetis devotionem, ita et in intentione habeatis veram humilitatem. Sola enim ipsa virtus est, quæ dona gratiæ, et quæ adsunt, ne amittantur, custodit; et cum desunt, ut restituantur, acquirit.

X. Utilis ergo responsio hæc : quid mihi et tibi, mulier, ut suspirans pro dono subtracto voluntas bona eo quod petit dignior sit accipere, quo profundius **211** agnoscit, nec ex se esse, quod jam accepit, nec in se aliquod habere meritum, quo digna sit obtinere quod adhuc petit. Sic in Canticis petentem sponsam, pro magno, quem erga sponsum habuit, familiaritatis ausu, ut ad ejus quædam secreta admitteretur, duro quodam censet feriendam responso; ut quo humilius sentit de seipsa, eo dignius, amplius, atque perfectius ad ea, ad quæ suspirat, admittatur arcana. Nam dilectum suum alloquens, et ingenti cum desiderio postulans ut indicet ei ubi pascat, ubi cubet in meridie (*Cant.* I, 6), audit confestim ut, si se ignorat, egrediatur, et abeat (*ibid.*, 7). Vides ergo sine causa non esse, quod sponsa petente ut sponsus ei sua ostendat secreta, ipse magis eam super propria convenit ignorantia cavenda. Ut et tu scias consequenter sine ratione non esse, quod quoties ad sublimia intuenda propheta Ezechiel elevatur, *filius hominis* appelletur (*Ezech.* II, 1, et seq.). Sicut ergo ibi sponsæ ad ostensionem secretorum aspiranti, egredi et abire jubet sponsus, si se ignorat : ita et hic, pro restitutione doni subtracti, bonæ voluntati suspiranti, propriæ fragilitatis notitiam infundit ipsa, quam petit gratia. Quid mihi et tibi est, mulier? hoc est dicere : quod petis, non ex aliquo merito tuo provenit, ut accipias; quæ non minus indigna es ad obtinendum quam ego potens sum ad conferendum. Idcirco scito teipsam, ut eo in merito sis ditior in oculis meis, quo magis egena fueris in tuis. Non solum autem, sed necdum venit hora mea : quia meum est visitare, non solum quam deputo dignum, sed et quando judico opportunum. *Spiritus enim meus super mel dulcis* (*Eccli.* XXIV, 27), non modo ubi vult spirat, sed et quando vult. *Omnia tempus habent, tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus* (*Eccli.* III, 1-5). Quod placet tibi, nondum expedit tibi. Tempus tuum jam advenit in desiderando, tempus autem meum necdum advenit in conferendo.

XI. Hoc est, fratres, quod crebro sentimus, quia multoties, magna cum voce mentis, ad gratiam clamamus; moram facit ipsa venire : et qui bonæ voluntati nostræ dicit horam suam nondum venisse, eam certam facit nondum ei placere, ac per hoc nondum ei expedire ut visitet nos. Et justum quidem ac plum debet esse nobis sentire de causa : quia hoc facit pro bono nostro, tardans venire, ut augeantur desideria nostra : ut quo pro desideriorum augmento hilarior fuerit, eo ad nos et fecundior accedat. Hæc itaque causa quod clamantem ad se devotam voluntatem non exaudit, et non ad insipientiam sibi. Vel ideo fortassis, ut quo diutius desiderata fuerit absens, eo et strictius teneatur præsens. Vel aliquid aliud illi quidem dispensatorium, nobis autem necessarium : ipsa, cum magna reverentia, disponente circa nos; et nobis semper de omnibus, quæ in nobis actitare solet, quod utile est providente. Sed in hac visitationis mora, a sua devota voluntas affectione non cesset; internas cogitationes mentis, quæ in his spiritualibus nuptiis ministri quodam modo sunt, ad bonum excitare procuret. Non enim hoc solum est bonæ voluntatis officium, ut ad gratiam pro gratia suspiret; est autem ut cogitationes cordis ad id quod bonum est exhortando trahat. Discurrat ergo media inter illam, et istas : ad illam vero accedat exorans; has autem, ut ejus jussionibus internis obediant, exhortans. Quæ itaque illi orando dicit, *vinum non habent* : istis exhortando dicat : *quodcunque dixerit vobis facite*. Et bene sine ulla dicit exceptione, *quodcunque* : quia non potest salubre non esse quod dicit Jesus, quod divina inspirat gratia.

XII. Scitis utique quod frequentissimo usu edocti estis, quia non uno, sed pluribus modis, sua vobis gratia præcepta informat. Non enim uno eodemque modo omnes estis in devotione accensi; sed hæc, de qua loquimur, gratia vivificatrix sic adest omnibus, ut intendat etiam uni. Non est aliquis, ut arbitror, vestrum, qui non aliquid ab ea percipiat proprium, ut unusquisque vestrum dicere possit : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (*Isa.* XXIV, 16). Non sit tibi curæ, sed quodcunque illa in corde tuo silenter dixerit, fac. Hoc autem sollicitus vide; et cautus esto, ut sit in corde tuo loquens, gratia erudiens : non autem hostis seducens. Nam sunt in

Digitized by Google

corde nonnunquam *immissiones per angelos malos* (*Psal.* LXXVII, 49). Sicut habetis de proditore Juda : quia *misit ei diabolus in cor ut traderet Dominum* (*Joan.* XIII, 2). Et est aliquando in mente locutio Domini; sicut legitis sanctum David dicentem auditurum se quid loquatur in eo Dominus Deus; qui videlicet loqui solet pacem in plebem suam (*Psal.* LXXXIV, 9). Loquitur autem gratia tibi, quando ordinatum est quod inspirat tibi. Tunc autem quod inspiratur dixerim ordinatum, si quod mente concipis, sicut quantum ad Deum est mundum, sic et quantum ad proximos sit pacificum; et **212** quantum ad teipsum discretum. Quid enim si bonum tibi videtur esse quod agis, et singularitate quadam notabile, atque obstinatione adamantina obfirmatus pacem perturbas eorum, cum quibus oportet te, si vis salvus esse, ut unanimis habites in domo Domini, cum eis ambulans cum consensu? (*Psal.* LIV, 15.) Nam *sapientia quæ desursum est, primum quidem pudica, deinde pacifica est* (*Jac.* III, 17). Tertio considera ut sit discretum quod facis : quia omne quod est nimium, vertitur in vitium. Testimonium hoc verum est. Igitur ut breviter tibi ista colligam : quodcunque tibi inspiratur, agendum et exercendum, quod Deo placet, ut purum; proximus vero acceptet, ut pacificum : ut autem usque ad debitum possis perducere finem, ut moderatum, ut salubre, hoc internæ gratiæ accipe verbum : et quodcunque dixerit tibi, fac.

XIII. Jam post hæc facit Jesus quod postulat mater ejus. Et fortasse ideo paulo ante dixit nondum advenisse horam suam : quia ministros, ut quodcunque eis diceret, facerent, noverat matrem suam nondum admonuisse. Nam statim ut vidit sicut voluntatem devotam esse ad petendum, sic et cogitatus mentis, eadem exhortante voluntate, paratos per omnia ad obediendum : et se paravit ad exaudiendum, conferens benigne quod voluntas devote petiit conferendum. Sic enim se habet series evangelicæ lectionis. Nam cum induceret matrem Jesu alloquentem ministros, et dicentem ad eos, *quodcunque dixerit vobis facite :* statim adjunxit : *erant ibi lapideæ hydriæ sex positæ.* Et ut ostenderet ad quid ibi positæ essent, subjecit. *secundum purificationem Judæorum.* Nec tacet etiam, cujus capacitates fuerint : *capientes*, inquit, *singulæ metretas binas, vel ternas.* His ad ejus præceptum impletis aqua, et ipsa in vinum mutata, desiderium cordis ejus tribuit Jesus matri suæ, et voluntate labiorum ejus non fraudavit eam (*Psal.* XX, 3). Quid nobis innuitur per hydrias istas? accipiamus, si placet, per eas sex quædam genera meditationum, secundum grossum, quem ego in hujusmodi habere soleo intellectum. Et videbitis jam, cum eas sigillatim inspicere cœperitis, ut Judæorum in eis purificatio consistat.

XIV. Et prima meditatio sit de statu illo quem ante conversionem habuimus : in quo aliquandiu sub peccati jugo a vetusta servitute detenti sumus. Meditatio hæc prima hydria sit. Sed et status ille facinorosus atque flagitiosus quædam quodam modo hydria fuit. Hanc putem hydriam esse quam abs se abjecit mulier illa, *ut verba hominis audivit, qui dixit ei omnia quæ fecit* (*Joan.* IV, 28). De qua scriptum habetis : *reliquit hydriam suam mulier.* Sedit autem super puteum, humilians se ille *inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 6), super pravitatis nostræ profundum : fatigatus ex itinere mortalitatis assumptæ, quod sexta ætate aggressus fuerat. Ad quem puteum venit mulier haurire aquam, illicitam ad se trahens voluptatem : de qua omnis qui bibit, teste Domino, teste ipsa experientia, sitit iterum; quia carnis delectatio satietatem non præstat, cupiditatem autem irritat. Neque ipse in quo hauriret habuit : et puteus altus est (*Joan.* IV, 11). *Peccatum etenim non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Pet.* II, 22). Et pravitas humana profundissima quædam abyssus est. Auditis postmodum verbis ejus salubribus : *reliquit hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, admonens homines ut venirent ad ipsum. Et exierunt*, ait Scriptura, *et venerunt ad illum* (*Joan.* IV, 50). Quod et vos jam fecistis; auribus namque audiendi percipientes ejus verba, abjecta hydria pristini status vestri; aliis jam eum evangelizatis, juxta illud : *Qui audit dicat : Veni* (*Apoc.* XXII, 17). Hanc itaque jam reliquistis, quantum ad conversationem; habetis autem eam, cum opus fuerit, quantum ad meditationem.

XV. Secunda vero meditatio sit de statu quem nunc tenetis conversi : qui, etsi ab iniquitate mundus est, a tentatione tamen immunis non est : status ille præcedens, sub rege Ægypti et tenebrarum, luto libidinis sordidus, et palea xenodoxiæ levis fuit. Hic autem in deserto est, quem quot, qualia quantaque pericula contingant, soli qui experiuntur, agnoscunt. Meditatio tertia de occulto ac districto Dei judicio est; qui *terribilis est in consiliis super filios hominum* (*Psal.* LXV, 6). Et pro tertia hydria accipite eam. Quod quidem judicium, cum non possit esse non justum, semper tamen, quandiu hic vivimus, quid de nobis sentiat, est penitus occultum; quocirca quod justum est non debet reprehendi. Quarta meditatio sit de exitu ab hac vita : quando viam universæ carnis ingressi, in perceptione mercedis, cognoscemus quales a Deo sumus, ab æterno, prævisi. Et hanc accipite pro hydria quarta. Quinta de æternitate est pœnæ gehennalis, sicut sexta de æternitate gloriæ cœlestis. Et de utraque meditari quintam et sextam hydriam habere est.

213 XVI. Has autem hydrias, ad præceptum Domini Jesu, aqua ministri implent, cum inspirante gratia interna, in istis sex gradibus meditationum cogitationes nostræ demorantes, timore valido concutiuntur. Ecce breviter audistis, quid sit eas a ministris aqua adimpleri. Ad ostendendum vero qualiter adimpleri debeant, profusius aliquid dicendum. Sed hoc facere in sermone isto non va-

Digitized by Google

lemus; audietis ergo largiente Domino, in sermone hoc subsequenti, quomodo ego hydrias illas æstimem esse adimplendas, et quid putem accipiendum per metretas, quas singulæ capiebant. Itaque quid de his sive de aliis, usque ad finem miraculi de quo loquimur, nobis fuerit revelatum, pro vestra in medium ædificatione, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, proferemus : qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLVII.

ITEM DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

Quomodo debeamus nosmetipsos diligenter considerare, et ea quæ ad nos pertinent salubriter investigare.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Status ante propositum conversionis, isque in proposito considerandus. — 2. Quam districta, occulta atque incomprehensibilia Dei judicia. — 3. Formidanda hora exitus ab hac mortali vita. — 4. Pœna infernalis, ne incurratur : gloria cœlestis, ne amittatur. — 5. Primus meditationis modus ex septem peccati circumstantiis compositus. — 6. Secundus, ex sterilitate in operibus bonis : tertius ex intuitu personæ offendentis et offensæ. — 7. In statu conversionis, I. attendenda instabilitas mentis : II. languor corporis ad opera virtutis. — 8. III. Metuenda spiritualis ruina, nisi sustineat gratia divina. — 9. Circa Dei judicium; I. meditandi modus : vereri ne ulla peccata dimiserit : II. ne ulla acceptet bona opera. — 10. III. Ne tam prospera quam adversa accrescant in cumulum perditionis. — 11. Circa horam mortis : I. quam tristis et invita sit animæ et corporis separatio : II. dissolutio cadaveris in fetorem et vermes : III. tribunal Christi Domini. — 12. Circa pœnas inferni : ignis, vermis, æternitas; circa gloriam : beatitudo habenda in te, in concivibus, in Deo. — 13. Hi sunt ministri timoris salutaris, moderandi a principe triclinii, id est virtute discretionis. — 14. Primo bonum vinum ponit carnalis homo. — 15. Anacephalæosis spiritualium nuptiarum cum anima. — 16. Hydriæ sex sunt totidem meditationes emundandis internis sensibus. — 17. Mos pravus hominum hujus sæculi in positione vini, alienus ab approbatione Dei. — 18. Bonum vinum servat nobis Deus in patria.

1. Contingit nonnunquam et apud me hydrias istas impleri aqua. Ut enim modo ad eas per ordinem vadam, confero me, cum vacat, ad hydriam primam; et introspiciens video quam fetidus et fœdus, quam turpis et indecorus fui : et pavore magno percussus, miror quomodo me talem sustinui qualem me tunc fuisse modo deprehendo. In hoc autem statu, in quo nunc sum, quem ut emendatius viverem arripui, in modico a pristinis me video mutatum. In quo sicut non tantum forte, quantum in præcedenti fui, videar esse frigidus per culpam, sed nec calidus sum per justitiam; sed magis per negligentiam tepidus, ac per hoc ab ore Domini evomendus (*Apoc.* III, 16). Et quidni et jam in hoc mihi formidandum, qui religionis quidem suscepi habitum, religiosum autem non habeo effectum? Quidni ille circumferatur ad testimonium, dum iste non exercetur ad beneficium? Hoccine est sæculum reliquisse? Quæ enim ad sæculum pertinentia opera plene reliqui? Et si forte opera, quæ verba? et si forte verba, sed quas cogitationes? Certe qui juste, A sobrie et pie vivere voluerint, prius necesse est ut non solum impietatem, sed et sæcularia abnegent desideria (*Tit.* II, 12). Ecce quomodo et hæc, apud me, hydria impletur aqua : quæ sine timore utique me esse non sinit hæc, qua in statu isto marceo, ignavia.

II. Erigo post hæc oculos ad judicium Dei, justum quidem, sed occultum; et invenio eos cæcos : nihil enim hic video in cæcitate mea. Nec est jam omnino nihil quod video, qui video non posse me hic aliquid videre. Elevo igitur cæcum mentis aspectum ad irreprehensibile et incomprehensibile judicium Dei omnipotentis : et quid de me, in eo, sentio, penitus non deprehendo. Nam, *si sanctus atque justus sum, sed opera mea in manu ejus sunt : et nescio utrum amore an odio dignus sum : sed omnia mea in futurum reservantur incerta* (*Eccli.* IX, 1). Trepido, fateor, multum in densissima caligine hac : et ad me ipsum conturbata est anima mea, palpando incedens, et quo ponam miserum pedem non satis discernens : quia abscondita est via mea, et circumdat me Deus tenebris (*Job* III, 23). Et dira necessitas, qua compellor quidem ire, sed nescio quo : sed et qua vix agnosco. Et utrum cogitet super me cogitationes 214 pacis, et non afflictionis, nescio (*Jer.* XXIX, 11) : scio autem quia terribilis est in consiliis super filios hominum (*Psal.* LXV, 5). Sed quam terribilis quis scit? vereor tamen, ne super me excitet furorem, et effundat iram suam : nihilque de me aut circa me, nisi quod adversum me est, disponat. Nam si vas electionis apostolus Paulus, nihil sibi conscius, in hoc justificatus non est, pro eo quod qui judicat eum Dominus est (*I Cor.* IV, 49) : quomodo ego jam justus sum, qui mihi conscius sum? Et cum causam habeam longe dissimilem, eumdem quoque, et non alium judicem. Cautus proinde ac prudens sanctus David, qui tantam tanti Judicis districtionem conspiciens; sed, etsi vellet contendere cum eo, se non posse respondere unum pro mille præsentiens, de internorum prorsus qualitate diffidit, et ad precis humilitatem recurrit, et dicit : *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine* (*Psal.* CXLII, 1). Judicium trepidus exhorruit, et ideo ad misericordiam providus confugit. Et quare refugit judicium? *Quia non justificabitur*, ait, *in conspectu tuo omnis vivens* (*ibid.*). Neminem prorsus excepit, non patriarcham primum, non prophetam egregium, nec aliquem in hac mortalitate de immundo conceptum semine ante eum novit justificandum, si cum eo vellet intrare in judicium. Nam si sane sapuit Petrus : *Vix justus salvabitur* (*I Pet.* IV, 18); et quid subdidit? *Impius et peccator*, qualem me esse non diffiteor, *ubi parebunt?* (*Ibid.*) Talis meditatio hydria tertia est : quæ et ipsa utique aqua lena est.

III. Prævenio etiam apud me frequenti meditatione exitum meum ab hac vita, et eamdem meditationem quartam mihi hydriam efficio; sed et

Digitized by Google

ipsam aqua plenam etiam usque ad summum inve nio. Scio etenim, et certus sum, quia oportebit me hinc exire; sed nescio tempus, nescio modum, nescio locum. Sed et recedens hinc, nescio quo vadam. O terribilis et ideo tremenda hora resolutionis meæ! Ille etiam, qui tanti talisque desiderii erat vir, ut bene sibi conscius cuperet dissolvi, ingemiscit gravatus, nolens utique despoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita (*II Cor.* v, 4). *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* xxvi, 38), ait Agnus incontaminatus et immaculatus, Christus Jesus, cum imminere sibi sentiret mortem : et ego mortis non expavescam horam? Ipso in agonia posito, *factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (*Luc.* xxii, 44); et ego non trepidabo præsciens resolutionem meam tam terribilem futuram? Quidquid hic est amittam, nesciens quid ibi quo pergo inveniam. Scio quod æternum supplicium, si mihi juxta meritum condignum rependitur stipendium : *Nam stipendium peccati mors* (*Rom.* vi, 23). Iniquitatem meam profecto ego cognosco. Et de judice meo legi : *Ad iniquitatem respicere non vales* (*Habac.* i, 13 ; *Job* xiii, 25). Jure ergo ego expavesco, leve folium, quod vento rapitur, potentiam tuam tantam : et stipula ego sicca, tam severam persecutionem.

IV. Jam vero hydria quinta meditatio est pœnæ infernalis; et sexta contemplatio gloriæ cœlestis. Et utraque apud me aqua plena est : æqualiter me perlimescente, ne hanc perdam, et ne illam incurram. Et cum hoc summi Regis palatium, illud autem ergastulum sit, in quovis mittimur, ulterius non exitur. Nam æternaliter et illud ad damnationem detinet inclusos; et istud ad felicitatem detinet admissos. Ecce ostendi vobis qualiter apud me illæ hydriæ implentur : et potestis jam evidenter ex his quæ dicta sunt perpendere quod in eis eorum continetur purificatio, qui non in manifesto, sed in occulto Dei sunt : *quorum laus non ab hominibus, sed ex Deo est* (*Rom.* ii, 29). Nam in his sex generibus purificationum purificatur, qui Deo vel peccata sua, vel dona confitetur. Sed quæritis etiam de mensuris istis quas habebant hydriæ, pro eo quod in Evangelio legitis, quia *capiebant singulæ metretas binas vel ternas* (*Joan.* ii, 6). Desiderio vobis est audire quæ sunt harum hydriarum metretæ : a quo non estis fraudandi.

V. Dicam quomodo ego non modo binas, sed et ternas solcam in eis invenire metretas : cum me contingit eas metiri. Vos fortassis meliori modo reperietis eas ; non erit tamen omnino abs re audire modum nostrum, qui quidem talis est. Cum pravum et iniquum, quem ante conversionem ducere solebam, statum ad memoriam revoco, me ante mé statuens, primum studeo considerare quæ et qualia, quot et quanta mala commisi : sed et ubi, et quando, et cum quibus mortifera multa peregi. Hæc enim septem ad mentem reducere debet, qui perpetrata a se flagitia et facinora plene intueri, et agnoscere studet. Sed forti et rigida hæc apud se cogitatione revolvat ad compunctionem, non autem molli et frigida ad delectationem. Nam idcirco et lapideæ hydriæ dicuntur, ut constanti hæc meditatione **215** ruminentur ; non autem vaga et debili cogitentur. Qui enim, ut, verbi gratia, de prima loquamur, et de aliis intelligatur, sic mala quæ egit ad memoriam revocat, ut in eadem recordatione molliter et turpiter, quasi in fœdo et fetido delectationis lecto requiescat, luteam magis, ut mihi videtur, quam lapideam hydriam habet. Ille est qui, corde reversus in Ægyptum, revolvit apud se piscium curiositatem quam inviscerabat ; revocans ad mentem tam illicitarum delectationum cucumeres et pepones, quam occupationum et sollicitudinum anxietates amarissimas et acerrimas, quas porri innuunt et cepe, et allia ; ac ideo dulcem et sapidam fastidiunt relectionem mentis, quam, ut scitis, innuit manna. Forti ergo, in quantum possum, cogitatione, ut compungar, non autem molli, ne illicite delecter, recogitans annos meos, non in dulcedine, sed in amaritudine animæ meæ, ut hydria mea lapidea sit, reduco mihi in memoriam septem ista opera, videlicet mala mea ; mensuram eorum et numerum, modum et locum, tempus quoque et personas : et ad me reversus dolore magno, et timore valido percellor : dum tantam talemque in pariete meo depictam animalium et reptilium abominationem intueor (*Ezech.* viii, 10).

VI. Deinde considerare studeo quod, multis adeo magnisque malis oneratus, vel omnino nulla, vel admodum pauca et parva sim bona operatus : sicut malis plenus, sic et bonis vacuus. Utrobique vero rerum me aspicio, tam in omittendo videlicet præcepta, a bonis abstractum, quam in admittendo prohibita, ad mala illectum (*Jac.* i, 14). Talem me fuisse in statu ante conversionem meam recolo : videlicet sicut sordidum in illicitis, sic et sterilem in necessariis. Et sunt hæc duo genera cogitationum, quasi duæ in prima mea hydria metretæ. Adhuc autem quis ego sim, qui peccavi; quis ille sit, cui peccavi; et multis ex causis apud me colligens quanta homo devotione parere debeat Deo, conjicio quanta deb.ui vitare instantia, ne ipsum contemnerem in utrovis istorum, vel in admittendo quod prohibet, vel in omittendo quod jubet. Et hoc modo metretam in hac hydria mea superaddo tertiam : ut hoc sit primam metretam habere, considerare me sollicite mala quæ feci : secundam, bona quæ agere non solum neglexi, sed et contempsi; tertiam vero quanta debui præcavere sollicitudine me admitterem illa, vel omitterem ista

VII. Jam in hoc statu, in quo nunc sum, sollicita me diligentia et frequenti sollicitudine circumspicio : et appareo mihi non mediocriter et mente instabilis, et corpore imbecillis. Non tamen de robore carnis meæ loquor, sed de fortitudine veræ virtutis. Ut autem silentio supprimam mala, quæ tam in

Digitized by Google

mente cogitando quam in corpore operando committo, ecce quanta in me bona, et ipsa in mente instabilitas, et in corpore fragilitas offuscat. Verba orationis quidem lingua loquitur, sed mens per diversa vagatur; non versatur in corde quod profertur in ore; sed perdentibus in me muscis suavitatem unguenti (*Eccli.* x, 2), tot super cadavera volucres descendunt, ut abigere eas Abram nequeat (*Gen.* xv, 11); et quod pejus est, aliquando nec abigere curat. Simili modo cum lectioni insisto, cum os seris silentii claudo, misera mens quietis impatiens, utpote *garrula et vaga* (*Prov.* VII, 10), nec ibi se totam ad intellectum colligit, nec hic ad plenam se quietem componit. Cum bona aliquando mens fluctuans vel tenuiter admittit; vel non, vel vix, in se elationem reprimit: cum vero mala, sero et fortassis non satis gladio semetipsam compunctionis transfigit. Sed quid ire conor per singula? Innumerabiles sunt enim morbi ejus. Et o quantum imbecille ad opus virtutis corpus! nam velox ad somnolentiam, ad gastrimargiam, ad lasciviam, ad pigritiam; tardum autem ad vigilias, ad abstinentiam, ad continentiam, et ad necessarium manuum opus. Cum in hunc modum duplicem in miseriam investigo, in hoc, in quo nunc statu sum, et investigans deprehendo, nimirum binas et in hac hydria mea metretas invenio.

VIII. Post hæc video quantæ, qualive tam instabilis quam debilis pateam ruinæ, si me manus non sustineat clementiæ divinæ. Et metretam tertiam adjungo. Cum enim tot generibus ægritudinum tam in anima quam in corpore subjaceam, etsi quibusdam forte necdum subjaceam, cum ad ea tamen plene dispositus sum, quid mirum si me prævideam incursurum et morbum, nisi cura cum Medici præveniat, et mortem, nisi ipsius eam operatio differat? Et meditationem istam metretam intellige tertiam Et bona quidem metreta hæc, quæ hominem admodum in propria continet mensura; non eum permittens elevari super se, sed humiliter instituens, ut solide **216** consistat in se. Nam quomodo jam ambulat in magnis et mirabilibus super se, qui propriam, qua circumdatus est, plene intuens infirmitatem, illud beati Job cogitur exclamare: *Ecce non est auxilium mihi in me* (*Job* VI, 13). Unde et Psalmista, ad orationis præsidium humiliter fugit, et dicit: *Non avertas faciem tuam a me* (*Psal.* CXLII, 7). Addidit et causam quare oret, ne avertat faciem suam a me; *et similis ero*, inquit, *descendentibus in lacum* (*ibid.*). Hoc est dicere: non subtrahas tuum a me auxilium, quia, ipso subtracto, illis in nullo dissimilis ero, qui concupiscentiæ ictibus pereussi proruunt in peccatum. Nam nisi tu, Domine, adjuves me, paulo minus cadet, et cadens et habitabit in inferno anima mea (*Psal.* XCIII, 17). Tres ergo in hac hydria metretæ, tres sunt in isto in quo nunc sum statu cogitationes istæ. Prima est, cum apud me revolvo quanta nutem instabilitate in mente; secunda, quanta fragilitate ægrotem in corpore; tertia vero cum plene scio me non posse subsistere, tanta pressum miseria, absque sustentante me manu divinæ clementiæ.

IX. Tertia illa hydria meditatio est, quam penes me habeo, cum de occulto, et de districto judicio Dei subtiliter penso, quæ et ipsa non modo binas, sed et trinas metretas capit. Et prima est, cum a facie districtionis ejus formidans, et ne forte ipse reprobatus sim, varia hinc inde me suspicione feriens, anxie timeo, ne ulla velit mea mala misericordiæ suæ munditia abluere, sed ad suum ea magis judicium referre. Sciens utique et ultorem esse gladium, et esse judicium, cogitationes apud me habeo varias, in me, et mentem in diversa raptam. Timeo multum ne scriptum peccatum meum sit stilo ferreo, in ungue adamantino, vigilante super reprobum suum severissima animadversione justi judicii Dei: et quibus adjuvetur ad condemnandum me, condita habentis apud se scelera mea, et signata in thesauris suis. Secunda etiam metreta est, ne bona, si quæ agere videor, æterno me persequens odio, non acceptet: sed modo quodam, quantum ad se quidem justo (quia aliud dicere non audeo) quantum ad me terribili et occulto, ipsum ad malum cooperari faciat. Nam, sicut *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti* (*Rom.* VIII, 28): sic dicunt quidam, quod odientibus Deum omnia cooperantur in malum, his, prout immobiliter super justa eorum reprobatione fixum est, in æternitate, qui prævisi sunt damnandi. O opera Dei pavenda et tremenda, in quibus terribilis apparet super filios hominum! quia, ut ait Ecclesiastes, *nemo potest corrigere quem ille despexerit* (*Eccle.* VII, 14). Et juxta sententiam beati Job: *si destruxerit, nemo est qui ædificet* (*Job* XII, 14): si incluserit hominem, nemo est qui aperiat. Væ mihi! ut de duabus istis metretis adhuc loquar, si me reprobans, et ideo nec mala mea diluens, nec bona acceptans, ejicere proponit a facie clementiæ suæ, æternæ me quoque oblivioni tradens: utpote vas iræ aptum in interitum (*Rom.* IX, 22).

X. Metreta huic tertia est hydriæ, cum de eodem adhuc judicio cogitans, timeo, ne forte quidquid mihi facit, malo meo faciat: disponens adversa contra me tam in prosperis, in quibus favere, quam in adversis, in quibus furere videtur; nam cum arrident prospera, timeo ne, ipso occulte disponente, ideo arrideant, ut irrideant: quatenus videlicet illorum fallax, ut ita dixerim, arrisio, bonorum, si quæ temporalis sit retributio; malorum autem, quæ feci, æterna damnatio. Cum autem furunt adversa, paveo ne tantum initia dolorum sint hæc, nam finis eorum sine fine, æternus, interminabilis, et indeficiens defectus, et mors vitalis. Itaque ut de beatis quidam ait: *Si quando ridet mihi Deus, non credo ei: et si quando me feriat, scio quoniam, cum expleverit in me voluntatem suam et alia similia præsto sunt ei* (*Job* XXIII, 14). *Idcirco, si venerit*

Digitized by Google

ad me, non videbo eum, et si abierit, non intelligam. Si repente interroget, quis respondebit ei; vel quis dicere ei potest, cur ita facis? Deus cujus resistere iræ nemo potest, sub quo curvantur, qui portant orbem. Quantus ergo ego sum, ut respondeam ei, qui, etiamsi habuero quidpiam justum, non respondeo ei, sed Judicem meum deprecor. Et cum invocantem me exaudierit, non credo, quod exaudierit vocem meam (*Job* IX, 11 et seqq.). Lege expositionem beati Gregorii papæ in *Moralibus* (278) super hæc : Et hæ tres in hydria hac tertia erunt metretæ.

XI. De exitu vero nostro ex hac vita cogitare, quartam hydriam habere est. Et ipsa, sicut istæ per quas transivimus, tres metretas habet. Et primam habere me puto, cum apud me pertracto quam dura et aspera, quam tristis et invita illa disjunctio ab invicem horum duorum cohabitantium, de corpore loquor et spiritu. Plane *omnis caro fenum*, ut ait Isaias; *vere fenum est populus* (*Isa.* XL, 6). Sed et *vapor est vita nostra, et deinceps exterminabitur* (*Jac.* IV, 14). Dissolvit domum hanc, terrestre corpus nostrum dico, et festinante **217** terra ad terram, exire compellitur spiritus. Addo hydriæ huic metretam secundam : cogitans de corporis putredine post exitum animæ. Considero modo in corporibus mortuorum, quid meum erit post mortem : quod profecto dissolutum per mortem, redigetur in pulverem, eritque post putredinem vermis : post vermem, pulvis. Et magna mihi apparet confusio in hac metreta secunda : sicut et trepidatio in prima, et terror in tertia. Ipsa metreta tertia ad illam pertinet horam, in qua districti Judicis conspectibus præsentabitur anima, manifestanda, ut ait Apostolus, *ante tribunal Christi, ut referat prout gessit in corpore suo sive bonum, sive malum* (*II Cor.* V, 10). Et hi tres in hac hora mihi apparent formidandi : hostis accusans, conscientia attestans, judex examinans. Miser ego, quid tunc faciam causam habens languidam; qui nec usque [*al.*, ultra *vel* ulterius] latere tunc potero, spectaculum factus inimico accusanti, mihi ipsi confitenti, Deo judicanti ?

XII. Jam vero quia aliquandiu in metretis harum hydriarum demorati sumus, ut breviter percurramus quod adhuc restat dicendum in quinta hydria, quæ est meditatio calamitatis infernalis, metreta prima exustio est ignis; secunda corrosio vermis; tertia vero utriusque æternitas : quia et ille inextinguibilis, et hic dicitur immortalis. In sexta autem hydria, quæ ultima est, quæ est meditatio gloriæ cœlestis, primam metretam habes, si apud te pertractes quæ erit beatitudo quam ibi habebis in teipso : secunda, si quam in civibus; tertia quoque, si quam possidebis in Deo. In teipso fortitudinem habebis veræ potentiæ : in civibus suavitatem amoris sinceri : in Deo autem plenitudinem summæ sapientiæ : plene roboratus, perfecte inflammatus, et ad omnia illuminatus.

XIII. En hæ sunt in singulis sex hydriarum me-

(278) Lib. IX *Mor.*, cap. 10 et seqq.

A tretæ tres : quas, ut jam dictum est, hydrias aqua ministri impleverunt usque ad summum, cum plenum ac perfectum in his sex generibus meditationum, ad inspirationem internæ gratiæ, cogitationes mentis timorem concipiunt. Sed necesse est ut qui ministris jussit hydrias aqua impleri, faciat eos et inde vinum haurire, quia eadem gratia cogitationes nostras demulcet per amorem, quæ eas terret per timorem. Ut enim aqua timor, sic et vinum est amor. Verum prius aqua et postea vinum : quia *initium quidem sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX, 10) : sed *perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV, 8). Hanc autem commutationem discretio, quæ mater est aliarum omnium virtutum, dijudicet; dijudicatam probet, quia ad eam pertinet, B suo approbare favore, quod amor ordinatus mentis cogitatus demulcet, ad consolationem : ne timor eos nimis deterreat, ad desperationem. Et hoc est quod ministri jubentur haurire nunc et ferre architriclino, ut cogitatus mentis, qui ad instinctum divinæ gratiæ in singulis his meditationum generibus nonnihil cogitando infunderent, unde dolenda timerent, et timendo dolerent, ad inspirationem ejusdem gratiæ nunc, id est post longum cruciatum, aliquid pie præsumendo hauriatur, unde approbante discretionis prudentia et amando sperent, et sperando ament. Nam prudens et cauta discretio, princeps triclinii est, quod sonat architriclinus : ad cujus pertinet principatum providere, ut memoria stabilis sit, ratio perita, voluntas vero munda. Ad C hæc quippe tria istud triclinium spectat in quo nimirum discretio principatum agens, ne memoria a se dispersa vagetur : ne ratio interno lumine privata per erroris tenebras obscuretur : ne voluntas per appetitum illicitum inquinata, veræ munditiæ puritate exspolietur. Sed cui hujus spiritualis commutationis bonum discretio attribuere debet, nisi ei quo omne bonum nostrum, sine quo nihil possumus facere? ipse est Dominus noster : a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit (*Jac.* I, 17).

XIV. Vocato ergo sponso, qui, quis sit, satis jam audistis; dicat ei architriclinus iste, quod bonum usque adhuc servaverit vinum; deputans ei, ut D post irriguum inferius, irriguum det superius (*Jos.* I, 15), et post tempestatem, tranquillum faciat (*Tob.* III, 22). Verum non ita agit omnis homo, sed *primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est.* Placet vobis audire, qualiter hoc agat quisque carnalis? Ipse enim est, qui hoc loco appellatur homo. *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt* (*Job* XXI, 13). Ecce cum inebriati fuerint, ponitur quod deterius est. Audite et Salomonem, cujus et super eadem re hæc verba sunt : *Favus distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus* (*Prov.* V, 3). Nonne et istud vinum bonum? sed primo positum est. Videte positum inebriatis id quod deterius est. *Noristima*

Digitized by Google

vero ejus amara quasi absynthium, et acuta quasi gladius biceps (*Prov.* v, 4). Significans, ni **218** fallor, in concupiscentia mundi istius, cum quo fornicantur filii sæculi hujus, nonnihil dulce in verbis seductoriis præcedere et nitidum : sed subsequi, quod ad sorbendum amarum est, et ad sentiendum acutum. At vero Sponsus animæ Deus, servat bonum vinum usque adhuc : quia *metuenti eum*, ut ait Scriptura, *bene erit ei in extremis* (*Eccle.* I, 13). Et *disciplina ejus primum non videtur esse gaudii, sed, mœroris : postea vero fructum pacatissimum exercitatis, per eam, reddit justitiæ* (*Hebr.* XII, 11).

XV. Venimus jam ad finem miraculi, quod in tertia sua apparitione, seu manifestatione operatus est Dominus Jesus. Vultis ut quæ dicta sunt prolixe, in sermonibus istis de miraculo isto, compendiose repetantur : ut evidentius per intellectum capiantur, et arctius in memoria teneantur? Ecce facio quam compendiosius possum. Nuptiæ factæ in Cana Galilææ, internæ sunt deliciæ mentis celebratæ in anima, quæ de bono ad melius, de meliore ad optimum proficit · et in transmigratione operum exteriorum, et in revelatione internorum mysteriorum. Has spirituales refectionis delicias insimul habent Sponsus et sponsa, Deus et anima. Existente ibi matre Jesu, vocatur et Jesus cum discipulis suis : quia præsente devota voluntate, quæ internam gratiam et concipit per affectum puræ dilectionis, et parit per effectum egregiæ actionis; piis gemitibus, et piis operibus invitatur eadem gratia interna, et charismata ejus spiritualia. Deficiente autem vino, matrem Jesu ad eum, *vinum non habent*, dicere, est, subtracto gaudio spirituali, devotam, apud internam gratiam, voluntatem pro ejus reparatione, pia querela suspirare. Eidem vero matri, *quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea*, respondere, est gratiam internam devotæ voluntati, et propriam fragilitatem ad notitiam infundere, et quod non ei expedit, ut adhuc accipiat, quod petit, intimare. Matrem quoque ejus, *quodcunque dixerint vobis facite*, dicere ministris, est voluntatem devotam, ut occultis internæ gratiæ motibus, per omnia, obedientes sint internæ mentis cogitatus, exhortari.

XVI. Lapideæ hydriæ sex positæ, ad purificationem Judæorum, sex genera sunt meditationum exercenda, ad emundationem, in fide et veritate, Deo confitentium sensuum internorum. Primum genus est de statu illo quem ante conversionem habuimus. Secundum de statu isto quem nunc conversi tenemus. Tertium de judicio Dei, cujus occultæ dispositioni subjacemus. Quartum de exitu nostro ab hac vita, quem omnes indubii exspectamus. Quintum de calamitate pœnæ infernalis, quam exhorremus. Sextum de felicitate gloriæ cœlestis, ad quam suspiramus. Capiunt singulæ quidem, in nobis metretas non modo binas, sed et ternas, cum singulas has meditationes tribus apud nos modis revolvimus. Cum in prima videmus, in quantum malis eramus intenti, et quot mala videlicet admisimus operantes iniquitatem; bona omisimus, facientes delictum et in quantum utrumque debuimus evitasse. Cum in secunda agnoscimus in nobis instabilitatem mentis, imbecillitatem corporis : et quod nullatenus valemus, vel quod malum est evitare, vel quod bonum est exercere, nisi manus nos divinæ misericordiæ et retrahat ab illo, et roboret in isto. Cum etiam in tertia timemus, ne occultus ille Judex, et districtus nec bona nostra acceptet, placatus, nec mala diluat propitius; insuper cuncta, quæ apud nos aguntur, ad cumulum perditionis nostræ disponat offensus. Cum in quarta præcogitamus duram et asperam animæ nostræ, et corporis ab invicem disjunctionem, corporis sub terra fœdam et fetidam commorationem, animæ pavendam atque tremendam ante Judicem repræsentationem. Cum in quinta horremus, apud nos, ignem ardentem, vermem rodentem, utrumque vero fine aliquo carentem : illum videlicet inextinguibilem, hunc autem immortalem. Cum in sexta depingimus in charta cordis, quæ sit illa beatitudo futura, quam tripliciter in futuro nos accepturos speramus, de qua legimus, quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II, 9). Quæ sit, ut aliquid de ea vel superficietenus loquamur, potentia, quam habebimus in nobisipsis; quæ sapientia, quam in Deo; quæ benignitas, quam in concivibus nostris : primam a Patre, secundam a Filio, tertiam a Spiritu sancto : ut sit Deus omnia in omnibus (*I Cor.* XV, 28). Has sex hydrias lapideas ministri usque ad summum implent aqua, cum his sex generibus fortium et stabilium meditationum plenum mentis cogitatus, aspirante divina gratia, timorem concipiunt.

XVII. Quibus etiam ministris, haustum de hydriis ferentibus; gustans ille : sponsum ait bonum vinum servasse adhuc, **219** : quia cogitationibus mentis, arbitrio discretionis, intimas suas revolutiones præsentantibus, approbans ipsa, quod jam respirant in amore, quæ prius suspirabant timore, Deumque laudans super spirituali hac in eis mutatione, affirmat ipsum suam eis, in novissimo, suavitatem et dulcedinem indulsisse. Sed longe aliter agere videmus universitatem carnalium, qui primum quod secundum carnem, et secundum hoc sæculum dulcescit, sibi sumendum contendunt : et postmodum insensibiles damnabiliter effecti, quod pœnaliter amarum est, percipiunt, percussi in posteriora, et opprobrio deturpati sempiterno (*Psal.* LXXVII, 66). Igitur omnis homo primum bonum vinum ponit : quia in reproborum stirpe, primus Enoch nascitur (*Gen.* IV, 17), qui *se in temporalibus dedicantes*, quod sonare videtur Enoch, cordis intentionem in terrenis defigunt; et manentem hic quærentes habere civitatem, futuram non inquirunt. Sed Sponsus animæ Deus bonum vinum servat usque adhuc, quia in electorum progenie Enoch septimus procedit (*Gen.* V, 18) : pro eo quod ipso-

Digitized by Google

rum, non modo, sed in fine dedicatio erit (*Gen.* v, 24). Qui cum Deo ambulantes : ei scilicet, per omnia, in sua conversatione, consentientes, in carnalium non apparent impuritate ; quia in sua eos Deus locat et ponit sanctitate.

XVIII. Et si vultis recipere, usque adhuc servat vinum bonum, quia, *cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* (*Psal.* cxxvi, 3). Hoc vinum potabunt, et inebriabuntur charissimi Sponsi in nuptiis patriæ cœlestis (*Cant.* v, 1), quando cessantibus et istis quæ nunc in Ecclesia celebrantur per fidem : et istis, de quibus jam multa diximus, quæ in anima sunt, per internam puritatem, succedent illæ, in quibus inebriabuntur illi beati convivæ, electos loquor angelos et homines, *ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis suæ potabit eos* (*Psal.* xxxv, 9), *videntes eum facie ad faciem. Tunc similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicut est* (*I Joan.* III, 2). Tunc disponet Dominus Jesus his, qui permanserunt cum eo, in tentationibus suis, sicut disposuit ei Pater suus regnum, ut edant et bibant, in nuptiis istis regiis et nobilissimis, super mensam suam in regno suo (*Luc.* xxii, 29). Tunc præcinget se, faciens servos suos, quos invenerit vigilantes, discumbere, et transiens ministrabit eis (*Luc.* xii, 37). Tunc aqua mutabitur in vinum : quia A transibit homo in Deum. Ideo non minus verus quam pulcher ille cantus viri Dei, qui sic cecinit :

Unda fluens, homo præteriens : ea mixta Lyæo ;
Est Christo, Christi sanguine, junctus homo.
HILDEBERT. Turon. *De sacrif. missæ.*

Nam *ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ* (*Luc.* xvii, 37). Et oratio est Filii ad Patrem, hunc habens modum : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi* (*Joan.* xvii, 24). Mutabitur etiam aqua nostra in vinum, mortalitas nostra in immortalitatem ; hoc enim nostra et continet fides, et exspectat spes, et charitas meretur. B Et Pauli quidem super his testimonium verum est : quod tale est, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (*I Cor.* xv, 53). Plane in vinum mutabitur aqua : quia absorpta erit mors in victoria (*ibid.*, 54). Usque tunc servat Sponsus Ecclesiæ, Sponsus animæ, Sponsus quoque illius felicis et supernæ Sponsæ vinum bonum : tradens regnum Deo et Patri (*ibid.*, 24) ; et ipsa inimica destruetur mors (*ibid.*, 26), et erit Deus omnia in omnibus (*ibid.*, 28) : regnans in electis suis, benedictus, et superexaltatus per omnia sæcula. Amen.

LIBER DE ORDINE
HABITU ET PROFESSIONE
CANONICORUM ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

MAGISTRI ADAMI PRÆFATIO.

221 I. Reverendissimos dominos et Patres meos C in Christi visceribus dilectissimos, vitæ venerabilis viros, abbates ordinis Præmonstratensis, qui hunc lecturi sunt librum, in hac præfatione alloquens, super temeritate jure me redarguendum non diffiteor, quod ante tam claros soliis justitiæ radios, vel momento aliquo apparere præsumo, cæca talpa, et subfodiens ego. Non tamen absque ingenti formidine procedo, et humiliter ad eos petitionem dirigo, atque in hanc vocem exclamo : *Sustinete modicum quid insipientiæ meæ, sed et supportate me* (*I Cor.* xi ; 1). Vas electionis apostolus Paulus non modo *sapientibus, sed et insipientibus* se asserit *debitorem* (*Rom.* I, 14). Quod quidem eis plene, ac perseveranter debitum reddidit magis in eo quod ipsos importunos benigne et longanimiter, quam quia sustinuit eos imperitos, catholice, ac fideliter erudivit.

II. Magnus ille Doctor gentium in fide et veritate, quem implicitum tenuit sollicitudo omnium Ecclesiarum, non modo quibusdam quibusdam, sed *omnia omnibus factus est, ut omnes faceret salvos* (*I Cor.* IX, 22). Non minoris in sanctitatis pondere fuit meriti perfectio illa, quam intentio ista. Sicut enim hæc indefæcata puritate enituit, sic et illa in supereminenti magnitudine apparuit. Omnia itaque omnibus fieri, ipsum summæ perfectionis culmen scandere est. Præcelsum sit ille in eo obtinet locum, qui et ergo alienam imperfectionem perseveranter se tenet perfectum. Hoc est ab ejus penitus stabilitate, quæ vinculum est perfectionis non moveri ; qualemcunque, vel quantamcunque in alio eum contigerit imperfectionem intueri. Tales infatigabiliter ad implendam legem Christi, quicunque fuerint, sublevante cum eis, illa, quæ non tam aliqua columnodo, quam omnia sustinet onera, alie-

Digitized by Google

rum supportant persequentes quidem pro loco, et tempore, pro persona, et causa, culpam; sed foventes semper in omnibus naturam. Vos autem tales esse loci in quo estis positi, ut aliis sitis præpositi, sublimitas monet. Et quidem quod tales sitis, meæ est humilitatis non discredere. An vero sitis, ad solam spectat interni judicii æquitatem ponderare. Sicut ad ejusdem censuram, judicare si tales non estis; et pietatem remunerare, si estis.

III. Sustinete igitur, o sapientes, insipientiam meam. Supportate, o fortes, debilitatem meam. Ea subit humilitatem meam destinare celsitudini vestræ, quod a me utcunque exaratum est. Sic, quæso, indignemini, si quæ est, præsumptioni, ut **222** quæ sine dubio est, faveatis dilectioni. Esto quod impetitus sermone, sed non vacuus dilectione. Certe dummodo ejus videat præsentiam, quæ ædificat, temerariam non præcipitabit sententiam Sapiens in ejus absentia, quæ inflat (*I Cor.* VIII, 1). Illam, ut scitis, charitatem; hanc autem scientiam Paulus appellat. Invitat itaque, ut hoc aggrediar, amor, sed vetat aggredi timor. Et ille, ut vobis potissimum placeam, a quibus præmoneri semper bonum est mihi; et præmuniri, ne displiceam: et sane e contrario displiceam, quibus et instare modis omnibus debeo, et insistere ut placeam. Verum si non falsa est sententia Pauli, nec ipsum vestrum experimentum fallax, expulsio istius perfectio illius est.

IV. Neque enim ullus ei deesse poterit ausus, cum totum cor sincerus, et perfectæ charitatis vindicaverit affectus. Nam quod jam charitas non audet, Christus, et simplicitatis cordis idem confert pectus, ut in se sit una: et veritatis testimonium conscientiæ perhibet bonitas, ut de se sit secura: et tenacitatis glutivum fidei exhibet firmitas, ut de se perpetua sit. Sed audiantur verba sancti, et sapientis viri (279), non minus vera quam nitida, multo ante nos tempore prolata: nostro pariter silentio propter auctoritatem comprobanda, et in nostræ assertionis testimonium propter veritatem assumenda. *O amor præceps, vehemens, flagrans, impetuose! qui præter te aliud cogitare non sinis: fastidis cætera, contemnis omnia præter te: te contentus. Confundis ordines, dissimulas usum, modum ignoras. Totum quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilii judiciive esse videtur, triumphas in temetipso, et redigis in captivitatem.* Hic igitur, Patres venerandi, in causa est, quod præsumptionem arbitratus non sum, etiam delicatis olus apponere paupertatis meæ, et coram vobis non silere, cum nesciam loqui.

V. In hoc autem libro Sermones quatuordecim sunt. Quem idcirco per sermones distinxi, ut eorum sic quasi præsens allocutio legentium et illustret intellectum, et inflammet affectum: quatenus eorum nihilominus competens incisio, et fastidium auferat pigris, et desiderium conferat studiosis. Sed ut et hoc inferam; non ideo vobis eum credidi destinandum, quod eum plurimum vobis, aut vestris æstimarem necessarium: quin potius, quo in hoc meum erga vos probarem affectum. Accipite itaque a spirituali uteri vestri filio munus vobis transmissum: munus quidem, quod et sui pretii vilitas efficit parvum, mittentis tamen reddit charitas magnum. Vestram autem obnixe pietatem obsecro, ut quo plus in magnitudine sui id apud me devotio delectat, eo minus in quantitate pretii illud apud vos æstimatio coarctet; sed eadem a vobis intentione suscipiatur, qua et a me destinatur. Hoc etiam nihilominus petitioni meæ volo superaddi, ut cum opportunum vobis forte poteritis pro loco, et tempore, pro negotio, et causa otium furari, eosdem coram vobis sæpius faciatis diligenter recitari: sicque quod competenter in eis inveneritis dictum, approbetis; ubi quæ aliter in eis se habent, nullo modo non emendata relinquatis.

VI. Superaddi volo istud, ut tam vestris quam alienis abscondatis hos a sapientibus et prudentibus: et reveletis eos parvulis: ut et istis esse possim odor vitæ in vitam, et illis odor mortis in mortem. Sunt enim quam multi, in hoc quam maxime tempore, quorum os putredo contaminat, quam Salomon invidiam esse affirmat: qui offendunt verbo quibus et ille lapis est offensionis, et petra scandali, qui utriusque nescius est. Sed illis ipse est honor, quibus non inest livor. Quocirca, dum spiritualem ibi per elationis fastum invidi derogando incurrunt defectum, **223** ubi per humilitatis affectum benevoli approbando acquirunt profectum; non mirum, si cum signatum Agnus aperit librum, et isti se modo gaudeant admissos, et illi vel sero se defleant exclusos.

VII. De ordine canonicorum sermo primus et secundus; de habitu canonicorum ordinis Præmonstratensis tertius et quartus: ac de professione eorumdem decem reliqui tractant. Quia enim in eadem professione de regula Patris et advocati nostri beati Augustini mentio fit, totam oportuit istam regulam exponi: quod profecto sine aliqua sententiarum prolixitate, congruo non potuit effectui mancipari. Unde quia in his tribus principalis sermonum istorum materia consistere deprehenditur, et eo quidem modo, quo ad nostros specialius, quam ad alios canonicos pertinere videtur, aliquis ex nostris hunc libro huic titulum esse imponendum arbitratur: de ordine, habitu atque professione canonicorum ordinis Præmonstratensis. Sed ut quid ista sic sigillatim exprimo? Hoc enim et ego habebo, quod ex me est in omnibus sine ulla exceptione, quæ ad eosdem sermones pertinent, solum quod vestrum examen habuerit ratum. In calce vero præfationis hujus finalis hæc mea est instantia petitionis, ut eis coram vobis recitatis, ex susceptione vestra et alacritate, ex congratulatione et compassione, ex approbatione et favore mihi evidenter

(279) Puta Bernardi Clarævall. Ser. 79 in Cant.

Digitized by Google

detis intelligi, quæ et qualis, ac quanta in transmittendis, et revelandis vobis nonnullis aliis opusculis, quæ ad parvitatem meam pertinere videntur, spes in me, vel audacia possit, et debeat oriri. A Orantem pro nobis venerabilem paternitatem vestram sanam divina gratia, et incolumem custodiat, et ad cœlestis patriæ felicitatem perducat. Amen.

DE ORDINE, HABITU ET PROFESSIONE CANONICORUM ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

SERMO PRIMUS

De debito quo astricti sunt canonici. De dignitate ordinis eorum. De terna rectitudine cogitationis. De tribus gradibus pravæ cogitationis, ex suggestione, delectatione et consensu.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Quanta sollicitudo sit reddendi voti. — 2. Ex quantitate accepti pensanda quantitas debiti, quod ab ordine, habitu, professione accrescit. — 3. Ordo sublimat, habitus figurat, professio ligat. — 4. A sublimi professione non discordet conversatio. — 5. Clericorum præ monachis prærogativa. — 6. Canonicus ab etymologia est regularis : cujus rectitudo erga Deum et se ipsum expensa. 7. In canonico, quem regularem et rectum esse oportet, damnata curvitas, cujus mulier evangelica typum gessit. — 8. Curva anima immundorum spirituum bajula : ejus triplex curvitas. — 9. Homo incurvat seipsum, cum rectus creatus sit. — 10. Rectitudo interior est triplex, prima memoriæ : quam molestantibus cogitationibus ostium occludendum. — 11. Triplex in Scripturis clausum ostium. Unde remedium petitur : primo terrenarum cogitationum sollicitudini. — 12. Deinde cogitationibus pravis et iniquis, quæ virulenta suggestione consensum pelliciunt, ut animam occidant. — 13. Postremo cogitationum otiosarum et vagarum phantasmatibus. — **224** 14. Triplici cogitationum tortitudini opponitur terna rectitudo, memoriæ, affectionis, intentionis. — 15. Ad eam regulam tenendam parænesis.

I. Solent, ut ipsi scitis, dilectissimi, qui veritatis amatores sunt et filii, cura vehementi quam sæpe distendi, *cum illaqueatos verbis oris sui* (*Prov.* VI, 2) spontanee se perspiciunt, et aliquo vinculo promissionis obligari. Quo enim puriore spiritu veritatis rectitudinem amant, eo majore sollicitudine D falsitatis incurrere tortitudinem reformidant [*deerat verbum*]. Unde fit ut, vel nunquam, vel certe raro, quibus se aliquando obligavere, promissa, intervenïente oblivionis tegmine, a cordis aspectibus abscondant, et ea nihilominus, pro posse, persolvere intendant. Non solum secundum quid, sed et diligentius interdum attendunt, qui et vivant, et quantum polliciti sint, quatenus profecto quanto, quibusve sint obligati perpendant, tam ex ipsis videlicet promittentium personis, quam ex magnitudine quoque promissionis. Et quo quidem in hoc attentius veraces esse desiderant, eo nimirum et sollicitius, quod promisere, reddere festinant.

B II. Nos autem, fratres, nos, inquam, constricti sumus debito magno : utpote qui multum accepimus, ac per hoc, et multum a nobis reddendum, scire certissime debemus. Itaque multum reddendum, quia et multum accepimus. Scimus collatum id per totum exigendum. Teste namque ipsa Veritate, *Cui multum datum est, multum exigetur ab eo* (*Luc.* XII, 48). Sed nimis parum dixisse me video, id quod accepimus, exigendum et reddendum asserens : quia *cum usura* debui addidisse. Piger quippe, ac nequam a Domino servus appellatus est, et ex ore censetur proprio judicandus, qui id ei solum, quod accepit, resignavit. Nec respuit quidem quod suum est, sed *in gaudium Domini sui* non meretur *servus introitum* (*Matth.* XXV, 21), si non donum de negotio reportaC verit duplicatum. Quod autem magnum sit debitum nostrum evidenti clamitare non cessant indicio ordo noster, habitus et professio. Tria hæc ; horum autem sublimior ordo, habitus vero evidentior, fortior quoque professio est. En, quo Deo estis dicati, triplex insigne, quod cum magnum sit, et quidem per omnem modum, magis quoque vos erga plures efficit debitores. Si vero quinam illi sint vobis desideratis innotescere [*al.* innotesci], ipsi sunt Deus, proximus, et vos ipsi. Reddite ergo his omnibus debita : existentes semper, et ubique, pro posse ac nosse, et circa propriam salutem solliciti, proximo compatientes, et Deo devoti. Sic *sobrie, et juste, et pie viventes in hoc sæculo* (*Tit.* II, 12), secure poteritis cum corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta *beatam spem exspectare, et adventum gloriæ magni Dei* (*ibid.*, 13).

III. Et intuemini, si placet, dignitatem non mediocrem in ordine vestro ; et ipsam significationem non inconvenientem in habitu ; vinculum vero quoddam forte, et in hac penitus vita insolubile, in professione. Nam ordo sublimat, habitus figurat, professio ligat. Et certe sic se habere omnia hæc, ut dicimus, aptissime, ni fallor, videbitis ; cum uniuscujusque eorum trium innotuerit perfecte proprietas vobis. Et primo quidem de ordine, secundo de habitu, novissime vero loquemur de professione Adestote præsentes mente, sicut estis et corpore Et

Digitized by Google

gemino necesse est modo ut adsitis : mente levantes cor in oratione pro nobis, et auribus intendentes nobis, quatenus pacatus, ac patefactus piis orationibus vestris fons ille indeficiens, et purificato ab eo ingenioli nostri vasculo, quod vobis ad laudem suam et ædificationem vestram ministerio linguæ propinemus dignanter instillet ; auditui vestro dans gaudium et lætitiam : sed et quod ipso largiente dicturi sumus, infundat uti in vobis : id est per agnitionem veri erudiat intellectum, et per amorem boni inflammet affectum. Tunc quippe non modicus ex sermone nostro, tam vobis, qui auditis, quam nobis, qui loquimur, provenit fructus : cum et vos *Patrem illum luminum, a quo omne datum optimum. et omne donum perfectum descendit* (*Jac.* I, 7), ut ad utilitatem vestram secreta nobis sapientiæ revelet, vobis gratiam intelligendi administret, medullitus exoratis : et nos omni abjecta vanitate elationis, ac curiositate superstitionis, in locutione nostra suæ laudis præconium, et vestræ quærimus fructum ædificationis.

IV. Magister gentium apostolus Paulus, sana, more suo, ac catholica auditores suos instructione, quodam loco, alloquens : *Obsecro vos*, inquit, *ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione*, **225** *qua vocati estis* (*Ephes.* IV, 1). Exhortatio utique catholica, ac salubris, et qualis talem tantumque decuit doctorem proferre, et fideles oportuit Ecclesiæ populos audire. Ambulare eos voluit alacriter, non segniter stare : et ambulare digne vocatione qua fuerant vocati. Ut a sublimitate professionis, exercitium apud eos non discordet conversationis. Qualiter vero digne ambulare valerent, notum fecit, subdens : *Cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate : solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 2). Apte quidem ; ut dum in præsenti de virtute in virtutem ambulant, se in futuro *Deum deorum in Sion visuros* (*Psal.* LXXXIII, 8), spe certa præsumerent. Hæc, fratres, accipite specialiter dicta ad vos. Videte, quæso, vocationem vestram, et ambulate digne in ea. Ad ordinem canonicum vocati estis, ipsumque coram multis testibus professi. Ordo certe sublimis valde, et inter universos, quibus sancta exaltatur et decoratur, sanctificatur et regitur Ecclesia, ordines, magna quadam dignitate præfulgens. Hunc sua apostoli conversatione consecrarunt, et ad sublime singularis cujusdam auctoritatis fastigium evexerunt. Clerici sunt, qui ad hunc in Ecclesia ordinem promoti sunt. Qui ipsis quoque in nonnullis sublimiores sunt monachis, quantum ad auctoritatem, qua præeminent, potestatis.

V. Si dubitat aliquis super hoc, vel mussitat propter hoc : nisi quia de clericis, clericus hoc dico ? dubitanti quoque, et mussitanti possem respondere : Vix bonus monachus bonum clericum facit (280). Sed respondeat, si tamen necesse est, et monachus pro nobis. Beati Hieronymi in exhortatoria ad Heliodorum epistola (281), hæc verba sunt : qui utique monachus fuit. *Absit autem, ut quidquam de his sinistrum loquamur, qui apostolorum gradui succedentes, Christi corpus ore suscipiunt, per quos et nos Christiani sumus, qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicant ; qui sponsam Domini sobria castitate conservant.* Idem ad eumdem : *Clerici pascunt, ego pascor. Illi altario deserviunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero. Mihi ante presbyterum sedere non licet ; illi, si peccavero, licet me tradere Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit, in die Domini Jesu* (*I Cor.* V, 5). Sed quanta præeminent dignitate, tanta necesse est, ut et præemineant sanctitate : ut id in merito sint, quod sunt in vocabulo. Unde et idem in epistola ad Nepotianum : *Clericus, qui servit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione probata, nitatur esse quod dicitur. Si enim* Κλῆρος *Græce, Latine sors appellatur, propterea vocantur clerici, quia de sorte sunt Domini, et quia Dominus ipse idem clericorum est. Et quia vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut ipse possideat Deum, et ipse possideatur a Domino. Qui possidet Dominum, et cum propheta dicit : Pars mea Dominus* (*Psal.* XV, 5), *nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud præter Dominum habuerit, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratia si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem : cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur.*

VI. Usitato vero vocabulo, canonici appellantur, ut esse se in vitæ rectitudine demonstrent. Nam κανὼν, ut scitis, Græce, Latine *regulam* sonat. Regula vero recta ducit. Non solum autem, sed ad ejus etiam examen corrigitur quod distortum est. Colligite, fratres, ex his, quod tria hæc exercere incumbit vobis, qui canonici vocati estis. Canonicos quippe regulares interpretamur. Et spectant ad regulam hæc : rectam se exhibere ; recte ducere, suo, quod est distortum, examine deprehendere, et deprehensum corrigere. Recti estote et vos, ut non fustra sonare regulam ostendatis vocabulum vestrum. Alioquin dilectionem Dei non habetis in vobis, nec eum fructuose laudare potestis. Nam si ejus amore agitis, legitis in Cantico amoris : *Recti diligunt te* (*Cant.* I, 3). Si vero de laude, vox Psalmistæ est : *Rectos decet collaudatio* (*Psal.* XXXII, 1). Et hæc quidem duo specialiter pertinent ad Deum : unum ad affectum, ad præconium alterum. Quæ profecto sicut tibi esse non possunt, nisi rectus fueris, ita nec alia duo, quæ pertinent ad teipsum. Illa quidem horum effectus sunt, hæc autem fructus eorum. Si vero quæris quænam hæc

(280) Vide S. August., epist. 76, ad Aurel.
(281) S. Hieronymi Gnomologia de clericorum prærogativa.

Digitized by Google

sint, ipsa sunt tranquillitas conscientiæ, et gratia benedictionis divinæ. Conscientiæ quietem oportet generatione præcedere rectitudinem. Oportet utique : nam rectis asserit sanctus David lætitiam oriri : *Lux orta est justo, et rectis corde lætitia* (*Psal.* xcvi, 11). Sententia hæc ejus vera est, quia ibi sincera est exsultatio, ubi cordis est rectitudo. Et **226** quid aliud lætitia ista, nisi quies est mentis, in qua nimirum eo suavius pausat, quo ei lætius in bono ac veraci testimonio, in omni se veritate providens applaudit conscientia, quæ non modo lætitia, sed et gloria est? Nam Pauli vox est : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate, et sinceritate, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo* (*II Cor.* i, 12). Lætitia ergo est, ubi rectitudo; et ubi lætitia, ibi et gloria : quæ gloria nec ipsa sine rectitudine esse valet. Nam sicut dicit Psalmista, quod *orta est rectis corde lætitia* (*Psal.* xcvi, 11), sic et in victoria hæc ejus vox est : *Gloriamini omnes recti corde* (*Psal.* xxxi, 11). Quid de gratia dicemus benedictionis? nunquid ipsa adest, ubi rectitudo deest? Absit! Alioquin non diceret sanctus David quia *generatio rectorum benedicetur* (*Psal.* ci, 2). Igitur nec pure Deum amare, nec fructuose laudare, nec suaviter apud teipsum quiescere, nec secure aliquam benedictionem exspectare poteris, si rectus non fueris.

VII. Et quænam virtus hæc eximia, cujus ne tot tantaque conferantur bona, absentia in causa est? quis rectus, nisi qui regularis est? et ipse, ut jam diximus, canonicus est. Sed qui curvus, rectus non est. Nimirum, quia non bene conveniunt, nec in una sede morantur. Si igitur canonicus, et regularis : regularis vero qui rectus; sed nequaquam rectus, qui curvus est. Colligitur quoque eum curvum non esse, nec e converso, qui canonicus est. Hæc dicenti occurrit illa in Evangelio mulier curva, de qua legimus : quia *erat inclinata, nec poterat sursum aspicere* (*Luc.* xiii, 11), quam et ipse Dominus alligatam asserit fuisse vinculo Satanæ. Itaque primum alligata fuit, ut inclinaretur; et quia inclinata, sursum aspicere non potuit. Et quo attinent ista? quid, quod Satanæ primum vinculo anima ligatur, ligata inclinatur, inclinata sursum aspicere non valens, sola ima tuetur? Et quod istud vinculum est? quidquid autem illud sit, dubium nobis non debet esse quin malum sit. Nam quomodo non malum est, quod Satanæ est? fortassis pravus et reprobus timor, et amor est. Utrobique quippe iniquus ligatur : hinc acquirere gestiens, inde amittere formidans. In uno, a bono recedit abstractus; in altero ad malum accedit illectus. Nam timore contractus inerti bonum dimittit: amore vero dilatatus carnali, malum admittit. Itaque illius cuspide percussus, mentis oculos a summis vocat : hujus quoque adustione inflammatus, ad ima eos inclinat. Sicque dum et collum præbet summis, et faciem imis, curvum se exhibet : ibi a cœlo vultum avertens, hic nihilominus sine cessatione terram intuens.

VIII. Et quid ad intuitum pertinet istum? forte cogitatio, affectio, intentio; tria hæc. Nam in anima curvitas ista. Sanctus quippe David, ubi supra memoravimus, *rectis corde* dicit oriri *lætitiam* (*Psal.* xcvi, 11); et ad gloriandum nihilominus rectos corde invitat. Itaque secundum animam curvum depinginus hominem, cum omissis cœlestibus, illicite, quæ infima sunt, cogitat, diligit et appetit. Et sic anima curva effecta, maligni spiritus dorsum ejus insiliunt, prementes eam, et opprimentes; suamque magis, et magis, ad ima faciem inclinantes. Et gemebunda fortassis ad hæc spectat vox illorum, ludibrii ad se factam vocem commemorantium. *Et dixerunt animæ nostræ : Incurvare, ut transeamus* (*Isai.* li, 23). Igitur incurvatur per cogitatum, appetitum, affectum. Ex his autem tribus, curvitatis hujus de qua loquimur, affectus quidem causa; initium vero cogitatus, appetitus quoque finis est. Cum itaque te vides caduca incessanter, et carnalia, quorum illa ad mundiale gaudium, hæc vero ad corporale spectant oblectamentum, in mente revolvere, eaque mentis ad te complexibus, eis agglutinatum, fortiter astringere, vel certe, in ipso sanctitatis exercitio, manus tuas ab omni munere non excutere, curvum te esse non ambigas; et jam necesse, ut illam tibi vocem flebilem assumas, et dicas : *Miser factus sum, et curvatus* (*Psal.* xxxvii, 7).

IX. Et cum talem te deprehendis, scito te non talem factum a Deo, sed a te ipso. Non enim talis ipse, et ad suam te creavit imaginem, et similitudinem ipse. Legimus in Psalmo quia *rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo* (*Psal.* xci, 16). Rectum creavit te, quia rectus est ipse. Rectum, inquam, creavit te, tu autem curvum fecisti te. Et huc fortassis accedit quod Ecclesiastes dicit : *Hoc inveni, quia rectum fecit Deus hominem, et ipse se infinitis miscuit quæstionibus* (*Eccli.* vii, 30) Et sic rectum fecit eum mente, sicut et corpore. Nempe rectitudo istius rectitudinis illius exemplum et incitamentum est. Indecorum valde, ut corpore rectus, mente curvus sis. Corpore **227** hominem, et mente præferre pecus, quoddam monstrum est. Sic quod corpus ad ima inclinatur, pecorinum; ad summa vero dirigitur, humanum. Hinc et illa gentilis hominis vox est :

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque videre [*tueri*]
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Ovid. *Metam*, i, 84.

Vide tu cœlum mente, ejusque ad sidera vultum erige : ut dum cogitatione, et aviditate in summis conversaris, rectum te esse comprobes. Sic te, in hac parte, regulæ assimilabis ut rite a canone canonicus, hoc est, a regula vocari possis regularis.

X. Porro rectum te facit rectitudo, et ipsa, uti jam breviter tetigimus, triplex sit. Prima in cogi-

Digitized by Google

tatione, cujus in anima sedes memoria est. Statuat itaque se memoria, quasque videlicet in se cogitationes stabiliens fluctuantes. Ipsa quasi animæ ostium est, per quod intrare ad eam vel vitam, vel mortem necesse est. Et hoc esse sciatis ostium, quod vobis Dominus jubet claudere, cum *intraveritis in cubiculum vestrum, ut oretis Patrem in spiritu, et veritate* (*Matth.* VI, 6). Hoc quoque ostium est, quod occultato intra arcam sancto Noe, cum his quos secum clauserat, *Dominus deforis clausit* (*Gen.* VII, 16). Hoc denique ostium est, quod suscepti hospitio viri sancti, *introducto ad se Lot, clauserunt, et percussi cæcitate viri spurcissimi, illud invenire non potuerunt* (*Gen.* XIX, 10, 11). Et ecce magnum sacramentum, fratres mei. Per hoc ostium ingreditur, et egreditur, et bonum, et malum. Nam *de corde*, teste Domino, teste et ipsa infirmitate nostra, *exeunt cogitationes malæ* (*Matth.* XV, 19). Misit quoque diabolus in cor Judæ, ut traderet Dominum: quia fiunt immissiones per angelos malos (*Psal.* LXXVII, 49).

XI. Ecce tribus, in Scriptura sacra, locis assignavimus ostium vobis, et in singulis, quia clausum fuit, legitur. Noe includitur, Lot intromittitur, et oraturus Patrem intrare perhibetur. De eo, quod primo loco posuimus, legitis, quia erat in arca; de secundo, quia in domo: de tertio, quia in cubiculo. Sed loca hæc, ut quid tam subtiliter notamus? sub una quippe significatione, singula hoc in loco accipere nolumus. Ad internæ namque unumquodque referre volumus conscientiæ secretum: sed absque præjudicio eorum, quibus non solum datum est profundius, sed et vacat profusius de eis sentire. Fatigant persæpe vitæ hujus negotia mentem, quæ dum multimoda erumpunt, et in illam se ingerunt, quasi tumultuosis et procellosis eam hinc inde fluctibus, conquassare solent. *Vidi cuncta quæ sub sole fiunt*, ait Ecclesiastes, *et ecce universa vanitas, et afflictio spiritus* (*Eccle.* I, 14). Atque de homine his occupato hisque detento, ac distento, qualem sententiam protulit? *Cuncti dies ejus doloribus, et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit* (*Eccle.* II, 23). Hinc mentem dissipatam, et dilaceratam concutit timor, pungit dolor, cura distendit, suspicio perurit. Magno sibi oneri ipsa mens est, semetipsam vix portare valens, et nusquam apud se requiem inveniens, non est quo fugiat a se, et ubi se ponat ad quietem omnino non habet. Premitur, et opprimitur: et inde hoc, quia supra vires oneratur. Emergere oppressa non valet, quia qua oneratur, deponere molem sufficiens non est. Huic autem cogitationi, cum tot modis [*al.*, hinc autem cogitatio cum tot motibus] impetuosa [*al.*, huic cogitationi cura occupationum impetuosa], et tumultuosa se ingerens strepit sancto Noe intra arcam incluso, et ipse, et perfectus quilibet intra arcam pausans, conscientiæ suæ non minus necessarium, quam salubre existimat [*deerat verbum*]: ut deforis Dominus ostium claudat. Claudat videlicet contra immoderatam sollicitudinum perturbationem, quæ universos miserabiliter carnales devastat: ipsa est diluvium, quod consumit omnem carnem.

XII. Est quædam alia cogitatio, quæ menti valde nociva est, et supra modum periculosa: longe ista de qua modo tractavimus nocivior et periculosior, illa quippe per occupationem sollicitat, hæc vero per iniquitatem inquinat. Illa per curam animam affligit, hæc vero per culpam polluit. Ista est quam serpens ille antiquus virulento suggestionis suæ susurro in anima multoties formal, ipsum quoque paradisum ingredi præsumens, et falsis ad esum interdictum promissionibus, mulierem fallax ipse incitans. Nec mirum. *Mendax quippe ab initio erat, et in veritate non stetit* (*Joan.* VIII, 44). Nec loqui aliud quam mendacium potest, idque ex propriis loquitur; quia mendax est, et pater ejus. Infundit prostitutor ille spurcissimus animæ semen suggestionis pollutum et damnosum; eique mediante conceptu criminoso (qui consensus est) sterilem confert fecunditatem. Ad hoc pertinere arbitror, quod in onere inimicorum Austri, dicit Isaias: *In terra tribulationis, et angustiæ leæna, et leo; ex eis vipera, et regulus volans* (*Isai.* XXX, 6). Quid hæc terra tribulationis, et angustiæ, **228** nisi anima prava, mansio, et habitaculum afflictionis et nequitiæ? in hac, diabolus suggerens, et peccatrix conscientia ejus suggestionibus acquiescens. Quia iste leo: hæc autem leæna, et vipera quæ ex istis: quia ex suggestione hostis, et consensu mentis, perpetratio procedit iniquitatis. Quæ profecto iniquitas quo delectabilius perpetratur, eo et crebrius reiteratur. Jam talem animam exprobratio illa prophetica, tangit quæ talis est: *Quam vilis facta es, nimis iterans vias tuas!* (*Jer.* II, 36.) Crebro vero reiterata, vertitur in consuetudinem; et sic usque ad multorum notitiam pertingit. *Jam fetet, quatriduanus enim est* (*Joan.* XI, 39). Et quis fetor iste, nisi infamia est? Hæc est regulus, de qua dicitur quod volat, quasi quibusdam pernicibus famæ pennis, quia ipsis, qui longe positi sunt, versa in consuetudinem iniquitas, innoteseit. Hinc rursum prophela in onere Philisthiim, *de radice colubri*, dicit, *egressurum regulum, et semen ejus absorpturum volucrem* (*Isai.* XIV, 29). Serpens antiquus coluber est tortuosus, et radix ejus pestifera suggestio est. Regulus autem, animi motus; semen illius, actus malus; volucris vero, anima puritate levis, et contemplatione sublimis. De radice itaque colubri adhuc hodie egreditur regulus, et semen ejus absorbet volucrem, dum per suggestionem diaboli concutitur animus, et animam illicitum perimit opus. Quia *peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem* (*Jac.* I, 15). Sic *halitus Behemoth prunas ardere facit* (*Job* XLI, 12). Qui cum septem spiritibus domum mentis ingressus, nihil in ea, nisi quod proditionis est, operatur (*Matth* XII, 45). Et qui septem spiritus isti? Utique superbia animam

Digitized by Google

inflans, invidia dilanians, iracundia dividens, acedia confringens, avaritia dispergens, gula dehonestans, luxuria conculcans, et in lutum penitus redigens. Et hi fortassis spurcissimi illi viri sunt: qui Lot *faciunt vim vehementissime* (*Gen.* XIX, 9, 10). Necesse igitur ut manum suam mittant, quos idem suscepit hospitio, eumque intus trahant ad se. Hi sunt visitationes internæ, quæ veniunt, ut consolentur nos, et veniunt hospitari, non morari. Necesse nihilominus ut ostium claudant, ne ad eum, ad quem ingressi sunt ullus patere introitus possit.

XIII. Quædam adhuc cogitatio est, quæ animæ viri perfecti valde solet esse molesta, et eo sæpe molestior est, quo ad plenum emendari non potest. Illa vero, de qua modo egimus, etsi major damnationis occasio est, tamen jugis adeo, atque frequens in mente non est. Hæc autem vix aliquando cessat: quia, cum fit silentium in cœlo, ei non datur nisi dimidia hora. Et quid dico dimidia, cum quasi dimidia fieri dicatur? Sic enim legitis: *Factum est silentium in cœlo, quasi dimidia hora* (*Apoc.* VIII, 1). In lutrico mens nostra semper est, infirma ad statum, prompta ad lapsum. Nunc foris, nunc intus vagatur *garrula, et vaga* (*Prov.* VII, 10); nec valens in domo quiescere pedibus suis, discurrit per innumera: alienata, et elongata a se, sibique absens effecta. Multitudo locorum inclinat eam, per quæ frustatim comminuta, ad se raro valet recolligi; multo autem rarius, cum forte recolligi contigerit, apud se intus morari. Cum autem inanitas hæc cogitationum inutilium irrumpere nititur, in penetralia cordis, sicut vilis plebs indigne, ac præsumptuose se ingerens, et inferens in thalamum divitis, tu statim claude ostium, ut exclusis vulgaribus turbis, ores Patrem tuum (*Matth.* VI, 6). O quam jugi sumus experientia edocti, quod populares hæ Synagogæ duris tumultuosi strepitus sui scopulis hebetant aciem mentis, ut absque sollicitudine, et labore ingenti, *abigere* non possit *Abraham volucres super cadavera descendentes!* (*Gen.* XV, 11.)

XIV. Et hæc triplex est memoriæ tortitudo, quam ad veram absque grandi sudore rectitudinem redigere non vales. Prima ad cogitationem pertinet onerosam, secunda ad malitiosam, tertia ad otiosam. Prima ad negotium mundi, secunda ad morsum diaboli, tertia ad morbum animi. In cogitatione prima, cura: in secunda, culpa; in tertia, phantasma. Cura per sollicitudinem pungens; culpa per iniquitatem mordens; phantasma per vanitatem irruens. Prima sollicitat, secunda contaminat, tertia inquietat. Primam sollicitudo formal occupationis; secundam seminarium hostis; tertiam partus cordis. Tu autem ut primam ad rectitudinem redigas, oportet quatenus eam pro loco, et tempore modifices; ut secundam, quatenus eam semper, et ubique refutes; ut vero tertiam, pro posse restringas. Modifices per discretionem, refutes per sanctitatem, restringas per maturitatem. Et hæc prima est, quam acquirere debes, rectitudo, quæ in memoria est; secunda erit in affectione, tertia in interna intentione. Sed de natura nos modo loqui permittit tam angustia temporis, **229** quam prolixitas hujus, qui finiri exposcit, sermonis.

XV. Cras quoque, si sua nobis Dominus pietate otium indulserit, quod ad laudem suam, et ædificationem vestram, sentire nobis dederit, audietis. Reparati igitur interim per silentium præmissa tunc oratione, et meditatione conveniemus, ut epulis nos, pro more, spiritualibus reficiamus. In fine vero sermonis, una mecum vos esse admonitos volo, non posse vos esse regulares, quod non dubitatur sonare nomen vestrum, nisi rectitudinem teneatis: cum et a regula regularis dicatur, et ex eo, quod recta sit, regula vocetur. Nos autem mentis diximus referendam rectitudinem ad cogitationem, ad affectionem, ad intentionem: ut sit videlicet cogitatio firma, affectio munda, intentio pura. O robur in cogitatu, munditia in affectu, puritas in appetitu! Ecce triplex insigne, quo recta fit anima tua: quod, quo plenius ac perfectius habueris, eo verius et sincerius, quod ore humano diceris, in illius interni inspectoris oculis eris. Sed de rectitudine, quæ in cogitatione habenda est, aliqua diximus. De illa vero quæ in intentione, vel affectione, dicere ad præsens supersedemus. Hoc idcirco diximus, quatenus pro eo, quod materia pendet, memoria vigilet, ut ubi modo terminamus, ibi die crastina, inspirante Deo ordiamur. Cui sit honor, et gloria in sæcula. Amen.

SERMO II.

De trina rectitudine affectionis, et vitiis oppositis, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. De triplici rectitudine intentionis, et de modestia exterioris conversationis nostræ.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Homo dignitatis suæ memor judicat hæc inferiora amore suo indigna. — 2. Qualiter se homo erga Deum, se ipsum, mundum habeat. — 3. Mundus diligitur (quod a Spiritu sancto vetatur) cum quis appetit quod caro suave, oculus delectabile, animus dictat sublime. — 4. Per concupiscentiam carnis prosternuntur luxuriosi; per oculorum, egrediuntur curiosi; per superbiam vitæ, eriguntur præsumptuosi. — 5. Ea est curvitas animæ, a qua alieni sint canonici triplici proposito remedio. — 6. Rex Amorrhæorum Og de Basan, typus voluptuariorum; definitio concupiscentiæ expensa. — 7. Rex Seon Amorrhæus interpretatur tentatio oculorum, in subigendis duobus regibus Amorrhæis, id est, duplici concupiscentia; cavenda superbia, insidians etiam bonis operibus ut pereant: cui Amasias rex Juda præluisit invalescens super Edom. — 8. Triplex medium acquirendæ affectionis rectæ: et triplex intentionis rectæ, qua venia, gratia, gloria comparatur. — 9. Regulæ officium præterquam in se recta sit, et recte ducit: ut vir justus, et religiosus in cogitatione, affectione, intentione rectus sit; ac in exteriori conversatione oris atque operis sit circumspectus. — 10. In recta ordinatione sui et proximi consistit summa religionis. Qualis erga singulos habenda. — 11. Commendata exterior morum honestas. — 12. Concinna anacephalæosis, qua singula singulis distributa.

I. Quanto profundius, fratres charissimi, purificato

Digitized by Google

plene mentis oculo, in quantum in præsentis vitæ cæcitate possibile est, suam homo dignitatem considerat, tanto magis necesse est, ut quidquid in hoc mundo, de hoc mundo, conspicit, internis eius obtutibus vilescat. Suffragatur vero ei multum, ac per omnem modum inspecta diligenter ac ardenter desiderata, sui, ad quem fruendum conditus fuit, beata et beatificans visio Conditoris. Quid istis infimis tanto incumbis affectu, miser homo? cur eis tantopere inhæres? cur eis tam tenaciter agglutinaris? stultus es, et *stulto labore consumeris* (*Exod.* XVIII, 18): ac unde gloriaris, inde erubescere deberes, et confundi. Tu ipse longe eis quiddam dignius et sublimius es, et ad quoddam eis per omnia melius et pretiosius conditus es. Dedecus tibi quam maximum est, te illis per amorem subjicere, quæ ideo nihilominus te indigna sunt [*al.*, nullo modo te digna sunt], quia tam natura quam pretio longe te inferiora sunt. Sic nec minus perniciosum tibi, atque damnosum, hæc ne dicam præ illo, sed et cum illo in affectu tuo admittere, qui ab æterno est, et tibi dedit ut esse accipere ab illo, et in æternum ut beate esse accipere in illo [*al.*, qui tibi, uti ab æterno est, dedit ut esse acciperes ab illo et in æternum ut beate esse perciperes in illo]. Adde etiam hic quod cum vilia sint, et te penitus indigna: in tantum instabilia, ac pene nulla sunt, ut nec tunc aliquid sint, cum supra modum sublime ac præcellens quid esse videntur.

II. Collige itaque, o homo, quantum miser, et miserabilis, pauper, et cæcus, et nudus es (*Apoc.* III, 17). Collige, inquam, præ oculis tibi, mundum, teipsum, Deum, tria hæc. Deflecte mentis tuæ intuitum ad ea quæ subtus te sunt: erige ad ea quæ supra te sunt. Ibi mundana, **230** hic autem tibi patent divina. Inspice et teipsum superiorem mundo, inferiorem autem Deo: et perpende hinc ex consideratione tui; hinc autem ex contemplatione Dei tui, quid de universis possis, vel debeas judicare, quæ sunt mundi. En tibi mundus in imo, Deus in summo, tu autem in medio es. Stude in his singulis cum metu et tremore utilitatem tuam operari. Mundo uti, Deo frui: capere illum in hymno divino: non capi ab illo in somno tuo. Ad necessitatem denique temporalem inniti illi; ad felicitatem vero perennem, suspirare isti. Ille igitur a te possidendus, non tu ab illo tenendus: quia et ipse assumi debet a te ad usum, non ei tu agglutinari ad affectum. Amore quippe tuo indignus est; temporali tamen indigentiæ tuæ necessarius est.

III. Hinc exhortatio illa salubris: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* (*Joan.* II, 15). Videbatur, ni fallor, ei, quod magnum sibi electi discipuli dedecus, et ignominiam inferrent, si sibi in affectu assumerent: quamvis sibi in aliquibus utile scirent, ubi longe se inferius [*al.*, quod si sibi in aliquibus utile scirent, tamen longe se inferius] tam natura, quam pretio non ignorarent. Ne mundum diligamus admonuit, et causam subjunxit: quia *omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia vitæ* (*Joan.* II, 16). Non debet quid supprimi, quod voluit interponi. Est autem istud: *Si quis diligit mundum, non est charitas Dei in illo* (*Joan.* II, 15). Tria quædam in mundo esse asseruit, in quibus affectionis fortassis curvitas consistit, de cujus rectitudine nos hodie tractaturos promisimus: unde et ista prælibavimus. Ad affectionem vero pertinent amor, desiderium et voluntas: tria hæc. Amor quidem incendit, desiderium trahit, voluntas impellit. In una tamen affectione solent esse, sive cum aliquod vel eligitur ut bonum: vel ut malum reprobatur. Et curva nimirum est affectio tua, vel cum amas experiri quod caro sentit suave, vel cum desideras adipisci quod oculus indicat delectabile; vel cum tibi vis conferri quod superbia præsumit sublime. Singula namque hæc in imo sunt, ideoque affectio ea non amplectitur, nisi ad ea inclinetur. Porro inclinari, incurvari est. Et considerate ordinem hujus triplicis mali. Nam aliquo sine ordine plerumque non sunt, etiam quæ suo modo ordinata non sunt. Primo concupiscentia carnis; secundo concupiscentia oculorum; tertio superbia vitæ. Primum quippe, quæ in mundo sunt, imo quæ mundi sunt, quorum mundi [*al.* cujus mundi] princeps diabolus est, cadunt subtus se; secundo exeunt extra se; tertio vero scandunt supra se. Sed semper, atque ubique criminose, ac damnose: nunc culpa inquinati, ac proinde pœna affligendi. Non me putes hoc loco facere mentionem de fructuoso electorum casu, exitu et ascensu.

IV. Itaque reprobi prosternuntur, egrediuntur, eriguntur. Horum autem trium causa sunt: voluptas, curiositas, vanitas; tria hæc. Nam voluptas prostratos, curiositas egressos, vanitas reddit erectos. Et ad concupiscentiam carnis pertinet voluptas; curiositas ad concupiscentiam oculorum; vanitas ad superbiam vitæ. Primo carni suæ subduntur post concupiscentias suas euntes, et obedientes sibi illicite; non prohibentes cor suum, quin omni voluptate fruuntur: *coronantes se rosis, antequam marcescant, nullum volentes esse pratum, quod non transeat luxuria sua* (*Sap.* II, 8); nec sinentes ut prætereat eos flos temporis. Secundo vero egreditur apud eos Dina, ut videat, nec ut videat viros, sed mulieres (*Gen.* XXXIV, 1). Discurrunt huc et illuc per plateas civitatis Babylonicæ, quæritantes ditare inopiam suam in egenis copiis atrii hujus, quod foris est: quodque in Apocalypsi jubetur Joannes *non metiri, sed potius foras ejicere* (*Apoc.* XI, 2), cum jam foris sit. Et hæc agentes, magis aporiantur quam ditantur: esurientes semper, et sitientes, invenientes in falsis ac fallacibus hujus vitæ bonis, unde appetitum suum, et minus satient, et magis irritent. Cum autem sic fuerint isti *peccatores, abundantes in sæculo, et obtinuerint divitias* (*Psal.* LXXII, 12), tenet *eos superbia, operti sunt iniquitate, et impietate sua* (*Psal.* LXXII, 6), cogitantes et loquentes *nequitiam* (*ibid.*, 8): ponentes *in cœlum os suum* (*ibid.*, 9): ruinosam illam

Digitized by Google

ædificantes civitatem, cujus volunt pertingere culmen ad cœlos (*Gen.* xi, 4). Vocant nomina sua in terris suis, *amantes primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et vocari ab hominibus Rabbi* (*Matth.* xxiii, 6, 7). Sed hæc de illis.

V. Vos, fratres, ne inclinetis affectionem vestram ad hæc, qui canonici estis; ne omissa rectitudine sua, curva sit, et vos consequenter digne vocari regulares non possitis, si recti non estis. Est itaque iste inordinatus ordo conversationis reproborum : quia primo polluuntur, secundo extrahuntur, tertio elevantur; voluptuosi, curiosi, inflati. Et hoc ordine per criminalem conversationem ad gehennalem **231** eos tendere damnationem, in Evangelio Deus innotuit, qui superbam eorum, qui dominicam contempserunt adire cœnam, sic excusationem ad memoriam revocavit : ut affirmaret primum dixisse, quod uxorem duxit; secundum, quod quinque juga bonum emit : tertium vero, quod villam emit. Itaque in eo non est charitas Patris, qui diligit mundum : in quo quidquid est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ (*I Joan.* ii, 15, 16). Nec isti, de quibus modo tetigimus, digni fuerunt cœnam illam magnam gustare; sed affectio vestra brachio complectatur amoris, primum mortificationem carnis; secundo, contemptum mundi : tertio, ima humilitatis. Mortificat homo Dei *membra* sua, *quæ sunt super terram* (*Col.* iii, 5). Carnem suam crucifigit cum vitiis et concupiscentiis (*Gal.* v, 24), ne nimia sibi sit familiaritas cum corpore suo, nec præstet animæ suæ concupiscentiam suam, ne faciat eam gaudium inimicis suis (*Eccli.* xviii, 31). Claudat post hæc oculos suos ad omnia quæ arrident in mundo isto. Sustollatur super altitudinem terræ, humili quadam superbia universa judicet infima, quæ terreni deputant excelsa, et *omnia arbitretur, ut stercora* (*Phil.* iii, 8), quæ pro summis illi deliciis habent. Et hæc deinceps sit vox ejus : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus* (*I Tim.* vi, 8). Memoriter teneat, quia *qui volunt divites fieri, incidunt in desideria multa, inutilia, nociva; quæ mergunt hominem in interitum* (*ibid.*, 9). Et illud : *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes, inseruerunt se doloribus multis* (*I Tim.* vi, 10).

VI. In his duobus exercitiis sanctitatis, illos expugnans reges potentes, quos Psalmista reges appellat magnos et fortes. Ipsi sunt Og, et Seon : duo reges Amorrhæorum. Amaricantes dicuntur Amorrhæi. Amarum certe quidquid vel caro voluptuosum, vel curiosum suggerit mundus. Audi quid Sapiens sentiat super hoc : *Favus distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus : novissima autem ejus amara, quasi absynthium* (*Prov.* v, 3, 4). Salomonis sententia est, instruentis nos ad quem finem tendat, quod in anima prava [*al.* pravum] vel de carne, per mollitiem, delectat; vel mundus amœnum per speciem repræsentat; nam meretrix hæc ipsa est concupiscentia carnis, ipsa est, et concupiscentia oculorum; utrobique, si quam [*al.* si quam potest] animam ad prostitutionem trahit; ibi eam per voluptatem polluens : hic autem per curiositatem dispergens. Melle fluunt labia ejus, nitet ut oleum guttur ejus : quia dulce putatur quod suggerit, et decorum. Verum saporem habent absinthii novissima ejus : quia Amorrhæorum sunt reges, Seon, et Og de Basan. Et animam, quam ne ad Deum pertingere possit, voluptas carnalis concludit, et conclusam confundit. Dicunt quippe quod definitio concupiscentiæ est, appetitus naturalem ordinem transgrediens, et mensuram transcendens. In eo quod animam ad id appetendum trahit, quod ei appetere non licet, transgrediens ordinem, confundit : in eo vero quod ad appetendum aliter, quam appetere debet, instigat, transcendens mensuram, concludit. Item quid magis quam turpitudo, cum fuerit vel in voluntate concepta, vel in opere consummata, animam et concludit, ne sit libera; et confundit, ne sit secura?

VII. Seon vero interpretari asserunt *tentationem colorum*. Et unde hoc quod de mundo tentamur, nisi quia coloratum intuemur? Nequaquam enim nobis in tantum placeret, si semper nobis qui est in se, plene pateret. Nunc vero speciosus quidam in eo color exterius apparet, dumque stolidum defigimus intuitum in id quod in eo exterius fulget, fit nimirum, ut non possimus deprehendere quod in eo interius sordet. Mortifica igitur carnem, contemne mundum, et victus est Og de Basan, victus est rex Seon. Sed cave elationem in hac magna victoria tua, ne forte, quod absit, expugnet te victoria, quem præcedens non potuit vincere pugna. Magnæ virtutis Eleazar filius Saura fuit, sed non nisi postquam vicit, vinci potuit (*I Mach.* vi, 43, 46). Denique, in eo quod prostravit, in eo et ipse prostratus est. Idcirco postquam subegeris carnem, postquam et abjeceris mundum, superest ut superbiæ in te comprimas tumorem, quatenus te non extollat superbia vitæ, quem sibi nec luxuria, nec avaritia potuit subjugare. Mandavit (ut in quarto libro Regum legimus) quondam Joas rex Israel Amasiæ regi Juda quiddam, quod ad hoc pertinet, de quibus modo agimus, et mandavit ei sic : *Percutiens invaluisti super Edom, et sublevavit te cor tuum. Contentus esto gloria tua, et sede in domo tua* (*IV Reg.* xiv, 10). Vel sicut in secundo libro Paralipomenon habetur : *Dixisti : Percussi Edom, et idcirco erigitur cor tuum in superbiam, sede in domo tua* (*II Paral.* xxv, 19). Quis percussit Edom, et percutiens invaluit super eum, nisi qui terrenum hoc corpus **232** per continentiam devicit, et quidquid in terra temporalis indigentia assumit ad usum, ab affectu penitus removens, mentis despectu calcavit? nam Edom, uti aiunt, *terrenum* sonat. Sed caveat is, ne sublevet cor suum, nec erigatur in superbiam. Magis autem sedeat in domo sua, humiliet se in mente sua : ut quanto magnus est, humiliet se in omnibus. Ad hæc quoque ea per-

Digitized by Google

tinent, quæ a quodam in hunc modum dicta sunt :

Tum bene pugnabis, cum cuncta subacta pu-
[tabis :
Quæ post infestat, vincenda superbia, restat.
Hæc nisi vincatur, promissa corona negatur.

Ipsa itaque et bona opera nostra Deo reddat accepta, atque commendet humilitas; ut ipsum esse scientes, *qui operatur in nobis, et velle, et perficere pro bona voluntate* (*Phil.* II, 13), supplici confessione dicamus ei : *Omnia opera nostra operatus es in nobis* (*Isai.* XXV, 12), et illud Apostoli : *Non sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III, 5).

VIII. Est itaque vera hæc rectitudo in affectione, perfectum desiderium, et amor in voluntate nostra : primum mortificandi carnem; secundo contemnendi mundum; tertio humiliter in omnibus sentiendi de nobis. Sed considerandum nobis non solum quid, sed et qualiter agamus. Idcirco vide, ne intentio tua curva sit; et cum recta fuerit affectio tua, nihil amplectaris, nisi quod bonum est, nec aliquid quoque admittas in intentione, nisi quod purum est. Alioquin fructuosum tibi non est. Ut autem recta intentio tua sit, omnium eorum, quæ revolvis in cogitatione, quæ amplecteris in affectione, Deum solum et expetas inspectorem, et exspectes remuneratorem. Non in eis ad alicujus respicias manum; non ad obsequium, non ad favorem humanum. Ipse tibi causa, ipse tibi sit finis. Ipse namque solum remunerat hoc, quod esse [*al. munerare consuevit hæc, quæ esse*] propter se viderit. Excute itaque manus tuas non solum ab aliquo, sed et ab omni munere, si ab eo cupis remunerari. Sit in intentione tua rectitudo; et ipsa triplex. Primo, stude ut quidquid vel cogitando amas, vel amando cogitas, ad hunc finem referas, quatenus ab universis contagiis tuis, tam corporalibus, quam spiritualibus, pœnitentia vera, confessione pura, satisfactione digna emenderis. Secundo vero ut his, quæ ad exercitium pertinent religionis, et sinceris coram Deo in mente affectibus, et piis in conversatione coram proximo operibus orneris. Tertio quoque, ut finem post vitam bonam nactus securum, sine fine beatorum civium societate, atque beata Conditoris tui visione perfrui merearis. Sic recta erit intentio tua, ad hæc referens omnia tua, ut acquiras veniam, gratiam, gloriam : veniam peccatorum, gratiam meritorum, gloriam præmiorum. Veniam, qua a tuis, quæ commisisti delictis, emunderis; gratiam, qua donis spiritualibus diteris : gloriam, qua in supernis sine fine gaudiis remunereris.

IX. Considera post hæc, quia non solum recta regula est, sed et recte ducit, quia recta est. Tu autem cum talis in cogitatione, in affectione, et intentione existis, quomodo non rectam viam post te venientibus sternis? *Semita justi recta est*, ait quidam, *rectus callis justi ad ambulandum* (*Isai.* XXVI, 7). Qui igitur justus est, ejus callis rectus est. Nam

A Deus dicit : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris* (*Joan.* VIII, 12). Unde hoc? Nonne quia ipse lux est? hinc et præmisit : *Ego sum lux mundi* (*Ibid.*). Quam Felix, qui non sibi soli vivit, sed et aliis, rectus ipse in cunctis, pro posse, motibus incedens, et recte nihilominus alios ducens : sanctis illis animalibus in hoc se similem ostendit, de quibus legimus : quia *similitudo eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum* (*Ezech.* I, 13). Sicque uti carbo ardore succensus est, in eo, quod in seipso rectus existit : uti lampada vero lumen ministrat, in eo, quod recte alios ducit. Hinc præcursor Domini *lucerna* dictus *est ardens, et lucens* (*Joan.* V, 23): propter hoc geminum, uti arbitror, quo pollebat, bonum. Ardor est in cogitatione, B in affectione, in intentione : lux vero in eo, quo eum ostendit esse hoc modo, in exteriori conversatione. Nam necesse, ut exterius demonstres, hoc tibi inesse, quo de eis dubitare non possint, qui in faciem vident. Quomodo, inquis, hoc faciam? audi quo modo mihi videtur quod hoc facere possis. Curabis primo custodire os tuum, ut *non delinquas in lingua tua. Pones ostium circumstantiæ labiis tuis* : ostium, inquam, non murum. Cavens non modo proferre, quod reticendum est, sed et reticere, quod proferendum est. *In causa tua loqueris vix; et cum bis interrogatus fueris, habeat initium responsio tua* (*Eccli.* XXXII, 10, 11). Sollicitus eris, ut breviter dicam, quatenus *manus tua sit super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato* (*Eccli.* V C 14). Sed pro loco, et tempore; pro negotio, et causa aperias labia tua, ne **233** reus tenearis pro stulto silentio : quo supprimitur spiritualis, quæ ædificationi potuit et debuit esse locutio. Sic custodiens sollicite rectitudinem in ore, non minori sollicitudine custodi eam in opere. Custodi autem sic. Primo nihil agas, quo teipsum polluas. Secundo vero, quo proximo tuo noceas. In uno flagitium, in altero quoque facinus est Cura cum omni diligentia neminem lædere : ab omni teipsum re noxia continere.

X. In his duobus exercitiis, tota consistit summa religionis. Dicit namque apostolus Jacobus, *religionem mundam, et immaculatam apud Deum, et Pa*D *trem hanc esse : visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum et immaculatum se custodire ab hoc sæculo* (*Jac.* I, 27). Tota, inquam, consistit summa religionis in his, sed si duo addideris, singula singulis. Unum autem est, ut omni te cures honestate ornare; omne, quod te dehonestat, studens evitare. Alterum est, ut proximo, a quo abhorres, quidquam noxium inferre non contendas; sed pro posse tuo, omne quod prodest, conferre. His duobus intende in teipso, et illis duobus in proximo tuo; nec jam incurres in opere tuo peccatum, perpetrans, quod malum est; nec delictum, declinans quod bonum est. Sic rectum erit opus tuum, dum in eo tam erga te, quam erga proximum tuum, et omittis quod obest, et quod prodest, admittis; sed insiste

Digitized by Google

inter hæc, ut talem te exhibeas in corpore, ut juste a quoquam de alicujus levitatis vitio notari penitus non possis. Sapiens, juxta quod Apostolus hortatur, *providet bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (*II Cor.* VIII, 21). Addidit quoque omnibus, eos tales esse desiderans, ut impedimento nulli esse possint. Unde et Pater noster in Regula, quam professi sumus, admonet nos, ut *in incessu, statu, et in omnibus motibus nostris, nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod nostram deceat sanctitatem* (*Augustinus in Reg.*). Vir quippe verecundus, et modestus, intuentium debet oculos revereri, et motus omnium membrorum corporis sui, maturitatis fræno sub disciplinæ rigore cohibere, ut a nullo jure possit reprehendi.

XI. Semper igitur, et ubique ad instar cœlestium, quæ in visione ostensa sunt Ezechieli, animalium (*Ezech.* I, 12), coram se ambulans, et singulis motibus suis oculum providentiæ proponens, scrupulose consideret in omni loco, et tempore, qualis in utroque homine esse debeat : loquens, vel tacens, sedens, vel tacens, stans, vel ambulans, orans, vel legens, docens, vel discens, gaudens, vel dolens, blandiens, vel deterrens ; qualiter denique in aliquo corporis sui motu, se debeat exhibere, ut ex hac, quam exterius ostendit, maturitate, quod intrinsecus mens ejus sit in stabilitate, et gravitate, possit apparere. Ut enim beatus Ambrosius in primo libro (*lib.* I) de Officiis scribit : *Habitus mentis ex corporis statu cernitur*. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turpior, aut gravior, et constantior, et purior, et maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi corporis motus. Contigit quam sæpe, ut hi, qui exteriorem hanc levitatem corrigere superbe contemnunt, omni interioris gravitatis fundamento carentes, aperte multoties in horribiles turpitudines ruant. Salomonis quoque in parabolis suis verba sunt : primo vitium mordaciter notandis, quod tales dehonestat ; et deinde quæ eorum pœna erit, manifestat : *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et in omni tempore jurgia seminat* (*Prov.* VI, 12, 13, 14). Et hæc de vitio ejus. Subjungit quoque de pœna : *Huic extemplo veniet perditio sua, et subito conteretur, nec ultra habebit medicinam* (*Prov.* VI, 15). Sanctus quoque Ambrosius : *Meministis*, inquit, *filii, quemdam amicum, cum sedulo videretur se commendare, hoc solo tamen in clero a me non receptum, quod gestus ejus plurimum dedeceret. Alterum quoque cum in clero reperissem, jussisse me, ne unquam præiret mihi, quod veluti quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Idque dixi, cum redderetur post offensam muneri, hoc solum excepi ; nec fefellit sententia. Uterque enim ab Ecclesia recessit, ut, qualis incessu prodebatur, talis perfidi animi monstraretur*. Itaque, fratres, conformate vos vero decori, et studete toto conatu, ut in omni motione vestra exterieri, luceat imago gravitatis, non turpis appareat umbra levitatis. Hæc triplex exterior rectitudo vestra, quæ recte ducet eos, qui in facie vident vos. Cum autem hæc ab eis, qui foris sunt, fuerit visa, et per eam, illa quæ intus est deprehensa, confestim nimirum tortitudinem suam agnoscent, et ut eam corrigant, totis deinceps se viribus intromittent. Jam audita fama Salomonis, properat *a finibus terræ regina nobilis, audire sapientiam* ejus (*Luc.* XI, 31). et novam Magi stellam videntes, dicunt ad invicem : *Hoc signum magni Regis est, eamus, et inquiramus eum,* **234** *et offeramus ei munera, aurum, thus, et myrrham* (*Matth.* II, 11). Non solum autem, sed jam qui in tenebris, usque adhuc *respicit homines, et dicit : peccavi* (*Job* XXXIII, 27). Jam *templum eis ostensum suspicantur filii Israel, et metientes fabricam confunduntur, ex his quæ fecerunt* (*Ezech.* XXXIV, 10, 11). Ecce quæ, et quanta, quot et qualia nobis necessaria sunt, ut quod nomine dicimur, re et veritate esse possimus : Nam cum a canone Canonici, hoc est, a regula Regulares dicamur, si non regulæ assimilamur, indigne Canonici, hoc est, Regulares vocamur.

XII. Igitur ut quædam ex his, quæ ad spiritualem pertinentia rectitudinem, prolixe in duobus istis sermonibus dicta sunt, compendiose repetamus, a canone Canonicus, id est, a regula dicitur Regularis. Ad regulam vero hæc quatuor spectant : ut recta sit, ut recte ducat, ut ad ejus examen, quod distortum est, deprehendatur, et deprehensum corrigatur. Anima quoque incurvatur in cogitatione, in affectione, in intentione : in cogitatione per instabilitatem, in affectione per cupiditatem, in intentione per impuritatem. Prima infirmat cogitatum ; secunda fœdat affectum ; tertia inclinat appetitum. Instabilitas vero cogitationis, vel est ex sollicitudine, vel ex rancore, vel ex levitate. Ex prima cogitatio nascitur onerosa, ex secunda malitiosa, ex tertia otiosa. In prima, cura pungens ; in secunda culpa remordens ; in tertia phantasma irruens. Cupiditas affectionis emergit ex concupiscentia carnis, ex concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Prima polluit, secunda dispergit, tertia animam extollit. Polluit per voluptatem, dispergit per curiositatem, extollit per vanitatem. Impuritas intentionis est, cum expetitur, et exspectatur munus a lingua, a manu, ab obsequio. Rectitudo vero cogitationis est, cum eam nec suffocat cura, nec inquinat culpa, nec eam a se alienat phantasma. Affectionis quoque est, cum caro subigitur, mundus contemnitur, elatio deprimitur. Intentionis est, cum desideratur venia peccatorum, gratia meritorum, gloria præmiorum. Et hæc de rectitudine nostra interiori. Rectitudo vero exterior, in veraci consistit affatu oris, in utili effectu operis in irreprehensibili gestu corporis. In primo veritas, in secundo fecunditas, in tertio honestas est. Quæ dicta sunt, memoria retinete, atque opere exercete ;

Digitized by Google

ut quod vos homines appellant, in interni inspectoris oculis esse possitis : qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO III.

De ordine Canonicorum : de diverso habitu clericorum. De usu vestitus linei in divinis officiis, et candidæ vestis morali significatione.

Synopsis Sermonis. — 1. Nomen sublime, quale est Canonicorum, requirit sanctam conversationem. —2. An clerici sæculares dici queant canonici : et qualiter ille usus loquendi accipiendus. —3. Dicti sæculares sectentur modestiam præsertim in tonsura et habitu : culpantur discoli ex decreto Eugenii papæ. — 4. Regularium ab aliis discretus habitus : Præmonstratensium ad austeritatem et humilitatem deflectit : at in una fide, diversis moribus militant Ecclesiæ catholicæ filii. —5. Nullius religiosæ congregationis spernendæ rationabiles consuetudines : sed potius meliores habendæ alterius : suæ tamen cuique tenendæ, nisi debita fiat remissio : exemplo est Canonicorum Præmonstratensium præ cæteris abstinentia. —6. Usus superpelliciorum Præmonstratensibus præ aliis Regularibus, in Levitis figuratus. — 7. Inter divina officia ratio moralis assumendorum superpelliciorum et lineæ vestis expensa. —8. Gratissimum Deo indumentum est charitatis, justitiæ, ac ipsius Domini Jesu, sine quo monachus quisquam vel canonicus non est. — 9. Vestis candida fulgorem conversationis sanctæ per æquitatem justitiæ, et claritatem sapientiæ designat, sine quibus vacui merito et nudi sumus. — 10. Vestis candida est insigne resurrectionis et remunerationis beatæ quæ erit in præmio : est item insigne victoriæ : qualiter sit homo victor sui. —11. Ut vestiamur albis gloriæ, mundum deinde ac diabolum oportet nos triumphare.

In præcedenti sermone, fratres charissimi, prout potuimus, ostendere curavimus, quæ, et quanta nobis habere necesse est, ut id, quod humano ore vocamur, opere et veritate coram Deo esse possimus. Sublime quippe nomen, sublimem conversationem requirit. Speculum namque vitæ, in ipso plerumque nomine consistit. Et idcirco non abs re ille nomen portat, qui id, quod apud se voce nominis sonat, in vitæ quoque conversatione ostentat : ut illud de eo dici queat : *Ex rè nomen habet.* **235** Quocirca, dilectissimi nobis in Domino fratres, scire debemus grandi nos debito constrictos, qui usitato nomine Canonici appellamur. Ipsum namque quod portamus nomen, monet nos, et invitat, ut sanctam in vita regulari conversationem teneamus : omne penitus, sine exceptione aliqua, quod distortum est, declinantes, et quod rectum est, tam intus in mente coram Deo, quam exterius in opere coram proximo, exercentes. Quibus autem, et quot modis, vel declinare illud, vel hoc exercere nos conveniat, utinam tam perfecte et vestram amodo contingat et nostram sollicitudinem agendo implere, quam plene jam contigit, nos loquendo docuisse et vos audiendo didicisse. Quæ nimirum universa repetere, et si forte fructuosum est, tamen non mediocriter fastidiosum est. Hoc autem vobis dicimus, qui si juxta quod jam expressimus, gemino huic, et salubri exercitio intenditis, sæculum quoque istud, et ea, quæ sæculi hujus sunt, pleno mentis despectu calcatis.

II. Quod si ita est, imo quia ita est, apparet, quod illi nomen hoc sublime, de quo multa jam diximus, nequaquam satis acute intelligunt, qui quosdam clericos, *Canonicos sæculares* appellant. Nam si canonici, quomodo sæculares? Si vero sæculares, quomodo canonici? Neque enim bene conveniunt, nec in una sede morantur quod regulare et quod sæculare est. Hæc quippe Beati Jacobi Apostoli sententia est : *Quicunque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituetur* (*Jac.* iv, 4). Idem etiam asserit pertinere ad *religionem mundam, et immaculatam apud Deum, et Patrem, cum quis immaculatum se custodit ab hoc sæculo* (*Jac.* i, 27). Est autem et Pauli in Epistola ad Romanos exhortatio, hunc habens modum : *Nolite conformari huic sæculo* (*Rom.* xii, 2). Dicit quoque ad Ephesios, *in delictis suis, et peccatis ambulasse, secundum sæculum mundi hujus* (*Ephes.* ii, 1, 2). In secunda quoque ad Timotheum Epistola : *Demas*, inquit, *dereliquit me, diligens hoc sæculum* (*II Tim.* iv, 9). Dicit etiam Tito, erudire nos *gratiam Dei Salvatoris nostri, ut abnegemus impietatem, et sæcularia desideria* (*Tit.* ii, 12). Patris nostri quoque beati Augustini hæc confessio est : *Mihi displicebat, quidquid agebam in sæculo* (August., in lib. *Confess.*). Cum igitur Dei sit constituendus inimicus, quicunque hujus sæculi voluerit esse amicus ; cum illius munda, et immaculata religio non sit, qui se immaculatum ab hoc sæculo non custodit ; cum et nos Apostolus conformari huic sæculo prohibeat, et Ephesios in delictis suis, et peccatis ambulasse aliquando secundum sæculum mundi hujus asserat ; cum in causa illud fuerit, quod Demas apostolum dereliquit, quia hoc sæculum dilexit ; cum denique ut abnegemus sæcularia desideria, nos gratia Dei Salvatoris nostri erudiat, et fateatur Augustinus, quia displicebat ei, quidquid agebat in sæculo : patet nimirum tam ex his, quam ex quibusdam aliis Scripturæ locis, quæ in præsenti supprimimus, non eum veraciter esse regularem, quem constat esse sæcularem. Audiens igitur quosdam vocari Canonicos sæculares, sic secundum quemdam modum accipere soleo, ac si quis diceret, non esse rectum, quod rectum est. Ut cygnos nigros, sic audio dici Canonicos sæculares. Sed esto sic interim accipiamus, nec ipsum culpemus usum loquendi. Sit ita, quod videlicet sic appellantur, non quia criminibus sæculi, ipsi sæculo implicati conformantur ; sed pro eo quod tam arctum vivendi propositum non complectuntur, quam arctum illi tenere videntur, qui Regulares vocantur. Sciendum inter hæc, quod adjectio hæc supervacua est, sicuti illa juxta quemdam modum, a plerisque contraria esse videtur. Nam secundum eos, sicut sæcularis nullus Canonicus est, sic et omnis Regularis.

III. Sed et illi qui sæculares vocantur, etsi esse sæculares non debeant, in tonsura, et veste debent apparere ordinata, in quali videlicet Canonicos con-

Digitized by Google

venit apparere (282). Hinc super hoc papa Eugenius in Rhemensi concilio decretum istud promulgavit. *Præcipimus*, inquit, *ut tam episcopi, quam clerici, neque in superfluitate, seu inhonesta varietate colorum, aut fissura vestium, neque tonsura, intuentium, quorum forma et exemplum esse debent, offendant adspectum : sed potius in suis actibus ita errata condemnent, et amorem innocentiæ conversatione demonstrent, sicut dignitas exigit ordinis clericorum* (283) Et adjunxit : *Quod si moniti ab episcopis suis, infra quadraginta dies, non obtemperaverint, omnibus ecclesiasticis beneficiis, eorumdem pontificum auctoritate priventur. Episcopi vero si præfixam pœnam irrogare neglexerint, quia inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides, negligentesque rectores, tamdiu ab officio pontificali abstineant, donec pœnam* **236** *a nobis constitutam clericis sibi subjectis imponant* (284). Et lex quidem hæc sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum : præceptum est vitæ, et disciplinæ. Sed illud, quod crebro in libro legere possumus, operi mancipatum, raro videmus. Multiplicantur sane in hoc miserabili tempore nostro præcepti hujus transgressores, sed statuta eis pœna non infligitur. Quotidie superfluitatem in vestibus eorum et inhonestam videmus varietatem colorum, enormi interveniente fissura tam anteriora, quam posteriora nudari. Quid de tonsura dicemus? usque ad ipsos humeros in quibusdam capilli dependent. Quod rasum in summitate capitis gestatur, modicam admodum latitudinem tenet. Num ut tales appareant, dignitas exigit ordinis eorum? sed pro eis id forsitan agit, quod beatus Augustinus clericis, in eorum Regula dicit : ut videlicet *non affectent vestibus placere, sed moribus*. Certe non pro eis agit hoc; quia nequaquam Paulo contrarius Augustinus, qui ait : *Providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus* (*II Cor.* VIII, 12). Qui et nobis præcipit, ut *sine offensione simus Judæis, et gentibus, et omni Ecclesiæ Dei*. Hi autem intuentium, in his offendunt aspectum, quorum forma esse deberent et exemplum. Vel forte cum in omnibus aliis, quæ ad eos pertinent, Canonici sint, solummodo in his putari possint sæculares : ut, quod ego aliquando putavi impossibile, jam sciam [*al.* scirem], quia impossibile non est? Ego certe æstimare nullatenus possum, quin apparere in veste, et tonsura inordinate erubescerent, si in universis aliis, quæ spectant ad eos, Regulares essent : habitus siquidem exterior morum in se multoties indicium profert. Sed cum hæc ita sint, nescio si pontifices negligentes, desidesque sint rectores, ad quales Dominus papa inferiorum dicit culpas, specialiter esse referendas. Hoc autem scio, quod nec qui hujusmodi sunt clerici, ecclesiasticis, eorum auctoritate, beneficiis, in nostris partibus, privantur; nec ab officio pontificali propter hanc desidiam, atque negligentiam ipsi suspenduntur.

(282) Vide S. Bern. *de Consid.* lib. III sub fin.
(283) Decretum Eugenii de clericis.

A Certe nec hoc scio, si eos ipsi saltem monent ut se emendent. Sed de illis sinamus modo, ne videamur os nostrum ponere in cœlum, si tamen in cœlum.

IV. Loquamur de habitu nostro, quos ut ab eis discernat vulgus, Canonicos quoque Regulares appellat. Quibus incumbit non modo in habitu, sed et in cunctis, quæ conversatio expetit religiosa, tanto sublimius eos excedere, quanto differentius, præ illis, nomen hæreditavimus. Quod si de habitu agere volumus, sciamus debere nos non mollem, et pretiosum, sed asperum, et humilem amare vestitum. Mollibus non fuisse vestitum beatum Joannem, Dominus, in Evangelio asseruit (*Luc.* VII, 25). Ipse quoque summus Pastor Ecclesiæ, feminis etiam vestem interdixit pretiosam (*I Tim.* II, 6). Quod autem B inter nos luxus vestium reperiri non debeat, ipse quoque Dominus evidenter manifestat in eo, quod *mollibus vestitos dicat* eos esse, qui *in domibus regum sunt* (*Matth.* XI, 8). Non enim terreno alicui, sed cœlesti Regi militamus. Idcirco nostra, sicut scitis, consuetudo est, non lineis, nisi solis femoralibus uti. Sed nec stamineis ad carnem apud nos quemquam indui laudabile est : nisi forte, cum interveniente causa rationabili, prælatorum hoc licentia, ex dispensatione, ad tempus indulget. Absit tamen, ut reprehendendos putemus viros Religiosos, qui talibus vestibus induuntur : aut ut nos super illos tumide efferamus, quasi eis in hoc sanctiores simus. Neque enim sic ad utilitatem legentium nostra exponimus, ut aliena eis supponamus. Nam cum C unius fidei fundamento universi sanctæ Ecclesiæ filii innitantur, non easdem tamen in sanctitate exterioris conversationis consuetudines omnes sequuntur. Ipsa quoque sponsa, et casta regina est, quam astare dicit sanctus David a dextris Regis eximii; qui et *speciosus forma præ filiis hominum est* (*Psal.* XLIV, 3) : cujus reginæ cum vestitus deauratus sit, ipsa quoque circumdata est varietate; quia alius sic, et alius sic. Unitas nihilominus in ea, dicente sponsa in amoris Cantico, quod *una est columba sua* (*Cant.* VI, 8) : ut unum sortiantur diversis temporibus laborantes denarium in vinea, quamvis *in domo Patris mansiones multæ sunt* (*Joan.* XIV, 2).

V. Absit, fratres, a nobis, absit semel, et iterum, D et semper, et ubique longe sit a nobis hoc detestabile malum, ut aliquas ordinatas cujusquam religiosæ domus consuetudines in aliquo vituperare præsumamus. Quidquid animabus utile, uno, vel alio modo mater virtutum discretio cum **237** intentione pia, vel cum rigore tenet, vel cum dispensatione relaxat, devote amplectamur et humiliter approbemus. Non solum autem; sed et omnes, qui habitu sunt religionis induti, nobis meliores, et sanctiores deputemus : etiamsi ad illum, quem nos, vel in habitu, vel in victu, seu certe in aliqua exteriori conversatione, tenemus rigorem, eos pertingere non videmus. Unum quippe summum bonum

(284) Decretum Eugenii de clericis.

Digitized by Google

est, a quo cuncta alia bona emanant, utpote fons sufficiens, et indeficiens : qui nec augeri potest, quia immensus ; nec minui, quoniam est æternus, a quo universa cætera flumina fluunt. Et licet illud, quod nos agimus bonum, non agunt, aliud certe agunt, quod illo longe melius fortasse est, quod nos agimus. Quod si illud forte agunt, quod nos agimus, sed alio fortassis modo, loco, vel tempore forsitan aptiore, quam nos; et meliore agunt, quam nos. Religiosa ergo, et bona est omnis uniuscujusque Ecclesiæ ordinata consuetudo. Ab eis vero, qui eam tenere debitores non sunt, nullatenus debet reprehendi, sed cum summa reverentia honorari. Ab eis quoque qui se vinculo professionis ei tenendæ obligavere, sollicite et perseveranter debet observari, nisi necessitas expostulaverit, eam per ipsius discretionem, cui dispensatio credita est, vel omnino dimitti; aut pro alia mutari ; vel certe ad tempus intermitti. Ecce verbi gratia, ut pauca de multis ad medium proferamus, quidam Canonici carnibus in refectorio, et foris in itinere vescuntur. Nos vero carnibus vescendi in refectorio, consuetudinem non habemus, nisi ex ægritudine debilitati, post ægritudinem reficiendi fuerimus. Et licet dicat Apostolus : *Bonum est homini non manducare carnem* (*Rom.* XIV, 21), absit tamen ut per hoc, super eos nos extollamus; quia nec illi nos de obstinatione, vel abusione reprehendere debent. Salubris namque Apostoli super his sententia est : *Is qui manducat, non manducantem non spernat*; *et qui non manducat, manducantem non judicet* (*ibid.*, 3).

VI. Sic et illi superpellicia pene ubique circumferunt, nos vero in divino solummodo ministerio eis indui solemus. Benefaciunt illi : quia multum decet ordinem clericalem lineum hoc indumentum. Nec malefacere nos arbitramur, qui specialem quamdam honestatem et munditiam divinis, ea induendo, obsequiis reservamus. Unde generaliter apud nos statutum est, ut omnes, qui altari ministrant, nunquam ibi sine superpelliciis, vel albis appareant : nec aliquis, præsente conventu, nisi superpellicio, vel alba indutus, superiores gradus altaris præsumat ascendere. Ad communicandum quoque, vel infirmum ungendum, sacerdotes, et ministri superpelliciis induuntur. Divino itaque cultui superpellicia deputamus. Cujus peracto obsequio ea exuimus : quia jucundius nonnunquam, et gratius poterit repeti, quod ad tempus contingit intermitti. Non solum autem ; sed ex indumenti novitate, singularem innuimus habendam nobis, in obsequio cultus divini, non solum corporis, sed et animæ munditiem, et honestatem. Quia et Levitæ quondam lineis, in ipsa solemnitate sacrificiorum, tunicis induebantur : qua peracta, eis exui solebant (*Levit.* VIII, 13). In Ezechiele quoque legimus, dixisse Dominum: quod *sacerdotes, et Levitæ filii Sadoch accedent ad eum, ut ministrent ei, et ipsi stabunt in conspectu ejus, ut offerant ei adipem, et sanguinem* (*Ezech.* XLIV, 15). Et post pauca adjunxit : *Cum ingressi fuerint portas atrii interioris, vestibus lineis induentur : nec ascendet super eos, quodcunque laneum, quando ministrant in portis atrii interioris, et intrinsecus* (*ibid.* 17). Et post pauca : *Cumque egredientur atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis suis, in quibus ministraverant, et reponent ea in gazophylacio sanctuarii, et vestient se vestimentis aliis, et non sanctificabunt populum in vestibus suis* (*ibid.*, 19). Et longe superius : *Reponent vestimenta sua, in quibus ministrant quia sancta sunt, vestientur-que vestimentis aliis, et sic procedent ad populum* (*Ezech.* XLII, 14).

VII. Nos itaque tunicis lineis, quæ superpellicia vulgo appellantur, extrinsecus induimur, quæ profecto, cum egredimur ad populum, exuere solemus: significantes, per hoc debere nos esse tempore orationis (quando videlicet, clauso ostio, oramus in cubiculo Patrem nostrum) non solum honestiores, et mundiores in habitu hominis exterioris, sed et splendidiores, et subtiliores, in intellectu hominis interioris. Quid est enim quod de sacerdotibus, et Levitis filiis Sadoch præcipitur, ut vestibus lineis, cum ingressi fuerint portas atrii interioris, induantur, et non ascendat super eos quodcunque laneum, **238** nisi quod nos, qui ex Dei gratia ejus dona percepimus, qui et sacrum ejus donum sumus, quique ad divinum sumus cultum assumpti ; qui denique ejus, qui veraciter justus est, imo qui ipsa summa justitia est, sumus filii per adoptionem, cogitationibus debemus subtilibus circumdari, nec quodcunque quod quasi grossum est, per hebetudinem in mente meditari, cum introitum quodammodo patriæ cœlestis, per purum et defæcatum desiderium super nos elevati, in sancta contemplatione incipimus ingredi. Quæ profecto vestimenta reponimus, cum ad populum procedimus ; quia diu nos manere in eodem mentis vigore, et rigore, in quo, in privata, et secreta coram Deo oratione sumus, nec turbæ popularis strepitus, nec ipse infirmitatis nostræ permittit defectus. Nec tamen, ut jam diximus, eos reprehendimus, qui passim superpellicia pro causa honestatis, et munditiæ circumferunt ; sicut nec eos vituperandos ob hoc, in aliquo putamus, imo multum laudandos asserimus, qui cappas nigras induunt : cum nos quoque albis soleamus vestiri.

VIII. Sed quid de vestibus istis exterioribus hæc loquimur cum universi, qui veræ religionis conversationem exercent, nuptiali charitatis veste induantur, licet foris hominibus in varietate exteriorum indumentorum videantur? *Habe charitatem, et fac quidquid vis*, ait beatus Augustinus. Simile autem huic sententiæ quod alius dixit : *Habe charitatem et quocunque volueris induere vestimento.* O quam pretiosum, quamque speciosum est vestimentum Dominus Jesus, quo sancti induuntur? quia nec sancti essent, si eo induti non essent. Nam Apostolica ad Romanos exhortatio est, hunc habens modum : *Induimini Dominum Jesum Christum* (*Rom.* XXXIII, 14). Est quoque justitia indumentum valde bonum, de quo Psalmista ipsum Dominum allocutus, *Sa-*

Digitized by Google

cerdotes, inquit, *tui induantur justitiam* (*Psal.* CXXXI, 9). Quam bona etiam, et subtilia, quam splendida, et sancta illa sunt indumenta interiora, super quibus, voce exhortatoria, quosdam conveniens Paulus, ait : *Vos sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam induite : supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam. Sicut Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem hæc, charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis* (*Col.* III, 12-14). Hæc fortassis indumenta sunt sancta nostri Aaron, et filiorum ejus : virtutum videlicet spiritualium insignia, quibus amictus fuit ille homo, qui dicitur Jesus, qui et prædestinatus est Filius Dei, in virtute (*Rom.* I, 4), quibus et induuntur electi illius. Nam ipse *nobis factus est a Deo justitia* (*I Cor.* I, 30). Et beatus Job dicit : *Justitia indutus sum, et vestivi me quasi vestimento* (*Job* XXIX, 14). Horum vestimentorum, si vultis accipere, in sancto Jacob, pater caligans fragrantiam sensit, quando ipsius delectatus suavitate in hanc vocem prorupit : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni* (*Gen.* XXVII, 27). Et bene *pleni*, quia *de ejus plenitudine nos omnes accepimus* (*Joan.* I, 16). Hæc etiam indumenta sacerdotii novi, quæ nullus habere dignus est, nisi *exuto veteri homine cum actibus suis, qui et corrumpitur secundum desideria erroris, novum jam induere didicit, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis* (*Ephes.* IV, 24). Qui hæc indumenta non habet, vere monachus vel canonicus non est.

IX. Cæterum quia recordamur nos dixisse, quod habitus noster aliquid figuret, expetitis et exspectatis ut quædam vobis, de hujus, quem circumferimus, candidi habitus significatione loquamur. Non audemus fraudare vos a desiderio vestro. Quod si et hic insipientes fuerimus, sciant lectores nostri, quod vos cogitis nos. Solet, sicut ipsi quam frequenter audistis, in candore vestis notari fulgor sanctæ conversationis, solet nihilominus et solemnitas futuræ felicitatis. Ibi meritum, hic autem præmium est. Et utrobique exsultatio, quam etiam in nonnullis locis candor exprimere solet. Sed in spe, quæ est in merito : quæ vero in præmio, erit in re. Nam si de candidis agitur vestibus, quibus nunc induuntur in merito sancti, dicit in Apocalypsi Angelo Laodiceæ Ecclesiæ : *Testis fidelis, et verax, qui est principium creaturæ Dei* (*Apoc.* III, 14), *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias* (*ibid.* 18). Quod quidem aliud non est, nisi quod exercendo æquitatem justitiæ, claritatem acquirere nobis debemus sapientiæ, juxta illud viri sapientis : Concupisti *sapientiam? serva mandata, et Deus eam præbebit tibi* (*Eccli.* I, 33). Hoc est dicere: Desiderasti aurum? eme tibi, et habebis illud. Et bene dicitur, **229** ut locuples fias; quia tunc solum veræ divitiæ acquiruntur, cum illa, quæ desursum est, sapientia possidetur; sed cum hæc interius fulget in mente, oportet nimirum, ut sanctitatis etiam claritas splendeat in opere. Unde et hic adjungitur : *Et vestimentis albis induaris* (*Apoc.* II, 18). Vestimenta alba, opera sunt sanctitatis venustate candidata. Quibus profecto si vestiti non fuerimus, horribili, utpote virtutibus penitus vacui, nuditate sordebimus : hic quia tunc, quod summopere præcavendum jubetur, *apparebit confusio nuditatis nostræ* (*Apoc.* III, 18). In eodem quoque libro, paulo inferius legitur quod erant *viginti quatuor seniores circumamicti vestimentis albis* (*Apoc.* IV, 4) : pro eo, quod quicunque, vel sub Veteri Testamento duodecim sunt patriarcharum fide insigniti, vel sub Novo, duodecim sunt apostolorum doctrinis imbuti, bonorum operum candore fulgescunt.

X. Si vero de illis quæritis vestibus candidis, quibus decorabuntur electi, in claritate futuræ remunerationis, legite quod in eadem Apocalypsi angelo Sardis Ecclesiæ dicitur : *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis* (*Apoc.* III, 5). Vestimentorum albornm ornatus victoriæ succedet : quia prior temporaliter illa est; hæc autem posterior. Et fructus quidem iste : illa vero causa est : *Qui vicerit*, inquit. Quid vicerit? qui vicerit seipsum, mundum, diabolum, tria hæc; ipse utique *vestietur vestibus albis*. Quibus albis vestimentis? Utique sui ipsius immortalitate, et incorruptione; bona, et jucunda concivium societate; beata denique et beatificante ipsius omnipotentis Dei visione. Nam hæc vestimenta sunt, et vestimenta quidem alba. Et prima certe vestimenta accipere dignus eris, si nunc teipsum vincis. Teipsum quippe tunc plene possidebis, nihilque in te grave tibi et contrarium, nec contra te in aliquo rebellans habebis, si modo rigidam cervicosæ voluntatis tuæ pravitatem frangens, in exsecutione mandatorum Altissimi, seniorum eam jussionibus sine murmure, et mora supponas, et *membra tua, quæ sunt super terram, cum vitiis, et concupiscentiis* mortificans (*Col.* III, 5), ad utilitatem bonæ operationis ea extendas. Cum autem sic *corruptibile* tuum induerit *incorruptionem*, *et mortale* tuum induerit *immortalitatem* (I *Cor* XV, 53), indueris aliis vestimentis gloriæ tuæ, quæ quidem ad consortium spirituum angelicorum et hominum pertinent beatorum, quibus conjungeris et inhærebis in æternum.

XI. Et ad hoc nimirum consortium et jucundum sublimiter tunc pertinges, si mundum et ea quæ mundi sunt pleno mentis despectu nunc conculcas : ut dum in præsenti, ad (*Job* XXXIX, 6) instar illius onagri, quem Dominus dimisit liberum, multitudinem civitatis contemnis, ad illam quoque supernam *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum* (*Psal.* CXXI, 3), conscendere dignus judiceris. Jam quid de illis dicemus vestimentis albis, quibus induemur in eo, quod claritate perfruemur divinæ visionis; et ut ea simus digni accipere, qua nos asserimus victoria indigere? Hæc non inepte dico, ut opinor, albis nos induendos vestimentis eo quod ibi perfruemur visione nostri

Digitized by Google

Redemptoris. Sanctus namque in Apocalypsi sua Joannes, de civibus illis beatis, *in conspectu*, inquit, *Agni amicti stolis albis* (*Apoc.* VII, 9). Neque enim dignum est, eos apparere in conspectu ejus, non in albis, quando *lætificabit eos in gaudio cum vultu suo* (*Psal.* XX, 7) : et gaudio quidem æterno juxta id quod Deus promisit : *Videbo*, inquit, *vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (*Joan.* XVI, 22). Si autem de victoria quærit aliquis, qua pertingitur ad vestimenta hæc, ipsa est, qua sancti principem mundi hujus, ejus viriliter suggestionibus resistendo, in virtute Dei prosternunt : ut dum eos nunc de hoste humani generis mirabiliter facit triumphare, ad se tunc videndum, qui Conditor, et Redemptor est ejusdem humani generis, eos feliciter dignetur perducere : qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.

SERMO IV.

De duplici significatione candidæ vestis : et de quatuor locis, in quibus requievit corpus Domini Jesu, mystice quatuor perfectionis gradibus correspondentibus : de apparitione angelica in resurrectione Dominica, et mysterio transfigurationis.

240 Synopsis sermonis. — 1. Solliciti simus de merito in via, et præmio in patria : in quo utrumque consistat. — 2. Utrumque in veste candida adumbratur, tam meritum justitiæ, quam præmium gloriæ. — 3. In resurrectione ac ascensione Domini non absque mysterio apparuisse angelos in vestibus albis. — 4. Quatuor receptacula corporis Dominici, uterus Virgineus, præsepe, patibulum, monumentum. Duo priora signanter expensa. — 5. Quibusnam sit Dominus Jesus in crucis patibulo, et quibus sit quasi in monumento. — 6. Dictis quatuor locis correspondent quatuor gradus religiosæ perfectionis. — 7. Quies monumenti Dominici, quæ perficitur in anima, variis emblematis internæ ac perfectæ quietis figuratur. — 8. Locorum singulorum insignis est sanctimonia : in monumento singularis est prærogativa, securitas, quies, delectatio, fruitio. — 9. Ibi apparet angelus, juvenis sedens a dextris, et in albis : quo triplex contenplatio theorica expressa : per juvenem signatur vitæ novitas, cui facit secretum a curis exterioribus. — 10. Sedere a dextris est requiescere in spe beata electionis : uti a sinistris, pertinere ad massam reprobationis. — 11. Duo angeli, unus ad caput, alter ad pedes, docent divinitatem et humanitatem Christi, cujus pedes sunt vita et doctrina. Quod testimonium præsentiæ ejus : et de albis vestibus, lætitiæ internæ symbolo. — 12. In Petro, Jacobo, Joanne testibus transfigurationis ratio, affectio, intentio comites contemplationis expressi. Quid si transfigurari Dominum et quæ vestimenta ejus sordida et alba. — 13. Parænesis ad significationem candidæ vestis exterioris exprimendam in habitu cordis.

I. Duo nobis, dilectissimi fratres, quandiu in præsentis exsilii cæcitate sumus, studiosissime pensanda sunt; et cum omni mentis diligentia, nostris oculis jugiter opponenda. Unum est meritum sanctitatis : alterum vero præmium felicitatis. Unum modo in via est; alterum vero in fine, sed sine fine in patria erit. Illud nobis viriliter exercendum est : ad hoc vero desideranter nobis suspirandum est. Utrumque simul cogitationi nostræ debet inesse, quia primum quidem causa secundi, secundum quoque fructus est primi. Porro meritum, quod in isto loco posuimus, in duobus consistit : relictione videlicet vitiorum, et exercitio virtutum. Salubris namque Psalmistæ exhortatio est : *Diverte a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXIII, 15). Et sanctum Jeremiam *constituit Deus super gentes, et regna, ut evellat, et destruat, et ædificet, et plantet* (*Jem.* I, 10). Ibi quidem nos venia mundat; hic autem nos gratia ditat; quia et illa aufert a nobis quod malum est : hæc vero nobis confert quod bonum est. Simili modo et præmium in duobus consistit; quia post labores vitæ præsentis et ærumnas, evadent electi supplicia pœnæ et percipient gaudia gloriæ. Nec illa, nec ista ullo unquam fine claudenda; quin tam illa quam ista æterna erunt. Tunc quoque ab æterna damnatione erunt erepti et in illo beato grege numerati : ut impleatur illa dulcissima promissio Salvatoris nostri, quæ talis est : *Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* III, 16).

II. Utrumque autem hoc, de quo loquimur, tam meritum videlicet sanctitatis, quod in præsenti exercemus, quam præmium beatitudinis, ad quod suspiramus, in candore habitus nostri notamus. Idque sacræ Scripturæ testimoniis et auctoritate nos posse confirmare putamus. Si enim de candore vestium agitur, quibus in merito nos indui debemus, admonet nos Ecclesiastes : *Ut omni tempore sint vestimenta* nostra *candida* (*Eccli.* IX, 8) : id est, membra corporis nostri a carnalibus contagiis munda. Vel si hoc melius vobis, seu congruentius videtur, opera, in quibus exterius induti apparemus, fulgore justitiæ sint splendida. Et quod alia vice, ad confirmandam hanc sententiam, in medium deduximus, Laodiceæ Ecclesiæ angelus commonetur, ut vestibus albis induatur : hoc est : ut sanctis Religiosæ conversationis actibus decoretur. Si super illo quoque aliquis sciscitari voluerit vestium candore, quibus in præmio nos induendos speramus, stare vidit sanctus Joannes beatos illos supernæ patriæ cives : *In conspectu Agni, amictos stolis albis* (*Apoc.* VII, 9). Et infra, in apertione quinti sigilli, *datas* asserit *animabus sanctorum singulas stolas albas* (*Apoc.* VI, 11). Sed et angelo Sardis Ecclesiæ dicitur : quod, *Qui non inquinaverunt vestimenta sua, ambulabunt in albis* (*Apoc.* III, 4). In qua nimirum promissione nobis innuitur quod de candore ad candorem transituri sumus, de merito ad præmium : ut confidenter possimus sperare, nos induendos in futuro albis gloriæ, si in præsenti induti fuerimus albis justitiæ.

III. Hæc dicenti venit mihi in mentem, quod tam in resurrectione, quam **241** in ascensione Domini angeli in albis apparuerunt. Venit quoque et illud, quod cum transfiguratus esset in monte, *facta sunt vestimenta ejus alba, quasi nix* (*Matth.* XVII, 2). Et ecce magnum sacramentum, fratres mei. Rogo, pulsemus; vos orando, nos autem meditando; tam vos

Digitized by Google

quoque, quam nos pie et humiliter quærendo, quid sibi velint hæc. Quid igitur de his sacra historia refert? *Introeuntes in monumentum* (*Marc.* xvi, 5), haud dubium, quin sanctæ mulieres, *viderunt Juvenem sedentem in dextris coopertum stola candida* (*Joan.* xx, 11, 12). Et item: *inclinavit se*, scilicet Maria, *et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos in albis sedentes: unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu* (*ibid.* 12). Hæc de resurrectione. De ascensione quoque legitis: *Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis* (*Act.* r, 10). De eo autem, quod tertio loco posuimus, in Matthæo scriptum habetis: quod *resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba, quasi nix* (*Matth.* xvii, 2). Singula hæc spiritualium mysteriorum profunditate gravida sunt. Aderit ex more pie, et humiliter pulsantibus nobis *clavis David, qui aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit* (*Apoc.* iii, 7): mysterii hujus nobis clausa reserare dignetur: positum erat in monumento corpus Jesu, quod profecto sacratissimum receptaculum, sedulis, ut scitis, officiis sanctæ mulieres, et albis induti angeli excubiis frequentabant.

IV. Porro ex occasione hujus loci, invitatur quærere diligentia nostra, ubi alias positum fuerit sanctissimum corpus illud. Et occurrunt nobis confestim uterus Virginis, angustia præsepis, patibulum crucis, tria hæc loca. Quartus vero, de quo modo agimus, et cujus occasione tria hæc contigimus, monumentum ipsius est. In his quatuor locis lego fuisse corpus Jesu. Nam in utero conceptum, in præsepio reclinatum, in cruce affixum, in monumento sepultum fuit. Si dicere debeo, ut mihi videtur, quid ego putem sciendum super his, adhuc hodie quibusdam est Dominus Jesus in utero, quibusdam in præsepio, quibusdam in patibulo, quibusdam vero in monumento. Et cum singula hæc sacratissima propter id quod intra se continebant, loca sint, de solo quoque monumento legimus, quod in eo albis induti angeli visi sunt. Quo attinent, vel quid sibi volunt universa hæc? ingreditur angelus ad Mariam, interna inspiratio ad animam. Ipso nuntiante concepit Jesum, et hæc ipsa infundente, salubrem suscipit affectum. Nam Jesu Salvator dicitur. Siquidem sunt aliqui verbum Dei secum ubique circumferentes, quæque ad salutem pertinentia (erudiente eos unctione, quæ docet de omnibus) didicerunt, nequaquam oblivioni segniter tradunt; sed fixa in corde jugi apud se ruminatione recondunt. Istis Jesus in utero est, quibus verbum Dei assidue in memoria est. Sunt autem alii, qui sub communi omnium Magistro et Domino mansueti effecti et mites, loris disciplinæ ligati, ad sanctæ Religionis præsepe morantur; et vario, quod eis apponitur, sanctarum Scripturarum ac instructionum pabulo nutriuntur. Istis Dominus Jesus in præsepio est, qui fidelium jumentorum suorum cibus et refectio est. Sunt vero quidam, qui tenaciter Conditoris sui dilectioni agglutinati sunt, ut ipsos, per amoris ei compagem unitos, *Neque mors, neque vita, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia possit separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* viii, 38, 39).

V. Interdum quoque, non solum universa, quæ mundi sunt; sed super id etiam, quod ipsi sunt, in quodam apud se perfectionis culmine evecti sunt: ut levissimum deputent, quidquid pro Deo durissimum, ac dirissimum sustinent. Non solum autem; sed etiam usque adeo totos se in cruce charitatis extensos exhibentes: ut gloriantes in tribulationibus, *omne gaudium existiment*, cum duras pro Christo angustias sufferunt, et *in tentationes varias incidunt* (*Jac.* i, 2). Seipsis quippe in tantum, in ipso divini amoris summo superiores effecti sunt: ut se longe a se, et sub se prospiciant, atque nullo modo se tolerare quidem sentiant, quidquid pro Deo tolerant. Et istis Dominus Jesus in patibulo crucis est, qui in cruce charitatis, ab universis, quæ in imo sunt, elevati, et extenti, atque sine macula, et ruga gloriosi effecti, pro summa habent dulcedine amara quæque pro Christo tolerare. Sed sunt adhuc alii, ab omni penitus visibilium appetitu mortificati, et toto mentis annisu solis invisibilibus intenti: nihil magis in præsentibus desiderant, quam ut ab universo tumultu mundiali, qui forinsecus strepit, in interioribus **242** se abscondant. Cunctis quidem mundi hujus divitiis et deliciis sanctæ et sanctificantis quietis suæ secretum præponunt: et non solum humana contubernia, sed et præ dulcedine nimia, ipsa quoque interdum, ut sic loquamur, angelica fastidire solent alloquia. Istis, de quibus loquimur, Dominus Jesus quasi in monumento est, qui spiritualis dulcedinis suavitate illecti, ab humanæ conversationis publico, in repositionis intimæ occulto se includunt.

VI. Illis itaque, quos primo loco posuimus, in utero portatur, a quibus ruminatione assidua verbum Dei in memoria, per internæ inspirationis unctionem infusum, circumfertur. Illis vero, quos secundo, in præsepi quodam modo pannis involutus, a virgine Maria reclinatur, qui in Religiosæ conversationis exercitio edomiti, ac mansueti, ac diversis institutionibus formati, a matre gratia, collocantur. Illis quoque, quos tertio, quasi in patibulo crucis elevatur, qui super omne, quod sub sole est, pernicibus sinceri amoris pennis evecti, dura quæque pro Christi nomine pati gloriantur. In monumento illis utique est, qui sepositis perturbationibus cunctis, clauso ostio orant Patrem in cubiculo mentis, intra se, ac supra se, latentes in abscondito internæ suæ quietis.

VII. Hujus autem secretum monumenti, ad illum patris protoplasti soporem referri potest; quem cum Deus in eum immisisset, sensit confestim nimirum, et aliud ex ipso esse, quod regeretur mulierbre;

Digitized by Google

aliud vero, quod regeret virile. Potest et ad arcam Noe : in qua a periculis diluvii carnalis, et sæcularis absconditur, ut non cum hoc mundo damnetur. Potest nihilominus et ad somnium sancti Jacob : cui, dum supposito capiti suo lapide, suaviter intendit, scalam a terra pertingentem usque ad cœlos, ascensumque angelorum per eam aspexit et descensum, ipsumque Dominum eidem scalæ innixum. Quod utique adhuc hodie fit, cum perfectus quilibet mundi malitiam fugiens, quod est iram Esau declinare, in vitæ præsentis itinere, mente Christo inhærens, ab omni penitus occupatione exteriorum sollicitudinum cessando, in pace in idipsum dormit et requiescit. In qua profecto pace, eo purius, quo quietius spirituali conspicatur intuitu charitatis scalam, quam et ad ima dimittit compassio erga proximum, et ad summa erigit devotio erga Deum. Intuetur etiam purificato mentis oculo vitæ prædicatores, per eam et in ea ascendentes et descendentes super Filium hominis : ipsumque, cui tam in ascendendo, quam in descendendo famulantur, et ad subveniendum promptum, et ad remunerandum paratum. Hujus quoque, in quo nobis dulce videtur loquendo immorari, monumenti secretum suave, et suavitatem secretam per illum accipere possumus loculum, in quo post mortem positus est sanctus Joseph. Dicit siquidem sacra historia et verax : quod *mortuus est centum et decem annorum, et conditus aromatibus repositus est in loculo in Ægypto* (*Gen.* L, 25). Centum et decem annorum ætas ipsa est probabilium morum maturitas : in centenaria vitæ perfectione et Decalogi consistens observatione. Mori vero ab appetitu visibilium, per vitalem quamdam exstinctionem mentis, mortificari est. Aromatibus condiri, virtutum est odoramentis componi. In Ægypto vero in loculum reponi, est quamdiu præsentis exsilii cæcitas durat, in interno mentis secreto abscondi. Et notate, quæso, ordinem perfectionis istius. Primo tantæ ætatis describitur fuisse sanctus Joseph, deinde mortuus, et sic aromatibus conditus : novissime vero dicitur de eo, quod in loculo erat repositus. Hoc esse puto, quod *ingressurum* asserit sanctum Job quidam amicorum ejus, *quasi in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo* (*Job* v, 26). In tali itaque ætate, perfectio Religiosæ conversationis, in morte illius, contemptus vitæ præsentis designatur; porro in condimento aromatum, spiritualium compositio virtutum; repositio mortui in loculo, suavissima quies et quietissima suavitas ejus, qui plene exstinctus est mundo, in intimo mentis secreto. Ad quod profecto mentis secretum, cum ovium, quem pascit, gregem minat sanctus Moyses, magnam in monte visionem videt; quia tunc nimirum ad sublime quid videndum in contemplationis summitate pertingis, cum innocuam cogitationum simplicium collectionem, quas verbo Dei nutris, ad infima perducis secreti : quod est Moysem *gregem ad interiora minare deserti* (*Exod.* III, 1).

VIII. Si igitur perfecte tibi patet, quid mysterii salutaris contineat desertum Moysi, quid loculus Joseph, quid dormitio Jacob, quid arca Noe, quid **243** denique immissus sopor in Adam, poteris et consequenter intelligere, quid perfectæ innuat quietis, seu quietæ perfectionis monumentum Domini, quod quartum esse locum diximus, in quo, sacro id nobis reserante Evangelio, positum legimus sacratissimum corpus illius. Et quidem sacratissimus locus uterus matris Virginalis, nec ejus sanctitatis prærogativam humanus aliquis comprehendit intellectus. Sacratus et ille, in quo, pannis involutus, Deus infans est reclinatus. Sic et sanctum est patibulum crucis, in quo pro ovibus suis Pastor ille summe bonus dedit animam suam. Verumtamen cum ingenti singula loca hæc sanctitate præmineant, nullum eorum legitur angelus in albis visitasse. Nam ingressum fuisse angelum Gabrielem ad Virginem evangelista dicit; sed quod albis vestitus fuerit, non dicit. Et quod videtur ad præsepe spectare, apparuisse pastoribus angelos legimus, et licet cum claritate lucis, non tamen in albis. Et cum *factus esset in agonia, et prolixius oraret* Sacerdos ille magnus, et in proximo hostia futurus; quando *et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis, decurrentis in terram* (*Luc.* XXII, 43), apparuit ei, prout potestis legentes agnoscere, *angelus confortans eum* : non tamen in albis eum legitis fuisse vestitum. Apparuit quoque ad monumentum angelus, isque in albis : ut per hoc nimirum, locum hunc ab aliis, quæ modo compendiose tetigimus, prærogativa aliqua discrepare sentiamus. Et quid in albis, nisi prærogativa spiritualis accipitur exsultationis? et hæc specialiter secreto Dominici congruit monumenti. Magnum siquidem bonum, verbo ad fœcunditatem recordationis impleri; verbo ad sanctitatem Religionis institui; verbo etiam ad robur fortitudinis inniti. Cæterum præcellens, et eximium, ad solemnitatem animi quieti, et tranquilli, verbo ad jucunditatem frui. O impleri, o institui, o inniti, o frui! impleri ad fœcunditatem, institui ad sanctitatem, inniti ad securitatem, frui ad jucunditatem. Quod ultimo loco posui cæteris tribus speciosius, pretiosius, quietius, securius, dulcius, delectabilius, et suavius est.

IX. Et hoc pertinet ad monumentum, in quo viderunt angelum sanctæ mulieres stola candida coopertum. Non solum angelum, sed et duos Maria vidit angelos, albis indutos. Viderunt et apostoli in ascensione Domini duos in albis vestibus viros. Sed et ipse Dominus in transfiguratione sua, in vestimentis albis legitur apparuisse. Ego puto, salvo profundiore, et congruentiore sensu, qui sacratioribus, et subtilioribus intellectibus, administrante unctione illa, quæ docet de omnibus, patet in his, de quibus modo breviter tetigimus, ubi et alba visa fuisse vestimenta legimus, triplex genus contemplationis theoricæ nos posse notare. *Viderunt*, ait evangelista, *juvenem sedentem in dextris, cooper*tam

Digitized by Google

stola candida (*Joan.* xx, 11). O novitas mentis! o tranquillitas! o spes! o et exultatio et novitas quidem firma, tranquillitas secreta, spes certa, exultatio sincera! Si quidem in juvene novitas notatur spiritualis; in sedente, serenitas quietis; in dextris, confidentia spei; in albis vero, sinceritas exsultationis. Nam angelus iste, ipse est inspiratio interna: quæ talis hic describitur apparere, qualem facere animam solet, cui se sui infusione indulget. Apparet juvenis; apparet et sedens; apparet quoque in dextris; apparet denique in albis. Sancta profecto anima, quæ apud se, et intra se in defæcato suo latet, et pausat secreto, novitati spirituali quotidianis insistit incrementis; et ne ad ea veterascens aliquem propositi sui defectum incurrat, modis omnibus, quibus potest, elaborat. Congruentior vero ad negotium istud, et efficacior modus, quies est illius. Nam qui se per illicita, in curis exterioribus, desideria dispergi, et diffluere permittit, fracto statim spiritualis propositi robore, nimis periculose in mente senescit. Hinc *cutem suam aruisse, et contractam fuisse* (*Job* vii, 5), sanctus Job conquestus est. Et ne ad senectutem hanc vergat, vel hanc ariditatem incurrat, *Onager* ille, quem *dimisit* Dominus *liberum*, *cui et dedit in solitudine domum, circumspicere dicitur montes pascuæ suæ, et virentia quæque percurrere* (*Job* xxxix, 5). Sanctus quoque Gregorius de quibusdam dicit, qui Conditori suo in secretiore vita placuerunt, utpote qui in hoc, de quo loquimur, sese monumenti latibulo clauserunt: qui ne per humanos actus a novitate mentis veterascerent, eos omnipotens Deus hujus mundi laboribus noluit occupari. Quid? nonne in verbis istis apparet nobis ad monumentum angelus, juvenis, et sedens?

X. Sed sedet in dextris, in quibus felix eorum notatur, et exprimitur universitas, **244** quos per propositum vocatos sanctos, præscivit omnipotens Pater, et clemens, misericors, et justus: *Et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (*Rom.* viii, 29). Nam sinistra pars creaturæ rationalis, reproba; dextera ejusdem pars, electa. *A dextris* quippe, *et a sinistris assistere exercitum cœli*, propheta *vidit*, qui per mendacii spiritum, *decipiendum Achab* (*III Reg.* xxii, 19) prævidit. In reprobatione namque sua, justa, sed occulta, quasi a sinistris incomprehensibilis, et irreprehensibilis, atque *terribilis in consiliis super filios hominum* Deus (*Psal.* lxv, 5), habet Synagogam illam reproborum, et perditionis massam; stipulam utique siccam, æternis incendiis præparatam. Ipsa est *generatio illa prava*, atque perversa, et domus *exasperans. Generatio, quæ non direxit cor suum, nec est creditus cum Deo spiritus ejus. Populus stultus, et insipiens, cujus non est Dominus Deus ejus* (*Psal.* lxxvii, 8, 9). In electione vero pia a dextris habet Pater ille misericordiarum, et Deus totius consolationis sanctam Ecclesiam eorum, quos ad vitam præordinavit æternam: quos et *benedixit omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo; sicut elegit eos ante mundi constitutionem, ut sint sancti, et immaculati in conspectu ejus, in charitate* (*Ephes.* i, 3, 4). Hæc est illa *beata gens, cujus est Dominus Deus ejus: populus, quem elegit in hæreditatem sibi* (*Psal.* xxxii, 12); quos et *voluntarie genuit verbo veritatis suæ, ut sint initium aliquod creaturæ ejus* (*Jac.* i, 18). In his dextris angelus sedet, dum animæ puræ datur inspiratio interna requiescere in spe. Sperat se anima pia, in hac requie sua inconcussa, pertinere ad gregem illum, cui complacuit Patri dare regnum. Tali, fratres mei, tantæque novitati, quieti, spei, non potest non inesse magna multitudo, multaque magnitudo gaudii: quia sedens in dextris, juvenis apparuit in albis. Audite, quæso, qualiter ista exponit Psalmista: *Lætatus sum*, inquit, *in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus* (*Psal.* cxxi, 1): nimirum ubi apparere sibi innuat angelum in albis, qui sedet in dextris.

XI. Et quid in duobus accipimus angelis, qui et ipsi apparent in albis, unus ad caput et unus ad pedes? forte duplex per eos eruditio notatur, quæ nobis per unctionem, quæ docet de omnibus, infunditur. Unum de capite nos docet divinitatis; alterum vero eruditionis genus, de pedibus humanitatis. Et qui pedes isti? vita, et doctrina. Ipse quippe Propheta dictus est: *Potens in opere, et sermone* (*Luc.* xxiv, 19). Scriptum et de illo est: quia *cœpit facere, et docere* (*Act.* i, 1). His duobus pedibus, ambulavit in regione nostra: mundo exhibens sua opera ad exemplum, et verba ad documentum. Et quanta lætificat exsultatio animam, cum modo interna quiete sua, repræsentat sibi sublimia divinitatis Christi; modo vero ima humanitatis illius? Hæc ideo dico, quia unus ex angelis istis sedet ad caput, et unus ad pedes, uterque vero in albis. Post hæc vero nobis contuendum est, quod relicturus corporaliter discipulos Dominus, hujusmodi cum eis promissionis verba habuit: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria* (*Act.* i, 8). Utique promissio bona: quæ cum adimpletur, Spiritus sanctus datur, et accipitur. Et hoc vobis signum præsentiæ ejus. Perhibetur testimonium Christo; perhibetur autem sic: regnat pax in corde: confessio in ore, custodia in opere: ut prima ad dilectionem, secunda ad ædificationem, tertia vero sit ad sollicitudinem. Nam pacis sonat visionem Jerusalem; Judæa confessionem; et Samaria custodiam. Et hæc usque ad ultimum terræ: quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22). Usque ad ultimum terræ: ut tunica sanctus Joseph induatur talari (*Gen.* xxxvii, 23): et pro filiis, holocausti oblationi insistat beatus Job cunctis diebus (*Job* i, 5). Verum quia loquente dilecto, ille dilectus declinat, et transit: *Cum hæc dixisset, elevatus est* (*Act.* i, 9) *Ascendit* siquidem *super Cherubim, et volat su-*

Digitized by Google

per pennas ventorum (*Psal.* XVII, 11). *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum* (*Act.* I, 9) : quia *posuit tenebras latibulum suum* (*Psal.* XVII, 12). Cum loquitur, elevatur, et a nube suscipitur, ab oculis eorum : quia *vocem*, inquit, *dilecti mei audivi ; at ille declinaverat, et transierat* (*Cant.* V, 6). *Cumque intuerentur in cœlum euntem illum* (*Act.* I, 10) : piis videlicet internorum desideriorum adspectibus prosequerentur in occultis suis se recipientem : *ecce duo viri adstiterunt juxta illos* (*ibid.*). Et vox Psalmistæ est hoc modo loquentis : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCXIII, 19). Hæ consolationes sunt viri, juxta illos assistentes. *Adstiterunt*, inquit, *in vestibus albis* (*Act.* I, 10) : quia *consolationes tuæ, lætificaverunt*, ait, *animam meam* (*Psal.* XCXIII, 19). Albis siquidem vestibus induti fuerant, pro eo, quod animam lætificabant. Ut enim non semel diximus, per candorem vestium, spirituale gaudium est exprimendum. Et quomodo lætificabant ? **245** *Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cœlum?* (*Act.* I, 11.) Consolatoria, ni fallor, hæc interrogatio est. Ut autem sciatis, quod ita sit : audite quod subjungit : *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum : sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum* (*ibid.*). Nimirum lætificant, dum eum venturum evangelizant. Nam hæc promissio ejus : *Veniam ad vos, et gaudebit cor vestrum* (*Joan.* XVI, 22). Sed quid est, quod sic eum venturum asserunt ; quemadmodum eum ascendere viderunt ? nam videntibus illis elevatus est. Quid est hoc, quod non tantum de ejus elevatione, sed et de eorum visione, sacra vigilanter Scriptura mentionem facit ? profecto duplicem non mereretur spiritum Elisæus, nisi videret, quando a Deo tolleretur Elias. Et quia vidit, a voluntate labiorum suorum fraudatus non est. Quod enim petiit, accepit. Scitis, fratres dilectissimi, quo præludia ista tendunt. Loquimur namque expertis, cito percurrentes, et breviter attingentes, festinantes ad quædam, quæ adhuc perstringenda sunt : et sermo urget ad finem.

XII. Scitis, quia bona valde, et admodum necessaria humanæ animæ sunt, ratio clara, affectio pura, intentio recta. Tria hæc sublimis, et secretæ in nobis culmina contemplationis attingunt. Nam *assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem : et duxit eos in montem excelsum seorsum* (*Matth.* XVII, 1). Petrus agnoscens, Jacobus supplantator, Joannes in quo est gratia. Et rationis quidem est agnoscere ; affectionis vero est, quod illicitum in anima est, supplantare : quia ejus esse solet, cum ordinata fuerit, *Reprobare malum et eligere bonum* (*Isa.* VII, 15) : sicut rationis est, inter verum discernere, et falsum. Et magnum hoc, in homine, utrumque divinæ gratiæ indicium est. Sed tunc quidem maximum est, cum ad nihilum in interna intentione se extendit, quod distortum est. *Beatus*, ut ait Scriptura, *qui in sapientia morabitur* (*Eccl.* XIV, 22) : ipsa pertinet ad agnitionem, quæ refertur ad Petrum ; *Et in justitia meditabitur* : ipsa spectat ad supplantationem, quæ notatur per Jacobum. Sed sibi valde necessarium ad beatitudinem, *ut in sensu cogitet circumspectionem Dei* (*ibid.*) : quod proprie donum est gratiæ, quæ exprimitur per Joannem. Cum igitur, auxiliante Domino, ad sublime pertingit contemplationis secretum, et secretam ejus sublimitatem, ratio ejus id solum eligens, quod verum est ; affectio, illud tantum approbans, quod bonum est : intentio ad hoc solum se extendens, quod rectum est : nimirum *assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ducit eos in montem excelsum seorsum* (*Matth.* XVII, 1). Sequitur : *Et transfiguratus est ante eos* (*ibid.*). Quid est Christum transfigurari ? utique quod *sit splendor, et figura substantiæ Patris, portansque omnia verbo virtutis suæ* (*Heb.* I, 3), ipso revelante, ostendi. Toties quippe se transfigurat, quoties nobis eductis ab intuitu formæ servilis, claritatem divinæ, quæ in eo fulget, naturæ videre per speculum in ænigmate concedit. Unde et alba apparent vestimenta ejus. Non alia unquam habuit indumenta, quam alba ? Utique. Nam in Zacharia propheta legitis, quod *Jesus indutus erat vestibus sordidis* (*Zach.* III, 3). Considerate circumcisionem ejus, baptismum, jejunium, esuriem, tentationes, sitim, fatigationem, fletum, alapas, colaphos, sputa, flagella, irrisiones, crucem, clavos, lanceam, vulnera, mortem, sepulturam : et in his intuentes eum, non poteritis diffiteri vestibus sordibus indutum. Sed *auferte vestimenta sordida ab eo, et induite eum mutatoriis* (*Zach.*, I, 4). Repræsentate eum vestræ mentis oculis unum eumdemque cum Patre ac sancto utriusque Spiritu Domini cæcos illuminantem, infirmos sanantem, mortuosque suscitantem, multaque alia, quæ ad divinam in eo pertinent naturam : et alba ejus videbitis esse indumenta. Sed appareat tibi in hac ejus transfiguratione Moyses, et Elias : ut nihil de incomprehensibili ejus natura temere affirmare præsumas, nisi quod auctoritatibus legalibus, et propheticis affirmare possis. Sonat in hac ejus transfiguratione vox Patris, testimonium de Filio perhibentis. Sed cadunt tunc in faciem discipuli : quia ad illam summam, nostra nullatenus sufficit, vel ratio veritatem, vel affectio charitatem, vel intentio æquitatem. Sed ut paterna vox in monte auditur, quadraginta sex prosternuntur : quia, cum Elias auræ tenuis *sibilum audit*, vultum pallio *operit* (*III Reg.* XIX, 12) : *et cum fit vox super firmamentum, quod imminet capiti animalium, stant, et submittunt alas suas* (*Ezech.* I, 25). Eo, fratres, tendunt omnia hæc, ut sciatis, quid per candidas vestes in Scriptura sacra accipere possitis.

XIII. Ostendimus jam, idque sacri eloquii auctoritate roboravimus : denotare nos posse in albis, exsultationem tam futuræ felicitatis, quam præsentis sanctitatis. Ad utriusque vero habendum appetitum, **246** vester vos habitus invitat, ut unam jam habeatis, ad alteram autem suspiretis. Unam quoque

Digitized by Google

in exercitio, alteram in desiderio. Unam, qua nunc in labore meremur; alteram, qua tunc in requie remuneramur. Intuentes igitur habitum vestrum, studete modo indui albis justitiæ, ut in futuro mereamini cooperiri albis gloriæ. Induimini candidis cogitationum, morum et operum vestimentis, qui in corpore quidem estis candidis amicti indumentis; ut digni quoque habeamini albis operiri æternæ felicitatis. Sic dilectissimi fratres mei, tripartito eritis insigniti candore: primo in significatione; secundo in conversatione; tertio vero in remuneratione; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. *Amen.*

SERMO V.

De verbis professionis Præmonstratensium. De oblatione, et sui ipsius traditione Ecclesiæ, in qua Deo servitur. De typica oblatione SS. Abel, et Isaac. De spe mercedis æternæ, et sacrilega sui usurpatione.

Synopis sermonis.—1. Forma professionis religiosæ apud Præmonstratenses fieri solitæ. Vota Deo reddenda; ac primum de sui oblatione et traditione ad exemplum Mediatoris nostri Dei. — 2. Typus oblationis sui in S. Abel signatus, Deo super omnia placere volentis affectione pura, et in intentione recta. — 3. Ut dilectum filium suum Isaac quis offerat in holocaustum, igne amoris in ara cordis: quod recte non fit, nisi prius itinere ad terram viventium instituto. — 4. Patria illa nunc tenetur in spe, ad quam jugiter meditando, et affectuose desiderando pergitur: ac ne labor deterreat merces magna invitat. — 5. In Issachar expressa merces laboris inter terminos accubante, et requiem vidente quod esset bona, atque adeo supponente humeros ad portandum. — 6. Quem non satis movent præmia, trahant exempla: quibus Christi Domini nullum præstantius aut eminentius, qui ipse mons est sacrificio destinatus, et nobis in exemplum monstratus et datus. — 7. Offerens seipsum, nihil sibi reliquit reliquum; nec absque sacrilegio quidquam sibi vindicet. — 8. Oblatio sui facta Ecclesiæ, id est, congregationi et superioribus prompta obsequia postulat, et torporem ablegat. — 9. Urias Hethæus exemplo est viris Religiosis in laborando communia propriis anteponere, — 40. Alter stimulus a Simone Machalæo ad non parcendum sibi ab eo qui suus non est. — 11. Renuntiationis sui ipsius, ac virtutum exemplar ad quod se componat, est Christus Dominus.

I. Expetit, charissimi, et quidem cum aviditate magna, et exspectat, nec sine spe curiosa, curiositas vestra ut de verbis professionis vestræ, aliquid tractemus. Ipsa est, cujus nos diximus vinculo ligatos, ac *votis, quæ distinxerunt labia nostra* (*Psal.* vi, 14), adstrictos. Et quidem vinculum ejus, vinculum forte: quod absque detrimento salutis, temere non valet dissolvi. Cujus profecto hæc verba sunt: *Ego frater, N. Offerens trado meipsum Ecclesiæ sanctæ Genitricis Dei Mariæ, Sanctique illius; et promitto conversionem morum meorum, et stabilitatem in loco, secundum Evangelium Christi, et secundum apostolicam institutionem, et secundum Canonicam Regulam beati Augustini. Promitto etiam obedientiam usque ad mortem in Christo Domino, N. præfatæ Ecclesiæ Patri, et successoribus ejus: quos pars sanior congregationis elegerit.* Hæc vestra promissa sunt, fratres mei. Hæc vota, quæ distinxerunt labia vestra. Et promissa quidem magna, vota præcelsa. Nec sanius dari vobis consilium potest quam ut totis ea viribus implere studeatis. Porro sententia est sancti David super his, hunc habens modum: *Vovete, et reddite Domino Deo vestro* (*Psal.* lxxv, 12). Quicunque igitur est, qui vovit hæc, acceleret, et discurrat, et reddere totis viribus sollicitus sit. *Alligatus quippe est verbis oris sui, et propriis captus sermonibus* (*Prov.* lxix, 2). Hæc itaque promissio ejus: *Ego frater N. offerens trado meipsum.* Plura legis, frater mi, apud illum antiquum populum Dei genera fuisse oblationum; sed nullum penitus huic comparandum, ne dicam, præponendum, in quo tradis teipsum. Ipsum etenim Filium Dei in hoc excellenter imitatus es. De quo sanctus Paulus: *Qui dilexit*, inquit, *me, et tradidit semetipsum pro me* (*Gal.* ii, 20); propheta quoque Isaias: *Tradidit*, inquit, *in mortem animam suam* (*Isa.* liv, 12). Non solum autem in tradendo, sed offerendo, ipsum, de quo loquimur, imitatus es Dei, hominumque Mediatorem. De quo apud eumdem Apostolum ita legis: *Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum* **247** *semetipsum obtulit immaculatum Deo* (*Hebr.* ix, 14). Offerens, aisti, trado me ipsum. O oblatio, o traditio! Oblatio accepta, traditio perfecta. Offerens namque tradidisti, non dico aliquid tuum, sed teipsum.

II. Sic offerentem, et tradentem, sanctus in ipso mundi exordio signavit Abel, de quo ita legis: *Respexit Deus ad Abel, et ad munera ejus* (*Gen.* iv, 4). Abel *luctum* sonat, et te, qui vitæ præsentis exsilium luges, designat. Ad te respicit Dominus: quia a te despicitur mundus. Respicit et ad munera tua. Quænam illa? oblatio, et utique traditio tui ipsius. Ipsa sunt primogenita gregis Abel; ipsa et adipes eorum. Quid per hunc accipimus gregem, nisi simplicium in viro sancto cogitationum collectionem? Quid esse putamus, quod in hoc grege primo gignitur, nisi ipsam affectionem, quæ de cogitatione nascitur? nam ipsæ intentiones adipes sunt. Merito ad hæc munera tua respicit Dominus, qui per illa totis viribus ei placere studes; et per affectionem cogitationis tuæ defæcatam, et per intentionem rectam. Respicit et ad te, qui in cunctis internis motibus cogitationum tuarum nil in affectu amplecteris impurum, et in hoc amore sincero illum solum, et expetis testem, et exspectas remuneratorem: ut sic de primogenitis tui gregis offerens, et de adipibus eorum offeras, et tradas te ipsum.

III. Accipe et aliud quiddam, quod hujus oblationis, et traditionis tui ipsius exprimit insigne. Factus est aliquando hujuscemodi sermo a Domino ad Abraham: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis: atque offer eum ibi in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi* (*Gen.* xxii, 2). Tu iste Abraham: quia sicut iste Pater multarum gentium nomine, sic et tu

Digitized by Google

cogitationum, opere et veritate. Est autem filius tuus Isaac; quia in gaudio interno, quod de beatæ spei exspectatione procedit, totus fructus spiritualis consistit. Et quia supremum, in illa interna genitura tua, et quodammodo singularem præcordiale gaudium istud obtinet locum, et quasi specialem quemdam a te erga se extorquet affectum, iste nimirum Isaac, et unigenitus tuus, et a te est dilectus. Sed tunc solummodo et Deo est acceptum, et sempiternæ beatitudinis præmio dignum, cum et a Deo esse certissime scitur, et pro Deo, tam in effectu externo, quam in affectu interno exercetur. Scito proinde illud et ab ipso esse, *a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit* (*Jac.* I, 17): et pro ipso nihilominus exercendum; qui hoc solum remunerare tenetur, quod pro se pure factum intuetur. Ideo tolle hunc, de quo loquimur, filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, atque offer eum Domino. Et offer eum in holocaustum, ut offeras, et tradas teipsum. Supposito igne amoris, incende totum in ara cordis; quia unum idemque juxta hunc sensum est, et Isaac offerre in holocaustum, et offerre ac tradere teipsum. Sed antequam in holocaustum filium offeras, necessarium tibi, ut ad terram visionis vadas. Sic enim se habet ipse ordo verborum, quæ Dominicum continent præceptum, qui talis est: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis; atque offer eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi* (*Gen.* XXII, 2). Et quæ hæc terra visionis, nisi illa, quam Psalmista viventium appellat? nam ipsa est, in qua se credit videre bona Domini (*Psal.* XXVI, 3). Nisi enim visionis eam terram sciret, videre se in ea non crederet. In hac terra, regem in decore suo, videbunt oculi beatorum, et *videbunt eum, sicuti est* (*I Joan.* III, 2). Manifestabit quippe eis non se, sed seipsum. Igitur terra viventium, terra videntium est. Ibi vivitur, et ibi videtur. Hic terra morientium, et ideo videntium non est. Ubi enim mors est, visio esse non potest. *Ego* inquit, *vivo, et vos vivetis* (*Joan.* XIV, 19). Itaque futurum est, ut vivamus: utique sic nihilominus futurum est ut videamus. *Videbimus eum, sicuti est*, ait sanctus Joannes. Ergo non vivimus, sed vivemus: nec videmus, sed videbimus.

IV. Et cur hoc, nisi quia in illa adhuc terra non sumus? In ea, inquam, non sumus in re; sumus autem in spe. Nam adhuc non modo in corpore, sed fortassis in vinculis Paulus erat, quando de se, suisque concivibus dicebat: *Qui nos conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus* (*Eph.* II, 6). Ibi videlicet et in illo qui jam resuscitatus est, et in cœlestibus sedet in re, resuscitatum, et sedere se videt in spe. Hinc magnus ille Pater habitasse legitur ad *puteum*, cujus nomen est *viventis, et videntis* (*Gen.* XVI, 14). Ibi quoque idem est videre, quod vivere: vivere, quod videre. Sane vita videns, et visio vivens. Apud locum illum, habitat perfectus quilibet in spe; juxta illa Apostoli: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Phil.* III, 20). Vade et tu ad hanc terram visionis; terram, quam pollicetur adhuc 248 hodie Dominus filiis Israel. Ipsa est, quæ *lacte manat, et melle* (*Exod.* III, 17): beatitudo superefluens corporis et animæ. Ad hanc modo terram meditando ibis, et desiderando. Cogitatio quippe et aviditas pedes sunt, quibus itur in eam. *Stantes erant*, ait sanctus David, *pedes nostri in atriis tuis Jerusalem* (*Psal.* CXXI, 2); et item ipsum Dominum alloquens: *Statuisti*, inquit, *in loco spatioso pedes meos* (*Psal.* XXX, 9). Pro eo, ni fallor, quod in latitudine illius supernæ patriæ, ac terræ viventium pariter, et videntium, ubi pax vera et perennis videtur: cogitatione, sanctus ac perfectus quilibet, et aviditate demoratur: *Exspectans beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei* (*Tit.* II, 13). Vade, inquam, tu hoc modo ad terram hanc. Vade ad eam, et vide eam, et certe idem est ire ad eam et videre eam. Illo quippe se permovens, et extendens, et ardens affectus spiritualis, quidam tuus est et oculus et incessus. Nam ubi mens habet affectum, illo suum et erigit visum, et dirigit gressum. *Vade ad terram hanc visionis, et offer Isaac in holocaustum* (*Gen.* XXII, 2), religans ibi primitias spiritus tui, totum teipsum, ut sic loquar, offerens ibi. Immolans volui dicere, et sensus idem est: siquidem immolare, offerre est. Et bene prius jubetur pius pater ad terram visionis ire, et tunc demum filium offerre, ut ad spiritualem aggrediendam perfectionem merces invitet, si forte labor deterret. Quis enim ad offerendum holocaustum piger erit, cum ad hanc terram visionis ierit? Tu autem si ad hanc terram visionis non ambulasti, unde tibi accidit, quod te ipsum offerens tradidisti? Nonne prius in Evangelio thesaurum Dominus asserit inventum, et tunc abiisse inventorem, et vendidisse omnia, ut emeret eum? (*Matth.* XIII, 44.) Insipiens namque foret, si sua omnia in pretium redigeret, cum necdum quod emere vellet, videret. Sic et tu, ni fallor, nec offerres, nec traderes teipsum, nisi prius agnosceres quod tibi pro hac oblatione et traditione dabitur præmium. *Veni, sequere me* (*Marc.* X, 44), ait quidam Dominus? sed præmisit, *habebis thesaurum in cœlo* (*ibid.*), volens utique, ut prius iret ad terram visionis, et sic immolaret Isaac filium suum.

V. Hæc dicenti venit mihi in mentem, quod sanctus Jacob de Issachar filio suo dicit: *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos. Vidit requiem, quod esset bona, et terram, quod optima: et supposuit humerum suum ad portandum* (*Gen.* XLIX, 13). Quis Issachar iste fortis, quem tibi interveniente mortificatione ab illicitis, confert Dominus? Spiritualis est gratiæ profectus. Est enim gratia pro gratia; et dum viriliter te contines ab illicitis, mercede quoque in perceptione uberioris gratiæ, ipso largiente, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit, ditari mereris. Nam Issachar mercedem sonat; et matris suæ Liæ hinc, in ejus ortu, verba sunt, *Reddidit mihi Dominus mercedem: quia dedi ancillam meam viro meo* (*Gen.* XXX, 18).

Digitized by Google

Quis vir iste, nisi Christus, qui legitimus sponsus est animæ? nam ancilla ejus caro est, quæ uti ancilla dominæ, sic spiritui debet subjacere. Hæc ancilla tunc viro datur, cum ad imperium Christi, a suis caro desideriis illicitis mortificatur. Quod dum fit, eidem Liæ Dominus mercedem reddit. Et quæ ei merces redditur? certe Issachar nascitur; gratiæ videlicet in mente spiritualis profectus exoritur. De quo Issachar dicit sanctus Jacob, quod asinus pariter et fortis est. Nimirum mansuetus et robustus incedens; apparet quoque pro loco, et tempore, et inter prospera humilis, et inter adversa securus. Qui etiam habitat inter terminos: hæc pene ima deserens, et ad illa pene summa pertingens. Horum vix extrema tangit; illorum vero initia gustat: illorum initia in quibusdam suis primitiis: horum extrema in quibusdam suis reliquiis: ut inter utrorumque terminos habitans, sic ista admittat ad usum necessitatis, ut illa retineat ad fructum jucunditatis. Hic vidit requiem, quod esset bona; et terram, quod optima. Hæc terra visionis est: est et quietis. Nihil ibi obscurum, quia visio ibi; nihil ibi laboriosum, quia ibi quies. Et terra quidem optima, requies bona. Tranquillitas per requiem, stabilitas accipitur per terram. Sed hanc requiem et terram videns, supposuit humerum suum ad portandum: ut conspecta diligenter æternitatis mercede, voluntarie et prompte, ardenter et perseveranter se præpararet ad subeundum gravamen laboris. Et prius Issachar iste terram et requiem vidit; et post ad portandum humerum suum supposuit, ut simili modo prius in terram visionis Abraham iret, et tunc demum Isaac offerret. In spe quidem hujus requiei, et terræ hujus acquirendæ, tu offerens tradidisti teipsum. Idcirco non cunctatus es, offerre, et tradere teipsum: quia sic speras sempiternum cœlorum te posse accipere regnum: ut jucundum sibi deputet, et leve, tam **249** Issachar humerum suum supponere ad portandum, cum requiem vidit bonam et terram optimam, quam Abraham in holocaustum offerre Isaac filium suum, cum ad terram vadit visionis.

VI. Quod si forte invitare non sufficiunt præmia, attrahant saltem exempla. Inter quæ nullum efficacius est, quam illud: quod nobis ostendit primogenitus ille mortuorum, Mediator ille Dei, et hominum, Deus, et homo, Dominus noster Jesus Christus. Hic est ille unus montium, super quem jubetur Abraham, offerre filium suum. Nam *pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus* (*I Pet.* II, 21). Montes quoque sanctitatis eminentia eximii electi ejus sunt; quorum nimirum unus ipse est, longe eis superior existens: *Tanto melior eis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit* (*Heb.* I, 4). Unus eorum est, quia primus eorum. Unde et quidam valde sublimis mons, ait: *Ante me factus est; quia prior me erat* (*Joan.* I, 15). Unus eorum est, quia *mons Domus Domini in vertice montium* ipse est (*Mich.* IV, 1). Super hunc montem obtulisti, mi frater, et tradidisti teipsum, cum in oblatione, et traditione tui ipsius habens exemplum: ut non arbitreris indignum, jam te debere agere pro eo, quod ipsum vides excellenter egisse pro te. *Quem monstravero tibi.* Nobis a Patre monstratus est, qui nobis ab eo in exemplum datus est. Magnus quippe nimis factus est, et implevit omnem terram: ut juxta quod Ecclesiastes dicit: *Oculi sapientis in capite ejus* (*Eccl.* II, 14); et similitudo sit hominis in animalibus sanctis (*Ezech.* I, 5).

VII. Dixisti itaque in ipso initio professionis tuæ: *Offerens trado meipsum Ecclesiæ Dei.* Et quare non simpliciter te, sed cum quodam nescio quo additamento, teipsum? Num hæc præterire nostra diligentia debet? Mihi quoque videtur, si tamen id tibi non displicet, dum audio te obtulisse, et tradidisse, non quidem simpliciter te, sed teipsum: nihil quod tu es, tibi dimisisse, nihil de te tibi retinuisse. In hoc namque verbo tanta expressione prolato, quædam quodammodo, ut sic loquar, notari se cogit universitas tui. Unde necesse ut sciens te obtulisse et tradidisse teipsum, scias et consequenter nihil penitus te, de te, excepisse. Sciens igitur, te Ecclesiæ Dei teipsum obtulisse, et tradidisse in omni, quod es; in omni, quod scis; in omni, quod potes, eidem te Ecclesiæ ad omnem utilitatem et ad omnem fidelitatem, pro tempore et loco, pro mensura et modo, pro causa et negotio, pro persona et facto debitorem agnosce. Hoc est enim Ecclesiæ præfatæ teipsum obtulisse et tradidisse; deinceps non solum quidquid boni habes; sed etiam quidquid boni es, quidquid boni scis, quidquid potes, eidem te debere Ecclesiæ impendere. In quantum vero ei, post promissionem istam, ad necessitatem, aut utilitatem forte tuam, tuum vel scire, vel esse, vel posse adimis, in tantum et temetipsum tollis. Sed nimis parum dixi: in tantum quod suum est, rapis, dicere debui. Nimirum id jam non tuum, sed suum est. Nam tuum esse desiit, quod obtulisti, et tradidisti; et ejus esse incœpit, cui illud obtulisti et tradidisti. Vide ne vel furari, vel auferre velis, quod a te oblatum et traditum est: ne ut sacrilegus judiceris. Nonne cum hæc verba protulisti, caput super altare posuisti, et chartam, in qua scripta erant, super altare obtulisti et oblatam in eo dimisisti? Nonne sacrilegium committitur, cum aliquid de sacro vel furto, vel rapina etiam non sacrum auferatur? Quanto magis cum etiam sacrum de sacro? et quidem sacrum quid est anima tua, quæ ad Conditoris sui imaginem, et similitudinem est creata. Est quoque et corpus tuum, si tamen peccati non fuerit dominio subjectum, juxta salubrem illam Pauli admonitionem: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus; sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato* (*Rom.* VI, 3). Utrumque obtulisti, et tradidisti Ecclesiæ: neutrum debes ex tunc in proprium usum illicite vindicare. Sed melius est, ut super his Judicem constituam teipsum. Si videres aliquem,

Digitized by Google

qui quod jam offerendo, et tradendo, coram multis testibus, super altare posuerat, in proprium vel occulte, vel publice vindicaret, qualis in oculis tuis appareret? Nonne invasor, et sacrilegus? tu es ille vir, qui fecisti hanc rem : si teipsum, quem obtulisti et tradidisti, et a quo, te offerendo et tradendo alienasti, iterum tibi illicite vindicasti, et usurpatione sacrilega in proprium rapuisti. Eadem te ligat sententia, quia et par inquinat culpa. Quidquid boni scis in corde, quidquid boni potes in corpore, quidquid boni denique es, in utroque, obtulisti Ecclesiæ et tradidisti; quando teipsum offerens tradidisti, tradens obtulisti.

VIII. Sed quæ Ecclesia ista, cujus es; ex quo ei a te tu ipse oblatus et traditus **250** es? Utique religiosus virorum sanctorum, quos coram video, cœtus in unum redactus; sanctificante et regente uno spiritu, cujus sub summo capite universorum electorum, caput est prælatus : in quo, sub eodem capite, tu quoque sanum et decorum ac utile membrum es : huic te Ecclesiæ obtulisti et tradidisti, ut te tibi renuntiato, suus ex tunc, in omni quod es, quod scis, quod potes, existas. Si igitur hoc te modo Ecclesiæ huic obtulisti et tradidisti, et non quidem te, sed teipsum : cur munus tuum auferens, modo fraudulenter, modo vero negligenter, modo denique violenter tuum ei esse adimis, scire et posse? Quod in sæculo dudum pro sæculo facere solebas, modo vel omittere ex toto etiam jussus non formidas; nonnunquam vero postulatus non erubescis, aut certe non sine gravi murmure admittis. Nunc quoque multoties non es, quod dudum semper eras. Non esse potes modo, nec scis, quod tunc poteras et sciebas? Ex quo enim religionis habitu indutus es, illud tangere plerumque perhorrescit anima tua, quod antea libenter consueveras amplecti. Nescio unde sit, quod modo pene semper ægrotas, qui prius nunquam sanus non eras. Jubetur tibi, ut scribas, et *ad excusandas excusationes in peccatis* (*Psal.* CXL, 4), oculorum tuorum visus hebet, caput dolet, et pro eo quod curvatur, stringitur pectus. Stare ad psalmodiam, debilitas tibiarum et pedum infirmitas non permittit. Jussus pro Ecclesia tua stare, in causa illa confestim nescis loqui : ex quo enim tecum super hoc agitur, impeditioris et tardioris linguæ es : non solum autem; sed et ad aggrediendum quod communiter exercetur a cunctis, invalidus es. Panem, laborantibus aliis, comedis otiosus; et cum apes alias ingredientes et egredientes atque intrinsecus strenue operantes, ad communem sollicitet diligentia laborem, ut fucus tu in interioribus torpes : piger ad laborem, ad requiem promptus, ad mensam primus, ultimus vero ad opus manuum.

IX. O virum egregium et strenuum militem, illustrem et per cuncta certe laudabilem : Uriam dico, qui probrum duxit laborantibus sociis indulgere quieti! Sciens quidem, eos occupari, assimilari eis voluit, vel in non quiescendo, quibus in laborando non potuit. Sane jussus a rege, ut iret domum, pedesque lavaret : oblatum recipere fomentum indecorum plane et ignominiosum æstimavit. Denique conventus a rege super hoc, respondit : *Arca Dei, et Israel, et Juda habitant in papilionibus, et dominus meus Joab, et servi domini mei super faciem terræ manent, et ego ingrediar domum meam, ut comedam, et bibam, et dormiam cum uxore mea?* (*II Reg.* II, 11.) Quod perfecto negando subjunxit : *Per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc* (*ibid.* 12). Audi strenuitatem viri non quæ sua sunt quærentis, sed quæ aliorum. Utique vir illustris communia propriis, non propria communibus anteponere paratus. Verumtamen quod, quæso, servis domini sui inde emolumentum, quod ipse, ut in ea comederet et biberet et dormiret, domum suam ingredi recusavit? Non ideo minor eorum labor, quia non admisit requiem istam; sed laudis suæ fuit augmentum quod saltem non quiescit, dum laborare cum eis non licet. Hunc itaque, de quo loquor, in exemplum tibi propone, o piger, illustrem Uriam, ut aliis laborantibus marcescere ignavia erubescas. Si autem quæris, quid sit, aliis laborantibus, marcescere ignavia, paucis accipe. Aliis operi manuum utiliter et hilariter insistentibus, sibilare te super digitos tuos; aliis vigilantibus, te stertere; aliis denique piis sanctæ Religionis exercitiis insistentibus, manum tenere contractam in manu ac modis aliis opus subire simulatum; cum justa necessitas et evidens occasio te desideret, per ignaviam marcescere, et in quoddam pigritiæ teterrimæ nihilum te inanescere. At non Urias : qui non tristis esse non potuit, quando a labore communi revocatus est; lætus quoque admodum fuit, quando remissus est. A quo labore evocari multum ei displicuit : domi vero remanere ignominiam æstimavit : gloriam vero et ipsam non modicam ad eumdem laborem redire.

X. Accipe et virum alium utilitatibus se communibus dedentem. In primo legis Machabæorum libro, audiente Simone, postquam captus fuit frater suus Jonathas, quod *Congregavit Triphon exercitum copiosum, ut veniret in terram Juda, et attereret eam, et videns eo quia in tremore populus est et timore; ascendit Hierosolymam, et congregavit populum, et exhortans, dixit : Vos scitis, quanta ego, et fratres mei, et domus Patris mei fecimus pro legibus, et pro sanctis prælia; et angustias quales vidimus. Horum gratia perierunt fratres* **251** *mei omnes propter Israel, et relictus sum ego solus. Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ, in omni tempore tribulationis; non enim melior sum fratribus meis.* Vir illustris viros illustres fratres suos ad memoriam duxit : eosque sibi in exemplum proponens, ad subeundum laborem pro utilitate communi, seipsum invitavit : in omni tempore tribulationis parcere animæ suæ recusavit. Sic et tu noli parcere animæ tuæ, ut communi consulas necessitati, sciens te obtulisse ac tradidisse teipsum Ecclesiæ Dei :

Digitized by Google

ut deinceps ipsa, de eo, quod ei obtulisti, et tradidisti, faciat libere, quod sibi utile perspexerit, et tu in nullo penitus ei contradicas. Plenum quippe, ac perfectum ipse tibi silentium imposuisti, ex quo teipsum offerens et tradens funditus quidquid es, quidquid scis, quidquid potes, et a te alienasti et ei contulisti. Noli ergo, ut jam sæpe tibi dixi, auferre quod alienum est : ne ut raptor et invasor, et merito quidem, judiceris. Non solum autem, sed ut sacrilegus, quia sacrum probaris auferre de sacro.

XI. Revocavimus tibi paulo superius ad memoriam, præcellens illud et eximium, quod tibi hac in parte Dei Filius ostendit exemplum : de quo dicit Apostolus, quod *tradidit semet ipsum* (*Gal.* II, 26). De quo nihilominus propheta dicit : quod *tradidit in mortem animam suam* (*Isai.* LIII 12). Vide igitur, quia in hac traditione nihil sibi de se retinuit ; nihil penitus vindicavit. Cum gladiis et fustibus captus est, ligatus, adductus, judicatus, damnatus, colaphizatus, alapas passus, flagellis cæsus, sputis illitus, chlamide coccinea indutus, spinis coronatus, in veste alba contemptus, opprobriis saturatus, cruci affixus, morti addictus. Intuere, quæso, membris sanctissimis in patibulo distentum, et agnosce, quia tradens in mortem animam suam, totum se impendit, nec de se quidquam excepit. Per hanc siquidem semitam vade post illum, si venire cupis ad illum per patientiam currens, propositum tibi certamen aspiciens ad illum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Simili modo et tu, proposita tibi libertate illa, ad quam promoveri te speras in futuro, noli a tuis excutere cervicibus jugum gloriosæ servitutis : quod voluntate tibi spontanea imposuisti, quando teipsum huic Ecclesiæ Dei tradendo obtulisti et offerendo tradidisti, ad illam tunc provehendus feliciter, qui hanc modo portas perseveranter, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui est cum Patre et Spíritu sancto Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO VI.

De promissione conversionis morum, et de his quæ ad eamdem faciunt. De integra, et mutila oblatione. De decore, ac indecoro conversationis religiosæ, fugienda detractione, et de adulatione, et de morali Magorum donatione.

Synopsis sermonis. — 1. Oblatio mutila, cui deest auris obedientiæ vel cauda perseverantiæ, immunda est ex corruptione luxuriæ, atque tumore superbiæ. — 2. In viro Religioso sui oblatio internam et morum conversio externam ordinat compositionem. — 3. Qui mores suos convertit, circa se nihil admittit reprehensibile : erga Superiores obedientiam promptam, erga consodales obsequium exhibet devotum. — 4. Morum conversio requirit præterea internam animi novitatem, quæ externa vestium mutatione figuratur. — 5. Ad perversos et distortos quorumdam mores digressio, qui sub habitu Religioso conversionem morum mentiuntur. — 6. Dyscolos ejusmodi et turbulentos manet acris censura supplicii. — 7. Morum elegantia recte paradiso malorum punicorum assimilatur. — 8. In malo punico unitas pacis et dilectionis commendata, sine qua nihil Deo placitum esse demonstratur. — 9. In hoc spirituali paradiso, mala punica unitatem emissiones morum compositionem, fructus pomorum intentionem rectam in operibus designant. — 10. Ritus et abstinentia Nazaræorum prælusit huic morum conversioni : vinum pravum est distractio et adulatio per porros et cucumeres, per fel draconum et venenum aspidum expressum. — 11. Ab hac damnabili uva exprimitur exemplum nefariæ operationis, et acetum fraudulentiæ, a quibus abstinet Nazaræus. — 12. Sui oblatio est animæ et corporis per mystica Magorum munera exposita : redire per aliam viam contra Herodis consilium, est carnalem tunicam et mores in melius convertere. — 13. Quænam exuenda vetustas, et morum novitas amplexanda, quasi priori adversa.

I. Oblationibus, fratres charissimi, lex dudum Mosaica, et Deum quidem **252** homini posse placari, et hominem Deo monstravit posse conciliari. Verum ut hanc in se habere efficaciam possent, eadem nimirum lex censuit, ut tales essent, quæ omni prorsus immunditia carerent. Non solum autem, sed ut integræ essent : quatenus nullum in eis membrum vel fractum esset, vel abscissum. Hinc in Levitico scriptum est : *Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel sponte offerens, tam de bobus, quam de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit. Omnis macula non erit in eo* (*Levit.* XXII, 2). *Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, vel papulas, aut scabiem, vel impetiginem, non offeretis ea Domino, neque adolebitis ex eis super altare Domini* (*ibid.* 22). Si autem de eo quæritis, quod posterius dixi, inhibet subjuncta lex, ne ad votum solvendum *bos, vel ovis offeratur, in quibus auris, vel cauda amputatur* (*ibid.* 28). Omnis siquidem in te, mi frater, exercitii spiritualis oblationem summam et singularis illa integritas imperfectam, et puritas reprobat immundam, quam in ejus oculis commendabilem non reddit obedientia prompta et perseverantia firma. Siquidem ad illam auris, et ad istam cauda pertinet. Eo igitur tendunt omnia verba hæc, ut sciamus quidem debere nos offerre sine ulla exceptione, quidquid sumus, Deo ; sed hoc perquam sollicite curandum est, quatenus tales nos per ejus gratiam efficiamus, ut ab eo, in tanta hac nostri oblatione, suscipi digni simus. Quid enim tibi prodest, quod te offers Deo, si vel mente, vel corpore fueris pollutus. Id quippe non accipiet, nec acceptabit summa munditia illa, cui nihil in nobis pollutum placere poterit, sive corporale, sive spirituale fuerit. Et in uno quidem continetur superbiæ tumor ; in altero vero luxuriæ fætor. Sane mundus et castus corpore, nihilominus mitis et humilis corde Dominus Jesus utrumque in nobis malum istud abominatur ; universos nimirum reprobans, et a se longe repellens, quos et elatio reddit inaniter erectos, et corruptio enerviter pollutos. Æterni quoque Patris ei coæterna sapientia est solis se mundis et mansuetis revelatus, superborum pariter et immundorum munera detestans, sicut

Digitized by Google

Psalmista dicit : *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* (*Psal.* XLIX, 13.) Siquidem tauri superbos, hirci innuunt luxuriosos. Sed nec eorum carnes manducat, nec horum sanguinem potat : eorum dona se non acceptare significans, qui vel per elationem superbiæ tument, vel per corruptionem luxuriæ sordent.

II. Ad hæc pertinere puto quod, postquam in professione tua, de oblatione et traditione tui ipsius a te sermo habitus est, statim de morum quoque tuorum conversione mentionem facis. Nam sunt ejusdem professionis verba, hunc habentia modum : *Offerens trado meipsum Ecclesiæ Dei, et promitto conversionem meorum morum.* Itaque teipsum offers, et tradis; et quia id solum tibi sufficere non posse arbitraris, morum tuorum conversionem promittis. Oportet enim ut, dum te mutat intrinsecus, et renovat dextera Excelsi, eamdem quoque extrinsecus mutationem repræsentes in morum conversione : *providens* scilicet *bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (*Rom.* XII, 17). Et quidem adjungere curavit Apostolus, cujus hæc verba sunt, *omnibus :* ut tam omnibus, quam in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros. Hinc et asserit *se sapientibus et insipientibus debitorem esse* (*Rom.* I, 14). Est autem super his salubris admonitio ejus, hunc habens modum : *Sine offensione estote Judæis, et gentibus, et omni Ecclesiæ Dei* (*I Cor.* X, 32). Adjungit quoque, et sumit exemplum : *Sicut ego*, inquiens, *per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant* (*ibid.*, 33). Vide ergo, mi frater, ut mores tuos habeas modo conversos ; quia offerens et tradens teipsum Ecclesiæ Dei, eorum quoque conversionem promisisti. Ut autem mihi videtur, tunc eos conversos habes, si talem in universis exterioribus tuis omnium hominum tam auribus, quam oculis te exhibes, ut juste a quoquam reprehendi non possis. Ad hanc quoque invitat te morum conversionem beatus Augustinus in Regula sua, cum dicit : *In incessu, statu, habitu, et in omnibus motibus vestris, nihil fiat quod cujusdam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.* Quamdam igitur necesse est ut, in moribus coram hominibus exterius, sanctitatis novitatem ostendas, qui te jam Ecclesiæ Dei obtulisti et tradidisti ; ut cunctis te intuentibus, illos te convertisse appareat ad novam quamdam rectitudinem, ab illa vetusta tortitudine, in qua forte ante eamdem oblationem et traditionem aliquando erant.

III. Idcirco nihil monstres amarum in verbis, nihil in vultu non verecundum, nihil **253** in gestu non ordinatum, nihil reprehensibile in habitu, nihil leve in incessu, nihil denique in aliquo motu tuo pro posse apparere permittas, quod alicui intuenti offendiculum, vel scandalum creare queat. Discurre, accelera, festina, ac ante omnia, per omnia, supra omnia, in omnibus quæ tibi secundum Deum præceperint prælati tui, impigre et intrepide absque mora et murmure obtempera. Sodalitus quoque tuis, quantum licite potes, ad ministrandum esto sedulus, ad serviendum sollicitus, ad obediendum promptus, ad obsequendum devotus. Omnibus te humilem exhibe, omnium te pedibus prosterne, ab omnibus gratiam et amorem secundum Deum acquire. Cave sollicite ne aliquid torvum in oculis repræsentes, nec quidquam ex ore tuo unquam, vel usquam amarum sonet, vel durum : sed verbum semper, et ubique suavitatis et dulcedinis, verbum pietatis et charitatis, verbum compassionis et dilectionis, verbum utilitatis et ædificationis. Ut enim Scriptura dicit, *Verbum* bonum *super datum* optimum (*Eccli.* XVIII, 17). Pro loco nihilominus et tempore vultum eis lætum et hilarem ostende ; ut hoc modo, secundum Deum, quantum potes, omnibus omnia fias, et omnibus in Deo placeas, aspectum serenum et gratum eis ostendens : ita tamen competenter, et ex utroque temperate, ut te nimia aliquando, vel alicubi nec levitas vilem, nec severitas exhibeat gravem ; sed semper habeas rigidam dulcedinem, et dulcem rigorem. Sed etiam signa, pro loco et tempore, prout vel exegerit necessitas, vel monuerit utilitas, dulcia et delectabilia illis ostende. Sic te monstrabis excellenter implere quod in hac parte promisisti, vetustæ illi renuntiando morum perversitati, quæ te quondam distortum exhibuit, et modis istis illorum insistendo conversioni.

IV. Sint transacta apud te vetera, sintque facta nova omnia. *Sint* quoque *prava in directa, et aspera in vias pravas* (*Isa.* XL, 4). Mutetur pravitas in rectitudinem, asperitas in lenitatem. Si hactenus superbus fuisti, amodo sis humilis ; si hactenus invidus, amodo benignus ; si hactenus iracundus, amodo mansuetus ; si hactenus inquietus et turbidus, amodo quietus et placidus ; si hactenus præsumptuosus, amodo verecundus ; si hactenus *exhibuisti membra tua servire iniquitati ad iniquitatem, amodo studeas exhibere membra tua servire justitiæ in sanctificationem* (*Rom.* VI, 19) ; si hactenus aliis offendiculo et scandalo fuisti, amodo *si fieri potest, quod ex te est cum omnibus hominibus pacem habeas* (*Rom.* XII, 18) : universis intendens placere in bono, ad ædificationem. Exhibe corpus tuum *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium* tuum ; omittens amodo *conformari huic sæculo*, studens autem reformari *in novitate sensus* tui : *ut probes quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta* (*Rom.* XII, 1-3). Sic te exspoliabis *veterem hominem cum actibus suis* (*Col.* III, 9), *qui corrumpitur secundum desideria erroris :* sic te indues *novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis* (*Ephes.* IV, 24) ; quatenus renovationem, et conversionem, quam habes, hoc modo in moribus repræsentet, et innuat mutatio quam circumfers in vestibus.

V. Sed longe aliter agunt nonnulli, qui cum habitu exterius religioso appareant, affectu necdum

Digitized by Google

sæculari exutos se demonstrant : magis cunctis intuentibus, perversis moribus ad scandalum, quam conversis se præbentes ad exemplum. Hi sunt superioribus inobedientes, murmurantes ad præcepta seniorum, melioribus se invidentes, æqualibus se præferentes, turbati, aliosque turbantes, charitatis violatores, unitatis divisores, perturbatores pacis, ordinis corruptores : ipsis denique sæcularibus quodammodo eo nonnunquam deteriores, quo longe aliud in conversatione esse non erubescunt, quam quod in habitu ostendunt. Jam non est dicere de his : sicut sæcularis, sic religiosus ; quia nec sic religiosus, sicut sæcularis. Jam ad ruborem invitat mare Sidonem (*Isa.* XXIII, 5) ; sanctus quoque Jeremias, et *aurum obscuratum, et colorem optimum* deplorat *mutatum* (*Thren.* IV, 1). Horum unum est homo ille apostata, de quo in Proverbiis scribit Salomon, asserens quia est *vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et in omni tempore jurgia seminat* (*Prov.* VI, 12-14). Vide qualiter ambulat extento collo, supercilia erigit, rugat frontem, oculos in obliquum vertit, digitum extendit ; loquitur quod non prodest, universos coram positos a latere aspicit, nihil apud se aliud revolvens, nisi unde perturbare pacem cohabitantium possit. Nunc hos, nunc illos ad colloquium vocat, in eorum auribus vitam absentium rodit ; prælatorum et fratrum suorum, **254** maxime autem officialium facta et dicta venenosis dentibus dilaniat ; sancti exercitii statuta, juxta ordinis tenorem imposita, gravia, et omnino intolerabilia asseverat : lethale, quo ipse inflatus est, venenum audientium mentibus infundit ; omnemque internæ in eis jucundæque bonitatis et bonæ jucunditatis serenitatem pestiferis hujusmodi persuasionibus ac derogationibus obnubilans, eorum corda unitatis ac pacis quiete penitus evacuat, et horribilibus rixarum fulminibus ac tumultuosis discordiæ ventis, sed et tempestuosis murmurationum tonitruis adimplet.

VI. Hiccine tibi videtur Deo morum suorum, quam promisit, reddere conversionem ? hoc est, qui in gestu, et visu, ac cæteris motibus suis levem se exhibet in choro ; rebellem et rixantem in capitulo, detrahentem in auditorio, inhoneste se habentem in refectorio ; in omni loco, et tempore, ubi, et quando aliquem coram non videt, quem revereatur, semicorrosis malitiæ verbulis susurrantem, irrisoriis, correptoriis, comminatoriis digitorum notis intuentium oculos terebrantem, et quantum in se est, universos secum cohabitantes talibus perversorum morum gladiis trucidantem. O titio fumigans in igne, acerrimis, iisque obscurissimis ictibus tuis circumsedentium oculos ad lacrymas provocans ! O anguis virulentus, etiam mille anguillas, quas ipse quoque unus secum illis infert, unus deturbans : Ecce *bos cornupeta* (*Exod.* XXI, 28), quosque sibi obvios vulnerans, et vulneratos exstinguens. Sed qualiter legalis habet censura, ut puniatur ? utique, ut *lapidibus* A *obruatur* (*ibid.*). Et juste quidem. Non solum autem, sed et necesse. Juste, ut recipiat quod inique egit : necesse vero, ne contagione pestifera plurimos perdat.

VII. Verum tu, frater mi, quam promisisti Deo, intende perquam sollicite conversioni morum tuorum ; spirituali fulgeat decore, quidquid videtur in te ; suave sit et gratiosum, quidquid auditur a te, ut dici possit et de te : *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus* (*Cant.* IV, 13). Spiritualibus redoleat deliciis, quidquid vel ore depromis, vel opere ostendis, ut paradisus sint emissiones tuæ. Quænam emissiones tuæ, nisi locutiones et actiones tuæ, gestus, et incessus tui, motus quoque tui exteriores, quibus ad hominum exterius notitiam exis ? Et hæ tuæ emissiones paradisus sint ; B ut in incessu, statu, et in omnibus motibus tuis, nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum ; sed quod tuam deceat sanctitatem. Quid decet sanctitatem tuam ? nimirum ut paradisus sint hæ emissiones tuæ ; hoc est, ut spiritualibus redundent deliciis, quas sonare dicunt nomen istud, quod est paradisus ; affatus tuus et actus, status et incessus, habitus et gestus, omnisque tuus exterior motus. Quomodo, inquis, fiet istud ? Audi quomodo fiat. Sit verbum tuum verax et dulce ; opus efficax et utile, status ordinatus, incessus maturus, habitus humilis, gestus honestus ; motusque tuus exterior irreprehensibilis sit. Omnia autem tua et in aperto fraternæ dilectionis militent unitati, et in occulto obtutibus placeant divinis. Ad hoc quoque pertinet, quod C emissiones tuæ paradisus esse dicuntur *malorum punicorum cum pomorum fructibus*. In malo quippe punico, cortex quidem unus, sed multa sunt grana. Ille exterius est ; hæc autem interius sunt. Ab unitate itaque conteguntur, quæ in diversitate meritorum continentur.

VIII. Sit igitur in emissionibus tuis paradisus malorum punicorum, ut quidquid a te auditur, quidquid in te exterius videtur, eo potissimum tendat ne fraternæ dilectionis unitas dividatur ; ne ejusdem unitatis bona jucunditas et jucunda bonitas dissipetur. *Sapientia* quippe, *quæ desursum est, primum quidem pudica est, deinde pacifica* (*Jac.* III, 17) : ut D sic quidem quod agis, teipsum per munditiem honeste, ut pacem nullatenus fraternam per discordiam turbet. Est autem admonitio Domini super hoc, in hunc modum : *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX, 49). Innotescens per hoc, ni fallor, quod illi non placet scientiæ sapor, ubi non adest concordiæ amor : ut merito probabiles esse non debeant emissiones, cum malorum punicorum non adest paradisus. Væ divisoribus unitatis ! Væ perturbatoribus pacis ! Monet Paulus, ut *solliciti simus servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 3). O unitas salubris, sine qua acquiri vel haberi non potest salus spiritualis ! Testis est super hoc multis in locis Scriptura sacra, et scimus quia verum est testimonium ejus. Hinc unam jubetur

Digitized by Google

ovem offerre leprosus (*Levit.* XIV, 10): quia absque simplicitatis unitate et unitatis simplicitate, a pollutionis scabie mundari non valet luxuriosus. Unus quoque erat panis de **255** duabus decimis (*Levit.* XXIV, 5); quia in unitate consistit ad perfectionem animæ et corporis pertinens refectio spiritualis. Unam etiam obtulerunt sancto Job noti ejus et cognati, *ovem, et auream inaurem* (*Job* XLII, 11); quia quicunque illi sunt, qui dolores nostros portant, vel cognitione fidei appropinquant, vel cognatione vitæ conjuncti sunt: tunc ei in oblatione simplicitatis, et obedientiæ spontaneæ placent, cum unitatem concordiæ tenent. Unum in templo Salomonis erat opus in duobus cherubim, quia unitatem nostri pacifici in Ecclesia prædicat utriusque intentio Testamenti (*III Reg.* VI, 25). *Unius* nihilominus *erat cubiti os luteris* (*III Reg.* VII, 31); quia sine unitate sufficere ad salutem non potest, quam format dolor internus, confessio spiritualis compunctionis. *Unius moris inhabitare facit* Dominus *in domo* (*Psal.* LXVII, 7); quia in unius secundum se voluntatis consensu, electos suos commorari in Ecclesia facit. Unus curatum se videns, gratias agit; quia si forte unitate caret, devota etiam omnipotenti Deo gratiarum actio non placet. Unus denique in piscina sanitatem percipit (*Joan.* V, 4); quia si hæc, de qua multa diximus, unitas defuerit, sanitati nec ipsa quoque passionis fides Dominicæ aliquem restituet.

IX. Merito, prout claret ex his, sponsæ emissiones malorum punicorum sunt paradisus; quia tunc deliciis spiritualibus abundat, quas ex se sancta anima ad aliorum vel aspectum, vel auditum emittit, cum nihil in eis penitus exercetur, per quod bona et jucunda charitatis fraternæ unitas dividatur. Sed necesse est tibi, ut id quod de te exterius homo approbat ad exemplum, in te quoque interius occultorum ille inspector acceptet ad meritum, ne forte si, quod absit, aliter tibi contigerit, *semines* quidem *multum, sed colligas parum* (*Agg.* I, 6). Seminare ad operationem, colligere vero pertinet ad remunerationem. Et quid prodest illud præcedere, si istud succedere non contingat? Nam etsi labor multus, sed fructus nullus. Idcirco insistendum tibi summopere, ut hoc coram Deo intrinsecus fulgeat in conscientia, quod coram hominibus extrinsecus nitet in vita. Hoc autem faciet rectitudo intentionis, in ipsis profundis penetralibus cordis, quia homines quidem in nobis compositi mores demulcent; sed ipsum Deum rectæ intentiones demerentur. Unde sponsæ dicuntur emissiones malorum punicorum, non tantum esse paradisus; sed extemplo adjungitur, cum pomorum fructibus. Quæ poma ista, nisi opera sunt nostra? Sed horum fructus pomorum, rectitudo internarum intentionum. Quibus nimirum pomis tunc is fructus veraciter inest, cum bonis operibus nostris recta intentio non deest. Unde apparet quod hi poma sine eorumdem pomorum fructibus habent, de quibus Dominus in Evangelio dicit quod *omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus* (*Matth.* XXIII, 5). Totus itaque in hoc fructus pomorum tuorum consistit, si manus tuas ab omni munere excutiens, ipsum solum in eis, ex cujus munere sunt, et expetis testem, et exspectas remuneratorem. Malorum igitur punicorum paradisus emissiones tuæ sint: sed pomis tuis fructus ipsorum apud te non desint: ut sic quidquid de te forinsecus proximus percipit, in ostensione pacificæ conversationis, fraternæ militet unitati. Quatenus in te illud intrinsecus in rectitudine internæ intentionis, divinæ placeat visioni.

X. In his siquidem plena morum tuorum, quam promisisti, conversio consistit, si et coram hominibus placidus appares in conversatione externa, et coram Deo rectus in intentione interna: ibi quidquid pacis et quietis est exercens, ac per hoc dum nihil perperam agis, dum nihil quod tuum est quæris, soli Deo placens. Bene igitur et congrue, oblato te ipso a te et tradito Ecclesiæ Dei, morum quoque tuorum conversionem promittis; quatenus ab eo, quod ante hanc tui ipsius oblationem et traditionem fuisti, in melius te transferas, et mores, quos hactenus asperos habuisti et perversos, in placidos et compositos convertas. Ad hæc reor pertinere legaliter illam, quam Dominus in libro Numeri, super Nazaræis promulgavit institutionem, quæ talis est: *Vir, sive mulier cum fecerint votum ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare, vino et omni quod inebriare potest abstinebunt* (*Num.* VI, 2, 3). Vir quoque iste perfectus et fortis; mulier vero, imperfectus est quilibet et infirmus. Qui tunc votum, ut sanctificentur, faciunt, seseque consecrare Domino volunt, cum Ecclesiæ Dei se et offerendo tradunt, et tradendo offerunt. Sed tunc hoc eleganter votum adimplent, et effectui voluntatem istam mancipant, cum a vino et omni quod inebriare potest abstinent; quia tunc solum salubriter se Ecclesiæ Dei offerunt et tradunt, cum mores suos convertunt. **256** Nam quasi quoddam est, juxta hunc sensum, malum vinum perversitas morum. Quæ profecto morum perversitas, non in sola consistit detractionis asperitate, sed in ipsa quoque adulationis vanitate. Nunc in asperitatem detractionis per impatientiam prosiliunt; nunc vero in vanitatem adulationis quasi ad gratiam se inflectunt. Hæc est Egyptiorum esca bifaria, quam sibi in mentem venire asserunt, qui in eam regionem corde redeunt: quorum vox hæc est: *In mentem nobis veniunt cucumeres et pepones* (*Num.* II, 5), et in his dulcedo notatur adulationis. *Porrique et cepe, et allia* (*ibid.*); et in his amaritudo exprimitur detractionis. Utrumque vero malum istud, et vinum istud, de quo modo agimus, innuit ut ab illo abstineant Nazaræi, sicut lex præcipit; quatenus nec per detractionem insaniant furibundi, nec per adulationem se resolvant emolliti. Est enim vinum detractionis est et vinum adulationis. De primo quippe dicitur: *fel draconum vinum eorum* (*Deut.* XXXII, 33), eorum vide-

Digitized by Google

liect qui moribus incompositi sunt : qui ob derogationem qua in proximos suos sæviunt, per crudelitatis furorem draconibus similes sunt. Subjunctumque est : *et venenum aspidum insanabile* (*ibid.*), propter quod, flatu locutionis virulento ac mortifero, suos hic furor eorum auditores occidit. De secundo vero vino Salomon in Proverbiis dicit : *Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus* (*Prov.* xxiii, 31). Vinum hoc idcirco, ut arbitror, flavescere dicitur, quia adulatio blanditur. Cujus nimirum in vitro color splendet, quia ejus fallacia sub doloso fucatæ locutionis decore nitet. Sed ne intuearis vinum hoc, etiam cum hoc modo splenduerit in vitro color ejus; quatenus non approbes suavitatem adulationis, cum fulserit sub sermone deceptorio dolus illius. Adjunxit et causam quare intueri non debeamus vinum istud : *ingreditur* enim *blande, et in extremo mordebit ut coluber* (*ibid.*, 31, 32). Suave quidem et decorum admodum vinum hoc, sed morsus in fine inest ei perniciosus.

XI. Sic vero ab hoc gemino malo mores tuos habeas immunes. Abstine ab hoc vino, nec eo inebrieris tu, nec alios tu inebries. Subjunxit lex : *Acetum ex vino, et ex qualibet alia potione, et quidquid ex uva exprimitur, non bibent* (*Num.* vi, 35). Acetum hoc fraudulentia est. Impletam dicit evangelista spongiam aceto (*Joan.* xix), quia replevit diabolus populum Judæorum fraude et dolo. Et quid est, quod ex uva exprimitur, nisi exemplum pravum, quod ex amaritudine nefariæ operationis emittitur? De hac uva in Cantico Deuteronomii ita dicitur : *Uva eorum, uva fellis* (*Deut.* xxxii, 32), id est : opus eorum, opus amaritudinis. Acetum istud tu, qui sanctificando et consecrando te Domino obtulisti, et tradidisti teipsum Ecclesiæ Dei, non bibas; et quod exprimitur ex uva non comedas : ut eorum, qui in moribus incompositi sunt, nec fraudulentia delecteris, nec operationem nefariam imiteris. Itaque jam te obtulisti et tradidisti Ecclesiæ Dei, intende conversioni morum tuorum; converte eos, ut longe alii sint amodo, quam hactenus fuerunt. Obtulisti et tradidisti non modo te, sed etiam, si tamen aliquid per hoc amplius et expressius notari potest, teipsum : quia et quod intra, et quod extra te est, universum. Quod autem restat perfice, mores videlicet tuos converte : ut alius amodo in iisdem tuis moribus sis, quam usque modo fuisti.

XII. Et accipe, si placet, egregium in Magis illis, qui ad Christum, stella duce, venerunt, exemplum super his. *Munera Domino obtulerunt* (*Matth.* ii, 12), et in regionem suam reversi sunt; sed *per aliam viam reversi sunt* (*ibid.*), quia, ne redirent ad Herodem, ab angelo admoniti sunt. Et quæ munera obtulerunt? Aurum, thus, et myrrham : tria hæc. Et hæc fortassis ad tui oblationem pertinent. Obtulisti siquidem teipsum, animam scilicet tuam, et corpus. Duo prima, si tibi videtur, refer ad animam tuam; tertium ad corpus. Siquidem gemina quædam vis ab *illo Patre luminum, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit* (*Jac.* i, 17), animæ nostræ collata est; claritas videlicet rationis, et suavitas affectionis. Illa ad agnitionem, hæc autem pertinet ad amorem. Ad virtutem ista, illa ad veritatem. Per illam eligimus quod verum est, ne per errorem deviemus; per hanc diligimus quoque quod bonum est, ne per teporem inanescamus. Et si tibi videtur, illam denotat claritas auri; hanc quoque suavitas thuris. Nulli vero in dubium venit, quin per myrrham carnis mortificatio figuretur. Itaque teipsum offerens, et aurum obtulisti, per rationem, agnoscendo verum; et thus, per affectionem, diligendo bonum; myrrham quoque, per mortificationem, exstinguendo peccatum **257**. Sed noli redire ad Herodem, sed per viam aliam in tuam revertere regionem : quatenus odiens eam quæ carnalis est, maculatam tunicam, quam designat nomen istud Herodes, quod *pellis gloriam* sonat, alios de cætero in conversatione tua mores habeas, quam antea habuisti.

XIII. Exuere igitur contagiis vetustatis antiquæ, et sanctæ novitatis indue decorem. Mutetur odium in charitatem, discordia in pacem, superbia in humilitatem, invidia in benignitatem; in mansuetudinem ira, in tranquillitatem inquietudo; perturbatio in lenitatem, obscuritas in serenitatem, acedia in hilaritatem, obduratio in compassionem, crudelitas in misericordiam, pertinacia in consilium, hebetudo in intellectum, pusillanimitas in fortitudinem, pavor in audaciam, obstinatio in timorem, levitas in constantiam, scurrilitas in maturitatem; in providentiam præcipitatio, rancor in pietatem, in sollicitudinem negligentia, asperitas in planitiem, in alacritatem torpor, hypocrisis in puritatem, in severitatem adulatio, in suaviloquium clamor. Et inter hæc omnia, in dulcedinem amaritudo. Sic oblato auro, thure, et myrrha, non redibis ad Herodem conformatus *huic sæculo*; sed per aliam viam reverteris in regionem tuam, reformatus *in novitate sensus* tui; *ut* probes, *quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta* (*Rom.* xii, 2). Quod, ni fallor, nihil aliud est, nisi oblato a te, et tradito teipso Ecclesiæ Dei, morum tuorum, his, quibus in hoc sermone docuimus, modis intendere conversioni : quam teste Ecclesia promisisti Deo, cui est honor et gloria in sæcula. Amen.

SERMO VII.

De stabilitate loci in professione promissa, et qualiter hæc sponsio tenenda sit. De mercede famulatus temporalis, ac æterni. De stabilitate primæ professionis servanda; et quibus de causis transitus ad alium ordinem sit consultus, vel licitus.

Synopsis sermonis. — 1. Deo atque dominis temporalibus impensæ servitutis, et repensæ mercedis discrimen. — 2. Ob mercedem æternam, quæ Deus est, homo se donat et offert Deo, intentione bona, cum proposito perseverandi. — 3. Promissa Deo conversio morum, et in loco stabilitas perseveranter tenenda. — 4. Transitus ad alium ordinem, etiam rigidiorem, inconsultus ob suspe-

Digitized by Google

ctam sui ipsius infirmitatem, quæ deinde per levitatem in pluribus proditur. — 5. Altera petenda ratio a palliato perfectionis desiderio: quod philautia et turbulentus animus prætendit. — 6. Postremo dissuadetur transitus ob scandalum consodalium, vel damnum a te prudente vel fatuo oriturum. — 7. Salubre consilium, si quando prælati vel contubernalium mores videantur esse contrarii, aut observantiæ vivendi inutiles. — 8. Inter causas licitas discedendi ad alium ordinem, prima est ad peccatum inviti pertractio, vel voti solvendi remora. — 9. Secunda est implacabile odium cohabitantium, exemplo sanctorum. — 10. Tertia est ad cujusdam Ecclesiæ regimen canonica electio, aut assumptio. — 11. Quarta est perfectioris et rigidioris vitæ desiderium: ubi tamen animi sui inconstantiam suspectam quisque habeat, cum desiderio salutis propriæ et pacis fraternæ. — 12. Anacephalæosis cum parenætica.

I. Reges, fratres charissimi, et principes possunt, et debent vocari, qui universitatis auctori Deo omnipotenti medullitus student famulari. Illi quippe devote servire, sublimiter regnare est; ipsum agnoscere, vivere est; illique adhærere, summa felicitas est. Sic regnantem non inflat tumor; sic agnoscentem non obscurat error; sic adhærentem satietas non divellit, nec dissolvit tepor. Et certe videmus incessanter, quanta diligentia homines hominibus, pauperes divitibus serviunt; quantumque eis, in assiduis obsequiis, placere contendunt. Non agonia cordis, non labor corporis, non fatigatio itineris, non asperitas frigoris, non ustio caloris, non doloris anxietas et mœroris; non famis cruciatus et sitis, non terræ periculum et maris: non ipse denique nonnunquam metus corporeæ mortis inferre valet eis impedimentum, quin totum se impendant in obsequium dominorum suorum. Et in his omnibus multi multoties ignorant, quam, **258** qualem, quantamve, et quando, pro tanta devotione, percipient mercedem. Quamnam vero, et qualem, quantam et quandocunque eam percipient, hoc indubitanter sciunt, quia temporalis erit et temporaliter collata. Quantum tamen pro ea serviunt? Utique quantum possunt. Quandiu servire proponunt? Certe quandiu vivunt. Huic igitur devotioni, quam, ut placeant homini, impendunt; sola, ut ex his datur intelligi, et mors imponere solet terminum, et impossibilitas inferre defectum. Videmus itaque eos, in obsequiis dominorum suorum, se impendere, et ut eis placeant tota mente desiderare, et in utroque usque ad mortem perseverare. Et o devotio magna! Nam quæ major vel est, vel esse potest, quam impendere aliis quidquid sunt, et quandiu sunt, et hac maxime de causa, quam modo monstravimus?

II. Magnæ igitur insunt devotioni huic, donum, intentio, propositum: tria hæc. Et donum quidem perfectum, intentio bona, propositum perseverans. Merces tamen ejus et in tempore confertur, et in tempore terminatur. Et quorsum ista? Ut perpendas, mi frater, quam debeas esse impiger tria hæc, in tua erga Deum devotione exercere, cum merces tua æterna futura sit. Nam collata in fine, durabit A sine fine. Ipsum quippe habebis mercedem, cui modo perseveranter, et te ipsum totum largiris, et placere medullitus concupiscis. Qua mercede quid sublimius est? Hic est Dominus Deus tuus, qui seipsum tibi dabit in præmio, pro quo laboras in merito cui nihil exæquari potest. Habet namque bona et pulchra, suavia et dulcia, quæ pariter et supra numerum multa, et supra mensuram magna sunt: nihil tamen seipso melius, vel pulchrius; suavius, vel dulcius. Et quia hoc nimis parum est, nihil tam bonum vel pulchrum; nihil tam suave vel dulce. Hoc utique bonum, bonorum omnium optimum: hoc pulchrum, omnium pulchrorum pulcherrimum: hoc suave, omnium suavium suavissimum: hoc dulce omnium dulcium dulcissimum: utpote B quod sua est ipsius bonitas, et pulchritudo; suavitas, et dulcedo. Quidquid illud est, ad quod suspiramus, hoc, inquam, excellenter habebis in præmium felicitatis, si ei teipsum modo totum dones, eique soli, præ omnibus quæcunque sunt, placere affectes. At opus summopere, ut tuo huic tam dono, quam operi perseverantia adsit, quæ sola æternitatem meretur, sine qua æternitas non confertur. Et hæc tria sunt, quæ in professione tua promisisti. Utrum autem hæc *vota tua reddere, quæ distinxerunt labia tua* (*Psal.* LXV, 14), studeas, tu videris. Si enim de dono tuo quærit aliquis, ecce hæc tua verba sunt: *Ego frater. N. offerens, trado meipsum Ecclesiæ Dei.* Si vero de intentione, ideo te obtulisti et tradidisti, ut Deo placeas; cui nullatenus C placere potes, nisi morum tuorum conversioni intendas. Si denique de proposito, ipsum est perseverantiæ, de qua subjunctum est: *et stabilitatem in loco.* Teipsum igitur obtulisti, et tradidisti, conversionem morum tuorum promisisti: vide ut in dono, et promisso tuo fidelis sis, ne vel quod dedisti, auferre præsumas; vel quod promisisti, reddere negligas. Idcirco oblato et tradito teipso, promissa et conversione morum tuorum, confestim et stabilitatem in loco promisisti: quatenus utrumque propositi perseverantia firmet, et donum videlicet perfectum, et intentionem bonam.

III. *Mittens* sanctus *Job*, *sanctificat filios suos, consurgensque diluculo, offert holocausta per singulos* D (*Job* I, 5). Sed attende, quod sic dicitur facere *cunctis diebus* (*ibid.*). Vide si non oblatio holocausti tui ipsius traditio sit; filiorum sanctificatio, morum tuorum conversio: quia quod sic dicitur cunctis diebus fieri, ad stabilitatem nimirum non dubitatur posse non inconvenienter referri. Sed dicenti hæc respondet fortassis mihi cogitatione tacita aliquis vestrum: Scio omni bono operi perseverantiam necessariam esse, ut dignum æterna possit esse mercede. Attamen de stabilitate hac non puto hic mentionem fieri, sed de stabilitate loci. Nam ita se habet ipse ordo verborum: *Promitto conversionem morum meorum, et stabilitatem in loco.* Et cum ita sit, dic, quæso te, si tanta mihi tenenda est diligentia stabilitas in loco, quanta et in opere bono? Cui eg-,

Digitized by Google

hoc modo ad hæc : Hoc est opus bonum, ut in eo maneas loco, in quo te Deo promisisti servaturum. Et ille : Non votum meum frango, si eum desero. Quomodo, inquam, non frangis, cum ab eo discedere præsumis, in quo te constat stabilitatem tuam promisisse? **259** Si te stabilem in eo fore pollicitus es, cum ab eo discedens instabilis es, quomodo non voti tui violator es? Quid ergo, inquis, usque ad finem vitæ meæ obnoxius tenebor huic sponsioni? Nunquid alicujus non poterit sponsio hæc finiri temporis meta, sicut nec illa, qua vovi conversionem morum meorum? Cur, inquam, ante mortem tuam aliqua eam terminaret temporis meta, sicut nec illam, qua teneris obnoxius insistere conversioni morum tuorum, cum sicut illam, sic et istam te constet promisisse? Nam sicut ipse paulo ante attestatus es, ita se habent verba promissionis tuæ : *Ego frater offerens, trado meipsum Ecclesiæ Dei, et promitto conversionem morum meorum, et stabilitatem in loco.* Promitto, aisti, morum meorum conversionem, et in loco stabilitatem. Ergo et illam, et istam. Non magis in promissione tua, fit mentio in verbis istis alicujus metæ temporalis in una, quam in altera. Sed scio, inquis, quod semper debeo intendere, ut mores mei, et de malo in bonum, et de bono in melius convertantur. Verum nunquid ante vitæ meæ finem non possum domum, in qua nunc sum, deserere, et alio, cum voluero, transmigrare? Non potes, inquam. Et iste : Quare non possum? Quare stabilitatem promisisti, inquam, in loco. Et ego, inquis, quotidie innumeros video non solum in alio loco, sed in alio esse ordine quam in quo professionem suam fecerunt? Unde mihi liquido apparet, quidquid tu dicas, quod licite potest locus professionis deseri, et aliud expeti : quod si hoc licite fieri non posset, quidam profecto ex eis nec de loco et ordine suo egrederentur, nec alias [*forte pro* alibi] reciperentur. Nam tales inter eos cognosco, tam videlicet scrupulosos ac de sua salute sollicitos, ut etsi ob magnam, qua pollent, probitatem alibi recipi possent, ne tamen in hoc, modo aliquo Deum offenderent, nullo modo egredi vellent : quin potius ad hoc egressi sunt, ut Deo omnipotenti plus placerent. Ego autem ad hæc dico tibi, quia quod vovisti, cogeris reddere : alioqui dissentirem ab eo qui dicit : *vovete, et reddite* : Hoc est, si voveritis, reddite. Quid reddite? Quod promisisti. Idcirco si vovisti stabilitatem in loco, esto stabilis in eo : nam tu, qui vovisti stabilitatem in domo tua, meo quidem consilio, eamdem domum, quantum ad te duntaxat pertinet, ante vitæ tuæ terminum non dimittes.

IV. Quid, inquis, si majoris perfectionis et rigidioris ordinis desiderio, inspirante Domino, succensus, vitam meam emendare et conversionem meam voluero augere? non alio, ubi id faciam, ut transmigrem, non consulis? fortassis, inquam, non consulo. Quare, inquis? Primum, inquam, quia suspectam habeo infirmitatem tuam; ne forte, qui A potes sufferre ordinem istum, non possis sufferre illum. Novi enim quamplures, qui dum sedentes omiserunt computare sumptus, si haberent ad perficiendam novam et præcelsam perfectionis turrim, quam eatenus ædificare aggressi non sunt, posito fundamento perficere non valentes, hoc illusionis verbum audire meruerunt : *Hi homines cœperunt ædificare, et non potuerunt consummare* (*Luc.* XIV, 30). Et tunc revertentes cum rubore ad ordinem et locum, quem nimis temere et minus provide, et idcirco nimis temere, quia minus provide, deseruerant, et minus fortassis gratanter suscepti, et minus extunc honorifice habiti sunt. Quidam vero ad priorem reverti locum et ordinem erubescentes, aliam domum et ordinem adiere, ac in ea forte ma- B nere et eum tenere vel nolentes, vel non valentes, adhuc ad domum aliam et ordinem alium migravere : sicque vento leviores et instabiliores effecti, quasi multa fercula gustaverunt, nec se uno refecerunt : dumque ubique religiosi esse voluerunt, religiosi quoque nusquam fuerunt. Quidam etiam nec ad priora redierunt, nec ad alia sanctæ religionis exercitia se transtulerunt; sed propriæ levitatis pondere oppressi, et ad ima sensim ac paulatim vergentes, vel in quemdam teterrimum spiritus torporem, omisso penitus omni proposito ulterius in aliquo proficiendi sunt prolapsi : vel ad sæculum quoque, desperantes semetipsis [*al.* in semetipsis], abjectaque omni sanctæ verecundiæ venustate, revertentes; morte postmodum ex improviso superveniente, post modicum miserabiliter sunt C intercepti. Rectene isti incesserunt, qui ad talem finem pervenerunt? Nam visa quidem fuit eis recta via hæc; sed novissima ejus duxerunt **260** ad mortem (*Prov.* XIV, 12). Et hæc prima causa est, quæ mihi persuadet ne consulam ut alio discedas, etiam majoris perfectionis et rigidioris ordinis desiderio succensus.

V. Secunda autem similis est huic. Suspectam habeo pusillanimitatem tuam. Vereor enim quia pro eo, quod carnalibus et stolidis voluntatibus tuis hoc in loco resistitur, alio migrare velis; ac ne forte alii discessum tuum causentur, vel etiam a teipso, sicut vere est, reprehensibilis videatur, sub vela- D mine mendacii pallies cujusdam falsæ intentionis, melius ac perfectius in eo, ad quem migras, loco vivendi, quam in isto vivis vel vivere potes loco, in quo modo es. Nonnullos quippe multoties vidi, quibus, cum in eorum desideriis vel fratres vel prælati sui resisterent, statim irati, ut alibi perfectius et districtius viverent, migrare volebant. Et ecce mox, ut tempus iræ et perturbationis pertransiverat, satis districtus eis visus est ordo suus, nec discedere quoquam volebant. Et bonum quidem eis ut discederent, sed si secum seipsos non circumferrent. Nunc autem, quia secum ubique seipsos circumferunt, semper alibi incurrunt, quod hic fugiunt, et perturbationi in loco alieno approximant, a qua in suo se elongant. Sæpe vero, cum præcioites vitæ

Digitized by Google

districtioris viam arripiunt, in illud quoque detestabile malum et ipsi corruunt, in quod eos multotes corruere diximus, de quibus ante breviter egimus. Et hæc causa secunda est, ob quam consulere non audeo, ut majoris saltem perfectionis desiderio et obtentu deseras domum tuam. Non enim bonus potest esse finis, cujus corruptum principium est. Et fallit quidem te opinio tua, nec ibi reperies quod quæris, sed verum est vulgare proverbium illud : Putat omnis homo aureos esse in alterius thalamo corvos.

VI. Tertia vero causa hæc est. Timeo ne per discessum tuum, aliquod eis, qui post te remanent, vel scandalum inferatur, vel damnum. Scandalum, dum eos deseris et ad alios accedis : quasi vel pro nihilo, vel pro modico habenda sint, quæ apud eos ordinis instituta sunt. Clamare namque quodammodo tuus videtur discessus, quod nec eos, nec quæ apud eos sunt, multum approbes. Si enim approbares, cum eis forsitan maneres. Damnum vero : ne cum sis domui in qua es, valde necessarius, prægrande ei damnum inferas in eo, quod te ab illa absentes. Nosti quod dicit Christus Dominus in Evangelio, cum de virginibus loquitur : quarum *quinque prudentes, quinque vero fatuas fuisse* affirmat (*Matth.* xxv, 2). Sive autem tu fatua, sive prudens virgo sis, magnum procedet damnum ex discessu tuo. Nam si fatua es, damnum inferet discessus tuus tibi ipsi; si vero prudens, inferet domui tuæ. Itaque si fatua es, non consulo penitus ut quoquam discedas de domo tua ; ne forte fatuus sit fatuæ egressus. Si autem prudens, tunc quam maxime consulo ut remaneas : ut matri tuæ, quæ te concepit et genuit, domui videlicet tuæ, tua præ cunctis aliis prudentia succurrat. Quæ enim alia domus tua, si quam habes, prudentia dignior est uti, quam mater tua, quæ te portavit, quæ te fovit, quæ te ad perfectam morum maturitatem perduxit, quæ te ad hanc quam nunc habes prudentiam provexit? Sive ergo sis prudens, sive fatua virgo, non consulo ut quoquam discedas; quia, si fatua es, indiges domo tua; si vero prudens, domus tua indiget te. Hucusque ego; at ille ad hæc : Si prælatorum, et fratrum meorum tam contrarii mihi mores sint, ut cum pace in domo mea remanere non possim, nonne melius est alio, ut cum amore et pace sim, etiam prohibente prælato meo, migrare, quam cum rancore et odio remanere? Hoc est, inquam, quod paulo ante dixi : timere videlicet me ne forte impatientia tua magis sit causa, et occasio tuæ discessionis, quam desiderium perfectionis majoris. His autem de duobus, super quibus modo sciscitatus es, nescio quomodo respondere tibi possum, quod eorum sit melius, cum neutrum sit bonum. Quæris utrum per inobedientiam debes discedere, an cum ira et odio remanere. Idem profecto esset; cum a me quæreres utrum melius tibi esset, incendio perire, an præcipitio. Etenim ureris, si cum odio remanes : et præcipitaris, si absque licentia discedis. Quodnam istorum est bonum, uri vel præcipitari? **261** Neutrum, inquis. Sed cum utrumque sit malum, quod, quæso, istorum minus est malum?

VII. Et ego : Quod istorum, inquam, magis desideras? videlicet, an ut tibi ostendam, quomodo non quidem moriaris, sed tamen ægrotes : an quomodo ita plene cureris, ut amplius non infirmeris? Et ille : Sicut, inquit, de duobus malis, magis eligo morbum quam mortem : sic de uno bono, et alio malo, magis eligo curari, quam ægrotare. Vis ergo, inquam, ut ostendam tibi quomodo potes reprobare malum et eligere bonum? qualiter videlicet te potes habere, ut necesse tibi non sit ad devitandum quod est pessimum, facere quod minus est malum, sed quod plene est bonum? Volo, inquit, atque inhianter desidero. Et ego : Si tuorum, inquam, fratrum, prælatorumve contrarii tibi mores sint, bonis tuis moribus pravos eorum mores emendare studeas. Noli *temetipsum defendere, sed da locum iræ. Noli vinci a malo eorum; sed in bono vince eorum malum* (*Rom.* xii, 26, 27). Tumorem videlicet eorum vince humilitate; iracundiam eorum, mansuetudine ; æmulationem, benignitate ; perturbationem, lenitate; odium, charitate. Cum beato Job *frater esto draconum et socius strutionum* (*Job* xxx, 29). Si ita necessitas exigeret, Abel cum Cain habita, cum Ismaele Isaac, cum Esau Jacob. Eorum namque tibi magis prodesse quam obesse poterit malitia, si tua tibi non defecerit patientia. Hæc dicenti si mihi non credis, audi quale super his consilium cuidam Lanzoni, noviter apud Cluniacum facto monacho, venerandæ memoriæ Anselmus dedit (285), tunc temporis Beccensis Ecclesiæ prior, postmodum vero ejusdem monasterii Abbas, ac processu temporis archiepiscopus Ecclesiæ Cantuariensis. *Ingressus es*, inquit, charissime, *professusque militiam, in qua non solum aperte obsistentis hostis violentia est propellenda, sed et quasi consulentis astutia cavenda. Sæpe namque, dum Christi tironem vulnere malæ voluntatis, aperte malevolus non valet perimere : cum poculo venenoso rationis malevolæ callidus tentat exstinguere. Num cum eum,* inquit, *obruere, vitæ, quam professus est, odio nititur, eum conversationis, in qua est, subruere fastidio cónatur.* Et licet illi monachicum propositum tenendum quasi concedat, tamen quia sub talibus, aut inter tales, aut in eo loco incœpit, illum stultum nimis imprudentemque multimodis versutiis arguere non cessat, ut, dum illi persuadet, accepto Dei beneficio, ingratum insistere, justo judicio nec ad meliora proficiat, nec quod accepit, teneat, aut in eo inutiliter persistat. Quippe dum incessanter laboriosis cogitationibus demutando, aut si mutari non valet, saltem de improbando initio meditatur; nunquam ad finem perfectionis tendere conetur. Nam quoniam illi fundamentum, quod posuit, displicet, nullatenus illi structuram bonæ vitæ superædificare libet. Unde fit ut, quemadmodum arbuscula, si sæpe

(285) Exstat epistola hæc apud Surium in Vita ejus, 21 April

Digitized by Google

plantetur, aut nuper plantata in eodem loco crebra convulsione inquietetur, nequaquam radicari valens, ariditatem cito contrahit, nec ad aliquam fructus fertilitatem pervenit; sic infelix monachus, si sæpius de loco ad locum, proprio appetitu mutatur, aut in uno permanens, frequenter ejus odio concutitur, nusquam amoris stabilitus radicibus, ad omne utile exercitium languescit, et nulla bonorum operum ubertate ditescit. Cumque se nequaquam in bonum, sed in malum proficere perpendit, si tamen forte hæc recogitet, omnem suæ miseriæ causam, non in suis, sed aliorum moribus justis intendit: atque inde ad majus odium eorum, inter quos conversatur, infeliciter se accendit. Quapropter, quicunque cœnobitarum forte propositum aggreditur, expedit ei, ut in quocunque monasterio professus fuerit (nisi tale fuerit, ut ibi malum invitus facere cogatur), tota mentis intentione, amoris radicibus ibi radicare studeat, atque aliorum mores ac loci consuetudines, si contra divina præcepta non sunt, etiamsi inutiles videantur, dijudicare refugiat. Gaudeat se jam invenisse, ubi se non invitum, sed voluntarium tota vita mansurum, omni transmigrandi sollicitudine propulsa, deliberavit, ut etiam ad sola piæ vitæ exercitia exquirenda sedulo vacare possit. Quod si sibi videtur majora quædam ac utiliora spirituali fervore appetere, quam illi præsentis monasterii institutionibus liceat, æstimet aut se falli, sive præferendo paria paribus, vel minora majoribus, sive præsumendo se posse quod non possit, aut certe credat se non meruisse quod desiderat. Quod si fallitur, agat gratias divinæ misericordiæ, qua ab errore suo defendatur: ne sine **262** emolumento, aut etiam cum jactura, locum, vel vitæ ordinem mutando, inconstantiæ levitatisque frustra crimen subeat; aut majora suis viribus experiendo fatigatus, deterius in priora, aut etiam in pejora prioribus deficiat. Si autem vere meliora illis, quam quæ in promptu sunt, nondum meritus optat, patienter toleret divinum judicium, quod ulli aliquid injuste non denegat, ne per impatientiam Judicem justum exasperans, mereatur quod non habet, non accipere; et quod accepit, amittere, aut quia non amat, inutiliter retinere. Seu vero misericordiam, sive judicium erga se in illis, quæ non habet et optat, persentiat, lætus ex his quæ acecpit, largitati supernæ gratias dignas persolvat. Et quia ad qualemcunque portum, de procellosis mundi turbinibus potuit pertingere, caveat in portus tranquillitatem, ventum levitatis et impatientiæ turbinem inducere.

VIII. Et ille ad hæc: Dic, quæso te, si aliquæ causæ sunt rationabiles, quibus intervenientibus, liceat mihi a loco, in quo professionis vinculo ligatus sum, recedere? Sunt, inquam. Et prima quidem est, si tales fuerint ipsi, cum quibus degis, ut ad peccatum te pertrahant invitum. Nam, si tales fuerint, tunc consulo ut alio migres, uti Deo placere valeas. Si domus quippe tuæ tam perniciosæ ac pestiferæ consuetudines fuerint, ut tuus tibi prælatus, atque cohabitantes, quod promisisti in professione tua, implere non permittant, non tibi, ut arbitror, damnabile erit, si alio, ubi secundum hoc quod promisisti vivas, humiliter discedis. At ille: Quid si mihi prælatus meus prohibuerit discedere? Et ego: Quid si tibi prohibuerit secundum id quod promisisti, vivere? Utrobique, inquit, periculum. Si discedo, per inobedientiam offendo prælatum; si remaneo, quotidie votum quod vovi infringo. Num, inquam, in his quæ saluti tuæ contraria sunt obedire debes? Et ille: Quid si me excommunicet pro eo quod discedo? Tum ego: Quid si te Dei communione privat in eo, quod te votum tuum negligere facit? Sed sententia, inquit, pastoris timenda est, sive justa fuerit, sive injusta. Et ego: Nunquid si timenda, idcirco semper tenenda? Et si semper tenenda, qualis ipse tibi pastor est, qui ea te pascua habere non sinit, sine quibus nec in vita præsenti spiritualiter, nec in futura felliciter vivere vales? Tum ille: Quid, quæso, de hac re definis? Et ego: Si damnationem times, quod recedendo frangis præceptum, magis timere damnationem debes, quod remanendo frangis votum. In omnibus namque, quæ a prælatis promulgantur, præceptis et prohibitis diligenter est considerandum utrum secundum Deum promulgata fuerint, an non. Quia, si secundum Deum, cum omni devotione obedienter suscipienda, et pro posse ac nosse prompte ac sponte implenda sunt; si autem contra Deum, beati Petri indubitanter est sequenda sententia; qui Scribis et Pharisæis Deo contraria jubentibus, cum magna auctoritate respondit, dicens: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (*Act.* v, 29). Culpæ profecto inobedientiæ non poterit deputari, si pro eo quod obedis Deo, inobediens exstiteris homini; quia nec virtuti obedientiæ deputandum est, si obedis homini magis quam Deo. Sicut ergo locus, quandiu secundum Dei voluntatem in eo vivere vales, deserendus non est, ita nimirum, et quando contra Dei voluntatem in eo vivere cogeris, nihilominus tenendus non est.

IX. Secunda vero causa est, si tanto erga te fuerint odio et furore commoti, ut nullo modo eorum lenire possis furorem: maxime autem, si constiterit te non meruisse ut tanta invidiæ vesania in te debuerint debacchari. Cum enim detestabile malum hoc plene possederit mentem, tabe ejus medullis infusa, magis semper ac magis tumere non cessat, quandiu illum, erga quem commotus est, coram se præsentem habet. Perfunditur, et inflatur veneno isto mortifero pectus, ignescunt oculi, labia tremunt, torquentur viscera, et toties quasi lethali virulenti gladii cuspide pungitur, quoties eum adversus quem commotus est conspicatur. Vehementer illi displicet quidquid in illo videt, cui totum invidet, interpretans in malum quod in eo conspicit bonum. Unde et locum viri sancti mutare solent, cum in se invidos furere vident; non quod eorum, quantum ad se, furorem pro magno habeant; sed ne, interveniente augmento vesaniæ suæ, deta-

Digitized by Google

riores fiant. Magis quippe eligunt loco cedere, quam, dum pro eorum præsentia virus in eis augetur furoris, causa eis vel in hoc fiat majoris perditionis. Hinc iram fratris sanctus Jacob non minus sapienter **263** quam humiliter mutando locum, declinavit: non ignorans quod eadem ira magis ac magis augeretur, si corporalis præsentia non subtraheretur. Sanctus quoque Pater ac monachorum dux beatus Benedictus, cum interdum erga eum commotus livore presbyter quidam torqueretur, ut discipulorum quoque animas, causa illius ad peccatum quantum in se fuit alliciens, persequeretur, locum deserens, prudenter ac mansuete suam præsentiam subtraxit, ut, dum præsentem, cui damnabiliter invidebat, non cerneret, animarum sitiendo sanguinem, in livoris quoque malitia, aliquo modo minor esset. Sic et tu, cum forte aliquem, veneno pestifero inflatum ac perfusum contra merita tua vides, utpote in quem, nec usquam nec usquam deliquisti, idque tali persecutione, ut eum nullis penitus modis corrigere valeas; non magnum, ut mihi videtur, reatum incurris, si consilio et assensu majorum tuorum, locum ad tempus humiliter mutas; hac quoque intentione, ut suum in aliquo tua saltem absentia imminuat furorem.

X. Sed et locum tuum, ut ego arbitror, mutare potes, in quo professionis es vinculo ligatus; si ad alicujus fueris regimen Ecclesiæ canonice electus. Et huic quidem causæ tertiæ nullatenus prælati, vel conventus resistere debebunt, si et electionem tuam canonicam perspexerint, et te dignum ac idoneum agnoverint, tuamque, ob majorem sanctæ Ecclesiæ utilitatem, absentiam admittere potuerint. Quotquot enim in unitate baptismatis et fidei hujus sumus, magni corporis, quod est Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, sub uno capite, *Mediatore* videlicet *Dei et hominum*, *Deo et homine*, *Domino nostro Jesu Christo* (*1 Tim.* II, 5) in diversitate linguarum, professionum et meritorum; in differentia officiorum et graduum, membra eidem catholicæ matri nostræ, ad honorem præfati capitis et utilitatem membrorum debemus, quidquid vivimus, sumus, possumus et scimus. Nec eorum, qui in ea sunt, ullo modo debet resistere aliquid; cum obsequium partis auctoritas expetierit totius. Quocirca cum sancta mater Ecclesia et te, ut ejus necessitatibus deservias, idoneum agnoverit, et ad regimen suum, electione canonica interposita, assumpserit, et ad hoc dignum judicaverit, professionis quidem tuæ poteris, ut opinor, locum mutare, et alio, ubi id agas, ad quod te vocavit, cum consensu tuorum, inter quos degis, transmigrare.

XI. Præterea locum tuum potes licite mutare, si ad vitam volueris strictiorem et ordinem sublimiorem te transferre. Sed modis omnibus cavendum tibi est, ne in hac voluntate tua propria te impatientia fallat, et ne causam medullitus placendi Deo, eique soli adhærendi, agente falso spiritu, simulans, ipsa tua tibi pusillanimitas veraciter in causa sit, ut id agas. Sunt enim plures, qui quoties irati sunt, alio statim, ut longe supra tetigimus, migrare se velle causa vitæ rigidioris et conversationis melioris asserunt, et est magis impatientia eorum causa, et occasio discessionis, quam desiderium conversationis sublimioris. Quod enim sic apud se sit, ipsi quoque sibi testes sunt, dum abhorrent aggredi postmodum, post modicum pacati, quod antea supra modum arripere festinabant turbati. Nam si pura soli adhærendi Deo eique placendi id prius intentione affectassent, sicut in eis hunc affectum sola non deberet prosperitas creare, ut inciperent; sic nec sola posset adversitas infirmare, ut desinerent. Providendum nihilominus tibi, ut cum prælatorum tuorum assensu, ac tuorum gratia sodalium id agas, quatenus sic sacrificium tuum in odorem suavitatis sit acceptum. Quasi enim quoddam sacrificium est perfectio, quam aggrederis, hujus magnæ conversationis. Cum vero consensus illud spontaneus tam fratrum, quam prælatorum tuorum commendat, quasi magnum quemdam ex se fragrantiæ odorem emittit. Quasi insipidum quippe in mensa ferculum apponis, cum aliquid, nonnunquam etiam bonum, sine pace cohabitantium agis. Siquidem sapor in ferculo, pax est in opere bono. Idcirco primo necesse habes providere ut longe perfectio major et conversatio sit sublimior, ad quam modo suspiras inflammatus, quam illa est quam eatenus exercebas: ut in eo, quod professionis tuæ mutas locum, sanctitatis quoque tibi provenire gratuleris incrementum. Alioquin quid tibi prodest professionis tuæ mutare locum, si sanctitatis tibi per hoc non provenit augmentum. Secundo quoque non minore tibi deliberatione cogitandum est, ne novitas, quam aggrederis sanctitatis, aliis sit scandalum et occasio perturbationis. Tunc enim quod agis **264** bonum est, si sic tuam in eo perquiris salutem, ut per hoc aliis non auferas pacem. Hæc itaque duo in conversationis tuæ exercitio summo tibi desiderio affectanda sunt: effectus videlicet salutis propriæ, et occasio pacis fraternæ. Et hoc primum quidem, quia ad te pertinet: secundum, quia ad proximum tuum: quia primum tu apud te obtines locum, ille vero secundum. Ut enim ait Jacobus, *Sapientia, quæ desursum est, primum quidem pudica est, deinde pacifica* (*Jacob.* XXXIX, 17). Quapropter non tibi putes sufficere ad conscendendum perfectionis fastigium, si sic exerces primum, ut negligas secundum. *Sicut* enim *teipsum*, sic jubet lex ut *diligas et proximum tuum* (*Marc.* XII, 31). Idcirco in omni exercitio tuo sic tuam quære salutem, ut in ea proximi tui non turbes quietem. Si igitur in palato mentis vera scientia sapit, sic non negliges pro posse et nosse exercere, quod, quantum ad proximum tuum, est pacificum; sicut nec illud quod, quantum ad te, est pudicum. Et primum, quia te exornat honestum. Secundo [*al.* secundum], quia proximum pacificat tranquillum. Hæc enim de qua loquimur, quæ de-

Digitized by Google

sursum est sapientia, *primum quidem pudica, deinde pacifica est.* Itaque in exercitio tuo admittens primum, recte quidem offers, et ideo benefacis salutem, quærens propriam; sed omittens secundum, recte non dividis, ac proinde peccas, pacem negligens fraternam.

XII. Eo siquidem tendunt omnia hæc, ut si volueris, inspirante Deo, professionis tuæ, causa vitæ melioris et perfectionis majoris locum mutare, tunc nimirum voluntatem hanc effectui mancipare scias tibi esse salubre, si cum pace et gratia prælatorum, et fratrum tuorum tuus iste fuerit discessus: eorumque tibi in hoc gratus non defuerit consensus. Tertio necesse tibi est ut metiri studeas vires tuas, si forte quod aggredi proponis usque ad debitum finem perducere possis. Ut quid enim tale quid arriperes, super quo illudant te, videntes defectum tuum, et dicant: *Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare?* (*Luc.* XIV, 30.) Igitur ut breviter tria hæc in fine sermonis hujus colligamus, si hanc voluntatem tuam, qua locum professionis tuæ mutare proponis, et puram agnoscis, ut Deo placeat, et pacificam, ut eam proximus acceptet, et moderatam, ut ad debitum finem ejus, effectum tua infirmitas producere queat: non te puto aliquem, quasi votum tuum frangas, incurrere reatum, si, ut sæpe dictum, in quo professionis te vinculo ligasti, non istis atque illis, de quibus supra tetigimus; sed et aliis his non dissimilibus modis, qui nunc animo non occurrunt, mutaveris locum. Non enim video qualiter digne culpandus sis, cui in exercitio tuo causa est salus propria, pax proximi, voluntas quoque Dei, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

SERMO VIII

De eo quod in professione nostra dicimus: secundum Evangelium Christi, et secundum apostolicam institutionem, et secundum canonicam Regulam B. Augustini. De SS. exemplis, et perfectione evangelica, de præstantia, et œconomia vitæ communis. De dilectione Dei et proximi. De animorum et bonorum externorum unitate, et fugienda proprietate.

Synopsis sermonis. — 1. SS. Scripturarum documenta et sanctorum virorum exempla nos recte informant; ignorantiam pigritiamque propellunt. — 2. In professione sui traditio secundum Christi Evangelium: morum conversio secundum apostolicam institutionem: stabilitas in loco secundum Regulam convenienter instituitur. — 3. Summa perfectionis evangelicæ in tribus potissimum consistit: vendere omnia, dare pauperibus, Christum sequi. — 4. Hæc tria qualiter præstanda sint in professione religiosa. — 5. Morum conversio examinanda ad apostolicam normam ac institutionem. — 6. Apostolicæ vitæ perfectio quatuor sibi deposcit præcipua, primo contemptum rerum terrenarum. 7. Secundo vitam ac usum earumdem rerum communem: tertio æquabilem illarum divisionem: quarto unitatem animorum. — 8. Tria priora observantur, ut quartum obtineatur: quod est habere cor unum et animam unam in Deo, et convertisse mores secundum apostolicam institutionem. — 9. Ad Regulam S. Augustini moderanda promissa stabilitas, et quousque hæc servanda. Regulæ in capita duodecim dispartitio. — 10. Dilectio Dei convenienter in primo capite sublimatur **265**: nam Deus ordine et mensura dilectionis virtutum præstantissimæ excedit omnia. — 11. Qualiter in charitate Dei, sui ipsius et proximi se quis habeat; quæ origo, forma et finis totius est legis. — 12. Deinde commendata unitas animorum in Deo; damnanda quæ terrena, animalis, diabolica. — 13. Proprietas non modo temporalis possessionis, sed et suæ voluntatis vetita, nec facile per utramque stat pacis unitas. Quantopere detestanda proprietas, et servanda æqua distributio. — 14. Quid veniat nomine proprietatis, quæ discordiæ est seminarium, unitatis fraternæ exterminium.

A

B

C

D

I. Non minus conveniens, dilectissimi, quam salubre nobis est, ut vitæ nostræ moderamina, juxta sacræ Scripturæ documenta, et sanctorum virorum exempla informare studeamus. Salubre, inquam, quantum ad meritum: conveniens vero, quantum ad testimonium. Ibi quantum ad conscientiam, hic autem quantum ad famam. Nam sanctum quondam, ut scitis, *Jeremiam de lacu funes extraxerunt* (*Jerem.* XXXVIII, 12, 13); sed panni veteres interpositi fuerunt. Et qui funes isti, nisi sacræ Scripturæ præcepta? Et quæ hæc vetustas pannorum, nisi bonorum antiquitas exemplorum? Jeremiam igitur, et funes de lacu extrahunt, et panni veteres, qui sacræ Scripturæ præcepta, et priorum sanctorum exempla, electum quemlibet ab imis malæ profunditatis ad alta sanctæ conversationis levant. Nempe ascendens a convalle plorationis, et cantans primum canticum graduum sanctus David, sancto se instruente Spiritu, dandas sibi novit, et *apponendas ad linguam dolosam sagittas potentis acutas, carbonesque vastatores* (*Psal.* CXIX, 3, 4). Quod nimirum aliud non est, nisi quod sanctus quilibet ad spiritualem tendens sanctitatis profectum, ad devincendam pestiferam fraudulentæ locutionis persuasionem, scivit nihil esse validius, quam jussa Salvatoris efficacia, et quæ vitia destruunt, sanctorum exempla. Hæc itaque duo sunt, quæ sacra in se Scriptura sanctæ ædificationis continet insignia, catholicæ videlicet instructionis hortamenta, et religiosæ conversationis exempla: ut nostram pariter, et illa ignorantiam instruant, ne aberremus, et ista pigritiam excitent ne torpeamus. Quod ergo vel jam agimus, vel adhuc agere aggredimur, tunc nimirum et gravitatis maturitate ponderosum, et veritatis erit examinatione probatum, quidquid fuerit vel in occulto proposito conceptum, vel in aperto facto in lucem productum; juxta id, quod tam sacræ Scripturæ instituunt verba, quam sanctorum virorum informant exempla.

II. Unde et in verbis professionis nostræ, de quibus multa jam in tribus his superioribus sermonibus, diximus, de his aliquid tangere non omittemus, cum de Evangelio Christi, et apostolica institutione, ac Regula sancti Patris nostri Augustini mentionem facimus. Nam hoc modo se habet ipse ordo verborum: *Ego frater N. offerens trado meipsum Ecclesiæ Dei genitricis Mariæ, sanctique illius, et promitto con-*

Digitized by Google

versionem morum meorum, et stabilitatem in loco, secundum Evangelium Christi, et secundum apostolicam institutionem, et secundum canonicam Regulam beati Augustini. Videtis quia tria sunt promissa : et cum sint professionis ac promissionis vinculo firmata ; secundum quædam tria sunt, quæ subsequuntur, promissa. Quæ enim promittuntur, traditio tui ipsius, promissio conversionis morum tuorum, promissio stabilitatis in loco : tria hæc. Quæ vero subsequuntur, secundum Evangelium Christi, secundum apostolicam institutionem, secundum canonicam Regulam beati Augustini : tria hæc. Et notate, quæso, ordinem horum trium præcedentium et subsequentium, si fortassis aliqua in eis possit congruentia reperiri. Primo teipsum tradidisti ; secundo conversionem morum tuorum ; tertio quoque stabilitatem in loco promisisti. Similiter primo de Evangelio Christi ; secundo de apostolica institutione, ac tertio de canonica Regula beati Augustini mentionem fecisti : inaniter et infructuose in loco stabilis manens, si perversus moribus fuisses. Et cum constet quod præ cunctis, in quibus vitæ religiosæ sanctitas consistit, virtutum spiritualium exercitiis, sola sit firmæ perseverantiæ anchora, quæ statum meretur æternitatis, patet, ni fallor, quod non multum morum conversio prodesset, si constantiæ stabilitas deesset. Quid item quantum ad animæ salutem emolumenti conferret, et tuorum te morum conversione fulgere, et in loco stabilem manere, si magis violenter esses per alium in Ecclesiam Dei intrusus, quam grata voluntatis spontaneæ devotione eidem Ecclesiæ Dei, et per propriam oblationem traditus, et per propriam traditionem **266** oblatus ? Sed nec multum putarem fore approbandum, hoc modo te prædictæ Ecclesiæ Dei a teipso et traditum, et oblatum, si te pariter et morum fecisset perversitas reprobatum, et instabilitas vagum. Idcirco quod primo promisisti, tui ipsius oblatio est et traditio ; quod autem secundo, morum tuorum conversio ; quod vero tertio, stabilitas in loco. In primo, devotio notatur spontanea ; in secundo, conversatio honesta ; in tertio, constantia firma. Nimirum ut in primo appareas devotus ; in secundo honestus ; in tertio vero in devotione hac honesta, et honestate devota radicatus. Devotus, ut occulte Deo placeas ; honestus, ut bonum in te exemplum proximo ostendas ; radicatus, ne a bono illo vel quod acceptat Deus, vel quod approbat proximus, tempore tentationis recedas.

III. Quid nobis Christi Evangelium aliud, nisi omnimodam perfectionem manifestat ? Hujus autem tunc perfectionis culmen conscendisti, quando teipsum Ecclesiæ Dei tradens obtulisti, offerens tradidisti ; cujus summam perfectionis ubi uberius quam in Evangelio Christi reperies ? Unde sciscitanti cuidam, quid faciendo vitam æternam possideret, ac legalia se mandata observasse a juventute sua asserenti, ait : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus ; et habebis thesaurum in cœlo, et veni, et sequere me* (*Matth.* XIX, 21). Et attendite quæ dixit necessaria esse ad nanciscendam perfectionem. Utique omnium possessionum venditionem ; earum in pauperes expensionem ; ipsius denique Christi imitationem : tria hæc. Primo, inquit, *vende :* non quidem unum quid, vel duo, vel aliqua ; sed *omnia* quæ habes, ut eorum quæ possides nihil tibi penitus reserves. Secundo *da pauperibus :* ut eorum quæ distraxisti, nec pretium præsumas retinere tibi : sed ea, quibus te privas, egenis expendas. Tertio *me sequere :* ut omnia funditus, quæcunque sunt, propter me mihi non modo non præponens, sed nec ullo modo comparans, ab ipso penitus mentis affectu abjicias, et mihi soli medullitus inhæreas. Primo vende omnia ; secundo da pauperibus : tertio sequere me. Vende omnia, ut universa, quæ mundi sunt, sublimiter contemnas. Da pauperibus, ut proximis tuis misericorditer succurras. Sequere me, ut mihi tenaciter adhæreas. Sic omnia vendens, sæcularem a te vanitatem removes ; pauperibus dans, opus in fratres charitatis exerces : me vero sequens, culmen nimirum internæ puritatis tenes. Nonne tripartito isti exercitio magna tibi videtur inesse perfectio ? Nonne magnum censes perfectionis esse fastigium, spernere mundum, iuvare pro posse proximum, imitari Christum ? Hanc ei evangelizavit idem Dominus noster Jesus Christus perfectionem, qui ab eo quæsivit quid faceret, ut vitam æternam possideret.

IV. Secundum hoc Evangelium Christi teipsum offerens, tradidisti, et tradens obtulisti Ecclesiæ Dei, quatenus causa perfectionis fastigia conscendendi, universis renunties quæ sunt hujus mundi ; indigentiæ succurras proximi ; similitudini quoque te conformes Christi. Quæ omnia vendis, quando pro adipiscendis donis spiritualibus, rebus corporalibus, quantum ad amorem, exueris : eas quidem admittens ad usum, sed excludens ad affectum. Et quasi eorum quæ vendidisti pretium pauperibus expendis, dum per dona spiritualia, quæ mediante plena abjectione temporalium percepisti, non solum corporali, sed et spirituali eorum qui indigent, necessitati proximorum auxiliaris. Teipsum offerens tradis, et tradens offers Ecclesiæ Dei, cum Christo medullitus inhærens, et tenaciter agglutinatus, pia ipsum tam in præceptis quam in prohibitis suis devotione imitaris : sequens eum quocunque ierit, tam in nolendo sine ulla exceptione, quæ non vult admitti, quam in volendo quæ non vult omitti.

Sicque non injuste illam tibi Psalmistæ vocem vindicare poteris, quæ talis est : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (*Psal.* LVI, 8). Hoc est dicere : paratus sum aggredi quod jubes, quod prohibes declinare. *Paratus*, inquam, *et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua* (*Psal* CXVIII, 60) ; tam ea quæ admitti, quam quæ mandas omitti. Sic sic conabor placere tibi in utroque : et cum videlicet insisto devitare peccatum, omne malum nolens ; et cum studeo declinare delictum, jam bona cuncta volens. Et quia *hilarem datorem diligis* (*II Cor.* IX,

Digitized by Google

7), non sum in his turbatus. Idcirco *cantabo, et psalmum dicam* (*Psal.* LVI, 8). Quod canticum istud? Spiritualis hilaritas in mente. Quis psalmus iste? Effectus utilis in opere. Erit utique apud me, inquit, et canticum hilaritatis in corde, et psalmus utilitatis in opere, cum paratus sum sequi in prohibitis, paratus sum et in jussis.

267 V. Sicut autem omnimodam in Christo esse non ambigimus perfectionem, ita et in apostolis morum notamus conversionem. Scimus enim quia eorum aliquis de piscatore prædicator factus est: de telonario in apostolum mutatus est. Et *hæc* quidem *mutatio dextræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI, 11). Sicut autem officia in eis mutata sunt, ita et mores. Doctor quoque egregius, et vas electionis prædicator veritatis, licet non cum duodecim, tamen tempore suo, et ipse ad Christi discipulatum vocatus, de Saulo in Paulum, de persecutore in prædicatorem mutatus est. Et illa quidem mutatio nominis, quidni quædam conversionis morum ostensio fuit? Sicut enim nomine, sic et moribus extunc alius effectus est. Siquidem vivit *ipse, jam non ipse : vivit vero in eo Christus* (*Gal.* II, 20). Jam pro Ecclesia persecutiones tolerat, quas eidem Ecclesiæ inferre solebat; quotidie moritur pro fratribus, quorum antea mortem supra modum sitiebat: *Adimplens ea, quæ desunt passionum Christi in carne sua pro corpore ejus, quod est Ecclesia* (*Col.* I, 24): *quam dudum spirans minarum et cædis, in discipulos ejusdem Christi Jesu Domini nostri* (*Act.* IX, 1), crudeliter devastabat. Itaque in vocatione apostolorum exprimitur conversio morum: ut quos legis a Christo de officio ad officium vocatos, in melius consequenter intelligas mutatos, et ad mores quoque compositos conversos. Secundum hanc itaque institutionem, promisisti morum tuorum conversionem, sicut prius tradens obtulisti, et offerens tradidisti teipsum Ecclesiæ Dei, secundum Evangelium Christi. Et sancta quidem institutio eorum, quia sancti nimirum et ipsi. Neque enim qui sancti fuerunt, aliquid nisi sanctum instituere voluerunt.

VI. Et quænam hæc eorum institutio fuit? Mihi autem videtur, si vobis aliquid forte melius ad præsens super hoc, vel congruentius non occurrit, quod inter cætera, quæ ad salutem subjectorum pertinentia promulgabant, virtutum sanctarum insignia in eorum institutione notari possunt: plena abjectio terrenorum, socialis communio rerum temporalium, quæ ad sublevandam inopiam subditorum erat expendenda; æqua et competens earumdem inter eos divisio, juxta necessitates singulorum; concors denique vicissim unitas, et una concordia animorum: quatuor hæc. Ut autem per ea, quæ his bonis contraria sunt, evidentius ista intelligas, hæc eo nimirum spectant, quatenus scias instituisse eos, ut qui fidem ad eorum prædicationem in primitiva Ecclesia suscepissent, et sine rerum mundialium viverent cupiditate, et sine proprietate, et absque personarum acceptione et sine pacis fraternæ divisione.

A Et putamus de his singulis convenientia posse nos reperire exempla. Legitur in Actibus eorum: *Quotquot autem possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebantur, et ponebant ante pedes apostolorum.* (*Act.* IV, 34). In quibus verbis, quid aliud, fratres mei, diligentia nostra valet notare, quam plenam rerum terrenarum abjectionem? Domos quas habebant et agros vendebant, et in pretia redigebant, quæ ante pedes apostolorum projiciebant. Conjicitur, ni fallor, ex his, quod non multum ea diligebant, quæ venditione interveniente a se alienabant. Nec solum quod parum diligebant, sed etiam quod morum commutationem admodum vilem habebant, quam coram apostolis non alio quam ad pedes projiciebant. Unde B et Aratoris sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi super his verba sunt, quæ hunc habent modum

Destitui debere probant, quod tangere vitant,
Calcandumque docent, quod subdunt gressibus [*aurum;*
De quo terrenæ veniunt ad pectora curæ,
Consimili jactatur humo.

ARATOR. in *Acta. apost.* l. I, v. 406-409.

Igitur contemnenda plane, et quasi conculcanda evidenter ostendunt eorum pretia, quæ vendebantur, dum ea pedibus projiciunt. Eaque nimirum non dissimilia esse humo judicant, quæ illis membris corporum apostolorum prosternunt, quibus humum conculcant.

C VII. *Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia* (*Act.* IV, 32). Ecce socialis terrenarum communio rerum: quam profecto communionem, non sine aliqua expressione, relator horum egregius sanctus Lucas nobis notam fecit in eo, quod asserit, aliquos eorum, haud dubium quin credentium, de quibus præmiserat, non solum non habere aliquid suum, sed nec dicere aliquid esse suum; *Sed erant*, inquit, *illis*, jam non quædam, sed *omnia communia*. Videtur, si subtiliter considerare velimus, quod omnem a se projecerant proprietatem; qui rerum, quas in corporales suos expendebant usus, communem apud se fecerant et ipsam universitatem. Videtur et in hoc quod omni penitus proprietati renuntiaverant; quia **268** non solum, uti jam diximus, nihil D proprium habebant, sed nec aliquid suum esse dicebant, alienantes a se, et in ore, quod apud se habere nolebant in possessione. Hæc autem temporalium communio rerum, ipsi modis omnibus expetenda, et exercenda universitati virorum religiosorum, quemdam nobis supernæ illius, ad quem modo suspiramus patriæ statum præmonstrat: sicut venerabilis Bedæ verba, quæ de hoc ponit, continent, quæ hunc modum habent: *Qui ita vivunt, ut eis sint omnia in Domino communia, cœnobitæ vocantur. Quæ vita tanto felicior est, quanto statum futuri sæculi imitatur, ubi omnia communia sunt, quia Deus erit omnia in omnibus.* Et quia ibi summa pax et securitas est, civitas, in qua

Digitized by Google

typus hujus vitæ præcessit, Jerusalem dicta est : id est *visio pacis*. *Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat* (*Act.* IV, 35). Duo hic nobis notanda se ingerunt, quia singuli quo sustentari debuerant, acceperunt. Et in iisdem quam sollicite consideratum est, non quod expetebat voluntas, non quod appetebat cupiditas, sed quod monebat utilitas et exigebat necessitas. Quicunque igitur in societate, de qua loquimur, primitivæ Ecclesiæ fuit, quo in victu sustentari debuit, ab eis, quorum id erat officii, accepit. Sed et præcellens ibi bonum erat, quod ablata funditus personarum acceptione, prout indigebant, divisim singuli accipiebant. *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (*Act.* IV, 32). Ecce concors unitas, et una concordia animorum. Hujus autem jucunditatis bonæ et bonitatis jucundæ, quam quarto loco posuimus, tria præcedentia sunt causa, de quibus modo tetigimus; hæc autem fructus eorum.

VIII. Ad hoc enim rerum a nobis corporalium abjicimus cupiditatem; ad hoc nullam earum habere volumus proprietatem; ad hoc personarum, in divisione corporalis hujus sustentationis, abhorremus acceptionem : ut prædulcem hanc et salubrem corpori et animæ in Deo nanciscamur unitatem; ad hoc, inquam, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebantur, et ponebant ante pedes apostolorum, ut nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse diceret. Et ideo quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse non dicebat, ut dividerctur singulis, prout unicuique opus erat. Idcirco denique dividebatur singulis, prout unicuique opus erat, ut eorum esset cor unum et anima una. Sic tria illa bona hujus quarti boni causa sunt; hoc autem quartum bonum eorum est fructus; quia et ideo tria illa præmittuntur, ut hoc quartum sequatur : hoc autem sequitur idcirco, ut in eo tria illa remunerentur. Merito, frater mi, promisisti conversionem morum tuorum juxta apostolicam institutionem, quia nimirum hæc ab eis quatuor instituta, quasi quamdam formam et exemplar habes, ut tuos per eorum conversionem, ad bonum mores, secundum ea in grata sanctæ honestatis venustate componas. Siquidem plena terrenorum abjectio, socialis rerum corporalium communio, æqua et competens earum juxta necessitates singulorum divisio; unitatis concordia, et concordiæ unitas in animo : quidni præcelsa et eximia est morum conversio? Nam bona hæc, cum numero quatuor sint, primum in se mundi hujus habet contemptum; secundum virorum religiosorum honestat conventum; tertium exteriorem justificat effectum; quartum vero interiorem purificat, atque pacificat affectum. Purificat, inquam, ut mundus sit; pacificat, ut quietus sit. Cum itaque plene a te, ac perfecte mundus est despectus; cum in cœtu sanctorum, in cunctis appares motibus tuis honestus; cum tuum extrinsecus coram eo, qui videt in facie, justitiæ exornas opus; cum tuos ante eum, qui intuetur cor, mundat intrinsecus, et sedat unitas concordiæ sensus : procu dubio dicere potes audacter mores te conversos habere, et juxta quod te constat in professione tua promisisse, secundum apostolicam constitutionem convertisse.

IX. Jam de Regula beati Augustini aliquid, vel breviter, nobis attingendum est : secundum quam promisisti stabilitatem in loco; sicut et morum tuorum, ut jam diximus, secundum apostolicam institutionem, conversionem : sicut etiam teipsum tradens obtulisti, offerens quoque tradidisti Ecclesiæ Dei, secundum Evangelium Christi. Itaque secundum tenoren., quem in se præfert Regula beati Augustini, stabilitatem in loco promisisti : ut quandiu, quæ in eadem continentur Regula, præcepta, ac legem vitæ, et disciplinæ observare potes, locum, in quo hæc te observaturum pollicitus es, nulla levitate, vel impatientia **269** interveniente, mutes. Si autem, quod absit, ob indisciplinatam cohabitantium conversationem, vel ob aliquem alium qui emerserit casum, invitus a bono abstractus et ad malum illectus, ea non potes observare, non pœnaliter, ut arbitror, peccas, si ad hoc solum, et propter hoc solum ut votum impleas, votum quoque frangas. Quid est hoc, inquis, quod modo dixisti? Audi quid sit. Si locum dimiseris, nonne votum frangis, cum stabilitatem in eo promiseris? Utique ais. Si autem in eo contra B. Augustini Regulam vivis, nonne et similiter votum frangis? Ita est, inquis. Sed cum sic acciderit, frange votum, ne frangas votum : omittens esse stabilis in loco, ne in eo vivas contrarius Augustino. Cæterum cum sic agis, quanquam ita loquor, votum non frangis; quia stabilitatem in loco promisisti, sed secundum Regulam B. Augustini. Et certe, sic tibi agendum esse intelliges, cum illa breviter cœperimus attingere virtutum spiritualium insignia, de quibus prædicta Regula tractat. Et quidem multa sunt, quæ in ea a præfato Patre et advocato nostro promulgata legimus; sed tamen eorum summam sub duodecim capitibus nos comprehendere posse putamus; suppressis quam multis, quæ sub verborum paucitate coarctari non possunt. Primum ponimus caput : *Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus, deinde proximus; quia ista præcepta sunt nobis principaliter data.* Secundum ab eo loco : *Hæc sunt, quæ ut observetis, præcipimus :* usque ad : *Sed rursum etiam illi, qui aliquid esse videbantur.* Tertium vero : a *Sed rursum etiam illi,* usque ad : *Orationibus instate.* Quartum quoque a loco illo, usque ad : *Carnem vestram domate.* Quintum a loco illo, usque ad : *Non sit notabilis habitus vester.* Sextum quoque ab isto loco, usque ad : *Qui autem in tantum progressus fuerit malum.* Septimum autem, inde usque ad : *Vestes vestras in unum habeatis.* Octavum quoque a loco illo, usque ad : *Indumenta vestra secundum arbitrium præpositi laventur.* Nonum autem ab hoc loco, usque ad : *Lites aut nullas habeatis.* Decimum abhinc, usque ad : *Præposito tan-*

Digitized by Google

quam Patri obediatur. Undecimum vero, a loco isto usque ad : *Ut autem in hoc libello.* Duodecimum illinc, usque ad finem. In primo videtur fieri mentio de dilectione Dei et proximi. In secundo, de unitate concordiæ et communione corporalis sustentationis. In tertio, de virtute humilitatis. In quarto, de puritate orationis. In quinto, de abstinentia discreta. In sexto, de venustate honestatis, et castitate corporis. In septimo, de spontanea confessione. In octavo, de communibus custodibus vestium. In nono, de ablutione vestium, et cura infirmorum, atque de libris quotidie petendis. In decimo, de cavendo litigio. In undecimo, de reverentia exhibenda prælatis, et de officio eorum. In duodecimo, de sollicitudine observantiæ hujus regularis. Videtis jam, ni fallor, et aperte intelligitis quia tunc solum fructuose in loco stabilitas habetur, cum istud, quod non compendiose prælibavimus, duodenarium sollicite exercetur; cum vero istud omittitur, et illa incassum retinetur.

X. (286) Primum itaque caput est, de diligendo Deo et proximo, decimum vero, de cavendo litigio, quia universi nimirum spiritualis exercitii, cui intendimus, sive ut Deo placeamus, sive ut proximo succurramus, causa quidem et origo utriusque debet esse dilectio; sed usque ad perfectionis denarium eamdem dilectionem non perducimus, si horribilem atque terribilem litigii tonitruum non devitamus. Monet itaque nos in exordio Regulæ suæ ut *ante omnia diligamus Deum, deinde proximum*, subjungens et causam : *quia ista*, inquit, *præcepta sunt nobis principaliter data.* Et bene principaliter asserit data : quia in eis, ipso Domino attestante, *tota lex pendet, et prophetæ* (*Matth.* XXII, 40). Et ut B. Gregorius dicit : *Quidquid præcipitur, in sola dilectione solidatur.* Item bene monet ut ante omnia diligatur Deus, et proximus : quia nimirum Dei et proximi dilectio, sicut universis aliis virtutibus statum tenet sublimiorem; ita et præ cunctis locum in nobis debet habere priorem. Rectus item ordo, ut, cum uterque diligendus sit, prius tamen diligatur Deus, deinde proximus. Nimirum ut qui solum seipsum habet causam, cur debeat amari; et illum consequenter, apud nos, in ordine debeat amoris præcedere, qui nobiscum erga eum socius in eodem existit amore. Non solum autem prius, sed et plus diligendus est Deus; ut in amore nostro proximum nostrum non tantum in ordine præcedat, verum et in mensura excedat. Dignum namque, et omnino justum est, ut qui ante omnia est, et ametur ante omnia; et qui supra omnia est, etiam supra omnia. Nec debet in nostro apud nos amore habere priorem, qui universitatis est principium; nec certe parem, qui et finis est cunctorum. Hic **270** est Dominus Deus noster, et est nomen illi α', ὦ; dignus ut prius ametur quam proximus, qui altitudo est, quæ nunquam cœpit : ut plus etiam ametur quam proximus, qui magnitudo est, quæ nullam in se mensuram admittit.

XI. Diligamus ergo Deum, ad hoc, ut gaudeamus in ipso; diligamus proximum, ad hoc, ut non quidem in ipso, sed cum ipso gaudeamus in Deo. Et hæc sunt duo præcepta charitatis, cum tamen sint hi tres, quos diligimus : nos ipsi, Deus, et proximus : quia, cum Deum diligimus, nos ipsos diligimus, pro eo, quod bonum nostrum, quod ipse solus est, diligimus; et cum proximum propter ipsum diligimus, et ipsum, et nos ipsos diligimus, possidentes bonum nostrum, quod ipse est : quia cum diligimus in eo quod proximum propter eum diligimus; quem propter eum non diligeremus ullo modo, nisi eum diligeremus. Quæ nobis principaliter præcepta data sunt, quia quæcunque alia sunt in his instaurantur, et ad ista referuntur. Quæcunque enim ab ipso Domino, vel per seipsum, vel per suos, qui ejus in his vicem tenent, instituta sunt, propter charitatem instituta sunt. Propter hanc, inquam, instituta sunt : videlicet ut acquiras eam, cum forte non habes; vel ut retineas, cum habes; vel ut melius et plus habeas, cum non bene et parum habes; vel ut recuperes, quam fortassis amisisti; vel ut aliquid agas in hunc modum, quod ad charitatis pertineat acquisitionem, possessionem, augmentationem, ordinationem, restaurationem. Quæcunque igitur a sanctis sunt Patribus instituta, tunc solum ea nobis sciamus viriliter exercenda, cum nihil in se penitus continent, in quo dilectioni Dei et proximi aliquatenus contradicant. Salubre itaque tibi esse noveris quidquid agis, si charitatem habueris. Unde et B. Augustinus, cujus hæc verba sunt, de disciplina tractans ecclesiastica, ita dicit : *Habe charitatem, et fac quidquid vis.* Et magna admodum videtur esse licentia hæc, quam tibi concedit, ut facias, non quasi unum aliquid, sed quidquid vis. Sed attende quod præmisit : *Habe charitatem.* Recte indulgetur tibi, ut facias quidquid vis, sed cum charitatem prius habueris; quia quid mali velle poteris, si eam habueris? Principaliter igitur ista nobis data sunt præcepta, quia sicut illa, cujus sunt præcepta, cæterarum virtutum obtinet primatum, ita et hæc ejus præcepta aliorum in se habent principatum præceptorum. Apte quoque Pater, et advocatus noster B. Augustinus in primo capite, et in ipso mox exordio Regulæ suæ de dilectione Dei et proximi facit mentionem, utpote quam novit universi, cui debemus insistere, religiosi exercitii, et causam, et originem, ut incipiatur; et formam, et rectitudinem, ut ordinetur; et augmentum, ut crescat; et constantiam, ut maneat; et finem, ut sine consumptione consummetur.

XII. Subjungit autem de quibusdam in capite secundo (287), sine quibus integra et inviolata esse non valet hæc, de qua loquimur, Dei et proximi

(286) *Reg.* cap. 1, *De dilectione Dei et proximi.*
(287) *Reg.* cap. 2, *De concordia animorum et rerum corporalium communione.*

Digitized by Google

dilectio ; quæ sunt videlicet spiritualis et sincera concordiæ unitas in animo, et omnis penitus in rebus temporalibus proprietatis abjectio. *Hæc*, inquit, *sunt, quæ ut observetis præcipimus in monasterio constituti.* Primum *propter quod in unum congregati estis, ut unanimes habitetis in domo, et sit vobis anima una, et cor unum in Deo.* Et hæc de virtute sinceræ et spiritualis unitatis. *Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Hæc autem de abjectione proprietatis. Ut *unanimes*, inquit, *habitetis in domo.* Videte, quia non prodest habitatio in domo, si deest unitas in animo. *Et sit vobis anima una, et cor unum ;* quatenus sicut vos domus continet una, sic et unum insit vobis cor, et anima una. Et addit *in Deo*, ut et in præsenti ditari possit merito sanctitatis, et in futuro præmio remunerari felicitatis. Illa autem in Deo unitas non est, quæ est in carne, et in mundo, et in host antiquo. Ecce unitas triplex illi, quæ in Deo est, unitati prorsus contraria, reprobos in unum illicite uniens, et a Deo dividens. *Compactum sic est corpus Behemoth squamis se prementibus : unaque uni* conjuncta nec *spiraculum quidem incedit per eas* (*Job* XLI, 6, 7). Conveniunt in unum adversus Dominum, et in unum conveniunt in carne, et mundo, et diabolo voluptuosi, curiosi, elati : voluptuosi per concupiscentiam carnis ; curiosi per concupiscentiam oculorum ; elati per superbiam vitæ. Hæc autem unitas in Deo non est, *sed terrena, animalis, diabolica* (*Jac.* III, 15). Terrena ; et allicit, per curiositatem mundialis lætitiæ seducens. Animalis ; et polluit, per voluptatem carnalis luxuriæ corrumpens. Diabolica ; et erigit, per voluptatem dæmoniacæ superbiæ extollens. O unitas fetens, unitas nitens, unitas tumens ! fetens per mollitiem, nitens per speciem, tumens **271** per elationem. Verum vos unanimes estote in domo, et sit vobis cor unum et anima una : sed in Deo, non in carne, non in mundo, non in hoste antiquo. Et attendite, quia incitaturus nos B. Augustinus ad hanc unanimitatem, ad hanc animæ et cordis in Deo unitatem, sollicite præmittere curavit propter quod in unum estis congregati. Unde patet quod exterior hæc nostra in unum congregatio, illius de qua modo diximus, unanimitatis, et unitatis interioris formam repræsentat, quatenus sicut exterius in uno loco congregamur, sic et intrinsecus in animo uno uniamur.

XIII. *Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Proprietas, quæ viris religiosis ac vitam communem professis inhibetur, non de sola intelligenda est, ut arbitror, re corporali, sed de ipsa, ni fallor, voluntate animi. Necesse enim est ut, si ad perfectionis hac in parte volumus fastigium conscendere, nihil proprium in voluntate nostra, contra justitiæ rectitudinem etiam habeamus ; sed pro alterius potius voluntate, quantum decuerit, et prout expedierit, eam frangere studeamus. Neque enim ullo modo diu poterimus integram in corde unitatem conservare, si voluntati aliorum, et maxime A prælatorum nostrorum, quibus nos vice Dei convenit parere, nostram, in quantum ratio dictaverit et justitia expetierit, voluntatem tumide et arroganter contempserimus subjicere. Quod autem in rebus temporalibus nihil debeant cœnobitæ proprium habere, nulli prorsus valet in dubium venire, qui eorumdem cœnobitarum novit professionem. Nihil autem debent habere proprium, quia peccatum gravissimum est, si id præsumpserint. Cum, siquidem hoc in loco Pater noster aliquid prohibeat proprium dici, quanto minus concedit haberi ? Sanctus quoque Benedictus in Regula monachorum suorum super hæc ita scribit : *Præcipue hoc vitium radicitus amputandum est de monasterio, ne quis præsumat aliquid dare aut accipere sine jussione abbatis, neque* B *aliquid habere proprium. Nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino.* Quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria voluntate. Certe qui peculiaritati student, secundum quosdam fures sunt quodammodo, et mendaces, sacrilegi etiam, et apostatæ sunt. Ideo fures, quia quæ aliorum sunt, occulte sibi abscondunt. Ideo mendaces, quia aliud sunt, et aliud se ostendunt. Ideo quoque et sacrilegi, quia, dum res sibi monasterii illicite vindicare præsumunt, etiam sacrum de sacro tollunt. Ideo denique apostatæ, quia juxta quemdam modum jam ad vomitum redierunt, dum res, quibus dudum renuntiaverant, iterum, et eodem modo quo prius C possederant, hoc est ad usus proprios, possidere student. Caveamus ergo, fratres, ne sine agnitione Patris nostri aliquid temere et illicite habere præsumamus : ne Ananiæ et Saphiræ in crimine socii simus, quorum certe quam gravis exstitit culpa, subsequens innotuit pœna. Non, inquam, sine agnitione Patris nostri : quia et beatus Benedictus de hoc sic scribit : *Nec quidquam licet habere, quod non abbas aut dederit, aut permiserit.* Sed et ista beati Augustini verba sunt : *Et distribuatur unicuique vestrum a præposito vestro victus et tegumentum.* Non divitiæ nobis a præposito nostro distribuendæ sunt ; non aliqua superflua, sed sola necessaria. Si autem quæris quænam illa sint, ipsa sunt quibus alamur jejuni, et quibus vestiamur nudi. His amplius im- D portune et improbe non quæramus, quia hæc nobis sufficere debent. Sententia quippe est Apostoli super hoc, hunc habens modum : *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus* (*1 Tim.* VI, 8). Jubet itaque Magister noster, ut *a præposito nostro, distribuatur unicuique nostrum victus et tegumentum :* ille, ne nos inedia urat ; hoc autem, ne frigus lædat. *Non æqualiter*, inquit, *omnibus : quia non æqualiter valetis omnes, sed unicuique potius, sicut cuique opus fuerit.* De hoc sanctus Pater Benedictus : *Non dicimus*, inquit, *ut personarum, quod absit ! acceptio sit ; sed infirmitatum consideratio. Ubi qui minus indiget, agat Deo gratias, et non contristetur. Qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate ; non extollatur pro misericordia. Et ita omnia membra erunt in vace.* Videtis

Digitized by Google

qualiter verbis istis, necessitatis nobis sustentamentum conceditur, peculiaritatis vero vitium inhibetur.

XIV. Sed aliquis de circumsedentibus clamoso silentio et silenti clamore commotus per hæc, hoc fortassis modo ad hæc: Dum tam formidolosas de vitio proprietatis sententias profers, dic, quæso, manifeste quid sit proprietas. Si enim proprietas est, quidquid magis ad proprium diligo usum, quam ad usum fratris mei, jam ego ab hoc, fateor, vitio alienus non sum. Cui ego: Certe si subtiliter et distincte volueris considerare, non poteris a proprietate alienum dicere, quidquid ad utilitatem non vis fraternam refluere: quidquid etiam usui non vis communi deservire. Nostri quoque ordinis consuetudo **272** est, ut id vocetur proprietas quod habetur contra vetitum, vel absque debita licentia. Diligenter itaque, ut ex his potestis advertere, doctor magnus Aurelius Augustinus in hoc secundo capite, commonere nos insistit, ut abjecta divisione, et discordia, in unitate fraterna concordes, et in concordia studeamus esse unanimes, ut omni penitus renuntiantes in rebus temporalibus, quibus nostra sublevanda est transitoria necessitas, peculiaritati: in corporali sustentatione semper intendamus communioni. Insistit quoque nos commonere, in primo, ut Deum amemus et proximum: quatenus, dum geminum quod promulgat in isto, et geminum nihilominus quod in illo, effectui studemus sollicite mancipare præceptum, vivamus in Dei et proximi charitate; vivamus in unitate; vivamus denique sine proprietate. Et, o vita sancta, jucunda, quieta! Siquidem sancti sumus, dum Deum medullitus, et proximum amamus: bonam nihilominus jucunditatem et jucundam bonitatem nanciscimur, dum in unum habitamus, et unum dicimus omnes, nec sunt in nobis schismata (*I Cor.* I, 10). Suaviter quoque requiescimus, dum duo hæc verba tollentes de medio, meum et tuum, philargiriam peculiaritatis, largitate commutamus communionis. Merito promissa est a vobis stabilitas loci secundum regulam B. Augustini, ut ibi quoque contendatis radicari per constantiam propositi: ubi vos perseveranter, et amor Dei, et proximi sanctos, et sincera secundum Deum unanimitas jucundos, et in corporali sustentatione communio det esse quietos. Quæ autem de hoc capite adhuc residua sunt, una cum his, quæ ad sequentia capita pertinent, in alium sermonem differamus: ut præmissa oratione ex more et meditatione, alia vice cum fuerit opportunum, pro vestra ædificatione ad laudem Dei locuturi conveniamus, cui est honor et gloria in sæcula. Amen.

SERMO IX.

In regulam beati Aurelii Augustini, ab eo loco: « Qui aliquid habebant in sæculo » usque ad « melius enim est minus egere, quam plus habere. » De unitate concordiæ, et communione corporalis sustentationis; de virtute humilitatis; de puritate orationis et abstinentia discreta.

SYNOPSIS SERMONIS. — Quos versutia inimici a perfectionis proposito ex toto nequit avertere, solet ex parte impedire, ut patet in proprietatis vitio deponendo. — 2. In sæculo viliores, in cœnobiis plerumque difficiliores, querulosiores, ac arrogantiores: quibus malis occurrit S. Augustinus in Regula. — 3. In sublevandis necessitatibus absit personarum acceptio: nec necessariorum benigna subministratio sit cervicis erigendæ occasio, ut in tenuioribus fit crebrius. — 4. Nec in iis qui a divitiis ad monasterium venerunt, toleranda superbia: cujus duplex est genus, carnale et spirituale. — 5. Antidotum utriusque superbiæ: et quam indecens ob sæculi divitias, aut carnis prosapiam religiosos gloriari. — 6. Fructus humilitatis est voluntatum unanimitas, et morum concordia, qua honoratur Deus in nobis, ut templis suis. — 7. Oratio ab animo humili et concordi fructuosa est: publica in Ecclesia ab horis canonicis nomen sortita, a viris sanctis dudum frequentata et commendata fuit. — 8. Septem horæ canonicæ tam a servatore nostro mysteriis consecratæ, quam in lege veteri figuratæ, ac nova frequentatæ sunt. — 9. De tempore, loco et modo orandi servandis; ac aliis sex orationis comitibus in Scriptura adumbratis. — 10. Post sanctitatem hominis interioris, exterioris per abstinentiam præscribit, qua concupiscentia, vel carnis dometur superbia; sed appetitus potius quam cibus in vitio est. — 11. Valetudinis habenda ratio, et quæ hora refectionis canonica. — 12. In corporali refectione pascendus lectione spiritus cum modestia, cum esurie interiori ac patentibus mentis auribus. — 13. Infirmis exhibenda compassio proscripto livore: mensa communi contentum esse virtutis est; indigere, infirmitatis. — 14. Perversum est, tenuiores in sæculo delicatos esse et superflua quærere in monasterio, infirmitati tamen occurrendum singulorum. — 15. Parcitas velut mater humilitatis commendata, superfluitas nutrix elationis reprobata.

Pater, et advocatus noster beatus Augustinus magna, fratres charissimi, clericis regularibus instantia, circa ipsa exordia in eorum regula crimen inhibet peculiaritatis, sicut jam audistis in fine, quem ad vos proxime habuimus, sermonis. Quod, ni fallor, nullatenus tanto studio inhiberet, si non saluti illorum valde contrarium sciret. Sed, cum incessanter antiquus *ille circumeat adversarius, quærens quem devoret* (*I Petr.* v, 8), ipsis quoque, qui noviter ad omnipotentis Dei servitium convertuntur, insidiari acrius solet: ut si forte obsistere non valet ex toto, ne convertantur, tota certe versipellis ille versutia molitur, ut **273** saltem et eamdem conversionem tepide aggrediantur, et in ea infructuose demorentur. Et illi nimirum tepide novitatem conversionis arripiunt, qui res eatenus ab eis possessas in usus communes expendi renuunt; sed eas adhuc ut proprias retinere præsumunt. Quorum profecto conversio, licet, ut sic nominetur, vocabulum habet, omni tamen penitus virtutis efficacia caret. Quia cum, teste ipsa Veritate: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, ejus esse discipulus non queat* (*Luc.* XIV, 33): Quandiu aliquid hoc modo de possessis retinent, summi quoque magisterii medullitus inhærere disciplinatui nullatenus valent. Rectus quippe in conversis ordo est, ut primum relinquant sua, et postmodum se. Quem utique ordinem se ignorare

Digitized by Google

ipsi attestantur, qui cum cœnobium ingrediuntur, saltem aliquid quantumlibet parum ex his, quæ hactenus possederunt, apud se ut proprium habent, suarum adhuc existentes rerum possessores : ac proinde novæ, quam aggrediuntur, conversionis violatores. Sunt autem hi Ananiæ, et Saphiræ in culpa similes, et idcirco digni, ut sint et in pœna æquales. De quibus legitis, quod postquam agrum vendiderunt, non totum quidem pretium, sed partem quamdam afferentes, ad pedes apostolorum posuerunt. De quo Ananiæ dicitur, quod *fraudavit de pretio agri* (*Act.* v, 2). Unde liquet quod novitor conversi, quandiu quidquam apud se, etiam de his quæ sua fuerant, retinent, non modo tepidi sed et fraudulenti sunt. Infructuose vero in eadem conversione demorantur, si nimis fuerint vel in exigendis, quæ ad se pertinent, procaciter importuni : vel de collata sustentatione, et indulta veneratione inaniter læti.

II. Prava namque quibusdam conversis consuetudo quam sæpe solet inesse, ut cum in sæculo nunquam etiam necessaria habuerint, in monasterio quoque conversi, multoties quæritare superflua non erubescant. Indiscreta quippe jam multitudo intravit ; et hi in cœnobiis solent esse severiores, qui ante susceptum habitum erant viliores : longe præ aliis se extollentes in elatione, qui, quantum ad conversationis pristinæ statum, aliis esse deberent profundiores in humilitate. Jam iniquo murmure inflati de ciborum inopia, et vestium conqueruntur : qui quando foris erant, pro summis computabant deliciis, hordeo satiari, et pro ornatu diei festi habebant, panniculis vilissimis et vetustissimis operiri. Sic et magnam nonnulli eorum beatitudinem æstimant, illis modo commorari, quibus tunc non poterant conjungi. Non solum autem ; sed et illud quam magnum apud illos, et præcellens quid est : quod tanta eos nunc victus pariter, et vestitus copia dilatat, quos tanta utriusque tunc inopia angustabat. Hæc autem tria mala in doctrina sua beatus Augustinus prosequitur : ad primum destruendum ita eos alloquens : *Qui autem aliquid habebant in sæculo : quando ingressi fuerint monasterium, libenter velint illud esse commune.* Ad secundum vero : *Qui autem*, inquit, *non habebant : non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt.* Ad tertium quoque : *tamen non ideo*, inquit, *putent se esse felices, quia invenerunt victum, et tegumentum : quale foris habere non poterant. Nec erigant cervicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant ; sed sursum cor habeant, et terrena, et vana non quærant ; ne incipiant monasteria esse divitibus utilia, non pauperibus : si divites illic humiliantur, et pauperes illic inflantur. — Illud*, inquit, *velint esse commune, qui foris aliquid habebant :* volens quoque eos omni penitus renuntiare peculiaritati, ex quo monasterium sunt ingressi. Et addit *libenter :* sciens, quia *hilarem datorem diligit Deus* (*II. Cor.* IX, 7) : ut sit eorum bonum voluntarium, non violenter extortum. Et *quæ foris*, ait, *habere non poterant, in monasterio non quærant :* quia ridiculosa admodum res est, si modo superbiæ inflati tumore, gestiunt divites esse, qui inopiæ tunc afflictione coarctati, nunquam non pauperes fuere.

III. Verum ne ille pristinæ eorum indigentiæ status aliquod modo eis debeat esse præjudicium, quo minus eorum sit necessitati nunc subveniendum, sollicite subjungere curavit : *Sed tamen eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur : etiamsi paupertas eorum quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire.* Injuste namque, et omnino nequiter eos agere certum est ; qui cum eis æqualiter in victu, et vestitu partiri refugiunt in monasteriis, quos ex paupertate venisse cognoscunt. Absit enim, ut in domo Dei aliqua sit acceptio personarum : quia sive divites, sive pauperes, *omnes unum sumus in Christo* (*Gal.* III, 28). Quia igitur peccamus, ut ait Apostolus Jacobus, si *personas accipimus* (*Jacob.* II, 1) : sicut illis, qui ex divitiis, sic et eis, qui ex inopia venerunt, debet in monasteriis quod opus est, non negari : quamvis ipsa necessaria in sæculo deesse solebant. Sed præcavere quam sollicite debent, ne in hac novitate abundantiæ beatos se putent, nec cervicem erigant ; **274** quia summis et venerandis viris se jam sociatos esse considerant. Cervicem quippe erigere, superbia tumere est. *Sed sursum*, inquit, *cor habeant, et terrena ac vana non quærant.* Mentis videlicet ad superna intuitum per sancta desideria erectum, non per immunda ad ima declinatum habeant : alioquin non tam pauperibus erunt utilia monasteria, quam divitibus : dum in eis et illos superbia facit esse elevatos, et istos humilitas submissos. Et quis non minus ferendam, ac gravius puniendam asserat in illis superbiam, quam in istis ? Nam dedignantis illa vox est : *Quid superbis, terra et cinis ?* (*Eccli.* X, 9.) Ac si liceat cœno superbire, vel saxo. Quid enim terra, et cinis, nisi ima quædam, et levis abjectio est ? Et intolerabile quidem, ut quod infimum et substratum est, se efferat : quod infirmum et abjectum, se extollat. Nam tolerabile utcunque fortassis altitudini, et fortitudini id foret. Si autem in imo se premit quod altum est, et se submittit quod pretiosum est, et nec tunc erubescit superbire terra et cinis : utilia nimirum erunt divitibus monasteria, non pauperibus : dum isti quo profundius in humilitate radicantur, eo et altius proficiunt ; et illi, cum in sublime elevantur *deficientes, quemadmodum fumus deficiunt* (*Psal.* XXXVI, 20).

IV. Sequitur : *Sed rursum etiam illi, qui aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt ; magis autem studeant non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari. Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt, nec de suis divitiis magis superbiant, quia eas monasterio partiuntur, quam si eis in sæculo fruerentur.* In hoc tertio ca-

Digitized by Google

pite magister noster in eis, qui venerunt ex divitiis ad locum humilitatis, superbiam exhortando persequitur, monens eos, quatenus nequaquam vel præ illis, qui ex loco humili venerunt, de quibus modo tetigimus, de nobilitate generis superbe se efferant; vel de dispersione divitiarum suarum superbe se extollant. In qua exhortatione sua, duo eis notat superbiæ esse genera cavenda. Unum quidem est carnale; alterum vero quod est spirituale. Nam fastidire fratres, et de stirpis nobilitate gloriari, ad carnales proprie videtur pertinere; quod et ipsis quandoque solet sæcularibus evenire. Solent siquidem mundi hujus amatores, utpote qui totam suam in visibilibus existimationem ponunt, super illos, quibus sunt in rebus sæcularibus locupletiores, inaniter se efferre; seque illis longe putare pretiosiores, quibus se vident ditiores. Solent et super illos, quos sanguinis generositate præcellunt, se præ illis longe judicare sublimiores: cum tamen utrosque natura genuerit æquales. De contemptu vero, et abjectione rerum temporalium; de largitione eleemosynarum et operibus misericordiæ, ut ipsi nonnunquam viri spirituales se extollant, occultus ille adversarius suggestione virulenta instare et insistere solet. Quia enim ad pravam eos operationem pertrahere non valet, ut saltem occulte de ipsis suis bonis operibus in mente glorientur, persuadet: studens in eis, quæ bene perpetrata sunt, per occultam elationem corrumpere: dum eos ad committenda, quæ mala sunt, in aperta non valet operatione instigare. Idcirco interius eorum obtutibus, suas incessanter virtutes repræsentat: ut dum eas infirma mens incaute considerat, aliquid in se magnum, et sublime videat, et sibi de se, et in se illicite placens, seque ipsam, in sua æstimatione acceptans, in appetitum propriæ gloriæ inaniter ruat; seque super illos superbe extollat.

V. Utramque vero hanc superbiæ pestem, carnalis videlicet et spiritualis curat beatus Augustinus sua a clericis, communi vita viventibus, doctrina, procul fugare, exhortans eos: *Ut illi, qui aliquid videbantur esse in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt: magis autem studeant non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari.* Et hoc de superbia carnali. Cujus profecto genus bifarium est; sæcularium, et carnalium his modis quam maxime contaminans mentes: dum de nobilitate solent seminis, et multitudine divitiarum suarum superbire; et illis, quos in his se vident inferiores, inaniter se præferre. Subdit vero et de cavenda superbia spirituali: *Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt; nec de suis divitiis magis superbiant, quia illas monasterio pariuntur, quam si eis in sæculo fruerentur.* Exhortatio quidem hæc salubris, et admodum catholica doctrina. Absit, fratres, semel, et iterum, et procul a nobis absit mortifera pestis hæc: qua

(288) Boetius *De consol.* lib. III, pros. 6.

A miserabiliter attacti fastidire solent inflati quidem fratres suos, qui ex paupertate venerunt; et de parentum divitum dignitate gloriari. Et hæc vox eorum: Nos divites in sæculo fuimus, et sublimes: illi vero pauperes, **275** et humiles fuerunt. Illi de infimo genere sunt; nos vero prosapia nobilis, et sanguis generosus exornat. Nos communi huic vitæ nostræ multa de facultatibus nostris, tam pretiosa contulimus, quam utilia; illi vero attenuati, et pene nudi venerunt. Nos ditavimus locum hunc; illi autem in divitias nostras intraverunt. Absit, ut nobis adæquentur divitibus inopes, infimi excelsis, populares generosis. Vos autem, fratres mei, qui aliquid videbamini esse in sæculo, non ita sentiatis de vobis, et de fratribus vestris; qui ad hanc sanB ctam societatem ex paupertate venerunt. De eorum magis studete gloriari societate, quam de vestrorum parentum divitum dignitate. De stirpis namque dignitate gloriari, viris quam maxime Religiosis turpe supra modum æstimo, et indecorum. Vox quippe gentilis hominis est.

Stemmata quid faciunt?

(Juvenalis *Sat.* VIII, 1.)

Nam quam sit inane, ut ait sapiens quidam (288), *et futile nobilitatis nomen, quis non videat? Et nimirum si quid est in nobilitate bonum, id arbitror solum, ut imposita nobilibus necessitudo videatur; ne a majorum virtute degenerent.* Ut enim præmittit: *splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo* C *non efficit.* Et o quam verus cantus ejus, qui talis est:

Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu.
Unus enim rerum pater est,
Unus cuncta ministrat.

(Boetius *De consol.* lib. III, met. 6, v. 1-4.)

Et in sequentibus:

Quid genus, et proavos strepitis?
Si primordia vestra
Auctoremque Deum spectes,
Nullus degener exstat,
Ni vitiis pejora fovens
Proprium deserat ortum.

(*Ibid.* v. 13-18.)

D In lumbis protoplasti æqualem omnes generositatem sortiti sumus. De his vero facultatibus vestris, quas contulistis, nolite extolli. Quid vel quantum contulistis nec mente apud vos tacita revolvere velitis. Porro usque ad oris jactantiam exire, supra modum turpe reor. Utrumque hoc devitate superbiæ genus: ne, quod absit, qui *multum seminastis*, colligatis *parum* (*Agg.* I, 6); hoc enim innuere videtur, quod sequitur: *Alia quippe quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant; superbia vero bonis operibus insidiatur, ut pereant. Et quid prodest dispergendo dare pauperibus, et pauperem fieri, cum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo?* Utique nihil. Imo longe

Digitized by Google

melius fuit possedisse, quam sic contempsisse. Inutilis quippe contemptus iste, dum unde, interveniente humilitate, causa nobis justitiæ provenire debuit, et gloriæ : inde, mediante vesaniæ peste, illa mortifera, quæ, hoc in loco bono insidiatur operi, ut pereat, occasio nobis et culpæ gignitur et pœnæ.

VI. *Omnes ergo unanimiter, et concorditer vivite, et honorate in vobis Deum invicem : cujus templa facti estis.* Duo jam vobis admonuit genera superbiæ cavenda : nunc vero duo bona monet exercenda, quæ virtus humilitatis, et conferre nobis solet, cum desunt ; et custodire in nobis, cum adsunt. *Unanimiter*, inquit, *et concorditer vivite.* Ad piam voluntatem unanimitas, et ad bonos mores pertinet concordia. Nam unanimiter vivimus, cum a voluntate ab invicem non resilimus : concorditer vero, cum per repugnantiam morum nobis ipsis contrarii non sumus. Et rectus ordo, quod prius unanimiter, et postmodum concorditer nos vivere monet ; quia nullo modo in moribus poterimus esse concordes, nisi prius in voluntate fuerimus unanimes. *Et honorate*, inquit, *in vobis Deum invicem.* Quomodo? utique unanimiter, et concorditer vivendo. Tunc enim præcipue Deum in nobis invicem honoramus, cum et intrinsecus, secundum ipsum, in voluntate unanimes, et extrinsecus in moribus fuerimus concordes. *Cujus templa facti estis ;* quia in nobis habitat Deus, ejus nimirum et templa sumus. Sunt enim templa corpora nostra ; sunt et corda nostra. Corpora per munditiem incorruptionis ; corda vero per virtutem divinæ et fraternæ dilectionis. Dum enim continentiæ fræno libidinis fluxum in membris nostris restringimus, apud nos nimirum habitat in carne. Et dum eum pure propter seipsum, et proximum in ipso diligimus, habitat quoque apud nos, et in mente. Sequitur : *Orationibus instate, horis et temporibus constitutis.*

VII. Pulchre beatus Augustinus post tertium caput (289), in quo nos super virtute humilitatis, unanimitatis, et concordiæ monuerat, in isto quoque, quod in ordine quartum est, ad orationis puritatem nos invitat. Quia tunc solum digne et fructuose orationem celebratis, cum et humiliantes *vos sub potenti manu Dei* (*I Petr.* v, 6), in vera fueritis humilitate submissi : et cor unum, ac animam unam habentes in Domino, **276** non fueritis a vobis ipsis in voluntate aversi ; et in jucunditate bona, atque in bonitate jucunda *habitantes in unum* (*Psal.* cxxxii, 1), interveniente morum repugnantia, non fueritis ab invicem diversi. Instare *orationibus* præcipit nobis, *horis et temporibus constitutis.* Quæ horæ istæ, et tempora, quæ ad orandum constituuntur, nisi quæ ab Ecclesia ordinarie frequentantur? Sanctus vero propheta Daniel, prout potestis legentes intelligere, *ingressus est domum suam, et fenestris apertis in cœnaculo suo, contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua : et adorabat, confitebaturque coram Domino Deo suo* (*Dan.* vi, 8). *Petrus* quo-

A que ascendebat *in superiora, ut oraret circa horam sextam* (*Act.* x, 9). Hora etiam nona erat Cornelius orans in domo sua (*ibid.* iii). Sed et *Petrus, et Joannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam* (*Act.* iii, 1). Sanctus quoque David *septies* se asserit *laudem* dixisse Domino *in die, super judicia justificationis* ejus (*Psal.* cxviii, 64). Hæ sunt, ut arbitror, horæ, et tempora, quæ nobis constituuntur, ut orationibus instemus in eis. Sunt autem horæ septem specialiter constitutæ ; in quibus potissimum sancta solet Ecclesia debitum orationi obsequium impendere. De quibus omnium justorum spiritu plenus beatus Benedictus in regula monachorum, hoc modo facit mentionem : *Ait propheta :* Septies in die laudem dixi tibi. *Qui septenarius sa-*
B *cratus numerus a nobis sic implebitur, si Matutino, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriique tempore, nostræ servitutis officia persolvamus. Quia de his horis dixit :* Septies in die laudem dixi tibi. *Nam de Nocturnis vigiliis, idem ipse propheta ait :* Media nocte surgebam, ad confitendum tibi (*Psal.* cxviii, 62). *Ergo his temporibus laudem referamus Creatori nostro, super judicia justitiæ suæ, id est, in Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorio, et nocte surgamus ad confitendum ei.* Hæc de horis orationis beatus Benedictus.

VIII. Quas quidem horas ipse universitatis Conditor, et humani generis Redemptor invenitur in opere salutis nostræ consecrasse : unde merito præ
C cæteris ad orandum sunt nobis constitutæ. Nam nocturno tempore natus est, et per angelum pastoribus est nuntiatus. Nocte et ipse oravit ; nocte quoque a morte resurrexit ; nocte cum laternis, et facibus, et armis quæsitus est ; nocte cum gladiis, et fustibus captus est ; nocte ad Annam primum ductus est, in cujus præsentia ab uno ministrorum alapa est percussus ; nocte ab eo ad Caipham pontificem, ligatus missus est ; nocte accusatus est ; nocte falsis testimoniis appetitus est ; nocte velatus est ; nocte sputis illitus est ; nocte colaphis cæsus est ; nocte palmas in facie passus est (*Luc.* xi ; *Joan.* xxviii). *Mane vero consilium inierunt Principes Sacerdotum, et seniores populi : ut eum morti traderent* (*Matth.* xxvii, 1 et seq.) ; mane ad Caipham in prætorium
D adductus est ; mane Pontio Pilato traditus est ; mane ab Herode contemptus est ; mane indutus veste alba illusus est : mane quoque Mariæ Magdalenæ ad monumentum apparuit ; mane septem, qui in navi erant, discipulos alloquens, in littore stetit ; mane etiam rete in dexteram partem missum, quod et scissum non est, sacrato magnorum piscium numero implevit. Hora vero tertia linguis Judæorum crucifixus est ; hora tertia a Pilato flagellatus est ; hora tertia corona a militibus spinea coronatus est, hora tertia coccinea veste indutus et in derisum adoratus est. Hora vero sexta, ipse Sacerdos et hostia, in ligno elevatus est, et clavis in ea affixus est. Hora vero nona, *voce magna clamavit, et incli-*

(289) S. Aug. in *Reg.* caput iv, *De puritate orationis.*

Digitized by Google

nato capite emisit spiritum (*Joan.* XIX, 30). Vespere autem facto, proxima jam nocte, in qua tradebatur, discubuit cum duodecim, et corporis sui ac sanguinis sacramenta eis tradidit. Advesperascente jam die, a duobus euntibus in Emmaus discipulis, ad hospitium, ipsa resurrectionis suæ die, invitatus est: et in panis ab eis agnitus est fractione (*Marc.* XIV; *Luc.* XXIV). *Sero autem die illo, cum fores essent clausæ, venit ad discipulos suos* (*Joan.* XX, 19); et ipso viso, novo eorum corda gaudio implevit. Oravit sanctus Daniel *tribus temporibus in die* (*Dan.* VI, 10), quibus, ut aiunt nonnulli, Judæi solebant orare. Hora videlicet (juxta quorumdam opinionem) tertia, sexta, et nona. Ideo, sicut existimant ipsi, tertia: quia ea hora putant Decalogum legis antiquo illi populo datum, in monte Sinai (*Exod.* XX). Ideo sexta: quia illa arbitrantur hora *serpentem æneum pro signo elevatum: quem adspicientes*, qui erant ab ignitis morsi serpentibus, *sanabantur* (*Num.* XXI, 9). Et ideo nona: quia ea æstimant hora petram in eremo percussam, de qua ad refocillandam sitim populi, aquæ largissimæ egressæ sunt (*Num.* XX, 11). Nos autem indubitanter scimus quod Sancti in se Spiritus adventum, hora tertia, primitiva Ecclesia suscepit, quod hora sexta ille, qui in similitudinem apparuit carnis peccati, a terra exaltatus est: in quem oculo fidei intuentes, a plagis nostris spiritualibus sanamur: quem et illa dudum in eremo percussa petra expressit, 277 quia hora nona *unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua* (*Joan.* XIX, 34).

IX. Ecce horæ, fratres, et tempora, in quibus instare nobis præcipit orationibus sanctus Augustinus. Tria quoque in præsenti capite ad orationem pertinentia nobis notanda invenies, quæ sunt tempus, locus, et modus. De horis vero et temporibus aliqua jam diximus. Subdit quoque et de loco orationis: *In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod est factum, unde et nomen accepit.* Et hoc ideo, ut secure possint fratres, et libere, cum placuerit, et opportunum fuerit, incumbere orationi: unde et subjungit: *Ut si aliqui forte et jam præter horas constitutas, si eis vacat orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverunt.* Annectit post hæc et de modo orandi: *Psalmis, et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.* Apud orantem namque, cum verbis oris concordare debet cogitatio cordis. Hinc beatus Benedictus: *Ubique*, inquit, *credimus esse divinam præsentiam, et oculos Domini in omni loco speculari bonos et malos* (*Prov.* XV, 3). *Maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum assistimus. Ideo semper memores simus, quod ait propheta:* Servite Domino in timore (*Psal.* II, 11). *Et iterum:* psallite sapienter (*Psal.* XLVI, 8). *Et*, In conspectu angelorum psallam tibi (*Psal.* CXXXVII, 1). *Ergo consideremus, qualiter oporteat nos in conspectu Divinitatis, et angelorum ejus esse: et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.* Hæc sanctus Benedictus. Et hac quidem orationis puritate illos viros sanctos, quos superius retulimus, horis, et temporibus constitutis orasse, notare possumus, si diligenter inspicimus. Ingressus namque domum suam sanctus Daniel, *et fenestris apertis in cœnaculo, contra Jerusalem, flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque Deo suo* (*Dan.* VI, 10). Quid per hæc putamus nos posse exprimere, nisi in animo secretum, in mente intellectum, contemplationem in spiritu, cœlestis patriæ desiderium, humilitatem cordis, laudem oris? Nam ingressus ejus in domum, internum exprimit in animo secretum. Sed et fenestræ ejus aperiuntur, cum revelante Spiritu, spiritualis intelligentiæ venæ deteguntur. Cœnaculum in domo, altitudo est contemplationis in animo. Cælestis patriæ desiderium, notatur per Jerusalem. In genua flectente, et adorante, humilitatem cordis; in confitente vero coram Deo, accipimus laudem oris. Et est senarium illud, insigne cujusdam perfectionis indicium: quod orantibus valde necessarium est. Ad quod referri possunt, et *Cornelii domus* (*Act.* X, 3), in qua legitur orasse: et illa Petri superiora, in quæ ascendit, ut oraret (*ibid.* 9); et ipsum denique templum, *in quod Petrus, et Joannes ascenderunt ad horam nonam* (*Act.* III, 1). *Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum. Quod autem non ita scriptum est, ut cantetur, non cantetur.* Nimirum ut in cantando pariter, et non cantando, eo minus vel coram Deo culpam, vel coram homine incurramus reprehensionem: quo diligentius, in utroque, sanctæ Scripturæ sequimur auctoritatem.

X. Sequitur: *Carnem vestram domate jejuniis, et abstinentia escæ, et potus, quantum valetudo permittit* (290). Omnia, fratres, quæ usque ad hunc locum, per beatum Augustinum in Regula sua exhortando promulgata sunt, virtutum spiritualium insignia sunt. Dilectio siquidem Dei et proximi, unitas concordiæ, virtus humilitatis, puritas orationis, ad sanctitatem pertinent nostri hominis interioris. Quæ autem in quinto capite isto de abstinentia dicuntur: ad sanctitatem pertinent exterioris. Et apte quidem peritus, et discretus Magister prius de his agere censuit, quæ ad instructionem pertinent mentis: deinde vero de his quæ pertinent ad emundationem corporis: quia nimirum prius in homine virtutum spiritualium insignibus cor decorandum est; postmodum vero religiosis exercitiis corpus exornandum. Inter quæ profecto exercitia magnum et quodammodo primum abstinentia obtinet locum: super qua salubre in præsenti loco Patris nostri habemus documentum. In quo capite septenaria quadam (prout conjicimus) nos instructione alloquitur: præcipiens nobis, primo quidem sollicite discretam observare abstinentiam: secundo congruam ad sumendam corporalem alimoniam, horam: tertio, ut lectionis intenda-

(290) Caput quintum *Regulæ B.* Augustini, *De abstinentia discreta.*

Digitized by Google

mus diligenter recitationi ad mensam : quarto vero, ut hi, qui ex consuetudine infirmantur, misericorditer tractentur in victu : quinto quoque, ut delicatis aliquid præ aliis in alimento pariter indulgeatur, et in vestitu : sexto quidem, ne omnes alii simili se velint modo tractari : septimo autem, ut postquam convaluerint, qui fuerant ægroti, ad priorem, reparatis viribus, redeant statum. Dicit itaque : *Carnem vestram domate* **278** *jejuniis, et abstinentia escæ, et potus.* Tunc caro domatur, cum ejus superbia prosternitur. Superbia vero ejus, concupiscentia est : cujus terit *superbiam potus, cibique parcitas* (291). Et notate, quod nequaquam in verbis istis ferculorum numerum definit, non genera ciborum describit. Sed sive unum, sive plura adfuerint fercula ; similiter sive unum, sive diversa apposita fuerint escarum genera : ita nos alimenta sumere hortatur, ut interveniente abstinentia, caro dometur. Pro eo enim, quod non cibus, sed appetitus in vitio est, nonnulli multoties et in multis ferculis ac ciborum generibus, dum parce sumunt, carnem suam domant : et nonnulli quandoque in uno tam ferculo, quam genere, dum nimio rapti desiderio in vitium gastrimargiæ ruunt, eamdem carnem suam, ad contumelias, quibus stimuletur, excitant. Carnes namque sine culpa Elias sumpsit (*III Reg.* XVII, 9) : et illicite lenticulam Esau concupiscens, etiam primogenita amisit (*Gen.* XXV, 34). Verumtamen nimis multa fercula, vel genera, aut nimis delicata quæritare, nullo modo ad viros pertinet Religiosos. Nam horum aliqua pro loco et tempore, pro persona et causa plerumque admittere, fortassis non reprehendendæ dispensationis est ; sed absque causa rationabili, importune, et intemperanter exigere, culpandæ sine dubio est superfluitatis.

XI. *Quantum*, inquit, *valetudo permittit.* Nimirum, quia *omne quod est nimium, vertitur in vitium.* Ideo quantum valetudo permittit : ut *ne quid nimis* (292). *In desideriis* quippe *carnis, fieri curam*, Apostolus vetat (*Rom.* XIII, 14). Itaque quantum valetudo permittit, abstinentia escæ et potus caro domanda est, ne si ultra vires restringatur, ab exercitatione boni operis fracta, enervetur. *Quando autem aliquis non potest jejunare : non tamen extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat.* Ante aptum sumendi tempus, viri Religiosi sumere non debent, maxime cum sani sunt : *mortis quippe sententiam Patris ore*, ut ait beatus Gregorius, *Jonathas meruit : quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit.* Neque enim huic sententiæ eum addixit, quia escam sumpsit : sed quia eam ante horam præripere, præsumpsit. Sententia vero quorumdam est, quod usque ad tertiam, sit extra horam. Dicunt enim, quod usque ad hanc horam Religioso viro edere, aut bibere non licet, nisi cum ægrotet ; nam ægrotantibus lex ista posita non est. Illis vero, qui non jejunant, nec ægrotant, canonicam pro ratione, et causa, reficiendi asserunt horam, a tertia, usque ad sextam. Illis autem, qui jejunant, a nona hora, usque ad vesperam. Itaque non solum temperate cibo et potu nos uti opus est ; sed etiam horas constitutas observare decet ; ut extra eas aliquid non sumamus, nisi cum ægrotamus.

XII. *Cum accedilis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu, et contentionibus audite.* Salubris quidem, et apta institutio hæc, ut dum refectioni corpus intendit, suam quoque spiritus non omittat. Sermo quippe sacræ lectionis, animæ refectio est : sicut cibus iste visibilis, refectio est corporis ; quia *non in solo pane vivit homo ; sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV, 4). *Sine tumultu*, inquit, *et contentionibus audite, quod vobis secundum consuetudinem legitur :* quatenus tunc, vel maxime videlicet, cum accedimus ad mensam, quantum ad quietem corporis simus compositi, simus etiam silentio oris intenti. Nam ad eos pertinet tumultus, qui inordinate se habent in Religioso motu corporis ; contentio vero ad eos, qui turbulentos edunt strepitus alicujus clamosæ, vel vocis, vel locutionis. Quia vero tunc quam maxime, cum ad reficiendum accedimus, fræno maturitatis illicitos in nobis membrorum compescere motus debemus, tumultus nobis inhibetur. Et quia tunc potissimum gravitas a nobis taciturnitatis exercenda est, inhibetur et contentio. *Nec solæ vobis fauces sumant cibum ; sed et aures esuriant verbum Dei.* Nequaquam aurium, sed faucium esurire est. Verum, quia tantum inesse voluit sanctus Augustinus desiderium auribus nostris audiendi verbum Dei, quantum inesse faucibus solet sumendi escam corporalem, cum eas esuries perurit : et ipsas aures quoque esurire verbum Dei voluit ; nam esuries hæc desiderium est. Et sicut esuries hæc spiritualis est, ita sunt et aures. Et quænam illæ? Puto quod intellectus et affectus sunt. Cum enim, de quo loquimur, verbum Dei et audiendo per sensum intelligis, et intellectum operi mancipare satagis, aures nimirum interiores **279** habes, quibus verbum Dei esuris. De auribus istis, ipse Dominus : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Apoc.* III, 22). Qui enim non habet, audire non valet : quia dum nec per intellectum verbum percipit, nec illud ad opus amando perducere satagit, ei nimirum insensibiliter forte, *obdurescit.*

XIII. Sequitur : *Qui autem infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractentur in victu, non debet aliis molestum esse, nec injustum videri eis, quos fecit aliqua consuetudo fortiores.* Verba hæc, et virtutem nobis exercendam prædicant compassionis, et abominandum esse vitium livoris. Compassio namque est, ut aliter tractentur in victu, quos consuetudo pristina reddit infirmos. Indicium vero livoris est, cum inde molestantur, idque injustum esse arbitrantur, quos econtrario consuetudo effecit fortiores. *Nec illos putent feliciores, quia sumunt, quod non sumunt illi ; sed sibi potius gratulentur quia valent, quod non valent illi.* Nequaquam felicitas est,

(291) In *Brev. Rom., Dom. ad Prim. Hymnus.*

(292) Ex *Pittac.* dict. Cic. *Leg.* III, 1.

Digitized by Google

cum sumunt debiles, quod non sumunt fortes ; sed magis infirmitas. Potius ergo sibi debent, pro eo quod valent quod non valent illi, gratulari, quam illos feliciores arbitrari ; quia et virtutis est, quod mediante sanitate et fortitudine, communi aliorum cibo et potu sunt contenti : et infirmitatis, quod interveniente ægritudine et debilitate aliter indigent in victu tractari. *Et si eis, qui venerint ex moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, operimentorum datur, quod aliis fortioribus, et ideo felicioribus non datur : cogitare debent, quibus non datur ; quantum de sua sæculari vita, illi ad istam descenderint, quamvis usque ad aliorum, qui sunt corpore firmiores, frugalitatem pervenire nequiverint.* Non igitur infirmi, sed fortiores feliciores sunt. Cogitent itaque fortes illi, et ideo felices, quibus non datur aliquid alimentorum, vestimentorum, ac operimentorum, quod datur delicatis, quantum descenderint iidem delicati ad vitam hanc, de culmine vitæ sæcularis ; quatenus ex ratione hac colligant, quod qui plus descendendo humiliati sunt, plus quoque accipiendo refovendi sunt. *Nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius, non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere.* In eo quod amplius accipiunt, non eorum personis honorando defertur ; sed eorum infirmitatibus tolerando occurritur. Et quia hac de causa, paucorum esse vident, nullo modo universi velle debent.

XIV. Et quare hoc ? Subjungitur : *Ne contingat detestanda perversitas, ut in monasterio, ubi quantum possunt, fiunt diviles laboriosi, fiant pauperes delicati.* Utique detestanda perversitas est, ut in cœnobio deliciis pauper insistat, ubi se totum pro Deo dives laboribus addicit. Quod profecto supra modum frequenter accidere videmus. Videas eum, qui universis, quando in sæculo erat, deliciis abundabat, cum ad vitam communem venerit, quatenus et Deo placeat, coramque hominibus irreprehensibilis appareat ; duris se spiritualis agonis laboribus coarctare ; illum vero econtra, qui in habitu sæculari, ad instar illius prodigi postmodum, ac post modicum egeni, *qui cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant, et nemo illi dabat* (*Luc.* xv, 16), raro vel hordeo ad satietatem vescebatur, superflua quæque in cœnobio, ac delicata superbe quæritare. Sed hæc perversitas est, et detestanda, ut arroganter appetat in monasterio vivere delicatus, qui semper in sæculo vixit laboriosus. Sequitur : *Sane quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere, ne graventur : ita et post ægritudinem sic tractandi sunt, ut citius recreentur : etiamsi de humillima sæculi paupertate venerint, tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod divitibus anterior consuetudo.* Sicut aliter tractari jubet divites in victu, quos consuetudo pristina reddit infirmos : ita et pauperes in omnibus sic sunt post ægritudinem tractandi, ut citius possint recreari. Et sicut illorum debet consuetudo æquanimiter, in sumendo amplius tolerari : ita et horum humillima paupertas non debet in recreatione, qua post ægritudinem indigent, contemni. *Sed cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam : quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent.* Pro debilitate igitur ægritudinis relaxare licet sanctis rigorem suæ consuetudinis. Sed cum fuerint recreati, eo alacrius ad eam recurrere debent : quo minus jam illis, quibus recreati sunt, fomentis indigent. Quam consuetudinem **280** hac sua recreatione vocat feliciorem ; quia longe beatius est rigorem sustinere, quam recreatione indigere.

XV. *Nec cibi eos teneat voluptas jam vegetatos, quos necessitas levarat infirmos.* Unde liquido colligitur, quod lautioris, atque delicatioris cibi voluptas semper devitanda est sanis, et sola quandoque necessitas admittenda infirmis. *Illos æstiment ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores.* Cum parcitatem viriliter sustinemus, carnis stimulos hebetantes, ejus quoque desideria mortificamus. Ex mortificatione vero vitiorum, pullulatio procedit virtutum ; in quibus veræ et spirituales nostræ divitiæ consistunt. Inde ergo concluditur, tunc nos veraciter esse divites, cum in sustinenda parcitate fuerimus fortes. *Melius est enim minus egere quam plus habere.* Hoc est dicere : Melius est aliquid propter Deum egestatis sustinere, quam superabundare. Egestas namque, quæ propter Deum est, bonis mentibus custos esse solet humilitatis ; superabundantia vero, causa plerumque elationis. Et servus Dei, ut ex toto devitare possit superfluitatem, semper se debet cohibere etiam citra necessitatem : ut dum se caute, et a licitis restringit, in ipsis quoque, præstante Domino, illicitis non cadat : cui sit honor, et gloria in sæcula. Amen.

SERMO X.

Ab eo loco Regulæ B. Augustini : non sit notabilis habitus vester usque ad « indigentibus necessaria dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur. » De venustate honestatis. De castitate corporis. De spontanea confessione. De communibus custodibus vestium. De ablutione vestimentorum. De cura infirmorum, atque de libris quotidie petendis.

Synopsis sermonis. — 1. Honestas vestitus clericis commendata, vanitate complacendi proscripta ; in incessu tamen et reliquo corporis habitu compositum ac irreprehensibilem esse convenit. — 2. In custodiam castitatis visus præsertim fixas in mulieres reprimendus, ne concupiscentia et mors intret per fenestras. — 3. Impudicus oculus impudici cordis nuntius ; triplex ex mente legislatoris distincta impudicitia. — 4. Culpa sæpius magis patet, quo ex delinquentis opinione magis latet. Deo, quem nihil scit latere, potius timet vir sanctus displicere. — 5. Hac facit fraternum subsidium, et maxime divinæ gratiæ præsidium. — 6. Matura correptio adhibenda, immorigeris durior quam ingenuis. Quid agendum in defectum emendationis. — 7. Indicandi fratrem delinquentem gravis est obligatio : estque crudelitatis opus silere, misericordiæ aperire. — 8. Secreti delicti, et manifesti, vel per testes convicti emendandi ratio : quod superioribus inprimis competit, quos disciplina patres, et pietas matres exhibeat. — 9. Emendari nolens, vel incorrigibilis, societate ejiciendus : quod in similibus observandum, cum dilectione hominum

Digitized by Google

et odio vitiorum. — 10. Munuscula vel litteræ clanculum vetantur recipi : sed culpæ confessio spontanea facilioris est veniæ. — 11. Communitas vestitus uti victus servanda : de quibus murmur aut lites ciere inprimis turpe. — 12. Quanto commendabilior est communio et unio charitatis, tanto detestabilior abusio proprietatis, quæ furti indicium habet. — 13. In ablutione vestium ac infirmitate corporis sic honestati et necessitati succurrendum, ut non obediatur cupiditati : quousque infirmo credendum, ac itineranti prospiciendum. — 14. Præfectus infirmorum atque alii officiales fideles sint et utiles : nec iis molesti sint aut importuni rei cujusquam indigi.

I. Clericalis (293), fratres charissimi, ordinis exigit prærogativa, ut honestatis inter virtutes cæteras diligenter acquirendæ, viriliter exercendæ, perseveranter retinendæ instent clerici, et insistant venustati. Decet enim, ut sicut specialis eis non deest dignitas in ordine : sic et specialis nihilominus eis adsit honestas in conversatione. Ne forte quod absit, dignitatis eorum fastigium non debeat jure honorari, cum conversationis eorum exemplum digne meretur **281** reprehendi. Unde et Regularis eorum disciplinæ institutor magnus Pater Augustinus ostenso qualiter debeant se habere in victu, instructionem ad eos habet et de eorum vestitu. Dicit enim : *non sit notabilis habitus vester.* Ille vero notabilis habitus est, in quo aliquid juste notari potest, vel vanitatis, vel superfluitatis, aut certe nimiæ vilitatis. Prima ad nitorem, secunda ad mensuram, tertia ad pretium spectat. Quod triplex malum a vestitu nostro elongare voluit : dum notabilem habitum nostrum esse prohibuit. Quam quoque a vestitu suo notam procul ipse pellere studuit : et quod hac in parte docendo instituit, effectui quoque mancipavit. Legimus namque, quod vestis ejus, et calceamenta, et lectualia ex moderato et competenti habitu erant : nec nitida nimium, nec abjecta plurimum. Item ipse quoque de se asseritur dixisse : *Fateor, de pretiosa veste erubesco : non decet hanc professionem, non decet hanc admonitionem, non decet hæc membra, non decet hos canos.* Sæculo autem renuntiantes clericos asper decet habitus, et humilis ; quia, ut ait Dominus, *qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (*Matth.* xi, 8). Et per primum pastorem Ecclesiæ (294) etiam fidelibus dicitur : *non in veste pretiosa* (*I Tim.* ii, 9). *Nec affectetis vestibus placere, sed moribus.* Quod ad vanitatem pertinet sæcularem, docendo studet prohibere : ad id vero, quod ad veram religionem, excitare. Nam velle placere vestibus, ad viros attinet sæculares ; moribus autem, ad Religiosos. Sequitur : *Quando proceditis, simul ambulate ; cum veneritis quo itis, simul state.* Idcirco nimirum hoc, ut semper et ubique secum habeant viri sancti et custodes probitatis suæ, et testes. Quod nimirum viro sapienti, et justo nunquam displicuit : quia *qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus* (*Joan.* iii, 21). Econtra vero omnis, qui male agit, odit lucem. In luce autem ambulant, et in luce stant : qui bonum secum, ubicunque sunt, testimonium habent. *In incessu, statu, habitu, et in omnibus motibus vestris, nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum ; sed quod vestram deceat sanctitatem* Vere irreprehensibiles nos esse desideravit, cum tales nos esse hortatur, ut alicujus nec oculum offendamus. Ubi tamen, juste, subaudiendum est, quia ubi causa non subest, carnales quoque, et imperfecti plerumque offenduntur. Itaque tam religiose habere nos debemus, et quando incedimus, et quando stamus, et in universis exterioribus motibus nostris ; ut juste nos digni non simus ab aliquo reprehendi : nec per nos aliquis possit offendi. Hoc enim decet sanctitatem nostram, ut non solum puri ante Deum : sed etiam sine offensione exterius appareamus coram proximo : juxta illud Apostoli : *providentes bona non tantum coram Deo : sed etiam coram omnibus hominibus* (*Rom.* xii, 17). Omnibus, inquit, hominibus, ut non in aliquibus, sed *in omnibus motibus nostris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum.*

II. *Oculi vestri, etsi faciantur in aliquam feminarum, in nullam figantur.* Duo sunt, de quibus agit : et unum quidem tolerat, prohibet alterum. Oculos itaque in feminam jactari non prohibet ; prohibet vero infigi. Unde adjungit : *Neque enim quando proceditis, videre feminas prohibemini ; sed appetere, vel ab ipsis appeti velle, criminosum est.* Colligitur quoque ex his, quod oculorum hunc intuitum, quemadmodum in præsenti prohibet fixum, etiam illicitum innuit esse mentis appetitum. Et idcirco illum fortassis prohibendum censuit, quia hunc criminosum agnovit. Sed et hoc quoque interserendum quia licet feminas videre non prohibemur, consilium tamen est, ut videre dissuescamus ; quia plerumque qui visum non reprimit, in concupiscentiam quoque ruit. *Concupiscentia vero*, si verum sanctus Jacobus sensit, *parit peccatum : peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem* (*Jac.* i, 15). Hinc esse puto, quod sanctus Job pepigit fœdus cum oculis suis, *ut ne* cogitaret *quidem de virgine* (*Job* xxxi, 1). Quæ ei causa esse potuerat, et occasio, ut ne quidem de virgine cogitaret? Utique, quia, formæ speciem, quam temere oculus aspicit, etiam cum absens est repræsentare sibi, et apud se illicite revolvere multoties animus solet. Oculos suos sanctus David temere in feminam jecit, idque ei causa exstitit ut postmodum, et post modicum, et adulter fœdus, et homicida fieret cruentus (*II Reg.* ii). Necesse proinde, ut si vitium hoc perfecte vincere desideramus, causam quoque ejus, et opportunitatem sollicite præcavere studeamus. Hinc est, quod Loth fugienti a Sodomis jubetur, ut *retro non* respiciat, *ut in omni circa regione non* remaneat : *sed in monte salvum* se faciat

(293) *Reg.* cap. vi, *De venustate honestatis et castitate.*

(294) Leg. *Doctorem gentium.* Paulus est enim a quo dicitur, non Petrus. — ES. P.

Digitized by Google

(*Gen.* XIX, 17). Qui enim plene cupit incentiva vitiorum effugere, ab aspectu, ac vicinitate ipsorum alienum **282** se debet facere, et ad alta virtutum in mentis vertice conscendere : ut tanto a vitiis liberior maneat, quanto ab eis etiam per corporalem absentiam se elongat. Quod autem una, cum appetitu mentis, concupiscentiæ sit occasio visus corporalis, patenter ostenditur, cum subinfertur : *Nec solo tacito affectu, sed etiam aspectu appetitur, et appetit concupiscentia feminarum.* Hoc est dicere : Non tantummodo silenter in ipsis voluntatis penetralibus concupiscentia oritur; sed etiam per visum exteriorem fomes ei et causa, materia et occasio administratur. Hinc ille prophetæ planctus est, hunc habens modum : *Mors ascendit per fenestras nostras, et ingressa est domos nostras* (*Jerem.* IX, 21). Concupiscentia vero mors animæ est. Mors utique animæ est, quia ipsa, ut moriatur, ei causa, et occasio est. Nam ipsius, teste Apostolo Jacobo, partus peccatum est; peccati vero consummatio, generatio mortis est. Interior quoque domus nostra, mens nostra est. Hujus autem fenestræ, per quas, ad attingenda hæc visibilia, solent egredi, corporales sunt sensus : maxime autem exteriores hi nostri aspectus. Mors itaque per fenestras nostras ascendens, ipsas quoque domos nostras ingreditur, quando concupiscentiæ vitium per sensus corporis nostri, et maxime per oculos nostros prorumpens, ipsis etiam cordis nostri penetralibus illabitur.

III. *Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos.* Ideo nobis prohibet, ne hoc dicamus; quia veraciter hoc dicere, non valemus. Nam subjungit : *quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius.* Utique cordis impudici oculus æque impudicus nuntius est : quia nuntiando hic fere administrat quod illud fœdius affectat. *Et cum se invicem sibimet etiam tacente lingua, mutuo conspectu corda nuntiant impudica, et secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus.* Profecto usque ad admissionem castitatis in moribus pertingitur; etiam cum ab immunda violatione, quantum duntaxat ad plenam actionis nefariæ perpetrationem, corpus non tangitur, cum ab invicem, et ad invicem conspectu mutuo corda impudica nuntiantur; ipsaque corda, prout titillat concupiscentia carnis, ardore alterutro delectantur. Pertingitur, inquam, cum sic contingit, etiam quamvis nullus super eadem corporalis castitatis amissione sermo habeatur. Nam licet taceat lingua, sed sibi invicem non silent corda impudica : quæ nimirum agunt, ut pariter et titillet concupiscentia carnis, et mutui delectatio pulset ardoris. Castitas, inquit, de moribus fugit, cum sic contingit : quia ipsa in exteriori statu nostro gravitas omnis, et maturitas dissipatur. Tunc enim in moribus castitas habetur, cum in cunctis exterioribus motibus suis homo ita coaptatur; ut in omni gravitatis, et maturitatis venustate appareat, et nequaquam graves, et venerandos mores suos cum alicujus levitatis prostitui lascivia permittat. Hoc autem summopere nobis notandum est, quod triplicem beatus Augustinus in verbis istis cavendam nobis impudicitiam innuat : dum in eis, de lascivis aspectibus, de impudicis cordibus, de fuga quoque castitatis in moribus, mentionem facit. Prima utique est, dum lascivia non devitatur in aspectu; secunda, dum concupiscentia dominatur in affectu; tertia vero, dum nulla conservatur maturitas vel gravitas, in aliquo exteriore corporis motu. Hoc tripartitum, fratres mei, toto studio declinemus malum : hoc scientes, non posse nos aliquo modo secundum devitare, vel tertium, nisi præcavere studeamus sollicite ne admittamus primum. Si enim figentem, et lascivientem semper, et ubique circumferimus aspectum; pudicum intrinsecus rara hora, ac parva mora conservabimus affectum; quia nimirum cum se invicem conspectu mutuo corda nuntiant impudica : consequenter quoque ea necesse est, statim secundum concupiscentiam carnis, alterutro delectari ardore. Sed et tunc quidem, cum videlicet duplex hoc malum præcedit, etiam tertium confestim succedit : imo non recedenti, sed remanenti utique accidit [*al.* accedit] ut etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugiat castitas ipsa de moribus. Sic dum lascivia insolescit in aspectu, dum concupiscentia ardet in affectu : etiam quamvis nefaria plene non exerceatur immundæ commixtionis violatio in effectu, maturitas tamen et gravitas in ipso penitus dissipatur, et annihilatur exteriori corporis motu.

IV. *Nec putare debet, qui in feminam figit oculum, et illius in seipsum diligit fixum, ab aliis se non videri, cum hoc fecerit; videtur omnino, et a quibus se videri non arbitratur.* Multoties utique videmus contingere istud, ut cum videlicet vitia sua quasi caute, et latenter se agere æstimant, ipsi quoque seipsos, dum nesciunt, manifestent : **283** culpamque suam tunc magis contingat patere, cum plus æstimant latere. Sed hoc eorum esse proprium solet, qui ejusmodi sunt, quod id, unde hoc modo se intromittunt, omnes putent latere, cum pateat universis. Mentem quippe, cui libido dominatur, excæcat : nec videre se valens, nec videri se existimans; et cum pene neminem lateat, nemini se patere putat : *Sed etsi lateat, et a nemine hominum videatur : quid faciet de illo desuper Inspectore, quem latere nihil potest?* Si nihil; imo quia nihil eum latere potest, ergo nec eum iste latet, *qui oculum figit in feminam, et illius in seipsum diligit fixum. An ideo putandus est non videre : quia tanto videt patientius, quanto sapientius?* Sapienter videt, quia videns videri non valet. Videt et patienter; quia cum ei displiceat, quod videt, adhuc longanimiter sustinet. Cum itaque invisibilis illa in se sapientia permaneat, nihil eam latet : et cum in sua rectitudine plerumque quod vidit reprobet; ad perturbationem aliquam summa illa lenitas provocari non

Digitized by Google

potest. In cunctis ergo, quæ vel in corde, vel in ore, vel in opere delinquimus, oculum illius superni Inspectoris, quem latere nihil potest, formidare debemus : quia licet occulta nostra lateant, et a nemine hominum videantur, illius tamen oculis universa nuda sunt, et aperta. *Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit feminæ male placere.* Timor ille bonus pravam voluntatem hanc, et ne sit, præveniat : et cum forte fuerit, excludat. *Illum cogitet omnia videre : ne velit feminam male videre.* Simili modo et bona cogitatio illa, malam voluntatem istam exterminet. Timeat displicere Conditori, ne velit illicite placere mulieri. Ipsum cogitet Inspectorem universorum, ne se affectet esse a femina temere visum. *Illius namque et in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est. Abominatio est Domino defigens oculum.* Ex quibus verbis liquido colligitur, quod, dum in feminam oculum defigimus, Deo quoque abominabiles sumus. Formidolosa, fratres, sententia hæc, et quæ nostram multum concutere conscientiam debet. Quidquid commiserimus opere, vel protulerimus ore, vel etiam tractaverimus corde, semper, et ubique nos attendere necesse est, super omnia nostra, oculos Dei, atque timere, ne displiceamus illi.

V. Non solum : sed et mutuam nos convenit impendere sollicitudinem invicem, ut illæsi inter tot tentationum procellas permanere valeamus. Unde et salubris exhortatio subjungitur : quæ talis est : *Quando ergo simul estis in Ecclesia, vel ubicunque feminæ sunt, invicem vestram pudicitiam custodite.* Ideo simul corporaliter sumus; ut spiritualiter pro invicem solliciti simus. Scriptum est, *væ soli*, subjungitur et causa : *quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se* (*Eccli.* IV, 10). Oportet itaque, ut unusquisque sollicitum super alium, sed charitative oculum habeat : singuli ad invicem manus mutuas extendant, adjutorium sibi invicem pro posse impendant. Sic saluberrima illa magni magistri Ecclesiæ, ac apostolorum principis exhortatio implebitur : quæ talis est : *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei* (*I Petr.* IV, 10). O quam sanctum exercitium hoc! Exercitium non minus jucundum, quam bonum. Ad sanctitatem meriti bonum, et ad suavitatem spiritus jucundum. Exercitium plane, quod inter cætera et lapsis solet conferre, ut erigantur; et stantibus, ut firmentur; et nutantibus, ut stabiliantur. Verumtamen, quia sine custodia divina non sufficit humana, ideo subjungitur: *Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.* Ut enim Scriptura dicit : *Nemo potest esse continens, nisi Deus det* (*Sap.* VIII, 21). Et si juxta id quod Apostolus dicit, *non sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis* (*II Cor.* III, 5), multo minus sufficientes sumus in hac nostra vita, quæ tota tentatio est, a telis tentantis libidinis nos illæsos conservare. Custodiet nos Deus, utpote sine quo nihil possumus facere. Custodiet tamen nos isto modo ex nobis : nos quoque et excitans, ut velimus, et instruens, ut sciamus; et roborans, ut possimus invicem nostram pudicitiam custodire. Sequitur :

VI. *Et si hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo vestrum adverteritis, statim admonete, ne cœpta progrediantur; sed de proximo corrigantur.* Ideo ipsa confestim initia corrigenda sunt : quia nisi ipsa radix venenosæ herbæ suffossa fuerit, in nimiam se magnitudinem extendet. Vitium quippe, cui in ipso suo apparitionis exordio non resistitur, processu temporis difficilius emendatur. Nam quo frequentius reiteratur, eo magis augetur : et auctum usque ad tantum plerumque robur excrescit, ut ei nequaquam, vel vix contradici possit. Hinc sanctus Benedictus **284** in monachorum Regula, ita inter cætera, de abbate dicit : *Neque dissimulet peccata delinquentium; sed mox ut cœperint oriri, radicitus ea, ut prævalet, amputet.* Memor esse debet abbas periculi Heli sacerdotis de Silo; et honestiores quidem, atque intelligibiles animos prima, vel secunda admonitione verbis corripiat; improbos autem, et duros, ac superbos, vel inobedientes verberum, vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat. Videte quomodo Pater clericorum Augustinus, et monachorum dux Benedictus, qui diversis temporibus fuerunt, uno, eodemque instructi, ac inflammati Spiritu in hoc consentiunt : ut in ipso mox peccati exordio, illis, qui hoc committere aggrediuntur, sollicite resistatur; quatenus *cœpta non progrediantur; sed de proximo corrigantur.* Ideo ni fallor, abbati præcipit sanctus Benedictus, ut *non dissimulet peccata delinquentium; sed mox ut cœperint oriri, radicitus ea, ut prævalet, amputet : ipsosque delinquentes, in ipso peccati initio coerceat.* Beatus nihilominus Augustinus, qui aliquanto eum tempore præcessit, nobis jubet admonere, *ne cœpta progrediantur; sed de proximo corrigantur;* quia nisi statim eorum insistamus correptioni, eorum postmodum correctio non facile poterit admitti. *Si autem et post admonitionem idipsum eum facere videritis, jam velut vulneratum, sanandum prodat, quicunque hoc potuerit invenire : prius tamen est alteri, vel tertio demonstrandum, ut duorum, vel trium possit ore convinci, et competenti severitate coerceri.* Si ante admonitionem aliquantum fuit percussus in eo quod deliquit, jam nimirum quasi vulnus in anima incurrit, dum admonitioni obtemperare contempsit. Ideo jam quasi vulneratus prodendus est : et ad hoc prodendus, ut sanetur. Verum ne forte prodenti negando contradicere possit, *prius id alteri, vel tertio est demonstrandum, ut duorum, vel trium possit ore convinci;* quia juxta Dominicam sententiam, *in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum* (*Matth.* XVIII, 16). Convictum autem ore duorum, aut trium, competens debet severitas coercere, quia ipsum justitiæ moderamen transgreditur, qui quod injuste actum est, juste non punit. Hinc in lege scriptum est : *juste, quod justum est, exsequeris* (*Deut.* XVI, 20).

Digitized by Google

Et ille quidem, quod justum est, exsequitur, qui pro loco, et officio suo culpam emendando persequitur. Sed justum hoc juste profecto exsequi excusat, si in ejus emendatione, justitiæ regulam non observat.

VII. *Nec vos judicetis esse malevolos, quando hoc indicatis.* Cur autem malevolos judicare non debeant, qui hoc indicant, subjungitur : *Magis autem innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis.* Utique nocet, qui corrigere non vult, cum valet. Nam quasi nonnihil noxium infert, qui cum potest, noxium non aufert. Idcirco quantum inferret commodi, si corrigeret, tantum et infert damni, cum perire permittit. Et hoc agit tacendo; illud autem agere posset indicando. Quocirca colligat ex his diligentia tua, frater mi, quantum sit hac in parte perniciosum silentium tuum, dum ipso interveniente perit frater tuus. Non est quidem *cultus justitiæ*, de quo loquitur sanctus Isaias, *silentium hoc* (*Isa.* xxxii, 17); sed injustitiæ causa, et ad pœnam perennem via. Itaque non modicum noces, si cum corrigere vales culpam fratris tui, taces. Nam quomodo non noces, qui tacendo hoc agis, ne mala vel jam commissa emendentur, vel quæ necdum commissa sunt, præcaveantur. Nam si indicares, doleret fortassis frater tuus de præterito, et caveret de futuro. Unde est plena omni ratione illa exhortatio Sapientis, quæ talis est : *Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat : non feci; aut si fecerit, ne iterum addat facere* (*Eccli.* xix, 13). Statimque adjunxit : *Corripe proximum, ne forte non dixerit; et si dixerit, ne forte iteret* (*ibid.*, 14). Itaque plurimum in proximum tuum delinquis, *si eum indicando non corrigis : et dum tacendo perire permittis*, reatum profecto maximum incurris. Hinc in Levitico scriptum est : *Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis : testis qui fuit, aut ipse vidit, aut conscius est, nec indicaverit : portabit iniquitatem suam* (*Levit.* v, 1). Ecce quare portare dicitur peccatum suum, qui quod vidit, et cujus conscius est, peccatum non indicavit alienum. Patet igitur ex his, eos, qui fratres suos, quos indicando corrigere possunt, perire permittunt tacendo, non modicum esse nocentes; quia non uno, sed duobus modis nocentes sunt. Duobus, inquam, modis nocentes sunt; quia et in fratres suos, et in seipsos delinquunt. In fratres utique suos, dum eis causam, et occasionem perditionis, mediante pestifero silentio isto, præstare non reformidant; **285** in seipsos vero, quia dum ea non indicant, aliorum peccata, sua efficiunt. Consentire quippe, et approbare aliquo modo videtur, qui quod nequiter actum est, cognoscit; sed indicare, ut corrigatur, omittit. Quod autem non mediocriter nocentes sint, qui hujusmodi sunt, congruo beatus Augustinus ostendit exemplo, dum subjungit : *Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, dum timeret secari, nonne crudeliter abs te sileretur, et misericorditer indicaretur?* Certe non est aliquis, qui ex ratione, contradicere possit. Omnino misericors es, si indices; crudelis vero, si celes : dum indicatum sanatur, et quandiu siletur, tandiu salus differtur. *Quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde?* Non ignoratis, ut æstimo, unde locus. Si igitur ex præmissis sequitur, illum esse crudelem, qui vulnus in fratris corpore celat : misericordem vero, qui, ut curetur, indicat : consequenter magis crudelis est, qui occultat, quod putrescit in corde; et misericors, qui manifestat, ne talis possit in corde putredo locum habere. Nisi forte quis possit ostendere, dignius et sublimius, pretiosius et nobilius corpus esse, quam cor. Certe crudelis, et ut aliquid expressius dicere videar, crudelissimus est, qui peccati in fratris anima vulnus occultat; et reus mortis illius plene ac perfecte existit, *dum eum tacendo perire permittit.* Sicut enim illum opus illicitum, sic et hunc taciturnitas morta indicat dignum. Sicut autem crudelitatis expers non est, qui culpam fratris non detegit : ita et misericors est, qui eam non abscondit. Si enim miseri misereri, est habere misericordiam, nescio quomodo majorem erga miserum agere aliquis misericordiam potest, quam cum pereunti, ablata perditionis occasione, studet præstare vitam.

VIII. *Sed, antequam aliis demonstretur, per quos convincendus est, si neguverit, prius præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit, corrigi : ne forte possit secretius correctus, non innotescere cæteris.* Quando secreto aliquid illicitum committitur : etiam secreto debet is, qui commiserit, pro loco, et tempore, pro persona, et causa emendari. *Præposito*, inquit, *debet ostendi :* quatenus peccatum, quod adhuc latet, quando occulte corrigi valet, nequaquam omnibus innotescat. Quod si is, qui commisit, negare præsumpserit, tunc ei testes sunt adhibendi, quibus possit convinci. Et hoc est, quod sequitur. *Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi sunt alii, ut etiam coram omnibus possit, non ab uno teste argui, sed a duobus, vel tribus convinci.* A quibus, cum convictus fuerit, jam pœna graviore dignus existit : non solum quia quod fuit illicitum commisit; sed quia manifestatus, quod verum fuit, fallaciter negavit, et quousque convictus testibus fuit, confiteri etiam indicatus non consensit. Unde et sequitur : *Convictus vero secundum arbitrium præpositi, vel etiam presbyteri, ad cujus dispensationem pertinet, debet emendatoriam subire vindictam.* Dignus plane, ut acriorem correptionem sustineat : qui blande castigatus, corrigi recusat. Convictus hoc modo, vindictam debet subire, ut sanitati animam restituat pœna, quam fecerat ægram culpa. Quæ pœna *secundum arbitrium præpositi, vel presbyteri* debet infligi, ut qui per divinam ordinationem, in sancta Ecclesia spiritualem nacti sunt potestatem, sacræ religionis transgressoribus, ut spiritus salvus fiat in die Domini, corporibus infligant ul-

Digitized by Google

tionem. De qua vindicta, apte jubetur, ut emendatoria sit : quatenus tanta discretione polleat, ut culpam, et præteritam deleat, et futuram præveniat ; non autem vel eam, quæ jam est, augeat, vel illi, quæ necdum est, ut sit, occasionem tribuat. Quod nimirum tunc fit, cum de quibus modo tetigimus, præpositum, et presbyterum juxta Patrum antiquorum dicta, et pietas matres, et disciplina exhibet patres : habita inter hæc provisione sollicita ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. De hoc beatus Pater Benedictus in Regula monachorum ita scribit : *In doctrina sua abbas debet semper apostolicam formam servare, in qua dicitur :* Argue, obsecra, increpa (*II Tim.* IV, 2). Id est, miscens temporibus tempora, et terroribus blandimenta, durum magistri, et pium patris ostendat affectum : hoc est, indisciplinatos, et inquietos, debet durius arguere ; obedientes autem, et mites, et patientes, ut in melius proficiant, obsecrare, negligentes autem, et contemnentes increpet, et corripiat. Emendatoria itaque vindicta sit : id est, talis, quæ delinquentem emendet.

IX. Notandum vero, quod tria sunt, quæ circa hunc convictum iubet sanctus Augustinus observari : quatenus videlicet nec culpa deseratur sine ultione, nec in ea inferenda præpositus, vel presbyter sua privetur **286** auctoritate ; nec ipsa, cum infligitur, careat discretione. Et adjunxit : *quam si ferre recusaverit, etiamsi ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur.* Justa quidem satis institutio hæc. Utquid enim, etiamsi nollet recedere, permitteretur remanere ? Culpam committere non formidas, et pœnam ferre recusas ? Sed forte dicet aliquis : Si vellet abscedere, qui ejusmodi est, utcunque fortassis esset tolerabile : sed remanere volentem, invitum projicere, non modicum crudele. Non utique crudele hoc, sed admodum pium. Nam et hoc sequitur : *Non enim fit crudeliter, sed misericorditer.* Subditur et causa : *Ne contagione pestifera plurimos perdat.* Melius enim, ut ad præcavendum multorum periculum, unus projiciatur : quam ut pro eo, quod unus toleratur, multi periclitentur, Satius itaque, ut unus ejiciatur, quam ut multi contaminentur : ut unus elongetur, quam ut plures pervertantur. Sanctus quoque Benedictus, omnium justorum spiritu plenus, ita de hoc scribit : *Si quis*, inquit, *frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus se non emendaverit : acrior ei accedat correptio : id est, ut verberum vindicta in eum procedat. Quod si nec ita se correxerit, aut forte, quod absit, in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua : tunc abbas faciat, quod sapiens medicus. Si exhibuit fomenta, si unguenta exhortationum, si medicamenta divinarum Scripturarum, si ad ultimam ustionem excommunicationis, si plagas virgarum ; et si jam viderit nihil suam prævalere industriam : adhibeat etiam, quod magis est, suam, et omnium fratrum orationem pro eo ; ut Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, jam tunc abbas utatur ferro abscissionis, ut ait Apostolus, auferte malum ex vobis* (*I Cor.* V, 13). Et iterum : *Infidelis si discedit, discedat* (*I Cor.* VII, 15) : ne una ovis morbida omnem gregem contaminet. Hæc sanctus Benedictus. Ipse quoque Dominus in Evangelio, scandalizantem nos oculum nostrum erui : manum, vel pedem etiam dexterum abscindi, et a nobis jubet projici. Et adjungit : *Expedit*, inquit, *tibi, ut pereat unum membrorum tuorum* (*Matth.* XVIII, 8, 9), quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Quis hic oculus, pes dexter, et manus, nisi noster necessarius amicus ? Oculus in causis providens, manus in necessariis ministrans, pes quoque rectis vestigiis incedens. Sed singula membra hæc, cum vos scandalizant, de corpore sunt abscindenda : ut cum incorrigibilis, etiam multum necessarius, et valde dilectus exstiterit, *si non abscesserit, de nostra societate est projiciendus, ne videlicet contagione pestifera plurimos perdat.* Unde et hoc non crudeliter, sed misericorditer fieri, dubium non est. *Et hoc, quod dixi, de oculo non figendo : etiam in cæteris inveniendis, prohibendis, convincendis, judicandisque peccatis diligenter, et fideliter observetur, cum dilectione hominum, et odio vitiorum. Diligenter*, inquit, *et fideliter.* Diligenter, ut studiosa in his omnibus, et sollicita habeatur observatio absque simulatione ; *fideliter*, ut sine personarum acceptione. Duo itaque nobis hæc, in peccatis expurgandis, cum adsunt, et devitandis, cum absunt, valde necessaria sunt : ut videlicet ad dextram non declinemus in acceptione personarum ; vel ad sinistram a rectitudinis tramite, non exorbitemus. Et hæc omnia *cum dilectione hominum, et odio vitiorum.* Sic enim, ut noster alibi dicit Augustinus, *diligendi sunt homines : ut eorum non diligantur errores.* Nos autem adjungere possumus, et debemus : quia sic odio habendi sunt eorum errores, ut tamen non habeantur odio ipsi. Cum dilectione hominum, et odio vitiorum (juxta beati Gregorii sententiam) ut in eisdem hominibus, *et diligamus bonum, quod facti sunt : et persequamur mala, quæ fecerunt.* Sequitur :

X. *Quicunque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occulte ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat : si hoc ultro confitetur, parcatur illi, et oretur pro eo. Si autem deprehenditur, atque testibus convincitur, secundum arbitrium præpositi, vel presbyteri gravius emendetur* (295). Pro magno excessu, ut ex his verbis datur intelligi, habuit sanctus Augustinus, Canonicum vitam communem professum aliquid occulte accipere : de quo locuturus tam expresse præmittere curavit : *qui autem in tantum progressus fuerit malum* (*IV Reg.* IV) : ordinis quippe sui, qui hoc agere præsumit, non mediocriter prævaricator existit Munus dudum occultum

(295) *Reg.* cap. 7. De spontanea confessione.

Digitized by Google

puer Elizæi Giezi a Naaman Syro accepit : quod ut magnum esse malum propheta ostenderet, horribili eum, ut scitis, plaga percussit. De hoc beatus Benedictus : *Nullatenus*, inquit, *liceat monacho nec a parentibus suis, nec a quoquam hominum, nec sibi invicem litteras, aut eulogias, vel quælibet munuscula accipere, vel dare sine præcepto abbatis.* Quod **287** quidem nec Canonico licere, Pater noster sanctus Augustinus in præsenti loco ostendit evidenter. Quid autem de his beatus Hieronymus sentiat, audiamus. *Dulces*, inquit, *litteras et sudariola, et crebra munuscula sanctus amor non habet* (296). In magnum itaque progreditur malum clericus Regularis, qui occulte ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipit, quia voti sui violator existit. Verumtamen, quia confestim remitti meretur culpa, quæ confessione non extorta, sed voluntaria humiliter aperitur : jubetur ut ultro confitenti parcatur, et pro eo oretur : deprehenso autem, et testibus convicto, ut pœna gravior infligatur. Sequitur :

XI. *Vestes* (297) *vestras in unum habeatis sub uno custode, vel duobus, vel quot sufficere potuerint ad eas excutiendas ne a tinea lædantur : et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario.* Unum nobis esse vult vestiarium ad vestitum : unum quoque cellarium ad pastum ; hac tamen distinctione, ut unus, vel duo, vel etiam quando plures [*al.* Quamplures] necessarii fuerint, vestes nostras excutiant, ne a tineis corrumpantur. Non solum autem hoc : sed ne vestem, quam habet frater, quasi propriam habere se posse putaret, si in proprio loco eam sibi reponere liceret. Unde subjungitur, *Et si fieri potest, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur : utrum hoc recipiat unusquisque, quod deposuerat ; an aliud, quod alter habuerat, dum tamen unicuique quod opus est, non negetur. Si*, inquit, *fieri potest*, hoc est, etsi alicui hoc videatur difficile, pertinere certe nequaquam dico ad vos ut pro temporum congruentia indumentum vobis proferatur. Utrum vero hoc unusquisque recipiat, quod deposuit, an quod alter habuit, non multum curetur : dum tamen hoc solum quam sollicite provideatur, quatenus unicuique quod opus est, non negetur. Sic vobis, necessariis contentis, et renuntiantibus superfluis, dum juxta quod unusquisque indiget, nulli negatur : ultra quod opus est, a nemine vestrum requiratur. *Si autem hinc inter vos contentiones, et jurgia oriantur, et conqueratur aliquis deterius se accepisse, quam prius habuerat, et indignum se esse, qui non ita vestiatur, sicut alius frater ejus vestiebatur : hinc vos probate, quantum vobis desit in interiori illo sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.* Absit ut inter viros Religiosos pro habitu hoc exteriore querelæ, et murmura tumultuent, contentiones, et jurgia tonent : dummodo moderate habeatur, unde infirmum corpusculum illud tegatur. Certe quo plus litigatur pro habitu corporis, eo minus adest, in illo sancto interiore habitu cordis. Quis enim est habitus cordis? Nimirum ille pretiosus, et sanctus : decorus, et honestus virtutum spiritualium ornatus : quo homo ille interior amicitur, et de quo in Apocalypsi legitur : *Beatus, qui vigilat, et qui custodit vestimenta sua : ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus* (*Apoc.* xvi, 15). Ipse est egregius ille ornatus, quo vestiri electos voluit discipulos prædicator ille veritatis, quando ait : *Induite vos sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem, patientiam :* et cætera, quæ sequuntur spiritualium insignia virtutum (*Col.* iii, 12). Sed cum inter nos contendere incipimus, murmurare, et conqueri : ab his bonis spiritualibus statim vacui remanemus, et in nuditate horribili apparentibus nobis videtur turpitudo nostra. Videtur, inquam, et irridetur. Virtutes enim cum vitiis remanere non possunt : quia *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum ; nec habitabit in corpore subdito peccatis, et corripietur a superveniente iniquitate. Tamen si vestra toleratur infirmitas ut hoc recipiatis, quod posueratis, in uno tamen loco sub communibus custodibus habeie, quod ponitis : ita sane ut nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in unum fiant, majori studio, et frequentiori alacritate, quam si vobis singulis faceretis propria* (*Sap.* i, 4). Ideo in unum locum sub communibus custodibus habeatur : ut hoc ipsum, quod quasi in proprios usus accipitur, non proprium, sed commune credatur.

XII. Est autem contra omnem formam religionis, est et contra communionem fraternæ charitatis, ut aliquis, qui communem vitam est professus, quidquam sibi velit quasi proprium operari. Sed universa debent cœnobitarum opera in unum fieri ; quatenus sicut in uno loco commorantur, ita et in unum omnes operentur. *Charitas enim, de qua scriptum est, quod* non *quærat* quæ sua sunt, *sic intelligitur : quia communia propriis, non propria communibus anteponit.* Quæ cum anteponat communia propriis, dignum est, ut et nos anteponere ea studeamus : non propria communibus. Major est fructus charitatis, quam proprietatis. *Et ideo quanto amplius rem communem, quam propria vestra curaveritis ;* **288** *tanto vos amplius proficere noveritis : ut in his omnibus, quibus utitur transitura necessitas, supereminеat, quæ permanet, charitas.* Rebus solet temporalibus transitoria necessitas uti, in quibus semper apud nos supereminere charitas debet ; quam semper, et ubique propriis nos anteponere decet. Dignum plane, ut transitorio anteponamus, quod perpetuum est : necessitas illud, hoc charitas est. Illa transit, hæc autem manet. Nam *charitas nunquam excidit* (*I Cor.*, 8). Ipsa juxta Pauli sententiam supereminentior via est ; et idcirco am-

(296) *S. Hieron. Epist. ad Nep.*
(297) *Reg.* cap. viii, De communibus vestium custodibus.

Digitized by Google

bulantibus per eam, cuncta subesse debent. Quod nimirum cum agimus, amplius nos proficere, indubitanter scire debemus, quia apud eos quoque uberior est in conversatione spirituali profectus, apud quos major est in observatione charitatis interioris hominis fructus. *Consequens ergo est, ut etiam cum quis filiis suis, aut aliqua necessitate ad se pertinentibus in monasterio constitutis, aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiatur.* Utique consequens est, quod nihil occulte accipere debemus; dum quidquid accipimus, non quasi proprium habere, sed magis in commune referre jubemur. *Sed sit in potestate præpositi: ut in rem communem redactum, cui necessarium fuerit, præbeatur.* Sancta profecto admodum institutio hæc, et observantibus eam valde salubris. Sic quippe et avaritia vincitur, et superfluitas resecatur. Sic sancta, et sanctificans charitatis communio custoditur; et abominanda, ac cunctis viris Religiosis detestanda proprietatis abusio contemnitur. Et audite, qualiter sanctus Benedictus super hæc beato Augustino consentiat: *Si*, inquit, *a parentibus suis monacho quidquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit abbati. Quod si jusserit suscipi, in abbatis sit potestate, cui debeat illud dari. Et non contristetur frater, cui forte directum fuerit: ut non detur occasio diabolo. Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subjaceat.* Certe cum aliquid canonico inter necessaria deputandum fuerit collatum: si id absque gratia, et non sine extorta, quæ soror est inobedientiæ, prælati sui licentia, ad suum referre præsumpserit usum, voti sui, quod distinxerunt labia sua, est violator, et sanctæ, quam tenere promisit, hac in parte Regulæ destructor. *Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.* Criminale, ac mortale esse peccatum, furtum, nemo est pene, qui ignoret. Unde et in legibus sæcularibus judicium mortis est viro, qui facit furtum. Ita certe et in anima, vita spirituali privantur, qui furtum operantur. Frater utique, qui rem sibi collatam celat, illius in hoc imitator est, de quo legitur in Evangelio: quia *fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat* (*Joan.* XII, 6). Qui etiam, dum furti in se abominationem non correxit, usque ad Domini sui proditionem pervenit: et in finem *laqueo se suspendit* (*Matth.* XXVII, 5). Timeat igitur frater rem sibi collatam celare: ne finem similem incurrat. Sequitur:

XIII. *Indumenta* (298) *vestra secundum arbitrium præpositi laventur, sive a vobis, sive a fullonibus: ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus.* Quænam aliæ interiores sordes animæ sunt, nisi quibus inquinari solet, peccata, et iniquitates? Sed, ne contagia hæc interiora contrahantur, dum nimium mundæ vestis appetitus habetur: conceditur quidem, ut indumenta exteriora laventur. *Lavacrum etiam corporis, cum infirmitatis necessitas cogit, minime denegetur. Cum infirmitatis*, inquit, *necessitas cogit:* non, cum voluntatis superfluitas exigit. Semper enim et necessitati adesse, et superfluitati deesse debemus. *Fiat sine murmure de consilio medici: ut etiamsi nolit, jubente præposito faciat, quod faciendum est pro salute. Si autem velit, et forte non expedit, suæ cupiditati non obediatur.* Hoc est, quod modo diximus: quia etiam contra voluntatem languentis, per consilium medici, consulendum est ipsius saluti; et etiamsi voluerit, non est obediendum ejus cupiditati. Et quare hoc? Sequitur: *Aliquando enim etiamsi noceat, prodesse creditur, quod delectat.* Sic enim plerumque, sua homo cupiditate decipitur; ut quod nocet, sibi prodesse arbitretur. Hoc autem discernere ad prælatos proprie pertinet, ut modum utrisque imponant: illos cogentes facere, quod faciendum est pro salute; hos autem reprimentes, ne faciant quod carnali appetunt cupiditate. cui nullo modo obediendum est. Sed quia hæc de infirmitate locutus est, quæ in aperto patet: subjungit et de dolore, qui in occulto latet: *Denique si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur.* Qui Deo famulatur, crimen incurrere mendacii modis omnibus abhorrere solet. Idcirco in eo, quod famulus Dei est, ei nullo modo **289** discredi debet; quia talis pro certo agnoscitur, eo quod per mendacium delinquere in lingua sua detestatur. *Sed tamen utrum sanando illi dolori, quod delectat, expediat: si non est certum, medicus consulatur.* Et si ejus verbis, eo quod famulus Dei est, sine dubitatione credendum est: non tamen statim, nec semper ejus desideriis acquiescendum est; quia et ipsos Dei famulos illicita plerumque desideria tentant. Nam licet semper delinquere in lingua sua scienter per mendacium devitant: quandoque tamen ignoranter ad illicita desideria, ut homines decepti in mente, et ipsi declinant. Sed, si certum non est, qui de incerto faciat certum, quæratur; hoc est, medicus super hoc consulatur. *Nec eant ad balnea, sive quocunque ire necesse fuerit, minus quam duo vel tres.* Quod de balneis facit mentionem, ad id pertinere videtur, quod de lavacro corporis paulo ante præmisit. Ad quæ balnea, sive quocunque ire necesse fuerit, prohibet ne *minus quam duo, vel tres eant*: ut in itinere quam maxime habeamus nobiscum et nostræ conversationis testes, et famæ custodes. *Et ille qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus præpositus jusserit, ire debebit.* Quatenus videlicet securitatem personæ provideat prælatus, et virtutem nihilominus obedientiæ exsequatur subjectus.

XIV. *Ægrotantium cura, sive post ægritudinem reficiendorum, sive aliqua imbecillitate etiam, seu febribus* [*al.* sine febribus] *laborantium, uni alicui debet injungi, ut ipse de cellario petat, quod cuique opus esse prospexerit.* Eligendus est frater timens Deum, et

(289) *Reg.. cap.* IX, De ablutione vestium et cura infirmorum.

Digitized by Google

amans proximum, qui curam circa infirmos maximam gerat, et quod eis opus fuerit, pro posse, et pie ministrare studeat, et eo eis juxta quemdam modum affectu deserviat, ac si ipsi deserviret, qui in judicio dicet : *Infirmus fui, et visitastis me* (*Matth.* xxv, 36,-40). Et iterum : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Sed et ipsi infirmi* (*ibid.*) ut sanctus admonet Benedictus, *considerent in honorem Dei sibi serviri : nec superfluitate sua contristent fratres servientes sibi.* Qui tamen, ut idem subjungit, patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur : *Sive autem qui cellario, sive qui vestibus, sive qui codicibus præponuntur, sine murmure fratribus suis serviant.* Officiales, qui in cœnobio sunt, cæterorum fratrum ministri sunt. Res namque eorum fideliter custodiendas, et utiliter dispensandas præcepto abbatis susceperunt; et ideo non minor stultitia, quam culpa est, si eis de his, quæ sua sunt, cum murmure serviunt. *Codices certa hora singulis diebus petantur : extra horam qui petierit, non accipiat.* Quod diebus singulis peti codices jubet, frequentiam nobis lectionis persuadet : ut sicut quotidie ad refectionem, invitante ipsa irrefragabili naturæ consuetudine, accedimus corporalem : ita quoque nulla die negligamus spiritualem. Quod autem certa hora peti eos imperat, et extra horam petentes accipere vetat, inter tempus nimirum, et tempus distinguere curat. Cum enim, ut ait Ecclesiastes : *omnia tempus habent* (*Eccli.* III, 1) : sicut nullo tempore pravum opus fieri debet : sic opus etiam bonum in hoc quoque reprehensione dignum est, si tempore congruo factum non est. *Vestimenta vero, et calceamenta, quando indigentibus sunt necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur.* Ad hoc attinet, quod in præcedentibus, de quibus jam egimus, jubet, ut sine murmure fratribus suis serviant. Nam, quando necessaria his, qui indigent, dare differunt, occasionem murmurandi fratribus præbent : si tamen quæ danda sunt habent, sed ea dare nolunt. Unde et dare eis præcipit, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur. Nam dare non possunt, quæ sub eorum custodia non sunt. Illi igitur ea dare non differant, cum adsunt; hi autem importune petere non præsumant, cum desunt : ut dum nec illi danda, et jam habita, avare retinent : nec isti quæ deesse sciunt, anxie extorquent, condignam tam ipsi pro largitate, quam isti pro patientia percipere mereantur retributionem : ipso præstante, qui et bonorum omnium Largitor, et patientiæ electorum suorum pius est Remunerator; qui super omnia Deus est benedictus in sæcula, Amen.

SERMO XI.

Ab iis verbis S. legislatoris Augustini : « lites aut nullas habeatis, » usque ad « spiritualis inter vos ebet esse dilectio. » De cavendo litigio. De partis læsæ reconciliatione et fraterna dilectione.

290 Synopsis sermonis. — 1. Discordiæ litigium cacodæmonis incentivum et malitiæ seminarium. — 2. Linguæ lubricitas causa frequens litigii, quod ex toto quis vix devitet. — 3. Silentium præsens remedium vitandæ litis, quæ instar ægritudinis est et festucæ . odium instar trabis et mortis. — 4. Damna litigiosi genii seminantis inter fratres discordias. — 5. Pacis violationi mox succedat reconciliatio, qua omnis animi inquietudo ac proximi tollatur offendiculum. — 6. In læsione fraternæ charitatis cavenda tria: convicium, maledictum, objectus criminis · et quod partis læsæ, et lædentis officium. — 7. Irascentium genera, et discrimina inter se expensa. — 8. Exercitia religiosa sunt quædam sacrificia, quæ non placent, nisi pulsa discordia. Triplicia sacrificia totidem gradibus vitæ spiritualis respondent.—9. Nec carnis suæ prodest mortificatio grassante discordia: frustra in monasterio sunt simulati atque obstinati. — 10. Ad fraternam concordiam detinendam, ejusque læsionem fugiendam parænesis. — 11. Ad quod vates sacer hortabatur, gladios utique in vomeres, et lanceas mutandas in falcem. — 12. Factis per linguam vulneribus per veniæ petitionem medendum, quod in excessu correptionis ad superiores non extenditur. — 13. A quibus superiores veniam non petant, qui a Deo semper petendam habent. — 14. Dilectio alia carnalis, alia spiritualis, causa omnis boni, malive : inter Religiosos sit spiritualis. — 15. Nemo dilectionis expers : qualis erga Deum, seipsum, proximum habenda. — 16. Amor sui nunc degener a statu innocentiæ. Sit pius, justus, sobrius. — 17. Amor spiritualis velut paradisus Deo jucundus, hominibus utilis : quatuor scaturit fluminibus. — 18. Est forma, decor, perfectio virtutum : varie in Scripturis obumbratus, plures cogens in unum. — 19. Effecta charitatis conglobata, quæ genium ejus magis elucidant.

1. Multa sunt, fratres charissimi, criminum genera, quibus antiquus ille, ac versipellis humani generis inimicus animam hominis illaqueare solet, atque ab arce virtutum dejectam in ima vitiorum prosternere. Varii, inquam, sunt flagitiorum, ac facinorum modi, quibus pestifera illius suggestione, fatigatus, delectatione concussus, consensu devictus, actione prostratus, consuetudine ligatus, diabolo miser homo subjicitur, et a sanitate spirituali, quam confert, et conservat conscientiæ puritas, et sanctæ conversationis integritas, mediante languore culpæ, in mortem proruit pœnæ. Inter universa vero mala hæc, in quibus causa et occasio consistit humanæ perditionis magnum, et pene summum in malitia tenet locum horror discordiæ et contentionis; quæ miseram mentem, quam tabe sua mortifera inficit, omni penitus, ut breviter dicamus, et bono evacuat, et malo replet. Universam siquidem in corde serenitatem spiritualem obnubilat, claritatem obscurat, amœnitatem transfert in horrorem, dulcedinem vertit in amaritudinem, quietem in perturbationem commutat, in odium amorem, pacem in litem, concordiam in defensionem, benignitatem in malitiam, in mortem denique vitam. O malum aliorum malorum pessimum! Cujus respectu bona quodammodo et cætera mala sunt. Hoc a nobis excludere beatus Augustinus voluit detestabile malum, quando ait (299) :

II. *Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis : ne ira crescat in odium, et trabem faciat de*

(299) *Reg.* cap. II, de cavendo litigio.

Digitized by Google

festuca, et animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit fratrem suum, homicida est (*I Joan.* III, 15). Quam salubris exhortatio, *lites aut nullas habeatis!* Sed paucorum istud est, et maxime hoc miserabili tempore : quando ex insita sibi infirmitate ad malum discordiæ tam pronus homo, tamque proclivis est. Lingua quippe hominis semper in lubrico est, et prona ad lapsum. Ipsa maculat totum corpus nostrum, et inflammat rotam nativitatis nostræ; quam nullus hominum domare potest. *Qui autem in verbo non offendit, hic perfectus est vir* (*Jac.* III, 2). Unde tam sæpe contingit, ut ad lites proruant homines? Quia, dum linguam non restringunt, usque ad noxia pertingunt. Unde, quia difficile noverat sanctus Augustinus lites ex toto semper cavere, magis ut eas cito terminemus, admonere curavit, quam ut eas omnino declinemus imperare præsumpserit. Idcirco non præcise jussit, ut lites nullas habeamus; sed disjunctive, *lites*, inquiens, *aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis*. Exhortari, ni fallor, vir sanctus voluit, ut nullas penitus lites haberemus; sed quia humanam infirmitatem considerans, hoc valde arduum agnovit, saltem eas cito finiri admonuit. Ait ergo : *Lites aut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis.* Ac si apertius diceret : Aut nullas penitus inter vos lites habeatis; aut quia ad hunc conscendere gradum non multorum sed paucorum, non infirmorum sed fortium, non incipientium sed perfectorum est : quam celerrime finiatis : ut vel ad finem mali festinetis, quod ex toto devitare non potestis, ne vel ex parte aliqua [in pejorem aliam *vel* in totum malum *deesse videtur*] incurratis. **291** Et ideo inquit : *quam celerrime finiatis, ne ira crescat in odium.* Sic certe multoties videmus, quod apud eum videlicet, ira in odium crescit qui celerem litibus terminum non imponit.

III. Considerandum inter hæc, quam necessaria est unicuique pacem habere volenti, virtus silentii quæ et perturbationes devitat, et pacem conservat: causas in se continens, et occasiones, quibus valet et horror litis declinari; et pacis lenitas acquiri, et acquisita denique retineri. Nam, juxta illam Sapientis sententiam, *qui imponit stulto silentium, iras mitigat* (*Prov.* XXVI, 10). Merito sanctus David posuit *ori* suo *custodiam : cum consisteret peccator adversus* eum. Obmutuit, et siluit *etiam a bonis* (*Psal.* XXXVIII, 2, 3). Ira utique in odium crescit, cum lites celeriter non finimus; quia cum modica spernimus, in majora proruimus (*Eccli.* XIX, 1) ; et dum præcavere negligimus ægritudinem, plerumque usque in ipsam mortem proruimus. Velut enim quædam ægritudo ira est : nam plena, ac perfecta, quæ odium est, mors est. Est quippe odium ira inveterata, in quamdam quodammodo perpetuitatem indurata : ita ut vix finiri queat, dissolvi vix possit. Ex hac quippe pestifera matre, horror plerumque nascitur desperationis mortiferæ; quæ ad illam blasphemiam pertinet, de qua Dominus dicit : quod *non remittetur in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* XII, 32). Ipsa quippe peccatum est ad mortem : quia et est usque ad mortem, nec debet ante mortem remitti; dum non valet ante mortem finiri. Et quidem si non ante mortem, nec post mortem ; quia, dum ante mortem, peccatum criminale, quod æternæ damnationi est obnoxium, non deseritur, ejus post mortem frustra venia postulatur. Ecce ad quam grande homo malum pertingit, cum celerem litibus finem non imponit : quia *ira crescit in odium*, commotio videlicet animi ira efficitur inveterata, et in quemdam jam est congelata furoris valde durabilis motum. *Et trabem*, inquit, *faciat de festuca.* Quantum inter trabem, et festucam : tantum inter odium, et iram. Et cum transit in odium ira, quasi in trabem vertitur festuca. Odium quippe, quod est ira inveterata, tantum ex vetustate malitiosa robur perniciosum accipit : ut quæ dum simplex ira fuit, quasi festuca dici potuit, jam accedente duritia insensibili, ac perseverantia, merito trabes possit appellari. Et cum mentis oculum festuca turbet, trabes penitus excæcat.

IV. Ecce dum non finiuntur quam celerrime lites, crescente in odium ira, trabes efficitur de festuca : et in peccatum criminale venialis transit offensa, et simplex in ipsam mortem ægritudo. *Et animam faciat homicidam.* Nam coram oculis Dei quodammodo homicidium perpetratur, cum proximus odio habetur. Cum itaque crescit in odium ira, et anima consequenter efficitur homicida; quia dum alterius mors, seu spiritualis, seu corporalis desideratur, injusto, ac terribili omnipotentis Dei judicio, ex ipsa malitiosa voluntate, qui eam desiderat, capitæ mortis reus tenetur. Ad confirmandam vero veritatem sententiæ suæ, auctoritatem ad medium ducit sacræ Scripturæ, et dicit : Sic enim legitis : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III, 15). Utique qui odit, homicida est : quia quam mente desiderasti, jam, coram Deo, mortem intulisti. Ecce quot, qualium, vel quantorum malorum occasiones, et causæ lites sunt : nec tantam perditionem inferunt, quia solummodo habentur; sed quia quam celerrime non finiuntur. Quapropter, fratres mei, horribilia toto studio, semper et ubique declinate hæc tonitrua : quæ cum auribus terribili tumultu obstrepunt, ipsa mentium interiora et radicitus suffodiunt, et frustatim comminuunt, incidunt et cruentant, dispergunt et dissipant, usque ad favillam exurunt et in nihilum penitus redigunt. Væ illis, qui lites, et contentiones amant, et amando fovent! Dico vobis, fratres mei, nescio quid, juxta quemdam modum, inter viros religiosos deterius esse potest. Specialiter, ut mihi videtur, filii diaboli sunt, qui litibus vacare dulce habent, contentionibus tumultuare et seminare discordias inter fratres. Denique si verum est quod dixit Salomon, detestatur eos Deus (*Prov.* V, 12). Utique in unum conveniunt, et ad unum finem referendi sunt, inter agnos lupi, et inter simplices fratres isti. Ut inter anguillas serpentes, sic in fratrum consortio, tales

Digitized by Google

Videas apud eos, cum hoc fuerint detestabili furore correpti, et a se longe, extra se projecti, ignescere oculos, faciem pallere, tremere vultum, spumare labia, erigi supercilia, frontem extendi, nasum contrahi, caput concuti, os torqueri, balbutire linguam, tonare contumelias, minas pluere, verborum grandines ruere, manus complodi, totum denique corporis statum confundi. Percussi, et percutientes; concussi et concutientes; commoti, et commoventes; turbati, et turbantes; exasperati, et exasperantes; inflammati, et inflammantes; felle cibati, et cibantes; **292** aceto inebriati, et inebriantes; malitia denique omnimoda lethaliter infecti, et inficientes. Quandiu aliquem, cum quo litigent, præsentem habent, lites finire nec volunt, nec valent; ad instar indomabilium equorum, quorum cursibus non manus refrenantium, sed ipsa lassitudo finem imponit.

V. Vos autem, fratres, non sic. Non sic, inquam, vos, non sic; sed longe semper magis, ac magis facite a vobis abominabile istud, ac detestabile malum. Vos, dico, qui non tam audiendo, quam experiendo didicistis, et quidem jugiter : *Quam bonum sit, et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII, 1). *Lites*, ut vester vos admonet Pater, *ut nullas habeatis, aut quam celerrime finiatis: ne crescat in odium ira, et trabem faciat de festuca : fiatque anima homicida.* Quod si forte inter vos aliquis, ut nonnunquam contingere assolet, quodque plerumque difficulter devitari valet, fratrem suum modo aliquo injusto turbaverit : nullam sibi penitus pacem hora aliqua, vel momento quietem indulgeat, quousque sedatum eum plene, atque pacatum omnibus quibus modis potuerit secundum Deum, et debuerit, in priorem serenitatem reponat. Unde et sequitur : *Quicunque autem convicio, vel maledicto, vel etiam crimine objecto aliquem læserit, meminerit satisfactione quantocius curare, quod fecit.* Et bene quantocius : ne mora aliqua tardare satisfactionem aliquam patiamur. Quam celerrime jubet lites finiri : jubet et quantocius satisfactione, quod læsum est, curari; ne ita hic ira læsi, in odium transeat : sicut et ibi dictum, ne ira in odium crescat. Solet namque læsus amarissima multoties apud se recordatione, cum ipsum jam læsionis transierit tempus, ruminare, quod verbis in eum duris, et asperis jaculatum est : ipsum autem, a quo jaculatum est absentem in tristi et horribili imagine repræsentat; præsentem vero oculis ignitis, fronte rugata, superciliis erectis, vultu minaci intuetur; silens quidem apud eum, in foro cordis multiloquium strepit, volvit ipse, et revolvit quæ audivit; et interrogat, et audit; interrogat mutus, et audit surdus : nulli vacat, ei intento, et detento interioribus istis tumultibus, spirituali exercitio intendere : non pure valet orare, non studiose legere, non munde meditari : non mansuete quidquam proferre, non aliquid utile agere, non denique in necessariis ipsi corpori plene consulere, non comedere videlicet, non pausare, nullam penitus vel in mente quietem, vel in corpore suavitatem habere. Displicet ei quidquid videt; nihil quod audit placet; horrori sibi, et fastidio omnia sunt. Nec aliquid ei vel bonum adesse, vel malum valet abesse, quousque humilietur, ac plene satisfecerit ipse, qui læsit. Cum autem ei perfecte satisfactum fuerit : ut sole fulgente umbræ evanescunt, ita et hæc, redeunte serenitate, mala omnia recedunt. Nescio autem qualem habere potest animum, qui fratri suo causa, et occasio est, ut tantum malitiæ cum absorbeat profundum. Certe non bonam, sed cauteriatam conscientiam habere necesse est, per quem tot ac tanta, ac talia eveniunt mala. Nam *væ illi per quem scandalum venit* (*Matth.* XVIII, 6, 7). Utique si verum dixit, qui nullo modo mentiri potest : *expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*ibid.*).

VI. Ecce quare præceptum est Patris nostri, ut qui læsit, studeat quantocius curare quod fecit : ne videlicet, si satisfactio tardaverit, usque in immensum se furor læsi extendat. Notandum vero, quod tria specialiter expressit, quæ in fratris cavenda esse læsione admonuit : convicium, maledictum, criminis objectum. Singula hæc valde gravia sunt. Nam gravis admodum culpa est, cum fratri suo aliquis conviciatur : quia *qui dixerit fratri, fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* v, 22). Deinde cum maledicit : quia maledici regnum Dei non possidebunt. Magno igitur se sciant obnoxios reatui, tam conviciantes, quam maledici; quia de illis dicitur, quod damnabuntur; de istis vero, quod non salvabuntur. Crimen quoque fratri objicere, quis grande esse peccatum nesciat? Merito jubetur, ut studeat quantocius ille, qui læsit, satisfactione curare quod fecit; qui videlicet convicio, vel maledicto, vel crimine objecto aliquem læsit : quatenus quo periculosiora sunt vulnera, quæ incurrit, eo nimirum citius, et sollicitius superinducto satisfactionis remedio, illa sanare procuret. Medelam adhibere ei, qui vulneratus est, non tardet; curationem efficacem non negligat : ne forte (quod multum præcaveri debet) et vulneribus putredinem inferat mora, et mortem vulnerato negligentia. *Et ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Sine disceptatione*, inquit, *læsus dimittat :* si jam lædens quod fecit, quantocius curat. Et ideo sine disceptatione, quia plena remissio non est, quando in dimittente disceptatio est. Tunc autem læsus plene dimittit, quod ei lædens intulit, quando in nullo eum penitus post remissionem minus diligit, quam ante remissionem [*f.* læsionem] eum diligebat. Nam si **293** quid ei de affectu pristino tollit, aliquid adhuc apud se quasi tenet, et non dimittit. Igitur et ille quod fecit, satisfactione quantocius curet, et iste nihilominus sine disceptatione dimittat : quatenus et ille ex totis cordis medullis quidquid læsionis fecit, fecisse se pœniteat, nequaquam ulterius

Digitized by Google

lædere præsumens : et iste quoque hoc modo pœnitenti plene indulgeat, nihil prorsus erga eum ob hoc amoris minus in mente habens. *Si autem invicem se læserint ; invicem sibi debita relaxare debebunt propter orationes vestras, quas utique quanto crebriores habetis, tanto sanctiores habere debetis.* Apte quidem, ut sicut neuter ab alterius læsione abstinuit : ita et in remissionem alternam neuter alteri desit. *Propter orationes*, inquit, *vestras* ut sicut invicem sibi debita relaxant, ita ut et relaxent, et a Domino veniam mereantur consequi, vestræ orationes succurrant. De quibus orationibus bene dicitur quod, quanto eas crebriores habemus, tanto et sanctiores habere debemus, quia multum quoque spiritualis sanctitatis conferre ipsa earum frequentia debet.

VII. Sequitur : *Melior est autem, qui, quamvis ira sæpe tentatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam : quam qui tardius irascitur, et ad petendam veniam tardius inclinatur.* Quamvis bonum non sit etiam semel cadere, tamen minus malum est etiam sæpius ruere, si tamen toties perseverans resurrectio succedit, quoties aliquando quoque cessatura ruina præcedit, quam sic semel prosterni, ut nunquam deinceps contingat erigi. Ita sentire possumus, et debemus, et de duobus istis, quæ præponuntur : de eo videlicet, qui propriæ infirmitatis tentante instabilitate cito movetur, et suum humiliter agnoscens excessum cito humiliatur; et de eo, qui tardius commotioni assentitur, et tardius humilitati se submittit. Notandum vero est quod duo hoc in loco beatus Augustinus genera exprimere videtur irascentium; unum videlicet eorum, qui cito quidem commoventur, et festine humiliantur; alterum vero qui tarde econtra ad iram provocantur, et tarde ad humilitatem inclinantur. Ex his duobus generibus, secundum asserit esse deterius primo. In quinto quoque libro Moralium hæc duo beatus Gregorius tangit; et alia duo expresse tangere non omittit. Unum scilicet, quod cito movetur, et tarde humiliatur; aliud vero quod econtra tarde irascitur, et citius ad mansuetudinem inclinatur. Horum autem duorum subsequentium, primum longe deterius est secundo : sic illorum præcedentium secundum deterius primo. Dicit de his (300) hoc modo : *Sciendum vero est, quod nonnullos ira citius accendit, facilius deserit ; nonnullos vero tardius quidem commovet, sed durius tenet. Alii nāmque accensis calamis similes, dum vocibus perstrepunt, quasi quosdam accensionis suæ sonitus reddunt : citius quidem flammas faciunt, sed protinus in favillam frigescunt. Alii autem lignis gravioribus, durioribusque non dispares accensionem tarde suscipiunt, sed tamen semel accensi difficilius extinguuntur : et quia tardius in asperitatem se conciant, furoris sui diutius ignem servant. Alii (quod est nequius) et citius iracundiæ flammas accipiunt, et tardius deponunt ; nonnulli vero has et tarde susscipiunt, et citius amittunt. In quibus nimirum quatuor modis liquido lector agnoscit, quod et ad tranquillitatis bonum ultimus plus quam primus appropinquat, et in malo secundum tertius superat.* Hæc vobis ideo ad mentem revocavimus, ut ad remittendum ei, qui licet festine moveatur, tamen ad pœnitentiam cito humiliatur, inflexibiles non sitis, scientes illum esse meliorem, quam qui tardius irascitur, et tardius ad petendam veniam inclinatur.

VIII. *Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiamsi inde non projiciatur.* Ad hoc quoque in monasterio sumus, ut quotidiana, imo assidua, tam nocte quam die, nostra Deo omnipotenti sacrificia offeramus. Quæ autem sacrificia, nisi sancta exercitia nostra? Quidquid enim boni agimus : seu videlicet cum maturitati silentii insistimus, seu cum pro ædificatione proximi linguam in verba relaxamus, seu cum lectionibus assidemus, seu cum meditationibus studemus, seu cum operibus necessariis operam damus, seu cum orationibus incumbimus, et maxime cum sanctis ipsis altaribus concussi, et liquefacti astamus : ad spirituale pertinet sacrificium nostrum, quod Patri omnipotenti per Filium ejus Jesum Christum, unicum Dominum nostrum, in sancto utriusque Spiritu immolamus. Sed nec istud profecto, nec ullum aliud, quod in hunc modum est sacrificium suscipitur, nisi prius ex animo discordia pellatur. Et ipsam quidem non depellis; nisi cum ab eo, quem læsisti, humiliter veniam petis. Dicitur namque tibi, ut **294** relinquas munus tuum ante altare, et antequam illud offeras Deo, vadas reconciliari fratri tuo (*Matth.* v, 24). Et oratio est Psalmistæ super hoc, hunc habens modum, *Benigne fac, Domine : in bona voluntate tua, Sion, ut ædificentur muri Jerusalem* (*Psal.* L, 20). In bona voluntate sua benigne facit Deus Sion, quando mentem, ad quam pertinet ipsum nunc per speculum in ænigmate videre (*I Cor.* XIII, 12). in beneplacito gratiæ suæ visitare dignatur. Et hæc quidem ad hoc, ut muri Jerusalem ædificentur : virtutes videlicet in interiore homine nostro construantur, quibus veræ pacis contemplatio et munita, custoditur, et custodita munitur. Nam *visionem pacis*, ut scitis, Jerusalem sonat. Ad hoc itaque, ab eo, qui omnium est bonorum Largitor, totis cordis medullis gratiæ internæ visitationem petere debemus, ut illibatam et inviolatam in mente nostra tenere possimus erga Deum et erga proximum pacem, quatenus benigne faciat Dominus in bona voluntate sua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem. Et adjunxit Psalmista : *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos* (*Psal.* L, 21). In veteri dudum lege sacrificium dicebatur, quando animalia offerebantur; oblatio, quando de rebus siccis aliquid contingebat offerri; holocaustum quoque dicebatur, quando totum in altari accendebatur. Ad eos itaque, ut de horum differentia paulo latius loquamur, sacrificium

(300) S. Greg. l. v *Mor.*, c. 32.

Digitized by Google

videtur pertinere, qui spiritu in se facta carnis mortificant, et quidquid in se carnale illicite vivere appetit, continentiæ jugulo trucidant. Oblatio vero ad eos, qui se ad interiora semper extendentes, ac discernentes et meliora decernentes, de virtute in virtutem corroborantur per Spiritum Dei in interiori homine; et ad perfectum sanctæ novitatis tramitem spirituali magis ac magis conversatione tendunt. Nam holocaustum eos specialiter innuit, qui devictis illicitis carnis motibus, calcatis ex toto desideriis terrenis, ad ipsum jam perfectionis fastigium pennis cœlestium desideriorum evecti pervenerunt: totos, ut ita dicam, se in solius Conditoris sui amore tenentes succensos, et tenaci imo insolubili veræ dilectionis glutino ei unitos. Primi itaque incipientes, secundi proficientes, tertii vero perfecti sunt. Primi ambulant in plano; secundi ascendunt in clivo; tertii volant in summo.

IX. Vitulos quoque super altare imponimus, quando lascivientes in nobis motus cultro maturitatis ad imitationem Christi mortificamus. Cum autem sacrificium, oblationem et holocausta habuerimus, non deerunt plerumque vituli, quos necesse est, ut super altare imponamus; quia cum motus in nobis carnales subjicimus; cum in spirituali conversatione multum proficimus; cum ipsum perfectionis culmen nos apprehendere putamus: quosdam nonnunquam in ipsis arcanis cordis nostri insolentes lasciviæ motus, tentante nos vel voluptate, aut curiositate, aut certe vanitate erumpere sentimus, quos opus, ut descendentes super cadavera volucres cum Abraham abigentes (*Gen.* xv, 11), spirituali quodam imperio ex imitatione Christi animati mentis dominio subjiciamus. Sed quid esse putamus, quod sanctus David tunc dicit Dominum acceptaturum sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta: tunc etiam imponendos super altare vitulos (*Psal.* l, 21), cum prius ad ædificandos muros Jerusalem, benigne facit Deus in bona voluntate sua Sion. Nimirum ad hoc pertinet, quod nobis Deus præcipit, relicto munere nostro ante altare, prius ire, et reconciliari fratri nostro, et tunc venire, et offerre munus nostrum (*Matth.* v, 24). Cum igitur, fratres, ad hoc in isto monasterio simus, ut talia Deo omnipotenti in sancta conversatione sacrificia offeramus; ea autem Deus non accipiat, si fratribus nostris non reconciliamur; pro eo, ut jam docuimus, tunc acceptet sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta; tunc imponendi sunt super altare vituli, cum ad ædificandos muros Jerusalem benigne faciat in bona voluntate sua Sion: quid concluditur, nisi hoc quod in loco isto beatus Augustinus dicit: eum videlicet sine causa esse in monasterio, etiamsi inde non projiciatur, qui petita humiliter venia fratri suo non reconciliatur? *Ille*, inquit, *sine causa est in monasterio, etiam si inde non projiciatur, qui non vult petere veniam, aut non ex animo petit.* In quibus verbis duo nobis mala subintelligenda relinquit: duritiem videlicet obstinationis, et duplicitatem simulationis. *Qui*, inquit, *non vult petere veniam:* ecce obstinatio. *Aut non ex animo petit:* ecce et simulatio. Patet itaque ex his, obstinatos sine causa esse in monasterio, et simulatos; quia nullam specialem salutem operantur, quos vel 295 insensibilitas duros, vel duplicitas exhibet fictos. Quid ergo est? Utique necesse est, ut veniam petere velimus, et ex animo petamus; ne sine causa in monasterio simus, etiamsi inde non projiciamur, si nos vel obstinatio inflexibiles, vel simulatio duplices reddit. Videte, fratres, ad quæ, qualia, quot et quanta mala proruimus, cum verba aspera, quæ lites concitant, non declinamus. Hinc salubris quoque exhortatio subinfertur, cum dicitur: *Proinde vobis a verbis durioribus parcite.* Certe bonum hoc; quia, ut ait Salomon: *Responsio mollis frangit iram et sermo durus excitat furorem* (*Prov.* xv, 1). Declinate, fratres, verba dura, verba amara; suavia quoque proferte, et dulcia in usu habete. Mementote, quia scriptum est: *Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos* (*Eccli.* vi, 5).

X. Ne sint, quæso, aliqui inter vos perturbatores pacis, unitatis divisores, turbati, et alios turbantes, seminantes *inter fratres discordias* (*Prov.* vi, 19). Quales Deus non modo odit; sed et detestatur eos anima ejus, mortiferum illud, quo ipsi inflati sunt, venenum non solum per pravæ conversationis exemplum propinantes; sed et per suggestionem perniciosi consilii aliis infundere gestientes. *Vos autem, fratres, non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu* (*Ephes.* iv, 20). Pax vobis, speciale ipsius pacifici nostri verbum est. *Hæc*, inquit, *locutus sum, ut in me pacem habeatis* (*Joan.* xvi, 33). Item: *Pacem habete*, ait, inter vos (*II Cor.* xiii, 11). *Qui conturbat vos, portabit judicium, quicunque est ille* (*Gal.* v, 10); et: *Qui* tangit *vos, tangit pupillam oculi mei* (*Zach.* ii, 8). Vox Domini est, in Apostolo loquentis, et Propheta. *Idem* ergo *sapite: pacem habete, et Deus pacis, et dilectionis erit vobiscum* (*II Cor.* xiii, 11). Unusquisque vestrum modis omnibus ab alterius caveat læsione, sollicitum se exhibens *servare unitatem Spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* iv, 3), si fieri potest, quod ex se est, cum omnibus hominibus pacem habens: quia sicut, teste Domino, filii Dei vocantur pacifici (*Matth.* v, 9), sic audenter dico, quod filii diaboli vocari digni sunt, qui seminatores discordiæ sunt. *A verbis* itaque *vobis durioribus parcite.*

XI. Impleatur illa in vobis prophetia, quæ talis est: *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces* (*Isa.* ii, 4). Et adjunxit: *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium* (*ibid.*). Gladius et lancea arma sunt, et vulnera infligunt; vomer autem et falx instrumenta quædam usui humano valde necessaria sunt, et hominum pastui serviunt. Sed cum, arma gladius et lancea sint eo minus gladio percutimus; lancea vero longe posita attingimus. Similiter cum instrumenta vomer et falx valde necessaria sint: vomere

Digitized by Google

quidem terram suffodimus in arando; falce vero segetem secamus in metendo. Et quid esse putamus gladios, et lanceas, nisi duras verborum asperitates, et asperas eorum duritias, pacem in auditorum cordibus perturbantes? Nonne hoc sensit sanctus David, qui linguam asserit filiorum hominum gladium acutum (*Psal.* LVI, 5). Gladio itaque, et quidem valde acuto proximum feris, cum cum verbo probroso, et aspero tumore superbiæ afflatus aggrederis. Sed converte gladium tuum in vaginam (*Matth.* XXVI, 52), in teipsum convertito ferrum, increpans, et accusans teipsum, considerans magis trabem, quæ est in oculo tuo; quam festucam, quæ est in oculo fratris tui (*Matth.* VII, 3): et [propriæ] accusationis acumine [suffodiens interiora tua, qui proximi iratus pungere solebas etiam exteriora. Lanceis vero longe positos tangis, dum absentes a verbis detractionis tuæ quietos esse non sinis: Deo te odibilem exhibens, dum surdo contra legem maledicere præsumis (*Lev.* XIX, 14); consumptione nihilominus te exhibens dignum, dum symbola dans, et venenosis potibus vacans, carnes quoque ad vescendum confers (*Prov.* XXIII, 21). Sed tam proximi, quam propria bona ubique amoris amplectere, et quod te in futuro ob hanc benevolentiam manet, præmium intuere. Quod si sollicite agere studueris, nimirum lanceas tuas mutabis in falces, dum tam proximi, quam propriis, modis omnibus, benedictionibus insistens, agnoscis te de benedictionibus messurum vitam æternam (*Gal.* VI, 8); atque a derogationibus proximi cessans, illis intendis utilitatibus sermonis, pro quibus dignus sis in futuro præmium æternæ recipere refectionis. Non levet, quæso, in vobis gens contra gentem gladium: sed a verbis vobis durioribus parcite. Quod quidem tunc agitis, cum *vos non defendentes*, ut Apostolus admonet, datis *locum iræ* (*Rom.* XII, 19). Sed nec exerceamini ad prælium: vobis a verbis durioribus parcentes. Quod certe tunc facitis, cum honore invicem prævenientes, et in humilitate, superiores spiritu vos invicem arbitrantes: nequaquam efficimini inanis **296** gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. Quam salubre igitur verbum hoc, a verbis durioribus parcite. Quod si forte verba vos duriora proferre contigerit: audite, quid beatus Augustinus adjungat.

XII *Quæ si emissa fuerint ex ore vestro: non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta vulnera.* Hoc est, ut in petendo humiliter veniam, proferatis mollia: qui in concitando et congerendo, protulit dura. Quid enim aliud sagitta acuta, per quam emissam vulnus infligitur: quam verbum durum, per quod prolatum molestia irrogatur? Nam quasi arcus tenditur, cum os aperitur, et indiscrete volans sagitta ferit et vulnerat, cum lingua temere se movens, proximum corripit et contristat. Sed medicamenta, quæ vulnera ista sanitati restituunt, verba sunt dulcia, quæ a corde fratris molestiam depellunt. *Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis vos dura verba dicere compellit: etiamsi vos modum excessisse sentitis, non a vobis exigitur, ut a vestris subditis veniam postuletis: ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* Videtur, quantum ex his verbis conjicere possumus, quod ea, quæ de petenda venia dicta sunt, sic intelligenda sunt: non quidem ut prælati a subjectis, sed inferiores a superioribus, æquales etiam ab æqualibus veniam petere debeant. Ipsos quoque ut mores subjectorum sub rectitudinis moderamine constringant, verba sæpe dura commotionis proferre compellunt; et fortassis multoties duriora proferunt, quam debuerunt. Et hoc eis inde cennivendum, quia quos ita corripiunt, ardenter amant. Ut autem Ecclesiastes dicit: *Verba sapientum sunt quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi* (*Eccle.* XII, 11); quia vero, prout officium exigit, sincera pro eis affectione solliciti sunt; nullo modo quidquam in eis æquanimiter videre possunt per quod, vel Deum offendant, vel aliquod in animabus suis periculum, vel dispendium incurrant. Unde et parcere linguæ non audent, cum eos delinquere vident, insonantes buccina; ut gladium, qui venit tollere animam, prope esse deprehendant, scientes iratum fuisse Dominum Heli; eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuit eos (*I Reg.* II, 22). Hinc quam sæpe evenit, ut dum multum amant, increpationem nonnunquam usque in iniquam asperitatem protrahant, et modum in corripiendo excedant. Unde et beatus Gregorius dicit: *Plerumque hoc magnis doctoribus contingit, ut quo magis alta charitate fervent, et modum correptionis exaggerent, et lingua aliquid, quod non debet, dicat; quia mentem, quantum debet, dilectio inflammat.* Sed cum sic eis contingit, exigi non debet, ut ab eis veniam petant, qui subjecti sunt. Et hoc ideo: ne dum nimis in isto ostenditur mansuetudo humilitatis, reverentia apud illos minor sit paternæ auctoritatis. Ideirco ut quæ prælatis, loco Dei præsidentibus, debetur integra in illis reverentia custodiatur, necesse, ut sic subjectis disciplina correptionis, cum forte deliquerint, exhibeatur; ut tamen ab eis, etiam cum mensuram excesserint, venia non petatur. Dico, ut disciplina exhibeatur; quia sunt nonnulli subditi, in quibus, nisi prius disciplina seminetur, reverentia postmodum non metetur.

XIII. Verumtamen hoc non generaliter de omnibus, sed de quibusdam, et nonnisi de illis, qui valde imperfecti sunt et teneri, dico: qui, dum vident prælatum suum aliquantum se dejicere et communem se eis habere, dedignantur eum venerari, et qualis in oculis propriis est, talis est in eorum. Cæterum sapientes et boni discipuli quo magis humilem prælatum suum intuentur, eo magis reverentur; et quo plus communem considerant, eo et humiliter honorant. A talibus fortasse subjectis, si quandoque petent veniam prælati, non multum, ut mihi videtur, sunt culpabiles dicendi; quia causa et occa-

Digitized by Google

sio magna hæc humilitas est ut magis ac magis regendi augeatur auctoritas. Verum non exigitur ab eis, ut ab illis subditis veniam petant, quos etiam tales esse, non ignorant, ut quo eos humiliatos esse considerant, eo in suis oculis viliores eos non habeant : ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. *Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit eos, quos plus justo corripitis, quanta benevolentia diligatis.* Potest aliquando fieri, ut plus justo eos forte corripiant : sed non minore tamen eos benevolentia ament. Idcirco ab eo venia petenda est cui sincera, quæ in occulto erga subjectos fervet dilectio, ignota non est. **297** Quam profecto eo citius concedit, et culpam ignoscit, quo evidentius, causa emendationis, et mediante fervore dilectionis, eam perpetratam agnoscit. Quod autem hoc loco beatus Augustinus prælatos, cum forte modum in corripiendo excedunt, petere veniam ab omnium Domino jubet; etiam institutio legalis continet, quæ hunc modum habet : *Si quis abierit cum amico suo simpliciter in silvam ad ligna cædenda : et securis fugerit manum, ferrumque lapsum de manubrio, amicum ejus percusserit et occiderit : hic ad unam supra dictarum urbium fugiet, et vivet* (*Deut.* XIX, 5). Quid enim est, cum amico suo aliquem ad silvam ire, nisi prælatum, ut B. Gregorius exponit (301), cum subjecto suo de intuendis ipsius delictis se intromittere? Quid simpliciter ligna cædere, nisi delinquentis pia intentione vitia resecare? Quid est securim manum fugere, nisi increpationis modum excedere? Quid vero ferrum de manubrio prosilire, nisi sermonem de correptione duriorem exire? Et quid amicum occidere, nisi auditorem, a spiritu charitatis illata doloris molestia, perimere? Quid denique hunc, qui percussit, ad unam trium urbium fugere et vivere, nisi prælatum, qui in corripiendo mensuram excessit, fidei, spei, et charitati inniti, et petita a Domino venia, remissionem ab eo consequi? Quod ergo in lege, illum, qui percussit, ad unam trium urbium fugere et vivere est : hoc in Regula Patris nostri est; cum, quem necessitas disciplinæ moribus coercendis dicere dura verba compulit, unde et modum excessit, veniam ab omnium Domino petere.

XIV. *Non enim carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.* Sicut nulla virtus dilectione major est, cum in bono homine est, et ad bonum est, ita nullum vitium ea deterius, cum in malo et ad malum est. Est enim dilectio bona, et mala; sicut omnibus boni causa, et occasio illa est : ita et omnis mali ista. Nam per illam, omisso malo, admittitur omne quod bonum est; per istam vero, omisso bono, admittitur omne quod malum est. Ista carnalis, illa vero spiritualis, est. Carnalis, quia quod carni suave est, suggerit et fovet; spiritualis, quia quod spiritui utile est, per intellectum docet et per affectum adimplet. Et illa ad carnales, hæc autem pertinet ad spirituales; ut qui carni in illicitis suis desideriis favent, et ipsi se carnaliter amant; qui vero spiritu facta carnis mortificantes, perfectum spiritum in sanctitatis proposito quærunt, spiritualem nihilominus sibi affectum impendunt. Tales certe nos esse debere, et ordinis nostri clamat sublimitas, et habitus invitat humilitas, et insolubile cogit vinculum nostræ professionis. Et quia tales nos esse debere, Pater noster agnovit, ideo dicit, quod non carnalis, sed spiritualis inter nos debet esse dilectio. Sed quid esse putamus, quod postquam asseruit eos, quos plus justo plerumque solemus corripere, multum nos diligere, confestim non carnalem, sed spiritualem dixit inter nos debere esse dilectionem? Præmisit siquidem : *Petenda est venia ab omnium Domino; qui novit etiam eos, quos plus justo forte corripitis, quanta benevolentia diligatis.* Statimque adjunxit : *Non enim carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.* Ac si hoc ad spiritualem plerumque pertineat dilectionem, quæ debet esse inter nos : quod magna eos benevolentia diligimus, quos plus justo forte corripimus. Et quidem ita est; nam quia multum diligimus, multum corripimus. Et plerumque dum multum corripimus, contingit ut in ipsa correptione etiam modum transeamus. Sicque spiritualis, quæ inter nos dilectio est, ut modum in correptione transeamus, causa et occasio est. *Qui novit*, inquit, *etiam eos, quos plus justo forte corripitis, quanta benevolentia diligatis. Non enim carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.* Ac si diceret : Novit Deus non esse mirum, quod eos plus justo forte corripitis, quos magna benevolentia diligitis, cum non carnalis, quæ esse non debet, sed spiritualis, quæ esse debet, inter vos sit dilectio. Raro autem carnales eos plus justo corripiunt, quos carnaliter diligunt; quia nec corripiunt. Eis quippe in pravis suis actibus favent, eosque fovent, sibique ea quæ agunt, nefaria placent, quia ea, quæ diligunt, eos agere vident. Unde et blandis eos adulationibus excipiunt, non autem duris invectionibus corripiunt, cujus horribilis mali causa et occasio est carnalis, quæ inter eos est, dilectio.

XV. Inter vos autem, fratres, spiritualis debet esse dilectio, quæ nimirum dum plurimum fervet in corde, interdum etiam erga eos, quos specialiter, imo singulariter amplectitur, modum **298** excedere solet in correptione. Sed quia multum hanc, de qua loquimur, virtutem eximiam inter eximias virtutes cæteras, imo præ cæteris sacra Scriptura commendare consuevit, libet de ea profusius aliquid tractare, et qualiter nobis ad salutem necessaria sit, demonstrare. Sine dilectione mens nullo modo valet esse humana; sed attendat sollicite, quid diligat. Hæc autem inter cætera, quæ diligit; imo ante cætera, quæ diligere valet homo, diligere debet Deum, proximum suum, seipsum : tria hæc. Deum, ut bonum suum, quo frui debet; seipsum, qui frui debet; proximum suum, cum quo frui debet. Clamat Do-

(301) B. Gregorii *de excessu correptionis sermocinatio.*

Digitized by Google

minus per legem suam. *Diliges Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI, 5). Dicit adhuc : *Diliges proximum tuum;* et adjungit : *sicut teipsum* (*Luc.* X, 27). Nusquam tamen scriptum invenitur : Diliges teipsum. Accepit tamen homo præceptum, ut diligat et seipsum, quando præceptum accepit, ut diligat Deum suum. Diligit namque seipsum, cum diligit bonum suum. Bonum autem suum quid aliud est, nisi Deus suus? Ipse quippe, a quo ei est, ut sit ipse, et in quo ei est, ut bene ac beate sit. Sed non simpliciter dicitur, diliges teipsum : ne carnalem erga seipsum sibi putaret habendum affectum ; ut seipsum diligeret, si speciale acciperet præceptum. In homine namque duo sunt : anima et corpus, caro et spiritus. Carnem suam homo diligeret, etiamsi ei jussum fuisset ut non diligeret; jugi namque universi sentimus experientia, verum esse, quod Apostolus dicit : *Nemo unquam carnem suam odio habuit* (*Ephes.* V, 29). Et quia multum non est odio non habere, adjungit : *Sed fovet et nutrit eam* (*ibid.*). Utique nemo unquam carnem suam odio habere potest, et quia hoc parum esse videtur ; nemo carnem suam non amare potest. Quia igitur per irrefragabilem naturæ violentiam, ut longe ante nos dictum est, carnis suæ amor sufficienter homini inerat, non erat præcepto constringendus, ut illum haberet ; sed admonitione potius temperandus, ne nimis haberet. Unde et Apostolus, cum in prædicatione sua, quod in necessariis licite carnis cura possit fieri occulte subintelligendum relinqueret, eam in desideriis fieri aperte prohibuit. *Carnis*, inquit, curam *ne feceritis in desideriis* (*Rom.* XIII, 14). Quod esse novit superfluum, abscidit ; quod vero necessarium, concessit.

XVI. In hoc autem solo, quod primo loco posui ; homo antequam in paradiso peccavit, carni suæ adesse consuevit. In hoc autem, quod in isto secundo statu, in quo nunc est, si tamen status esse dicendus est, ubi per peccatum lapsus est, et non potius ruina, eidem carni suæ, a propria cupiditate tentatus, abstractus et illectus adesse consentit. Carnem quippe suam ante peccatum per naturæ affectum dilexit, sed ad necessitatem ; post peccatum vero per vitium concupiscentiæ jam diligere solet ad superfluitatem. Et idcirco hac in parte præcepto non eget, ubi voluntarius est, etiamsi non moveatur ; sed prohibitione potius, et admonitione, ne nimis in præceps eat, etiamsi non teneatur. Si ergo dilectio carnis in præcepto ponenda non erat, de qua evidentius constabat quia satis haberetur, etiamsi non præciperetur, et nimis fortassis plerumque teneretur, si non et in ea parte, qua nimis est, temperaretur. Dilectio vero animæ, ut jam diximus, in eo intelligitur, quod homo Deum suum diligere jubetur. Diligat ergo homo carnem suam, sed diligat discrete. Seipsum vero diligit et proximum suum, cum diligit Deum suum. Est itaque triplex nobis hæc habenda dilectio : ad nosipsos, ad proximum nostrum, ad Deum nostrum. Diligamus nosipsos, sed quantum ad carnem, temperate ; proximum juste, Deum pie ; quatenus juxta id quod Apostolus monet : *sobrie, et juste et pie vivamus in hoc sæculo* (*Tit.* II, 12). Sicque secure poterimus exspectare beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, si nec superflue nosipsos, nec injuste proximum, nec tepide diligamus Deum. O felix hominum genus, si vestros animos amor, quo cœlum regitur, regat.

XVII. Examinemus itaque, dilectissimi nobis in Domino fratres, amorem nostrum, conveniamus affectum nostrum, diligamus nos invicem in Deo : diligamus et propter Deum. Hæc via : ambulemus in ea : nec ad dextram, nec ad sinistram declinemus (*Isa.* XXX, 21). Sincerum semper et stabilem, ubique amorem circumferamus, studentes omni diligentia, primo quidem ut sit ; secundo ut crescat ; tertio ut maneat ; ut acquiratur, et acquisitus magis ac magis augeatur, et auctus retineatur. Quid enim valet primum, nisi secundum adsit et tertium? Nam ad hoc posuit Deus Adam in paradiso **299** voluptatis, ut operaretur et custodiret illum. Et quid juxta sensum moralem accipi valet paradisus, nisi speciosus, amœnus, et præ cunctis aliis, si quæ tamen sine isto sunt, vitæ hujus deliciis, sanctus sinceræ charitatis affectus ? Hic enim est, in quo Deus posuit *omne lignum visu pluchrum, et ad vescendum suave* (*Gen.* II, 9) ; quia omnis, quem in corde nostro per infusionem sancti Spiritus charitatis concipit cogitatus, et suavis coram Deo est, ad affectum, et decorus coram proximo, ad effectum. Ibi demulcet Deum per puritatem internæ affectionis ; hic vero excitat proximum, per fœcunditatem egregiæ actionis. Hic quoque ille paradisus est, ad quem irrigandum, de loco voluptatis egreditur fluvius, qui inde dividitur in quatuor capita ; quia a Deo, qui veræ, et non fallacis voluptatis locus est, ad sanctificandum charitatis affectum, illud salubre exit edictum, quod modis quatuor distinguitur : tribus, qui ad dilectionem Dei pertinent, et uno, qui ad proximi. Quia Deum suum homo diligere jubetur ex toto corde suo, ex tota anima sua, et ex tota virtute sua ; proximum vero, tanquam seipsum. Posuit itaque Deus Adam in paradiso et ad hoc, ut operaretur, et custodiret illum ; quia non solum insistere debemus, ut charitatis in nobis affectus sit ; verum etiam, ut crescat et maneat. Crescit vero, dum qui in paradiso positus est, operatur ; manet, dum custodit.

XVIII. Hæc autem, de qua loquimur, charitas tanta, ac talis est, ut cæterarum omnium virtutum teneat primatum : sine qua virtutes cæteræ vocari quidem, sed falso virtutes possunt ; esse autem veraciter virtutes nullatenus possunt. Hæc juxta Paulum, perfectionis est vinculum (*Col.* III, 14), hæc linguas hominum et angelorum excedit ; hæc omnem scientiam et omnem mysteriorum supergreditur notitiam ; hæc etiam fidem, quæ montes transfert, exsuperat ; sine qua nec omnium facultatum in cibos pauperum distributio, prodest ; sine qua ipsa etiam corporis combustio pœnam quidem habet, sed

Digitized by Google

nullum prorsus meritum, vel præmium habere valet (*I Cor.* XIII, 1-3). Hæc autem lignum vitæ in paradiso (*Gen.* II, 9), hæc unitas cubiti in consummatione et summitate arcæ Noe (*Gen.* VI, 16); hæc scala dormienti ostensa in itinere (*Gen.* XXVIII, 12); hæc erecto ab eo in titulum lapide, effusum oleum (*ibid.* 18), hæc, quia nimis longum est ire per singula, speciale Christi præceptum (*Joan.* XV, 12); hæc legis plenitudo (*Rom.* XIII, 10). Hæc illa dilectio est, quæ inter nos specialiter esse debet, de qua dicit Pater noster quod *non carnalis, sed spiritualis esse debet.* Nam hæc non carnalis, sed spiritualis est. In corporibus quippe pluribus facit cor unum et animam unam. Ecce quam multa hic corpora videmus? Sed oportet ut sit spiritus unus. Spiritum unum, sciatis me unum, eumdemque, et ad idem, in bono secundum Deum velle consensum, et in malo secundum ipsum nolle, appellare. Ad hunc spiritum unum, et illud pertinet unum, de quo sanctus David: *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII, 1). Et quidem fratres multi; sed habitant in unum. Et id quam bonum, quamque jucundum, quando habitantes in unum, et ipsi fiunt unum? Dum enim ad invicem ex toto, se totos, ut alibi nos dixisse reminiscimur, dedunt, ut dum nullus eorum suus est, sed alter eorum alterius sit, et hoc de eodem plene in eodem velle, et in eodem plene de eodem nolle: nullo eorum alteri quidquam præsentium, non solum præponente, sed nec in aliquo vel comparante: nullo eorum alterum in ullo fastidiente, sed ad omnia et in omnibus ab invicem cum benevolentia et charitate, ut ait Marcus Tullius (302) summaque consensione: quid, quæso, vel pulchrius anima humana in his duntaxat præsentibus videre, vel delectabilius audire, vel suavius olefacere, vel sapidius gustare, vel aptius, ut nullum de quinque sensibus videar præterire, poterit palpare?

XIX. O suavis amœnitas! O amœna suavitas! Copiose, et ab imo ebulliens, et in superficie scaturiens, et undique vaporans: fide stabili, spe certa, simplicitate vera, integra innocentia: dilectum, et absentem cum anxietate desiderans, et venientem cum hilaritate suscipiens; et præsenti, nec sine maturitatis reverentia, nec sine reverentiæ maturitate, blandiens; cum mœrore et abeuntem prosequens, et demorantem exspectans, et venturum expetens, et non venturum dolore insolabili deflens: nullum ei (quod ad se attinet) secretum celans, totum se infundere gestiens; nullo, sine eo, bono frui volens, nulla pro eo pati adversa refugiens; nulla, eo non participante, prospera habere desiderans, superbiam, et invidiam contemnens, iram et acediam abjiciens, simulationem et adulationem nesciens, suspicionem, **300** et detractionem abhorrens; in solo dilecti profectu, præ cunctis mundi hujus prosperis, exsultans; in solo et de solo ejus defectu, præ cunctis vitæ præsentis adversis, dolens; et ut in brevi multa concludam, non solum omne suum abnegans; sed et se totum ei dedens, nihilque sui ipsius sibi reservans. Sermo, fratres mei, fidus est, et licet bonum sit nos hic esse; oportet tamen ut studeamus devitare fastidium infirmorum, et tantam prolixitatem finire. Libet in calce sermonis hujus, illud egregium apostolorum Principis documentum ad mentem revocare: quod tale est: *Animas vestas castificantes in obedientia charitatis, simplici ex corde diligite invicem attentius, renati non ex semine corruptibili; sed per verbum Dei vivi et permanentis* (*I Petr.* I, 22, 23). Colligere possumus ex his, quod apostolorum primus desiderat, non ut carnalis; sed spiritualis inter nos sit dilectio. Spirituales itaque nos condecet esse, ac spiritualiter invicem diligere: præstante, sine quo hoc non possumus, Spiritu sancto, qui cum Patre, et Filio, a quibus, in una, eademque Deitatis substantia, ab æterno procedit, vivit et regnat Deus in sæcula, *Amen.*

SERMO XII.

Ab eo loco B. Augustini: « Præposito tanquam Patri obediatur, usque ad finem Regulæ. De Reverentia exhibenda prælatis. De officio eorum atque de sollicitudine hujus observantiæ regularis. »

Synopsis Sermonis. — 1. Quantopere in vita sociali vitanda litium discordiæ: ac amanda unitas concordiæ. — 2. Deo debemus cordis munditiam, sodalibus concordiam, superioribus obedientiam. — 3. Inter superiores mutua dependentia, auxilium, et reverentia necessaria: qui turpiter invicem inhonorant. — 4. Dissensio inter superiores est totius disciplinæ Regularis dissolutio. — 5. Magna abusio invadentis inferioris potestatem superiorem: at unus alteri habet inniti et mutua dilectione uniri. — 6. Quænam obedientia perfecta, vice Dei superioribus exhibita: cujus merito excidunt murmurantes. — 7. Obedientia triplex, servilis, mercenaria, filialis. Hæc a Legislatore commendata. — 8. Causæ graviores deferendæ primoribus; prælatis autem ut animarum medicis incumbit, tam salutem integram conservare, quam amissam recuperare. — 9. Felix prælatorum potestas, quam temperat affectus charitatis; infelix, quam inflat æstus dominationis. — 10. Quam necessaria prælatis charitas in mente, et servitus in opere. — 11. Apostrophe ad prælatos de charitate serviente, qua sint felices. — 12. Qualiter prælati exterius honorati, sint interius coram Deo pedibus suorum substrati. — 13. Exemplum in opere, deinde correptionem exhibeant in sermone. — 14. Disciplina in prælatis coercet subditos; qui judices aliorum, Deum judicem reformident. — 15. Prompta obedientia addit superioribus fiduciam. De spirituali pulchritudine et bono religiosæ conversationis odore. — 16. Veram libertatem servorum Dei constituit charitas. — 17. Frequentata lectio, præsertim sanctarum Scripturarum, speculum mentis est, referens multiplices fructus. — 18. Spiritualis animæ decor retinendus et augendus; cujus maculæ diluuntur dolore præteriti, et cautela futuri. — 19. Legislator instar periti medici tum adminicula præbet habitæ sanitatis conservandæ, tum remedia restaurandæ.

1. Tenuit nos, fratres charissimi, aliqua mora, et

(302) Cic. *pro Lælio.*

Digitized by Google

quidem longiore, quam putavimus, sermo iste præcedens, quem ad charitatem vestram, de cavendo horrore litigii, et acquirenda lenitate concordiæ habuimus : non nostrum, sed veritatis sequentes spiritum, ad cujus spectat moderamen verba nostra, et prout vult, et quantum vult, in necessariam extendere prolixitátem ; et quando vult et ubi vult ad congruum perducere finem. Quia enim non ignoramus, quod universi, sine ulla exceptione, qui in conversatione religiosa omnipotenti Deo student medullitus placere, et malum illud cæterorum malorum pessimum, inter mala cætera omnibus, quibus valent, modis exsecrari debent, et abhorrere : et bonum illud, aliorum bonorum optimum, inter bona alia in affectu amplecti, et in effectu exercere; cordi nobis fuit, inspirante id nostro ut speramus Spiritui sancto, de quo modo tetigimus, Spiritu, verbis aliquantum profusis magis quam profundis, et illius immanitatem, et hujus vobis explicare sanctitatem : ut plene possitis comprehendere, quid de utroque debeatis judicare. Incumbit (303) autem nobis in sermone præsenti, vestram super his dilectionem alloqui, quæ usque ad finem supersunt **301** Regulæ beati Patris nostri Augustini : ac nostram super verbis tanti doctoris, quæ ad institutionem clericorum scripsit, prout possumus expositionem terminare.

II. *Præposito tanquam Patri obediatur, multo magis presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.* Ab hoc, ut scitis, loco adoriri hodie debemus : quia hic heri substitimus. Postquam nos docuit Pater noster, quales nos debeamus invicem habere, curavit quoque instruere, quales oporteat nostris nos prælatis exhibere. Vas quoque electionis Apostolus Paulus sana, ex more, ac salubri instructione discipulos alloquens, in Epistola ad Romanos dicit : *Reddite omnibus debita* (*Rom.* XIII, 7). Et de diversis quidem debitis subjungit; quia diversos, quibus tenemur obligati, debitores agnovit. Ad extremum tamen universa in sola dilectione conclusit : ut illum sciamus plene reddere, quod debet, qui eam et in affectu veraciter coram Deo habet intrinsecus; et in effectu nihilominus coram proximo utiliter adimplet extrinsecus. *Nemini*, inquit, *quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Et adjunxit : *Qui enim diligit proximum suum, legem implevit.* Et qui illi sunt, quibus debitores sumus? Utique Deus, socii, et prælati nostri. In occultis autem nostris quam maxime Deo sumus debitores : et necesse ut est in illis etiam, simus redditores. Nam *spiritus est Deus*, teste homine Deo. Et quid subdit? *Eos qui adorant eum : in spiritu, et veritate oportet adorare* (*Joan.* IV, 24). In spiritu oportet adorare eum, qui spiritus est : et adorare eum est, quod debes, ei reddere. Nam spiritus Deum spiritum adorat : cum in ejus se conspectu humiliat. Porro humilitas ejus, puritas ejus. Et considerate hæc per contrarium : si forte hæsitatis, vel hæretis. Sapientis hæc sententia est quidem vera : *Immundus est omnis qui exaltat cor suum.* Et quæ exaltatio ista, nisi superbia? Si immundus qui se exaltat, quomodo non mundus, qui se humiliat? Cordis itaque munditiam a te exigit Deus; hanc ei debes reddere. Si vero de sociis, et prælatis tuis agitur, cum magno, et vario erga eos tenearis debito constrictus, clamitare solent : *Affer, affer* (*Prov.* XXX, 15). De unitate concordiæ isti : de alacritate obedientiæ illi. Hi ergo tres, quibus debemus : Deus, socii, et prælatus. Quæ autem debemus, puritas munditiæ, unitas concordiæ, alacritas obedientiæ, tria hæc. De unitate vero concordiæ, quam habere nos convenit in invicem, in sermone, qui hunc proxime præcessit, audistis tam ex Patris vestri, quam ex verbis nostris : qualiter videlicet eam vel retinere debeatis adhuc custoditam, vel recuperare jam forte elapsam. In præsenti quoque commonendi estis super alacritate obedientiæ : qualiter videlicet, et quibus eam vos deceat exhibere. Inquiritis quibus? Præposito, et presbytero. Quæritis qualiter? Ut Patri quidem præposito : sed multo magis presbytero. Et quare *multo magis presbytero?* Quæritis causam, audite eam. *Quia omnium vestrum curam gerit.* Sic enim se habet ipse ordo verborum : *Præposito tanquam Patri obediatur; multo magis presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.* Idcirco, ut ex his conjicimus, illi tanquam Patri, sed isti multo magis; quia plenitudinem iste potestatis nactus est; in partem vero sollicitudinis ille vocatus est.

III. Quorumdam enim assertio est, eum hoc loco vocari præpositum, quem in tempore isto, alio solemus nomine vocare priorem; presbyterum vero, quem usitato apud nos vocabulo, nuncupant abbatem. Quod si ita est, multo magis quam præposito, huic obediendum : quod enim omnium curam gerit, nullus pene, qui ignorat. Plenitudinem, ut modo diximus, potestatis iste exercet, partem quoque sollicitudinis ille habet; quia in omnibus iste, et præ omnibus præest; huic vero ille in his, tanquam adjutor adest. Sed pendet ab invicem, et istius potestas in toto, et illius in parte sollicitudo : in tantum ut grandis utriusque officio deesse non possit confusio, nisi alter alteri et humiliter deferat, et efficaciter succurrat. Quid enim in conventu fratrum utilitatis erga eosdem vel operari poterit prior, nisi in utroque hoc bono, reverentia videlicet et auxilio auctoritas ei adfuerit abbatis; vel ipse etiam abbas, si forte, quod absit, in utrovis eorum fidelis ei defuerit sollicitudo prioris? Idcirco invicem se honorent et invicem sibi occurrant. Ille humiliter, hic autem efficaciter. Nec sua jam poterit facile vel integritate minui potestatis plenitudo in abbate : vel officio fraudarit provisionis sollicitudo, in priore. Quod si hæc ita agenda sunt, examinent, quæso, justi judices, quid utilitatis conferat sententia huic prorsus contraria, quam utinam nullum abbatem sic protulisse **302** scirem, sicut aliquem scio. Quanquam nullo modo contingere possit, ut utraque mihi

(303) *Reg.* cap. 11, de reverentia exhibenda prælatis, deque eorum officio.

Digitized by Google

scientia absit. Est autem ista : sed cujus sit non dico : Quid mihi, et priori meo? Quis ille, aut quantus ille? Nullo in præsentia mea me major est : par ei est, qui omnibus in conventu minor est. Quid habere debet amplius ab omni alio fratre, etiam minimo, ubi præsens sum ego? Se ad se trahat, se in se teneat; non se longius aliis extendere præsumat; non erigere altius, non latius dilatare. Cum conventu suo se restringat, sic enim exigit ordo; nec unquam, nec usquam alias appareat; ad hoc ei et omne denegetur tempus, et omnis claudatur locus. Contrahat cornua sua, non se extollat pro nomine suo. Ex me est nomen hoc : durabit quandiu placuerit mihi. Accommodavi illud, non donavi. Sufficientia mea est, non hæreditas sua; non peculium suum, sed mutuum meum. Exaltavi, meum erit et humiliare. Faciam hoc, et in brevi. Non ego bonorum suorum. Satis sunt, et præsto, qui priores esse volunt, sciunt et possunt. Egenus non sum, habeo, et abundo, et qui isto sciunt sapientius, et præesse possunt efficacius; unde nec injuste volo. Unde assumpsi, ibi illum reponam. Non erigat caput me præsidente : me loquente, nec mutire præsumat. Hæc ille, et alia forte, in hunc modum. Sed quantum sibi ipsi dispendium inferat in eo, quod sic priorem suum inhonorat, utinam non nimis sero agnoscat. Nam quod non quandoque saltem agnoscet; putare non possum. Hæc autem prior deprehendens, subducet humeros suos; et pro eo ulterius medullitus laborare cessabit. Non solum autem; sed et pœnitebit eum transacti laboris, nec aliquem pro eo inposterum sustinebit. Tepescet tunc ordinis fervor, nec id fortasse abbas deprehendet : nisi quando exinanita, imo exinanita usque ad fundamentum, disciplina religionis, vix aliquod efficax poterit remedium adhibere.

IV. Ecce quantum sibiipsi abbas nocet, quando priorem suum inhonorare pro modico habet. Quid, quando ei in sollicitudine sua auxiliari non curat? Habet zelum in observatione ordinis prior, et ipse zelanti resistit? Unde, inquit priori, ut tam miserabiliter fratres incarcerare præsumat? Ut quid eos tanta affligit assiduitate, in labore; rigore, in silentio; tædio, in claustro; disciplina, in capitulo? Quod prior temere petentibus, contradicit, abbas concedit. Quod ipse claudit, iste aperit. Relaxat iste, quod ille refrænat. Et ecce dissoluti quid dicunt inter hæc? Utinam in capitulo semper abbas esset; prior raro? Nec unquam, nec usquam nobiscum iste; sed semper, et ubique nobiscum ille. Nihil nobis, et priori : includat quando voluerit; ibimus ad abbatem, et aperiet nobis. Ille frangentibus nobis silentium, in capitulo injunget jejunium : quod iste nobis in refectorio relaxabit. Ille nobis licentiam eundi aliquo, quantum voluerit, neget, ibimus ad abbatem, et ad primam petitionis nostræ vocem, exaudiet nos. Sed, dum hæc videt, quid ad ea prior dicet? Ut quid ego sic? *Cui laboro, et fraudo animam meam bonis?* (*Eccle.* IV, 8.) Quo mihi labor iste multus, cum fructus sit nullus? Cur illa verba surda aure pertranseo : *Unus ædificans, et unus destruens : quid proficit eis, nisi ruina?* (*Eccli.* XXXIV, 28.) Cur multum semino, ubi parum colligo? *Parum* dixi, sed *nihil* dicere debui; id enim verius. Stultus ego, et insipiens, qui fratrum in me excito furorem; dum ordinis tenere volo rigorem; et in hoc non adjuvantem, sed impedientem sustineo abbatem. Nonne melius, et quietius mihi cum relaxante relaxare : ut eorum possim furorem sedare, et iram placare? Satius mihi habere quietos, quam inordinatos pariter, et inquietos. Ibo ergo mihi, et in foro lenitatis residens, vendam eis dissolutionem, ut emam mihi quietem. Hic jam abbati existit adjutor in concessione dissolutionis; dum ei auxiliari non vult abbas, in observatione rigoris. Quod si hæc prior aggredi non audet, pro eo, quod peccatis alienis consentire timet : ut suæ quieti consulat, ab officio recedit, eligens magis cedere, quam infructuose stare. Ecce quæ inde mala emergunt : cum abbas priori suo auxiliari contemnit.

V. Quid autem de hoc dicemus, quod abbatem suum prior honorare dedignatur, vel adjuvare? Nam et hæc abusio magna. Magna, inquam, et detestanda abusio est : quod illum prior honorare despicit, qui eum priorem fecit; quod in officio suscepto juvamen ei impendere non intendit, qui eum ad hoc præfecit. Et ut de primo malo agamus, ecce hæc vox ejus : Quid abbati, et conventui? Intromittat se cum officialibus suis de exterioribus, nam mihi commissus est conventus. **303** Quid amodo de eo se intromittit, quem mihi semel commisit? Ego sum, cui incumbit conventum et restringere, et relaxare. Non debet e conventu aliquis ullam ab abbate petere licentiam, non ulli ipse dare. Mentitur, fratres, iniquitas sua sibi : non est ita. Honorem abbatis in conventu, ab eo, et sub eo sibi commisso, quærere debet prior; nihil penitus contra eum disponere. Et accipite congruum super hoc exemplum. Nihil habuit in domo sua dominus ille Ægyptius, quod non reliquerit in potestate Joseph; verumtamen uxorem ejusdem domini sui, idem Joseph fatetur exceptam. (*Gen.* XXXIX, 9). Ipsam fortassis acceperat : sed in sollicitudinem, non in potestatem; ut ei provideret, non ut cum ea se commisceret; ut ad necessaria denique ei obsequeretur, non ad turpia ea abuteretur : Sic et prior conventum. Quid enim conventus nisi sponsa est abbatis? Hunc, inquam, conventum prior, nam ipse est Joseph, ad honorem abbatis gubernet juxta quod ei providerit abbas, disponat. Nam, quasi Joseph uxorem domini sui prostituit, cum prior eamdem per omnia cum conventu familiaritatem, et super conventum potestatem, quam, habet abbas, præsumptione temeraria habere contendit : cum præcipiat pater, et advocatus noster, ut præposito tanquam patri; sed multo magis presbytero obediatur. Quid item de illo priore dicemus, qui abbati suo in ordinis observatione non modo non suffraga-

Digitized by Google

tur, sed et refragatur? Quod si aperte id non præsumit : id profecto eo periculosius, quo occultius. Si enim aperte ad reædificandos muros Jericho cervicem suam erigeret (*Jos.* VI, 26), resisteretur ei. Nunc autem, putatur esse ex sociis Josue : sed est cum adversariis ejus. Et quæ pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus? Ecce cum abbas absens est unicuique dat licere, quod libet; ordinis passim transgressiones, æquanimiter sustinet. Extendit manum suam cum Absalon, et singulos deosculatur, ut sollicitet corda virorum post se (*II Reg.* XV, 5). Quidquid construit abbas dum præsens est, ipse destruit in absentia ejus. Sic perit ipse et perimit ordinis, prævaricando, statuta : transgressor existens, et alios transgredi æquanimiter sustinens, imo præcipiens. Qua autem pœna mulctandus sit, perpendite, qui ordinis esse non metuit destructor : qui electus est ejus observator. Et cur dixi abbatem, et priorem, præpositum videlicet, et presbyterum pendere ex invicem in tantum, ut in suscepto officio fructuose neuter degere queat, nisi alter alteri congruam reverentiam exhibeat, et plenum auxilium impendat. Si autem perfecte unum, secundum Deum sunt, fructuose jam officium suum exsequi poterunt, eoque securius in universis jam negotiis suis alter alteri poterit inniti, quo tenacius compage sinceræ, secundum Deum, dilectionis fuerint uniti.

VI. Qualiter vero sui eis debeant subjecti obedire, in sanctorum passim scriptis poterit, qui voluerit, sufficienter invenire. Scribit, quoque sanctus Pater Benedictus in monachorum Regula hoc modo: *Primus*, inquit, *humilitatis gradus est, obedientia sine mora.* Hæc convenit his qui sibi nihil Christo charius aliquid existimant. Propter servitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ, mox ut aliquid imperatum fuerit a majore, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. De quibus dicit Dominus : *Ab auditu auris obedivit mihi* (*Psal.* XVII, 45). Ergo tales hi relinquentes statim quæ sua sunt, et voluntatem propriam deserentes, mox ex occupatis manibus, et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis sequuntur : et veluti momento, prædicta magistri jussio, et perfecta discipuli exsecutio ab iis communiter citius perficiuntur : quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam viam arripiunt, de qua Dominus dicit: *Angusta est via, quæ ducit ad vitam* (*Matth.* V, 14). Ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis, et voluptatibus obedientes : sed ambulantes alieno judicio, et sub imperio in cœnobiis degentes, abbatem sibi præesse desiderent. Sine dubio hi tales illam dominicam imitantur sententiam, quæ dicit : *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me* (*Joan.* V, 30). Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, et dulcis hominibus, si quod jubetur non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murA mure, aut, cum responso nolentis efficiatur; quia obedientia, quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit : *Qui vos audit, me audit* (*Luc.* X, 19). Et cum bono animo a discipulis eam præberi oportet; quia *hilarem datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX, 7). Nam si obediat discipulus **304** cum malo animo, et non solum ore, sed etiam corde obmurmuret : etiamsi impleat jussionem, tamen acceptum non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, imo pœnam murmurantis incurrit, si non cum satisfactione emendaverit. Exhibenda est itaque obedientia præposito; sed tanquam Patri, multo magis presbytero.

VII. Obedientiam, ut æstimo, B. Augustinus filialem requirebat : qui ut Patri, sic præposito, multo B autem magis presbytero obedire jubebat. Nam habet dominus servum, habet paterfamilias mercenarium, habet quoque pater filium. Unusquisque istorum obedit : patri, filius; Domino, servus; et mercenarius ei, qui conduxit illum. Sed ad obediendum servum, impellit timor : mercenarium, allicit spes; filium vero invitat amor. Primus timet, secundus sperat, tertius amat. Obedit igitur primus, quia pœnam metuit; secundus, quia mercedem cupit; tertius, quia patrem diligit. Hæc obedientia prima ac secunda longe pretiosior et sublimior est; quia manum non metuit, quæ feriat, non manum attendit, quæ porrigat, sed ipsum in omnibus et præ omnibus amat. Et quod aliud hujus obedientiæ C præmium erit, nisi ille, quem ipse obediens in ea quærit? Itaque ut Patri obediamus præposito, multo autem magis presbytero : quatenus non servos, non mercenarios, sed filios nos esse comprobemus; dum non timore coacti, non cupiditate allecti, sed charitate potius inflammati, paremus.

VIII. *Sequitur, ut autem cuncta ista serventur, et si quid minus servatum fuerit, non negligenter prætereatur : sed ut emendandum, corrigendumque curetur; ad præpositum præcipue pertinebit, ut ad presbyterum, cujus apud vos major est auctoritas, referat, quod modum, vel vires ejus excedit.* Regularia profecto instituta hæc, ad hoc promulgata sunt : ut sollicite custodiantur. Quod si, emergente forte aliquo casu, minus ea contigerit custodiri, nullo modo D dentur neglectui; sed cogitetur sollicite, qualiter possint emendari. Major certe plerumque culpa est, post excessum negligere correctionem, quam excedendo lapsum incurrere. Nam hoc contemptus damnabile facit; illud vero ignorantia nonnunquam, aut infirmitas veniale. Unde et Pater noster, cuncta ista, quæ ab ipso exordio Regulæ, usque ad hunc locum dicta sunt, præcipit, ut serventur; et *si quid minus servatum fuerit*, jubet ut *non negligenter prætereatur : sed ut emendandum, corrigendumque curetur.* Pertinere quoque præcipue ad præpositum asserit, ut cuncta ista serventur, et minus servata corrigantur. Quod in his servandis, ac corrigendis modum suum vidit excedere, ad presbyterum studeat referre. Sic enim gradientem per desertum illum antiquum Dei

Digitized by Google

populum minores sub Moyse constituti judices in levibus judicabant : omne autem verbum quod gravius erat, ad ipsius Moysis examen referebant (*Exod.* XVIII, 13-27). Sic in hoc jubetur præpositus ad presbyterum referre : quidquid per se secundum canonicam Regulam non valet definire. Unde patet verum esse, quod superius diximus, præpositum videlicet accersitum esse in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Unde et de presbytero hic dicitur : *Cujus apud vos est major auctoritas.* Ad quod etiam pertinet, quod superius obediri multo magis presbytero jubet. Major nimirum exhiberi obedientia ei debet, qui majorem auctoritatem habet. Hæc igitur duo, referente præposito ad presbyterum, quod modum, vel vires ejus excedit : hoc est, consulente eum super his, in quibus ipse minus sibi sufficit, studiose exercenda sunt : primum quidem, *ut cuncta ista serventur :* secundum vero, *si quid minus servatum fuerit, non negligenter prætereatur ; sed ut emendandum, corrigendumque curetur.* Quid enim aliud prælati sunt, nisi spirituales medici ? Et hæc quidem duo ad carnales etiam pertinent medicos : salutem habitam custodire, et amissam recuperare. Quasi vera salus custodietur, cum illibata sanctitas in religiosa conversatione conservatur ; et quasi amissa salus reparatur, cum quæ minus servata est sanctitas, emendatur. Intendant itaque studiosissime implere officia sua præpositus, et presbyter ; qui animarum sunt medici, quibus ex suscepto incumbit ministerio, et ab ægritudine immunes reddere sanos, et sanitati restituere ægros. Sed accedamus jam ad id, quod subjungitur : in se quippe aliquid habet, quod diligenter discuti debet. Est autem istud :

IX. *Ipse vero, qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate serviente felicem.* Ille utiliter præest, cui humilitas in cura regiminis non deest. **305** Hujus voluntas magis est prodesse, quam præesse, cui placet onus, non honor ; officium, non nomen ; quem charitas inflammat, non potestas elevat ; quem delectat servitus aliis impensa non ab aliis suscepta. Hic felix est, sed adhuc in merito. Hac mediante felicitate, ad illam quandoque perventurus est, quæ erit in præmio. *Non*, inquit, *ipse se existimet potestate dominante ; sed charitate serviente felicem.* Videtur, quod præsumptio potestatis, et austeritas inhibetur dominationis : non autem affectus charitatis, non opus servitutis. Ecce potestas et dominatio : charitas et servitus, quatuor hæc. Et quidem pene semper potestati se solet inserere dominatio ; nunquam vero charitas in corde caret humilitate servitutis, quandiu perfecte flagrat in opere. Potestas tamen semper a bono ; dominatio vero plerumque a malo. Nam illa, ab ordinatione divina ; hæc vero, ab elatione nostra. *Non est potestas, nisi a Deo* (*Rom.* XIII, 1). Sententia hæc Pauli est ; sed et hæc vox ejus : *Non quia dominamur fidei vestræ* (*II Cor.* I, 23). Est et ista : *Nos autem servos vestros per Jesum* (*II Cor.* IV, 5). Magnum certe, et vere præcellens tibi scias a divina gratia donum collatum : si cum multam potestatem habeas, dominari non curas ; magisque motus, qui in mente ex potestate gigni solent, potenter premis elatos, quam potestatem gaudes exercere per dominium in subjectos. Nescio quomodo quasi innatus naturaliter humano animo potestatis videtur appetitus ; ita ut rarus sit, qui eam vel cum non habetur, non desideret, vel cum habetur, amittere non formidet, et cum forte amittitur, amisisse se non doleat. Ostendens evidenter per dolorem, quo cruciatur in amissione, quæ eum fovebat delectatio in possessione ; quia illi nimirum rei, cui omnis deerat delectatio possessæ, nullus inesse solet cruciatus amissæ. Plerumque vero, etiam cum forte eam habere non multum affectas, offerri tamen eam tibi desideras ; quia, cum non fuerit quæsita, delectat tamen oblata ; sicut cruciat quandoque, ut jam diximus, ablata. Consuit multoties, hac in parte, infirmus animus folia ficus, ad operienda verenda sua (*Gen.* III, 7). quæ hic quam maxime sordent. Facit perizomata, simulans se, hac sola de causa, quod inest potestati, culmen honoris quærere ; ut ex ejus occasione, quod consulit necessitati, commodum exerceat laboris : cum tamen ex ea, et per eam ad fumum exoptet pertingere vanitatis. Qui nimirum fumus, cum elevatus ad superiora fuerit, vero confestim defectu evanescit, vacuasque effertur in auras.

X. Nec tamen caret semper potestas bono, cum sit ipsa a bono : quia *non est potestas, nisi a Deo* (*Rom.* XIII, 1). Et, ut ait quidam : *Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens* (*Job* XXXVI, 5). Sed est bonum, quod potestas, et in hoc bono multoties malum est in potestate dominium ; nec hoc ex potestate, quæ a Deo est ; sed ex elatione, quæ a nobis est. Studeat igitur, qui præest, *reprobare malum, et eligere bonum* (*Isa.* VII. 15), potestatem pro loco, et tempore, pro persona, et causa, pro modo, et mensura exercens super fratrum transgressiones ; non dominium super eosdem fratres. Bene ergo beatus dicit Augustinus ; ut non potestate dominante, se existimet, qui præest, felicem ; sed charitate, inquit, serviente. Non igitur in potestate, et dominio felicitas est ; est autem in charitate et servitute. Et illa quidem in mente ; hæc autem in opere est. Illa quoque intus coram Deo, hæc autem foris coram proximo ; quia et illa ad conscientiam, hæc autem ad famam. Quasi cujusdam arboris radix illa est ; hæc profecto quasi ejus est fructus. Et quo vivacius in occulto illa convalescit, eo et copiosior iste in manifesto apparet sanctæ conversationis : mittente arbore in charitate mentis radicem deorsum, et faciente in servitute operis fructum sursum. Claret itaque ex his, quid illud sit, quod in officiis suis prælatos fecundos, et steriles reddit. Nam in quantum in charitate mentis fervidi sunt, in tantum nimirum in servitute operis flammescunt, ut sanctorum sit similitudo animalium, et aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus

Digitized by Google

lampadarum (*Ezech.* I, 13); in quantum vero in illa frigidi sunt, in tantum et in ista steriles existunt. Quia cum qui vegetet humor in radice vitalis non est, consequenter nec qui reficiat in fructu fecunditas est.

XI. Cum igitur vos, qui præestis, de quibus dicit Pater vester B. Augustinus : Ut vos *non existimetis, potestate dominante, sed charitate serviente, felices;* cum ipsa, inquam, evidenti attestante experientia, vos sentitis debitam subjectis vestris, vel in exemplo sanctæ conversationis ad imitationem, vel in verbo sanæ instructionis ad eruditionem, impendendo curam, non implere servitutem : ex hoc perpendite ignaviam, qua marcetis in opere, quia fervor vobis deest charitatis in mente. Econtrario vero cum potentes vos, auctore Deo, cernitis in opere et sermone (*Luc.* XXIV, 19), **306** et ad eorum informationem, qui vobis commissi sunt, tam in omittendo prudenter quod malum est, quam in admittendo fortiter quod bonum est, in sanctæ conversationis jubare lucis exempla monstrare; prohibendo mala, præcipiendo bona, concedendo media, suadendo perfecta, de thesauro vestro proferre nova in promissione præmii et vetera in comminatione supplicii (*Matth.* XIII, 52); infundendo vulneribus saucii oleum consolationis, et vinum correptionis (*Luc.* X, 34) et aliquid hujusmodi ad oris spectans ædificationem agendo, in verbo laborare et doctrina : scitote hanc vestram devotionem, quæ apparet in publico, ab imo manare charitatis, quæ latet in occulto. Itaque cum hoc modo charitate servitis, existimate vos felices. Utique felicitas magna charitate sincera flagrare in corde, et servitutem sinceram exercere in opere. Magna, inquam, felicitas, sed in merito : per quam ad illam pertingetis, quæ erit in præmio. Et prius quidem, ut jam diximus, flagret charitas in occulto : deinde fulgeat servitus in manifesto. Unde primum Ecclesiæ pastorem ad spiritualem invitans pastum ovium Pastor ille summus Dominus Jesus, prius eum de suo amore convenit : ut ad pascendum idoneum ostenderet, si verum erga oves suas interius affectum foveret. Unde subjungit : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 16). Nimirum ut ostenderet, debere vos existimare, charitate serviente, felices; et prius quidem debere vos flagrare charitate in affectu, deinde vero servitute nitere in actu.

XII. Et hæc de eo, quod dicit Augustinus legislator noster, ut is, *qui præest, non se existimet, potestate dominante, sed charitate serviente, felicem.* Et adjungit : *honore coram vobis prælatus sit vobis; timore coram Deo substratus sit pedibus vestris.* Quid sibi volunt verba hæc, gravia quidem ad audiendum : nec minus difficilia, quam utilia ad explendum? Verba, ut mihi videtur, valde a se diversa; quæ in se sublimia quædam continent, et humilia : quæ sanctæ Ecclesiæ prælatos, cum eorum fuerint in devotione operis exsecutores, et per auctoritatem erectos, et per humilitatem efficiunt depressos. Et magna, ni fallor, inest diversitas eis, de quibus, et quibus loquimur : quæ prælatis asserunt et exhibendum ad hominibus honorem, et inesse debere iis coram Deo timorem; et eorumdem etiam pedibus debere substerni, supra quorum capita eos constat elevari. Hæc autem, quæ sic quibusdam videntur diversa, non sunt in aliquo adversa : Duæ virtutes eximiæ, quas debent effectui mancipare, et humilis reverentia in subjectis, et perfectus Dei timor in prælatis. Exhibeamus, fratres, gratam et humilem reverentiam prælatis nostris, honoremus eos omnibus, quibus possumus et debemus secundum Deum, modis; secundo post eum loco, cujus vices gerunt, cujus loco nobis præsunt; et sic honore coram nobis prælati erunt nobis. Vos autem, o Patres, in ipso *ex quo omnis paternitas in terra, et in cœlo nominatur* (*Eph.* III, 13), potissimum venerandi, non arbitrari vobis debetis indignum, ut una cum his, qui nobis similes sunt, admoneamus et vos per verbum Christi, de quibus constat, quod cum his pariter, quibus estis ex tempore prælati, ipsi universitatis Domino, in una estis, eademque servitute subjecti. Vos, inquam, quanto majorem a subjectis vestris extrinsecus honorem percipitis; tanto profundius necesse est, ut Majestatem illam tremendam intrinsecus timeatis; et vosmetipsos coram ejus oculis despicientes, eos, a quibus transitorius hic honor transitorie vobis impenditur, in intima cogitatione, præponatis : sicque coram Deo prostrati eritis pedibus eorum. Sancti etenim viri, qui in suscepto regimine magis prodesse gaudent, quam præesse, quiquid exterius coram hominibus sublime sunt interius apud se deponunt, timore coram Deo existentes subditorum suorum pedibus prostrati; coram quibus, et quibus honore sunt prælati. Hinc gentilis hominis consilium audit Moyses (*Exod.* XVIII, 24); ludit coram Domino rex David, et est humilis in oculis suis (*II Reg.* VI, 14) : accinctus lumbos Elias currit ante Achab (*III Reg.* XVIII, 46); tangi a mulieribus non dedignatur Elisæus (*IV Reg.* IV, 47) et sanctæ mulieris ipsum in oratione sua Dominum alloquentis hæc vox est : *Domine habes omnium scientiam, et nosti quod oderim gloriam iniquorum, et detester cubile incircumcisorum, et omnis alienigenæ* (*Esth.* XIV, 14). Et adjungit : *Tu scis necessitatem meam, et quod abominer signum superbiæ, et gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud quasi pannum menstruatæ, et non portem in diebus silentii mei* (*ibid.*, 16). O quam isti in imo, quos modo breviter tetigimus, apud se erant prostrati, qui tamen valde in alto coram hominibus fuerunt erecti?

XIII. *Circa omnes seipsum bonorum præbeat exemplum, corripiat inquietos, consoletur* **307** *pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes.* Ecce qualis debet esse prælatus erga seipsum; ecce, et qualis erga subjectos suos. Nam quod jubetur seipsum præbere bonorum exemplum (*Tit.* II, 7), ad se spectare videtur; quod autem

Digitized by Google

corripere inquietos, consolari pusillanimes, suscipere infirmos, patiens esse ad omnes subjectos. Et pulchre ei præcipitur, ut primum seipsum exemplum præbeat, deinde ut inquietos corripiat (*I Thess.* v, 14) ; quatenus præcedat vita, et succedat doctrina. Primumque induat, qui vult esse sacerdos superhumerale, deinde rationale (*Exod.* xxix, 5), illumque imitetur, qui non venit docere, et facere ; sed *facere, et docere* (*Act.* i, 1) : qui Propheta dictus est, non quidem potens sermone et opere ; sed *opere et sermone* (*Luc.* xxiv, 19). Nam et de sancto Esdra scriptum est : quod *paravit cor suum, ut investigaret legem Domini* (*I Esd.* vii, 10) : et non doceret, et faceret ; sed *faceret, et doceret in Israel præceptum, et judicium* (*ibid.*). Quatenus et prælatus noster non prius inquietos corripiat, et postmodum bonorum seipsum exemplum præbeat ; sed primo exemplo intendat in opere, et deinde correptioni, in sermone Et bene circa omnes ; ut sicut omnibus præsidet in cathedra, sic et omnes nihilominus præeat in vita. Igitur circa omnes seipsum præbeat bonorum exemplum ; et sicut omnes præcedit in ordine, ita et præcedat in sanctitate : ut qualiter vivere debeant, ex prævio ejus exemplo subditi discant. Quod enim hæc quatuor S. Augustinus asserit ei debere inesse, erga inquietos videlicet correptionem, erga pusillanimes consolationem, erga infirmos susceptionem, erga omnes patientiam, quæ verba sunt Apostoli Pauli (*I Thess.* v, 14) evidenter ostendit, qualis esse debeat in sermonibus prædicationis, et qualis in visceribus compassionis. Nam tota summa sanæ et catholicæ, quæ spectat ad mores, instructionis, consistit in rigore correptionis, et fomento consolationis. Quia et misericors Samaritanus ille, in vulneribus illius, qui de Jerusalem descenderat in Jericho, nihil aliud legitur infudisse, nisi *oleum, et vinum* (*Luc.* x, 34) : nec quidquam aliud scriba doctus in regno cœlorum protulisse de thesauro suo, nisi *nova, et vetera* (*Matth.* xiii, 52). Suscipere vero infirmos, et habere patientiam ad omnes ; mollia et suavia veræ compassionis viscera habere est.

XIV. *Disciplinam libens habeat, metuendus imponat, et quamvis utrumque sit necessarium, tamen plus amari a vobis appetat, quam timeri ; semper cogitans se pro vobis redditurum esse Deo rationem.* Sicut in præcedenti versu monuit, bonorum prius esse exemplum præbendum, et tunc demum correptionem, atque consolationem inferendam ; sic et in isto jubet, ut prius disciplinam habeat, deinde ut eam aliis imponat. Nam quomodo alios coarctare secure poterit, qui seipsum in illicitis dilatare non erubescit ? *Qui prædicas*, inquit, *non mœchandum, mœcharis ? Qui dicis non furandum, furaris ?* (*Rom.* ii, 21, 22). Laboret proinde laborans anima tua sibi ; compellit enim te os tuum. Sic in ædificio, quod vidit S. Ezechiel, labia mensarum, quæ de quadris erant lapidibus exstructæ, reflexa per circuitum intrinsecus fuerunt (*Ezech.* xl, 43).

A Idcirco prius disciplinam habe, et postea eam impone ; ut possis dicere et tu : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*Philip.* iii, 17). Hinc de abbate sanctus Benedictus : *Omnia*, inquit, *quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis judicet non agenda.* Ne videlicet, si aliter fecerit, filii B. Job in domo fratris primogeniti mortem convivantes incurrant. Et disciplinam hanc libens habeas, ut metuendus imponere queas : quia, dum voluntarie temetipsum sub loris disciplinæ constringis, tibi nimirum ne in suscipiendo disciplinam resistere audeant, etiam timori aliis eris. Et quamvis utrumque sit necessarium, et quod timor inquietos per correptionem deterreat, et amor pusillanimes per consolationem demulceat, *Tamen plus a vobis*, inquit, B *amari appetat, quam timeri.* Quia in tanta infirmitate temporis hujus, majorem plerumque fructum in modernis subjectis invenit amor, quam timor. *Semper*, inquit, *cogitans, se pro vobis Deo redditurum esse rationem.* Hoc autem, ut longe ante nos dictum est, semper cogitare debet, qui Judex est animarum, quod super se habeat Judicem Deum : ut regiminis curam tanto sollicitius agat, quanto redditurum se ratione apud districtum Judicem, pro sibi commissis, profundius pensat. Valde enim sollicitat in operibus bonis, si homo in cunctis, quæ agit, semper cogitat de extremis suis, juxta id quod scriptum est : (*Eccli.* vii, 40) : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et* C *in æternum non peccabis.* De hoc S. Benedictus : *Memor sit*, inquit *abbas, doctrinæ suæ, et discipulorum obedientiæ ; quia utrarumque rerum in tremendo Dei judicio facienda erit discussio. Sciatque abbas culpæ pastoris incumbere, quidquid in ovibus Patrisfamilias minus utilitatis poterit invenire.* Et postea : Sciat, quod qui suscepit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et quantum fratrum numerum sub sua 308 cura se habere scierit : agnoscat pro certo, quia in die judicii ipsarum omnium animarum Domino redditurus est rationem ; sine dubio addita et animæ suæ.

XV. *Unde et vos magis obediendo non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos quanto in loco superiori, tanto in periculo majori versatur.* D Utique, ubi superior locus, ibi periculum majus ; quia quanto sublimior gradus, eo et gravior casus, et plus erit ab eo exigendum, cui plus fuerit commissum. Idcirco misereamur, fratres, non tantummodo nostri ; sed et illorum, quia, ut Scriptura dicit : *Exiguo datur misericordia ; judicium autem durissimum his qui præsunt, fiet* (*Sap.* vi, 7). Et misereamur obediendo ; quia cum eorum sumus præceptis humiliter, et prompte, efficaciter, ac perseveranter obedientes, ipsis nimirum causam damus, et occasionem, atque confidentiam, ut tremendum illud futurum Dei judicium de fructu, quem se apud nos facere vident confidentes exspectent securiores. Sequitur : *Donet autem Deus, ut observetis hæc omnia, tanquam spiritualis pulchritudinis*

Digitized by Google

amatores de bono Christi odore, de bona conversatione fragrantes, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Oratio est Patris nostri circa ipsa extrema Regulæ suæ, orantis pro nobis, et optantis nobis, Orantis, inquam, pro nobis, ut horum omnium, quæ in codice hujus disciplinæ Regularis scripta sunt, teneamus observationem; optantis vero nobis, ut religiosæ habeamus conversationis sanctitatem. *Tanquam spiritualis*, inquit, *pulchritudinis amatores.* Pulchritudo, ut mihi videtur, spiritualis est virtutum spiritualium ornatus, quo interior ille homo, noster spiritus videlicet, decoratur. Bonus quoque odor Christi ad testimonium spectat bonæ, et veracis conscientiæ; quo eruditus et instructus deprehendere solet homo, quid de seipso in præsenti possit judicare. Hic odor suavem admodum Christo fragrantiam reddit, quando homini testimonium, in omni veritate, conscientia perhibet, quod in cunctis suis motibus illi soli placere concupiscit. Hic odor in bona conversatione fragat, cum homo qualis in occulto coram Deo in conscientia latitat, talem se in aperto coram proximo in opere ostentat. Vel certe bona conversatio ad sanctitatem pertinet religiosæ vitæ; bonus vero odor Christi ad suavitatem bonæ famæ. Et de bono Christi odore, de bona conversatione fragramus quando et in vita puræ religionis ostendimus sanctitatem; et sancte, ac religiose vivendo bonam de nobis longe, lateque extendimus opinionem.

XVI. Quod vero innuit, non velle se nos similes esse sub lege servis; sed liberis potius sub gratia constitutis, conjicitur velle; ut non ex timore, nec inviti malum declinemus; sed ex amore, et voluntarii bonum faciamus. Nam timere, servorum est; et quasi sub lege gemunt qui inviti a malo recedunt. Vera quoque libertas, ipsa charitas est. *Et sub gratia constituti;* hoc est, in alacritate latæ voluntatis, quod bonum est amplecti. *Non*, inquit, *sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti:* Ut non timentes, seu inviti malum deseramus; sed corde dilatato viam mandatorum ejus in exsecutione justitiæ currentes, faciamus voluntatem ejus corde perfecto, et animo volenti. Sunt itaque verba ejus, in quibus et orat pro nobis, et optat nobis, hunc habentia modum: *Donet autem Dominus, ut observetis hæc omnia, tanquam spiritualis pulchritudinis amatores de bono Christi odore, de bona conversatione fragrantes, non sicut servi sub lege; sed sicut liberi sub gratia constituti.* Et rectus quidem ordo in his verbis illius. Primo quoque pius nos affectus exhibet puros; secundo vero testimonium conscientiæ securos, et bona opinio commendatos; tertia autem sancta nos reddit conversatio justos. Novissime certe, ut in ornatu sacerdotis, cæteris sanctis vestibus casula superponatur, per excellentiorem viam curramus, omnis consummationis videntes finem, latum mandatum Domini nimis (*Psal.* XI. 96), parati ad omnem voluntatem illius, non jam ut servi, a facie Domini timentes; sed ad Patris, ut filii, præsentiam suspirantes.

XVII. *Ut autem in hoc libello, quasi in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur.* Inter bona cætera duo nobis conferuntur insignia per sacram lectionem, quæ et eorum, quæ eatenus ignoravimus, nobis infundit agnitionem, et memoriam nostram reddit tenacem. Confert siquidem nobis claritatem instructionis, et negligentiam nihilominus oblivionis alienam a nobis reddit assiduitas hujus, de qua loquimur, lectionis. Et idcirco nobis jubet Pater noster, quæ in hoc libello scripta sunt, semel in septimana legi, ne possit per oblivionem aliquid negligi; quia quod sæpius legendo frequentamus, facile oblivioni non tradimus. Quod autem **309** libellum hunc, in quo regularis hujus disciplinæ institutio scripta est, speculo assimilat, nequaquam hoc negligenter præterire nostra diligentia debet. In speculo quoque nostram intueri faciem solemus, ejusque nos illustrante perspicuitate, quæ in ea sunt fœda, et pulchra deprehendimus; et deprehensa delere studemus fœda, et remanere permittimus pulchra. Et quid nisi speculum sacra lectio est, cui dum intendimus, tam nostra, quam aliorum et bona, et mala inspicimus; videmus namque in eam quæ in nobis sunt, vitia quoque, quæ nos indecoros; et virtutes, quæ nos reddunt formosos; et debilia quæ alios infirmos; et fortia quæ eos exhibent robustos. Nam de his, in ipso exordio secundi libri Moralium (304) hæc B. Gregorii tam nitida, quam vera verba sunt. *Scriptura sacra quasi quoddam speculum mentis nostræ oculis apponitur, ut interna nostra facies in ea videatur.* Ibi etenim fœda; ibi pulchra nostra cognoscimus. Ibi sentimus quantum proficimus; ibi a profectu quam longe distamus. Narrat autem gesta virorum, et ad imitationem corda provocat infirmorum. Dumque illorum victricia facta commemorat, contra vitiorum prælia debilia nostra confirmat. Fitque verbis illius, ut eo minus mens inter certamina trepidet, quo ante se positos tot virorum fortium triumphos videt. Nonnunquam vero non solum nobis eorum virtutes asserit; sed et casus innotescit, ut et in victoria fortium virorum, quod imitando arripere; et rursum videamus in lapsibus, quod timere debeamus. Hoc autem, quod modo diximus, cum de speculo tractaremus, quia videlicet fœda nostra, quæ in eo deprehendimus, delere studemus; et pulchra remanere permittimus, B. Augustini verba continere videntur, quæ hoc modo sequuntur:

XVIII. *Et ubi vos inveneritis ea, quæ scripta sunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Ubi autem quicunque vestrum sibi videt aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro, orans ut et debitum sibi dimittatur, et in tentatio-*

(304) S. Gregor. lib. II, c. 1.

Digitized by Google

nem non inducatur. In verbis istis regulari suæ disciplinæ, quam de institutione scripsit clericorum B. Augustinus, imposuit finem. Omnia sine ulla exceptione, quæ in hoc libello scripta sunt de spirituali animæ decore disserunt, et quomodo interior homo noster virtutum spiritualium ornatum, quo decoratur, acquirat, et conservet, ostendunt. Et cum dicit, ut ubi invenerimus ea, quæ scripta sunt, nos facientes, agamus gratias Domino bonorum omnium Largitori, quid nobis aliud præcipit, nisi ut ubi deprehendimus, illuminante nos claritate, quæ est in speculo, quædam nobis formosa inesse, ei, ex cujus sunt munere, ascribentis, et manere ea permittamus, et augere pro posse studeamus? Cum autem adjungit, ut *ubi quicunque vestrum videt sibi aliquid deesse; doleat de præterito, caveat de futuro: orans et debitum sibi dimittatur, et in tentationem non inducatur:* Quid aliud eum æstimamus jubere, nisi ut cum in præsenti speculo deprehendimus nos contracta fœditate aliquid minus de formositate habere, studeamus sollicite et eam delere, et ne rursum inquinemur, prudenti nobis cautela providere. *Doleat*, inquit, *de præterito, caveat de futuro.* Ecce geminum sanctæ religionis exercitium; eo magis sanctis omnibus notum, quo evidentius liquet, quod si illud etiam frequentando non agnoscunt, sancti esse nullatenus possunt. Cum enim in jugi magis experientia sentimus, quam in Scriptura legimus, quod *nemo mundus a sorde* (*Job* XXV, 4), *et nunquam in eodem statu homo permanet* (*Job* XIV, 2). Quis ullo modo sanctitatem valet recuperare jam perditam, nisi doleat de præterito? Quis retinere adhuc habitam, nisi caveat de futuro? Itaque qui jam cecidit, addat ut resurgat, de præterito cavens. Verba autem, quæ subintulit: *Orans ut sibi debitum dimittatur, et in tentationem non inducatur*, quæ de Oratione dominica sumpsit, ad ea pertinent, quæ præmisit; doleat de præterito, caveat de futuro. Ad eumdem namque finem respicit dolere de præterito et orare ut debitum dimittatur, cavere de futuro et orare ut inductio in tentationem devitetur.

XIX. Igitur nos, qui in professione nostra promisimus vivere secundum Regulam B. Augustini, ligati sumus verbis oris nostri, et eamdem tenemur Regulam observare; nec ab ea sine grandi offensa possumus deviare. Sed qui se deviasse deprehendit; *Doleat de præterito, caveat de futuro: orans ut sibi debitum dimittatur, et in tentationem non inducatur.* Medicus itaque animarum peritissimus Pater noster B. Augustinus de utroque nos exercitio medicinæ, in libro Regularis disciplinæ suæ, exhibet eruditos; instruens nos in eo, qualiter possimus **310** et sanitatem, cum eam habemus, spiritualem custodire, et ad eam, cum forte amiserimus, redire. Hanc namque, de qua loquimur, sanitatem custodimus, cum ea, quæ scripta sunt, facimus; ad amissam vero redimus, cum dolemus de præterito, A cavemus de futuro: orantes ut et debitum dimittatur, et in tentationem non inducamur. Quæ cum ita sint, fratres charissimi, diffiteri nullo modo valemus quin multa de his, quæ scripta sunt in libro hoc, nobis deesse videamus. In multis quippe offendimus omnes; nulla pene dies est, in qua, ex parte aliqua, non omittimus, et negligimus reddere Domino vota nostra, quæ distinxerunt labia nostra (*Psal.* LXXV, 12). Idcirco videntes deesse nobis non unum aliquid, sed multa de his, quæ scripta sunt, clamemus totis cordis medullis ad Patrem nostrum, qui in cœlis est, et dicamus dolentes de præterito: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Dicamus et caventes de futuro: *Ne nos inducas in tentationem* (*ibid.*, 13). Ut et a præteritis mundati, et contra futura muniti, ipsum laudemus, et honoremus, qui est Deus benedictus in sæcula, *Amen.*

SERMO XIII.

De virtute perfectæ obedientiæ, et de singulari prærogativa ipsius: et qualiter votum obedientiæ usque ad mortem in Christo, in professione Regulari intelligendum sit.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Submissa sui in dicendo excusatio. — 2. Professionis in ordine Præmonstratensi forma, cum præcedentium anacephalæosi. — 3. Religionis culmen obtinet obedientia, virtutum omnium robur, incrementum, materia; quibuscunque sacrificiis Deo acceptior. — 4. Inobedientes cum idololatris et ariolis compositi, parique supplicio digni; obloquentis introductio. — 5. Si quidam ad jubendum indiscreti prælati, ne temere dentes mordaces infixeris. — 6. Nolle obedire damnabile est. In præceptis tamen nimis gravibus aut impossibilibus licet propriam infirmitatem attexere. — 7. Quod subreptio veniale, contemptus obedientiæ mortale constituit. Unde lapsus protoplasti tanti ponderis. — 8. Singulare inobedientiæ exemplum in propheta vero Dei ad regem misso examinatur. — 9. Præconium vere obedientis, cujus norma in Davide et Samuele ostensa. — 10. Typus obedientis in verbis Virginis matris expensus. Præjacet obedientiæ humilitas, superbia rebellioni. — 11. Superbiæ fastus, deinde obedientiæ contemptus, postremo sequitur culpa reatus. — 12. Obedientiæ castra nullis casibus, nullo tempore deserenda, exemplo Salvatoris nostri Dei. — 13. Ab Apostolo talis obedientiæ forma elicita, quam gradu quarto reponit S. Benedictus. — 14. Obedientia usque ad mortem requirit tolerantiam et perseverantiam. — 15. Obedientia in Christo præ se fert normam justitiæ et rectitudinem intentionis internæ. — 16. Obedientiæ stimulus est hic placendi Christo, et cum eo æterna mercede fruendi appetitus.

1. Loqui charitati vestræ, dilectissimi fratres, ædificationis vestræ desiderium nos compellit; sed propria nobis imperfectio silentium indicit. Et fortia quidem, ex parte, sunt nonnulla, quæ debemus; sed debiles, et invalidi ipsi sumus. Magna dissimilitudine, et longa sibi intercapedine ab invicem distant, quæ videntur in nobis; et quæ a nobis audiuntur: *Ut vox quidem, vox Jacob sit, manus autem, manus sint Esau* (*Gen.* XXVII, 22). Auris audiens admiratur nos, sed indignos se nos judicat

Digitized by Google

oculus videns; quia longe alii sumus præsentes in facto, quam verbo absentes. Nam, ecce sæpe pulchrum hominem depingimus, ipsi pictores fœdi sumus. De velocissimo tigridum cursu disserimus, pallidæ, sub lutosa palude nostra, vix repentes ranunculæ, et intra distortam involutæ testam testudines molles. Leonum in medium vires afferimus nos agilitate non agili, sub nostro pulvere moventes formicæ magis, quam viventes. In corpus solare aquilam limpidissimum docemus infigere visum, talpæ suffodientes, lumen non ferentes, nec scientes solem. O quanta insipientia hæc; sed nec insania minor! Cur non manet manus mea super os meum? Quare non digito compesco labellum? Sed libet, nec licet; excusare vix conceditur, nam recusare ex toto negatur. Est autem in causa sola voluntas vestra, importuna satis: nescio, ut pace vestra dixerim, an justa. Et ideo, dum vestra coactio prævalet, nostra excusatio locum non habet. Nempe vox vestra est: *Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam* (*Isa.* XL, 2); nisi forte, quod absit! suæ invidetis ædificationi. Ne abscondatis frumenta in populis, nisi forte eorum pro nihilo habetis maledictionem (*Prov.* XXVI). Petunt parvuli panem, frangite eis (*Thren.* IV, 4), nisi forte eorum non amatis refectionem. Talium itaque rationum uncinis, a claustris silentii nostri, **311** extrahitis nos, ut jam in ejus non audeamus penetralibus latere, cum tamen ad publicum locutionis confundamur prodire. Annuimus ergo, et gerimus vobis morem, dedentes nos vobis ex toto, ut simus vestri, et fruamini nobis, ut libuerit in Domino; quatenus et nos vobis fruamur in ipso.

II. Circa ipsa primi sermonis exordia, a quo iste in ordine decimus tertius est, tria quædam breviter perstrinximus, de quibus in duodecim sermonibus, qui hunc præcedunt, vestram dilectionem allocuti sumus: videlicet dignitatem ordinis, habitus significationem, et robur professionis nostræ. Eousque vero nostra in eis, quam ad vos habuimus, locutio perducta est, ut ipsa verba Regulæ Patris nostri Augustini, qua potuimus expositione sigillatim discutere compulsi simus: causam inde accipientes, et occasionem, ut in professione nostra de eadem faceremus Regula mentionem, eo scilicet modo, quo vovere solemus: secundum Evangelium Christi, et secundum apostolicam institutionem, ac secundum canonicam Regulam beati Augustini. Quæ autem illa sint, quæ ad ordinis dignitatem, ac habitus significationem, atque ad ipsam nostram pertinent professionem, prout nobis occurrere potuit, et quantum ipsa nobis, de qua agebamus, materia occasionem præbuit, utinam tam sit a vobis fructuose auditum, quam est a nobis profuse ostensum! Est itaque ordo verborum, quæ in professione nostra continentur, hunc habens modum: *Ego frater N. offerens trado me ipsum Ecclesiæ sanctæ Dei Genitricis Mariæ, et promitto conversionem morum meorum, et stabilitatem in loco secundum Evangelium Christi, et secundum apostolicam institutionem, et secundum canonicam Regulam beati Augustini.* Quæ quidem singula, una cum his, quæ ad ordinis dignitatem, et habitus nostri spectant significationem, qualiter intelligenda sint, in his sermonibus superioribus, prout potuimus, vobis explicare curavimus. Verba vero, quæ istis in professione eadem succedunt, sunt hæc: *Promitto etiam obedientiam usque ad mortem in Christo, præfatæ Ecclesiæ Patri, et successoribus ejus, quos sanior pars congregationis canonice elegerit.*

III. Magna, fratres mei, et fortia sunt, quæ in professione nostra, de qua hucusque egimus, præcedunt; sed unum est prævalidum, et sublime sanctæ Religionis insigne, quod reliqua pariter et commendat, ut acceptabilia sint; et confirmat, ut durabilia sint. Ipsum, si quæritis quodnam sit, locum inter virtutes cæteras obtinet præcelsum; et culmen, si sic dicere fas est, singulare: pretiosa et gloriosa, inquam, virtus obedientiæ, universis conferens virtutibus cæteris et sanctitatem, ut placeant; et robur, ut maneant. Sine ea namque, nec sanctitatis illis adesse poterit fulgor, nec perseverantiæ robur. Sine ea nec oblatio tui ipsius vel traditio poterit esse perfecta, nec morum conversio vera, nec stabilitas in loco fructuosa: quapropter cavete vobis, fratres, ne forte, quod absit! qui *seminatis multum*, inferatis *parum* (*Agg.* I, 6): sitque labor multus, et fructus nullus. Ex eo quod multum seminatum est, parum colligitis: si multum in sanctæ Religionis exercitiis sudorem expenditis, sed ad meritum aliquod per hoc non pertingitis, dum Patri vestro spirituali inobedientes estis. Totum quippe virorum Religiosorum in sola virtute obedientiæ meritum est. En te offerendo tradidisti, et tradendo obtulisti Ecclesiæ Dei; sed nihil in his perfectionis aggressus es, si ejusdem Ecclesiæ Patri, cui te obediturum promisisti, inobediens es. Promisisti conversionem morum tuorum; sed Patri tuo spirituali nolle obedire, non mores convertere, sed mores pervertere est. An forte de stabilitate in loco blandiris tibi? Nam et illam promisisti; sed mille annis in eo stabilis mane, et ejusdem loci Patri noli obedire: nihil tibi prodest. Nam quid prodesse tibi possit absque obedientiæ virtute, vel tui ipsius traditio, et oblatio, vel morum tuorum conversio? Imo saltem quod aliqua esse posset morum tuorum conversio, vel aliquod tibi conferre meritum stabilitas in loco, nec in Christi reperitur Evangelio, nec apostolica censet institutio, nec habet canonica Regula beati Augustini. Quid ergo deest, inquis? Exhibe obedientiam Patri tuo spirituali, et hæc omnia prosunt. Contemne exhibere eam, etsi in se aliquid sunt, sed nihil tibi sunt. Idcirco fortassis post illa omnia, de obedientia facis in professione tua mentionem, ut illa pendere ex ista, et quidquid utilitatis habent, ex ista scias eis conferri. Quid enim illa, nisi quædam sacrificia sunt? Sed ea sine ista non accipit, nec acceptat

Digitized by Google

Deus. Ait namque sanctus Samuel : *Nunquid vult Deus holocausta aut* **312** *victimas, et non potius ut obediatur voci Domini?* (*I Reg.* xv, 22.) Utique vult holocausta et victimas, sed cum obeditur voci ejus. Alioquin abominatio sunt ei. Et audite, quod subjunxit : *Melior est enim obedientia quam victimæ; et auscultare magis quam offerre adipes arietum.* Vult itaque victimas, sed obedientis; oblationes, sed auscultantis. Non enim respicit sacrificantes, si fuerint inobedientes : non offerentes, nisi fuerint auscultantes.

IV. Quod si dubitas, ne forte tantum insit obedientiæ bonum, audi quantum inest inobedientiæ malum. Hoc nobis sanctus Samuel ostendat. Quia *quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*ibid.*, 23). Estne peccatum grande, peccatum ariolandi? Estne scelus idololatriæ? Sed non est necesse vestrum ad hæc diu præstolari responsum : non enim ignoratur, quid sentitis super his. Videte ergo, quia præsumptionem non arbitratur propheta ipsis ariolis peccatum comparare repugnantis; et idololatris, scelus acquiescere nolentis. Quis in sancta modo Ecclesia ariolos sustineret? Quis vel momento aliquo in grege Catholicorum morari idololatras æquanimiter ferret? Quare non sic sentitur super repugnantibus in conventu et super his qui nolunt acquiescere? Quippe cum par eos constringat culpa, hæsitandum profecto non esset de sententia. Fratres, *auferte malum a vobis* (*I Cor.* v, 13). Non sit impunita inter vos idololatria inobedientiæ, non foveantur repugnantes. Sit manus vestra super eos: nec vigeat ullo modo tantum scelus inter vos. Obruantur lapidibus duræ correptionis; ejiciantur, si permanere decreverint in fœditate sua, extra castra. Non enim debet esse cum Catholicis habitatio eorum; idololatræ quippe, et arioli sunt exterminandi, et exstirpandi imo fulminandi. Sed substomachans nescio quis sub silenti clamore murmurat indignans ad hæc, et agens contra hæc. *Durus est*, inquit, *hic sermo* tuus (*Joan.* vi, 61). Quis te potest audire? Nimis in sermone tuo sævis, nimis grassaris in locutione tua. Supra modum inobedientes condemnas. Morituros eos asseveras; sed morte eos mori nimis leve putas. Si pœnam nosses graviorem, infligendam diceres eis. Hac eos dignos judicas; quia ea esse graviorem ignoras; nimis tamen eam levem esse consideras. Et ego : Quid hoc ad te? *Non facio tibi injuriam* (*Matth.* xx, 13). Non te vocavi in jus; quia peccantibus calumniam struo. Crucem erexi : quid ad te? Neque enim fur es et latro. Si inducitur Phinees cum pugione transfigens? (*Num.* xxv, 7), non ideo tu adulter es. Inobedientem Saulem corripere Samuel non potest, nisi tu scandalizeris? Idololatras occidit Eliseus : cur irasceris super hac re? *Nunquid ego sum, Rabbi* (*Matth.* xxvi, 25), ait Judas; et tacuit Petrus. Cur super uno, qui traditurus erat Dominum, ipse sciscitatus est? Confusio tibi, quod fornicantibus Paulus minatur virgam (*I Cor.* iv, 21); quod Eliseus mentientis, et avari pœnam Syri efficit lepram? (*IV Reg.* v.) Philargiriam Ananiæ et uxoris suæ Petrus percutit; et tu inde murmuras?

An tua res agitur, paries cum proximus ardet?
(Hor. *Epist.* I, xviii, 84.)

Non, inquis, et horum omnium nihil ad me; sed excedere mihi videris, et quantum ego conjicere possum, usque ad internecionem tuus mucro desævit. Nam *Simeon, et Levi fratres vasa* dicuntur *iniquitatis bellantia* a patre, *quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum* (*Gen.* xlix, 5, 6). Nimietatem eorum reprehendit discretio paterna furori eorum maledicens et indignationi. Nec injuste quidem; quia illi, etsi justum, injuste exsecuti sunt. Denique illi pertinaciam, et huic duritiam inesse agnovit; ideo utrique maledixit. An ignorans, quod periculosa sit desperatio, in tantum inobedientiæ exaggeras mala, ut oblivioni tradas infirmitatem temporis hujus. Non enim sunt moderni, ut fuerunt antiqui. Nunquid tu angelus es? Et si modo es, nunquid semper fuisti? Prius Petrus negavit, et post suas Dominus ei oves pascendas commisit.

V. Si tam gravis est inobedientiæ culpa, quis salvari poterit? Et maxime de modernis, inter quos tot inveniuntur indiscreti ad jubendum prælati, quot pigri ad obediendum subjecti. Nimis parum dixi, tot eos asserens; audacter enim dicere potui, longe plures esse in imperando immoderatos illos, quam ad parendum non voluntarios istos. Ecce leva oculos tuos, et erige aures tuas, et attende, qui imperant, quæ volunt, non quæ debent; jubent quod libet, non quod expedit; præcipiunt secundum voluntatem, non secundum rationem. Da mihi vel unum eorum, qui hanc vocem non assumat sibi :

Sic volo, sic jubeo : sit pro ratione voluntas.
(Juv. sat. vi, 223.)

Non solum autem, sed et leges subjectis duras, et valde difficiles ad libitum suum promulgant; *alligantes*, ut Deus dicit, *onera gravia, et importabilia, et imponentes in humeros hominum : ipsi autem* **313** *extremo digito suo nolunt ea movere* (*Matth.*, xxv, 4). Cui ego : Nimis frontose christos Domini tangis; nimis præsumptuose in prophetis ejus malignaris; nimis superbe ponis in cœlum os tuum. Cave, ne dum nimium de tuo robore confidens arcam Domini manu temeraria contingere præsumis : percussione etiam ab eo mortifera feriri merearis. Noli tuorum seniorum vitam superbe scrutari; noli eorum malitiose actus discutere; noli eorum conversationem, licet reprehensibilis sit, elata mente, et voce tumida reprehendere. Agnosce eorum auditorem te esse, non judicem; et jussis eorum debere te per obedientiam obtemperare, non eorum vitam et conversationem per superbiam condemnare. Revoca ad mentem votum tuum, quod distinxerunt labia tua (*Psal.* lxv, 14) : quod tale est : *Promitto*

Digitized by Google

obedientiam præfatæ Ecclesiæ Patri. Cujus Ecclesiæ, nisi illius, cui te tradidisti? Sed et illud Apostoli noli oblivisci: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis* (*Heb.* XIII, 17). Et illud: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (*Rom.* XIII, 1). Nescis quia præcepta eorum, præcepta Dei sunt? Nescis quia vice et loco summi prælati tibi præsunt? Nescis quia qualescunque illi sint, eorum successores sunt, de quibus dicitur: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X, 16). Num mente excidit illud Apostoli: *Non est potestas, nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistit* (*Rom.* XIII, 1), quod sequitur avertat a te Deus. Et quidem non avertet subsequens, nisi tu a te dimiseris præcedens.

VI. Et ille: Quis, inquit, poterit salvari? Nam est quorumdam sententia: quod subjectos prælatis non parere, damnationem est sibi acquirere; et in crimen inobedientiæ corruere, peccatum est mortale committere. Num, inquam, tu sententiam hanc veram esse discredis? Quis ergo, inquit, poterit salvari? utique qui Patri suo spirituali vice Dei sibi præsidenti humiliter, alacriter et stabiliter satagit obedire. In tali obedientia salus; quia et in ea meritum sanctitatis existit, et ex ea præmium felicitatis provenit; in qua bonos discipulos et humilitas reddit mansuetos, et alacritas promptos, et stabilitas perseverantes. Et quis, inquit, talem obedientiam universis valet seniorum præceptis exhibere? Quis eorum singula, et admittere jussa, et omittere valet prohibita? Quia tam multa jubent, tam multa prohibent, ut nec numero queant includi, nec memoria retineri. Non te, inquam, pro oblivione nimis crudeliter judicamus: verumtamen timere potes, ne dum præcepta seniorum obliviscaris, oblivioni et ipse a Deo tradaris. Et ille: *Durus est*, inquit, *hic sermo* (*Joan.* VI, 61). Et quid, quod tam gravia plerumque jubent, ut ea obediendo exsequi non possimus? Homines quippe sunt, licet super homines sint. Et multoties modum in præceptis suis tenere vel ignorantia nesciunt, vel superbia contemnunt, vel quod multis eorum solet esse pertinacia propria nolunt, vel certe oblivione negligunt, imperiti, elati, obstinati, obscurati. Nec, inquam, te pro impossibilitate condemnamus. Et tamen quando tibi a prælato tuo etiam quæ impossibilia videntur, injunguntur, si in sua sententia persistens te relevare noluerit, sicut beatus in Regula monachorum dicit Benedictus, in Deo confidens cum fide, quod tibi jubetur, et humilitate aggredi debes. Hæc enim ipsius in eadem Regula super hoc verba sunt. *Si cui fratri aliqua forte gravia, aut impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine, et obedientia. Quod si omnino virium suarum mensuram viderit pondus oneris excedere, impossibilitatis suæ causas, ei qui sibi præest, patienter et opportune suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo.* Quod si post *suggestionem suam in sua sententia Prioris imperium perduraverit, sciat junior ita sibi expedire, et ex charitate confidens de adjutorio Dei obediat.* Ecce quod nec gravia admodum, nec ipsa etiam impossibilia, cum tibi forte per præceptum imponuntur, bonum est ut recuses, quamvis tibi licitum sit, ut tuam humiliter infirmitatem excuses.

VII. Valde, inquit, durum est, quod dicis: dum juxta has allegationes tuas in transgressione præceptorum, quæ a nostris senioribus sunt promulgata, oblivio et impossibilitas, etsi ex toto fortassis non condemnat, plene tamen non excusat. Et quid, quæso in transgressione condemnas? Et ego: Plenum contemptum. Si enim per oblivionem tibi forte surripitur, ut senioribus tuis in præceptis, vel prohibitis eorum inobediens sis, peccasti quidem, sed venialiter, si tamen agnoscens statim reatum tuum, et humiliter cum confiteris, et plene pro eo satisfacis, et de cætero te emendare satagis. Quod si per contemptum et superbiam, per tumorem et rebellionem jussa, quod absit **314**, abjicis seniorum, peccatum nimirum admisisti nimis grave, et si in eo perseveraveris, damnabile et mortale. Durus est, inquit, hic sermo. Sed si hæc ita sunt, de maximis hæc præceptis æstimo debere intelligi. Ego autem ad hæc. Quæ, inquam, maxima putas esse præcepta? Maximum, inquit, videtur præceptum, quo nobis jubetur diligere Dominum Deum nostrum et cætera in hunc modum. Sunt, inquam, maximæ quidem, quæ in hunc modum sunt, præceptiones et prohibitiones; verumtamen non solum in talibus, sed etiam in cæteris, quæ parva videntur, quæ tamen secundum Deum a senioribus promulgantur, præceptis et prohibitis, et oblivio obnoxia est peccato, et contemptus damnationi. Et si in aliqua hæsitas super hoc, accipe conveniens exemplum. Prohibitum est in paradiso primo illi parenti nostro ab ipso universitatis Auctore, ne de ligno comederet scientiæ boni et mali (*Gen.* II, 17). Si autem superficiem prohibiti attendimus, non videtur grande fuisse, quod primus homo transgressus est. Quid ergo dicimus? Quod injustus in hoc Deus fuit, qui pro modico conditum tam excellenter a se hominem ab amœnitatis loco in hoc tenebrosum exsilium ejecit? Et ille. Absit, inquit: Non eum pro modico ejecit; quia, etsi magnum non videtur esse quod prohibuit, magnus tamen ille, et vere magnus, utpote *cujus magnitudinis non est finis* (*Psal.* CXLIV, 3), qui prohibuit. Et quid, inquam, ad ipsum transgressorem ipse, qui prohibuit? Multum, inquit, per omnem modum. Primum etenim diligenter ei considerandum fuit, quisnam fuerit ille qui prohibuit; et secundum ipsum metiri prohibitum suum. Et quare, inquam, pro eo quod magnus ipse, magnum consequenter et ejus prohibitum fuit? Propter magnam, inquit, ut sic loquar, jubentis voluntatem. Quomodo, inquam, intelligis istud? Omne, inquit, Dei præceptum et prohibitum ea est voluntate susci-

Digitized by Google

piendum, ea etiam exsequendum, qua est injunctum. Illud namque majus minusque præceptum et prohibitum est, quod magis minusque constat velle eum, qui præcipit et prohibet. Et ideo pro excellenti et magna voluntate jubentis sic modicum, sicut magnum Dei prohibitum debuit ille primus homo vitare; dum constet ipsum Dominum tam magna, tamque excellenti voluntate voluisse prohibitum suscipi modicum, quam magna, quamque excellenti voluit suscipi magnum. Consequens, inquam, videtur ex his esse, quod multum primus ille parens peccavit. Quam horribile, inquit, et immane peccatum commisit, pœnæ subsequens non solum in eo, sed etiam in nobis evidenter ostendit. Nec tamen, inquam, ut tu dicis, tantum erat ei damnabile, quod prohibitum non tenuit, quantum quod in hoc prohibentem contempsit.

VIII. Sic, inquit, dico. Et ego: Quare ergo in eorum nunc præceptis et prohibitis, licet minimis, qui ejus vicem tenent, contemptum simili modo non concedis esse damnabilem, cum ipso testante, qui hos spernunt, se spernant? Et ecce quiddam tibi dico, quod magis recognoscas, quam agnoscas; quod reminiscens, sic obstupescas, ut non mediocriter extimescas. Missus dudum a Judæa in Samariam a Domino ad regem idololatram propheta; eique inter cætera injunctum est, ut cibum vel potum in eodem loco non sumeret sed peracto pro quo missus fuit negotio, jejunus rediret (*III Reg.* XIII). Quod facere paratus fuit, idque sibi injunctum esse confessus est, et non negavit. Ivit, et rediit; utinam de reditu non rediret! Sed secus contigit; nam deceptus est, et deceptus, reductus est. Mandatum præterivit, et ex ore seducentis præsentem intellexit culpam, audivit pœnam futuram. Confregit eum leo, et ad puniendam transgressionem, solam ab eo mortem exegit corporalem. Quod exinde quam maxime innotuit quod cui viventem occidere datum fuit, occisum contingere non licuit. Non solum autem: sed et cadaver custodivit, a quo animam excussit, nec etiam asinum læsit. Attamen si superficietenus consideramus, pœnæ crudelitas culpæ videtur modum excessisse. Si igitur vir Dei iste non oblivione sibi absens effectus, sed falsi prophetæ mendacio seductus, pro eo, quod etiam Domino obedire volendo, in loco comedit prohibito, sed sibi jam ut æstimabat, concesso, leoni ad devorandum traditus est: quid de te judicas, qui seniorum tuorum præcepta et prohibita non per oblivionem, sed per contemptum transgrederis? Et ille ad hæc: Super omnia, inquit, quæ de hac re dixisti, verba, hoc me exemplum magis perterret. Nullatenus enim, ut arbitror, in illo loco vir ederet, nisi Dominum, et suum locum prohibitum mutasse, et ut comederet **315**, putaret præcepisse. Nam et ideo, ni fallor, comedit, quia in hoc se Domino obediturum putavit. Hoc quippe ejus videntur verba innuere, quæ regi et prophetæ eum ad prandium invitantibus respondit. Et ego ad hæc: Quid itaque in hoc tibi facto innuitur, nisi ut id, quod tibi a prælato audis prohiberi, nullo modo audeas postea alicujus suggestionibus commutare, nisi in eumdem seniorem tuum certissime agnoveris mutasse? Collige ergo ex his, quanta debeas sollicitæ ac sinceræ humilitatis devotione Patris tui spiritualis præcepta ac prohibita non magna solum, sed et quæ modica videntur, venerari.

IX. O tu tamen cæterarum virtutum obedientia, quæ sola eas æternitate facis cœlestis præmii dignas? Ubique tutus incedit verus, et sincerus obediens, et de mercede necesse non habet dubitare. Sed ubi invenietur ille, et quis ille est? Utique qui totus, et ex toto ad nutum pendet præsidentis, nihil penitus sibi retinens de se, quo se ad ejusdem nutum [*al.* ad eumdem prælatum] in aliquo non inclinet minorem, nullumque ei unquam vel usquam præjudicium faciens: sed paratus eum sequi, quocunque ierit (*Apoc.* XIV, 14); ei se conformans, et secundum eum informans, ambulans ad illum, sed præ illo; nullo modo volens vel contrahi citra, vel progredi ultra. *Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua* (*Eccles.* XXXI, 9). Et quæ vita ejus? Certe obedientia; quia sic apud eum vivitur, et in ipsa vita spiritus ejus. Si ipsa itaque vita ejus, quæ in hac vita mirabilia facit, profecto quod modo breviter tetigimus, nonne mirabile judicas hominem ex toto voluntatem suam alterius dedere voluntati ipsumque suum non esse? Ad jussum prælati sui omnis motus suus; et ut ille movet, sic et iste se movet. Ecce, dico tibi, leva oculos tuos, et vide milites cœlestium castrorum, et pinguem hujus, de qua loquimur, virtutis apud eos scrutare medullam. Appareat tibi sanctus David; et appareat ingrediens, et egrediens, et pergens ad imperium regis (*I Reg.* XVIII, 61). Est ad secretum contemplationis ingressus; est nihilominus et ad publicum actionis egressus. Sed forte, uterque æternæ tunc solummodo erit causa et occasio salutis, cum neuter fuerit, nisi ad imperium regis. Nam ipse pergit, qui in utroque salubri exercitio isto proficit. Sed pergendum ad imperium regis; quia tunc solum in isto pergente profectus augetur spiritualis, eum ex toto se inclinat ad nutum præsidentis. Est autem et aliud simile huic. *Egrediebatur quoque David ad omnia quæcunque misisset eum Saul* (*I Reg.* XVIII, 5); formam tibi in hoc perfectæ obedientiæ præbens. Non ad quædam, sed ad omnia hic ejus egressus erat: ut nihil tibi excipiendum scias ex omnibus, quæ tibi imponuntur. Et quid sequitur? *Et prudenter se agebat* (*ibid.*): ut agnoscas videlicet, et egredientem fuisse alacrem, et agentem efficacem. Audi alium: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* (*I Reg.* III, 9). Hoc autem reddere vocanti responsum, suus eum docuit Magister. Neque enim aliud reddere sic vocatus debuit. Tu, inquit, loquere, nam ego audiam. *Loquere* dixit: et ibi substitit; nec quid foret loquendum, expressit. Non hoc, inquam, expressit: promptum

Digitized by Google

tamen se ad ejus locutionem habere auditum non tacuit. O vocem ex corde dilatato prolatam! *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Hoc est dicere : Nihil excipio, nullum tibi præjudicium facio ; in tua voluntate sit, quid loquaris ; nam quidquid illud fuerit, ego audiam.

X. Audi adhuc vocem aliam similem huic : *Fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I, 38). Secundum cujus verbum ? Secundum verbum angeli ; nam ipsum alloquebatur. Et quis iste ? Fortassis prælatus tuus est, spiritualem tibi et conceptum evangelizans, et partum. *Nam labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus ; quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II, 7). Et quam scientiam custodiunt labia sacerdotis tui angeli Domini ? *Ecce concipies, et paries* (*Luc.* I, 31). *Concipies* : hoc est, quod spectat ad veram salutem, in affectu puræ cogitationis comprehendes. *Paries*, hoc est, ipsum veræ salutis affectum ad effectum bonæ actionis perduces. Quæ lex exquiritur de ore ejus ? *Quomodo fiet istud ?* Et interrogatio quidem necessaria valde. Nam unde dicit, quomodo fiet istud, nisi de eo, quod prædictum est ad eam : Concipies, et paries ? Hujus conceptus, hujus et partus quærere modum, quis ignorat esse saluberrimum ? En quære ab angelo legem, requirens ex ore ejus, juxta illud : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi* (*Deut.* XXXII, 7), nam nuntiare angelus non omittit. Et quid ei ait, qui nuntiavit ? *Fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I, 38). Præmisit quoque : *Ecce ancilla Domini* (*ibid.*). Quasi vocis subsequentis causa fuerit ista præcedens : et quidem ita est. Nisi enim præmitteret : *Ecce ancilla Domini* ; nullo modo subjungeret : *Fiat* **316** *mihi secundum verbum tuum.* Quo spectare hæc omnia putas ? Eo certe ut, cum tibi aliquid imponit vox præsidentis, quod ad puritatem attinet mentis, et utilitatem redolet operis (nam hoc est dicere, concipies, et paries filium) : hoc eamdem vocem excipias responso, et dicas : Fiat mihi secundum verbum tuum. *Secundum*, inquit, *verbum tuum*, non secundum velle meum. Locutus es ad me : fiat mihi secundum verbum tuum. Non revertetur ad te vacuum ; sed faciet, quodcunque vis, et prosperabitur in re, ad quem misisti illud. Fiat ergo mihi secundum verbum tuum. Vox itaque hæc obedientiam redolet perfectam, sed oportet præcedere humilitatem profundam. Nisi enim humiliter prius sentias de teipso, non eris promptus in omnibus parere prælato tuo. Nam unde videmus quosdam præceptis suorum resistere prælatorum ? Inde profecto, quia superbi sunt mente cordis sui. Dumque de se supra modum sublimia sentiunt, longe infra eos, qui sibi præsident, cernunt ; utque se eis obediendo inclinent, quasi seipsos hoc agentes degenerent, pro quodam magno extremæ vilitatis modo habent. Idcirco necesse humilitatem in te præcedere profundam, ut accedere contingat obedientiam perfectam. Accedere, dico, non succedere : ut sic ex humilitatis lenitate alacritatem obedientiæ generes, ut istam in te una cum illa perpetues. Porro profundæ humilitatis vox ista est : *Ecce ancilla Domini.* Perfectæ vero obedientiæ ista : *Fiat mihi secundum verbum tuum. Non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei* (*Psal.* CXXX, 1) : et idcirco *paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua* (*Psal.* CXVIII, 60).

XI. Collige ex his, in quantum cavenda sit tibi pestis superbiæ. Ipsa namque parit peccatum inobedientiæ, quod, cum consummatum fuerit, generat mortem (*Jac.* I, 15), Unde et in lege scriptum est. *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui ministrat Domino, ex decreto judicis morietur homo ille, et auferes malum de Israel* (*Deut.* XVII, 12). Considera, quæso, seriem verborum. Dicturus pœnam, prius tetigit culpam : quia hæc ad illam via est. Pœna ergo mors est : inobedientia vero ipsa est culpa. Porro inobedientiæ causa superbia est : hoc enim in se habet ordo verborum, qui talis est : *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio.* Itaque prius superbiæ fastus, deinde obedientiæ contemptus. Ideoque humiliare, ut obedias sacerdotis imperio, et decreto Judicis. Hoc est : responde angelo : *Ecce ancilla Domini* (*Luc.* I, 38) ; ut quod sequitur, subjungas : *Fiat mihi secundum verbum tuum* (*ibid.*). Nam ad hoc pertinentia in lege quædam verba præmittuntur in hunc modum, in quibus dicitur tibi : *Facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta leges ejus. Sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, vel ad sinistram* (*Deut.* VII, 10, 11). Quodcunque dixerint, juberis facere ; nec ad dextram, nec ad sinistram declinare, ut hæc vox tua sit : *Fiat mihi secundum verbum tuum.*

XII. Votum igitur tuum attende, et quod vovisti, redde votum tuum. Hoc est : *Promitto obedientiam Ecclesiæ præfatæ Patri.* Interposuisti vero, *usque ad mortem.* Et hoc forte ad rem pertinet. In hoc autem verbo duo notanda esse deprehendo : asperitatis videlicet magnitudinem et ipsam finis tui extremitatem. Ut enim de uno primum loquamur, hoc est, te obedire usque ad mortem, pro amore obedientiæ aspera quæque amplecti usque ad mortem. Magna admodum inter virtutes cæteras est virtus obedientiæ, qua voluntati alienæ tuam supponis. Sed ut plene ac perfecte Deo acceptabilis sit, oportet ut et pura sit. Tunc autem puritatem magnam ac suæ prærogativæ congruam habet, cum magis exerceri in adversis quam in prosperis gaudet. Amplectatur quæque adversa inter brachia latitudinis suæ ; ipsamque mortem, qualiscunque inferri poterit, aggredi, vitam ei sempiternam ingredi sit. Tu ergo ipsam habens comitem, et ducem, per patientiam curre, cum ea propositum tibi certamen aspiciens in Auctorem et Consummatorem fidei Jesum, de quo legis quod *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* (*Phil.* II, 8). Ecce quod paulo ante dictum est : oportere videlicet, ut humilitas obedientiam præcedat. Nam locuturus hoc in loco de Redemptoris nostri

Digitized by Google

obedientia Paulus, prius de ejus humilitate fecit mentionem ; ut ostenderet, ni fallor, non modo difficile, sed et penitus impossibile subsequi istam, nisi contingat præcedere illam. Prius quippe asserit eum humiliatum : deinde obedientem factum ; quia et tu, si de teipso humiliter non sentis, Patri tuo alacriter non obedis. Est autem *factus obediens usque ad mortem* : **317** usque ad ea videlicet toleranda, quæ inferunt mortem. Et quid per hoc intelligi voluit Apostolus, quod subjunxit, *mortem autem crucis?* Ut et per hoc intelligi nimirum commendabiliorem ejus innueret obedientiam ; quod eum factum monstravit obedientem usque ad mortem, non solum quidem duram, sed et probrosam ; non modo diram, sed et ignominiosam. Nam asperitas in morte ; vilitas notatur in cruce. Itaque promisisti obedientiam usque ad mortem, ut eo felicius in futuro pro ea sis remuneratus, sis et sublimius honoratus, quo fueris pro ea in præsenti et durius afflictus et vilior effectus.

XIII. Quid ergo tibi videtur? Tu fortassis æstimasti magnum tibi provenire meritum, quando obedis alacriter imponenti tibi suavia et delectabilia, in quibus magis intendis carnali tuæ favere delectationi, quam spiritualis Patris tui parere jussioni? Non est ita : nam beatus Gregorius dicit (305-6). *Cum hujus mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is, qui ad hæc percipienda obedit, obedientiæ sibi virtutem evacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque enim sub obedientia se dirigit, qui ad suscipienda hujus vitæ prospera libidini propriæ ambitionis servit.* Non est talis obedientia, quam tu promisisti usque ad mortem. Ista namque carnalis est, et *invenitur in terra suaviter viventium* (*Job.* XXVIII, 13), nec habet in sanctitate profectum, nec Deo reddet acceptum. Sed ostendam tibi obedientiam, quæ te, si eam apprehendis, consummat, quam Deus quoque et acceptat et remunerat ; quia eam esse usque ad mortem non ignorat. *Spiritus sanctus per omnes civitates protestatur mihi dicens : quoniam vincula, et tribulationes me manent : sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei* (*Act.* XX, 23, 24). Paulus hic est, *cui vivere Christus est, et mori lucrum* (*Phil.* I, 21) : cui gloria nulla est, *nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI, 14). Audi et aliam vocem ejus : *Ego non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu* (*Act.* XXI, 13). Hæc obedientia pura fuit, quæ alligari, et mori parata fuit. Dicit et sanctus David, ipsum Dominum alloquens : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal.* XVII, 4). Itaque dum pro virtute obedientiæ via dura incedis, et licet te oporteat ipsam mortis corporeæ pœnam sustinere, ab ea quantuncunque tribulationes A te affligant, non recedis, profecto obedientia est usque ad mortem : qualem ipse quoque *ex his, quæ passus est, didicit Jesus* (*Heb.* IV, 8), et tibi imitandam reliquit. De tali puto sanctum Benedictum tractare, cum in monachorum Regula quartum humilitatis gradum hoc modo definit : *Quartus humilitatis*, inquit, *gradus est, si in ipsa obedientia duris et contrariis rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis injuriis, tacita conscientia obedientiam amplectatur, et sustinens non lassescat, vel discedat.* Ecce hic unus mihi videtur esse modus, quo tenenda est obedientia usque ad mortem.

XIV. Ecce autem et alius : cum sic tenetur obedientia, ut ante mortem, quæ vitæ hujus temporalis finis est, non deseratur. Itaque, quandiu hoc in B corpore vivis, obedientiæ, quod semel super te tulisti jugum a tuis cervicibus excutere non vales : si enim secus egeris, salvari non poteris. De omni quippe exercitio virtutis illa est intelligenda sententia Salvatoris : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22). Hæc igitur duo intellige ; cum te recordaris promisisse obedientiam usque ad mortem : tolerantiam videlicet et perseverantiam. Ut si volueris effectui mancipare, quod hac in parte constat te promisisse, ante quæcunque tibi poterunt aspera inferri : sicut, verbi gratia, in verbis convicia, in rebus damna, in corpore flagella, vel etiam ipsam mortem, quantumcunque C dura fuerit, vel probrosa, alacriter et viriliter sustineas, quam virtutem dimittas obedientiæ, nec etiam velis unquam terminare, donec vitam te contingat finire. Dixisti itaque in professione tua : *Promitto obedientiam usque ad mortem præfatæ Ecclesiæ Patri.* Hoc est dicere : In tantum ei obediens ero, quod pro adimplendis jussis illius, omnia laboriosa, quæcunque mihi poterunt inferri, libenter tolerabo : isque mihi solus erit terminus obediendi, qui erit et vivendi. Et quid est, quod adjungis : *in Christo?* Nam et hoc interpositum est : *Promitto obedientiam*, aisti, *in Christo.* Ego puto non uno, sed pluribus modis posse nos intelligere istud.

D XV. Et mihi quidem videtur, si vobis aliquid ad præsens congruentius, vel subtilius non occurrit, duobus posse nos **318** inter cæteros hoc intelligere modis : ut dicamus videlicet id esse, promisisse obedientiam in Christo, promisisse te, omnibus illis exhibiturum obedientiam præceptis ; vel quæ tibi fuerint imposita secundum Christum, eaque executurum, non propter aliud quidquam, nisi propter Christum. Ad unum itaque modum norma spectat justitiæ ; ad alium vero rectitudo intentionis internæ. Et agamus paulisper primum de uno ; dehinc de altero. Promisisti obedientiam Patri tuo, sed vide, ut secundum Deum obedias ei. Nunquam

(305-6) S. Gregorii de obedientia Moral. l. XXXV, cap. 15.

Digitized by Google

enim propter obedientiam malum admitti, etsi quandoque debeat bonum intermitti. Si autem, quod absit, forte contingeret, ut aliquid prælatus tuus, quod Deo esset contrarium, tibi juberet : sicut consulerem, ut nullo modo consentires, sic nihilominus meum concilium foret, ut non nimis frontose, vel superbe statim contradiceres; sed potius pro reverentia sancti, quod ei commissum est, regiminis, jugi omnis humilitatis ac mansuetudinis instantia ei suggereres; ne ad aliquid committendum suo te præcepto compelleret, quod Deum offenderet graviter. Sed et hoc adjiciendum, ut cum sic contigerit, sicut humilis, sic secreta sit ista suggestio tua, quatenus sic male jubenti resistas, ut nullo modo Patris pudibunda reveles. Ejus hoc loco pudibunda, injusta illius appello præcepta, quæ hic necesse est humili quodam, ut sic dicam, contemptu contradicendo respuas; ut si aliquid, quod Deo contrarium et a salute alienum est tua, jubendo imponere voluerit, nulli penitus manifestes. *Si te audierit, lucratus eris* Patrem *tuum* (*Matth.* XVIII, 15), ipsum quidem emendans, sed ipsum non discooperiens. Ibi ejus consulens saluti: hic autem deferens auctoritati. Ibi suam, quam erga Deum debet habere integram ei conservans sanctitatem; hic vero bonam, quam de illo habent alii, intemeratam custodiens opinionem. Ibi denique eum ab injustitia retrahens; hic certe ab infamia defendens. Si autem tibi, quod absit, acquiescere noluerit, post multa impensa salutis hortamenta, post crebra ostensa rationis argumenta, humilitate quadam libera et libertate humili illa tibi Petri est assumenda auctoritas, qua Judæis Deo contraria jubentibus, libera voce, hoc modo respondit : *Obedire oportet magis Deo quam hominibus* (*Act.* V, 29). Tunc recognosce, quod obedientiam ei promisisti quidem; sed in Christo; ut dum tibi talia jubet, quæ Deo non ignoras displicere, scias te ei in illis nullo modo debere obedire.

XVI. Dehinc non minori conatu stude, ut quod per virtutem obedientiæ proficis, ad solum æternæ mercedis appetitum referre intendas. Omnem, quem hoc tripartito, quem nunc breviter tetigimus, modo spiritualem virtutem obedientiæ acquiris, profectum tunc solum tibi intellige salubrem, dum ipsum, ex cujus munere est, unicum Dominum nostrum Jesum Christum in eo semper, et ubique expetis testem, et exspectas remuneratorem. Hoc igitur est exhibere obedientiam usque ad mortem in Christo, hac pia intentione, et in his, quæ secundum Deum sunt, quæ adversa, quæque ipsam etiam mortem inferunt; et quousque vitam hanc finias temporalem, obedientiæ patienter, sancte et perseveranter insistere exercitio : ut et soli in his omnibus in præsenti placeas Christo, et pro his omnibus in futuro frui mereari Christo, qui est cum Patre et sancto utriusque Spiritu Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XIV.

De eo, quod obedientiam promisimus successoribus Patris nostri; et quænam sit sanior pars congregationis, cujus electio rata habenda est : et de religiosis exercitiis cœnobitarum.

SYNOPSIS SERMONIS. — 1. Medicaminis et morborum corporalium et spiritualium analogia. — 2. Inter cœnobitas obedientiæ necessitas; cur illos vetustiores votum particulare obedientiæ non astringeret. — 3. Qua de causa votum deinde obedientiæ introductum. — 4. Obedientiæ votum insolubile vinculum, vitæ spiritualis protectio et imbraculum. — 5. Quinam successores habendi, et pars sanior congregationis canonicæ. — 6. Obstacula electionis canonica violentiæ et astutia, vox lividi et præsumentis. — 7. Honor lubricus est crebro fugiens sequacem; vox timore obsiti. — 8. Vox a mollitie profecta qualis; quatuor hominum genera a saniore parte aliena. — 9. Electio secundum Deum facienda, privato amore et odio proscriptis. — 10. Unde dignoscenda sanior pars congregationis : **319** et quanta ad electionem circumspectione opus. — 11. Communia Religiosorum exercitia, lectio, actio, oratio, per candelabrum, mensam, altare tabernaculi figurata. — 12. In tabernaculo Ecclesia vel status Religionis expressus : qua ratione lectio sit fructuosa. — 13. Exterior exercitatio actionis non vacet meditatione; ad quam juvat silentii custodia. — 14. Oratio præ reliquis commendata, et qualis ea sit. — 15. Officinæ familiares Religiosis; ac primo ut se habeant in oratorio. — 16. Quæ disciplina servanda in claustro, in refectorio, in dormitorio. — 17. In colloquio cum externis observantia Præmonstratensium rigidior. — 18. Loci capitularis vel exedræ institutio est confessionis, absolutionis, humilitatis. — 19. Quadantenus se possit excusare in capitulo, injuste accusatus. — 20. Nosocomii, vulgo infirmitorii inter loca regularia postremi observantia, ubi finis vitæ exspectatur mortalis.

1. Varia, fratres dilectissimi, genera morborum, varia cogunt reperiri genera medicinæ. Non solum autem, sed et causæ et occasiones istius sunt illi; quia si ægritudo nulla esset, nec aliqua nimirum medicina necessaria fuisset. Si causam ignoras, ait quidam, quomodo curas? Ego autem dico. Si neminem ægrotare consideras, quem curas? Quod de morbis corporis dicimus, hoc etiam de morbis animarum dicere valemus, quod eorum videlicet diversitas, et multitudo, medicamentorum eis competentium et multitudinem reperiri cogit, et diversitatem. Et quod ad corpora medici, hoc ad animas sunt prælati. Ægritudo illorum, corruptio naturæ; harum vero, perpetratio culpæ. Sed, ut quid dico hominem tunc ægrotare, cum perpetrat culpam? Nam infirmatur, cum etiam in peccato delectatur; et effectui peccata criminalia mancipare, mori est. Horum quoque peccatorum multa diversitas est, et diversa nihilominus multitudo, in tantum, ut nec numero comprehendi, nec intellectu queant deprehendi. Nam *delicta quis intelligit?* (*Psal.* XVIII, 13.) His autem præcavendis et abolendis (præcavendis, inquam, ut ægritudini spirituali causam et occasionem auferant : abolendis, ut salutem forte amissam restituant), quasi quidam medici prælati in sancta Ecclesia instituti sunt, qui competentibus

Digitized by Google

appositis medicamentis vel custodiant sanos, vel restituant ægros. Medicinæ quoque eorum custodiæ sanitatis, et expulsioni ægritudinis competentes, institutiones sunt eorum, et canones, tam acquirendis virtutibus, multiplicandis, conservandis, quam vitiis et delictis atque peccatis devitandis, minuendis, ac expellendis congruentes. Quæ nimirum multæ et variæ sunt; quia quibus obviandis promulgandæ sunt, ægritudines spirituales multæ et variæ sunt.

II. Universas autem virtutes una virtus obedientiæ exornat et roborat; multiplicat et sanctificat; circumdat et perpetuat. Exornat per decorem, roborat ad fortitudinem; multiplicat ad incrementum, sanctificat ad meritum; circumdat ad securitatem; perpetuat ad immortalitatem. Hanc profecto, ex qua cæterarum pendet fructus virtutum, vos, fratres, Patri vestro promisistis, sicut in sermone, qui hunc proxime præcessit, revocavimus ad memoriam vobis. Sine qua promissione nullus cœnobitarum vivere debet, quia sine ea verus esse cœnobita nullatenus valet. Quæ tamen illis dudum, qui sub levi et suavi jugo religionis colla subdiderunt, ex necessitate imposita non fuit, quia bonum ab eis obedientiæ superiores sui exigere necesse non habebant: de quibus constabat pro certo, quod illud et absque promissione aliqua viriliter ac perseveranter exercere parati erant. Quam multos legimus etenim in illa dudum antiquitate religiosa admirandæ fuisse virtutis viros: nullo quidem, ut suis exhiberent prælatis obedientiam, promissionis vinculo obligatos: omnem tamen latitudinem charitatis, et fervorem piæ devotionis, singulis ejus conscensis gradibus, usque ad ipsum vitæ suæ terminum ardenter et efficaciter exsecutos? (307) Verum postquam multitudinem humilitatis iste exterior habitus texit, religiosorum quoque non modica paucitas apparuit: quia in conspectu quidem hominum, cœnobitarum ex tunc fuit numerus major; sed ante occultum illum Inspectorem cœnobialis exercitii perfectio minor: juxta illud Isaiæ. *Multiplicasti gentem, et non magnificasti lætitiam* (*Isa.* IX, 3). Ex hoc profecto dicere fuit, quod cappati multi, canonici sed pauci; pauci admodum in perfectione viventes monachali, multiplicati tamen super numerum cucullati. Suscepit quoque omnes cœnobium, sicut et modo suscipit, ad instar illius sagenæ evangelicæ, ex omni genere piscium **320** congregantis (*Matth.* XIII, 47): et sicut in misero et miserabili hoc tempore incessanter contingere videmus, aut in tempore teterrimo segnes tenuit, aut in frigus pristinum prolapsos evomuit. Et exinde illis duo horribilia mala hæc; quod, quia obedientiam suis prælatis se promisisse non sciebant, licere sibi vel in arrepto proposito remisse vivere, vel illud pro libito deserere putabant. Et mala nimirum ista, quasi quædam mortifera duo vulnera A dixerim, quibus cœnobita quilibet ipsum animæ suæ incurrit detrimentum, nisi ei fuerit per remedium pœnitentiæ subventum.

III. Ad hæc vulnera autem et præcavenda cum desunt, et sananda cum adsunt, obedientiæ promissiones sancti Patres medicinas congruentes repererunt: ut plenam ipsis mediantibus auctoritatem haberent seniores, et tepidos, ne ex toto congelascerent, reaccendere; et nutantes, ne retrorsum ruerent, retinere. Videntes siquidem multum hujus multitudinis teporem; videntes et instabilitatem, priusquam ei liceret ex toto ingredi, a pulsante adhuc obedientiæ censuerunt promissiones exigendas: ut dum prælato suo in Christo obedientia usque ad mortem promissa, propriis se videret cœB nobita sermonibus captum, maxima sibi sciret in anima sua imminere detrimenta, si non sua redderet vota, quæ hac in parte distinxerunt labia sua (*Psal.* LXV, 14). Non solum autem, sed et eorum nihilominus scirent prælati et fervidos debere eos conservare, ne tepescerent, quos promisisse obedientiam in Christo non ignorabant; et radicatos stabilire, ne evanescerent, quos et eamdem promisisse obedientiam in Christo usque ad mortem sciebant. Igitur ne tibi putes, frater mi, licere vel in loco, cui te tradendo obtulisti et offerendo tradidisti, tepide manere: vel, cum velles, sanctitatis, quam exercere aggressus es, novitatem deserere, hanc a te scias factam promissionem, cujus conC strictus es voto obediturum te Patri tuo, et in Christo, et usque ad mortem.

IV. Sed esto: hæc custodisti ab ipsa hora promissionis tuæ, currens bene in via hac, nec adhuc hodie declinas ad dextram, vel ad sinistram. Et ecce cogitas: Promisi obedientiam Patri meo usque ad mortem. Cujus mortem? Sive meam, sive illius: non nimis conturbor. Si supervixerit mihi, non potero, quandiu vixero, ab obedientiæ, quam ei promisi, jugo relaxari. Si autem illi ego fuero superstes, lætabor obedientiæ excussum a meis cervicibus jugum; quia, qui mortuus est, cui promisi obedientiam, ipse solus est. Jam de cætero potens meus esse; quia unus idemque est finis, et quem promisi, obedientiæ, et vitæ suæ. O quæ et qualis D hæc cogitatio tua! Quidni spiritualis cujusdam in te vulneris occasio fuit? Inter medias quippe antiqui hostis insidias, sagittas videlicet ejus iguitas, in hac vita inceditur, a quarum ictibus nullus prorsus tutus efficitur, qui obedientiæ clypeo non munitur. Nullus etenim est, ac per hoc ad se defendendum inter sagittas easdem nullus est; nam Advocatum non habet, dum cui obediat, Patrem non habet. Scis quod carpens iter suum viator super domino suo conveniri plerumque ab occursantibus solet, eique ab eis solet hoc modo dici: Cujus es famulus? Audito quoque vocabulo domini sui, quo magis honorandus agnoscitur, eo magis et famulo defertur. Et in quo

(307) Vide si placet quæ hac de re annotantur apud Joan. CASSIAN. lib. IV. *Inst.*, cap. 33.

Digitized by Google

sibi deferri videbit, si se nullius esse asserit? Certe non solum ei, qui hujusmodi est, in nullo plerumque defertur; sed et plurimum aufertur, et fortassis plerumque totum quod habet. Et ideo totum; quia res sua et vita, ipsemet et sua. Et quidem totum conservaret, si qui eis timori et amori esset, dominum haberet. Et quorsum istas nimirum ut scias, quod in eis tua res agitur, et in admoto tibi speculo hoc attendere debeas vultum tuum. Nonne tibi carpere viam est ducere vitam? Is enim, dum vivis, et via tua, vita tua. In hac autem via si ducem, et præceptorem habes, qua per eam securitate incedis? Non dicas tibi relaxatum obedientiæ frenum pro eo, quod ipsum, cui te reminisceris eam promisisse, vides defunctum; hoc enim dicere, temetipsum vulnerare est. Et contra vulnus hoc aptum, et efficax sancti Patres instituere remedium. Et quando, inquis, instituerunt? Quando instituerunt, ut non solum ei, qui modo fortassis mortuus est, voveres in professione tua obedientiam te exhibiturum, sed et successoribus ejus.

V. Quod certe fecisti et tu. Nam hæc verba tua super nis in eadem professione tua : *Promitto*, aisti, *obedientiam usque ad mortem in Christo præfatæ Ecclesiæ Patri, et successoribus ejus.* Vides, quod sicut ipsi, sic et successoribus ejus teneris obedientiam exhibere? Ad hoc autem pertinet, quod nunquam mensa **321** Domini in tabernaculo sine pane fuit; quia uno forte sublato, alius loco ejus solebat subrogari (*Levit.* xxiv, 5-8). Sic semper sancti in sancta Ecclesia adsunt præceptores, nec unquam desunt auditores; quia deesse non possunt filii, cum non desunt Patres: nec in cœnobio, qui ex ejus debito teneantur obedire cœnobitæ, etiam mortuo, cui se devoverunt exhibituros obedientiam, Patre, dum ejus non desunt successores. Dixisti ergo : *et successoribus ejus.* Et quare non successori? Nimirum ut scias te debere obedire non uni, sed et omnibus successoribus ejus; atque tunc solum nulli te debere in loco, in quo promisisti stabilitatem tuam, obedire, cum nullum penitus Patri tuo, cui promisisti obedientiam, in eo contingit succedere. Sed attendendum tibi inter hæc, quod illis Patris tui successoribus obedientiam promisisti, qui non violenter intrusi, sed regulariter sunt electi. Nam et hoc innuere videtur, quod in sæpe dicta professione tua sequitur. *Quos senior pars congregationis canonicæ elegerit.* Necesse igitur, ut ex his verbis datur intelligi, quatenus et congregatio canonica, et ejusdem congregationis canonicæ senior pars sit, quibus successorum Patris tui committi electio possit. Si autem ipsa congregatio canonica non est, quomodo aliqua pars ejus sana esse potest? Congregationi vero, quæ talis est, nullo modo committi electio debet; quia, nisi irregularem congregatio non eliget, quæ irregularis est. Unde et S. Pater Benedictus omnium justorum spiritu plenus a tali congregatione electionis in monachorum Regula (308) auctoritatem tollit : eamque episcopo diœcesano, et abbatibus, atque fidelibus, qui in proximo sunt, committit. Scribit enim de hoc in hunc modum. *Si etiam omnis congregatio vitiis suis, quod absit, consentientem personam elegerit pari consilio, et vitia ipsa aliquatenus in notitiam episcopi pervenerint, ad cujus diœcesim pertinet locus ipse vel abbatibus, aut Christianis vicinis claruerint : prohibeant pravorum prævalere consilium, et domui Dei dignum constituant dispensatorem; scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste et zelo Dei faciant; sicut e diverso peccatum, si negligant.* Canonica igitur congregatio sit, ut et canonica electio esse possit. Sciendum quoque, quod sicut in uno corpore membra multa sunt, et cum singula bona sint, non eamdem tamen singula habent in dignitate prærogativam (*I Cor.* xii, 12) : ita, in una congregatione canonica partes sunt plures; et, cum forte singulæ sanæ sint, aliæ aliis saniores sunt. Ego autem non de corporali, sed de sanitate hic loquor spirituali. Sicut enim prælati electio magnum quoddam et supereminens negotium est, ita et illi parti, quæ in tota congregatione canonica sanior est, ipsa nimirum committenda est.

VI. Et quænam, inquis, illa sanior pars esse credenda est? Quæcunque vero illa sit, indubitanter dicere et incunctanter asserere audeo quod canonicam multum solent violentia, et astutia electionem impedire. Et violentia quidem in aperto premit; astutia autem occultis seducere machinationibus intendit. Hujus, de quo modo tetigimus, astutiæ fraudulentiam, et ut sit, informant, et ut perseveret, confirmant, livor et spes, timor et mollities. Quatuor hæc in causa ista sunt, quod prava in angulis conventicula celebrantur; susurratur in auribus; concordiæ malitiosæ componuntur, seruntur sermones, junguntur manus, tanguntur sacra, epistolæ diriguntur, mittuntur litteræ, arrident promissa, minæ tonant : datur sententia : quod penitus contra Deum est, irrevocabiliter definitur. Et ecce dant vocem suam in clamoso silentio, in corde occulti versipellis singula hæc. Nam livor invidiæ dicit : absit ut mihi præponatur ille ; nam erit mihi dedecus grande. Quem hucusque habui parem, et multoties inferiorem, non decet me esse superiorem. Minor est ætate, non erit in dignitate major. Scientia imperitus, sermone et impeditus, acute sentientibus, et nitide proferentibus indignus plane ut præsit. Non in eo sanguinis generositas nitet : non habitudinis corporalis aptitudo. Quidni cathedræ turpabit decorem? Inglorium admodum in sublimi sedere tam vilem. Spei quoque hæc vox est : Ecce de prælati tractatur electione. Puto, quod cadet sors super me. Mirum, si etiam mecum, vel mentio de alio fit. Quem enim mihi dabunt in ea accedere, ne dicam præcedere? Primum quippe aliquo modo superfluum; secundum autem omnino injustum. Quis enim mihi par, quisve similis? Nam

(308) B. Benedicti placitum super hoc, cap. 64.

Digitized by Google

majorem ab aliquo quæri, quid nisi stulto est ipsum labore consumi? (*Exod.* xviii, 18.) Et o quis dabit mihi in manu mea omnem populum istum, *ut veniant ad me omnes, qui habent* judicium, *et juste judicem?* (*II Reg.* xv, 4, 5,) Et quis est, qui me assumendum non censeat, nisi qui me ignorat? Et o quam felices, qui me **322** præpositum sibi habebunt? O quanta, et qualia facturus sum ego, tam nova, quam magna; quam multa, tam insolita? Quis ea faciet, si ille ego non sum? Indignum profecto et me non assumi, et hæc non fieri.

VII. Sed cadit quam sæpe a spe sua, qui hujusmodi est, et alius fungitur officio suo, ut vigilando somnium se vidisse vel sero deprehendat. Cupit sibi, et datur alteri; quod sibi sperat, alius accipit, et fortassis de quo minus sperabat, quemque minus amabat, juxta illud, quod dudum Aman in libro Esther legimus contigisse. Æstimabat siquidem, quod neminem nisi ipsum honorare vellet rex; dedit pro se, sciscitante rege, sententiam, quam ingemuit datam, quam contra spem in se mox vidit esse completam. Et quantum putas additum dolori, cum quod sibi sperando desideravit, desiderando speravit, illi vidit conferri quem super homines omnes odio habuit? Illum denique ipsemet honorare compulsus est, quem morti ignominiosæ tradere super vitam quodam modo gloriosam dilexit. Sic utique multoties dignitatis sublimitas sui solet appetitores contemnere, appetere contemptores; a volentibus elongare se, nolentibus sese ingerere. Et timor quid dicit? Sentiens quoque, qui disciplinæ abhorret rigorem, de ipso, qui diligit eum, fieri mentionem, timore inerti prosternitur; quem concussum atque contractum idem incitat timor, ad resistendum magnis apud eum et intra eum vocibus clamans in hunc modum: Absit omnino, ut fiat hoc: *Vir* quippe *sanguinum est, et vir Belial* (*II Reg.* xvi, 7). Sine affectione est, absque fœdere, sine misericordia, turbans pacem, deturbans quietem. Animus ejus semper in lite est, et uterus ejus præparat contentiones. *Dentes ejus, arma, et sagittæ, et lingua ejus, gladius acutus* (*Psal.* lvi, 5). Evertet cunctos domesticos suos superatus ab ira, ut opprimat eos. Formidini sibi vult esse universos, neminem amori. Excoriare sibi commissos, melle dulcius habet; nec aliquem sinet esse quietum. Unum est, quod locutus sum; quia subjectis istum præficere, oves lupo pascendas committere est: nolite hunc constituere ducem populi, ne carnes comedat humilium, et animarum sanguinem bibat. Disperget, non congregabit: numerum in subjectis modicum faciens, et fructum in eis nullum requirens.

VIII. Sed quænam est vox, quam mollities profert? Sane tria hæc præcedentia mala resistere solent, ne dignus admittatur; instare vero quartum istud solet et insistere, ut assumatur indignus. Instat autem et resistit hoc modo: Ecce homo sine querela, homo pacis et quietis, *jucundus homo* plane, *qui miseretur et commodat*, disponit *sermones suos in judicio* (*Psal.* iii, 5): Misericors et suavis est, benignus et dulcis, nesciens irasci. Accipiamus eum, fovebit nos et faveb.t nobis. Loquetur nobis placentia (*Isa.* xxx, 10); nec resistentem inveniemus eum illicitis desideriis nostris. Non discordabit a nobis, quidquid illud fuerit, quod nos voluerimus. Nobis præerit ipse, sed velut umbra; nam re nos ejus erimus prælati. Præcipiemus pro libito, et ipse obediet etiam sine mora; non enim aliter audebit facere. Titum se nobis exhibebit, non Timotheum; lenem, non asperum; tranquillum, non turbatum. Non corripiet, nec redarguet nos; placebit enim ei, quidquid fecerimus. Et ut *finem loquendi omnes pariter audiamus* (*Eccl.* xii, 13): aptiorem eo nobis non inveniemus prælatum, nec etiam inter mille, unum. Hi itaque, inter quos hæc quatuor mala sunt, non mihi videntur ad saniorem congregationis canonicæ partem pertinere. Sed vos, fratres, non sic.

IX. Obsecramus vos in Domino Jesu, ut, cum ad faciendam electionem convenitis, eam secundum Deum faciatis electionem, in quantum vobis et scientia nosse, et facultas ministraverit posse. In primis vos obnixe hortamur, et per tremendum nomen Domini obsecramus, ut quidquam, quod contra Deum sit, nullus penitus vestrum in ea requirat; nec privatum aliquem, si forte, quod absit, habuerit, vel amorem, vel odium attendat. Non, inquam, amorem, ut admittatur qui indignus esse non dubitatur: non odium, ut excludatur qui dignus agnoscitur. Si enim, quod longe absit a vobis, eligere volueritis aliquem ob ullam, verbi gratia, consanguinitatem, vel amicitiam carnalem, vel propter aliquam aliam, quæ contra Deum sit, causam, ut vobis sub eo remissius agere licitum sit: et culpam nimirum gravissimam incurretis, et quod cum spe desideratis, et desiderio speratis, nequaquam postmodum acquiretis. Nam ille vobis postea longe austerior erit, quem sub spe tali admittitis, quam aliquis alius foret, quem timendo excluditis, ipso suaviter **323** disponente, qui comprehendit *sapientes in astutia* sua [*eorum*], *et consilia pravorum dissipat* (*Job.* v, 13); ut quod non recta intentione vestra quæritis, recta ejus dispositione agente, non inveniatis; et quod contra ejus beneplacitum fugitis, per ejus judicium incurratis. Hæc enim omnia quam sæpe hoc modo videmus accidisse. Et ideo ablata de medio omni et violentia cogente et astutia surripiente, illum admittite, quem vel commune omnium consilium et assensus decreverit admittendum; vel, si forte ob devitandam contentionem omnes simul interesse consilio non expedit, ille incunctanter eligatur, quem sanior pars congregationis canonicæ secundum Deum, et Regulam vestram, atque juxta ordinem vestrum judicaverit eligendum.

X. Quod si quæritis, quænam sit æstimanda sanior pars esse congregationis, ego quidem non puto partem semper numerosiorem esse saniorem; sed illam potius, quam etsi paucitas reddit modicam,

Digitized by Google

cognitio tamen veritatis, amor virtutis, et rectitudo intentionis exhibet sanam. Hæc namque spiritualis, et vera cordis sanitas est, quod verum est, cognoscere; quod bonum est, diligere; et in utroque illi soli, qui summa Veritas et Bonitas est velle placere. Talibus itaque electio committenda est, talium etiam electio approbanda, confirmanda et rata habenda; qui, quantum ad humanum dumtaxat pertinet examen, qui secundum Deum eligendus est, sciunt, et eumdem incunctanter eligunt : et solius Dei causa id agunt. Hi autem, quibus in electione et cæcitas cognitionem tollit veritatis, et cupiditas aufert amorem virtutis, et vanitas rectitudinem adimit intentionis, licet eis multitudo conferat numerositatem, tamen veram mihi non videntur habere sanitatem. Unde monachorum quoque Pater et dux scilicet Benedictus de abbatis electione ita scribit. *In abbatis*, inquit, *ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi concors congregatio secundum timorem Dei, sive etiam pars, quamvis parva congregationis, sanior consilio elegerit.* Præmissa oratione devota studiose, et diligenter decernite inter vos de persona, quam quidem eo sollicitius discutere vos oportet adhuc eligendam, quo minus reprehendere vobis licet jam electam. Stultum namque, et gravius, quam aliquod bellum intestinum semper reprehendere, quem te oportet jugiter talem habere; quia incassum super deformitate viri sui mulier conqueritur, cui lege nuptiarum indesinenter adhærere compellitur. Ante igitur vobis deliberandum est, et post perseverandum; eoque ad sustinendum perseverantia subsequens facilior et fortior erit, quo major et perspicacior in præcedenti deliberatione circumspectio fuerit. Habetis itaque, quæ sit æstimanda sanior pars congregationis canonicæ, et qualiter Patris vestri successores sint eligendi; quibus ut obediatis, professio vestra obnoxios vos constituit, et debitores.

XI. Ecce, fratres, quousque in his duodecim sermonibus perducta est locutio nostra, disponente ipso linguam nostram, sine quo quidquam boni, ne dicam agere vel loqui, sed nec cogitare valemus. Ostendimus vobis, prout potuimus, quis sit ordo noster, quis habitus, quæve vera professio; et cum tripartitum hoc nos insigne venustet; qualiter primum nos sublimet; quid nobis secundum figuret; et quomodo nos tertium liget. Tria quoque bona hæc et alia quædam in nobis decorant, sanctificant et roborant, lectio, actio, oratio : tria hæc. Et lectio quidem illuminat; actio vero impinguat; oratio quoque inflammat. In uno istorum alterna pro loco et tempore successione, tenere se debet exercitium nostrum; quatenus et primum nobis conferat claritatem, ut quod verum est, evidenter agnoscamus; et secundum nostram in nobis operetur utilitatem, ut quod bonum est, viriliter agamus, et tertium internam nostris infundat visceribus puritatem, ut ad id, quod beatum est, ardenter suspiremus. O verum, o bonum, o beatum! Primum a nobis fugat errorem; secundum a nobis eliminat teporem; ad tertium vero conscendimus in nobis per amorem. Nam lectio studium clarificat; actio exercitium fecundat; oratio desiderium inflammat. O studium, o exercitium, o desiderium! Et studium sapientiæ, exercitium justitiæ, desiderium gloriæ. Sapientiæ, propter claritatem intra teipsum; justitiæ, ob utilitatem ad proximum; gloriæ, ob felicitatem apud Deum. Hæc dicenti mihi, occurit memoriæ, quod tria quædam erant dudum in tabernaculo Moysis extra velum, tam pretiosa, quam sancta; et hæc erant : candelabrum, mensa, altare (*Exod.* XL, 20, 22, 24). In candelabro lumen, et erat **324** ad illustrationem; in mensa panis, et fuit ad refectionem; in altari thymiama, et emittere solebat ex se suavitatis odorem. Et quid in homine tenebrosa illuminat, nisi acutum studium sapientiæ? Si dubitas, utrum illustret sapientia, interroga sanctum David, et dicet tibi, quod declaratio sermonum Domini illuminat, et intellectum dat, sed parvulis (*Psal.* CXVIII, 103). Et quid hominem internam suam procul pellendo maciem spiritualiter impinguat, nisi necessarium exercitium justitiæ? Quod autem strenuitas bonæ actionis quædam sit quodammodo pinguedo internæ refectionis, ipse te Dominus certum reddat, qui de seipso dicit : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus* (*Joan.* IV, 34). Bonus sibi cibus, bonum opus. Et quid suave in nostris coram Deo, intimis fragrat, nisi cum pura oratione desiderium æternæ gloriæ? Quod vero quædam suavis coram Deo thymiamatis fragrantia pura oratio sit, Psalmista certos nos reddat, qui Dominum alloquens, dirigi petit orationem suam, sicut incensum in conspectu suo (*Psal.* CXL, 2). Et ipsum desiderium quoque oratio est, juxta illud : *Desiderium cordis eorum audivit auris tua* (*Psal.* IX, 17).

XII. In exteriore, fratres, adhuc Moysi tabernaculo sumus. Quis est iste Moyses? Christus. Ipse enim est, *qui accepit verba vitæ dare nobis* (*Act.* VII, 38); quod audivit a Patre, loquens nobis. Et sanctum quidem hoc tabernaculum est, tamen extra velum est. Est namque sancta Ecclesia, quæ adhuc peregrinatur in hoc mundo. Est et sanctus ac religiosus hic status vester; quia et exterius tabernaculum dicitur sancta. Itaque quandiu in eo manetis, habete candelabrum, per quod illustrati videatis; habete mensam, in qua refecti pinguescatis; habete denique et altare, in quo cum suavissimo interni desiderii amore vestrarum Deo orationum thymiamata offeratis. Ut autem lectio fructuosa sit, necesse ut pura eam meditatio et comitetur et subsequatur. Nam legere, et non intelligere, negligere est. Similiter quod per lectionem, quæ præcedit, in te illuminatum est, oblivio confestim exstinguit, dum illud succedens nulla in sua illustratione recordatio custodit. Egrediatur proinde apud te, imo in te, ad meditandum in agro sanctus Isaac (*Gen.* XIV, 63) : quatenus sincerum in

Digitized by Google

conscientia possidens gaudium in Spiritu sancto, sacræ lectioni, indefæcata meditatione, insistas. Nonne ager iste una miro modo varietate, et varia sententiarum innumerabilium unitate ornatus quasi diversorum florum suave olentium et ineffabili decore fulgentium redimita est ornatu sacra Scriptura? Inter munda nihilominus animalia juxta legem non mereberis computari, si jam deglutitum ad ruminum non revocas cibum (*Levit.* XI). Cum ad lectionem in claustro sedemus, singuli in singulis jubemur, ex ordinis institutione, libris legere; nec nobis licet in quæstionibus faciendis nos inquietare; quia nimirum ut totum se sibi vindicare possit lectionis studium, necesse, ut sibi et quies secreta, et secretum non desit quietum. Locus quippe lectionis et meditationis, et plerumque orationis, claustrum est. Unde generaliter apud nos institutum est, ut continuum in claustro silentium teneatur; ne sit impedimento tantis et talibus bonis, strepitus tumultuosæ locutionis. Ita et boni operis exercitium quies debet silentii comitari: ut dum in bono opere manus occupatur, ab officio suo ipse quoque animus non relaxetur. Puritati quoque meditationis insistere officium ejus est, ut omnino a suo corpore vacet, licet suo corpus [officio *deesse videtur*] insistat.

XIII. Quamplures novimus viros religiosos in labore exteriori internæ institisse meditationi, et quod hora lectionis in claustro de vitalibus sacræ Scripturæ alimentis quasi comederant, hora quoque laboris volvendo et revolvendo quibusdam nodis continuæ ruminationis arctius in memoria ligasse. Non sola utilitas corporalis in causa nobis esse debet, ut ad exteriorem laborem manuum exeamus; debet quoque una cum ipsa esse et spiritualis. Et ipsa quæ est? Utique ut vacemus psalmis, ut meditationibus intendamus. Sed his duobus exercitiis insistere, disciplina nobis silentii dabit occasionem. Hinc nobis jubetur, ut pervenientes ad laborem, non multiplicemus inter nos signa; nec præsumamus loqui, nisi forte de ipso labore breviter, et necessario, et silenter cum priore seorsum a fratribus. Ecce quod nobis in labore loqui conceditur; sed diligenter oportet, ut intueamur, unde loquamur, quando, quantum, qualiter, cum quo, et ubi. Si quærit aliquis unde, utique de ipso labore. Si quantum, certe breviter. Si quando, profecto non nisi cum necessarium fuerit. Si qualiter, silenter quidem. **325** Si cum quo, cum eo, qui prior est laboris. Si ubi, seorsum utique a fratribus. Utquid, fratres, hæc tam subtiliter notamus? ut recognoscat unusquisque vestrum magis, quam agnoscat, contra ordinis sui statuta se agere, si in labore loqui præsumit, vel aliunde, vel plus, vel alio tempore, vel aliter, vel cum alio, vel alibi, quam hic expressum est. Signa etiam prohibemur multiplicare inter nos; ne scilicet cum quiescunt soni verborum, quæ ipsum multoties solent internum cordis emollire rigorem, tumultuent notæ digitorum. Et quidem ne præcedat, nec comitetur multiloquium cordis, apparere non potest plerumque multiloquium in digitis; quia cum eorum multa locutio strepit, indicio evidenti est, quod nulla istos disciplina silentii constringit. Certe perfecti, qui in conventu sunt, viri sic signa debent abhorrere superflua, ut verba, subaudi superflua: ne se silere deputent, cum absque necessitate, et causa rationabili manum in linguam mutant. Cum repausamus, aliqua ad invicem facere signa prohibemur: nimirum, ut dum non est in opere manus, suo liberius, et expeditius operi vacet animus. Quod profecto facere non valet, cum internam ejus quietem, signorum exterius se inferens tumultus devastat. Jubemur quoque et juxta priorem repausare. Quare vos putatis? fortassis ut quod eis competit, ad manum habeant: et qui custodire ordinem solliciti, et qui ad negligendum sunt proni: isti custodiam, testimonium illi. Ecce quod in opere nostro maturitatem silentii omittere non debemus quia et Apostoli præceptum est (*II Thess.* III, 12), ut cum silentio operemur. Absit semel, et iterum ab omni religioso conventu, qui opus manuum solet exercere, ut in labore silentium negligat. Cum enim juxta Isaiam cultus justitiæ silentium sit (*Isa.* XXXII, 17), ibi justitiæ culturam amittis, ubi silentii tenere rigorem omittis.

XIV. Oratio vero, quam tertium diximus exercitium, cui debent insistere cœnobitæ, eo sollicitius exercenda est, quo specialius ipsi omnipotenti Deo in eo præsentamur. Qualiter vero orare debeamus, et psallere, suo nos ipse Apostolus docet exemplo, quod tale est: *Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente* (*I Cor.* XIV, 15). Et ista super his B. Benedicti verba sunt: *Ubique divinam esse præsentiam credimus, et oculos Domini in omni loco speculari bonos, et malos* (*Prov.* XV, 3). *Maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum assistimus. Ideo semper memores simus, quod ait Propheta:* Servite Domino in timore (*Psal.* II, 11). *Et iterum:* Psallite sapienter (*Psal.* XLVI, 8). *Et:* In conspectus angelorum psallam tibi (*Psal.* CXXXVII, 1). Ergo consideremus, qualiter nos oporteat in conspectu divinitatis et angelorum ejus esse, et sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ. Et item, si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus, nisi cum humilitate et reverentia, quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate, et puritatis devotione supplicandum est? Et non in multiloquio, sed in puritate cordis et compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideo brevis debet esse et pura oratio; nisi forte ex affectu inspirationis divinæ gratiæ protendatur.

XV. Hoc est triplex sanctæ religionis exercitium, cui jugiter intendere debent cœnobitæ: in primo sibi ipsis consulentes; in secundo proximis suis assistentes; in tertio Deo semetipsos offerentes. Sic in primo sobrie; in secundo juste; in tertio pie vi-

Digitized by Google

vunt in hoc sæculo, cum tamen non sint de hoc sæculo: secur proinde exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, dummodo existunt et in primo in seipsis clarificati, et in secundo proximis prompti, et in tertio Deo devoti. Ut autem et hoc addam, in quibus tria hæc sanctæ religionis exercere solent insignia, oratorium et claustrum, refectorium et dormitorium, auditorium et capitulum officinæ sunt. In oratorio quoque præceptum habetis Patris vestri ut nihil agatis, nisi ad quod est factum, unde et nomen accepit; in quo nihil sedendo, vel stando, nihil ambulando, vel in aliquo motu vestro apparere debet apud vos, quod vel humanum, vel angelicum, aut etiam divinum offendat aspectum; sed quod vestram deceat sanctitatem. Cum in omni loco vos deceat esse sanctos, sicut locis aliis hic locus est sanctior: sic et vos in eo decet esse sanctiores. Idcirco, prout vobis pia Dei omnipotentia administraverit posse, nihil coram his, qui vident in facie, ostendatis extrinsecus in gestu, vel aspectu non religiosum: nihil coram eo, qui ipsa cordis intuetur profunda, volvatis intrinsecus in cogitatu, vel **326** affectu non purum; sed, clauso ostio, in cubiculo orantes Patrem vestrum (*Matth.* VI, 6), sic intus, et extra vos habetote, ut quod apud vos sonat, auribus, atque quod apud vos apparet, aspectibus placeat humanis: et neutrum una cum his, quæ intra vos revolvitis in ipsis penetralibus mentis, displiceat divinis.

XVI. In claustro vero, uti superius breviter tetigimus, continuum ex antiqua institutione vester habet usus tenere silentium; ne sit illis impedimento strepitus locutionis, qui prout sua quemque eorum feret devotio, vel lectioni, vel meditationi, aut certe dulce habent intendere psalmis.

In refectorio vero in aspectu et gestu honesta diligenter maturitas, et matura nihilominus honestas custodienda est; observanda est et sobrietas in gustu: et ita, ut quidquam nec adsit superfluitati, nec desit necessitati. Cohibendus est namque potissimum oculus ad mensam: restringendus quoque sub rigore disciplinæ, et omnis membrorum singulorum illicitus motus; ut nec quæ apud alios aguntur quisquam vestrum, cui id ex officio non competit, curiose perlustrando aspiciat; nec seipsum inordinate se habendo nimis notabilem præbeat.

Dormitorium locus est corporalis quietis: inter vos autem debet esse et spiritualis. In dormitorio quoque secum debent esse fratres; nulli, cui id ex officio non incumbit, quod pertinet ad alterum, curiose scrutari licet. Religionis in hoc honestatem non custodit, qui hora aliqua caput in dormitorio, vel vultum discoopertum esse permittit. Nullus ibi tumultus, nullus resonare strepitus debet.

XVII. Auditorium fratribus ingredi licentia concedit: sed cum necessitas exposcit. Lex quidem apud nos auditorii, ut non plures intra se, quam tres admittat. Unus autem istorum prior erit, vel qui ab eo destinatus fuerit, ut duobus testis adsit; nisi ipsum forte Priorem plures convocare evidentis necessitatis causa rationabilis monuerit. Et talis super his a Patribus nostris promulgata institutio est. Auditorium sine licentia nunquam ingrediantur. Ibi non loquentur plures, quam duo simul præsente Priore, vel alio, quem ipse miserit: et hoc stando, nisi forte Prior pro aliqua necessitate plures sibi convocandos judicaverit. Completo vero, pro quo ingressi sunt, cito exeant, nisi detineantur. Quare ibi plures loqui prohibentur, quam duo? Ne forte irritare, vel provocare se invicem multorum collocutio cogat; vel certe in malitiosam concordiam, seu, si ita congruentius dicitur, in concordiam malitiosam simul conspirent. Et quare coram Priore, vel quem ipse miserit? Nimirum ut præsentiæ suæ et maturitate bonam locutionem commendet, et rigore malam compescat; vel certe, quod melius est, ne aliqua ibi mala sit, præcavere contendat. Cur putatis præceptum esse, ut stando loquantur? Ne in nimis longam moram se locutio extendat. Paucis itaque auditorii conceditur ingressus, et tunc solum, cum fuerit necessarius. Esse quoque et eorum jubetur exitus festinus. Sed inter hæc jugis nos certos experientia reddit, veram esse sententiam illam Ambrosianam: *Scio loqui plerosque, cum tacere nesciant.* His profecto illi similes sunt, qui nulla expetente necessitate, sed sola fabulas contexendi intentione, auditorii nimis importune expetunt ingressum; et inibi morari, sicut eos non tædet, ita nec pudet. Stantes in eo fabulas garruli et verbosi tam dulce habent contexere, ut mora penitus carere, omnem, quam ibi faciunt, moram æstiment, et omnis moræ nescii, vel obliti exire nesciant; quousque pulsato signo oratorium ingredi debeant. Miror eorum in auditorio tam fortes esse tibias, et sanas, quas in oratorio tam debiles conspicio, et infirmas: ut in fabulatione pene toto die infatigabiliter stare prævaleant in auditorio, qui sine magno gravamine vix in oratione usque ad finem unius psalmi stare possunt in choro. Unde ergo eis tam superflua hæc, tamque longa locutio, nisi quia silentii ignorantia talis eis locutionis est causa illis proinde plerique jure possunt assimilari, quos B. Ambrosius scit loqui, cum tacere nesciant.

XVIII. Quis est, vel esse potest in conventu tam religiosus, tamque sollicitus, cui aliqua ex his locis aliquando negligentia non subrepat? Idcirco officina sexta capitulum est, in quo juxta tenorem ordinis, coram aliis districte, sed sine nimio rigore, pie, sed absque immoderata remissione, solet emendari, quod in superioribus quinque locis coram aliis contingit delinqui. In quo loco non **327** plus horror debet, vel mora aliqua admitti litis, quam valet Satanas in beatudine cœlesti perpetuo morari. Capitulum etenim humilitatis locus est, non elationis, accusationis, non excusationis. Pauci in eo, et ipsi rationabiles debent proferri sermones: et sic rationabiles, ut talem deceant locum. Ipsi autem sunt, qui accusent, qui cor-

Digitized by Google

ripiant, qui absolvant, qui erudiant. Accuset sibi conscius seipsum, accusent fratres se, alter alterum; qui præest corripiat, et correptos absolvat, et nescios erudiat. Hi sunt sermones, qui in capitulo habendi sunt. Cum autem in capitulo de negotiis exterioribus admittuntur sermones, non servatur plerumque censura disciplinæ. Ipsa non servata indiscretis indulgetur loquendi licentia; qua indulta aliquid profertur, per quod ad iram audiens provocatur. Sic oriuntur jurgia, augentur rixæ; sicque domus confessionis locus efficitur confusionis. Inter vos autem non passim omnibus, nec de omni re licet in capitulo loqui. Est super hoc enim institutio ordinis vestri, hunc habens modum. *In capitulo nunquam nisi ex duabus causis fratres loquantur; videlicet culpas suas, vel aliorum simpliciter dicendo, vel prælatis suis ad interrogata tantum respondendo. Nullus faciat clamationem super aliquem ex sola suspicione.* Et paulo superius: *Qui aliquem clamaverit, non quærat circuitiones in clamore suo; sed aperte dicat: Ille fecit hoc. Sed et qui clamatus fuerit, mox ut audierit nomen suum, non respondens, in sede sua petat veniam.* Et sancta quidem, et salubris institutio hæc, et in clamante pariter, et in clamato; ut et ille scilicet moderate et veraciter accuset, et iste moderate tacens se non excuset. Quod autem jubetur clamatus, audito nomine suo, nihil respondere, sed veniam petere; illius videtur potissimum humilitatem, ac mansuetudinem redolere, de quo legitur, quod *sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut ovis coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum* (*Isa.* LIII, 7). Et de quo item habetur, quod cum accusaretur a multis, nihil respondit (*Matth.* XXVII, 12). Et quæ esset capituli humilitas, si unicuique clamato verbis se liceret excusare? Vel quæ utilitas, dum constet geminari culpam, quæ excusatur? Nonne ad hoc in capitulum venimus, ut et nosmetipsos accusemus, et ab aliis charitative clamemur, quo sic a nostris reatibus absolvamur. Illud utique humilitatis est, hoc autem utilitatis. Et quam fœdum, quamque periculosum est, per vitium excusationis, et in loco humilitatis superbire, et in loco confessionis diffiteri, et in loco absolutionis in peccato arctius ligari.

XIX. Sed aliquis forte eorum, qui hæc mandata litteris lecturus est, sic me alloquens respondebit ad hæc: Quæ de excusatione dicis, ipse quidem, qui veraciter et charitative clamatur, bene debet observare; sed si is, qui malitiose et falso, ut nonnunquam evenit, accusatur, semetipsum excuset, nunquid in hoc peccat? Cui hoc modo occurret responsio nostra: Et si dicimus non magnum esse peccatum, quod se excusat justus, dicere tamen possumus, non magnum esse meritum, quod se non excusat injustus. Potest namque percipere veniam, et evadere pœnam; sed illam, ad quam sancte et beate sublimantur, qui se non excusant justi, nec gratiam meretur, nec gloriam. Illud utique bonum; hoc vero melius est. Et ideo melius, quia perducit ad optimum. Scis utique, quod tres in die passionis Dominicæ fuerunt in cruce suspensi: latro videlicet blasphemus, latro confitens, et ipse Agnus innocens. Et quid aliud putamus capituli rigorem, nisi quamdam crucis passionem? Sed in hac passione quidam sunt blasphemantes; quidam confitentes, quidam vero innocentes. Primi sunt rebelles, secundi pœnitentes, tertii humiles. Primi merentur pœnam; secundi veniam; tertii gloriam. Primos designat latro blasphemus; secundos latro alius et vere alius, quia non blasphemans, sed confitens; tertios innocens, et humilis Jesus. Et cum in una eademque omnes passione sint, primus murmurat et facit quod non debet; secundus orat, et facit quod debet; tertius pro aliis semetipsum immolat et facit plus quam debet. Cumque omnes accusentur, primus accusatur juste, et suam nequitiam per superbiam defendens, ruit in infernum peccati; secundus non injuste, sed culpam per confessionem agnoscens, et in voluntatem necessitatem convertens, per absolutionem prælati reconciliatus, et ex latrone martyr effectus, ingreditur paradisum Ecclesiæ: tertius vero omnino injuste, et suam non excusans innocentiam, per tacitum bonæ conscientiæ **328** testimonium, per plenum omnis vanæ gloriæ contemptum, per invincibilem sui ipsius triumphum, etiam cœlum animo conscendit. Vides ergo, frater mi, quod quantum a passione latronis confitentis passio distat Redemptoris innocentis, tantum ejus causa, qui malitiose, et falso accusatur, ab ejus differt causa, qui charitative et veraciter clamatur; et sicut pares non sunt in merito, sic nec æquales erunt in præmio. Quod si se excusat injuste clamatus, sicut non ruit per peccatum, si tamen excusationem ejus permittit capituli rigor: sic nec ascendit per meritum; et dum in capitulo innocenter non punitur, in inferno quidem non damnatur; sed in cœlo tamen sublimiter non coronatur.

XX. Est officina quædam, quæ in ordine septima est; in qua viri sancti, qui in conventu sunt, venienti Domino, et invenienti eos vigilantes, ac pulsanti confestim aperiunt (*Luc.* XII, 37): cum de ea per mortem exeunt, pro senario præsentis perfectionis, ad septenarium pertingunt futuræ quietis. Ipsa est infirmitorium, in quo sic se debent cœnobitæ habere, ut suæ in eo resolutionis horam tremendam secure possint exspectare. Ita singulorum infirmitatibus inclinet se, et condescendat misericordia per compassionem, ut nullam ordo sustineat dissolutionem. Non admittantur in ea ficti, qui cum sani sint, simulatam quamdam solent prætendere infirmitatem, sed et infirmi, cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent. Et quid sequitur? Nec cibi eos teneat voluptas jam vegetos, quos necessitas levarat infirmos. Cogitent, qui sunt in infirmitorio, fratres, quod in loco isto solventur a corporibus animæ rapiendæ ad tribunal Judicis; et recepturæ juxta id,

Digitized by Google

quod in corporibus gesserunt, sive bonum, si malum (*II Cor.* v, 10). Quidquid alibi deliquerunt, pœnitentia condigna, et confessione pura hic emendare satagant : et, ut jam diximus, ita se habeant, ut terribilem exitus sui horam, et fidenter exspectent jam imminentem, et securi suscipiant præsentem. In his, fratres, meditatio vestra sit. In his continuum sit exercitium vestrum. *Hæc via : ambulate in ea, nec ad dextram, nec ad sinistram declinetis* (*Isa.* xxx, 21). Hinc est, quod vobis ad memoriam A in exordio primi sermonis, a quo iste in ordine decimus quartus est, illud Apostoli revocavimus : *Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis* (*Ephes.* iv, 1). Digne ambulate et vos, prout vos, adjuvante Deo, admonere curavimus ; ut sic ambulantes de virtute in virtutem, digni sitis videre Deum deorum in Sion (*Psal.* lxxxiii, 8.) viventem, et regnantem trinum et unum per infinita sæcula sæculorum. *Amen.*

DE TRIPARTITO TABERNACULO.

PROŒMIA.

I.

Epistola F. Adæ canonici ad Ecclesiæ Præmonstratensis canonicos, de libro atque pictura tripartiti tabernaculi ; et de primatu ac dignitate ejusdem Ecclesiæ, qua cæteris ejusdem ordinis præcellit Ecclesiis.

Reverendissimis dominis suis, et amicis præcipuis, in Christi visceribus dilectissimis fratribus, Deo in Ecclesia Præmonstratensi servientibus, frater Adam, vester in Domino et servus humilis, et amicus sincerus : in Bethania, accepta libra nardi pistici pretiosi, Dominicos ungere pedes, domumque ex odore implere unguenti.

I. Ut verum non diffiteamur, o vitæ venerabilis viri, obstupescentes admodum exsultamus, et exsultantes nihilominus obstupescimus, quoties nostræ occurrit memoriæ, qualiter nostram dignata est celsitudo vestra parvitatem, et ad vos venientem suscipere, et apud vos commorantem tractare, et dimittere a vobis recedentem. Ipsa profecto sibi testis fuit, triplex vestra devotio hæc : quod nonnihil nostervobis placuit accessus, 329 nec minus displicuit anscessus. Et ne forte, ut nonnunquam assolet, fastidium satietas pareret, omni apud vos caruisse mora et ipsa nostra vobis visa est mora. Tacemus quam celebre nomen nostrum apud vos, cum constet esse indignum, ut vel nominetur. Non solum autem, sed et dicere supersedemus quoties asseruistis desiderare vos reditum nostrum, et quod vobis suave ut sonet vox nostra in auribus vestris, cum nec vox nostra dulcis, nec facies decora? (*Cant.* ii, 14.) Dicat quis, æqua in omni homine veneratione honorandum esse verbum Dei, nec posse minorare, quod profertur, quantamlibet parvitatem proferentis. Nos non contradicimus. Scimus tamen meliorem nonnunquam habere saporem, in vase aureo, quam in ligneo, vinum. Ut autem et hoc inferamus, scimus nihilominus sicut liquore bono, sic et pretiosis, e quibus haurire et quidem abundanter potestis, etiam quoties volueritis, vos B vasis abundare. O quanta nobis, in hac recordatione affectus vestri erga nos, et cum admiratione exsultatio, et cum exsultatione admiratio ! Qui et terimus cum ejusdem recordationis pistillo, in mortariolo pectoris nostri, ac suavitate fragrantiæ, quam emittit ex se, refovemus viscera nostra. Admiramur itaque, et lætamur. Lætamur utique pro illis : et admiramur super his : hinc nimirum gaudentes, quia tanta percipere meruimus ; illinc vero stupentes, quod tanti ea tantillo dignati estis conferre.

II. Quid enim nos ? Aut qui nos, vel quales nos, sive quanti nos : ut nos perduceretis hucusque ? Nam si de his agitur : in primo sed natura ipsa subjecta est corruptioni culpæ et afflictioni pœnæ, miserabiliter hinc polluta, inde autem punita. In secundo C vero persona admodum vilis ; nam nullum penitus vel meritum in tertio, vel fastigium in quarto. Primum itaque in infirmitate sordet fragilis conditionis ; secundum vile exhibet multimoda paupertas personatus ; tertium vero, in nullo prorsus fulgidum reddit venustas sanctitatis : quartum quoque, non sublimat culmen alicujus dignitatis. Et quæ domus Patris nostri ? Nam et super hoc haberi interrogatio posset : si vel hoc aliquid esset, in eorum maxime oculis, qui sublati et sublimati sunt super altitudinem terræ. Cæterum quia hoc quantum ad nos aliquid magni non sit, facile erit vel ex hoc perpendere quod genus, et proavos strepentibus inculcare studuit ipse, quo in natis mulierum major non fuit : D *Ne cœperitis*, inquit, *dicere : Patrem habemus Abraham* (*Luc.* iii, 8). Sed esto quod magna ac multa contulistis indigno, ipsum ponentes in exput, qui vix in cauda est : et in uno quidem, manum vos osten-

Digitized by Google

distis habere ad dandum porrectam; in altero quoque, humiles vos esse in oculis vestris. O humilis largitas, et larga humilitas! Unum, videns in facie, acceptat proximus: alterum vero, scrutans renes et corda, approbat Deus. Sed quia his tam suavibus nos judicastis complexibus dignos; ille nimirum a vobis, et in eis, testis expeti, et pro eis, debet Remunerator exspectari: cui et ad discernendum meritum uniuscujusque laborantis, omnia pervidens oculus adest: et ad condignum repetendum stipendium, omnia potens manus non deest.

III. Cum autem apud vos præsentes corporaliter essemus, a quibus etiam nunc in regno Scotorum positi, spiritualiter absentes non sumus placuit vobis ex humilitate precari, quod ex potestate vobis licuit imperare, ut librum, quem de tabernaculo Moysis, una cum pictura, ante hoc biennium, rogatu quorumdam fratrum nostrorum, et maxime viri illustris Joannis cujusdam abbatis, qui in terra nostra est, composuimus, vobis transmitteremus. Et quid est, quod vobis petentibus negare potuimus: vel in quo etiam jubentibus parere non debuimus? Concessimus igitur vobis, quod petistis: et quod concessimus, promissione confirmavimus, propriis sermonibus capti (*Prov.* VI, 2), et apud vos ligati; nec solvi legitime poterimus, nisi cum ipsum solverimus promissum. Modo quidem solvimus, quod tunc promisimus; et sicut nos spontaneos exhibuimus in pollicendo, sic et veraces nihilominus studemus exhibere in reddendo. Nam negare petentibus, si culpa esset: eisdem promissum non solvere, sacrilegii profecto crimen erit. Accipite proinde, quod petistis vos, quod nos promisimus: quiddam certe parvum, non parva tamen devotione transmissum; quod ea, quæsumus, a vobis dilectione sit susceptum, qua a nobis scimus destinatum.

IV. Qualiter vero et per librum picturam, et per picturam librum intelligere possitis: vel qualiter, et quod in libro legetis, et in pictura videbitis, ad unam concordiam redigere debeatis, in epistola, quam prædicto abbati transmisimus, cujus et ad ista rogatu manum apposuimus, videbitis: **330** quam et in capite libri scriptam invenietis. Cum autem et illum legeritis, et istam videritis, sic vestra quæsumus, maturitas in ista curiosi culpet superstitionem, ut et benignitas quoque vestra in illo studiosi acceptet intentionem. Et quod universis, quæ a nobis utcunque exarata sunt, solemus intuentibus offerre, et vobis humiliter offerimus: quatenus videlicet, si quid a nobis aliter positum, quam ipsa se veritas habet, deprehenderitis, id absque congrua nullo modo correctione esse permittatis. Nam absit a nobis semel, et iterum, ac longe semper, et ubique absit a nobis, ut elationis inflati tumore, vel errorem nobis evidenter ostensum excusemus, vel emendationem charitative oblatam recusemus.

V. Hunc autem librum, cujus est titulus: *De triplici tabernaculo, una cum pictura*, et librum per quatuordecim sermones distinctum, qui inscribitur de nomine, et habitu, atque professione Canonicorum ordinis Præmonstratensis, in nostri memoriam habebitis: ut, quia nostram jugiter apud vos præsentiam habere non potestis corporalem: aliquid habeatis ex parte nostra, in quo retineatis spiritualem. Vestris nos precibus intente commendamus; innitimur quoque meritis vestris fiducialiter possidentes in vobis, quod in nobis deesse videmus: certo scientes non posse nos aporiari, quandiu vos divites fueritis. Obnixe itaque vos flexis genibus mentis obsecramus, tanquam pedibus vestris prostrati, ut nostri memores sitis in vespertinis sacrificiis vestris, compatientes multimodis fragilitatibus nostris, offerentes nos sanandos piis conspectibus advocati nostri justi, mitis, et mansueti Jesu: qui, quod pro se non debuit, solvit pro nobis; et sacerdos pro nobis factus, et hostia, emptor, et pretium, sacrifex, et sacrificium, ac medicus vulnerum nostrorum, et medicina, pependit in ligno, larga pii cruoris sui effusione immundos nos abluens, et reconcilians reos, et nunc sedens ad dexteram Patris, interpellat pro nobis. Mementote itaque diligentis vos, peccatoris Adæ, cum de ipsis intimis altâris aurei, emisso odorifero Sancta sanctorum impletis aromatis fumo; et ibi quam maxime, ubi Patri Filius immolatur, cujus sanguis clamat de terra melius quam Abel (*Gen.* IV, 10). Sed et hoc petitionibus nostris superadderemus, nisi forte temerariæ foret præsumptioni imputandum: scilicet ut nomen nostrum in albo sanctæ congregationis vestræ, una cum vestrorum, qui jam discessere, nominibus post mortem juberetis adscribi: quia et nos vestri sumus. Verumtamen quod nostra petere verecundia non præsumit, vestra, ut speramus, benignitas dabit; quia, ni fallimur, in ipso profundo fontis divitiarum vestrarum, plus ebullit ab imo, quam in superficie nos haurire audemus. Et de his usque huc.

VI. De cætero, o vitæ venerabilis viri, *Sustinete modicum quid insipientiæ meæ; sed et supportate me. Æmulor enim vos Dei æmulatione* (*II Cor.* XI, 1, 2). Sermone aliquo commonitorio proponeremus alloqui vos, si vel præsumptio non esset, vel necessitas esset: hoc est, si vel dignum esset, ut nos commoneremus vos; vel nostra vos indigeretis monitione. Attamen scire debet plane excellentia vestra quod, si quid distare inter domos nostri ordinis potest, præcipua videtur esse, quæ prima est. Debet etiam illius Dominicæ meminisse sententiæ, quæ talis est: *Cui multum datum est, multum exigetur ab eo* (*Luc.* XII, 48). Et quorsum ista? Nimirum, ut attendentes quantum accepistis, attendentes etiam quod estis, sciatis et consequenter quid debeatis. Nonne velut quidam fons est Ecclesia Præmonstratensis; cæteræ vero ejusdem ordinis Ecclesiæ, sic ab ea dimanant, ut a fonte rivuli? Caveat itaque sibi a siccitate fons; tunc quam maxime, quando copiose fluunt rivuli: ne illo ipse careat liquore, quo isti abundant. Præcedit tempore, præcedere necesse habet et sanctitate: ne forte, quod absit, videntium irrisione digna sit, si

Digitized by Google

tardius pervenerit, quæ prius currere cœpit. Nec eadem profecto carebit irrisione, si aliis contigerit in perventione etiam coesse: nisi in ea contingat præesse, quia constat cursum præripuisse. Nam mater ipsa; cæteræ vero filiæ sunt. Idcirco ita acquirendis spiritualibus operibus ejus invigilet, ut ipsam laudantibus dicatur ei: *Multæ filiæ congregavere divitias; tu supergressa es universas* (*Prov.* XXXI, 29). Gaudeant filiæ, a matre se processisse generosa, ut consequenter generosas lætentur esse et seipsas.

VII. Sola nobilitas spiritualis generis, sanctitas est religiosæ conversationis. Recurrere ad ipsam incessanter filiæ debent, mutuare ab ipsa, quod sibi deesse vident: ut sanctæ ab ea religionis percipiant **331** incrementum, a qua sumpsere principium. Clarissima proinde apud eam ponatur super candelabrum lucerna: ut qui ingrediuntur etiam ad istas, lumen videant. Clarissima, inquam, quia longe posita, nullatenus illustrat obscura in seipsa lucerna. Abunde in ea fulgeat lux: ut et filiabus lumen abunde mater communicet, et in nullo illud sibi imminuat. Sit eis exemplar, et forma, speculum quoque, et quasi quidam liber vitæ; in quo evidenter, quid eligere debeant, quidve respuere, legant. Videant in lectione ejusdem libri, quam prompta esse debeat affabilitas in porta; quam efficax, pro posse et tempore, pro persona, et causa; et hilaritas in hospitio; quantum cum perfecto silentio, et absque semicorrosis verbulis, et digitorum superfluis notis, in lectione, studium in claustro. Quam gravis et affectuosa devotio in choro; quam matura reverentia, et diligens munditia in altari; quam sine omni murmuratione, detractione, conspiratione; quamque brevis, ac silenter, et de solis necessariis, atque inter paucissimos locutio esse debeat in auditorio; quam pauca, quamque rationabilia esse debeant verba in capitulo, quam videlicet pro persona, et causa, et misericordia sæviens, et sævitia misericors in præsidentibus; quam humilis et confessio vera, et firma patientia in confidentibus. Quam discretus in proclamantibus zelus, et nulla penitus excusatio, nec murmuratio in proclamatis. Quam agilis alacritas, quamque alacris agilitas cum silentio, et absque superfluitate signorum in communi opere manuum; quam sobria honestas, et sobrietas honesta, in refectorio; quam matura quies, et quieta maturitas in dormitorio; quam compatientes, et officiosi; quam impigri, et gratiosi in infirmitorio esse debeant infirmarii: quam longanimes in tolerantia, in gratiarum actione devoti, in quæritando superflua non importuni, sed his, quæ eis conferuntur, cum hilaritate contenti, et sollicitl modis omnibus, in præparando se contra horam suæ resolutionis infirmi; quam debeant esse circumspecti, et honeste se habere fratres in itinere; quam denique toto sit eis insistendum conatu, ut intus et foris irreprehensibiles appareant, in omni tempore, et loco; in omni causa, et negotio; in verbo, et silentio; in opere et otio: in gestu et incessu; in habitu, et victu erga omnem personam, et in omni corporis motu.

VIII. Fidelis sermo. *Perfectus erit omnis, si sit sicut magister ejus* (*Luc.* VI, 40). Et, *sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus* (*Matth.* X, 25). Magister noster, conventus Ecclesiæ Præmonstratensis; nam singuli aliarum Ecclesiarum conventus, hujus magistri discipuli. Patet autem ex his talem debere esse illum, ut ad omnem nobis sanctitatem sufficere arbitremur, si ei assimilemur. Nam, si transcendimus eum, jam noster Magister, non est. Ecce accurritur a finibus terræ Prænonstratum, ut aliquid apud matrem audiatur boni et novi, quod filiabus annuntietur. Tenentur ex præceptis etiam Romanorum Pontificum, singulis annis abbates filii visitare matrem, ut perlaturi ea ad filias, audiant apud eam instituta salutis, præcepta, ac legem vitæ et disciplinæ (*Eccli.* XLV, 6). Absit in æternum, et ultra, ut apud eam prima eorum appareat transgressio, apud quam prima est eorum celebrata institutio. Non longitudines viarum, non marina pericula, non exinanitiones marsupiorum, non metus corporeæ, interdum non solum ægritudinis, sed etiam mortis, gressus valet retardare filiorum, quin his omnibus, et aliis fortassis, si quæ sint in hunc modum, maternam præponentes reverentiam, et dilectionem, eamdem matrem alacriter adeant; promulgatis apud eam salubribus institutis, humiliter se subjiciant, et tenenda firmiter ac inviolabiliter observanda, filiabus ea perferant, nec tenentur illæ ex debito universaliter observare, quod apud eam constat non fuisse statutum. En quis, qualis, ac quantus matri a filiis honor deferatur; sed tunc eam audacter ab eis, et libera fronte exigit, cum, quæ apud eam promulgantur statuta, sollicita, ac firma perseverantia custodit.

IX. Et videte ne forte ad istud, quod modo habemus in manibus, et illud possit non inconvenienter juxta aliquem sensum referri, quod in libro Geneseos legitis. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum* (*Gen.* II, 10). Præmiserat Scriptura: *Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis, a principio: in quo posuit hominem, quem formaverat* (*ibid.*, 8). Quid hic dicemus? Poteritne hoc esse, Deum hominem formasse, quem ad sui cognitionem, et dilectionem vocare dignatur, ipsum intellectu rationabili illustrasse? Nam quid aliud postulasse dicendus est ille, qui ait: *Cor mundum* **332** *crea in me, Deus?* (*Psal.* L, 12.) Hunc quoque apud se non fuisse hominem, et ille conquestus est, cui de numero quadragenario deerant duo: hoc est, de perfectione legis, et Evangelii; dilectio Dei et proximi. Unde et gemebunda conquerentis hæc vox est: *Hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam* (*Joan.* V, 7). Sensum sibi innuens defuisse rationabilem, qui per memoriam et imitationem passionis Dominicæ, a lecto ægritudinis, qui est mollities iniquitatis, erigeret illum. Hic homo a Deo formatus est, et quidem in justitia, et

Digitized by Google

sanctitate veritatis (*Ephes.* IV, 24). Audemusne dicere, quod tunc paradisum plantavit, quando ut ordo iste Canonicus institueretur, ipsi primo Patri nostro inspiravit? Si autem hæc duo conceduntur, cur et istud tertium non admittatur, hoc esse hominem hunc ipsum in paradiso ponere, illi, quem irradiante gratiæ suæ jubare notitia sui illuminat, ut huic se ordini humiliter subjiciat, inspirare? Ipsum si placet, verborum ordinem considerate, plantavit, formavit, posuit. Dedit per servum suum præcepta, ac legem vitæ, et disciplinæ, illum quem ad vitam præordinavit æternam, intellectu spirituali et rationabili venustando illustravit luce gratiæ suæ; postea inspiravit ei, ut Canonicæ se subjugaret institutioni. Et quæ utilitas huic homini in isto poni paradiso? Multa per omnem modum. Nam præmissa virtute humilitatis, quæ aliarum et causa est virtutum, et custodia, bonis cum ille bonorum omnium Largitor et Remunerator operibus exornat, quæ sic intuentibus clara sunt ad scientiam; ut imitantibus suavia sint ad experientiam; producens hoc modo, *de humo, omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave* (*Gen.* II, 9). Decor itaque ligni operum honorum, quantum ad aspectum cognitionis; suavitas vero, quantum ad gustum affectionis. Itaque pulchrum visu, propter cognitionem veritatis; ad vescendum suave propter affectum charitatis.

X. Ecce dico vobis: levate oculos vestros, et videte viros in ordine nostro religiosos, sanctæ conversationis exercitiis, ex virtute humilitatis proceuntibus insistentes; quæ est videntibus fulgescunt, et experientibus dulcescunt; ipsumque in his omnibus collaudate, qui dat virtutem, et fortudinem plebi suæ (*Psal.* LXVII, 36). *Operatur* in Sanctis suis, *et velle, et perficere pro bona voluntate* (*Phil.* II, 13): producens de humo omne lignum, pulchrum visu, et ad vescendum suave. Sed vigent tunc quam maxime exercitia sanctæ conversationis, cum admittendum jubetur opus charitatis, et omittendum indicitur contagium cupiditatis. Illud præcipitur; hoc autem prohibetur. Et ad præceptionem illam referet aliquis fortassis lignum vitæ; ad probitionem vero istam, lignum scientiæ boni, et mali; illud quidem vitæ; hoc autem est scientiæ boni, et mali; quia in exercitio charitatis consistit vita spiritus nostri; et qui admittit in facto quod prohibetur malum, in culpa simul est, et in pœna. Malum etiam per experientiam agnoscit, quod per solam scientiam, ei prius innotuit. Lignum vitæ, ait Scriptura, *in medio paradisi* (*Gen.* II, 9); quia ad hoc ordo noster totam intentionem suam dirigit, ut charitati militare possit. Seu igitur parcat, seu feriat, seu constringat, seu relaxet; seu dispensatorie aliquid, interveniente causa aliqua rationabili, agat, aut certe aliquid in aliud mutet: totum ad charitatis integritatem transferat, ejusque in nullo modum transeat, ut habere se, in medio sui, lignum vitæ demonstret. Sed irrigetur paradisus, ne arescat. Quomodo dicitis? Quomodo legitis? *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum* (*Gen.* II, 10). Quid hoc est? Irrigetur paradisus, ne arescat. Renovetur ordo, ne inveterescat. Visitantibus siquidem matrem filiis, ordo reparatur; quæ salubria sunt, instituuntur, egrediente fluvio de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum. Et quis hic locus voluptatis. Dicamus interim, si tamen ita dicendum est, quod locus voluntatis Ecclesia est Præmonstratensis. Non voluptatis carnalis, non voluptatis mundialis; sed voluptatis Dei, cujus torrente potat eos, qui in tegmine alarum suarum sperant (*Psal.* XXXV, 9). De hoc voluptatis loco fluvius egreditur, quo Paradisus irrigatur, cum in Ecclesia Præmonstratensi, quæ mater est nostra, salubria instituuntur, ut ipse ordo reparetur.

XI. Cujus institutiones cum plures sint, hos quoque potissimum informat pœnitentes, gubernantes, operantes, et contemplantes, et si qui alii sint; hi sunt novitii, obedientiarii, prælati, et claustrales. *Egreditur*, ait Scriptura, *fluvius, de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita* (*Gen.* II, 10). Ut quadripartitum nobis ex eo sciamus hauriendum liquorem. Et quæ sortiuntur nomina capita **333** ista? Nomen unius, Phison: nomen secundi, Gesion: nomen vero tertii fluvii, Tigris, fluvius autem quartus, ipse est Euphrates. Dicat, qui sic dicere audet, ad eos pertinere Phison, qui noviter veniunt: quibus toto insistendum et conatu, ut imprimis seipsos plene videant: et quales sint intrinsecus, considerant, tales et exterius pure se aperiant, quia *os pupillæ* sonare Phison asseverant. In ore autem confessio; in pupilla visio. Intueantur novitii, et confiteantur. Intueantur diligenter, et confiteantur humiliter. Dico autem, vetustatem suam. Nunquam enim arcem perfecte, ad quam scandere nituntur, novitatis apprehendere poterunt, nisi eam in qua eatenus fuerunt, vetustatem agnoscant; quia ad illam nullo modo pervenitur, nisi ista penitus deseratur. Et quomodo deseretur, si ignoratur? Quid si quidem agnoscitur, sed occultatur? Certe non sufficit ad salutem cognitio, nisi adsit et confessio, sicut nec vulnus curatur, licet a vulnerato sentiatur, nisi medico detegatur. Sicut itaque pupillam discooperiunt, ut per cognitionem videant: sic et os aperiant, ut se per confessionem revelent; quia non pupillam tantummodo, sed et os, Phison sonat. Semper enim vetustas inest, quandiu confessio deest: etiam cum cognitio adest. Nonne et hoc expertus est in se, qui dicebat: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea* (*Psal.* XXXI, 3). Sed sic videntium, et aperientium seipsos, quæ decet esse intentio, studium, et cura? Utique, ut relicta penitus, quæ agnita, et ostensa est, vetustate, acquirendæ, exercendæ, retinendæ novitati, sollicitudinem pervigilem impendant. Sed est acerbus dolor, et gravis labor. Acerbum siquidem admodum, et non mediocriter laboriosum est, ex toto dulcedini te, et suavitati renuntiare inolitæ et amaritudini et asperitati subjici insolitæ. Sic est, ac si ipsam mutare cogaris naturam.

XII. Ad hoc dicunt pertinere, quod de Phison di-

Digitized by Google

citur. *Ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath* (*Gen.* II. 11). Nam Hevilath, secundum ipsos, dolens dicitur. Quæ dulcedo, ubi dolor? quæ suavitas, ubi parturitio est? O quantum laborat Phison, circuiens omnem terram Hevilath, dum turbantur et tristantur in parturitione novæ vitæ novitii secundum illud : *Conturbati sunt, commoti sunt, timor apprehendit eos, ibi dolores ut parturientis* (*Psal.* XLVII, 6, 7, 8). Verumtamen ex jugi hujus gravis luctaminis experientia; ex magna, quam anxietatis internæ sollicitudo pariter, et tristitia confert animæ: ut claritas in mente effulgeat sapientiæ, quia de Hevilath dicitur, quod ibi nascitur aurum. Nam fulgor sapientiæ, aurum est in mente dolentium, et parturientium. Nam ipsa ex Hevilath nascitur aurum : quia *valles abundabunt frumento* (*Psal.* LXIV, 16). Et concupiscenti sapientiam, dicitur : *Concupisti sapientiam? Serva mandata, et Deus præbebit illam tibi* (*Eccli.* I, 33). Et quis eo sapientior, qui dolet pro eo quod præsens patitur exsilium, et æternum totis visceribus suspirat ad regnum? Hoc idcirco dixerit quis, quia subjungitur. *Et aurum terræ illius optimum est* (*Gen.* II, 11). Cujus terræ? Utique Hevilath. Nunquid terræ illorum aurum optimum fuit, de quibus dicitur: *Sapientes sunt, ut faciant mala; bene autem facere nescierunt* (*Jerem.* IV, 22). Sed terræ, quam circuit Phison, aurum optimum est; quia novitii nostri, et propter dolorem dolentes de præterito, orant, ut debitum dimittatur; et propter parturitionem cavent de futuro, orant nihilominus, ut in tentationem non inducantur (*Matth.* VI, 12). Sed fulgorem sapientiæ decet inesse spirituali conversationi, quam virtus commendet humilitatis, et robur stabilis perseverantiæ exornet atque confirmet. Hinc fortassis aliquis dixerit, quod non solum ibi nascitur aurum, quod optimum est; verum etiam, quod *ibi invenitur bdellium, et lapis onychinus* (*Gen.* II, 12). Arborem aromaticam nigram, dicunt bdellium esse; et si ita sit, bona nimirum conversatio, et propter orationis odorem aromatica est, et propter æstimationis propriæ vilitatem nigra est. Sed hæc duo bona constantia roboret; quia in hac terra, quam circuit Phison, cum bdellio lapis onychinus invenitur, qui, ut dicunt, ungui similis est. Unguis carnem operit, ut ejus tectum duritia, quod molle est, in carne muniatur, et mollia nostra fortitudo constantiæ munit, ne in propria teneritudine inanescant. Ecce quæ, qualia et quanta et quot sunt bona, quæ status in se continet novitiorum : claritas propriæ cognitionis, puritas humilis confessionis, cruciatus doloris, anxietas sollicitudinis, fulgor sapientiæ, vilitas de propria æstimatione, devotio in oratione, atque ut apud eos et talari Joseph tunica induatur (*Gen.* XXXVII, 25), et cauda hostiæ in sacrificio ponatur (*Levit.* IX, 19, 20), robur perseverantiæ desideratur. Hæc de illis.

XIII. Dicendum post hæc, ut quidquid 334 arridet prosperum, abrumpere studeant officiales; quia hoc sonare asserunt nomen fluvii secundi, quod est Gehon; per quem et eorum expressus est status, de quo dicitur : *Ipse est, qui circuit omnem terram Æthiopiæ* (*Gen.* II, 13). Aperte quidem; quia quadam videntur nigredine coopertæ multimodæ occupationes eorum. Nonne quasi quodam laborioso circuitu terram eos ipse etiam in Evangelio Dominus perambulare asserit, qui Martham in ipsorum persona alloquens : *Martha, Martha*, inquit, *sollicita es, et turbaris erga plurima* (*Luc.* X, 4). Nigredo quædam sollicitudo est; est et turbatio, quia a mente tam illa, quam ista serenitatem tollit, et quamdam ei offuscationem inducit.

XIV. Ipsos rectores nostros fluvius tertius notat, qui ab Isaia audiunt : *Ite, angeli veloces, ad populum divulsum et dilaceratum* (*Isa.* XVIII, 2). Veloces itaque, ut *sagittam* innuunt sonare nomen istud, quod est Tigris. *Et ipse*, ait Scriptura, *vadit contra Assyrios* (*Gen.* II, 14); ut velocis ad instar sagittæ, vadant angeli ad populum divulsum et dilaceratum. Quia prælati in hoc maxime ordinati sunt, ut perversis per auctoritatem sui primatus resistant, et ascendentes ex adverso, murum pro domo Israel se ponant (*Ezech.* XIII, 5). Per hanc quidem sagittam vulnus infligitur; sed tamen vulnerato ægritudo non infertur; imo salus confertur et collata magis ac magis augetur. De ea namque vox calvi nostri est : *Sagitta salutis Domini, et sagitta salutis contra Syriam* (*IV Reg.* XIII, 17). Salutis sagitta est ista, quia de loco voluptatis Tigris est, et salutis contra Syriam, quia ipse vadit contra Assyrios. Syria *sublimem* sonat : contra hanc Syriam Tigris vadit. Vox cujusdam Tigris est : *Arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum : destruentes consilia, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei* (*II Cor.* X, 4). Dicit itaque, in armis suis spiritualibus, destructionem consistere omnis altitudinis et extollentiæ : ostendens proinde sagittam se esse salutis Domini et sagittam salutis contra Syriam. Et quare omnia hæc? Quia nomen fluvii tertii, Tigris; et ipse vadit contra Assyrios. Non autem dicitur de eo, quod terram circuit Assyriorum, sicut de Phison, qui circuit omnem terram Hevilath; et de Gehon, qui circuit omnem terram Æthiopiæ; sed quod vadit contra Assyrios. Quia congregationum sanctarum rectoribus specialiter incumbit, non superborum pravitatibus muliebriter acquiescere et consentire; sed si suum veraciter officium exercent, studebunt viriliter contraire et resistere. Cum tamen necessario quodam laborantes circuitu, et novitii parturitioni novæ vitæ gemebunde insistere, et officiales pro paterna jussione adimplenda, et fraterna necessitate relevanda, super impositam sibi debeant dispensationem æquanimiter tolerare.

XV. Nec terram aliquam circuit, nec contra aliquos quartus fluvius vadit; quia nimirum claustrales, nec eodem modo, quo novitii in gemitu suo laborant; nec sicut obedientiarios, occupationes eos externæ offuscant; nec ut prælati ad bestias

Digitized by Google

pugnando, resistentes pravitatibus rebellium, sub gravis luctaminis fasce exsudant. Non apud eos *dolores, ut parturientis* (*Psal.* XLVII, 8); sed *in voce exsultationis et confessionis sonus epulantis* (*Psal.* XLI, 5). Non apud eos sollicita et turbata circa frequens ministerium satagit Martha; sed sedens secus pedes Domini, audit verbum illius Maria (*Luc.* X, 39). Non apud eos denique saga cilicina undecim, injurias imbrium, et horrores tempestatum exterius irruentium tolerant (*Exod.* XXXVI, 14); sed cortinas potius decem rutilantes, intrinsecus decores multimodi colorum venustant (*ibid.*, 8). Euphrates vero nomen est ejus. Et si perfectos, prout eis competit, se claustrales in omnibus habent, quid in eorum exercitio est, quod fructuosum non est? Quid ergo? Nonne fructuosum est exercitium novitiorum, nonne officialium, et prælatorum? Fructuosum plane; verius tamen est apud novitios. David non ædificat Domino domum, quia vir sanguinum *est* (*I Paral.* XXII, 8); ut Phison terram Hevilath circumeat. Et apud officiales *Lia lippis est oculis* (*Gen.* XXIX, 17), ut Gehon circumeat terram Æthiopiæ. Et apud prælatos, discipuli laborant in remigando; est enim ventus contrarius eis (*Marc.* VI, 48); ut Tigris vadat contra Assyrios. Cæterum apud claustrales vir quietissimus; ut ex re nomen illud portet egregium, quod est Salomon, et sapientissimus templum construit Domino (*III Reg.* VI, 1): *Rachel* vero *decora facie, et venusto aspectu*, copulatur Jacob (*Gen.* XXIX, 17); ipse etiam Jesus in monte orat (*Matth.* XIV, 23), et in littore stat (*Joan.* XXI, 4). En triplex claustralium fructus; serenitas pacis, fulgor pulchritudinis, securitas quietis.

XVI. Nunquid ista tam excellenter, ut illi, vel novitii possunt habere; vel obedientiarii, vel prælati? Apud ipsos dormit protoplastus in paradiso, ut in se deprehendat esse, et quod regatur muliebre et quod regat virile (*Gen.* II, 21). Apud eos septimus **335** in generatione justa *ambulat* Enoch *cum Deo et non apparet; quia tulit eum Deus* (*Gen.* V, 24). Apud eos vir justus Noe ad devitandas diluvii inundationes, et ne eum aquæ vel tempestas demergat, vel profundum absorbeat, et arcam ingreditur, et a Domino foris includitur (*Gen.* VII, 16). Apud eos emissa columba non invenit, ubi requiescat pes ejus, et olivæ secum in ore suo deferens ramum, ad arcæ redit secretum (*Gen.* VIII, 8, 9). Apud ipsos quoque apparet *Dominus* Abrahæ *in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso fervore diei* (*Gen.* XVIII, 1 et seqq.), ut elevanti oculos appareant tres viri stantes, qui et in uno tres, et in tribus alloquitur unum. Apud ipsos vita penitus abjecta mortali, Sara mortua est morte vitali, vitamque habens absconditam cum Christo, in Deo, in spelunca actionis pariter et contemplationis, et ideo duplici, sepelitur (*Gen.* XXIII, 19). Apud ipsos seri patris semen, beatum gaudium, ut nomen portet in re, habens in Spiritu sancto Isaac, qui puteos tam diu fodere non cessat, quousque aquam vivam reperiat (*Gen.* XXVI, 19); deambulans per viam, quæ ducit ad puteum, cujus est nomen Viventis, et Videntis; et egrediens ad meditandum in agro, inclinata jam die (*Gen.* XXIV, 62, 63). Apud ipsos vir simplex domum mentis inhabitans Jacob, natale solum deserit; unoque de jacentibus lapidibus capiti supposito, in Bethel, post solis occasum, in idipsum dormit in pace, et requiescit (*Gen.* XXVIII, 11): ubi angelorum per charitatis scalam, usque ad cœlos pertingentem, ascensum pariter et descensum, Dominumque scalæ contemplatur innixum (*ibid.*, 12, 13). Idem etiam apud ipsos, jam potitus exoptatis nuptiis, amorem sequentis priori præfert; mercede tamen conductus pro mandragoris filii sui, ejusdem prioris repetit cubile (*Gen.* XXX, 14, 17); et multiplici tandem utriusque prole fecundus, domum festinat adire paternam; et ne terram duabus viis ingrediatur, ab angelo jam ascendente aurora, tangitur in femore, et uni ex toto pedi innitens, claudus incedit (*Gen.* XXXII, 25). Apud ipsos simul contingit, et ortus Benjamim et occasus Rachelis (*Gen.* XXXV, 17, 18). Apud ipsos mortuus Joseph, conditus aromatibus, ponitur in loculo in Ægypto (*Gen* L, 25) pro eo quod specialiter apud eos, in tenebroso vitæ præsentis exsilio, extinctus mundo huic, et multimodis virtutum odoribus refertus, quasi Rachelis primogenitus, in internæ contemplationis secreto, absconditur fructus; quia et fluvius quartus ipse est Euphrates.

XVII, XVIII. Apud ipsos, percusso Ægyptio (*Exod.* II, 12 et seqq.), Moyses minas Pharaonis per fugam evasit, et puellis a supervenientibus pastoribus defensis, cordis scilicet cogitationibus ab irruentibus phantasiis mundatis, bonam istarum favendo et nutriendo fecunditatem, adaquat greges illarum; ac fugatis ad interiora deserti ovibus, id est perductis ad intima secreti meditationibus simplicibus et innocuis, a mortiferis pravorum exemplorum calceamentis, incessus mentis exuens, transit ut in terra sancta magnam intueatur visionem (*Exod.* III, 3). Qui et omnia facit, quæ ad tabernaculum pertinent, juxta exemplum, quod ei in monte monstratum est (*Exod.* XXV, 40). Apud ipsos a cæteris filiis Israel segregatus est, cum filiis suis, Aaron sacerdos magnus; segregatus, inquam, et lotus; inunctus et vestitus; coronatus et ad ministerium Domini specialiter applicatus (*I Par.* 23, 13). Apud ipsos Josue gentes subjiciens alienas (*Jos.* passim): ut quiescat terra a præliis. Apud ipsos Gedeon ad angeli admonitionem carnes et azyma supra petram ponens, jus desuper infundit; ut omnia hæc, virga ab eodem angelo percussa, ignis de petra exiens consumat (*Judic.* VI, 20, 21). Apud ipsos quoque Samuel, qui dormit in tabernaculo, ubi est arca Dei (*I Reg.* III, 3), Agag in frusta conscindens, coram Domino (*I Reg.* XV, 33). Apud ipsos senex David, habens ætatis plurimos dies, qui calefieri non potest, cum operitur vestibus, quousque dormiat cum eo Sunamitis Abisag, et foveat ac

Digitized by Google

calefaciat eum (*III Reg.* I, 1). Apud ipsos vir Dei Elias maledictam et maleficam Jesabel, *mundi* hujus scilicet *concupiscentiam*, fugiendo declinans (*III Reg.* X, 3), ad desertum quietis, assumptis pennis columbæ, sub omni festinatione volat. Apud ipsos idem Elias, in Bersabee Juda suum dimittens puerum, dum per confessionis puritatem et septiformem aspirationem, sensum a se abjicit puerilem; et in mentis solitudine commorans, animæ suæ mortem exposcit (*ibid.*), *desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo* (*Phil.* I, 23): qui ab internæ inspirationis angelo suscitatus ab ignaviæ somno, pane subcinericio reficitur, dum bonæ operationis humilitate pinguescit; ut in hujus cibi fortitudine, per quadragenarium præsentis exsilii tempus, ad stabilem æternitatem, et æternam superni montis stabilitatem pertingat. Apud ipsos duplicis spiritus Eliæ possessor Elizæus (*IV Reg.* II, 9), qui sic Eliam sequitur, sic ejus se dedit ministrationi; ut patrem mundum, et matrem concupiscentiam, **336** per abrenuntiationem mentis, deosculetur: dorsum ex toto eis convertens, et ad eos ulterius reverti non proponens. Apud ipsos, Isaias ad præceptum Domini, carnis nuditatem non erubescens, mundanas funditus exuvias deponit (*Isa.* XX, 2); ut exoneratus terrenis, quasi vacuus viator, incedat coram latrone, cantans; sicque facilius atque securius, ad cœlestia tendat et æterna. Apud ipsos sanctus Ezechiel, qui in ædificio civitatis, in monte positæ, et ad Austrum vergentis, per sublime vitæ meritum stans, oculos habet ad portam (*Ezech.* XL, 2). Ad portam, inquam, quæ ducit ad civitatem, ambulans per fidem, et desiderans per speciem, dans tergum transitoriis et faciem æternis, cupiens denique dissolvi et esse cum Christo. Apud ipsos, sanctificatus in utero, virgo, et sacerdos Dei, Jeremias sanctissimus (*Jer.* I, 5); quem de lacu lutoso panni, et funes veteres levant (*Jer.* XXXVIII, 6), habentem in ascensu suo, quo ad cantica graduum venire contendit, tam sagittas acutas, quam carbones vastatores (*Psal.* CXIX, 4). Apud ipsos Daniel de mensa regis Babylonici pollui nolens (*Dan.* I, 8), quem et Gabriel facit intelligere visionem (*Dan.* VIII, 16). Apud ipsos pater Tobias, super flumina Babylonis sedens, flet, dum recordatur Sion (*Psal.* CXXXVI, 1), suspirans ad decoram civitatem Jerusalem: *cujus portæ ex saphyro, et smaragdo ædificantur, et ex lapide pretioso* (309); cujus murorum circuitus ex lapide candido; cujus plateæ sternuntur auro mundo; per cujus omnes vicos cantatur canticum lætitiæ, quod est, Alleluia (*Tob.* XIII, 21). Apud ipsos nobilis rex Ezechias; cujus oculi attenuati sunt, suspicientes in excelsum (*Isa.* XXXVIII, 14). Apud ipsos Josias, celeberrimum faciens phase; et prophetissam super invento libro, in domo Domini, humiliter consulens (*II Paral.* XV). Apud ipsos Jesus sacerdos magnus, templum reædificans (*I Esd.* III, 10); Esdras legem renovans (*I Esdr.* VII). Internus consolator. sic enim interpretatur nomen istud, quod est Nehemias, muros Jerusalem construens (*II Esd.* II, 17). Primusque adest ad sanctificationem; secundus ad eruditionem; tertius ad securitatem. Apud ipsos Mardochæus, adorare contemnens superbissimum Aman (*Esther* III, 2). Apud ipsos Holofernem perimens Judith (*Judith* XIII, 10). Apud ipsos Esther: cujus concupiscit rex decorem (*Esther* II, 17).

XIX. Apud ipsos nihilominus, ut ad tempora gratiæ veniamus, ingresso Zacharia in templum Domini apparuit Gabriel angelus, stans ad dextram altaris incensi (*Luc.* I, 11). Apud ipsos crescit puer Joannes, et confortatur, et est in desertis usque ad ostensionis suæ diem ad Israel (*Luc.* I, 80). Apud ipsos, *visis turbis, Jesus ascendit in montem* (*Matth.* V, 1). Apud ipsos, *in superiora ascendit Petrus, ut oravet* (*Act.* X, 9). Apud ipsos, rapitur Paulus ad tertium cœlum; rapitur et in paradisum, et audit verba quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII, 2). Apud ipsos, Apocalypsim suam Jesus Christus, quam dedit illi Deus palam facere, signat et mittit per angelum suum servo suo Joanni (*Apoc.* I, 1). Quis sapiens, et intelliget ista, et intelligens sciet hæc? Utique sapientes vos. Vos estis et intelligentes, quibus dedit Dominus intellectum in omnibus; quos et ipsa unctio docet de omnibus (*I Joan.* II, 27). Unde quia vobis, et propinavimus vestra, et non proposuimus nova, sed ad memoriam vobis revocavimus nota, arbitrati sumus sufficere, ut magis breviter tangeremus in superficie, quam ut foderemus profunde et exponeremus profuse. De longe quidem apprehendimus, et in longum produximus illum, ut eorum, qui veraciter claustrales sunt, fecundantem exercitii spiritualis singularem fructum magis recognosceretis, quam agnosceretis prærogativam.

XX. Nonne patet ex his, quod ex re nomen habet fluvius iste, quem ad claustrales asserunt pertinere: qui *fructum* sonat, ut jure de eo dicatur; *fluvius quartus ipse est Euphrates?* Sed si hæc, quæ de his fluviis dicta sunt, rejicienda non sunt, liquet aperte, pretiosum esse fluvium illum, qui in quatuor hæc capita dividitur. Liquet nihilominus nomen habere ex re, et illum voluptatis locum, de quo fluvius ille egreditur. Quis autem ille voluptatis locus? Sed jam longe superius diximus: vestrum quidem est, ne id mendaciter dixerimus. Quid post hæc dicit Scriptura? *Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis* (*Gen.* II, 15). Hoc tunc historialiter, hoc et hodie spiritualiter facit. Quis sit ille paradisus voluptatis, jam dictum est. Dictum est etiam, quis iste homo sit. Tulit ergo Dominus Deus hominem. Unde autem tulit, non dicit. Ubi vero posuit, non tacet; nam posuit in paradiso. Locus unde tulit eum, ipse nominatim non exprimitur; quia

(309) Add. v.: *Omnis circuitus murorum ejus.* Et deinceps: *Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur, et per vicos ejus alleluia cantabitur. Edit.*

Digitized by Google

diversa nimirum, et plerumque super numerum flagitia et facinora multiplicata sunt, a quibus eum tollit. Nomen itaque locus iste non habet; quia multoties, quantum ad nos, eum infra se nec numerus tenet. Nominari non debuit; quia nec nomine **337** dignus fuit, pro eo quod flagitiosus et facinorosus fuit.

XXI. Sed ad quid homo in paradiso positus fuit? *Ut operaretur et custodiret illum* (*Gen.* II, 15). O conversatio! o perseverantia! Utique in paradiso operatur, qui ordinate, in ordine conversatur. custodit vero, qui, quousque moriatur, in ordine moratur; ibi ne torpescat otiosus; hic autem, ne deficiat dissolutus. Sed caveat homo iste sibi a serpente, nam et ipse est in paradiso. Et quis ille, nisi quilibet pacis perturbator, unitatis divisor, pravi in conventu consilii seminator, prælatis inobediens, sociis semper nocens, odibilis plane per omnia Deo? Serpens iste, *homo* est *apostata, vir inutilis, qui graditur ore perverso, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et in omni tempore jurgia seminat* (*Prov.* VI, 12, 14). Hic ad interdictum esum pertrahit hominem, dum quoscunque potest, tam verbis quam exemplis contaminat; seminans inter fratres iras et inflationes, invidias et detractiones, malitias et indignationes, discordias et perturbationes: hos ad odia sociorum, illos vero pertrahens ad contemptum prælatorum. Quoties prævalet, singulorum cordibus venenum pestiferæ persuasionis infundens et ad id agendum, pro quo digni sunt, ut de paradiso ejiciantur, eos instigans. Et certe, qui facit hoc, maledictus est inter omnia animantia terræ (*Gen.* III, 14). Amissa rectitudine mentis, incurvatur ad ima, gradiens super pectus suum; et in omnibus operibus suis, terrena desiderans, cœlestia ex toto abjicit, comedens terram cunctis diebus vitæ suæ (*ibid.*). Sint perpetuæ inter ipsum et animam devotam inimicitiæ: nunquam sibi in aliquo negotio consentiant, semper nolit ista, quod vult ille. Quantumcunque virulentus blandiatur, mortiferum ei (etsi in principio, vel in medio non potuerit) utique in fine propinabit venenum, insidians calcaneo ejus (*ibid.*, 15). Idcirco ut has possit insidias mulier caute prævenire et plene præcavere, ipsum malitiosæ elationis suæ principium ad nihilum redigat, conterens caput ejus.

XXII. Eia, o nobis Deoque dilecti Patres et fratres venerandi, jam multa diximus, et dum nos delectat alloqui vos, et jam epistolæ modum excessimus. Suscipiat itaque magnitudo vestra cum charitate, quæ nostra protulit humilitas cum devotione: et si quid boni vobis in eo appositum est, cum quo et aliquid mali interpositum est; sic vestra, quæsumus, cautela devitare studeat spinam, ut cura quoque vestra excolere non negligat rosam. Sic etiam olfactui admoveatis quod fragrat, ut a tactu removeatis quod pungit. *De cætero, gaudete* in Domino; *perfecti estote, idipsum sapite, pacem habete* (*II Cor.* XIII, 11), Deo existentes devoti, proximis prompti, exhibentes vos prælatis obedientes, amantes invicem, tempus redimentes, ambulantes in una pace, ut ad unam requiem pervenire valeatis.

II.

Epistola venerabilis, ac illustris viri Joannis abbatis Ecclesiæ B. Dei Genitricis Mariæ de Kelchou ad Adamum canonicum transmissa, in qua eum adhortatur de scriptione tabernaculi Moysis, atque de ejusdem operis in tres partes distinctione.

I. *Dilectissimo, et in Christi membris honorando filio Adæ canonico Joannes abbas æternam in Domino optat salutem. Considerans, fili charissime, quam plures circa scientiam, qua divinarum notitiæ continentur Scripturarum, summo studio occupari; vehementer admiror intentionem, simulque approbo voluntatem, qua eam conantur omni diligentia consequi: decorum utileque sibi fore judicantes, si in ea, quantum valent, perfici studuerint. Hanc itaque præ cæteris, quæ ad inanem philosophiam pertinent, considerantes, mente supra se extolluntur, meditando quam sit delectabile eam adipisci; aliud intelligentes, dum eam in veritatis conspiciunt luce; aliud, dum eam sua in voluntate concupiscunt. Contemplantur namque perspicacius attendentes in luce veritatis, quam bonum sit tripliciter omnes Scripturas intelligere, universasque sine difficultate ad evidentiorem intelligentiam manifesto sensu explanare. Hæc quippe multum concupiscitur, quæ ita in animo, quasi in speculo videtur, atque accendit studia discentium, quatenus circa eam versentur, eique inhient in omni studio, quod tali consequendæ facultati impendunt, ut per eam promere possint, quod meditatione prænoscere videntur. Cum igitur hujusmodi nimia cupiditate æstuantes, quadam vi naturæ impellantur, ut discant, universarum mysteria Scripturarum se velle scire, evidentissime demonstrant. Hæc* **338** *enim circa eos aguntur, dum operibus sanctorum, qui Græcas et Hebraicas scripturas ad notitiam transtulerunt, summam diligentiam adhibent, admirantes constantiam eorum contra adversarios, tolerantiamque laborum propter eos, qui in catholica fide ab eis tunc temporis instruebantur.*

II. *Dum autem eis hora necessitatis incumbit, ut multa contra hæreticos secus quam catholica fides habeat dogmatizantes scriberent, eis divinarum auctoritate Scripturarum muniti obviam procedentes; plerumque quia pauci erant, disputando contra eos, diutius laboraverunt. Tandem super arenam multipli-*

Digitized by Google

cati sanctorum scriptis sacramentorum contra adversarios, et in catholica fide universalem Ecclesiam prœliati edocuerunt. Horum igitur doctrinam nonnulli modernorum pro posse imitantes, quasdam profanas novitates, quæ primo per [al. inter eos per] Arianorum sectam in domo Domini succreverant, frequentius eis in faciem resistendo, in desuetudinem abegerunt; memores illius præcepti, quo prohibetur nemus plantari (*Deut.* XVI, 21) in domo Domini, tandem per operationem divinam, sanctam Ecclesiam illius maculæ incontaminatam, excellentissimam reddiderunt. Ædificantes itaque sanctam Ecclesiam per hujusmodi occasiones, pravorum sectas irremediabiliter impedire non potuissent, nisi constanter contra eos proferendo divina eloquia, illis restitissent; scientes quod quanquam divina Scriptura in legendo sit eis aperta, in mysterio clausa sit omnino et occulta. Postquam autem sancti doctores in altitudinem Scripturarum, quasi in excelsum, per contemplationis vigorem ascendentes, usque ad ipsam Trinitatis majestatem spiritualiter pervenerunt, qualiter sancta Scriptura mystice intelligi debeat in utroque Testamento, satis lucide, quanquam non omnibus, tamen sensu perfectis, eorum expositionibus demonstratur.

III. Verumtamen quædam plerisque in locis summæ eruditionis viri quodammodo superficietenus tacta prætereuntes, modernorum exercitio hæc ad explananda reservarunt; et quasi ex industria, in campo Scripturarum quasdam spicas, post vestigia, minus plenas stantes colligere omiserunt, quatenus eas posteri, in tempore, triplici virga excuterent atque indigentibus ministrarent; ne circa sterilem philosophiam ineptius occupati, absque fructu laboris, in discussione bonorum operum, coram Patrefamilias omnino vacui apparerent. Unde quoddam, quo nonnulli moventur, exempli gratia profero. Cur in Exodo tabernaculum Moysis prætergredientes, excepto Josepho, et venerabili Beda presbytero, cum omnes interpretari et explanare Scripturas proposuerint, in hunc locum parum scripserunt? Cum autem circa sanctam Ecclesiam, et ea, quæ ad illam pertinere videntur, summa illorum intentio esset, mirum est, quare hunc locum ita prætergressi sint, cum idem tabernaculum in nonnullis, sanctam Ecclesiam elegantissime præfiguraverit. Attamen venerabilis Beda, doctor Anglorum, pauca super hoc tabernaculo, suæ diligentiæ indicia pandens, cum in omnibus scriptis suis, ita libens explanator existeret, ut more puerorum magistri, syllabicando, quæque exponeret fastidiosis lectoribus, de hoc scribens, non satisfecit.

IV. Quapropter, fili charissime, hoc opus, quod ab eis, velut omnibus æque patens, intactum fere omittitur, ad explanandum tuæ injungo mansuetudini, eo quod concupiscas salutare Domini, et lex ejus meditatio sit cordis tui. Amplectens ergo confidenter præceptum, quæ Dominus super hoc, per Spiritum suum, tibi ministrare dignabitur, in explanatione hujus tabernaculi, calamo famulante, manifesta. Tempus vacantius non quæras, dum quid futurum sit, penitus ignoras. Librum igitur, qui historiale tabernaculum complectatur, qualiter in re dispositum fuit per Moysen, legentibus demonstra, quem compones, ex veracissimis orthodoxorum Patrum dictis collectum; eumque in tres partes, capitibus prænotatis divides, unicuique parti sua proportione assignata. In hoc ergo, nullius sententiam contra Exodum inserens, ne per errorem in diversis multorum opinionibus aliquanto diutius immorari videaris, textum istius Exodi plerumque innecte: quatenus sic discurrente manifesta ratione, liber bene formetur, contraque æmulos Scripturarum congregentur testimonia; quod nondum « obstructum sit os loquentium iniqua (*Psal.* LXII, 12). » Prima igitur pars hujus libri, quis artifex fuerit ædificii, quibusve materiis illud vetus tabernaculum constabat quærentibus, vel scire volentibus, aperte indicet, totumque ædificium cum universis ad illud pertinentibus, intrinsecus, sive forinsecus evidentissime describat; singulisque proprio loco positis parietibus, per capita vectium conjunctis, ædificium extensio cortinarum cæterorumque tegumentorum novissime cooperiat.

V. Sed quoniam de medietate sexti sagi, qua duplicatio ad protegenda posteriora tabernaculi fiebat, a nonnullis quæstio oriri solet: de ipsa latius disputatio, in hac eadem parte libri, protendatur; præcipueque de craticula altaris, de qua tam apud Græcos, quam apud Latinos, maxima ambiguitas esse videtur. Quid autem super his diversi expositores senserint, contra multorum invectiones, quasi in testimonium congerere, non sit tibi onerosum, ut eorum **339** dentes contriti, et quasi quid oblatrent non habentes, in se ipsis retundantur, sententiisque multorum contra illos prolatis, sanctæ Scripturæ diutius insultare, omnino confundantur. Hæc igitur in prima libri hujus parte, propter eorum calumnias ponenda sunt, quatenus a primo limine expulsi, secretiora domus Domini, secundum præceptum legis, ingredi non valentes, procul a sanctuario, vel ob malam conscientiam recedunt, temeritatis propriæ discrimina secum ferentes.

VI. In textu autem secundæ partis, visibile tabernaculum in plano depingens, oculis intuentium, quantum potest per pictam similitudinem ostendi, illius formam ædificii exprime: intra Sancta sanctorum, vel simpliciter Sancta; ea cum omni diligentia ponens, quæ Exodus inibi fuisse describit, eo quod illi indubitanter credendum sit, licet non ab omnibus expresse intelligi possit quemadmodum sensus verborum accipiendus sit. Atrii vero tentorium intra castra, et ædificium super columnas extendens in gyrum, spatia et loca, in quibus filii Israel, in circuitu tabernaculi, castrametabantur, in pictura diligenter designa, quatenus indicium illius ædificii, per pictam similitudinem, habeant, qui qualiter id longis retro temporibus factum fuerat, scire desiderant.

VII. Depictis igitur omnibus, in ipsa eadem parte libri, mox ipsam picturam, eo quod sacra Scriptura infirmis sensu, secundum historiam, humilis videtur esse in verbis, per allegoricos sensus expone, ut lecto-

Digitized by Google

ris studium atque intellectus augeatur, et intuentis animus, et intelligentis per visibilem similitudinem a malo declinare doceatur, et per allegoricam significationem se ad modum Scripturæ adaptare videatur. Consequens enim est, ut qui per bonum exemplum a vitiis se abstinet, in bonis operibus se exercendo, virtutibus statim coruscet. In tertia vero parte, quæ superius dicta sunt, ad moralitatem retorquens, quid ædificationis intuentibus pictura conferat, mystica interpretatione ad mores corrigendos inclinare diligenter satage. Quilibet namque dum verba historiæ simpliciter narrat, quasi inchoando fundamentum ædificii jactat; et dum per allegoriæ exercitium mysteria historiæ pandit, in arcem fidei fabricam mentis extollit.

A VIII. *Novissime vero, qui ex utroque mysticum intellectum per contemplationem investigat, erectum ædificium diversis virtutibus per moralitatis gratiam, quasi distinctis coloribus ornat. Cum autem omnia secundum administrationem divini muneris vigilanter compleveris, hanc epistolam in fronte libri excusationis gratia præscribe, quatenus diligens lector agnoscat, non præsumptionis causa te hoc opus inchoasse, sed constrictum vi obedientiæ præcepto Patris paruisse. Sed quoniam oratio, ne prolixior sermo lectori fastidium generet, jam terminanda est. Hæc dicta sufficiant. Orantem pro nobis sanctam fraternitatem tuam, gratia superni Protectoris conservare, atque in bonis actionibus semper corroborare dignetur. Amen.*

III.

Epistola Adami canonici domino Joanni abbati illustri viro, de materiali fabrica tabernaculi Moysi transmissa.

I. Reverendissimo Domino, et Patri suavibus veræ B dilectionis ulnis, in Christo Jesu, amplectendo, Joanni frater Adam vestræ excellentiæ et servus humilis, et filius devotus, ab æterna damnatione eripi, et in electorum Dei grege numerari. Cum certum sit, pater dilecte et domine veneranda, unicuique corporaliter itineranti, ut ad locum quem adire desiderat, bene pertingere possit, viæ, qua illic itur, necessariam esse cognitionem : profecto nos, quotquot Spiritu Dei agimur, gloriantes in spe gloriæ filiorum ejus, qui ad illam supernam *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum* (*Psal.* CXXI, 3) pertingere exoptamus, eo ad plenum de recta via, quæ illo ducit, erudiri indigemus; quia constat, quod sine ejus ductu, ad prædictam civitatem pervenire funditus nequimus; C videlicet ut non solum non ignoremus, quo nobis perveniendum sit; sed et agnoscamus, qua in via eundum sit. Hæc autem universis, absque ulla exceptione justis, qui ex fide viventes (*Rom.* I, 17), ex spe, quæ non confundit, ex charitate, quæ nunquam excidit (*I Cor.* XIII, 8), salvati et succensi, diversis ab exordio mundi fuere temporibus, summa, et pene sola cura fuit, non tantum ut æternam patriam per fidem esse crederent, verum etiam ut illam, qua illo pertingitur, viam, et per scientiam evidenter agnoscerent, et in agnita, quousque pervenirent, infatigabiliter per devotionem currere non cessarent.

II. Hinc quoque unus eorum cum magno desiderio orabat, dicens. *Notam fac mihi viam, in qua ambulem; quia ad te levavi animam meam* (*Psal.* CXLII, 8). Ad te, inquit, levavi animam meam, et ideo notam fac mihi viam, in qua ambulem. Ac si diceret: **340** Quia, te mihi præmonstrante, jam scio, quo tendere debeam; notam, quæso, fac mihi viam, in qua ambulem : ut sicut jam scio, quo mihi pervenire sit bonum, sic quoque non nesciam, quod iter aggredi sit securum. Hinc ad discipulos Dominus : *Quærite*, ait, *primum regnum Dei, et justitiam ejus* (*Matth.* VI, 33). Regnum Dei, veritas; justitia ejus, bonitas est. In his duobus recta consistit, quæ ad æternam ducit patriam, via in agnitione veritatis, et in amore bonitatis, quatenus et verum eligamus et bonum diligamus. Sicque fit, ut efficiamur et lucidi, ne per ignorantiam seducamur, et devoti, ne per malitiam corrumpamur; nacti profecto et in veri agnitione prudentiam serpentinam, et in boni dilectione simplicitatem columbinam. Hæc, inquit, duo: primum quærite regnum Dei, et justitiam ejus : quærite ut hæc vobis dentur, et cætera vobis omnia non jam dabuntur, sed adjicientur.

III. Ex his duobus unum in anima humana clarificat intellectum; alterum vero inflammat affectum; ut consequenter membra etiam corporea ipsa anima moveat ad bonum affectum. Sicque in his tribus, in intellectu videlicet claro, in affectu devoto, in effectu bono, hominis consistit meritum, per quod adipiscitur præmium; habente eo, et in merito, per quam eat viam; et in præmio, ad quam perveniat vitam. Sed ejus via recta, veraque vita ille solus existit, qui ad suam eum imaginem et similitudinem creavit. Sicut enim ejus causa fuit, ut qui non fuit, conderetur : sic ei est et via in humanitate, ut perditus redimatur; et vita in divinitate, ut redemptus beatificetur; accipiente eodem homine trinum a D trino Deo suo beneficium : primum a creante, ut ab ipso sit; secundum a redimente, ut per ipsum sit; tertium a glorificante, ut in ipso beate sit; quia, ut ait Apostolus, *ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia* (*Rom.* XI, 36). Ipsi et gloria, a quo exordium, per quem meritum, in quo præmium habemus.

IV. Hujus quoque rectæ viæ, hujus et beatæ et beatificantis vitæ sancta Scriptura specialis quædam

Digitized by Google

monstratrix existit, et de utraque hominem evidenter instruit. Pura namque et assidua ipsius lectio homini, de Creatore, Redemptore, Glorificatore suo Deo; et de his, quæ ad eum pertinent, intellectum infundit: intellectus vero affectum parit; affectus quoque ad effectum se extendit; sicque veraciter sciens, ardenter amans, utiliter operans, meritum acquirit in via, per quod ad præmium pertingit in vita. Quæ cum ita sint, et ratio consulit, et utilitas suggerit, et necessitas cogit ut sacræ Scripturæ eo innixius insistere studeamus, quo certius, per quam nobis tantum conferatur bonum, eam esse, non ignoramus. Hujus liber intus scriptus, et foris, lamentationes, et carmen, et væ scripta in se habet (*Ezech.* 2, 9). Hujus, rotis volubilibus, quæ cum sanctis animalibus et euntibus eunt, et stantibus stant, et elevatis a terra elevantur, statura, est altitudo, et horribilis aspectus (*Ezech.* 1, 21). Hæc enim, ut verbis Gregorii (310) mellifluis utar, mentis nostræ oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in eo videatur. Ibi etenim fœda, ibi et pulchra nostra conspicimus. Ibi sentimus quantum proficimus; ibi quam longe a profectu distamus. Narrat autem gesta virorum, et ad imitationem corda provocat infirmorum; fitque verbis illius, ut eo minus mens inter certamina trepidet, quo ante se positos tot virorum fortium triumphos videt. Nonnunquam vero non solum nobis eorum virtutes asserit, sed etiam casus significat; ut et in victoria fortium, quod imitando arripere; et rursum videamus in lapsibus, quod debeamus timere. Ut nimirum majorum virtus spem nostram foveat, et majorum casus ad cautelam nos humilitatis accingat: quatenus, dum illo gaudentes sublevant, ista metuentes premant, audientis animus illinc spei fiducia, hinc humilitate timoris eruditus, nec temeritate superbiat, qui formidine premitur; nec pressus timore desperet, qui ad spei fiduciam virtutis exemplo roboratur. Hujus etiam licet magna et admirabilis sit admodum profunditas: licet verbis nonnunquam perplexa, et sacro tecta velamine suarum sit sententiarum subtilitas; in sui tamen cognitione, sic sensus admittit perspicaces, ut ex toto non repellat simplices: exhibens nimirum in se, et unde illos reficiat, et unde istos lactet; ut abunde in ea reperiri possit, et quod robustus comedat, et quod infantulus sugat. Occulta namque, ut ita dicam, manifestatione, et manifesta quadam occultatione, una tamen in se, eademque semper existendo, se variat; tali quidem et humilitate majestatem suam inclinans, et majestate suam humilitatem sublimans: **341** ut fluminis se cujusdam non profundæ quodammodo profunditati assimilet, in qua agnus, licet minimus, ambulare facillime valeat; et elephas, quamvis immensus, vix natare sufficiat.

V. Cum igitur una in se eademque semper sit, et a se nunquam per contrarietatem discordet, sed una sit facies eloquiorum castorum, diversas pro captu legentium, parit intelligentias: et modo incipientes, et teneros lacte quodam potat historiæ; modo autem, in fide proficientes, pane cibat allegoriæ. Modo etiam, bonis operibus strenue insudantes, solido reficit cibo tropologiæ; modo denique ab imis per contemptum terrenorum suspensos, et ad summa, per cœlestium desiderium, provectos, in sensu anagogico, vino theoricæ contemplationis inebriat. Cumque cæteris tribus suis sensibus, ad intelligendum historia et facilior esse soleat, et apertior, plura tamen in ea nonnunquam diligens lector invenit latere secundum sensum historialem, et patere secundum spiritualem; ut magis aliquando caligare necesse sit, in videndo campi planitiem, quam nemoris densitatem. Ut enim exempli causa de multis proferatur unum, in factura et dispositione tabernaculi; quod apud illum antiquum Dei populum, in deserto quondam factum est plura leguntur, quæ plerisque facile patent in spirituali significatione, et eos tamen latent in rei gestæ veritate, ut mirabili modo, et valde inusitato sorbendo possint sumere cibum, et non nisi masticando sufficiant sumere potum.

VI. Quia vero nonnulli modernorum, quomodo idem tabernaculum in re factum fuerit et dispositum nequaquam deprehendunt: ut aliquid de hac re ego quoque, licet mihi et acumen ingenii, et nitor desit eloquii, scribere deberem, veneranda auctoritas vestra parvitati meæ dignata est præcipere, ut merito debeam et expavescere cum stupore, et obstupescere cum pavore, dum in his nostris diebus tam evidenter video sanctum Moysen, *qui in omni Dei domo fidelissimus est* (*Num.* XII, 7), et Jethro consilium humiliter audire (*Exod.* XVIII, 1), et Obab Raguelis filium in ducem itineris eligere; cum dubium ei non sit, ipsum Deum et ore ad os loqui ad eum, sicut loqui solet homo ad amicum suum (*Deut.* XXXIV, 10): et in columna semper præcedere populum ad providendum castrorum locum (*Exod.* XIII, 21). Quis enim inter omnes sapientes, qui in hac terra sunt, vobis hac in re, non dico, præferendus, sed vel æquandus esset, si vos his intendere suscepti a Deo regiminis negotia sinerent? Qualiter de hoc scribere deberem, vestra me paternitas ad plenum instruxit, ut quodammodo etiam in me eo facilius Salomon templum construere posset, quo plenius ei pater suus David, et quomodo construi deberet, ostendit (I *Par.* XXII, 8): et quæcunque ei in ædificatione necessaria forent, præparare et conferre intendit. Vestra igitur, mi pater dilecte, et præceptione compulsus, et eruditione instructus, et consolatione animatus: jactato cogitatu meo in illo qui *aperit ora mutorum, et linguas infantium facit* esse *disertas* (*Sap.* X, 21), studio animum, et calamo applicui manum; et quæ mihi super hoc per spiritum suum ministrare dignatus est, litteris expressi. Non solum autem, quomodo visibile illud Moysi tabernaculum

(310) Greg. *Mor.* lib. II, c. 1.

Digitized by Google

in re factum fuerit et dispositum, ostendere conatus sum; verum etiam, quid tam idem tabernaculum, quam ea, quæ ad illud pertinebant, juxta significationem allegoricam et tropologicam, innuant explicare, juxta præceptum vestrum, pro posse aggressus sum. Præcepit namque mihi paternitas vestra, ut ostendere conarer, non solum quidem quid in historia esset admirandum, verum etiam quid in allegoria perfectæ fidei credulitate venerandum, et in tropologia per bonæ conversationis sanctitatem foret imitandum.

VII. Præterea picturam quamdam, sicut vestra jussit paternitas, quæ veteris illius tabernaculi formam secundum aliquem modum repræsentat, feci: ut etiam per corporalem possint aliquatenus conspici visionem, quæ et de communi electorum Ecclesia intelligi debent per fidem, et in singulis electis construi per meditationem. De altaris vero craticula, de qua tam apud Græcos, quam apud Latinos magnam dicitis esse ambiguitatem, meam opinionem dicere non præsumpsi; sed quid de ea viri, qui longe me ætate, scientia et vita præcesserunt, non modo dixerint, sed et in scriptis suis reliquerint, in medium ponere curavi, superfluum æstimans in sole accendere lucernam. Verum de medietate sexti sagi, qua duplicatio ad protegenda posteriora tabernaculi fiebat, latam secundum jussum vestrum, disputationem protendi, et utrum Judæorum super hoc sententiam, an Bedæ Venerabilis accipiendam existimem opinionem, in loco suo evidenter ostendi. Hoc autem summopere lectorem meum scire volo; quia quamvis in tabernaculi hujus descriptione materiali totam rei gestæ veritatem prodendo, dubitationem omnimodam, vel quæstionis occasionem ex toto ei non abstuli, in ea tamen aliquid asserendo, quod eadem rei veritas non habet falsitatem, atque mendacium in quantum decernere scivi, devitare procuravi: ut si in plena veritatis **342** luce currere non possem, in densitate saltem tenebrarum ex toto cæcus non remanerem. Ut enim securius et evidentius tam de tabernaculo sanctæ Ecclesiæ, quod est in allegoria, quam de cordis humani tabernaculo, quod est in tropologia, tractare valerem: primum quomodo vetus illud Moysis tabernaculum in re factum fuit, vel dispositum, in quantum et ex dictis libri Exodi, unde prima ad nos hujus rei emanavit agnitio; et ex libro Venerabilis Bedæ presbyteri, in quo allegorica ipsius super idem tabernaculum continetur expositio, conjicere, et capere potui, demonstravi. Quanto enim fortius, ut ita loquamur, in domo libri nostri fundamentum suppositum esset, tanto securius ejus et parietes erigi, et tectum valeret superponi. Primum itaque verba Exodi, tam ea, in quibus de eodem tabernaculo adhuc faciendo sanctum Moysen Dominus alloquitur, quam quæ, cum jam ædificatum esset, libri ejusdem auctor compendiose repetit, posui; deinde, quomodo intelligentiæ meæ Venerabilis Bedæ presbyter assentiat, ostendere volens, ejusdem etiam, quam super prædicta verba Exodi ponit, ipse quoque sententiam annectere curavi; sed et viri cujusdam honesti et docti, quoties opus fuerit verba ponere, non omisi; librum præterea istum in tres partes, ut vestræ Paternitatis præcepit auctoritas, distinxi. Prima pars tractat de factura et dispositione materialis et visibilis tabernaculi Moysis. Secunda de pictura agit ejusdem tabernaculi, et de allegorica ejusdem significatione. Tertia vero de significatione ejus morali.

VIII. Inter cætera enim de quibus sacra Scriptura loqui consuevit, præcipue hæc tria tabernacula sunt: tabernaculum istud materiale et visibile, tabernaculum sanctæ Ecclesiæ, tabernaculum humanæ animæ. Primum est tabernaculum Moysis, et est in re; secundum Christi, et est in recta sanæ fidei credulitate; tertium est Spiritus sancti, et est in interna defæcatæ mentis puritate. Primum factum est in monte Sinai, de quo agit historia, quod admiremur; secundum in latitudine mundi, de quo loquitur allegoria, quod veneremur; tertium in puritate animi, de quo tractat tropologia, quod imitemur. Per gyrum tabernaculi primi, duodecim sunt tribus filiorum Israel; per gyrum secundi, duodecim apostoli: per gyrum vero tertii, duodecim, quas Apostolus commemorat, virtutes: *Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* (*Gal.* v, 22). *Faciamus*, ait Apostolus, *tria tabernacula* (*Matth.* xvii, 4). Sunt itaque hæc tria tabernacula. Primum est tabernaculum fœderis; secundum sancta Ecclesia; tertium est anima humana. Unde, quia de his tribus, in hoc loco, tabernaculis loquor, eum *de Tripartito tabernaculo* censui intitulandum, nisi forte vobis aliud fuerit visum. De factura itaque, et dispositione materialis tabernaculi, in prima parte loquens, hoc volo, ut lector meus absque omni dubio sciat, quod verba libri Exodi, et Venerabilis Bedæ presbyteri, diligenter et sollicite secutus sum, et nihil eis contrarium in aliquo me dixisse conscius sum. Quando vero nec textus libri Exodi, nec Bedæ Venerabilis, nec Josephi, nec illius verba, de quo superius breviter tetigi, cujus et vitam religiosam, et doctrinam non ignoro fuisse catholicam, plenam mihi forte rei gestæ veritatem ostenderunt: tunc demum, quod mihi visum est, simpliciter posui: cavens quidem, ne id, quod hoc modo dixi, pro certo affirmarem; sed tantum conjecturam meam, et simpliciter in medium proponens, et utrum rata esse debeat, an irrita, eorum, qui plenam super his veritatem sciunt, judicio humiliter relinquens. In parte quoque secunda ipsum tabernaculum, et quædam eorum, quæ ad illud pertinebant, in planitie depinxi; nec tamen per picturam hanc, quomodo in re factum fuerit et dispositum, plene demonstravi; sed qualis ejus factura et dispositio fuerit, ex parte aliqua ostendi. In qua pictura coram posita idcirco non multa; sed admodum pauca de allegorica ejusdem tabernaculi dispositione volui notare, quia quo-

Digitized by Google

modo hæc omnia allegorice intelligenda sint, in dictis sanctorum Patrum, et maxime in libro Venerabilis Bedæ presbyteri, quem de tabernaculo juxta sensum allegoricum composuit, potest qui legere voluerit, copiose reperire. Quædam tamen assumptis undecunque ex dictis Patrum orthodoxorum seminibus rationum et originibus causarum, quæ mihi auctor lucis revelare dignatus est, huic de qua loquor, picturæ inserui: quæ utrum recipienda an rejicienda sint, lectoris decernet examen.

IX. Si autem me in hoc, et per hoc jure culpandum quisquam asserere voluerit, sciat a Bethleemita Booz Ruth meæ non solum licentiam clementer indultam; sed etiam jussionem firmiter datam: ut omni postposito agro altero, in suo, qui fecundissimus non dubitatur, spicas remanentes, quæ metentium manus fugerint, colligat (*Ruth.* II, 2); ex quibus cum triplici virga, ut vestra Paternitas scribit, fuerint excussæ, pulchram suam eo sollicitius alat, quo magis vacua, **343** et amara de regione Moab rediit: ut et plena in domo panis, et læta sit in terra confessionis, quam jejunam esse non vult misericors Booz in domo sua, ne deficiat in via. Gratias tibi, o bone et benigne Booz, qui tuis dignaris præcipere messoribus, ut si cum eis metere voluerit Ruth, non prohibeant, sed de suis magis projiciant manipulis, ut absque rubore colligat et colligentem nemo corripiat (*Ruth.* II, 15). Unde liquido patet, quod nec tecum, nec cum messoribus tuis sentiunt, qui in me Ruth spicas colligentem, corripiunt; dum et tu concedis, ut metat, et isti reprehendunt, si colligat. Præterea magnus erat messor in agro illius superni Booz; qui suadenti Josue, ut Heldad, et Medad prophetare in castris prohiberet, respondit: *Quid æmularis pro me?* (*Num.* II, 27.) Et addidit: *Quis mihi det, ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum?* (*ibid.*, 29.) Ut enim Venerabili Bedæ presbytero reverendissimus quondam Acca episcopus scripsit: *Nunquam sanctis moris fuit invicem invidere, invicem provocare; sed unumquemque, in ornanda domo Domini, pro viribus suis obtulisse, quod potuerit.* Et post pauca. *Quin etiam, ut ait beatus Augustinus, ideo necesse est, plures a pluribus fieri libros diverso stylo, sed non diversa fide: etiam de quæstionibus eisdem; ut ad plurimos res ipsa perveniat: ad alios sic, ad alios autem sic.* Et hæc paucis per excelsum dicta sint, ne subsannantibus nos æmulis nostris, omnino tacuisse videamur: qui nostra nonnunquam opuscula, quæ etiam laudando in occulto legunt, instigante tamen invida superbia, et superba invidia, in publico reprehendendo contemnunt.

X. In tertia quoque hujus libri parte moralitati incubui; et sententiarum distinctiones, quæ ad eamdem pertinent moralitatem, sicut et earum, quæ spectant ad allegoriam, per gradus, sive picturas, aut etiam per colorum varietates, in pictura ipsius tabernaculi notavi. De quibus videlicet gradibus et picturis, atque colorum varietatibus, hoc lectori summopere sciendum est, quod in illo visibili Moysi tabernaculo, omnino quidem non fuerint, sed quia de tribus in hoc libro tabernaculis tractavi, ipso libro in tres partes, prout ratio exigit, diviso, unicuique parti tabernaculum suum adaptavi; in pictura quoque visibili tales picturas et colores posui, quibus utriusque spiritualis tabernaculi, allegorici videlicet et tropoligici spiritualitas congruentius possit denotari. Quem quidem librum, quia jam, si non ut debui, tamen ut potui, utcunque explevi, vobis, cujus præcepto eum scribere aggressus sum, una cum pictura transmisi, obnixe deprecans vos, ut in quibus via regia incessi, et in quibus ab ea forte declinavi, vestra diligenter sagacitas attendat; quatenus auctoritas vestra sic bene dicta mea confirmet, ut etiam errata inemendata non relinquat. Et quia secunda et tertia hujus libri pars pertinent ad picturam, extensa coram vobis ipsa pictura, utramque præfati libri partem competenter legi facietis: ut percipientes et lecta auditu, et depicta aspectu, librum et picturam simul coaptetis. Quod si mussitaverit quis, quia ad sapidas sedenti epulas, insipidum meæ paupertatis olusculum appono, vos nimirum in jus vocabimini, qui illud desiderastis, non ego, qui dedi; vos, qui præcepistis, non ego, qui præcipienti obedivi. Memorem mei sanctam paternitatem vestram, per dilectum unicum suum, in Spiritu sancto Deus omnipotens Pater custodiat; ut ope misericordiæ suæ adjuta, et a peccato sit semper libera et ab omni perturbatione secura. Amen.

DE TRIPARTITO TABERNACULO

PARS PRIMA.

DE TABERNACULO MOYSIS IN SENSU LITTERALI.

344 CAPUT PRIMUM.

De difficultate tractandi de materiali factura et dispositione tabernaculi Moysi.

I. Quia vestræ, Pater venerande, placet excellentiæ, ut qualiter vetus illud tabernaculum Moysi in re factum fuerit et dispositum, nos quoque ostendere conemur: oportet nimirum devotis vos precibus summum illum ac verum Artificem exorare: qua-

Digitized by Google

tenus vestrum etiam Beseleel, quo vel aliquantulam tantæ rei ostensionem effundere possit Spiritu sancto replere dignetur. Scit enim evidenter paternitas vestra nullum omnino hominum hoc in tempore esse, qui prædictum ædificium corporali videderit aspectu, ac per hoc mirum non esse, si in corporali ejus factura et dispositione nos quoque caligemus. Quod si dixerit, quis ex libri Exodi dictis prædicti tabernaculi facturam et dispositionem materialem plene nos conjicere posse : sciat mirum non esse, si præfati libri verba nequaquam nos plene juxta litteram intelligamus, cum nonnulli doctores eximii longe a nobis tam sanctitate vitæ, quam sublimitate scientiæ remoti, diversa super eorumdem verborum intellectu litterali sensisse inveniantur.

II. Ut enim de multis pauca proferamus : Pater et advocatus noster, doctorque ecclesiæ incompabilis Aurelius Augustinus multis in locis, ut asserunt, qui legerunt, altare thymiamatis intra velum dicit fuisse, cum Josephus, et omnes fere sanctæ Scripturæ expositores illud inter candelabrum et mensam propositionis extra velum contra arcam testamenti positum fuisse affirment. Dicit præterea idem reverendissimus doctor, quod singulis tabulis, quæ in tribus tabernaculi parietibus erant, non binæ bases supponebantur; sed quod una basis tabulæ supponebatur, alia superponebatur : ut basis superior quasi capitellum esset, cum evidenter dicat Scriptura, duas singulis tabulis per duos angulos bases suppositas fuisse, dicente Domino ad Moysen : *Binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur* (*Exod.* xxvi, 16). Et item : *Duabus basibus per unam tabulam supputatis* (*ibid.* 25). Venerabilem etiam Bedam presbyterum, doctorem Anglorum, non solum diligentem verbi Dei scrutatorem, sed et veracem fuisse expositorem quis nesciat? Ab eodem tamen doctore in extensione cortinarum et sagorum ad operiendum tabernaculi tectum, et sexti sagi in fronte tecti duplicatione magister Andreas multum dissentit.

III. Hæc vobis, Pater charissime, ideo dixerim, ut cogitetis non esse mirum, si ego succumbo, dum tam grave infirmis meis cervicibus onus imponitis; et si in illius solis radiis ego talpa caligem, in quibus tales, tantæque aquilæ caligare inveniuntur. Igitur quia de materiali factura et dispositione tabernaculi meam prodere insipientiam impellor, primum quidem quantum capere potero, ostendere studebo, qualiter tres tabernaculi parietes ex tabulis constabant, qualiterque eædem tabulæ ad invicem erant conjunctæ. Secundo vero quomodo etiam **345** tabulæ connexæ et firmatæ, et parietes cum introitu erant erecti. Tertio qualiter prædicti parietes cortinis et sagis, pellibusque rubricatis et hyacinthinis fuere cooperti. Cumque hoc modo fuerit tabernaculum perfectum, de his, quæ intra illud, et exterius erant circa illud, prout conjicere potero, tractare tentabo.

CAPUT II.

De tabulis trium parietum tabernaculi, de basibus earumdem tabularum, et de incastraturis earum.

IV. Dixit Dominus ad Moysen : *Facies tabulas stantes tabernaculi de lignis setim, quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, et in latitudine singulos ac semissem. In lateribus tabulæ duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur. Atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur. Quarum viginti erunt in latere meridiano, quod vergit ad austrum, quibus quadraginta bases argenteas fundes, ut binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur. In latere quoque secundo tabernaculi, quod vergit ad aquilonem, viginti tabulæ erunt, quadraginta habentes bases argenteas. Binæ bases singulis tabulis supponantur. Ad occidentalem vero plagam tabernaculi facies sex tabulas, et rursum alias duas, quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi, et erunt conjunctæ a deorsum usque ad sursum, et una omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis, quæ in angulo ponendæ sunt, similis junctura servabitur, et erunt simul tabulæ octo : bases earum argenteæ sedecim duabus basibus per unam tabulam supputatis* (*Exod.* xxvi, 15 et seqq.).

CAPUT III.

Ex libro Exodi de eodem.

V. *Fecit tabulas tabernaculi de lignis setim stantes. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ unius, et unum ac semis cubitum latitudo retinebat. Binæ incastraturæ erant per singulas tabulas, ut altera alteri jungeretur. Sic fecit in omnibus tabulis tabernaculi : e quibus viginti ad plagam meridianam erant contra austrum, cum quadraginta basibus argenteis. Duæ bases sub una tabula ponebantur ex utraque angulorum parte, ubi incastraturæ laterum in angulis terminantur. Ad plagam quoque tabernaculi quæ respicit ad aquilonem, fecit viginti tabulas, cum quadraginta argenteis basibus, duas bases per singulas tabulas. Contra occidentem vero, id est, ad eam partem tabernaculi, quæ respicit mare, fecit sex tabulas, et duas alias per singulos angulos tabernaculi retro, quæ junctæ erant a deorsum usque ad sursum, et in unam compaginem ferebantur. Ita fecit ex utraque parte per angulos, ut octo simul essent tabulæ, et haberent bases argenteas sedecim, binas scilicet bases sub singulis tabulis* (*Exod.* xxxvi, 20 et seqq.).

CAPUT IV.

Expositio litteralis capitis præcedentis.

VI. Sicut ex his, quæ in Exodo scripta sunt conjicere possum, tabernaculum quod in deserto constructum est, ex tribus constat parietibus : australi videlicet, septentrionali, et occidentali. In parte vero orientali, ubi et introitus fuit, paries non erat; sed ab australi parte usque ad septentrionalem vectis quidem tendebatur, ubi pendebat tentorium ante quinque columnas appensum. De qua parte orientali latius in sequentibus dicendum est. Tres enim præfati parietes ex tabulis constabant factis quidem de lignis setim, sed ab utroque latere, ut in se-

Digitized by Google

quentibus legitur, deauratis : quarum viginti erant in pariete australi, et totidem in septentrionali, et in occidentali octo. Sub singulis vero tabulis duæ erant bases argenteæ, et fusiles per duos singularum tabularum angulos suppositæ, quatuor digitis, ut scribit Josephus, altæ a terra. In lateribus etiam uniuscujusque tabulæ duæ incastraturæ erant, quibus tabula alteri tabulæ connectebatur. Idem vero Josephus dicit, quod singulis tabulis bini erant cardines immissi per duas bases, quæ erant argenteæ, et suis foraminibus tabularum cardines suscipiebant. Itaque unaquæque tabula duos habuit angulos, per quos duæ ei bases fuerunt suppositæ, et in eisdem angulis incastraturæ laterum terminabantur, quibus unaquæque per circuitum trium parietum tabula, alteri fuit tabulæ connexa. .

346 VII. *Sed harum incastraturarum figura*, ut Beda Venerabilis dicit, *videri non potuit, quando et compago tabularum regulariter ordinata, et ipsum tabernaculum erectum fuit. Attamen per hos incastraturarum nexus omnes tabernaculi parietes ad invicem copulatos fuisse, ipsa parietum firma stabilitas ostendebat.* Quantæ autem longitudinis uterque paries, australis videlicet et septentrionalis fuerit, Scriptura quidem aperte non dicit; sed tamen ex mensuris latitudinum tabularum, ex quibus iidem constabant parietes, possumus hoc evidenter perpendere. Dum enim constat, quod uterque paries ex viginti constabat tabulis, et unaquæque tabula in latitudine cubitum habebat, et dimidium, et in longitudine cubitos decem : patet nimirum quod uterque præfatus paries, et in longitudine cubitos triginta, et in altitudine habuit decem, quia latitudines tabularum parietum faciebant longitudinem, et tabularum longitudines parietum faciebant altitudinem. Habuit ergo tabernaculum in longitudine cubitos triginta, et in altitudine decem et decem in latitudine.

VIII. De his vero incastraturis, et de longitudine domus, et de binis basibus, quæ sub singulis tabulis positæ erant, vir quidam vitæ venerabilis et diligens verbi Dei scrutator ita juxta litteram scribit : *Unaquæque tabula tabernaculi in utroque latere incastraturam, id est, valliculam et cavaturam quamdam habebat, et ita artificiose per hujusmodi cavaturas invicem sese recipiebant et jungebant, ut quasi unum et continuum lignum omnes viderentur, simulque in utroque latere domus viginti tabulæ essent, et singulæ unius, et semis cubiti erant; patet quod longitudo tabernaculi triginta cubitorum erat. Bini cardines singulis tabulis in inferioribus suis versus terram intererant, et singulis cardinibus singulæ bases suppositæ erant.* Augustinus tamen dicit quod non ex una parte singulis tabulis binæ bases supponebantur ; sed una basis tabulæ supponebatur, alia superponebatur, basim pro capitello accipiens. Sed littera contraria videtur quæ dicit, ut *binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur* (*Exod.* XXVI, 19). Hæc ille.

IX. De illis vero octo tabulis, quæ occidentalem faciebant parietem, hoc nobis sciendum est, quod non omnes cum tabulis aliorum parietum eamdem in latitudine intra ipsos parietes habuere mensuram: si enim singulæ tabulæ hæ intra parietes cubitum et dimidium haberent in latitudine, sicut singulæ aliorum parietum habuerunt, jam non decem cubitos solummodo tabernaculum habuisset in latitudine, imo duodecim; quia octo cubiti pleni et octo dimidii duodecim efficiunt. Quid ergo de latitudinibus harum octo tabularum dicendum est, nisi quod sex quidem tabularum unaquæque in latitudine cubitum habebat et dimidium; septima vero et octava, id est, illæ duæ, quæ in angulis occidentalis parietis ponebantur, non tantum cubito carebant, et dimidio in latitudine; sed nec unum plenum intra parietes habebant cubitum, sed tantum dimidium? Et liber Exodi quidem omnes has tabulas cum aliorum parietum tabulis, sicut non asserit, ita nec negat eamdem in latitudine habuisse mensuram ; sed Josephus occidentalis parietis tabulas angulares ex medio dicit cubito sectas. Ait enim : *Posterioris parietis novem cubitos sex tabulæ faciebant, quibus conjunctæ sunt aliæ duæ tabulæ ex medio cubito sectæ, quas angulares posuerunt ad instar majorum tabularum.*

X. Et quamvis liber Exodi easdem angulares tabulas non aperte, ut Josephus, ex medio dicat cubito sectas, per hoc tamen quod separatim de eis tractat, occulte fortasse nobis innuit non eamdem eas cum cæteris sex tabulis intra parietes in latitudine habuisse mensuram. Sic enim in prædicto libro legitur ; *Ad occidentalem plagam tabernaculi facies sex tabulas, et rursum alias duas, quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi* (*Exod.* XXVI, 22, 23). Item : *Contra occidentem fecit sex tabulas, et duas alias per singulos angulos tabernaculi retro* (*Exod.* XXXVI, 27, 28). Prius ergo de sex tabulis, quæ erant in medio, et postea de duabus, quæ in angulis erant, facit mentionem ; ut sic fortassis nos faceret intelligere, et alterius intra parietes quantum duntaxat ad latitudinem pertinet, fuisse mensuræ illas duas, et alterius istas sex. Huic vero sententiæ meæ concordare, ni fallor, videtur quidam, qui de tabulis parietis occidentalis loquens, et id quod in Exodo dicitur, alias duas, quæ in angulis erigantur, **347** juxta litteram exponens, ita dicit : *Alias has dicit forsitan, quia alius quantitatis erant secundum Josephum, quam reliquæ ; singula enim erat semis cubiti.* Alias vero ejusdem parietis tabulas secundum quantitatem tabularum, quæ in latere erant, fuisse certum est. Eadem consimilisque junctura omnes colligavit.

CAPUT V.

Verba Venerabilis Bedæ presbyteri super caput istud.

XI. Erat tabernaculum domus Domino consecrata, habens longitudinis cubitos triginta, latitudinis decem, altitudinis æque decem : tectum habens æquale

Digitized by Google

per totum, quomodo in Palestina domos ædificandi moris est; cujus quidem parietes tres: australis, septentrionalis, et occidentalis, de tabulis sunt compacti ligneis ab utroque latere deauratis. Ligna setim, de quibus tabernaculum fiebat, imputribilis naturæ sunt, eximii candoris et levitatis, ac non multum ab alba spina, nisi tantum magnitudine distantia. Unde et Hieronymus nonnunquam in libro Hebræorum nominum, sicut et aliis opusculis suis setim spinas absolute interpretatus est, verbi gratia: Abel setim lucidus spinarum. Non autem facile hoc genus ligni, nisi in desertis Arabiæ, ubi tabernaculum ædificaretur, solet inveniri. Unde et Græci et Latini interpretes nomen ei aliud, præter Hebræorum, ponere nequiverunt. Quamvis quidam qualitatem naturæ ejus exprimere volentes, ligna imputribilia transtulerunt: utpote cujus apud eos nulla notitia erat.

XII. Porro pro orientali pariete unus vectis erat, unde et introitus fuit, qui per medias tabulas ab angulo usque ad angulum perveniret, id est, a summitate ultima hujus parietis usque ad alterius parietis summitatem, cui cortinæ tabernaculi, et tectum incumbere possent, ubi tentorium erat quinque columnis suspensum. Quanta fuerit longitudo tabernaculi, specialiter non exprimitur; sed ex eo innuitur, quod parietes ejus ex viginti tabulis esse, et hæ singulæ singulos cubitos ac semissem latitudinis habuisse perhibentur. Viginti namque cubiti, et vicies semis cubiti triginta cubitorum summam complebunt; quam fuisse tabernaculi longitudinem, Josephus scribit. Tabulæ omnes tabernaculi in alterutrum per incastraturæ nexum copulabantur. Et quidem erecto tabernaculo, ac regulariter ordinata compage tabularum, figura incastraturarum non cernebatur. Quanta tamen virtute tabulas sibimet coadunaverit, ipsa parietis inconcussi firma stabilitas ostendebat. Binæ vero bases singulis tabulis per duos angulos subjiciebantur, ut bene diffultis angulis tota recte et indeclinabiliter posset tabula consistere. Scribit vero Josephus, quod tabulæ tabernaculi mensura quatuor digitorum fuerunt a terra suspensæ. Ex quo videtur velle intelligere, quod tantæ altitudinis factæ fuerint ipsarum bases tabularum.

CAPUT VI.

De trium parietum vectibus, de connexione et erectione eorumdem parietum. De tentorio introitus, et ejus quinque columnis. De velo ante Sancta sanctorum, et quatuor columnis ejus.

XIII. Dixit Dominus ad Moysen: *Facies vectes de lignis setim: quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi, et quinque alios in altero ejusdem numeri ad occidentalem plagam, qui mittentur per medias tabulas a summo usque ad summum. Ipsasque tabulas deaurabis, et fundes in eis annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant, quos operies laminis aureis, et eriges tabernaculum juxta exemplum, quod tibi in monte monstratum est. Facies et velum de hyacintho, et purpurâ, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumario, et pulchra varietate contextum: quod appendes ante quatuor columnas de lignis setim, quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, et habebunt capita aurea; sed bases argenteas. Inseretur autem velum per circulos, intra quod pones arcam testamenti, et quo sanctuarium, et sanctuarii sanctuaria dividentur. Pones et propitiatorium super arcam testimonii in Sancta sanctorum, mensamque extra velum, et contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: 348 mensa enim stabit in latere aquilonis. Facies et tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumario: et quinque columnas deaurabis lignorum setim, ante quas ducetur tentorium, quarum erunt capita aurea et bases æneæ* (*Exod.* XXVI, 26 et seqq.)

CAPUT VII.

Item in libro Exodi de eodem

XIV. *Fecit et vectes de lignis setim quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi, et quinque alios ad alterius lateris tabulas coaptandas; et extra hos quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare. Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo usque ad angulum perveniret. Ipsas autem tabulas deauravit fusis basibus earum argenteis, et circulos earum fecit aureos, per quos vectes induci possent, quos et ipsos aureis laminis operuit. Fecit et velum de hyacintho, et purpura, et vermiculo, ac bysso retorta opere plumario varium atque distinctum: et quatuor columnas de lignis setim, quas cum capitibus deauravit fusis basibus earum argenteis. Fecit et tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo, byssoque retorta opere plumario; et columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.* (*Exod.* XXXVI, 31 et seq.)

CAPUT VIII.

Expositio litteralis præcedentis capitis.

XV. Post illam connexionis firmitatem, quam sine singulis tabulis conferebant incastraturæ, aliam etiam parietibus fortitudinem contulerunt vectes, quorum quinque in pariete erant australi, et totidem in septentrionali, totidem etiam in occidentali, immissi in medio per circuitum trium parietum loco, annulis aureis, et fusilibus ad continendas et firmendas tabulas in unoquoque pariete, de lignis quidem setim facti, sed laminis aureis cooperti. De his annulis aureis, quibus vectes isti erant immissi, ita Josephus scribit: *Singulæ*, inquit, *tabulæ annulos habebant aureos per exteriores frontes eminentes, velut quibusdam radicibus infixos per ordinem ad invicem respicientes.* Quod vero in unaquaque tabula annuli fuerint, liber quidem Exodi non dicit; sed Beda unicuique tabulæ quinque annulos dicit fuisse infixos: *Quinque*, inquit, *circulos singulæ habebant tabulæ*, et item: *Quinque annuli aurei singulis tabulis erant infixi.* Ad hoc itaque in unoquoque pariete erant vectes,

Digitized by Google

ut annuli quorum in unaquaque tabula quinque erant per circuitum immissi, tabulata eorumdem parietum firmiter continerent; quatenus sicut et in inferiori parte per hoc, quod binos singularum tabularum cardines, ut Josephus dicit, basium suppositarum suscipiebant foramina; et in lateribus per incastraturarum nexum, quæ incastraturæ laterum in angulis, ubi et bases suppositæ, et subjectæ erant, terminabantur, prædicta tabulata in statu suo et erectione fuerunt firmata: ita nihilominus per vectes annulis immissos, etiam in medio sui per circuitum eadem tabulata firmarentur: ut hoc modo inferius, et in lateribus, et in medio firmata, fortiter compacta constarent, quatenus ex aliquo impulsu ventorum nec strepitus fieret, nec ædificium vacillaret. Liber vero Exodi capita singulorum vectium aliqua ad invicem fuisse connexione conjuncta sicut non negat, ita nec affirmat; sed Josephus dicit: Quod intrabat caput uniuscujusque vectis in alterius vectis capite in modum conchæ. De his vectibus ita quidam scribit: *Frontis*, inquit, *et laterum vectes ejusdem erant numeri, sed non ejusdem quantitatis, quia laterum sex, frontis vero duorum erant cubitorum: Non quinque ordines vectium in utroque latere, ut quidam æstimant, sed quinque hinc, inde, et totidem in occidentali fronte*, qui annulis singulis tabulis infixi erant, *inserti erant; intrabatque caput vectis uniuscujusque in alterius vectis capite in modum conchæ.* Sic ille de vectibus dicit.

XVI. Ut igitur quæ superius latius dicta sunt, breviter repetamus, et ipsos, de quibus jam multa locuti sumus, parietes quodammodo erigamus, erant hi tres parietes tabernaculi, australis videlicet, septentrionalis et occidentalis, compacti ex tabulis de lignis setim ab utroque latere deauratis; quarum viginti stabant in latere tabernaculi meridiano, et totidem in aquilonari, et in occidentali octo: habentibus singulis in longitudine cubitos decem, et in latitudine 349 cubitum et dimidium: exceptis illis duabus angularibus tabulis, quæ in pariete erant occidentali (ubi videlicet paries australis, et septentrionalis hinc inde nectebatur occidentali) quæ intra parietes non nisi dimidium in latitudine cubitum habebant: gemina etiam incastratura singulæ tabulæ singulis erant conjunctæ duabus argenteis basibus, et fusilibus per circuitum trium parietum, singulis tabulis per eosdem duos angulos supputatis; in quibus videlicet angulis ex utraque eorum parte laterum incastraturæ terminabantur, habebantque prædictæ bases, ut Josephus ait, foramina; quæ binos, qui singulis immissi erant, cardines suscipiebant. Australis vero, et septentrionalis parietis longitudo triginta erat cubitorum, et singulorum parietum altitudo decem; tabernaculi latitudo, id est spatium, quod erat, inter parietes, similiter decem. Erant etiam in unoquoque pariete vectes quinque, de lignis quidem setim facti; sed laminis aureis cooperti, ad continendas et firmandas illas sæpe dictas tabulas, in unoquoque latere tabernaculi, in medio per circuitum trium parietum loco annulis immissi aureis, et fusilibus; uniuscujusque vectis capite in alterius vectis capite intrante, in modum conchæ.

XVII. In parte vero orientali ubi introitus fuit, paries quidem non erat; sed uno ibi vecte ab uno parietis angulo usque ad alterius angulum, per medias tabulas, in summo protenso; quinque per transversum sub ipso vecte erigebantur columnæ lignorum setim deauratæ, capita habentes aurea, ipsi vecti fabre immissa et in eo firmata; sed bases æneæ ante quatuor videlicet columnas ducebant tentorium ex quatuor coloribus, hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta contextum. Sic enim quidam dicit: *Vectis*, inquit, *ab orientali parte fuit, a meridiano latere usque in septentrionale protensus, cui quinque columnarum capitella innitebantur, ante quas appensum erat velum in introitu tabernaculi.* Aliud etiam tentorium, quod proprie velum vocabant, ex quatuor prædictis coloribus contextum ante quatuor columnas lignorum setim inter parietes per transversum erectas, et deauratas, capita habentes aurea et bases argenteas, insertum per circulos pendebat. Interior vero locus, qui ab hoc velo usque ad parietem occidentalem pertingebat, Sancta sanctorum erat; exterior vero, qui ab introitu usque ad idem velum erat, simpliciter Sancta dicebatur. *Exterior viginti*, ut Josephus ait, *in longitudine cubitos habuit; interior vero decem.* Sicque tota domus in longitudine cubitos habuit triginta. Hæc de parietibus tabernaculi, et de ejus introitu dixerimus; nunc quomodo his nostris verbis Venerabilis Beda attestetur, demonstremus.

CAPUT IX.

Super caput istud verba Venerabilis Bedæ presbyteri.

XVIII. Vectes, inquit, quinque tabernaculi tabulas continebant, et quinque annuli aurei singulis tabernaculi tabulis erant infixi, vectesque per annulos aureos tabulata continebant. Quidam vero vectis a prima tabularum summitate usque ad alterius lateris summitatem per decem cubitos latitudinis tabernaculi protensus esse credendus est: capite quidem utroque firmiter tabulis impositus, in medio autem sui capitibus columnarum fabre immissus; sicque ejus positio, et stabilitatem parietum, ab orientali plaga custodiret, et statum columnarum ne labi vel perverti posset, contineret: ut per hoc ea tabernaculi plaga, quæ non tabulis, sed columnis constabat, non minus fixa, quam cæteræ, vento licet impellente, persisteret. Ubi etiam tentorium erat quinque columnis appensum, quæ columnæ capita aurea habebant, sed bases æneas, quæ et de lignis setim fieri, sed auro jubebantur operiri. Erat etiam velum opere plumario variatum, columnis quatuor appensum, quo sanctuarium et sanctuarii sanctuaria dividebantur. Velum hoc, quo tabernaculum dividebatur medium, ita positum refert Josephus, ut viginti

Digitized by Google

quidem cubiti longitudinis ad priorem domum, decem vero pertinerent ad secundam, ut per omnia mensuris templi, quod postea factum est a Salomone, liceret esse conveniens ; quod cum esset quadraginta cubitorum longitudinis, viginti latitudinis; tertiam longitudinis partem, id est decem cubitos ad interiorem domum, hoc est Sanctum sanctorum habebat separatam : ita ut longitudo et latitudo ejusdem domus interioris una esset. **350** Sic ergo etiam tabernaculi pars interior longitudinem et latitudinem similem, hoc est denorum habebat cubitorum.

CAPUT X.

De cortinis, et sagis, et de operimentis tecti tabernaculi.

XIX. Dixit Dominus ad Moysen : *Tabernaculum vero ita facies. Decem cortinas de bysso retorta et hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies. Longitudo cortinæ unius habebit viginti octo cubitos, latitudo quatuor cubitorum erit : unius mensuræ fient universa tentoria. Quinque cortinæ sibi jungentur mutuo, et aliæ quinque nexu simili cohærebunt. Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, ut possint invicem copulari. Quinquaginta ansulas cortina habebit in utraque parte, ita insertas, ut ansæ contra ansas veniant, et altera alteri possit aptari. Facies et quinquaginta circulos aureos, quibus cortinorum vela jungenda sunt, ut unum tabernaculum fiat. Facies et saga cilicina undecim ad operiendum tectum tabernaculi. Longitudo sagi unius habebit triginta cubitos et latitudo quatuor. Æqua erit mensura sagorum omnium : e quibus quinque junges seorsum, et sex sibi mutuo copulabis : ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices. Facies et quinquaginta ansas in ora sagi unius, ut conjungi cum altero queat ; et quinquaginta ansas in ora sagi alterius, ut cum altero copuletur. Faciesque quinquaginta fibulas æneas, quibus jungantur ansæ, ut unum ex omnibus operimentum fiat. Quod autem superfuerit sagis, quæ parantur tecto, id est, unum sagum quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi; et cubitus ex una parte pendebit et alter ex altera, qui plus est in sagorum magnitudine, utrumque latus tabernaculi protegens. Facies et operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis, et super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus* (*Exod.* XXVI, 1 et seqq.).

CAPUT XI.

Item in libro Exodi de eodem.

XX. *Fecit Beseleel ad explendum opus tabernaculi cortinas decem bysso retorta, et hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, opere vario, et arte polymita : quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos, et in latitudine quatuor; una mensura erat omnium cortinarum. Conjunxitque cortinas quinque alteram alteri, et alias quinque sibi invicem copulavit. Fecit et ansas hyacinthinas in ora cortinæ unius, et in ora cortinæ alterius similiter, ut contra se venirent invicem ansæ, et mutuo jungerentur; unde quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas, et fieret unum tabernaculum. Fecit et saga cilicina undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi; unum sagum habebat in longitudine cubitos triginta, et in latitudine cubitos quatuor ; unius mensuræ erant omnia saga, quorum quinque junxit seorsum, et sex alia separatim, fecitque ansas quinquaginta in ora sagi unius, et quinquaginta in ora sagi alterius, ut sibi invicem necterentur; et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, et unum pallium ex omnibus sagis fieret. Fecit et opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis, aliudque desuper velamentum de pellibus ianthinis* (*Exod.* XXXVI, 8 et seqq.).

CAPUT XII.

Expositio litteralis capitis præcedentis.

XXI. Quia jam tabernaculi parietes ereximus, eosdem nunc parietes tegamus. Tegebant prædictos parietes primum quidem cortinæ, deinde saga. Cortinæ vero decem erant ex hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta contextæ, quarum singulæ in longitudine cubitos viginti octo, et in latitudine habebant quatuor. Ansas quoque hyacinthinas quinquaginta in suis habuere lateribus, ut ipsis cortinis per has ad invicem firmiter connexis, unum ex eis omnibus tabernaculum fieret. Saga quoque undecim erant, quorum singula triginta in longitudine et in latitudine quatuor cubitos habebant : et sicut cortinæ quinquaginta in suis singula ansas habuere lateribus, ut sicut de cortinis dixi, istis sagis ad invicem per ansas junctis, unum ex eis fieret operimentum. Cumque et cortinæ singulæ et saga singula invicem copularentur, tamen et de cortinis præceptum est, ut quinque, et quinque simul jungerentur : et de sagis, ut quinque jungerentur, et sex sibi nexu simili cohærerent : idcirco, ut **351** arbitror, quia nimis laboriosum videbatur in dissipatione tabernaculi cortinas singulas, et saga singula disjungere, itemque in erectione et hæc, et illas sigillatim copulare. Dicit namque Venerabilis Beda : *Omnes cortinæ unius coloris, eisdemque erant depictæ coloribus, sed quinæ sibimet conjunctæ.* Item *cortinæ*, inquit, *decem, quæ pulchritudinem tabernaculi conjunctæ complebant, ita tempore congruo disjungebantur, ut quinæ in utraque parte simul permanerent; attamen eo tempore, quo erigebatur tabernaculum, omnes ad invicem cortinæ nectebantur. Bene etiam dicitur, quod ansas cortinæ in utraque parte haberent, ut videlicet proximas sibi ex utroque latere cortinas singulæ quæque cortinæ quasi extensis hinc inde brachiis amplecterentur.* Hæc Beda de cortinis dicit : et de sagis : *Divisiones*, inquit, *sagorum in quinque et sex, juxta illud intelligi potest, quod supra de cortinis in quinque et quinque divisis exposuimus.* Hæc de cortinis et sagis vir ille venerabilis dicit.

XXII. Hoc autem sciendum nobis est, quod quinque cortinæ aliis quinque cortinis, annulis aureis, et fusilibus conjunctæ erant : mordentibus videlicet eisdem annulis, qui quinquaginta erant, ansas toti-

Digitized by Google

dem; qui in utraque quinta cortina erant. Quinque vero saga eodem per omnia modo sex sagis conjuncta erant, excepto quod cortinæ annulis, ut dictum est, aureis, saga vero fibulis æneis copulata fuerunt. Erant quoque ansulæ hyacinthinæ in lateribus ac summitatibus cortinarum : sic enim scriptum est : *Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum* (*Exod.* XXVI, 4). Et sunt quidem nonnulli qui has cortinarum summitates ipsa earum capita, quæ deorsum pendent versus terram, dicunt debere intelligi, et ad hoc in ipsis capitibus ansas debere poni; quatenus innexis funibus prædictæ cortinæ tenderentur, et tenerentur paxillis, ne violentia suboriundæ tempestatis ipsas evelleret. Et quia harum ansularum numerum neque auctoritas, sicut illarum, quæ in lateribus erant, neque doctorum declarat expositio, totidem fuisse asserunt, quotidem cortinas absque ruga tenere possent. Sed his, qui hoc dicunt, ille vir disertus non videtur consentire, qui de eisdem cortinarum summitatibus ita scribit : *Quidam*, inquit, *putant summitates cortinarum, capita earum in latitudine debere intelligi, ibique ansulas, sicut et in lateribus fieri præceptum fuisse. Sed cum ab eis quæritur ad quos usus ibi fuerint*, si tamen ibi fuerint, *respondent, ut funibus ansulis immissis per paxillos hinc inde distenderentur cortinæ; sed nullam inde mentionem Scriptura facere videtur.* Hæc ille de summitatibus. Non ergo idem vir disertus has cortinarum summitates, capita earum deorsum versus terram dependentia, sed angulos potius, et superficies laterum cortinarum appellat : in quibus videlicet lateribus quinquaginta per longum ansulæ erant, sicut in præcedentibus dicit : *Videtur*, inquit, *nobis, quod unaquæque cortina in utraque parte secundum longitudinem suam, et in summitatibus, id est in angulis laterum, ansulas quinquaginta habuit.* De conjunctione vero cortinarum et sagorum idem hoc modo scribit : *Intelligendum est præmonstratum fuisse Moysi tabernaculum in monte, ad cujus exemplar illud, quod facturus erat, fieret. Tabernaculum vero ita fieri præcepit, ut supponit : scilicet, ut accipiantur decem cortinæ, quales et quantas ipse describit, et multa alia quæ adjungit, ut ex eis fiat tabernaculum.*

XXIII. Sciendum tamen cortinas proprie vocari tabernaculum. Hyacinthus lana hoc colore tincta; purpura sanguinei est coloris, et de conchyliorum sanguine tincta; coccus bis tinctus lana coccineo colore bis tincta, ut multum rubea sit; byssus est genus mollissimi et candidissimi lini, opere plumario. Pluma, ut dicit Augustinus, lingua punica dicitur acus. Opus plumarium est, cum jam facto panno fila aurea aut argentea acu inseruntur, ut fiat auriphrysium, aut diversæ in ipso panno figuræ: hujusmodi opus vulgo brustatum appellari solet. Decem cortinæ tabernaculi sic dispositæ erant, ut quinque jungerentur et adhærerent sibi mutuo; et aliæ quinque similiter. *Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, ut possint invicem copulari* (*Exod.* XXVI, 4). Hic ostendit quomodo jungendæ sunt sibi invicem cortinæ. Dubium autem est an jubeat, ut hoc modo singulæ singulis copulentur, an quinque cum quinque, ut unum ex omnibus fiat operimentum. Videtur nobis, quod unaquæque cortina **352** in utraque parte secundum longitudinem suam et in summitatibus, id est, angulis laterum, quinquaginta ansulas habuit : et quod vel vittis, vel quibusdam aliis ligaturis per ansulas sibi firmiter connexæ fuerint, alias tantum quinque et quinque sibi mutuo jungebantur, ut unum operimentum fieret, quinquaginta annulis aureis conjunctas sibi fuisse ; ipsosque annulos intercapedinem parvulam habuisse, ut, cum erigendum esset tabernaculum, vel deponendum, annulis facile inseri, et rursum ab eisdem facile extrahi possent. Hæc de cortinis.

XXIV. Scribit etiam de sagis hoc modo : Saga cilicina, in Hebræo, cortinas cilicinas : Augustinus vocat has cortinas vela capillatia, quia forsitan ita est in translatione septuaginta, qua ipse utitur. Vela dicit, quia quadrata sunt in modum veli : capillatia, quia de pilis facta; capilli enim capitis pili sunt. Saga etiam cilicia dici solent; quod autem post saga additur cilicina, pleonasmus est. Præterea sagum est militare pallium a Gallis inventum, et dictum quadrum, quia quadratum primo factum est, vel quadruplex : forsitan propter quadratam formam telæ cilicinæ, quæ ad operiendum tabernaculi tectum parabantur, saga sunt appellata. Conjunctio sagorum ad invicem eodem modo, quo et cortinarum facta est : excepto quod in sagis sed ex una parte, et quinque ex alia, et quod cortinæ annulis aureis, hæc autem æneis fibulis copulata fuerunt. Hæc ille de cortinis et sagis scribit. Uno igitur et ex cortinis, et ex sagis facto tentorio, suspendamus supra parietes, primo quidem cortinas, deinde saga; et videamus quo modo eos tegebant; sed prius duobus acceptis funiculis, uno domus longitudinem, et altero ejus per transversum metiamur latitudinem. Ille vero funiculus, quo ex toto domus longitudinem volumus metiri, id est, a basi unius ex quinque columnis, quæ sunt in introitu tabernaculi, usque ad basim unius tabularum parietis occidentalis, cubitos in longitudine quinquaginta habebit; decem videlicet, per ascensum parietis orientalis, et triginta in longitudine domus, et decem in descensu parietis occidentalis. Alter vero funiculus, quo domum secundum latitudinem per transversum metiri volumus, id est, a basi tabulæ alicujus, quæ est in pariete septentrionali usque ad alicujus tabulæ basim, quæ est in pariete australi, cubitos habebit triginta in longitudine, decem videlicet in ascensu parietis septentrionalis, et decem in descensu parietis australis, et decem in æqualitate, in summo inter parietes.

XXV. Non enim hoc, de quo loquimur, taberna-

Digitized by Google

culum nostrarum more domuum culminibus sublimatum, sed plano schemate in summo fuit æquale : sicut tempore illo in terra illa domus construebantur, unde et in Deuteronomio præcipitur, ut, qui domum novam ædificaret, murum tecti poneret in gyro, ne effunderetur sanguis innoxius labente aliquo, et in præceps ruente (*Deut.* XXII, 8). Et hoc esse arbitror, quod Dominus in Evangelio discipulis dicit : *Quod in aure auditis, prædicabitur in tectis* (*Luc.* XII, 3) : quia nimirum in Palæstina provincia in tectis solebant homines residere, quæ in summitatibus suis undique fuerunt æqualia. Suspendamus ergo super parietes cortinas, et super cortinas saga. Hoc autem nobis sciendum est, quod ex longitudinibus suis tam cortinæ, quam saga domus operiebant longitudinem; et ex longitudinibus suis ejus per transversum tegebant latitudinem. Suspensis itaque super parietes cortinis, videbimus quod totam domus latitudinem per transversum ex longitudinibus suis usque ad terram operient, excepto uno ex utraque parte juxta terram cubito, qui hinc inde cortinis deficientibus discoopertus erit, quia latitudo domus per transversum triginta cubitorum est, et cortinæ non habent in longitudine nisi cubitos viginti octo : longitudinem vero tabernaculi, quæ triginta cubitorum est, operient eædem cortinæ, ex longitudine videlicet, quam ex se simul junctæ earumdem faciunt latitudines, et partem etiam orientalem, ubi introitus est, et parietem occidentalem, hinc inde quinque in descendendo cubitis, ex latitudinum suarum longitudine operient; quia latitudines decem cortinarum simul junctæ longitudinem quadraginta cubitorum faciunt. Ex quibus profecto quadraginta cubitis triginta duobus parietibus, australi videlicet et septentrionali, quia totidem in longitudine habebant, deputabuntur : **353** et ex decem, qui supersunt, quinque parti orientali, et quinque hinc in descendendo deputabuntur parieti occidentali : hoc proprie, et specialiter tabernaculum vocabatur. Quinque vero illi cubiti, qui in orientali et occidentali parte hinc inde usque ad terram pertingunt, nequaquam nudi erunt. Sed quinque potius illi cortinarum cubiti, qui deficientibus parietibus supersunt, ab orientali simul, et occidentali latere invicem inducentur, sibique mutuo jungentur; quatenus orientalem simul et occidentalem domus parietem quinque cortinarum cubiti contegant. Saga vero cilicina, quia triginta in longitudine cubitos habebant, suspensa super tabernaculum, unum illum cubitum, qui ex utrisque parietis, australis videlicet et septentrionalis latere, cortinis deficientibus juxta terram hinc inde discoopertus fuit, ipsa ex toto operiunt.

XXVI. In hoc vero quod et undecim erant, et unumquodque quatuor, sicut cortinæ, in latitudine cubitos habebat : totam quidem tabernaculi longitudinem tegunt, et duobus in parte orientali cubitis, et totidem in occidentali cortinas descendendo excedunt; quia undecim sagorum latitudines simul junctæ quadraginta quatuor cubitorum longitudinem faciunt. Ex quibus nimirum quadraginta quatuor cubitis triginta parietum longitudinem tegunt : ex quatuordecim, qui supersunt, septem parti orientali, et septem deputabuntur occidentali. Et illi quidem duo cubiti, qui in parte orientali cortinas excedunt, duplicati fuerunt, sicut et in Exodo dicitur. *Sextum sagum in fronte tecti duplices* (*Exod.* XXVI, 9). Causam vero Venerabilis Beda ostendit quare sextum sagum in fronte tecti duplicatum fuit, in hæc verba : *Juxta litteram*, inquit, *frontem tecti, ingressum tabernaculi dicit, ubi non tabulas*, ut supra breviter diximus, *sed columnas, et vectem ab angulo tabularum usque ad angulum protensum poni præceptum est.* Ideoque quantum ad formam operis pertinet, ibi magis opus erat geminato sagorum munimento, ubi solida parietis firmitas aberat. Hoc itaque modo et unus ille cubitus, qui hinc inde in utroque juxta terram latere cortinis devenientibus coopertus fuit, sagis supervenientibus coopertus est; et duobus in orientali simul, et occidentali parte cubitis cortinas in descendendo eadem saga operiunt.

XXVII. Et hoc esse arbitror quod versus ille subtilis, et vertis perplexus dicit. *Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto, id est, unum sagum, quod amplius est ex medietate ejus, operies posteriora tabernaculi* (*Exod.* XXVI, 12). Sagum illud, quod et amplius esse, et quo posteriora tabernaculi dicit operienda, sagum est undecimum, quod nimirum et a cortinis amplius est, quia illæ non sunt, nisi decem, hæc vero undecim; et ejus medietas tabernaculi posteriora operit in eo, quod duobus, ut sæpe dictum est, cubitis, quæ medietatem sagi faciunt, cortinas in parte occidentali, ubi posteriora tabernaculi sunt, excedit : *Et cubitus*, inquit, *ex una parte pendebit, et alter ex altera, qui plus est sagorum magnitudine, utrumque latus tabernaculi protegens* (*Exod.* XXVI, 13). Geminus iste cubitus, quem et plus esse in sagorum magnitudine, et ex utraque parte pendendo utrumque dicit tabernaculi latus protegere, ad illum profecto binum pertinet cubitum, qui et a cortinis plus erat in sagis; quia ille in longitudine, ut dictum est, non nisi cubitos viginti octo, hæc autem triginta habebant; et utrumque latus tabernaculi protegebat, id est, cooperiebat : ubi cortinis deficientibus, unus ex utraque parte juxta terram cubitus discoopertus fuit, quem videlicet cubitum discoopertum, hi duo, qui a cortinis plus erant, in sagis cubiti, unus hinc, et alius inde tegebant. Illorum vero trium cubitorum spatium, quod in parte orientali, et in parte occidentali deficientibus sagis usque ad terram pertingit, nequaquam nudum remanebit; sed septenorum cubitorum saga, sicut paulo ante de cortinis diximus, quæ parietibus deficientibus supersunt, ad invicem adducentur, et eis firmissime usque ad terram tam anteriora quam posteriora domus contegentur; quia nimirum saga hæc non solum sicut

Digitized by Google

cortinæ, quæ non nisi quinque cubitis orientalem et occidentalem domus partem in descendendo tegebant, ad invicem pertingere, et sese in medio utriusque parietis occidentalis videlicet, et orientalis contingere valebant; sed quia septenorum in utroque pariete cubitorum erant, medium profecto et orientalis et occidentalis lateris in utramque hinc inde partem duobus cubitis excedebant. Ex quibus videlicet quatuor cubitis excedentibus, duo in pariete orientali, ubi frons erat, tecta duplicabantur: ut ibi juxta Venerabilis Bedæ sententiam geminati sagi munimentum esset, ubi solida parietis firmitas non erat.

354 XXVIII. Sic ergo saga parietes tabernaculi undique, et cortinæ, excepto uno ab omni latere cubito, tegebant. Fiebant adhuc operimenta duo, non quidem ad parietes tabernaculi tegendos, sed ad operiendum solummodo tectum ejus, quorum primum ex pellibus erat arietum rubricatis; secundum vero ex pellibus hyacinthinis. Quis vero harum fuerit pellium numerus, quæve earum longitudo et latitudo fuerit, quomodo dispositæ fuerint, vel conjunctæ, quia littera non definit, illud satis est intelligere, quod eis connexis tota tabernaculi longitudo et latitudo in summitate tecti superindui valeret, tectumque et parietes in partibus illis nostris multo majores esse. De his vero pellibus ita longe quidam ante nos scripsit: *Sciendum*, inquit, *tam hoc operimentum de rubricatis pellibus, quam illud de hyacinthinis, non nisi secundum formam et quantitatem tecti tabernaculi fieri debere, quia neque a lateribus, neque a frontibus aliquid deorsum pendebat.* Igitur quomodo cortinæ et saga parietes tabernaculi, et quomodo tectum ejus rubricatæ arietum pelles, atque hyacinthinæ tegebant, prout nobis visum fuit edocuimus: et vero quid super hoc Venerabilis Beda dicat, audiamus.

CAPUT XIII.

Verba Venerabilis Bedæ presbyteri de eodem.

XXIX. Diximus, inquit, parietes tabernaculi, qui ex tabulis et columnis constabant, longitudinem habuisse triginta cubitorum, latitudinem decem, et altitudinem similiter decem. Si quis ergo vellet domum in latitudinem cingere funiculo, verbi gratia a basi tabulæ unius meridiani lateris usque ad basim tabulæ, quæ esset e regione in latere septentrionali, constat profecto eumdem funiculum triginta cubitorum longitudinis esse debere, hoc est, decem cubitos ascensionis in meridiano pariete, decem alios æqualitatis sursum inter parietes, decem tertio descensionis in pariete septentrionali. Item, si per longitudinem domus funiculum extendere velis, hoc est, a basibus columnarum sursum, et per longitudinem domus totius ad occidentalem usque parietem, et deinde usque ad bases ejus deorsum, habebit funiculus ille quinquaginta cubitos longitudinis: decem videlicet ascensionis juxta columnas, decem æqualitatis secundum longitudinem domus, decem rursum descensionis, juxta tabulas parietis occidentalis. His ergo consideratis, intuere etiam mensuras cortinarum, quibus tegenda erat domus, qualiter præfatis possint convenire mensuris. Decem erant cortinæ, habentes singulæ longitudinis viginti octo cubitos, latitudinis quatuor; quæ simul junctæ, et in unum compositæ, tabernaculum implebant de latitudine sua cubitos quadraginta. Suspende igitur cortinas, quæ habent singulæ longitudinis viginti octo cubitos, et pone in domo, cujus est mensura in transversum triginta cubitorum, et videbis quia cortinæ habent in æqualitate, quæ est inter parietes, cubitos denos; in ascensu autem, sive descensu, qui est juxta parietes, habent cubitos novenos. Sicque fit ut summitas cortinarum terram tangere non possit; sed mensura unius cubiti a terra altior absit. Item videbis, quod cortinæ habent in æqualitate per longitudinem domus triginta cubitos, in ascensu autem, sive descensu, qui est in orientali, sive in occidentali latere, cubitos quinos; ideoque eadem lateralis summitas cortinarum, nequaquam ad terram usque pertingit, sed quinis cubitis a terra altior aberat. Unde necesse fuit ut quini illi cubiti cortinarum, qui cessantibus parietibus supersunt, inducantur ab invicem ab orientali simul, et occidentali latere, sibique mutuo jungantur: ac sic fiet ut undique domum cortinæ, excepto uno juxta terram cubito, contegant. Hæc de cortinis.

XXX. Porro saga tricenos habebant cubitos longitudinis, quaternos latitudinis. Et quia undecim erant, conjuncta invicem per latera quadraginta quatuor cubitos implebant. Pone ergo et hæc in domo; et quia concordat longitudo sagorum cum funiculo, quo domum metiebaris in transversum, fit ut summitas eorum ad terram usque pertingat. Habebant enim denos cubitos æqualitatis inter parietes; denos æque ascensionis, sive descensionis in utroque latere. Et hoc est, quod ait Scriptura, quod *cubitus ex una parte penderet, et alter ex altera qui plus esset in sagorum magnitudine, latus utrumque tabernaculi protegens* (*Exod.* XXVI, 13). Tabernaculum namque proprie vocat ipsam cortinarum facturam, sive conjunctionem, quas uno utique cubito transibant saga ab australi latere domus, altero a septentrionali. Ideoque ad terram perveniebant, quia hic triginta cubitos longitudinis, ille duos **355** minus habebat. Item mensura sagorum omnium per longitudinem domus quadraginta quatuor cubitis tendebatur: triginta videlicet in æqualitate cubitos habens, a fronte domus, usque ad summitatem tabularum in plaga occidentali; et septem cubitos dependentes a fronte domus, et septem similiter dependentes in plaga occidentali. Sicque fuit ut mensura sagorum in occidentali latere duobus cubitis excederet mensuram cortinarum; quia nimirum cortinæ desuper advenientes, sicut et supra commemoravimus, quinque cubitos parietis tegebant, et quinque alios relinquebant intactos: et hoc est, quod dicitur: *Quod autem super-*

Digitized by Google

fuerit sagis, quæ parantur tecto, id est unum sagum, quod amplius est, ex medietate ejus, operies posteriora tabernaculi (*Exod.* XXVI, 12). Medietas namque sagi in latitudine duo sunt cubiti, ex qua videlicet medietate cooperiebantur posteriora tabernaculi, id est duo cortinarum, quæ proprie tabernaculum vocabantur, quia duobus cubitis eas, ut diximus, ad inferiora tendens ultimum sagum transibat.

XXXI. Itaque saga desuper venientia septem solummodo cubitos occidentalis parietis cooperiebant; nec tamen tres reliqui, qui manserant, usque ad terram nudi tempestatum injuriis patebant; sed adductis ad invicem ab utroque latere sagis septenorum cubitorum, qui deficientibus parietibus supererant, his posteriora domus firmissime ad terram usque tegebantur, neque autem tantum hæc ad invicem pertingere, et instar cortinarum sese medio parietis contingere poterant; sed quia septenorum erant cubitorum, medium parietis in utramque partem duobus cubitis excedebant, ac sibi invicem supposita jungebantur: quod eodem modo per omnia etiam de orientali parte intelligendum esse putamus, ideoque supra præceptum, ut *sextum sagum in fronte tecti duplicaretur* (*Exod.* XXVI, 9). Tegebatur itaque domus et desuper, et undique cortinis mira varietate contextis, quod proprie tabernaculum vocabatur; tegebatur et hoc undique sagis ciliciinis usque ad terram pertingentibus; sed et operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis factum est, et super hoc rursum aliud operimentum de hyacinthinis pellibus. Hæc de re difficillima, prout nobis intellexisse visi sumus, strictim explicare curavimus, parati veriora in his discere, si quis nos docere voluerit.

CAPUT XIV.

De eo, quod in extensione sagorum et cortinarum Josephus, et Judæi a Venerabili Beda dissentire videntur.

XXXII. Hæc de cortinis, et sagis Beda Venerabilis dicit, quem et nos utpote diligentem verbi Dei scrutatorem, et veracem expositorem in quantum potuimus inoffenso pede sequi curavimus; sed alius quidam de eisdem cortinis et sagis loquens magis Josephi, et Judæorum opinionem, quam Bedæ sententiam hac in re æstimat suscipiendam. Scribit namque idem magister hoc modo: *In extensione*, inquit, *cortinarum et sagorum ad operiendum tabernaculi tectum, et sexti sagi in fronte tecti duplicatione, magis Judæorum et Josephi sententiam, quam Bedæ sequamur opinionem. Cortinæ cum sint decem, et saga quatuor cubitorum, hæ simul junctæ quadraginta, illa vero in vicem copulata quadraginta quatuor faciunt cubitos. Hæc sic extendebantur secundum Hebræos et Josephum, ut tam cortinæ quam saga triginta cubitis tectum tabernaculi, tanta enim erat ejus longitudo, et decem cubitis occidentalem frontem domus, quia hæc erat altitudo tabernaculi, cooperirent. Quatuor autem cubiti, quibus saga cortinas superabant, in orientali fronte domus, ubi erat introitus, duplicati, duobus cubitis columnas, et velum introitus tegebant. Duplicati autem erant propter ventorum violentiam; et hoc est, quod dicit liber «sextum sagum,» quatuor scilicet cubitos, qui in latitudine faciunt sagum, et «in fronte tecti duplices. Quod autem superfuerit sagis, quæ parantur tecto, idem unum sagum, quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi* (*Exod.* XXVI, 9, 12).» *Cortinas uno cubito saga transibant ex utroque latere tabernaculi, ideoque ad terram pertingebant, quia hæc triginta cubitos longitudinis, illæ duo minus habebant. Medietas autem sagi in longitudine duo sunt cubiti, ex qua medietate hinc inde operiebantur posteriora tabernaculi, id est cortinarum, quæ proprie dicuntur tabernaculum. Et hoc est quod dicit:* «*Et cubitus ex una parte pendebit, et alter ex altera, qui plus est in sagorum longitudine,* 356 *utrumque latus tabernaculi protegens* (*Exod.* XXVI, 13).» *Constructio hoc modo facienda est; ex medietate ejus, quæ superfuerit in sagis, quæ præparantur tecto, operies posteriora tabernaculi: quod autem hoc sit, per parenthesim interponit, id est unum sagum, quod amplius est. Quasi diceret: ex medietate unius sagi, quod unum sagum superest, et amplius est a cortinis; operies posteriora tabernaculi, id est extrema tabularum, ubi terræ junguntur, ad quæ operienda hinc inde cortinæ pertingere non poterant.*

XXXIII. Ecce hoc modo de extensione cortinarum et sagorum loquitur, et a Venerabili Beda dissentire videtur. Sed quidquid ipse dixerit, multi Bedæ opinionem Josephi et Judæorum sententia hac in re æstimant veriorem, et id se putant posse probare hoc modo: Ait, Dominus ad Moysen: *Quod autem superfuerit in sagis, quæ parantur tecto, id est unum sagum quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi* (*Exod.* XXVI, 12). Dicit quidem, et omnino verum est, quia ipsarum cortinarum simul junctarum super parietes extensionem, tabernaculum Dominus appellat; ejusdem vero tabernaculi posteriora illas vocant cortinas, quibus pars domus posterior. Paries occidentalis, cooperta fuit: quæ cortinæ tabernaculi vocatæ sunt posteriora, ad differentiam videlicet illarum cortinarum, quæ in orientali, ut ipsi aiunt, parte pendebant, quæ etiam secundum ipsos tabernaculi vocabantur anteriora. Ex sagi itaque unius, quod amplius fuit, medietate juxta præceptum Domini, Moyses tabernaculi posteriora operuit, quia sagum, ut ipsi dicunt, undecimum, quod in sagis a cortinis amplius fuit, quæ non nisi decem erant, duobus cubitis, qui ejus medietatem faciebant, cortinas in occidentali parietate tabernaculi (hi asserunt fuisse posteriora) excedere fecit, ut juxta Bedæ sententiam cortinæ in eodem pariete quinque in descendendo haberent cubitos, et saga septem. Ostendant igitur Judæi, et Josephus, qui dicit tam cortinas, quam saga decem cubitis occidentalem frontem domus cooperuisse, cujus sagi medietate posteriora tabernaculi, id est illarum cortinarum, quæ, ut multi affirmant, in pariete fuerunt

Digitized by Google

occidentali Moyses cooperuit, si in eodem occidentali pariete tam longæ erant in descendendo cortinæ, quam longa fuerunt et saga, hoc est, si tam cortinæ quam saga parietem illum ex toto usque ad terram tegebant. Quod si non illas, quæ in occidentali erant pariete, cortinas, sed potius extrema tabularum parietis utriusque, australis videlicet, et septentrionalis, ubi terræ jungebantur, ad quæ operienda hinc inde cortinæ, quia nonnisi novenos in descendendo habebant cubitos, pertingere nequibant, tabernaculi quis dixerit fuisse posteriora : quæretur ab eo, quod fuit illud sagum, quod amplius fuit, et ex cujus medietate hæc extrema tabularum parietis australis et septentrionalis Moyses cooperuit, cum constet nullum ibi fuisse sagum, cujus medietate eadem tabularum extrema possent cooperiri? Quæ quidem tabularum extrema non ex aliquo sago mediato, sed ex sagorum potius capitibus, uno hinc inde cubito cortinas excedentibus, cooperta fuerunt. Scimus quidem, quia duobus cubitis cortinas in descendendo saga excedebant : uno ex parte una, et altero ex altera, et quod duo cubiti medietatem sagi faciebant ; sed præter capita sagorum, quæ deorsum pendentia uno ex utroque latere cubito cortinas transcendebant, nullum omnino erat ibi sagum, ex cujus medietate posteriora tabernaculi, id est tabularum extrema, si tamen non alibi, quam in ipsis tabularum extremis posteriora tabernaculi fuerint, possent operiri.

XXXIV. Præterea scimus quod salva illa, quæ interius latet, significatione spirituali, ad hoc super tabernaculum saga projecta fuerant, ut cortinas et tabulas, ubi eædem duntaxat cortinæ defecerant, ex toto usque ad terram tegerent, atque tegendo a ventis et imbribus, et cæteris sordibus extrinsecus irruentibus illæsas custodirent. Quod cum ita fuerit, ut aliquid secundum conjecturam loquamur humanam, quæ ratio dictaret, ut partem ædificii occidentalem, ubi paries quidam erat solidissimus, qui videlicet paries ex tabulis constans fortissimis, et inferius per cardines basibus immissos, et in lateribus per incastraturas, et in medio per vectes annulis impositos fortissime fuit compactus, tripliciter tam cortinæ, quam saga usque ad terram tegerent, et partem orientalem, ubi nullus omnino erat paries, sed quinque solummodo, cum una cortina eis appensa, erant columnæ ; nec aliqua ex cortinis, nec ex sagis etiam, nisi unum solum operiret. **357** Quod profecto sagum quando juxta præceptum Domini in fronte tecti duplicatum fuit, ipsa cortina, quæ ibi pendebat, non nisi duobus cubitis cooperta erat, et octo cubitis ventis et pluviis, et cæteris externis injuriis patebat. His itaque, et aliis fortasse, quæ hic tacentur, causis, æstimant nonnulli Venerabilem Bedam absque omni scrupulo super hoc esse accipiendum : nisi forte aliqua alia obstiterit auctoritas de his plenius loquens : et qua ratione Beda hoc in loco repudiandus, et Josephus cum Judæis suis sit suscipiendus, causam evidentiorem ostendens.

CAPUT XV.

De arca, et oraculo, quod super eam erat ; de mensa propositionis : de candelabro luminis, et de altari thymiamatis.

XXXV. Quia ipsum jam tabernaculum et ex magna parte perfecimus, et perfectum quodammodo in suo statu ereximus, nunc de his, quæ intra illud erant, loquamur, et qualiter, vel ubi intra illud posita erant, prout possumus, ostendamus. Dixit Dominus ad Moysen : *Arcam de lignis setim compingite, cujus longitudo habeat duos et semis cubitos latitudo, cubitum et dimidium, altitudo cubitum similiter ac semissem : et deaurabis eam auro mundissimo intus et foris, faciesque supra coronam auream per circuitum, et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos, duo circuli sint in latere uno, et duo in altero. Facies quoque vectes de lignis setim, et operies eos auro, inducesque per circulos, qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis, qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ex eis : ponesque in arca testicationem, quam dabo tibi; facies et propitiatorium de auro mundissimo. Duos cubitos et dimidium tenebit longitudo ejus, et semissem et cubitum latitudo. Duos quoque cherubim aureos, et productiles facies ex utraque parte oraculi : cherub unus in latere sit uno, et, alter in altero. Utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, et operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca : in qua pones testimonium, quod dabo tibi. Inde præcipiam, et loquar ad te, supra propitiatorium scilicet, ac de medio duorum cherubim, qui erunt supra arcam testamenti, cuncta, quæ mandabo per te filiis Israel* (*Exod.* XXV, 10, et seqq.)

Facies et mensam de lignis setim habentem duos cubitos longitudinis, et in latitudine cubitum, et in altitudine cubitum ac semissem· et inaurabis eam auro purissimo : faciesque illi labium aureum per circuitum, et in ipso labio coronam interrasilem, altam quatuor digitis, et super eam alteram coronam aureolam. Quatuor quoque circulos aureos præparabis, et pones eos in quatuor angulis ejusdem mensæ per singulos pedes. Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittant vectes per eos, et possit mensa portari, ipsosque vectes facies de lignis setim, et circumdabis auro ad subvehendam mensam. Parabis et acetabula, ac phialas, thuribula, ac cyathos, in quibus offerenda sunt libamina ex auro purissimo, et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper (*Exod.* II, 23 et seqq.).

Facies et candelabrum ductile de auro purissimo, hastile ejus, et calamos, scyphos, sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere et tres ex altero. Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul, et lilia. Hoc opus erit sex calamorum, qui producendi sunt de hastili. In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos, et lilia. Et spha-

Digitized by Google

rulæ sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt, procedentes de hastili imo. Et sphærulæ igitur, et calami ex ipso, erunt universa ductilia ex auro purissimo. Facies et lucernas septem, et pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso. Emunctoria quoque, et ubi ea, quæ emuncta sunt, exstinguantur, fiant de auro purissimo. Omne pondus candelabri cum universis vasis suis habebit talentum auri purissimi. Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est (*Exod.* xxxi, 40).

Facies quoque altare ad adolendum thymiama de lignis setim, habens cubitum longitudinis, et alterum latitudinis, id est quadrangulum, et duos cubitos altitudinis. Cornua ex ipso procedent. Vestiesque illud auro purissimo tam craticulam ejus, quam parietes per circuitum, et cornua. Facies ei coronam aureolam per singula latera, et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vectes, et altare portetur. Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, et inaurabis: ponesque altare contra velum, quod ante arcam pendet testimonii coram propitiatorio, quo tegitur testimonium, ubi loquar tibi, et adolebit incensum super eo Aaron suave fragrans (*Exod.* xxx, 1 et seq.)

358 CAPUT XVI.

Ex libro Exodi de eodem.

XXXVI. *Fecit autem Beseleel et arcam de lignis setim habentem duos semis cubitos in longitudine, et cubitum, ac semissem in latitudine. Altitudo quoque unius fuit cubiti et dimidii. Vestivitque eam auro purissimo intus et foris, et fecit illi coronam auream per gyrum, conflans quatuor annulos aureos, per quatuor angulos ejus. Duos annulos in latere uno, et duos in altero. Vectes quoque fecit de lignis setim, quos vestivit auro, et quos misit in annulos qui erant in arcæ lateribus ad portandum eam. Fecit et propitiatorium, hoc est oraculum, et de auro mundissimo duorum cubitorum et dimidii in longitudine, et cubiti ac semis in latitudine: Duos etiam cherubin ex auro ductili, quos posuit ex utraque parte propitiatorii; cherub unum in summitate partis unius, et cherub alterum in summitate partis alterius. Duos cherubin in singulis summitatibus propitiatorii extendentes alas, et tegentes propitiatorium, seque mutuo, et illud respicientes.*

Fecit et mensam de lignis setim in longitudine duorum cubitorum, et in latitudine unius cubiti, quæ habebat in altitudine cubitum ac semissem; circumdeditque eam auro mundissimo et fecit illi labium aureum per gyrum, ipsique labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum, et supra eamdem alteram coronam auream. Fudit et quatuor circulos aureos, quos posuit in quatuor angulis, per singulos pedes mensæ contra coronam, misitque in eos vectes ut possit mensa portari. Ipsos quoque vectes fecit de lignis setim, et circumdedit eos auro; et vasa ad diversos usus mensæ, acetabula, phialas, et cyathos, et thuribula ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina. Fecit et candelabrum ductile de auro mundissimo, de cujus vecte calami, scyphi, sphærulæ, ac lilia procedebant, sex in utroque latere. Tres calami ex parte una, et tres ex altera. Tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul, et lilia. Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri. In ipso autem vecte erant quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos, et lilia. Sphærulæ sub duobus calamis per loca tria, qui simul sex fiunt calami, procedentes de vecte uno. Et sphærulæ igitur, et calami ex ipso erant, universa ductilia ex auro purissimo. Fecit et lucernas septem cum emunctoriis suis, ut vasa et ea quæ emuncta sunt exstinguantur, de auro mundissimo. Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis. Fecit et altare thymiamatis de lignis setim, habens per quadrum singulos cubitos, et in altitudine duos, e cujus angulis procedebant cornua: vestivitque illud auro purissimo cum craticula, ac parietibus, et cornibus. Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, et duos annulos aureos sub corona per singula latera ut mittantur in eos vectes, et possit altare portari. Ipsos quoque vectes fecit de lignis setim, et operuit laminis aureis. Composuit et oleum ad sanctificationis unguentum, et thymiamata de aromatibus mundissimis opere pigmentarii (*Exod.* xxxvii).

CAPUT XVII.

Expositio litteralis capitis præcedentis.

XXXVII. Igitur in loco interiori, qui intra velum erat, ubi semel in anno pontifex intrabat, arca erat de lignis quidem setim facta, sed undique deaurata: coronam in circuitu sui habens auream, quam magister quidam limbum in circuitu vocat. Quidam vero dicunt hanc coronam ligaturam fuisse auream undique arcam circumstringentem, factam ad ipsius decorem, et fortitudinem, ut dissolvi non posset, et formosior appareret. Cui quidem arcæ incumbebat tabula quædam aurea, et ductilis eamdem cum arca longitudinem, et latitudinem habens, quæ propitiatorium vocabatur. Operculum arcæ, tabula scilicet unde operiebatur arca, dicebatur propitiatorium: quia super eo Deus apparens populo propitiabatur. In cujus utraque parte unus stabat cherub de auro ductili, duoque hi cherubin suas inter se expandendo alas, propitiatorium tegebant, seque mutuo respiciebant. Quantæ vero altitudinis idem cherubin, vel longitudinis eorum alæ fuerint Scriptura non dicit. Mihi autem videtur quod, dum uterque alis suis contra invicem ex utraque parte expansis utrumque propitiatorii latus tegebat, utraque utriusque cherubin ala non nisi duos cubitos, et dimidium, ad majus, in longitudinem habuit; quia dicunt quidam, quod unus cherub ala sua tangebat parietem unum, et alius ala sua parietem alterum: aliis autem alis se vicissim in medio tangebant: et hæ mediæ ala propitiatorium tegebant, sicut duo magni cherubim in templo Salomonis faciebant.

Digitized by Google

359 XXXVIII. Erat quoque in ipsa arca sub propitiatorio urna aurea, habens manna, et tabulæ testamenti, et virga Aaron, quæ fronduerat, et juxta librum Deuteronomii liber Cantici Moysi. Præcepit namque Moyses levitis, qui portabant arcam fœderis, dicens : *Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini : ut sit contra te in testimonium* (*Deut.* xxxi, 26). Hæc autem juxta sacræ Scripturæ auctoritatem in ea fuerunt; et tamen in tertio libro Regum scriptum est : *In arca non est aliud, nisi duæ tabulæ, quas posuit Moyses in ea in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel* (*III Reg.* viii, 9). Si aliud in ea tempore Salomonis non erat, nisi tabulæ, videtur quidem nec manna eo tempore in ea fuisse, nec virga Aaron, nec liber etiam Cantici Moysi. Sed hanc doctores moderni hoc modo dubitationem exponunt, dicentes : illam quidem Scripturam, quæ solummodo tabulas includit, respicere ad mysticum; illam vero, quæ cætera jam superius nominata una cum tabulis in arca fuisse asserit, ad litteralem intellectum. Dicunt namque eumdem hæc omnia parere intellectum, mystice conspecta; quæ tamen ad litteram sunt divisa. De hoc vero quidam ita scribit : *In libro*, inquit, *Regum, et Paralipomenon asseritur, quod « nihil erat in arca Domini, nisi tabulæ lapideæ, in quibus scripta erant decem mandata legis. » In Epistola autem illa, quæ inscribitur ad Hebræos, legitur quod « urna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ fronduerat, sicut et tabulæ erant in arca* (*Hebr.* ix, 4). » *Possumus dicere quod prioribus quidem temporibus solæ tabulæ in arca fuerant; sed postea propter metum hostium urnam auream habentem manna, et virgam Aaron, quæ fronduerat, posuerunt in arca, ne ab hostibus tollerentur. Quia vero notum sciebant gentibus Philisthæos propter arcam, quam tulerant, gravi fuisse plaga percussos, idcirco quod non tolleretur ab hostibus, confidebant. Forsitan non in ipsa arca, sed in lateribus fuere supradicta : sicut et liber legis. Et ideo in arca dicta sunt fuisse, quia in aliqua appendice lateris ejus fuere.* Hoc ille dicit. In tabulis vero decem erant verba conscripta, ut Josephus ait : *Per singulas tabulas bina semis per unamquamque paginulam.* Hæc de his, quæ in Sancta sanctorum erant.

360 XXXIX. In domo vero exteriori, quæ simpliciter dicebatur Sancta, hæc tria erant : mensa propositionis in latere aquilonis non longe, ut Josephus ait, ab aditu; et contra eam candelabrum in parte australi, et altare thymiamatis in medio contra velum. Mensa quoque facta fuit de lignis setim deauratis, duos habens cubitos longitudinis, et cubitum unum in latitudine, et in altitudine cubitum, et dimidium. Non tanta fuit spissitudo mensæ; truncus enim non mensa esset, sed ab imo, ubi pedes terræ jungebantur, in hanc altitudinem se extollebat. Habuitque eadem mensa labium aureum per gyrum, cui labio facta fuit corona interrasilis quatuor digitis alta, et super illam altera corona aureola. Si vero quæritur, quale erat labium in mensa per circuitum ejus, qualesve illæ duæ coronæ, fortassis eminentia quædam fuit aurea, mensæ ex omni parte affixa; et huic eminentiæ alia apposita erat, quatuor digitis alta, quam vocat Scriptura coronam; et huic fuit etiam tertia conjuncta. Hæque tres eminentiæ idcirco in mensa forte per circuitum factæ erant, ut panes illi duodecim, qui jugiter in ea positi, et non in medio ejus, sed in utroque latere contra se altrinsecus erant, quasi in profundo, et undique his inclusi, stabilem ad jacendum haberent locum; ne quando portabatur eadem mensa, si in ea per planum sine clausura jacerent, in unum cogerentur. Alia quoque opinio est, quæ dicit, quod mensam circumcingebat labium per quamdam cavaturam ex ipsa mensa, et ejusdem labii latitudinem tegebat corona interrasilis, ducta per circuitum ad firmitatem et ornamentum, cui et alia coronula superponebatur priori præbens tam firmitatem, quam decorem. Panes duodecim jugiter erant in ea, qui ex simila, ut in Levitico legitur, coquebantur, et habebant singuli duas decimas, quorum seni altrinsecus ponebantur, positis super eos duobus scyphis aureis thure lucidissimo plenis (*Lev.* xxiv, 5, 6). Quidam quoque vir disertus scribendo dicit : *Labium per circuitum gyrationem quamdam esse dependentem in circuitu mensæ, extrinsecus respicientem*, et addit : *Huic*, inquit, *gyrationi superponebatur limbus quidam, non in latere foris, sed in superiora altitudine quatuor digitorum erectus. Super hæc etiam alius quidam limbus strictior, et minus altus superponebatur.* Interrasilem, dicit, coronam : **360** quia artificiose sculpta erat. Subter coronam erant circuli. Ostendit in quibus locis ponendi sunt circuli, quibus immittantur vectes ad portandam mensam, in summo scilicet juxta labium, quod hic coronam appellat, et non versus terram in imo. Quidam dicunt quod, quas supra dixit, duas coronas, hic unam vocet, super quam dixit circulos esse ponendos. Secundum quam sententiam extrinsecus in latere duæ coronæ supradicto labio adjunguntur nec quare adjungantur, facile patet. In superficie autem versus superiora necessario adjungendæ videntur, ut ea, quæ super mensam posita sunt, contineant, et ne aliquo casu de mensa corruant, obstaculo sint. Sic ille de mensa scribit : *Acetabula*, inquit, *vasa templi, in quibus acetum continebatur. Phiala, vasa quædam vitrea. Phiala quasi hiala dicitur : Hialim vero vitrum. Hæc vasa capacia sunt, ut aiunt, in imo stricta, in superioribus lata : Hebræi hæc vasa scutellas appellant. Cyathi, angusta quædam, et parum capacia vasa sunt. Erant duodecim panes jugiter in mensa : panes isti ideo propositionis dicti sunt, quia semper super mensam proponebantur, et præsto erant. Duodecim erant singuli ex duabus decimis facti : hi in Sabbato semper repositis recentibus auferebantur in usum sacerdotum.* Hæc ille dicit de vasis mensæ, et de panibus propositionis. Habebat quidem mensa eadem in quatuor ejus angulis quatuor pedes, sub

Digitized by Google

præfata corona, et in singulis angulis singulos circulos aureos, ut eis ex utraque parte duobus immissis vectibus de lignis Setim deauratis, posset eadem ipsa mensa portari.

XL. Candelabrum vero et aureum, et ductile erat, de cujus hastili sex calami procedebant, tres ex latere uno, et tres ex latere altero, omnesque, ut mihi videtur, in summo coæquales erant, in altitudine; ubi septem lucernæ positæ erant, tres videlicet hinc, et tres inde in summitatibus sex coæqualium calamorum, et septem in summitate hastilis cujus summitas aliorum calamorum summitatibus æqualis erat : et erat, ut mihi videtur, ex utroque latere primus calamus longior quidem secundo, et secundus tertio, sed nullus altior alio. Longior namque erat hinc inde primus secundo, et secundus tertio. Non tamen quantum pertinet ad summitates eorum, ubi simul in summo conveniebant; sed quantum pertinet ad ipsorum processiones, ubi non simul hinc inde de hastili procedebant. Et hoc puto esse, quod Scriptura dicit : *Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri* (*Exod.* XXXVII, 19). Non ibi erat æquum opus eorum, ubi in imo procedebant; sed ubi in summo eorum summitates conveniebant. In longitudine etiam ipsius candelabri æqualem trina positio capiebat intercapedinem; erantque in singulis calamis scyphi tres in nucis modum, tres etiam spherulæ, et tria lilia. Quantæ longitudinis, vel grossitudinis candelabrum fuerit, Scriptura non dicit, sed eadem Scriptura dicit quod omne pondus ejus cum universis vasis suis habebat talentum. Dicit vero quidam quod tria sunt genera talentorum, et quod minimum talentum continet quinquaginta libras, mediumque septuaginta, maximum centum et viginti. Nihil hic de candelabri vectibus Scriptura dicit, et utrum annulos habuerit, ut eis immissis vectibus, posset portari : hoc quidem in loco omnino silet, et tamen in libro Numeri, ubi de motione tractat castrorum, ita scriptum : *Sument et pallium hyacinthinum, quo operient candelabrum cum lucernis et forcipibus suis, et cunctis vasis olei; et super omnia ponent operimentum hyacinthinarum pellium, et inducent vectes* (*Num.* IV, 9, 10). Et hoc de candelabro ita quidam scribit : *Medium candelabri stipitem hastile vocat, ex hoc tres calami hinc, et tres inde exeunt. Calami dicuntur brachia candelabri, quia rotundi ad similitudinem calamorum sunt, quamvis quidam calami inferius, quidam superius de stipite procedebant, usque ad eamdem tamen omnes altitudinem ascendebant : ita ut lucernarum, quæ illis superponebantur, nulla esset superior alia, vel inferior. Ubi calami hinc inde de hastili exibant, per singulos erant sphærulæ, et rotunditates, et flores liliorum, et quædam in modum nucis formata, quos scyphos Scriptura appellat : sed Hebræum non sonat scyphos istos in modum nucis esse factos, sed potius, ut ita dicam, nigellatos. Opera, quæ ex argento fiunt, nigellari solent; aureum vero opus nigellatum me vidisse non recolo. Hæc tria supradicta habent calami per tria loca, ubi de stipite exeunt, et in medietate, et in summo. Medius* 361 *autem stipes habet hæc per quatuor loca. Oblique positum erat candelabrum, sed tamen lucernæ ita positæ erant, ut quasi ex opposito contra arcam lucerent. Emunctoria, forcipes, quibus lucinia emungebantur, ut melius lucerent.* Hæc de candelabro dicit.

XLI. Altare quoque thymiamatis similiter sicut mensa et candelabrum, extra velum quidem ; sed tamen contra ipsum erat, quamvis dicant, illud intra ipsum velum fuisse. Magister vero quidam peritissimus inter alios dicit, quod extra velum erat, in hæc verba. *Secundum Hebræos, et Josephum, et omnes fere expositores, inter candelabrum et mensam propositionis extra velum, contra arcam testamenti positum fuit altare thymiamatis. Augustinus tamen in multis locis dicit, quod intra velum fuit. In diebus, quibus ministraturi tabernaculum ingrediebantur Aaron, et filii ejus, vinum et siceram bibere prohibiti sunt. Si igitur propter incensi continuationem summus sacerdos quotidie ultra velum, ut quibusdam placet, intrabat, nunquam illi vinum bibere licebat. Sed secundum Hebræos extra erat altare, et vicissim ministrabant sacerdotes, et incensum offerebant. Ideoque præcepit ut tempore ministrationis suæ vino et sicera abstinerent. Minores sacerdotes thymiama, et incensum Domino offerebant ; sed illi ultra velum quod est ante arcam, non intrabant Sancta sanctorum. Hinc patet quod hoc altare extra velum fuerit; nam intra Sancta sanctorum, non nisi semel in anno, in die expiationis cum sanguine pontifex intrabat. Necessario igitur altare, super quod incensum offerebant, extra velum erat.* His rationibus probat iste, altare thymiamatis extra velum fuisse. Quod quidem altare ex lignis setim fuit deauratis, æqualem cum longitudine habens latitudinem, id est in utraque cubitum unum per quadrum et in altitudine cubitos duos. Cornua habuit ex se procedentia, quæ videlicet cum parietibus suis, et cum ipsa craticula auro purissimo vestita erant. Corona vero aureola, quam habuit per gyrum, parva, ut existimant quidam, fuit eminentia per circuitum ejus; sub qua per latera singula annulus erat aureus, ut duobus eis immissis vectibus de lignis setim, et deauratis posset altare portari. Igitur de his tribus, quæ extra velum erant, prodidi ego insipientiam meam. Nunc vero Venerabilis Bedæ sapientem super his sententiam audiamus.

CAPUT XVIII.

Super capite præcedenti verba Venerabilis Bedæ presbyteri.

XLII. Intra velum posita erat arca testamenti, et contra arcam extra velum altare thymiamatis. Item in medio ipsius sanctuarii candelabrum in parte australi; mensa vero stabat in septentrionali. Arca de lignis setim facta est. Longitudo ejus duorum et semis erat cubitorum; altitudo, cubiti, et dimidii; et cubiti, et dimidii latitudo. Quidam solent interrogare, cujus quantitatis sit æstimandus cubitus, quem

Digitized by Google

vel in arca Noe, vel in factura tabernaculi Moyses posuit. Quod si Josephi verba viderimus, facile quæstio solvetur. Neque enim dubitandum est hominem Judæum, genere sacerdotalem, ingenio excellentissimum ullatenus hoc potuisse latere. Ait ergo: *Facta est autem arca longitudinis quinque palmorum, latitudinis trium.* Unde patet manifeste, quia illum designat cubitum, quem duo palmi complent. Qui autem palmo aliquid metitur, summo utique conamine expansis digitis manum extendit, ut possit mensuram, quam metitur, plane et absque scrupulo dubietatis tenere. Arca foris et intus auro mundissimo deauratur, cui corona aurea circumdari præcipitur. Quatuor angulos habet arca: atque duo circuli in latere uno, et duo sunt in altero. Vectes, quibus arca portatur, semper esse jubentur in circulis. Si autem vis scire, quæ sit ista testificatio, quam in arca ponendam a Domino Moyses accepit, Apostolum audi. *Post velamentum autem*, inquit, *secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro; in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ testamenti* (*Hebr.* IX, 3, 4). Narrat Josephus, quod tabulæ testamenti ita fuerunt Decalogo legis conscriptæ, ut utraque tabula etiam quina verba contineret. Quæri solet, quod propitiatorium dicat, quo operienda est arca. Sed cum de auro fieri jubeat, **362** et tantæ longitudinis ac latitudinis, quantæ arcam fieri præceperat: constat, procul dubio, quia tabulam fieri voluit tantam, quanta arcam tegere sufficeret.

XLIII. *Duos quoque cherubim aureos, et productiles facies ex utraque parte oraculi* (*Exod.* XXV, 18). Et quidem numero singulari cherub; plurali autem Cherubin dicitur, et est nomen generis masculini. Sed Græca consuetudo, neutro genere, posuit cherubin, M littera in N mutata. Verum noster interpres Hebræum secutus idioma, masculo genere posuit, duos cherubim aureos, et productiles facies, non duo cherubin aurea, et productilia; quod Scriptorum incuria credo in ejus translatione esse corruptum, ut pro cherubim, antiquorum more scriberetur cherubin. Cherubin respiciunt se mutuo, et vultus vertunt in propitiatorium. Supra propitiatorium, de medio duorum cherubin loquitur Dominus ad Moysen cuncta, quæ per eum mandat filiis Israel. Mensa de lignis setim facta est, cujus longitudo duorum cubitorum, et unum habet cubitum in latitudine; altitudo ejus habet cubitum et semissem. Auro purissimo mensa tabernaculi inauratur, et labium aureum fit per circuitum mensæ, et corona aurea quatuor digitis alta labio mensæ aureo superponitur. Quatuor pedes habet mensa, et subter coronam erant circuli, per quos videlicet circulos immittantur vectes ab subvehendam mensam. Panes propositionis positi super mensam semper sunt: de quibus panibus in Levitico plenius, quot, et quales faciendi, vel quomodo ponendi fuerunt, refertur dicente Domino ad Moysen. *Accipies quoque similam, et coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas. Quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues, et pones super eos thus lucidissimum: ut sit panis in monumentum oblationis Domini. Per singula Sabbata mutabuntur coram Domino, suscepti a filiis Israel fœdere sempiterno; eruntque Aaron, et filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto* (*Lev.* XXIV, 2, 5, 9). Sicque fit ut mensa Domini nunquam panis inops remaneat; verum mox uno sublato, alius loco ejus substituatur. Quod in libro Regum scriptum est: quia David tabernaculum ingressus sanctos panes a sacerdotibus accepit (*I Reg.* XXI, 6). Sabbato mane factum est. Venit enim ad tabernaculum illa hora, qua panes septimanæ præcedentis sublati erant de mensa Domini, ut ponerentur panes novi, qui pridie fuerant cocti; sicque panes accepit, ut ne ad momentum quidem horæ mensa Domini sine pane remaneret. Coquebantur autem mane ante Sabbatum, ut Josephus scribit, panes: et Sabbato mane oblati ponebantur seni super mensam sacram, ab alterutrum conversi, duabus pateris aureis suppositis, thure plenis: qui permanebant ad aliud Sabbatum, et tunc pro illis alii deferebantur: et thure incenso in igne sacro, in quo omnia holocausta fiebant, aliud thus super alios panes adjiciebatur.

XLIV. Candelabrum tabernaculi, sicut et mensa, ante velum est, intra quod arca Testamenti posita est, et tres calami de uno latere hastilis egrediuntur, quatuor de altero. Diversis ergo locis calami egrediuntur de hastili, qui tamen omnes suo quique loco, et ordine reflexi in altum, ad unam perveniunt summitatem, quatenus æqualem super se positionem lucernarum valeant conservare. Habebat calamus primus tres scyphos, sphærulas, et lilia. Secundus calamus et ipse habebat tres scyphos, sphærulas, et lilia. Tertius similiter calamus tres scyphos, et tres sphærulas, et tria lilia habebat. Item ex alio latere hastilis primus calamus, secundus, et tertius tres scyphos, et sphærulas, tria quoque lilia habebat. Per singulos ergo calamos tres fuere scyphi, sphærulæ, et lilia. In ipso candelabro quatuor scyphi facti sunt: per singulos scyphos sphærulæ simul, et lilia deformata, et non super calamos, sed sub calamis esse jubentur. Quartus autem scyphus, sphærula, et lilium super calamos omnes juxta summitatem fuere candelabri; et hic scyphus cum sphærula, et lilio calamis altior eminebat. Omne opus candelabri, hoc est et stipes medius, et calami ex ipso procedentes, cum omni ornatu suo de auro fuit, et idem aurum ductile fuit. Ponuntur lucernæ septem super candelabrum, et lucebant ex adverso, et tabernaculum Domini illustrabant. Emunctoria, et vasa, ut quæ emuncta sunt exstinguantur, fiunt de auro purissimo. Omne opus candelabri cum universis vasis suis talentum auri purissimi habere monstratur. Talentum pondus plenum, ac perfectum

Digitized by Google

363 est. Altare thymiamatis auro vestitur purissimo, et tam craticula altaris, quam parietes, et cornua vestiri auro jubentur. Craticula quippe intus in medio erat altaris, ad accipienda nimirum thymiamata parata. Parietes vero foris parebant, et ipsa cornua foris parentia speciali fastigio altius eminebant. Et corona aurea per gyrum fit altari; et per singula latera annulis circumdatur: statque altare contra velum, quod ante arcam appensum est

CAPUT XIX.

De altari holocausti, et labro æneo. De atriis tabernaculi, et tentoriis atriorum. De columnis tentoriorum, et de basibus columnarum.

XLV. Dixit Dominus ad Moysen: *Facies altare de lignis setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, et tres cubitos in altitudine. Cornua autem per quatuor angulos erunt, et operies illud ære. Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, et forcipes, et fuscinulas, et ignium receptacula. Omnia vasa ex ære fabricabis; craticulam quoque in modum retis æneam, per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, quos pones super arulam altaris, eritque craticula usque ad altaris medium. Facies et vectes altaris de lignis setim duos, quos operies laminis æneis; et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum. Non solidum, sed inane, et intrinsecus cavum facies illud, sicut tibi in monte monstratum est* (*Exod.* XXVII, 1-8).

Facies et æneum labrum cum basi sua ad lavandum, ponesque illud inter tabernaculum testimonii, et altare; et missa aqua lavabunt in ea Aaron, et filii ejus manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur (*Exod.* XXX, 18-21).

Facies et atrium tabernaculi, in cujus plaga australi contra meridiem erunt tentoria de byssore torta. Centum cubitos unum latus tenebit in longitudine; et columnas viginti cum basibus totidem æneis, quæ capita cum celaturis suis habebunt argentea. Similiter in latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum; columnæ viginti, et bases æneæ ejusdem numeri, et capita eorum, cum celaturis suis argentea. In latitudine vero atrii quod spectat ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, et columnæ decem, et bases totidem. In ea quoque atrii latitudine, quæ respicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt, in quibus tentoria quindecim cubitorum lateri uni deputabuntur, columnæque tres, et bases totidem. Et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnas tres, et bases totidem. In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho, et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta, opere plumario. Columnas habebit quatuor, cum basibus totidem. Omnes columnæ atrii per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, et basibus æneis. In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit. Fietque de bysso retorta, et habebit bases æneas. Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus, et cæremonias, tam paxillos ejus, quam atrii ex ære facies (*Exod.* XXVII, 9-19).

CAPUT XX.

Item ex libro Exodi de eodem.

XLVI. *Fecit et altare holocausti de lignis setim, quinque cubitorum per quadrum, et trium in altitudine, cujus cornua de angulis procedebant, operuitque illud laminis æreis. Et in usus ejus paravit vasa diversa, lebetes, forcipes, fuscinulas, uncinos, et ignium receptacula. Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, et subter eam in altaris medio arulam, fusis quatuor annulis æneis per totidem retinaculi summitates, ad immittendos vectes ad portandum; quos et ipsos fecit de lignis setim, et operuit laminis æneis, induxitque in circulos, qui in altaris lateribus eminebant. Ipsum autem altare non erat solidum, sed cavum ex tabulatis, et intus vacuum* (*Exod.* XXXVIII, 1-7).

Fecit et labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubant in ostio tabernaculi. Et atrium, in cujus australi plaga erant tentoria de bysso retorta, cubitorum centum; columnæ æneæ cum basibus suis, viginti capita columnarum, et tota operis celatura argentea. Æque ad septentrionalem plagam tentoria, columnæ, basesque, et capita columnarum ejusdem mensuræ, et operis, ac metalli erant. In ea vero plaga, quæ occidentem respicit, fuerunt tentoria cubitorum 364 *quinquaginta, columnæ decem cum basibus suis æneis: et capita columnarum, et tota operis celatura argentea. Porro contra orientem quinquaginta cubitorum tentoria paravit, e quibus quindecim cubitos columnarum trium cum basibus suis unum tenebat latus. Et in parte altera, quia utraque introitum tabernaculi fecit, quindecim cubitorum æqua erant tentoria, columnæ tres, et bases totidem. Cuncta atrii tentoria byssus retorta texuerat. Bases columnarum fuere æneæ, capita autem earum cum celaturis suis argentea. Sed et ipsas columnas atrii vestivit argento. Et in introitu ejus opere plumario fecit tentorium ejus ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta; quod habebat viginti cubitos in longitudine. Altitudo vero quinque cubitorum erat juxta mensuram, quam cuncta atrii habebant tentoria. Columnæ autem in ingressu fuere quatuor cum basibus æneis, capitaque earum, et celaturæ argentea. Paxillos quoque tabernaculi, et atrii per gyrum fecit æneos* (*Exod.* XXXVIII, 8-20).

CAPUT XXI.

Expositio litteralis super caput istud.

XLVII. Intra introitum atrii ad orientem altare erat holocausti, non tamen in ipso introitu, sed ut vir quidam peritus longe ante me scripsit, versus austrum, cubitos habens quinque in longitudine, et totidem in latitudine, id est, quadrum, et tres in altitudine, factum quidem de lignis setim, ære cooperatum, craticulamque in modum retis habens

Digitized by Google

æneam : ut per crebras illius aperturas, sicut Venerabilis Beda dicit, ignis suppositus ad consumendas omnes hostiarum partes libere penetraret. Fuit enim prædictum altare cavum et inane intrinsecus, in singulis lateribus singulos habens annulos æneos, ut eis immissis duobus ex utroque latere vectibus de lignis setim, qui ære fuerunt cooperti, posset portari. Facta sunt autem in usus ejus vasa diversa ex ære, lebetes, scilicet quibus cineres suscipi ; et forcipes, quibus titiones sub altare in igne componi ; et fuscinulæ, quæ Græce creagræ vocantur, quibus cocta carnium frusta possent levari, et ignium receptacula. De his vasis, et de hoc altari ita quidam non minus disertus, quam religiosus scribit : *Facies in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, forcipes, atque fuscinulas, et ignium receptacula* (*Exod.* XXVII, 3). In Hebræo sic habetur : *Facies ejus ollas ad suscipiendos cineres ejus, et ejus palas, et ejus pelves, et ejus uncinos, et ejus ignium receptacula.* Palas videlicet ad levandos cineres, ollas ad suscipiendos, pelves ad sanguinem fundendum, uncinos ad levandas carnes de cacabis, ignium receptacula ad portandas prunas. Sequitur. *Craticulamque* subauditur, facies ei *in modum retis æneam, per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, quos pones super arulam altaris, eritque usque ad altaris medium* (*ibid.*, 4). De hac craticula magna ambiguitas est tam apud Hebræos, quam apud nostros : præcipue cum Hebraica veritas nonnihil a nostra translatione discrepare videatur. Sic enim habetur : *Facies ei Michar factura retis ænei, et facies super rete quatuor annulos æneos super quatuor fines, sive cornua ejus. Et dabis illam*, scilicet Michar, *sive pones illud*, scilicet rete, *subtus fundamentum areæ desubtus, eritque rete usque ad altaris medium.* Secundum hanc itaque lectionem non videtur Michar craticulam sonare, cui assandæ carnes imponerentur : sed opus quadrangulum propter levitatem undique perforatum, in similitudinem vasis factum : in quo quasi sedere altare videtur, cui parietum altitudo altare ambiens usque ad medium altaris elevata esset, in cujus quatuor angulis sursum quatuor annuli pendebant, per quos, vectibus insertis, altare ipsi insidens portaretur. Altare enim alios annulos non legitur habuisse, quibus portaretur, præter annulos retis.

XLVIII. Sed hoc rete utrum seorsum per se ab altari divisum, et separabile fuisset, et suum fundum in superiore parte altaris contineret, et sic parietibus suis altaris parietes ambiens includeret : an deorsum inferiori margine parietum opere fusili cohæreret, et aliquo intervallo latitudinis fundo suo in circuitu a parietibus remoto, ut tandem parietes suos usque ad medium altaris erigeret, non satis patet, nisi quod sequens dispositio conveniens videtur. Quidam hoc altare nec tectum desuper, nec fundum deorsum habuisse dicunt ; sed parietes tantum positos terra repleri, secundum quod dicit : *altare de terra facies mihi* (*Exod.* XX, 24), et in ejus area superiore ignem construi, ubi holocausta imposita cremabantur. **365** Fuere etiam qui dicerent inter parietes altaris craticulam positam, et usque ad medium altitudinis ejus erectam, et sub ipsa craticula arulam parvam formatam, et in eadem ignem exstrui, per ostium ad orientalem altaris parietem patens ; et sic carnes craticulæ superpositas introrsus cremari, fumo per os altaris desuper apertum egrediente. Et ne forte de ligneis introrsus altaris parietibus igne vicino comburendis, aliqua suspicio nasceretur, eadem ligna incombustibilia asseverant. Sed, si hæc ligna talia putanda sunt, ut vel aqua, vel igne omnino corrumpi non possent, quid opus fuerit æneis teg laminis extrinsecus, non videtur. Sed nec qualiter introrsum ipsa craticula cum vectibus suis apte collocaretur, aut quemadmodum per annulos ejus vectibus insertis altare portaretur, sive etiam quomodo sub illa arula interiori annuli craticulæ ponerentur, satis patere potest. Judæi, ubicunque dicimus aram, dicunt aream. Quod nos æreum, vel æneum altare propter laminas asseribus affixas dicimus, illi parietes areæ appellant. Hos parietes in quadrum positos usque ad summum repleri terra solere dicunt ; in summo glebarum parietibus supradictis inclusarum ligna poni, quibus sacrificia superponebantur ; craticulam vero utriusque altaris sive aream, sive æneam, dicunt esse opus quoddam, undique foraminibus plenum, quod ad similitudinem earum, quæ in Ecclesia sunt, Kias appellant. Hæ ab imo altaris, ubi terræ jungebatur usque ad medium ejus pertingebant. *Habebant illæ Kiæ per quatuor angulos in superiore parte sui, quatuor annulos. Annuli isti positi erant supra arulam altaris. Quod nos dicimus arulam, Judæi dicunt araciunculam, vel sulcum quemdam in medio parietum altaris fuisse, usque ad quem locum Kiæ altaris attingebant. Huic sulco annuli craticulæ supponebantur, quia illuc attingebant. His annulis inductis vectibus craticula, et altaris parietes simul portabantur. Credibile est, utrumque altare separatim, et craticulas eorum separatim portatas fuisse.* Hoc est, quod de altari holocausti, et de ejus craticula scribit.

XLIX. Inter hoc quoque altare, et tabernaculum labrum erat æneum (*Exod.* XXXVIII, 8). De quo quidem lego, et unde et ad quod factum fuit ; quia de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi, factum fuit : et ad hoc, ut missa in eo aqua lavarent in eo Aaron, et filii ejus manus et pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum. Sed quæri potest, qualiter erat factum, quanta videlicet ejus longitudo, et latitudo, et profunditas fuerit, et qualem dispositionem, vel formam habuerit, qualis etiam, quantaque ejus basis fuerit, quæ denique illæ fuerint mulieres, in ostio tabernaculi excubantes, et qualia, quanta, quæve earum fuerint specula, de quibus prædictum labrum factum fuerit. Et quidem non modicæ quantitatis videtur debere esse, quo tot sacerdotes tabernaculum ingredientes se lavare debebant : quot in tabernaculo servie-

Digitized by Google

bant. Mulieres vero in ostio tabernaculi excubantes, sanctas quidam intelligunt viduas, sanctasque virgines, votum castitatis professas; de quarum multitudine speculorum labrum æneum fabricatum fuit. Qualia vero, vel quanta, sive quot essent ipsa specula; quæ etiam ipsius labri forma, et dispositio fuerit, quæ ejus longitudo, vel latitudo, aut etiam profunditas, sacri eloquii auctoritas non declarat. Erat quoque ipsum tabernaculum atriis undique circumdatum, quæ tentoriis de bysso circumclusa erant. Ex quibus videlicet tentoriis, latus utrumque australe videlicet, et septentrionale centum in longitudine cubitos habuit, et ex utroque latere viginti hinc inde columnis suspendebantur. In parte quoque occidentali tentoria quinquaginta cubitorum erant, decem columnis suspensa. Et in parte orientali ad B latus dextrum tentoria quindecim cubitorum erant, tribus columnis suspensa; et ad latus sinistrum totidem tentoria, totidem columnis deputata, et inter utrumque latus erat in medio tentorium viginti cubitorum, non quidem de sola bysso, sicut alia tentoria, sed potius ex quatuor sæpe dictis coloribus contextum; quod ante quatuor columnas pendebat, ubi et introitus erat. Omnes istæ columnæ, quæ erant sexaginta, cubitos in latitudine quinque habebant, factæ quidem de lignis setim; sed laminis argenteis **366** vestitæ, capita quoque cum celaturis habentes argentea, et bases æneas; eratque juxta singulas bases paxilli, ut Josephus ait, magnitudine cubiti, quibus ipsa tentoria infe- C rius tenebantur, et tendebantur, quæ superius circulis inserebantur, et suspendebantur. Horum vero tentoriorum longitudines, quæ centum erant cubitorum, in australi simul, et septentrionali latere; longitudinem tabernaculi, quæ triginta tantum erat cubitorum, in oriente quidem quinquaginta cubitis, et in occidente viginti, excedebant. Et latitudines tentoriorum, quæ quinquaginta erant cubitorum, tabernaculi latitudinem, quæ non nisi decem cubitorum erat, in parte orientali, et occidentali viginti hinc inde cubitis excedebant. Tam longa igitur, tamque lata in circuitu tabernaculi prædicta erant tentoria, idem tabernaculum intra se habentia, ad occidentem conversum, ab oriente habens introitum: eratque ante atriorum introitum interius al- D tare æneum statutum, non quidem in ipso introitu, sed seorsum ad austrum, et inter illud altare, et tabernaculi ingressum, æneum labrum. De quibus videlicet tentoriis, et atriis, de quo etiam altari et labro hæc a nobis in præsenti juxta intellectum litteralem dicta sint.

CAPUT XXII.

Super capite præcedenti verba Venerabilis Bedæ presbyteri.

L. Altare holocausti quinque cubitos longitudinis, et totidem latitudinis, et tres habet altitudinis, quod operitur ære, et cornua per quatuor angulos ejus. Si quem movet, juxta litteram, quomodo ligna altaris, tanto igne vicino incombusta permanere po- A tuerunt, accipiat beati Hieronymi de hac quæstione responsum: *Altaris*, inquit, *lina, quæ de lignis paradisi sunt, non cremantur igne vicino, sed puriora redduntur.* Nec mirum hoc de sanctuario, et interioribus templi, et altari thymiamatis crederem: cum etiam amyton ligni genus, ligni in se habens similitudinem, quanto plus arserit, tanto mundius inveniatur. Vasa altaris diversa, lebetes, forcipes, atque ignium receptacula fieri jussa sunt. Lebetes cineres sanctos suscipiunt. Forcipes ad emendandum ignem altaris fieri debere credendum est. Forcipe, videlicet duplice ferramento sacerdotes ignem altaris emundabant. Fuscinulæ, quæ Græce vocantur creagræ, ad hoc in ministerio habebantur altaris, ut carnes victimarum per eas de caldariis auferrentur, atque B ad esum eorum, qui his erant reficiendi, afferrentur. Porro ignium receptacula ad hoc deputata sunt, ut per hæc ignis sanctus ab altari holocausti, ad altare thymiamatis vespere, et mane ad incensum ponendum deferretur. Cuncta ex ære vasa fiunt. Altare non solidum, sed inane, et cavum fieri præceptum est, ut copiosum haberet locum, ut vel ignem sacrosanctum, vel ligna ad ignem, vel holocausta, quæ igni erant consumenda, reciperet. Sed et in medio sui craticulam per totum in modum retis distinctam, in qua victimarum carnes comburendæ imponerentur; et subter eam arulam, in qua lignis compositis arderet ignis. semper ad devoranda holocausta paratus. Erat enim contra arulam ostium in pariete C altaris orientali; unde ligna ad alendum immitti, vel carbones, et cineres possent egeri. Craticula in modum retis distincta fuit, quo per crebras illius aperturas ignis suppositus, ad consumendas omnes hostiarum partes, libere penetraret. Quatuor annuli ænei per totidem angulos altaris fieri jubentur, et duo vectes: ut portare queant altare in circulis: altare holocausti foris ante ingressum stabat.

LI. Labrum æneum inter hoc altare, et tabernaculum positum est: quia bis quotidie idem ipsi sacerdotes, hoc est mane et vespere, cum ingrederentur, ad altare thymiama Domino oblaturi, in eo lavari præcepti sunt. Neque enim ibi quisquam de plebe lavari; sed ipse pontifex jussus est, et filii ejus, videlicet sacerdotes gradus inferioris.

D Et circa omnia, atrium erat tabernaculi, longitudinis habens cubitos centum, latitudinis quinquaginta. Occidentale latus atrii tentoria habebat per quinquaginta cubitos, et columnas decem, et orientalis atrii latitudo cubitos quinquaginta; **367** et ingressurus atrium tabernaculi habes ex utroque latere tentoria cubitorum quindecim, ternis suspensa columnis: et tentoria hæc de bysso erant retorta. In introitu atrii tentorium viginti cubitorum in quatuor columnis suspenditur; quia hoc in introitu atrii tentorium non sicut in reliquo atrio de bysso retorta; sed de quatuor fit coloribus, hyacintho videlicet, et purpura; coccoque bis tincto, et bysso retorta opere plumario. Tota longitudo, et latitudo atrii quæ per centenos, et quinquagenos cu-

Digitized by Google

bitos distincta, quinque habet cubitos altitudinis. Cuncta vasa tabernaculi fieri jubentur ænea. Paxilli tabernaculi, sive atrii ad hoc erant facti, ut infixi columnarum summitatibus, foris eminerent; et impositis sibi velorum, sive tentoriorum funibus, sic ea levantes a terra suspenderent. Ipsa autem tentoria, sive vela, ut recipere funes possint, habeant necesse fuit in superioribus suis ansas, sive circulos, quibus iidem funes immitterentur. Imponuntur paxillis columnarum funes tentoriorum, ut sic expansa atque in altum levata pulchritudinem tabernaculi compleant, et expansa funibus, ac sublevata vela, sive tentoria, decus sui operis mirificum, quod involuta nequiverant, cunctis longe lateque demonstrarent.

CAPUT XXIII.

De duodecim tribubus, quæ circa tabernaculum metabantur, et de Levitis, qui tabernaculum portabant.

LII. Hoc itaque modo factis dispositisque et tabernaculo, et omnibus quæ ad illud pertinebant, metabantur castra per gyrum ejus filii Israel. Ad orientem, hæ tres tribus castra fixerunt : Judas, Issachar, Zabulon; quorum fuit numerus a viginti annis et supra, centum octoginta sex millia quadringenti. Ad austrum, castra fixerunt Ruben, Simeon, Gad; quorum erat numerus centum quinquaginta millia, et mille quadringenti quinquaginta. Ad occidentem, fixere tentoria : Ephraim, Manasses, Benjamin; quorum erat numerus centum octo millia centum. Ad aquilonem castra posuere : Dan, Aser, Nephthalim; quorum erat numerus centum quinquaginta septem millia sexcenti. Summa quoque omnium, qui a viginti annis, et supra connumerati sunt, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. Inter has duodecim tribus et tabernaculum fixerunt Levitæ tentoria per gyrum, excubantes in custodiis tabernaculi. Lege librum Numeri (*Num.* I, 35). Ad orientem erant Moyses, et Aaron, et filii eorum habentes custodiam sanctuarii. Ad austrum fuerunt filii Caath : quorum erat numerus ab uno mense et supra, octo millia sexcenti; et a triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, duo millia septingenti quinquaginta. Isti in commotione castrorum sancta illa, et pretiosa, quæ in tabernaculo erant, in vectibus propriis portabant humeris : arcam scilicet, et propitiatorium, mensam cum thuribulis suis, mortariolis, phialis, et cyathis, candelabrum cum lucernis, et forcipibus, et emunctoriis, et cunctis vasis olei; altare aureum cum omnibus vasis, quibus ministratur in sanctuario; altare holocausti cum vasis suis, ignium scilicet receptaculis, fuscinulis, ac tridentibus, uncinis, et basillis. Hæc quidem erant onera filiorum Caath (*Num.* IV, 15); sed ea, quæ intra in sanctuario erant, solebant Aaron, et filii ejus prius involvere, et sic involuta eis portanda committere. Ad occidentem erant filii Gerson : quorum erat numerus ab uno mense et supra, septem millia quingenti; et a triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum duo millia sexcenti triginta. Hi portabant cortinas, et saga, tentorium, quod erat ex pellibus arietum rubricatis, et aliud tentorium, quod erat ex hyacinthinis pellibus, et tentorium, quod in introitu erat tabernaculi, et tentoria atrii, et velum, quod pendebat in introitu ejus. Habebant quoque ad hæc portanda duo plaustra tecta cum bobus quatuor. Lege librum Numeri (*Num.* IV, 3, 7). Ad aquilonem erant filii Merari, quorum erat numerus ab uno mense, et supra, sex millia ducenti; et ab annis triginta usque ad annum quinquagesimum tria millia ducenti. Isti tabulas tabernaculi portabant, et bases earum, et vectes, columnas quoque atrii ante Sancta sanctorum, et illas, quæ in introitu erant **368** tabernaculi, cum basibus earum, columnas quoque atrii, et bases earum, atque paxillos. Et quia valde magna erant onera eorum, habebant ad ea portanda quatuor plaustra tecta cum bobus octo. Igitur summa filiorum Levi, qui per gyrum tabernaculi fixere tentoria, ab uno quidem mense, et supra, viginti duo millia : et a triginta annis, et supra usque ad annum quinquagesimum, qui ingrediebantur, ut starent, et ministrarent in tabernaculo, octo millia quingenti octoginta.

CAPUT XXIV.

De dispositione tabernaculi, et ejus erectione.

LIII. Pendebat, sicut in libro Numeri (*Num.* IX, 16) legimus, semper super prædictum tabernaculum columna; in die quidem columna nubis, et in nocte columna ignis. Quandiu columna immobilis manebat, tandiu manebant filii Israel in castris. Quando vero nubes se movebat, et tabernaculum deserebat, stantibus levitis ad ostium tabernaculi, et duabus argenteis tubis concise clangentibus, dissipabant Levitæ tabernaculum, et singulis quod eis competebat accipientibus, humerisque impositis, quæ non nisi humeris portari debebant, plaustris etiam immissis, quæ in plaustris ferri licebat; accipientibus nihilominus reliquis tribubus tentoria, et cunctam supellectilem suam, proficiscebantur omnes sequentes nubem. Et congrue profecto, et ordinate gradiebantur. Primum quidem, ut mihi videtur illæ tres tribus, quæ ad orientem erant : Judas, Issachar, Zabulon; et post eos illæ quæ ad austrum; Ruben, Simeon, Gad; et deinde illæ quæ ad occidentem : Manasses, Ephraim, et Benjamin; et novissime illæ, quæ ad aquilonem : Dan, Aser, Nephthalim. Et tandiu gradiebantur, quandiu eos nubes præcedebat. Ubi autem nubes requievit, ibi depositis oneribus, sub ipsa, ut arbitror, nube, rursum tabernaculum erigebant in circuitu ejus, et a levitis, et a cæteris tribubus, prout singulis competebat, fixis tentoriis. Omnibusque ex more dispositis, in eodem manebant loco, donec iterum nubes tabernaculum deserente, eo rursum dissipato, ac secum eo, quo jam diximus, modo deportato, prædictam nubem quo ducebat, sequebantur. Et hoc

Digitized by Google

modo illis quadraginta annis, quibus in deserto fuerunt, loca, et mansiones, quæ ab exitu de Ægypto, usque ad introitum in terram Chanaan quadraginta duæ fuerunt, mutabant, quousque ad terram promissionis pervenerunt, ubi de loco ad locum tabernaculum diutius non portabant.

CAPUT XXV.

Repetitio omnium supradictorum, cum qua quædam superadduntur, quædam vero alio modo dicuntur.

LIV. Libet hæc ab ipsa inchoatione etiam sub alienis verbis repetere, ut dum diversa quædam, et quasi aliquo modo adversa esurienti lectori nostro apponimus, intelligentiæ ejus palatum ex ipsa quoque ferculorum varietate refovere possimus. Scribit vir quidam disertus, ac inter magistros cæteros magister scientiæ admirabilis, hoc modo de parietibus, de tabulis, et basibus, de vectibus, et annulis : *Ait Dominus ad Moysen : Sume primitias, id est pretiosa quæque a populo Israel; sed ab eo tantum, qui ultro obtulerit; aurum scilicet, et argentum, et æs, hyacinthum, et purpuram, coccumque bis tinctum, id est setam hyacinthini, purpurei, et coccinei coloris; et byssum, quod est genus lini Ægyptii molle et candidum; pilos quoque caprarum, et pelles arietum rubricatas, quas Parthicas dicimus, quia Parthi sic colorare solebant eas; et pelles hyacinthinas, et ligna setim.* Est setim nomen montis, et regionis, et arboris, quæ similis est albæ spinæ in foliis et est levissimum lignum, et imputribile, et incremabile. Oleum quoque ad luminaria concinnanda ; aromata in unguenta, et thymiamata boni odoris, et lapides onychinos, et gemmas, ut faciant mihi sanctuarium : ut habitem in medio eorum, ne sit eis necesse recurrere ad montem hunc, juxta similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi, facies illud. Tabernaculum erat domus Deo dicata, quadrata, et oblonga; tribus clausa parietibus, aquilonari, meridiano, occidentali. Liber patebat introitus **369** ab oriente, et sole oriente, radiis ejus lustraretur. Longitudo erat triginta cubitorum, latitudo decem, altitudo decem. In latere meridiano erant tabulæ de lignis setim stantes viginti, quarum unaquæque in longitudine cubitos habebat decem, in spissitudine digitos quatuor, in latitudine cubitum, ac semissem. Jungebantur mutuo sibi incastratæ, ne rimula ibi esset, aut planities parietis inæqualis; et erant inauratæ ex utraque parte : superpositæ vero singulæ duabus basibus argenteis perforatis, in quarum foraminibus cardines aurei immittebantur : in utroque angulo tabernaculi tabulæ eminentes, sicut in scriniis fieri solet. Augustinus tamen videtur velle, quod una basis esset sub tabula, et altera supra pro epistylio. Sed littera certa est, quæ dicit : *Binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur* (*Exod.* XXVI, 19). Utrum tabulæ ante suspensæ a terra super bases, an inter bases ad terram pertingerent, non legitur. Eodem schemate factus est paries aquilonaris. Ad occidentem vero erant sex tabulæ, per omnia similes aliis, et eodem modo stantes in basibus. Sed cum non implerent, nisi novem cubitos, dimidius cubitus ex utraque parte vacuus patebat; et ideo tabula uno cubito lata secta est per medium ; et factæ sunt duæ tabulæ semicubitales, quæ utrinque appositæ parietem occidentis aliis duobus compaginaverunt, quæ etiam singulæ duabus basibus immittebantur. Ne vero ventorum impulsu, vel qualibet alia causa parietes concuterentur, vel concurrerent, singulæ tabulæ annulos habebant aureos per ordinem velut quibusdam radicibus confixos; per quos vectes per transversum parietis immissi tabulata firmiter continebant.

LV. Erant autem vectes de lignis setim inaurati, singuli quinque cubitorum, immittebaturque caput unius vectis in caput alterius in modum cocci, ut ex pluribus sic innexis quasi unus vectis immensæ longitudinis videretur; sicut in baculo Sambucæ pontificalis eburneo fieri solet. Hoc sane planum esset, nisi Dominus addidisset, quod quinque vectes essent in latere ad aquilonem, et totidem ad austrum, et totidem ad occidentem, quod minus congruum videtur. Cum enim quilibet vectis quinque esset cubitorum, quinque protensi in latere uno viginti quinque cubitos tantum contingebant; itaque quinque cubiti illius lateris manebant intacti. In occidentali vero latere duo tantum sufficiebant. Sunt qui dicunt de tribus vectibus superfluis unum superadditum quinque vectibus in latere septentrionali, et alium in australi, et sic quod deerat adimpletum : Tertium sectum in duos, qui positi erant in duobus angulis parietum, ut recurvati juncturas angulorum colligarent, sicut juncturæ angulorum in scriniis trabis ligari solent; sed hoc ex littera conjici non potest. Quia ergo in littera est, quinque vectes immitti per medias tabulas a summo usque ad summum, de altitudine parietis intelligi patet. Erat ergo juxta summitatem parietis supremam unus ordo vectium extensus per totum parietem in longum, et juxta summitatem inferiorem alius ordo in eumdem modum, et in media planitie tres ordines : ut quod dictum est quinque vectes fuisse in uno latere potius ad numerum ordinum, quam vectium referatur. Erant itaque in unaquaque tabula quinque annuli, et in unoquoque duorum parietum vectes triginta, quia quinque ordinum quilibet sex vectes habebat. In latere occidentali decem vectes bini per singulos ordines. Sunt qui dicant non omnes vectes ejusdem quantitatis fuisse : Sed quilibet vectium, præter quinque qui erant in magnis lateribus, erant sex cubitorum : et ita quinque sufficiebant ad continendum triginta cubitos ; et quinque vectes, qui ad occidentem erant, singuli duorum erant cubitorum ; sed Josephus (311) loquens de his vectibus, ait : *unoquoque habente magnitudinem cubitorum quinque.*

LVI. Scribit vero et hoc modo de duobus velis, quorum erat unum in introitu tabernaculi, aliud

(311) V. JOSEPHUM, *Antiq.* l. III, c. 5.

Digitized by Google

vero Sancta sanctorum a sanctis dividebat, et de utriusque columnis. *Tabernaculum hoc in duas partes distinctum erat. Posterior pars ad occidentem decem cubitis protendebatur, et ita quadra erat; in longum scilicet, et latum, et in altum decem cubitorum. Hæc pars atrium dicebatur, vel Sanctum sancti, vel Sanctuarium sanctuarii, vel Sancta sanctorum. Anterior pars ad orientem viginti cubitis protendebatur, quæ solis concedebatur sacerdotibus : et hoc dicebatur Sanctum, vel Sancta, vel Sanctuarium. Respectu hujus posterior dicebatur Sanctum sancti, id est, Sanctius sancto; ut dicitur* **370** *Dominus dominorum, et Rex regum.* Ad alterutras vero partes separandas positæ erant in medio quatuor columnæ de lignis setim deauratæ, capita habentes aurea, et bases argenteas. Tamen Josephus dicit quatuor fuisse tabulas ad modum aliarum operatas, æqualiter a se distinctas, inter quas tres angusti patebant ingressus. Super capita vero columnarum superpositi erant duo vectes decem cubitorum a pariete in parietem protensi. In quibus per circulos aureos immissum pendebat velum, ante quatuor columnas extensum, quadrum ex omni parte, scilicet decem cubitorum, ut ex omni parte prohiberet aspectum interiorum. Erat autem velum factum ex bysso retorta, quod est genus lini candidissimum, et molissimum, et de hyacintho, et purpura, et cocco bis tincto, id est de filis sericis hyacinthini, purpurei, coccinei coloris, opere plumario compositum, id est acupicto; pluma enim lingua quadam acus dicitur. Hoc genus veli vulgo bustratum, quasi bis stratum dicitur. Primo enim fit tela, cui cum opere manuali supersuuntur multæ picturationes. Sunt qui dicunt opus plumarium a simili avium, quibus superaddita est plumarum varietas. Idem opus etiam polymitum a πολύ quod est multum, pro multitudine picturarum. Erat autem hoc velum pulchra varietate contextum ex universis, ut ait Josephus, floribus quos gignit, humus, et aliis picturis, quas poterant interserere pictores præter animalium formas. In ingressu vero tabernaculi quinque columnæ erant de lignis setim deauratæ, capita habentes aurea, bases vero æneas, super quas duo vectes, vel unus decem cubitorum protendebatur a pariete in parietem in utroque capite, suo parieti insertus ad modum trabis in domo. A quo dependebat aliud velum per circulos aureos insertum, ad modum prioris operatum; sed secundum Josephum usque ad medietatem columnarum dependebat, tegens eas per quinque cubitos : reliqui enim usque ad terram ad ingressum sacerdotum patebant. Super hoc vero dicit aliam cortinam laneam superpositam usque ad terram pertingentem, funibus per annulos eam ducentibus, et retrahentibus; ut in diebus festis reducta præberet aspectum tabernaculi; in aliis diebus superducta prohiberet aspectum, præcipue cum nubilum videretur. Textura enim fortis erat, et facile laborem sustinebat : Etiam in ingressu templi similem dicit fuisse appensam.

LVII. Erat autem in interiori sanctuario arca cum his, quæ in ea reposita diximus, et cum his, quæ erant ei superposita. In anteriori vero candelabrum ad austrum, mensa ad aquilonem; in medio autem velum; non longe ab aditu altare aureum, quod Josephus thuribulum aureum vocat, de quo post dicitur. Scribit etiam sic de cortinis, et de sagis, ac de duobus tecti operimentis. Tectum tabernaculi non acuminatum, sed planum ad modum domorum Palestinæ fuit, quatuor operimentis aptatum. Primum operimentum cortinæ decem, quæ etiam vela, vel tentoria, vel quandoque tabernaculum vocantur : quæ erant factæ de quatuor prædictis coloribus opere plumario. Longitudo cortinæ unius erat viginti octo cubitorum, latitudo quatuor : quarum quinque mutuo sibi jungebantur, et quinque similiter; ut quasi duæ cortinæ ex quinis sibi conjunctis redderentur. Jungebatur autem ansulis hyacinthinis, quæ in unoquoque latere cortinarum dispositæ, altera circa alteram veniebat, et binæ annulo aureo colligebantur, sicut ad ornatum colli fibulæ aureæ, vel argenteæ utramque oram caputii solent colligare. Dicit tamen Josephus annulis aureis, et uncinis fuisse conjunctas. Secundum operimentum erant saga cilicina, quæ et vela capillacia quandoque vocantur. De pilis caprarum, quos capillos quandoque dicimus ad differentiam lanæ ovium, facta erant, de quibus et cilicia erant. Unde et illa saga cilicina dicta sunt, quæ pro asperitate saga dicebantur. Unde quosdam pannos asperos sagios dicimus, vel forte ex quadratura dicta sunt saga. Unde et militare pallium a Gallis inventum, quia quadrum erat, sagum dictum est; quod tamen ex aspero fiebat panno contra aeris intemperiem, potuit dici sagum. Erant autem saga hæc undecim; longitudo sagi unius habebat cubitos triginta, latitudo quatuor, et erant quinque sibi mutuo juncta, ut quasi unum facerent sagum; et alia sex quasi in unum sagum juncta. Jungebantur autem annulis æreis insertis ansulis circa se venientibus. Utrum autem singulæ cortinæ, vel saga sibi invicem illa copularentur : an quinque cortinæ sibi consutæ filo inseparabiliter in unam cortinam junctæ **371** erant, et aliæ quinque similiter, et ad tegendum tabernaculum, hæ duæ magnæ cortinæ tantum annulis, et ansulis jungerentur, non elucet. Quomodo vero ex his tegebantur tabernaculi posteriora videamus.

LVIII. Secundum Bedam protendebantur decem cortinæ sibi copulatæ per transversum totum operientes tabernaculum, et descendentes per latera, uno cubito distabant ex omni parte a terra; et quia simul junctæ quadringenta cubitos implebant, longitudinem tabernaculi quæ erat triginta cubitorum, tegebant : et quinque cubiti dependebant juxta latus occidentale, alii quinque descendebant ante aperturam, quæ erat ad orientem; tamen ne incompositæ penderent, utrobique cortinæ transgredientes duo magna latera tabernaculi usque in

Digitized by Google

medium aperte trahebantur, sibique mutuo jungebantur. Et similiter in latere occidentis : ex omni parte illa tabernaculum tectum erat cortinis, uno tantum cubito circa terram ex omni parte non velato. Supponebantur saga similiter per transversum : sed, quia erant triginta, per latera descendebant usque ad terram : et ita cubitum cortinis non velatum ipsa velabant. Et qui ex transverso quadraginta quatuor cubitos habebant, cum essent undecim simul juncta, et unumquodque erat quatuor cubitorum, longitudinem tabernaculi triginta cubitis tegebant ; de quatuordecim qui supererant, septem descendebant ad orientem, et septem ad occidentem. Partes vero sagorum, quæ supererant, pendentium juxta duo latera magna usque ad terram, ex utraque parte reducebantur, ad tegendum introitum orientalem. Sed quia septem cubiti ex utraque veniebant, in spatio vero introitus decem tantum, supersuebatur sagum sago : vel forte in summitate cujusque, duo cubiti retroplicati consuebantur instar orarum vestimenti, et tunc ex æquo venientia saga de lateribus in medio introitus copulabantur in eodem loco, in quo et cortinæ. Et similiter in latere occidentis propter hujus supersuturam, vel replicationem sagorum, dicit Beda, primum dixisse Dominum Moysi : *Sextum sagum in fronte tecti duplices* (*Exod.* xxvi, 9), id est dimidium sagum, quod excedit cortinas, in introitu replicabis : et primo planius addidit, quod superest sagis, id est unum sagum, quod amplius est, ex medietate ejus, operies posteriora tabernaculi, id est latus occidentis. Duplicabantur autem ita, ut impetum ventorum possent sustinere, et secundum hanc dispositionem, tabernaculum ex omni parte tegebatur sagis usque ad terram, et nihil ex eo videbatur, et tentorium, quod erat in introitu pretiosum, invisibiliter ibi erat ; et cum sacerdotes intrabant tabernaculum, vel necesse erat tollere saga et cortinas, ut subintrarent, vel si in medio jungebantur, uncinis et annulis ad introitum eorum dissolverentur. Alia est Josephi dispositio, cui consentit Origenes, et videtur probabilior: Ait enim decem cortinas sibi mutuo junctas, ut dictum est, a fronte tabernaculi super introitum extendi per transversum, et tegere per totum tabernaculum, et descendere juxta latus occidentis usque ad terram ; introitum vero non tegi aliqua parte cortinarum, cum proprium haberet velum. Similiter et de sagis, totum dicit operiri tabernaculum, excepto introitu ; sed quia duo cubiti sagorum supersunt cortinis ex utraque parte, dicit eos replicari sub cortina, ne ventus intrans inter saga, et cortinas totum concuteret operimentum, pro quo et dictum putat : *Sextum sagum in fronte tecti duplices*. Sed etiam secundum hoc speciosa, et pretiosa plurimum pars extrinseca tabernaculi non videbatur, nec illud cortinarum, quod circa tabernaculum defluebat. Frustra ergo tanti operis facta videbantur : quocirca forte ex omni parte cortinæ et saga funibus extendebantur A circa tabernaculum, et paxillis æreis colligebantur funes (*Exod.* xxvii, 20) ; quia paxillos habuisse tabernaculum infra Moyses dicit, et in modum tecti dependentis circumquaque attollebantur, ut et tabernaculum undique videri posset, et circuiri ab ingredientibus sub cortinis. Quocunque modo hæc duo operimenta deposita fuissent, de duobus reliquis non est quæstio. Sane tertium erat operimentum de pellibus arietum rubricatis, quæ superiora tantum tegentes, ad latera non descendebant, funibus, et paxillis æreis affixis terræ circumligatæ. Quartum quoque operimentum in eumdem modum erat superpositum de pellibus arietum hyacinthinis ; superposita vero erant duo hæc propter æstum, et imbrium diffusionem. Multus itaque stupor, ut ait B Josephus, habebat a longe inspicientes ; **372** nam colorem ejus in nullo putabant differre a cœlo.

LIX. De arca quidem scribit sic, et de propitiatorio, et de his, quæ cum eis intra velum erant. Longitudo, inquit, arcæ habebat duos cubitos, et semissem : latitudo cubitum similiter, et dimidium. Josephus cubitum vocat hic palmum ; et dicitur arca non habuisse pedes, et deaurata esse intus, et foris auro mundissimo. Factaque est supra corona aurea ad modum scilicet labii, quod in mensis, et in scacariis fieri solet ; et per utriusque latus longitudinis erant bini circuli aurei, totum lignum penetrantes, et per eos vectes de lignis setim deaurati immittebantur, quibus arca ferebatur : nec unquam extrahebantur : in qua posita est testi- C ficatio : id est tabulæ, in quibus scriptum erat testamentum tantum, quantum ibi reposita testimonia dici possunt. Posita est ibi urna aurea plena manna, in testificationem quod panem dedisset eis et de cœlo. Tabulæ in testificationem, quod in legem naturalem sopitam in cordibus suscitaverat in scripto. Virga Aaron, in testimonium quod omnis potestas a Domino Deo est. Deuteronomium in testimonium pacti, quod dixerant : *Omnia, quæ dixerit nobis Deus, faciemus*. Ob hoc dicta est arca testamenti, vel testimonii, et ob hoc etiam tabernaculum, vel testimonium dictum est : et ideo etiam, quia causæ præ foribus ejus agebantur. Factum est etiam super arcam propitiatorium au- D reum : id est aurea tabula, ejus longitudinis, et latitudinis, cujus est arca, ut eam tegere posset : de spissitudine ejus non legitur. Hoc dicebatur oraculum, quia Deus de loco isto responsa dabat. Responsum enim divinum oraculum dicitur ; quia orantibus datur. Dicebatur etiam propitiatorium ; quia exinde loquens Dominus propitiabatur populo : vel quia die propitiationis dicebant gloriam Domini semper ibi descendere. Ex utraque vero parte oraculi, scilicet in duobus angulis anterioribus, positi sunt duo cherubin aurei, et productiles, non fusiles scilicet, sed tunsionibus malleorum producti. Sunt autem, ut dicit Josephus, animalia volatilia habentia figuram, quæ a nullo hominum est inspecta. Hæc dixit Moyses se in Dei

Digitized by Google

sede conspexisse figurata. Cherub unus respiciebat alterum; versis tamen vultibus in propitiatorium: duabus quoque alis expansis, et mutuo se tangentibus velabant oraculum, alas alias ex opposito extendebant.

LX. De mensa, et ejusdem vasis hoc modo scribit: Ait Dominus ad Moysen. *Facies et mensam de lignis setim, habentem duos cubitos in longitudine, et in latitudine cubitum, in altitudine cubitum cc semissem.* Spissitudinem tacet: *Et inaurabis eam ex omni parte auro purissimo* (*Exod.* xxv, 23). Erat autem, ut dicit Josephus, hæc mensa proxime velut delphica, habens quatuor pedes, qui dicuntur ejus altitudo. Erantque ex medietate partis inferioris rotundi, et tornatiles, pars superior operis quadrangula erat. In singulis vero pedibus erat annulus aureus, sinusque erat in pede, ubi annulus missus erat. In annulis vero vectes aurati, quibus ferebatur mensa; erat autem labium in ea per circuitum sicut in arca; et labio affixa erat aurea corona, alta quatuor digitis: ita ut medietas ejus super mensam emineret, ne superposita caderent ex ea. Altera medietas inferius pendebat ad decorem, et erat corona hæc interrasilis: id est interpolata celaturis, et plano. Erant autem, ut aiunt Hebræi, cellaturæ illæ quasi imagines regum, et propheticæ: tot sunt ibi imagines factæ, quot reges futuri erant in Jerusalem a David usque ad Sedeciam: tamen Josephus videtur velle non fuisse aliud labium in ea, nisi hanc coronam interrasilem, id est reticulatam. Huic vero superposita erat alia corona minor ista, sed quanta et quomodo superposita, et an plana, an interrasilis, nescimus; tantum aureola vocatur. Hebræi dicunt et hanc prophetice additam, ad præsignandam divisionem regni in duo regna. Fuit enim regnum Israel populosius regno Juda; sed tamen minus dignum, et ideo aureola superposita erat, et tamen minor. Mensa hæc ponebatur in tabernaculo ad Aquilonem non longe ab aditu, et ponebantur super eam duodecim panes azimi de simila munda valde, et ponebantur seni altrinsecus, et constabant singuli de duabus decimis Ephi, quas Josephus duos assarios vocat; et patena aurea singulis superponebatur, et super patenam pugillus thuris. Josephus dicit phialas aureas superpositas, plenas thure. Hi diluculo Sabbati recentes et calidi imponebantur mensæ, et erant ibi immoti usque ad Sabbatum sequens; tunc illis sublatis; et toto thure incenso, super altare novi cum alio thure substituebantur: **373** sublatos vero soli sacerdotes comedebant; unde sacerdotales dicebantur, vel etiam ideo: quia, ut ait Josephus, Deus præceperat quod soli sacerdotes panes illos formarent, et coquerent; et ponerent in mensa, et tollerent; ipsi tamen non observarunt hæc. Dicebantur enim panes propositionis, quia propositi erant coram Domino in memoriam sempiternam duodecim tribuum filiorum Israel: vel porro positi, id est longo tempore positi; vel per totam hebdomadam, vel in æternum per successionem ponendi.

A Præcepit quoque Deus parari ex auro purissimo quatuor genera vasorum, ad offerenda libamina, quæ ab offerentibus sacerdoti libanda, id est gustanda, et a sacerdotibus Domino libanda, id est fundenda, dabantur; et ponebantur super mensam, scilicet acetabula, phialæ, thuribula, cyathi. In his vinum, quod debebat offerri, prævidebatur, et prægustabatur, utrum dignum esset offerri, an non. Sed quia in colore, et in sapore vinum dignoscitur, dicitur quod phialæ vitreæ erant. Unde et a phialim, quod Græce vitrum dicitur, sic vocabantur: in imo angustæ, in superiori parte amplæ, in quibus color et sapor poterant dignosci, quas Hebræi scutellas dicunt. Cyathi vero minores, et angustiores erant, et aurei, cum quibus fundebatur vinum super altare B pro hostiæ libamento. In thuribulis, quæ et mortariola dicebantur, thus præcognoscebatur, et offerebatur: similiter et in acetabulis acetum. Sed quia nunquam, aut raro occurrit de oblatione aceti, quidam dicunt acceptabula; ubi scilicet prævidebatur a sacerdotibus, quæ debebant offerri, utrum accepta essent, id est idonea, an non. Postea subdividit acceptabula in tria: in phialas, in quibus vinum; in thuribula, in quibus thus, et simila, et granum, et sal; et cyathos, in quibus oleum. Sumebant enim sacerdotes prius de his, quæ offerenda erant, portiunculas, quas in hujusmodi vasis ponebant ad prægustandum, quasi delibando de singulis, quæ libamina dixit Moyses offerenda, id est de offerendis sumenda. C

LXI. Scribit quoque de candelabro secundum hunc modum. Præcepit quoque Deus candelabrum fieri ex auro purissimo ductile. Josephus tamen fusile dicit, cujus hastile basi infixum erat, et ferreum, supervestitum calamis aureis quinque geniculatis ad modum cannæ; quinque autem capita calamorum inter se jungebantur. Capita habebant tumentia: et invicem ad modum scyphi, quam cuppam dicimus, jungebantur, tanquam duo scyphi in modum nucis: et ex fundo cujusque scyphi procedebant flores recurvi, quasi lilia; et in ipso fundo inter scyphum, et lilia erat sphærula volubilis, sicut in capitibus cathedrarum subsunt sphærulæ volubiles: et ita cum in hastili quinque calami in hunc modum essent copulati, quatuor erant juncturæ, quarum quæque habebat scyphos, quasi duos junctos, et sphærulas simul, et lilia. Et hoc est quod Moyses dicit, in hastili quatuor fuisse scyphos in modum nucis; tamen Hebræus non dicit scyphos, sed dicit nigellatas rotunditates, scilicet nigello distinctas. Ex hoc hastili procedebant ex lateribus tria brachia hinc, et tria inde ferrea, quorum unumquodque supervestitum erat calamis aureis ad modum hastilis, et in junctu- ris coibant capita calamorum, quasi scyphi in modum nucis cum sphærulis, et liliis. Et quia in unoquoque tres scyphos dicit Moyses fuisse, videtur unumquodque quatuor calamos habuisse: tamen quibusdam videntur sphærulæ non fuisse in fundo scyphorum, ut dictum est, sed in media planitie cu-

Digitized by Google

jusque calami sphærulis volubilis superposita. Sic erat candelabrum ex ferro calamis aureis superinducto factum, si fusile fuit; si vero ductile, simpliciter ex auro fuit, et malleis mirabili artificio in hanc formam productum. Erat autem, ut dicit Josephus, ex septuaginta partibus compositum, in una basi erectum. Sic in hastili, et brachiis erant calami triginta novem : non integri, sed ex duabus partibus. In medio, ubi partes jungebantur, erat sphærula superposita, ne junctura videretur, et putaretur calamus unus : et ita erant calami quinquaginta octo, cum totidem sphærulis ; quinque partes in basi septem lampadum sedes. Quocunque modo factum fuerit in summo, septem habebat capita æqualia, super quæ ponebantur septem lucernæ aureæ. Infusoria etiam septem ex auro erant, quibus oleum lucernis infundebatur. Præcepit etiam Dominus offerri a filiis Israel oleum olivarum purissimum, piloque tusum. Hoc enim purius est, quam nuceum, vel lineum, vel myrrhinum, vel raphaninum : ut semper arderet ex **374** eo lucerna in tabernaculo testimonii, quam accendebant Aaron et filii ejus vespere; et usque mane lucebant super candelabrum septem lucernæ coram Domino; in die vero tres tantum. Lychnus lucernæ papyreus erat. Cincendula vero, quam mengum diximus, aurea. Erantque ibi forcipes ex auro ad emungenda, vel exstinguenda licinia ; vascula etiam ex auro erant ad exstinguendum in aqua quæ emungebantur, ne tetrum redderent odorem. Omne pondus ejus, cum vasis suis habuit talentum auri ad pondus sanctuarii. Tria enim habebant talenta. Minus quinquaginta librarum, quod est institorum. Medium septuaginta, quod erat civium. Maximum centum viginti, quod erat sanctuarii. Tamen Josephus dicit ipsum habuisse minas centum, quas Hebræi cinthares dicunt, Græca lingua interpretatum talentum nuncupatur. Positum autem erat ad austrum contra mensam non recte quidem, sed oblique.

LXII. Sic quoque scribit de altari incensi. Factum est hoc altare de lignis setim, habens cubitum longitudinis, et alterum latitudinis, id est, in quadrum, et duos cubitos in altitudine; vestitumque erat auro purissimo, cornua habens, et craticulam auream, et catenas, et annulos, et vectes aureos instar prioris. Utrum vero arulam haberet, an cineres acciperet terra, ambiguum est. Josephus addit; et per angulos singulos coronas sex habebat ex auro purissimo, quod singulariter forte in Exodo dictum est : *Facies coronam auream per gyrum* (*Exod.* xxx, 3). Hoc altare dicebatur incensi, vel thymiamatis; quia singulis diebus mane, et vespere ad consumendum juge sacrificium super illud altare incendebatur thymiama, sacrificatum Domino; fuerunt tamen qui dicerent mane solum incensum, id est thus superimponi : vespere pro dignitate sacrificii vespertini thymiama. Cæterum utrum altare hoc esset intra Sancta sanctorum, an in sanctuario cum candelabro, et mensa, sancti Patres videntur dubitare. Nec est putandum dubium venisse, quod esset in sanctuario, cum Hebræi hoc dicant, et Josephus planius, et prima proportio tabernaculi facta a Moise innuat : nisi quia Paulus ad Hebræos thuribulum aureum ponit intra Sancta sanctorum (*Hebr.* ix, 3). Potuit sane esse, quod in templo, ubi omnia ampliata fuerunt, et multiplicata, præter altare aureum quod erat extra velum, ad quod bis in die necesse erat ingredi, erat superadditum thuribulum in abdito, in quo summus sacerdos prunas, et thymiamata, quæ secum ferebat, adoleret, quando ad interiora contingebat ipsum penetrare.

LXIII. De atriis vero hoc modo scribit. Erat autem atrium circa tabernaculum in latere meridiano centum cubitorum ; et in aquilonari centum ; in orientali vero quinquaginta, et totidem in occidentali ; et sic quadrum erat; sed in forma altera parte longiori. Erantque in latere australi viginti columnæ, altæ quinque cubitis, capita habentes argentea cum celaturis, cum basibus æneis, spatio quinque cubitorum inter se distantes, super quas annuli singuli inerant; pertingebantque funes ab annulis usque ad capita paxillorum, qui erant magnitudine cubiti, et per singulas columnas in terra valide fixi, ut atrium immobile custodirent. Cortina vero de bysso mollissima, centum cubitorum in longum, et quinque in altum per columnas dependebat a capite usque ad basem diffusa, ut nihil a pariete differre videretur, nisi forte pro aeris intemperie quinque retro funibus et paxillis traheretur, ut sub ea, tanquam sub tecto populus reciperetur. In eumdem modum latus aquilonis viginti columnas et cortinam habebat diffusam. Ab occidente vero decem columnæ, et cortina cubitorum quinquaginta, atrium cingebat. In ingressu vero ad orientem tres columnæ hinc, et tres inde stabant, et cortinæ juxta has diffusæ nihil a prioribus differentes. In medio vero lateris ejus quatuor erant columnæ in modum portarum, quibus appensum erat velum, de quatuor pretiosis coloribus contextum opere plumario, quod ad ingressum, vel egressum de facili attolli et deponi poterat. Notandum tamen in longioribus lateribus fuisse columnas viginti unam, inter quas erant viginti aperturæ centum cubitorum, et in duobus minoribus novem; sed propter angulares, quæ communes erant duobus lateribus, dicuntur ibi viginti, hic vero decem.

LXIV. Sic etiam scribit de altari holocausti, et de labro æneo (*Exod.* xxvii, 1). Præcepit quoque Deus fieri altare de lignis setim ; altare hoc dicebant holocausti, vel holocaustorum, vel holocaustomatum, et posset dici sacrificiorum : sed a **375** digniori nomen accepit. Erat autem in longitudine, et latitudine quinque cubitorum, scilicet quadrum, et in altitudine trium. Cui tanquam turris in alto ad horam ministrationis aliquid apponebatur, in quo staret minister, quod impleta ministratione tollebatur. Altare enim gradus habere prohibetur, eratque concavum instar arcæ sine operimento ; parietes lignei, sed operti erant ære intus, ut extra

Digitized by Google

uri non possent, sicut nec amiton, vel lignum paradisi quodlibet, quod urendo fit mundius; cujus area, sive arula erat, tanquam fundus arcæ, super quam fiebat ignis, qui per fenestram, quæ erat in latere orientali imponebatur. In quatuor angulis superioribus erant extra quatuor cornua recurva, in quibus quatuor catenæ annulis inserebantur, de quibus dependens craticula erat ærea, in modum retis facta; et usque ad medium altaris descendebat, super quam cremanda in odorem Domino ponebantur, quæ ignis per oculos craticulæ ascendens de arula consumebat. Circa vero angulos inferiores quatuor erant annuli ærei, in quibus vectes imponebantur de lignis setim, operti ære, ad deportandum altare. De hoc tamen altari, et craticula ejus ambiguitas est non solum inter nos, verum etiam inter Hebræos, præcipue cum Hebraica veritas a nostra translatione nonnihil discrepare videatur. Nos quidem sic habemus: *Facies craticulam in modum retis æneam per quatuor angulos* (*Exod.* xxvii, 4). Erunt quatuor annuli ænei, quos pones super arulam altaris, eritque craticula usque ad altaris medium. Hebræus vero sic habet: Facies ei Michar facturam retis ænei, et subter rete quatuor annulos æneos, et dabis illam fundum aræ desubtus, eritque rete usque ad altaris medium. Josephus autem sic: Cui suberat craticula in modum reticuli facta. Suscipiebat enim terra ignem, qui de craticula ferebatur; quia bases non erant ibi subjectæ. Cassiodorus tamen senator, in pictura quam fecit, cujus in expositione Psalmorum meminit, quatuor pedes in utroque altari fecit. Proinde videntur quibusdam non superponi craticulæ carnes assandæ, sed fuisse quasi vas quoddam, in quo sederet altare, cujus parietum altitudo altare ambiens usque ad medium altaris elevata esset, in cujus angulis sursum quatuor annuli pendebant, per quos vectibus insertis, altare ipsi insidens portaretur. Altare enim non legitur alios annulos habuisse, sed utrum separatum esset hoc vas craticularium ab altari, ita ut amoveri posset altare ab eo, cum vellent et superimponi; an de ipso altari opere fusili ita fabricatum esset, ut quasi appositum videretur, ambiguum est. Super arulam vero altaris, quam in medio ejus positam dicunt, Deus per fenestram ad orientem struem lignorum imponi, et super ligna carnes assandas jussit, vel non erat arula; sed super craticulam suppositam fiebat ignis, quod videtur Josephus sensisse in prædictis verbis. Aliis videtur nec operimentum, nec fundum ipsum habuisse; sed parietes tantum terra repleri. Secundum quod Deus dixit: *Altare de terra facietis mihi* (*Exod.* xx, 24): in cujus area superiori fiebat ignis, ubi cremanda imponebantur et de craticula altari superposita idem sentiunt. Arulam vero, subter quam craticula posita legitur, Hebræus areunculam vocat, vel sulcum, quem in medio parietum altaris fuisse dicit, usque ad quem locum altitudo craticulæ pertingebat. Positum erat altare ante tabernaculum sub dio, non recte ante introitum; sed aliquanto ad meridiem descendens; ita ut ante ipsum immolantes, stantes ad aquilonem in ipsum tabernaculum usque ad Sancta sanctorum inspicere possent. Et quia stabant ad aquilonem, et contra meridiem, quandoque legitur eos sacrificasse ad aquilonem, quandoque ad meridiem. Erantque in usus ejus lebetes ad colligendos cineres, cum abundabant, et deportandos; qui in locum secretum et mundum reponebantur, et forcipes ad emungendum ignem altaris, et fuscinulæ, quas Græce creagras dicimus, quia inde de caldariis coctæ carnes proferebantur; et batilla, quasi ad vehenda, quibus prunæ ab hoc altari, ad altare thymiamatis deferebantur; præter cacabos, et ollas, ad carnes coquendas, quæ tamen juxta altare non coquebantur. Omnia vero ænea erant. Hebræus sic habet: Facies ejus ollas, et ejus palas, et ejus pelves, et ejus uncinos, et ejus ignium receptacula. Locutus est Dominus iterum ad Moysen: *Facies et labrum æneum cum basi sua* (*Exod.* xxx, 18), vas scilicet lavatorium, quod etiam luter dicitur, quod erat inter tabernaculum, et altare holocaustorum; in quo, missa aqua, lavabant sacerdotes manus suas, et pedes, accepturi vestes sanctas, ut sacrificarent, similiter ingressuri tabernaculum et egressi. Quod dicitur factum 376 de speculis mulierum excubantium ad ingressum tabernaculi, forte de pedibus speculorum æneis factum fuit; vel potius eo facto, in circuitu labii supreme circumposita fuerunt specula, in quibus sacerdos videre posset, si uspiam vel in veste, vel in facie maculam haberet abluendam.

LXXV. De filiis quoque Israel, qui excubabant circa tabernaculum, scribit in hunc modum. Præcepit etiam Dominus, ut semper poneretur tabernaculum in medio castrorum, et filii Israel per gyrum excubarent per turmas, et cuneos, quod pro eodem hic accipitur. Turma enim proprie triginta militum est, et dicitur cuneus, quasi couniens multitudo. Excubare etiam large hic accipitur; excubiæ enim proprie dicuntur vigiliæ noctis. Ternæ tribus, per quatuor partes tabernaculi, ita tamen remote distribuebantur, ut maximas in medio plateas haberent, eratque ornatus quasi fori rerum venalium, singulis in ordinem constitutis. Opifices etiam artium in stationibus suis erant; ita ut urbi competenter ædificatæ castra eorum simillima viderentur. Judas itaque, Issachar, Zabulon castra metabantur ad orientem; Ruben, Simeon, et Gad ad meridiem; Ephraim, Benjamin, et Manasses ad occidentem; Dan, Aser, et Nephtalim ad Aquilonem. Inter tabernaculum et castra excubabant Levitæ in tabernaculis suis, propinquiores tabernaculo, quam castris, et excubabant similiter per quatuor plagas; Moyses, et Aaron cum suis ad orientem; reliqui ab his Caathitæ ad meridiem, sub custodia Eleazar filii Aaron; Gersonitæ ad occidentem; Meraritæ ad septentrionem, et erant utrique sub custodia Ithamar. Ait Dominus ad Moysen: *Numera Levitas a*

Digitized by Google

trigesimo anno, usque ad quinquagesimum, ut serviant mihi in tabernaculo portando, et collocando (*Num.* IV, 3). *Et cum numerati essent, inventi sunt octo millia, quingenti octoginta* (*ibid.* 48). Septuaginta tamen dicunt a vigesimo quinto anno, quem numerum annorum in ordinem sacerdotum et nos observamus. Isti deferebant tabernaculum in hunc modum; quia non licebat ea, quæ erant ultra velum, nuda videri. Primo intrabant sacerdotes, et involvebant arcam, propitiatorium, et cherubin, prius velo, quod ante appendebat; et post pallio hyacinthino (*Num.* IV, 7); similiter et candelabrum, altare aureum, et mensam cum utensilibus suis, palliis involvebant. Tunc intrantes Caathitæ propriis humeris omnia involuta hæc deferebant. Altare cum ustensilibus suis, ut quibusdam videtur, Gersonitæ deponentes tectum tabernaculi, et alia ferebant, scilicet cortinas, saga, pelles rubricatas, et hyacinthinas, tentorium, quod erat ante tabernaculum, cortinas atrii, et funes, et vasa ministerii, quæ ad altare æneum pertinebant. De altari holocausti tacet liber Levitici, a quo ferebatur; dici potest, quod vasa ejus ferebant Gersonitæ, ut in libro præfato habetur. Ipsum altare Caathitæ propriis humeris; Meraritæ, ut paucis dicamus, omnia tabernaculi, et atrii, quæ dura erant, tabulas, bases, vectes, columnas, paxillos, et ea ferebant quilibet. Emeriti vero Levitæ non serviebant sic in opere, sed posito tabernaculo sedebant custodes.

A

B

CAPUT XXVI.

De fine primæ partis; et quod nec error excusandus, nec correctio respuenda sit.

LXXVI. Ecce hoc modo, Pater venerande, in hac prima libri nostri parte tam fabricam et formam, dispositionemque tabernaculi, quam earum rerum, quæ intra illud erant, sicut rem difficillimam, et a nullo prorsus hujus nostræ ætatis homine corporaliter visam, prout ex textu libri Exodi, et verbis Venerabilis Bedæ presbyteri, quæ pluribus in locis colligere potui, caligando; et trepide incedendo, atque dubie palpando descripsi: aliorum dicta, in quantum putavi necessarium, interponens, et quorumnam debeat verbis adhiberi fides, lectoris discretioni relinquens. Hoc, inquam, modo prædicta descripsi; sed ei qui de his plenius, clarius, et verius dicere novit, non solum non præjudico, verum etiam ut dicat, et ardenter exopto, et obnixe exoro. Non enim tam hoc ostendi, ut cujusque scientiæ, et ejus maxime, qui in his me doctior est, præjudicium aliquod faciam, quam ut me ipsum in primis studiose in his exerceam, et eos qui indigent, si qui tamen forte sunt, charitative, in quantum capio, instruam. Hoc etiam adjiciendum, quod si forte a via veritatis in aliquo deviavi, nec errorem meum charitative mihi ostensum arroganter excusabo, nec correctionem benigne intimatam tumide refutabo.

377 PARS SECUNDA.

DE TABERNACULO CHRISTI QUOD EST IN FIDE.

CAPUT PRIMUM.

LXXVII. *De difficultate pingendi tabernaculum in plano.*

Finita itaque utcunque libri nostri particula prima, in qua de materiali factura et dispositione tabernaculi quædam, prout Dominus dedit, tractata sunt juxta vestram, Pater sancte, jussionem, ut sæpe dictum tabernaculum in plano quoque, quantum sciero et potero, depingam: jam manum appono, quatenus per corporalem etiam aliquatenus cerni possit, visionem; quod et de communi electorum Ecclesia intelligi debet per fidem, et in singulis electis construi per meditationem. Sed quia extensiones cortinarum, atque sagorum, pelles quoque rubricatæ, et hyacinthinæ, quibus coopertum erat tabernaculi tectum, et quædam alia, quæ ad illud pertinebant in superficie plani plena evidentia depingi, non possunt, oportet nimirum, ut sic oculo corporali depicta cernantur, quatenus mentis ratione ea quoque, quæ nequeunt depingi, comprehendantur. Hæc idcirco dixerim, quia omne, quod in plano depictum est, magis videtur in imo esse depressum quam in sublimi erectum, et ego nullatenus debeo promittere, quod certum est me non posse adimplere.

C

CAPUT II.

Quomodo tabulæ parietum tabernaculi in plano depingendæ sunt, et quomodo ad invicem conjungendæ sint, et sumendæ. Qualiter etiam hi tres parietes cum introitu erigendi.

LXXVIII. Igitur in medio ipsius plani in quo tabernaculum depingere volo, apposita per quatuor partes Regula, quatuor rectas, et strictas lineas trabo, ex quibus quatuor lineis duas quidem, australem videlicet, et septentrionalem tantæ facio longitudinis, quantæ latitudinis tabernaculum erit; quia illæ duæ quæ tabernaculi longitudinem efficiunt, ter tam longæ erunt, quam erunt illæ duæ quæ ejus faciunt latitudinem; quia sic erat tabernaculum Moysi cubitos habens triginta in longitudine, et in latitudine decem, hoc est, ter tam longum quam latum. Ad orientem vero in ipsa superficie plani tam longe ab

D

Digitized by Google

illa linea, quæ per transversum ab australi usque in septentrionalem porrigitur, quam longa est ipsa linea, vectem quemdam aliquantulum latum; et tam longum, quam longa est prædicta linea, ab austro in septentrionem porrigo. Post hæc per tres lineas, Australem scilicet, septentrionalem, et occidentalem, tres tabernaculi parietes ex tabulis lateraliter insimul conjunctis, et tantæ altitudinis existentibus, quantæ longitudinis linea occidentalis, et vectis est, qui ad orientem jacet, facio. Quas tabulas, et auro vestio, et viginti ex eis ad austrum, et totidem ad aquilonem, et octo ad occidentem pono, et unius omnes ejusdemque latitudinis efficio, exceptis duabus angularibus tabulis, quæ hinc inde in occidentali parte sunt, quæ duæ non nisi tertiam latitudinis partem ad aliarum latitudinem intra parietem habebant; quia cum omnes aliæ tabernaculi tabulæ cubitum haberent et dimidium, hæ duæ intrinsecus non nisi solum habuere dimidium. Post hæc in medio uniuscujusque tabulæ, et aureum in circuitu annulum defigo, et his annulis vectes per singulos parietes quinque deauratos insero; ita ut caput uniuscujusque vectis in capite alterius intret. De quibus annulis hoc quidem sciendum est quia juxta id, quod Beda dicit, quinque in unaquaque tabula deberent poni; sed quia ipsæ tabulæ in hac pictura valde strictæ sunt, non nisi singulos, in singulis **378** depingo, et quia in Exodo non aperte legimus quinque annulos in singulis tabulis fuisse, qui de eis ita dicit: *Ipsas tabulas deaurabis, et fundes in eis annulos aureos* (*Exod.* xxvi, 29). Et item: *Circulos eorum fecit aureos* (*Exod.* xxxvi, 34). Quidam vero dicunt, quod vectes isti extra tabernaculum fuerunt. Sed quia ut eorum evidentius significatio possit intelligi, etiam corporali eos necesse est oculo præsentari, non extra, sed intra in medio per circuitum trium parietum loco, in hac eos pictura ego pono; qui nequaquam in ea viderentur, nisi interius depingerentur, pro eo quod parietes, in quibus positi sunt, non in summo in ipsa pictura stant erecti, sed in imo jacent substrati. In hoc autem litteræ libri Exodi me non esse contrarium puto, qui eos fuisse interius sicut non affirmat, sic profecto nec negat; solummodo quod ad continendas tabernaculi tabulas facti fuerunt, evidenter ostendens; sed utrum interius, vel exterius positi fuerint, non dicens, id potius fortassis nostræ opinioni relinquens; quod non ita nobis constat esse necessarium, quin sine magno veræ salutis augmento valeat sciri, et sine magno nihilominus detrimento ignorari. Præterea liber Exodi, unde prima ad nos hujus rei manavit agnitio, non aperte dat unicuique parti quinque ordines vectium, in quo libro ita de eisdem vectibus legimus: *Facies vectes de lignis setim quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi, et quinque alios in altero, ejusdemque numeri ad occidentalem plagam, qui mittentur per medias tabulas* (*Exod.* xxvi, 26-28). Et iterum: *Fecit et vectes de lignis setim quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi, et quinque alios ad alterius lateris tabulas coaptandas, et extra hos quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi* (*Exod* xxxvi, 31 32).

LXXIX. Deinde sub unaquaque tabula per duos angulos ejus, inferius duas per circuitum bases argenteas de subtus pono, ut sicut in medio earum per vectes annulis immissos ad invicem tabulæ firmiter conjunguntur, ita et inferiori earum parte singulis eis duabus basibus suppositis, earumque, ut Josephus dicit basium foraminibus binos singularum tabularum cardines suscipientibus, etiam in uno indissolubiliter confirmentur. Incastraturæ quoque, quibus ad invicem veteris tabernaculi tabulæ singulæ connectebantur; quæ videlicet incastraturæ et in singulis singularum tabularum lateribus erant, et in angulis terminabantur, ubi duæ ejusdem singulis tabulis bases supponebantur, in harum tabularum lateribus, quæ in plano picturæ jacent, non possunt videri; quia et in illo materiali quondam tabernaculo ut Beda Venerabilis dicit quando erectum fuit, et tabularum compago ordinata, eædem incastraturæ non poterant videri. Sed nec bini illi cardines, quos singulis tabulis Josephus asserit in medio fuisse, nec singula singularum basium foramina, quæ, ut idem ait, prædictos tabularum cardines suscipiebant, in his tabulis, quæ hic depictæ sunt, oculo possunt conspici corporali. Igitur post hæc tribus tabernaculi parietibus sursum erectis, et pariete occidentali hinc inde septentrionali, et australi firmiter connexo, vectis quoque ille, qui modo ad orientem, ubi introitus esse debet, secundum positionem plani in uno per transversum jacet, sursum elevatus a summitate parietis septentrionalis, usque ad summitatem australis protendatur: sub quo quinque columnæ deauratæ, capita habentes aurea, et bases æneas per transversum ad invicem æqualiter distantes eriguntur; ante quas ab illo vecte, qui in alto eminet, versus terram pendet tentorium ex Hyacintho, purpura, coccoque bis tincto et bysso retorta contextum; quarum videlicet columnarum capita prædicto vecti per transversum porrecto fabre immissa, in eo fortiter firmata sunt.

CAPUT III.

De loco qui Sancta, et de illo, qui dicitur Sancta sanctorum; quæque in loco uno, quæque in altero debeant poni.

LXXX. Ita parietibus tabernaculi erectis, spatium illud, quod intra illos, e linea ab uno parieto usque ad alium per transversum secundum latitudinem porrecta, in duo divido, tali tamen proportione, ut illud quod ad orientem vergit, quod dicitur Sancta, duas partes longitudinis habeat; illud vero quod ad occidentem, quod videlicet Sancta sanctorum erit, tertiam. Cum enim triginta haberet tabernaculum cubitos in longitudine, **379** viginti deputabantur illi loco, qui simpliciter Sancta dicebatur: decem vero illi, qui Sancta sanctorum. Ad hanc ergo lineam sanctam, quæ a Sanctis sanctorum discernit, quatuor ab invi-

Digitized by Google

cem distantes per transversum columnas deauratas cum basibus argenteis, et capitibus aureis erigo; quæ videlicet columnæ æquali ab invicem intercapedine distant; ante quas velum ex quatuor prædictis coloribus contextum, per annulos aureos insertum a summo usque ad terram suspendo. Intra quod velum arcam Testamenti deauratam duobus ex utraque ejus parte vectibus deauratis per quatuor circulos aureos immissis statuo, supra quam propitiatorium aureum juxta longitudinem et latitudinem ipsius arcæ pono, quod unum hinc inde cherub aureum habet, qui versis in illud vultibus, alas suas ad illud tegendum, ad invicem expandunt. Extra idem quoque velum in Sancta, mensam deauratam, quatuor pedibus innitentem, et duodecim, cum duobus scyphis plenis incenso, panes senos altrinsecus in ea positos habentem, ad aquilonem pono; contra quam e diverso candelabrum ad austrum statuo, de cujus utroque latere tres exeunt calami. Estque in unoquoque calamo per tria loca scyphus, sphærula, et lilium, æqualem capiente unoquoque calamo, secundum trinam divisionem, intercapedinem. Diversisque locis de stipite isti calami procedunt, qui tamen suo quique ordine reflexi ad unam summitatem perveniunt. In stipite vero ipsius candelabri per quatuor loca æqualiter ab invicem divisa scyphum simul, sphærulam, et lilium pono, et in septem candelabri summitatibus, quæ omnes coæquales sunt, septem lucernas accendens in medio extra velum altare aureum statuo.

CAPUT IV.

Quomodo cortinis et sagis præfati parietes operiendi sint; et qualiter pellibus arietum rubricatis, et hyacinthinis tectum debeat operiri.

LXXXI. Hoc itaque modo tribus tabernaculi parietibus erectis, columnis vero quinque in ejus introitu ante tentorium eis appensum positis, et quatuor nihilominus columnis inter Sancta, et Sancta sanctorum erectis, et velo ante eas appenso; positis denique intra sæpe dictos parietes, tam in Sancta, quam in Sancta sanctorum his, quæ in eis erant ponenda, decem primum cortinas ex quatuor præfatis coloribus contextas, cubitos viginti octo in longitudine, et quatuor in latitudine cubitos habentes, ansulisque hyacinthinis lateraliter simul conjunctas supra parietes illos projicio. Sicque totam domus latitudinem per transversum ex longitudinibus earumdem cortinarum operio; excepto uno ab utroque latere cubito, qui hinc inde cortinis deficientibus est discoopertus; quia latitudo domus per transversum triginta est cubitorum, decem videlicet in summo in æqualitate inter parietes, et decem in descensu utriusque hinc inde parietis, et cortinæ in longitudine non habent nisi cubitos viginti octo. Longitudinem vero tabernaculi, quæ triginta cubitorum est, ex longitudine, quam ex se simul junctæ cortinarum faciunt latitudines, cooperio, et partem orientalem, ubi et introitus esse debet, et parietem occidentalem quinque hinc inde in descendendo cubitis, ex latitudinum cortinarum longitudine tego; quia decem cortinarum latitudines simul junctæ, longitudinem quadraginta cubitorum faciunt. Ex quibus, videlicet quadraginta cubitis, duobus parietibus, australi videlicet, et septentrionali, triginta, quia totidem in longitudine habent, deputantur; et ex decem qui supersunt, quinque parti orientali in descendendo, quinque deputantur occidentali. Quos vero illos cubitos cortinarum, qui cessantibus parietibus supersunt tam in oriente, quam in occidente, ab orientali simul, et occidentali latere ad invicem in medio utriusque hinc inde parietis induco, sibique mutuo ibi conjungo; sicque undique domum, excepto uno, ex omni parte juxta terram cubito contego.

LXXXII. Saga vero quia triginta in longitudine cubitos habent, projecta super cortinas totam quidem tabernaculi longitudinem tegunt, et duobus in pariete occidentali cubitis, et totidem in parte orientali, easdem cortinas in descendendo excedunt; quia undecim sagorum latitudines simul junctæ quadraginta quatuor cubitorum longitudinem faciunt. Et quia his **380** singulis sagis triginta cubitorum longitudo inerat, unum illum cubitum, qui ex utriusque parietis australis videlicet, et septentrionalis latere cortinis deficientibus juxta terram hinc inde discoopertus fuit, ipsa ex toto operiunt. Spatium vero trium cubitorum, quod in occidente deficientibus sagis usque ad terram pertingit, nequaquam discoopertum relinquo; sed, sicut paulo ante de cortinis ostendi, septenorum cubitorum saga, quæ cessantibus parietibus australi videlicet, et septentrionali supersunt in occidente, ab utroque latere ad invicem adduco, et eis posteriora domus usque ad terram firmissime contego. Saga namque hæc non tantum ad invicem pertingere, et instar cortinarum ea in medio parietis sese contingere facio; sed quia septenorum sunt cubitorum, medium parietis, qui non est nisi decem cubitorum in utraque parte duobus cubitis in medio, ubi sese contingunt, excedere sese facio; ac sibi invicem superposita, in occidentali pariete, ubi domus posteriora sunt, jungo. Hoc itaque modo occidentalem domus parietem sagis usque ad terram ex toto tego. Simili etiam modo ex illis septenorum cubitorum sagis, quæ cessantibus prædictis parietibus, australi et septentrionali movente supersunt, adductis eis ab utroque latere ad invicem, domus quoque anteriora usque ad terram firmissime contego; nisi quod duos illos cubitos, qui medietatem sagi faciunt, in eisdem domus anterioribus, ubi frons est tecti, duplico; ut duplicis ibi, ut Beda dicit, sagi munimentum sit, ubi solida parietis firmitas deest. Videtis itaque ut arbitror, aperte, quomodo ex adductis ad invicem, et sese in medio parietis duobus cubitis excedentibus septenorum cubitorum sagis, quæ cessantibus parietibus australi, et septentrionali tam in oriente ex utraque parte, quam in occidente ex utraque parte similiter supersunt, tam orientalem domus partem medietate sagi duplicata, quam occidentalem

Digitized by Google

ejusdem domus parietem duobus cubitis, qui sese in medio ejusdem parietis excedunt, sibi invicem superimpositis usque ad terram cooperio, quia nimirum cortinæ, et saga tot cubitis duorum parietum, australis videlicet, et septentrionalis longitudinem ex utraque parte et in oriente, et in occidente etiam juxta terram excedunt, quot cubitos et in parte orientali, et in parte occidentali; in descendendo habent; hoc est cortinæ quinque, et saga septem. Hæc de cortinis et sagis.

LXXXIII. Adhuc autem duo facio operimenta, non quidem ad tegendos parietes tabernaculi, sed ad operiendum solummodo tectum ejus, quorum unum ex pellibus est arietum rubricatis; aliud vero ex hyacinthinis. Et hoc modo cortinis, et sagis, pellibusque rubricatis, et hyacinthinis tam parietes, quam ea, quæ intra illos sunt, tego. Sed nec cortinæ, nec saga, nec pelles, de quibus tam multa dicta sunt, oculo corporali in pictura, quæ in plano jacet, videri possunt; quia et cortinæ sagis undique ne appareant ut supra sufficienter ostensum est, exterius teguntur, et saga sub tribus parietibus in uno per planum jacentibus, et sub tentorio in pictura ad orientem jacente, quasi ex toto abscondantur, intelliguntur. Et tectum parietum ipsis parietibus in plano picturæ jacentibus non cernitur; sed hæc omnia ita ut dixi, et cordis intellectu perpendere, et hoc modo fuisse in ipso visibili tabernaculo Moysi debent scire illi duntaxat, qui verbis Venerabilis Bedæ, quæ de his ponit, fidem voluerint indubitanter adhibere.

CAPUT V.

De atriis, et tentoriis atriorum, et quæ in ipsis atriis ponenda sint.

LXXXIV. Igitur hoc modo per parietum erectionem, et ipsorum tectionem perfecto tabernaculo, apposita regula quamdam magnam quadraturam bis tam longam, quam latam longe extra circumduco, cujus videlicet quadraturæ longitudo in tanto longitudinis spatio tabernaculi longitudinem excedit, quantum spatium duplex tabernaculi longitudo, et ipsa latitudo tenet; quia centum cubitorum fuit atriorum longitudo, quam videlicet longitudinem eorum, hujus quadraturæ longitudo innuit, et tabernaculi, ut sæpe jam dictum est, longitudo non erat nisi triginta cubitorum, latitudo vero ejus non nisi decem. Unde liquido ex his colligitur, quod hæc quadratura, quam modo facio, tabernaculi longitudinem septuaginta cubitis in longitudine **381** sua excedit. Intra hanc quadraturam tabernaculum erigitur ad occidentem conversum, et ab oriente habens introitum, et spatia, quæ in circuitu tabernaculi intra quadraturam eminent, ipsius tabernaculi atria sunt. In qua videlicet quadratura per singulas ejus lineas in circuitu, columnas dimidiam ad tabernaculi sublimitatem habentes altitudinem, tantoque ab invicem spatio, quantum ipsarum habet altitudo, distantes erigo. E quibus viginti ad austrum, totidemque ad aquilonem, et decem tam ad orientem, quam ad occidentem argento vestitis erectis, eis tentoria de bysso retorta a capitibus eorum argenteis, usque ad bases earum æneas undique, exceptis illis quatuor columnis, quæ in medio orientis latere ponuntur, quibus tentorium non de sola bysso, sed de quatuor sæpe dictis coloribus contextum appendo.

LXXXV. Contra quod tentorium e diverso interius altare æneum statuo; non tamen in ipso introitu, sed seorsum, versus austrum, et inter hoc altare, et ipsius tabernaculi introitum labrum æneum, plenum aqua pono. Sicque tabernaculum intra atria tentoriis undique circumdata stat, quæ tentoria et columnis per circuitum appensa, et tabernaculi quidem parietibus ex parte dimidia inferiora sunt, sed eisdem parietibus multo longiora, sicut in nostro nunc tempore ecclesia aliqua in cœmeterio suo muro ex omni parte septo stat; qui nimirum murus, sicut ecclesiæ parietibus longe est inferior, ita quidem eis multo longior. De quo quidem tabernaculo hoc sollicite provideo, ut nequaquam medio atriorum loco, sed taliter intra ea collocetur; ut dimidia eorum atriorum longitudo ab eorum introitu, usque ad introitum tabernaculi, et quinta pars longitudinis eorum a pariete tabernaculi occidentali, cum fuerit videlicet erectus, usque ad occidentale latus atrii protendatur; quia, cum illa quondam visibilia atria centum in longitudine cubitos haberent, ab eorum introitu, usque ad introitum tabernaculi quinquaginta cubiti, ut vir quidam sapiens scribit, erant; et ab occidentali pariete tabernaculi usque ad occidentale latus atriorum, viginti erant; ipsum vero tabernaculum triginta in longitudine cubitos obtinebat. Scribit namque idem vir hoc modo. Erant, inquit, quinquaginta cubiti ab introitu atrii ex parte orientis, usque ad introitum tabernaculi, et in isto spatio inter utrumque introitum, atrii scilicet, et testimonii, erant duo oratoria, unum virorum Israel, et alterum mulierum. Inter hæc autem, et introitum tabernaculi erat altare holocaustorum, non tamen in ipso introitu, sed deorsum, versus austrum. Hæc itaque, quæ et in præcedenti parte dicta, et in hac pictura oculo corporali sunt ostensa, si quis plene perspicere voluerit, quomodo visibile illud Moysi tabernaculum cum his, quæ ad illud pertinebant, in re factum fuerit, et dispositum, ex parte aliqua poterit conjicere.

CAPUT VI.

De basibus, et tabulis parietum allegorice expositis.

LXXXVI. Restat nunc, ut aliqua ex his, quæ de materali tabernaculo depinximus, spirituali tabernaculo Christi, quod sancta Ecclesia est, in pictura coram posita adaptemus. Et quidem sicut ex hac pictura, licet non multum decora sit, potest aliquantulum conjici, valde pulchrum, et speciosum fuisse illud Moysi visibile tabernaculum. Sed est aliud quoddam tabernaculum longe illo speciosius, pretiosius, et sublimius; decore speciosius, materia pretiosius, et sublimius sanctitate, sancta videlicet Ecclesia, quæ per Redemptoris sui illuminationem a tenebris

Digitized by Google

ignorantiæ vocata, in hoc mundo, quasi in quodam deserto, et ab Abel justo in ipso mundi exordio construi cœpit, et usque ad ultimum, qui in fine mundi nasciturus est, electum ædificari non desinit. Qualiter vero hæc omnia ad sanctam Ecclesiam pertineant, quid ipsum videlicet imprimis tabernaculum, quantum ad fidem attinet, designet, quid ejus, inquam, parietes, et introitus, quid tabulæ, et bases; quid annuli, et vectes; quid in introitu tentorium, et columnæ et velum; quid simpliciter Sancta; quid Sancta sanctorum, quid cortinæ et saga; quid duo tecti operimenta; quid deinde ea quæ in tabernaculo erant, innuant; quid scilicet intra velum arca et ejus labrum; quid cherubim, et propitiatorium, quid vectes et annuli: quid in arca urna cum manna; **382** quid tabulæ, et virga; quid in sancta mensa ejus positio in aquilone; quid ejus labrum et coronæ; quid pedes et circuli ejus; quid in ea panes et incensum; quid candelabrum aureum et quare ductile, vel quare ad austrum, contra aquilonem stabat; quid ejus hastile et scyphi, et sphærulæ, lilia, calami, et lucernæ; quid altare thymiamatis, et ejus cornua; quid postremo quæ extra tabernaculum erant innuant; quid videlicet atria et eorum tentoria, quidve eorum per circulum columnæ sexaginta; quid columnarum bases et quid funes et paxilli; quid altare holocausti et capita ejus et craticula; quid lebetes et forcipes; quid ignium receptacula et fuscinulæ; quid labrum æneum et ea de quibus factum est mulierum specula; quid denique cætera omnia quæ ad hoc, de quo loquimur, pertinent tabernaculum; quid etiam, ut nihil prætermisisse videamur, longitudinum, latitudinum, et altitudinum mensuræ, quæ in his erant rebus prænominatis; in expositionibus profecto Patrum orthodoxorum; et maxime in libro Venerabilis Bedæ presbyteri, cujus est titulus de tabernaculo, plene, et plane potestis reperire. Quod si ita est, imo quia ita est, dignum nimirum et omnino justum est, ut Sancta sanctorum dicta non solum rata habeamus; verum etiam nostro silentio sufficientia judicemus, et nequaquam quod ipsi exposuerunt, nova nos expositione discutere præsumamus; utpote qui nec ad intelligenda quæ dixerunt, sufficienter idonei sumus. Verumtamen quia bonis vestris desideriis placuit, ut ex his, quæ hic visibiliter depicta sunt, aliquid mystice loquamur, qualiter eorum quædam allegorice intelligi debeant, vel etiam moraliter accipi possint; quædam ex dictis sanctorum Patrum assumentes, quædam ex nostris addentes in ipsa vobis pictura, prout poterimus, ostendemus. Ubi vero Patrum dicta ponimus, ibi eorum nomina in margine superscribimus; sed ad dicta nostra, nostrum superscribere nomen idcirco non placuit; ne forte, quamvis bene in aliquo diceremus, hac sola causa abjiceretur, si a nobis dictum fuisse agnosceretur.

LXXXVII. Tabernaculum igitur Christi sancta Ecclesia est; quia ab exordio mundi usque ad ultimum electum, qui in fine sæculi nasciturus est, per tria tempora, per sex ætates pertingit. Tria tempora sunt, tempus naturalis legis, quod a mundi fuit principio, usque ad Abraham, a quo in circumcisione lex scripta quodammodo incipit. Tempus scriptæ legis, quod ab Abraham usque ad Christi adventum, per quem gratia, et veritas facta est; fuit tempus gratiæ, quod a primo Salvatoris adventu incœpit, et usque ad secundum, in quo judex vivorum, et mortuorum apparebit, durabit. Prima vero ætas ab Adam fuit usque ad Noe, habens annos mille sexcentos quinquaginta sex. Secunda, a Noe usque ad Abraham, habens annos ducentos nonaginta duos. Tertia, ab Abraham usque ad David, habens annos nongentos quadraginta duos. Quarta vero, a David usque ad transmigrationem Babylonis, habens annos octingentos septuaginta tres. Quinta autem, a transmigratione Babylonis usque ad Christum, habens annos quingentos, octoginta quinque. Sexta vero ætas a primo Christi adventu usque ad secundum, ex qua quidem ætate jam anni mille centum octoginta transacti sunt. Septima nunc est in requie animarum; et octava erit in felicitate corporum resurgentium, quando et vitæ hujus hebdomada finietur, et vitæ alterius æternitas succedet. Per hæc itaque tria tempora, per has sex ætates cum ordinibus gestorum et dispositionibus eventuum secundum unitatem significationum et diversitatem sacramentorum unam in una fide salutem operantium, unum quoque Creatorem, unum etiam, eumdemque Salvatorem, sive adventum ejus præcedendo, sive subsequendo concorditer clamantium; sancta Ecclesia in fide, spe, et charitate currens ab exordio sæculi usque ad finem, a labore ad requiem, a tenebris ad lucem, ad felicitatem ab ærumna, ab exilio ad patriam, a mœrore ad gaudium, et a carcere tendit ad regnum, quasi quoddam tabernaculum, quod ab Altissimo sanctificatum, et inhabitatum, per multimoda cujusdam deserti pericula, per manus Levitarum ad quamdam portatur terram bonam, et spatiosam, terram decoram, et fecundam, terram denique lacte et melle manantem.

LXXXVIII. Hujus quoque sanctæ Ecclesiæ electi partim a mundi principio, usque ad Christi adventum; partim a Christi adventu, usque ad sæculi finem sanctæ conversationi insistunt. Igitur bases **383** tabernaculi tabulis per circuitum suppositæ, sancti sunt ab exordio sæculi usque ad Salvatoris adventum in mundum venientes, qui Christi gratiam, et statum sanctæ Ecclesiæ in sexu utroque vel in dictis, vel in factis suis, vel etiam in interpretationibus nominum suorum præfigurabant. Tabulæ quoque, quæ eisdem basibus superponuntur, eisque innituntur, sanctos designant, qui post Christi adventum, usque ad finem vitæ hujus in mundo apparent, et sanctorum præcedentium tam dictis, quam factis quasi quædam quibusdam basibus tabulæ innituntur. Hi vero sancti sanctam Ecclesiam in una fide et sanguinis sui effusione decorabant, et sanctæ prædicationis luce illuminabant, et san-

Digitized by Google

etis sanctarum conversationum exemplis exornabant. Idcirco a prima basi, quæ sub prima tabula parietis est australis, incipiens, in ea nomen primi patris Adæ scribo, et post eum nomina sanctorum patrum, qui usque ad Salomonem fuerunt, in singulis basibus, singulis nominibus descriptis hoc modo : *Adam, Abel, Seth, Enos, Enoch, Noe, Sem, Japhet, Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob, Ruben, Simeon, Levi, Judas, Dan, Nephtalim, Gad, Aser, Issachar, Zabulon, Joseph, Benjamin, Moyses, Aaron, Eleazar, Phinees, Josue, Caleb, Job, Aod, Samgar, Gedeon, Jephte, Samson, Elcana, Samuel, David, Salomon.* Et hæc nomina sunt sub basibus parietis australis. In basibus vero parietis septentrionalis scribo a prima basi primæ tabulæ orientalis incipiens : *Nathan, Gad, Semein, Achias, Elias, Elisæus, Joiadas, Daniel, Ananias, Azarias, Misael, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Naum, Habacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, Ezechias, Josias, Ezechiel, Isaias, Jeremias, Jesus, Tobias, Nehemias, Jesus, Onias, Matathias, Judas, Jonathas, Simon, Joannes, Zacharias, Joseph.* Et hæc nomina sub basibus sunt parietis septentrionalis. Sub basibus quoque parietis occidentalis mulierum, quæ in Veteri Testamento fuerunt, nomina scribo, incipiens a prima basi primæ tabulæ angularis ejusdem parietis ad austrum hoc modo : *Eva, Sara, Rebecca, Lia, Rachel, Bala, Zelpha, Thamar, Raab, Debbora, Ruth, Anna, Bethsabee, Esther, Judith, Elisabeth.* Hæc itaque sunt sanctorum nomina tam virorum, quam mulierum, quæ hic sub horum trium parietum ponuntur basibus; qui sancti in mundo usque ad Christi adventum fuerunt : quorum nullus exstitit, qui non ejusdem Jesu Christi Domini nostri gratiam, statumque sanctæ Ecclesiæ vel in verbis, quæ dicebant, vel in operibus, quæ faciebant, vel in nominum saltem suorum interpretationibus præsignaret. Post hæc imagines istorum sanctorum super nomina sua in ipsis depingo basibus a capite, quia eosdem, ut supra dictum est, sanctos eædem bases designant, et sub eorum nominibus, quæ sub basibus, et imaginibus scripta sunt, ab Adam, usque ad Nathan scribo hunc versum : *Isti sunt sancti ab exordio sæculi, usque ad Christi adventum in mundum venientes, et Christi gratiam, sanctamque Ecclesiam in utroque sexu, vel in dictis, vel in factis, vel etiam in nominum suorum interpretationibus præfigurantes.* Hi namque omnes Veteris Testamenti sancti, sicut superius dixi, quid vel Christi gratia in eos, qui in ipsum crederent, factura esset; vel qualis Ecclesiæ sanctæ status per ejus adventum erat futurus, sive in dictis, quæ protulerunt, sive in actibus, quos fecerunt, sive denique in nominum suorum, quæ ex re habuerunt, expressionibus prophetarunt.

LXXXIX. Deinde in tabulis, quæ basibus imponuntur, sanctorum nomina, qui in tempore gratiæ fuerunt, apostolorum videlicet, martyrum, confessorum, cum iconibus suis superscriptis, pono in singulis singularum tabularum summitatibus, duobus nominibus descriptis, et duabus iconibus superpositis, incipiens ab icone Domini nostri Jesu Christi, qui finis est legis, et initium gratiæ, hoc modo scribo nomina ista : *Joannes Baptista, Petrus, Paulus, Andreas, Jacobus, Joannes, Thomas, Jacobus, Philippus, Bartholomæus, Matthæus, Simon, Thaddæus, Mathias, Barnabas, Marcus, Lucas, Timotheus, Titus, Stephanus, Linus, Cletus, Clemens, Sixtus, Cornelius, Cyprianus, Laurentius, Chrysogonus, Joannes, Paulus, Cosmas, Damianus, Ignatius, Alexander, Marcellinus, Petrus, Fabianus, Sebastianus, Vincentius.* Et hi sunt in parte australi. In prima vero tabula parietis septentrionalis hoc modo scribere incipio, et hæc sunt nomina, quæ in hoc pariete scribo : *Gervasius, Protasius, Lambertus, Quintinus, Georgius, Vitalis, Dionysius, Mauricius, Hippolytus, Albanus, Oswaldus, Edmundus, Elphegus, Edwardus, Silvester, Leo, Gregorius, Ambrosius, Augustinus, Martinus, Nicolaus,* 384 *Remigius, Hilarius, Vedastus, Amandus, Germanus, Cuthbertus, Wilfridus, Joannes, Ceadda, Dunstanus, Severinus, Hieronymus, Eligius, Benedictus, Antonius, Leonardus, Ægidius, Guthlacus, Botulphus.* Et hæc nomina sunt in pariete septentrionali. In tabulis quoque parietis occidentalis scribo nomina sanctarum mulierum cum iconibus suis : primum quidem in prima tabula ejusdem parietis occidentalis ad austrum nomen *B. Mariæ*, et post eam cæterarum, hoc modo : *Maria Magdalena, Felicitas, Perpetua, Agatha, Agnes, Cæcilia, Lucia, Anastasia, Euphemia, Margarita, Catharina, Genovefa, Edeldrida, Brigida, Hilda.* Hoc autem notandum quod omnes sanctos tam Veteris Testamenti, quam Novi a capite depingo ; ita ut Adam sub Christo positus, sursum ad ipsum Christum manus, et oculos quasi devote tendat. Similiter et Eva sub Maria posita, manus ad eam et oculos erigat. Maria vero in una manu rosam, et in altera lilium tenet. Post hæc supra icones Novi Testamenti, quæ in summitatibus tabularum depictæ sunt, uno ductu per circuitum trium parietum ab icone Domini Jesu, quæ est in prima tabula parietis australis, usque ad iconem Gervasii, quæ est in prima septentrionalis, hunc versum scribo : *Isti sunt sancti a primo Salvatoris adventu, usque ad finem sæculi in utroque sexu in mundum venientes, sanctamque Ecclesiam sub uno Domino in una fide, et uno baptismate, suique sanguinis effusione, et sanctæ prædicationis lumine, cum exemplis bonorum operum exornantes, et illustrantes.* Ab adventu namque Christi non deerunt in mundo, qui sanctam Ecclesiam vel bonæ vitæ exemplis decorent, vel sanctæ prædicationis illustratione illuminent, vel sanguinis sui effusione exornent.

CAPUT VII.

De tentorio, quod ad introitum pendet, et de veste ipsius introitus, et de tribus parietibus tabernaculi allegorice expositis.

XC. Nunc ad tentorium, quod in introitu pendet,

Digitized by Google

accedo, et in eo hæc verba per transversum scribo: *Decus primitivæ Ecclesiæ.* Præfatum namque tentorium in introitu tabernaculi pulchra colorum varietate contextum, ornamentum est primitivæ Ecclesiæ diversis virtutum floribus glorificum; de quibus scribit Lucas: Quia *multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, et non separatio erat in eis ulla, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia* (*Act.* IV, 32). Inerat namque ei hyacinthus; quia cœlestia cogitare, cœlestemque in terris vitam ducere solebat. Inerat purpura; quia mori erat parata pro Christo. Inerat coccus bis tinctus; quia Dei et proximi dilectione flagrabat. Inerat et byssus retorta; quia continentia carnis et castitate gaudebat. Super ipsas vero columnas per transversum scribo: *Doctores primitivæ Ecclesiæ.* Columnæ namque illæ, quibus tentorium suspendebatur, sancti sunt illius temporis doctores, de quibus Lucas: *Virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi, Domini nostri* (*Act.* IV, 33): Quæ nimirum bene quinque factæ sunt propter totidem libros legis, quos quidem libros sub basibus earumdem columnarum posuimus; quibus necesse est, ut sancti doctores prædicationis suæ verba præmuniant, et maxime qui primitivam Ecclesiam instituere, quæ ex Hebræorum populo congregata sola Mosaicæ legis auctoritate noverat institui, cum necdum evangelica, et apostolica doctrina per orbem fulgeret. In aureis vero earumdem columnarum capitibus per transversum scribo: *Caput omnium sanctorum Christus.* Nec incongruum videatur per quinque capita columnarum unum caput Ecclesiæ Christum figurari; tot enim fuerunt capita, quot columnæ, quia nimirum ipse Christus est Dominus omnium sanctorum, unum caput, et in seipso manet semper indivisibilis; sed singulis quibusque electis gratiam sancti Spiritus pro accipientium capacitate dividit. In æneis quoque columnarum basibus per transversum scribo: *Prophetæ Veteris Testamenti.* Ipsæ namque bases æneæ, quibus columnæ innituntur, prophetæ sunt, quorum verbis apostoli, et apostolici viri in fide confirmantur. Hæc de introitu tabernaculi allegorice diximus.

XCI. Post hæc in vecte illo, qui ab unius parietis summitate protenditur, uno ductu hunc versum scribo: *Circumcisionem justificans ex fide Dominus Jesus, et præputium per fidem* (*Rom.* III, 30). Hic namque **385** vectis Dominus est Jesus, qui quasi ab angulo, usque ad angulum pervenit; quia a plebe Judaica, quam prius vocavit, sese ad salvandam gentium multitudinem extendit, ut sicut in propheta lapis angularis dictus est (*Isa.* XXVIII, 1), ita et in lege vectis etiam angularis nuncupetur. Juxta primam septentrionalis parietis tabulam scribo: *Aquilo dat.* Et juxta primam australis: *Auster non prohibet.* Meridianum namque tabernaculi latus, quod vergit ad austrum, antiquam illam Dei plebem designat, quæ lucem scientiæ legalis jamdudum accipiens, amore sui Conditoris fervere solebat. Porro latus aliud, quod vergit ad aquilonem, eam, quæ tenebris ac frigore infidelitatis usque ad tempus Dominicæ incarnationis torpere non destitit, gentium multitudinem figurat. Sed ad utrumque hunc parietem iste sese vectis extendit, quando non solum populum Judaicum, sed etiam gentilem ad fidem vocavit. Idcirco a prima tabula parietis australis, usque ad caput vectis in obliquum scripti sunt hi duo versus: *Venerunt pastores festinantes, et invenerunt Mariam et Joseph et infantem positum in præsepio* (*Luc.* II, 16). Similiter a prima tabula parietis septentrionalis usque ad aliud prædicti vectis caput, hi duo versus in obliquum scripti sunt: *Intrantes Magi domum, invenerunt Puerum, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham* (*Matth.* II, 11). Quæ profecto omnia quomodo ad utriusque populi Judaici videlicet, et gentilis vocationem pertineant, satis evidenter patet. Hoc namque designat conjunctio parietis australis cum vecte, quod pastorum designat adventus ad puerum. Et hoc idem conjunctio parietis aquilonaris cum eodem vecte, quod ad eumdem puerum adventus Magorum. Juxta latitudinem vero parietis occidentalis desuper icones mulierum uno ductu ab uno angulo, usque in alium angulum scribo hunc versum: *Universalis sanctæ Ecclesiæ adimpletio in fine mundi perficienda.* Plaga namque occidentalis, quæ utrumque in se parietem recipiens ædificium tabernaculi consummat; recte adimpletionem totius sanctæ Ecclesiæ, quæ in fine hujus mundi perficitur, designat, ad quam usque et operatio recta utriusque populi perseveratura quasi gemina longitudo parietis pertingit.

CAPUT VIII.

De picturis quæ in Sancta sunt, quomodo secundum sensum allegoricum debeant intelligi.

XCII. His itaque de parietibus tabernaculi allegorice depictis, ad ea quæ in ipso, extra velum, tabernaculo sunt, manum verto; et juxta mensam, quæ in Sancta ad aquilonem stat, quatuor facio gradus; duos ad utrumque caput hinc et inde, propter quatuor quæ ad sacram Scripturam, quam eadem mensa designat, pertinent; materiam videlicet ejusdem Scripturæ, intelligentiam, dignitatem, et numerum librorum ejus. Materiam, de qua tractat; intelligentiam, secundum quam tractat; dignitatem, quam sublimiter tractat; libros, in quibus tractat. Materia quoque ejus sunt opera humanæ retaurationis cum omnibus sacramentis, sive his, quæ et ab exordio mundi usque ad Christi adventum fuerunt, et futuram hominum salutem ab initio promissam, in fine redditam, sine fine mansuram, vario modo pronuntiaverunt; sive his quæ et ab eodem Salvatoris adventu in sancta Ecclesia usque ad finem mundi exercentur, et prædictam hominum salutem per ejus adventum exhibitam confirmant. Intelligentia

Digitized by Google

vero, secundum quam de hac materia tractat, quadripartita est : historia, scilicet, allegoria, tropologia, anagogia. Historia ad apertam rerum gestarum narrationem pertinet et in superficie litteræ continetur, sicque intelligitur, sicut legitur. Allegoria vero aliquid in se plus continet, quia per id quod loquitur de rei veritate, aliquid aliud dat intelligendum de fidei puritate ; et sanctæ Ecclesiæ mysteria sive præsentia, sive futura, aliquando dictis aliquando factis. semper autem figuratis, et velatis ostendit. Tropologia quoque et ipsa sicut allegoria in figuratis sive dictis, sive factis constat ; sed in hoc ab allegoria distat quod allegoria fidem, tropologia vero ædificat moralitatem. Anagogia autem sive velatis, sive apertis dictis de æternis supernæ patriæ gaudiis tractat, et quæ merces vel fidem rectam, vel vitam mancat sanctam, dictis vel apertis, vel opertis demonstrat. Historia itaque per sanctorum exempla, quæ narrat, legentem ad imitationem excitat sanctitatis ; **386** allegoria in revelatione fidei ad cognitionem veritatis ; tropologia in instructione morum ad amorem virtutis ; anagogia in manifestatione supernorum gaudiorum ad desiderium supernæ felicitatis. Quia una his quatuor intelligentiis, quasi quibusdam pedibus sacra Scriptura incedit, eas ad quatuor pedes ejusdem mensæ pono, ad singulos singulas ; quia eas hi quatuor pedes designant. Dignitas quoque sanctæ Scripturæ in hoc est, quod præ cunctis sæcularibus scripturis non solum voces, sed etiam res significativas habet ; unde et ei omnes artes, quas liberales appellant, subserviunt. Libri autem, de quibus hic loquimur, et qui de Scriptura tractant, partim ad Vetus Testamentum pertinent, partim ad Novum. Et Vetus quidem in tres ordines dividitur : in legem, cujus libri quinque sunt ; in prophetas, quorum libri sunt octo : in hagiographa, ad quos libri novem pertinent : qui simul junncti viginti duos efficiunt, quot etiam elementa in Hebraico alphabeto sunt ; ut tot libris sancta viri justi vita exerceatur ad sapientiam, quot litteris ætas tenera instruitur ad eloquentiam. Hæc itaque quatuor, scilicet materiam sacræ Scripturæ, intelligentiam, dignitatem, et numerum librorum ejus illi quatuor gradus innuunt, quos ad mensam, quæ hanc, de qua loquimur, Scripturam designat, posuimus, duos hinc inde ad utrumque ejus caput. Si autem prolixius de his scire volueris, lege primam partem libri Magistri Hugonis, cujus est titulus *de Sacramentis*. In mensa duodecim panes pono, qui cum in ea semper historialiter fuerint ; tamen allegorice viros sanctos apostolica et doctrina imbutos, et operatione insignes, et tropologice spirituales illas quas Apostolus commemorat, exprimunt virtutes : videlicet *charitatem, gaudium, pacem, patientiam, longanimitatem, bonitatem, benignitatem, mansuetudinem, fidem, modestiam, continentiam, castitatem* ; in quibus vitalis animæ nostræ refectio consistit. Et hac mensa in tabernaculo stat in Sancta, ad aquilonem

XCIII. Post hæc in trunco candelabri, quod e diverso ad austrum stat, scribitur *Christus* : in hastili vero ejus, *Ecclesia*. De trunco itaque procedit hastile, quia robur, et sustentamentum Ecclesiæ Christus est. Ipsum vero candelabrum, quod hic visibiliter depictum est, illum figuraliter exprimit, qui de ipso ait : *Ego sum lux mundi* (*Joan.* II, 12). Quod bene, et aureum, et ductile fuit ; quia Redemptor noster Dominus Jesus et ab omni peccato alienus fuit, et tamen passionis in se persecutiones suscepit. Quod etiam septem super se lucernas habuit ; quia septem spiritualium graduum officia Dominus noster, quæ corpori suo, sanctæ videlicet Ecclesiæ secundum septiformem Spiritus sancti gratiam distribuit, ipse ejusdem sancti Spiritus plenitudinem habens in semetipso exhibuit : officium scilicet ostiariorum et lectorum, exorcistarum et acolytorum, subdiaconorum et diaconorum et officium presbyterorum. Qui quidem septem gradus una cum septem donis Spiritus sancti, quæ sunt : *Timor, pietas, scientia, fortitudo, consilium, intellectus, et sapientia* (*Isa.* XI, 2), ex cujus septiformis Spiritus munere sunt, juxta prædictas candelabri lucernas scribuntur, per quas ipsi designantur. Ostiariorum itaque officium in sua persona Dominus suscepit, quando, flagello de funiculis facto, vendentes et ementes ejecit de templo (*Joan.* II, 17). Officium lectorum in se ostendit, quando in medio seniorum librum Isaiæ aperiens, legit in eo : *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me* (*Luc.* IV, 18). Exorcistarum autem officio usus est, quando de Maria Magdalena septem ejecit dæmonia (*Luc.* IV, 18). Officium acolytorum se habere ostendit, quando dixit : *Ego sum lux mundi* (*Joan.* VIII, 12). Subdiaconorum quoque officio usus est, quando facta cœna cum discipulis, se præcinxit, et mittens aquam in pelvim, pedes discipulorum lavit, et linteo extersit (*Joan.* XIII, 5). Sed diaconorum in se officium suscepit, quando post cœnam proprio ore et propriis manibus sacramenta confecta dispensavit ; et quando apostolos dormientes ad orationem invitavit, dicens : *Vigilate, et orate* (*Matth.* XXVI, 41). Presbyterorum quoque officium in se excellenter exhibuit, quando ipse sacerdos, et hostia se ipsum in ara crucis pro peccatis humani generis obtulit, et per proprium sanguinem sancta æterna ingrediens (*Hebr.* X, 12), cœlestia, et terrestria pacificavit (*Col.* XX). De his septem gradibus Salomon ait : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem* (*Prov.* IX, 1). Sapientia namque domum sibi ædificavit, et septem columnas excidit ; quia Dei sapientia Christus Jesus corpus humanum, in quo habitaret, suscepit, et prædicta, septem graduum in homine assumpto officia, exhibuit. Quod ergo apud Salomonem in sapientiæ domo septem columnæ, hoc apud Moysen in tabernaculi candelabro juxta sensum duntaxat allegoricum, septem **387** designant lucernæ. Et hæc de mensa, et candelabro allegorice dicta sint.

Digitized by Google

CAPUT IX.

De imagine quæ in pavimento tabernaculi depicta est.

XCIV. Post hæc in ipsius tabernaculi pavimento imaginem Salvatoris a capite usque ad ventrem in Sancta sanctorum; et a ventre usque ad pedes prominentem, in Sancta depingo, illamque ejus partem, quæ in Sancta sanctorum est, induo candidis vestibus, illam vero quæ in Sancta est, rubeis. Dominus namque noster Jesus Christus, Deus et homo est, in tribus essentiis, et duabus naturis una existens persona. Una siquidem persona est, quia idem filius hominis sine patre, Filius Dei ab æterno sine matre. Tres in eo essentiæ sunt : Verbum, caro, et anima. Naturæ duæ : divinitas et humanitas. Pars itaque imaginis, quæ in Sancta sanctorum est, sublimitatem designat divinitatis, quæ ab æterno regnat in cœlo; pars vero illa, quæ in Sancta, humilitatem humanitatis, quæ ad tempus passionum dolores sustinuit in mundo. Intra Sancta sanctorum in ipsa imagine per transversum scribo : *Candidus*. Extra vero in Sancta in eadem imagine scribo similiter per transversum : *Rubicundus*. Ut ostendatur quia hæc imago illum designat, de quo Sponsa in Canticis : *Dilectus meus candidus, et rubicundus* (*Cant.* v, 10). Candidus in divinitate, rubicundus in humanitate. In divinitate profecto candidus est Dominus Jesus propter felicitatem, quam in natura illa æqualem cum Patre, et Spiritu sancto ab æterno habuit. Rubicundus vero in humanitate, qui rubrum habens indumentum in passione ejusdem humanitatis assumptæ, cum sit formosus in stola sua, veniens tamen de eodem tinctas defert vestes de Bosra (*Isa.* LXIII, 1). In ipsa imagine intra Sancta a pedibus pontificis stantis ad altare aureum, deorsum scribo hunc versum : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Luc.* IX, 33). Et supra caput imaginis secundum latitudinem tabernaculi in Sancta sanctorum, ab uno pariete usque ad alium sub imaginibus, quæ ibi sunt, uno ductu hunc versum scribo : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod paravit Dominus diligentibus se* (*I Cor.* II, 9). Hos autem duos versus, quorum unus in sancta, alius vero in Sancta sanctorum scriptus est, gradibus distinguo. Ad versum, *qui vult venire*, tres gradus pono, ad illa videlicet tria verba : *Abneget*, *tollat*, *sequatur*; ad verba singula singulos gradus. Ili namque tres gradus tria illa exprimunt, quæ in hoc versu animæ humanæ ad imaginem Trinitatis factæ Dominus Jesus proponit; videlicet servitutem, vilitatem, asperitatem. In abnegatione etenim sui, servitus; in bajulatione crucis, vilitas; in imitatione Christi, asperitas. Servitus namque est, abnegare quemlibet semetipsum sibi, et alterius se Dominio subjicere; vilitas vero est, crucem circumferre, quia vilitatis quondam signum crux esse solebat; Christum vero sequi asperum est, qui suo nos docuit exemplo, et instruxit præcepto, et contemnere quæ carni dulcia sunt et suavia, et quæ dura vel amara sunt, amplecti. His itaque tribus Salvatoris sui præceptis anima fidelis obediat, suscipiendo et in abnegatione sui servitutem, et in bajulatione crucis vilitatem, et in imitatione Christi asperitatem; ut quæ per inobedientiam de statu trinæ felicitatis ceciderat, humiliata afflictione horum trium per obedientiam resurgat.

XCV. Ceciderat namque a seipsa, a societate angelorum, et a visione ipsius Dei, id est a libertate, a dignitate, a felicitate. Libertatis namque est a seipso quemlibet possideri, nihilque omnino in seipso contra seipsum contradictionis sustinere. Talis ante peccatum fuit homo, quando et corpus suum spiritui, et spiritus subjectus fuit Conditori. At vero postquam per superbiam contra Creatorem suum spiritus intumuit, non solum corpus spiritui, sed ipse etiam miro, et miserabili modo spiritus sibi ipsi in multis rebellis esse cœpit; sicque seipsum homo possidere cessavit. Ad dignitatem vero pertinet angelis associari. Quam quidem dignitatem homo modo non habet, quia qui noluit intelligere, dum in isto honore esset, amissa societate angelorum, nunc non solum sociatus, sed etiam comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. Nihil vero felicius quam Deum videre; quia hæc est vita æterna, ut cognoscamus Deum Patrem et quem ipse misit, Jesum Christum. Sed postquam ad concupiscendum interdictæ arboris fructum exteriores oculos suos homo incautus aperuit, illos interiores, quibus Conditorem suum videre debuit, damnabiliter clausit. Verum, ut ad hæc tria homo revocaretur, ipse hominis Conditor **388** fieri dignatus est homo; et in humanitate sua, quam pars imaginis rubicunda innuit, trinam eidem homini afflictionem proponit; scilicet servitutem, vilitatem, asperitatem, ut percipere possit tria bona, quæ perdidit, libertatem, dignitatem, et felicitatem. Ad tria namque illius versus verba, scilicet *vidit*, *audivit*, *ascendit*, hi tres gradus positi sunt, ad verba singula singuli gradus. Libertas namque tanta erit, quantam nullus oculus vidit; dignitas tanta, quantam nulla auris audivit; felicitas etiam tanta, quantam nullius hominis cor comprehendit. Et hæc sunt, *quæ præparavit Dominus diligentibus se* (*I Cor.* II, 9). Idcirco versum illum, scilicet : *qui vult venire*, in humanitate posuimus. Istum vero, videlicet : *Oculus non vidit*, in divinitate; quia illa tria in humanitate sua Christus nobis proposuit : hæc vero in divinitate præparavit, ut illa sic in merito exerceamus, quatenus hæc in præmio possidere mereamur. Sed prius in pictura nostra legendus est hic versus : *Qui vult venire post me :* etc. Deinde versus : *Oculus non vidit;* quia prius compati debemus, ut postmodum conregnare possimus (*Rom.* VIII, 17; *II Tim.* II, 12). Legat itaque fidelis anima : *Abneget semetipsum*, ut possit acquirere, quod oculus non vidit. Legat : *Tollat crucem suam*, ut ad id possit pertingere, quod auris non audivit. Legat denique : *sequatur me*, ut digna sit consecendere ad

Digitized by Google

id, quod in cor hominis non ascendit. Sic abnegando semetipsum, id est, propriam voluntatem, pro servitute, quam sustinet, sui libertatem recuperet, quæ erit in sui ipsius possessione, quam oculus non vidit; tollendo crucem suam, carnem videlicet suam cum vitiis, et concupiscentiis crucifigendo, pro vilitate, quam portat, dignitatem recuperet, quæ erit in angelorum societate, quam dignitatem auris non audivit; sequendo Christum, id est, ejus passionem imitando, amissam recuperet felicitatem, quæ erit in claritate suæ visionis, quæ in cor hominis non ascendit. Adhuc vero deorsum a dextris altaris incensi, in femore ipsius imaginis scribo: *Rex regum*. A sinistris vero ejusdem altaris in vestimento imaginis: *Dominus dominantium*, ut intelligatur, quia hæc imago illum designat, de quo in Apocalypsi scriptum est: *Habebat in vestimento, et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium* (*Apoc.* XIX, 16). Quod vero sit vestimentum Domini Jesu, quodve femur ejus, vel quare ille Filius hominis, cui *data est omnis potestas in cœlo, et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18), et in vestimento humanitatis suæ, qua induta est divinitas, scriptum habuit: *Rex regum*: vel in femore carnis, quæ processit ex Virgine; *Dominus dominantium*, crebra expositione notissimum est.

XCVI. Præterea in his duobus, in regno videlicet, quod super omnes reges et in dominio, quod super omnes habet dominantes, quædam in humanitate sua, quæ nobis ad exemplum proposita est, singulis sanctæ Ecclesiæ fidelibus imitanda proponit. Reges namque quodammodo sunt stimuli vitiorum per tentationem pugnantes; quorum nimirum famuli et servi sunt, qui eorum suggestionibus consentiunt; quia, ut ait Dominus, omnis *qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34). Et quilibet vir sanctus, istorum regum Rex, et horum dominantium Dominus est, quando eorum tentationibus non enormiter succumbit; sed regia quadam potentia, et virili quodam dominio ipsorum tyrannidem resistendo premit. Hæc autem peccata, quorum hoc modo reges et domini esse debemus, septem sunt: superbia, invidia, ira, acedia, avaritia, gula, luxuria. Quæ videlicet peccata ideo originalia, et capitalia sunt, quia cæterorum omnium exordia et causæ sunt. Et per hæc septem tribus modis peccamus: cogitatione, locutione, opere. In cogitatione, per amorem carnis et amorem sæculi; in locutione, per arrogantiam et derogationem; in opere, per facinus et flagitium peccamus. Prima duo inquinant mentem; secunda duo linguam; tertia duo corpus. Prima etiam duo amorem Dei et patriæ cœlestis excludunt desiderium; secunda duo humilem peccatorum confessionem et veram de proximis exstinguunt æstimationem; tertia duo continentiam expellunt, et innocentiam. Sed quia et, super prædicta septem regnare, et his tribus, videlicet cogitationi impuræ, locutioni pravæ, actioni nefariæ quæ tria ex illis septem procedunt, dominari debemus, idcirco et ad illa septem exprimenda, juxta *Rex regum* septem gradus posuimus; et ad hæc tria innuenda, juxta *Dominus dominantium*, tres nihilominus gradus depinximus. Post hæc, quia quemlibet spirituale hoc dominium habentem per quod hæc tria mala deprimuntur, quædam in cœlesti patria ex præsentia Deitatis præmii novitas, et virile hoc regnum, **389** quod septem illa criminalia peccata retundit, possidentem quædam magnitudo mercedis ineffabilis manet; idcirco hæc in dextra imaginis manu in Sancta sanctorum contra *Dominus dominantium* una tenetur rotula, in qua scriptum est: *Ecce nova facio omnia* (*Apoc.* XXI, 5). Et in sinistra ejusdem manu contra *Rex regum* altera habetur rotula, in qua scriptum est: *Merces mecum magna reddere unicuique juxta opera sua* (*Apoc.* XXII, 12). Et quia tam novitas illa, quam magnitudo hæc omni prorsus fine carebit, ideo juxta utramque rotulam viridis circulus ponitur: quia nimirum electorum præmia nullo fine marcescent; sed sine fine virescent, sicut in circulo nec initium, nec finis invenitur. In humanitate etiam, quæ est in Sancta, in circulo deorsum, qui est subtus candelabrum, inter pedes imaginis scribo: *Via*, in fine vestimentorum ipsius imaginis. In divinitate autem sursum in aureo circuli centro, qui est super duo cherubin, in pectore ejusdem imaginis scribo: *Vita*, per transversum subtus barbam videlicet imaginis. In illo vero circulo, cujus media pars extra velum est, juxta altare incensi, media vero intra velum, subtus arcam Testamenti scribo: *Veritas*. Ita ut duæ syllabæ hujus dictionis in exteriori sint medietate circuli, tertia vero syllaba in interiori. Sic autem hæc tria verba in his tribus locis posita esse intelligenda sunt, ut intra hos tres circulos sit scriptus hic versus: *Via, veritas, vita*. Ipse namque Dominus de seipso in Evangelio dicit: *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Ipse namque Christus Jesus, qui per hanc imaginem designatur, Via nobis, Veritas, et Vita. Via, ut eamus per eum; Veritas, ut post eum; Vita, ut ad eum. Per eum, ne aberremus; post eum, ne deficiamus; ad eum, ne moriamur. *Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum* (*Psal.* LXXXV, 11). Deducimur in via, ut eamus, et ingredimur in veritate, ut curramus; lætificat cor nostrum, ut in æternum vivamus. Item: *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me* (*Psal.* LXXII, 24). Tenuisti me, o Veritas, ne deficerem; deduxisti me, o Via, ne aberrarem; suscepisti me, o Vita, ne perirem. Vita itaque est in sancta, quam inter homines exercuit conversatione; Veritas in sana, qua mundum instruxit prædicatione, Vita in æterna, qua suos beatificavit exsultatione Via in exemplo, Veritas in promisso, Vita in præmio. Via denique in humanitate, Vita in divinitate, Veritas in utraque. Ideo Via in humanitate, quia sanctæ conversationis nobis in ea præbuit exemplum. Ideo Vita in divinitate, quia æternæ in ea

Digitized by Google

beatitudinis nobis largitur præmium. Veritas quoque ideo in utraque est, quia quod nobis in humanitate repromittit, in divinitate reddit. Et hæc est causa, quare deorsum in Sancta, in ipsa videlicet humanitate, inter pedes ejus scripsi, *Via*: sursum in divinitate, quæ est in Sancta sanctorum, *Vita*: et in Sancta simul, et in Sancta sanctorum, tam in humanitate, quam in divinitate, *Veritas*: quia idem ipse, ut superius jam dictum est, et Via est in exemplis, quæ ostendit in humanitate, et Vita in præmiis, quæ exhibet in divinitate, et Veritas in promissis, quæ quidem in humanitate promittit, et in divinitate reddit.

XCVII. Juxta imaginem vero sursum in Sancta sanctorum a dextris scribuntur novem ordines beatorum, qui in superna patria sunt, spirituum, cum iconibus suis; a sinistris vero ejusdem imaginis quamdam magnam iconem hominis a pectore sursum depingo; quia hæc gemina creatura in cœlo est: angelica scilicet, et humana. Sub angelis vero uno ductu versus imaginem scribo hæc verba: *Hic est, in quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I, 12); et sub icone hominis: *Videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III, 2). Juxta quam etiam iconem quatuordecim beatitudines scribo, quas in futuro habebunt sancti, quorum septem ad animam, septem ad corpus pertinent. Septem vero illæ, quæ ad animam pertinent, inter caput imaginis, et iconis scribuntur: scilicet, *sapientia*, *amicitia*, *concordia*, *potestas*, *honor*, *securitas*, *gaudium*. Aliæ vero septem, quæ pertinent ad corpus, ex alia parte iconis ejusdem scribuntur: videlicet, *pulchritudo*, *velocitas*, *fortitudo*, *libertas*, *sanitas*, *voluptas*, *diuturnitas*. Inter has vero quatuordecim beatitudines supra caput iconis scribitur hic titulus: *Genus humanum, quod est drachma decima*. Ex illa etiam parte, ubi hæc icon est, scribo: *Termini populorum*. Ex illa vero, ubi angeli sunt, scribo: *Juxta numerum angelorum Dei*: quia tanta illuc ascensura creditur multitudo hominum, quanta illic remansit multitudo angelorum. Singularum etiam iconum tam hominis, quam angelorum oculi ad faciem imaginis sunt conversi; quia tota et angelorum, et hominum beatitudo in visione Deitatis consistit. Præterea campum, qui in Sancta sanctorum est, colore saphirino, qui cœli habet speciem, quando serenum est, superinduo.

390 XCVIII. Campum vero, qui in Sancta, purpureo; quia præsentem Ecclesiam, quæ passionum tentationes sustinet, Sancta designant; patriam vero cœlestem Sancta sanctorum. His etiam duobus campis hos titulos impono; campo purpureo, qui in Sancta a dextris imaginis est, scribo: *Micantes Pleiades* (*Job* XXXVIII, 31). Et contra hunc titulum supra in Sancta sanctorum, in campo Saphirino, a dextris similiter imaginis scribo: *conjunctæ sunt* (*ibid.*). Item in Sancta a sinistris imaginis contra *Pleiades*, e diverso, ex altera parte, ad aquilonem, in campo purpureo scribo: *Gyrus Arcturi* (*Job* XXXVIII, 31). Et in Sancta sanctorum a sinistris quæ e diverso contra *conjuncta sunt*, scribo: *dissipatus est*. Hi vero quatuor tituli, quorum duo in Sancta, duo vero in Sancta sanctorum altrinsecus scripti sunt, ad illam pertinent sententiam, de qua Dominus beatum Job alloquitur in hæc verba: *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare* (*ibid.*)? Micantes stellæ Pleiades, quæ tractu quidem disjunctæ, sed loco conjunctæ sunt, singulos sanctæ Ecclesiæ electos designant, qui unam quidem, eamdemque de Creatore et Salvatore suo fidem habuerunt; sed non in uno omnes, eodemque tempore simul in mundo fuerunt. Per gyrum vero Arcturi assiduus sanctæ universalis Ecclesiæ in præsenti vita exprimitur labor; quæ sancta Ecclesia semper quidem fatigatur, sed nunquam vincitur; sicut Arcturus semper versatur, sed nunquam mergitur. Sed micantes Pleiades conjungentur, et gyrus Arcturi dissipabitur; quia electi quique simul in superna patria præsentialiter erunt, et a suo sancta Ecclesia labore universaliter tunc cessabit. Et hæc est causa, quare in campo, qui in Sancta est, purpureo hos duos titulos posui: *Micantes Pleiades*, et, *Gyrus Arcturi*. Et in Saphirino, qui in Sancta sanctorum est, hos duos: scilicet, *conjunctæ sunt*, et, *dissipatus est*; quia et singuli tunc electi in eadem erunt felicitate, qui licet hic disjuncti tempore, in una tamen, eademque fuerunt conjuncti fide; et sanctæ Ecclesiæ labor mutabitur in requiem, amaritudo in dulcedinem, exsilium in regnum, et in gaudium mœror. In campo itaque purpureo et Pleiades in uno loco, licet non uno tractu, micant, et Arcturus gyrat; sed in saphirino et illæ conjunctæ sunt, et iste dissipatus est; quia in præsentis vitæ pressuris, quam vitam purpureus exprimit campus et singuli quique electi, etsi non uno similiter tempore exstant, in una tamen fide coram Domino effulgent; et sancta Ecclesia catholica toto orbe diffusa, semper vincens multis modis laborat; sed in cœlesti patria, quam campus designat Saphirinus, in Sancta sanctorum depictus, et electi singuli simul jungentur in requie, et sancta universalis Ecclesia a suo cessabit labore. Et hæc de imagine, quæ in pavimento tabernaculi depicta est, et de his, quæ ad eam pertinent, allegorice dicta sint.

CAPUT X.

De picturis, quæ ad altare holocausti, et ad æneum labrum spectant

XCIX. Hoc modo disposito tabernaculo interius, egressus de eo vado exterius ad atria, et ad altare holocausti, quod foris ad introitum atriorum est; ubi Levitam quemdam, vaccam rufam cum cultro, in eo immolantem depingo. Vacca hæc rufa, quæ hic visibiliter depicta est, illam innuit vaccam, de qua Dominus in libro Numeri ait ad Moysen: *Præcipe filiis Israel, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, et quæ non portaverit jugum* (*Num.* XIX, 2). Vacca hæc juxta sensum allegoricum Dominum nostrum Jesum Christum se-

Digitized by Google

cundum humanitatem de Virgine sumptam innuit. Qui apte sexu femineo vacca dicitur propter infirmitatem carnis : quia *dolores nostros ipse tulit, et infirmitates nostras ipse portavit* (*Isa.* LIII, 4). Rufa, et non alba dicitur, quia in similitudinem venit carnis peccati, qui; ut Apostolus ait : *tentatus est per omnia pro similitudine absque peccato* (*Heb.* IV, 15). Sed in hac vacca nec macula fuit, nec jugum ipsa portavit; quia aliquorum in se nec sordes vitiorum, nec onera admisit peccatorum. Erat ætatis integræ, quia non solum omni malo caruit, sed etiam omne in se bonum habuit. *Et immolabit eam*, inquit, *Eleazar* (*Num.* XIX, 3). Hanc quoque vaccam et nos quotidie immolamus, quando sacrosanctum Redemptoris nostri corpus fideliter sumimus. In altari itaque holocausti vacca cultro secatur, quia partes quidem in sacramento facimus; sed ipsum a se non dividimus, nec separamus. Monstratur nobis foris species, in qua sensus noster erudiatur; sed servatur intus corporis incorruptio, in qua unitas ejus non dividatur. Et ubi pars, ibi est et totum; quia sicut in diversis locis potest esse unum, ita et in singulis partibus potest esse totum. Sub ipso quoque sacrificio tres gradus facio, quia cum unum sacramentum in altari sit, tria tamen **391** ibi discreta proponuntur : species visibilis, veritas corporis et virtus gratiæ spiritualis. Species visibilis quæ ibi visibiliter cernitur; veritas corporis et sanguinis, quæ sub specie visibili creditur; gratia spiritualis, quæ cum corpore, et sanguine sumitur. Species oculo carnis videtur, veritas fidei puritate attingitur, virtus ob fidei meritum mediante corporali assumptione percipitur. Quod autem videtur secundum speciem, sacramentum est et imago illius, et quod creditur secundum corporis veritatem sacramentum illius est, quod percipitur secundum gratiam spiritualem. Et cum ibi hæc tria in uno sint, in primo quidem signum invenitur secundi, in secundo autem causa tertii, in tertio virtus secundi, et veritas primi; ejusque et species apparet, cujus non est substantia, et latet substantia, cujus non apparet forma. Hæc itaque illi tres gradus innuunt, quos in ipsa vacca posuimus.

C. Sed quia hæc tria in uno sacramento et unum sacramentum sunt, per transversum eorumdem trium graduum lineam traho, eosque conjungo. Ad labrum vero æneum duos hinc inde sacerdotes, unum manus, alterum pedes lavantem pono. Duo hi sacerdotes Judæorum, et sanctæ Ecclesiæ allegorice designant sacerdotium. Sacerdos ille, qui manus lavat, Veteris Testamenti sacerdotes exprimit; quibus corporalia sacrificia celebraturis satis erat exteriora in se opera mundare, quæ opera exteriora per manus designantur, Sacerdos vero alius, qui pedes suos abluit, hujus nostri temporis sacerdotes exprimit; quibus utpote verum Christi corpus et sanguinem Patri quotidie in remissionem peccatorum oblaturis sufficere non debet a flagitiis et facinoribus exterius se mundare, nisi ab impuris se affectibus intrinsecus expurgent. Quæ affectuum interiorum mundatio per pedum ablutionem denotatur. Pedes namque mentis, affectus ejus sunt, quæ quasi tot passibus incedit, quot affectibus ad concupita, per desiderium, se extendit. Velle namque aliquid agere, jam mente ire est. Extra tentorium quoque ad orientem statuitur Moyses in manu tabulas Decalogi, prophetiam, quam de Christo protulit, tenens, et ad sacerdotes se lavantes verba dirigens, eos ita alloquitur, dicens : *Lavamini, mundi estote* (*Isa.* I, 16). Quia lex nobis data per Moysen, ad spiritualem nos excitat purgationem. Cui unus eorum respondet dicens : *Lavabo inter innocentes manus meas* (*Psal.* XXV, 6). Alter vero : *Abluc pedes meos ingrediens domum Dei :* quia præceptis legalibus spiritualiter obtemperare debemus. Ex altera vero parte Aaron est, et dixit : *Introibo ad altare Dei* (*Psal.* XLII, 4). Quia etiam tentorii introitum summovens, et intrare volens, Levitam, qui vaccam immolat, alloquitur dicens : *Immola Deo sacrificium laudis* (*Psal.* XLIX, 14). Qui idem Levita respondet : *Voluntarie sacrificabo tibi, Domine* (*Psal.* LIII, 8). Hoc namque Aaron dicere, est sanctum, quod veneramur, sacerdotium, ad carnis nos mortificationem et verbis et exemplis excitare. Et nos quidem, quod hoc in loco Levita respondet, respondemus, si prælatorum sanctorum exhortationibus humilem præbemus assensum. Hæc de his, quæ ad altare holocausti, et ad æneum labrum pertinent, allegorice in præsenti dicta sint.

CAPUT XI.

De tentoriis atriorum, et de columnis eorum.

CI. Dehinc ad atria, quæ in circuitu tabernaculi sunt, manum mitto, et incipiens a columna illa, juxta quam Aaron velum submovens intrat, in circuitu per medium ipsorum tentoriorum uno ductu usque ad columnam, quæ est contra Moysen, scribo hunc versum : *Tabernaculi tentoria ac bysso retorta facta, prima sunt rudimenta incipientium, carnis simul ac spiritus illecebras refrænantium.* Sicut enim Sancta sanctorum eam, quæ in cœlis est, partem designant; et Sancta perfectam fidelium vitam in hoc duntaxat sæculo commorantium typice denuntiant : ita atrium tabernaculi quod exterius erat, prima incipientium rudimenta demonstrat. Quæ bene de bysso retorta erant, quia prima incipientibus cura impendenda est, ut illecebras carnis simul ac spiritus refrænent. Et quia illa atrii latitudo, quæ ad orientem est, bonæ nostræ conversationis, quæ per fidem est, exprimit initium, idcirco super ipsa tentoria ad orientem a columna illa, quæ est juxta vitulum, usque ad illam, quæ est juxta leonem, uno ductu hunc versum scribo : *Latitudo atrii orientem respiciens primordium est bonæ conversationis a fide incipiens.* Et quia alia atrii latitudo, quæ occasum respicit solis, ubi, terminato labore diurno, soporis in nocte gratia succedit, tempus illud significat, quando cessante post mortem vita actuali, sanctorum requies, et merces speratur æterna. Idcirco

Digitized by Google

super 392 ipsa tentoria ad occidentem a columna illa, quæ est juxta hominem, usque ad illam quæ est juxta aquilam, uno ductu sub iconibus Gersonitarum hunc versum scribo : *Atrii latitudo respiciens occasum, requies, et merces æterna est electorum post obitum.*

CII. Rursum quia columnæ, ante quas hæc, de quibus loquimur, tentoria appendent, sanctos prædicatores, qui fidelium populis præsunt, designant, ideo a columna illa, quæ est contra brachium Aaron, usque ad illam, quæ est contra Moysen, uno ductu per circuitum deorsum sub tentoriis, et columnis hunc versum scribo : *Columnæ tentoria in altum tenentes, sancti sunt Doctores, suorum corda auditorum a terrenis contagiis extrahentes, et ad cœlestia desideria sustollentes; et hæc, ne quid eis duplicatis inesse valeat, quasi vestem Domini diligenter extendentes.* Item a columna, quæ contra Moysen est, incipiens, usque ad illam, juxta quam Aaron velum submovet, sub ipso tentorio, quod ibi pendet, scribo hunc versum : *Atrii introitus, sanctæ Ecclesiæ ingressus.* Hoc namque per atrii introitum designatur. A columna vero illa, quæ juxta leonem est, usque ad illam, quæ juxta hominem posita est, in longum per medium Caathitarum hunc titulum pono : *Centum in longitudine cubitos atrium habens, sancta Ecclesia est, pro æterna in cœlis vita laborem in se patientiæ, et continentiæ temporalis assumens.* Ex alia vero parte, ab illa quæ juxta aquilam est, columna per medium Meraritarum usque ad illam, quæ juxta vitulum erecta est, hunc titulum scribo : *Centum in longitudine cubitos Ecclesia habet, quæ suas ad bona opera ulnas propter vitam æternam levat.* Hoc modo atriis undique intitulatis, quia per sanctam Scripturam cui septem artes subserviunt, sancta Ecclesia contra errorum incursus protegitur et munitur, per tres eorumdem atriorum partes juxta summitates columnarum omnes tam Veteris, quam Novi Testamenti libros cum septem artibus, quas liberales vocant, scribo ; ita ut in quatuor angulis eorum evangelistæ quatuor depicti sint ; ut ad orientem leo sit, qui nos in sanctæ conversationis exortu ad boni operis excitet fortitudinem ; ad austrum homo, ut per afflatum sancti Spiritus ad mentis nos ducat rationem ; ad occidentem aquila, ut contra virtutum occasum nos illustret per contemplationem ; ad aquilonem vitulus, qui nos contra hostis antiqui suggestiones, qui per aquilonem exprimitur, ad carnis hortetur mortificationem.

CAPUT XII.

De clericis Veteris et Novi Testamenti.

CIII. Post hæc per circuitum horum, de quibus locuti sumus, tentoriorum atrii quadam magna linea aliquantulum longe ab ea ducta per quadrum, quamdam magnam quadraturam, quæ omnia supra memorata intra posita complectitur, facio ; intra quam quadraturam, Moysen, et Aaron pono ad orientem, et a Moyse superius archiepiscopum quemdam in eadem quadratura cum archidiacono suo ; et superius ab Aaron episcopum cum suo similiter archidiacono depingo. Ad austrum quoque juxta lineam tentorii in medio quamdam magnam iconem hominis cum nomine *Caath* supra caput ejus inscripto, et juxta eum filios ejus Caathitas : videlicet sex a dextris per longum, et sex a sinistris compono, et sursum ab eis unum sacerdotem missam ad altare celebrantem ; et diaconum dalmatica indutum, calicem ei ad aram offerentem, hinc inde duobus in locis depingo. Ad aquilonem vero juxta lineam tentorii scribo nomen *Merari* cum icone sua, et iconeis filiorum suorum sex a dextris per longum, et sex a sinistris seorsum ab eis. Ad occidentem autem nomen *Gerson* cum icone sua, et iconibus filiorum ejus quatuor a dextris, et quatuor a sinistris ejus, pono seorsum ab eis. Rursum ad orientem manum verto, et supra Moysen et Aaron inter archiepiscopum, et episcopum, eorumque archidiaconos, de quibus superius locuti sumus, patriarcham Jerosolymitanum cum icone sua scribo, a quo iidem episcopi consecrati sunt. Ad austrum vero supra Caath patriarcham Antiochenum, hinc levitam, hinc sacerdotem a se quasi nuper ordinatos ad prædicandum excitantem, sacerdoti porrigentem rotulam, in qua scriptum est : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (*Isa.* LVIII, 1) : et cum textu Evangelii, alteram Levitæ, in qua scriptum est ; *Prædica verbum, insta opportune, importune* (*II Tim.* IV, 2), pono. Ad Aquilonem autem supra *Merari* patriarcham Aquileiensem cum icone 393 sua, pono, subdiacono manipulum, et acolytho cereum in eorum ordinatione porrigentem. Ad occidentem quoque supra Gerson patriarcham Alexandrinum, cum icone sua, pono exorcistam, lectorem, ostiarium ordinantem, illisque tribus tres rotulas porrigentem, unam exorcistæ, in qua scriptum est : *Accipite, et habetote potestatem imponendi manus super energumenos, sive catechumenos ;* aliam lectori, in qua scribitur : *Accipite, et estote verbi Dei relatores ;* tertiam vero ostiario, in qua scriptum habetur : *Sic age quasi rationem redditurus Deo pro his rebus, quæ his clavibus reconduntur ;* cui etiam clavem tribuit.

CIV. Sic ergo Veteris et Novi Testamenti Levitis in circuitu tabernaculi dispositis, inscriptiones eorum hoc modo facio. Ad orientem inter tentorium et Moysen atque Aaron, ab uno cornu usque ad aliud, hunc versum scribo : *Isti sunt Moyses, et Aaron, qui cum filiis suis excubant in custodiis tabernaculi* (*Num.* I, 53), *habentes custodiam sanctuarii* (312). Sursum vero ab hoc versu ab uno cornu usque ad aliud, ad exponendum hunc versum inter episcopos, et archidiaconos per patriarcham scribo versum istum : *Isti sunt, qui sanctæ Ecclesiæ præsunt, benedictiones, et graduum spiritualium promotiones gratis lar-*

(312) Non sic Vulg. Quam equidem dissonantiam videre est in versibus fere cunctis qui eodem modo usurpantur. — Ed. P.

Digitized by Google

gientes. Archiepiscopi namque et episcopi spiritualis sanctuarii, id est, sanctæ Ecclesiæ custodiam habentes, et in ejus custodiis cum archidiaconibus suis et primiceriis, atque thesaurariis excubantes basilicas consecrant, altaria inungunt, chrisma conficiunt, manus impositionem, et communem super populum benedictionem habent; officia, et ordines ecclesiasticos distribuunt, sacras quoque virgines benedicunt. Ad austrum per medium filiorum Caath ab uno cornu usque ad aliud uno ductu scriptus est hic versus : *Isti sunt Caathitæ, qui in commotione castrorum sancta illa, quæ in tabernaculo erant, propriis humeris in vectibus ferebant* (*Num.* IV, 15). Et paulo superius ab hoc versu per capita ipsorum Caathitarum hunc numerum pono : *Duo millia, septingenti, quinquaginta* (*Num.* IV, 36). Tot erant filii Caath a triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, qui ad austrum tabernaculi metabantur castra. Sursum per capita sacerdotum, et diaconorum, atque per patriarcham uno ductu ab oriente usque ad occidentem hunc versum scribo : *Isti sunt in sancta Ecclesia Christi sacramenta conficientes, et confecta populo Dei distribuentes, baptizantes, et verbum vitæ prædicantes.* Sacerdotes namque corpus Christi, et sanguinem debent conficere; diaconi vero confecta populo Christiano distribuere et utrique prædicare, catechizare, et baptizare debent. Ad aquilonem quoque ab uno cornu usque ad aliud per medium filiorum Merari uno ducto scribo hunc versum : *Isti sunt Meraritæ tabulas tabernaculi, et bases columnas, et vectes portantes* (*Num.* IV, 31). Sursum vero ab hoc versu per capita ipsorum Meraritarum hunc numerum pono : *Tria millia, ducenti.* De sursum vero per capita : *Vasa corporis, et sanguinis Christi ad altare offerentes, epistolam legentes, et proximis opera lucis ostendentes.* Subdiaconi namque, qui et ὑποδιάκονοι Græce dicuntur, levitis subserviunt, vasa corporis et sanguinis ipsi ad altare offerunt, urceum quoque ad aquam, mantile et manutergium episcopo tenent. Acolythi vero dum legitur Evangelium, cereos tenent, unde et ceroferarii latine dicuntur, non ut hujus aeris tenebras illuminent, sed ob hoc, ut, sicut visibile lumen manibus gestant, ita opera lucis proximis ostendant.

CV. Ad occidentem quoque ab uno cornu in aliud per medium filiorum Gerson uno ductu hunc versum scribo : *Isti sunt Gersonitæ, tabernaculum, et atrii portantes tentoria, parietum, et tecti operimenta* (*Num.* IV, 25). Sursum ab hoc versu per capita ipsorum Gersonitarum hunc numerum pono : *Duo millia sexcenti triginta* (*ibid.* 4). Et paulo sursum ab hoc versu, ab austro usque ad septentrionem per capita ostiariorum, lectorum, exorcistarum, atque per patriarcham uno ductu hunc versum scribo : *Isti sunt Ecclesiæ ostia custodientes, verbum Dei ministrantes, ab obsessis spiritus immundos ejicientes.* Ostiarii etenim, qui in Testamento Veteri janitores vocabantur, Ecclesiæ claves custodiunt, horis competentibus templum lacuant, et aperiunt, fideles recipiunt, infideles et excommunicatos non recipiunt. Lectores quoque verbum Dei annuntiant, prophetias in Ecclesia lectiones recitant. Exorcistæ autem super catechumenos sacramenta faciunt apertionis, spirituale habentes imperium super immundos spiritus, ut eos de obsessis ejiciant. Horum vero omnium iconum, tam Veteris videlicet, quam Novi Testamenti clericorum imagines per circuitum tentoriorum atrii competenter depingo : sacerdos missam ad altare celebrat; diaconus ei calicem offert; subdiaconus epistolam legit, acolythus accensum cereum in manibus tenet, ostiarius clavem tenens ostium aperit, lector **394** lectionem recitat; exorcista immundum ab homine spiritum ejicit. Hoc itaque modo tam Veteris, quam Novi Testamenti ministros circa tabernaculum disposui.

CVI. Post hæc omnia ad orientem supra patriarcham Jerosolymitanum pono nomen, et imaginem Petri apostoli, et cæterorum apostolorum Principis. Unde et Cephas a Domino dictus est, habens claves in manu traditas sibi a Domino; quibus *quæcunque ligavit super terram, ligata erant et in cœlis; et quæcunque solvit super terram, soluta erunt et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19). Post Petrum vero intra quamdam quadraturam, quæ per circuitum usque ad eamdem Petri imaginem undique porrigitur, aliorum apostolicorum virorum, qui suæ post eum sedis apostolicæ in Ecclesia Romana fuere successores, ponuntur icones, easdem tenentes in manibus claves; ita ut singulorum nomina singulis iconibus subtus ponantur, hoc modo.

Petrus, Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, Evaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus, Higinus, Pius, Anicetus, Sother, Eleutherius, Victor, Zephyrinus, Calixtus, Urbanus, Pontianus, Antherus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus, Dionysius, Felix, Eutichianus, Caius, Marcellinus, Marcellus, Eusebius, Melchiades, Sylvester, Marcus, Julius, Liberius, Felix, Libertus, Damasus, Siricius, Anastasius, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cœlestinus, Sixtus, Leo, Hilarius, Simplicius, Felix, Gelasius, Anastasius, Symmachus, Hormisda, Joannes, Felix, Bonifacius, Joannes, Agapetus, Silverius, Vigilius, Pelagius, Joannes, Benedictus, Pelagius, Gregorius, Sabinianus, Bonifacius, Deusdedit, Bonifacius, Honorius, Severinus, Joannes, Theodorus, Martinus, Eugenius, Vitalianus, Adeodatus, Domnus, Agatho, Leo, Benedictus, Joannes, Conon, Sergius, Joannes, Joannes, Sisinnius, Constantinus, Gregorius, Gregorius, Zacharias, Stephanus, Paulus, Constantinus, Stephanus, Adrianus, Leo, Stephanus, Paschalis, Eugenius, Valentinus, Gregorius, Sergius, Leo, Benedictus, Paulus, Stephanus, Nicolaus, Adrianus, Joannes, Martinus, Adrianus, Stephanus, Formosus, Bonifacius, Stephanus, Romanus, Theodorus, Joannes, Benedictus, Leo, Sergius, Anastasius, Lando, Joannes, Leo, Stephanus, Martinus, Agapetus, Joannes, Leo, Benedictus, Joannes, Benedictus, Domnus,

Digitized by Google

Bonifacius, Benedictus, Joannes, Joannes, Gregorius, Joannes, Sylvester, qui et Gerbertus, Joannes, Joannes, Sergius, Benedictus, Joannes, Benedictus, Sylvester, Gregorius, Clemens, Damasus, Leo, Victor, Stephanus, Benedictus, Nicolaus, Alexander, Gregorius, Victor, Urbanus, Paschalis, Gelasius, Calixtus, Honorius, Innocentius, Cœlestinus, Lucius, Eugenius, Anastasius, Adrianus, Alexander. Hos viros apostolicos una cum Petro, cujus et locum tenent, et officium exercent, idcirco in tam sublimi loco posuimus, quia ipsi sunt sanctæ universalis Ecclesiæ capita, et prælati omnium prælatorum ejus. Ipsos enim papas, id est, patres Patrum, mos solet ecclesiasticus appellare, et ut sic vocarentur instituit. Ipsi quippe sunt principales, et maximi sedis apostolicæ in Ecclesia Romana successores; unde et ipsos specialiter apostolicos sancta Ecclesia vocare consuevit. Quos ideo in pictura nostra super omnes Ecclesiæ personas in eminentibus et summis locis, in quibusdam excelsis thronis, et sublimibus consistoriis posuimus, quia eis vice beati Petri apostolorum Principis præsidentibus omnis ordo Ecclesiasticus obtemperare debet; qui soli singulari prærogativa præcelsæ dignitatis claves habent ligandi et solvendi omnia super terram.

CVII. Deinde in ipsa linea crocea, quæ deorsum ab his viris apostolicis omnia infra conclusa circumplectitur, per circuitum uno ductu hunc versum scribo: *Summa Levitarum, qui ad ministrandum Domino a triginta annis, et supra usque ad annum quinquagesimum connumerati sunt octo millia sexcenti octuaginta* (*Num.* IV, 48). Tot namque erant. Quem quidem in se spiritualiter habent numerum etiam novi Levitæ, dum perfecte in se quinque sensuum incorruptionem, et munditiam in spe futuræ resurrectionis sollicite observare student. Solent namque in Scriptura sacra per numerum quinarium quinque corporis sensus accipi; per centenarium perfectio; per octonarium resurrectio; per millenarium vero, qui omnes intra se continet numeros, et ultra quem numerus non est, plena illa, quæ omne desiderium superat, promissorum divinorum exhibitio (*Luc.* VI, 38). Illa videlicet exhibitio, quam Dominus in Evangelio mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem appellat (*Isa.* LXIV, 4). Quam et Isaias dicit nec oculum vidisse, nec aurem audisse, nec in cor hominis ascendisse. De qua Apostolus breviter dicit: *Et erit Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV, 28). Igitur spirituales nostri temporis ministri et quingenti sunt, dum sancte vivunt; et octuaginta sunt, dum **395** recte credunt, et octo millia sunt, dum ideo tam fidem rectam, quam sanctam student habere conversationem, ut plenam, quam post generalem resurrectionem mortuorum electis suis justus dabit Judex, felicitatem consequantur. Idcirco in fine hujus longi versus qui in hac linea crocea uno ductu a Petro apostolo, usque ad eumdem Petrum scriptus est, tres gradus posui, unum ad *octuaginta*, secundum ad *quingenta*, tertium ad *octo millia*: ut ostendatur hic numerus ad sanctæ Ecclesiæ ministros pertinere. Et inter octuaginta scribo: *Fides recta;* et inter quingenta: *Vita sancta*; et inter octo millia: *Felicitas plena.* Quia sanctæ Ecclesiæ ministri et hic recte credunt, et sancte vivunt, et ibi plenam felicitatem habebunt. Posthæc ab una parte imaginis Petri, usque ad aliam partem ejusdem imaginis undique per circuitum uno ductu in quadam linea quadrata, quæ a prædicta imagine, usque ad eamdem imaginem porrigitur, hunc versum scribo: *Isti sunt speciales sanctæ universalis Ecclesiæ patres, et prælati omnium prælatorum ejus, quibus universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis præsidentibus, et speciali dignitatis prærogativa claves habentibus ligandi, et solvendi omnia, super terram obtemperare universus ordo ecclesiasticus debet;* quia hic versus duobus in principio sui gradibus distinguitur, per quos illæ claves exprimuntur. Nam claves quæ Petro, ejusque successoribus a Domino collatæ sunt, nihil aliud sunt, nisi potestas aperiendi et claudendi, atque inter admittendos, et excludendos discretio.

CAPUT XIII.

De fidelibus utriusque temporis laicis.

CVIII. Sic clericis circa tabernaculum ordinatis, laicos fideles circa idem tabernaculum, foris tamen a clericis dispono; quia nimirum laici fideles, licet in ipso tabernaculo sanctæ Ecclesiæ officium spirituale sicut clerici non habent, ad eam tamen per fidem et bona opera pertinent. Primum itaque antiqui temporis laicos videlicet per tribus circa prædictum tabernaculum, et intra quamdam magnam quadraturam, quam modo facio, per quatuor ejus partes cum nominibus et iconibus suis pono, tribus tribubus et singulis partibus in medio earum loco distributis. Ad orientem ponitur Judas; et ex una parte ejus Issachar, et ex alia Zabulon. Ad austrum Ruben cum Simeon, et Gad. Ad occidentem vero Manasses cum Ephraim, et Benjamin. Ad aquilonem quoque Dan cum Aser, et Nephtalim. Hoc autem notandum, quod in medio singularum partium loco ternæ per circuitum tribus ponuntur; ad singulas etiam partes sub ipsis iconibus scribitur numerus hominum earumdem tribuum a viginti annis, et supra. Ad orientem, centum, octuaginta sex millia, quadringenti. Ad Austrum, centum quinquaginta millia, et mille quadringenti, quinquaginta. Ad occidentem, centum octo millia, centum, Ad aquilonem, quinquaginta septem millia, sexcenti. Et quæ tribus in una parte circa tabernaculum castra ponebant, et quæ in alia, sub ipsis tribubus pono. Dehinc ad orientem, ubi tres tribus positæ sunt, conjugatos, nuptias celebrantes, et thoro immaculato legitime utentes, depingo. Ad austrum quoque eumdem patremfamilias depingo duobus in locis; in uno cibum esurienti, in altero potum porrigentem sitienti. Ad occidentem bis depictus est, idem paterfamilias: hinc nudum vestiens; hinc

Digitized by Google

hospitem colligens, peregrinum videlicet in domum suam inducens. Ad aquilonem idem in una parte infirmum visitat; in altera quemdam incarceratum, habentem manus et pedes ligatos consolatur. Hæc siquidem sex opera misericordiæ sunt, quæ in Evangelio specialiter a Domino enumerantur: in quibus perfectio bonorum operum significatur. Istis operibus fideles laici terrena licite possidentes, in quatuor mundi partibus degentes, quasi per quatuor tabernaculi partes locati insistunt, et in eis proximis propter Deum compatiuntur, ut misericordiam ab ipso Domino invenire mereantur. Post hæc ad orientem per medias icones ab uno cornu usque ad aliud uno ductu hunc versum scribo: *Isti sunt in nuptiis legitimis, et immaculato thoro, licite utentes mundo, propter sex opera misericordiæ, quæ exercent, ad tabernaculum pertinentes.* Ad austrum vero ab oriente usque ad occidentem scribo versum istum: *Isti sunt Christum in membris suis et esurientem cibantes, et sitientem potantes.* Ad occidentem vero, ab uno cornu usque ad aliud, uno ductu scriptus est hic versus: *Isti sunt Christum in membris suis et nudum cooperientes, et hospitem colligentes.* Ad aquilonem autem uno ductu **396** ab occidente usque ad orientem hic versus labetur: *Isti sunt Christum in membris suis et infirmum visitantes, et incarceratum consolantes.*

CX. Post hæc ad orientem imperatorem Romanum, diadema in capite aureum, et in una manu evaginatum gladium, in altera vero sceptrum habentem aureum, et annulum in digito aureum, armillam nihilominus in dextero brachio auream, et ipsum imperatorem purpura vestitum depingo.: quia sicut Dominus papa caput est clericorum, ita imperator caput est laicorum. Et sicut Dominus papa patriarchas, vel primates, archiepiscopos, et episcopos, cæterosque sub se prælatos habet ecclesiasticos, qui eidem sub se sanctæ Ecclesiæ præsunt, ita imperator alias habet sub se potestates, duces videlicet, et comites, magistratus, et judices, præfectos, et principes, qui secundum instituta legum, et consuetudines rationabiles, rectam sub se justitiam exercent. Hæc autem imago, quæ hoc in loco visibiliter depicta est, magnum et illustrem innuit imperatorem Constantinum, qui primo loco post duos Philippos imperatores, qui primi imperatorum Romanorum Christiani exstiterunt, qui et diversis in locis fraude Decii successoris sui circumventi et occisi sunt. Tanta devotione fidem suscepit, tantoque mentis fervore baptismi gratiam consecutus est, ut in vera confessione, et sancta conversatione ad verum, ac vivum se Deum ex toto corde converteret, Christianissimus ac fidelissimus existens, ecclesias devote construens, servos Dei, ad sacri altaris ministros in magna apud se reverentia et honore complectens, et publico edicto præcipiens, ut per totum Romanum imperium idolorum templa clauderentur, et Ecclesiæ ædificarentur. De quo Ethelberto, regi anglorum, ita beatus papa Gregorius scribit: *Constantinus quondam piissimus imperator Romanam rempublicam a perversis idolorum cultibus revocans, omnipotenti Deo, Domino nostro Jesu Christo secum subdidit, seque subjectis populis tota ad eum mente convertit. Unde factum est, ut antiquorum principum nomen suis vir ille laudibus vinceret, et tanto in opinione prædecessores suos, quanto in bono opere superaret.* Denique memoratu incredibile est, quam brevi ejus studio sancta late per totum orbem creverit Ecclesia, et quantus ei erga sumptus ædificandarum Ecclesiarum fuerit ardor. Nam cum edicto publico per totum ejus imperium ædificarentur Ecclesiæ, ipse ad hoc peragendum ex regiis thesauris pecunias profluentissime conferebat. Scribebat insuper singulis civitatibus regni sui, ut populus episcopis ministraret de regali fisco, unde sanctæ ecclesiæ perficerentur. Fide quippe Dei ejus animus æstuabat, et benignum ejus ingenium atque clemens bonis operibus pascebatur.

CXI. Post hunc, de quo loquimur, Constantinum, intra quamdam quadraturam, quæ per circuitum usque ad eumdem Constantinum porrigitur, aliorum imperatorum ponuntur icones, eisdem insignibus decoratæ: ita ut singulorum nomina singulis iconibus subscribantur. Julianum quoque Apostatam, filium cujusdam Constantii fratris Constantini Magni, ex patre Constantino, non ex matre Helena, cum imperatoribus istis non depingimus; quia licet quidam ex aliis imperatoribus hæreticis consenserint, et eorum decepti erroribus servos Dei graviter plerumque afflixerint, nullus tamen eorum ex toto paganus effectus cultura se maculavit idolorum. Hic autem cum ex clerico factus fuisset imperator, impudenter sanctum baptisma diluens sanguine sacrificiorum, cuncta faciebat quibus placari dæmones solent. Reseravit enim templa gentilium, et factus est Christianorum cæteris persecutoribus callidior persecutor. Nam non vi neque tormentis, sed præmiis, honoribus, blanditiis, et persuasionibus majorem pene populi partem, quam si pulsaret atrociter, expugnavit: militiæ quippe cingulum, et procurationem provinciarum, et officium jurisdicendi Christianis non debere committi dicebat, utpote quibus lex propria gladio uti vetuisset. Unde militibus publico postmodum præcepit edicto, ut aut sacrificarent, aut militiæ cederent. Ob has itaque, aliasque multimodas illius impietates inter alios imperatores ipsum in pictura nostra non ponimus, utpote quem non pertinere ad tabernaculum Ecclesiæ non ignoramus. Hos autem imperatores usque ad Constantinum Irenes filium perducimus, post quos ad reges Francorum imperium devolutum est Romanum. Rogatus siquidem ab Adriano papa magnus, et gloriosus rex Francorum Carolus, regis Pipini et Bertrandæ reginæ filius, contra Desiderium Longobardorum regem, intravit Italiam, Papiam cepit, Desiderium **397** occidit, omnemque Longobardiam sibi

Digitized by Google

subegit. Idem etiam postea Romam ingressus primus ibi de gente Francorum imperii, et Augusti nomen sumpsit, eosque qui Leonem papam dehonestaverant, deponendo in exsilium misit. Itaque post Constantinum, Irenæ filium, reges Francorum ponimus, priora tempora repetentes, et incipientes a Clodovæo, qui sextus rex Francorum fuit, et primus regum ejusdem gentis a beato Remigio baptizatus est, et eos usque ad Ludovicum Lotharii filium perducimus, qui rex ex clerico factus, a Francis captus, Lauduni interiit : in quo progenies Caroli magni in regibus Francorum defecit.

CXII. Post hunc Ludovicum, reges ponimus Francorum qui de genere Hugonis Capeti fuerunt; et perducimus eos usque ad hunc, qui in præsenti est, Philippum Ludovici filium, qui fuit Ludovici, qui fuit Philippi, qui fuit Henrici, qui fuit Roberti, qui fuit Hugonis Capet. Post hunc vero Philippum reges ponimus Anglorum, perducentes eos ab Alfredo rege Christianissimo, usque ad hunc Henricum tertium, secundi Henrici filium. Et post hunc Henricum reges quosdam Scotorum ponimus a Malcolmo, qui Christianissimam reginam Margaretam, quæ fuit mater excellentissimæ reginæ Mathildis, uxoris Henrici primi, regis Anglorum, et matris Malthildis imperatricis, quæ postea nupsit Walfrido comiti Andegavensi, et peperit ei Henricum secundum regem Anglorum, et patrem hujus Henrici tertii regis Anglorum, in conjugium sumpsit, eos perducimus usque ad hunc Wilhelmum regem Scotorum, cujus fuit pater comes Henricus; hujus pater religiosus rex David, cujus mater fuit sanctissima femina Margareta, præcellentissima regina Scotorum, nominis sui splendorem morum præferens sanctitate. Hujus pater Edwardus, qui fuit filius Edmundi regis invictissimi, cujus pater Edbelredus, cujus pater Edgarus Pacificus, cujus pater Edmundus, cujus pater Edwardus Senior, cujus pater nobilis Elvredus, qui fuit filius Ebelviphi regis, qui fuit regis Egberti, cujus pater Elemundus, cujus pater Effa, cujus pater Eppa, cujus pater Ingles, cujus frater fuit famosissimus rex Ine nomine : quorum pater Ceonredus, qui fuit filius Ceonwaldi, qui fuit Cutha, qui fuit Cuthwin, qui fuit Eculin, qui fuit Cheuric, qui fuit Cerodae, qui fuit Ceordaic, qui fuit Alefa, qui uit Elsa, qui fuit Gennis. Iste fuit caput gentis suæ, a quo tota gens illa nomen accepit : cujus pater Wig, cujus pater Frewine, cujus pater Fredgar, cujus pater Brand, cujus pater Beldeg, cujus pater Woden, qui fuit filius Frabewald, qui fuit Frelof, qui fuit Frebewulf, qui fuit Fingolduf, qui fuit Beta, qui fuit Geatwa, qui fuit Beu, qui fuit Sedwa, qui fuit Heremod, qui fuit Itermod, qui fuit Hatur, qui fuit Wala, qui fuit Peadwig, qui fuit Sem, cujus pater Noe, cujus pater Lamech, cujus pater Mathusalem, cujus pater Enoch, cujus pater Jareth, qui fuit filius Malalee, qui fuit Cainan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit filius Adam, patris omnium. Seth natus est pro Abel, quem occidit Cain. Sicut autem in Abel Christi passio, ita et in Seth Christi est resurrectio figurata. Seth enim Hebraicum nomen est, et lingua Latina dicitur *resurrectio*.

CXIII. Ab hoc igitur Seth ducitur generatio usque ad Enoch, qui vivus a Deo translatus cum sancto Elia Antichristi præstolatur adventum. Inde venitur ad Noe, qui solus cum filiis et uxoribus, mundo pereunte, meruit salvari : cujus primogenitus Sem a patre meruit benedici. Dicunt Viderbem fuisse sacerdotem summi Dei, et postea Melchisedech fuisse vocatum, qui in figura sacerdotii nostri panem offerebat et vinum. Unde et in Psalmis Christo dicitur : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). Ab isto igitur Sem genealogia ducitur usque ad Woden, qui fuit tantæ auctoritatis apud suos, ut feriam quartam, quam gentiles Romani diem Mercurii appellabant, ejus nomini consecrarent. Quæ consuetudo ab Anglis hodie servatur; vocant enim eumdem diem Wodnesdei [*nunc* Wenesday] id est diem Woden (313). Porro a Woden linea cognationis tenditur usque ad Getham, qui et ipse tantæ sapientiæ habitus est et virtutis, ut a paganis pro Deo coleretur. Inde proceditur ad Christianissimos reges Angliæ Ingles, et Ine. Quorum Ine, cum potentissimus regum Angliæ esset, relicto regno, profectus est peregrinus Romam; ibique feliciter peregrinans, tandem ad cœlestem mansionem felicius conscendit. Ab Ingles vero linea cognationis tenditur usque ad Hecbrith, qui tantæ fuit probitatis, ut universam **398** Angliam ex australi parte Humbræ, quæ pluribus regibus eatenus divisa subjacuerat, suo sub jugaret imperio, et ita primus omnium monarcha Angliæ diceretur. Hujus filius fuit Ebeluph, futuri certe generis sui splendidissimum caput, et de quo sanctissimi fructus orirentur pretiosissima radix. Hic in regno terreno semper meditabatur cœlestia, ut manifeste daretur intelligi, eum non victum cupiditate, sed charitate provocatum, alienæ necessitati consulere regnando, non suæ voluntati dominando satisfacere. Erat enim pater orphanorum, et judex viduarum, Ecclesiarum defensor, propagator monasteriorum. Eleemosynis sane sic operam dabat ut totam terram suam pro Christo decimaret, et partem decimam per Ecclesias monasteriaque divideret. Tandem cum multo apparatu Romam profectus, integro anno ibi perendinavit, loca sancta frequentans, et orationibus vacans, et vigiliis, eleemosynas multas pauperibus erogans. Sed et ecclesiis beatissimorum apostolorum Petri et Pauli, ipsique summo pontifici per regiam munificentiam plurima largitus est munera, et sic cum multarum virtutum stipendiis reversus in Angliam, post biennium inter filios regnum sapienter divisit, per singula territoria sua pauperes alendos, ac vestiendos distribuit, thesauros suos misericorditer dispersit, et dedit pauperibus, ex quibus non modicam portionem ec-

(313) Woedensdagh.

Digitized by Google

clesiis apostolorum Romæ, et summæ sedis episcopo delegavit; et sic in senectute bona collectus est ad patres suos, regnum certe non amittens, sed mutans : temporale deserens, et adipiscens æternum.

CXIV. Hujus filius fuit illud Anglorum decus, regum gemma, virtutum exemplar Alvredus, cæteris fratribus suis ætate minor, sed annosior virtute. Unde a patre cunctis fratribus plus amabatur, ob morum suorum similitudinem, et specialis cujusdam gratiæ privilegium, quæ in eo adhuc puero mirabiliter refulgebant. Unde eum pater, cum adhuc puerulus esset, cum multis militibus, maximisque donariis Romam misit, ut sanctorum apostolorum precibus commendaretur, et a summo pontifice benediceretur. Venerabilis autem summus sacerdos Leo, qui tunc Romanæ Ecclesiæ præfuit, vultum et statum pueri contemplatus, cum in eo divinæ præsentiam majestatis scintillantium virtutum indiciis præsensisset, tempus, et ætatem regnandi regiæ unctionis sacramento præveniens, sicut quondam sanctus Samuel puerum David, ita eum in regem sanctissimus præsul devotissime consecravit. Verum postmodum cum patre Romam repetens, paternorum bonorum in omnibus cooperator, et adjutor esse promeruit. Hic ab ipsa pene infantia sua legere, ac discere dulce habuit, circa ecclesias assiduus, in orationibus frequentissimus, obediens parentibus, sociis humilis et devotus. Ita meditabatur in ætate puerili, quod senex devotus impleret. Denique quamdam portionem Psalterii, in qua maxime delectabatur, parvo volumine scriptam in sinu semper circumferebat, ut quod pectus illud interius ruminabat, ab exterioris hominis sui pectore non recederet. Cum vero post mortem fratrum suorum, cum quibus aliquo tempore regnavit, ad eum totum regnum hæreditario jure transisset, sublimior omnibus, factus est omnium servus, ut posset dicere cum Propheta : *Exaltatus autem humilitatus sum, et conturbatus* (*Psal.* LXXXVII, 16). Ita se bonis amabilem, impiis terribilem, Ecclesiarum ministris pavidum, amicis et sociis jucundum, pauperibus mitem, et largum exhibuit, ut videretur omnium hominum moribus apte congruere, omnibus utilis, ac necessarius esse; et quod nunc raro invenitur in terris, illam maximam regis credidit dignitatem, nullam in Ecclesiis Christi habere potestatem. *Illa est*, inquit, *vera regnantis dignitas, si se in regno Christi, quæ est Ecclesia, non regem, sed civem cognoscat; si non in sacerdotes legibus dominetur, sed Christi legibus quas promulgaverunt sacerdotes, humiliter subjiciatur*. Permaximam præterea curam gerebat, ne a vicecomitibus et ministris pauperes opprimerentur, et indebitis exactionibus gravarentur. Unde celebre factum est nomen ejus per universum orbem, etiam in magna urbe Roma; quia donaria multa, ac largissimas eleemosynas sæpe mittebat Apostolorum Ecclesiis, et ipsi summo pontifici. Summus vero pontifex tantam devotionem gratanter amplectens, piis ejus precibus inclinatus, scholam Saxonum ab omni tributo et telonio absolvit, sed et donaria plurima, insuper et partem ligni Dominici regi transmisit. Audiens autem famam ejus Ierosolymitanus patriarcha, ipse regem pretiosis xeniis muneravit. Sane **399** de annuo censu, qui ei pendebatur, justissima distributione ordinavit, ita ut pars tertia bellatorum deputaretur stipendiis, pars tertia in mercedem principis redderetur, pars tertia regiis muneribus, quæ munificentissime advenientibus tam divitibus, quam pauperibus largiri consueverat, servaretur. Rex igitur Alvredus cum regnasset annis viginti novem, et mensibus sex, ex regno terreno ad regnum cœleste transcendit, Edwardum filium suum regni morumque suorum relinquens hæredem.

CXV. Erat autem in scientia litterarum patre minor, sanctitate vero non multum inferior, sed superior potestate. Multo enim latius regni sui fines quam pater dilatavit, urbes novas condidit, dirutas renovavit. Impiissimam Dacorum gentem, quam pater ejus non repulerat, rebellantem sibi, multis contritam præliis vel fugavit penitus, vel misera servitute compressit, et totam insulæ faciem in antiquam pulchritudinis speciem reformavit. Tanta dehinc modestia regnabat, subditos tanta justitia inter proximum et proximum judicabat, ut contra veritatem non dico nihil velle, sed nec posse aliquid videretur. Unde fertur quibusdam iratus dixisse : *Dico vobis, si possem, vicem reddidissem*. Quid non posset rex in subditos, dominus in servos, potens in infirmos, dux in milites? Sed quidquid non dictabat æquitas, quidquid non permittebat justitia, quidquid veritati repugnabat, quidquid regiam mansuetudinem non decebat, sibi credebat impossibile. Ipse novum monasterium fundavit, et mater ejus sanctissima femina Elfwiba monasterium virginum in eadem civitate construxit. Vixit autem Rex Edwardus in regno viginti quatuor annis, et genuit filios et filias ex nobilissima femina Edwina : filium suum primogenitum Ebelstanum ex regina Edguina, Edwinum, Edmundum, Edredum, et quatuor filias, quarum prima Edburga in Dei sponsam eligitur et consecratur : altera ab Otthone Romanorum imperatore in matrimonium sumitur : tertia ad Carolum regem Francorum, ab eo ducenda destinatur : quartam rex Northaimbrorum in matrimonium sortitur. Dormivit autem cum patribus suis rex Edwardus, et regnavit Ebelstanus filius ejus pro eo : *Ambulavitque in viis patrum suorum, non declinavit ad dextram, neque ad sinistram* (*II Par.* XXXIV, 2) ; eamdem idem fidem, in subditos gratiam, circa Ecclesias devotionem, circa pauperes misericordiam, circa Dei sacerdotes retinens reverentiam. Cum autem vixisset annis sedecim mortuus est, et regnavit Edmundus frater ejus pro eo. Erat autem patris sui Edwardi in omnibus imitator, *homo simplex, et rectus, et timens Deum* (*Job* II, 3), et usque ad finem vitæ permanens in innocentia sua. Promotus vero in regnum zelo zelatus est pro Christi fide, nimisque ægre

Digitized by Google

ferens paganorum reliquias cultura idolorum regni sui fœdare decorem, quinque nobilissimas civitates, Lincolniam, Legetestriam [Leicestriam], Staffordiam, Snotthingham [Nottingham], Derebi [Derby], quas catenus coluerant, de manibus eorum extorsit : omnique infidelitate abrasa, Christianæ fidei lumine illustravit. Purgato autem ab alienigenis regno, et sibi in omni parte subjecto, monasteriorum et Ecclesiarum maxime curam habuit, consilioque sanctissimi Dunstani et statuenda statuit, et corrigenda correxit. Hinc Glastingeber beato Dunstano, ut in monachorum habitationem fundaretur, commisit ; et multa alia bona, sancto Dunstano cooperante, disposuit. Cum igitur Anglia sub tanto patre, et magno rege pace magna floreret, immatura ejus morte, quam, exactis in regno quinque annis, et quinque mensibus, nefanda proditione incurrit, subito dolore et timore emarcuit,

CXVI. Successit ei in regnum frater ejus Edredus, et ambulavit in viis fratris sui, beati Dunstani consiliis in omnibus obediens, et justissimis legibus subditos regens. Erat etiam tantæ probitatis, ut rebellantes sibi Northumbros et Scotos facile vicerit, et in pristinam subjectionem sine magno labore redegerit. Hujus laudabilem vitam morsque pretiosa conclusit : Cum enim ad regem ægrotantem beatus Dunstanus vocaretur, in ipso itinere audivit vocem angelorum dicentium : *Rex Edredus nunc obdormivit in Domino.* Post quem suscepit regnum Angelorum Edwardus, filius Edmundi regis ; quo mortuo frater ejus Edgarus successit ; erat enim filius Edmundi nobilissimi regis, qui fuit Edwardi senioris Christianissimi principis, qui fuit Elvredi victoriosissimi ducis. Iste Edgarus cunctis prædecessoribus 400 suis felicior, nulli sanctitate inferior, omnibus morum suavitate præstantior, quasi stella matutina et quasi luna plena in diebus suis luxit. Ipse Anglis non minus memoralis quam Cyrus Persis, Carolus Francis, Romulusve Romanis. Hic enim Anglorum regnum cœlesti quadam pace composuit, et multarum linguarum gentes unius fœderis lege conjunxit. Unde ei cum Salomone commune vocabulum fuit, ut *pacificus*, quod Salomon interpretatur communi omnium voce diceretur. Nec mirum : ipso enim nativitatis suæ tempore angelos concinentes beatus Dunstanus audivit : *Pax Anglorum Ecclesiæ, hujus pueri, qui natus est, tempore.* Sicut igitur aurora transactæ noctis tenebras suæ claritatis radiis depellit : ita hujus sanctissimi regis promotione per omnem Angliam nox infidelitatis excluditur, irarum, discordiarumque tenebræ propelluntur. Tanta enim in verbis, in vultu, in moribus interioris suavitatis indicia præferebat, ut Deo cooperante tota ei Insula sine sanguine manus daret, et ad subdendum se ei Scotia, Umbria, Wallia libens accurreret. Eo namque regnante, sol videbatur esse serenior, maris unda pacatior, terra fecundior, et totius regni facies abundantiori decore venustior. In diebus illis non tormentorum censura, non exsilium, nec præscriptio, tantum boni principis vel levis timebatur offensa. Omnibus igitur per Angliam in eumdem dilectionis spiritum concurrentibus, rex in ecclesiis construendis et ordinandis, in monasteriis fundandis et ditandis, curam et operam impendebat. Denique per regnum Anglorum quadraginta construi fecit monasteria, et alia monachis, alia virginibus deputavit. Glastingebri, quod pater ejus fundaverat, ipse perfecit. Abendune, Burc, Tornai, Ramesai, et Inwintunum monasterium virginum magno studio condidit, multa diligentia illustravit. Wintoniæ Ecclesiam in novo monasterio, quam pater ejus incœpit, quam et ipse perfecit, maximo cum honore dedicari fecit. Hyeme, et vere intra regnum suum usque ad singulas provincias transire solitus erat : judicia, mores, actus ministrorum, et principum diligentius explorare, quomodo legum jura, et suorum statuta decretorum servarentur, subtilius investigare : ne pauperes a potentibus præjudicium passi opprimerentur, sollicite præcavere. Præparaverat naves robustissimas, numero tria millia sexcentas, in quibus, redeunte æstate, omnem insulam ad terrorem extrancorum, et ad eorum exercitationem cum maximo apparatu circumnavigare consueverat. Inter hæc semper cum episcopis, virisque doctissimis de lege Dei, et sacris litteris conferebat, et quod ipse discere poterat, subditos docere non solum verbo, sed etiam exemplo satagebat.

CXVII. Sed heu! in rebus humanis nihil stabile, nihil in caducis immobile, nihil æternum in temporalibus, nihil immortale in mortalibus. Translato enim ad cœlestia rege Edgaro, in regno terreno filius ejus Edwardus successit : qui injuste ab impiis interfectus tum ob vitæ sanctitatem, tum ob necis acerbitatem, sancti et nomen et meritum Deo donante, promeruit. Cui frater ejus Ebelredus, filius scilicet Edgari, in regimine et regno successit, et a sancto Dunstano archiepiscopo, aliisque Anglorum episcopis inungitur et consecratur. Qui a sancto Dunstano tale fertur accepisse oraculum : *Quoniam Angli in sanguinem fratris tui regis sanctissimi conspiraverunt, non deficiet ab eis sanguis, et gladius, donec superveniens populus ignotæ linguæ, eos in exterminium, et in ultimam redigat servitutem. Novissime autem visitabit eos Dominus.* Regnante igitur rege prædicto, Daci supervenientes magnam terræ partem igne ferroque vastaverunt. Tunc rex missis in Normanniam nuntiis, Emmam filiam Richardi ducis sibi uxorem dari et petiit, et accepit : cum jam de filia Horethein nobilissimi comitis filium suscepisset Edmundum ex Emma ; deinde duos filios habuit Elvredum, et Edwardum, de quibus postea dicimus. Tunc rex fortior solito, omnes per Angliam Dacos una die, eademque hora missis epistolis jussit interfici. Quod Daci transmarini audientes, in furorem versi, duce Suano, cum innumerabili exercitu Angliam intrantes, dif-

Digitized by Google

fusi sunt, per provincias, et dispersi, non ordini, non sexui, non ætati parcentes, nec ab ecclesiarum, vel monasteriorum sacris, et sanctuariis manus sacrilegas continentes. Quibus cum rex strenuissimus Ebelredus restitisset **401** sæpius, proditione tandem suorum factus inferior reginam cum pueruli filiis suis in Normanniam misit, quos ipse postmodum exutus regno secutus est. Sed Suanus Dacus vel subita morte præventus, vel a sancto Edmundo invisibili pœna percussus, cum apud inferos crudelitatis suæ stipendia recepisset, revocatus ab Anglis Ebelredus regni infulis reinduitur, et iterum contra Dacos virtute potens erigitur. Contra quem Cnutus filius Suani, rex Dacorum, paternum odium exercere non desiit. Ebelredus cum laboriosissime, sed strenuissime regnasset triginta et septem annis, Londonii obiit, Edmundum filium suum laboris et regni sui relinquens hæredem. Decus mirabili fortitudini, quidquid dicerem, minus esset; nam ob invincibile robur corporis, *Iserensyde* [*In-side*], id est ferrei lateris nomen accepit. *Sagitta* ejus *nunquam abiit retrorsum, et gladius* ejus *non est reversus inanis* (*II Reg.* I, 22) : contra hostes leoninæ feritatis, erga suos columbinæ simplicitatis : quo nemo fortior, quo in adversis nemo securior, quo in prosperis nemo temperantior.

CXVIII. Porro Dani, et qui a rege defecerant Angli Cnutum sibi in regem elegerunt; sed strenuissimus rex Edmundus cum exercitu suo, sicut leo rugiens, terram circuiens, regiones plurimas, quas occupaverat Cnutus in deditionem, nullo obsistente recepit. Mortuus est strenuissimus rex Edmundus, et in Glastingeber cum avo suo sepelitur Edgaro. Volens deinde emit tam fratres Edmundi, qui in Northmannia exsulabant, quam filios ejus pueruios, Edmundum et Edwardum, spe regni penitus privare (314) sed eos ferire metuens præ pudore, ad regem Suanorum eos occidendos transmisit. Rex vero Suanorum nobilium puerorum miseratus ærumnam, ad Hungariorum regem mittendos destinat. Quos ipse suscepit benigne, benignius fovit, benignissime in filios adoptavit. Porro Edmundo filiam suam dedit uxorem; Edwardo filiam germani Henrici imperatoris in matrimonium junxit; sed paulo post Edmundus de temporalibus ad æterna transfertur. Edwardus, sospitate, et prosperitate perfruitur. Interea mortuo Cnuto et filiis ejus, qui regnaverunt post eum, accersitur ad regnum Anglorum Edwardus frater Edmundi, filius Ebelredi, qui, sicut diximus, in Northmannia exsulabat : nam frater ejus Eluredus proditione, ut putabatur, Godwini in Anglia crudeli morte perierat. Veniens igitur in Angliam Edwardus, ab universo clero, et populo cum magna exsultatione suscipitur, et Wintoniæ die sancto Paschæ ab archiepiscopis Cantuariensi et Eboracensi, cunctisque fere regni episcopis in regem ungitur et consecratur. Et ambulavit in viis patris sui Edgari, homo mansuetus, et pius, magis pace quam armis regnum protegens. Habebat animum iræ victorem, contemptorem avaritiæ, expertem superbiæ. Qui cum pacem tam a suis quam ab extraneis obtinuisset et vicinis regibus, et principibus gratus exstitisset, et amabilis, dirigit nuntios ad Romanum imperatorem, rogans ut nepotem suum, filium scilicet fratris sui Edmundi, *Ferreum Latus*, debiti sibi regni futurum hæredem mittere dignaretur. Imperator autem regis nuntios gratanter excipiens non parvo tempore summo cum honore detinuit. Tandem paratis navibus, et omnibus, quæ navigantibus necessaria videbantur, illatis, Edwardum cum uxore sua Agatha, germani sui filia, liberisque ejus Edgaro Ebeling, Margareta, atque Christina cum magna gloria, ac divitiis, sicut rex petierat, in Angliam mittit. Qui prospero cursu in Angliam veniens, tam regem quam populum suo lætificavit adventu. Sed post paucos dies vita discedens, gaudium in luctum, risum mutavit in lacrymas. Nec multo post hæc ipse rex cum nobile monasterium, quod in occidentali parte Londonii in honorem beati Petri fundaverat, cum maxima gloria dedicari fecisset, exactis in regno viginti tribus annis, et mensibus sex et viginti septem diebus, in vigilia Epiphaniæ felici morte vitam laudabilem terminavit, totamque Insulam lacrymis ac dolore implevit. Quo in prædicto monasterio, ut tantum virum decebat, tumulato, quidam Edgarum Ebeling, cui regnum jure hæreditario debebatur, regem constituere moliuntur; sed quia puer tanto oneri minus idoneus videbatur, Haraldus comes de genere proditorum, cujus et mens erat astutior, crumena fecundior, et miles copiosior, sinistro omine regnum obtinuit.

CXIX. Audiens namque Wilhelmus dux Northmannorum nullum de regio semine, sed Haraldum consobrini sui regis Edwardi imperium usurpasse, quod sibi jure consanguinitatis et antiquæ **402** inter ipsum, et regem Edwardum conventionis, sed et ipsius Haraldi cum sacramento sponsionis, justius debebatur, contracto a partibus transmarinis innumerabili exercitu, in Angliam venit, et Dei judicio ipsum Haraldum regno simul et vita privavit. Cernens autem Edgarus Ebeling rex Anglorum omnia perturbari, ascensa navi cum matre et sororibus reverti in patriam, in qua natus fuerat, conabatur; sed orta in mari tempestate, in Scotiam applicare compellitur. Hac occasione attamen factum est, ut Margareta regi Malcolmo nuptiis traderetur. Cujus laudabilem vitam, et mortem pretiosissimam liber inde editus satis insinuat. Soror quoque ejus Christina in Christi sponsam benedicitur. Nati sunt reginæ Margaretæ sex filii, et duæ filiæ : quorum Edgarus, Alexander, et generis sui splendor David, reges fuerunt. Edgarus erat homo dulcis et amabilis, cognato suo regi Edwardo per omnia similis, nihil

(314) Subaud. *Cnutus* et leg. *volens spe regni penitus privare eos, sed ferire metuens præ pudore*, etc ED. PATR.

Digitized by Google

tyrannicum, nihil durum, nihil avarum in suos exercens, sed cum maxima charitate et benevolentia subditos regens. Porro Alexander clericis et monachis satis humilis et amabilis erat, cæteris subditorum supra modum terribilis; homo magni cordis, ultra vires suas se in omnibus extendens. Erat autem litteratus, et in ordinandis ecclesiis, et reliquiis sanctorum perquirendis, in vestibus sacerdotalibus, librisque sacris conficiendis et ordinandis studiosissimus : omnibus advenientibus etiam supra vires suas liberalissimus, circa pauperes ita devotus, ut in nulla re magis delectari quam in eis suscipiendis, lavandis, alendis, vestiendisque videretur. Rex vero David non sibi vivebat, sed omnibus : omnium curam agens, omnium saluti prospiciens, rector morum, censor scelerum, virtutum incentor : cujus vita fuit humilitatis forma, justitiæ speculum, castitatis exemplar : rex justus, rex mansuetus, rex castus, rex humilis. Quis facile dixerit quid utilitatis humanæ vitæ contulerit, quantum mansuetudo amabilem, justitia terribilem, compositum castitas, humilitas communem fecerit. Horum soror Mathildis gloriosissimo regi Anglorum nupsit Henrico : de cujus gloria admirabili, animique virtute, quamque fuerit in officiis divinis sacrisque vigiliis assidua ac devota, in tanta insuper potestate, quam humilis, qui scribere voluerit, alteram nobis Esther nostris temporibus declarabit. Soror hujus beatissimæ, Maria nomine, Eustachio Boloniensi comiti traditur in uxorem. De hac sibi excellentissima, et Christianissima regina nata est Mathildis, quæ primum imperatori Romano, deinde nobilissimo comiti Andegavensium Galfrido nupsit. De Maria vero orta est Mathildis, quæ nuptui traditur tunc comiti Mauritaniæ, postea vero regi Anglorum Stephano. Porro rex David, tradente rege Henrico, uxorem duxit Mathildim filiam Wallevi comitis, et Judithæ, quæ fuit neptis primi regis Wilhelmi, de qua suscepit filium Henricum, mansuetum et pium hominem, suavis speciei, et lactei cordis, dignus per omnia qui de tali prænasceretur.

CXX. Hoc autem sciant inspectores picturæ hujus, quod sicut nos pro eo quod in terra Anglorum, et in regno Scotorum sumus, Anglorum in ea, et Scotorum posuimus reges, ita quoque possunt ipsi, si forte aliam secundum formam istius facere voluerint, etiam Christianissimos in ea regionum suarum reges post Francorum reges ponere : hoc quidem duntaxat diligenter observato, ut magna illa quadratura, quæ ab una parte imaginis Constantini Magni, usque ad aliam ejus porrigitur, Christianorum regum iconibus impleatur, singulis iconibus singulorum regum nominibus supra inscriptis. Hoc autem notandum, quod post reges, qui nunc regnant, spatium reservandum, ut per hoc evidenter detur intelligi, quod ipsorum nomina sub iconibus superpositis in eisdem spatiis scribenda sunt, qui eis succedent; quia ipsi sunt, qui regna primi dimittent, qui ea modo ultimi tenent. Et ideirco quod superius de iconibus, et nominibus quatuor horum apostolicorum diximus, hoc per omnia, et in isto loco de imperatoribus teneatur, ut ab una videlicet parte Constantini, usque ad aliam ejus partem per circuitum nominibus suppositis, sine aliquo spatio interposito imperatorum, et regum ponantur icones; sed illis iconibus quæ post eos, qui nunc regnant, ponuntur, nomina non subscribantur. Igitur horum principum nomina, imperatorum videlicet Romanorum, et regum Francorum, Anglorum quoque, et Scotorum, cum singulorum iconibus supra depictis 403 in hac quadratura undique per circuitum porrecta scribimus hoc modo.

CXXI. Constantinus Magnus, Constantius, Constantinus, Constans, Jovinianus, Valentinianus, Valens, Gratianus, Valentinianus, Theodosius, Arcadius, Honorius, Theodosius, Martianus, Valentinianus, Leo, Leo, Zenon, Anastasius, Justinus, Justinianus, Justinus, Tiberius, Mauritius, Phocas, Heraclius, Heraclius, Heradonas, Constantinus, Constantinus, Justinianus, Leontius, Abismarus, Justinianus, Philippicus, Anastasius, Theodosius, Leo, Constantinus, Carolus Magnus, Ludovicus, Lotharius, Ludovicus, Carolus, Arnulphus, Ludovicus, Conradus, Henricus, Otho, Otho, Otho, Henricus, Conradus, Henricus, Henricus, Henricus, Lotharius, Conradus, Fredericus, Clodoveus, Theodoricus, Clodomirus, Childebertus, Clotharius, Charibertus, Guntranus, Childericus, Sigebertus, Clotharius, Dagobertus, Clodoveus, Clotharius, Theodoricus, Lotharius, Chidebertus, Dagobertus, Childericus, Theodoricus, Pipinus, Carolus, Ludovicus, Carolus, Ludovicus, Carolus, Radulphus, Ludovicus, Lotharius, Ludovicus, Hugo, Robertus, Henricus, Philippus, Ludovicus, Ludovicus, Philippus, Alvredus, Edwardus, Adelstanus, Edmundus, Edredus, Edwinus, Edgarus, Edwardus, Edelredus, Edmundus, Cnutus, Edwardus, Haraldus, Guilielmus, Wilhelmus, Henricus, Stephanus, Henricus Henricus, Malcolmus, Edgarus, Alexander, David, Malcolmus, Guilielmus. Reges itaque Anglorum, sicut superius diximus, ab Alvredo producimus usque ad Henricum tertium, qui fuit filius Henrici secundi, cujus mater Mathildis, cujus pater Henricus primus, cujus pater Wilhelmus Nothus, cujus pater Robertus, Northmanniæ comes, cujus frater Richardus, cujus pater Richardus, cujus pater Wilhelmus Longa-Spata, cujus pater Robertus, qui et Rollo dictus est, et ipse sibi Northmanniam subegit.

CXXII. Unde cuique iconi singulorum imperatorum, et regum, quorum in hac pictura imagines depictæ sunt, annulum damus in digito aureum, auream etiam in dextero brachio armillam, in una manu sceptrum aureum, et in altera gladium evaginatum : sed et diadema in capite aureum, et singulas icones purpura vestimus. Hæc enim sunt quædam dignitatis ornamenta regibus concessa, quibus et excellentia ordinis eorum ostenditur, et sacramentum mysterii figuratur; non solum quippe

Digitized by Google

visibilem exterius intuentibus repræsentant decorem, sed et spiritualem in se latentem continent significationem, quia singula nimirum ista insignia spiritualia, quæ in sanctitate debent exercere conversationis innuunt ornamenta. Siquidem annulus fidem, armilla vero bonam exprimit operationem, purpura reverentiam, gladius vindictam, sceptrum justitiam, et diadema gloriam designat. Et apte hæc duo accipiunt ornamenta, annulum et armillam : ut ipsa eos innuant debere fulgere et fidei rectitudine in cognitione veritatis et conversationis religione in exercitio virtutis ; apte etiam nec sine annulo armillam, nec sine armilla annulum, quia et sine fide impossibile est placere Deo, et fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Sed recte credentes et sancte viventes reverentiæ B intuentibus erunt, et venerationi; venerabilem siquidem exhibet hominem fides recta, et operatio sancta; ut reges nostros sic ornet purpura, sicut eos ornat annulus et armilla. Ad vindictam malorum portant gladium, et ad moderamen justitiæ sceptrum, quatenus sic reos puniant, ne in pœna infligenda modum prætermittant; sic etiam in puniendo modum observant, ut pravis quoque sæviendi in sanctos ausum tollant. Idcirco nec sine sceptro gladium, nec sine gladio sceptrum, ut et vindicta justitiam acuat, ne eam nimis citra tepor contrahat; et vindictam justitia modificet, ne eam nimis ultra rigor extendat. Vere decora et admodum pretiosa ornamenta hæc; rectitudo fidei clarificans, C vitæ sanctitas exornans, reverentiæ maturitas honorans, rigor vindictæ coarguens, vindicta justitiæ modificans. Decora inquam, et pretiosa; sed oportet quidem, ut in his reges nostri Dominum expectant testem, et pro his eum exspectent remuneratorem. Sic igitur faciant, et quod ita apud eos sit plenum in omni severitate providens testimonium, sua eis conscientia perhibeat. Ideo ornati insignibus istis reges nostri, diadema in capite portent, qui tunc veraciter exornantur, cum in Domino gloriantur. Hæc namque vox S. Pauli est : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12). Decor itaque diadematis in capite, verum est bonæ conscientiæ **404** testimonium in mente. Et hæc de ornamentis regum breviter at- D tigimus.

CXXIII. Depictis itaque secundum ordinem successionis suæ iconibus principum, et singulorum nominibus singulis iconibus appositis, in ipsa linea crocea, quæ duodecim tribus complectitur, ab imperatore Constantino usque ad eumdem Constantinum uno ductu per circuitum hunc versum scribo : *Summa omnium eorum, qui a viginti annis et supra sunt connumerati, sexcenta, et tria millia, quingenti, quinquaginta* (*Num.* II, 32). Et iste quidem numerus, sicut de Levitarum numero diximus, ad fideles Novi Testamenti laicos pertinet, qui nimirum spiritualiter sexcenta tria millia sunt : quia et rectam nunc sanctæ Trinitatis fidem, et bonam in præsenti, quæ A per opera sex dierum exprimitur, habent operationem ; et utraque in futuro plenam a Domino percipient remunerationem. Sunt quingenti quinquaginta, quia dum perfectam nituntur habere munditiam, in experientia sensuali, ad quietem pertingunt animi. Idcirco in fine hujus versus quinque gradus pono : primum ad *sexcenta*, secundum ad *trecenta*, tertium ad *millia*, quartum ad *quingenta*, quintum ad *quinquaginta*. Et inter sexcenta, ubi primus gradus est, scribo *operatio*, inter trecenta, *fides* ; inter millia, *præmium* ; inter quingenta, *munditia*, et inter quinquaginta, *requies*. Ut intelligatur, quod fideles laici et ob bonam operationem, rectamque fidem, quam nunc exercent, plenam in futuro percipient remunerationem : et propter quin- que sensuum munditiam, cui intendunt, ad mentis etiam nonnunquam quietem etiam in præsenti pertingunt. Post hæc ab una parte imaginis Constantini magni usque ad aliam partem ejusdem imaginis, undique per circuitum uno ductu in quadam linea quadrata, quæ a prædicta imagine usque ad eamdem imaginem porrigitur, hunc versum scribo. *Isti sunt summi rerum Domini tabernaculi, quod est Ecclesia, defensores solliciti, annulo fidei insigniti; bonæ operationis armilla ornati, purpura reverentiæ honorati; existentes et malis pro gladio vindictæ timori, et bonis pro sceptro justitiæ amori, et Deo pro diademate bonæ conscientiæ placiti.*

CXXIV. Et hic versus in principio, quinque sui gradibus distinguitur; quia, sicut magister Hugo dicit, justitia illa, quæ terrenæ potestati in subjectis data est, quinque modis determinatur, secundum personam, secundum causam, secundum modum, secundum locum, et secundum tempus. Nam quod aliquo modo licet, omnino statim non licet, et ipsa justitia, nisi juste exhibita fuerit, justitiæ nomen amittit. Quapropter quod licet perspiciendum est diligenter quo modo licet, et considerandi sunt modi quibus justitiæ forma determinetur. Secundum personam aliquid licet, et aliquid non licet, quemadmodum sæculari judici in personam laicam, si peccaverit, manum mittere licet, in clericum non licet. Secundum causam justitia determinatur : ut videlicet negotia sæcularia a potestate terrena ; spiritualia vero, et ecclesiastica a potestate spirituali examinentur. Secundum modum, sive mensuram justitia determinatur, cum videlicet quælibet culpa congrua, et sibi convenienti pœna multatur, ut nec privatus amor in vindicta æquitatis aliquid subtrahat, neque odium privatum adjiciat debitæ severitati. Secundum locum, et tempus determinatur justitia, si ubi et quando convenit, judicium exercetur, et prosequitur veritatis sententia. Secundum igitur personam justitia violatur, si judex sæcularis in ecclesiaticam personam manum mitteret; secundum causam, si ecclesiastica negotia examinanda susciperet ; secundum mensuram, si mendacium vel maledictum suspendio puniret ; secundum locum, si loca sacra violare præsumeret, et contu-

Digitized by Google

gientibus ad illa, etiam reis, et pro suis sceleribus condemnandis, inordinate violentiam inferre tentaret; secundum tempus, si sacris, et solemnibus diebus reverentiam non exhiberet, quando et his parcendum est culpis, quibus supplicia debentur. Illis ergo modis sæcularis potestas justitiam exercere non debet: legum instituta sequens, nihil præter justitiam et veritatem approbans in judicando. Sæcularis autem potestas caput habet regem, seu imperatorem; ab illo per subjectas potestates, duces, et comites, præfectos et magistratus alios dependentes, qui tamen omnes a prima potestate auctoritatem sumunt, in eo, quod subjectis prælati existunt.

405 CAPUT XIV.

De diverso statu clericorum et laicorum.

CXXV. Deinde spatium illius quadraturæ, in qua clerici depicti sunt, colore sapphirino vestio; et illius, in qua laici sunt, colore viridi; quia illi conversationi insistunt cœlesti, quam color sapphirinus in eo, quod cœli habet speciem, quando serenum est, designat; isti vero terrenæ, quam color viridis in eo, quod terræ similis est, exprimit. Illi sic vivere debent, ut dicere possint cum Apostolo: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Phil.* III, 20); istis autem Dominus in Evangelio dicit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* XVI, 9). Illis per Apostolum dicitur: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit* (*II Tim.* II, 4); de istis vero per eumdem Apostolum dicitur: *Qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui emunt, tanquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur* (*I Cor.* VII, 29-31). Isti solliciti sunt, et turbantur erga plurima; illi optimam partem eligunt, quæ non auferetur ab eis (*Luc.* X, 41, 42) Has itaque duas vitas, unam clericorum, et alteram laicorum; unam terrenam, aliam cœlestem; unam carnalem, et alteram spiritualem; unum, qua corpus vivit ex Deo: hi duo designant colores, viridis, et sapphirinus. Color etenim sapphirinus, qui cœlo similis est, cœlestem et contemplativam vitam designat clericorum; viridis vero, qui terræ similis est, terrenam, et activam vitam laicorum. Fideles itaque laici terrena et terrenæ vitæ necessaria tractant, eisque terrena possidere conceditur. Et idcirco per talem eos colorem, qui terræ similis est, exprimo: quorum præferebant typum illæ quondam tribus, quæ hæreditatem in terra acceperunt. Clerici vero, qui a Græco κλῆρος, quod Latine interpretatum *sortem* sonat, dicuntur, sive quod ipsi sorte electi sunt a Deo et ad servitium Dei, sive quod ipse Deus sit illorum sors et quod in terra sortem habere non debeant, nisi Deum; quibus statutum est, decimis et oblationibus, quæ Deo offeruntur, sustentari, spiritualia tantum dispensant. Et ideo per colorem eos sapphirinum, qui cœlo est similis, noto; quos tribus Levi designat, quæ cum illo quondam antiquo Dei populo partem in hæreditate non accepit; sed tabernaculo deserviens, decimis, et oblationibus, et sacrificiorum victimis pascebatur.

CXXVI. Sed et hoc negligenter prætereundum non est, quod in hoc viridi spatio illa spatia, in quibus duobus in locis, per tres ejus partes opera misericordiæ fiunt, colore rubeo, qui ignis habet speciem, superinduo. Et quid aliud est affectus charitatis, nisi quidam ardor ignis? igitur in colore quidem viridi laici depicti sunt; sed spatia, in quibus misericordiæ opera depinguntur, rubea habent; quia terrenæ actioni fideles laici insistunt, sed oppressis et egenis quibuslibet et per charitatem compatiuntur, et per largitatem auxiliantur. Hinc de beata illa pœnitente scriptum est, quod pedes Domini et rigaverit, et capillis suis terserit (*Luc.* VII, 38). *Et*, sicut ait B. Gregorius, *pedes Domini rigamus, si quibuslibet ultimis membris ejus per compassionis affectum inclinemur; si sanctis ejus in tribulatione compatimur; si eorum tristitiam nostram putamus.* Capilli quippe superfluunt corpori. Et quid abundans terrena substantia, nisi capillorum speciem tenet? quæ dum ad usum necessitatis superfluit, etiam abscissa non sentit. Capillis ergo pedes Domini tergimus, quando sanctis ejus, quibus ex charitate compatimur, etiam ex his, quæ nobis superfluunt, miseremur: quatenus sic mens per compassionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat. Quod ergo in Evangelio accipitur per hoc, quod pedes Domini Maria et rigavit, et capillis suis tersit, hic accipitur per hoc, quod in viridi colore, et spatia rubea sunt, et in eisdem rubeis spatiis sex opera misericordiæ depicta sunt. In colore itaque viridi, ubi laici continentur, et spatia rubea habentur, et in eisdem rubeis spatiis misericordiæ opera depinguntur; quia fideles laici egenis quibuslibet, et pro ejus amore, qui cum dives esset, pauper pro nobis factus est (*II Cor.* VIII, 9), et per charitatis affectum compatiuntur, et per largitatis effectum auxiliantur. Ad quatuor vero angulos illius exterioris croceæ quadraturæ, quæ omnia inter se posita circumplectitur, iconem pono Christi rotulas sex tenentem. In illa rotula una, quæ ad orientem tenetur, **406** scriptum est: *Esurivi, et dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV, 35). In alia: *In carcere eram, et venistis ad me* (*ibid.*, 36). In rotula vero illa, quæ in parte australi ad occidentem est, scriptum habetur: *Sitivi, et dedistis mihi bibere* (*ibid.*, 35). In altera: *Hospes eram, et collegistis me* (*ibid.*). In illa quoque rotula, quæ ad aquilonem tenetur, in manu scribitur: *Nudus eram, et cooperuistis me* (*ibid.* 36). In altera: *Infirmus fui, et venistis ad me* (*ibid.*) Singulæ vero rotulæ illis porriguntur imaginibus, quæ illud, quod in eis scriptum est, opus misericordiæ exercent; ut sciamus ipsi etiam Christo nos facere, quidquid in ejus nomine pro amore ejus uni ex minimis suis faciamus (*Matth.* XXV, 40).

CXXVII. Illa vero duo spatia, in quorum uno nuptiæ legitimæ celebrantur; in altero quoque thorus

Digitized by Google

immaculatus depingitur, colore purpureo, qui afflictionis designat angustiam, cooperiuntur: quia nimirum fideles conjugati in eo quod licite sibi invicem carnis debitum reddunt, a crimine quidem damnabili et a peccato mortali penitus immunes fiunt; sed ob diversos vitæ præsentis eventus, et ab afflictione temporali tam per sollicitudinem in mente, quam per laborem in corpore plene liberi non sunt. Qui enim lege conjugii constricti tenentur, multimodis profecto sæpe tribulationibus cruciantur; et modo occupationibus rei familiaris in animo distenduntur, modo vero laboribus in carne fatigantur; et, quamvis præsentia licite acquirant, licite etiam possideant, tamen quo majore quæ possident affectu, dum ea habent, diligunt, eo et majori afficiuntur dolore, dum ea amittunt: non enim potest illius rei sine gravi dolore esse amissio, cujus cum grandi amore fuit possessio. Juxta tabernaculum igitur et nuptias legitimas celebrantes, et thoro immaculato utentes depinguntur; sed illa, in quibus depicti sunt spatia, colore purpureo, qui ubique in hac pictura nostra angustiam designat tribulationis, cooperiuntur: quia fideles quidem conjugati ob bona, quibus insistunt opera, ad sanctam Ecclesiam pertinent; sed eorum status cum sit immunis a damnabili crimine, liber tamen non est a temporali afflictione, juxta sententiam Apostoli dicentis: *Si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccavit: tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi* (*I Cor.* VII, 28). Campum illum, in quo sacerdos conjugium per orationes et benedictiones consecrans, depictus est, colore Sapphirino, qui cœlo, ut superius docuimus, similis est, superinduo: quia sanctæ Ecclesiæ sacerdotes, quando fidei nostræ sacramenta orando consecrant et dispensant, mentis nitore fulgere, et cœlesti desiderio coram Deo nitere debent. Et hæc de spatiis exterioris nostræ quadraturæ dicta, ad præsens sufficiant.

CAPUT XV.

De Levitis ad ostium tabernaculi tubis clangentibus: et de columna ignis, et nubis, quæ tabernaculo præminebat.

CXXVIII. Adhuc autem post hæc omnia ad tabernaculum redeo, et duos Levitas, duabus argenteis tubis clangentes, unum ex una parte ostii, et alterum ex alia statuo: quia duo præcepta charitatis habentes prædicatores sancti per prædicationem sanctam tam ad mala cavenda, quam ad bona exercenda admonent fideles. Idcirco juxta unius tubam scribitur: *Quiescite agere perverse* (*Isa.* I, 12). Juxta alterius vero: *Discite bene facere* (*ibid.*); quia sanctæ Ecclesiæ doctores et mala omitti, et bona suadent admitti. Possunt etiam per hos duos Levitas duo prædicatorum ordines designari, quorum unus in circumcisionem, alter vero in præputium missus est. Superius dictum est, quia paries australis populum designat Judæorum; septentrionalis vero gentium. Ad quem utrumque parietem vectis ille de quo superius dictum est, se extendit; quia per cognitionem unius veræ fidei utrumque populum sibi Deus, et homo Jesus Christus sociavit. Et idcirco Levita ille, qui e regione parietis australis stat, ordinem designat prædicatorum, qui populo Judaico fidei verba nuntiavit. Alius vero Levita, qui e regione parietis septentrionalis statuitur, ordinem exprimit doctorum, qui populum gentilem per sanctam prædicationem ad fidem vocavit. Ex utraque etiam parte tabernaculi imago Christi depingitur, in una manu columnam ignis tenens, in altera vero nubis; quia columna, quæ super tabernaculum jugiter pendebat, Dominum nostrum, Jesum Christum, qui pariter et Redemptor humani generis, et Judex est, designabat. Illa vero columna, **407** quæ olim super tabernaculum jugiter erat, in die quidem nubis, et in nocte speciem habebat ignis; et ideo duobus modis Christum præfigurabat. Unde et unam ex una tabernaculi parte Christi iconem, et duplicem ignis et nubis columnam hinc inde depinxi: non quia duo Christi sunt; sed quia dupliciter per hanc nubis et ignis columnam unus, idemque Christus juxta aliud et aliud accipi debet, quod in plano picturæ videri nullatenus posset, nisi geminata figura in eodem plano tam iconis Christi, quam columnarum ignis, et nubis repræsentata fuisset. Cum enim hæc columna ipsum Christum innuat, alio modo eum innuit in eo quod et ignis in se speciem, et nubis habuit; alio vero quod in eo eamdem et nubis speciem in die, et ignis habuit in nocte. Ignis itaque divinitatem ejus, in qua terribilis est, indicat: quia, ut legimus, *Deus noster ignis consumens est* (*Hebr.* XII, 29). Nubes vero humanitatem ejusdem, in qua mitis apparuit, innuit: quia, ut ait Isaias, Dominus nubem levem ascendit, et Ægyptum ingressus est (*Isa.* XIX, 1). Nubem namque levem ascendit, et Ægyptum ingressus est; quia carnem ab omni peccato mundam suscepit et venit in mundum. Columna itaque una est, scilicet ignis in se habens speciem, et nubis; quia una quidem persona Christus est, sed duæ in eo sunt naturæ, divina, et humana. Et hic est modus ille, quo Christum hæc columna designat in eo quod ignis in se speciem, et nubis habebat. Item. Ignis columna Domini nostri Jesu Christi, terrorem exprimit, quem in judicio ultimo reprobis exhibebit; nubes vero mansuetudinem ejusdem, quam electis in illo judicio demonstrabit; quia columna, ut dictum est, in nocte quidem habuit speciem ignis, in die vero nubis. Et per noctem vita exprimitur peccatoris, per diem vero vita justi. Una igitur columna in nocte ignem, et in die nubem ostendit; quia unus idemque Christus, misericors electorum Salvator et justus reproborum condemnator, in extremo judicio et justorum claritatem remunerat, et injustorum obscuritatem damnat. Et hic est modus alius, quo Christum eadem columna designat in eo quod in se et nubem in die, et ignem prætulit in nocte. Et hæc est causa, quare et geminam ignis, et nubis columnam

Digitized by Google

in plano picturæ depinxi : cum tamen olim super tabernaculum Moysi non fuerit, nisi una columna ; scilicet non nisi unus est, quem ipsa præfiguravit, Christus. Illa igitur columna, quæ ad austrum est, Dominum designat Jesum Christum, qui in divinitate, quæ per ignis columnam innuitur, antiquo populo, qui ibi depingitur a dextris, quia in Deum credebat, terribilis fuit eorum puniendo peccata ; quibus idem in terrore divinitatis dicere solebat : Si quis hoc, vel hoc fecerit, *morte moriatur* (*Exod.* xxi, 17). Unde et juxta eos statuitur Moyses, manus graves, et ponderosas habens, in una flagellum, in altera evaginatum gladium tenens : quia lex ad feriendum et occidendum peccatores parata fuit. A sinistris autem iconis populus depingitur gentilis, qui idola colebat ; de quibus in nube humanitatis, ibi juxta eos depicta, idem loquitur Christus : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* (*Luc.* v, 32). Unde et ibi juxta eos Aaron et Hur manus Moysi sustinent ; quia levia nobis efficiunt præcepta celsitudo Dominicæ incarnationis, quæ exprimitur per Aaron, et ardor sancti Spiritus, qui per Hur. Hæc de illa icone breviter dicta sint, quæ ad austrum est.

CXXIX. Illa vero icon ad aquilonem e diverso existens, eumdem significat Dominum nostrum Jesum Christum ; et talem eum ostendit, qualis in ultimo judicio apparebit, sicut alia, quæ ad meridiem est, de qua jam copiose diximus, talem eum innuit, qualis et rigore Deitatis populo antiquo, et in mansuetudine humanitatis populo novo apparuit. Igitur Judex vivorum et mortuorum ille Filius hominis, cui Pater omne judicium dedit, per hanc septentrionalem iconem ostenditur, qui in ignis terrore, sive si melius dictum accipitur, in igne terroris reprobis, quorum ibi resurrectio a sinistris depingitur, quia ipsi a sinistris erunt in judicio, dicet : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* xxv, 41). In quem ignem ibunt, sicut et circulus, qui ibi scriptus est, et infernus, qui ibi in angulo depictus est, demonstrat. De qua inferni pictura hoc quoque plene sciendum est ; quia licet in tabernaculi depictus fit atrio, ad ipsum tamen atrium, in quo positus est, omnino non pertinet ; sed quia ad demonstrandum, quare columna, quæ super tabernaculum erat, in nocte speciem ignis, et in die speciem prætulit nubis, etiam ultimum judicium necesse fuit memorari, ipsum nimirum **408** infernum, ubi judicati retrudentur reprobi, ibi quoque a sinistris oportuit depingi. A dextris quoque ejusdem, quæ ad aquilonem est iconis, resurrectio depingitur justorum, quibus justus Judex Dominus Jesus in nube lenis blandimenti dicet : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* xxv, 34). Ad quod videlicet regnum ibunt, sicut titulus, qui ibi scriptus est, ostendit. Et ibunt videlicet illuc, sicut imagines ibidem depictæ innuunt, ex omni ordine, et professione : episcopi videlicet, clerici, regulares, et monachi ; sacerdotes quoque, et viri etiam, qui in habitu sæculari religiose vixerunt, et feminæ ; qui sunt Noe, Daniel et Job, qui in die judicii, quando se in igne Christus ostendet et in nube, salvabuntur (*Matth.* xxv, 34). Tunc percipient regnum, quod eis paratum est ab origine mundi, quod videlicet regnum, sicut longe superius dictum est, in Sancta sanctorum depingitur, ubi juxta imaginem ex una parte sunt angeli ; ex altera drachma decima. Et illuc post judicium ibunt electi, ubi est drachma, quia et ipsi eadem drachma sunt ; sed in his imaginibus depinguntur iidem electi, ad regnum euntes ; in drachma vero idem regnum possidentes

CAPUT XVI

Super capite præcedenti alia expositio allegorica.

CXXX. Possumus vero adhuc de hac gemina Christi icone, et ignis nubisque columna, quædam allegorice dicere, quæ utrum suscipienda, an rejicienda sint, lectoris discernat examen. De eisdem namque duabus iconibus Christi, quæ ex utraque tabernaculi parte hinc inde contra se invicem altrinsecus depictæ sunt, hoc a nobis, etsi corporis aspectu non possit videri, mentis tamen intellectu debet perpendi : quia hæ duæ columnæ, licet modo in uno secundum positionem plani, ex utraque hinc inde parte, sternantur, tamen erecto ipso tabernaculo non quidem ex una aliqua ejus parte, sed supra ipsum tabernaculum medio ipsius loco cum columnis suis, cæterisque omnibus ad easdem columnas pertinentibus in summo pendebunt, et tunc non duæ icones erunt, sed una alteri conjuncta, et ex toto unita, una sola apparebit. Nec erunt jam duæ ignis et nubis columnæ, sicut nec duæ icones ; sed duabus columnis ex una tabernaculi parte jacentibus illis duabus, quæ ex altera parte jacent supra tabernaculum in summo conjunctis, ex his columnis, quæ secundum positionem plani quatuor in imo sunt, non nisi duæ in summo cum una icone erunt : una ignis ex una parte iconis, altera nubis ex altera parte iconis. Tunc etiam justis in regnum cœleste euntibus gentiles, et impiis in infernum euntibus conjungentur Judæi ; quia nimirum ut de genere ad speciem transeamus, quantum duntaxat ad præsentem mundi statum pertinet, hoc nunc secundum aliquem modum gentium est vocatio, quod in fine justorum erit salvatio : hoc etiam nunc repulsio Judæorum, quod in fine condemnatio erit impiorum. Sicut enim in die universalis judicii cunctis generaliter reprobis, tam Judæis, quam gentibus Dominus dicet : *Ite maledicti in ignem æternum* (*Matth.* xxv, 41) : ita nunc quoque justo, sed occulto judicio ejusdem Dominus per effectum rei, Judæis incredulis, et infidelitate sua induratis, eos reprobando dicet : *Ite, maledicti in ignem æternum :* illum videlicet ignem, de quo legitur in prophetia : *Et nunc ignis adversarios consumit.* Et in illum, de quo Psalmista : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem* (*Psal.* lvii, 9) ; ut eos nunc ignis peccati cruciet in anima, quos

Digitized by Google

tunc ignis supplicii cruciabit in gehenna. Qui quidem ignis ideo æternus dici potest; quia pravorum quorumlibet, qui in impietate sua indurantur, hic quidem cruciatus incipit, sed ibi sine alicujus finis defectu non cessat durare. Rursum sicut in die universalis judicii cunctis generaliter electis tam Judæis quam gentibus Dominus dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* xxv, 34); ita et nunc quoque per affectum rei gentilibus, quos assumere proponit, per electionem gratiæ, et vocationem misericordiæ suæ idem Dominus dicit: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum.* Quatenus rectam fidem iidem gentiles suscipientes, et in verum salutis auctorem credentes, et ad regnum sanctæ Ecclesiæ per cognitionem veritatis veniant, et illud per amorem virtutis possideant. Quod certe regnum eis ab origine mundi paratum est; quia gentium Ecclesia, quæ vocatur in tempore ad vitam, prædestinata fuit in æternitate. Sed in inferno, quo damnantur impii, recte qui et manus graves habet, et in eis flagellum, gladiumque tenet, conjungitur **409** Moyses; quia nimirum lex, quæ per Moysen exprimitur, non solum eos, qui transgrediebantur, præsenti puniebat interitu, verum etiam eos, qui in iniquitate et in infidelitate indurantur, gladio et flagello pœnæ infernalis æterno condemnandos esse denuntiat. Apte etiam juxta hanc significationem idem Moyses, qui ex altera parte cum Aaron et Hur, ejus graves manus sustentantibus, atque sustentando leves eas reddentibus, depingitur, justis regnum percipientibus conjungitur; quia ut in regno Ecclesiæ, quod in Evangelio regnum cœlorum nonnunquam vocatur, possint gentes super misericordia honorare Dominum, adhuc hodie graves manus Moysi Aaron, et Hur leves efficiunt: dum celsitudo Dominicæ incarnationis, quæ accipitur per Aaron, et amor sancti Spiritus, qui per Hur, dura legis præcepta, levia reddunt, quia nunc peccatores per pœnitentiam misericorditer salvantur, qui olim per legis austeritatem graviter puniebantur. Unde et idem Aaron, id est Dominus in carne apparens, per Aaron designatus, discipulos in prædicatione mittens, eis injungit, ut dicant: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 2). Ac si diceret: Sustententur manus Moysi, et sustentatæ leves reddantur; est enim modo tempus, ut veniant benedicti Patris mei filii, et possideant regnum, quod eis paratum est ab origine mundi.

CXXXI. Sed et hoc quoque negligenter prætereundum non est; quia cum modo in uno, juxta positionem plani, et Judæi a dextris iconis, et gentes a sinistris sint, tamen quando hæc omnia, quæ in imo picturæ corporis aspectui apparent divisa, in summo cordis intellectui apparebunt conjuncta: Versa vice dum icon australis aquilonari fuerit cum omnibus quæ ad eam pertinent, unita; et Judæi a sinistris iconis, et gentes erunt a dextris: quia videlicet antequam Deus homo fieret, a dextris quodammodo erant Judæi, quia legem habentes, in eum qui legem dedit credebant; a sinistris vero gentiles, quia, Dominum penitus ignorantes, idola colebant. At vero postquam humanitatis iconem ab imis Filius Dei elevavit, eique divinitatis suæ iconem conjunxit; postquam Verbum caro factum est, id est, iconi aquilonari australis est unita: et natura divina in unitate personæ, (salva tamen proprietate utriusque naturæ), naturæ est associata humanæ, ut esset in duabus naturis una persona, quasi ex duabus iconibus facta una icon: Judæi, qui prius erant a dextris, propter incredulitatem deputantur ad sinistram; et gentiles, qui prius erant a sinistris, per gratiam vocantur ad dextram; quia in judicium venit supra tabernaculum Ecclesiæ icon nostra, ut non videntes viderent, et qui videbant, cæci fierent (*Marc.* IV, 12); sicque facti sunt non solum primi novissimi, et novissimi primi (*Matth.* XX, 16); sed etiam dextri sinistri, et sinistri dextri. Unde et licon hæc in humanitatis pietate, quasi in quadam nubis lenitate loquitur, dicens: *Non veni vocare justos; sed peccatores in pœnitentiam* (*Luc.* V, 3), quia et Judæi, qui sibi applaudunt de justitia, propter superbiam et incredulitatem relinquuntur: et gentiles, qui confidunt de pœnitentia, propter humilitatem et fidem assumuntur (*Luc.* XVIII, 14). Dicit itaque icon nostra in nube sua: *Non veni vocare justos sed peccatores in pœnitentiam;* quia et descendit in domum suam publicanus justificatus a Pharisæo (*ibid.*); et Maria pœnitens laudatur; et Pharisæus superbiens reprehenditur (*Luc.* VII, 38): et ulceribus plenus Lazarus salvatur, et in lege epulans quotidie splendide dives damnatur (*Luc.* XVI, 22). De Judæis quoque, qui ex dextris jam sinistri facti sunt, in divininatis terrore, quasi in quodam ardore gravem profert eadem icon sententiam, dicens: Si quis hoc, vel hoc fecerit, *morte morietur* (*Exod.* XXI, 17); quia non putent Judæi quia nubes hæc accusatura sit eos apud ignem; est autem qui accusat eos Moyses, in quo ipsi sperant: si enim crederent Moysi, crederent forsitan et illi (*Joan.* VI, 45), cujus est Icon; de ipso enim ille scripsit. Unde et idem Moyses de contra e regione ignis depingitur, in una manu flagellum tenens, ut feriat; in altera vero gladium ut perimat: quia lex sancta Judæos incredulos propter hoc quod lene nubis blandimentum recipere, id est, in Christum hominem credere renuunt, in furore ignis, et in ira ejus denuntiat et judicat esse corripiendos, ipso Moyse legislatore hoc modo prophetante, præcipiente, comminante: *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam meipsum audietis juxta omnia, quæcunque locutus fuerit vobis. Erit autem: Omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de populo suo* (*Deut.* XVIII, 15; *Act.* III, 22, 23). Prophetia namque fuit, dum propheta

Digitized by Google

de fratribus eorum suscitandus eis prædicitur ; præceptum fuit : dum eis, ut eumdem in omnibus, quæcunque dixerit, prophetam audiant, jubetur ; comminatio fuit : dum omnis de plebe sua, quæ eum audire contempserit anima, exterminanda asseritur. Quod ergo Moyses verbo de Judæis dixit : *Omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe suo* (*Deut.* XVIII, 19). Hoc idem Moyses hic depictus innuit, qui e regione ignis positus, ad eosdem Judæos incredulos, et ideo sinistros effectos, manum unam cum gladio, alteram cum flagello extendit. Sustentatio quoque manuum Moysi, earumque alleviatio, quæ e regione nubis juxta gentiles jam dextros effectos, scilicet eosdem gentiles Christi fidem suscipientes, prædictæ videlicet nubis lenitatem amplectentes, et de peccatis suis pœnitentes, et a furore hujus ignis liberos reddit, et sub humanitatis suavi tegumento, quasi sub nubis leni umbraculo protegit ; quia a terrore proteguntur divinitatis, dum per rectam fidem, et opera bona ad lene blandimentum confugiunt humanitatis ; quibus eadem nubes advocata est apud ignem, et ipsa est *propitiatio pro peccatis eorum* (*Joan.* II, 2). Hæc de duabus Christi iconibus ex utraque tabernaculi parte jacentibus, et de duplici ignis, et nubis columna ; et de his, quæ ad eas pertinent, sub duplici secundum sensum allegoricum significatione tractavimus, ut lectoris judicio, quænam potius eligenda sit, relinquamus.

CAPUT XVII.

De quinque partita distinctione picturæ.

CXXXII. Diligenti post hæc intentione considerandum est, quia hæc, (de qua plura jam diximus), pictura per quinque spatia est defecta. Primum namque spatium ille locus est, in quo utriusque temporis Laici continentur. Secundum, in quo utriusque Testamenti clerici. Tertium, in quo Levitæ ad sacrificandum. Quartum, in quo sacerdotes ad thymiama offerendum Domino ingrediuntur. Quintum, in quo summus pontifex solus semel in anno intrare consuevit. Primum spatium est, in quo boni simul, et mali commisti sunt ; quia in statu laicorum plures inveniuntur mali quam boni : ita ut quo fuerint meliores, eo sint et pauciores ; et est quasi quidam ager, in quo bonæ scilicet, et malæ herbæ sunt non solæ bonæ, nec solæ malæ, sed bonæ simul et malæ. Secundum vero spatium est, in quo boni continentur ; quia licet non omnes clerici sicut nec omnes laici boni sint ; sed in his temporibus periculosis plures etiam inter eos, sicut et inter laicos, mali inveniantur quam boni ; idcirco eos bonos et sanctos appello : quia quantum duntaxat ad eorum pertinet officium, speciali quodam debito constricti sunt, ut quamdam præ laicis bonitatis et sanctitatis habeant prærogativam, ut quo in professione et officio sublimiores sunt, eo nimirum in conversatione, et merito sint sanctiores : quia (ut legitur), quibus *multum datum est, multum exigetur ab eis* (*Luc.* XII, 48). Et idcirco in spatio isto bonos esse affirmo ; quia illi in eo continentur, qui præ cæteris fidelibus specialiter, etsi non sunt, boni tamen esse debent. Unde et spatium hoc quasi quidam hortus est, in quo solæ bonæ herbæ nutriuntur. In agro namque herbæ per se, et ex se oriuntur ; sed bonæ, quæ in horto sunt, herbæ hortulani et discretione alibi eliguntur, et labore aliunde afferuntur, et in horto ipso plantantur, plantatæ rigantur, rigatæ nutriuntur : quia naturali quadam institutione contenti, sub communi Christianitatis titulo laici quidem vivunt ; sed de communi laicorum statu, qui ordinandi sunt clerici, sancti Spiritus inspiratione, quasi hortulani cujusdam discretione eliguntur, et electi in clericatus culmine sub arctioris professionis loris sublimantur : quasi quædam herbæ, quæ de communi agro assumuntur, et studiosa quadam cura in horto plantantur.

CXXXIII. In spatio tertio Levitæ ingrediuntur, non quidem omnes, sed illi qui ad immolandum in altari æneo, quod extra tabernaculum erat, holocaustum idonei inveniuntur ; et est quasi quoddam regis atrium spatium hoc, in quo amici, et familiares recipi solent. Omnes namque Levitæ circa tabernaculum quidem metabantur ; sed ad ministrandum Domino nulli ingrediebantur, nisi qui et ætatis maturæ, et munditiæ erant perfectæ. Unde et de ipsis Levitis ait Dominus ad Aaron : *Homo de semine tuo per familias suas qui habuerit maculam, non offerat panes Domino, nec accedat ad ministerium ejus* (*Lev.* XVII, 18). De ætate vero eorumdem Levitarum ita Dominus ait ad Moysen : *A viginti quinque annis, et supra ingredientur, ut ministrent* (*Num.* IV, 35). Spatium itaque hoc, in quo illi Levitæ holocausta Domino immolant, qui et ætate maturi, et puritate conspicui sunt, quasi quoddam atrium est regis, ubi ad hoc amici ejus et familiares intrant, ut ipsius devote obsequiis insistant. Quartum vero spatium lotis manibus, et pedibus sacerdotes ingrediuntur, ut thymiama Domino offerant, et est quasi cujusdam prædivitis patrifamilias domus, in qua cognati ejus et parentes recipiuntur. Quintum quoque spatium, quod intra velum est, et Sancta sanctorum appellatur, solus summus pontifex ingredi consuevit : et est quasi quidam thalamus locus hic, in quo postpositis cunctis familiaribus et amicis, exclusis etiam parentibus et cognatis, soli sponsus et sponsa eo amore dulciore, quo in loco interiore jucundantur. In hoc vero spatio statuitur arca fœderis, et est arca in loco isto, quasi lectus in thalamo. Inter omnia, quæ ad hoc de quo loquimur, tabernaculum pertinent, loca, nullus magis privatus, quam iste, et inter omnes ejusdem tabernaculi res nulla magis ut ita dixerim, privata, quam arca, et ea quæ intra illam erant. Unde et locum hunc thalamo comparavi, et arcam lecto ; quia inter omnes quæ in palatio sunt, domos, nulla magis privata quam thalamus ;

Digitized by Google

et inter omnia, quæ non solum in ipso thalamo sunt, sed quæ ad hanc pertinent vitam, nihil magis privatum, quam lectus sponsi et sponsæ. Igitur primum spatium quodammodo ager est, secundum, hortus; tertium, atrium; quartum, domus; quintum, thalamus. Laici boni simul et mali primo loco sunt, quasi bonæ simul, et malæ herbæ in agro; clerici, qui bonos significant, secundo: quasi electæ herbæ in horto; Levitæ tertio: quasi amici et familiares in atrio; sacerdotes in quarto: quasi cognati et parentes in domo; solus pontifex in quinto, ubi arca est continens manna: quasi solus sponsus et sponsa in thalamo, ubi suavitas est in lecto. Hæc sunt quinque spatia, per quæ hæc, de qua loquimur, pictura distincta est.

CAPUT XVIII.

De significatione quinquepartitæ distinctionis.

CXXXIV. Quam putamus secundum sensum allegoricum nobis innuere significationem, hanc quinquepartitam hujus nostræ picturæ distinctionem jam explanandum est. Quod si alicui indignum forte videtur id quod nos in plano depinximus, ad allegoriam debere trahi, nos apte putamus illam quinquepartitam distinctionem, sive, si congruentius dictum accipitur, divisionem, quæ ad illud vetus Moysi tabernaculum pertinebat, allegorice accipi posse. Sicut enim hic visibiliter depictum est, sic putamus secundum aliquem modum apud illud Moysi tabernaculum visibile fuisse. Ut in primo spatio circa ipsum tabernaculum duodecim essent tribus, in secundo, per quatuor ejus partes Levitæ. Tertium spatium atrium erat, quod in se altare holocausti et labrum æneum habebat. Quartum, domus tabernaculi exterior, quam *intrabant*, ut Apostolus ait, *semper sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes* (*Hebr.* IX, 6). Quintum, domus ejusdem tabernaculi interior, quæ soli summo pontifici, nec nisi semel in anno patebat. Hoc apud illud vetus tabernaculum ita fuisse legimus; hæc et nos, prout potuimus, hic depinximus. Quid hæc ergo significant? Si enim ut ait Apostolus, *Omnia in figura contingebant illis* (*I Cor.* X, 6), scripta sunt autem propter correptionem nostram: nequaquam hæc a mysterio vacare credenda sunt. Quod itaque de hac re sentimus, absque præjudicio eorum, qui de hac re subtilius et verius atque nitidius dicere norunt, humiliter ostendamus. Salvo igitur meliore et congruentiore intellectu, qui eruditioribus sensibus patet, videamus, ne forte quinquepartitus hujus mundi status quinquepartitæ huic distinctioni allegorice possit aptari. Hos autem quinque mundi status ita distinguimus. Primus hujus mundi status ab ipso mundi exordio, usque ad diluvium fuit. Quem nimirum statum, quia nulla adhuc homini lex, cujus præceptis arctari et ligari posset, data fuit, non immerito latitudini agri comparamus. In quo quidem statu quia filii Dei et filii hominum simul commisti erant, quasi in agro bonæ simul et malæ herbæ fuerunt. Status vero secundus post diluvium, temporibus patriarcharum et Moysi, per quem vetus illa populo lex data fuit, exstitit: qui status ad bonos quodammodo pertinet; quia, quamvis nec in illo, nec in aliquo hujus sæculi tempore soli boni fuerunt, vocatis tamen ad fidem, et cultum unius veri Dei patriarchis legisque latoribus, quasi bonis herbis aliunde allatis, et in Dei horto præceptorum legalium sepibus circumdato, plantatis; et numerosior **412** sanctorum multitudo, et major veritatis cognitio mundo effulsit. Ad tempus quoque judicum et regum, qui antiquo illi Dei populo in cura regiminis præfuere, status tertius spectat. Qui status quasi quoddam regis, seu principis, in quo obsequiis ejus amici et familiares sui insisterent, atrium fuit; quia in tempore illo, ut divinæ liberius culturæ eis insistere liceret, et per augmentum populus ille dilatatus, et per fortitudinem constructo in terra propria templo roboratus erat. Quartus vero status ad tempus pertinet prophetarum, qui in eo, quod adventum Filii Dei in carne, et redemptionis nostræ mysteria, atque sanctæ Ecclesiæ sacramenta multifarie, multisque modis pronuntiaverunt: summo nimirum patrifamilias quadam, ut ita dicam, parentela et cognatione juncti fuerunt. Et hic status quædam quodammodo prædivitis cujusdam patrisfamilias domus fuit; in qua ejusdem patrisfamilias parentes, et cognati sancti videlicet prophetæ erant. Locus quintus, qui Sancta sanctorum dicebatur, adventum Filii Dei in carne ideo exprimit; quia in illum solus pontifex summus intrare consuevit. Qui status, quid aliud, quam thalamus fuit, in quo sponsus Christus sponsæ suæ sanctæ Ecclesiæ conjungebatur? Sunt itaque hi quinque status mundi hujus. Primus ab Adam temporibus filiorum Dei et filiorum hominum usque ad diluvium; secundus, temporibus patriarcharum et legislatoris; tertius, temporibus judicum et regum; quartus, tempore prophetarum; quintus, tempore Filii Dei et hominis. Et secundum rationes, quæ superius ostensæ sunt, primus, quasi ager; secundus, ut hortus; tertius, ut atrium; quartus, sicut domus; quintus, quasi thalamus. Idcirco in primo spatio, quod cæteris omnibus exterius est scribo, *Ager*; in secundo, *Hortus;* in tertio, *Atrium;* in quarto, *Domus;* in quinto, *Thalamus*: ut ostendatur, quia ob causas superius dictas, primum spatium quodammodo ager est; secundum, hortus; tertium, atrium; quartum, domus; quintum, thalamus.

CAPUT XIX.

Altera expositio de eodem.

CXXXV. Possumus etiam hæc quinque, de quibus locuti sumus, picturæ nostræ spatia ad quinque sanctæ Ecclesiæ status, quæ post Christi adventum ad fidem vocata est, referre. Primus siquidem sanctæ Ecclesiæ status ille fuit, quando post ascensionem Domini virtute ex alto primitiva induta Ecclesia, quicunque in Christum credere, quicunque ipsum prædicare præsumerent, diversis tormentorum generibus ad negandum trahebantur: quando illa

Digitized by Google

jam hora venerat, ut omnes, qui interficerent apostolos, arbitrarentur se obsequium præstare Deo (*Joan.* XVI, 2); quando cruentas in eos manus injicientes persecutores, ad reges eos et præsides ducebant; quando denique odio erant omnibus hominibus propter nomen Christi (*Matth.* X, 22). Ecce ager, in quo cum multis malis paucæ erant herbæ bonæ, quando urtica lilium ad crescendum impediebat, quando hyssopum saliunca destruebat. Postquam vero longo et anxio discipulorum in remigando laborantium clamore suscitatus est Dominus Jesus (*Matth.* VIII, 24), ut ipsi imperanti venti et mare obedirent, et fieret tranquillitas magna (*ibid.*, 26) : ne diutius jam Petri turbaretur navicula, servato ad fidem Romano imperio; inclinatis nihilominus longe lateque per orbem terrarum, cæterorumque regnorum cervicibus, ad crucis opprobrium, et improperium Christi, pax est data Ecclesiæ : ut in horto Dominico ab agro illo allatæ bonæ, et electæ herbæ, eo numerosius, quo liberius plantarentur : jam tunc *pro saliunca* ascendit *abies;* jam *pro urtica* crevit *myrtus* (*Isa.* LV, 15); jam super caliginosum Babylonis montem crucis est levatum vexillum. Jam vox prædicatorum exaltata est; jam duces portas intraverunt, quia nimirum quos in primo statu suo sancta Ecclesia in ira Domini habuit fortes, in hoc secundo statu suo, in ejus gloria suscepit exsultantes. Jam, inquam, vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium : quia intonuit vox sonitus regum, et gentium congregatarum. Hic itaque sanctæ Ecclesiæ status hortus fuit, in quo bonæ herbæ plantatæ sunt. Pacificata igitur Ecclesia membrorum suorum et meritum crescere gaudebat. et numerum. Crevitque non solum fides recta, sed etiam operatio sancta. Et tunc in statu isto tertio summi imperatoris atrium sui et amici, et familiares ingrediebantur. Amici, inquam, et familiares. Amici per fidem, et familiares per operationem, ut et recte credendo, et strenue operando ejus obsequiis insisterent. Sic est sublimata Ecclesia super altitudinem terræ, et posita in superbiam sæculorum.

CXXXVI. Venit jam status ejus quartus, in quo longe excellentius quam in tertio vel in secundo accensa est in bono fidelium devotio, roborata intentio, auctum **413** propositum; quia in multis fidelibus suis eadem virgo, mater ecclesia, communi sanctitate Christianitatis in hoc suo quarto statu contenta non esset, nisi mundum, et ea quæ mundi sunt, plene contemneret; jugum Domini suave et onus ejus leve susciperet (*Matth.* XI, 30); communem, quemadmodum in paucis in ortu quondam suo habuit vitam, devote modo in innumeris apprehenderet : ut per communionem possessionum unitas foveretur mentium, quatenus esset et in statu isto *multitudinis* non solum quidem *credentium;* verum etiam sancte viventium *cor unum, et anima una, nec quisquam eorum, quæ* possideret, *aliquid suum esse* diceret : *sed* essent *illis omnia communia* (*Act.* IV, 32). Et hic status quid aliud est, nisi quidam locus sanctus, locus terribilis, qui merito Bethel, id est, *domus Dei* appellatur? Ubi charitatis scala erigitur, ubi per ejus gradus angeli ascendunt, et descendunt (*Gen.* XXVIII, 12). In hanc domum *genus electum, regale sacerdotium*, et *populus* ingreditur *acquisitionis* (*I Petr.* II, 9). Genus, inquam, electum de his, qui exterius ministrant, ad offerendum intrinsecus Domino thymiama odoris suavissimi electum. Genus clericorum regularium; genus Lemovicensium et Præmonstratensium; genus Arroensium, et Bellovacensium : genus quoque monachorum sanctorum; genus Carthusiensium et Cisterciensium; genus Cluniacensium, et Cyronensium; genus quoque cæterarum diversarum professionum, quarum singulæ juxta genus suum, unam eamdemque reginam a dextris Regis sui in vestitu deaurato astantem circumdant quidem varietate (*Psal.* XLIV, 10), nec exspoliant unitate. Hanc domum monachi religiosi, et clerici inhabitant regulares, qui communi Domino quadam non solum amicitia et familiaritate; verum etiam parentela et cognatione juncti sunt, quia dum unusquisque eorum in pleno et contemptu præsentium, et desiderio futurorum tota intentione voluntatem ejus facere student : ille nimirum ejus, ut ipse ait, et frater, et soror, et mater est (*Matth.* XII, 50). In hac domo habent et in mensa cibum bonæ operationis, et in candelabro lumen lectionis, et in altari thymiamatis suavitatem orationis. Quod enim cibus bonam designet operationem, habemus ex sententia Domini, dicentis : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* IV, 34). Quod vero candelabrum sacram innuat lectionem, apostolus Petrus ostendit, dicens : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis, attendentes quasi lucernæ lucendi in caliginoso loco* (*II Petr.* II, 19). Quod incensum quoque suavitatem orationis exprimat, Psalmista demonstrat. *Dirigatur*, inquit, *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL, 2). Hæc tria sunt, quæ in hac domo nostri continuo habere debent sacerdotes; quia semper cum a cura necessaria corporis vacant, vel in operatione, vel in lectione, vel in oratione esse debent : operatio ad ministrationem corporalem; lectio ad instructionem spiritualem; oratio ad contemplativam puritatem. Hanc etiam domum hi tres ordines inhabitant : novitii, obedientiarii, et claustrales. Hi sunt, qui secum Dominum Jesum in Bethania habent, id est, in domo obedientiæ, sicut ait evangelista Joannes : *Fecerunt*, inquit, *ei cœnam, et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo; Maria vero accepit libram unguenti, nardi pistici pretiosi, et unxit pedes ejus, et domus impleta est ex odore unguenti* (*Joan.* XII, 2, 3). Martha itaque Domino ministrat, Lazarus cum eo recumbit, et Maria eum unxit. Martha ergo, quæ Domini ministerio intendit, quæ etiam, ut alibi de ea idem Dominus dicit, *sollicita est, et turbatur erga pluri-*

Digitized by Google

ma (*Luc.* x, 1), cœnobii obedientiarios exprimit, qui fideles esse debent et prudentes. Prudentes in acquirendis, fideles in expendendis. Prudentes ne eos error ignorantiæ fallat, fideles ne in Dei ministerio suum aliquid requirant. Lazarus vero, qui modo quidem cum Domino recumbit, sed quondam mortuus, et quatriduanus in monumento fetebat, novitios designat qui ad Dei in vita communi convivium pervenerunt: qui prius tamen spiritualiter exstincti per peccati delectationem consensum et consuetudinem, et veniæ desperationen coram Deo, et hominibus per pravæ vitæ infamiam fetebant: sed jam a Domino resuscitati, et ab ejus discipulis soluti ad tantam ab ipso Domino dignitatem promoventur, ut cum eo recumbere digni judicentur; nec *jam hospites et advenæ sint, sed cives sanctorum, et domestici Dei* (*Ephes.* II, 19). Maria quoque claustrales specialiter designat, qui eo liberius soli Domino Jesu vacare possunt, quo plenius a cunctis rerum terrenarum sollicitudinibus exspoliantur. Valde familiaris est ipsi Domino Jesu Maria, multumque propinqua. Omnibus certe in Bethania consistentibus familiarior ei et propinquior est. Nam licet ei ministret Martha; recumbat cum eo Lazarus, nec iste tamen, nec illa tangit eum. Sola eum tangit **414** Maria. Tangit quod in eo infimum est, ad pedes ejus inclinata, erecta ad caput, *accepit libram nardi pistici pretiosi* (*Joan.* XII, 3). Accepit, inquam, quia nisi acciperet, non haberet. *Omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I, 17). In libra, plenitudo accipitur perfectionis; in nardo, odor cognitionis; in pistico puritas veritatis. Ex his tribus Maria electam et egregiam conficit, et componit unctionem; quia ex plena, et vera Domini Jesu cognitione suavem in cordibus suis claustrales concipiunt dilectionem. Caput Domini et pedes ungunt: quia geminam ejus naturam, divinam scilicet et humanam ardenter diligunt. *Caput* namque *Christi*, ut ait Apostolus, *Deus* (*I Cor.* II, 3). Et pedes ejus quid aliud designant quam incarnationem suam, qua nostræ mortalitatis tetigit terram! Duobus quoque super terram nostram pedibus ambulavit Propheta ille potens in opere, et sermone (*Luc.* XXIV, 19), doctrina scilicet, et operatione: quia et fecit, et docuit. Pulchrum quidem videtur Mariæ nostræ, ipsum videre operantem; dulce nihilominus ipsum audire loquentem: ut ipsius secum habeat et operationem ad imitationem, et locutionem ad consolationem atque instructionem. Sunt itaque hi tres ordines domum istam inhabitantium: ordo obedientiariorum, ordo novitiorum, ordo claustralium. Quos videlicet tres ordines isti tres gradus innuunt, quos in sancta, juxta hanc dictionem *domus* posuimus. Sunt autem adhuc duo alii ex altera ejusdem dictionis parte positi gradus: quia inter virtutes cæteras duæ sunt, quæ cunctis communi vita viventibus valde sunt necessariæ: communio videlicet possessionum, et unitas animorum. Hæ quidem duæ virtutes in primitiva Ecclesia, unde hæc cœnobitarum, de qua loquimur, vita exordium sumpsit, principaliter fuerunt. Scriptum est enim in Actibus apostolorum: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (*Act.* IV, 32). Ecce cordium unitas. *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia* (*ibid.*). Ecce communio possessionum. De his etiam duabus virtutibus ipsos clericos in Regula ipsorum B. Augustinus alloquitur dicens: *Hæc sunt quæ, ut observetis, præcipimus, in monasterio constituti. Primum propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo, et sit vobis anima una, et cor unum in Deo, et non dicatis aliquid proprium; sed sint vobis omnia communia.* Itaque ad has duas virtutes denotandas, quæ inter cæteras cunctis cœnobitis valde necessariæ sunt, hos duos depinximus gradus, ut nullus eorum, qui vitam communem professi sunt, velit ab altero per discordiam dissidere, vel quidquam proprium præsumat possidere.

CXXXVII. Hæc de quarto sanctæ Ecclesiæ statu prolixe quidem; sed fortasse non inutiliter diximus. Quintus quoque ejusdem sanctæ Ecclesiæ status ad professionem pertinet anachoretarum ipsorum; quia professio propter secretam et solitariam, quam exercent, conversationem etiam interiori tabernaculi loco; qui Sancta sanctorum appellatur, non incongrue assimilatur. De Sanctis ad Sancta sanctorum pontifex summus venire consuevit; quia exstinctis prius vitiis carnis, sedatis tumultuosis motibus mentis, de perfectione vitæ cœnobialis ad secretam anachoreticæ conversationis puritatem sancti jam dudum Patres pertingere solebant. Quæ nimirum secreta, et solitaria anachoretarum conversatio quid aliud, quam thalamus quidam potest appellari! Juxta hanc vero dictionem, videlicet *thalamus*, tres gradus positi sunt ad triplicem quamdam solitudinem innuendam, quæ anachoretis valde necessaria est: solitudinem videlicet loci, solitudinem negotii, solitudinem animi. Prima solitudo hominum fugit multitudinem; secunda, terrenorum declinat sollicitudinem; tertia vero cordis devitat evagationem. Prima etiam tumultuosam expellit curiositatem; secunda mentis aufert auxietatem; tertia quoque phantasmatum irruentium fœdam exinanit vanitatem. Sunt itaque hi quinque sanctæ Ecclesiæ, quæ post ascensionem Domini ad fidem vocata est, status; qui per hæc quinque picturæ nostræ spatia hoc modo designari possunt. Primus status fuit in persecutione martyrum, secundus in conversione principum, tertius in multiplicatione Christianorum, quartus in commnnione cœnobitarum, quintus in singularitate anachoretarum. Et primus quasi ager, fuit secundus ut hortus, tertius velut atrium, quartus sicut domus, quintus tanquam thalamus. In agro bonæ simul et malæ herbæ fuerunt, in horto herbæ electæ, in atrio familiares et amici in domo parentes et cognati, in thalamo

Digitized by Google

415 Sponsus, et sponsa. In agro arantes et seminantes, in horto plantantes et rigantes, in atrio immolantes et abluentes, in domo comedentes et bibentes; in thalamo Deus et anima, quasi Sponsus et sponsa complectentes, et simul sese osculantes.

Hæc igitur sunt, quæ de quinquepartita divisione, quæ ad vetus et materiale illud tabernaculum pertinebat : et de quinque picturæ nostræ spatiis coram vestra charitate diximus. Hæc etiam sunt, quæ de statu et multiformi sanctæ Ecclesiæ ornatu in hac A secunda libri nostri parte, quoad brevius potuimus, allegorice in hac pictura nostra, sicut jussistis, demonstravimus. Quæ si rata esse judicaveritis, non plumbeæ, quæso, fistulæ attribuatis, quod vini vobis ipsa poculum ministravit; sed ei potius, qui potu eam, quem propinaret implevit. De quo mirum non est, si ad laudem suam, sua etiam per linguam nostram verba formet, qui quondam ut hominis et vesana insipientia et insipiens corriperetur vesania, etiam ruditus asininos in verba mutavit humana.

PARS TERTIA.

TABERNACULO ANIMI, QUOD EST IN INTERNA COGITATIONE.

CAPUT PRIMUM.

De difficultate tertiæ partis tractandæ.

CXXXVIII. Quia vestra, Pater venerande, celsitudo evidenter agnoscit quod, sicut in significatione allegorica visibile illud tabernaculum Moysi, de quo multa jam dicta sunt, universalem electorum Ecclesiam designat; ita nihilominus idem tabernaculum in intellectu morali secretum exprimit mentis : parvitati meæ adhuc injungitis, ut sicut ex parte ostendi quomodo hæc, quæ coram oculo depicta sunt corporali, in allegoria ad universos sanctæ Ecclesiæ spectent filios, propter fidem communem, sic etiam ostendam quomodo et in tropologia ad singulos pertineant, secundum internam cordis puritatem. Laboriosum opus, et mihi, fateor, non solum difficile; sed pene impossibile : cum mores C discutere magis ad experientiæ pertineat gustum, quam ad scientiæ olfactum. Veruntamen injustum omnino censeo, ut, in quantum ipse mihi, sine quo possumus nihil, vires ministraverit, his, super quibus me vestra præceptio compellit, desit obauditio mea. Quæ nimirum præceptio vestra tam justa est, ut eam merito exaudire debeam; tam sincera, ut velim; si tamen vestra oratio impetraverit, ut, quod volens debeo, et debens volo, etiam explere efficaciter possim. Igitur sicut quædam, quæ de tabernaculo recitavimus, ad communem electorum Ecclesiam pertinere demonstravimus : ita quoque quomodo ad unumquemque nostrum quædam ex his pertinent, prout possumus, demonstremus; ut, D quemadmodum in nobis per fidem rectam clarificatus est intellectus, et sic per cogitationem devotam in nobis excitetur et accendatur affectus.

CAPUT II.

Quare in Ægypto populus Israel non ædificavit tabernaculum; et de tribus metallis, quæ ad idem tabernaculum pertinebant.

CXXXIX. Diximus in exordio libri hujus, quia antiquus ille Dei populus quandiu in Ægypto fuit, nunquam Deo tabernaculum construxit; sed ut aliquando hoc posset, cum omnipotens Deus de Ægypto B eduxit. Nec solum eduxit eum de Ægypto; sed etiam locavit in deserto, ut sic demum Dei sui tabernaculo ædificando **416** insisteret. De Ægypto exeunt, qui sæculo cum omnibus pompis sæcularibus renuntiant. Submersis vero Ægyptiis desertum intrant, qui pristinis suis, in aquis compunctionis, vitiis exstinctis, per novæ vitæ electionem, duram, et asperam conversationem sumpserunt. Tabernaculum vero construunt, qui omni terrenorum corruptione post posita, omni prorsus sollicitudine omissa, omni etiam perturbatione sedata, omnibus denique, quæ mundi hujus sunt, contemptis et oblivioni traditis, per stabilem mundarum cogitationum identitatem, per defæcatam sancti desiderii affectionem spirituali suæ quieti insistunt. Quondam vero in Ægypto manserunt : quia fuerunt, ut Apostolus ait aliquando tenebræ (*Ephes.* v, 8), et Ægyptus *tenebræ* interpretatur. Ibi fuerunt servi, ibi ligati, ibi etiam inquieti. Servi, quia, juxta veritatis vocem, omnis *qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* viii, 34). Ligati; quia, ut legitur, *Peccatorum suorum funibus constringitur peccator* (*Prov.* v, 22). Inquieti; quia tumultuosis Ægyptiorum conventiculis associati, veræ funditus expertes erant quietis : *Commisti inter gentes didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum* (*Psal.* xxxv, 36). Sed jam, miserante Deo, *qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum* (*I Petr.* ii, 9), de servis effecti sunt liberi, de ligatis soluti, quieti de inquietis. Certe in unoquoque nostrum dimisit Dominus onagrum liberum, vincula ejus solvens, et dans ei in solitudine domum (*Job* xxxix, 5, 6). Onager iste qui asinus agrestis dicitur, eos designat, quos Dominus liberos dimisit, quando eos de servitute Pharaonis eripuit. Horum vero solitudo quadripartita est. Prima est a peccato, secunda a negotio, tertia a consortio, quarta a mysterio. Prima est solitudo boni, secunda animi, tertia loci, quarta sponsi. In prima sumus purificati, in secunda ornati, in tertia sublimati, in quarta beati effecti. In prima

Digitized by Google

purificati a vitiis; in secunda ornati virtutibus; in tertia sublimati divinis charismatibus; in quarta beati effecti suavissimis et secretissimis interni Sponsi amplexibus. Istæ sunt solitudines, de quibus Isaias : *Exsultent*, inquit, *solitudines Jordanis* (*Isa.* xxxv, 1). Merito exsultare dicuntur, quia omnes qui eas habent exsultantes efficiuntur. Vere in his solitudinibus exsultare debemus : quia per primam reparatio confertur naturæ; per secundam decor nobis præbetur justitiæ; per tertiam acquiritur celsitudo gratiæ; per quartam lætitia conceditur internæ gloriæ. Prima naturalem excludit infirmitatem; secunda animæ disrumpit iniquitatem; tertia pœnam omnimodam et vanitatem; quarta ad plenam provehit felicitatem. Hæc est quadripartita solitudo, in qua ille de Ægypto exeuntibus domum dedit, qui eos et liberos dimisit, et eorum vincula solvit. Et quæ est hæc libertas, quam eis contulit? Certe liberavit eos a vanitate, liberavit a curiositate, liberavit a voluptate, liberavit a calamitate. Liberavit, inquam, eos a vanitate spiritualis superbiæ, a curiositate mundialis lætitiæ, a voluptate carnalis concupiscentiæ; liberabit etiam postmodum a calamitate infernalis pœnæ : a vanitate, quæ eos excæcavit; a curiositate, quæ eos a se alienavit; a voluptate, quæ eos fœdavit; a calamitate, quæ reprobos in æternum cruciabit. Sic eos liberavit, ut et in hac vita sint liberi, et in alia : in hac a culpa, in alia a pœna. Omnis enim, *qui facit peccatum, sicut hic servus est peccati* (*Joan.* viii, 34), sic et in futuro servus erit supplicii.

CXL. *Sed et vincula ejus dissolvit* (*Job* xxxix, 5). Quæ vincula? Sicut quatuor sunt solitudines, et quatuor libertates, quas contulit : sic etiam quatuor sunt genera vinculorum. Sunt enim quædam vincula, quibus communiter in hac vita omnes ligamur, a quibus etiam ante ipsam mortem non dissolvimur; corruptiones videlicet mortalitatis nostræ. His vinculis egregius Prædicator se ligatum gemebat, dicens : Cupio *dissolvi, et esse cum Christo* (*Phil.* i, 23). Dissolvi non cuperet, nisi ligatum se videret : *Infelix*, inquit, *ego homo : quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* vii, 24.) Vinculum igitur quo ligatus exstitit, corpus mortis fuit. Sunt et alia vincula, quæ proprie ad peccatores pertinent, qui quidem tot vinculis ligantur, quot peccatorum ponderibus onerantur. De his vinculis Psalmista ait : *Funes peccatorum circumplexi sunt me* (*Psal.* cxviii, 61). Sunt vero quædam vincula, quæ ad solos pertinent bonos; vincula scilicet amoris et dilectionis, de quibus per Oseam Dominus dicit : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis* (*Osee* xi, 4). Sunt alia adhuc vincula, quibus in pœnis ligantur damnati : quibus et ligari jubetur, qui non habens vestem nuptialem, inter discumbentes a rege invenitur : *Ligatis*, inquit, *manibus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores* (*Matth.* xxii, 13). Prima itaque vincula sunt necessitatis; secunda iniquitatis; tertia charitatis; quarta calamitatis.

A Prima communiter pertinent ad universos; secunda, ad iniquos; tertia, ad justos; quarta, ad damnatos. Prima ligant omnes filios Adam in hac mortalis corporis corruptione; secunda filios peccati in iniquitatis perpetratione; tertia filios Dei in ejus dilectione; quarta filios perditionis in gehennali afflictione. Prima in nobis vincula Dominus solvet; quando absorpta morte in victoria, corruptibile nostrum induet incorruptionem, et mortale nostrum induet immortalitatem (*I Cor.* liii, 54); secunda vero in nobis solvit, quando nos et a peccato liberavit, et sibi servos effecit : sed nec a tertiis absolvi, nec a quartis permittit nos ligari. Hoc igitur modo effecti sumus, miserante Deo, et de servis liberi, et de ligatis soluti, et de inquietis quieti. Ha- B bemus itaque quietem. Ubi habemus? Certe non est quies vera, nisi in solitudine; quia, qui in tumultu est, quiescere nullatenus potest. Sed nos elongavimus fugientes; et ecce manemus in solitudine (*Psal.* liv, 8). In qua nimirum quadripartita nostra solitudine, domum nobis Dominus dedit. In hac solitudine cordis datur tranquillitas, animi serenitas, conscientiæ puritas, internæ lucis cernitur claritas, contemplationis apprehenditur sublimitas, Sponsi prælibatur felicitas. In hac solitudine ille, qui nos liberos dimisit, qui nostra vincula solvit, et domum nobis dedit, ut in ea Deo Jacob construamus tabernaculum : id est, in hac interna mentis quiete nostrum cum Deo ædificemus secretum. O libertas! o solutio! o solitudo!

C CXLI. Igitur tabernaculum tuum, mi frater charissime, tranquillum et pacificum cordis tui secretum est, in quo tecum et intra te debes commorari. Sed ad illud materiale tabernaculum Moysi tria metalla pertinebant : aurum, argentum et æs. Similiter et in te, qui Spiritus sancti tabernaculum esse debes, hæc tria metalla spiritualiter sint. Aurum ad serenitatem pertinet cordis; argentum, ad puritatem oris; æs, ad fortitudinem operis. Aurum itaque in te sit, ut claritatem habeas in interna cogitatione; argentum, ut in bona locutione; æs, ut robur in utili actione. Hinc Psalmista virum illum, *Qui in lege* Domini *die ac nocte* meditatur, ligno *secus decursus aquarum* plantato assimilat, *quod fructum* D *suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet, et omnia quæcunque faciet, prosperabuntur* (*Psal.* i, 3). Lignum namque hoc virum quemlibet religiosum designat. Decursus aquarum instabilitates sunt sæcularium, secus quos decursus plantatur hoc lignum; quia in medio nationis pravæ et perversæ lucent viri sancti, quasi luminaria in mundo. Quod videlicet lignum fructum in tempore suo dabit, quia mundas in corde cogitationes conservat. Folium ejus non defluet; quia criminalem linguæ lapsum devitans et a se prorsus per censuram silentii excludens, per verba noxia et inania dispergi et defluere refugit. Omnia vero quæcunque facit, prosperabuntur : quoniam via regia incedens et in cunctis prospere agens, a recto operis tramite, nec

Digitized by Google

a dextris prosperis elatus, nec a sinistris adversitatibus fractus, utraque manu utens pro dextera, cujus sicut tenebræ, ita et lumen declinat. Est itaque in corde mundus, in ore purus, in opere fecundus. Ecce trium dierum iter quo de Ægypto in desertum exeunt Israelitæ (*Exod.* III, 18) : videlicet munditia mentis, puritas oris, perfectio operis. O quale, quantumque lignum ! Beatus erat Samuel, qui fructum quidem dedit ; quia *crevit et Dominus erat cum eo* (*I Reg.* III, 19, 20). Folium ejus non defluxit ; quia *non cecidit ex omnibus verbis ejus in terra* (*ibid.*). Omnia quæcunque fecit, prosperabantur, cujus conversationis in tantum fama pererebuit, ut *cognoscerent* omnes, *a Dan usque ad Bersabee, quoa fidelis Samuel propheta esset Domini*. Quod ergo in Psalmo fructus ligni in tempore datus, hoc in tabernaculo morali significat aurum : et quod ibi folium non defluens, hoc hic argentum : et quod ibi prosperitas actuum, hoc hic æs accipitur.

CAPUT III.

De tabulis et basibus moraliter expositis.

CXLII. Considera post hæc, quia tabernaculum tuum ex tabulis fieri debet de lignis setim : ut intelligas debere et te habere mundas cogitationes, et fortes, quia ligna setim fortia et imputribilia sunt. Imputribilis itaque, et fortis sit cogitatio tua : imputribilis per munditiam puritatis, fortis per robur stabilitatis ; ne aliquid immundum in mente tua versetur, imputribilis ; ne per multa vageris animo, fortis sit. Sed quid sibi vult hoc, quod et interius, et **418** exterius tabernaculum deauratum erat ? Deauratum sit tabernaculum tuum intus ; deauratum sit et foris. Intus, propter puritatem cogitationis ; foris propter utilitatem operationis. Intus, ut sancta mediteris ; foris, ut utilia opereris. Intus, ut in corde placeas Deo ; foris, ut in opere prosis proximo. Intus ad contemplationem sanctificationis ; foris ad imitationem actionis. Intus denique ad conscientiam ; foris ad famam ; quia juxta Psalmistæ vocem : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* x, 6), licet bona de eo inter homines habeatur opinio ; et ut quidam sanctus ait : *Qui famam suam negligit, crudelis est* ; licet quantum ad se bene vivat coram Deo. Hæc ille. Itaque perfectus non est, qui cum male in occulto vivat, falsa bona de se prædicari gloriatur in publico, vel suam inter homines æstimationem habet pro nihilo, quamvis bene vivat in occulto. Ideo intus tabernaculum tuum deauratum sit, ut *luceat lux tua*. Nec solum intus deauratum sit ; sed etiam foris : ut *luceat* eadem *lux* non tantum coram te, sed etiam *coram hominibus, ut videant opera tua bona, et glorificent* non quidem te, sed *Patrem tuum, qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16). Tabulæ vero turæ basibus innitantur. Tabulæ tabernaculi tui sunt cogitationes cordis tui : bases vero intentiones. Tabulæ itaque tuæ sint deauratæ, cogitationes tuæ sint mundæ. Bases quoque argenteæ, intentiones rectæ. Nihil in cogitatione habeas pollutum, nihil in intentione simulatum. Utrumque odit Deus in tabernaculo suo, in corde tuo ; maculam, et rugam. Maculam habet cor tuum, si maculatum est ; rugam habet, si rugosum est. Tabulas igitur in tabernaculo tuo deauratas habes, si bonum aliquid in corde agere proponis. Bases vero argenteas, si per hoc solius omnium inspectoris oculis placere concupiscis, et non propter hoc laudem ab hominibus quæris. Sub talibus deauratis bases non argenteas, sed plumbeas habent, qui bona quidem in animo agenda tractant, sed favorem per hoc popularem affectant. Argentum namque in igne clarius fit ; plumbum vero liquescit et deficit : quia nimirum quando hi, qui Deo per bonum placere appetunt propositum, corripiuntur, bonitatis eorum claritas crescit ; quando vero hos, qui hominibus placere cupiunt, ab eodem forte ore ventus detractionis pulsat, a quo prius ad eos aura favoris venire solebat, et intentionis eorum falsitas per quæsitæ laudis defectum se ostentat, tuncque quod bases eorum non argenteæ, sed plumbeæ erant, apparet. Idcirco sint tabulæ tuæ deauratæ, sint et bases argenteæ, ut pariter habeas et bonum propositum in cogitatione, et rectitudinem in intentione ; ne peccatum incurras, quamvis recta in te præcesserit oblatio, dum recta non fuerit subsecuta divisio. Igitur et tabulæ deauratæ cogitationes mundas, et bases argenteæ intentiones significant rectas.

CXLIII. Idcirco in ipsis tabulis per circuitum trium parietum a prima tabula parietis australis, usque ad primam tabulam parietis septentrionalis hujus versum scribo, singulis syllabis in singulis tabulis positis : *Hæ tabulæ tabernaculi de lignis setim factæ, et undique deauratæ, animi sunt, et a malo prorsus mundæ, et in bono fortes cogitationes.* Et ad exordium hujus versus in prima tabula tres gradus facio ; quia ut puræ et fortes sint animi nostri cogitationes, oportet ut habere conemur et in memoria stabilitatem, et in ratione claritatem, et in voluntate munditiam. Mens namque nostra per stabilitatem memoriæ debet roborari, et per claritatem rationis illuminari, et per munditiam voluntatis purificari. Roborari, ne inordinate defluat ; illuminari, ne ignoranter caliget ; purificari, ne eam macula ulla obfuscet. Caveat itaque memoria nostra a se esse dispersa ; devitet ratio esse cæca ; studeat voluntas esse munda, et erunt cogitationes cordis nostri et mundæ a malo, et fortes in bono. In ipsis autem basibus argenteis, quæ tabulis in pictura supponuntur, per circuitum a prima basi, quæ sub prima tabula parietis australis est, usque ad primam basim primæ tabulæ parietis septentrionalis supposita, iste scriptus est versus singulis litteris in singulis basibus descriptus : *Bases argenteæ, quibus deauratæ tabulæ imponuntur, rectæ sunt intentiones, quibus mundæ cogitationes innituntur.* Et iste nimirum versus distinctionem in pictura non habet ; quia intentio nostra uniformis debet esse et simplex. In omnibus namque motibus nostris tam interius quam exterius hoc solum intendere debemus, ut soli Deo placeamus.

Digitized by Google

419 CAPUT IV.

De vectibus, et annulis, et de iconibus, quæ in tabulis et basibus positæ sunt.

CXLIV. Alta sunt hæc, profunda sunt hæc, et valde difficilia, et paucissimis possibilia. Ad perfectos namque pertinet tales cogitationes habere, et in ipsis cogitationibus tales intentiones. Et ideo habe post hæc in tabernaculo tuo vectes et annulos; vectes, inquam, laminis aureis coopertos, et annulos aureos, quibus iidem vectes immittantur. Vectes hi, qui de lignis quidem setim facti, sed laminis aureis vestiti sunt, fortia et clara sunt exempla Patrum præcedentium; et annuli aurei perpetuam claritatem, et claram perpetuitatem præmiorum eorumdem sanctorum Patrum designant. In vectibus itaque ipsorum vides conversationem, et in annulis remunerationem. In vectibus meritum, in annulis præmium. In vectibus denique ipsorum laborem temporalem, in annulis coronas eorumdem perennes. Idcirco in vectibus fines videntur; in annulis vero nullus valet finis videri: quia sanctorum afflictiones terminos habent; præmia vero sine fine durabunt. Hinc est, quod omnem, quem tolerant, laborem pro parvo habeant, dum quam magnum erit quod habebunt præmium pensant. Videte quam pro modico B. Paulus suos, suorumque concivium labores pensabat, qui dicebat: *Id quod in præsenti est momentaneum, et leve pondus tribulationis nostræ* (*II Cor.* IV, 17). Pro modico tribulationem suam habuit, quam non solum levem, sed et momentaneam vocavit. Sed videte quam magnum præmium deputabat: ait enim: *Supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (*ibid.*). Vere magnum illud fore prævidebat, quod supra modum sublime, æternum, gloriosum, et ponderosum sentiebat. De utrisque vero, vectibus scilicet et annulis, loquens: *Non sunt*, inquit, *condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Ac si aliis verbis diceret: Etsi ponderosi sint hi vectes quos portamus, ideo tamen tolerabiles nobis sunt et leves: quia de annulorum claritate, qua in fine sine fine decorabimur, assidue cogitamus. Sed quid sibi vult hoc, quod in capite unius vectis caput alterius intrabat, ut quasi unus vectis per circuitum trium parietum esse videretur, nisi quod in se virtutes viri sancti virtutibus conjungunt, ut unam in se et firmam sanctitatem, et sanctam firmitatem continere queant? Hinc Psalmista: *Ibunt*, inquit, *sancti de virtute in virtutem* (*Psal.* LXXXVII, 8). Ac si diceret: Ut firmiter tabernaculum stet, vectes vectibus conjunguntur. Subdit vero et de annulis quibus iidem vectes immittuntur: *Videbitur Deus deorum in Sion* (*ibid.*). Petrus etiam apostolus in morali tabernaculo vectes vectibus admonet esse jungendos, ita dicens: ***Ministrate in fide vestra virtutem; in virtute autem, scientiam; in scientia, abstinentiam; in abstinentia, pietatem; in pietate autem, fraternitatis amorem; in amore autem fraternitatis, charitatem*** (*I Petr.* I, 5, 6, 7). A fide incipit, et usque ad charitatem pervenit; quia spiritualis nostri tabernaculi fundamentum quidem fides est, spes fabricam erigit; sed charitas ædificium perficit. Hos quoque vectes in tuis tabulis ponis, quando ex jugi inspectione conversationis Patrum præcedentium bonam in te voluntatem excitas et erigis, accendis et acuis, ut leve etiam tibi deputes ad perpetrandum, quod ab eis vides perpetratum. Annulos vero in eisdem tabulis figis, si æterna Patrum prædictorum præmia et per contemplationem consideras, et per affectum desideras: ut eis te confidas et cupias in præmio assoeiari, quorum te vides vestigia imitari. Vectes itaque in tabulis tuis ponis, ut roboreris in labore; annulos vero, ut animeris in spe. Vectes, ut scias quam bene tibi vivendum sit; annulos, ut scias quare tibi bene vivendum sit. Vectes itaque annulis immissi fortes sunt sanctorum conversationes æternitate supernæ patriæ claræ et claritate æterna remuneratæ. Qui nimirum vectes et annuli in tuo etiam tabernaculo sunt, quando eorum et conversationes exerces per effectum, et remunerationes desideras per affectum.

CXLV. Idcirco in eisdem vectibus per circuitum trium parietum a primo vecte parietis australis, usque ad primum septentrionalis scribo hunc versum, in singulis vectibus ponens singulas dictiones. ***Vectes auro cooperti tabulas roborantes, fortia atque munda sunt exempla virorum sanctorum mentes nostras confirmantia.*** Qui versus in prima tabula supra primam litteram tres gradus habet: quia tria sunt, ad quæ nos sanctorum exempla trahunt. Primum est, ut malum deseramus; secundum, ut bonum exerceamus; tertium, ut in bono quod exercemus etiam perseverare studeamus. Ut simus videlicet mundati, ornati, confirmati. Mundati **420** in relictione vitiorum; ornati in perpetratione virtutum; confirmati, dum in bonis quæ agimus usque in finem perseveramus. Et hæc causa est, ob quam, sicut longe superius dixi, non extra, sed intra tabernaculum hos vectes posui; quia cum parietes non sursum sint erecti, sed in imo potius, in ipso plano picturæ jaceant substrati, nullo modo corporali duntaxat oculo viderentur; nec tam evidenter eorum significationes intelligerentur, nisi interius depingerentur. Sub annulis quoque aureis, in quibus vectes missi sunt, per circuitum trium parietum ab illo qui in prima parietis australis tabula est, usque ad illum qui est in prima septentrionalis, hic versus habetur, singulis ejusdem versus syllabis, in singulis tabulis, scriptis: ***Hi annuli ex auro facti purissimo, quibus vectes immittuntur, clara, et sine fine mansura eis pro vita sancta data sunt præmia beatorum.*** Et hic versus in prima tabula juxta primam litteram tribus gradibus distinguitur; quia tria sunt quæ electis in futura vita dabuntur. potentia videlicet, sapientia, et benignitas. Tunc namque potentes erunt, sapientes et amantes. Potentes in semetipsis; sapientes in Deo; amantes in invicem. Ibi eorum esse non habebit mortem, nec nosse errorem, nec amare offensionem. Habebunt

Digitized by Google

etenim robur potentiæ a summa potentia, Patre; claritatem sapientiæ a vera sapientia, Filio; suavitatem amoris a dulci charitate, Spiritu sancto; ut hoc modo sit Deus omnia in omnibus. Idem vero nobis in significatione duntaxat morali innuere icones videntur, quæ per circuitum trium parietum et in basibus, et in tabularum summitatibus positæ sunt, quod innuunt prædicti vectes, qui per medias tabulas immittuntur. Nam quia in tabernaculo Ecclesiæ et bases viros religiosos, qui ab exordio mundi usque ad incarnationem Christi in utroque sexu in mundo fuerunt; et tabulæ sanctos, qui a Christi adventu usque ad finem sæculi in utroque similiter sexu in Ecclesia sunt, secundum sensum allegoricum designant : tunc nimirum tabernaculo tuo et tabulas erigis, et bases supponis, si utriusque temporis sanctos diligenti et jugi inspectione circuis et perambulas, eorum tibi et verba ad doctrinam, et opera ad imitationem assidue repræsentans. Circui ergo et immola in tabernaculo Domini *hostiam vociferationis :* canta et *psalmum* dic *Domino* (*Psal.* XXVI, 6). Canta per mundam cogitationem, psalmum dic per bonam actionem. Omnesque sanctos, qui et ab Adam patre omnium nostrum in utroque sexu usque ad communem Dominum nostrum Jesum Christum in mundo fuerunt; et ab incarnationis ejus exordio, usque ad finem sæculi nunc sunt, mente et cogitatione percurre; et tam ea quæ dixerunt, quam ea quæ fecerunt, tibi propone; ut ex eorum verbis doctior, et factis sanctior fias, et maxime quam mundas habuerint cogitationes, quas moraliter diximus debere accipi per tabulas deauratas; quamque rectas intentiones, quas per bases argenteas, diligenter perscrutare : sicque in interiore tabernaculo tuo, et sub basibus, et in tabulis icones inscriptas habebis. Idcirco in hac pictura nostra, et in tabernaculis sanctorum Novi Testamenti, et in basibus eorum, qui in Veteri, in utroque sexu, fuere, depictæ sunt icones : ut ad acquirendam et munditiam in mentis cogitatione, quæ per tabulam accipitur deauratam; et rectitudinem in interna intentione, quæ per basim argenteam, conversationes, vitasque sanctorum utriusque temporis et agnitas habeas per claram inspectionem, et frequentatas per fructuosam imitationem. Hæc de vectibus et de annulis. Hæc etiam de iconibus, quæ in basibus et in tabularum summitatibus sunt. Hæc denique de tribus, quæ ad hoc, de quo loquimur, tabernaculum pertinebant, metallis, auro videlicet, argento et ære, moraliter dicta sufficiant.

CAPUT V.

De tribus parietibus tabernaculi. De vecte, qui est ad introitum ejus : et de quinque columnis, quæ sub eodem vecte erectæ sunt.

CXLVI. Post hæc adducit ratio inquirere, quid tres tabernaculi parietes secundum sensum moralem; quidve per vectem, qui in introitu ejus est; quid etiam per columnas eidem vecti suppositas moraliter exprimi possit. Tres hi tabernaculi parietes, tres nobis, qui in homine sunt possunt innuere motus : motum videlicet mentis, motum corporis, motum sensualitatis. Motus quidem mentis in voluntate est; motus corporis in actione; motus sensualitatis medius in delectatione. Mens namque secundum voluntatem suam se movet, et ex se, et per se movetur; quia ejus est se movere, sive bene moveatur, sive male. Bene movetur, quando ad bonum movetur, id est ad justitiam : et male, quando ad malum, id est ad culpam. Et ejus est utrumque et ad **421** bonum videlicet et ad malum moveri : quia ad volendum, sive ad nolendum nulla violentia impellitur; sed propriæ voluntatis libertate ex se, et per se graditur. Corporis vero motus motum mentis et prompte subsequitur, et efficaciter exsequitur : talisque succedit in actione, qualis ille præcedit in voluntate. Motus autem sensualitatis utrique huic prædicto motui favens, inter utrumque medius in delectatione discurrit, utrumque amplectens et in utroque sibi placens. Cum igitur hæc ita sint, australis tabernaculi paries bonum mentis exprimit motum; quia mens, ut jam dictum est, ex se quidem moveri habet; sed ut bonus esse possit, secundum se moveri non debet, sed potius secundum illum qui per Austrum accipitur, Conditorem videlicet et dispositorem suum, Spiritum sanctum, ut tunc et ad id in voluntate se moveat, quando et ad quod bonorum omnium infusorem et ordinatorem Spiritum sanctum velle cognoverit : quatenus ejus voluntati nullatenus vel superbe contraire, vel subdole eam audeat prævenire. Malum namque nunquam volens; et si malum aliquando esse volens, bonorum omnium inspirator et prosecutor Spiritus sanctus, semper quidem vult ut bonum semper et malum nunquam faciamus : nec tamen vult ut idem semper bonum faciamus; quia, sicut malum nunquam, nisi illicite potest admitti, ita et bonum aliquando licite potest omitti; in tantum, ut, cum omnia tempus habeant, suam nimirum bonitatem ipsum etiam nonnunquam bonum in aliquo omittat, si congruo tempore factum non est. Vergit itaque in tabernaculo paries iste ad austrum : quia, ut in nobis, qui Dei tabernaculum esse debemus, ordinatus sit motus mentis, necesse est ut, tam in volendo quam in nolendo, imitetur Spiritus sancti inspirationem; ut diligenter, inquam, quid ipse et quando velit vel nolit exquirat et in utroque eum obedienter sequi studeat, quatenus ejus, ut jam dictum est, voluntatem nec fraudulenter prævenire, nec arroganter ei audeat contraire. Paries vero septentrionalis, qui parieti australi in longitudine, et altitudine, et in multitudine tabularum, ornatu quoque et connexione per omnia similis est, motum exprimit corporis, qui motui mentis famulatur; quia qualis ille in nobis concipitur in voluntate, talis iste a nobis gignitur in actione. Tertius vero paries, qui utrique parieti connectitur et conjungitur, motum designat sensualitatis : qui motus duos præcedentes in delectatione complectitur.

Digitized by Google

CXLVII. Sed ut plene uterque hic paries in erectione sua stabiliatur, ad utrumque firmiter connectendum, ab uno usque in alium vectis quidam per transversum in introitu tabernaculi protenditur, ut utrumque præfatum parietem stabiliat et confirmet, quatenus neuter vel citra, vel ultra plus quam debet, vacillet; quia ut uterque hic in nobis motus esse irreprehensibilis possit, et ad mentis et ad corporis motum robur se rationis extendit, utrumque coaptans: ne vel mens per voluntatis impuritatem se sordidet, vel corpus per actionis indiscretionem sese præcipitet. Robur itaque rationis in nobis intervenit: ne vel mentis nostræ motus immundus, vel corporis sit indiscretus. Sub vecte etiam quinque sunt columnæ erectæ: et ne cadere compellantur, eidem vecti firmiter atque affabre immissæ: quia ne ad peccatum quinque corporis nostri sensus enerviter proruant rationis imperio subjici et disponi debent. Quas etiam columnas, ne exterius patentes sordibus aliquibus exterioribus commaculentur, tentorium eis appensum contegit; quia ne inordinatæ et illicitæ visibilium concupiscentiæ idem in nobis sensus intendant, et eos eorumdem visibilium contemptus claudit, ne vel columnas aspectus fœdet et commaculet vanitas, vel columnam auditus curiositas, vel columnam olfactus voluptas, vel columnam gustus edacitas, vel columnam tactus impuritas. Istæ vero columnæ, per quas in tabernaculum intratur, alibi in propheta fenestræ appellantur, quibus hoc de quo loquimur tentorium appensum non fuisse, idem propheta deflet dicens: *Mors intravit per fenestras nostras* (*Jer.* IX, 21). Ac si verbis aliis diceret: Quia columnas, quæ in tabernaculi nostri introitu sunt, tentorium non operuit, potuit per eas intrare, quod non debuit. Australis paries tabernaculi munditiam designat voluntatis; septentrionalis strenuitatem actionis; occidentalis favorem sensualitatis. Sunt itaque tres quasi in tabernaculo parietes, tres in homine motus: mentis, corporis, sensualitatis. Vectis ille, qui ad utrumque se parietem extendens, utrumque confirmat, robur est rationis, qui utrumque in nobis motum, et mentis videlicet et corporis coaptat et roborat. Quinque vero columnæ suppositæ eidem vecti et infixæ, quinque sunt corporis sensus, rationis dominio subjecti. Per tentorium autem eisdem columnis appensum, rerum extrinsecarum accipimus contemptum.

422 CAPUT VI.

De duobus partibus, in quas divisum erat tabernaculum Moysi; et quid per eas moraliter accipiendum sit.

CXLVIII. Considerandum primo hoc nobis est quia in duas erat partes vetus illud tabernaculum divisum: in unam, quæ extra velum, et in aliam, quæ intra erat; in unam, quæ Sancta, in alteram, quæ Sancta sanctorum dicebatur. Si quilibet electus et in via Dei perfectus hoc tabernaculum sit, quid aliud pars ejus exterior, nisi ejusdem viri electi atque perfecti corpus? quid pars hæc interior, nisi animam ejus designat? In parte etenim exteriori sacerdotes introibant: in introitu vero solus pontifex ingredi consuevit; quia quales in exterioribus conversationibus sumus, hominibus deforis apparet; sed quales intrinsecus apud nosmetipsos in mente latemus, soli illi summo pontifici, cui nuda est abyssus humanæ conscientiæ, patet. In parte itaque tabernaculi exteriore plures introibant: sed ad interiorem ejus partem solus pontifex accedebat: quia *homo quidem videt in facie; sed Deus intuetur cor* (*I Reg.* XVI, 7). Item, exterior hujus tabernaculi pars Sancta dicitur, interior vero Sancta sanctorum; quia cum in observantiis exterioribus electi Dei admodum sancti sint, per cœleste tamen, quo intus coram Deo flagrant, desiderium longe sunt sanctiores. *Oculi*, inquit, *tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet* (*Cant.* I, 1). Ac si Sponsæ suæ Sponsus aliis verbis diceret: In exterioribus quidem observantiis valde sancta hominibus appares, sed in internis desideriis tuis coram me in mente tua multo sanctior lates; quia in voluntatis meæ explctione magis intrinsecus comprehendis affectu, quam explere intrinsecus sufficis effectu, ita ut sanctitas tua interior, respectu exterioris, Sancta sanctorum jure possit appellari. In exteriori etiam parte Salvatoris nostri humanitas depicta est, in interiore divinitas: quia corporalibus quidem oculis ejus in hoc mundo potuit humanitas videri; sed invisibilem ipsius divinitatem spiritualibus fidei oculis oportuit credi. Hinc palpanti Thomæ dicitur: *Quia vidisti me, credidisti* (*Joan.* XX, 20). Id vidit quod palpavit; sed credidit quod ei, quem palpavit, inesse agnovit. Denique vidit hominem, credidit Deum. Quod ergo dicitur, *vidisti*, ad Salvatoris pertinet humanitatem, quæ in parte depicta est exteriori; quod vero dicitur, *credidisti*, ad ejusdem spectat divinitatem, quæ depicta est in interiori.

CXLIX. Spatium etiam, quod in parte est tabernaculi exteriore, colore induitur purpureo; quod vero in interiore, sapphirino; quia in corpore nimirum tribulationes et angustias tolerare; sed per certam spem, firmumque patriæ cœlestis desiderium nosmetipsos consolari debemus. Ait namque vas electionis Apostolus: *Etsi exterior homo noster corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem* (*II Cor.* IV, 16). Ac si diceret: Quamvis exterior tabernaculi nostri pars colore purpureo operiatur, ea tamen quæ interior est sapphirino indesinenter colore decoratur. Exterior tabernaculi pars, juxta moralem significationem, corporis exprimit sanctitatem, quæ est in facto exteriori; pars vero interior cordis innuit sanctitatem, quæ est in desiderio interiori. Corporalis vero nostra sanctitas post sex opera misericordiæ, quæ exhibenda sunt proximo, in his octo consistit: in rigore jejuniorum, in instantia vigiliarum, in manuum labore, in carnis castitate, in gravitate vultus, in parcitate affatus, in vilitate habitus, in maturitate incessus. Hæc autem octo illi octo gradus innuunt, qui in spatio exteriori depicti sunt, in utraque hinc inde parte

Digitized by Google

quatuor gradibus positis. Mentis quoque nostræ desiderium, in quo interior sanctitas consistit, triplex est : desiderium veniæ, desiderium gratiæ, desiderium gloriæ. Toto namque affectu hæc tria desiderare debemus : veniam, gratiam, gloriam : veniam peccatorum, gratiam meritorum, gloriam præmiorum. Primum perfecte habuit desiderium mulier illa de qua dicitur : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII, 47). Secundum vero desiderium habuit ille, qui dixit : *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore* (*Psal.* CXVIII, 20). Desiderio quoque tertio ardenter flagrabat egregius Prædicator, quando dicebat : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo* (*Phil.* I, 23). Et hoc triplex desiderium illi tres exprimunt gradus, qui in spatio sapphirino, quod intra velum est, a dextris ipsius imaginis positi sunt. Sunt vero in exteriori tabernaculi parte hæc tria : mensa, candelabrum et altare, ut, sicut superius de his tribus dictum est **423** vel utilem operationem, vel studiosam lectionem, vel puram semper exercemus orationem. In arca quoque, quæ in parte est interiore, hæc tria sunt : virga, tabulæ et mensa. Virga recta et florida est, et animæ nostræ designat memoriam ; in tabulis vero veritatis erat cognitio, et accipitur per eas animæ ratio ; et manna quoque cibus dulcis et sapidus puram dulcedinem et dulcem exprimit puritatem, quam habere debemus in voluntate. Memoria namque nostra esse debet munda, ratio perita, voluntas devota. Et hæc tria illi tres gradus notant, qui in septentrionali arcæ capite depicti sunt.

CAPUT VII.

Quid duæ tabernaculi partes cum his quæ in eis erant, juxta sensum tropologicum geminum hominis statum designent.

CL. Non absurdum esse arbitror, si dicamus, quod ideo divisum erat tabernaculum Moysi, quia geminus est status noster : unus in præsenti, alius in futuro ; unus in labore exsilii, alius in requie regni ; unus qui dicitur Sancta, alius, qui Sancta sanctorum ; unus in merito, alius in præmio ; unus in afflictione, alius in consolatione ; unus denique in via, alius in patria. Nunc quidem moramur in Sancta, sed necdum possumus pertingere ad Sancta sanctorum ; quia nunc quidem, ut ait apostolus Joannes, *Filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus* (*I Joan.* III, 2) : quia mortalitatis nostræ velamine cæcati, secreta illius infernæ et supernæ patriæ gaudia perspicere non valemus. Nunc, inquam, in Sancta sumus ; quia in quibusdam modo sumus sancti, sed quando pertingemus ad Sancta sanctorum, in omnibus erimus sancti. Modo quædam scimus, non omnia, quia in multis caligamus. Quædam possumus nunc, non omnia : quia in multis debilitamur. In quibusdam modo justi sumus, non in omnibus : quia in multis offendimus. Et in quibusdam temperantes sumus, non in omnibus : quia in multis excedimus. Ecce quatuor principales virtutes : prudentia, fortitudo, justitia, temperantia. Prudentia, quæ nos illuminat ; fortitudo, quæ roborat ; justitia, quæ exornat ; temperantia, quæ modificat. Ex quibus quidem virtutibus quædam modo habemus : sed multa nobis adhuc deesse videmus, quæ omnia in alia vita, quam Sancta sanctorum designant, plene habebimus. Et idcirco has quatuor virtutes non in Sancta, sed in ipsa Sancta sanctorum intra velum super ipsas columnas posui, quæ ante idem velum erectæ sunt : quia nunc quidem ex parte sumus prudentes et fortes ; ex parte justi et moderati ; sed *cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (*I Cor.* XV, 10). Tunc enim sciemus sine dubitatione, poterimus sine debilitate ; justi plene erimus, quia in nullo offendemus ; temperantes plene, quia in nullo excedemus. Hæ namque quatuor virtutes aliter in laboribus et ærumnis vitæ hujus a nobis : aliter in cœlis servantur ab angelis et animabus sanctis. Ibi namque Deo regnanti, qui præsens videtur, subditum esse, justitiæ est ; nullum bonum Deo præponere, vel æquare, prudentiæ ; Deo firmissime cohærere fortitudinis ; nullo defectu noxio delectari, temperantiæ. Hic autem quod agit justitia in subveniendis miseris, quod prudentia in cavendis insidiis, quod fortitudo in perferendis molestiis, quod temperantia in coercendis delectationibus pravis, non erit ibi, ubi nihil mali erit.

CLI. In aureis vero earumdem columnarum capitibus uno ductu per transversum scribo hæc duo verba : *Cognitio Dei.* Quia in claris mentium suarum intellectibus, quas illa capita aurea designant, plene quique electi Deum in cœlesti patria cognoscent. Ut enim ait propheta : *Non docebit quisquam proximum suum dicens : Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum, ait Dominus* (*Jer.* XXXI, 18). Ad exordium vero prioris verbi tres gradus pono : quia plenam electi sanctæ Trinitatis notitiam habebunt. Plene etenim tunc, quantum pertinet ad creaturam, scient et quid sit Patri gignere, quid Filio gigni, quid Spiritui sancto procedere ; quid denique in deitate una, et Trinitas personarum et unitas sit substantiæ. Deorsum vero in argenteis columnarum basibus per transversum scribo : *Indesinens laus Dei.* Quia omnes tunc electi Dei in hoc quasi fundamento specialiter subsistent, ut laudes hymnorum in æternum conditori decantent. Per decorem namque argenti, nitor verborum, quæ in laudes Dei sine fine proferent, debet intelligi. Et in prima basi quinque gradus pono, quia quinque sunt, pro quibus Dominum in æternum laudabimus : videlicet creatio nostra, redemptio, liberatio, protectio, beneficium quod nobis impendit. Creavit namque nos, redemit, liberavit, protegit et benefacit nobis. **424** Creavit non existentes, redemit perditos, liberavit captivos, protegit infirmos, benefacit indignis. Creavit, inquam, nos in divinitate, redemit in humanitate, liberavit a captivitate, protegit in præsenti infirmitate, benefacit in æterna felicitate. Ipse enim Creator no-

Digitized by Google

ster est, Redemptor, liberator, protector, et benefactor. Creationi ejus debemus quod sumus; redemptioni, quod reparati sumus; liberationi, quod vocati sumus; protectioni, quod justificati; beneficio, quod magnificati. Hæ sunt misericordiæ Dei, quas in æternum cantabimus, annuntiantes veritatem ejus in ore nostro. De quibus videlicet quinque plana ut arbitror et sufficiens in libro, quem nuper composuimus, cujus est titulus *De dulcedine Dei*, habetur eruditio. In ipso etiam velo hic quatuor columnis appenso per transversum hæc verba scribo : *Cœlum ineffabili pulchritudine ornatum*. Ut enim Venerabilis Beda sensit, hoc velum cœlum designat. Dicit namque de eo : *Quod autem idem velum de hyacintho et purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta pulchra varietate contextum est, quis non videat etiam juxta litteram pulchritudini cœlestis congruere visionis?* Et addit : *Si enim decorem*, inquit, *flammasque astrorum, si multifariam nubium speciem, si ipsam irim consideras mille trahentem, adverso sole, colores; nonne videris tibi multo plures, et pulchriores, quam velo tabernaculi intextæ sunt, inditas cœlo colorum notare picturas?* Et hæc de columnis quatuor, quæ intra velum sunt; hæc etiam de capitibus earum aureis et basibus argenteis; hæc de velo eisdem columnis appenso, juxta sensum anagogicum, breviter dicta sint.

CAPUT VIII.

De gemina tabernaculi divisione; et quid ea quæ in Sancta erant juxta intellectum moralem: quid etiam ea, quæ in Sancta sanctorum erat juxta sensum anagogicum designent.

CLII. Dictum est jam quia gemina tabernaculi divisio geminum nostrum statum designat : unum, quo sumus in præsenti; alium, quo erimus in futuro. Unus Sancta, alius Sancta sanctorum appellatur. Ille in quo sumus nunc Sancta vocatur : ille vero ad quem suspiramus, Sancta sanctorum. Nunc itaque in Sancta manemus, tunc perveniemus ad Sancta sanctorum. Nunc autem in Sancta habemus mensam lectionis, candelabrum contemplationis, altare orationis. Et lectio quidem nos illuminat, contemplatio purificat, oratio inflammat. Illuminat, inquam, nos studium sacræ lectionis, ne a via Dei aberremus; purificat nos serenitas internæ contemplationis, ne per instabilitates fluctuantium cogitationum inanescamus; inflammat nos instantia devotæ orationis, ne ab amore Dei frigescamus. Si ergo in lege Domini mediteris die ac nocte; si sacram Scripturam nobis proponentem, et in historia exemplorum sanctitatem, et in allegoria recta fidei credulitatem, et in anagogia supernorum gaudiorum felicitatem in mente jugiter retineas : mensam nimirum deauratam quatuor pedibus nitentem in tabernaculo tuo habes. Si autem ipsius Redemptoris nostri conversationem sanctam et passionem duram; si ordinem prædicatorum, si obedientiam auditorum, si rectitudinem bene operantium, si denique immarcessibile illius sempiternæ virtutis, ad quam suspiramus, patriæ gaudium per contemplationis puritatem sedulo apud te in mente pertractes : candelabrum profecto et ex auro purissimo factum et ductile, et in eodem candelabro scyphos, sphærulas et lilia posita in sancta tua habes. Ad extremum vero si sine intermissione oraveris, *si puras manus sine ira et disceptatione* indesinenter *levaveris* (*I Tim.* II, 8) : altare nimirum thymiamatis deauratum in te construxisti. Fac ergo in te hanc mensam, candelabrum et altare. Mensam habes, si per studium sacræ lectionis in mente illuminaris; si per assiduitatem bonæ operationis, in corpore ornaris : quia mensa, et sacram Scripturam, et bonam, ut superius dictum est, exprimit actionem. Candelabrum habes, si per serenitatem internæ contemplationis purificaris. Altare thymiamatis, si per instantiam devotæ orationis in amore Dei inflammaris. Illuminet itaque te sancta lectio contra ignorantiæ obscuritatem; exornet et bona actio contra eam, quæ inimica est animæ, otiositatem; purificet te interna contemplatio contra irruentium phantasmatum inanitatem; incendat te oratio contra Aquilonaris algoris torporem. Hæc itaque sunt, quæ in isto, in quo nunc statu es, id est in Sancta, jugiter exercere debes : studium videlicet sacræ lectionis, assiduitas bonæ actionis, lumen internæ contemplationis, devotio puræ orationis.

425 CLIII. De his Sanctis venies ad Sancta sanctorum, quia per sanctitatem meritorum ad felicitatem pertinges præmiorum. Semel in anno summus pontifex sacris indutus vestibus Sancta sanctorum ingredi consuevit; et tu cum corona anni divinæ benignitatis, cui benedixit Dominus (*Psal.* LXIV, 12), quem et placabilem prædicavit, spirituali quodam et invisibili coram eo pontificatu functus, varietate bonorum operum, quasi specie pulchrarum vestium decoratus, ad gaudia cœlestia semel intrabis, quia, ut Apostolus ait, *mori statutum est hominibus semel, post hoc autem judicium* (*Hebr.* IX, 27). In Sancta sanctorum videbis arcam; quia tibi Dominus Jesus ostendet et manifestabit tibi seipsum (*Joan.* XVIII, 21). In qua quidem arca hæc tria sunt : virga, tabulæ, et manna. Huic arcæ imminet propitiatorium, super quod sese invicem conspicientia, mutuosque in ipsum propitiatorium vultus vertentia duo cherubin statuta sunt. Arca hæc, Mediator est Dei et hominum, Deus et homo, Christus Jesus. Arca ex lignis setim facta est, et auro undique vestita. Quid auro pretiosius? Quid divinitate Christi excellentius? setim ligna imputribilia sunt, et ex membris mundissimis, et ab omni prorsus peccati putredine alienis corpus Christi compactum est. Sanctitatis quippe non partem aliquam, sed omnem plenitudinem sua redolet non solum in Virgine conceptio, sed etiam inter homines conversatio : quia qui sine peccato conceptus est, sine peccato inter homines conversatus est. Sicut peccatum non contraxit, ita nec fecit. Verumtamen et si nullum peccatum habuit, in similitudi-

Digitized by Google

nem quoque carnis peccati venit; quia et ligna setim, ex quibus arca facta est, licet imputribilia et fortia sint, spinæ tamen similia sunt; et per spinam solet nonnunquam in Scriptura sacra peccati punctio designari. Sed arcæ huic propitiatorium superimpositum erat; quia Deum inter cæteras virtutes sua pietas maxime commendat. Unde dicitur: *Suavis Deus universis, et miserationis ejus super omnia opera ejus. Venit enim peccatores vocare ad pœnitentiam* (*Luc.* v, 32): qualis in nomine, talis existens et in opere; quia ex re vocatur Jesus, dum salvum fecit populum suum a peccatis eorum. Hanc autem suavissimam, et dulcissimam ipsius pietatem utraque concorditer prædicant Testamenta. Vetus quidem per ejus humanitatem adhuc futuram; Novum vero per eamdem jam factam, quasi duo cherubin in unum, idemque arcæ propitiatorium suos vultus vertentia, seque mutuo, atque ipsum propitiatorium prospicientia. In hac vero arca manna est, tabulæ, et virga; quia in Christo est, dulcedo clementiæ, et plenitudo sapientiæ, et æqualitas justitiæ. Sunt in arca tabulæ, quia in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi; est in ea virga, quia *omne judicium dedit Pater Filio* (*Joan.* v, 22); est et in ea manna; quia sicut superius dictum est, et sæpius dici debet, et nunquam oblivioni tradi, *Non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* (*Luc.* v, 32). Tabulæ itaque ad sapientiam, virga ad justitiam, manna pertinet ad clementiam. *Intende*, inquit, *prospere, procede, et regna: propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam* (*Psal.* XLIV, 5). Intende, o sapiens! procede, o clemens! regna, o potens! Intende, inquit, o sapiens! propter plenitudinem veritatis, quæ est in tabulis; procede, o clemens! propter suavitatem mansuetudinis, quæ est in manna; regna, o potens! propter æquitatem justitiæ, quæ est in virga. Et hæc fac specie tua, et pulchritudine tua. Pulchritudine, propter aurum; specie, propter ligna setim; qui tam pulcher es in auro divinitatis, ut in te desiderent angeli prospicere: tam speciosus in lignis imputribilibus humanitatis, ut te speciosum forma præ filiis hominum propheta David asserat, quem unxit Deus Pater oleo lætitiæ præ participibus tuis (*ibid.*, 3).

CLIV. Hanc etiam arcam quatuor annulis immissi duo portant vectes; quia utramque Christi naturam, divinam videlicet et humanam, circumcisionis et præputii prædicatores dictis quatuor evangelistarum instructi mundo nuntiant et manifestant. Hæc autem tria, quæ in hac arca, quæ Dominum nostrum Jesum Christum designat, sunt, illi tres gradus innuunt, quos in ipsa arca in inferiori ejus parte posuimus. Sunt itaque in arca hæc tria: manna mansuetudinis, virga justitiæ, tabulæ veritatis. Et justitia quidem ad reprobos, mansuetudo ad electos, veritas ad utrosque pertinet. Ideo mansuetudo ad electos; quia ad dulcedinem suæ pertinet misericordiæ quod solventur. Ideo justitia ad reprobos, quia æquitas rigidæ suæ justitiæ censet ut condemnentur. Ideo veritas ad utrosque, quia illis justitiam, istis misericordiam exhibens, utrisque se veracem ostendit, 426 dum illis pœnam, quam comminatus est, et justis gloriam, quam pollicitus est, reddet. *Et procedent*, inquit, *qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ* (*Joan.* v, 29): ecce gloria, quam electis pollicetur. *Qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii* (*ibid.*): ecce pœna, quam reprobis comminatur. Hæc est veritas, quæ in arca nostra ab æterno est, in qua immutabiliter et prædestinantur qui salvandi sunt, et præsciuntur qui dammandi sunt. Quam nimirum veritatem una cum manna mansuetudinis, quæ pertinet ad electos, et virga justitiæ, quæ ad reprobos, huic de qua loquimur arcæ tam reprobi quam electi plene videbunt inesse: quando impletum erit quod eadem in Evangelio arca et minatur, et pollicetur, dicens: *Et ibunt hi* (haud dubium quin reprobi) *in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 26). Igitur arcam illam, quæ in Sancta sanctorum præfulget et terribilem nobis exhibet virga, et amabilem manna; et veritatem manna simul commendat et virga, quia ab æterno simul, et in æternum vera est filiorum Dei electio, et filiorum perditionis reprobatio; ut nec istos salvari, nec illos contingat damnari. Sunt itaque hæc tria in arca: virga, tabulæ, manna; quæ tria tres, qui super arcam ipsam in inferiori ejus parte positi sunt, exprimunt gradus.

CAPUT IX.

De capite vermis, quod ad aquilonem contra candelabrum in Sancta depictum est: et de septem ejusdem candelabri lucernis moraliter expositis. De tabulis, virga, atque manna, quæ in arca fuerunt.

CLV. Quia vero ob causas diversarum significationum una eademque res in sacra Scriptura etiam modis pluribus, dummodo ab unitate fidei non recedatur, potest accipi, non abs re esse credimus, si etiam exteriorem tabernaculi domum, quam paulo ante ob illam quam tunc ostendimus causam sancti cujuslibet corpus exprimere diximus; nunc quoque versa vice ob causam aliam ad ejusdem viri sancti mentem juxta aliam significationem referamus. Negligenter etenim non debet præterire diligentia vestra; quia sicut interius tabernaculum, juxta sensum anagogicum, secretum, de quo breviter jam dictum est, patriæ cœlestis exprimit, sic quoque tabernaculum exterius, juxta tropologicum duntaxat intellectum, secretum potest innuere mentis. Hic namque interim requiescimus in merito, ut ibi postmodum requiescamus in præmio. Hic in sanctitate, ut ibi in felicitate. Hic denique, id est in mentis secreto, occultas hostis occulti insidias occulte suscipimus, et susceptas laboriose toleramus, toleratas prudenter deprehendimus, deprehensas fortiter superamus. Hic etiam septiformi sancti Spiritus lumine illustramur et ardore accendimur. Hic suaviter coram eo per orationes flagramus; ibi vero eum facie ad faciem videbimus. Hic denique multis modis laboramus, ut ibi feliciter coronemur. Idcirco in taber

Digitized by Google

naculo exteriori, per quod mentis designatur secretum, contra candelabrum, quod statuitur ad austrum, indecorum cujusdam horridi vermis caput in aquilone, unde omne malum panditur super omnem terram, sub ipsa mensa prominens depingo. Quod videlicet caput nigerrimam ex ore suo et naribus nebulam emittit. De contra vero in candelabro septem lucernas accendo; quia luce septiformis Spiritus, qui per austrum exprimitur, caliginosas illius frigidi aquilonis tentationes deprehendimus; ut eas superare possimus. Et hoc nobis de noxio illo virulenti hostis capite diligenter notandum est, quia triplicem ex ore suo et naribus fumum emittit; quia nimirum trina ignorantia est, qua animam solet seducere humanam. Ignorantia videlicet boni et mali; veri et falsi; commodi et incommodi. Hac triplici ignorantia in tantum reprobos obscurat, ut interius nonnunquam excæcati, et malum reputent quod bonum est; bonum, quod malum est; verum, quod falsum est; falsum, quod verum; commodum, quod incommodum est, incommodum, quod commodum. De quibus propheta intonat, dicens: *Væ qui dicunt malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras in lucem, et lucem in tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum* (*Isa.* v, 20). Lucem ponunt in tenebras, et tenebras in lucem, qui putant et falsum esse quod verum est, et verum, quod falsum. Amarum præterea ponunt in dulce, et dulce in amarum, qui et commodum pro incommodo, et incommodum pro commodo sumunt. Hæc est nebula, quam ab aquilone **427** venire propheta Ezechiel in Dei visione aspexit. *Vidi*, inquit, *et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, nubesque magna.* (*Ezech.* I, 4). Hujus etiam fumi obscuritatem ab aquilone propheta Isaias emergere videbat, quando dicebat: *Ab aquilone fumus veniet, et non est qui effugiat agmen ejus* (*Isa.* XIV, 31). Hostis namque antiquus mentes reproborum prius obscurat, abstrahens ab eis lumen veritatis, postmodum inflammat, eas perducens ad opus facinoris. Prius obscurat per caliginem, deinde inflammat per ardorem concupiscentiæ. Utrumque itaque ex ore suo et fumum tentator ille emittit, et ignem; ut pariter animam humanam et per cæcitatem obfuscet, et per cupiditatem incendat.

CLVI. Verum quia propositum nostrum fuit, potius in hac pictura nostra ostendere, quomodo hostis ille venenosus et electos in mente tentat, et tentans ab eis deprehenditur, et deprehensus vincitur, quam quomodo reprobos ex consensu superat: idcirco solum fumum, per quem tentatio exprimitur, in ore vermis depinximus. Et septem in in candelabro lucernas, quæ septem dona sancti Spiritus innuunt; quibus viri sancti hostis occulti in cordis sui tabernaculo tentationes et deprehendunt, et deprehensas devincunt, incendimus: non autem ignem, per quem concupiscentia designatur, quæ mentes reproborum exurit, in ore prædicti vermis posuimus. Præterea ad denotandum malitiæ auctorem et instigatorem, hujusmodi vermis præ multis aliis magis aptus et idoneus mihi videbatur; quia cum ipse etiam serpens, et nonnulli alii vermes bonum forte aliquid in Scriptura sacra quandoque designent, hunc nusquam recolo me in bona significatione invenisse. Igitur cum vermis iste horribilis ab aquilone veniens triplicem hunc, de quo superius dictum est, adversus nos disperserit fumum: priusquam ab eodem verme vel obscuremur, vel incendamur, in cordis nostri tabernaculo, septem australis candelabri lucernas accensas habeamus: quia septiformis Spiritus sancti et luce illustrari, et ardore nos oportet inflammari: ut versutas sæpe dicti hostis nequitias et illuminati prudenter deprehendere, et accensi fortiter superare queamus. Idcirco ad singulas candelabri lucernas unum sancti Spiritus donum scribo: ita ut *Sapientia* ad lucernam, quæ in summo est, scripta sit: et ex una ejus parte, *intellectus*, et ex altera, *consilium*. Deinde alia quatuor dona hinc, et inde: quia his tribus donis, dono scilicet sapientiæ, et intellectus, atque consilii, venenosas antiqui hostis nequitias deprehendimus; reliquis vero quatuor, videlicet dono fortitudinis, scientiæ, pietatis et timoris deprehensas superamus.

CLVII. In tabernaculo vero interiore arca est, et in arca, ut jam sæpe dictum est, hæc tria continentur; virga, tabulæ, et manna: quia in cœlo æterna Deitas regnat, in qua Deitate tres personæ coæternæ sibi, et coæquales, et consubstantiales creduntur: Pater scilicet, Filius, et Spiritus sanctus. Et quia in virga notatur potentia, non incongrue per virgam accipitur Pater. Quia autem in tabulis scientiæ plenitudo erat, apte quoque per easdem tabulas intelligitur Filius. Quia vero cibus dulcis et sapidus manna fuisse dicitur, jure per manna exprimitur Spiritus sanctus. Quia et potentia Patri, et sapientia Filio, et benignitas assignatur Spiritui sancto, quæ tamen tria unum sunt in Deo substantialiter, quamvis personaliter distincta sint: hæc itaque tria, virga, tabulæ, et manna in Sancta sanctorum, quæ cœlum designant, erant; quia *tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, et Verbum, et Spiritus sanctus* (*I Joan.* v, 7). Quæ tria illi tres gradus innuunt, qui in superiore arcæ parte sub ipso propitiatorio depicti sunt. Sunt itaque novem in hac, de qua loquimur, arca positi gradus. Tres in parte ejus septentrionali, et tres in parte ejus inferiore; tres vero in superiore. Et ut aliqua ex his, quæ superius latius dicta sunt, breviter repetamus, illi tres gradus, qui in parte arcæ septentrionali positi sunt, illa juxta sensum moralem exprimunt tria, quæ in anima sunt humana: memoriam videlicet, quam designat virga; rationem, quam tabulæ; voluntatem, quam manna. Qui vero in inferiori ejus parte sunt, tria nobis innuunt, quæ sunt in Christo: æquitatem scilicet justitiæ, quæ accipitur in virga; plenitudinem scientiæ, quæ in tabulis; dulcedinem clementiæ,

Digitized by Google

quæ in manna. Per illos quoque tres, qui in parte eius superiore sunt, tres illas personas, quæ in una Deitate creduntur, et adorantur, accipimus: primo Patrem, cujus potentiam æstimamus posse designari per virgam; Filium, cujus sapientiam per tabulas; Spiritum sanctum, cujus dulcedinem per manna.

428 CAPUT X.

De altari thymiamatis, et de his quæ ad idem altare pertinent, picturis.

CLVIII. Restat nunc quoque, ut de altari thymiamatis aliquid tropologice loquamur: ut nihil ex his, quæ intra ipsum tabernaculum sunt, sive quæ in Sancta sanctorum prætermisisse videamur. Hoc autem altare extra velum in Sancta stabat; per quod nimirum nihil aliud juxta sensum moralem, nisi mens munda et divini amoris igne succensa debet intelligi: in qua nimirum orationes nostras, quasi quædam boni et suavis odoris thymiamata, in altari deaurato, Deo offerimus. Idcirco in pictura nostra, ante altare thymiamatis, extra velum, pontificem quemdam veste pontificali indutum et incensum, in eodem altari cum thuribulo aureo offerentem depingo, ut nos, qui regale sacerdotium sumus, suave Deo orationis incensum in ara mentis offerre studeamus. Sed omni nobis sollicitudine providendum est, ut tales, auxiliante Deo, ante tempus orationis nos præparemus, quales in ipso orationis tempore ante Deum, quem oramus, nos inveniri desideramus. Indesinenter nobis namque cogitandum est; quia juxta Psalmistæ sententiam, *Iniquitatem si aspeximus in corde nostro, non exaudiet Dominus* (*Psal.* LXV, 18). Unde quia ipse iniquitatem non aspexit in corde suo: *Propterea*, inquit, *exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meæ* (*ibid.*, 19). Idcirco necesse est ut ab omni cor nostrum phantasmatum inanitate, quantum Deo donante possumus, ante ipsum orationis nostræ tempus expurgemus; quatenus liberam in oratione mentis faciem possimus erigere, ut juxta quod in Regula nostra admonet Augustinus: *Psalmis et hymnis cum oramus Deum, hoc versemus in corde quod proferimus in ore.* Quidam etenim, quando orationi insistere debent, terrenorum in mente negotiorum strepitus, et tumultus indesinenter revolvunt; et dum a se per tot et tanta dividuntur, quod ore proferunt, nec ipsi, qui proferunt, deprehendunt. Plerique vero mei similes importunas phantasmatum irruentium muscas, orationis suæ tempore, crebro apud se in mente recipiunt: unde eis contingit, ut quid dicant, omnino ignorent. Alii etiam majore dementia infatuati, quando Deum orant, fœdas transactarum iniquitatum suarum apud se introrsus imagines versant: personas, loca et tempora, cum quibus, quando, et ubi nefaria sua fecere, delectabiliter in animo replicant. Et qui ideo ad orationem veniunt, ut eorum, quæ illicite egerunt, veniam implorent, in ipsa oratione per sordidæ cogitationis delectationem ea committunt, pro quibus necesse habent ut adhuc enixius orent. Hæc itaque tripartita cogitatio nos, qui infirmi sumus, in ipso orationis nostræ tempore miserabiliter devastat: cogitatio onerosa, otiosa, affectuosa. Onerosa siquidem cogitatio est, per terrenarum cogitationis strepitus et sæcularium occupationum tumultus in mente immoderate dissipari; otiosa vero ad irruentium phantasmatum pertinet vanitates; affectuosa quoque ad voluptuosas pristinarum iniquitatum recordationes. Sed si volumus ut oratio nostra suave aliquid Deo in ara mentis redoleat, oportet summopere ut quando orationi incumbimus, hæc omnia post dorsum mentis, quantum Domino largiente possumus, per plenam oblivionem projiciamus; et ejusdem faciem ad ea quæ proferimus, quantum possumus, ponamus. Ideo post dorsum pontificis prædicti ad aram consistentis, tres gradus depinximus; quia quicunque fructuosam suam esse desiderat orationem, necesse est ut hanc tripartitam cogitationem, quando orat, post dorsum mentis expellat; quatenus in ejus pectore, prout sibi divina gratia ministraverit posse, orationis suæ tempore non introducantur, vel cura pungens, vel phantasma irruens, vel culpa blandiens.

CLX. Sed postquam hæc a se expulerit, oportet nihilominus ut hæc quatuor diligenter in mente attendat. In primis videlicet, quis est ille qui orat; secundo, quis ille quem orat; tertio, quid sit illud pro quo orat; quarto quoque, quomodo orat. Considerans itaque seipsum qui orat, talem se esse videat, tam scilicet proclivem ad vitia, tam invalidum ad virtutes, tam pigrum ad bonum, tam ad malum promptum, tantis etiam miseriis implicatum, tot denique tantisque peccatorum molibus oneratum: ut pro suis meritis nihil omnino debere se a Deo impetrare certissime **429** sciat. Illum vero, quem orat, et potentem aspiciat et clementem: clementem ad miserandum, potentem ad succurrendum; qui electos suos digne se invocantes exaudire et potest, et vult, quia eorum quodammodo et per compassionem sentit periculum, et per potestatem confert subsidium. Sic itaque et studiosa tui ipsius inspectio tibi dolorem, et diligens divinæ misericordiæ consideratio confert tibi spem; ut obtinere propter ejus clementiam firmiter confidas, quod propter fragilitatem præsumere non audebas. Sequitur post hæc, ut etiam videas quid petas. Quæ alia debemus petere, nisi hæc tria: veniam, gratiam et gloriam? Veniam peccatorum, gratiam meritorum, gloriam præmiorum. Per veniam peccatorum, mediante gratia meritorum, pervenitur ad gloriam præmiorum. Per primam emundamur; per secundam exornamur; per tertiam beatificamur. Idcirco hæc tria solent petere cum omni devotione, quicunque petunt in nomine Jesu: veniam scilicet, gratiam et gloriam; et quæ in eis sunt mala omnipotens et misericors Deus pie diluat, et bona, quæ eis desunt, abunde conferat, collata fortiter custodiat, et in fine

Digitized by Google

beatæ visionis sua gaudia eis sine fine concedat. Novissime considerare debes qualiter petas, ut videlicet Dominum tuum et ardenter petas, atque ores perseveranter; quatenus quadam et ardenti perseverantia, et perseveranti ardore precibus incumbens, et id quod petis in desiderio summo habeas; et quousque quod petis obtineas, a precibus nequaquam cesses. Hæc itaque quatuor sunt, quæ ante mentis oculos orationis tempore studiose habere debes, ut consideres quis ipse sis videlicet attentissime qui oras, et quis ille sit quem oras, quid etiam illud sit pro quo oras, et ad extremum qualiter oras, ut et Deo placitam et tibi fructuosam orationem fundere possis. Ideoque postquam tres gradus post dorsum pontificis stantis ad aram depinximus, alios etiam quatuor ante ejus faciem posuimus, ut scias debere te et illas tres malas cogitationes, quando oras, post tergum mentis abjicere, et has quatuor bonos ante cordis aspectum habere.

CLX. Post hæc omnia, necesse est ut, sicut per seipsum Dominus in Evangelio admonet: *Cum stas ad orandum, dimittas si quid habes in corde tuo, ut Pater tuus dimittat tibi* (*Matth.* v, 24). Et scias, sicut Salomon ait, quia *qui avertit aurem suam, ne audiat pauperem, et ipse clamabit, et non audietur* (*Prov.* xxi, 13). Unde oportet, ut si vis fructuosam esse orationem tuam, quatenus et in te delinquentibus ex corde condones, et his, qui te secundum Deum petunt, aurem exauditionis pro Deo efficaciter inclines. Oras vero, ut tibi dimittatur, et tibi detur: dimittatur quod commisisti peccatum; detur et meritum, et præmium: meritum, inquam, bonæ vitæ; præmium beatæ gloriæ. Et tu dimitte et da; dimitte delinquentibus in te, da petentibus te. Idcirco post illos, de quibus supra locuti sumus, gradus, etiam duos sub versu illo: *Dirigatur oratio mea* (*Psal.* cxl., 2); quem pontifex dicit, posuimus. Quatenus, si recte orare desideras et in corde memoriter habeas, et in opere efficaciter exerceas; quod in Evangelio Dominus ait: *Dimittite, et dimittemini, date, et dabitur vobis* (*Luc.* vi, 37). Quatenus et illatas tibi dimittas injurias, et petita des beneficia: ut et tua tibi, quæ coram Deo commisisti, peccata dimittantur, et vita, quam ab eo petis, detur æterna. Et hæc de his, quæ intra parietes tabernaculi erant; et hæc de illo tabernaculi loco, qui Sancta, et de illo, qui Sancta sanctorum dicitur, moraliter dicta sint.

CAPUT XI.

De operimentis et picturis tabernaculi quæ ad altare holocausti pertinebant, quomodo juxta sensum moralem sint intelligenda.

CLXI. Valde diu in expositione parietum tabernaculi, et earum rerum quæ intra eosdem parietes sunt, detenti sumus. Restat itaque nunc, ut jam de ipso tabernaculo, in quo tam diu demorati sumus, egrediamur, et quomodo ea quæ extra sunt, secundum sensum duntaxat tropologicum, intelligi debeant intueamur: ita tamen, ut prius de operimentis illius veteris tabernaculi aliquid moraliter, prout capimus, loquamur. Scimus quidem, sicut plene superius ostensum est, quia visibile illud Moysi tabernaculum primum cortinis pene usque ad terram, deinde sagis ex toto undique usque ad terram coopertum fuit. Tectum vero ipsius tabernaculi primum super saga pellibus arietum rubricatis: deinde **430** pellibus hyacinthinis superindutum fuit. Debes quoque et tu tabernaculum tuum cortinis et sagis et pellibus rubricatis et hyacinthinis cooperire, sed spiritualiter. Quia tabernaculum tuum spirituale est, et ideo operimentis spiritualibus tegi necesse est. Cortinæ igitur et numero decem, et ex quatuor coloribus. Hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, et bysso retorta contextæ erant. Ipsasque deauratas parietum tabulas propius quam cætera operimenta tangebant, et universa quæ intra eos erant tegebant. Cumque prædictos undique parietes exterius cooperirent, ex toto tamen usque ad terram nequaquam pertingebant; sed uno ex omni parte per circuitum cubito a terra distabant. Quid putatis ista designant? Quod de his sentimus, breviter ostendamus. Decem istæ cortinæ quæ et tabulas proxime tangunt, et ea quæ intra eas erant, cooperiunt, illos moraliter sanctos exprimunt, qui in secreta conversatione Deo servire elegerunt, qui eo perfectius opere implere mandata Decalogi valent, quo plenius a curis terrenis animum exutum habent. Quæ etiam cortinæ apte ex quatuor coloribus prædictis factæ, et pulchra varietate contextæ sunt; quia hujusmodi sancti in secreta quiete Domino militantes, et decora sanctitatis varietate, et vario virtutum decore coram oculis Dei rutilant; cœlestis patriæ desiderio fulgentes vitiorum tyrannidi quadam auctoritate regia resistentes, igne charitatis geminæ flagrantes, in corpore castitatis candore nitentes. Color namque hyacinthinus, qui cœli habet speciem quando serenum est, cœleste designat desiderium. Purpura vero, quæ ad regis pertinet ornamentum, spirituale designat super vitiorum assultus imperium. Coccus bis tinctus charitatem exprimit geminam: Dei videlicet et proximi. Byssus, quæ specie nitenti de terra oritur, corporis innuit castitatem. Quod vero eædem cortinæ usque ad terram non pertingunt, nequaquam mysterio vacare credendum est; sed per hoc potius nobis innuitur quia vitæ quietæ insistentes viri sancti, rebus terrenis, sive negotiis sæcularibus nec per curam inhærere volunt, nec per affectum; sed ibi cor suum defigunt, ubi thesaurum suum esse non nesciunt. Saga quoque, quæ cortinas cooperiunt, atque eas, ut interius mundæ præfulgeant, ab omni tempestatum exterius irruentium injuria defendunt, sanctæ Ecclesiæ sunt prælati, cum sollicitudine pervigili curæ insistentes pastorali; qui eos qui secretæ et internæ dulcedinis quieti insistunt, ab exterioribus impedimentis protegunt. Qui si forte; utpote curis terrenis implicati, et turbis nonnunquam sæcularibus admisti, in aliquo delinquunt; acutis id pœnitentiæ novacu-

Digitized by Google

lis mox abradere non omittunt; quia hæc eadem saga et undecim erant, et cilicina. Per numerum quippe undenarium legis transgressio; per cilicina vero, quæ de pellibus caprarum, quæ pro peccato quondam in lege solebant offerri, facta sunt, mentis accipitur compunctio. Saga igitur undecim erant, et cilicina; quia in sanctis sanctæ Ecclesiæ prælatis, si quid forte undenarium in aliquo inquinat transgressionis, cilicium abluit compunctionis.

CLXII. Ut autem de duobus operimentis quæ et ex pellibus flebant, et non parietes quidem tabernaculi, sed tectum solummodo operiebant, breviter loquamur, pelles arietum rubricatæ sancti sunt, suum pro Christi nomine sanguinem fundentes; pellesque hyacinthinæ item sancti sunt per incorruptionem, ut angeli eam in corpore et cœlestem in terris conversationem ducentes. Igitur si eorum, qui in Ecclesia quiete vivunt, secretam conversationem; si bonorum prælatorum compunctionem; si patientiam martyrum; si incorruptionem virginum sedula apud temetipsum meditatione in mentis conclavi recondis, et ad eorum sanctitatem cordis tui desiderium accendis, eosque pro posse tuo imitari proponis: profecto cortinas decoras, saga cilicina, pelles rubricatas et hyacinthinas super tabulas tuas suspendis. Sed sicut in secunda libri hujus parte dictum est, nec cortinæ, nec saga, nec pelles, de quibus tam multa jam diximus, oculo corporali in hac pictura nostra, quæ jacet in plano, possunt videri; quia cortinæ et sagis undique, ne appareant, ut in præcedentibus sufficienter ostensum est, teguntur; et saga sub tribus parietibus in plano picturæ jacentibus, et sub tentorio, quod in pictura ad orientem jacet, quasi ex toto abscondantur, intelliguntur; et tectum parietum, ipsis parietibus in plano picturæ jacentibus, omnino non videtur. Verumtamen ut hæc operimenta et in visibili illo **431** tabernaculo Moysi visibiliter infuisse, ut [et] in visibili tabernaculo animi spiritualiter hoc modo censeantur debere inesse, prope juxta ipsum tabernaculum, in atrio, juxta levitam aquilonarem scribo hanc dictionem: *Cortinæ*. Deinde aliquantum ab hac dictione scribo nigris litteris: *Saga*. Deinde hæc duo verba, scilicet *pelles rubricatæ*, rubeis litteris scribo. Et eodem modo litteris hyacinthinis: *Pelles hyacinthinæ*. Quia, ut dictum est, et tabulas cortinæ, et cortinas tegebant saga. Quibus profecto sagis, quantum tecti durabat spatium, pelles superponebantur rubricatæ, istisque pellibus aliæ superaddebantur, quæ hyacinthinæ erant. Deinde extra tabernaculum ad orientem, juxta introitum tentorii, interius altare holocausti statuo; et in eo ignem succendo. Duo ad vetus illud tabernaculum Moysi altaria pertinebant. Unum, quod exterius erat; alterum, quod interius. Unum, quod auro; alterum, quod ære coopertum fuit. Unum denique, in quo thymiamata incendebantur; alterum, in quo animalia immolabantur. Sed quid per interius illud altare moraliter accipiendum sit, ex parte jam ostensum est. Per hoc vero altare, quod exterius erat, in quo et carnes animalium offerri solebant, illorum mentes figuraliter accipi possunt, qui operibus carnalibus, vel his quæ jam commisere per pœnitentiam plangendis; vel his quibus singulis diebus adhuc tentantur per continentiam resistendis, vigilantia sollicita et sollicitudine pervigili insistunt. Idcirco et in hac pictura nostra ad altare istud levitam quemdam, rufam in eo vitulam cum cultro immolantem depingo: ut ostendatur quia opera carnalia, et ea quæ commisimus, in ara cordis igne pœnitentiæ concremare; et ea quibus adhuc tentamur, cultro continentiæ mortificare debemus. Supra quod etiam altare quinque gradus facio; quia nimirum quinquepartita est sensuum nostrorum lascivia, quam et pœnitendo concremare, et continendo necesse habemus mortificare: videlicet vanitas in aspectu oculorum, curiositas in auditu aurium, voluptas in olfactu narium, edacitas in gustu faucium, impuritas in tactu manuum.

CAPUT XII.

De labro æneo et de picturis quæ ad idem pertinent labrum.

CLXIII. Post hæc labrum quoddam æneum facio: et missa in eo aqua, inter hoc, de quo modo locuti sumus, altare holocausti, et ipsum tabernaculi ingressum, illud pono. *Labrum hoc ablutionem nobis compunctionis, et lacrymarum commendat:* quas quidem semper opus habemus; maxime autem, cum mysteriis cœlestibus ministraturi accedimus. *Lavent*, inquit, *Aaron et filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur* (*Exod.* xxx, 19, 20). Mors etenim timenda est animæ spiritualis et æterna, si quis ad sacrosancta mysteria absque spirituali ablutione compunctionis intrare et sancta Domini communibus manibus tractare præsumit. Lavent ergo manus suas ac pedes in aqua labri ænei, et sic ad altare accedant: id est, abluant lacrymis actus et incessus suos, ac deinde manus suas ad contingenda Christi mysteria proferant, pedumque gressus in atria Domini ponant. Ideo ad labrum hoc, quod in pictura nostra fecimus, duos sacerdotes, unum manus, et alium pedes abluentem depinximus; quia orationum hostias Domino oblaturi, et cordis affectus, qui per pedes, et corporis actus, qui designantur per manus, in aquis compunctionis et labro confessionis emundare debemus. In quo etiam labro æneo quatuor gradus paululum ab invicem distantes facio; quia quicunque plenam in se voluerit acquirere compunctionem, hæc quatuor necesse est ut diligenter consideret: scilicet ubi fuit, ubi est, ubi esse non vult, ubi esse desiderat. Ubi fuit, id est in peccato. Ubi est, in mundo. Ubi esse non vult, in inferno. Ubi esse desiderat, in cœlo. Locus itaque, in quo fuimus, peccatum est. Quod quidem tribus modis in nobis fuit: in corde, in ore, et in corpore. Duobus modis in

Digitized by Google

corde : per amorem sæculi, qui nos extulit vanitate elationis, per amorem carnis, qui nos fœdavit voluptate corruptionis. In ore similiter duobus modis : per arrogantiam, dum de nostris nos bonis cum 432 superbia solebamus efferre ; per derogationem, dum bonis proximi ex invidia detrahere. Duobus etiam modis in corpore : per flagitium, quo nosmetipsos libidinose polluimus ; per facinus, quo proximos nostros perverse læsimus. Ecce locus in quo fuimus. Locus vero, in quo nunc sumus, iste mundus est. Quamvis enim non simus de mundo, sumus tamen in mundo : quia licet ei forte non adhæreamus per affectum, eum tamen necesse habemus possidere ad usum. Et hic nobis locus tribus modis infestus est ; quia adversum nos furit per concupiscentiam carnis, per concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ. *Omne enim quod in mundo est*, ut ait apostolus Joannes, *concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (*I Joan.* II, 16). Hæc est illa tridens fuscinula, per quam de caldariis carnes in libro Regum levantur (*I Reg.* II, 13). Hæc etiam tria carnales quosque a cœna Domini, ad quam in Evangelio vocantur, retardant. Nam uxorem ducere, ad concupiscentiam pertinet carnis. Quinque juga boum emere, ad concupiscentiam oculorum. Emere villam, ad superbiam vitæ (*Luc.* XIV, 18 et seqq.). Hæc sunt tria mala, quæ adversum nos, quandiu in mundo sumus, de ipso mundo sæviunt.

CLXIV. Est adhuc duplex periculum, quod nobis de nobis valde infestum est. Unum ad corpus, aliud vero ad animam pertinet. Quod autem pertinet ad corpus, quinquepartitum est. Est namque in corpore nostro deformitas, ariditas, infirmitas, servitus et corruptio. Deforme siquidem est corpus nostrum, tardum, infirmum, subditum duræ direæque servituti et multimodæ atque miserabili obnoxium corruptioni. Animæ vero periculum in hoc mundo triplex est ; ægrotat namque anima nostra morbo triplici : in memoria, in ratione, in voluntate. In memoria per debilitatem inconstantiæ ; in ratione per obscuritatem ignorantiæ ; in voluntate per pravitatem nequitiæ. Memoriæ infirmitas triplex est : quia eam debilitat cogitatio affectuosa, onerosa et otiosa. Affectuosa cogitatio est, quando circa necessaria afficitur : sicut est cogitatio edendi, bibendi, vestiendi, et hujusmodi. Onerosa est, quando in cogitatione rerum extrinsecarum oneratur : ut est, quando cogitat quid exquirendum sit, quid expendendum, quid ædificandum, quid plantandum, et hujusmodi. Otiosa cogitatio est, circa quam nec afficitur ut circa necessaria, nec oneratur ut circa exteriora, et tamen per eam præpeditur ad bona cogitanda : utpote cum cogitat equum currentem, avem volantem, piscem natantem, vel aliquid ejusmodi. Cogitatio affectuosa animam de se sollicitat, otiosa eam a se alienat, onerosa eam sub se præcipitat. Rationis vero ignorantia triplex est : ignorantia videlicet boni et mali ; veri et falsi ; commodi et incommodi. Unde et triforme illud philosophiæ insigne, quo hæc cognoscere debuit, perdidit : ethicam videlicet, logicam et physicam. Nam per ethicam cognoscitur bonum et malum ; per physicam commodum et incommodum ; per logicam verum et falsum. Voluntatem vero hæc tria solent devastare : vanitas, curiositas et voluptas. Vanitas spiritualis superbiæ, curiositas mundialis lætitiæ, voluptas carnalis concupiscentiæ. Vanitas humanæ animæ voluntatem extollit et excæcat ; curiositas eam dispergit et a se alienat ; voluptas afficit et fœdat. Vanitas ad temporalem pertinet mundi potentiam, curiositas ad inanem mentis lætitiam, voluptas ad fetidam carnis concupiscentiam. Ecce morbus animæ triplex : infirmitas, quæ memoriæ robur debilitat ; ignorantia, quæ rationis lumen obscurat ; pravitas, quæ voluntatis munditiam commaculat. Sed quia ejus ægritudo valde magna est, magis eam gratia divina quam aliqua potentia, vel industria curabit humana. Nam quia ad creatricem pertinet Trinitatem hanc, quam ad imaginem et similitudinem suam condidit, reformare Trinitatem, invocandus est prece humili et devota Pater Deus, ut sanet memoriam ; Filius Deus, ut sanet rationem ; Spiritus sanctus Deus, ut sanet voluntatem. Pater siquidem per potentiam in corde creat timorem, qui memoriam ordinat, et roborat. Filius per sapientiam cordi infundit scientiam, quæ rationem illuminat et clarificat. Spiritus sanctus per benignitatem cordi tribuit charitatem, quæ voluntatem mundat et coaptat. Et hæc de tribus malis, quibus nobis mundus iste, locus videlicet in quo nunc sumus, infestus est. Et hæc de duobus periculis quæ in eo sustinemus : quorum unum nos in corpore, alterum vero in anima molestat.

CLXV. In loco vero tertio tria sunt : ignis, vermis, et utriusque æternitas ; quia ille inexstinguibilis, et hic dicitur 433 immortalis. *Vermis*, inquit, *eorum non morietur, et ignis non exstinguetur* (*Isa.* LXVI, 24 ; *Marc.* IX, 43, 45, 47). Hæc tria in loco tertio sunt : et sunt hæc tria in loco illo quasi triplex mansio ; ad quam per viam æque triplicem reprobi pertingunt. Via namque eorum triformis est : delectatio, consensus, consuetudo. De delectatione vadunt ad consensum, de consensu ad consuetudinem. Per delectationem infirmantur, per consensum moriuntur, per consuetudinem sepeliuntur. Perveniunt per hanc triplicem viam ad illam triplicem mansionem : ad ustionem videlicet ignis, ad morsum vermis et ad utriusque æternitatem. Per delectationem eunt ad ignem, per consensum ad vermem, per consuetudinem ad utriusque æternitatem : ut carnem, quæ in peccato delectabatur, comburat ignis ; animam, quæ carni consensit, corrodat vermis ; et ob peccati consuetudinem, utriusque sentiat æternitatem : quia et ille inexstinguibilis, et hic dicitur immortalis. Et sicut nunquam voluit finire culpam, sic nunquam finiat

Digitized by Google

pœnam. Hæc de loco tertio. Tria etiam in loco quarto, ab ipso retributore meritorum, et distributore præmiorum dabuntur electis : robur potentiæ, a summa potentia Patre, ut sint potentes in semetipsis; claritas sapientiæ, a vera sapientia Filio, ut sint sapientes in Deo; suavitas amoris a dulci charitate Spiritu sancto, ut sint amantes invicem, quatenus hoc modo Deus sit omnia in omnibus (*I Cor.* xv, 28). Sed quia de his, quando de tabularum annulis superius loquebamur, aliquantulum prolixe diximus, diutius his immorari devitamus. Sunt itaque hæc quatuor loca: primus, ubi nos recordamur fuisse; secundus, ubi nos perspicimus esse; tertius, ubi horremus adesse; quartus, a quo nolumus abesse. Primus locus vocatur voluptas carnis, secundus calamitas mundi, tertius asperitas inferni, quartus felicitas cœli. Hæc sunt quatuor loca, ex quibus quadripartitæ profluunt aquæ. Ex primi namque loci diligenti consideratione emanat in nobis aqua doloris, quia tales nos fuisse dolemus. Ex secundi, timoris; quia, ne adhuc tales nos esse contingat, pertimescimus. Ex tertii, horroris, quia illuc cadere formidamus. Ex quarti, amoris, quia illo pertingere exoptamus. In primo etenim loco pudor est et dolor; in secundo, labor et timor; in tertio, terror et horror; in quarto, sapor et amor.

CLXVI. Ex his igitur quatuor locis quatuor profluunt fontes, qui Dominicum irrigant hortum. Ex loco primo proprii reatus emanat ploratio : et hæc aqua est, quæ circuit terram Evilath, id est, novam vitam parturientes. Evilath enim *parturiens* dicitur, in qua etiam terra aurum nascitur : quia *qui addit scientiam, addit et dolorem* (*Eccle.* I, 18) (315). Ex loco secundo multimodæ, quam in præsenti sustinemus, miseriæ profluit compassio. Et hæc aqua est, quæ circuit terram Æthiopiæ. Ex tertio pœnæ gehennalis trepidatio. Et hæc est quæ vadit contra Assyrios. Ex quarto affectuosa et desideriosa fructu vitæ referta patriæ cœlestis expectatio : Et hæc aqua Euphrates vocatur; quia a *fructu* Euphratem nomen accepit. Hæ etiam aquæ nobis copiose profluunt ex ipso piissimo ac dulcissimo Redemptore Domino Jesu. Bis namque in Evangelio legitur flevisse, cum nec semel unquam risisse inveniatur (316). Flevit ad monumentum Lazari (*Joan.* XI, 35), flevit super civitatem Jerusalem (*Luc.* XIX, 41); sudavit ante passionem quando factus in agonia prolixius oravit (*Luc.* XXII, 43) : jam quoque mortuus, sed adhuc cruci affixus ex latere suo non solum sanguinem, verum etiam aquam emisit (*Joan.* XIX, 34). Ecce humores quatuor, qui ad emundationem nostram ministrantur nobis ab ipso Domino Jesu, qui in Scriptura sacra fons vivus, et in propheta *ad abluendum peccatorem, et menstruatam fons patens domus David* appellatur (*Zach.* XIII, 1). De primo humore scriptum est : *Et lacrymatus est Jesus* (*Joan.* XI, 35). De secundo : *Videns civitatem, flevit super illam; dicens : quia si cognovisses et tu* (*Luc.* XIX, 41). De tertio : *Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (*Luc.* XXII, 43). De quarto : *Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua* (*Joan.* XIX, 34). Fletus itaque Domini Jesu ad monumentum Lazari, illam designat aquam, quam ex illius consideratione loci, in quo nos recordamur fuisse, haurimus : quando nos dolemus, et obstinationis lapide prægravatos, et in spelunca fœtidæ concupiscentiæ putrefactos, et per consensum peccati mortuos, et per consuetudinem fuisse sepultos. Illæ vero lacrymæ, quas fudit flendo super civitatem Jerusalem, illam nobis innuunt aquam quam ex loci in quo nunc sumus inspectione concipimus; quando timemus ne nos inimici nostri et vallo circumdent et undique coangustent, et ad terram prosternant et lapidem in nobis super lapidem non relinquant. **434** Quæ omnia moraliter etiam in præsenti fiunt in nobis; quando maligni spiritus tentationibus nos circumvallant, tribulationibus perturbant, atque ad terrena prolabi faciunt, nec ullam in nobis stabilem firmamve esse cogitationem permittunt. Sudor vero, quem Agnus ille innocens in agonia protulit, aquam illam, quam horrida loci tertii producit visio, figuraliter exprimit; quando pertimescimus ne nos spirituales illi Judæi rapiant, et æternæ morti tradant : quando vero a cunctis visibilibus per contemplationem elevati, ac omnibus penitus, quæ in uno versantur, per plenum visibilium contemptum mortificati in charitatis cruce fuerimus dilati : illa nimirum aqua perfundimur, quam ex latere suo crucifixus et mortuus emittit Dominus Jesus.

CLXVII. Prima aqua fontis est, et sitientes potat; secunda fluminis, et arentes rigat; tertia maris, et crudos excoquit : quarta nivis, et nigros dealbat. Potat per dolorem, rigat per timorem, excoquit per horrorem, dealbat per amorem. Ad primas duas lamentatio pertinet præsentis miseriæ; ad tertiam, væ gehennæ; ad quartam, carnem gloriæ. Quas quatuor aquas quatuor in labro positi gradus designant. Sed quia duo sunt inquinamenta, a quibus mundari necesse habemus, peccatum videlicet et delictum, ideo duos juxta sacerdotem, qui manus lavat, posuimus gradus, ut lugeamus et nos non facienda admisisse et facienda omisisse. Rursum quia ternam in emundatione nostra habere debemus confessionem, humilem, puram et fidelem : idcirco tres juxta alium, qui pedes abluit, gradus positi sunt. Pura sit confessio nostra, humilis et fidelis. Pura, ne aliquid celemus; humilis, ne de malis nostris superbiamus; fidelis, ne de indulgentia diffidamus. Pura itaque propter simulationem, humilis propter elationem, fidelis propter desperationem. Quia vero sine magna quadam tribulatione, et an-

(315) Vulg. *laborem*; LXX ἄλγημα, id est *dolorem*: quod equidem eleganter nuncupat Vulg. vox illa *labor*. — Ed. P.

(316) Leguntur eadem verba in icone illa apocrypha, sub Publii Lentuli nomine tam sæpe celebrata. — Ed. P.

Digitized by Google

gustia nec talis mortificatio carnis, qualem in præcedenti capite commemoravimus; nec talis mentis emundatio, qualem hic descripsimus, fieri potest : idcirco campum atriorum, ubi altare holocausti, et labrum æneum depictum est, colore purpureo superinduo. Et hæc de labro æneo, et de his quæ ad illud pertinebant, prolixius quam putavimus diximus.

CAPUT XIII.

De tentoriis tabernaculi : et de ingressu Moysi in tabernaculum, et de ejus egressu.

CLXVIII. Diligenter post hoc considerandum nobis est, quia vetus Moysi tabernaculum tentoriis undique circumdabatur. Simili modo et tu, si bona quæ habes forti cautela custodire non negligis, circa tabernaculum tuum, et ea quæ intra illud sunt tentoria suspendis. Nihil enim omnino tibi proderit bona in te spiritualia congregasse, nisi diligenti ea et sollicita circumspectione custodias. Hinc in sacra Scriptura legimus, quia *posuit Deus hominem in paradiso, ut operaretur, et custodiret illum* (*Gen.* II, 15). In paradiso quippe Deus hominem ponit, quando delectabilem tibi spiritualium gratiarum copiam gratuito largiens, in sancta et tranquilla conscientia suaviter te pausare facit. Sed vide ut hunc paradisum et custodias, et opereris : opereris per robur fortitudinis, custodias per munimen circumspectionis ; opereris impigre, et custodias caute; opereris denique, ut virtutes spirituales spiritualiter acquiras : custodias, ne acquisitas negligenter amittas. Idcirco prius quidem isto, quo te instruxi, modo tam tabernaculum, quam quæ intra illud esse debent, construe; sed tentorium per circuitum ejus sollicite suspende, ut et bona prius in te per sollicitum exercitium ædifices, et eadem deinde per vitæ circumspectionem providam conservare procures. Post hæc indiscussum relinquere non debet diligentia tua, quid per hoc designetur, quod sanctus Moyses olim, quandocunque vel de re ulla dubitabat, vel tribulationes aliquas tolerabat, semper ad tabernaculum confugiebat; ut et de dubitatione sua Dominum consuleret et ab ipso defensionem atque consolationem reciperet. Multoties tabernaculum Moyses ingreditur et de eo egreditur. Ingreditur, ut consulat Dominum ; egreditur, ut erudiat populum. Intra tabernaculum mandata a Domino accipit, quæ extra populo tradit; et qui intus loquentem sibi Dominum suaviter audit, de causis et negotiis populi foris sollicite se intromittit. Quid putatis, fratres mei, iste ejus ingressus significat, et egressus? Frequenter **435** superius diximus, quia juxta significationem tropologicam, tabernaculum Moysi secretum exprimit animi. Quod nimirum tabernaculum tunc ingredimur, quando postposita interim terrenorum sollicitudine, in amore Dei, in interno cordis secreto suavi meditationi, puræ speculationi et defæcatæ contemplationi vacamus. Tunc vero de hoc tabernaculo egredimur, quando omisso aliquantulum studio contemplationis, ob compassionem proximi, licitis rerum terrenarum occupationibus insistimus. Hoc itaque modo ingredimur et egredimur. Ingredimur, inquam, et egredimur; et ingrediendo, atque egrediendo pascua invenimus : quatenus ingrediendo pie, et egrediendo juste, et pascendo sobrie vivamus in hoc sæculo. Pie Deo, propter puram contemplationem ; juste proximo, propter fructuosam operationem; sobrie nobis, propter rectam intentionem. Itaque ingredimur, ut contemplemur ; egredimur, ut operemur : contemplemur æterna et cœlestia, operemur transitoria et terrena; illa per affectum cordis, ista vero ad usum corporis. Intus contemplamur ipsius Sapientiæ a Patre ab æterno genitæ sine matre divinitatem ; foris imitamur ejusdem Sapientiæ a matre in tempore incarnatæ sine patre humanitatem. In quodam autem libro et intus, et foris legimus : in quodam, inquam, libro et intus scripto, et foris (*Apoc.* v, 1). Intus quidem legimus ea quæ intus scripta sunt in eo; foris vero, quæ in eo scripta sunt foris. *Mediator namque Dei et hominum, Deus et homo, Jesus Christus* (*I Tim.* II, 5), quidam, in quo legere debemus, liber est, intus scriptus et foris: intus in divinitate, foris in humanitate. Itaque intra tabernaculum legimus ea quæ in hoc libro intus scripta sunt, dum in cordis secreto, Christi videmus quodammodo divinitatem, per puritatem contemplationis; extra vero legimus ea quæ in eo foris scripta sunt, dum in operationis publico, ejus pro posse nostro sequimur humanitatem, per imitationem actionis. Intus legimus : *In principio erat Verbum; et verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Foris : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*ibid.*, 14). Cum itaque duæ vitæ sint, activa scilicet et contemplativa : contemplativa per ingressum tabernaculi, activa innuitur per egressum. Et cum duo charitatis præcepta sint, amor videlicet Dei et proximi : amor Dei ad ingressum nos ducit contemplationis; proximi vero ad egressum actionis. Ingredimur propter jucunditatis affectum, qui de Rachelis procedit decore; egredimur propter fecunditatis fructum, qui de Liæ venit parturitione. Ingressus igitur Moysi in tabernaculum, introitum designat cujuslibet viri perfecti in semetipsum, qui fit per contemplationem ; et egressus exitum, ad operationem.

CAPUT XIV.

De duplici imagine Moysi. Et quomodo illa, quando extra tentorium posita est, imago Moysen tropologice designat.

CLXIX. Ut autem iste Moysi ingressus et egressus in pictura nostra videantur, duas eiusdem Moysi imagines depinximus: unam extra tabernaculum, ad introitum tentorii; alteram vero intra, a dextris altaris incensi. Imago quoque illa, quæ extra est, rectam et propriam formam Moysi repræsentat : qui ibi faciem suam populo cornutam exhibet, et in habitu sæculari stans apparet; quia quasi quibusdam

Digitized by Google

sæcularibus vestibus et communibus indumentis operiri, est circa curam rerum terrenarum sollicite occupari. Illa vero imago, quæ intra est, quamvis in hoc, quod veste pontificali induitur, et ad altare thymiamatis oblationis Deo incensum offert, ipsum summum sacerdotem Aaron proprie exprimere debet, hoc tamen in loco, et juxta hanc significationem, ipsum etiam Moysen contemplationis puritati in interno cordis secreto vacantem designare habet. Et de hac quidem imagine diligenter notandum est: quia illa Moysi formam nec in veste repræsentat, nec in facie, quam illa repræsentat imago, quæ extra tabernaculum ad introitum tentorii est; quia longe alium et statum et habitum in mente habet, qui in intimo cordis secreto contemplationi insistit cœlestium et æternorum; quam ille, qui turbis popularibus admistus, occupationi intendit terrenorum et temporalium. Foris Moyses et cornutam faciem suam populo ostentat, et indumento suo nihil a populo distat: quia quantumlibet quisque sanctus sit, quandiu tamen terrenarum actionum sollicitudinibus insistit, **436** valde est ei difficile, quin gerat et in mente faciem in aliquo bestialem, et in conversatione habitum juxta aliquid sæcularem. Sed intus Moyses et in vestibus pontificalibus, et in facie non cornuta videtur; quia quando contemplationi puritatis medullitus insistimus, tunc nostra conversatione sanctitatis munditia ornata, et facie revelata, gloriam Domini speculamur, Hoc itaque in loco et illa Moysi imago, quæ foris est, designat operantem; illa vero quæ intus, contemplantem. Illa vitam activam; ista contemplativam. Activa quoque vita bifaria est: quia et in prædicatione consistit, et in operatione. In prædicatione veritatis, et in opere virtutis. In prædicatione ad instructionem cordis; in operatione propter subsidium corporis. In prædicatione denique, ut errantem proximum instruamus; in operatione, ut ejus indigentiæ succurramus. Idcirco juxta illam Moysi imaginem, quæ foris est, et prædicatio notatur, et operatio. Prædicatio in verbis, quæ dicit; actio vero per gradus exprimitur, qui supra ejus caput per transversum positi sunt.

CLXX. Qui nimirum gradus ideo quinque sunt, quia quinque partita esse debet bona operatio nostra: ut sit videlicet bona, spontanea, pura, discreta et firma. Sit igitur bona, ne aliqua alicujus malitiæ fæce corrumpatur. Sit spontanea, ut voluntario et nequaquam extorto animo agatur: nihil enim tibi prodest, quod bonum agis, si invitus et cum murmure agis; quia, ut quidam vir sanctus dicit, nemo invitus facit bonum, etiamsi bonum sit quod facit. Tertio vide ut actio tua pura sit, quatenus ideo agas quidquid agis; ut solius interni inspectoris oculis placeas, ipsumque solum operis tui affectes inspectorem, quem exspectas remuneratorem. Si enim, quod absit, ideo operaris ut ab hominibus videaris, et visus lauderis, recepisti jam mercedem tuam; quia merces operis tui favor est humanus, quem in eodem opere quæsivisti. Et ideo si vis ut Deus remuneret opus tuum, quod facis fac propter Deum; quia id solum ipse remunerare habet, quod propter se solum factum videt: ut his præsentia Dei merces sit in retributione, quibus amor ejus causa fuit in operatione. Sed sit discreta actio tua; quia virtutum omnium moderamen, et quasi munimen quoddam discretio est et, ut vulgo dicitur,

Omne quod est nimium, vertitur in vitium.

Novissime studeas, ut firma et stabilis sit operatio tua; quia non qui fecerit et incœperit, sed qui fecerit, *et perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22). Et vide quam convenienter hæ duæ virtutes simul junctæ sunt, discretio et firmitas; quia opus tuum nunquam poterit esse firmum, nisi fuerit discretum. Ut enimait quis:

Arcum ni *cesses tendere, lentus erit.*

(Ovid. *Her.*, epist iv, 90.)

Et idem ait:

Quod caret alterna requie, durabile non est:
Hæc reparat vires, fessaque membra levat.

(*Ibid.*, 87, 88.)

Ecce, hæc sunt quinque genera actionum, quas exercere debent activi: operatio videlicet bona, spontanea, pura, discreta et firma. De his quinque Apostolus mentionem fecit, quando dixit: *Obsecro vos, fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum, et nolite conformari huic sæculo* (*Rom.* xii, 1). Exhibeatis, inquit, corpora vestra *hostiam viventem*. Hostia enim occiditur, ut immoletur. Sed hostia vivens est corpus pro Domino afflictum. Hostia est corpus nostrum; quia a vitiis est mortificatum. Sed addit statim, et dicit, *sanctam*. Tunc namque opus nostrum sanctum est, si prompto animo et voluntario agatur. *Deo placentem*: ecce actio pura; tunc namque Deo placet quod agis, quando hac sola causa agis, ut ei placeas. *Rationabile obsequium vestrum*. Obsequium nostrum rationabile est, quando opus nostrum discretum est. In conclusione vero dicit: *Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri*. Ecce firmitas in bono opere, et constantia. Sæcularium namque consuetudo est, quod opus quidem bonum nonnunquam inchoant, sed non diu in eo perseverant; quia *ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt* (*Luc.* viii, 13). Est igitur quinquepartita operatio nostra: bona, spontanea, pura, discreta, et firma. Bona, ne alicujus malitiæ sordibus polluatur; spontanea, ne invito et extorto animo agatur; pura, ne per eam favor, aut gratia humana requiratur; discreta, ne per nimietatis vehementiam frangatur; firma, ne ante vitæ terminum deseratur.

CLXXI. Quam quinquepartitam actionem illi quinque gradus innuunt, qui supra caput Moysi per transversum positi **437** sunt. In verbis vero illis: *Prophetam suscitabat* (*Deut.* xviii, 15), quibus laicus

Digitized by Google

erudit; accipitur fides recta. In illis vero : *Lavamini, mundi estote* (*Isa.* I, 16), quibus clericos instruit, exprimitur vita sancta; quia tota in hoc sanctorum prædicatio consistit, ut et recte credamus, et sancte vivamus. Juxta prophetiam vero ejus duos primum gradus pono : quia duæ sunt in Propheta illo naturæ, divinitas et humanitas. Et juxta hos duos, alios tres gradus pono; quia sicut in eo duæ naturæ, ita et tres essentiæ : verbum, caro, et anima. Per medios vero istos gradus unum gradum, qui eosdem gradus intersecat, traho; quia non nisi una pars est Dominus noster Jesus Christus, qui in duabus naturis, in unitate suppositi, unus creditur Filius Dei, et filius hominis, Mediator Dei et hominis, Deus et homo, Jesus Christus. Alia etiam verba, quæ ad sacerdotes, in labro se lavantes diriguntur, in quibus vita sancta exprimitur, gradibus distinguo : sub *lavamini*, pono gradum unum; et sub, *mundi*, alium; quia si sancte et religiose vivere volumus, oportet summopere, ut juxta quod sancta nos admonet prædicatio, et lavemur, et mundi esse studeamus, ut sordes in nobis expurgemus præteritas, et præcaveamus futuras. Unde et in oratione Dominica petimus ut nobis debita dimittantur, et ne in tentationem inducamur (*Matth.* VI, 12). Ex alia vero parte hujus versus octo gradus sunt; qui in prædicatione sua, qua nos ad sanctam vitam prædicatores sancti excitare contendunt, octo nobis proponunt : prohibitionem, præceptionem, concessionem, persuasionem, correptionem, consolationem, comminationem, promissionem. Prohibent namque prædicatores sancti, præcipiunt, concedunt, persuadent, corripiunt, consolantur, comminantur, pollicentur. Prohibent mala, præcipiunt bona, concedunt media, persuadent perfecta, corripiunt inquietos, consolantur pusillanimes, comminantur pœnas inferni, pollicentur gaudia regni. Prohibitiones in imo, præceptiones in clivo, concessiones in plano, persuasiones in summo. In imo vitiorum, in clivo mandatorum, in plano licitorum, in summo consiliorum. Et correptiones pertinent ad vinum, consolationes ad oleum (*Luc.* X, 34), comminationes ad vetera, promissiones ad nova (*Matth.* XIII, 52). Prima duo pertinent ad Samaritanum; secunda duo ad Scribam doctum in regno cœlorum. Ad vinum, quod mordet; ad oleum, quod fovet; ad vetera, quæ terrent; ad nova, quæ delectant. Et hæc de illa imagine Moysi, quæ extra tentorium posita est, per quam exitus, qui fit per operationem, designatur, prout potuimus, non autem sicut debuimus, diximus.

CAPUT XV.

De illa imagine Moysi, quæ in tabernaculo depicta est; et de duobus spatiis, in quibus Veteris Testamenti clerici et laici depicti sunt : quomodo juxta sensum moralem debeant intelligi.

CLXXII. Tempus est, ut jam de illa imagine Moysi, quæ in Sancta depicta ad ipsum Moysen superius ostensa est posse referri, disputemus. Hæc itaque, ut superius dictum est, secretum internæ contemplationis designat. Hic etenim Moyses vocem Domini ad se loquentis de medio duorum cherubin audit; verbum, inquam, ejus audit; sed nullam ejus formam, vel speciem cernit : quia quando puritati contemplationis in secreto mentis insistimus, aurem quidem cordis ad ineffabilia, quæ ad nos sine syllabis et dictionibus, sine motu labiorum verba proferuntur, pie debemus arrigere; sed caute phantasticos stulti animi oculos claudere, ne in illa luce incircumscripta aliquid corporeum confingamus. Unde et Elias, cum auræ lenis sibilum audiret, vultum suum pallio cooperuit (*III Reg.* XIX, 3). Et nos quidem auræ lenis sibilum audimus, cum incircumscriptæ veritatis saporem contemplatione subita subtiliter degustamus. Sed post auræ lenis sibilum operire pallio vultum nostrum debemus, ut in ipsa subtilissima contemplatione veritatis, quanta ignorantia tegamur, humiliter agnoscamus. Vultum namque pallium superinducere, est, ne altiora mens quærere audeat, hanc consideratione propriæ infirmitatis velare : ut nequaquam intelligentiæ oculos ultra se præcipitanter aperiat; sed hoc, quod apprehendere non valet, reverenter claudat. Igitur verbum Dei, quod in sancta sanctorum 438 de medio duorum cherubin resonat, a contemplante Moyse, qui in Sancta extra velum est, auditur; sed forma ab eo nulla, vel species videtur. Alloquitur Deus contemplatorem Moysen : et sine verbo transeunter resonante exterius dicit, ubi supra se in cordis tabernaculo includitur : quid sit in semetipso, quid in electis, quid etiam in reprobis. Et audit contemplator noster Deo sibi in aure mentis edicente, ipsum Dominum suum in seipso quidem omnino esse incomprehensibilem; in electis, amabilem; in reprobis, terribilem. In seipso namque incomprehensibilem se esse evidenter ostendit; quia in ipso studet contemplari, quid sit discretio personalis et unitas consubstantialis.

CLXXIII. Contemplationis in aure, in interno et secreto cordis tabernaculo, ipso eum Deo suo per unctionem, quæ docet de omnibus instruente (*I Joan.* II, 27), audit tria esse in ipso, et hæc tria unum esse; et unum esse hæc tria; ipsumque hæc tria, et hoc, unum esse. Audit vocem, ei de medio duorum cherubin dicentem esse ἀ et ὠ (*Apoc.* I, 8): et quod a nullo est, et quod ab alio est, et quod ab utroque : Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum : et unumquemque istorum esse id, quod alius est : sed nullum istorum esse eum, qui alius est; ut nec parum proprietas confundatur, nec substantiæ unitas separetur. Audit etiam eum trinum et unum omnibus superiorem esse, regendo inferiorem, portando interiorem, implendo exteriorem, circumdando omnia disponentem suaviter, cursus temporum, motus corporum, nutus mentium : omni creaturæ legem constituentem, pondus, mensuram, et numerum : *In* quo *vivimus, movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 28). Audit præterea, quia movet omnia,

Digitized by Google

disponit, et explicat : et quod ejus æquare non potest ullum æternitatem tempus, vel immensitatem locus, vel bonitatem virtus, vel sapientiam sensus, vel potentiam opus : et quod ubique est, sed nusquam comprehensus : existentia sciens, futura præsciens, facienda disponens, salvanda prædestinans, subjectis providens : trinus, et unus. Audit, quod in Trinitate et æternitas est, immutabilitatem recipiens, tempusque excludens, et immensitas simplicitati assentiens, et quantitatem non admittens. Trinitati vero audit inesse et communionem unitatis, et æqualitatem immensitatis, et coævitatem æternitatis. Primam non separat divisio, secundam non minuit defectio, tertiam non ordinat successio. Audit vero contemplator noster, quia in omni re est Deus suus, sine sui definitione : in omni tempore, sine mutabilitate : nec potest omnino vel pro sui simplicitate dividi, vel pro sui puritate maculari, vel pro sui immensitate comprehendi. Et hoc modo audit Dominum suum in seipso omnino incomprehensibilem esse. In electis vero suis clamitant eum amabilem et æternitas prædestinationis, et sanctitatis gratia, et gloria felicitatis. Nam quos prædestinavit, hos justificavit : et quos justificavit, illos magnificavit (*Rom.* VIII, 30). Stat Dei omnipotentis propositum, et sententia pacis super electos suos, ut eis miro modo non tantum bona; sed etiam ipsa mala cooperentur in bonum. Hi autem quodammodo nunquam peccaverunt, quia, et si quæ forte deliquisse videntur in tempore non apparent in æternitate; charitas enim Patris eorum operit multitudinem peccatorum. Econtra vigilat super rationalem reprobam creaturam; vigilat, inquam, immobilis, secretissima et severissima animadversio justi judicii Dei, terribilis in consiliis super filios hominum. In reprobis namque eum terribilem prædicant, et bonitatis, si quæ tamen est, despectio : et pravitatis æterna recordatio : et cæci cordis obduratio. Illorum namque nec remunerat bona, nec diluit mala, nec emollit corda; sed etiam indurat : quorum pravam voluntatem ita moderatur omnipotens Deus, ut quæ injusta injuste contra eum conatur, occulte secundum eum disponatur : quæ et si displicet in eo, quod mala est, placet tamen in eo, quod ordinata est. Sic terribilis Deus, et justus, impiorum, quos ab æterno reprobat, corda indurat : eo terribiliter, quo immobiliter, juste quidem, sed occulte. Electi itaque, licet cunctis pleni videantur peccatis, quodammodo nunquam deliquerunt; reprobi autem, quamvis nullis cernantur astricti, quodammodo tamen nunquam bene egerunt; dum nec illos damnari, nec istos salvari contingit. Et hoc triplex contemplationis genus, de quo cum Moyse loquitur Deus, docens in hac contemplatione et in seipso omnino se esse incomprehensibilem **439** et in electis amabilem, et in reprobis terribilem. In quo videlicet trino contemplationis genere ejus quidem verba audiuntur; quia hæc de eo in hunc modum creduntur; sed nulla eius omnino vel forma, vel species a Moyse cernitur : quia quomodo hæc sunt, nec ab ipso contemplante deprehenditur.

CLXXIV. Et hoc tripartitum contemplationis genus illæ tres figuræ innuunt, quæ supra propitiatorium inter duo cherubin, in ipsa imagine positæ sunt. Prima figura circulus quidam est : per quam nimirum figuram apte primum divinæ contemplationis genus, Dei videlicet incomprehensibilitas denotatur; quia nec ipse incipit, nec desinit, sicut in circulo nec initium conspicitur, nec finis. Qui etiam circulus ex viridi colore factus est; quia vita quædam ab æterno, et in æternum Deus virens est. Et recte per viridem circulum immarcessibilis Dei æternitas figuratur, quia nec per initium floret, et virescit, nec per finem decidit et marcescit. Reliquæ vero duæ figuræ, in quibus initium quidem cernitur, sed finis omnino non videtur, et salvationis electorum, in quibus Deus amabilis est, et perditionis reproborum, in quibus terribilis est, designant perpetuitatem : quia et justorum quidem salvatio, et illorum perditio incipit, sed utraque in æternum non desinit. Et figura quidem sapphirina beatitudinem exprimit electorum propter mansuetudinem divinæ misericordiæ, quæ ab æterno, et in æternum super eos est. Rubea vero figura, quæ ignis speciem gerit, perditionem innuit reproborum; quia quasi ignis devorans et consumens Deus reprobis apparet, quos et ab æterno reprobat, et in æternum condemnat. Hæc de Moysi ingressu dicta sint. Ut autem hæc omnia sublimia et sancta, de quibus prolixa jam locutione tractavimus, et cum absunt studiosa sollicitudine et sollicito studio acquirantur, et cum adsunt perseveranti devotione exerceantur, sanctorum, qui nos vel in via Dei præcesserunt, vel in ea nobiscum eunt, copiose ad manus habemus exempla, ut eo nobis leviora ad exercendum videantur, quo sæpius ab aliis frequentata non ignorantur. Ideo post hæc omnia in circuitu tabernaculi fideles, et sanctos tam clericos in omni gradu, quam laicos in utroque sexu depinximus; quia ut in nobis et acquiramus, et retineamus sanctæ religionis exercitia, de bonis clericis, et laicis sumere debemus exempla. In spatio itaque sapphirino, quod cœli habet speciem, quando serenum est, cum propriis, quibus mancipantur, ministeriis, continentur clerici : in campo quoque viridi, qui terram repræsentat, misericordiæ operibus insistentes depicti sunt laici, quatenus et religiosos imitemur in puritate contemplationis, et sæculares in utilitate bonæ actionis.

CAPUT XVI.

Quid per duos Levitas, tubis argenteis ad ostium tabernaculi clangentes, moraliter accipiendum sit.

CLXXV. Considerandum post hæc nobis est, quid duo Levitæ tubis argenteis ante tabernaculum clangentes secundum sensum moralem innuant. Ex his vero duobus Levitis in pictura nostra unus a dextris, juxta ostium, alter statuitur a sinistris : per quos nihil aptius quam timor et amor accipitur. Ille autem Levita, qui clamat : *Quiescite agere perverse* (*Isa.* I, 16), timorem designat, qui nos a malo re-

Digitized by Google

trahit; ille vero, qui dicit : *Discite bene facere*, amorem, qui nos ad bonum excitat. Quasi duo Levitæ timor et amor sunt, qui hoc nostrum, de quo jam plura dicta sunt, tabernaculum cordis, seu nostrarum secretum affectionum vehementius, quasi quibusdam tubarum sonis movent. Sunt enim timor et amor quasi duo motus cordis, quibus anima rationalis ad omne, quod facit, agendum impellitur. Hi duo cum boni sunt, omne bonum perficiunt. Per timorem namque bonum, mala caventur; per amorem bonum, bona exercentur. Cum autem mali sunt, omnium malorum causa existunt. Per timorem etenim malum, a bono receditur; per amorem vero malum, facinora perpetrantur. Sunt ergo hæc quasi duæ portæ, per quas et mors et vita egrediuntur. Mors quidem, quando aperiuntur ad malum; vita autem, quando ad bonum referuntur. Unde et hi duo Levitæ, qui timorem, et amorem bonum 440 designant, ad ostium tabernaculi in pictura nostra statuuntur. Sed de timore et amore, qui per hos duos Levitas moraliter accipiuntur, loqui volentibus considerandum est quia et amor cum sit motus mentis naturaliter unus, secundum diversas qualitates tamen diversa nomina sortitur, et dicitur aliquando cupiditas, quando ad mundum est : charitas vero, quando ad Deum est; et timor, cum ipse sit motus necessitatis naturaliter unus, secundum varios tamen modos quibus habetur vel operatur, variis nominibus figuratur, et dicitur mundanus atque servilis, quando ad mundum et ad peccatum est : initialis vero et filialis, quando ad bonum, et per bonum est. Sunt itaque hi quatuor timores, servilis, mundanus, initialis, filialis. Servilis timor est, pro evitanda pœna abstinere a mala, retenta voluntate mala. Mundanus vero timor est, pro evitanda pœna abstinere a bono, retenta voluntate mala. Initialis vero timor est, pro pœna evitanda cum perverso opere, etiam cogitationes pravas resecare. Et filialis timor est, bono firmiter adhærere, quia illud amittere nolis. Timor servilis pœnam quæ ab hominibus infertur metuit, et idcirco sufficit ei cessare a malo opere; quia hominibus placere volens, ad oculum servit et conscientiæ reatum non metuit. Mundanus vero timor hominibus placere non quærens, sed tamen displicere metuens, et ipse, quod non est, fingit, tam mendax in veritate neganda, quam fallax alter in falsitate tegenda. Et uterque in veritate offendit : alter, quia timide negat, quod est; alter quidem perverse simulat quod non est. Initialis quoque timor est, qui dum eam, quam Deus comminatur, pœnam metuit et declinare satagit nequaquam sibi sufficere videt, ut ab illicita se operatione contineat, nisi etiam sincera atque impolluta appareat ipsa cordis cogitatio. Et ideo hic timor initialis dicitur, quia sub hoc per bonam voluntatem et virtus initium capit, et vitium finem. Necdum tamen perfectio est, quia dum aliud agitur et aliud intenditur, ipsum adhuc propter se bonum non amatur. Tamen accidit ut charitas intret per timorem istum, qui A dum demonstrat, quod fugere debeamus periculum, quodammodo appeti jubet et desiderari præsidium. Convertit ergo cor ad Deum, ut quodammodo ab ipso fugiat ad ipsum, hoc est, dum cavet habere iratum, studeat habere propitium. Hunc sequitur timor filialis, qui succedente charitate nascitur, ut ipsum timere nihil aliud sit, quam degustatum in charitate bonum jam nolle amittere. Jam amas ad reverentiam voluntarius, non times ad pœnam invitus. Hæc quatuor genera timoris illi quatuor gradus, qui ad Levitam illum, per quem timor exprimitur, ponuntur, designant.

CLXXVI. Et quia ex his quatuor timoribus duo boni sunt, initialis, et filialis; duo vero mali mundanus, et servilis; duos debemus nobis habere, duos vero a nobis projicere. Idcirco ex his quatuor gradibus, qui prædictos quatuor timores innuunt, duos ad dorsum Levitæ posuimus, duos vero ad faciem ejus; ut duos malos, servilem scilicet et mundanum post dorsum mentis per odium projiciamus : duos vero bonos, initialem scilicet et filialem ante cordis faciem per exercitium habeamus. Amor quoque, qui per alium Levitam accipitur sicut superius dictum est, appellatur cupiditas, quando ad malum est, charitas vero, quando ad bonum. Charitas autem, sicut passim in Scriptura legimus, gemina est, Dei videlicet et proximi. Dei, ut sic ipsum diligamus, quatenus in ipso gaudeamus. Proximi, quatenus ipsum diligamus, ut non in ipso; sed cum ipso in Deo gaudeamus : hoc est, ut Dominum amemus propter seipsum, proximum autem propter Dominum. Deus namque idcirco propter seipsum diligendus est, quia ipse est bonum nostrum; proximus propter Deum, quia cum ipso est bonum nostrum in Deo. Illum diligimus, ut et ad illum perveniamus, et in eo gaudeamus; istum, ut cum ipso curramus, et cum ipse perveniamus. Illum, ut gaudium; istum, ut gaudii socium. Diligere debemus proximum nostrum, sive bonus sit, sive bonus non sit si tamen bonus esse possit. Quicunque vel bonus est, vel si bonus non est, bonus esse potest, proximus noster est et a nobis amandus est. Qui autem sic mali sunt, ut jam amplius boni esse non possint, proximi nostri non sunt; idcirco a nobis amandi non sunt. Tales sunt dæmones et homines reprobi, cum dæmonibus damnati, qui nostri proximi 441 non sunt, sed a nobis alieni, et omnino extranei, quia eis reditus ad bonum amplius non patet. Qui idcirco a nobis diligendi non sunt, quia ab illo bono, in quo omnis diligitur, qui bene diligitur, irrecuperabiliter corruerunt. Sed illos diligere debemus, qui vel per bonitatem non cesserunt, vel si forte cesserunt, per Dei gratiam et arbitrii libertatem iterum redire possunt. Non enim omnino longe sunt, qui, etsi abierunt, adhuc redire possunt. Isti sunt proximi, quos diligere debemus, vel in Deo, si non recesserunt, vel propter Deum, si redire possunt. Et hoc est quod nobis præcipitur, ut et amicum diligamus in Deo, et inimicum propter Deum. Amicum in

Digitized by Google

Deo, quia Deum habet : qui quidem amicus non esset, si Deum non haberet. Inimicum propter Deum, ut habeat Deum : ut, qui Deum non habendo inimicus est, Deum habendo amicus fiat. Hæc omnia per exemplum possumus evidenter videre. Si mel dulce est, dulcis est favus ; et si mel diligis, diligis et favum, qui est receptaculum mellis. Sed cum mel diligitur, ideo diligitur, quia ipsum dulcedo est. Cum autem favum diligis, non ideo diligis, quia ipsum est dulcedo ; sed quia in ipso est dulcedo : quia videlicet ipse favus receptaculum dulcedinis est. Mel itaque propter seipsum diligitur, favus propter mel. Et si forte vides favum non habentem mel, vides receptaculum ubi mel esse debuerat ; et doles vacuum esse ; et non placet tibi quod aridum est ; et cupis ibi mel esse quod diligis ; et si venerit in illud mel, magis illud diligis. Ita dilige Deum tuum propter seipsum, quia ipse dulcedo est ; proximum autem dilige, quia ipse dulcedinis hujus receptaculum est, et eamdem in ipso dilige, et ipsi eam dilige, et ipsum propter eam dilige. Si autem proximum tuum vacuum inveneris hac dulcedine, dole ; quia receptaculum tuum inane vides, et opta ut veniat in eo bonum suum, sine quo bonus esse non potest.

CLXXVII. Hæc itaque gemina est charitas Dei et proximi ; et hoc modo Deus, et proximus diligendus est. Sed quia, sicut superius diximus, amor aliquando bonus est, aliquando malus : malus, quando ad malum est, et tunc cupiditas dicitur ; bonus vero, quando ad bonum, tuncque vocatur charitas, et charitatis duo præcepta sunt : sicut paulo ante timoris genera gradibus distinximus, ita et nunc istos amoris modos gradibus distinguimus. Unum itaque post dorsum Levitæ, per quem, de quo loquimur, amor exprimitur, gradum posuimus : ut pravum illum amorem, qui cupiditas dicitur, post dorsum mentis per contemptum, et odium projiciamus. Duos vero ante faciem ejusdem Levitæ posuimus, ut charitatem geminam, Dei videlicet et proximi ante cordis faciem et per approbationem plenam, et exercitium continuum toto studio habere conemur. Qui etiam gradus ex colore rubeo, qui ignis habet speciem, facti sunt ; quia charitas, quem afficit ardere facit. Superior quoque gradus dilectionem exprimit Dei, qui in summo est ; inferior vero, proximi, qui nobiscum versatur in imo. Et ex gradu superiore tres sursum gradus extenduntur ; quia Dei dilectio per tria distinguitur, qui ex toto a nobis corde, ex tota anima, ex tota virtute diligi jubetur. *Qua in re*, sicut ait B. Gregorius, *notandum est, quod divinus sermo, cum Dominum diligi præcipit, non solum narrat ex quo, sed etiam informat ex quanto, cum subjungit ex toto ut videlicet, qui Deo perfecte placere desiderat, sibi de se nihil relinquat.* Ex gradu vero inferiore duo deorsum gradus dependent : quia ad duo præcepta proximi dilectio derivatur, cum per sapientem quemdam dicitur : *Quod tibi ab alio oderis fieri, vide ne tu alteri facias.* Et per semetipsam Veritas dicit : *Quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos* eadem *facite illis* (*Matth.* VII, 12). Quibus duobus utriusque Testamenti mandatis, per unum malitia compescitur, per aliud benignitas prorogatur : ut malum, quod pati quisque non vult, non faciens, cesset a nocendi opere ; et rursum quod sibi fieri appetit, bonum impendens, erga utilitatem proximi exerceat se ex benignitate. Quæ duo dum sollicite cogitantur, cor ad innumera virtutum ministeria tenditur ; ne vel ad inferenda, quæ non debet, desideriis inquietata mens ferveat ; vel ad exhibenda, quæ debet, otio resoluta torpescat. Hæc de duobus Levitis, tubis ad ostium tabernaculi clangentibus, juxta moralem significationem dicta sufficiant.

442 CAPUT XVII.

Quomodo duæ columnæ ignis et nubis, quæ ex utraque tabernaculi parte depictæ sunt, juxta sensum tropologicum debeant intelligi.

CLXXVIII. De duabus vero ignis, et nubis columnis, quæ in plano picturæ, ex utraque hinc inde tabernaculi parte sunt, breviter nimirum secundum intellectum moralem tractare proponimus : quia et in parte præcedente his allegorice exponendis aliquandiu immorati sumus, et ad quædam, quæ adhuc restant, discutienda festinamus. Diximus frequenter quia juxta sensum allegoricum, tabernaculum Moysi Ecclesiam exprimit Christi. Supra quod tabernaculum icon quædam a dextris nubem, et a sinistris tenens ignem, eminet : quia sanctæ Ecclesiæ prælati sui præsident, qui et illis subjectis, qui in prava vita perseverare decernunt, ignem terroris ; et illis qui sanctæ conversationi insistere eligunt, nubem exhibent mansuetudinis. Illis dicunt : *Quid vultis ? In virga veniemus ad vos, an in spiritu mansuetudinis ?* (*I Cor.* IV, 21). Quasi dicerent : Quia in parte sinistra vos statuit pravitas reprobæ conversationis, digni estis, ut vos in virga visitemus rigidæ districtionis. Istis autem e contrario dicitur : *Non dominamur fidei vestræ, sed coadjutores sumus gaudii vestri : nam fide statis* (*II Cor.* I, 23). Ac si diceret : Quoniam per fidem, quæ per dilectionem operatur, in sanctitatis culmine statis, justius nimirum et dignius est, ut bono vestro proposito per charitatem auxiliemur, quam ut vobis per austeritatem dominemur. Hanc nubem, et hunc ignem baculus designat pastoralis, qui et in parte superiori curvus est, et in inferiori acutus ; quatenus et eos, qui terrenis per affectum incumbunt, correptionis acumine pungat : et eis qui supernis inhærent, affectu se compassionis pastor inclinet. Quod itaque curva pars baculi designat in summo, hoc et nubes iconis innuit a dextris : et quod acuta designat in imo, hoc et ignis iconis significat a sinistris. Per Moysen vero qui ibi juxta subjectos a sinistris positus in flagello, et gladio depingitur, eadem prælatorum justa severitas accipitur, quæ perversis subjectis et correptionis gladium et disciplinæ flagellum minatur. Juxta illos quoque subjectos, qui a dextris sunt, ejusdem Moysi manus sustentantur, et sustentatæ, leves reddantur : quia subjectis humilibus prælatorum distri-

Digitized by Google

etio temperatur : quas profecto manus Aaron et Hur sustentant. Per Aaron, qui *mons fortitudinis* interpretatur, juxta significationem moralem, virtus humilitatis accipitur ; quia quo magis infimum se aliquis conspicit, et infirmum, eo magis sublimis est et fortis. Per Hur vero, qui *ignis* dicitur, ardor exprimitur dilectionis. Moraliter itaque manus Moysi Aaron sustentat et Hur, quando prælatum quemlibet disertum et justum tam in corripiendo, quam in parcendo et sublimis fortitudo humilitatis, et ardor temperat charitatis : ne vel per superbiam in corripiendo nimis rigidus, vel per teporem in parcendo nimium sit remissus.

CLXXIX. Quod vero hæc de qua loquimur icon et subjectis, qui a sinistris sunt : *Si quis hoc, vel hoc fecerit, morte moriatur* (*Exod.* xxi, 18), dicit in igne ; et his qui a dextris sunt : *Veni vocare peccatores in pœnitentiam* (*Matth.* ix), dicit in nube : Quid esse putamus, nisi quod prælati Ecclesiæ et rebellibus subjectis pœnam comminantur cum terrore, et humilibus veniam pollicentur cum lenitate ? Omnia vero illa, quæ ad aliam pertinent iconem, ubi ex altera parte et salvatio electorum, et perditio depingitur reproborum : si subtiliter consideras, his, de quibus loquimur, prælatis, vel subjectis juxta hanc duntaxat significationem congruere videbis ; ut, sicut paulo ante in parte præcedenti ostendimus, hæc omnia, quæ modo ex utraque tabernaculi parte, in plano picturæ, ab invicem in imo jacent divisa : quando supra ipsum tabernaculum erectum elevata, et ad invicem fuerint conjuncta ; quantum ad sensum pertinet allegoricum, et vocationem gentium, et repulsionem denotare Judæorum : ita juxta intellectum quoque moralem hæc eadem insimul in summo conjuncta et officium prælatorum, et conversationem scias exprimere subjectorum. Quasi enim, ut breviter dicamus, et damnatis, qui a sinistris sunt, *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* xxv, 41), in pictura nostra icon nostra dicit in igne : et salvatis, qui a dextris sunt : *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum* (*ibid.* 34), eadem icon dicit in nube : **443** quando quilibet sanctæ Ecclesiæ prælatus et inobedientes subjectos ob divinorum mandatorum, quæ mente a se obstinata ejiciunt, contemptum, terribiliter in ignem æternum asserit ituros ; et obedientes ob præceptorum cœlestium, quæ corde humili suscipiunt, exsecutionem, misericorditer regnum cœleste denuntiat possessuros. Hæc de gemina ignis, et nubis columna breviter diximus

CAPUT XVIII.

Alia de eodem capite alio modo juxta sensum moralem expositio.

CLXXX. Occurrunt adhuc in uno pauca quædam, quæ de hac ignis et nubis columna aliquantulum subtilius consideranda sunt, quæ modo digna diximus commemorare : quia, sicut non semel superius dictum est, exterius illud Moysi tabernaculum internum designat animi secretum. Super hoc tabernaculum columna jugiter pendet : quia cor nostrum vel defendit assidue cogitatio, vel accusat. Unde et Apostolus ait : *Et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium* (*Rom.* ii, 15). Cor namque nostrum bene sibi conscium cogitatio defendit ; male vero conscium accusat. Hinc est, quod, cum semper hæc de qua loquimur, columna super tabernaculum esset, in die quidem nubis, in nocte vero gerebat speciem ignis. Per ignem quoque, ut sufficienter in superioribus ostensum est, severitas terroris ; per nubem, blandimentum lenitatis ; et per noctem vita peccatoris, et per diem vita justi accipitur. Super tabernaculum itaque in die nubis, et in nocte columna ignis est ; quia interna cor nostrum cogitatio, et cum boni sumus, pro claritate sanctitatis, qua illustramur, per lenitatem consolationis demulcet ; et cum mali sumus, pro caligine pravitatis, qua obscuramur, per terrorem reprehensionis deterret. Reprehensio cordis nostri duplex est ; quia cum male agimus, non solum tribulatione temporali ; sed cum in malo perseveramus, æterna nos damnatione judicat dignos. Sicque duplex animam peccatricem reprehensio etiam in præsenti aspere concutit. Una de culpa, quam misere perpetrat ; altera de pœna, quam trepide formidat. Similiter et cordis nostri consolatio gemina est ; quia cum bonum et ex affectu ardenter diligimus, et in affectu perseveranter exercemus, non tantum in mentis cubili suaviter pausamus ; sed ut et mensis ex mense, et Sabbatum ex Sabbato sit ad securam etiam æternitatem, et æternam supernæ quietis securitatem nos venturos confidenter speramus. Sicque bina nos consolatio recipit, una de merito, quod est in re ; altera de præmio, quod nunc quidem firmiter est in spe, sed in futuro in re. Hæc autem feliciter erit gemina cordis tam consolatio, quam reprehensio : quæ etiam per picturas, quæ ex utraque tabernaculi parte, juxta geminam hinc inde ignis, et nubis columnam sunt, figuraliter, ni fallor, accipi potest. Per Moysen namque, qui ex una tabernaculi parte, juxta Judæos igni proximus flagellum tenens, et gladium, depictus est, hanc, de qua loquimur, cordis accusationem accipimus ; quæ nimirum cordis accusatio quemlibet in lege ficte viventem, qui videlicet in manifesto Judæus est, qui et eam solummodo, quæ in lege est, circumcisionem per exteriores observantias et carnis justitias, oculis hominum placere gestiens, exercet, et internam mentis sinceritatem, ejusque testimonium, qui absconditorum cognitor et intentionum est discretor, negligit : correptionis læsione, quasi quodam ictu flagelli et reprehensionis morsu, quasi quodam acumine gladii aspere ferit. Unde et numero ibi undenario, qui legis designat transgressionem, Judæi depicti sunt. Quos Judæos ipsa lex, quæ per Moysem accipitur, de transgressione redarguit : sicut versiculus a Moyse exiens, et sub ipsis Judæis scriptus, ostendit : scilicet : *Redarguti a lege, quasi transgressores* (*Jac.* ii, 9). Quasi Judæos namque et flagello ferire, et gladio perimere

Digitized by Google

comminans in tabernaculo depingitur Moyses, quando mentem, quæ legem transgreditur, cogitatio transgressionis conscia et ferit per correptionem, et morte censet dignam per reprehensionem. Per infernum vero, qui de contra, ex altera parte, ad deglutiendos reprobos juxta ignem positos succensus, et apertus in angulo depictus est, eamdem nihilominus peccatricis animæ accusantem conscientiam denotamus; quia a semetipsa in semetipsa, quantum et ad malum suum meritum, et ad districtum Dei pertinet judicium, damnatione 444 æterna etiam in præsenti digna judicatur. Quasi enim quidam infernus reprobos absorbens in tabernaculo depingitur, quando pœna in mente infernalis, cruciatusque damnatorum et attente in cogitatione prævidetur, et sollicite per timorem formidatur.

CLXXXI. Hæc de duplici cordis accusatione. Per Moysen vero, qui ad australem tabernaculi partem, a dextris nubis juxta Christianos prope ipsam nubem positos, depictus est, mentis sanctæ bene sibi consciæ interna exprimitur consolatio, quæ mentem sanctam per conversationem religiosam Redemptori suo, qui per nubem designatur, approximantem leniter demulcet. Unde apte ejusdem Moysi manus Aaron et Hur in hoc loco sustentant. Per Hur namque, qui *ignis* dicitur, ardor dilectionis divinæ : per Aaron vero, qui *mons fortitudinis*, stabilitas accipitur supernæ contemplationis; quia et in fortitudine robur stabilitatis, et in monte sublimitas contemplationis accipitur. Manus itaque Moysi et Judæis juxta ignem positis, flagellum et gladius graves efficiunt; et Christianis prope nubem locatis Aaron et Hur sustentando leves reddunt : quia et iniquum quemlibet per legis transgressionem Deitatis ignem superbe contemnentem interna cordis sui male sibi conscii accusatio et correptionis flagello percutit, et reprehensionis gladio cruentat : et sanctum quemlibet per charitatis impletionem humanitatis nubem humiliter imitantem, dum et ardore dilectionis Conditoris sui ardenter flagrare, et sublimitati sanctæ contemplationis perseveranter studet vacare, interna quædam consolatio pleno bonæ conscientiæ genita testimonio, in suavi quodam cubili pacat, et tranquillat. Unde et iidem Christiani numero quindenario ibi juxta nubem depicti sunt; quia viri sancti hac interna consolatione pacati in interna quiete octavam futuræ resurrectionis, spe felici, exspectant. Sub quibus videlicet Christianis hic versus scribitur : *Gentes autem super misericordia honorare Deum* (*Rom.* xv, 9). Quia Christiani omne bonum, quod agunt, non suis meritis, sed divinæ deputant misericordiæ. Per electorum quoque salvationem, quæ de contra ex parte alia depicta est, ubi iidem electi, et ad regnum vocati, et ad idem regnum, ubi drachma Christus est, euntes depinguntur; eam accipimus consolationem, quæ sanctos in spe futuræ beatitudinis, etiam in præsenti lætificat : qui in tali tantaque spe, fiducia erecti et confirmati sunt, ut cum Apostolo dicere possint : *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis* (*II Cor.* v, 1). Miro namque modo jam quodammodo habent, quod se quandoque habituros, firmiter sperant. Adhuc enim vas electionis, apostolus Paulus non solum in hoc mortali corpore in terris, sed in carcere fortassis detentus erat, et in vinculis, quando de se, suisque concivibus dicebat : *Qui nos conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus* (*Ephes.* II, 6). Jam itaque se et conresuscitatum quodammodo, et in cœlestibus sessurum confidebat. Et David ait : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus* (*Psal.* CXXI, 1). Necdum ad domum Domini pervenit, et jam se lætatum esse perhibuit, quia illo se iturum esse audivit, ubi diligenter memoriæ commendandum, ut sine oblivione incessanter in mente retentandum est quia ineffabilis tunc inerit lætitia de perceptione illius beatitudinis, quæ tunc erit in re, dum tanta nunc eos afficit exsultatio in exspectatione ejusdem felicitatis, quæ nunc est in spe Non enim mirum est, si multum sapidum erit, quod plenarie gustus attinget experientiæ, dummodo tantum sapit quod tenuiter olfactus percipit famæ. Hæc omnia, quæ de hac gemina consolatione dicta sunt, tunc in tabernaculo depinguntur; quando hæc hoc modo in mente et per intellectum agnoscuntur, et per affectum diliguntur, et per effectum exercentur.

CLXXXII. Quod autem istæ, de quibus hoc modo loquimur, ignis, et nubis columnæ erecto ipso tabernaculo ad invicem in summo, cum picturis, quæ ad easdem columnas pertinent, erunt conjunctæ, nec hoc a mysterio juxta hanc significationem vacare credendum est. Ut enim, qui super his sentiamus, absque aliorum præjudicio breviter ostendamus, erecto tabernaculo, et Judæi damnatis, et Moyses flagellum, gladiumque in manibus ponderosis tenens, inferno; Christiani, ad regnum electis vocatis, et Moyses ab Aaron et Hur sustentatas manus habens, eisdem electis ad regnum euntibus, conjunguntur : quia finito hujus mundi statu, et iniqui perenniter sentient in pœna, quod nunc 445 trepide formidant in conscientia; et justi plene, et feliciter habebunt in re, quod nunc gaudenter et firmiter habent in spe. Et hæc sunt, quæ de columna ignis et nubis, salvo subtiliore, qui eruditioribus sensibus patet, intellectu; prout nobis visum fuit, secundum sensum moralem diximus. Quod si alicui forte ea quæ de picturis in hunc modum dicta sunt, displicuerunt, contradicere saltem non poterit, quin et ignis severitatem terroris, et nubes blandimentum lenitatis, et nox vitam iniqui, et dies vitam exprimat justi. Quæ si ita sunt, imo quia ita sunt, a fidei veritate, ut arbitror, deviare dicendi non sumus, si et per illam, quæ visibili quondam Moysi tabernaculo præeminebat, columnam nostram, quæ mentis nostræ præesse debet tabernaculo, juxta sensum moralem, accipimus conscientiam; et per

Digitized by Google

nubis speciem, quæ eidem columnæ inerat in die, mentí nostræ ab eadem conscientia pro claritate sanctitatis illatam consolationem : et per ignis, quæ prædictæ columnæ inerat in nocte, cordi nostro pro pravitatis obscuritate allatam accusationem.

CAPUT XIX.

De quinque picturæ spatiis : quid per ea moraliter accipiendum sit.

CLXXXIII. De morali quinque spatiorum, per quæ pictura nostra divisa est, significatione compendiose loqui proponentibus, quædam nobis ex his, quæ prolixe superius dicta sunt, breviter repetenda sunt, quo ad ea, quæ dicere proponimus, competentius veniamus. Diximus in præcedentibus, quia in primo spatio utriusque temporis depicti sunt laici, estque quidam quasi ager spatium hoc, in quo bonæ simul et malæ herbæ commistæ nutriuntur. In spatio vero secundo et Veteris et Novi Testamenti clerici sunt, quod nimirum spatium non incongrue horto comparatur, in quo electæ herbæ plantantur. Spatium vero tertium ad immolanda in altari æneo holocausta illi, qui ætate maturi, et puritate erant conspicui, intrabant Levitæ; quod nimirum spatium quoddam quodammodo regis atrium appellari potest, in quo obsequiis suis amici sui et familiares insistunt. Quartum quoque spatium sacerdotes ingrediantur, quod quædam domus est, in qua parentes ejus et cognati recipiuntur. Spatium denique quintum, quod et intra velum est, et Sancta sanctorum dicitur, in quo etiam solus pontifex ingreditur, quasi quidam privatus thalamus est, in quo Sponsus, et sponsa eo amore suaviore, quo in loco secretiore conjucundantur. In loco namque hoc arca est, et in arca manna; estque arca in loco illo, quasi lectus in thalamo, et in arca manna, quasi suavitas in lecto. Hæc itaque quinque sunt spatia, per quæ nostra est distincta pictura : quæ etiam omnia animæ humanæ juxta intellectum duntaxat moralem adaptari possunt. Mens namque nostra multoties a semetipsa egreditur, egressa per exteriora dispergitur, dispersa dissipatur. Sicque dispersa et dissipata, per inania visibilium et invisibilium phantasmata vagatur : nunc bona bene et mala male : nunc male bona et bene mala cogitat, nec tamen his vel illis cogitationibus insidet et inhæret; sed huc illucque vaga et erronea discurrit, nec usquam in cogitatione aliqua quiescit. Hæc itaque mens primum in se spatium depingit, cujus cogitationes quia innumeræ, et nec bonæ solummodo et malæ, sed bonæ simul, et malæ sunt, recte cujusdam agri latitudini, in quo bonæ simul et malæ herbæ sunt, comparari possunt.

CLXXXIV. Aliquando vero ab hac infinita distractione se nostra in se mens revocare studet, revocatam ad se colligit, collectam sibi approximat, approximatam juxta se ponit; et quia necdum de his, quæ ad vitam pertinent æternam plene cogitare scit, de præsentis vitæ necessariis, exclusis otiosis et inmundis, illicitis et superfluis cogitationibus, in cogitatione sese intromittit. Studet sollicita, quærit anxia quomodo et quæ desunt exquirenda, et quæ adsunt expendenda; quomodo etiam noxia et cum imminent devitentur, et cum nocent, expellantur; quomodo et salubria acquirantur, et acquisita exerceantur; et de cæteris huic temporali vitæ necessariis cogitat. Quas cogitationes, quia de hujus vitæ necessariis sollicite se intromittunt, cuidam nimirum horto, in quo solæ electæ herbæ, hominumque usui necessariæ nutriuntur, comparavimus. Quando vero mens nostra de bonis, quæ per corpus perpetranda sunt, operibus sollicite 446 se cogitatione intromittit; quando, quomodo vitiis resistendum virtutibusque acquirendis insistendum sit studiose cogitat : quando omni cura exquirit, quomodo et oculi a vanitate claudendi sunt per contemptum mundi, et aures de curiositate obturandæ per compunctionem animi, et olfactus a voluptate observandus per gravitatem boni desiderii, et gustus ab edacitate mortificandus per rigorem jejunii, et lingua a loquacitate refrenanda per habenam silentii, et tactus ab impuritate compescendus per virtutem propriæ mortificationis, et cæteri denique membrorum motus ab impuritate conservandi per maturitatem sanctæ conversationis, hæc mens summi in se Regis atrium construit, in quo cogitationes graves et mundæ, quasi quidam et ætate maturi et puritate conspicui Levitæ holocausta Domino immolant; in quo, inquam, atrio illi morales Levitæ, cogitationes videlicet sanctæ, humilitatis cultro taurum superbiæ; castitatis, hædum luxuriæ; maturitatis, vitulum lasciviæ, cæterosque bestiales motus mortificare conantur.

CLXXXV. Quod si non solum de externa corporis munditia, sed de interna etiam cordis puritate nostra se mens sollicita cogitatione intromittit, ut breviter dicamus : domum intra se, in qua parentes ejus et cognati recipiuntur, construit. In quantum etenim familiaribus et amicis nostris nostri nobis parentes et cognati viciniores sunt, in tantum istæ cogitationes de interna mentis puritate illis cogitationibus, quæ de externa corporis sanctitate sese intromittunt, sunt sublimiores : quia quanto spiritus corpore dignior, tanto sanctitas spiritualis corporali est celsior. Si autem ad tanta mens nostra conscenderit perfectionis fastigia, ut ei jam necesse non sit vel contra carnis incitativa, vel contra cordis reluctari phantasmata : sed toto conamine per cogitationis stabilitatem, per contemplationis puritatem, per speculationis suavitatem, suum Deo spiritum, quantum in hac carne mortali datur, unire contendit, illum omni hora et pure cogitans, et ardenter amans, et vehementer desiderans : profecto quintum picturæ nostræ spatium, quod thalamo comparavimus, in semetipsa depinxit. In hoc thalamo omissis interim cunctis cogitationibus, in agro arantibus, et seminantibus, in horto plantantibus, rigantibus; in atrio immolantibus et sacrificantibus; in domo comedentibus et bibentibus, anima humana, quæ sponsa Dei est, Sponso suo Deo, sola soli,

Digitized by Google

et firmiter in charitatis amplexu copulatur, et suaviter in unitate spiritus conglutinatur. Et hoc modo quinque picturæ nostræ spatia animæ humanæ adaptavimus. In primo vero spatio scribo, *extra*, in secundo, *juxta*; in tertio, *prope*; in quarto, *intra*; in quinto, *supra*: quia in agro instabilium cogitationum mens nostra extra semetipsam est; in horto quoque temporalis vitæ cogitationum, juxta semetipsam est, in atrio provisionis corporalis castitatis, prope semetipsam est; in domo intentionis spiritualis puritatis, intra semetipsam est; in thalamo, in quo altitudini secretæ contemplationis intendit, supra semetipsam. Est itaque extra semetipsam per instabilem fluctuantium cogitationum evagationem; juxta semetipsam per licitam necessariarum rerum et terrenarum occupationum sollicitudinem; prope semetipsam per externam corporis purificationem; intra semetipsam per internam mentis sanctitatem; supra semetipsam per defæcatæ contemplationis sublimitatem.

CLXXXVI. Multa quidem, et alia, venerande Pater, de hac nobis materia dicenda occurrunt; sed scire nos convenit, quia sicut studiosorum fervori, sic nihilominus est fastidientium consulendum tepori. Unde et librum hunc per tres quidem partes distinximus; sed tali eum medio temperavimus, ut quadam ut ita dicamus, sententiarum et magna exiguitate, et exigua magnitudine collata, nec nimium prolixus pigris, nec nimium sit superfusus studiosis: dum per eum et istis odor quodammodo in majora audendo, aviditatem: et illis gustus in hæc saltem intelligendo conferre potest satietatem. Sed inter hæc, Domine mi dilectissime, scire debetis, qua, ut verbis utar Apostoli: *Factus sum insipiens? vos me coegistis* (*II Cor.* XII, 11). Ut enim vestræ, sicut debui voluntati adessem, aperui os meum, et locutus sum, et loquendo prodidi insipientiam meam: ne, si tacuissem, quæ mihi deerat, inesse putaretur sapientia. Stultus namque ut ait quidam sapiens, si tacuerit, sapiens reputabitur. Perdidi, inquam, loquendo insipientiam meam; sed non ad insipientiam mihi, dum hujus meæ locutionis et charitas causa est, et 447 humilitas fructus. Charitatis etenim est, quod vestræ obediens voluntati servivi forsitam profectui plurimorum: humilitatis vero, quod videre possunt quid desit mihi, quia scio quod nescio. Si ergo me aliquis injuste calumniari voluerit morsus invidia, pro eo quod illius in hoc libro mihi adfuit absentia, quæ inflat (*I Cor.* VIII, 1), liberari nimirum debeo; quia et illius mihi in eo non defuit præsentia, quæ ædificat (*ibid.*), et illius quæ humiliat. Præterea quia corripi debet, qui ignoranter errat; et damnari dignus est, qui errorem suum scienter excusat: me quoque, etsi a veritate, in his quæ dixi, me deviasse non plene agnosco, quod tamen ab ea omnino non deviaverim, nec temere abnego, nec correptionem rationabiliter ostensam superbe refuto: quatenus et cum David de corporis sui lapsu humiliter pœnitente, a Nathan salubriter corripiar; et nequaquam cum Saule de sua se inobedientia tumide excusante, a Samuele miserabiliter condemner.

EPISTOLA ADAMI

Ad viros vitæ venerabilis canonicos ecclesiæ Præmonstratensis, de triplici præfati tabernaculi pictura; et de triplici genere contemplationis.

Dilectissimo, et illustrissimo, atque in Christo complectendo conventui canonicorum omnipotenti Deo in ecclesia Præmonstratensi famulantium frater Adam, Dei, servorumque Dei humillimus servus, modicum id, quod sum, si quid tamen sum.

Librum, o vitæ venerabilis viri! de triplici tabernaculo compositum vobis absentes absentibus transmisimus, quem præsentes præsentibus promisimus. Et munus quidem modicum, non modica tamen devotione transmissum. Ipsum igitur donum ex affectu donantis libra vestræ penset æquitatis. Nam dignum et justum est ut nequaquam parvum ipsius vestra apud se habeat æstimatio munus, cujus in vestræ cogitationis oculis magnus est animus: quia ibi nullo modo modicæ valet apparere mensura quantitatis, ubi quidquid est, ipsa in se transfert et absorbet plenitudo totius. Quia vero pro eo, quod materia, de qua agebamus, fuit non mediocriter profunda, multa nimirum occurrerunt dicenda. Prædictum igitur librum in tres partes distinximus, suasque eisdem partibus congruentias proprias sigillatim apposuimus: ut plene cognito singularum compendio, ipsum, licet admodum prolixum, in ipsa consequenter lectores nostri apud se cognitione perfecte comprehenderent totum. Et prima quidem pars de visibili illo et antiquo Moysi tabernaculo tractat; secunda, de tabernaculo Christi: quod est sancta electorum Ecclesia; tertia vero, de tabernaculo Spiritus sancti: quod est pia, et fidelis anima. Ad tabernaculum primum pertinet historia; et est in ipsa rei gestæ veritate. Ad secundum, allegoria; et est in catholica fidei non fictæ credulitate. Ad tertium, tropologia; et est in interna secretæ conscientiæ puritate. Primam et secundam partem in se continet pictura; in ipsa sui planitie qualiter vetus illud tabernaculum Moysi cum his, quæ ad illud pertinebant, in re factum fuit, et dispositum: statim in exordio secundæ partis ostendens, quantum in ipso plano

Digitized by Google

valet ostendi. Atque post hanc ostensionem, quomodo universa illa visibilia tabernaculum Christi, quod est Ecclesia, per significationem **448** exprimant, in eadem parte invenietis. In parte vero tertia, prædicta, sub significatione morali ab ipsa inchoatione, visibilia repetuntur : et qualiter ad tabernaculum Spiritus sancti, quod est pia et fidelis anima, pertineant, demonstratur; atque non adversæ significationum moralium diversitates per varietates colorum ac distinctiones graduum, congruenter notantur.

Præfatum itaque librum coram vobis legi facietis, ipsamque nihilominus picturam, versis ad orientem campis illis in quibus depicti sunt imperator Constantinus et apostolus Petrus; ad eamdem etiam plagam verso atriorum introitu, ac Sancta sanctorum, ut ad occidentem Sancta sanctorum respiciant, coram vobis extendetis : quatenus percipiatis tam quæ depicta sunt, visu, quam quæ scripta sunt auditu ; quæ in se continent secunda et tertia pars libri. Ipsam quoque picturam competenter sibi invicem coaptabitis, ostendentes hoc modo nec visa ab auditis, nec audita a visis in aliquo dissidere ; sed ea sibi invicem concorditer in omnibus cohærere. Verum quia hæc omnia hoc modo agere non otiosorum est, sed occupatorum : non pigrorum, sed studiosorum, utpote quibus ad ista vacare peramplius, ac perfectius vacat, compendiosam quamdam ex horum omnium multitudine, et ad intelligendum apertam poteritis excerpere summam : quam et facilitas det evidenter per intelligentiam agnosci, et brevitas tenaciter in memoria retineri. Sic enim minus acutis et perspicacibus; sic etiam circa alia distentis, et in aliis detentis, potissimum expedit : quia facile, et aperta in sui comprehensionem intelligentia, et in sua tenacitatem memoria pauca admittit. Sedentibus itaque vobis in summo silentio et habentibus tam aures erectas ad librum quam oculos apertos ad picturam, illo, quo paulo ante docuimus modo coram vobis extensam unus vestrum, assumpta virga in manu, ad invicem visa et audita summatim conjungat; sicque lingua exponendo ad intellectum quæ scripta sunt, et virga ostendendo ad oculum quæ depicta sunt, sibi invicem ipsa cohærere, et pendere ex invicem, vos certos hoc modo reddat. Igitur et in medio ipsius plani in quo tabernaculum depingere volo, et cætera omnia, sicut habentur in libro, ab eodem secundo capite secundæ partis, usque ad finem tertiæ partis, qui est et terminus libri, singula luculenter exposita reperietis. Si quoties tamen his vobis intendere delectat, et audire universa, quæ in eisdem duabus partibus prolixe habentur, et videre quidquid in pictura annotatum est, ad easdem duas partes attentius vacandum est. Quando vero, aliis occupationibus obstantibus, horum non poteritis intendere universitati, compendiosa, de qua superius mentionem fecimus, summa sufficiat vobis. Et hæc breviter de libro illo, cujus titulus est, de triplici tabernaculo, quem vobis una cum pictura jam transmisimus.

A Alium vero librum, de triplici genere contemplationis intitulatum, nunc vobis cudimus; qui de eo tractat, quod Deus in semetipso est incomprehensibilis, terribilis in reprobis, dulcis quoque, et suavis in electis. Siquidem super multa operum Dei magnitudine, magnaque eorum multitudine obstupescimus, quomodo videlicet singula quæque in genere suo, quinque nostris corporalibus sensibus sese offerentia et inferentia, in diligenti inspectione naturarum suarum, voce magna et clamore valido, quod universitatis quidem Conditor et dispositor sit, dicunt ; sed qualis, vel quantus sit, prorsus non definiunt. Secreto quærentes intra nos, qualis sit futura vita sanctorum, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II, B 9), inhiamus ore cordis in superna fluenta fontis vitæ : his suavibus stimulis affectus nostros excitantes, et illuc pennis desideriorum volantes. Interdum etiam impiorum peccatis indignantes, et eorum pœnas timendo considerantes, suspiramus in fragilitatibus nostris, et respiramus in misericordiis Conditoris. Sic modo nostram reprobationem pertimescentes, modo vero electionem sperantes, misericordiam et judicium Deo decantando, cogitationum nostrarum dentibus, tanquam superiore et inferiore mola comminuere solemus. Sed inter universa profunda hæc super damnatione quidem reproborum non minus terribiliter, quam mirabiliter movetur, timore maximo concussi, et stupore validissimo turbati : dum suorum intentissimo speculationis C oculo hinc scelerum enormitatem, hinc suppliciorum consideramus æternitatem. Nam quando vel de ipsius Dei magnitudine, vel de justorum **449** cogitamus salvatione, et illam nimirum venerando mirari, et istam suavibus suavium cogitationum ulnis delectabile, et admodum dulce habemus complecti. Ut tantam quippe majestatem pulvis tantillus miretur, non mirum; et ut Creator optimus creaturam egregiam tam excellenter a se conditam et justificet per meritum, et glorificet per præmium, nobis nequaquam videtur non pium. Et ideo nullo modo non pium : quia ad hoc eam videtur creasse, ut sicut primum accepit esse ab ipso, ita et beatum perciperet esse in ipso. Cæterum D quando de perditione reproborum cogitamus intra nos, timor non mediocriter et tremor veniunt super nos, et contegunt nos tenebræ, anxie, in quantum audemus, ad invicem queritantes : et conquerentes quomodo, et quare universitatis ille Creator, qui omnia potest, quæ vult, et nihil omnino nisi quod bonum est, vult; creaturam ad imaginem et similitudinem suam conditam permittit, ut in peccatum cadat, quo postmodum digna sit ut in supplicium ruat : cum veraciter constet eam, sicut nec bonum posse agere, nisi ipso et aspirando præveniente, et adjuvando prosequente : sic nec malum in eo duntaxat, in quo nunc est, statu omittere, nisi eo retinente ; nec admittere, nisi eo permittente. Sed hæc cogitationum dentibus aliquantulum conterentes, et

Digitized by Google

in eorum contritione eisdem hebetatis dentibus, ea magis igni venerando humiliter reservantes, quam discutiendo temere glutientes, omni prorsus et interrogationi nostræ responsione et inquisitioni denegata inventione, in hanc vocem prorumpere compellimur: *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus?* (*Rom.* XI, 33.) *Quis* enim *cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* (*Rom.*, XI, 33, 34.)

Itaque circa hæc tria libri hujus materia et intentio versatur; quia de eo tractat, quod Deus et in seipso est incomprehensibilis; et in reprobis terribilis; et in electis amabilis. Hinc autem est, quod eum de triplici genere contemplationis intitulavimus, ut et primæ nos contemplationis consideratio illuminet; et secundæ humiliet; et tertiæ demulceat. Illuminet, ne ignoremus; humiliet, ne superbiamus; demulceat, ne desperemus. Vos quoque, o vitæ venerabilis viri, quos specialiter elegimus, ut vobis potissimum, qualecunque nostrum desudet ingenium: sic hunc, quæsumus, legatis librum, ut in eo non tam proprietatibus verborum, quam venis intendatis sensuum; magisque attendatis quod dicimus, quam quomodo dicimus. Quem idcirco per confessionem Dominum alloquendo composuimus; quia iste, ut quibusdam videtur, dicendi modus legentium multum excitare solet affectum: in quo si quid prudentia vestra aliter quam dici debuit dictum invenerit, nullo modo absque emendatione dimittat. Omnipotens Deus sua gratia vos protegat, domini mei venerandi, et amici in Christo dilecti, diesque vestros in sua pace disponat; atque ab æterna damnatione vos eripi, et in electorum suorum jubeat grege numerari: et consurgentes diluculo, offerre holocaustum pro filio vestro. Amen.

DE TRIPLICI GENERE CONTEMPLATIONIS.

PARS PRIMA.

CONSIDERATUR DEUS IN SEIPSO INCOMPREHENSIBILIS.

450 § I. — *Quod Deus sit invisibilis, immortalis, ex quo, per quem, et in quo omnia.*

Excelsus es, Domine Deus, et humilia respicis, et alta a longe cognoscis (*Psal.* CXXXVII, 6). Incomprehensibilis, et comprehendis sapientes in astutia sua. Invisibilis es tu, nec est aliqua creatura invisibilis in conspectu tuo. Principium sine principio, finis sine fine. Super omnia es, sed non exaltatus; subtus omnia, sed non substratus. Intra, et extra, nec usquam locatus es; qui es, et idem, ac eodem modo: nec tibi quidquam vel evenit, inerit; vel transit, infuit. *Magnæ virtus tuæ, et sapientiæ tuæ non est numerus* (*Psal.* CXLVI, 4). Et, o manus omnia potens! o nihilominus et oculus omnia videns! non est qui illam effugere, quod istum possit latere. Tu plenus te, et sine te nihil: qui tibi, et omnibus es; quia non excluderis loco. Et quis sine te locus? Ex te, per te, in te omnia: tibi gloria. Cui tibi? *Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo* (*I Tim.* I, 7): Deus es sæculorum, cui nunquam ipsa vel accedere, vel discedere potuerunt; nec tamen coæterna sunt. Quæ enim in se aliquando non erant, vel erunt; in te semper sunt. *Et quidem* sicut ab æterno, sic et in æternum. *Neque* enim tibi vel quod fuit, transiit antiquum; vel quod erit, eveniet novum; sed utrumque tibi stat, inest tam quod jam est, quam quod nondum est. Immortalis utique es, et solus immortalis; quia solus habes immortalitatem. Et solus ideo, quia eam habes ab æterno: non autem accepisti, aliquo interveniente gratiæ dono. Nonne quædam quodammodo mora, omnis in creatura rationali mutatio? Tu autem immortalis; *quia apud te non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* I, 17). Nam quomodo apud te quidquam transmutatur, vel aliqua vicissitudo obumbratur, qui statum, sicut ab æterno, sic et in æternum habes; et quidem unum, et eumdem, ac eodem modo: omne prorsus ignorans in te, et accedens tibi per erit, et discedens per fuit?

Sed et invisibilis es tu: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. Non tamen longe es ab unoquoque nostrum: quia *in te vivimus, movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 28). Equidem ita est; sed beatus plane, in quo tu es, qui tibi vivit, qui in te movetur. Appares et lates. Quomodo appares? lux in tenebris luces. Quomodo lates? *Tenebræ eam non* comprehendunt (*Joan.* I, 5). Luces in eis, et non luces eis; quia cum præsens eis es, ipsi tibi absentes sunt. Idcirco cæci sunt; quia premit, et opprimit oculos eorum trabs superbiæ, et evanescunt *in cogitationibus suis, et obcæcatum est insipiens cor eorum. Dicentes se esse sapientes, stulti scilicet facti sunt* (*Rom.* I, 21). Itaque ostentas te, et celas. Lux tu pariter, et ignis. Lux indeficiens, ignis consumens. Nec obscurare potes, nec exstingui. Semper fulges, semper ardes. Reprobos tamen nec obscuros illustras, nec frigidos inflammas. In eis certe nec illuminas intellectum, ut agnoscant, quod verum est; nec inflammas affectum, ut diligant, quod bonum est. Summa quoque bonitas, et summa veritas tu es. Idcirco nullo modo videre possunt reprobi vel veritatem, quæ tu es, quos cæcos reddit ignorantia veri: vel bonitatem quæ tu es, quos frigidos effecit concupiscentia mali.

Digitized by Google

451 Invisibilis es in teipso. Cæterum *a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur invisibilia tua; sempiterna quoque virtus tua, et divinitas* (*Rom.* I, 20). Et, o! quam mirabilis es, Domine Deus, in teipso, qui tam mirabilis videris esse a nobis, qui creatura mundi sumus, in his, quæ a te facta sunt. Sed quam mirabilis sis in teipso, quis scit? Quis, inquam, non solum hominum, sed etiam cœlestium spirituum? O, inquam, mirabilis in teipso Creator, cujus tam mirabilia sunt creata! Et quidem valde sunt mirabilia: teque illis clamitant longe mirabiliorem. Ostendunt etenim se, Domine Deus, creata tua qui creasti bona bonus; ostendunt, inquam, se bona, pulchra, dulcia, multa, et magna. Bona ad usum; pulchra ad visum; dulcia ad gustum; multa ad numerum; B et ad mensuram magna. Hæc, inquam, se ostendunt, et mirabiliter ostendunt. Sed hæc se ostendendo, te quidem Creatorem suum ostendunt longe meliorem, pulchriorem, dulciorem, majorem: qui es omnium bonorum optimus, omnium pulchrorum pulcherrimus, omnium dulcium dulcissimus, omnium magnorum maximus: utpote vera, summaque, et æterna tuiipsius bonitas, pulchritudo, dulcedo, magnitudo.

Ecce mihi interius, ubi ego sum, quicunque sum, quodcunque sum, qualiscunque sum, quotuscunque sum, quantuscunque sum; mihi, inquam, interiori, per me exteriorem; mihi invisibili, per me visibilem; mihi denique spiritui, per me corpus, tot et C talia, tantaque apparent rerum genera a te mirabili mirabiliter creatarum, a summo usque ad infimum, a maximo usque ad minimum: quæ in suis singulæ naturis a te mirabili eis mirabiliter insertis, voce magna clamitando, meam surditatem penetrantes, me arguunt, obsecrant, increpant cum omni imperio et doctrina, ut te credam, tibi credam, in te credam: te amem, te quæram, et ut non cessem quærens donec inveniam, et inveniens non dimittam. Te credam omnipotentem; tibi credam veraci promissori; te amem beatitudinis sempiternæ largitorem: te quæram internum, inveniam æternum, non dimittam in æternum. Ecce quem et quantum, qualem et quotum exteriori modo et visui offerunt ac inferunt decorem, et auD ditui vocem, et olfactui odorem, et saporem gustui, et aptitudinem tactui. Hæc omnia bona, et valde bona. Sed bonis bona sunt, qui et ea assumere norunt in hymno tuo, et ab eis assumi nolunt in somno suo: in usu eorum, quæ fecisti, tibi per omnia placere gestientes, qui fecisti.

Sunt itaque præsto his quinque sensibus meis hæc a te creata visibilia; seque eis offerentia et inferentia indesinenter, me monere non cessant ut diligam, laudem et quæram te. Hæc clamare non omittunt, et illa quæ solummodo sunt; et illa quæ sunt et vivunt; et illa quæ sunt, vivunt et sentiunt; et illa quæ sunt, vivunt, sentiunt atque discernunt. Et cum te videam in illis, in te ipso quoA que invisibilis es. Nam quidquid in hoc mundo, vel de hoc mundo video, audio, gusto, odoro, et tango, non es tu. Quid ergo es tu, Domine Deus meus? quid, quæso, es tu? Non es decor multus et magnus, quem aspectu cerno corporeo; non vox, quam corporaliter audio; non odor, quem olfacio; non sapor, quem gusto; non magnitudo, quam tango. Et tamen quædam multitudo es, quædam magnitudo, quidam decor, quædam vox, quidam odor, quidam sapor, quædam aptitudo. Multitudo, sed cum una simplicitate et simplici unitate, in quam nullus numerus cadit. Magnitudo, sed sine quantitate, quam nulla mensura comprehendit. Decor, quem nulla offuscat deformitas; vox, quam nullum rapit tempus; odor, quem nullus dispergit flatus; sapor, quem aliqua non minuit comestio; aptitudo, quam in aliquo non contaminat corruptio.

Tu multus es, sed sine numero; tu magnus, sed sine quantitate; tu simplex, sed sine tui extenuatione; tu bonus, sed sine qualitate; tu semper, sed sine tempore; tu ubique, sed sine loco; tu in omni re, sed sine tui definitione; tu in omni tempore, sed sine tui mutabilitate. Nec potes ullo modo vel pro tui puritate maculari, vel pro tui simplicitate dividi, vel pro tui immensitate comprehendi, vel pro tui incommutabilitate metiri. Nec potes ullatenus cognitione variari, qui sapientissimus es, nec affectu mutari, qui optimus es; cujus potentiæ omnis effectus subjicitur; cujus sapientiæ omne occultum manifestatur; cujus deliberationem omnis eventus sequitur; cujus nec æternitatem æquat tempus, nec bonitatem virtus, nec sapientiam sensus, nec potentiam opus. Igitur gloria tibi, Rex sæculorum immortalis, invisibilis, ex quo, per quem, et in quo omnia. Nam omnia ex te; quia tu **452** omnium principium, et auctor es. Omnia per te: per quem omnibus confertur, ut subsistant; sicut et collatum est, ut essent. Sunt in te omnia: sed virtutis debemus potius mirari magnitudinem, quam loci taxare dimensionem.

§ II. — *Animæ sauciæ oleum misericordiæ effagitatur.*

Decor vitæ meæ non marcescens, et dulcedo non fallax, Domine Deus: miserere animæ meæ, quæ est peccatis onerata, vitiis irretita, illecebris capta, exsilio captiva, corpore incarcerata: quæ est hærens [*al.* inhærens] luto, infixa limo, affixa membris, confixa curis, distenta negotiis; quæ est timoribus contracta, doloribus afflicta, erroribus vaga, sollicitudinibus anxia, suspicionibus inquieta; quæ est exposita periculis, ligata vinculis, inquinata maculis, repleta piaculis, multorum oppressa malorum cumulis; quæ est suggestionibus appetita, tentationibus fatigata, delectationibus allecta, a bono abstracta, ad malum illecta quæ est consensu devicta, immunditiis polluta, a summis prostrata, ad ima curvata, in infimis conculcata; quæ est timore concussa, mœrore affecta,

Digitized by Google

terrore pavida, omni decore privata, omni horrore turpata; quæ est a se alienata, in se dilacerata, intra se dilaniata, extra se dissipata, subtus se abjecta; quæ est inflata per superbiam, arefacta per invidiam, amaricata per iracundiam, fracta per acediam, dispersa per avaritiam; quæ est cæca per ignorantiam, profunda per malitiam, divisa per discordiam, dehonestata per gastrimargiam, fetida per luxuriam; quæ est te ad iram provocans, de propria salute non curans, mundum et carnem illicite amans, semetipsam ignorans, pravis desideriis æstuans : quæ est advena in terra inimicorum, similis descendentibus in lacum (*Psal.* CXLI, 8), deputata cum his, qui in inferno sunt, perditioni subjecta, obnoxia damnationi.

§ III. — *Indigna anima rerum creatarum theorema assumit.*

Ecce qualis est anima mea : fœda et fetida, misera et ulcerosa : prorsus sicut terra sine aqua tibi. Non enim vestit, et venustat eam fulgor decoris spiritualis; non eam demulcet odor vitæ, non beatam efficit dilectio bonitatis; non sanam reddit strenuitas religiosæ conversationis; non eam denique humor commendat sanctitatis, non stillicidium gratiæ. Ecce ego in ipsis penetralibus meis incedo, parietem fodiens; et ingressus, quæ intus sunt, diligenter perlustrare studeo, perscrutari, et pervidere. Sed perlustranti, perscrutanti, pervidenti nihil aliud quam reptilium et animalium abominatio apparet. In ipso etiam fosso pariete depicta cerno idola in circuitu per totum (*Ezech.* VIII, 8, 9, 10). Ecce creata tua super te rogito, et vix os adhuc ex tota ad interrogandum aperio, cum jam meæ interrogationi respondent sine omni mora. Interrogatio mea, contemplatio mea : qualitas naturæ eorum, responsio eorum.

§ IV. — *Lapidum et saxorum de Creatore suo confessio.*

Alloquor saxa, et lapides; et dico eis. Qui estis vos? Hi respondent : Ipsius creaturæ sumus, cujus es creatura et tu.

§ V. — *Oculorum ad solem et lunam conversio, et responsio.*

Mitto inimicos meos, radios oculorum meorum, et elevato capite erigo eos in altum; quia dico ad solem et lunam : Credamne vos esse Deum meum? Sed nullatenus hoc a me audire dignantes, jam semidictum verbum ex ore meo rapiunt, et magna mihi voce respondent : Absit a te, inquiunt, o homo, vesania ista, ut credas nos Deum tuum. Ipse namque fecit nos. Ego, inquit sol, quotidie orior, et per occasum quodammodo quotidie morior; procedo et discedo; ascendo et declino; apparco et dispareo; tegor et detegor. Sed non sic Deus tuus. Est quidem et ipse Sol : sed cui nec mane principium in ortu, nec finem vespera ingerit in occasu : qui uno semper eodemque modo existens, nec ascendit per profectum, nec declinat per defectum. Et ego, ait luna, nunquam in eodem statu permanens, modo cresco, modo decresco. Deus autem tuus et unus, ac idem; et uno, ac eodem modo semper, **453** nec augeri potest, quia immensus; nec minui, quia æternus est.

§ VI. — *Stellarum pulchritudo, et multitudo mirabilem creatorem suum prædicant.*

Et dixi ad stellas : Quam naturam harum rerum in vobis admirabor; vel lucem, vel pulchritudinem? Nam mirabiliter, et multæ, et lucidæ estis. Et responderunt : Non quidem mirandus, quod miraris nos, si eum tamen in nobis mirari non omiseris, qui fecit nos. Mirare eum, in cujus oculis nos mirabiles non sumus; in cujus etiam oculis nec lucidæ, nec multæ sumus; qui numerat multitudinem *nostram, et* omnibus *nobis* nomina *vocat* (*Psal.* CXLVI, 4) : qui nostra signa, potestates, cursus, loca, et tempora nosci

§ VII. — *Creaturæ innumeræ sapientiam creatricem, cujus non est numerus, indicant.*

Sed admirans, Domine Deus, stellarum, quas creasti, multitudinem, solvo oculos meos; et eos per hunc mundum magnum et spatiosum dispergo. si forte in aliquo alio rerum genere tantam mihi possint ostendere multitudinem. Ecce statim prorumpunt in medium, et se meis offerunt conspectibus cum stellis cœli, arena maris, pulvis terræ, pluviarum guttæ, dies sæculorum, horæ dierum, momenta horarum, gramina camporum, rami arborum, folia ramorum, costulæ foliorum, pili animalium, squammæ piscium, pennæ volucrum, folia pennarum, verba hominum, voces animantium, motus corporum, cogitationes spirituum; et multa alia in hunc modum; mihique dicunt : Miraris nos, propter multitudinem nostram; magis autem mirare eum, qui fecit nos, propter suam sapientiam, cujus non est numerus. Nos enim, licet quantum ad te, sine numero sumus; sed tamen, quantum ad eum, non sumus (*Psal.* CXLVI, 4). Nam etsi multi sumus, sed ei non sumus, in cujus etiam respectu nec sumus.

§ VIII. — *Rerum creatarum magnitudo Deum, cujus magnitudinis non est finis, loquitur.*

Et ecce, Deus meus, cum in hac adhuc rerum creatarum multitudine occupatur et distenditur animus meus, alloquuntur me oculi mei, et dicunt : Qui creaturarum obstupescis multitudinem, creaturarum non admiraris magnitudinem? Ecce metire, si potes, moles et saxa, massas et pondera, juga montium, devexa collium, concava vallium, tractus fluminum, altitudinem cœli, latitudinem terræ, profunditatem abyssi. Metire gigantem in hominibus, elephantem in animantibus, gryphem in volucribus, cetum in piscibus. Sed hæc metiri voleus, Deus meus, nec valens, cum magna admiratione exclamo : O quam magna hæc! Quis eorum mensuram valeat comprehendere? Atque respondent, et dicunt mihi : Magna quidem nos; sed longe major, et aliter major, qui fecit nos. Obstupescis, nostram videns magnitudinem? Magis autem mirare Creatorem nostrum communem Dominum, qui *magnus, et lauda-*

Digitized by Google

bilis nimis; cujus magnitudinis non est finis (*Psal.* cxliv, 3).

§ IX. — *Rerum omnium pulchritudo speciosum Creatorem suum denuntiat.*

Cohortantur se adhuc mutuo oculi mei, o lumen interiorum oculorum meorum, et Deus vitæ meæ! Cohortantur, inquam, se mutuo, et ad invicem dicunt. Qui creaturarum et magnam multitudinem, et multam nimis vidimus magnitudinem, earum nunc magnam multamque intueamur pulchritudinem. Ecce quantus eis inest decor et speciositas, formositas, et pulchritudo. Ecce quam multimodi auro et argento, cæterisque metallis, quot, qualesque fulgores lapidibus insunt pretiosis? Ecce quæ ista, de quibus loquimur, varietas est multorum colorum, quam diversitas oblectat splendorum? quibus respondeo : Ita plane est, ut dicitis. Et nunquid pro hac eorum tanta, talique pulchritudine, aliquam **454** cum Deo meo habent similitudinem? Sed ne phantasticum oculi mei mihi pariant somnium, illa mihi statim, Domine Deus, quorum admiror pulchritudinem, respondent, et magna voce, validoque clamore dicunt : Respectu pulchritudinis, quæ in Deo tuo est, vel quæ potius Deus tuus est, omnino deformia sumus. Pulchra certe nos; sed longe pulchrior, qui fecit nos. Quibus dico. Quid ergo dicitis de Deo meo? Ubi, quæso, est? Et magna mihi voce respondent. Quære, inquiunt, Dominum Deum tuum supra nos.

§ X. — *Strepitus omnis, vocumque blandientium sonitus verbi illius, quod Deus est, euphoniam nos docet.*

Post hæc omnia, o omnium Creator, Domine Deus! quæ corporalibus meis apparent, et subjacent obtutibus; et quæ mirabiliter multa, magna, et pulchra oculi quidem mei deprehendunt, sed quam multa, quam magna, quamque pulchra sint, omnino non comprehendunt; arripiunt me aures meæ, seque intendere cogentes, sic me alloquuntur et dicunt : En quot tibi genera vocum repræsentamus? Aperio aures meas, Deus meus, et influunt in eas voces multimodæ, et soni diversi. Audio vehementes flatus ventorum, horribiles strepitus tonitruorum, maris undas tumentes. Audio varias et similes in simili genere avium, et brutorum animantium voces; multimoda instrumentorum musicorum genera dissonanti quadam consonantia, et consonanti voce dissonantia; sibi dissentiendo mirabiliter consentientia, et consentiendo dissentientia. Et primo hæc omnia, Domine Deus, quam grata, quam jucunda, quam dulcia, quamque suavia sunt hominum verba, hominum auribus intelligibilia : per quæ linguæ motu, labiorum strepitu, mediante aurium auditu, et mentis afficiente intellectu, homini alteri suum et velle, et nolle, et scire, et posse, seque totum alter aperit homo! Per hæc consolatio fit in adversis, consilium in dubiis; eruditio de nescitis, revelatio de secretis, apertio de occultis, quæstio de ignoratis, responsio de interrogatis, prohibitio de malis, præceptio de bonis, concessio de mediis, persuasio de perfectis, recordatio de præteritis, mentio de præsentibus, præfatio de futuris. Et alloquor hæc omnia, et dico eis : Quid sonatis, vel quid dicitis de Deo meo? Et respondent mihi, et dicunt voce magna : Nihil in nobis simile Verbo illi excelso et immenso, quo erat in principio, et apud Deum erat, et Deus erat; Verbo increato, creanti omnia, immobili, moventi omnia; Verbo non in tempore facto, sed ab æterno genito; Verbo sine tempore disponenti tempora, et temporalia; sine loco, loca, et localia; Verbo, cui nihil præteritum, nihil est futurum, sed omnia sunt præsentia; Verbo, quod ex ore Altissimi prodiit (*Eccli.* xxiv. 5), quod cor Patris eructavit, quod sine linguæ motu, sine labiorum strepitu et angelum et hominem docet scientiam; Verbo non transeunti, sed manenti et permanenti; Verbo voces infundenti animæ fideli dulcisonas; canenti ei in aure interiori per symphoniam spiritualem tonum dilectionis Dei et proximi; fidei, spei, et charitatis Dei : tonantis *diatessaron* prudentiæ, fortitudinis, justitiæ, et temperantiæ : *diapente* quinque mundorum sensuum; ut nec visum inficiat vanitas, nec auditum curiositas, nec olfactum voluptas, nec gustum edacitas, nec tactum impuritas. Ad extremum vero, ut extra, et intra homo componatur, suavi vocis melodia verbum hoc in aure cordis *diapason* decantat : prædictas quatuor principales virtutes in his, de quibus modo diximus, quinque sensibus per effectum operis apparere faciens, quasi *diatessaron diapente* conjungens, et ex eis *diapason* componens. Suavis itaque est melodia nostra, et admodum suavis; sed longe suavior est hujus verbi euphonia, per quod sumus nos, et ipsum est Deus tuus. Sed non invenies, nisi quæras supra nos; quia et ipse fecit nos.

§ XI. — *Odorum fragrantia suavem Dei spiritum demonstrat.*

Hoc ipsum, Domine Deus, mihi dicit olfactus meus : Ecce, inquit, quot tibi, et qualia odorum genera ostendo. En quot, et quales odoramentorum species de herbis manantes, et arboribus, et de confectionibus spirantes ex rebus multimodis; sed omnes una voce dicunt : Non sumus Deus tuus. Odores **455** sumus nos; et Deus tuus odor, magnæ quidem suavitatis. Odor, quem nullus dispergit flatus, nobis longe suavior. Quem cum quæris si invenire cupis, quære supra nos.

§ XII. — *Sapores Deum suum gustare nos admonent.*

Sed et gustus meus, Domine Deus, in me : Recense, inquit, quot, qualiaque tibi per me apponuntur genera saporum. Cumque ea diligenter attendo, clamant ad me voce magna, et dicunt : Longe nobis sapidior est Deus tuus. Si bene tibi sapimus nos, melius tibi sapiat omnium saporum sapidissimus sapor, Deus tuus. Sed tibi non sapiet,

Digitized by Google

nisi eum gustare didiceris. Ideo gusta, et tunc videbis, quoniam suavis est Dominus.

§ XIII. — *Hæc palpabilia alium a se auctorem clamant.*

Et ego, inquit tactus meus, in rebus creatis ab aspero lene discerno. Sed dicunt mihi omnia palpabilia : Non sumus Deus tuus. Quære supra nos eum qui fecit nos.

§ XIV. — *Divinitatis thesaurus nequidquam intra terræ ambitum quæritur.*

Sed ubi jam te quæram, Domine Deus meus? Ubi, quæso, quæram te? ubi quæram te thesaurum splendidissimum et pretiosissimum? Ubi te quæram, o margarita optima : ut te inveniens, omnibus, etiam quæ habeo, divenditis abeam, et comparem te? (*Matth.* XIII, 44.) Ubi, quæso, quæram te? Ecce egressus sum per omnes corporis mei portas, et totum hunc mundum a summo cœli, usque ad ima terræ diligens explorator perscrutando circuivi et perambulavi; nec aliquid eorum, quod per eas egreditur, te esse inveni.

§ XV. — *Per hæc visibilia ad invisibilium auctorem sternitur gradus.*

Adhuc autem, Domine Deus, dico omnibus, quæ in mundo sunt. Quid dicitis de Deo meo? Et respondent mihi magna voce? Quære eum supra nos. Si enim nos non transcendis, illum nullatenus apprehendis. Si nos non supergrederis, ad illum non pertingis. Quandiu nobis solummodo immoraris, tandiu ab eo elongaris. Si ergo Deum tuum quæris, per nos quidem eum quære; sed supra nos eum quære. Per nos namque viam aliquam habes ad eum; sed in nobis perventionem ad eum non habes. Quia *invisibilia* quidem *a creatura mundi*, ut voce veridica Apostolus ait, *per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque Dei virtus et divinitas* (*Rom.* I, 20). Sed hæc ejus invisibilia, omnia prorsus visibilia longe transcendunt.

§ XVI. — *Quinque sensuum circa exteriora judicium.*

Quibus adhuc dico : Quæ estis vos, ut per vos eum quæram supra vos? Et respondent : Si multa, si magna, si decora, si in aliquo denique formosa sumus, interroga oculos tuos, et indicabunt tibi. Si vero soni, si voces sumus; quære ab auribus tuis. Si autem odores sumus, scit loqui de nobis olfactus tuus. Et nos, inquiunt sapores, gustui noti sumus. Si vero lenia, vel aspera, aut aliquid hujusmodi sumus, ad tactum pertinemus.

§ XVII. — *Varia hæc rerum sublunarium commutatio divinam virtutem sui sustentatricem contestatur.*

Et aio ad ea : Hæc vos esse, jam mihi sensus mei renuntiaverunt; et tamen adhuc quæro, quæ estis? Et respondent 456 mihi. A communi omnium Creatore mutabilia creata sumus. Modo enim sumus tanta, modo talia : modo sic, modo sic : modo vero hic, modo illic. Mutamur namque secundum quantitatem mensurarum, secundum qualitates formarum, secundum varietates locorum, et secundum motus temporum. Sumus etenim modo magna, modo parva; modo majora, modo minora; modo longa, modo brevia; modo longiora, modo breviora; modo lata, modo stricta; modo latiora, modo strictiora; modo spissa, modo tenuia; modo spissiora, modo tenuiora; et multa in hunc modum : ecce mutatio secundum quantitates mensurarum. Sumus quoque modo talia; modo talia modo sic, modo sic : ecce mutatio secundum qualitates formarum. Sumus et modo hic, modo illic : ecce mutatio secundum varietates locorum. Mutamur etiam secundum tempus; quia et in tempore sumus, et temporalia sumus, et temporaliter immutamur. In Deum quidem tuum nulla prorsus ex istis mutationibus cadit; quia ipse nec corpus, nec aliquid corporale est. Ista mihi dicunt, Domine Deus. Et aio ad ea : Mutabilia quidem estis, sed quandiu mundus hic durat, esse non cessatis. Et respondent mihi : Communis omnium nostrum Creator, qui in semetipso, et a semetipso unum ac idem, et in æternum ab æterno habet esse; de non esse, prodire fecit nos ad esse. Sic nobis mutabile inesse voluit esse; ut quandiu nostra tibi necessaria est servitus, hoc nostrum mutabile esse non deficiat in omnino non esse. Quibus dico : Ergone portamini, et sustinemini? Portamur, inquiunt, plane, et sustinemur. Et ego : A quo? Ab ipso, aiunt, portamur, a quo creamur. Et ego : Ergone subtus vos est? Et supra nos, inquiunt, et subtus nos est. Subtus nos, per sustentationem; supra nos, per potentiam : supra gubernando, subtus portando.

§ XVIII. — *Omnia in cœlo et in terra ordinat, atque adimplet Deus, verbo virtutis suæ.*

Cumque adhuc in his, Domine Deus, obstupesco, hic me creata tua clamore alloquuntur valido, et dicunt mihi magna voce : Non solum portat nos Deus tuus; sed et implet nos. Implet, inquimus, nos; non impletur a nobis. Extollunt, Deus meus, vocem suam sol, luna et stellæ, et dicunt. Nos lucemus super terram; diem dividimus et noctem; sumus in signa, et tempora, et dies, et menses, et annos (*Gen.* I, 14). Dicunt et omnia in aere volantia, cuncta in terra moventia, universa quoque in aquis natantia : Nos singula in genere nostro crescimus, et multiplicamur; decrescimus, et minuimur; recedimus, et adsumus. Nos etiam, aiunt maria, constitutis terminis coarctamur; nos aquæ fluimus, nos fontes ebullimus; nos cuncta de tellure germinantia impositum nobis ordinem servamus. Ecce ego ver, ad instar pueri, in anni infantia pullulo : Ego æstas, instar juvenis, flores teneo : Ego Autumnus, in virili ætate, fructuum maturitatem olfaciendo exploro : Ego hyems, senis formam gerens, anni decursu quasi fatigatus, et fractus requiesco, et fructus edendo percipio. Rursus ego ver juvenesco, rursus appareo, vetusta renovo, lapsa relevo; et ad quamdam futuræ resurrectionis similitudinem omnia dudum annihilata, quadam vivifi-

Digitized by Google

candi novitate iterum reparo, et in id, quod fuerant, apparere facio.

§ XIX. — *Intime præest, ac inest omnibus, qui est super omnia.*

Intra nos, inquiunt, est Deus tuus, est et extra nos. Est intra, est extra, est supra, est subtus. Supra gubernando, subtus portando, intra implendo, extra circumdando. Gubernat namque omnia, portat omnia, implet omnia, circumdat omnia. Gubernat, inquimus, non gubernatur; portat, non portatur; implet, non impletur; circumdat, non circumdatur. Gubernando supra est, sed non elatus; portando subtus est, sed non substratus; implendo intra est, sed non inclusus; circumdando extra est, sed non effusus. Hoc mihi dicunt omnia creata tua, Domine Deus, singula in genere suo: quæcunque in hoc mundo videre, audire, odorare, gustare, et tangere possum. Quæ ego ardentissimus inquisitor, et diligentissimus explorator, et studiosissimus perscrutator magna adhuc voce alloquor, et dico: **457** Dicite, quæso, mihi adhuc aliquid de Deo meo. Sed ipsa crebris interrogationibus meis vexata jam, et fatigata, et quasi substomachantia et in tædium versa ita mihi respondent: Nihil amplius a nobis quæras. Multoties jam tibi diximus. Si Deum tuum quæris, quære supra nos. Ipse namque et ante nos, et supra nos est, quia et ipse fecit nos. Quære ergo eum supra nos.

§ XX. — *Sepositа mole corporea, in spiritu et veritate Numen indagatur.*

Repercussus igitur, Domine Deus, converto me ad me. Converto, inquam, me ad meipsum, et dico ad me: Quid es tu? Et respondeo: Homo. Et prosequor, et dico. Quid est homo? Quid animæ, corporisque conjunctio? Sed jam per corpus cuncta, quæ corporis subjacent sensibus, curiose investigavi; nec quidquam ex eis Deum meum esse deprehendi. Superest jam, Domine Deus, ut meipsum a meipso sequestrem, et secernam me visibilem a me invisibili, me corpus a me spiritu: et me spiritum, per me spiritum studiose interrogem; si forte aliquid plenius et expressius de Deo meo mihi spiritui ego spiritus sciero respondere. Itaque jam corpus meum et corporalia cuncta a me spiritu excludo; me spiritum in me spiritu includo: ut quantum possum, obseratis foribus corporis nostri, nihil ad me spiritum intret formatum per visum, nihil sonans per auditum, nihil odoriferum per olfactum, nihil sapidum per gustum, nihil palpabile per tactum. Tu autem, Domine Deus, lux vera, lux non illuminata ab aliquo; sed illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). Deus, inquam, meus, lucem habitans inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest (*I Tim* VI, 16). Tu, quæso, Deus meus, tu me illustra et clarifica; tu mihi fulge et irradia; illumina vultum tuum super me, ne me aliqua alicujus falsitatis caligo offuscet; ne me denique per stolidi cordis partum, vel quod periculosius est per astuti hostis seminarium, aliquod phantasticum somnium illudat.

§ XXI. — *Inter spiritum creatum, et increatum: verbum hominis, et verbum Patris æterni, analogia investigatur, et antilogia.*

Alloquor igitur spiritum meum, et dico ei: Quid es tu? Et respondet mihi: Spiritualis quædam, et invisibilis substantia sum; simplex, et immaterialis; a communi omnium Creatore ex nihilo creata; corpori ad illud vivificandum infusa. Cui ego: Quomodo corpori ad ejus vivificationem infusa es? Non ei, inquit, particulariter infusa sum; uti per partes in singulis sim ejus partibus divisa; ut majorem mei partem major ipsius pars capiat: minorem vero mei, minor sui; sed in toto simul corpore tota sum, et in singulis ejus partibus tota. Quod nimiram per hoc aperte potest intelligi, quia cum quælibet particula corporis læditur, totus ego spiritualis doleo; nec totus ullatenus dolerem, nisi totus ibi essem. Quandiu enim in qualibet particula corporis sum, vita ejusdem particulæ sum; quia quandiu eam inhabito, et inhabitans eam vivifico; sum igitur cuilibet parti, id est, in qua vita sum, et simplex, et immaterialis, et indivisibilis sum. Imo quia sum, patet profecto, quia cum in qualibet parte sum, non per partes, sed totus in ea sum. Totus in illa parte, totus in ista, totus in singulis ejus partibus, totus in toto corpore. Cui, inquam: Si hoc in te vere est, nunquid sic cogitabo de Deo meo: ut cum et ipse spiritus sit, totus in omnibus sit quæ creavit, et totus in singulis? non sic, inquit, cogitabis de Deo tuo. Ego namque corpori substantialiter infusa sum, quia quando in corpore substantialiter sum, extra corpus substantialiter non sum; et quando extra corpus substantialiter sum, in corpore substantialiter non sum: quia non possum simul substantialiter esse in corpore et extra corpus. Verbum autem tuum sic in omnibus, quæ creavit, est, ut sit etiam extra: quia cum in omnibus sit, a nullo prorsus comprehenditur, quia incomprehensibile est. Si enim verbum hoc, quod transeunter profertur, et transeunter prolatum etiam transeunter auditur in omnibus, ad quas pervenit, auribus totum, ac simul est, et totum, ac simul in singulis, non partim in aure ista, partim in **458** illa, sed totum in ista, totum in illa, idem etiam totum in singulis, et idem totum in omnibus: quare non Verbum istud, *quod in principio erat, et apud Deum erat, Verbum quod Deus erat, quod erat in principio apud Deum* (*Joan.* I, 1 et seqq.). Verbum, per quod omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil quod factum est, Verbum, in quo vita erat, Verbum non transiens prolatum, sed permanens ab æterno genitum, etsi longe dissimili modo totum, in omnibus, quas condidit, creaturis est, et totum in singulis: non partim in ista, partim in illa, sed totum in ista, totum in illa: idemque totum in singulis, et totum in omnibus?

Nec sic illud dico in his, quas condidit, esse creaturis; ut denegem et ibi nunc esse illud, ubi fuit,

Digitized by Google

antequam ab eo quidquam esset creatum : et ubi foret, quamvis omnia, quæ creavit, esse desinerent. Sed improprie de eo et fuit, dico, et erit. Quia dicens, fuit, tempus innuo præteritum; et, erit, signo futurum : cum ei quidquam nec in fuit transeat, nec in erit eveniat : cui nulla in se vel præterita, vel futura, sed omnia præsentia sunt. Igitur Deus tuus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, et ibi nunc est, ubi non quidem fuit, sed ubi est, antequam ab eo quidquam creatum esset; et ubi non erit, sed ubi est, etsi universa quæ condidit esse desinerent. Sicut enim nec in multis, quæ fecit, vera se multiplicavit unitas; nec in magnis, quæ condidit, summa se auxit immensitas : sic profecto nec, quamvis eamdem multa, et magna esse prorsus desinerent, incommutabilis se minuet æternitas : quia nec vere unus numerum, nec immensus augmentum, nec æternus ullum ullatenus suscipit defectum. Nam si verbum hoc transeunter prolatum et auditum, de quo superius dictum est, nec majus in se, quantum ad se est, quando ab omnibus, ad quas pervenit, auribus percipitur; nec minus, quando a solo ore profertur, et a nulla aure auditur; sed unum ac idem, quantum ad se est, et quando auditur ab auribus multis, et quando a nulla: quare non et Verbum Dei Deus, quod plenum seipso est; nec minus est, licet omnia esse desinerent; nec majus in eo, quod in omnibus, quæ creavit, est? Sicut enim qui ab æterno est, esse non incœpit, quando omnia fecit : ita qui in æternum est, esse non desinit, etsi omnia, quæ creavit, ex nihilo, in nihilum redigit. Hæc de eo, quod dictum est, quia Deus in omnibus, quas creavit, creaturis est.

§ XXII. *Ad investigandum Creatorem nulla sufficit similitudo creaturæ.*

Nec plena tamen et sufficiens hæc de verbo hominis, ad Verbum Dei est comparatio : quia ad loquendum de Creatore nulla prorsus sufficit similitudo creaturæ. Non enim quidquam in corporali, vel spirituali creatura est; quod plene ostendat spiritum illum increatum, corporum et spirituum omnium Conditorem. Nam quamvis spiritus rationales, immortales sint : sed ejus quodammodo respectu, immortales non sunt. De quo verax veraciter Apostolus dicit : *Qui solus habet immortalitatem* (*1 Tim.* vi, 16). Non solum autem, sed licet multa, magnaque, et corporalia, et spiritualia sint; ei quodammodo non sunt. De quo per beatum Job dicitur : *Ipse enim solus est* (*Job.* xxiii, 13). Solus ergo ille, secundum Paulum, immortalitatem habet : cum et spiritus rationales immortales sint. Solus ille, secundum Job, est, cum et multa alia tam corporalia, quam spiritualia sint. Et ideo nihil in spiritibus immortalibus, ejus immortalitati; nihil in creaturis existentibus, ipsius essentiæ plene simile. Quia nec rationales spiritus vitæ non vivificatæ, sed vivificantis respectu vivunt : nec illius æternæ essentiæ respectu, quæ universis, quæ sunt esse tribuit, creaturæ quodammodo ullæ sunt. Itaque quomodo in universis, quas condidit, creaturis sit, non potest quidem plene comprehendi, sed debet credi : quia nec debet temere discuti; et si discutitur, non valet investigari. Non ergo sicut ego spiritus creatus in toto corpore meo totus, et in singulis ejus partibus totus sum : sic Deus tuus, qui et ipse spiritus quidem; sed increatus est, totus in omnibus suis est creaturis, et totus in singulis : quia ego, ut jam superius confessus sum, cum in corpore sum, extra corpus non sum, et cum extra corpus sum, in corpore non sum; Deus autem tuus, cum est intra, est extra, et cum est extra, etiam intra est. Ipse namque, ut jam dictum est, intra omnia est, sed non includitur; extra, sed non excluditur : supra, sed non excluditur; subtus, sed non substernitur.

§ XXIII. — **459** *Animus dat singulis officium sensibus.*

Sed adhuc in me transcende, et vide; quia scilicet corpus vivifico, tam brutorum, quam animalium, quæ mecum habent spiritus, qui corpora, quæ inhabitant, vivificant. Adhuc, inquam, in me transcende; et vide, quia sicut corpus vivifico, sic etiam illud sensifico. Ego namque sum, qui per oculos video, per aures audio, per nares odoro, per fauces gusto, per cætera membra tango. Sed vident etiam bruta animalia, audiunt, odorant, gustant, tangunt; quia hi quinque sensus in eis quoque vigent.

§ XXIV. — *Abest a Deo, quæ est in homine, affectionum vicissitudo.*

Adhuc autem in me ascende superius, et vide; quia plures affectionum vices tolero. Modo enim gaudeo, modo doleo, modo amo, modo cupio, modo timeo, modo securus sum. Sed nullas omnino hujusmodi Deus tuus vicissitudines sustinet. Quia licet diversa sint, quæ agit, unus tamen ac idem, et eodem semper modo est ipse, qui agit. Sicut enim in se est, et a se nequaquam diversus iste visibilis sol, quando uno eodemque radii sui calore et ceram liquat, et lutum indurat : sic a se diversus non est et ille justitiæ Sol, quando a stabili et immobili justi judicii distinctione et peccator ob culpam accipit pœnam, et sanctus propter justitiam percipit gloriam. Et dicitur irasci, et non est in eo ira; et dicitur misereri, et non est in eo miseria : quia ei nihil accidit novum, nihil labitur antiquum, qui unus ac idem et in eodem modo semper existit, et quando damnat impios, et quando remunerat justos, cum denique diversis diversum infertur stipendium : illis supplicium, istis gaudium.

§ XXV. — *Non est in Deo oblivio et reminiscentia, cui omnia sunt semper præsentia.*

Sed adhuc in me supergredere, et vide quomodo mecum aliquid commune habens et bestiæ; quia et ipsæ modo gaudent, modo dolent, modo cupiunt, modo metuunt, multasque hujusmodi vicissitudines sustinent. Ecce pergo in ingenti, in longa videlicet, lata, et alta aula memoriæ meæ; in qua spatiose cogitando incedo, cogito, et recogito; in qua profecto cuncta, quæ per oculos vidi, quæ per aures

Digitized by Google

audivi, quæ per nares odoravi, quæ per fauces gustavi, quæ per tactum sensi, clausis etiam eisdem sensuum januis, apud me revolvo et rumino; accedo nonnunquam per recordationem et recedo per oblivionem, quia et obliviscor scita, et ad memoriam revoco oblita; respicio præterita, aspicio præsentia, prospicio futura. Sed non sic Deus tuus. Sicut enim invariabilis est affectu, sic est cogitatu. Non enim nunc hæc, nunc illa cogitat, nunc sic, et nunc sic, sed omnia simul et similiter : simul sine tempore, similiter sine qualitate; utpote *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis alicujus obumbratio* (*Jac.* I, 17). Sed recordantur, et obliviscuntur etiam bestiæ.

§ XXVI. — *Voluntatis creatæ ac increatæ magnum discrimen est.*

Est quidem in me voluntas. Aliquando namque volo, aliquando nolo; quod nunc approbo, jam reprobo; modo amplector, et jam illud fugio; quod nunc placet et eligo, jam displicet illudque respuo. Sed non talem Dei tui cogites voluntatem. Ejus namque voluntas ei coæqualis et coæterna est, cui idem est esse, quod velle; quæ nimirum in eo voluntas nec cassari potest, quia omnipotens est; nec corrumpi, quoniam optima est; quam nec multiplicitas dividit, quoniam simplex est; nec mutabilitas mutat, quoniam æterna est. Ecce Deus tuus. Hæc, Domine, Deus meus, et multa in hunc modum de te mihi dicit animus meus : imo tu, et non ipse. Nec enim sufficiens est aliquid cogitare ex se, quasi ex se : sed sufficientia sua ex te est (*II Cor.* III, 5). Et si sufficiens non est cogitare aliquid ex se, quasi ex se, imo quia non est, quomodo sufficiens est aliquid cogitare ex te, quasi ex se?

§ XXVII. — 460 *Quidquid anima nostra intelligit, et sapit, id omne ab æterna Sapientia recipit.*

Vocat me, Domine Deus meus, spiritus meus, et dicit ad me magna voce : Ecce studiose et diligenter senariam mihi meam in me scrutatus es : qua scilicet vivo, vivifico, sentio, sanctifico, cogito, volo. Sed adhuc ascende, et intra ad me. Ascende, inquam, superius ad me superiorem; intra interius ad me interiorem et vide quia sapio, quia discerno. Ego siquidem cum una indivisibilis sim, ob diversas tamen efficientias meas diversa etiam soleo vocabula sortiri. Unde enim membra vegeto corporea, anima sum; unde sensibilibus adhæreo, sensualitas sum; unde sentio, sensus sum; unde recordor, memoria sum; unde intelligo, mens sum; unde sapio, animus sum; unde contemplor, spiritus sum; unde discerno, ratio sum. Habeo namque sapientiam et scientiam, rationem et discretionem. Per sapientiam mihi infusam discerno bonum et malum; verum et falsum; commodum et incommodum. Per eam quidem ea, et quæ sensibus nequeunt attingi corporis; discerno etenim humilitatem a superbia, benignitatem ab invidia, iram a mansuetudine, odium a charitate et multa in hunc modum. Cui inquam : Nonne hæc omnia corporeis sensibus patent? Non, inquit. Signa quidem, et opera, quæ ab eis per corpus prodeunt, sensibus corporeis videri possunt; ipsa vero, cum invisibiles mentis affectus sint, omnino non possunt. Habeo itaque sapientiam et intellectum rationalem, quam in se brutorum animantium spiritus non habent. Et in hac re Deo tuo in aliquo similis sum. Sum ego itaque sapientia, est et ipse sapientia; sum ego lumen, est et ipse. Sed maxima tamen inter me et ipsum distantia est. Ego namque sapientia sum, sed creata; ipse vero sapientia, et creans. Ego lumen, sed illuminatum; ipse quidem lumen, et illuminans. Ego sapientiam sapio, sed quam aliunde accepi, id est, ab ipso, a quo *omne datum optimum, et omne donum perfectum* (*Jac.* I, 17); ipse vero sapientiam sapit, sed quam ex seipso habet, et nequaquam aliunde accepit : et, ut expressius dicam, ea sapientia sapit, quæ ipse est.

§ XXVIII. — *In homine per similitudinem Trinitatis processio ac unitatis confessio.*

Es itaque, et scis; es sciens, et scis existens. Es, inquam, et scis te esse, et scis etiam, te scire te esse. Et ecce, si clare consideras, et si subtiliter intueris, vides profecto quia in te ex his duobus, ex esse videlicet et scire tuo, surgit quoddam tertium, id est, amor. Nam cum vides essentiam tuam tam dignam, tamque excelsam, amas nimirum eam. Et cum vides sapientiam tuam tam claram, tam profundam, tam subtilem, tam claram ad intelligendum, tam profundam ad investigandum; tam subtilem ad comprehendendum, statim eam amas, et approbas, et amplecteris eam, et places tibi in ea. Et surgit in te trinitas quædam, et unitas manet. Unitas, quia una es substantia et spiritus unus. Trinitas vero; essentia videlicet tua, scientia tua, amor tuus. Est quidem essentia, et de essentia scientia : quia et existendo scis, et sciendo existis. Et procedit amor, non quidem de sola essentia, nec de sola scientia; sed de essentia simul et scientia; quia et amas te esse, et amas te scire, et ad utrumque pertinet amor, qui ab utroque procedit. Est ergo essentia tua; et de ea nascitur sapientia; et ab utraque procedit amor.

§ XXIX. — *In divinis est identitas substantiæ, et personarum distinctio, et proprietatum reperitur discretio.*

Per me itaque illuminatus, et excitatus a me, ascende supra me ad Deum tuum : et vide inprimis, quia ipse semper est. Qui enim omnibus, quæ sunt, dedit esse : patet nimirum, quia nihil erat ante ipsum, quod ei daret esse; sed semper est, et semper sapiens est, et semper essentiam, et sapientiam suam diligit. Est ei essentia æterna, et essentiæ æternæ coæterna Sapientia : et utrique coæternæ Amor coæternus. Nec est in Deo tuo horum aliquid prius altero, vel posterius; sed per oris tui angustias non valet dici, nisi aliquid 461 prius, aliquid posterius. Itaque aliquid de eo prius, aliquid posterius ore quidem dicis; sed nihil in eo prius, nihil posterius corde credis. Sunt

Digitized by Google

igitur hæc tria in Deo tuo : essentia, sapientia, amor. Essentia æterna a seipsa; sapientia coæterna, genita ab essentia ; amor coæternus, ab essentia et sapientia procedens. Hoc modo vides Deum trinum esse. Sed vide eum esse et unum : *Quia Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* VI, 4). Est namque in eo trinitatis quidem discretio, sed non unitatis confusio. Verum ideo sunt in eo non tria, quia est unum; nec ideo non unum, quia sunt tria ; sed credatur unitas trina, et trinitas una. Et si discernis hæc tria ; vides quia non est quodammodo esse, sapere vel amare ; nec sapere, amare vel esse : nec amare, esse vel sapere : tamen unum, et idem unum in Deo sunt, esse, sapere, et amare. Sicque ea ratio quidem discernit; sed fides non dividit; et vides in Deo tuo Trinitatem indivisam, et unitatem inconfusam. Et in unitate quidem vides æternitatem et immensitatem ; in æternitate incommutabilitatem , et in immensitate simplicitatem. hoc est, immensitatem sine quantitate, et æternitatem sine tempore. In Trinitate vero vides communionem unitatis, æqualitatem immensitatis, coævitatem æternitatis : communionem unitatis sine divisione ; æqualitatem immensitatis sine distinctione; coævitatem æternitatis sine ordine, vel successione.

Et tribus admonitus, hæc tria personas voca. Et quia in eis vides quod a nullo et quod ab alio, et quod ab utroque, quasi quoddam gignens, quoddamque genitum, quoddam etiam procedens: easdemque personas voca Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum ; et assigna essèntiam (317) Patri, sapientiam Filio, amorem Spiritui sancto : et confitere Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Sicque distingue personaliter, quod unum est substantialiter : quia in Deo tria sunt unum, et unum tria : quia Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt Deus; et Deus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Pater a se ipso, Filius genitus a solo Patre, Spiritus sanctus nec a solo Patre, nec a solo Filio, sed ab utroque, a Patre simul et Filio procedens. Et est quilibet istorum illud quod alter, et idem illud : quia omnes tres naturaliter unus Deus A sunt. Sed nullus istorum est is, qui alter : nec Pater scilicet Filius est, vel Spiritus sanctus ; nec Filius Spiritus sanctus, vel Pater; nec Spiritus sanctus Pater, vel Filius : ut sit et unitas, quantum ad substantiam ; et Trinitas, quantum ad personas : in illa identitas, in istis vero proprietas.

§ XXX. — *A Deo æterno est Verbum æternum; ab utroque Spiritus sanctus, qui est amor utriusque æternus.*

Es ergo, Domine Deus; es, inquam, Pater, et es a teipso, non ab alio : habens essentiam a teipso ; quæ scilicet essentia tu ipse es. Et est tuus Filius tibi coæqualis, coæternus et consubstantialis, a te Deo Patre, Deus genitus : et est id, quod es, quia Deus, quia eum de tua substantia gignis, et ideo Filius est. B Nec aliquid aliud gignis, quam ipse es, qui gignis, Deus scilicet Deum; sed aliquem alium gignis, quam qui es tu, Pater videlicet Filium. Quia non ipsum gignis, qui es tu ; ne ipse sis genitus, qui gignens ; sed illud gignis, quod es tu : ut id sit genitus, quod es tu gignens. Nata quippe est sapientia tua æterna de te essentia coæterna. Est Spiritus sanctus nec solius Patris, nec solius Filii, sed utriusque : Patris videlicet et Filii ; quia ab utroque procedens, Patre et Filio, amor videlicet et essentiam, et sapientiam amans, et ab utraque manans. Et tu quidem, Deus meus, Spiritus alme, cum Pater sit Spiritus, et sit sanctus; et Filius sit Spiritus, et sit sanctus : tu tamen in persona tua specialiter vocaris Spiritus sanctus ; quia es Patris et C Filii amor et dilectio ; dulcedo et suavitas; amplexus quodammodo et nexus ; et quasi quoddam fœdus amborum in Deitate una. Tu etiam es, qui electorum tuorum cordibus ad eorum sanctificationem infunderis ; nec venis sine Patre et Filio; quia non es sine Patre et Filio : et hoc est, te sine illis non venire, te sine illis non esse. Qui etiam *donum Dei* diceris, cum et ipse Deus sis : et æternus quidem es, qui daris ; sed æternaliter non acciperis ; quia temporaliter tibi non est, a Patre et Filio procedere ; sed hominibus, qui temporales sunt, temporaliter est te suscipere.

(317) Hæc caute legenda. — Ed. P.

PARS SECUNDA.

CONSIDERATUR QUAM DEUS SIT TERRIBILIS IN REPROBIS.

482 § I. — *Væ illis, qui a Creatore aversi, ad creaturas se convertunt.*

Ecce, Domine Deus, qui jam te per clamorem validum creaturarum tuarum in inspectione naturarum suarum voce me magna alloquentium, auditu auris audivi te : nunc per diligentem mei ipsius considerationem excitatus, et clarificatus oculus meus, ex aliqua parte, videt te. Video, quia es, quia sa- D pis, quia diligis : et ego sum, sapio et amo. Sum, inquam, Domine Deus meus, sed sim in te; sapio quidem, sed sapiam te; amo, Domine, sed amem te. Væ rationali creaturæ, angelo scilicet et homini, avertenti se a te! quæ nec propter dignitatem suam, ad omnino non esse; nec propter pravitatem suam valet pertingere ad beate esse. Melius erat eis, si nati non fuissent rationabiles; quia non vocandi

Digitized by Google

essent ad judicium, ac proinde non mergendi in supplicium. Væ itaque injustis et impiis, qui te relicto, stabili essentia, vel se sequendo, vel eis inhærendo, esse volunt in his quæ sub se sunt! quia et esse desinunt, qui te postposita clara sapientia, vel se, vel ea, quæ sub se sunt, sapere volunt; quia desipiunt, qui te etiam abjecto dulci amore, vel se solummodo, vel quæ sub se sunt, amant: quia nec amant, et si amant, damnabiliter amant. Hinc, Domine Deus meus in creatura tua egregia, quam pro te fecisti perfectam, claram, et integram, et plenitudinem minuit defectio, et claritatem obscurat caligo, et integritatem contaminat corruptio: ut eos nec immerito perennis Dei sui condemnet privatio, quos prius voluntaria et perpetua essentiæ et sapientiæ, atque amoris ejusdem Dei sui reos tenuit abjectio.

§ II. — *Invidi, cosmophili, arrogantes, gulosi graphice damnantur.*

Væ igitur tibi, massa perditorum, Væ tibi stipula levis, et sicca, æternis incendiis præparata! Væ tibi lignum infructuosum, et aridum, natum in combustionem, et cibum ignis! Væ tibi, fili perditionis Cain, qui fratri tuo præsens lugenti exsilium, Ecclesiæ scilicet electorum invidens, dolosis pravorum exemplorum monitis ad exteriora eum egredi hortaris, ut egressum interficias! Væ tibi! quia a facie Domini egrediens, vagus super terram habitas, et profugus: vagus per inordinatam concupiscentiam, profugus per peccatricem conscientiam; quia tuam in te et illa carnem urit, et hæc mentem jugiter rodit. Væ, inquam, tibi! qui Enoch in primordio generans, in terra civitatem ædificas; quia te solis præsentibus dedicans, cordis intentionem figis in terrenis. Væ vobis, hujus sæculi filii! qui pingui cervice armati, currentes adversus Deum erecto collo, de lucente et luminoso oriente recedi tis; et invenientes campum latissimum, per viam ejus latam ambulatis, quæ ducit ad perditionem: et multi estis, qui ingredimini per eam (*Matth.* VII, 13).

Væ, inquam, vobis, filii Adam superbi et excelsi, exaltati, et elevati! Væ vobis! Quia elevati dejiciendi estis, et sicut fumus deficietis. Modo moramini in terra Sennaar (*Gen.* II, 2), et fetida scilicet conversatione peccatorum vestrorum, quia Sennaar fetor eorum interpretatur. Ibi moramini, ibi vos monetis alterutrum, et dicitis: *Venite, faciamus nobis lateres, et coquamus eos igni, et faciamus civitatem, et turrim, cujus culmen pertingat usque ad cælos* (*ibid.*, 5). Et adjungitis: *Et celebremus nomen nostrum* (*ibid.*). Væ vobis, qui nomina vestra vocatis in terris vestris, *amantes primas cathedras in synagogis, et primos recubitus in cœnis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi* (*Matth.* XXIII, 6). Sed cadet turris vestra, destruetur civitas, quam ædificatis. Et nunc quidem habetis lateres pro saxis, et bitumen pro cæmento. Invidia bitumen est; cæmentum concordia. Saxa robur exprimunt bonæ operationis: lateres vero mollitiem carnalis corruptionis. Nam et **463** bitumen nascitur de terra fulminata; quia invidia nascitur in anima tumore superbiæ percussa. Et lateres igni coquuntur, ut indurentur; quia luxuria uruntur corpora vestra, ut sordidentur. Habetis ergo, o superbi, et impli! habetis, inquam, et bitumen pro cæmento, et lateres pro saxis; quia serenitatem abjicientes concordiæ, ad vos perturbationem admittitis invidiæ; et deserentes fortitudinem boni operis, lutum amatis sordidæ libidinis. Ex his ædificatis altitudinem turris; sublimitatem scilicet elationis.

Væ etiam tibi Edom pilose, et hispide, qui mortem quidem tuam esuris, dum primogenitorum tuorum dignitati ventrem tuum præponis! (*Gen.* XXV, 34.) Es certe vir gnarus venandi, per ingentem hujus mundi silvam canes tuos emittens, et excitans, ut tibi carnem acquirant: ut tibi videlicet oculi tui adferant vanitatem, aures curiositatem, nares voluptatem, gustus edacitatem, cæteraque membra impuritatem. Perniciose foris tam diu moraris (*Gen.* XXVII, 22), dum sic per moram et propter moram tuam paternæ benedictionis hæreditate privaris. At contra in domo mentis cum virili simplicitate, et simplici virtute Jacob habitat, et patris benedictione ditatur.

§. III. *Concupiscentia carnis, et oculorum, ac vitæ superbia censura typica castigatur.*

Væ tibi, o Domina Ægyptia, pulchra nimis; sed fœda! Pulchra quantum ad vultum, fœda quantum ad animum, quæ innocentem, et pudicum Hebræum puerum ad tui commixtionem lascivam lascive lasciva invitas (*Gen.* XXXIX, 12). Verumtamen pudicitiæ suæ consulens verecundus Joseph, relicto in manibus tuis pallio, nudus fugit (*ibid.*) Quia eligunt viri sancti abjecti esse in domo Dei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum (*Psal.* LXXXIII, 11), pravis scilicet eorum exemplis, monitis ad peccati consensum pertrahi. A suis namque persecutoribus, abjecta sindone, discipulus ille, quem diligebat Jesus, nudus fugit (*Marc.* XIV, 52): quia his, quos per æternitatem prædestinationis, per amorem, et dulcedinem electionis diligit Jesus, etiam necessarium, ut in nonnullis temporalium aliquando deserant usum: ne, dum plene ubique consumunt necessitati, cedant in aliquo voluptati: ne, si caute in se etiam licita non resecant, occulte quoque et illicita succrescant. Væ vobis, Core, Dathan, et Abiron! qui adhuc hodie legislatori per rebellionem superbiæ resistitis; quia vos vestrosque complices aperiens os suum terra deglutit (*Num.* XXVI, 10); terrenorum scilicet vos desiderium a vita spiritualium funditus perimit: ut in peccati infernum viventes, humo tamen pravæ voluntatis operti, descendentes, per pravæ conversationis usum de medio Israeliticæ multitudinis pereatis.

Maledictum consilium tuum, o Balaam, fili Beor! Et maledicta doctrina tua, qua *doces Balac mittere scandalum, coram filiis Israel edere, et fornicari*

Digitized by Google

(*Apoc.* II, 15). Væ tibi, Dalila dolosa, et fraudulenta! Quæ *solem* eorum, inter quos erat, Samsonem loquor, sic enim interpretatur nomen ejus, abraso crine, adhuc hodie hostium manibus tradis: ut utrisque evulsis oculis, eoque in mentis carcere ad molam exteriorum voluptatum deputato, illis jam sit ludibrio, quibus ante fuerat terrori (*Jud.* XVI, 19 et seqq.). Heu! Heu! o pulcherrime et fortissime adolescens! Heu! inquam, quod totum tuum dolosæ et sordidæ meretrici aperuisti secretum: quod ab ea, quæ dormivit in sinu tuo, vel in cujus tu potius dormivisti, non custodivisti claustra oris tui; quia et Ezechias peccasse dicitur, eo quod regis Babylonici nuntiis Dominicos monstraverit thesauros (*IV Reg.* XX, 13). Væ vobis, Filii Heli, gastrimargiæ dediti, et libidini! qui vestrum mittitis puerum, sensum videlicet puerilem, habentem in manu tridentem, et exhibentem scilicet in opere concupiscentiam carnis, et concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ, ut carnem vobis afferant crudam; qui nec scitis Dominum, nec officium sacerdotum ad populum (*I Reg.* II, 12-15).

§ IV. — *Modicam peccati pruriginem, quæ delectat, consequitur æternum supplicium, quod cruciat.*

Et tibi væ, o superbe Saul, superbe, et invide persecutor humilis et benigni David: qui cum speluncam ingrederis, ut purges ventrem, parcit tibi mansuetus, exsul et pius; nec ad te necandum
464 manum mittit in te: quin etiam cor suum percutit, eo quod vel oram chlamydis tuæ abscindere præsumpserit (*I Reg.* XXIV, 4-6). Væ tibi, o miser Amnon! Miser, inquam, et miserabilis, qui tam ardenti, tamque fœdo sorori tuæ, primo quidem dulci; sed postea ex nomine amaro conglutinaris amore: ardenti usque ad tuam ægritudinem; fœdo usque ad ipsius oppressionem. Denique impleta voluntate fœda et fetida, per operationem fœdiorem, et fetidiorem, magis eam odis quam antea amabas; et qui prius pro ejus amore ægrotabas, post eam oculis videre non vales (*II Reg.* XIII, 1-15); quia *omnis homo primum bonum vinum ponit: sed cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est* (*Joan.* II, 10). Unde ait quis: *Impii vivunt, et sublevati sunt, confortatique divitiis. Semen eorum permanet coram eis, et propinquior turba nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt et pacatæ, et non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit, et non abortivit; vacca peperit, et non est privata fœtu suo. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exsultant lusibus. Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos* (*Job* XXI, 7 et seqq.). Ecce bonum vinum, quod primum ponitis vos, qui homines estis. Ecce et amor magnus, quo diligis Thamar, o miser Amnon! Sed quid subdit Scriptura? *Et in puncto*, inquit, *ad inferna descendunt* (*ibid.*). Ecce cum inebriati fueritis, propinatur vobis quod deterius est. Ecce et odium magnum, quo habes odio eamdem Thamar, o Amnon!

Væ etiam tibi, o perfide Absalon! Quem gravat cæsaries, superfluitas videlicet temporalium: qua etiam suspenderis; suntque tres in corde tuo lanceæ infixæ: concupiscentia videlicet carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ in mundo sunt: et mulus, cui sedes pertransit (*II Reg.* XVIII), quia *transit* quidem *mundus, et concupiscentia ejus* (*I Joan.* II, 17). Transit namque delectatio; sed manet culpa, et permanet pœna. Transit, inquam, quod delectabat, et manet, quod puniat. Idcirco transit mundus, et mulli moritur sessor: quia cadit quidem mundus; sed mundi punitur amator. Projectus es, o Absalon! in foveam grandem: quia demerguntur impii in puteum infernalem. Et congregaverunt, inquit, *super eum, acervum lapidum magnum nimis* (*II Reg.* XVIII, 17). Ite, *maledicti, in ignem æternum* (*Matt.* XXV, 41). Ecce acervus lapidum, qui non solum magnus, sed nimis magnus est: quia ibi *nec vermis eorum morietur, nec ignis eorum extinguetur* (*Marc.* IX, 45), ut eorum carnem et ignis exuret, et vermis corrodat: quia vindicta carnis impii, ignis et vermis. Nec in æternum vel illius ustio, vel hujus cessabit corrosio: ut, sicut hic nunquam voluerunt finire culpam, sic et ibi semper mortaliter vivi, et vitaliter mortui, nunquam finiant pœnam.

§ V.— *Terribilis Deus in damnatione reproborum super filios hominum.*

Væ tibi generatio nequam et adultera, generatio mala et perversa! Væ tibi *generatio prava et exasperans; generatio quæ non direxisti cor tuum*, (*Deut.* XXXII, 5), *et non est creditus cum Deo spiritus tuus!* (*Psal.* LXXVII, 8.) Væ vobis, perditionis filii; angeli videlicet et homines pravi! qui abjicientes Deum vestrum, in quo stabiliter esse, in quo clare sapere, quem dulciter amare deberetis, in vestra essentia deficitis, in vestra sapientia, si tamen sapientia, desipitis: in vestro amore amarescitis. Et o quam terribilis es, Domine Deus, in illis! Vigilat namque super reprobos singulos; angelos videlicet et homines, secreta animadversio justi judicii tui, projiciens eos a facie tua et a sorte eos electorum tuorum excludens: æternæ etiam eos oblivioni tradens, utpote *vasa iræ apta in interitum* (*Rom.* IX, 22). Eorum etenim nec diluis mala, nec approbas bona; insuper eorum corda induras, ne ad te convertantur, et in te beatificentur. Quod ideo terribile et horribile est: quia fixum in æternitate, immobile omnino et immutabile est. *O terribilis Deus in consiliis super filios hominum!* (*Psal.* LXV, 5.) O, inquam, terribilis in reprobis! Teque in eos valde terribilem prædicant et bonitatis eorum si quæ tamen est despectio, et pravitatis nulla oblivio, et cæci cordis eorum obduratio. Quorum pravam voluntatem ita moderaris occultus et justus, omniaque suaviter disponens omnipotens

Digitized by Google

Deus ut quæ contra te injuste conatur, occulte secundum te disponatur. Quæ et si displicet in eo, quod mala et injusta, placet tamen in eo quod disposita et ordinata est. Moderaris eam, Domine Deus, modis quatuor : vel termino naturaliter collatæ potestatis, vel miraculo 465 temporaliter illatæ possibilitatis, vel obstaculo extrinsecus exhibitæ difficultatis, vel judicio intrinsecus operantis dispositionis.

§ VI. — *Quadrupliciter voluntatem impiorum moderatur Deus, suavi tamen ac forti consilio.*

Primus modus est, quando naturaliter posse conceditur; secundus, quando idipsum naturale posse subita et occulta virtute tua, sine exteriori impedimento, comprimitur; tertius, quando nutu tuo per alias virtutes extrinsecus obviantes, aliorum voluntates, ne ad effectum venire possint, impediuntur; quartus vero modus est, quando vis tua, Domine Deus, quæ ab intus omni creaturæ præsidet, illas etiam voluntates, quæ contra tuam ortæ sunt, ad perficiendam tuam occulte intorquet. Potest ergo, Domine Deus, mala reproborum voluntas in se quidem corrumpi et per proprium vitium resolvi, quod ei aliunde non datur; sed non potest per velle extra se præcipitari, nisi ei via aperiatur. Et cum præcipiti eidem pravæ voluntati qua vult, tu Deus, viam aperis; quodammodo ipsam inclinas : non tamen impellendo, sed permittendo et non retinendo; nec ei auctor es ruendi, sed ordinator incedendi. Malas itaque voluntates et hominum et dæmonum, quibus tu vis modis et occasionibus sive intus, sive foris, tu Deus omnipotens, et excitas ad volendum, et ordinas ad sustinendum : in quibus profecto et ad ipsas pertinet quod sunt malæ; et ad te, quod sunt ordinatæ. Sed hæc interna dispositio tua tam occulta est, ut ipsas etiam malas voluntates, in quibus est, lateat; quæ ideo suo se putant arbitrio dirigi, quia se sentiunt præter coactionem proprio appetitu moveri. Et quia non impelluntur, non intelligunt, quod diriguntur; et nesciunt se habere coram præcedentem, ut ordinentur; quia non sentiunt retrorsum impellentem ut præcipitentur. Sic sic tu Deus omnipotens terribilis et districtus, impiorum quos ab æterno reprobas, corda induras, eo terribiliter quo immobiliter : juste quidem; sed occulte. Nam æternitatem reprobationis non potest non sequi perpetuitas damnationis : ut, sicut reprobati sunt ab æterno, sic et condemnati sint in æternum.

§ VII. — *Cur nesciat homo in hac vita, utrum odio, an amore dignus sit.*

Te igitur, Domine Deus, quam terribilem et districtum reprobis exhibes. Dum eos ita reprobas ab æterno, ut eos punias in æternum! Hei mihi! Quid est hoc, Deus meus? Quid, quæso, est hoc? Interrogo, quid hoc sit : sed interrogare non audeo, quare sic sit. Et quidem quæstio hæc solvi non potest. Stupendo itaque paveo et pavendo obstupesco, et cum admiratione pavida exclamo, et dico : O terribilis Domine Deus in reprobis! Ecce in ira tua deficio et in furore tuo vehementer conturbor. Et *quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare?* (*Psal.* LXXXIX, 11.) Quis inter hæc non timeat, quis non terreatur? Quis enim de sua electione securus, quis non de sua reprobatione pavidus? *Sunt enim justi, et sapientes, et opera eorum in manu tua sunt;* et tamen *nescit homo utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum reservantur incerta* (*Eccles.* IX, 1). In futurum, inquit, reservantur incerta; tunc enim certa erunt. Tunc, inquam, certa erunt, quando emendandi nec locus erit, nec tempus. Nunc quidem ex nobis, Domine Deus, sapientes sunt et justi : sapientes in corde; justi in opere. Sapientes, quantum ad puritatem conscientiæ; justi, quantum ad agnitionem famæ; sapientes denique intus ad Deum, justi foris ad proximum. Et opera nostra in manu tua sunt; et tamen nescimus utrum amore, an odio digni sumus. Domine, inquam, Deus meus; Deus æterne et magne, excelse et intime; Deus fortis et juste, si te interrogare audeo Majestatem pulvis, quare nos nescimus amore dignos, si nos simus sapientes et justi? Et audio quidem te in interiore cordis mei aure respondentem mihi ad hæc : Si sitis, inquis, veraciter justi, non est necesse, ut amore meo dubitetis vos dignos. Sed non estis veraciter justi, nisi in meis sitis oculis justi : nam multoties vestra in conspectu hominum justitia fulget, et in meo sordet. Et nonnunquam in vobis æterna damnatione judico dignum, quod dignum 466 mercede æternæ beatitudinis humanum censet judicium; quia inde me sæpe, etiam placatum, ad iram provocatis, unde vos posse me iratum placare æstimatis. Non ergo mirum si de amore sitis incerti, qui de vestro adhuc estis merito dubii; et si nescitis utrum ad patriam pertingatis, qui adhuc ignoratis, utrum recto itinere tendatis.

§ VIII. — *Nemo de electione securus, et de sui reprobatione nemo non sit pavidus.*

His itaque a te, Domine Deus, auditis, dico et ego : Væ ergo vitæ meæ etiam laudabili, si eam a te sine misericordia contigerit discuti! O Domine terribilis et fortis, qui facis magna et inscrutabilia, et mirabilia absque numero! *Si veneris ad me, et non videbo te; et si abieris, non intelligam. Si repente interroges, quis respondebit tibi vel dicere potest : cur ita facis? Deus, cujus resistere iræ nemo potest : sub quo curvantur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, qui respondeam tibi et loquar verbis meis coram te? etiamsi habuero quidpiam justum, non respondebo tibi; sed te meum judicem deprecabor. Et cum invocantem me audieris, non credo quod exaudieris vocem meam* (*Job* IX, 11 et seqq.). Quidquid bene egi, damnabile a te judicatur, si a te sine misericordia discutitur. Hinc propheta, hujus tuæ, de qua loquor, districtionis consideratione concussus, ait : *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine* (*Psal.* CXLII, 2). Quare etiam secum in judicium te intrare noluit, subdendo innotuit, dicens : *Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et quare omnis vivens?

Digitized by Google

neminem excepit. Non prophetam primum, non patriarcham egregium, non aliquem apostolum, nec ullum omnino in hac mortalitate propagatum, novit in conspectu tuo judicandum; si cum eo velles intrare in judicium. Video hæc, Domine Deus meus. Video hæc, inquam, et timeo. Considero hæc et paveo. Cerno hæc et in manibus tuis trepido, o Deus juste et occulte: occulte et juste!

PARS TERTIA.

CONSIDERATUR QUAM AMABILIS ET SUAVIS SIT DOMINUS IN ELECTIS.

§ I.—*Filiorum Dei benigna est adoptio: quorum peccata commissa in tempore, non apparent in æternitate.*

Cæterum quam felices tui sunt electi, Domine Deus, Pater omnipotens? quam felices, inquam, sunt, quorum nomina ab æterno, in libro vitæ sunt scripta; et per Redemptorem suum, Filium tuum Jesum, accessum habent per fidem in gratiam istam, in qua stant et gloriantur in spe gloriæ filiorum tuorum, in quorum cordibus diffusa est charitas Dei per Spiritum sanctum, quem donas eis (*Rom.* v). Quorum etiam spiritui testimonium reddit Spiritus tuus, quod sint filii tui. Si filii, et hæredes; hæredes quidem tui, cohæredes autem Christi. (*Rom.* VIII, 16, 17). O beati beatæ prædestinationis filii! O munda æternæ electionis vasa! O sancti, et dilecti! quos diligis in odorem suavitatis, complacens tibi in illis. Quos et benedicis omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo; sicut elegisti eos ante constitutionem mundi, ut sint sancti et immaculati in conspectu tuo, in charitate. Quos et prædestinasti in adoptionem filiorum, per Jesum Christum in ipso, secundum propositum voluntatis tuæ, in laudem gloriæ, et gratiæ: in qua gratificasti eos in dilecto Filio tuo; in quo habent redemptionem per sanguinem ejus, in remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in eis in omni scientia et prudentia (*Ephes.*, III, 4 et seqq.). Quam dulci, Domine, quam miro, quamque suavi eis amore conglutinaris: vocans et colligens, et uniens eos tibi compage æternæ dilectionis insolubili: ita ut nemo eos rapere possit de manu tua? Miro modo facis eis non solum bona, sed etiam ipsa mala sua eis cooperari in bonum: ut dum tu eorum efficax ubique adjutor vivis, salutis eorum zelator in omni rerum eventu, in omni temporum statu pro eis et cum eis fueris: nihil omnino contra eos esse possit; dum id etiam cum eis et pro eis fuerit, quod contra eos esse visum fuerit. O serenitatis pactum! O fœdus pacis, quod cum eis percutis: facie eis hilari et non fallaci arridens; propitio ac sereno vultu super eos respiciens: oris etiam tui osculo deosculans, mundans eos, 467 coaptans et consummans! Mundans, dico, per veniam peccatorum, coaptans per gratiam meritorum, consummans per gloriam præmiorum: ut tales denique in æternum sint in se quales ab æterno sunt in te.

Cumque una, eademque et electos simul, et reprobos carnis producat corruptio, dissimilis tamen semper et meriti eos, et præmii suscipit mansio; quia et pisces simul cum volatilibus ex eisdem aquis producuntur: cum et pisces in originalis sedis profunditate demergantur, et in aere locum aves sortiantur; et una eademque est terra quæ cum tritico profert zizania, cum triticum horreum suscipiat et zizania ignis exurat. Et ex eisdem parentibus, uno etiam eodemque tempore Esau et Jacob geniti sunt; sed iste quidem diligitur, et ille odio habetur (*Rom.* IX, 13). Sicut enim, cum aliquis ingenuus in servitute et exsilio aliquandiu nutritus; cum aliorum relatu suam et ingenuitatem, et libertatem agnoscit, hæreditatem suam omni contendit studio et conamine apprehendere et se servitute exuere, et inducere libertatem; exsilium deserere et ad regnum hæreditarium festinare: ita profecto, ita, inquam, sancta electorum Ecclesia, nata in præsentis exsilii et servitutis ærumna; cum per tuam, Domine, inspirationem et ingenuitatis suæ dignitatem, et hæreditatis agnoscit felicitatem, virtute infatigabili insistere non cessat, donec utrumque acquirat. Nulla eos a te peccata elongant, qui, ut mihi videtur, quodammodo nec peccant; eos namque cœlestis generatio, æterna videlicet prædestinatio conservat; nec peccare possunt (*I Joan.* III, 9), quia, si quæ videntur deliquisse in tempore, omnino non apparent in æternitate, quorum *peccata dissimulas propter pœnitentiam* (*Sap.* II, 24); eaque tua charitas operit et tegit; et a tuo judicio abscondit.

§ II. — *Singularis sanctissimæ Trinitatis favor erga electos.*

Isti itaque tibi Domino Deo suo et æternæ essentiæ innituntur, ut fortes sint; et claræ sapientiæ intendunt, ut sapientes sint; et dulci amori conglutinantur, ut dulces et jucundi, boni et beati sint. Ex te habent esse, quia a te creantur; ex te etiam sapientes sunt, quia et a te illuminantur; in te nihilominus felices sunt, quia te quoque perfruuntur. Nam a te subsistentes, modificantur; te contemplantes, illustrantur; tibi inhærentes, jucundantur: O Pater! O Fili! O Spiritus sancte! habentes quidem ex te causam naturæ, per te formam scientiæ, in te summam vitæ. In tua igitur, o Pa-

Digitized by Google

ter! æternitate vigent; in tua, o Fili! veritate lucent; in tua, o Spiritus alme! bonitate gaudent. Te habentes Patrem, et ut sint, auctorem. Et ut sapiant, te Filium, veritatis doctorem. Et ut in beatitudine dulcescant, te Spiritum sanctum, suavitatis intimæ infusorem. Et hic est, Domine Deus, novus homo, a te trino, secundum te trinum creatus: quem renovati spiritu mentis suæ induere quotidie non cessant electi tui, accipientes ex te Patre justitiam, ex te Filio veritatem, ex te Spiritu sancto sanctitatem, ut appareat homo secundum te creatus in justitia et sanctitate veritatis. (*Ephes.* IV, 24).

§ III. — *Pax iis denuntiatur, qui immaculati ab hoc sæculo, cum Deo ambularunt.*

Pax igitur tibi, o populе laudabilis! cui Dominus exercituum benedicit. Pax tibi, hæreditas Domini, o Israel! Quæ contendis, sive absens, sive præsens, placere illi: non conformata huic sæculo, sed reformata in novitate sensus tui, ut probes quæ sit voluntas ejus bona, et beneplacens, et perfecta (*Rom.* XII, 2). Pax tibi, vir juste, in generatione tua, o Noe! Qui ad devitandas diluvii inundationes; ne te vel aquæ tempestas demergat, vel profundum absorbeat, arcam ingrederis, quam Dominus deforis includit, in quo confidit anima tua, et in umbra alarum ejus sperat, donec transeat iniquitas (*Gen.* VII, 16, 23). Pax tibi, o senex fidelis! Qui, ut fias in gentem magnam, Ur Chaldæorum deserens, egrederis de terra tua et de cognatione tua, et de domo patris tui. Pax tibi, o Sara! Quæ, ne vita vivas mortali, morte moreris vitali; vitamque habens absconditam cum Christo, in Deo, in duplici actionis simul, et contemplationis spelunca sepeliris (*Gen.* XXIII, 19). Pax tibi, seri patris semen beatum, o Isaac! Qui, etiam apud alienigenas, puteos tam diu fodere non cessas, donec aquam vivam reperias (*Gen.* XXVI, 19). En tibi pax, domum mentis inhabitans vir simplex, o Jacob! Qui fratris cedens iracundiæ, ad ejus minas 468 devitandas, natale solum deseris: et uno de jacentibus lapidibus capiti supposito, post solis occasum, in Bethel, in pace in idipsum dormis et requiescis: ubi etiam charitatis scalam usque ad cœlos pertingentem, angelorumque per eam ascensum et descensum, Dominumque scalæ contemplaris innixum (*Gen.* XXVIII, 5, 12). Quam beatus es! Qui pro decora Rachele annis septem tam infatigabiliter servis: quos nimirum annos paucos tibi reddit amoris magnitudo (*Gen.* XXIX, 17, 20); et multiplici tandem actionis simul et contemplationis prole ditatus domum repetis paternam (*Gen.* XXX, 43); et, ne in eam duabus viis ingrediaris, ab angelo tactus in femore, uni ex toto innitendo claudus incedis (*Gen.* XXXII, 25).

Pax tibi, o innocens Joseph! Cujus innocentiam tunica commendat polymita (*Gen.* XXXVII, 3). Innocens, inquam, Joseph; innocens et simplex, obediens et patiens, pudicus et benignus: innocens in vitæ conversatione, simplex in somnii revelatione (*ibid.*, 5-9), obediens patris imperio (*ibid.*, 14), patiens usque ad venditionem (*ibid.*, 25-28, 36), pudicus usque ad carcerem (*Gen.* XXXIX, 7-20), benignus usque ad injuriæ remissionem (*Gen.* XLV, 1-4). Qui etiam ad extremum mortuus, conditus aromatibus, positus es in loculo, in Ægypto (*Gen.* L, 25), quia nimirum sancta electorum Ecclesia in tenebroso vitæ præsentis exsilio, et mundo huic mortuum, et multimodis virtutum odoribus compositum contemplationis fructum, quasi Rachelis primogenitum internæ actionis secreto abscondit. Pax etiam tibi, vir Dei Moyses! Qui, percusso Ægyptio, occiso videlicet in te peccato, per fugam, et malam Pharaonis invidiam, et invidam evadis malitiam (*Exod.* II, 12, 15); et puellis a pastoribus supervenientibus defensis, cordis scilicet cogitationibus ab irruentibus phantasiis ereptis, adaquas earum gregem, id est, bonam earum foves, et nutris fecunditatem (*Exod.* II, 16, 21), et fugatis ad interiora deserti ovibus, perductis ad intima secreta cogitationibus innoxiis, a mortiferis pravorum exemplorum calceamentis incessus mentis exuens, transis, ut in terra sancta magnam intuearis visionem (*Exod.* III, 1-5). Pax tibi, o beata gens Domini! Pax tibi, o populе! *Quem elegit in hæreditatem sibi* (*Psal.* XXXII, 12), qui dirum et durum Pharaonis jugum abjiciens, Ægyptiorum conventicula deserens: duris nihilominus operibus luti, et lateris ex toto renuntians, per multimoda deserti hujus pericula terram adis repromissam; terram lacte et melle manantem (*Exod.* XIII, 5); terram denique viventium, in qua vides bona Domini (*Psal.* XXVI, 13).

§ IV. — *Singulare trium virorum regnum et adoptio.*

Benedictus sis tu per cuncta sæcula, noster Jesus. Qui, dum populum tuum a peccatis eorum salvum facis (*Matth.* I, 21), habere te nomen ex re ostendis: per quem dat nobis Deus omnem terram, quam daturum se patribus nostris promisit. Et possidebimus eam in fine, atque habitabimus in ea sine fine. Per quem nobis a Deo Patre vera datur pax, nullusque nobis hostium resistere audebit, quando *salvabitur Juda et Israel habitabit confidenter, et quiescet terra a præliis* (*Jer.* XXIII, 6). Dominus tecum, virorum fortissime Gedeon. Pax tecum, et confortare, qui ad admonitionem angeli et carnes supra petram ponis, et jus desuper infundis. Quæ omnia virga ab angelo percussa ignis de petra exiens consumit (*Jud.* VI, 21), quia per internam inspirationis instinctum et carnis in se opera electi mortificant, et ipsas etiam carnales cogitationes annihilant; ut ipso postmodum eorum actionem prosequente adjuvando, qui prævenit aspirando, per suavem amoris et desiderii sui infusionem, ignem in eis sanctæ compunctionis accendat, qui eorum in ejus oculis holocaustum comedat. Pax et tibi, serve Dei sanctissime Samuel, qui crescis, et

Digitized by Google

Dominus est tecum; nec cadit ex omnibus verbis tuis in terram (*I Reg.* III, 19). Cujus in tantum fama crebrescit, ut cognoscant omnes *a Dan, usque Bersabee quod tu sis fidelis provheta Domini* (*ibid.*, 20).

§ V. — *Virorum illustrium catalogus, qui mystica virtutum operatione splenduerunt.*

Pax tibi, fortis, humilis, et benigne David! Fortis ad interficiendum leonem superbiæ et suffocandum ursum immunditiæ (*I Reg.* XVII, 34, 35); humilis ad ludendum coram Domino (*II Reg.* VI, 5); benignus ad parcendum, etiam inimico (*II Reg.* XVI, 10). Pax tibi, vir Dei Elia! qui sanctam electorum perfectionem, perfectamque eorum in te sanctitatem ostendis; dum tanto studio maledictam et maleficam Jezabel, mundi scilicet hujus concupiscentiam fugiendo declinas, et ad desertum, assumptis pennis columbæ, **469** sub omni festinatione volas (*III Reg.* IX, 3). In Bersabee Juda, tuum dimittis puerum; per confessionis puritatem, et septiformis Spiritus aspirationem, sensum a te abjicis puerilem; et in mentis solitudine commorans, animæ tuæ mortem exposcis, *desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo* (*Phil.* I, 23). Ab internæ etiam inspirationis angelo excitatus ab ignaviæ somno, pane subcinericio reficeris; quia bonæ operationis humilitate pinguescis, ut in hujus tibi fortitudine per quadragenarium præsentis exsilii tempus ad stabilem æternitatem, et æternam superni montis stabilitatem pertingas. Pax itaque tibi, vir Dei Elia, qui zona pellicea renibus accingeris; quia corporis castitate fulgescis (*IV Reg.* I, 8). Pax, inquam, tibi, et vera pax. Pax certe Domini: quam ipse Dominus et relinquit, et dat (*Joan.* XIV, 27). Pax tibi, qui per contemplationis excessum stas in speluncæ carnis ostio; et spiritus grandis et fortis transit, qui montes et petras conterit: quia in electis suis Dominus et omnem duritiam liquefacit, et altitudinem dejicit. Sed ne ita majestatem scruteris, ut a gloria opprimaris, vultum tuum pallio operis, dum auræ lenis sibilum audis (*III Reg.* XIX, 12, 13). Pax tibi, duplicis Eliæ spiritus possessor, o Elisee sanctissime! duplicis, inquam, spiritus Eliæ possessor (*IV Reg.* II, 9). Quia qui credit in nostrum Eliam, opera quæ facit et ipse faciet, et majora horum faciet; quia ipse ad Patrem suum vadens Eliseo in terra pallium dimittit: quia cum suis est omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (*Joan.* XIV, 12). Pax igitur tibi, o Elisee! Qui sic Eliam sequeris, sic ejus te ministrationi dedis (*III Reg.* XIX, 20), ut patrem mundum et matrem concupiscentiam, non per dilectionem, sed per abrenuntiationem deosculeris, mentis eis dorsum ex toto convertens; Ave eis dicens et ad eos ulterius reverti non proponens.

Et tibi quoque pax, o Isaia egregie! Qui ad præceptum Domini, carnis nuditatem in prædicatione non erubescis, mundanas funditus exuvias deponens (*Isa.* XX, 2): ut exoneratus terrenis et exoccupatus transitoriis, quasi vacuus viator incedens et idcirco coram latrone cantans, facilius securiusque ad cœlestia tendas et æterna. Pax tibi, qui in via David patris tui ambulas, o Rex nobilis Ezechia (*IV Reg.* XVIII, 5). Qui ob minas propheticas ad peccatorum tuorum parietem, quem inter te, et Deum tuum construxisti, mentis tuæ faciem vertens, coram eo qui te fecit, deploras quæ fecisti (*IV Reg.* XX, 2): ut ex eadem sacra Scriptura suavem vitæ accipias consolationem, a qua terribilem mortis audivisti comminationem. Quæ quidem vita et nunc in spirituali quietis septenario, et in futuro tibi in beatæ resurrectionis octonario dabitur; quatenus liberatus a peccato, servus autem factus Deo, habeas fructum tuum in sanctificationem; finem vero vitam æternam (*Rom.* VI, 22): quasi septem simul et octo vitæ annos, qui simul quindecim sunt. Pax tibi, o propheta Ezechiel! Qui in ædificio civitatis in monte positæ, et ad austrum vergentis, per sublime vitæ meritum stans, oculos habens ad portam; oculos, inquam, ad portam: ad portam nimirum quæ ducit ad civitatem (*Ezech.* XL, 2-6): ambulans quidem per fidem et desiderans per spem, dans tergum transitoriis et faciem æternis; cupiens denique terrestrem in te domum dissolvi, ut ædificationem accipias a Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis (*II Cor.* V, 1; *Phil.* I, 23).

§ VI. — *Ejusdem argumenti prosecutio, et fausta apprecatio.*

Pax tibi, o sanctificate in utero, virgo et sacerdos Dei, o Jeremia sanctissime! Quem de lacu lutoso et funes, et panni levant veteres (*Jer.* XXXVIII, 12, 13); quia sanctos Dei ab æterno ad vitam ab ipso prædestinatos, de sordido vitæ præsentis profundo et sacræ Scripturæ præcepta et sancta elevant exempla: ut linguam in eis dolosam et sagittæ potentis acutæ, et carbones in ascensu canticorum graduum annihilent desolatorii (*Psal.* CXIX, 4). Pax utique et tibi, o puer; sed non puerilis Josia! Cujus *memoria quasi mel in omni ore indulcabitur, et ut musica in convivio vini* (*Eccli.* XLIX, 2); qui statim, ut librum repertum legi coram te audis, prophetissam diligenter et humiliter consulis: nec moraris implere in facto quod scriptum audis in libro (*II Paral.* XXXIV, 16). Et tibi pax, Vir desideriorum Daniel (*Dan.* IX, 23)! qui in medio nationis pravæ et perversæ luces, quasi luminare in mundo: humilis inter superbos et abstinens inter gulosos. Qui dum de mensa regis Babylonici pollui non vis (*Dan.* I, 9), ad prophetiæ etiam fastigium pertingis; et dum ab eo, quod dulce est **470** ventri, parcis; ad id quod suave est menti conscendis.

Pax vobis, o bone pater boni filii! o bone fili boni patris, Tobia! (*Tob.* I, 2.) Et Tobia, qui tam devote, tam prompte in terra captivitatis vestræ Domino deservitis, devote ad Dominum, prompte ad proximum, flentes sedetis, dum recordamini Sion; In salicibus in medio ejus suspendentes organa vestra (*Psal.* CXXXVI, 1, 2), et suspirantes ad decoram civitatem Jerusalem: cujus portæ ex sapphiro, et

Digitized by Google

smaragdo ædificantur, et ex lapide pretioso : cujus A tudinem eis confers, o benignitas Deus! o, inquam, murorum circuitus ex lapide candido : cujus plateæ sternuntur auro mundo : per cujus omnes vicos cantatur lætitiæ cantus, canticum scilicet cantici, quod est Alleluia (*Tob.* XIII, 21, 22). Sed quorsum hæc omnia? Quid aggredior, quove progredior? Id aggredior quod nequit perfici : eo progredior quo non potest attingi. Nam mihi, Domine Deus, et sensus deest ad multiplex electorum tuorum meritum comprehendendum, et tempus ad connumerandum. Igitur ut modo his finem imponam, pax tibi, *generatio rectorum*, quæ benediceris (*Psal.* III, 2) ; generatio, quæ accipis *benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari tuo* (*Psal.* XXIII, 5). Pax, inquam, tibi, generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob; quæ et vallem mundi B deseris, et in montem Domini ascendis ; quæ beatitudinem, ad quam condita es, et per fidei credulitatem pie credis, et eam per vitæ sanctitatem sollicite, et perseveranter quærere non omittis.

§ VII. — *Mirabili dulcedine ac favore Deus electos suos sic dirigit per temporalia, ut non amittant æterna.*

Hæc te generatio quærit, Domine Deus : quia et eam ad te quærendum excitas, consecrans eam arrha tua, et dedicans pignore tuo, et insigniens munere tuo : quam dulciter amaricatam, et amara dulcedine evacuatam, et divisione vitiorum, et ortu virtutum rectæ fidei annulo, et bonæ operationis dotas armilla; ut eam postmodum a terrore horrendi C judicii tui immunem faciat ejusdem et armillæ ostensio, et annuli (*Gen.* XXXVIII, 18). Senem tuum, Domine Deus ; senem, inquam, tuum David Abisag calefacit (*III Reg.* I, 1, 2) : quia sanctam electorum Ecclesiam contemplatio accendit. Cui profecto Davidi plures ætatum dies habenti, id est, multa virtutum opera possidenti, vestimenta nequeunt conferre calorem ; quia *cum operiretur vestibus*, ut legitur, *non calefiebat* (*ibid.*). Et quid sunt, Domine, terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Sed in eis tui omnino non calefiunt electi, renuente consolari anima eorum : sed memores sunt tui, et delectantur (*Psal.* LXXVI, 4), et jucundantur interim in abundantiæ tuæ suavitatis memoria; donec ejusdem suavitatis possint perfrui præsentia. O quam D magna multitudo, quamque multa magnitudo dulcedinis tuæ, Domine! Quam nunc quidem abscondis timentibus te, quam et quandoque perficies sperantibus in te (*Psal.* XXX, 22). Et o quam suavis, quamque dulcis es in electis tuis, Domine Deus. Omnia namque non solum bona, sed ipsa etiam mala sua eis cooperari facis in bonum; ut te eos semper et ubique, et omnia quæ circa eos sunt ad eorum salutem disponente, etiam id eis contingat prodesse quod etiam aliquando visum est obesse, idque eis ad felicitatis accedat augmentum quod eis visum est accidisse ad ejusdem felicitatis detrimentum. Eorum siquidem et debilitatem roboras, o potentia Deus! et ignorantiam illuminas, o sapiens Deus! et apti-

sapiens et benigna potentia! o benigna et potens sapientia! o sapiens et potens benignitas! O Trinitas una et unitas terna! O, inquam, Trinitas, et unitas creatrix, Trinitatis et unitatis creatæ robur, lumen et dulcedo; Pater, et Fili, et Spiritus alme!

Considero hæc, Domine Deus meus; considero, inquam, hæc et hilaresco. Video hæc et exsulto. Cerno hæc et tantam etiam de me spem concipio, ut et me quoque esse unum ex eis audeam sperare. Hæc namque diligenter intuens, me quidem, non meis aliquibus intervenientibus meritis, sed sola tua gratuita gratia intra electorum tuorum consortium firmiter spero admittendum, ita ut illam etiam ad me viri sanctissimi audeam trahere sententiam, quam de se, suisque coelectis dixit; eamque de me dico : *Nunc filius Dei sum, et necdum apparuit, quod ero. Scio quia, cum apparuerit, similis ei ero : quoniam videbo eum, sicuti est.* (*I Joan.* III, 2.) Et unde mihi, Domine, ista spes ; ut me tantillum, et talem, audeam sperare 471 tibi similem futurum? Procul dubio, ex incomprehensibili amoris dulcedine, quo nos tam gratuito, tamque stabiliter amplecti dignaris. Unde et animam meam per contemplationem beneficiorum multimodorum, a te mihi multimode collatorum, ad laudem tuam incito et dico : *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam : qui coronat te in misericordia et miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum : renovabitur, ut aquilæ juventus tua.* Faciens *misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus. Notas fecit vias suas Moysi : filiis Israel voluntates suas. Miserator et misericors Deus : longanimis et multum misericors. Non in perpetuum irascetur : neque in æternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis : neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cœli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente : longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur Pater filiorum : misertus est Dominus timentibus se* (*Psal.* CII). Et quam apta similitudo! qualis pater erga filios suos, talis ipse erga electos suos.

§ VIII. — *Ex incomprehensibili consilio eos quandoque deficere permittit in via, quos eligit Deus hæredes in patria.*

O Domine Deus! Quam non solum ineffabilis, sed quam incomprehensibilis multa magnitudo et magna multitudo dulcis amoris et stabilis ; quo simul conglutinamini tu et electi tui, electi tui et tu! Talis mihi, Domine, in hoc contemplationis genere videris apparere electis tuis, qualis apparere solet rex aliquis præpotens et dives, quando privata hora in privato thalami sui loco, omni tribulatione sedata,

Digitized by Google

omni postposita molestia, omni cura et sollicitudine omissa, cum dilectissimis uteri sui filiis in omni tripudio amoris et gaudio lætatur et gaudet, jucundatur et ludit. Ubi nimirum eo sereniorem et quietiorem, eo suaviorem et dulciorem se habet : quos solos cum omni gaudio intuetur, quos super omnia diligit; in quibus nihil intuetur quod non diligit. In quibus et si quid forte intuetur quod non diligit, ipsos tamen ideo minus non diligit. Talem certe, Domine : talem, inquam, videris mihi exhibere te electis tuis, quibus te ostendis tam suavem et dulcem ; tam quietum et amabilem ; tam benignum et tractabilem ; tam compatientem et sollicitum ; tam hilarem et lætum ; tam modestum et pacificum ; tam misericordem et tranquillum ; tam serenum et blandum ; tam clementem et pium; tam bonum et jucundum ; qui tibi tam tenaciter ab æterno inhærent, ut a te in æternum nequeant avelli. Nulla eos a te peccata separant, quibus ad omnem sufficit justitiam te solum habere propitium, cui soli peccaverunt. Sunt enim de hac re testes innumeri, ad quam confirmandam sententiam de multis ad medium paucos producam.

Scimus profecto, quia frequenter legimus, quod David, mucrone quondam concupiscentiæ transfossus, alienam conjugem concupivit et abstulit : cujus etiam virum ad cumulum culpæ crudeli fraudulentia et fraudulenta postmodum crudelitate interfecit. Et qui prius in exsilio positus, persecutori parcere novit (*II Reg.* II, 2, 3, 4), nunc ad regnum sublimatus, egregium etiam cum damno sudantis exercitus militem exstinxit. Sed visitas eum, Domine ; visitas, inquam, per prophetam tuum. Visitas eum, ne pereat, percutiens et sanans ; verbis in eum minacibus sæviens ; occidens et vivificans ; salubriter eum concutiens et noxiam in eo securitatem perturbans, et per terrorem flagellans : cui quidem irasceris, sed irascendo hilarescis; comminaris, sed parcis ; arcum tendis, sed ad vulnus infligendum sagittam non emittis ; ut et culpæ suæ immanitate confusus, et horrore tui judicii territus, vulnus suum sentiat et ostendat. Sentiat per pœnitentiam, ostendat per confessionem : ut et semetipsum pœnitendo arguat, et ore proprio confitendo dicat : *Peccavi Domino* (*II Reg.* XII, 13). Istam, Domine, ab eo vocem audire desiderasti ; ideo tam clamose ad eum in propheta tuo clamasti ; ut et ipse audiret vocem post tergum monentis, et tu post te audires ab eo hanc vocem magnæ commotionis : *Sed ecce repulisti, et destruxisti eum, Domine; iratus es et misertus es ei: commovisti David, et conturbasti eum : sana* 472 *contritiones ejus, quia commotus est* (*Psal.* LIX, 3). Appone, Domine, vulneri suo, quod tibi tam humiliter ostendit, efficax remedium et sufficientem medicinam ; et responde ei per prophetam tuum : *Dominus transtulit a te peccatum tuum, non morieris* (*II Reg.* XII, 13). Maria quoque Magdalena septem dæmonibus, universis scilicet vitiis plena fuit ; sed quantumlibet Pharisæus exhorreat, quantumlibet improperet, plus apud eam pius, et mansuetus Jesus pascitur intus quam apud Pharisæum foris (*Luc.* VII, 44). Magis Mariæ oculis et lacrymis delectatur quam ullis Simonis obsequiis. Petrus etiam apostolus et ipse peccatum peccavit grande coram te, ter etenim negavit te. Sed non timeat, quia non peribit. Nam eum ad pœnitentiam pius pii Jesu excitavit aspectus. *Respexit*, inquit, *Petrum Jesus, et egressus flevit amare* (*Luc.* XXII, 61). Amare flevit quod timide negavit. Celebrata etiam resurrectionis tuæ gloria, vocatur ab angelo ex nomine, ne desperet ex negatione. Ter eum te facis confiteri, ut quod terna fœdavit negatio, terna mundet et abluat confessio.

§ IX.— *Vas electionis Apostolus in prototypum datur.*

Et de Paulo quid dicemus? Jam a te vas electionis dictus est, quando adhuc discipulus tuus Ananias ad eum accedere trepidavit (*Act.* IX, 15). Sed venisti, Domine Jesu, in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum, ut de se sentit, ipse primus est. Sed ideo misericordiam consecutus est, ut in ipso ostendas omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturі sunt tibi in vitam æternam. Jam tibi servit, Domine Pater, in Spiritu suo, in Evangelio Filii tui ; jam ei *vivere, Christus est, et mori lucrum* (*Phil.* I, 21) ; jam exercetur *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter* (*II Cor.* XI, 23). Jam virgis cæditur, jam lapidibus obruitur, naufragium patitur, in laboribus versatur et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate. Usque ad hanc horam et esurit, et sitit, et nudus est, et colaphis cæditur, et instabilis est, et laborat operando manibus suis. Maledicitur et benedicit ; persecutionem patitur et sustinet, blasphematur et obsecrat. Tanquam purgamentum hujus mundi factus est, omnium peripsema usque adhuc (*I Cor.* IV, 11, 13), et pro eorum denique spirituali vita non semel, sed quotidie moritur, quorum primus corporalem mortem incessanter sitiebat. O mutatio dextræ Excelsi ! (*Psal.* LXXVI, 2.) Et unde, Domine Deus tanta talisque, tam magna videlicet tamque subita in electis tuis mutatio vitæ, nisi ex stabili beatæ et beatificantis prædestinationis, qua eos diligis et eligis, eligis et diligis æternitate? Nam quos prædestinasti, hos et vocasti ; et illos et justificasti; quos autem justificasti, illos et magnificasti (*Rom.* VIII, 30). Si igitur pro eis tu es, imo quia es : quis contra eos erit vel esse poterit? (*ibid.* 31.) In omnibus quæ eis accidunt, superiorem locum obtinent ; in omnibus plene superant propter te; et per te diligis eos, qui diligis, inquam, eos in odorem suavitatis.

§ X. — *Deus filiis regni sui iratus, misericordiæ tamen recordatur.*

Qualem enim pater aliquis peccanti se exhibet filio, quem ob suam a se superbiam expellit ; quem cum in sua videt obstinatione perdurare, occulte ad eum matrem transmittit, ut non quasi ab ipso

Digitized by Google

missa, sed quasi per semetipsam materna videatur pietate adducta : quæ veniens, primo quidem eum de peccato corripit, sed magis de rebellione redarguit, et suæ iniquitatis cognitionem ei infundit ; patrem vehementer iratum asserit ; se tamen, si humiliter satisfacere de præterito et plene cavere voluerit de futuro, inter ipsum et patrem mediatricem et pro eo interventricem fore, atque patri eum ex toto reconciliaturam promittit ; cujus prædictus filius et minis territus, et promissionibus allectus, maternis tandem consiliis acquiescens, Patris pedibus humiliter provolvitur, de transactis postulat remissionem, de futuris pollicetur emendationem ; cui pater primo quidem tristem faciem ostendit, ut per tristitiam vultus animus corrigatur delinquentis ; sed dum plenam ejus pœnitentiam de præterito et humilitatem de præsenti, et firmum agnoscit propositum de futuro, mox omni sedata tristitia, eum suaviter amplectitur, dulciter **473** osculatur, culpam remittit, omnemque perturbationem deponens, imo, ut verius dicam, nullam omnino perturbationem deponens, quia nulla prorsus erat, sed magis serenitatem ostendens, quæ magna erat : et si forte perturbationem deponens, perturbationem certe deponens, quæ solummodo apparebat, sed non erat ; et serenitatem ostendens, quæ magna quidem erat, sed non apparebat, in pristinam enim paternæ dilectionis familiaritatem suscipit ; imo non suscipit, quia eum ab illa nunquam ejecit, sed quasi suscipere se ostendit : talem, Domine, te tuis exhibes electis. Tu namque pater peccantem a te filium expellis ; quando electum quemlibet, quem voluntarie genuisti verbo veritatis (*Jac.* I, 18), ob reatum suum, quantum ad ejusdem reatus immanitatem attinet, a te jure debere expelli ostendis. Sed hic filius tuus, Domine, non solum in peccatum cadit per fragilitatem ; sed in eo nonnunquam per consuetudinem jacet, quia in nobis quidem et ex nobis habemus ut possimus in peccatum cadere ; sed ex nobis non habemus ut possimus resurgere. Postquam enim semel nomina deserentes justitiæ, ex spontanea voluntate ad tortitudinem prolabimur culpæ, non solum ex nobis non habemus, ut ad justitiæ quam reliquimus rectitudinem redire valeamus : sed ipsa etiam nostra pravitas exigit ut tuo funditus destituti auxilio, etiam ad deteriora labi permittamur. Quia si etiam justus, conversus a justitia, fecerit iniquitatem sicut per prophetam tuum comminaris, pones offendiculum coram eo (*Ezech.* III, 20) ; ut qui sponte a justitiæ culmine corruit, nisi statim per pœnitentiam redire festinet, justo, sed occulto judicio tuo cæcatus juveniat ut adhuc gravius impingat.

§ XI. — *Divinæ gratiæ erga electos singulare præsidium.*

Sed constat quod omnes in peccatum cadimus et quod nemo prorsus, o Deus misericors, et clemens, potest salvari, si neminem a te post peccatum contingeret visitari. Mittere non dedignaris ad hunc, de quo loquor, Filium tuum, quamvis ipse indignus sit, matrem suam, gratiam scilicet tuam : quæ ei per inspirationem internam reatus sui cognitionem infundat, quam gravis sit dicat, tuam ei iracundiam ostendat, tui etiam judicii districtionem describat, æterna eum damnatione dignissimum judicet ; et ne in desperationis mergi possit profundum, si per plenam pœnitentiam redire voluerit, se velle pro eo apud te intercedere et tuam ei misericordiam se impetrare et velle, et posse promittat, duritiam suam liquefaciat, timorem sedet, elationem humiliet, consoletur pusillanimitatem ut modis omnibus modo comminando pœnas inferni, modo pollicendo gaudia regni, modo infundendo spem veniæ, ad suum tandem eum consilium ex toto pertrahat, quatenus sic tuus, o Domine, filius per allocutionem maternam culpæ suæ agnitione confusus, timore suæ perditionis territus, tuæ pietatis confidentia animatus, collectis demum fidei et spei viribus, et contra semetipsum cum quadam rixa pacifica erectus, surgat et vadat ad te Patrem suum, et dicat tibi : *Pater peccavi in cœlum, et coram te : jam non sum dignus vocari filius tuus* (*Luc.* XV, 18), sicque ablato duritiæ lapide, ad hanc quam in ejus corde immittis vocem magnam, vivificetur Lazarus ; nec solum vivificetur, sed etiam veniat foras (*Joan.* XI, 43). Vivificetur per pœnitentiam, veniat foras per confessionem ; ut tunc demum a prælatis sanctæ Ecclesiæ, tuis videlicet discipulis solvatur et in viam justitiæ abire sinatur. Quem cum talem intueris, ei Domine, statim hilarescis et placaris ; imo nec hilarescis nec placaris, quia ei nec iratus eras nec perturbatus ; sed ei te hilarem et placatum ostendis in interna sua contemplatione, cui etiam nunquam non ut hilaris, nunquam non ut placatus es in æterna tua prædestinatione.

§ XII. — *Liber prædestinationis scriptus ab æterno conservat inscriptos in æternum.*

Palam itaque, Domine, serva electos tuos, te habes, qui idem et eodem semper modo existens, nec eis irasceris ad damnationem, quando a te per peccatum recedunt ; nec eis placaris secundum aliquam quæ in te esse aut tibi accidere possit, de eis lætitiæ novitatem, quando ad te per pœnitentiam, te inspirante, accedunt ; sed stabile et immobile in te stat æternæ tuæ electionis propositum ; ut, juxta quod scriptum est, etiamsi peccant, sint tui ; et si non peccant, apud te sint computati (*Sap.* XV, 2). Non enim eorum cassatur prædestinatio, quando ad peccatum corruunt, ut desinat esse ex toto vel etiam desinat quod fuit ; nec innovatur, quando ad justitiam surgunt, ut reincipiatur quod esse desiit. Sed invariabilis omnino, **474** et immutabilis est, quæ sicut est ab æterno, sic est et in æternum ; quia nec incipit per principium, nec desinit per finem. Ipsi vero variabiles et mutabiles in præsentis vitæ exsilio sunt : ut modo peccent et digni sint pœna ; modo peccatum deserant et ad justitiam currant, et digni sint gloria. Nec aliter eis, quantum ad te, tu sentis, quando peccatores ; aliter quando justi sunt : licet

Digitized by Google

ipsi, quantum ad se, alii in peccato, alii in justitia sint. Ab æterno siquidem a te prædestinati sunt, ut beati sint et ut beati sint in æternum; nec tamen prædestinati sunt, ut sint beati ab æterno, quia nec sunt ab æterno. Et si ab æterno sunt, non in se, sed in te, qui solus ab æterno in te es. Ab æterno sunt in te, inquam, in quo etiam ab æterno omnia sunt, antequam in se sint; quia nunquam aliquid cogitasti; nec aliquid cogitabis quod prius non cogitasti; nec aliquid scivisti vel scies quod prius non scivisti; nec aliter quam prius, quia coæterna tibi Sapientia, o Pater! a te genita, a pleno plena, nec addiscere aliquid potest quod prius nescivit, nec oblivisci quod prius scivit. Non tamen de te proprie dico prius vel posterius; in quo nullum penitus cadit tempus : quod plene scio, quia sicut invariabilis es effectu, sic et cogitatu. Nihil enim in te non tuum : et, ut aliquid expressius dicam, nihil in te non tu. Ideoque quia tu æternus es, nihil in te non æternum est. Unde fit ut in æternum verum sit illud verbum bonum et suave quod semel, id est, ab æterno super electis tuis locutus es; quia sicut in libro beatæ prædestinationis scripti sunt ab æterno, sic in eo scripti sunt in æternum. Et quamvis ipsi in hoc mutabilitatis suæ statu alii aliquando in se sint quam coram te in illo libro sunt, tu tamen eos, quantum ad te, non alios coram te vides quam quales eos in illo libro vides, quia ille liber tu ipse es. Et idcirco, quantum ad se, peccare quidem possunt et multoties peccant; sed nullatenus peccare possunt et usque ad mortem, nec in peccato vitam finiunt; quia a te ad vitam prædestinati sunt; nec mortis vel pœnæ, sed vitæ sunt filii et gloriæ.

§ XIII. — *Peccandi impossibilitas, ex mente dilectissimi apostoli, in electis cum gaudio perpenditur.*

Et sic illa, ut mihi videtur, B. Joannis impletur sententia : *Quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat et non potest peccare, quia generatio cœlestis servat, et malignus non tangit eum* (*I Joan.* III, 9; *I Joan.* V, 18). Quam dulcis sententia hæc fidelisque sermo et omni acceptione dignus, et electis, si tamen se scirent esse electos, valde diligendus. *Omnis*, inquit, *qui natus est ex Deo, non peccat.* Quid quæso est hoc? *Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat.* Nunquid ex Deo nati non erant propheta David, apostolus Petrus, Vas electionis B. Paulus et quæ optimam partem elegit, Maria? (*Luc.* X, 42.) Plane ex Deo nati erant. Et nunquid non peccaverunt? Nunquid non in adulterio David peccavit et homicidio? (*II Reg.* XII, 3.) Nonne Petrus negavit Dominum (*Luc.* XXII, 61), et Ecclesiam Dei persecutus est Paulus? (*I Cor.* XV, 9.) Nonne septem dæmonia Maria habuit (*Matth.* XVII, 9), id est non aliquibus, sed universis vitiis plena fuit? Quomodo ergo non peccaverunt qui talia operati sunt? Qui tamen ex Deo nati sunt et in æterna modo gloria cum Deo sunt? Et hæc omnia fecerunt, et tamen non peccaverunt. Et si peccaverunt, non peccant; quia etsi quæ commiserunt in tempore, charitate Patris eorum operiente multitudinem peccatorum, ea quæ commiserunt non apparent in æternitate. Et ideo beatus fortassis Joannes non ait : Omnis qui natus est ex Deo, non peccavit, sed : Omnis qui natus est ex Deo, non peccat; ut evidenter ostendat peccata electorum, licet, quantum ad tempus, præterita, non tamen, quantum ad æternitatem esse præsentia. Quod cum ita sit, quid sibi vult hoc, quod verbum interposuit impossibilitatis, et non potest, inquiens, peccare? Verum est omnino, verum est hoc; quia omnis, qui natus est ex Deo, non potest peccare. Quia sicut reprobus esse nullatenus potest qui electus est ab æterno, ita operari quidam nullatenus potest in tempore, quod in eo duret usque ad finem, et pro quo reprobetur in æternum. Et idem qui hæc loquitur, Joannes, quare omnis qui natus est ex Deo peccare non possit consequenter ostendit; *quia generatio*, inquit, *cœlestis servat eum.* Hæc namque causa est quare qui natus est ex Deo peccare non potest; quia generatio cœlestis servat eum. Cœlestis etenim generatio æterna prædestinatio est : quæ, quia cassari omnino non potest quin prædestinatum sit in æternum quod in ea prædestinatum est ab æterno : ideo nimirum non inconvenienter dicitur eadem generatio cœlestis, æterna videlicet prædestinatio servare eos, quos ad vitam prædestinavit. Nec solum, ut non peccent; sed etiam ut **475** peccare non possint, quia ut superius dictum est peccare non possunt usque ad mortem, ut digni sint damnari post mortem. O dulcis, quam B. Joannes protulit, sententia! *Omnis*, inquit, *qui natus est ex Deo, non peccat, et non potest peccare : quia generatio cœlestis servat eum* (*I Joan.* V, 18). Et hanc, ut puto, sententiam sine cessatione decantarent electi, si sine omni ambiguitate se scirent esse electos. Sed non expedit, Domine Deus, quibusdam eorum, ut plenam certitudinem in hac vita suæ habeant electionis; sicut nec quibusdam reproborum ut reprobationis : ne et illi, se plene scientes electos, per nimiam securitatem in bono opere nimis tepidi sint; et isti, ex toto se videntes reprobatos, ob desperationem in mala operatione nimirum erga electos, audaces sint et crudeles. A te itaque, Domine Deus, electi tui nullis prorsus eventibus possunt avelli. Considero igitur, Domine, hæc et cum gaudio obstupesco : cerno hæc et cum exsultatione admiror : intueor hæc et cum admiratione læta et lætitia admirabili in hæc verba exclamo : *Quis sibi sapiens, et custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini?* (*Psal.* CVI, 43.) *Misericordia tua, Domine, ab æterno, et usque in æternum super electos tuos, timentes te* (*Psal.* CII, 17); *qui in hac terra deserta et invia sic in sancto apparent tibi, ut videant virtutem tuam et gloriam tuam* (*Psal.* LXII, 3).

§ XIV.— *Exteriorum quinque sensuum de Conditore, omnium brevis symphonia.*

Ecce, Domine Deus meus, ecce quantum mihi a te, et aspirando me præveniente, et adjuvando

Digitized by Google

prosequente, concessum est, investigavi te, et inquisivi. Investigavi, inquam, et inquisivi te, et investigans et inquirens, jam ex parte aliquantula inveni te. Sed ubi inveni te? Ubi inveni te, Domine Deus meus, virtus mea, et lumen oculorum meorum (*Psal.* xxxvii), decor cordis mei et suavitas animæ meæ, decor non marcescens, et suavitas non fallax? Ubi inveni te? Ecce enim ut, quæ disputatione prolixa superius dicta sunt, recordatione compendiosa repetam, omnia quæ in hoc mundo, de hoc mundo quinque corporis mei foribus se offerunt et offerendo se inferunt, studiosissimus explorator circuivi: omnia formata quæ corporeus attingit aspectus; omnia sonora quæ capit auditus; omnia odorifera quæ agnoscit olfactus; omnio sapida quæ percipit gustus; omnia palpabilia quæ discernit tactus, diligens inquisitor perambulavi. Omnia, inquam hæc, te duce, prout potui, scrutatus sum; sed horum omnium nihil te esse comprehendi. Hæc enim omnia, singula in genere suo voce magna et clamore valido responderunt et dixerunt mihi: Non sumus Deus tuus nos, quære eum supra nos.

§ XV. — *Sensuum interiorum cum aliis animalibus senaria dos communis est.*

Deinde his omnibus relictis, de quibus brevem modo mentionem feci, has quinque carnis meæ januas occludens, hæc omnia a me, quantum potui, excludens meque intra me includens, ad intuendum meipsum me excitavi et inveni me vivere et vivificare, sentire et sensificare, cogitare et velle. Hanc itaque senariam idem mihi vidi inesse, quia vivo et vivifico; sentio et sensifico, cogito et volo. Sed hanc mecum secundum aliquem modum communem, habent etiam brutorum animantium spiritus; quia vivunt et vivificant, sentiunt et sensificant, cogitant et volunt.

§ XVI. — *SS. Trinitatis imago in homine impressa elucidatur.*

Unde etiam instans adhuc importune, opportune ascendi post hæc omnia, et intravi ad me. Ascendi superius ad me superiorem, intravi interius ad me interiorem. Hæc omnia namque in me: sed magnum quiddam et præclarum quiddam in me inveni his omnibus et sublimius, et interius. Sublimius propter dignitatem, interius propter subtilitatem. Et quod illud est? Sapientia qua sapio. Datum namque mihi est, Domine Deus, à te sapere, quod cæteris quæ creasti animantibus a te datum non est. Scio igitur, Domine Deus. Et quid scio? Scio me esse. Neque enim scirem, nisi essem qui scirem. Sed sum et scio quod sum. Itaque scio me esse, nec solum scio me esse; sed etiam scio me scire me esse. Igitur et existendo scio, et sciendo existo; quia et existo sciens, et scio existens. Et vidi, Domine, quod hæc bona mihi sunt; bona, inquam, et bona valde; quia longe 476 mihi melius est esse et sapere quam non esse nec sapere. Ideoque placet mihi essentia mea, et approbo et amo essentiam et sapientiam meam. Et vidi hæc tria esse in me: essentiam, scientiam et amorem. Essentiam primum, et de essentia scientiam; amorem vero nec de sola essentia, quia non solam essentiam amo; nec de sola scientia quia nec eam solam amo; sed de essentia simul et scientia, quia essentiam simul et scientiam amo. Æqualiter itaque de utraque est, quia etiam æqualiter in utraque est. Et miro modo, te illustrante me, o lumen cordis mei. Deus meus deprehendi quamdam trinitatem esse in me: essentiam videlicet, scientiam et amorem: nullumque istorum alterum vidi esse istorum; nec esse scilicet, scire vel amare: nec scire *omissum videtur*, amare vel esse; nec amare, esse vel scire: quia aliud mihi est esse, aliud scire aliudque amare; cum tamen ego non nisi unus spiritus sim qui existo, scio et amo. Et hoc modo trinitas in me manet et unitas non recedit. Trinitas: essentia, scientia, amor. Essentia, inquam, sciens et amans: scientia amans et existens: amor existens et sciens. Unitas: quia non nisi spiritus sum unus; non nisi una substantia spiritualis. Cumque hoc modo in me trinitas, et unitas sit, sic, te illuminante me, o Domine Deus! in unitate trinitatem discerno; quod in trinitate unitatem non divido.

Et hoc modo video in me imaginem tuam, ad quam fecisti me: et te secundum aliquem modum video in hac imagine. Nondum plene te video in ipsa re, hoc est speculum per quod te video in ænigmate, nondum facie ad faciem (*1 Cor.* xiii, 12). Speculum quidem per quod te video cor meum est: si tamen sic extersum, tamque clarificatum et purificatum a te fuerit, ut evidens in eo vultus perspici possit. Itaque quandiu sibi vel a dorso vel supra verticem es, in hoc quidem, prout mihi concedere dignaris, te intueor speculo, nondum vero in teipso. A dorso namque et super verticem mihi es; quia et a te aversus, et tibi diversus sum. Tu etenim justus es et ego injustus; et sic sumus aversi. Tu beatus es, ego vero miser, et sic sumus diversi. Igitur aversus sum a te per injustitiam, diversus vero per miseriam. Ibi fœdatus sum per culpam, hic afflictus sum per pœnam. Itaque quandiu in obsceno et ærumnoso sæculi præsentis degens exsilio, nec ante te ab omni peccato alienus sto per meritum vitæ; nec ad te ab omni miseria liberatus ascendo per præmium gloriæ: luce gratiæ tuæ illuminatus videre quidem te possum, sed in speculo meo: nondum in teipso intueri te possum: sed in imagine, nondum in ipsa re. Nunc, inquam, cognosco te; sed ex parte. Cumque venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Igitur aperio speculum hoc et ex parte aliqua video te. Video, inquam, te; qui mihi et a dorso et super verticem es: quem mihi et a dorso primi hominis culpa et supra verticem, quæ ex eadem culpa et per eamdem culpam emersit, posuit miseria.

Digitized by Google

§ XVII.— *In una Deitatis substantia altius inquiritur personarum processio et differentia.*

Video itaque, quia es, quia sapis, quia amas, o stabilis essentia! o clara sapientia! o amor dulcissime! o, inquam, essentia sapiens et amans? o sapientia amans, et existens! o amor existens, et sapiens! Et si aliquid istorum prius, et aliquid posterius profero ore, tamen ibi nihil prius, nihilque posterius credo corde. Et tribus admonitus ut aliquid hæc tria possent dici, ea personas nominavi, sed quia unum quid, hæc tria vidi, easdem tres personas, unam substantiam credere non omisi. Sicque discrevi quæ tria erant personaliter, ut eadem tria confiterer unum esse substantialiter. Rursum quia vidi in te, Deo meo trino et uno, uno et trino esse et id quod a nullo, et id quod ab alio; et id quod ab utroque : essentiam videlicet a semetipso, cui idem est esse quod est : sapientiam ab essentia et ab utraque amorem : deprehendi, Domine Deus, gratiæ tuæ luce illustratus esse te Deum meum gignentem, esse genitum, esse et procedentem : gignentem genitum; genitum a gignente; procedentem nec a solo genito, sed a gignente simul et genito. Et ut sublime et profundum, præclarum et magnum hoc, quod te mihi irradiante, per fidem concepi in corde, etiam per verbum proferrem ore, a sublimi extasi mentis descendi ad strepitum oris, ubi verbum et incipitur et finitur. Et mutuavi ab usu humano verba quædam, quia homo sum et humana me necesse est verba formare; et vocavi gignentem Patrem, quia patris est gignere; et genitum vocavi Filium, quia filii est gigni; et **477** deprehendi nec Filio Patrem priorem, nec Patre Filium posteriorem, quia utrumque vidi æternum; Patrem Filio, et Filium Patri coeternum, quia Pater nullatenus posset esse æternus Pater, nisi æternus ejus esset Filius, cujus ab æterno esset Pater : nec Filius æternus posset esse Filius, nisi æternus ejus esset Pater, cujus ab æterno esset Filius : quia Pater Filii Pater, et Filius Patris est Filius. Cumque utrumque, Patrem videlicet, et Filium scirem esse spiritum, quia uterque Deus est et spiritus est Deus, et utrumque nihilominus scirem esse sanctum, tertiam tamen in Trinitate personam, procedentem scilicet, vocavi specialiter Spiritum sanctum; quia eum utriusque, Patris videlicet et Filii deprehendi in una eademque Deitatis substantia gluten esse firmum, fœdus forte, nexum suavem, amorem dulcem, spirantem et manantem ab utroque, æternum, ab utroque æterno, Spiritum Patris et Filii : Filii, Patris Filii : Patris, Filii Patris.

§ XVIII. — *Deus supra omnia, subtus omnia, intra omnia, extra omnia demonstratur.*

Et vidi te esse supra omnia, subtus omnia, intus omnia, extra omnia. Supra omnia, sed non exaltatum; subtus omnia, sed non substratum; intra omnia, sed non inclusum; extra omnia, sed non effusum. Hoc enim tibi est esse te supra omnia, omnia a te gubernari et a nulla omnino creatura, quantus es, ex toto posse te comprehendi; quia capere te creatura tua rationalis, quantum per dignationem tuam, ei cognitionem pariter et dilectionem infundis, potest, sed quantus es, omnino non potest : sed tamen non exaltaris, quia quantumcunque caperis in teipso non grandescis : quia te quidem capiens major fieri potest, et quanto magis te per cognitionem et nunc capit, tanto major efficitur; sed tu prorsus major fieri non potes. Et hoc tibi est esse te subtus omnia, omnibus te dare, ut subsistant : quia qui omnibus quæ non erant, dedisti ut essent, ipse etiam omnibus quæ sunt, das ut maneant. Sed non substerneris : quia in hoc non laboras, nec oneraris, vel fatigaris; qui sicut, quando omnia creasti, non potuisti crescere, ita etsi omnia quæ creasti, funditus esse desinerent, non posses in aliquo decrescere; quia nec proficere vales, nec deficere, nec aliquid vel antiquum amittere, vel novum assumere. Hoc etiam tibi, esse te infra omnia, ab omnibus creaturarum naturis, eis a te, a quo creatæ sunt, mirabiliter insertis, clamore valido clamitari et quasi voce magna indesinenter prædicari quidem quod sis, sed non includeris; quia nec per eas, nec ab eis definiri potes, quantus sis. Sed et hoc denique tibi est, esse te extra omnia, a nulla prorsus mente posse, quantus es, comprehendi; sed non effunderis, quia tibi soli ex toto totus notus, qui in te stabiliter totus es; nec dispergeris, ut colligaris; nec excluderis, ut intus admittaris. Hæc omnia, Domine, a te illustratus, vidi; sed vidi in speculo tuo, non in teipso; in parte, non in plenitudine; in umbra, non in veritate; in figura, non in corpore; in similitudine, non in facie; in fide, non in specie; in imagine, non in ipsa re.

§ XIX. — *Humanæ mentis hebescit acies, scrutantis abyssum divinitatis.*

Et qualem te, Domine Deus, in hoc contemplationis genere invenimus? Omnino incomprehensibilem. Quid enim hic inveni, nisi non posse me omnino invenire te? Hic itaque hujus contemplationis meæ est fructus; quia jam scio quod nescio; nec solum scio quod nescio; sed scio etiam, et quod scire non possum, et quod non nescire non possum. Et quidem, Domine, non modicum hic profeci, qui jam plene scio non posse me hic non deficere, ubi mihi quidem proficere est, non solum scire me deficere; sed etiam scire me non posse non deficere : ut, si et ignorem, mecum sit ignorantia mea. Nam miro modo etiam te dum non comprehendo, hic te comprehendo; non quia te comprehendo, sed in eo quod te non comprehendo, quia meum[me non ?] solum te non comprehendere, sed etiam nequaquam posse me te comprehendere plene video. Tunc enim quodammodo video quam magnus sis, quando plene video non posse me videre quam magnus sis. Unde et admirari compellor, et venerari quod penetrare nequeo vel scrutari, et in hæc verba prorumpere :

Digitized by Google

Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam (*Psal.* CXXXVIII, 5). Ecce Domine, te me ducente, ad tuæ incomprehensibilitatis agnitionem perveni. Non quia eamdem ac tuam incomprehensibilitatem **478** agnosco; sed quia me esse, non posse agnoscere, plene agnosco. Et quomodo fieri poterit quod ibi furer, ut veniens mihi aliquid mecum deferam? Et quid, Domine, de agnitione tuæ deferam incomprehensibilitatis, nisi stuporem admirationis? Stupeo itaque et admiror te; qui quidem valde mirabilis es in his quæ fecisti, sed longe mirabilior et, ut ita dicam, mirabilissimus ipse, qui fecisti.

§ XX. — *Sic homo mundum universum accepit in fomentum necessitatis, ut post hæc reciperet consummationem felicitatis.*

Hujus itaque clarissimi luminis immensitate reverberatus, diverto quidem me ad te; sed in alio quodam contemplationis genere, et qualis sis alibi requiro, quem in temetipso omnino incomprehensibilem invenio. Et invenio certe; quia inter omnes quas condidisti creaturas, de rationali maxima tibi cura est, cui magna quadam tuæ gratuitæ gratiæ prærogativa tuipsius cognitionem dignanter infudisti: quam, dum ad æternitatem stare voluisti, ad imaginem et similitudinem tuam creasti. Non solum autem; sed mundum omniaque quæ in eo sunt, et propter eam condidisti, et eam eis omnibus præfecisti, ut evidenter claresceret quantam, qualemque erga te familiaritatis gratiam invenit, quæ ad imaginem, et similitudinem tuam est condita; et omnia propter eam creata, et ei ad serviendum sunt subjecta. Ut enim de creatura interim taceam angelica, sensibili a te isto condito mundo, tam pulchra varietate tamque varia pulchritudine ornato, tam bona jucunditate tamque jucunda bonitate prædito: statim hominem, quem mundi ejusdem dominum et possessorem fore disponebas, ad imaginem et similitudinem tuam fecisti et factum in mundo posuisti: ei et omnia creata mundi ad serviendum subjiciens, et tibi in obedientia mandatorum tuorum servire præcipiens, ut et omnibus jure conditionis dominaretur, et tibi, a quo tam excellenter conditus est, voluntate libera et libertate voluntaria subjiceretur.

Voluisti enim, Domine, ut et homini serviretur et ipse tibi homo serviret. Serviretur ei a mundo et serviret tibi Deo et reflueret totum, non ad totum, sed ad hominis bonum, et quod obsequium accepit, et quod servitium impendit. Tu enim plenus te ipso, qui tibi ex te sufficis, qui tuum bonum tu ipse es, nec augeri potes immensus, nec minui æternus; qui sicut malis nostris non corrumperis, ita etiam bonorum nostrorum non eges (*Psal.* XV, 2). Humana vero natura alieni egebat auxilii: cui nimirum necesse erat et a creatura obsequium accipere, ut conservaret quod mirabile acceperat; et tibi Creatori obedientiam exhibere, ut acquireret quod necdum consummatum habebat. Ecce duplex, Domine, hominis bonum: bonum, inquam, hominis duplex. Unum de subtus sumptum ad necessitatem in tempore; aliud desuper accipiendum ad felicitatem sine fine. Cum igitur omnium et potens Creator, et sapiens dispositor, et benignus reformator sis, de creatura tamen rationali tam excellenter a te condita, maxima et specialis quædam tibi cura est: ad cujus voluisti refluere bonum, et quod eam fecisti, et quidquid in mundo fecisti, et teipsum qui fecisti; ut habeant et a te excellentiam in creatione, et a creatura fomentum in necessitate, et a te, sed in te, consummationem in felicitate.

§ XXI. — *Quidam ex creatura rationali, occulto, sed justo Dei judicio, sic destinantur ad pœnam, ut nunquam eorum opera acceptentur ad gloriam.*

Sed non universitati hujus, de qua loquor, creaturæ rationalis, confers in finem beatitudinem; cujus videlicet universitati dignitatem contulisti in conditionem. Sed quosdam et angelos et homines per gratiam, mediantibus meritis, evehis ad præmium; quosdam vero per justitiam, exigentibus culpis, demergis ad supplicium. Et heu! creaturæ præcellentis et egregiæ et pœna miserabilis, et miseria pœnalis, quod a te, o Domine universorum, et tanta condita est, ut ei ad felicitatem nihil omnino, uti tu, possit sufficere, et talis ut ad omnimodam suæ essentiæ non valeat exstinctionem venire: nec propter culpæ videlicet immanitatem valens conscendere ad beatum esse, nec propter naturæ dignitatem permittitur inanescere vel omnino non esse. Væ itaque eis! melius quidem erat eis, si nati **479** non fuissent angeli et homines illi; quia si nati fuissent bestiæ, utpote ratione carentibus, sicut eis a te non imputaretur ad bonum quod agerent, ut propter meritum promoverentur ad felicitatem: sic profecto nec ad malum, ut propter peccatum dejicerentur ad damnationem. Nunc vero versa vice excellenter quidem conditi occulte et non injuste, a forti gratiæ tuæ juvamine relicti, in perseveranti malæ voluntatis pravitate, amplectuntur culpam, ut postmodum juste et manifeste a terribili justi judicii tui districtione judicati, æternam in æternum subeant pœnam.

Quod nimirum ineffabiliter terribile considero; quia eorum et reprobationem coram te, et damnationem ab æterno stare immobilem non ignoro. Et ideo miserabile heu de eis dico; quia horribile eis væ imminere perpendo. Quibus, ut prædixi, non modicum esset bonum per non esse omnino consumi; dum eis contingit per beatum esse non consummari. In hoc itaque, Domine Deus, in hoc, inquam, contemplationis genere incomprehensibiliter te eis iratum et horribiliter terribilem, et, ut ita dicam, tolerabiliter intolerabilem; quem erga eos tam horrenda sævissimæ offensionis indignatione, prout audeo, et hic in te oculos defigere præsumo, cerno immutabiliter ab æterno commotum; quod eorum in aliquo nec acceptas bona, nec diluis mala; nec illa coram te admittens ad recordationem, ut salventur,

Digitized by Google

nec ista a te removens per oblivionem, ne non condemnentur.

§ XXII. — *Ex hac triplici theoria animæ contemplatrici totidem accedunt charismata.*

Sed omissis tristibus et tristificantibus his, terribilibus et terrentibus, in alio contemplationis genere me converto, Domine, ad te. Et converto me ad te alium, qui etsi in te, a te alius vel alienus omnino non sis, in hoc tamen contemplationis genere alium te video; quia alia in isto quam in præcedenti contemplationis genere, et longe alia, licet in te non alium, te operari considero. Quæro itaque in hoc contemplationis genere, qualis sis in alia creaturæ rationalis parte; parte, inquam, alia et vere alia; quia parte electa, parte a te dilecta, parte spiritualiter tua, sorte et funiculo hæreditatis tuæ. Et video te, Dominator universitatis, Deus meus, in isto genere contemplationis electis tuis ineffabiliter suavem apparere et dulcem; quos tibi ab æterno tam tenaci sempiternæ electionis diligentis et dilectione eligentis compage unis: ut nullis prorsus eventibus a te in æternum possint avelli. In quo nimirum contemplationis genere te video ineffabiliter amabilem, suavem et dulcem. Itaque in primo contemplationis genere te video omnino incomprehensibilem; in secundo terribilem; in tertio amabilem. Et primum quidem contemplationis genus contemplantem in speculationis altitudinem erigit; ne in imis per injuriam neglectæ cogitationis torpeat. Secundum vero ad sublimia promotum deterret, ne ex indulta magnæ gratiæ dignatione per superbam oculorum extollentiam se efferat. Tertium vero prædictum contemplatorem per suave confidentiæ fomentum demulcet et fovet; ne pro nimio terroris intuitu, qui in præcedenti contemplationis genere cernitur, desperet. Igitur primum in me contemplationis genus mentis oculos per secretorum ostensionem aperit; secundum, per occulti judicii terrorem, elationis in me tumorem deprimit; tertium vero meam, per æternæ electionis confidentiam, pusillanimitatem erigit. Mentis, inquam, meæ oculos primum aperit, ne in cæcitate remaneam; elationis in me tumorem secundum deprimit, ne me in superbiam exaltem; pusillanimitatem in me tertium erigit, ne de tua, Domine, misericordia desperem.

§ XXIII. — *Ignorantia, arrogantia, diffidentia, tria sunt reproborum offendicula.*

Tria namque sunt mala, quæ reprobos in hac vita obscurant, dejiciunt et suffocant: error scilicet, tumor et horror. Error negligentiæ, tumor superbiæ, horror diffidentiæ: eorum quippe mentes et error excæcat, et tumor inflat, et horror suffocat. Excæcat, ne videant veritatem; inflat, ne apprehendant humilitatem; suffocat, ne quærant pietatem. Primi sunt negligentes, secundi superbientes, tertii desperantes. Primi *dicunt Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus* (*Job* XXI, 14). Quis est omnipotens, ut servíamus ei? Secundi currentes adversus Dominum erecto collo, cohortantur se mutuo, et dicunt: *Faciamus turrim, cujus culmen pertingat ad cœlos, et celebremus nomen nostrum* (*Gen.* XI, 5). Qui *amant primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et appellari ab hominibus Rabbi* (*Matth.* XXIII, 4), vocantes nomina sua in terris suis (*Psal.* XLVIII, 12). Tertii vero Cain sibi vocem assumunt, et dicunt: *Major est iniquitas nostra quam ut veniam mereamur* (*Gen.* IV, 13). Primum itaque malum est ignorantiæ obscuritas, secundum superbiæ vanitas, tertium diffidentiæ impietas.

§ XXIV. — *Tripticis mali virus evacuat hæc theoria perfundens animum triplici munere.*

Per hæc tria mala in te delinquunt, o vera, summa, sempiterna Trinitas, Pater, Fili, Spiritus alme, omnipotens Deus! Nam per superbiam, contra te, se erigunt tumidi, o Pater omnipotens! et in tuam omnipotentiam delinquunt. Per errorem in te offendunt negligentes, o Fili sapiens! et in tuam sapientiam rei sunt. Per desperationem impœnitentiæ de te sentiunt, o Spiritus alme, Deus benigne! qui es remissio omnium peccatorum, et in tuam benignitatem verba blasphemiæ dicunt: *Quod eis non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* XII, 32). Igitur a te, o Pater! longe eos repellit tumor elationis et tua eos privat sapientia, o Fili! caligo erroris; tuam denique, o Spiritus alme! eos non sinit gustare dulcedinem horror virulentæ desperationis. Sed hæc tria horribilia et mortifera mala in electis prædictum contemplationis genus omnino evacuant; quia primum illos genus illuminat, secundum humiliat, tertium demulcet. Illuminat, Domine, per contemplationem tuæ incomprehensibilitatis, ne per cæcitatem ignorantiæ errent. Humiliat per districti judicii severitatem, ne per vanitatis inflationem superbiant. Demulcet per suavem ineffabilis bonitatis tuæ dulcedinem, ne de sua electione desperent.

Hic, Domine Deus meus, hujus meæ prolixæ locutionis est fructus: ut possim videlicet evidenter agnoscere quo modo, in triplici hujus contemplationis genere, tua mentem meam et incomprehensibilitas illuminat, et severitas humiliat, et pietas demulcet. Prima mihi caliginem adimit erroris, et claritatem confert sapientiæ; secunda putredinem amputat in me tumoris et ad me humiliandum timore me facit immutabile judicium terribilis et occultæ tuæ justitiæ; tertia vero in corde meo horrorem exstinguit desperationis, mihique lætam et lætificantem fiduciæ serenitatem infundit. Sic sic electos tuos illuminas, humilias et foves, o Pater! o Fili! o Spiritus alme, omnipotens Deus, ne eos vel caligo cæcitatis obscuret, vel tumor vanitatis extollat, vel letale desperationis telum transfodiat. Tu namque, o Pater omnipotens! tuæ eorum cordibus potentiæ cognitionem, tu primo contemplationis ge-

Digitized by Google

nere, infundis; quæ nimirum cognitio omnem in eis elationis altitudinem dejicit. Tu vero, o Fili sapiens! eos, in secundo, Sapientiæ tuæ claritate illustras; qua illustrati, evanescentibus ignorantiæ tenebris, verum eorum mens interni luminis jubar percipit. Tu etiam, o Spiritus alme! in tertio hujus de qua jam ista dicta sunt contemplationis genere; tuæ ineffabilis bonitatis eis plene notitiam confers; qua fortissime interius roborati, collectis fidei et spei viribus, in tantum incomprehensibilibus tuæ charitatis, qua suorum operis multitudinem peccatorum, dulcedinibus innituntur, ut nullis prorsus eventibus a te in æternum se avellendos arbitrentur.

ADMONITIO IN OPUSCULUM SUBSEQUENS.

(Ex Dissert. R. P. B. Pezii ad tom. I *Anecdot.*, p. LXXI.)

Quot quantique errores in consignandis rebus hujus Adami a viris doctis admissi fuerint, videsis in eruditi viri Godefridi Ghiselberti, canonici Præmonstratensis apud Furnenses, introductione ad Opera Adami ab se in folio collecta et edita Antuerpiæ apud Petrum Bellerum 1659. Ut adeo satis mirari non possimus Casimirum Oudinum, qui in supplem. ad Bellarmini Script. Eccles. pag 472, etiam post procuratam, quam laudat, Ghiselberti editionem scribit Adamum natione Scotum canonicum Regularem floruisse ab anno 1172 et sequentibus usque ad annum 1180, cum Ghiselbertus cap. 14 diserte doceat Adamum, anno circiter 1186 ad infulas demum provectum fuisse, *quas*, inquit, *lustris aliquot tenuisse propensioris est arbitrii*. Sed et ipsum Ghiselbertum minus accurate archimonasterium Præmonstratense, in quo ordinem Præmonstratensem primum professus sit, Adamo assignare, non obscure ostendit prologus in librum I. *Soliloquii de instructione animæ*, ubi rogat, ut *domini reverendi et Patres charissimi*, quibus opusculum suum Adam inscripsit, *offerant holocaustum pro filio uteri sui, ne forte peccet*. Atqui inscripsit in Adam *Dominis suis venerandis et amicis in Christi visceribus dilectis viris, illustri domino Waltbero, priori et universis fratribus in Ecclesia S. Andreæ in Scotia Christi servitio mancipatis*, erroneique sunt codices Petrensis, Andecensis et Tegernseensis, omnes a trecentis annis exorati, qui pro *S. Andreæ in Scotia* habent *S. Andreæ in Austria*; quid enim hæc *in Austria* ord. S. Aug. ad Traisam amnem canonia ad Adamum *Scotum?* Igitur *ecclesia S. Andreæ in Scotia*, non Præmonstratensis Adamum Deo et candidissimo illi ordini peperit Sed his missis ipsum elegantissimum, et omnibus religiosis viris utilissimum Adæ opusculum, unde primum in lucem exprompserimus, disseramus. Duo id codices nobis suggesserunt, quorum unum Carthusia Gemnicensis retinet; alterum possidet bibliotheca Mellicensis signatum *lit. b*, num. 23, in 12, ex quo apographum Gemnicensis, studio ven. P. Sebastiani Treger, Carthusiani Gemnicensis, amici et synergæ nostri præstantissimi procuratum, pluribus in locis emendavimus, additis etiam a nobis, pro commoditate lectorum capitum lemmatibus. Idem opusculum cum pluribus Adæ sermonibus editioni paratum habuisse D. Hermannum a Porta abbatem S. Michaelis Antuerpiensis fidem facit ejusdem quondam ordinis alumnus eruditus Casimirus Oudinus loc. cit. In cod. Tegernseensi supra memorato id tribuitur *Adæ de Persennia*, Male. Nec rectius forte in catalogo mss. codd. Tegernseensium, sæculo XV, conscripto, eidem Adæ de Persennia tribuuntur *Excerpta de amore*, quæ putamus mutuata esse ex Adæ Præmonstratensis nostri *libro De dulcedine Dei*, de quo Ghiselberthus Introduct. ad Opera Adæ, cap. 10. In pluribus bibliothecis metrica quædam *Summa* rerum et sententiarum ritualium, canonicarumque habetur, Coloniæ quoque ut auctor est Simlerus, apud Henricum Quentel anno 1502 typis impressa, quæ incipit: *In summis festis ad missam dicitur una*, etc. Ea vulgo dicitur *Summula Raymudi* ob versus sequentes, qui tam in editione Coloniensi quam in codd. mss., quorum non paucos Mellicensis Bibliotheca conservat, leguntur:

Summula de Summa Raymundi prodiit ista.

Quæritur quis hujus metricæ Summulæ auctor sit. In commentario quodam ab Anonymo in eam Summulam concinnato, quod exstat in Mellicensi cod. chart. fol. L. 7, sæculo XIV, exarato dicitur, hanc metricam *Summulam tribui Raymundo, ab aliis alteri, qui noluerit exprimere nomen suum propter arrogantiam evitandam*. In cod. Campililiensi sæc. XIV, *edita* dicitur *ab Adam de S. Victore*. In codice Hippolytano quadringentorum annorum tribuitur *Magistro Adam de ordine Minorum*. In codice Mellicensi alio in folio, membr., 29, qui certissime sæculo XIV, exaratus est, opusculo hæc rubrica præfigitur: *Incipit Summa magistri Adæ de septem sacramentis. Primo qualiter collectæ dicendæ sint in missa. In summis*, etc. In fine: *Explicit Summa Magistri Adæ.*

Adam jure minus, doctis versus dedit istos,
Ut discant, quæ sint fugienda per hosve tenenda.

Nos in tanta codicum varietate suspicamur hujus metricæ Summulæ non alium esse auctorem quam mag. Adamum Præmonstratensem, qui commodo clericorum prospecturus ejusmodi canonum et rituum compendium memoriæ causa condiderit, antequam in lucem prodiit Summa Raymundi. Sed hæc minutiora sunt.

Digitized by Google

ADAMI PRÆMONSTRATENSIS

CANDIDÆ CASÆ IN SCOTIA ABBATIS ET EPISCOPI

SOLILOQUIORUM DE INSTRUCTIONE ANIMÆ LIBRI DUO.

(Ex codd. mss. Carthusiæ Gemnicensis et monasterii Mellicensis eruit ven. D. P. Sebastianus Treger, Carthusianus Gemnicensis in Austria. Edidit R. P. Bernardus Pezius, *Thesauri Anecdot.* t. I, pag. 1, col. 395.)

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS (318). Domnis suis venerandis, et amicis in Christi visceribus dilectis, viris: illustri domino WALTHERO priori et universis fratribus in Ecclesia S. Andreæ in Scotia Christi servitio mancipatis frater ADAM Dei et servorum Dei servus inutilis et indignus, in una pace dulciter vivere et ad unum gaudium feliciter pervenire.

Soliloquium *De instructione animæ* intitulatum, quod nuper non quidem ut debui, sed prout in tot tantisque occupationibus potui, edidi, vobis, o viri venerabiles, transmitto. Quod ea quæso a vobis devotione sit susceptum qua id a me scio destinatum. Non enim illud ideo ad vestram voluit pervenire notitiam, quod id vobis valde utile æstimem; sed ut magnum, quem erga vos habeo in Christo, hac in re affectum demonstrem. Accipite itaque munus illud quidem parvulum, sed non parva dilectione transmissum [*Cod. Gem.*, sed prona discretione transm.] Et quidquid in eo Sanctitas vestra et minus acute dictatum et minus nitide invenerit prolatum, vel ipsa, si ei vacat, per se emendet, vel mihi emendandum et quomodo sit emendandum, resignet. Valete semper in dominorum domino, o Domini reverendi et Patres charissimi, et diluculo consurgentes offerte holocaustum pro filio uteri vestri ne forte peccet.

CAPUT PRIMUM.

Status religionis non vacat tentationibus. Nec id admodum mirandum aut curandum, sed eo potius omnis cura conferenda est, ut ne a tentationibus anima superetur.

Secretis interrogationibus propulsabo animam meam et de suis eam occultis conveniam; ut ignorantem instruam, nutantem stabiliam, confirmem stantem, lapsam erigam et erroneam ad viam veritatis reducam.

Ratio. Dic mihi, o anima mea, quid tibi videtur de isto statu in quo nunc es? quomodo sapit tibi, quomodo placet? [*Cod. Mel.*, placet tibi?] Scio quidem quia sæculum jam dudum reliquisti, mundi pompis renuntiasti, ad vitam communem venisti, religionis habitum assumpsisti. [*Cod. Gem.*, suscepisti.] Humilitatis disciplinis in schola Christi associata es, eligens abjecta esse in domo Dei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Sed volo ut mihi sine confusione aperias quomodo hæc tua tibi conversatio placet.

Anima. Sicut illa pristina sæcularis conversatio, in qua dudum fui, in cunctis mihi displicuit, unde et ei renuntiavi: sic et ista, in qua nunc sum, jam mihi ex toto non placet, imo displicet in multis. Tot namque tentationes hinc inde me fatigant, tot me hinc inde tribulationes concutiunt, ut vix subsistere queam.

Ratio. Non multum debes mirari quod te multis hinc inde modis tentationes fatigant. Tota namque vita tua super terram tentatio est. Sed omnibus viribus, omnibus quibus vales modis in prælio regis tui infatigabiliter persiste; quia non coronaberis, nisi legitime certaveris.

Anima. Bene quidem dicis; sed speravi, quando sæculo renuntiavi et ad vitam religiosam veni, ad pacem me et quietem debere venisse. Nunc autem vice versa ad magnas tribulationes et angustias me video pervenisse et ad majores miserias quam habui quando in sæculo fui. Et qui idcirco de maris profundo ad portus soliditatem confugi, ut et ventorum violentiam, et fluctuum devitarem sævitiam, nunc magis me sentio et flatibus conquassari, et undis hinc inde impelli in littore quam solebam, quando natabam in mari.

Ratio. Habent quidem tribulationem religiosi sicut et sæculares, sed non bene inter utramque discernis. Certe quando in sæculo carnaliter vivebas, in majore quam nunc es tribulatione eras; sed ideo in minore te tunc fuisse æstimabas, quia eamdem qua tunc miserabiliter vastabaris tribulationem non sentiebas. Eratque tunc status tuus eo magis peri-

(318) Cod. Mellic.: *Incipit Soliloquium fratris Adami.*

Digitized by Google

culosus quo eum minus periculosum credebas. Quod autem te nunc tentationibus fatigari affirmas, a quibus tunc te quietam et liberam esse [*Cod. Gem.* fuisse] sentiebas, mirum tibi videri non debet ; quia tunc hosti tuo parum erat necesse te tentare, quam [*id.* quoniam] sibi videbat pene sine tentatione velle nonnunquam consentire. Nec sibi opus erat illam cum magno labore urbem oppugnare, quam sine omni oppugnatione cernebat se posse subjugare [*id.* cernebat velle subjugari]. Nunc autem, quia ejus a collo tuo jugum excussisti, quia ejus dominio renuntiasti, acriori te quam solebat virulentus hostis tuus persequitur invidia, et eo crudelius lucrum in te quærit novum quo plenius jus perdidit antiquum. Jam contra te Leviathan suscitasti [*Cod. Mel.* concitasti], quæ si ei plene obedisses, eum contra te suscitatum non haberes. Non ergo mireris quod tentaris, sed contende ne a tentationibus [*Cod. Mel.* tentatione] superearis. Quod si minus per te scis quomodo tentationibus resistere possis, ostende mihi a quibus maxime fatigeris : ut qualiter eis resistere queas meis documentis instruaris.

CAPUT II.

Quarum rerum meditatione, quibusque modis ac remediis vehementes carnis tentationes ab homine religioso vincendæ ac perdomandæ sint.

Unde ergo tentaris? quid cogitas in corde tuo ?

Anima. Cogito multitudinem comptarum et pulchrarum mulierum.

Ratio. Quid tibi de eis videtur? Quales eas apud te depingis et quales tibi in cogitatione apparent?

Anima. Valde speciosæ, valde suaves et valde dulces.

Ratio. Ad quid speciosæ et suaves, et ad quid dulces?

Anima. Speciosæ ad videndum, suaves ad amplectendum, et ad osculandum dulces.

Ratio. Qualiter tecum agitur, quando ista cogitas ?

Anima. Suspirat mens mea, stimulatur corpus meum, et ad voluptatis expletionem pervenire desiderat cor meum, et caro mea exsultat.

Ratio. Valde plangenda et deflenda est talis exsultatio. Quare non potius cor tuum et caro tua exsultant in Deum vivum? Deberes namque esse non quasi corvus sed quasi columba ad fenestras tuas, ne per eas mors intraret : ut, cum forte vel mentis vel corporis motu ab arca quietis tuæ ad mundi hujus diluvium egrederis, ubi cordis tui pedem per amorem figas non inveniás. Nunc autem econtrario decor te fallit exterior, et dum temere ad eum intuendum carnis tuæ oculum invitat interiorem, etiam aspectum tuum damnabiliter exerceat. Unde fit miserabiliter ut quo vivacius ad videndum quod exterius apparet corporalis in te oculus viget, eo periculosius ad discernendum quod intrinsecus latet intuitus in te spiritualis caliget. Et idcirco ad se desiderandum te trahit quod exterius nitet, quia non intueris quod interius fetet. Nescis quia, quando de- A figente et voluptuose oculo mulierem intueris [*Col. Mel.* quando te def. et vol. oc. mul. intuente, lat.] latrinam depictam tenere quæris? Cumque tibi illicite placet quod apparet exterius pulchrum, non vides quod latet interius fœdum. Et quando mulierem comptam luxuriose amplecti desideras, saccum quoque sericeum stercoribus plenum habere inter brachia optas. Sed cum suavis sit saccus ad tangendum, quod intus continet [*Cod. Mel.* intra continetur] fetidum est ad odorandum. Et quidem placere non debet quod exterius fulget ; dum sic intra se continet [*id.* habet, quod fœ.] quod fetet. Quid enim tibi inhonesta est mulier, dum eam inhoneste diligis, corpore quidem pulchra, sed multimodis quæ nec nominandæ sunt spurcitiis plena, ni- B si monumentum quoddam et fetidis mortuorum sordibus, et sordidis fetoribus plenum ? Quando vero decorem mulieris, os breve, labia mollia, genas rubicundas, faciem suavem, oculos ridentes, blandientes, innuentes, loquentes, offerentes, expetentes, attrahentes, capientes, etc. in ea hujuscemodi osculari cupis cum libidine ; quando corpus gracile [*cod. Gem.* gratiale] et membra apta et acceptabilia immundo amori admiraris, sepulcrum dealbatum forinsecus, fetentibus mortuorum ossibus intus et sævissimis plenum serpentibus et intuendo desideras, et desiderando intueris. Quid enim tibi inhonesta est mulier, nisi monumentum quoddam sordidis fetoribus plenum ? Quid ejus verba mortifera? Quid oculi seducentes? quid tenera membra C illicientia et a te illicite concupita sunt, nisi quædam repentia, mordentia et mordendo perimentia ? Ideo cavendum omni modo est ne, dum nimis diligis hoc quod extrinsecus nitidum et speciosum cernis et blandum, et in id damnabiliter corruas quod intrinsecus inquinat et necat. Ad extremum quidem quando carnis tuæ cum ea voluptatem explere desideras inhianter et desideranter proponis, mortiferam escam qua hamum occultat esuris. Cumque gustare appetis quod dulcescit, ille qui sub dulcedine latet aculeus tuum lethaliter guttur transfigit. Ecce tales sunt mulieres de quibus cogitas ; sic speciosæ sunt, sic suaves sunt, sic dulces ; quid tibi videtur? nonne tales sunt ?

D *Anima.* Prorsus tales.

Ratio. Utique tales sunt et si non in se tamen in te qui illicite concupiscis. Non enim vel eas, si honestæ fuerint ; vel earum, quam in eis Deus creavit, etiam quamvis ipsæ honestæ non fuerint, formam vel pulchritudinem reprehendo (sed inordinatam mentis tuæ concupiscentiam [*Cod. Gem.* complacentiam], qua eas propter suam immundo illiciti desiderii oculo speciem intueris, condemno. Non, inquam, in eis ligni scientiæ boni et mali vel decorem vel dulcedinem culpo (sed in te Evæ [*cod. Mel.* in te eruo asp.] aspectum lascivum et gustum gulosum accuso.

Anima. Bene dicis.

Ratio. Igitur a *radice colubri de quo egreditur re-*

Digitized by Google

gulus te observa *ne forte semen ejus absorbeat volucrem* (*Isa.* XIV, 29)

Anima. Multoties in Isaia hæc verba audivi, sed quomodo intelligenda sint nescio.

Ratio. Coluber est serpens antiquus, radix pestifera ejus suggestio; regulus vero motus animi, semen reguli malus actus; volucris anima quæ et puritate levis est et contemplatione sublimis. De radice ergo colubri egreditur regulus et semen ejus adsorbet volucrem; quia et per suggestionem diaboli concutitur animus, et opus illicitum perimit animam: quia *peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem* (*Jac.* I, 19). Igitur crebra Scripturarum meditatione, assidua psalmorum ruminatione, pura et humili confessione ab immundis te cogitationibus expurga; membra tua, quæ sunt super terram, cum vitiis et concupiscentiis mortifica; ut et Babylonis parvulos tenens ad petram allidas et carnis tuæ terat superbiam potus cibique parcitas.

Anima. Multum me tua verba et tristem lætificant, et nesciam erudiunt, et infirmam corroborant. Jam mihi ostendisti, et quando me hoc vitium tentat, non debere me nimis dolere; et spernendo id quod nitet et dulcescit, atque plene intuendo quid sit, et ad quam perditionem trahat, posse me illud per gratiam Dei superare, ut sic testa saniem sciam in ulcere meo radere.

CAPUT III.

Capitulum, in quo culpæ fratrum proclamantur, non nisi superbia et iracundia delusis infestum est, nec id carcer et ergastulum, sed porta paradisi et janua cœli dicendum est.

Ratio. Unde adhuc gravaris?

Anima. Libenter tibi debeo omne, quod tolero, ostendere [*cod. Mel.* pandere] gravamen, dum tuis documentis tam plenum mihi confertur levamen [*id.* tam plene mihi confers levamen].

Ratio. Unde ergo gravaris?

Anima. De capitulo valde gravata sum [*id.* gravor].

Ratio. Quid vides in capitulo

Anima. Modicam in circumsedentibus [*id.* inter circumsedentes] charitatem et dilectionem, nullam pene in præsidente pietatem et compassionem, magnam vero in me ipsa impatientiam et inquietudinem.

Ratio. Quomodo hæc in capitulo vides, omnia enim hæc a capitulo aliena esse debent?

Anima. Modica in circumsedentibus charitas est et dilectio; qui ibi de omni quam in me vident negligentia, etiam licet minima et pene nulla sit, undique accusant. Et sicut aliquis sævissimis hostium suorum vallatus hinc inde catervis, a quo se debeat observare ignorat; dum undique insistentes, et iste ei insidias parat a tergo, et ille ei resistit in facie; alius vero a dextris, alius eum etiam ferire a sinistris conatur, sic in capitulo sum. Cumque omnia quæ voluerint de me dixerint, inhianter hæc præsidens audit et quasi magis mala de me quam bona audire desideret, sic se in auscultando habet ut mihi quodammodo valde lætus videatur, quod aliquam saltem occasionem invenit unde me gravare possit. Tunc verbis eorum amaris, amariora superaddit et definiendo, dividendo culpam exaggerat, et eam tanquam immanem et enormem facit, et quæ mihi pro tali culpa injungi pœnitentia possit, pene se ignorare asserit. Et in his omnibus nec illorum accusationibus, nec istius increpationibus unum saltem verbum excusatorium mihi licet proferre. Ut autem mihi videtur, nec illi nec iste sic unquam in me sævirent, si me amarent. Cumque diebus singulis hoc modo me tractari video, mirum non est si magnam in me inquietudinem et impatientiam tolero. Unde etiam compellor sic diligere capitulum quasi profundum ergastulum vel ipsum etiam infernum.

Ratio. Credo quod tu quidem magnam impatientiam et inquietudinem toleras, sed quod vel circumsedentes modicam erga te habeant charitatem et dilectionem, vel ipse præsidens pene nullam pietatem et compassionem, omnino non credo. Quod enim te fratres tui de omni quam in te vident negligentia proclamant, non alicujus omnino odii, sed magnæ dilectionis indicium est. Qui [*cod. Gem.* quia] enim te spiritualiter diligunt in Christo, nihil quod vel te spiritualiter lædat, vel Deum offendat in te videre possunt, ut et in Patris vel advocati tui legis Regula, non eos æstimare debes malevolos, quando peccata tua indicant. Magis enim innocentes non sunt, si te, quem indicando corrigere possunt, tacendo perire permittunt. Si enim vulnus habes in corpore quod vis occultari, dum times secari, illud crudeliter habes: sic culpa, cum siletur et misericorditer non indicatur. Igitur misericordes qui indicant: crudeles vero qui celant. Quod autem dicis ipsum præsidentem inhianter audire quæ de te dicuntur, non ideo diligenter auscultat, quod vel magis mala de te quam bona, ut tu temere suspicaris, audire desideret; sed ideo diligenter, quæ dicuntur auscultat, ut ea plene intelligat. Quomodo enim plene te absolvere poterit, nisi prius evidenter agnoverit quod illud est peccatum quo ligaris. Illi itaque qui te proclamant, amici tui sunt, qui vulnera tua plangunt; iste vero medicus est, qui te curare debet. Sed qualis medicina vulneribus tuis congruat ille nescit, nisi prius agnoverit. Una ergo eademque bona intentione, et illi te proclamant, et iste eorum super te proclamationes auscultat; quia ad hoc et illi dicunt, ut cureris; et ad hoc iste audit, ut sciat quomodo cureris. Non itaque magis mala de te audire desiderat quam bona; sed, si in te mala sunt, magis ea scire exoptat qui tui curam habet quam nescire; et ad hoc scire desiderat, ut ab eis absolvaris. Nec lætus est quod occasionem inveniat unde te gravet, sed omnino tristis. Verumtamen ne Heli culpam incurrat et pœnam, magis eligit, licet invitus hoc agat, tibi soli in culpa tua non parcendo et tibi et ipsi in Dei judicio parcere, quam tibi soli

Digitized by Google

in peccato tuo parcendo et tibi et ipsi in divino examine non parcere. Quod vero eum asseris verbis amaris culpam tuam exaggerare, magis suæ charitati quam crudelitati, magis tuæ liberationi imputare debes quam depressioni. Sciendum namque tibi est, quod non sine magna confutatione [*cod. Mel.* magna confortatione] peccati de te rubigo expellitur; nec sine amara potione noxius a mentis stomacho humor ejicitur; nec sine acri dolore ulcus a vulnere abscinditur. *Verba* namque *sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi* (*Eccl.* XII, 11); quia sancti viri culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere. Et certe gaudens potes illa die a capitulo ire, qua condignam increpationem pro peccato tuo audis; quia per verbum durum quod audis in capitulo, ab illo liberaberis verbo aspero, omnibus aliis asperiore, quod audient illi quibus dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 41). Præterea si dolens quod fratrum proclamationibus et Patris increpationibus, nec unum licet tibi verbum excusatorium respondere, memento, quis ille erat qui pro te *sicut ovis ad occisionem* [cod. Mel. *ad occidendum*] *ductus est, et sicut agnus coram tondente se obmutuit et non aperuit os suum* (*Isa.* LIII, 7). De quo legis quia, cum accusaretur in multis, nihil respondit. Et quæ esset capituli humilitas, si unicuique proclamato se liceret verbis excusare? Vel quæ in eo utilitas, dum geminatur culpa quæ excusatur? Nonne ad hoc in capitulum venimus ut et nos humiliter accusemus, et ab aliis charitative proclamemur, ut saltem sic a nostris reatibus absolvamur? Illud utique humilitatis est, hoc vero utilitatis. Et quam fœdum quamque periculosum est per excusationem in loco humilitatis superbire et in loco confessionis diffiteri, et in loco absolutionis in peccato arctius ligari?

Anima. Omnia quæ dicis vera sunt et non est in sermonibus tuis ulla reprehensio. Sed quod de excusatione dicis, ipse quidem qui veraciter et charitative proclamatur, bene debet observare. Sed si is qui malitiose et false, ut nonnunquam evenit, accusatur, semetipsum excusat, nunquid in hoc peccat?

Ratio. Etsi dicimus non magnum esse peccatum quod se excusat justus, dicere tamen possumus non magnum esse meritum quod se non excusat injustus. Potest namque et percipere veniam, et evadere pœnam; sed illam ad quam feliciter sublimantur qui se non excusant justi, nec gratiam meretur nec gloriam. Illud itaque bonum, hoc vero melius est. Scis itaque quia tres in die passionis Domini in cruce fuerunt suspensi, videlicet latro blasphemus, latro confitens, et ipse Agnus innocens. Et quid aliud putamus esse capituli rigorem, nisi quamdam crucis passionem? Et in hac passione quidam sunt blasphemantes, quidam confitentes, quidam etiam innocentes. Primi rebelles, secundi pœnitentes, tertii humiles. Primi merentur pœnam, secundi veniam, tertii gloriam. Primos designat latro blasphemus; secundos latro quidem alius sed confitens, tertios innocens et humilis Jesus. Et cum in una eademque sint passione, primus tamen murmurat et facit quod non debet; secundus orat et facit quod debet; tertius semetipsum pro nobis immolat et facit plus quam debet. Cumque omnes accusentur, primus tamen accusatur juste quia [*cod. Gem.* et] suam nequitiam per superbiam defendens ruit in infernum peccati. Secundus vero non injuste, qui et culpam per confessionem agnoscens et in voluntatem necessitatem convertens, per absolutionem prælati reconciliatus et ex latrone martyr effectus, intrat paradisum Ecclesiæ. Tertius vero omnino injuste et suam non excusans innocentiam per tacitum bonæ conscientiæ testimonium, per plenum mundanæ gloriæ contemptum, per fortem ipsius triumphum, etiam cœlum ascendit. Vides ergo quia quantum a passione latronis confitentis passio distat Redemptoris innocentis, tantum ejus qui tam malitiose et false accusatur, ab eo qui charitative et veraciter proclamatur. Et sicut non sunt pares in merito, sic nec æquales erunt in præmio. Quod si se excusat injuste proclamatus, sicut non ruit per peccatum, si tamen ejus excusationem permittit rigor capituli, sic nec ascendit per meritum. Et dum in capitulo innocenter non punitur, in cœlo sublimiter non coronabitur.

Anima. Rationabilia quidem videntur quæ dicis; sed magnum sæpe oritur malum, si se injuste proclamati non excusant. Ipse namque qui eum malitiose et false proclamavit, in peccato suo manebit; et circumsedentes nihilominus in errorem ducentur, qui eum æstimant veraciter et charitative dixisse. Et si lucrum magnum proclamato ejus confert silentium, proclamanti tamen et circumsedentibus non modicum affert damnum; quia et illum ex toto perimit malitia, et istos ex magna parte perimit [*cod. Gem.* perurit] ignorantia.

Ratio. Non est contemnenda diligentia tua, si nulla impatientiæ vesania et furore provocatus, sed solo salutis eorum desiderio ductus, suam injuste proclamatus innocentiam, ubi et quando, cui et quomodo et quantum debet, et ex toto invitus et sine omni voluntate suum in aliquo accusatorem lædendi, sed ei ex toto remittendo exponit. Nec utilitatem, ut mihi videtur, proximi omittit, nec propriam amittit.

Anima. Placet, quod dicis.

Ratio. Quod autem in fine querelæ quæ capitulum et ergastulo assimilasti et inferno, bene quidem dixisses, si male non sensisses. Nunc autem bona non approbatur locutio, quam mala corrumpit intentio. Quia cum summa sit benedictio discipulum esse Christi, maledictioni tamen imputavit evangelista, quod illuminato cæco dixerunt Judæi: *Tu discipulis illius sis* (*Joan.* VIII, 28). Nonne Domini quodammodo ergastulum capitulum est, ubi in ejus compedes suum sancti viri pedem inferunt? ubi loris disciplinæ spontaneæ constringuntur? ubi gaudent

Digitized by Google

sui non esse proximis? Nonne etiam quodammodo quidam infernus est capitulum, ubi sua justi puniunt errata? ubi peccatorum suorum rubiginem igne consumunt pœnitentiæ, ut sint postmodum alieni ab igne, vel a pœna gehennæ? Et ergastulum igitur capitulum et infernus est; ergastulum ubi non includuntur latrones, sed exercentur martyres; infernus vero, ubi non demerguntur dammandi, sed expurgantur salvandi.

Anima. Bene dicis

Ratio. Quid ergo adhuc tibi videtur capitulum esse?

Anima. Non amplius horror ergastuli, sed decor est thalami: non introitus inferni, sed janua paradisi et porta cœli.

CAPUT IV.

Multitudo et asperitas mandatorum, quæ a superioribus eduntur, religiosum movere non debent, cum vox præcipientis superioris vox Dei sit. Denique crimen non est deesse quibuscunque mandatis superiorum, sed ea contemnere, etc.

Ratio. Unde adhuc gravaris?

Anima. De multimodis præceptis seniorum.

Ratio. Quales tibi videntur esse in præceptis suis?

Anima. Omnino indiscreti. Imperant quæ volunt, non quæ debent. Præcipiunt secundum suam voluntatem, non secundum rationem. Et cum ipsi vix extrema quædam faciant, leges nobis duras et valde difficiles ad libitum suum promulgant, alligantes, ut Dominus dicit (*Matth.* XXIII, 5, 4), *onera gravia et importabilia*, et ponentes in humeros nostros; ipsi autem extremo digito suo nolunt ea movere.

Ratio. Nimis audacter tangis christos Domini; nimis præsumptuose in ejus prophetis malignaris; nimis superbe ponis in cœlum os tuum. Et quia nimium de tuo robore confidens, arcam Domini manu contingere [*cod. Mel.* attingere.] præsumis, ideo etiam ictu ab eo mortali percuti mereris. Noli igitur seniorum tuorum vitam scrutari; noli eorum actus discutere; noli eorum conversationem licet malam reprehendere. Scito te eorum auditricem, non judicem; et eorum jussis obtemperare per obedientiam, non eorum vitam condemnare [debere.] Nescis quia præcepta eorum præcepta Dei sunt? Nescis quia vice summi pontificis prælati tibi præsunt? Nescis, quia qualescunque ipsi sint, eorum successores sunt quibus dictum est: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit?* (*Luc.* X, 16.) Nescis quia *non est potestas nisi a Deo? quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt. Qui autem resistunt* (*Rom.* XIII, 1, 2), quod sequitur, avertat a te omnipotens Deus.

Anima. Sic utique dicunt, cum eis non paremus, damnationem nos nobis acquisisse, quia in crimen nos asserunt inobedientiæ corruisse, peccatum nos mortale commisisse.

Ratio. Verum dicunt: Nonne legisti, quia *quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere?* (*I Reg.* XV, 23.)

Anima. Quis ergo poterit salvari?

Ratio. Qui humiliter et prompte et perseveranter obedit.

Anima. Et quis omnia seniorum suorum et præcepta admittere, et prohibita potest omittere?

Ratio. Quis pro impossibilitate condemnatur? Et tu, quando [*cod. Gem.* Tamen et quando] tibi impossibilia a prælato tuo injunguntur, si te relevare noluerit, ut beatus Benedictus dicit, de Deo debes confidere, et quod jubetur cum humilitate et fide aggredi.

Anima. Certe tam multa nos jubent, tam multa prohibent, quod nec numero teneri possunt, nec memorari.

Ratio. Nec aliquem pro oblivione nimis crudelem judico. Et tamen timere potest, si Deum in oblivione præceptorum prælatorum tuorum obliviscaris, ne forte ab eo oblivioni tradaris.

Anima. Valde durum est, quod dicis, dum sic nos in præceptorum transgressione plene non excusat vel impossibilitas, vel oblivio.

Ratio. Et quis, quæso, in transgressione condemnatur nisi propter solum contemptum? Si enim per oblivionem tibi forte, ut senioribus tuis vel in præceptis vel in prohibitis inobediens sis, peccasti quidem sed venialiter; si tamen reatum tuum quantum debes, agnoscis et humiliter confiteris, et digne pro eo satisfacis, et de cætero te emendare satagis. Quod si per contemptum et superbiam, per inflationem et iram, et per tumorem, et per rebellionem, per elationem et murmurationem, quod absit! abjicis jussa seniorum tuorum, peccatum nimirum admisisti grande nimis, et si in eo perseveraveris, mortale erit et damnabile.

Anima. Durus est hic sermo (*Joan.* IV, 61): si hæc ita sunt, de maximis hæc [*cod. Gem.* hoc] præceptis æstimo debere intelligi.

CAPUT V.

Magnitudo et obligationis gravitas in mandatis etiam ex præcipientis auctoritate colligendæ sunt. Nihil ad hæc spernendum, sive parvum sive magnum sit, quod præcipitur.

Ratio. Quæ tibi maxima videntur esse præcepta?

Anima. Maximum videtur esse præceptum, quo nobis jubetur diligere Deum nostrum et cætera in hunc modum. Maximæ vero, ut æstimo, prohibitiones sunt, quibus prohibemur adulterari, furari, falsum testimonium dicere, et si quæ sunt hujusmodi similia.

Ratio. Sunt quidem maximæ istæ præceptiones et prohibitiones; verumtamen non solum in his sed etiam in cæteris quæ parva videntur, quæ secundum Deum a senioribus promulgantur præceptis et prohibitis, et oblivio obnoxia est peccato, et contemptus damnationi.

Anima. Non oportet, ut ita sit.

Digitized by Google

Ratio. Ita est

Anima. Potesne mihi per exemplum ostendere?

Ratio. Possum. Quid primo parenti nostro in paradiso prohibitum est?

Anima. Ne de ligno scientiæ boni et mali comederet.

Ratio. Quam grande erat illud prohibitum? Quomodo possumus id dicere grande fuisse, eum protoplasto illi cætera omnia in esum sint ligna concessa et unum solum prohibitum?

Anima. Ergone districtus erat Deus, ut pro modico conditum a se hominem a loco amœnitatis in hoc tenebrosum exsilium ejiceret?

Ratio. Non eum pro modico ejecit.

Anima. Nonne modicum illud erat prohibitum pro quo eum ejecit?

Ratio. Etsi modicum erat quod prohibitum est, non erat tamen modicus, a quo prohibitum est.

Anima. Et quid ad eum ipse a quo prohibitum est?

Ratio. Multum per omnem modum. Primum enim considerare debuit qui esset prohibens, et secundum ipsum suum metiri prohibitum, et quoniam propter ejus magnitudinem magnum etiam esse debuit ejus prohibitum, propter magnam voluntatem prohibentis. Omne namque Dei præceptum et prohibitum est ea voluntate suscipiendum qua est injunctum. Et ideo pro excellenti et magna voluntate jubentis sic modicum, sicut grande, prohibitum debuit iste primus homo vitare

Anima. Igitur multum ipse primus homo peccavit.

Ratio. Quam horribile et immane commiserit peccatum pœna subsequens ostendit.

Anima. Nec tamen, ut tu dicis, tantum damnabile ei erat, quod prohibitum, incurrit quantum quod in hoc prohibentem contempsit.

Ratio. Sic dico.

Anima. Quare ergo non simili modo in eorum nunc præceptis et prohibitionibus [*cod. Gem.* prohibitis] licet minimis, [*cod. Mel.* sic minus] qui ejus vicem tenent, contemptum negas esse damnabilem, cum ipso attestante qui hæc spernunt, se spernant?

Ratio. Non possum negare. Durum quidem hoc est, sed tamen verum est. Si propheta quondam de Judæa ad regem Jeroboam in Samariam missus non contemptu superbus, non oblivione nescius, sed falsi prophetæ mandacio seductus, pro eo quod a Domino, etiam nolendo, in loco comederit prohibito, sed sibi jam, ut æstimabat, concesso, leoni ad devorandum traditus est, quid de te judicas quæ seniorum tuorum leges per contemptum transgrederis?

Anima. Super omnia quæ dixisti super hac re verba, hoc me exemplum perterret. Nullatenus enim vir Dei in hoc loco ederet, nisi in hoc se Domino obediturum putaret. Hoc namque evidenter ejus verba ostendunt et quæ regi, et quæ prophetæ cum ad prandium invitantibus respondit.

Ratio. Quid itaque in hoc tibi facto innuitur, nisi ut id, quod a prælato tuo propria audis aure prohiberi, nullius postmodum suggestionibus, nisi seniorem tuum id certissime mutasse agnoveris, audeas nullatenus committere.

Anima. Valde in verbis tuis contremisco

Ratio. Quid ergo tibi videtur de præceptis seniorum tuorum, quæ negligenda, quæve spernenda sint?

Anima. Prorsus nulla. Cogunt siquidem me verba tua seniorum meorum præcepta ac prohibita tam modica quam magna, sic revereri, ac si ea ex ipso ore Dei audivissem.

CAPUT VI.

Lex claustri quæ quosdam vagationum cupidos vehementer premit, sancta est, utilis et animæ commoda, et valetudini corporum accommodata.

Ratio. Dic mihi, si adhuc de re aliqua gravaris.

Anima. Adhuc sentio me gravari.

Ratio. Unde ergo gravaris?

Anima. De lege claustri.

Ratio. Qualis tibi videtur lex claustri?

Anima. Valde gravis. Sed quia nullatenus amodo id præsumo indicare vel reprehendere, donec sciam, quid de ea tuo sedeat [*cod. Mel.* insideat] arbitrio, licet hanc de qua loquor legem non audeam dicere indiscretam, eam credere non mediocriter sentio duram.

Ratio. In quo eam sentis duram?

Anima. In eo quod nunquam mihi de claustro, quoquam licet sine licentia egredi; nunquam extra claustri ostium pedem ponere; nusquam omnino nisi forte in dormitorio vel oratorio divertere; nulla pene hora etiam per licentiam mihi egressæ extra claustrum demorari, sed statim in illud redire. Quam beati mihi videntur fratres qui obedientiarum suarum occasione foras sæpe exeunt! Multum enim eos iste egressus et renovat et reficit; quia in eis et allevat [*cod. Gem.* alienat] fastidium et parit [*id.* parat] oblectamentum.

Ratio. Adhuc carnalis es; adhuc gemis sub servitute et pondere legis; necdum gaudes in libertate et lenitate gratia suavi et non dura; nec gravis est lex claustri ei duntaxat, qui eam tenere agnovit. In claustro enim rimaris profunditates expositionum, narrationes exemplorum legis, dulcem ruminas cibum psalmorum. Quod autem dicis eos beatos qui foras sæpe egrediuntur, nunquam eos sic beatificares, si quot labores in corpore, quot in anima sustinent dispendia perfecte scires. Quoties ipsi foris jejunant et esuriunt, quando tu domi comedis et satiaris! quoties algent, et tu nullum frigus times! quoties vigilant, et tu suaviter dormis? quoties foris sunt fessi, et tu domi tranquille requiescis! quoties tempestates et nives et imbres et ventos et cæteros in hunc modum labores sustinent, a quibus tu omnino aliena es! Et super [*cod. Gem.* Et simi-

Digitized by Google

liter] hæc omnia quanta eos putamus sustinere dispendia! O quoties in cogitatione, locutione et opere, in visu et auditu et cæteris membrorum suorum motibus delictum incurrunt, a quo tu in claustro libera es?

Anima. Hæc omnia ita se habent, ut tu dicis.

Ratio. Quid ergo tibi adhuc videtur de lege claustri?

Anima. Lex quidem sancta est, utilis et bona animæ et corpori salutifera utriusque in se continens sanitatem.

CAPUT VII.

Divina psalmodia nulli oneri esse debet. imo eo potius opera conferenda est, ut quæ ore proferimus corde meditemur.

Ratio. Unde te sentis modo gravari?

Anima. De modo psallendi et cantus in choro.

Ratio. Quomodo a te in choro celebratur divinum officium?

Anima. Nimis tractim, nimis morose; et illo denique modo qui mihi valde onerosus et tædiosus est.

Ratio. Nescis, o anima mea, quia inter omnia, de quibus te intromittis sanctæ religionis exercitia, hoc [*cod. Gem.* hoc speciale] specialiter opus Dei est. Hic namque Deo sisteris, hic ei præsentaris, hic etiam cum eo loqueris. O quam sancte, quam devote, quam etiam in omnibus irreprehensibiliter motibus te habere deberes, quando coram Deo [*id cod. Gem.* coram eo] stas? Quam sapienter nihilominus illa quibus eum alloquaris, verba et corde meditari, et ore te deceret [*id.* decet] proferre. Heu! heu! quoties eum corde absente, solo ore oramus, et magna voce clamantes, et tamen ejus auribus muti sumus. Timere possumus valde ne de nobis conqueratur et dicatur: *Populus hic me labiis honorat; cor autem eorum longe est a me* (*Isa.* XXIX, 15; *Matth.* XV, 8). Memento quid tibi de orationis diligentia beatus dicat Augustinus: *Psalmis*, inquit, *et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.*

Anima. Bene mones et dicis.

CAPUT VIII.

Multum viris religiosis prodest et convenit, ut nonnunquam in opere corporali pro tempore et necessitate exerceantur.

Ratio. Quid ergo adhuc te gravat?

Anima. Opus manuum non mediocriter me gravat.

Ratio. Quid tibi videtur de opere manuum?

Anima. Non mihi videtur ad ordinatos, et maxime ad litteratos pertinere. Nunquid enim rustici sunt, ut operibus forinsecis, operibus vilibus et servilibus debeant exerceri?

Ratio. Nunquam hæc diceres, si quam conveniens, quam utile sit viris religiosis opus manuum agnosceres. Multum namque eos consolatur exercitium corporale et renovat, multum fovet et reficit; quia eis pariter et aufert defectum et confert profectum, non solum ad ministrationem corporis, sed etiam ad instructionem mentis. Otiositas quippe inimica A est animæ et ideo necesse est, prout tempus aut necessitas postulat, quod tibi injunctum fuerit operis, facias, ne forte si diabolus inveniet otiosam, in sui reddat te opere occupatam. Abscide ergo a te anima mea Sabbata illicita, ne ea hostes tui derideant. Et ideo solent multum viri sancti opus manuum diligere; quia nimirum per illud geminum acquirunt profectum, dum per illud et corporalis vitæ necessitati, et spirituali consulunt puritati.

Anima. Non habeo jam aliquid quo contradicam tibi? evidenter namque video quod multum decet et convenit. Multum viris religiosis prodest et convenit ut nonnunquam in opere corporali pro tempore et necessitate exerceantur.

CAPUT IX.

B *Nihil turpius et homine religioso indignius, quam cutem molliter fovere, lautitias ciborum appetere ac denique ventrem Dei loco habere.*

Ratio. Estne adhuc aliquid quod te gravat?

Anima. Est plane.

Ratio. Et quid est illud?

Anima. Gravat me multum quod a quibusdam cibis abstineo.

Ratio. In hoc gravamine statim tibi poterit conferri levamen. Non enim, ut æstimo, volunt prælati tui ut te nimium per jejunium et abstinentiæ rigorem attenues.

Anima. Non de nimio jejunio conqueror.

Ratio. Unde tunc?

Anima. Quia non de omnibus generibus ciborum C mihi sumere licet, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione.

Ratio. A quo genere ciborum [*cod. Gem.* cibi.] abstines?

Anima. A carnibus.

Ratio. De re parva gravaris. Ad quid, quæso te, sæculo renuntiasti et ad humilitatis habitum venisti? Nonne ut cum cæterarum exercitio virtutum, etiam carnem tuam, ut legis in Regula tua, domes in abstinentia escæ et potus, quantum valetudo [*id.* vita] permittit. Durumne tibi videtur et grave quod, quandiu nulla debilitatis ægritudine opprimeris, esus tibi carnium subtrahatur, dum omnium tibi aliorum ciborum genus conceditur? Quare vile mihi D videtur et turpe quod illi qui et religionis habitu induti, et nulla prorsus debilitate infirmati sunt, nimiam tamen in præparandis et multiplicandis, in variandis [*cod. Mel.* mult. in saliendis et cond.], et condiendis ferculis curam impendunt: et ad instar infirmantium vel etiam, quod majus est dedecus, ad similitudinem mulierum prægnantium, nihil nisi sapidum quid in cibum sumere possunt? Mirum mihi videtur quod non erubescant vili habitu induti, quod non nisi delicatis velint vesci. Quia si *Deus* eorum, quod absit! *venter est* (*Phil.* III, 19), sub habitu tam vili pretiosus Deus non debet contegi [*cod. Mel.* vesci, quia Deus eorum forte, quod absit! venter est. Sub habitu vero tam vili pretiosus Deus non deberet contegi], (*Num.* XI, 4, 5). Sed ut,

Digitized by Google

o anima mea, memento quia adhuc hodie princeps cororum destruit muros Jerusalem. Econtra qui contra Moysen murmurantes Ægyptiorum desiderabant cibos, concupiscentiæ cooperuerunt sepulcra. *Quare*, inquiunt, *eduxisti nos de terra Ægypti, ubi sedebamus super panes in saturitate?* Et alibi: *quis dabit nobis ad vescendum carnes? recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumores et pepones, porrique et cepe, et allia. Anima nostra arida est; nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi manna.* O quot hodie extrinsecus religiosi apparent, quibus hæc vox juxta litteram etiam congruit! Sed timere possunt ne id spiritualiter patiantur, quod illi corporaliter perpessi sunt.

Anima. Placet multum quod dicis.

CAPUT X.

Vigiliæ magni faciendæ sunt, propterea quod animam rerum divinarum contemplationi aptiorem reddant. Contra defugienda religioso officia, curarum seminaria, nisi aliud obedientia præcipiat.

Ratio. Si adhuc aliquid gravat te, innotesce.

Anima. Gravare me multum solent vigiliæ.

Ratio. Valde mollis et tenera, et libera es, quæ nihil pati potes; imo potes [*cod. Mel.* posses], sed non vis. Et certe vigilias non debes parum diligere, quæ te ad spiritualia meditanda elevant et levem reddunt et habilem. Et certe si horas dormitionis constitutas conserves, non habebis, quod de vigiliis juste conqueri possis; quia sufficere tibi debent horæ dormitionis constitutæ.

Anima. Ita est.

Ratio. Sed vide ne adhuc aliquid sit unde gravaris. Quid vides?

Anima. Video obedientiarios nostros.

Ratio. Quid tibi de eis videtur? Nunquid etiam statum eorum affectas? Nunquid et eorum occupationibus implicari desideras?

Anima. Ex occasione obedientiarum suarum multa habent oblectamenta, multa solatia multaque relevamina [*cod. Gem.* levamina], quæ ego claustralis habere non possum.

Ratio. Si eorum gravamina pensas, eorum nimirum relevamina [*ibid.*, levamina] non affectabis [*ib.*, effectas]. O quot labores et afflictiones in corpore, curas et sollicitudines et perturbationes et angustias abbas et priores tui, sacrista et cellerarii et cæteri officiarii perferunt in mente, a quibus omnibus tu libera et aliena es? Ipsi namque omnes servi tui sunt, tu vero eorum dominaris. Ipsi ministrant, tu vero ministraris. Non habes necesse de cibis et vestibus, nec quæ aranda, quæ seminanda, vel quæ plantanda, quæ colligenda, quæ ædificanda et quæ agenda, quomodo quæ adsunt expendenda, vel quæ desunt acquirenda sint, esse sollicita; quia hæc et cætera omnia necessaria ipsi tibi procurant. Vide ergo utrum eorum statum, quantum ad te duntaxat pertinet, debeas desiderare, quæ tantum distas ab eis, manens in claustro, quantum A et a famulis dominus in domo et ab ancillis domina in thalamo.

Anima. Bene hæc omnia a te dicta sunt.

Ratio. Etsi bene dico, non tamen hæc ita dico, quin patiaris jugum occupationis tibi imponi, quando ob domus tuæ necessitatem tuus id tibi prælatus imponere decreverit. Statum namque tuum etsi laudo, illorum nimirum non reprehendo; quia sic Mariæ pars asseritur optima, ut tamen Marthæ non negetur bona. Et licet proprium officium sit Mariæ in domo sedere, tamen ad prælati sui præceptum aliquando egreditur, si tamen ei dicitur: *Magister adest, et vocat te* (*Joan.* XI, 28).

CAPUT XI.

B *Silentium religionis veluti murus et propugnaculum est, sine quo diu veræ pietatis studium nequit persistere.*

Anima. Unum adhuc est quod me multum gravat.

Ratio. Quod est illud? [*Cod. Gem.* Quid est id?]

Anima. Continuum quod teneo silentium.

Ratio. O quam necessarium est cunctis, qui Deo in religione placere contendunt, ut disciplinæ silentii studeant. Ut enim Isaias ait: *Cultus* [cod. Mel. custos] *justitiæ silentium est et pax et securitas* (*Isa.* XXXII, 17). Totius namque religionis clavis et murus quodammodo et custodia est silentium, sine quo religio non potest esse munita, sine quo viri religiosi nec justitiam colere, nec pacem tenere, nec securitatem possunt habere. Namque, sicut in libro C Numeri legitur, *vas, quod non habuerit cooperculum, vel ligaturam desuper, immundum erit* (*Num.* XIX, 15). Quomodo hoc intelligendum putas? Tu es hoc vas. Operculum, quod huic vasi imponitur, est clausura silentii: qua clausura si careris, sicut vas apertum in quod omnis spurcitia cadit, immunda eris. Multum in Scriptura ubique laudatur clausura silentii. Ideo et tu dilige silentium, quia cum *de omni verbo otioso* (*Matth.* XII, 36), ut Dominus dicit in ultimo judicio reddenda sit ratio, eo minus tunc a te de locutione ratio exigetur, quo nunc studiosius et libentius silentium tenueris. Ideo viri sancti, ut longe esse possint a verbis malis, obmutescunt nonnumquam et silent a bonis. Quia ut beatus Ambro- D sius, *cito lutum colligit amnis exundans.* Unde et præmisit: *plures loquendo peccare vidi, vix tacendo quemquam.*

Anima. Fateor, bene et congrue omnia dixisti. Jam multum per documenta tua, quæ indocta eram, erudita sum; quæ nescia eram, instructa sum; quæ desolata eram, consolata sum; quæ turbata eram, sedata sum; quæ ponderosa eram, alleviata sum; quæ tristis eram, læta sum; quæ pusillanimis eram, lætata sum et exhilarata. Jam vivo, quæ prius quodammodo moriebar; jam curro et volo, quæ prius vix repere poteram vel ire; quæ prius odio habui jam diligo; et quæ prius tangere præ angustia nolebat anima mea, nunc cibi mei sunt. Jam scio quomodo carnis meæ tentationibus per gratiam Dei

Digitized by Google

debeo resistere. Jam rigorem capituli diligo. Jam seniorum præcepta libenter et obedienter amplector. Jam mihi sapit lex claustri. Jam longa psalmodia non displicet. Jam opus manuum approbo. Parci- A moniæ studium laudo. Jam vigilias non respuo. Jam magis Jacob simplicitatem quam Esau venationem amo. Jam clausuram silentii, sicut ipsam salutis causam et vitæ portam, honoro.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Finis, quo motus in religionem ingressus est religiosus, ob ejus oculos perpetuo observetur, diligenterque expendat, qui Deo in professione voverit.

Ratio. Quæso te, o anima mea, vide vocationem tuam; totis viribus insiste; omni studio insta; omnibus modis conare : ut in vita et conversatione tua appareat pura intentio, Dei solius intuitu et non mercedis desiderio. Solius Dei intuitu sæculum reliquisti et humilitatis habitum assumpsisti. Imprimis ante omnia et super omnia, quæcunque tibi seniores secundum Deum vel præceperint vel prohibuerint [*cod. Mel.* Seniores rationabiliter vel præcipiunt vel prohibent, tam, etc.], tam obedienter tam hilariter, tam perseveranter accipe, amplectere et venerare ac si de cœlis ipsius Dei ore præcepta essent vel prohibita. Fratribus vero tuis et sociis et veræ fraternitatis affectum et moribus quibus potueris et tibi licuerit sanctæ utilitatis impende obsequium; ut semper et ubique in Deo proximis et in B proximis placeas Deo; hoc modo professionem tuam implebis : hoc modo vota tua Domino reddes, quæ distinxerunt labia tua.

Anima. Quia modo se occasio intulit, vellem libenter ut mihi professionis ordinem sigillatim et aperte exponeres; ut tandem scias quid sciam, quid debeam? [*f.* ut tandem sciam quid debeam.]

Ratio. Dic mihi, quæ in professione tua verba continentur, ut ea tibi consequenter exponam.

Anima. Professionis meæ verba hæc sunt : *Ego frater N. offero et trado me ipsum Ecclesiæ Dei, et promitto conversionem morum meorum, et stabilitatem in hoc loco* [cod. Gem. *in loco*] *secundum Evangelium Christi et apostolicam institutionem et secundum canonicam regulam beati Augustini. Promitto etiam* D *obedientiam usque ad mortem in Christo Domino N. prædictæ Ecclesiæ Patri et successoribus ejus, quos senior congregationis pars canonice elegerit.* Ecce hæc sunt quæ promisi.

Ratio. Vere multa sunt, quæ debes, quia multa sunt quæ promisisti. In eo quod temetipsam Ecclesiæ Dei tradidisti in omni quod es, in omni quod scis et in omni quod potes, eidem te Ecclesiæ ad omnem utilitatem, ad omnem fidelitatem debitricem te agnosce. Hoc est enim Ecclesiæ Dei tradere te ipsam, non solum quidquid boni habes, sed etiam quidquid boni es, quidquid boni scis, quidquid boni potes eidem Ecclesiæ impendere. Nam in quantum ei ad necessitatem suam tuum vel esse vel scire vel posse adimis, in tantum ei temetipsam tollis. Ideo discurre, festina utiliter et fideliter quodcunque potest manus tua instanter operare, quia alligata es verbis oris tui.

Anima. Et si nihil aliud promisissem, hoc solum multum esset.

CAPUT II.

Exponitur formula professionis in ordine Præmonstratensi usitata, et explicatur quid voveant qui conversionem morum suorum et loci stabilitatem vovent.

Ratio. Prosequamur cætera.

Anima. Placet mihi ut et cætera prosequaris et displicet. Placet mihi quippe audire quod debeo; sed responsum displicet, dum quod debeo reddere non video.

Ratio. Et promitto, inquis, *conversionem morum meorum.*

Anima. Quid est hoc? C

Ratio. Promisisti conversionem morum tuorum : ut si prius inquinata eras, amodo sis casta et munda; et si prius superba et invida, modo humilis et benigna; si prius tumida et iracunda, modo mitis et mansueta; si prius denique nullis virtutibus ornata sed cunctis vitiis fuisti implicata, amodo quantum potes nullis vitiis sis onerata, sed cunctis virtutibus repleta. Hoc vovisti, quando conversionem morum tuorum promisisti.

Anima. Cum me contingit audire me promisisse quod me video non implere, flere magis libet quam aliquid dicere.

Ratio. Et stabilitatem, inquis, *in loco.*

Anima. Et hoc fateor, promisi, sed quandiu quæso, huic tenebor obnoxia sponsioni? (319) Nunquid alicujus non poterit præfigi temporis meta sponsioni? Hæc sunt, nec illa, qua novi conversionem morum meorum. Scio quidem, quod nunquam licite potero pervertere mores meos. Sed nunquid non potero ante vitæ meæ finem domum, in qua nunc sum, deserere et [ad] aliam transmigrare?

Ratio Et quare hoc quæris?

Anima. Quotidie namque innumeros video non solum in alio loco, sed etiam in alio esse ordine quam in quo professionem suam fecerunt. Unde apparet quod licite potest locus professionis deseri et alius expeti. Quia si hoc licite fieri non posset, nec

(319) Sequentia usque ad *Scio quidem*, desunt in cod. Mel.

Digitized by Google

isti profecti de loco suo et ordine egrederentur, nec ab aliis alibi susciperentur.

Ratio. Nimis præceps es. Tu ipsa interrogas, tu et ipsa respondes. Et cum eadem ipsa tui ipsius et discipula sis et magistra, non plus novit tua magistra quam discipula, non plus quæ respondes quam quæ interrogas. Sed sine me et indicabo tibi utrum domum tuam, in qua professione firmata es, deserere liceat, an non; et si non licet, quare non licet; si vero licet, quomodo licet.

Anima. Non ideo sententiam meam protuli, ut aliquid faciam præjudicio tuo. Nam quidquid ego diffinio, hoc solum quod tu dicis ratum erit.

Ratio. Vovisti stabilitatem in domo tua? Meo quidem consilio, quantum ad te pertinet, eam ante vitæ tuæ terminum non dimittas.

Anima. Quid si majoris perfectionis et rigidioris ordinis desiderio accensa vitam meam emendare et conversationem meam augere voluero : numquid ad alias, ut id faciam, transmigrare non consulis?

Ratio. Certe non consulo.

Anima. Quare?

Ratio. Primum, quia suspectam habeo infirmitatem tuam, ut quæ non potes sufferre ordinem istum, consequens est, quod nec sufferre potes rigidiorem. Secundo, quia timeo ne per discessum tuum eis qui post discessum tuum remanent aliquod damnum inferatur vel scandalum.

Anima. Et quomodo hoc esse potest? [*cod. Gem.* Et quare hoc esset?

Ratio. Nonne una es de *decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ?* (*Matth.* xxv, 1.)

Anima. Una quidem de quinque prudentibus esse desidero.

Ratio. Aut prudens es aut fatua?

Anima. Sum utique.

Ratio. Sed si fatua es, non consulo ut quoquam discedas, ne forte fatuus sit fatue egressus. Si autem prudens es, etiam tunc nihilominus consulo ut remaneas; ut matri quæ te concepit et portavit, domui videlicet tuæ, præ cunctis aliis tua prudentia succurrat. Quæ namque alia domus tua si quam habes, prudentia dignior est uti, quam mater quæ te genuit, quæ te fovit, quæ ad perfectionem tuam ætatem provexit, quæ te ad hanc quam nunc habes prudentiam perduxit? Sive ergo fatua virgo sive prudens sis, non consulo ut quoquam discedas. Quia si fatua es, indiges domo tua; si vero prudens, domus tua indiget te.

Anima. Quid, si et prælatorum et fratrum meorum tam contrarii mihi mores sint, ut cum pace in domo mea remanere non possim, nonne igitur mihi melius alias est ubi cum dilectione et amore sim [*cod. Mel.* et amore possim migrare, quam cum odio, etc.] migrare, quam in odio et rancore remanere?

Ratio. Nescio quomodo tibi de his duobus malis respondere et satisfacere possim, quod eorum sit melius, cum neutrum eorum sit bonum. Quæris certe an melius tibi sit incendio perire, an præcipitio. Etenim ureris, si cum odio remanes; et præcipitaris, si sine licentia recedis. Et quod istorum est bonum, uri videlicet an præcipitari?

Anima. Neutrum, utrumque enim malum est. Sed quodnam, quæso, istorum minus malum est?

Ratio. Quod istorum desideras magis, ut tibi videlicet ostendam quomodo ægrotes et non moriaris, an quomodo ita plene cureris, ut amplius non infirmeris?

Anima. Sicut de duobus malis magis eligo morbum quam mortem, sic de uno [*cod. Gem.* uno bono malo ad, etc.] malo ad aliud magis eligo curari quam ægrotare.

Ratio. Vis itaque, ut tibi ostendam quomodo potes reprobare malum et eligere bonum? qualiter videlicet te possis habere ut necesse tibi non sit, ad declinandum quod est pessimum, facere quod minus est malum, sed quod olene [*cod. Mel.* quod prorsus est etc.] est bonum?

Anima. Volo atque inhianter desidero?

Ratio. Si fratrum et prælatorum tuorum contrarii tibi mores fuerint, bonis tuis moribus pravos eorum mores emendare stude. Noli temetipsam defendere, sed da locum iræ; et si ipsi contra te fuerint, noli vinci a malo sed vince in bono malum. Hic apparebit prudentia tua, si virgo prudens es; si eorum tumorem vincis humilitate et iracundiam mansuetudine, et æmulationem benignitate, et turbationem lenitate, et odium charitate. Coram eis humiliter prosternere, pare eis, obsequere et omnibus quibus potueris modis eorum conare vincere in bono malum.

Anima. Quid si tales fuerint, si tantum scilicet erga me in sua malitia fuerint indurati, ut nullo prorsus modo valeam eos corrigere?

Ratio. Si tales fuerint, nec adhuc consulo ut discedas; non consulo ut, quia illis non potes proesse, noceas tibi.

Anima. Imo noxium est mihi remanere

Ratio. In quo tibi noxium est si remanes, ad quod peccatum te invitam trahunt?

Anima. Ad nullum.

Ratio. In quo ergo noxium est tibi cum eis remanere?

Anima. In eo quod me ad iracundiam provocent et murmur et cum odio me vivere cogunt.

Ratio. Quare odis eos?

Anima. Quia odio habent

Ratio. Si ergo odio te habent, bene debes eos odire. Nonne ex ore Salvatoris tui audisti : *Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos?*

Anima. Visne ergo ut remaneam cum odio?

Ratio. Nequaquam, sed cum dilectione. Volo enim ut habites cum eis ut Abel cum Cain et Isaac cum Ismael, et Jacob cum Esau. Eorum namque tibi prodesse poterit malitia, si tibi non defuerit pa-

Digitized by Google

tient'a. Si autem tales ipsi fuerint ut te ad peccatum pertrahant, consulo ut alibi, ubi Deo placere possis, discedas.

Anima. Non alio modo possum licite discedere?

Ratio. Poteris quidem licite discedere, si per licentiam prælati tui ad aliquam Ecclesiam regulariter electa fueris, vel aliquid forte hujusmodi evenerit, per quod licite egredi possis. Igitur ut breviter omnia quæ prolixe dicta sunt concludam, quidquid alii dicant, meum quidem consilium est, ut nulla prorsus occasione vel causa, contradicente et prohibente prælato, a domo tua discedas, exceptis duntaxat his causis quas enumeravi.

Anima. Prosequere modo cætera.

Ratio. Qualiter modo vel temetipsam Ecclesiæ Dei tradidisti, vel morum conversionem, vel in loco promisisti stabilitatem aperte ostendis, et in sequentibus addis : *secundum Evangelium Christi et apostolicam institutionem, et secundum canonicam Regulam beati Augustini.* Quia enim sanctitatis perfectionem cum cordis unitate sine omni proprietate, de quibus nimirum beati Augustini tractat Regula, et Ecclesiæ dicitur, tradidisti, et conversionem morum tuorum, et in loco stabilitatem vovisti ; hæc etiam secundum Evangelium Christi et apostolicam institutionem et secundum canonicam Regulam beati Augustini bene fecisti. In Evangelio namque est omnis sanctitatis perfectio : in apostolica vero institutione est et unitas cordium et communio possessionum : quia, ut in eorum Actibus legitur, *multitudo credentium erat cor unum, et anima una* (*Act.* IV, 32). Ecce unitas animorum ! *Nec quisquam eorum, quæ possidebat suum aliquod dicebat esse, sed erant illis omnia communia.* Ecce communio possessionum! Et de his maxime beati Augustini tractat Regula. Unde in ejus exordio ita dicit : *Hæc sunt, quæ observetis in monasterio præcipimus constituti.* [cod. Mel. *constitutis.*] *Primum quidem propterea* [*ib.* propter quod] *in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo et sit vobis cor unum et anima una in Deo, et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia et distribuatur unicuique vestrum a prælato* [cod. Mel. *præposito*] *vestro victus et tegumentum.*

CAPUT III.

Explicantur reliqua, quæ eadem professionis formula continentur, ostenditurque quam periculosum et grave peccatum proprietatis in religiosis abdicationem proprii professis. Ad hæc, quæ sit obedientia majoribus debita et quæ senior pars eligentium prælatum, docetur.

Anima. Nunquid grave peccatum est, si aliquam proprietatem habemus ?

Ratio. De hoc peccato cur me interrogas, o anima mea, an grave sit? Quomodo enim peccatum grave non est proprium quid habere, cum tibi prohibeat beatus benedictus (320) *proprium* etiam *aliquid dicere?* Est ne grave peccatum furtum, mendacium, sacrilegium, apostasia? Certe qui peculiaritati student, fures sunt et mendaces, sacrilegi quoque sunt et apostatæ. Jam namque ad vomitum redierunt [*Cod. Gem.* redeunt] ; quia res quibus jam renuntiarant iterum possidere nituntur. Vide ergo, o anima mea, ne sine scitu [*ibid.* agnitione] et licentia Patris tui aliquid habeas, ne Ananiæ et Saphiræ in crimine socia fias, quorum certe quam gravis exstiterit culpa, subsequens innotuit pœna.

Anima. Si verba tua vera sunt, non omnes sunt Religiosi qui sunt habitu religionis induti

Ratio. Verum dicis. Nam *non miratur Beemoth, quod jam fluvium absorbuit ; insuper habet fiduciam, quod Jordanis influat in os ejus* (*Job* XL, 18).

Anima. In magno periculo sumus.

Ratio. Et quia in his omnibus tuo debes prælato obedire, ideo addis : *Promitto etiam obedientiam præfatæ Ecclesiæ Patri.* Quomodo tuo debeas obedire prælato, satis tibi superius ostensum est. Et quia nullam in his quæ contra Deum sunt, prælato tuo obedientiam debes, ideo adjungis : *in Christo.* Semper enim prælatis obediendum est, cum [*Cod. Gem.* sed cum] contraria Deo non jubent. Quod si, quod absit! contraria jusserint Deo, in Petri sententia indubitanter assero standum : *Quia oportet Deo obedire magis quam hominibus.* Quia vero, quamdiu vivis, ab obedientiæ jugo non debes absolvi, et in sacrificio tuo caudam hostiæ non oblivisci, ideo dicis : *usque ad mortem.* Tunica namque talari inter fratres debes indui et in sacrificio tuo caudam hostiæ non oblivisci : *Quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Rursum quia potest ipse cui obedientiam promisisti ante te ab hac vita discedere, ne forte ipso defuncto a vinculo subjectionis te æstimes absolutum, ideo in fine dicis : *et successoribus ejus quos senior pars congregationis canonice elegerit.*

Anima. Cum contingit electionem celebrari, quænam æstimanda est *senior* esse *pars* congregationis.

Ratio. Non æstimo semper partem numerosiorem esse saniorem, sed illam potius quam etsi paucitas reddit modicam, cognitio tamen veritatis, et amor virtutis, et rectitudo intentionis reddit sanam. Hæc namque spiritualis et vera cordis sanitas est cognoscere verum et bonum eligere, et in utroque soli Deo vello placere. Talibus namque electio committenda est, talium etiam electio approbanda, confirmanda et rata habenda est, qui sciunt, qui secundum Deum eligendus sit et eumdem eligunt, et solius Dei causa id agunt [*cod. Gem.* agitur]. Hi autem quibus in electione et cæcitas agnitionem tollit veritatis, et cupiditas amorem aufert virtutis, et vanitas rectitudinem adimit intentionis, licet multitudo eis conferat numerositatem, tamen mihi veram non videntur habere sanitatem. Unde etiam monachorum Pater beatus Benedictus de electione ita scribit (323) : *In abbatis,* inquit, *ordinatione, semper consideretur ratio, ut hic constituatur,*

(320) Reg. S. Bened. c. 33.

(323) Ibid. c. 64.

Digitized by Google

quem sibi omnis concors, congregatio [cod. *Gem. cohors congregationis*] *secundum timorem Dei, sive etiam pars, quamvis sit parva* [id. *quamvis modica*] *congregationis saniori consilio elegerit.*

Anima. Vera videntur esse quæ dicis.

Ratio. Ecce tibi, o anima mea, professionis tuæ verba exposui sigillatim? Ecce tibi ostendi, quæ promisisti? Utrum vero ea fideliter reddas, tu videris.

CAPUT IV.

Quomodo expiandæ sint multiplices votorum ac legis divinæ transgressiones? Cui confitenda peccata, etc.

Anima. Video certe me quotidie infringere [*cod. Gem.* frangere] vota mea; et quid mihi consulis facere?

Ratio. Culpam tuam plene agnoscere, humiliter deflere, pure confiteri, digne pro ea satisfacere, et de cætero cessare.

Anima. Bene dicis. Sed cui debeo confiteri peccata mea?

Ratio. Cui, nisi prælato tuo

Anima. Si me contigerit aliquod magnum commisisse et prælato meo timeo vel erubesco vel etiam nolo revelare, nonne illud alteri possum confiteri, et per eum absolvi?

Ratio. Non æstimo quod ista confessio ex toto Deo placeat, vel istâ absolutio tibi sufficiat.

Anima. Quid ergo faciam? si magna vulnera mea ei ostendam, timeo ne me et magis de cætero habeat vilem et minus sibi familiarem. Et quomodo ei enormitatem scelerum meorum potero detegere, quem quotidie necesse est me aspicere; cum quo me oportet nocte et die demorari; cui et ego semper irascor et ipse mihi? Semper quando me intuebitur, cogitare eum de meo crimine putabo. Quando mihi irascetur, eum pro scelere meo me credam despicere. Suspicabor etiam eum nunquam velle me amare, nunquam velle mihi credere; et his atque hujusmodi perturbationibus vexata interius atque vastata, nunquam pacem habebo.

Ratio. O quam profundus, o quam obscurus, quamque malitiosus est animus humanus! Non tibi necesse est hæc de prælato tuo suspicari. Et si forte ipse, quod procul absit! talis sit ut hæc de eo veraciter cogitare vel dicere posses, consilium tamen meum est ut ei reatum tuum pandas. Quia melius tibi erit hæc omnia pati, ut salveris et solvaris, quam ei commissa celare, ut hic ligeris et in æternum damneris.

Anima. Et quare aliquis alius prælatus absolvere me non potest?

Ratio. Et si concedo ab alio te absolvi, quis ab hoc peccato te absolvet quod committis in eo quod proprium prælatum fugis?

Anima. Ille me ab utroque absolvet peccato, cui utrumque confiteor. Confiteor namque ei, quod et peccatum illud commisi, et quod illud a prælato meo celo.

Ratio. Diligenter, quæso, intellige quod te interrogo, et ad id quod te interrogo inde mihi consequenter responde.

Anima. Interroga quod vis.

Ratio. Putasne aliquem a peccato suo posse absolvi quamdiu perseverat in eo?

Anima. Nullo modo hoc puto: quamdiu enim peccatum non abjicitur, nullo modo condonatur.

Ratio. Igitur fateris, te nullo modo a peccato tuo absolvi, quamvis confessa fueris, nisi illud reliqueris?

Anima. Plane confiteor. Quid enim mihi prodest confiteri, si nolo peccatum relinquere? Mirum mihi videtur quare istud interrogas, cum nemo sit qui hoc ignorat.

Ratio. Scias hoc jam quare te interrogem: utrum sola confessione possint aliquando [*cod Mel.* aliquomodo] peccata dimitti, quandiu peccata retinentur et retenta exercentur. Ne forte, si non possunt, quod tu tamen credis, absolvi non possis, nisi proprio prælato confitearis.

Anima. Certe nullatenus possunt. Hæc enim fides catholica omnino non recipit. Etiam si proprio prælato modo confiteor, et peccatum meum relinquere nolo, nullo modo absolvor. Omnis namque qui a suo peccato vult absolvi, necesse est peccatum suum plene agnoscere, secundo pœnitere sive dolere, tertio confiteri, quarto satisfacere, quinto continere; et tunc demum sexto poterit de misericordia Dei confidere. Et septimo in conscientia suaviter cum Domino requiescere.

CAPUT V.

Pluribus ostenditur, peccata religiosorum non nisi propriis prælatis esse confitenda, nec quemquam facile ab hoc abterreri debere metu publicationis et infamiæ.

Ratio. Semper igitur, ut ex verbis tuis etiam datur intelligi, confessionem non solum comitari, sed etiam præcedere debet peccati abjectio.

Anima. Utique debet. Prius enim Salvator noster quatriduanum Lazarum mortuum vivificavit et vivificatum foras venire fecit; et tunc demum ut eum solverent discipulis præcepit. Sic nos ad adventum pii Jesu per pœnitentiam vivificamur. Secundo ad magnum quem de mente emittit clamorem, ablata prius duritiæ petra de spelunca fetidæ conscientiæ per confessionem egredimur et tandem a prælatis nostris, qui discipuli ejus sunt, absolvimur et in viam deinde justitiæ abire sinimur. Quid ergo prodesset, si discipuli Lazarum mortuum, etiamsi de monumento fuisset egressus, absolverent? Non plus, ut mihi videtur, adhuc hodie prodest quod a prælatis videntur absolvi peccatores, qui mortem peccati, in qua exstincti jacent, per vivificam peccati relictionem a se non repellunt. Et quid necesse est de hac re amplius loqui? nullus enim est qui nesciat illud

Digitized by Google

a Domino peccatum non dimitti quod a nobis viderit non abjici.

Ratio. Quamvis et ego hoc sciam, placet tamen mihi hoc a te audire; non enim putavi quod tam sapiens esses.

Anima. Parva mihi inesset sapientia, si hujus rei mihi inesset ignorantia. Aliter enim de hac re sapere, non solum ignorare sed etiam blasphemare est.

Ratio. Cum ergo ita sit, si a peccato tuo quod te prælato alieno confiteris commisisse, propter pœnitentiam et confessionem tuam absolvi poscis, quia illud abjicis, ab hoc nimirum peccato quod committis in eo quod illud proprio prælato celas, nullatenus ab alieno prælato absolveris; quia licet id ei confitearis, tamen illud non relinquis.

Anima. Nonne relinquo illud?

Ratio. Vide si relinquis: quod est istud, de quo loquimur?

Anima. Illud quod committo in eo quod peccatum meum prælato meo taceo.

Ratio. Ergo tandiu in peccato isto jaces, quandiu illud peccatum prælato tuo taces.

Anima. Ita certe est.

Ratio. Sed si ab hoc peccato absolvi desideras, oportet ut illud prælato tuo per confessionem pandas.

Anima. Ita necesse est ut faciam. Sed si confitendo prælato meo confiteor me ei peccatum meum celasse, etiam quod illud peccatum fuerit quod ab eo celavi oportet me dicere.

Ratio. Si ergo vis Deo reconciliari, non potes nisi peccatum istud quod ab eo peccatum tuum celasti, prælato aperias proprio; hoc autem ei plene pandere non potes, nisi ei confitearis quod illud peccatum feerit, quod ab eo celans ostendisti alieno, quid ergo concluditur, nisi te Deo non posse reconciliari, quod ab eo celans confessus es alieno?

Anima. Secundum hujus argumenti propositum non suspicor esse verum. Quid enim? Nonne possum prælato meo confiteri me unum peccatum ei celare et tamen illud non nominare?

Ratio. Nihil valet confessio.

Anima. Quare?

Ratio. Nunquid absolveris quando dicis: malum feci, nisi confitearis quod malum feceris?

Anima. Prorsus non absolvor.

Ratio. Sic nec absolveris, quando prælato tuo dicis: celavi peccatum, nisi ei dicas quid ab eo celaveris.

Anima. Non mihi videtur posse stare hoc.

Ratio. Verum est certe: ego sum prælatus tuus, ponamus hoc.

Anima. Ponamus.

Ratio. Veni ergo et confitere mihi.

Anima. Libenter, ecce confiteor: Celavi quoddam peccatum a te et expeto a Deo et a te hujus peccati absolutionem.

Ratio. Cujus peccati absolutionem? vel illius quod a me celasti, vel illius quod commisisti in eo quod illud a me celasti, vel etiam utriusque?

Anima. Non utriusque. Sed nec illius quod a te celavi; sed illius solius quod commisi in eo quod illud a te celavi.

Ratio. Ego te ab utroque volo absolvere, si utrumque mihi vis confiteri.

Anima. Ab isto quæro absolvi.

Ratio. Libenter. Vera quidem falsitate seducenda es, confitere itaque mihi.

Anima. Celavi quoddam peccatum a te.

Ratio. Pœnitet te?

Anima. Multum pœnitet.

Ratio. Relinquis peccatum tuum?

Anima. Relinquo.

Ratio. Vide, ut relinquas, quia alioquin non poteris absol.

Anima. Scio certissime quia non potero absolvi nisi relinquam peccatum meum. Sed ego illud relinquo.

Ratio. Relinquis peccatum tuum?

Anima. Relinquo ex toto.

Ratio. Quod peccatum relinquis?

Anima. Istud quod tibi confiteor, quod feci in eo quod peccatum quoddam celavi a te.

Ratio. Amplius vis in hoc peccato jacere?

Anima. Nonne jam dixi tibi?

Ratio. Quod est tamen?

Anima. Puto me videre quo tendas.

Ratio. Quo tendo?

Anima. Procede et dic.

Ratio. Quid cogitas?

Anima. Puto quia capta sum. [*cod. Mel., Anima.:* Procede et dic, quid cogites: puto enim, quia capta sum. *Ratio.* Ergo, etc.]

Ratio. Ergo si illud a quo per ministerium meum cupis absolvi peccatum est, quod a me peccatum quoddam abscondisti, ab hoc autem peccato absolvi non potes quandiu illud committis, et id semper committis quandiu illud a me de quo loqueris peccato abscondis, nonne tibi necesse est ut ab isto possis absolvi, etiam illud quod mihi abscondisti mihi confiteri?

Anima. Habet se ita hæc res?

Ratio. Prorsus ita se habet. [*cod. Mel.* Ita se res habet.] Si itaque tandiu illud a me absconditur, patet profecto quia istud non remittitur, nisi cum illud mihi detegitur: nisi, quod forte superius denegatum est, tuum tibi possit peccatum indulgeri quod a te constat non relinqui.

Anima. Non possum resistere argumentationibus et consequentiis tuis.

Ratio. Cum itaque constet quia tandiu peccas quandiu peccatum aliquod a me prælato tuo celas, nonne consequens est, ut tandiu non absolvaris quandiu a me aliquod peccatum abscondis?

Digitized by Google

Anima. Ista quidem videntur consequi.

Ratio. Si itaque istud cupis tibi remitti peccatum quod perpetras in eo quod a me peccatum celas, confiteri consulo non solum quia celas, sed quid est hoc quod celas.

Anima. Ita oportet ut faciam. Sed quid si certissime scio prælatum meum velle publicare peccatum meum, nonne vel tunc [*cod. Gem.* possim] possum celare illud vel alteri secure revelare et ab eo plene absolvi?

Ratio. Si certissime prælatum tuum hoc abominabilissimum et prorsus diabolicum, facinorosissimum atque scelus damnabile velle perpetrare agnoveris, et idcirco tuum ab eo vulnus abscondis, timendum tibi valde est ne, etsi non damneris quia illud abscondis a publicatione, forte damneris quia illud abscondis a proprio Patre.

Anima. Et quomodo sufferre potero ut publicet peccatum meum?

Ratio. Quamvis grave videatur tibi peccatum tuum publicari, de duobus tamen malis minus tibi eligendum est, ut hic publicetur et tibi condonetur, quam pro eo quod a prælato tuo peccatum tuum abscondis et in ultimo judicio in conspectu Domini omni homini publiceris, et in inferno cum impiis damneris. Verumtamen utrum in conspectu interni Judicis hæc te excuset intentio tua, ego nescio; hoc solum scio quia valde securum est, ut unusquisque reatum suum proprio aperiat prælato.

Anima. Angustiæ sunt mihi undique. Si enim tacuero, mors mihi est, quia ad indulgentiam non pertingo; si vero non tacuero, non effugiam manus infamatoris atque criminatoris, quia publicari timeo.

Ratio. Nonne igitur tibi melius est incidere in manus hominis, quam derelinquere legem Dei tui, ne, si forte pruinam timueris, irruat super te nix?

CAPUT VI.

Nihil magis in religione necessarium est quam mutua inter prælatos et subditos dilectio. Quid de privatis operibus pietatis sentiendum?

Anima. Aperte ex vobis potest sciri quia valde necesse est illam partem esse sanam, cui prælati debet electio [*uterque cod.* præmitti.] permitti. Nescio quid modo plus dicam de hac re. Sed inter omnia quæ ad viros religiosos pertinent, hoc scis valde esse necessarium ut plenam et summam secundum Deum dilectionem et familiaritatem [*cod. Mel.* familiarem.] inter se habeant prælatus et subjectus. Quotidiano hoc experimento disco. Quoniam enim non solum magis, sed etiam tantum mihi necesse est diligere quantum eum, cui nostras non solum actiones, sed etiam cogitationes et locutiones [*cod. Gem.* debeo] debemus revelare: secundum cujus solius arbitrium debeo vivere, quem sicut ipsum in omnibus in quibus Deo contrarius non fuerit, debeo audire, quem si in aliquo superbe et pertinaciter non contemno, non potero perire.

Ratio. Ita est, ut dicis, et quantum tu ei debes, tantum ipse tibi. Et certe difficilius est ei, reddere quod debet quam tu quod debes ei. Facilius namque est tibi humiliter subesse quam illi præesse utiliter tibi, regi sine querela quam illi regere sine superbia, tibi obedire sponte quam, illi imperare discrete tibi, corripi sine furoris vesania quam illi corripere sine tumoris contumelia, tibi confiteri, quam illi absolvere, tibi satisfacere, quam illi satisfactionem injungere; et, ut multa brevi sermone concludam, longe ei difficilius est tibi in corde et corpore fideliter et plene procurare, quam tibi procuratione acquisita uti. Unde, ut tuus tibi præcipit Augustinus: non solum tui sed etiam ipsius miserere, qui quanto in loco superiori, tanto in periculo majori versatur.

Anima. Bene dicis. Sed vellem libenter scire quid judices de privatis orationibus quas solent nonnunquam quidam in his conventibus exercere?

Ratio. Non solum orationes privatas, sed etiam omnes privatas devotiones, quæ bona pro Deo intentione exercentur, ut per eas de bono communi nihil contingat imminui, devotiones, inquam, bonas privatas quidem judico, sed eis communes ubique præpono. Et ideo sive orationibus, sive vigiliis, sive abstinentiis, sive laboribus, denique privatis devotionibus insistas, tunc solum eas utiles tibi æstima, cum in nullo vel ea quæ in communi exercenda sunt imminuunt, vel pacem cohabitantium perturbant. Nam propter pacem et voluntatem fratris tui, tuam nunquam debes utilitatem charitati præponere [*cod. Gem.* præmittere]. Cum enim nunquam malum debeat perpetrari, tunc etiam sæpius bonum salubrius exercetur, cum ab eo pro pace et voluntate fraterna ad tempus cessatur. Nam ut exempli causa de multis proferam unum, tunc fortasse missam devotius cantas, quando idcirco non cantas, ut fratri tuo, qui desiderat cantare, cedas! qui forte cantare non posset, si tu cantares. Sic itaque modo mirabili fit ut dum ab uno bono ad tempus propter charitatem cessas, duplex bonum tibi acquiras: unum videlicet, ut dum de te tam humiliter et de fratre tuo tam sublimiter sentis, ut devotionem ejus tua meliorem et sanctiorem credas; aliud vero dum ei charitative [*cod. Gem.* charitatem] cedendo et humiliter obsequendo tam sollicitus fueris servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Et quod de hoc uno dixi, etiam de cæteris hujusmodi sanctæ religionis exercitiis intelligendum est.

Anima. Bene et salubriter hortaris.

CAPUT VII

Conclusio operis, in qua quisquis religiosus jubetur fervens, in omni bono opere constans, humilis et sanctus esse, etc.

Ratio. Quæso te, o anima mea, inter multa quæ diximus, de cætero cum metu et omnibus, quibus scis et potes, modis tuam ipsius salutem caute et sollicite operare, omnique contende studio, ut in Deo prælatis et fratribus omnibus etiam proximis tuis et in ipsis placeas Deo. Stude, inquam, o anima mea, cavere noxia et appetere salubria, parere superioribus, obsequi æqualibus, esto honesta in habitu, me-

Digitized by Google

diocris in victu, assidua in claustro, in publico rara, intenta psalmis, et muta fabulis, in capitulo confitens et humilis, in choro serena [*cod. Gem.* seria] et simplex, in altari gravis et matura, in labore utilis et discreta, in dormitorio sancta et matura, in refectorio sobria et faceta; in incessu, statu et in omnibus motibus tuis, ut legis in Regula tua, nihil habens quod cujusquam offendat aspectum, sed sicut tuam deceat sanctitatem, ut in omni denique locutione et in omni actione et in omni loco et tempore, erga omnem personam aptata sis et circumspecta; quatenus semper et ubique et tibi parca, [*cod. Mel.* pura] et proximis sis prompta, et Deo sis devota.

Anima. Fateor, bene et congrue omnia dixisti. Beatus qui sic viveret, ut tu hic exhortaris.

Ratio. Sic itaque hæc dicta sint, ut nec ei qui de his verius profundius et nitidius dicere novit in aliquo præjudicium faciamus: nec nos, si aliter aliquid diximus, superbe excusemus nec correctionem nobis onerosam [*cod. Mel.* impensam] tumide respuamus. Amen dicant omnia.

ANNO DOMINI MCLII-MCXC.

GODEFRIDUS VITERBIENSIS

NOTITIA

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Lat.*, t. III, p 69)

Godefridus Viterbiensis (1), presbyter Conradi III qui an. 1152 diem obiit, Frederici I et Henrici IV, qui an. 1190 habenas capessivit imperii, capellanus ac notarius, post longinqua variaque per XL annos itinera, locuplete linguarum rerumque comparata notitia, scripsit *Memorias sæculorum* (2) sive, ut aliis nuncupatum est, *Pantheon*, sive Chronicon universale, prosa partim, partim metro, ab orbe condito usque ad A. C. 1186, divisum in sectiones XX, et dicatum Urbano III papæ ab anno 1185 ad 1187. Primus edidit Basilius Joannes Heroldus, Basileæ 1569, in-fol., deinde Joannes Pistorius in limine tomi secundi Scriptorum de rebus Germanicis, Francofurt. 1584, et Hanov. 1613, in fol., novissime V. C. Burchardus Gotthelf Struvius in repetita Pistorianæ sylloges editione, Ratisbonæ 1726, in-fol., in qua accesserunt variæ lectiones codicis membranacei Norimbergensis. Partes quinque postremas sive sectionem XVI, XVII, XVIII, XIX, XX, hujus Chronici, in quibus plura ad res Italiæ spectantia, celeberrimus Muratorius inseruit tomo septimo Thesauri Scriptorum Italiæ, p. 346, emendatioraque et integriora quædam dedit ex Chronico anonymo bibliothecæ Estensis, cujus auctor ex Pantheo profecisse se confessus fuerat. Aliud ejusdem Godefridi opus ms. in Biblioth. Cæsarea, quod aliquot post Pantheon annis scripsit et Henrico VI regi Romanorum et Teutonicorum dicavit, inscribitur *Speculum Regum*, de genealogia omnium regum et imperatorum, Trojanorum et Teutonicorum a tempore diluvii, usque ad Henricum VI, secundum Chronica Venerabilis Bedæ presbyteri, Eusebii et Ambrosii. Vide Lambecium t. II, p. 774, ubi pars epistolæ ad Henricum imp. Quibus usum auctoribus, quarum gentium res persecutum in Pantheo Godefridum, edocet præfatio ipsius ad Urbanum III papam.

(1) Neutiquam *Vitebergensis*, de quo dubitabat Baronius ad annum 1186, num. 22, neque *monachus Dominicanus*, ut Bernardo de Lucemburgo persuasum. Vide Jacobum Quetif. t. I, p. 740.

(2) Non *Memorias Sanctorum*, ut legas apud Vossium.

GODEFRIDI VITERBIENSIS
PANTHEON
SIVE
MEMORIA SÆCULORUM

(Edidit clarissimus MURATORIUS *Script. Ital.*, tom. VIII, prætermissis iis quæ ad Veteris Testamenti historiam et prima post Christi nativitatem sæcula spectant.)

LUDOVICI ANTONII MURATORII PRÆFATIO.

Godefridus, seu *Gotfridus*, cujus Chronico eximius locus in Collectione nostra debetur, Viterbii in urbe Italiæ natus est ac, propterea *Viterbiensis* titulo a reliquis ejus nominis distinguitur. Hanc ei patriam concordi calculo tribuunt eruditi, Baronio excepto qui, ad annum Christi 1186, eum appellat *Gotifridum Viterbiensem (ut vulgo fertur) sive Vitembergensem*. Cur hanc dubitationem de Gotfridi pa-

Digitized by Google

tria moverit doctissimus cardinalis ignotum mihi est. Certe in epistola dedicatoria ad Urbanum III papam, ut in editis libris habetur, ille se *Gotfridum sacerdotem indignum* inscribit, et ubi ms. codices contra non militent, Italiæ ac Viterbio non est auferendus hic scriptor. Animadvertendum tamen, Gotfridum scriptum reliquisse, se *puerum* in Bambergensi Ecclesia educatum, ibique primarum litterarum studiis vacasse. In Chronici parte XVII ubi agit de secundo Henrico et *de civitate et Ecclesia Babenbergensi*, hæc habet : *Ego, qui ibi prima documenta grammaticæ artis didici, tanquam eorum alumnus cætera versibus declaravi.* Tum in carmine addit :

Prisca fuit puero mihi Babenberga magistra.

Accedit quod Godefridus scriba sive notarius fuit trium imperatorum, nempe Conradi III, Friderici I et ejus filii Henrici VI. In ejusmodi munere verisimile videtur Germanum potius quam Italum hominem a Germanis imperatoribus fuisse adhibitum. Verum ne ista quidem satis sunt ut Godefridum Italiæ nostræ eripiant. Regnantibus enim in Italia Teutonicis Augustis, præter communes, complures aliæ intercedebant causæ cur Italici homines in Germania sæpe versarentur, atque illuc propterea deferri puer potuit Godefridus noster in Italia natus. Hic autem linguæ non minus Germanicæ quam Latinæ gnarus, imperatori Germanico rite inservire potuit. Rerum ergo dicam : Nisi aliud decernat mss. fides, historicum hunc Viterbio, atque Italiæ relinquemus, et præcipue cum in Chronico mss. Estensis bibliothecæ, quod circiter annum 1320 conscriptum puto et cui in Collectione nostra suus erit locus, is evidentissime *Gothefridus Viterbiensis* appelletur.

Ut supra innui, Conradi III, Frideric I et Henrici VI notarius fuit Godefridus. In nonnullis Friderici I diplomatis apud Ughellum et Margarinum, et alios, subscribit *Godefredus imperialis aulæ cancellarius, vice Philippi Coloniensis archiepiscopi, Italiæ archichancellarii.* An Godefridus iste aliquid rei habeat cum historico nostro divinare non ausim. Hæc solum de seipso habet Viterbiensis Chron. parte XVII, antequam de Henrico IV agat : *Nota me Gotfridum hujus libri auctorem, capellanum et notarium fuisse regis Conradi tertii et Friderici imperatoris, et filii ejus Henrici sexti, quorum temporibus hæc omnia cis citraque mare per annos quadraginta sum perscrutatus ex omnibus armariis et Latinis, et barbaris, et Græcis, et Judaicis, et Chaldæis.* Hæc autem verba Basilio Joanni Heroldo, qui primus Historiam hanc publicis typis imprimendam curavit, occasionem dederunt scribendi in Præfatione ad ipsam, Godefridum nostrum *Latinæ, Græcæ, Hebreæ, Chaldeæ multarum quoque aliarum barbararum linguarum gnarum fuisse et peregrinatione omni terra totoque mari per totos XL annos exercitatum, omnium quas undique adiit gentium bibliothecas excussisse.* Parcat mihi Heroldus : ille mihi hoc in loco buccas nimium inflare videtur. Ex Godefridi verbis minime elucet mirànda adeo tot linguarum in eo peritia, idque ævo illo in eruditione infanti miraculum quodvis superasset. Neque vero Viterbiensis *omnem terram totumque mare per totos XL annos* lustrasse credendus. Equidem longe minori labore cum animi, tum corporis illum fuisse usum puto, ut se erudiret suamque nobis Historiam relinqueret. Tanti certe ponderis non sunt ea quæ narrat neque tam peregrina, ut se tot linguis, atque etiam barbaris, fuisse instructum ac omnium gentium bibliothecas excussisse persuadere nobis parum credulis possit. Homuni illorum temporum ad eruditionis historicæ gloriam comparandam sat erat Chronicon Eusebii in alicujus bibliothecæ angulo reperisse. Sed veniamus ad ipsum Chronicon Godefridi.

Pantheon inscriptum ab ipso fuit, quippe ibi de omnibus mundi principibus agitur. Ampullosum sane vocabulum et quod fortassis auctori ipsi tribuendum non est. Nam Vossio teste De historic. Latin. lib. II, cap. 54, *a nonnullis citatur hoc titulo :* Memoriæ sanctorum, *ut a Pignorio accepi.* Sed falli hic aut Pignorium monentem aut Vossium perperam legentem opinor. In Præfatione ad *Manipulum Florum*, quem in ista Collectione evulgabo, Gualvaneus de la Flamma, scriptor XIV sæculi, inter libros, quibus est usus ad suam texendam Historiam, *Gothifredi* Chronicon citat, nuncupatum *Memoria sæculorum.* His verbis indicari Godefridum nostrum, quæ subinde ex eo libro afferebantur dubitare me non sinebant ; ac propterea facile intelligas eum revera titulum libri fuisse, non autem *Memoriæ sanctorum.* Addo Peregrinum Priscianum Ferrariensem, scriptorem multæ eruditionis, qui, circiter annum Christi 1490, Annales Estensium adhuc mss. litteris mandabat. Hic citat *Gothifredum Viterbiensem in libro quem Memoriam sæculorum appellavit.* Ex quo patet jam tandem apud veteres, vel antequam typis excuderetur, Chronicon Gotfridi *Memoriam* potius *sæculorum* quam *Pantheon*, fuisse inscriptum, ipsumque auctorem *Viterbiensi* civitati attributum. Exorsus autem est Godefridus pro more temporum rudium Historiam suam ab initio mundi eamque perduxit usque ad pontificatum Urbani III, cui etiam opus ipsum dicavit. Desinit ergo in annum Christi 1186, ut Baronius antea animadverterat. Cæterum partim soluta oratione, partim metro, res gestas cum sacras, tum profanas, scriptor iste persecutus est, ac potissimum lusit ille versibus leoninis, rhythmis in medio aut fine sibi respondentibus, insulso interdum lusu.

Hic autem lectores monitos velim in Estensi bibliotheca asservari antiquum Chronicon in codice membranaceo ms., auctore anonymo, præferens hunc titulum : *Incipit Liber de Temporibus et Ætatibus ad perpetuam rei memoriam. Breve compendium collectum ex variis Chronicis et per ordinem digestum de Temporibus, in quibus sederunt certi pontifices Romani et imperatores*, etc. Hinc excerpsi ego quæ ad Regiensis civitatis Historiam pertinent, in hac Collectione item legenda. Multos versus delibavit scriptor ille ex Godefridi nostri Historia, quam is laudat sub nudo solum nomine *Chronicæ.* Mihi vero cum ipsa edita Historia codicem istum conferenti apparuit, non paucos ex his versibus dissidere ab editis ; imo occurrerunt multi in eodem ms. qui a vulgatis editionibus absunt, cum tamen omnes eumdem Godefridum parentem habuisse videantur. Specimen dabo. Ita ibi legitur de Diocletiano :

Dioclitianus pariter cum Maximiano
Imperium tenuere simul nullo mediano.
Unus eis fuerat victus et una caro.
Hi contra Christum reparant speciale duellum,
Undique Christicolis pariunt per climata bellum,
Quos cum morte premant, omnia scripta cremant,
Hi duo sunt primi, qui gemmas veste tulerunt,
Nec prius in pedibus, nec vestibus ista fuerunt,
Purpureos dominos ante fuisse ferunt.

In editis Godefridi libris confusa est series imperatorum, ut videre est potissimum in Maximiano et Diocletiano, locatis ante Gordianum, Philippum, Decium, etc. Si quis cum supra allatis versibus editos conferre velit, dissimilitudinem continuo deprehendet. Alterum exemplum suppeditabit nobis carmen de *Constantino imperatore*, quod ita in Estensi codice se habet :

Nunc Constantinus, si vera referre velimus,
Verus Christicola fuerat pro tempore primus.
Credidit hoc Oriens occiduusque sinus.
Ipse tenens aratrum respexit ab ordine retro
Eusebius post mersit eum baptismate tetro.
Fine malo claudit quæ bene cœpta peto.
Credidit in Christum populusque recepit ad ipsum ;

Digitized by Google

laude dedit licitum patulo prædicere Christum.
Condidit ecclesias laude, favore suas :
Arrianista manens miscet certamine tandem,
Nam scelus Eusebii vitam pervertit eamdem.
Lege : Tripartita gesta leguntur ita.
Hunc alienigenam sibi Roma creavit alumnum,
Cui dedit imperii solium per sæcula summum,
Qui quasi morte ream post viduavit eam.
Fraude, dolo proceres subtraxit ab Urbe Latinos,
Et quasi captivos mox esse coegit Achivos,
Constituens Romam rebus et arte novam.
Transtulit imperium, Danais dedit ipse favorem,
Dans alienigenis quem Roma tenebat honorem,
Romula destituens, Græcula regna colens.
Spurius hic fuerat, quem prætulit aurea Roma.
Interimens dominum, fertur rapuisse coronam.
Cum foret ante bona, nunc mala fama volat.
Roma suis studiis, *etc.*

Et hæc quidem specimina de variantibus in carminibus Godefridi lectionibus. Nunc eorum quæ in editis desiderantur, exemplum dabo. Cap. 86, codicis Estensis *ostenditur, unde Theotonici venerunt ante adventum Christi.*

Jam satis est Romæ regum recitasse decores;
Me vocat ad Priami juven s mea musa labores,
Cujus progenies grandia gesta movet, *etc.*
Ad Priamum redeo de quo generosa propago
Karolus est genitus, cujus et acta dabo.
In duo dividimus Trojano semine prolem :
Una per Italiam sumpsit diademata Romæ;
Altera Theotonica regna beata fovet.
Karolus in Berthæ Pipini semine ventre
Hæc duo continuat, conceptus utroque parente,
Romuleus matre, Theotonicusque patre, *etc.*
Tum agitur de *Priamo juniore, et de Antenore, qualiter a Troja destructa in Germaniam venerunt, et de eis principes et reges theotonici sunt oriundi.*
A Priamo Priamus juvenis, patiente sorore,
Sorte nepos oritur, patrio recolendus honore,
De cujus prole promere musa volet, *etc.*

Hinc refertur *quo tempore Sicambri, id est Trojani, invaserunt Germaniam et tunc vocati sunt Germani.* Nonnulli ex his versibus editi sunt Chronici parte x, sed hæc omnia fabulosa. Sequitur in ms. : *Qualiter Germani et Romani facti sunt amici.*
Dum fortuna duces tanta virtute decorat, *etc.*
In sequenti capitulo habetur : *Qualiter Germani deleverunt Alanos, propter quod etiam vocati sunt Franci.*

Interea gens terribilis, cui nomen Alani,
Tendit ad interitum, quæ mea musa canit, *etc.*

Capitulum centesimum primum est *de terminis veræ Franciæ.* In subsequentibus capitulis agitur *de gestis post mortem Cæsaris. De Childiberto rege Francorum in civitate Maguntia. De Mirobeo rege Francorum. De Lothario, Celperico, Clothario, Dagumberto, Ildrico. De antiqua consuetudine Francorum,* ubi leguntur hi versus :

Fertur apud Francos tunc consuetudo fuisse
Ut unus portare vices regis potuisset.
Major et ille domus munere ferret onus.

A Nomen id officii nescit per metra moveri,
Fiat ut ad placitum quærit mea musa mereri.
Sic mihi possibile promere carmen erit.
Sic major domus placita ratione vocetur,
Qui regis portare vices regimenque meretur
Et tenet, et repetit regis ubique decus.

Pipinus dux, *etc.*

Sequitur *de Pipino Grosso duce Francorum, patre Carli Martelli.*

Dux ex Alfeida genuit non conjuge natum,
Karlum Martellum vulgi ratione vocatum, *etc.*

Post hæc habetur *de Pipino Nano duce Francorum, filio Martelli, qualiter adeptus est regnum in civitate Maguntia.*

Dum regimen patriæ Nanus Pipinus haberet,
Rex tamen Ildricus vacuus, vilisque sederet,
Nanus Apostolico scripta subacta feret.

B Reliqua leguntur in editis, sed in multis dissimilia a lectione codicis nostri. Cur autem tanta diversitas occurrat inter Godefridi versus non aliam divinare causam possum, nisi quod aut ipse Historiam suam jam editam, tempore procedente, ad limam revocarit et politiores versus effecerit quales certe sunt editi; aut quisquam alius, e vivis sublato Godefrido, hunc laborem pro illo susceperit.

Primus ergo, ut supra innui, qui *Pantheon*, sive Historiam Godefridi, publica luce donarit, fuit Basilius Joannes Heroldus, Basileæ an. Chr. 1559. Tum idem opus Francofurti an. 1584, ac deinde Hanovriæ an. 1613, in Collectionem Germanicorum scriptorum illatum est a Joanne Pistorio. Verum ne sibi quæso persuadeat bonus noster Godefridus me Collectioni huic integrum velle nunc inserere Chronicon suum. Quæ ille habet ante Christi Nativitatem equidem non sperno; sed tum quod fabulis non carent, tum etiam quod eruditis nulli ferme usui esse possunt, ego rursus edere minime sustinui. Habeant
C illa qui velint e præcedentibus editionibus. Quod solum ex ea parte retinere volui illa sunt quæ Chronici parte XVI habentur, utpote ad Italiam pertinentia et propius ad sæculum V juxta institutum nostrum pertingunt. Superest et alterum Godefridi nostri opus, a Chronico supra laudato diversum, quod nondum lucem vidit mss. in Cæsarea Vindobonensi bibliotheca, teste Lambecio, Comment. de biblioth. Vindob. Lib. II, cap. 8. Ejus titulus est : *Speculum regum, sive de genealogia omnium regum et imperatorum a diluvii tempore ad Henricum VI imperatorem.* Demptis iis quæ a Godefridi ætate nimium absunt ac aliunde petere præstat, litterariæ rei interesset et hunc libellum e tenebris ereptum publici juris facere. Nam præterquam quod nullus tam ineptus est Historiarum scriptor, qui sæculo quo scripsit ac duobus aut tribus etiam præcedentibus aliquid lucis non afferat, Godefridus certe ex ingenio et eruditione commendandus est, et
D in aula imperatorum exercitatus multa nos docere posset, quæ aliunde frustra exspectaremus. Atque hæc sufficiant de Godefrido Viterbiensi.

AD DOMINUM PAPAM URBANUM

HUJUS NOMINIS TERTIUM

GODEFRIDI VITERBIENSIS EPISTOLA AC PROŒMIUM.

Summo et universali papæ Urbano tertio, domino et patri suo reverendissimo, Gotfridus Viterbiensis sacerdos indignus, seipsum in omni obsequio et obedientia subiectissimum.

Digitized by Google

Dum sacrosanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ culmen inspicio et ejus eminentiæ considero majestatem, illud ante omnia necessarium esse intueor, ut, sicut ipsa omnibus noscitur præesse principibus ita omnes reges et principes, et universæ orbis Ecclesiæ doctrina ejus et regimine adornentur, et ab ea, tanquam a fonte justitiæ, totius sapientiæ regulis instruantur; quia nullum Scripturarum elogium noscitur esse authenticum, nisi ab ejus sapientiæ fluminibus sitientibus propinetur. Quare, si quod historiarum opus nova per aliquem institutione conficitur, ratio suggerit ut antequam in publicum deveniat, apostolico examini præsentetur; quatenus, si acceptione dignum esse perpenditur, ejus mandato et judicio approbetur et ab eo vires auctoritatemque recipiat, cui terrena et cœlestia divinitus sunt commissa.

Eapropter, reverendissime pater, hoc opusculum longo tempore simplicitatis meæ studiis aggregatum et de Veteri et Novo Testamento atque de omnibus fere historiis in unum volumen sub compendio redactum, ad honorem Dei et emendationem, seu approbationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ante vestrum examen perferre disposui vestræque gratiæ præsentare curavi; ut, si auctore Deo per vos fuerit approbatum, ad alias Ecclesias ulterius derivetur et non solum clerici, sed etiam reges et principes habeant hoc opus a vestræ sanctitatis auctoritate. Impossibile enim est perfecti regiminis et regiæ potestatis excellentiam convenienter attingere his qui mundi cursum et originem, aut Scripturarum dogmata ignorant. Imperator vero aut rex qui cæteris principibus potestate præponitur, si fuerit philosophiæ nescius, errare sæpius quam regnare videtur; quia dum in causis reipublicæ sapientia indiget, cogitur eam ab aliis frequenter emendicare, et ex hoc aliena sæpius quam sua cernitur virtute regnare. Omnes namque reges debent rerum statum et justitiæ disciplinam cognoscere, quam sola bruta animantia ignorant. Oportet etiam eos Creatori de his omnibus reddere rationem, quia ipsi cum legibus sint absoluti, non in legem, sed in Deum potius videntur peccare : unde dicitur : *Tibi soli peccavi*. Cum ergo reges non in leges, sed in Deum peccent, et Dei solius vestroque examini reserventur, antiquorum regum vitam et gesta atque historias oportet eos cognoscere; ut causæ præcedentium fiant eis in posterum cautio futurorum. Ipsi quoque principes, inter alia beneficia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, gaudeant se hunc historiarum libellum de fonte sanctitatis vestræ suscipere; cujus instructi adminiculo, poterunt subjectos sibi populos rationabilius gubernare.

Hoc autem opus, non tantum in prosis, sed versibus adnotavi; ut lectores ejus, si aliquando prosas legendo fuerint fatigati, cum versus sequentes inspexerint, consonantia et delectatione metrorum ad legendum ulterius provocentur; illi autem qui versus forte non intelligunt, prosarum saltem lectionibus delectentur.

Intentionis autem nostræ est in hoc opere, ab ipsa prima rerum creatione incipere, imo ante omnem creationem, scilicet a divina essentia, quæ est ante tempora, de qua frequenter quæritur : Ubi erat tunc Deus? et in quo mundo? et quid operabatur? et quomodo est trinus et unus Deus? et cujus erat Dominus, dum nulla erat creatura? et quomodo Spiritus Domini ferebatur super aquas? et hujusmodi alia. Item de angelis, de cœlis, de planetis et elementis atque de creatione hominis : et deinceps universum Vetus et Novum Testamentum omnesque historias gentium, regum et regnorum sub compendio perlustramus, quæ omnia per capitula in ordine disponemus.

Nomen autem auctoris libri est Gotfridus, quod interpretatur, *Pax Dei*. In lingua namque Teutonica, *Gott* dicitur Deus, et *frid* dicitur pax. Ideoque hoc nomen huic operi satis convenire videtur, cum in hoc libro Vetus Testamentum cum Novo, Latinæ historiæ cum barbaris, et prosæ cum versibus, sub uno volumine, tanquam invicem pacificans, concedet.

Æstimo autem in causis hujuscemodi, sicut mos est fieri, nonnullos æmulos invidiæ livore torqueri; qui, priusquam librum conspiciant, priusquam magnam rerum copiam cognoscant, fient mihi non æquitatis judices, sed operis detractores. Adversus quorum insidias talem, ad defensionem mei voluminis, constitui armaturam, ut, per singula pene libri capitula, singula sint auctorum nomina, in testimonium præsignata : quæ et lectoribus auctoritatem exhibeant, et meipsum a detrahentium immanitate defendant.

Itaque super Vetus Testamentum hos habeo auctores : Mosem, Esaiam, Josephum, Danielem et alios prophetas, Jesum, Sirach, David, Salomonem, Esther, Judith, Esdra et Machabæos.

In Novo autem Testamento auctores hos inducimus : omnes apostolos, Clementem papam, Dionysium Areopagitam, Origenem, Joannem Chrysostomum, Athanasium, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium aliosque nonnullos Ecclesiæ doctores.

Super historias vero gentilium, habemus etiam : Josephum, Dionem, Strabonem, Orosium, Hegesippum, Suetonium, Solinum, Julium Africanum, qui prima Chronica conscripsit sub Marco Crasso (2*).

De Chaldæis quoque habemus Berosum, qui omnia Chaldæorum scripta defloravit.

De Ægytiis, inducimus Manethon historiographum et chronographum Ægyptiorum. Habemus

(2*) Sub Antonino Helagabalo Julius Africanus vixit. Hunc Antoninum alii de Marco præter rem accepere Antonino. Aliis, ut nostro, *Marcum* legentibus, Marcus Crassus in mentem venit.

Digitized by Google

etiam ab Ægyptiis, Mochum, Estium (3), et Hieronymum : Ægyptium, historiographos famosissimos.

Materia igitur totius libri est, universum Vetus et Novum Testamentum, et universi imperatores, reges et regna, quæ fuerunt vel sunt ab initio mundi usque ad tempora nostra, quorum omnium notamus originem et finem, nomina, ætates et gesta.

Sola itaque nomina regnorum, ad majorem evidentiam, in præsenti procemio duximus subroganda :

(4) Babyloniorum regnum,
Assyriorum,
Indorum,
Ægyptiorum,
Argivorum,
Lacedæmoniorum,
Thessalorum,
Sicyoniorum,
Lydiorum,
Amazonum,
Macedonum,
Hebræorum,
Græcorum,
Italorum omnium.
Francorum,
Theutonum,
Lombardorum,
Hunnorum,
Gothorum,
Visigothorum,
Ostrogothorum,
Anglorum,
Britonum,
Pannoniorum
Atheniensium,
Medorum,
Trojanorum,
Romanorum, regum et consulum.
Sicambrorum,
Senonum Gallorum,
Saxonum,
Suevorum,
Siculorum,
Cretensium,
Scytharum,
Avarorum, hoc est Ungarorum priorum.
Vinulorum, qui sunt in confinlis Asiæ et Europæ, super Mæotidas Paludes.
Vandalorum, et Sardorum regnum.
Item, de Sibyllis vatidicis.

Similiter post omnes reges posuimus etiam historias imperatorum; item omnium pontificum Romanorum gesta et annos, et menses, et dies nominaque eorum, a beato Petro, usque ad venerabilem Urbanum tertium papam, et usque ad dominum imperatorem Fridericum primum et ad filium ejus dominum regem Henricum sextum, feliciter. Amen.

(3) Lege *Hestiæum* e Josepho.

(4) Ordo hic confusus.

GODEFRIDI VITERBIENSIS

PANTHEON.

PARS DECIMA SEXTA.

IMPERIUM TRANSFERTUR AD GRÆCOS.

De Maxentio imperatore, filio Maximiani.

Milites prætorii, Maxentium, de quo supra diximus, Maximiani imperatoris filium, Romæ imperatorem augustum creaverunt. Cujus pater Maximianus, qui jam imperii dignitatem reliquerat, cum audisset Constantinum Gallis imperare, transit in Gallias intendens Constantinum dolo circumvenire, qui a filia sua, uxore Constantini proditus, et a Constantino fugatus, in Massilia est occisus.

Galerius autem imperator, dum in Christianos per decem annos persecutionem crudeliter exerceret, tandem a Domino castigatus, dissolutis introrsus visceribus, vermes superius eructabat. Desperatus itaque a medicis, pœnas illiusmodi, judicio Dei, in ultionem sibi datas esse cognovit. Unde et a persecutione Christianorum jussit cessari. Ipse autem paulo post, cum eodem dolore, vitam finivit.

Interea Maxentius imperator Romæ nimiam severitatem in civibus exercebat. Atque, inter alia facinora, uxores senatorum aliorumque nobilium Romanorum violenter ad suam libidinem rapiebat eisque publice abutebatur. Ipsos senatores, objecto eis falso crimine, proscribebat. Magicis artibus utebatur intantum ut prægnantes feminas eviscerari

Digitized by Google

præciperet et locum infantis in ventre prospiceret. Ibique, factis præcantationibus magicis, futura sibi faciebat prædici. Igitur adversus eumdem sceleratissimum tyrannum Constantinus jam amicus factus Christianorum, cum a Romano populo clam vocaretur et ipse ad hoc præparasset exercitum, erat anxius atque sollicitus quo modo sine gravi hominum strage Maxentium vinceret. Nocte autem soporatus, signum crucis igneo fulgore nitentis, ad orientem per visionem in cœlo conspexit; atque admiratus quid hoc esset, dum causam perquireret, angelos ad se audit loquentes : *O Constantine, in hoc vinces!* Mane autem facto, vocat ad se milites Christianos, et cognito illud signaculum Christianæ fidei fuisse, gavisus est valde super visione, frontem suam signo crucis Christi munivit, seque futurum Christianum promisit, si victoriam obtineret. Orabat autem, ut sine strage Romanorum civium, a Deo victoria præstaretur. In quo etiam Deus eum mirabiliter exaudivit.

Cum enim Maxentius naves juxta pontem Milvium in modum muscipulæ, ad decipiendum ignarum militem callide collocasset, Constantino autem jam in prælio apparente, Maxentius de victoria omnino desperasset; cito, quasi spiritu dæmoniaco incitatus, urgentibus hostibus ad pontem Milvium fugit, et in ipsa machinamenta navium, quæ hostibus præparaverat, repente prosiliit ibique in Tiberim submersus vitam finivit. Nullus præter eum ex utroque exercitu legitur in eodem prælio periisse. Cumque Constantino Romæ, cum ingenti gaudio pararetur triumphus, jussit non sibi, sed Domino Jesu Christo victoriam recognosci. Crucem autem in curru triumphali præcepit constitui et adorari. Postea Constantinus a Sylvestro est baptizatus. Quod autem de lepra ejus legitur videtur apocryphum, quia in nullis libris authenticis, neque in chronicis reperitur.

Nota quod anni a tempore Petri apostoli, Principis apostolorum, usque ad Sylvestrum papam, sunt ducenti nonaginta novem et duodecim dies. Melchiade autem papa mortuo, successit Sylvester, a quo in basilica Lateranensi baptizatus est Constantinus. Rursus etiam, sicut in multis ac diversis chronicis legimus, sicut etiam Historia tripartita innuere videtur, ab Eusebio Nicomediensi episcopo in villa, quæ dicitur Aquilona, rebaptizatus fuisse narratur. Tres quoque filios ejus postea eodem errore legimus deviasse.

Cætera de Maxentio versibus proponuntur. Alia plura de Constantino scribimus, quæ præsenti pagina supponuntur.

Constantinus factus Christianus pacem omnibus Ecclesiis reddidit. In quo facto Licinius augustus, collega ejus, consensit. Ambo itaque imperatores communiter legem faciunt ut Christus qui Urbem a tyrannide Maxentii liberavit, ab omnibus colatur. Item ipsi ambo, Galerio Maximino imperatori, qui tunc Orientem tenebat, super eadem causa scripserunt. Galerius autem in tabulis æneis prius edictum perpetuum dederat ut Christiani ubique punirentur. Recepto vero amborum edicto imperatorum, consensit; et ne amplius pro fide Christiana aliquis puniretur per omnia loca scripto imperiali præcepit. Reddidit etiam causam, quia Christiani quanto magis puniuntur, tanto plus crescunt. Mandat etiam ad cultum deorum nullus, nisi propria voluntate, cogatur. Post pauca, Galerius Maximinus Licinio augusto, rupto fœdere, bellum indicit. Ex qua causa, multis tam urbibus quam provinciis profligatis, tandem venitur ad prælium; ubi cum Galerius exercitum suum fundi conspiceret, turpiter aufugit. Inde reversus ad propria, omnes sacerdotes suos tanquam deceptores interfecit. Postea cum gravissimis morbis a Domino se affligi perciperet et mortem cerneret imminere, sera pœnitentia motus, Deum Christianorum confitetur, et pro eo scribit hoc modo :

« Imperator Cæsar Galerius Maximus, Germanicus, Sarmaticus, pius, felix, invictus, augustus. Indesinenter curam provincialium nostrorum gerentes, utilitatibus eorum consulentes, quæ ad commune et publicum bonum spectant nunquam desinimus providere. Unde cognitum esse omnibus non dubito quod ex decreto augustorum imperatorum Diocletiani et Maximiani parentum nostrorum ab officialibus imperii prædæ et direptiones multæ sunt factæ. Igitur, ut in posterum omnis metus Christianis, et ambiguitas auferatur, hujus nostri edicti lege sancimus ut omnibus hominibus innotescat licere omnibus his qui Christianam sectam religione venerantur, per nostræ indulgentiæ largitatem, ut unusquisque, quemadmodum vult et prout animo libet, religioni Christianæ solemnitatique deserviat. Sed et domos orationum, id est Dominicas ædes, pro voluntate eorum permittimus. Illud etiam hac lege sancimus, ut si quæ domus vel agri vel quælibet prædia, ex bonis Christianorum ante imperatorum jussionibus ad jus fisci fuerint sociata, si qua comparata etiam ab aliquo sunt vel distracta vel dono donata, hæc omnia in antiquum jus Christianorum præcipimus revocari et propriis dominis universa restitui. »

Respice, lector, hæc fuit mutatio dexteræ Excelsi. Post hæc Galerius, propter diversos morbos ac diuturnos, luce oculorum privatus, finem vitæ recepit. Licinius autem imperator, collega Constantini, qui prius Christianis sese benignum exhibuit, omnes Christianos a palatio exclusit et persecutionem omnibus intentavit. Contra quem Constantinus exsurgens, vicit eum prœliis diversis, primo in Pannonia, deinde sæpius terra marique devictum ad deditionem coegit, tandemque occidit.

Hic transfertur imperium a Roma in Byzantium.

Igitur Constantino absque socio monarchiam obtinente, Ecclesia diutissime tribulata respirat, plena in omnibus pace recepta. Tunc Constantinus gene-

Digitized by Google

ralissimum fecit edictum, ut per totum mundum Christiana religio teneatur.

Tunc imperator Sylvestro Romano pontifici regalia insignia concessit; et ipse, ut majorem Ecclesiis daret quietem, curiæ tumultum amovit seque cum omni pompa sua Byzantium in regionem Græcorum transvexit. Ex qua donatione videtur Romanæ Ecclesiæ Roma cum Italia et Gallia fuisse a Constantino collata

Imperii vero fautores asserunt Constantinum non ita regnum dedisse, sed Romanos pontifices tanquam summi Dei sacerdotes, ob divinam reverentiam in patres elegisse, ut ab eis debeant benedici eorumque apud Deum orationibus adjuvari. Adjiciunt etiam approbationem; quia Constantinus, cum inter filios suos orbem divisisset, uni dederit Orientem, alteri Occidentem et tertio Ptolemaidem cum Babylonia. Quam rem honestus princeps non fecisset, si regna occidentalia, cum quibus et Italia comprehenditur, Ecclesiæ contulisset. Theodosio etiam aliisque multis religiosis imperatoribus, Romam cum regnis occidentalibus in sortem venisse ac tenuisse affirmant. Ad hæc, imperiales disputatores Evangelia inducunt, ut illud : *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo* (*Matth.* XXII, 21). Item : Dominus ipse tributum pro se et pro Petro persolvit (*Matth.* XVII, 23-26). Paulus etiam dicit : *Cui honorem, honorem* (*Rom.* XIII, 7); *quia omnis potestas a Deo est* (*Ibid.*). Hoc dicens ipse Paulus tunc non Petrum intellexit in verbo, sed impiissimum Neronem, qui totius orbis tenebat imperium. Introducunt etiam Augustinum dicentem : Quo jure possides villam? Divino aut humano? Divino quia Domini est terra et plenitudo ejus. Si humano? Ergo a regibus. Si dicis : Quid mihi et regi? Respondet : Quid tibi et possessioni?

Ecclesiæ autem defensores ita respondent : Christus Ecclesiam suam mundanis possessionibus, quæ regalia dicuntur, voluit honorari. Non est credendum quod Deus Ecclesiam suam, quam sanguine suo redemit, cui misit Spiritum sanctum, Paracletum de cœlis, aliquo spiritu erroris decipi permisisset, ut ea quæ non debuit possideret. Multi enim viri probatæ vitæ regalia hactenus tenuerunt, qui cum his regnum Dei acquisisse creduntur.

Aliis etiam modis quamplurimis posset probari, quod et Constantinus Ecclesiæ regalia juste contulit, et Ecclesia licite suscepit. Si enim quæritur unde reges hæc habeant? respondent : Dei ordinatione et electione populi. Quod si Deus hæc tribuendo regibus, injuste non fecit, quanto magis juste fecit Deus ordinando ut a regibus, quibus ipse dedit, ad personam Ecclesiasticam transferrentur? Sicut Deus voluntatem populi ad ordinandum regem sub uno consensu disponit, ita etiam principis voluntatem ad largiendum Ecclesiæ regalia provocavit. Cor regis in manu Dei. Omnisque potestas a Deo est. Ergo et Ecclesiæ potestas in terris a Deo est. Igitur et Deus regem habere regalia, juste disposuit; et princeps juste dedit Ecclesiæ; et Ecclesia licite digneque suscepit.

Ego autem, ut de sensu meo loquar, utrum Deo magis placeat gloria et exaltatio Ecclesiæ, quæ hoc tempore est, aut humiliatio quæ primitus fuerat, confiteor me ignorare. Videtur multis quidem primus ille status sanctior; iste felicior. Assentio autem matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, quæ fundata est supra petram, id est Christum; credo quod credit; sentio quod sentit; æstimo possidenda quæ possidet. Quod enim Ecclesia nullo errore decipi possit, inde credendum est quia portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Quod autem fides ejus manet in æternum, inde credendum est, quia dixit Christus : *Ego pro te rogavi*, Petre, *ut non deficiat fides tua* (*Luc* XXII, 32). Cætera super his quæstionibus, majoribus nostris solvenda relinquimus. Pauca tamen versifice adhuc de Constantino dicemus.

Item de eodem Constantino imperatore, tricesimo quarto ab Augusto.

Rex Constantinus, si scribere vera velimus,
Verus Christicola fuerat sub tempore primo,
Novit et hoc Oriens, occiduusque sinus.
Annis bis denis, rex cum diademate sedit,
Eusebius binis annis tunc papa resedit,
Insuper et mensem, ter quoque quinque dies.
Sub Constantino Sylvester papa notatur,
Fertque, quater senis, minus anno, pontificatum,
Atque decem menses fert, totidemque dies.
Baptizavit eum Sylvester, idemque fatemur :
Arius hunc post hæc corrupit, et inde dolemus;
Schismate namque suo commaculavit eum.
Hoc fuit in villa, quam rite vocant Aquilonam,
Quando rebaptizans fœdaverat ipse coronam,
Scripta Tripartita testificantur ita.
Præsulis Eusebii manibus Nicomediensis,
Turpe tulit lavacrum rex, turpia dogmata sensit;
Tres quoque filioli sic sapuere sui.
Rex Constantinus proceres in fraude Latinos,
Duxit ab Italia flerique coegit Achivos,
Constituens Romam rebus et arce novam.
Transtulit Imperium Græcis, tribuitque favorem,
Dans allenigenis, quem Roma tenebat honorem,
Itala destituens, Græcula regna colens.
Cardinis Imperii tunc partibus enumeratis,
Terna tribus tribuit regalia climata natis,
Tresque tribus jubet his participare datis.
Occiduos primo, Græcos dedit ille secundo,
Ternus habet Babylon, Ptolemaidaque jure rotundo :
Taliter instituit quidquid in orbe fuit.
Ipsis temporibus crux sancta reperta levatur,
Helena sancta fuit, cujus studiis veneratur,
Ut sit nomen latus (5) crux benedicta caput.
Cum Constantino Marcus quoque papa resedit,
Cui binis annis populus Romanus obedit,

(5) F. per hyperbaton : *sit latus ut nomen*, etc.

Digitized by Google

Octo sibi menses adde decemque dies.
Inter Sylvestrum Petrumque dies numerando,
Colligo tercentos, minus uno circiter annos,
Si numerando decem jungo, duosque dies.

De trivus filiis Constantini, scilicet Constantio, Constantino et Constante, tricesimi quinti ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini 341 Constantinus, filius Constantini suscipit imperium, cum duobus fratribus suis, Constantio et Constante, tricesimus quintus, ab Augusto. Iste a quodam presbytero, Arii discipulo deceptus, in Arianam hæresim incidit. Arius eodem tempore ab Alexandro episcopo ab urbe Alexandria, propter suum errorem, erat ejectus. Eusebius autem episcopus Nicomediæ, qui Ariano veneno erat infectus, imperatori Constantino juniori suadet, ut concilium celebretur, et Ario ibi audientia concedatur. Itaque tam Arius quam Alexander ad concilium in palatium Constantinopolitanum vocantur. Ubi Alexander, tota nocte in oratione persistens, causam Ecclesiæ Domino commendabat. Mane facto, Eusebius Arium ad ecclesiam vocat. Qui dum eundo illuc, humanæ necessitatis causa, ad secessum declinat, justo Dei judicio, viscera quibus fetidum errorem portabat in locum fetidissimum evisceratus, per inferiorem corporis meatum emisit et mortuus est.

Fautores Arii cum pudore et confusione fugerunt. Attamen rem gestam imperatori celantes, per eunuchos cæsaris contra Catholicæ fidei doctores insurgunt.

Post paucos dies Alexander moritur. Cui Athanasius est substitutus : qui ferventis ingenii et in negotiis ecclesiasticis vigilantissimus, non solum contra hæreticos subtilis, sed etiam contra imperatorem stetit pro Ecclesia fortisssimus agonista. Cujus virtutes et labores et fructus qui scire desiderat, legat Historiam Tripartitam.

Constantinus, dum contra Constantem fratrem suum bellum informat, juxta Alsam fluvium, non longe ab Aquilegia, a ducibus ejus occiditur. Constantius, occiso Constantino, solus Orientem tenuit; Constans autem tenuit Occidentem. Itaque hæretici Ariani metuentes ne forte, si Athanasius adeundi principem acquireret facultatem, ipsum imperatorem catholica fide ac religione imbueret, ipsi ad imperatorem prius accedentes, circumveniunt eum, mentientes Athanasium esse virum sceleratum et flagitiosum, ostendentes ei manum cum brachio cujusdam Arsenii, quam dicebant Athanasium ad exercendam artem necromanticam, instinctu dæmonum, a corpore ipsius Arsenii abscidisse. Ad hæc jussu Cæsaris synodus apud Tyrum congregatur, ubi Athanasio ducto in causa, astitit prædictus Arsenius, habens utramque manum : quo comperto, hæreticorum mendacia cognoscuntur et ipsi mirabiliter erubescunt. Nec tamen Constantius imperator, et ipsi hæretici a persecutione Athanasii quiescunt ; imo eum ad fratris sui Constantis imperium transire compellunt. Ipse autem ab imperatore Constante satis humane susceptus et honorifice habitus, et in cathedram suam postea potenter remissus est. Mansit autem tunc ibi in Ecclesia Treverorum, cum Maximo ejusdem Ecclesiæ episcopo. In quo loco, fidem Catholicam, scilicet *Quicunque vult*, scripsisse asseritur.

Eo tempore Liberius ab imperatore Constantio in exsilium truditur, et Felix suus diaconus, ei ab hæreticis subrogatur. Inter hunc Liberium et Sylvestrum medius sedit papa Julius. Iisdem temporibus Victorinus rhetor et Donatus grammaticus Romæ clari habentur. Floruerunt tunc in Ecclesia Dei gloriosi pontifices Paulinus Treverensis, qui Maximo successit, Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis et Hilarius Pictaviensis : qui omnes propter testimonium fidei Catholicæ in exsilium tunc missi fuerunt. Ex quibus Hilarius scripturarum suarum variis monumentis Gallicanam Ecclesiam adornavit.

Constans imperator adversus Saporem regem Persarum vario eventu novem prælia gessit. Novissime autem indiscrete congressus, fugit ; et postea in oppido Elenau, juxta Hispaniam, dolo principis, nomine Magnentii, occisus est. Idem Magnentius apud Augustodunum invasit imperium. In Illyrico vero milites quemdam Veteranionem senem creant imperatorem. Constantius interea fratrem intendit ulcisci ; unde Veteranionem senem primo purpuram deponere compulit. Postmodum etiam cum eo acriter dimicavit. Magnentius autem victus apud Lugdunum seipsum occidit ; et frater ejus Decennius, quem ipse in Gallia Cæsarem creaverat, laqueo seipsum suspendit. Cætera de tribus filiis Constantini Magni et de Ario pauca versifice ponimus.

Item de filiis Constantini versifice narratur.

Cum Constantino Constans tenet omnia frater,
Catholicos qui persequitur tota feritate,
Regibus Eusebius Arianista placet.
Contra Catholicos dum disputat Arius arte,
Naturæ secreta petens, divertit ab arce,
Qua male dum crepitat, viscera pressa crepant.
Præsul Athanasius et Hilarius, absque ruina,
Ordine catholico reparant modo dogmata prima,
Ordo quibus cleri catholicandus erit.
Constans cum fratre sedet annis bis duodenis,
Magna salus cleri tunc Marcus papa resedit,
Cujus et Ecclesiis regula dogma dedit.
Hic octo menses et binos perficit annos.
Bisque decem vixisse dies præsul venerandus
Fertur et in populo mira dedisse suo.
Papa sedet Julius Constante sedente beatus,
Undenis Romæ tenet annis pontificatum,
Ter ternos menses papa decemque dies.
Constans cum fratre semper fuit Arianista.
Exsilio Julium papam transmisit ob ista.
Constans morte perit, papa solutus erit.
Nunc quoque grammaticæ summus Donatus in arte,
Hieronymo cum discipulo docet edere Partes,
Nos quoque discipulos condecet esse suos.

Digitized by Google

De Juliano apostata, imperatore tricesimo sexto ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini trecentesimo sexagesimo quarto, Julianus post Constantium suscepit imperium ab Augusto tricesimus sextus. Constantius eum, dum adhuc viveret, creaverat cæsarem; qui prius ab imperatoribus fuerat clericus et lector ordinatus : sed postea a militibus seductus, cingulum militare suscepit.

Julianus a Constantio cæsar creatus, cum de Germanis et Alemanis magnifice triumphasset elatusque de prosperis successibus in quoddam templum intrasset, corona quæ ibi pendebat cecidit forte super caput ipsius; quo viso, milites per hoc signum prædicant sibi imperium a diis auguratum. Hoc itaque augurio et priori prosperitate levatus. Julianus, imperii nomen usurpat, ac fidem Christi omnino contemnit.

Constantius interea contra Persas parat exercitum, sed fraude Juliani compertâ, Romam ad civile bellum revertitur; sed non pervenit, quoniam in ipsa via diem suum clausit, anno sui imperii vigesimo quarto. Julianus igitur augustus creatus, prima fronte quasi facta prædecessorum suorum argueus, præcepit ab exsiliis episcopos revocari; deinde arte potius quam violentia Ecclesias debilitare intentat. Nam quasi religionis intuitu, dicebat clericos a ludis et a militia, postremo ab omni terrena possessione arcendos, tanquam eos quibus lex evangelica dicit: *Nisi* quis *renuntiaverit omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus* (*Luc.* 14, 33): templa paganorum præcipit aperiri; fastigia imperialia * ut coqui, eunuchi, tonsores et cursus publicos equorum et mularum, tanquam philosophus imperat amputari. Lectionibus nocte vigilando atque scribendo, in die vero in senatu scripta suâ recitando operam dabat: unde et philosophos prorsus amplexus, solus post Julium imperator philosophus dicebatur. Scriptis autem suis imperatores et etiam Christianos, admodum lacerabat.

His diebus erant in Ecclesia Dei episcopi religiosi et clarissimi, Miletus Antiochenus, Maris Chalcedonensis, Basilius Cæsariensis, Gregorius Nazianzenus. Ex quibus præfatus Maris episcopus Chalcedonensis, dum Julianus Fortunæ sacrificaret, restitit ei in faciem : qui philosophica moderantia usus suaviter arguit episcopum, his verbis : *Neque Galilæus tuus te potuit a cæcitate curare.* Cui sic respondit Maris episcopus : *Ego pro cæcitate mea gratias ago Deo meo, quia hoc in me propterea factum est, ut te impium apostatam non viderem.*

Item de Juliano.

Julianus, secundum Pythagoram, dicebat in se spiritum Alexandri Magni requievisse. Ipse quoque, ad instar Alexandri, totum orbem sibi subjugare pararat. Qua intentione dum cum exercitu ad expugnandam Persidem pergeret, et in eundo Basilio Cæsariensi episcopo suæque Ecclesiæ minaretur post peractum bellum Persarum in reversione sua mortem inferre, ipse dum in prælio vertitur, telo de cœlo misso penetratur; qui dum telum ab alto contra se venire videret, non corde pœnituit, sed obstinatus Christo improperavit, dicens : *Vicisti Galilæe, vicisti !* Solebat enim Christum semper Galilæum vel Nazaræum vocare.

Legitur autem in Vita sancti Basilii quod Deus sanctum Mercurium, cujus arma tunc in ecclesia Cæsariensi pro memoria ejus pendebant, in prælium ad occidendum Julianum misisset. Nam et ipsa arma, in illa die in ecclesia requisita, ibi non erant; die vero sequenti, in ecclesia more solito sunt inventa, sanguine humano conspersa et tanquam de prælio nuper reversa. Quæ omnia inferius versifice posuimus, ut in eis lector magis delectaretur. Verumtamen quia Porphyrius et Calixtus aliique ipsius Juliani fautores sapientiam, pietatem atque philosophiam ejus prædicant et commendant, et iniquitates ejus silentio prætereunt, nos, qui veritatem sine adulatione vel odio prosequimur, de Juliani flagitiis, subscripta ejus opera nefanda narramus.

Post mortem Juliani, simulacra, magica arte instituta et inventa, Socrates in Tripartita Historia narrat, hæc dicens : *Cumque mortuus fuisset Julianus, et impio pius imperator successisset, ingredientes principes in templum, viderunt mulierem per capillos suspensam, extensas manus habentem.* Cujus uterum aperuerat Julianus, ut in hepate ipsius mulieris inspiceret si de Persis posset victoriam adipisci. Hoc nefas inventum est in loco qui dicitur Carris. In Antiochia vero, plurimas arcas aiunt in palatio fuisse repertas, humanis capitibus plenas, et in puteis multorum submersa corpora virorum, unde et in Antiochia tam Christianos quam paganos in theatris et plateis de morte Juliani sceleratissimi mirabili tripudio præfatus scriptor asserit exsultasse. Jovianus tamen corpus Juliani in Tharso Ciliciæ honorifice sepelivit. Quod corpus, sicut in Vita Sancti Fabiani legitur, rex Persarum, Sapor nomine, jusserat excoriari et de ipso corio, colore coccineo colorato, cathedram sibi ad opprobrium Romanorum parari. Cætera de Juliano versus insinuabunt.

Item de eodem Juliano imperatore versifice demonstratur.

Clericus imperium suscepit apostata Romæ,
Cui Julianus erat baptismatis ordine nomen,
Ille scelus patriæ pravus ubique fovet.
Ipse Hierosolymis jam templa jubet reparari,
Jussit Hebræorum populos hinc inde vocari.
Lege facit Mosis sanguine thura dari.
Sic odio Christi, templum jubet ordine sisti,
Cumque parant templum prisca statione magistri,
Illico Judæis obviat ira Dei.
Templa tremunt, pavimenta ruunt et tigna sub illis
Ignibus e cœlis pereunt exusta favillis,
Exsiliunt lapides, area sola manet,
Igneus extemplo globus est emissus in illos,
Incendens homines, vestes, caput atque capillos,

Digitized by Google

Astantesque viri jure crémantur ibi.

Hæc ne fortuitu mala provenisse putentur,
Signa crucis confixa sibi gestare videntur,
Gestant Judæi corpore signa Dei.

Julianus apostata divino telo necatur.

Rex abit ad Persas, ubi dum pugnare paratur,
Sancti Mercurii mucrone cadens penetratur,
Sicut et his titulis gesta reporto tibi.

Is morte ita præventus, non potuit efficere ea, quæ jam contra patriam divi Basilii, et etiam contra ipsum Basilium decreverat.

Noverat ipse sibi bellum campestre parari,
Ad quod dum properat fertur plerumque minuri
Exitium patriæ Basilioque dari.
« Ibo reversurus, dixit, satagamque redire,
Basilium tunc pontificem mandabo perire,
Et populum pariter me remeante dic. »
Territus antistes populum vocat, atque precatur.
Sancta Dei Genitrix patriam sibi quo tueatur,
Audit et in cœlis verba sonare Dei.
Dixit enim Christus : « Julianum perdite regem ; »
Prorsus enim sanctam satagens disperdere legem,
Imperat ut populi dogmata sancta negent.
« Mittite Mercurium secum pugnare duello ;
Quippe minatus erat, si posset vincere bello,
Perdere tunc populum, Basiliumque meum. »
Ensis in ecclesia clypeusque manere solebat,
Quo bene Mercurius vivens sua bella gerebat.
Nunc ibi nec clypeus nec suus ensis erat.
Hæc quia sic desunt, potuit cognoscere præsul,
Vindice Mercurio, regem fore corpore læsum,
Sicut et audierat voce tonante Jesu.
Interea quidam vir de certamine venit :
Hic ait : « Advenit miles de culmine cœli,
Mercurius, regi vulnera letha dedit. »
Arma per Ecclesiam populus dum bellica quærit,
Sanguine regali poterant conspersa videri,
Quæ medio cleri nemo videbat heri.
Sic per Mercurium Deus interimit Julianum,
In sanctos Domini furiantem more ferarum,
Sicut et in scriptis gesta priora canunt.

Julianus imperator cruorem suum spargit contra cœlum, Christo palmam præbens victoriæ.

Fluxit et a latere validus de vulnere torrens,
Quem manibus cæsar spargebat in aera longe,
Attonitusque magis, dum moreretur, ait :
« O Nazarene, vicisti, magne, minorem.
Ecce triumphanti proprium tibi reddo cruorem. »
Sic miser interiit, tartara regna fovens.

Item de Juliano, quomodo rex Persarum fecit eum excoriari, sicut legitur in Vita sancti Fabiani.

Regis Romani cæsum corpus Juliani,
Persarum rex more boum jubet excoriari,
Cumque sibi corpus protraheretur, ait :
« Hoc corium nunc semper erit nobis ad honorem,
Fiat ut æterno sic Roma subacta pudore,
Legeque mancipii serviat ipsa mihi.
Sit species corii, rubeo vicina colori,
Indeque sit cathedra conformis, et apta decori,
A Unde dolens poterit Roma dolore mori. »
Post annos binos Juliani vita recedit,
Damasus Hispanus tunc Romæ papa resedit,
Annos bis septem qui sibi fine dedit.
Hisque duos menses superadde diesque decenos,
In quibus hæreticos detestatur Manichæos,
Post quoque Siricius papa repressit eos.
Annis quindenis idem quoque papa resedit,
Mensibus undenis Manichæa volumina cædit,
Quos et ab ecclesiis depulit ipse suis.

De Joviano imperatore, tricesimo septimo ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini trecentesimo sexagesimo sexto, Juliano mortuo et milite posito in summo discrimine, Jovianus natione Pannonius,
B vir Christianissimus, votis omnium petitur ad imperium. Qui dum se Christianum esse et ob hoc gentibus diceret se imperare non posse, ipsi se pro ejus amore Christianos esse firmabant.

Jovianus itaque tricesimus septimus ab Augusto imperator creatur. Iste propter pericula Romani exercitus fœdus cum Sapore rege Persarum, Romanis quidem inglorium, sed tempori instanti perutile composuit. Ubi tradito quodam oppido, cum superiori parte Mesopotamiæ, milites caute redeunt; deinde princeps catholicus, episcopos a Constantio in exsilium missos revocavit, templa idolorum claudi præcepit eorumque sacerdotes fugavit.

Post hæc Athanasium episcopum, ut eum Catholica fide imbueret scripto rogavit. Qui, sub sigillo
C et consensu omnium episcoporum Ægypti, scripsit et misit ei fidem Nicænii concilii : id est, *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem*, etc. Has litteras imperator gratanter suscepit et fidem Catholicam edictis imperialibus roboravit; et ut omnes qui sacras virgines raperent, aut violarent, aut qui eas impudice aspicerent capite punirentur mandavit. Postea eum in Antiochia Athanasius vidit et de fide Catholica plenius informavit.

Imperator autem in domo nuper calce delinita, cum essent prunæ appositæ, nocte suffocatus est, ætatis suæ anno tricesimo tertio, imperii sui mense octavo.

Cætera versifice gesta referre placet.

D *De eodem Joviano imperatore, versifice subinfertur.*

Gloria Romulei solii fit nunc Joviani,
Mente Deum colui, nec culmine regnat inani,
Sicut et his titulis fistula nostra canit.
Dum rogat hunc populus Romanum sumere sceptrum,
« Cultor, ait, Christi sum, vobis prorsus ineptus,
Christum credo Deum, vos reprobatis eum. »
Cœtus ait : « Cupimus propter te credere Christo,
Quem dudum reprobasse pudet pro rege sinistro;
Idola despicimus; te duce præsto sumus.
Te decet imperium, ubi nos diadema paramus,
Nos etiam jam Christicolæ te rege notamur.
Suscipe dum petimus te, tibi nosque damus. »
Vita fit ipsius duodenis utilis annis,

Digitized by Google

Congrua Christicolis, multumque nociva tyrannis,
Tunc quoque Siricii præsulis hora fuit.
Annis Siricius ter quinque sedere notatur,
Mensibus undenis plus temporis annumeratur,
Insuper et vitæ ter dedit octo dies.

De Phoca cæsare, tricesimo octavo ab Augusto.

Phocas ter denis feliciter imperat annis,
Cum quo tres papæ Romæ fuerant venerandi,
Primus Anastasius præfuit ille pius.
Annis hic binis sub Phoca cæsare vivit,
Ad cathedram Petri post Innocentius ivit,
Annis ter quinque præsul et iste fuit,
Atque duos menses viginti quinque diebus,
Tertius est Zozimus sub Phoca cæsare præsul,
Viginti menses fert totidemque dies.

De Valentiniano imperatore, tricesimo nono ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini trecentesimo sexagesimo septimo, Valentinianus cum fratre Valente, natione Pannonius, stirpe mediocri oriundus, animi vero et corporis magnitudine commendabilis, et moribus urbanus, ab Augusto tricesimus nonus, consensu militum in Nicæa sumpsit imperium. Iste, dum Julianus augustus templum ingrediens Fortunæ sacrificaret, ministrum sacrificii pugno percussit; propterea Julianus, cui talia displicebant, eum a militiæ dignitate removit. Deus autem justus Judex, qui dixit: *Centuplum accipies*, pro militia ei reddidit imperium.

Valentinianus Valentem fratrem suum elegit ad imperium. Anno imperii sui quarto, Gratianum filium suum fecit imperatorem.

Eodem tempore apud Atrebatas, vera lana cum pluviis mista visa est e nubibus descendisse. Valentinianus Auxentio Mediolanensi defuncto, convocata episcoporum synodo, suadet alium ordinari, ubi Ambrosius præsens, adhuc catechumenus, ab omnibus postulatur. Unde imperator, eum baptismi gratiam primitus consecutum, præcipit presbyterum ordinari. Interea imperator Valens, cum primitus Catholicus esset, suasu Eudoxii episcopi Constantinopolitani, et ab uxore propria seductus, incidit in hæresim Arianam, et ad hoc jurejurando se alligavit atque a præfato episcopo Ariano est iterum baptizatus.

Eo tempore Valentinianus fortissimam gentem Saxonum, Francorum terminos invadentem, bello repressit. Ipse autem imperii sui anno undecimo, apud Brictionem oppidum, diem obiit. Cætera de Valentiano versus habent.

Item de Valentiniano versibus enarratur.

Imperat ecce Valens cum fratre Valentiniano,
Gothorum socii fiunt sub dogmate vano,
Arianista suis cæsar uterque fuit.
Hos mala Gothorum lex, legibus auxit eorum,
Istria rura colunt, maculant diadema decorum,
Exspoliant patriam, diripiuntque forum.
Annis undenis vixisse Valentinianum
Scribimus et fratris annos quasi quinque notamus:
Hæreticos ambos dicimus atque malos.

Nunc Cœlestinus ter ternis præsidet annis,
Adjicitur mensis, bis quinque dies numerandi,
De quibus in serie demitur una dies.
His quoque temporibus stat Xistus papa secundus,
Annis ter denis viget ejus dogmate mundus,
Plusque decem residet præsul et octo dies

De Valente imperatore, quadragesimo ab Augusto.

Anno ab Incarnat. Domini 373, Valens, quadragesimus ab Augusto, Orientis rexit imperium. Gratianus autem et frater ejus junior Valentinianus in Occidente regnabant. Valens itaque, ut diximus, Arianus, legem dedit ut monachi ad militiam cogerentur. Unde multi monachi per Ægyptum, terreni regis contemnentes imperium, martyrio coronantur.

Valens per artem necromanticam perscrutatur quis post eum sit regnaturus, arte dæmoniaca sunt ei litteræ istæ quatuor demonstratæ. th. e. d. a. Ipse autem ab illo die, omnes quos istas litteras in capite nominis potuit reperire, præcepit occidi. Unde factum est ut Theodosius comes, pater Theodosii, qui postea imperium tenuit, ab eo præciperetur occidi. Qui prius baptismi gratiam apud Carthaginem consecutus, percussori sponte jugulum præbuit. Interea Gratianus imperator Catholicus apud Argentarium Galliæ oppidum, cum pauco Romanorum detrimento, triginta millia Alemanorum bello prostravit.

Eo tempore controversia oritur in regno Gothorum, inter Phridigernum et Athalaricum. Phridigernus cum esset debilior, ab imperatore Valente auxilio impetrato, Athalaricum in fugam convertit. Unde Phridigernus, amore Valentis imperatoris cum gente sua fidem Arianam suscepit.

Gothicæ litteræ hoc tempore fuerunt inventæ.

Eo tempore Gulfias [Ulphilas] Gothorum episcopus, litteras Gothicas adinvenit et per eas in suum idioma Litteras divinas convertit. Non multo post, tempore Gothorum elapso, gens terribilis Hunnorum advenit, quæ gens, secundum scripta Jornandis, ipsorum interpretis et actoris, ex incubis et meretricibus est procreata, infra Mæotidas Paludes, quæ sunt in confiniis Asiæ et Europæ. Hæc gens, conductu unius cervæ transmeantis, transivit inaccessibiles prius illas paludes. Ubi usque adeo gentem Gothorum perterruit, ut rex Gothorum Hermanaricus, qui multas jam gentes devicerat, timore Hunnorum seipsum interfecisset, anno ætatis suæ 110. Gothi post mortem regis sui Hermanarici, animo fracti, a Valente imperatore petunt habitationes, quas imperator eis largitur in Thracia; ubi Gothi a quodam duce ad convivium dolo invitati, cum ipsi priusquam venirent dolum præsensissent, eos omnes qui eos invitaverant morte consternunt et, tota ipsa regione igne ferroque destructa, diffunduntur ubique. Contra quos Valens procinctum parans, ab Antiochia movens, pœnitentia ductus, episcopos catholicos præcepit ab exsilio revocari. Pugna in Thracia inter Gothos et Romanos conse-

Digitized by Google

ritur. Ubi dum Romanus fugit exercitus, imperator Valens, sagitta sauciatus, in cujusdam parvissimæ villulæ casam fugit, ut latens vitam reservet. Quem insequentes Gothi, simul cum casa, igne consumunt, anno imperii sui decimo quinto; post mortem vero fratris sui anno quarto, Mortuo Valente, Gratianus qui cum eo regnabat, cum fratre suo Valentiniano juniore tenet imperium.

De Gratiano imperatore, quadragesimo primo ab Augusto.

Cæsar Romanus diadema tenet Gratianus,
Tunc erat Ambrosius sub Christi dogmate clarus,
Martini Turonis exstitit ampla salus.
Qui cupit Ambrosii per dogmata sanctificari,
Qui sibi Martini miracula vult numerari,
Non ego suficio, viderit ille magis.
Anni bis ternis vixit cæsar Gratianus,
Tunc Pontianum papam vixisse notamus,
Hunc annis quinque menseque, stare patet.

De Theodosio imperatore, quadragesimo secundo ab Augusto.

Anno ab Incarnat. Domini 383. Gratianus (est autem Gratianus ab Augusto quadragesimus secundus) volens reipublicæ suo tempore subvenire, Theodosium, natione Hispanum, virum fortem et religiosum, purpura induit, et imperatorem Orientis creavit. Theodosius tam virtute quam prudentia gentem Gothorum devicit; et Athalaricum regem Gothorum Constantinopolim ad se vocavit. Ibi tunc Athalaricus obiit. Gens autem Gothorum, visa mansuetudine principis, voluntarie seipsam imperio Romano supposuit. Theodosius Arcadium filium suum socium imperii elegit.

Gratianus a Maximo in Britannia imperium usurpante, occiditur; et frater ejus Valentinianus ab Italia fugatur, qui ad Theodosium veniens, benigne receptus est.

Anno ab Incarnatione Domini trecentesimo octogesimo octavo, Gratiano interfecto, Theodosius quadragesimus primus ab Augusto imperium Romanum solus obtinuit.

Erant tunc in Ecclesia Dei viri sanctissimi, Martinus Turonensis episcopus, Ambrosius Mediolanensis, Severinus Coloniensis episcopus, Hieronymus presbyter, Augustinus catechumenus, a beato Ambrosio tunc baptizatus.

Theodosius contra prædictum Maximum tyrannum movens exercitum, in partibus Aquilegiensium occidit eum. Deinde cum filio suo Honorio parvulo, Romam venit, ibique rempublicam ordinavit. Valentiniano regnum Occidentis reliquit. Ipse autem Constantinopolim remeavit.

Porro Valentinianus, dum in Galliam revertitur, fraude cujusdam Arbogasti et Eugenii (ut quidam asserunt), laqueo est suspensus. Eugenius ab Arbogasto imperator ibi creatur. Quidam dicunt, Valentinianum præ nimio dolore hoc genus mortis sibimet intulisse. Morte Valentiniani comperta, Theodosius in Eugenium tyrannum parat exercitum. Tunc etiam scripsit in Ægyptum ad Joannem monachum, Eutropium eunuchum, et eventum rei a viro ipso sanctissimo requisivit. Cui vir beatissimus, plenam victoriam promisit. Theodosius, confisus in Deo, pergit, et Gothos contra tyrannos ante se præmittit. Quorum decem millia ab Arbogasto interimuntur: procedit imperator, et cum in Alpibus hostibus occurrisset, ibique Arbogastus in eminentiori loco positus, ut meliorem pugnandi opportunitatem videretur habere, Theodosius tota nocte prostratus in precibus, mane in Domino confisus, congreditur et gloriose triumphat. Ibi Eugenius captus occiditur. Arbogastus interfecit seipsum. Theodosius autem rebus omnibus bene dispositis, anno undecimo post mortem Valentiniani, apud Mediolanum vitam finiens, in Domino requievit. Cætera de Theodosio versibus explicamus.

Item de eodem Theodosio imperatore, versifice narratur.

Fulget Theodosius diademate post Gratianum,
Concilium relicit Constantinopolitanum,
Arius insanus spernitur ore, manu. [sant,
Fanaque templa ruunt nunc prorsus, et idola ces-
Aria scriptura perit, igne manuque repressa,
Dogmata Catholica cæsaris aula parat.
Vixit Theodosius annis quasi bis duodenis,
Atque duos ultra Lucius tunc papa resedit,
Tres annos vivit, mensibus octo sibi;
Insuper adde decem pro ratione dies.
Constantinopoli fertur caput esse Joannis,
Scriptaque Hieronymi, quæ multis contulit annis,
Bethlehemita domus misit in omne solum.

Item de Theodosio et Arcadio imperatoribus.

Arcadius cum Theodosio diademate fulget,
Ecclesiæ nunc Catholicæ censura resurget,
Ordo bonus cleri nunc caput orbis erit.
Scribitur Arcadius annis quater octo sedere,
Cornelius papa tres annos fertur habere,
Insuper adde decem de ratione dies.
Fama Joannis tunc claruit anachoretæ,
Ut foret audita defunctis reddere vitam,
Constantinopoli sunt sua membra sita.

De Arcadio et Honorio fratribus, imperatoribus, simul regnantibus, quasi quadragesimus tertius ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini 390, Honorius Occidentis, et frater ejus Arcadius Orientis, post mortem patris sui Theodosii sortiuntur imperium, ab Augusto quadragesimo tertio loco; adhuc Damaso papa Romæ, Theophilo in Alexandria, Joanne Hierosolymis, Flaviano Antiochiæ, et Nectario Constantinopoli præsidentibus.

His diebus quidam monachus, nomine Dirimachus, ab Oriente Romam veniens, dum ludum gladiatorum tanquam insaniam sedare voluisset, a circumstantibus est lapidibus obrutus et necatus. Quo comperto, Honorius imperator eum inter beatos martyres censuit computari; et pro eadem cau-

Digitized by Google

ca, ludum gladiorum, ne amplius sic fieret, interdixit.

De Joanne Chrysostomo.

Eo tempore Joannes Chrysostomus, qui interpretatur *os aureum*, apud Constantinopolim episcopus est ordinatus. Temporibus Honorii et Arcadii, viri sanctissimi Martinus et Ambrosius de hoc sæculo migraverunt.

Gothi, cum ab imperatoribus munera quæ tempore Theodosii accipere consueverant, habere non possent, consilio Ruffini patricii, discedunt à curia, et regem sibi creant. Ruffinus postmodum detectus, propter commissum dolum, ante portas urbis Constantinopolis decollatur : caput ejus cum manu et brachio ejus dextro, ad improperium et ludibrium per omnes vicos urbis circumfertur. Arcadius vir mitis et quietus, anno decimo quarto post obitum patris sui Theodosii, vitam finivit, et imperium Orientis filio suo octenni Theodosio reliquit, Anthemio præfecto tunc ipsum puerum regente. Ipse etiam Anthemius muro fortissimo regalem cinxerat urbem. Cætera de Honorio et Arcadio versus habent.

Item de Arcadio, et Honorio imperatoribus versifice narratur.

Cæsar Honorius imperat omnibus Arcadiusque,
Magnus in Epiro legitur tunc signa dedisse
Præsul Donatus, forma beata Patrum,
Namque sputo datur ille suo superasse draconem,
Exspuit in faciem serpentis, ea statione,
Ut sibi nec virus, nec modo vita foret.
Ponderis in carne serpens datur hic habuisse,
Quod satis octo boum juga ducere non potuissent,
Tunc Augustini dogmatis hora fuit.
Nunc veniunt Hunni, Gothi, veniunt et Alani,
Væ fuit Hispanis, Gallia pressa cadit.
Tempore quindenis tunc vixit Honorius annis,
Simplicius papa totidem tunc vixerat annis,
Addeque plus septem de ratione dies.

Honorius, defuncto Arcadio, imperat solus, quadragesimus quartus ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini 412, defuncto Arcadio, Honorius ab Augusto quadragesimus quartus tenet imperium Occidentis. Gothi cum rege suo Alarico, dum Honorius esset Ravennæ, per Dalmatiam et Venetiam digressi, in confinio Æmiliæ castrametantur; terram ad inhabitandum superbe ad imperatores poscentes. Addunt etiam, quia si gratis habere non possent, ipsi ultro tollerent. Imperator accepto consilio, terram circa fines Hispaniæ, quæ tunc imperio erat rebellis, tradidit eis. Ad quam possidendam dum Gothi proficiscuntur, Stilicus patricius, socius Honorii, eos fraudulenter insequitur, prælioque cum eis commisso, militem perdit : ipseque aufugit.

Hac de causa Gothi ad iram permoti, ad Æmiliam unde venerant, subito revertuntur; totaque ipsa provincia igne ferroque vastata, ad urbem Romam procedunt; quam etiam trepidantem irrumpunt, datisque præceptis, ne ecclesiæ violentur, aliquantis Urbis partibus concrematis, prædam mirabilem tollunt. Interea papa Innocentius, ne pœnas ipsius Urbis aspiceret, tanquam Lot justus remotus a Sodomis, Ravennæ morabatur.

His diebus pagani improperabant Christianis, dicentes : Romam temporibus paganorum crevisse, Christianorum autem tempore decrevisse, eique propter Christianitatem insolita pericula imminere. Ob quam causam, beatus Augustinus tunc composuit librum De civitate Dei. Orosius tunc historias suas texuit. Hieronymus ecclesiasticam historiam ab Eusebio episcopo Cæsariensi compositam transtulit.

Hæc autem tam terribilis irruptio Urbis facta est per Alaricum regem Gothorum, anno ab Urbe condita, millesimo centesimo sexagesimo quarto; anno autem ab Incarnatione Domini quadringentesimo decimo quinto. In eadem præda Wandalorum, soror Honorii, Placidia, capta est, quam Ataulphus postea est in matrimonium sortitus.

Interea quidam princeps Constantinus imperium Galliarum invadens, Constantem filium suum, monachum, cæsarem fecit. Sed paulo post, pater apud Arelatum, filius vero apud Vienam, regno vitaque privantur.

Gothi autem Romanorum victoria glorificati, per Campaniam, Apuliam et Siciliam, in Africam ire proponunt. Cumque in confinio Brictiorum incaute sese mari committunt, multos ex sociis perdiderunt. Rex Alaricus eorum, tunc ultimum diem clausit; quem Gothi intantum luxerunt, ut amnem nomine Barentum, juxta civitatem Cosentiam, de alveo derivarent; ipsoque rege Alarico cum multis militum copiis ibi sepulto, omnes captivos, qui hujus facti conscii erant, occiderent, et postea amnem ad suum alveum revocarent. Gothi propter mortem Athalarici redire proponunt, atque Ataulphum regem sibi creantes, Romam redeunt, ibique ea quæ reliquerant, depopulantur. Ataulphus vero rex Gothorum, amore uxoris suæ Placidiæ, quæ erat soror Honorii imperatoris, a finibus Romanorum discedit, et in Gallia prope civitatem Narbonensem, ubi hodie villa Sancti Ægidii dicitur, in loco qui usque hodie palatium Gothorum vocatur, consedit, supra Rhodanum fluvium; a quo loco per Constantium comitem postea pulsus, in finibus Hispaniæ cum Gothis resedit.

His diebus sub Innocentio papa, corpora sanctorum Stephani protomartyris, et aliorum sanctorum revelata sunt Luciano presbytero, sub Joanne episcopo Hierosolymitano. Non multo post tempore, sub Bonifacio, qui Zozimo successori Innocentii fuerat substitutus, Hieronymus presbyter obiit, anno ætatis suæ XCI in Bethlehem. Defuncto papa Bonifacio, Cœlestinus sedit in Urbe. Hucusque Orosius Chronica sua perduxit.

Honorius imperator tricesimo primo imperii sui anno (quorum annorum, duos cum patre, tredecim cum fratre, reliquos cum filio fratris sui regnaverat) Romæ obiit.

Digitized by Google

De Honorio et Theodosio imperatoribus, versifice.

Rursus Honorius et Theodosius imperat aula,
Gothica pessima gens rapit omnia flumine Sauna,
Wandalus Hispanos opprimit ense malo.
Occupat, et captam violat gens Gothica Romam,
Destruit ecclesias, torpescit in Urbe corona,
Omnia diripiunt quæ valuere bona.
Rex triginta tribus Theodosius imperat annis,
Tunc non pervixit præsul Sisinnius annum,
Præstat parva decem vita duosque dies.

Item de Theodosio juniore imperatore, quadragesimo quinto ab Augusto.

Anno ab Incarnat. Domini 426, Theodosius junior, quadragesimus quintus ab Augusto, patruo mortuo solus habet imperium. Hujus virtutes in Tripartita Historia, omnibus suis prædecessoribus præferuntur. Inter quas et hæc commemoratur, quod, ad instar Alexandri Magni, dum in exercitu fervore solis, et pulveris, atque itineris nimietate fatigatus, nimia siti laboraret, poculum aquæ jucundissimum sibi oblatum, nè ipse præ aliis solus haberet potandi refectionem, bibere recusavit.

Tempore istius floruerunt Joannes Cassianus eremita, qui collationes, id est Vitas Patrum conscripsit. Et sanctus Germanus Altisiodorensis episcopus.

Hucusque Theodoricus episcopus, et Socrates, et Sozomenus viri disertissimi, historias produxerunt; quæ postmodum in unum volumen redactæ, et a Cassiodoro senatore, per Epiphanium Scholasticum, a Græco in Latinum translatæ, a tribus memoratis auctoribus Tripartitæ Historiæ sunt nominatæ.

Tempore istius imperatoris Theodosii junioris, Wisogothi, id est Australes Gothi, habitabant in Galliis. Ostrogothi vero, id est Occidentales Gothi, ex quibus Avares, id est Ungari, Pannonii et Longobardi descenderunt, transeunt Danubium. Ostrogothi prius in Pannonia fuerunt commorati, postea in Thracia per XLVIII annos habitaverunt; deinde ad Occidentem venerunt.

Wandali autem sociatis sibi Germanis, cum duce Modigisilo, Hispanias occupaverunt.

Eo tempore Bonifacius comitatum Africæ ab imperatore accepit; qui in Hispaniam transiens, Wandalis totam Africam subjecit; qui universam terram vastantes, urbem Hipponensem, cui tunc præerat beatus Augustinus, obsidione præcingunt. Beatus autem Augustinus, ne urbis suæ videret excidium, migravit ad Dominum, ætatis suæ anno septuagesimo sexto. Romani autem tradentes Wandalis tertiam partem Africæ, pacem cum eis fecerunt. Rex autem Wandalorum Gensericus Arianus, Christianos affligens, episcopos in exsilium misit; et invadens Carthaginem, multis divitiis et ornamentis ecclesiasticis spoliavit.

Anno imperii Theodosii junioris tricesimo, terræmotus horribilis Constantinopoli fuit; propter quem ibi divinæ commutationis cantatum est primitus: Ἅγιος ὁ Θεὸς ἰσχυρὸς, ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς: Hoc est, A *sanctus Deus, sanctus, fortis, sanctus, immortalis, miserere nobis.* Hoc canticum dum a toto populo, cum Proculo suo episcopo caneretur, illico terræmotus cessavit: unde ab imperatore, et sorore ejus Pulcheria, tunc præceptum est promulgatum, ut hoc canticum per totum orbem de cætero caneretur.

De Attila, et ejus origine.

His diebus Attila Hunnorum rex, occiso fratre suo Bleda, Thraciam et Illyricum cœpit vastare. Cui Theodosius, datis septem millibus libris, promissis etiam singulis annis mille libris, a suis finibus exire persuasit: ipse vero Theodosius, paulo post apud Constantinopolim diem suum finivit, XLI imperii sui anno; anno autem post mortem patrui sui vigesimo sexto. Cætera de Theodosio isto versus B narrabit, et alia sibi contemporanea.

De eodem Theodosio imperatore, versifice narratur.

Theodosio solo regnum retinente minore,
Transit ab Hispanis gens Vandala plena furore,
Africa conteritur, totaque capta dolet.
Catholicus fuerat populus qui dicitur Afer,
Afrorumque fidem subvertit Vandalus acer,
Unde fides Christi pauca remansit ibi.

Quomodo diabolus apparuit Judæis in specie Mosi

Sub specie Mosi loquitur nunc dæmon Hebræis,
Devote qui suscipitur satis a Pharisæis,
Qui dare dona Dei pristina spondet eis.
Insula Creta fuit, cui prædicat ille futura,
Omnia quæ narrat, promittit eis valitura,
Spondet eis patriam conciliare suam. C
Per mare transite, sicco pede (dixit) abite.
Atque Hierosolymam, me præveniente, redite.
Omnia quæ scribi vultis, habetis ibi.
Cumque per æquoreos fluctus conducit Hebræos,
Turba simul sequitur, spes magna fovet Pharisæos.
Impetus æquoreus quam cito claudit eos.
Parsque reservata, quam non maris obruit unda,
Fit cito Catholica Christi baptismate munda,
Cætera quæ periit piscibus esca fuit.

De Martiano et Valentiniano imperatoribus, quadragesimis sextis ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini 453 Martianus consilio Pulcheriæ sororis Theodosii jam defuncti, XLVI, ab Augusto, imperium Orientis suscepit; adhuc regnante Valentiniano in Occidente, qui erat XLV, ab Augusto. Martiano igitur et Valentiniano imperatoribus, Attila rex Hunnorum, subjugatis sibi fortissimis gentibus Ostrogothorum, et Gepidarum, allisque diversis populis, totam Macedoniam, Mysiam, Achaiam, et Thraciam pervagatur. Odiebat autem Attila Romanos, propter antiquam eorum dignitatem. Odiebat etiam Wisogothos, propter eorum fortitudinem; utrosque etiam opprimere intendebat. Sed ambas gentes simul invadere, Romanos scilicet, et Wisogothos, non volebat; timebat enim ne adversus eum utrique sociarentur, unde et eos per suam versutiam ab invicem sejungere, et in alterutrum concitare conabatur. Proinde Valentiniano

Digitized by Google

Romanorum imperatori in dolo scribebat, se contra Romanos agere nolle, sed contra Wisogot' os. Scribebat etiam Wisogothis, nihil contra eos agere, sed contra Romanos.

Eutius autem tunc patricius Romanorum, fraudem Attilæ prægnoscens, Theodorico regi Gothorum ex persona Valentiniani imperatoris scribit monens diligenter, ut contra Attilam immanissimum tyrannum, totius orbis invasorem, ipse cum Romanis conveniret. Igitur Attila indicit Wisogothis bellum. Wisogothi autem per legatos rogantes Romanos, Eutium patricium accipiunt in auxilium. Hic Eutius autem, ascitis sibi Francis, et Sarmatis, et Burgundionibus, Saxonibus, Ripariolis, Brionibus, multisque Celticis ac Germanicis nationibus, Wisogothis succurrit.

Attila vero cum Aldarico rege Gepidarum, et Vialamire rege Ostrogothorum, innumerisque regum nationibus movet procinctum. Itaque in campis Catalauniæ uterque exercitus sedet. Attila in interioribus visceribus pecorum per Pythones eventum rei perquirit; seque vincendum intelligit. Sed ex altera parte principem omnium potentiorem esse casurum, in fœdissimis præsagiis auguriisque præsensit. Attila pugnam aggreditur, Romani tunc eminentiorem locum habebant. Itaque ab hora nona usque in noctem, acerrimum bellum protenditur. Theodoricus autem rex Wisogothorum, sicut Attila in auguriis præviderat, in bello occubuit. Attila vero in fugam versus, victum se prodidit, sed noctis beneficio potuit occultari. Mane facto, Wisogothi regem suum requirunt; sed mortuo invento, iterum in hostes irruere cum Thurismundo filio regis occisi disponunt.

Eutius autem patricius, timens, ne forte, si Hunni penitus delerentur, Gothi extunc in nimiam gloriam elevati, Romam opprimerent, dicit ad Thurismundi filium Theoderici : Si fratres tui mortem regis cognoverint, regnum invadent. Tu ergo velociter domum revertere, ne in solio regni debeas a fratribus præveniri. Taliter a patricio seductus juvenis, relictis hostibus, domum festinanter abivit. Deprehensum est postea quod Attila, viribus suorum destitutus, de subselliis suorum ignem sibi magnum præparaverit. In quem, si in eum hostes irruerent, volebat immergi. Refert eorum scriptor Jornandes quod in eodem famosissimo prælio ceciderint 165,000, ex utraque parte; exceptis 152 millibus, qui in congressu Francorum et Gepidarum priori nocte corruerunt.

Thurismundus, occiso Theodorici regis filio, a suis rex creatus, consilio Eutii patricii Tholosam civitatem suam ingreditur.

Attila recedentibus Wisogothis, securus jam factus, versus Romam iter convertit, et in via obsidione cingit urbem Aquilegiam, metropolim Venetiarum. Quam longo tempore obsessam, cum vincere eam se posse non crederet, atque de recessione jam cogitaret, quadam die circa muros urbis deambulans, videt ciconias pullos suos parvulos ex nidis extra civitatem portantes. Ubi advocans milites ait : « Istæ « aves futuram civitatis cladem perpendunt, pro« pter quod etiam filiolos exportaverunt. » Hæc aiens, milites ad eversionem loci fortius animavit. Unde instructis machinis variisque tormentis, urbem repente devicit, et usque adeo desolavit, ut prioris formæ ædificii vestigia non valeant inveniri. Asserunt multi quod urbem vacuam invenerit, quia cives per mare, quod est eis contiguum, reliquias sanctorum in Venetias, cum omni supellectile, navigio detulerunt. Ibique deinceps perpetuo habitantes, Veneti, quasi advenæ sunt nominati. Unde inter Gradenses, qui priores ipsius loci habitatores, et Aquileienses, de patriarchatu usque hodie controversia versatur.

Exercitus Attilæ ibi tantus fuit, quod suis clypeis aggerem ad similitudinem rotundi montis, ob futuram memoriam Attilæ, comportavit. Alii vero dicunt eum per cæsarem Julium fuisse congestum. Ego Gotfridus montem illum vidi meis temporibus bene munitum et inhabitatum.

Attila postmodum talibus elatus eventibus, omnes Venetias circumeundo vastavit. Atque in Liguriam procedens, Mediolanum et Papiam crudeli animadversione depopulatus est. Attila de Liguria tendit Romam, cui Leo papa longe occurrit; et, ne Urbi noceat, precibus impetravit. Illud etiam Attilam ab Urbis accessu maxime refrenavit, quod Alaricus, prior rex Gothorum, postquam Romam exspoliavit, subitanea morte decessit. His itaque de causis Attila frenum retro convertit, et ad propria remeavit.

Interea Valentinianus, virtutem Eutii præfecti æmulatus, eum cum Boetio senatore, præcepit occidi. Eapropter et ipse paulo post ab inimicis est interfectus, anno imperii sui tricesimo. Quo mortuo, Maximus uxorem ejus Eudoxiam sibi copulavit, et imperium usurpavit. Deinde Gisericum regem Vandalorum ad Urbem vocat. Romani, Vandalorum adventu perterriti, ulciscuntur in Maximum, eumque necantes in minutissima frusta decidunt. Ipsi autem metu Vandalorum fugientes, Urbem relinquunt.

Gisericus rex, Urbem quasi vacuam ingreditur; papa Leo ingredienti occurrit in porta, eumque ab incendio Urbis, et occisione civium abstinere precatur. Rex barbarus Urbem ingressus, omnem prædam rapuit, Eudoxiam cum duabus filiabus abduxit; atque per dies xv in Urbe moratus, ab incendio et occisione civium abstinuit, sicut papa rogavit. Facta est hæc secunda ab Alarico Romanæ urbis captivitas, per violentiam Vandalorum, anno ab Urbe condita 1214. Postea Gisericus filio suo Transmundo filiam Valentiniani principis in matrimonium copulavit.

Attila vero ab Italia in patriam reversus, nuptias celebrat, et eadem nocte per fluxum sanguinis de naribus inebriatus exspirat. Iste est Attila, metus orbis, flagellum Dei, superbus incessu, oculos furiosos circumferens, amator belli, manu prop[illegible]ia temperatus, consilio validus, supplicantibus exora-

Digitized by Google

bilis, propitius cunctis in fide receptis : forma brevis, pectore lato, minutis oculis, capite grandiore, rara barba, canitie conspersus, simus naso, colore tetro.

Undecim millium virginum tempus et martyrium.

Auctor Jornandes scribit, in exercitu ejus fuisse quinquies centum millia. Attila undecim millia Virginum apud Coloniam simul martyrio coronavit. Nicasium episcopum Rhemis occidit. Martianus imperator paulo post a suis fraude necatur, anno imperii sui septimo.

Item de eodem Martiano imperatore, versifice narratur.

Nunc cæsar Martianus stetit ordine primus,
Nunc rex Gothorum dat prælia Theodericus,
Quem timet Italicus pro feritate situs.
Obtinet Hispanos, belloque premit Catalanos,
Siciliæque Pharo posuit tentoria pravo,
Omnia diripuit vulnere, Marte, manu.

De papa Leone.

Sex annis Martianus vixit numerandis,
Primus papa Leo viginti præfuit annis.
His menses denos jungite, bisque duos.

De Simplicio papa, et Felice.

Simplicius Romæ post primum papa Leonem
Suscipit Ecclesiæ digne recolendus honorem,
Annos quindenos vita beata fovet.
Adde dies septem, quibus hic non vixit inepte.
Felicis papæ post annos exprime septem,
Undenos menses, octo decemque dies.
Tempore Felicis fuerat rex Theodericus,
Impius, impatiens, Gothorum ductor iniquus,
Nomine Christicola, re scelerosus erat.

De Gelasio papa.

Gelasius papa stat tempore Theoderici,
Et sub Zenone Gothorum dogmata vicit,
Annis bis binis, mensibus octo fuit.
Ter ternosque dies detulit ad requiem.

De Leone Bissa Græcorum imperatore, quadragesimo septimo ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini 440, Leo Bissa apud Constantinopolim Orientis suscepit imperium, XLVII ab Augusto. Qui filium suum Leonem, socium imperii elegit; Occidentis vero imperium Mauro- D nianus apud Ravennam accepit, qui juxta Tastonam civitatem, quarto regni sui anno occisus est. Post hunc Severus sine jussu Augusti apud Ravennam tunc regnum invasit. Qui etiam quarto anno Romæ diem obiit. Leo imperator Zenonem, generum suum, Orienti præfecit. Leo imperator cum Ostrogothis pacem componens, Theodericum filium Theodemari (scilicet Veronensis) de quo Theutonici sæpissime miram narrant audaciam, obsidem recepit cum octo esset annorum. Leo Leonem filium Zenonis generi sui, qui Orientem tenebat, imperatorem fecit. Ipse autem obiit undecimo imperii sui anno. Zeno imperator Orientis Romam veniens, a populo et a senatu gratanter receptus est.

De Zenone imperatore, quadragesimo octavo, ab Octaviano Augusto.

Anno igitur ab Incarnatione Domini 476, Zenon, natione Isaurus, quadragesimus octavus ab Augusto, imperium sortitur. Porro Occidentale imperium, id est Romanum, nepos ejus tenuit. Quo a regno pulso Orestes patricius filium suum, Augustum dicendum, imperatorem Occidentis creavit.

Interea Odoacer, natione Rutenus, ex ultimis finibus Pannoniæ, cum Turcilinguis, et Cyris, et Herulis gentibus, ad invasionem Romanorum movit exercitum. Cui dum Orestes patricius in terminis Liguriæ occurrit, visa manu ejus, perterritus fugit, et in Ticinum se contulit. Quem Odoacer insecutus, capta urbe, occidit, atque inde per totam Italiam milite fuso regium nomen usurpat. Iste Odoacer, a terra sua egressus, dum per inferiores Noricas partes, vel Pannoniæ superiores, transiret, virum Dei Severinum, Ravennatem episcopum, qui verbum Dei prædicans, ad radicem montis cellam construxerat, adiit; eumque de eventu rerum consuluit. Qui spiritu prophetiæ, omnia quæ post evenerunt, ei prædixit.

Augustus (proprium nomen est) prædictus, filius Orestis patricii, patre suo, eodem scilicet patricio, jam occiso, et patria capta ac devastata, imperialem purpuram sponte deposuit, undecimo mense regni sui. Odoacer, jam nullo sibi resistente, urbem Romam ingreditur ut hostis, sibique subjectam tanquam rex ubique disponit. Postremo, tota Italia servitio suo per quatuordecim annos mancipata fuit, et tanquam dominus eam gravi servitute depressit. Cætera de Zenone versus habent :

Item de Zenone imperatore, versifice narratur.

Zeno pater patriæ dum regna paterna teneret,
Inclytus ejus erat Leo filius, unicus hæres,
Militia validus, prælia sæpe gerens.
Ille necem quæsisse patris; falso reputatur,
Zeno pater cui dicta patent, jubet ut moriatur,
Mater ab oppositis obviat arte satis.
Carcere detento mater tristissima nato,
Curat ei similem juvenem supponere fato;
Filius evadit clam, sed ille cadit.
Æstimat ergo pater morti succumbere natum,
Servat eum mater, ficta specie monachatum,
Annis ter quinis clausus habetur ibi.
Filius ipse Leo vulgi ratione vocatur.
Præcipitur : quicunque Leo dictus moriatur,
Permanet edictum cum feritate ratum.
Annis quindenis dum sic Leo clausus habetur,
Astrologus cum grammaticis satis arte docetur,
Philosophus juvenis totus in arte fuit.
Nutrit avem mater, humano more loquentem,
Plangere quæ didicit juvenem, cum matre dolente:
Heu! Leo, mi nate, gloria nostra jacet.
Victima paschalis Zenone sedente paratur,
Psittacus in medio plangit, luctus renovatur :
Heu, Leo, dixit avis, cur Leo nate peris?
Claro sermone dum nominat ipse Leonem,

Digitized by Google

Corda ducum pietate movet, renovatque dolorem,
Et regina sedens, plorat ut ante solet.
Zeno miratur, cur turba ducum lacrymatur
Quærit, et iratus, quæ causa, quis ille reatus,
Qui modo primatum turbat utrumque latus?
Mater ait: Cognosce magis, te Zeno timeri,
Cur plorat, cur turba dolet, timet ipsa fateri,
Noscere si mavis, jam tibi narrat avis.
Zeno refert, tu (quæso) mihi monstra rationem,
Quem juvenem deplorat avis tua, quemve Leonem;
Viscera namque mea psittacus iste movet.
Edictum quod protuleras (ait illa) recedit,
Te solum, si forte velis, sententia lædit,
Esse mihi licitum dicere, Zeno dedit.
Nosce tuum natum falso damnasse relatu,
Vivere monstratur qui creditur esse necatus,
Tu pater, hic natus, me genitrice, datus.
Pulchrior est Venere, sapiens, validissimus armis,
Summis principibus charus, spes unica parvis,
Quem decet imperium jam retinere tuum.
Si cupis ergo duces paschalia festa tenere,
Me mihi, vel tibi te lætum si quæris habere,
Ablue peccatum, rem pietate gere.
Esto pater, feritate carens, serva rationem,
Mitte, pater, natum diguare vocare Leonem,
Ipse Deus jubet hoc, curia tota monet.
Cessat ut illa loqui, primatum curia surgens,
Dat pedibus prostrata preces, regemque perurgent,
Tum prece, tum lacrymis, gaudia ferre suis.
Motus ad ista pater, dum curia tota rogaret,
Esse mihi natum, dixit, non ipse putarem,
Sileo nunc, vivit, opto petita dare.
Annis bis denis, Zenonis gloria sedit,
Alter Anastasius tunc Romæ papa resedit.
Annus ei spatium solus in orbe dedit,
Undenos menses, vicesiesque diem.
Symmachus est papa cum principe Theoderico,
Sedit et Hormisda sub eodem præsul iniquo,
Nunc et Anastasii cæsaris hora venit.

De Anastasio imperatore, quadragesimo nono ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini 491, post primum regem Francorum Pharamundum, regnabat super Francos Clodovæus, cujus tempore Zeno imperator moritur, anno imperii sui XVII, cui succedit Anastasius XLIX, ab Augusto; conjugem autem accepit Ariadnem.

Regnante igitur Anastasio in Oriente, Theoderico vero Ariano Romam premente, Symmachus et Laurentius pro papatu in Urbe contendunt; cui controversiæ cum effusione sanguinis multorum, tam clericorum quam laicorum, tribus annis protelatæ, Theodericus, synodo vocata, finem imposuit. Nam Symmachum, saniori consilio electum, in papatu firmavit; Laurentium depositum, in civitate Lucerna fecit episcopum. Illis temporibus rex Vandalorum Transmundus, Giserici filius, propter fidem Catholicam CCXX episcopos in insulam Sardiniam exsilio tradidit.

A Ipsis diebus in Africa quidam Olympius Arianus, sedens in balneo, dum superbe blasphemaret in Christum, igneo gladio est de cœlo percussus. Alius quidam cum ab Ariano quodam episcopo baptizaretur, dicente ipso episcopo: « Baptizo te in nomine Patris, per Filium, in Spiritu sancto; » illico aqua tota de fonte disparuit. Hoc viso, is qui baptizandus erat, ad Catholicam Ecclesiam confugit, et baptismum suscepit.

Interea imperator Anastasius Clodovæo regi Francorum per epistolas obtulit consulatus ordinis dignitatem. Ipse vero imperator ab hæresi Eutychiana propter admonitionem papæ Hormisdæ non recedens, imperii sui anno vicesimo octavo fulmine ictus, interiit. Clodovæus autem rex Francorum,
B anno tricesimo regni sui, vita decessit, et Lotharium filium suum, cum tribus aliis filiis reliquit, qui regnum inter se diviserunt.

Item de Anastasio imperatore, versifice narratur.

Cæsar Anastasius per Gothos bella perurget,
Hæreticus Theodericus nunc opprimit Urbem,
Nec potuit Gothos tollere marte suo.
Nunc duo pontifices ipsis patuere tyrannis,
Laurentius Symmachusque sedent plenis tribus an-
In quibus errorem Gothica turba fovet. [nis,
Catholicas nunc ecclesias gens Vandala claudit,
Cujus et errori regio devicta subaudit,
Fana per Ecclesias Arianista parat.
Transmundus rex ipsorum feritatis amicus,
Pontifices dedit exsilio transgressor iniquus,
C Centum pontifices carcere Sardus habet.

Miraculum in blasphemum Arianum.

Blasphemare Deum dum cernitur Arianista,
Fulgure de cœlis mox lingua peruritur ipsa,
Hæc ubi lingua luit, cætera turba fugit.

Miraculum in baptismo Ariani cujusdam.

Dum baptizare quemdam cupit Arianista,
Unda parata sibi subito disparuit ipsa,
Obstupuit juvenis, consuluitque sibi.

De Justino imperatore, quinquagesimo ab Octaviano Augusto.

Anno ab Incarnat. Domini 519, in Francia regnante Lothario, filio Clodovæi, cum tribus fratribus suis, Justinus senex, natione Isauricus, vel
D Illyricus, quinquagesimus ab Augusto, suscepit imperium, consentiente senatu.

His diebus rex Hildericus, filius Transmundi, quem mater ejus Eudoxia docuit esse Catholicum, universos episcopos in exsilium a patre suo relegatos benigne revocavit.

Justinus imperator etiam zelo Catholicæ fidei hæreticos persequebatur: ad quem Theodoricus Arianus Joannem papam transmisit, denuntians, quia nisi Justinus a persecutione Arianorum cessaret, ipse Christianos vellet affligere. Justinus, precibus papæ Joannis inclinatus, assensit, ipsumque papam cum honore dimisit; quem Theodoricus et Boetium prius necari præceperat; propter quæ

Digitized by Google

scelera, Theodericus ab hac luce subito raptus, imperii sui XXX, disparuit : et juxta dialogum beati Gregorii, a quodam sanctissimo eremita visus est, a Joanne papa et Symmacho, quos ipse occiderat, in Ætna monte corporaliter in ignem præcipitari. Quod autem quidam dicunt, ipsum Theodericum fuisse Hermenrico Veronensi et Atilæ contemporaneum, non est verum. Constat enim Attilam longe post Hermenricum fuisse, Theodericum etiam longe post mortem Attilæ, cum esset puer octennis, Leoni imperatori in obsidem datum fuisse. Theodericus dum ei mors immineret, filium filiæ suæ Amalsiuadæ, nomine Athalaricum, puerum decem annorum, Gothis principibus commendavit, cui et imperium tunc Romæ reliquit; exorans Gothos, ut senatum et populum Romanum diligerent, et principem sororis suæ Justiniano relinquens imperium, octavo imperii sui anno migravit a sæculo.

Item de eodem Justino imperatore versifice narratur.

Justinus senior meruit nunc sede levari,
Jussit pontifices et ab exsilio revocari,
Ecclesias aperit, flumine, rure, mari,
Justinus septem feliciter imperat annis
Tempora nunc veniunt papæ numeranda Joannis,
Hic annos binos vixit in orbe suo.
Addere ter ternos menses curemus ad annos
Octo, decemque dies, etiam ratione notandos.
Nunc quoque Gothorum fervet in orbe dolus

De Felice papa.

Tertius est Felix Justini tempore papa,
Quatuor annorum cui tempora sunt reputata,
Insuper et menses tres ratione vacant.

De papa Bonifacio.

Et Bonifacius est Justini tempore præsul,
Annorum cui binorum vix tempus habetur,
Vigintique dies dant sibi digna quies.

De Justiniano imperatore, quinquagesimo primo ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini 527, Justinianus, ab Augusto quinquagesimus primus, sumpsit imperium, regnantibus in Francia adhuc filiis Clodovæi. Iste Christianissimus, imperium quasi jam mortuum prudentissime suscitavit, rempublicam reparavit, de Persis per Belisarium patricium magnifice triumphavit; leges ante editas, nimietate diffusas, in compendium conformavit : atque, inter alia infinita Ecclesiarum beneficia, ecclesiam Sanctæ Sophiæ, id est Sapientiæ Divinæ, quæ est Christus Filius Dei, in Constantinopoli, miro opere et ornamento construxit ; regem Herulorum, nomine Craten, convertit et baptizavit.

Tunc etiam rex Hunnorum Garda, et cum eo mulier quædam vidua ex principibus Hunnorum, et alii gentis illius, centum millia baptismi gratiam receperunt. Rex itaque Athalaricus cum matre sua Eudoxia, in tuitionem Justiniani imperatoris suscipitur : at Athalarico post pauca a suis occiso, mater ejus Theodatum suscepit in regnum : qui postea ingratus et perfidus, eam in balneo strangulavit. Justinianus Vandalis ab Africa prorsus eliminatis, Africam in Romanam provinciam reformavit. Theodatus traditor et strangulator uxoris, pœnas Justiniani metuens, Agapetum papam ad imperatorem pro petenda indulgentia et pace transmittit; qua impetrata, fecit se ab ipso pontifice ad fidem catholicam revocari : ubi et ipse pontifex diem suum functus, dum per portam regiæ urbis, ejus feretrum portaretur, cæcus quidam, tacto feretro, fuit illuminatus.

Post hæc Belisarius patritius Theodatum, ob commissum in uxore scelus, et Witegesium post Theodatum regnum invadentem, captum ad imperatorem transmisit : atque totum regnum Gothorum, quod Jordanis auctor eorum per duo millia annorum et amplius stetisse commemorat, tunc finivit. Sic per eum sub Justiniano, tam Vandalis ab Africa, quam Gothis ab Italia exstirpatis, utrasque provincias in pristinam Romanorum subjectionem reduxit.

Hucusque Jordanis episcopus (natione Gothus, ut ipse testatur in sua Chronica) Gothorum historias protelavit.

Belisarius patritius cum Theodeberto filio Clodovæi, fratre Lotharii, qui cum ducentis millibus Italiam invaserat, bellum commisit, et rogantibus Francis, pacem concessit, atque sine damno Romani militis Italia exire persuasit.

Interea Parthi totam Syriam, et urbem Antiochiam invadunt et depopulantur : quibus occurrens Belisarius patricius, Vandalorum et Gothorum triumphator vicit, et a terminis Romanorum repressit. His diebus Gothi cum rege suo Totila tumultuantes, in Italiam iter deflectunt.

De Lombardis, et Prisciano grammatico, item de Regula sancti Benedicti.

His temporibus gens Lombardorum, quæ ab insula Scantia, quam alii vocant Scantinaviam, a qua etiam Gothi egressi fuerunt, cum Alboino rege suo, in Pannonia habitando, qui non multo post Italiam occupaverunt (sicut postea dicemus) Belisarius patricius in Italia manens, præcepto Theodoræ Augustæ, Sylverium papam invitus in exsilium misit. Vigilio quoque successori suo similiter fecit. Priscianus tunc libros grammaticæ artis ad Julianum consulem et patricium a Cæsarea scripsit. His etiam diebus beatus Benedictus abbas Regulam monasticam scripsit.

Justinianus princeps egregius, republica suo tempore satis sublimata, anno XXXIX, imperii sui diem obiit.

Hucusque Victor episcopus Turonorum chronica sua perduxit. Cætera de Justiniano et de pontificibus sui temporis, versifice proferamus.

Item de eodem Justiniano imperatore versifice narratur.

Suscipit imperium pro tempore Justinianus,
Cujus et officio legalia jura petamus,

Digitized by Google

Jure suo regimur, nam sua jura damus.
Ejus ab imperio gens Vandala victa fugatur,
Omne decus Domini virtute sua reparatur,
Gaudet et Ecclesia pace manente sua.
Per triginta duos vitam deduxerat annos,
Hic quoque cum Gothis conflixit sæpe tyrannis,
Gothorum princeps Athalaricus adest.

De papa Joanne et Agapeto.

His modo temporibus fuit alter papa Joannes,
Vixit et Agapetus residens tunc præsul amandus :
Hi duo dum fuerant Athalaricus erat.
Præsul uterque fuit, annis quasi bis duodenis,
Gothorum regis Theobaldi copia venit,
Ille per Italiam pessima gesta dedit.

De Sylverio papa, et Theobaldo rege Gothorum, secta Arianorum.

Vivit adhuc magnus, quem scripsi, Justinianus;
Sylverium papam sub eo nunc commemoramus,
Octo sibi menses vivere rite damus.
Sylverius sine decreto fit Justiniani,
Theobaldus simul et Gothi nunc hæresiani
Ipsum constituunt : Cæsaris ira salit.
Dum Theobaldus obit, commotus Justinianus
Imperat ut Gothi quos noverat hæresianos,
Cedat ab Italia perniciosa manus.

De Vigilio papa, et altero Gothorum rege.

Vigilius papa vixit cum Justiniano,
Vivere sex annis quem tempore commemoramus,
Vigintique dies, plus quoque quinque damus.
Nunc rex Gothorum capitur dictus Vigilogus,
Justinianus eum missum sibi morte malorum
Judicat, et gladio pertulit ille forum.

De Pelagio papa.

Pelagius papa fuerat cum Justiniano,
Annis bis binis quem vivere commemoramus,
Plusque decem menses de ratione damus.
Pelagius papa cum vellet in Urbe sacrari,
Pontifices ad sacra duos peragenda vocavit :
Hi duo sufficiunt ad sacra, canon ait.
Sicque Ferentinus, sic præsul adest Perusinus,
Presbyter Andreas : hi tres tenuere triclinum;
Non fuerant plures, nec tibi narro minus.

De Joanne pontifice, et portento quodam.

Tertius est cum Justiniano papa Joannes,
Hic modo bissenos cum Cæsare vixerat annos,
Undenos menses, vicesiesque diem.
Nunc acies quasi pugnantes super æthera visa
Sunt, velut ignitæ, multæque videntur ubique,
Quid sit et unde venit, nec recitare licet.

De Justino juniore, imperatore Græcorum, quinquagesimo secundo ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini 567, regnante in Francia Hilperico, filio Clotharii regis cum tribus fratribus ; Justinus junior, Justiniani nepos, natione Thrax, quinquagesimus secundus ab Augusto, imperium, ab Eutychio patriarcha coronatus, suscepit. Iste Ecclesias ab antecessore suo institutas multa largitione ditavit. Hujus diebus pax inter Romanos et Persas rumpitur. Imperator autem ad Aretam A regem Indorum Julianum transmisit : qui eum (sicut hic describimus) ornatum invenit.

Stabat itaque rex pene nudus, habens circa lumbos tantum cincturam, et linea vestimenta auro contexta, et circa ventrem indumenta scissa, margaritis pretiosis conserta : in brachiis habebat quinos circulos, et aureas armillas : in capite, pannum gemmis ornatum : in collo, torquem aureum. Super quatuor elephantes, rotis quatuor, curru excelso innitebatur stans. Scutum parvissimum deauratum, cum duabus lanceolis, in manu tenebat. Quem cum Julianus contra Persarum regem nomine Eunucho armasset, reversus est.

Item Justinus, misso Narse, cum auxilio Longobardorum, Totilam regem Gothorum interfecit, et B Gothos de Italia radicitus exstirpavit : et Bucelinum principem regis Francorum, ad devastandam Italiam missum, occidit : atque Sindoaldum regem Brendonum, qui de comitibus Odoacri adhuc in Italia supererat, suspendio peremit. Itaque cum Narses, deletis omnibus barbaris, Italiam in statum pristinum reduxisset, Romani, ut assolet, ejus prosperis successibus invidentes, apud Augustum, atque apud uxorem ejus accusabant; quamobrem imperator misit Longinum ad occupandum locum ejus, in Italiam.

Sophia quoque Augusta, furore muliebri succensa, Narsen sicut Eunuchum inter mulierculas suas ponendum, et more mulierum sibi serviturum minabatur. Quæ omnia Narses gravissime ferens, C Neapolim se contulit, missaque legatione Longobardos in Italiam vocavit : quorum adventum igneæ acies in cœlo (teste Gregorio) præcesserunt, et visæ sunt a multis, quæ et futuram effusionem sanguinis indicabant. Ex tunc Roma non solum provincias Transalpinas, sed et ipsam Italiam, quæ ab illo tempore a barbaris, quos Longobardos vocamus, inhabitatur, amisit. Porro Justinus imperator Tiberium comitem in filium adoptavit, et Cæsarem legit, cum vero se moriturum cognosceret, vocato ad se Eutychio pontifice et senatu, Tiberium ex Cæsare fecit Augustum. Ipse autem undecimo imperii sui anno, diem obiit.

De eodem Justino versifice, et de papa sui temporis.

D Justinus minor imperii dum sede sederet,
Ungaricos procores secum decrevit habere,
Adversus Ligures prælia multa gerens.
Vigilogus rex Gothorum tunc prælia gessit,
Hispanos feritate sua gladioque repressit,
Qua multas urbes dissipat atque tenet.

De papa Pelagio.

Surgit Pelagius nunc Romæ papa secundus,
Germine Romanus, discretus et ore facundus,
Sed sine Justini lege resedit ibi.

Lombardi Romam et Italiam premunt; inundatio magna; et Fabianus papa est.

Nam Lombardorum violenta manus populorum,
Igne, fame, gladio, partes premit Italicorum :
Urbs erat obsessa, Romuleumque solum.

Digitized by Google

Tantaque nunc orbi pluviarum copia cedit,
Quod populus jam diluvium consurgere credit;
Destruxit pontes, plurima damna dedit.
Nunc minor undenis Justinus præsidet annis,
Tunc primus Benedictus erat præsul venerandus,
Uno plus mense sexque decemque dies.
Mira fames Ligures, et belli copia pressit,
Primaque Lombardis super illos gloria cessit.
A longis barbis nomina fama trahit.

De Tiberio Constantino imperatore Græcorum, quinquagesimo tertio ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini 576, Tiberius Constantinus, natione Thrax, ab Eutychio patriarcha coronatur: qui ab Augusto quinquagesimus tertius imperavit. Iste dum in palatio suo deambularet, et crucem in pavimento sculptam videret, dixit: Elevetur signum crucis hoc a pavimento: crucem enim Domini debemus adorare, non pedibus conculcare. Qua sublata, iterum aliam crucem ibidem sculptam invenit: qua rursus inde sublata, tertiam iterum crucem ibi sculptam aspexit. Quapropter ibidem profundam foveam fieri jussit, ubi fodiendo, multum aurum invenit.

Similiter postea mortuo Narse patricio, in puteo quodam aurum plurimum est inventum: quæ omnia imperator more suo pauperibus erogavit. Idem imperator Italia tunc a Lombardis vastata, sub papa Benedicto, multas naves ab Ægypto frumento onustas, Romanis fame laborantibus misit, Persas per ducem Mauricium gloriose devicit, quem postea sibi generum et Cæsarem fecit. Item Hilperico regi Francorum mirifica dona transmisit.

His diebus Gregorius Romanæ Ecclesiæ archidiaconus a papa Pelagio Constantinopolim missus, Moralia Job, Leandro descripsit; atque Eutychium ipsius urbis episcopum, de fide resurrectionis errantem, coram imperatore correxit. Tiberius autem substituto sibi in imperio genero suo Mauricio, anno imperii sui sexto, in pace quievit. Cætera de Tiberio versus habent.

De eodem Tiberio imperatore, et de papa sui temporis, versifice narratur.

Tiberius cum Pelagio nunc præsule sedit.
Gothica gens tandem proprio se vulnere cædit,
Sic sibi tunc finem turba maligna dedit.
Cæsar sex annis, undenis papa quiescit,
Undenos menses papæ subjunge diesque,
Insuper ad requiem jungere quæro diem.

De Mauricio imperatore, quinquagesimo quarto ab Augusto, et de papa sui temporis.

Anno ab Incarnat. Domini 583, Mauricius ex Cappadocia oriundus, primus de genere Græcorum, ab Augusto quinquagesimus quartus imperat.

Hujus diebus beatus Gregorius, imperatoris consensu, suscepit pontificatum Romanum. Tunc sanctus Columbanus Scotus, Luxoviensis abbas, persecutione compulsus, in civitatem Italiæ Bobium venit, ibique obiit. Tunc Romericus in monte suo A Romerico, nobile cœnobium sanctimonialium fecit, scilicet in regno Lotharingiæ.

Tunc etiam in Suevia sub diœcesi Constantiensi, ecclesia Sancti Galli, valde honorabilis constructa est, eo vivente, cum esset abbas (ut dicitur) quadringentorum monachorum; qui omnes sancti esse creduntur, uno solo excepto Hebruino; qui dimisso tunc ordine monastico factus est majordomus, id est primus post regem in regno Francorum, per Brunihildam reginam, sed nequissimam feminam; cujus instinctu ille Hebruinus Ecclesiam Dei est persecutus, et quosdam martyres fecit. Brunihilda tamen pro his peccatis dignam pœnam portavit: ipsa namque a rege Clothario ad caudas equorum indomitorum ligata et tracta, finem miserabilem, sed B dignum accepit.

Mauricius imperator, dum beatum papam persequi non cessaret, anno decimo nono imperii sui videt in visione monachum ante se stantem cum gladio vibrato, dicentem sibi: « Ecce, tu morieris. » Quo viso perterritus, culpamque suam cognoscens, papæ Gregorio, et episcopis, atque abbatibus religiosis, humiliter scripsit, ut apud Deum suis precibus impetrarent, quo Deus eum pro suis culpis, non in futura, sed in præsenti vita puniret. Ipse quoque idipsum apud Deum multis lacrymis exorabat. Cum ergo Deus ad Ecclesiæ petitionem imperatorem vellet audire, videt imperator in somnis se coram crucifixo apud æneam portam palatii stare, C vocemque terribilem audire: « Date Mauricium, date Mauricium. » Et iterum: « Ubi vis, o tu Mauriei, reddam tibi mala quæ fecisti? hic, an in futuro? » Cumque ille respondisset, dicens: « Non in futuro, » jussit eum cum uxore et liberis, et cum omni sua cognatione ad Phocam duci et tradi. Mane facto, Philippo genero suo ad se vocato, somnioque narrato, ait: « Nunquid Phocam illum cognoscis? » Ille respondens; « Juvenis est, inquit, et temerarius. » Nuntii interea quos ad viros Dei Mauricius miserat, tunc reversi, similia responsa ab eis in somnis visa renuntiabant. Itaque exercitus a Mauricio missus, dum per ejus avaritiam fame laborarent, in seditionem versi Phocam sibi creant imperatorem. Quod audiens Mauricius, præfatæ D visionis præsagium esse percepit. Phocas insecutus Mauricium juxta Chalcedoniam, eum culpam suam recognoscentem, cum uxore et filiis, secundum visionem prædictam, decollavit. Cætera de Mauricio versus habent.

Item de eodem Mauricio, et de papa sui temporis.

Tempore Mauricii Romæ diademate functi
Catholicæ sunt Ecclesiæ baptismate juncti,
Gothorum populi, munere dante Dei.
Mauricii tempus viginti perficit annos,
Insuper annus erit, recto numero numerandus,
Sub quo Gregorii vita beata venit
Tresque decemque simul regit annis pontificatum,
Urbis et orbis honor per eum digne relevatur,
Annis sex menses jungo, decemque dies.

Digitized by Google

De Mauricio imperatore, et papa Gregorio, qui scripsit in Job et Ezechielem.

Gregorius cum Mauricio dum sede levatur,
Contemnit sedem, devitat pontificatum,
Jussu Mauricii, cogitur atque venit.
Iste Job exposuit, lustravit et Ezechielem,
Dogmate pastorum præfulget, et in Daniele,
Hujus et Ecclesiæ gloria magna sedet.

De Phoca imperatore, quinquagesimo quinto ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini 603, Phocas quinquagesimus quintus ab Augusto, imperium sortitur, habens uxorem Leentiam nomine. Iste primo patricii cujusdam strator fuit, postea miles, ad ultimum imperator. Anno imperii ejus secundo beatissimus papa Gregorius migravit ad Dominum. Tunc tertius Bonifacius papa impetravit a Phoca, ut ipsius auctoritate, Romana Ecclesia caput omnium diceretur Ecclesiarum. Nam Constantinopolitana Ecclesia se primam (puto propter regni sedem illuc translatam) inscribebat. Post hunc alius Bonifacius quartus a beato Gregorio, precibus ab eodem Phoca Augusto obtinuit, ut templum a Domitiano imperatore constructum, quod Pantheon vocabatur, Ecclesiæ Dei datum, in honorem omnium sanctorum dedicaretur.

His diebus Cosdroas Persarum rex, Orientem pervagatus multas Romanis provincias abstulit, ac vivificæ crucis vexillum ab Hierosolymis asportans, in solio suo, ubi se ut Deum adorari fecerat, posuit. Phocas autem cum multa scelera et homicidia perpetraret, ab Heraclio, Heraclii patricii prætoris Africæ filio, vocatu Prisci patricii generi sui, octavo imperii sui anno interficitur. Cætera versibus explicentur.

Item de eodem Phoca, versifice ponitur.

Phoca sedet Cæsar, restaurat et undique læsa,
Agmina Lombarda sub eo sunt plurima cæsa,
Et dedit Ecclesiis pace sedere suis.
Imperio Phocæ Lombardus ab Urbe fugatur,
Tuscia Spoletum virtute sua revocatur,
Pax erat Italicis, sed recidiva satis.
Octo sedens annis Phocas tenet imperiatum :
Nunc Fabianus præclarus papa vocatur,
Anni solius cui modo vita fuit.

De papa Bonifacio, qui a Phoca Imperatore primatum omnium Ecclesiarum obtinuit.

Tertius est papa Bonifacius ille benignus,
Qui petit a Phoca munus per sæcula dignum.
Ut sedes Petri prima sit, ille dedit.
Prima prius fuerat Constantinopolitana,
Est modo Romana, meliori dogmate clara;
Petrus enim princeps dogmata prima parat.
Octo capit menses vitæ Bonifacius iste,
Bisque decem numerando dies pro tempore siste,
Sic tempus papæ sub brevitate cape.
Quartus cum Phoca Bonifacius ille notatur,
Annos tres, octo menses, cui vita paratur,
Viginti quinque post superadde dies.

De templo Pantheon, Bonifacio dato.

Phoca Bonifacio dat Pantheon ante sacrari,
Qua cuncti statuere Dei sua fana parari,
Idola constitui, pinguia thura dari.
Hæc domus immunda sacra benedicitur unda,
Dæmonis existens fit Sancta Maria Rotunda,
Primaque dæmonii, nunc manet aula Dei.

De papa Deusdedit.

Papa Deusdedit cum Phoca Cæsare sedit,
Cui ternis annis populus Romanus obedit,
Vigintique dies plus sibi vita dedit.

De inclinatione Romæ sub Phoca imperatore.

Iste fuit Phocas cum seditione levatus,
Milite fautore regnat, nolente senatu;
Tunc pars nobilium perdidit ense caput.
Nunc gens Persarum Romanis subdita pridem,
Jam transgressa fidem, populus non permanet idem,
Prælia permiscet, Roma caduca silet,
Cum fuerit domina, perdit gens Romula Persas,
Sic et Hebræorum sunt prælia prisca reversa,
Romanus populus perdit utrumque solum.

De Heraclio juniore, imperatore Græcorum, quinquagesimo sexto ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini 612, Heraclius, occiso Phoca, a Sergio patriarcha coronatus, quinquagesimus sextus ab Augusto, sortitur imperium, regnante in Francia Lothario, filio Hilperici. Iste anno imperii sui secundo, genuit filium Heraclium Constantinum, ex Eudoxia. Mortua vero Eudoxia, filiam sororis suæ Martinam, incestuose sibi copulavit, et ex ea filiam Heraclonam suscepit.

Hucusque Isidorus episcopus historiam suam perduxit. Anno imperii sui octavo dum Heraclius a rege Persarum Cosdroe pacem peteret, nec impetraret : ipse quarto postea anno, qui erat imperii sui duodecimus, exercitum movet in Persidem. Eundo autem in ponte Danubii cum filio Cosdroe habuit singularem conflictum. Quo ibidem occiso et parte exercitus ipsius, tunc ad Christianitatem conversus processit, atque omnem Persidem devastavit. Cosdroem in solio aureo tunc una cum cruce Domini sedentem occidit, et lignum sanctum inde accepit. Inde reversus Constantinopolim cum triumpho, postea crucem Hierosolymam reportavit. Ubi in introitu ipsius portæ miraculum magnum apparuit : quod miraculum ego versifice in fine capituli hujus annotavi. Ab illo tempore, Exaltatio sanctæ crucis cœpit ab Ecclesia celebrari.

His diebus Anastasius quidam in Perside, magus prius, postea Christianus et monachus, cum aliis septuaginta, martyrium sub judice Marzabona pro fide Christi suscepit a Persis. Cujus tunica postea quidam dæmoniacus indutus, curatus est. Hujus corpus Heraclius de Perside asportavit.

Eo tempore Machomet, quem Saraceni hodie colunt, natus de stirpe Ismaelis, patre gentilis, matre Judæus, legem suam prædicabat.

Eisdem diebus, mortuo Lothario rege Francorum, Dagobertus filius ejus satis puer erat; quem Arnol-

Digitized by Google

phus qui tunc major domus erat, educavit. Idem Arnolphus postea Metensis episcopus fuit. Iste Dagobertus in Francia solus regnabat, sed fratri suo Heriberto circa Ligerim fluvium paucas urbes et pagos dimiserat. A Clodovæo enim usque ad istum Dagobertum regnum Francorum inter diversos fratres varie divisum, et inter filios filiorum, confuse et inæquabiliter regnatum erat. Terminus autem regni Francorum erat jam ab Hispania usque Pannoniam, habens in uno fine Aquitaniam, ex alio autem capite ducatum Bavariæ, qui protenditur usque Ungariam. Aquitaniam quidem in Occidente, Bavariam in Oriente habebat rex Francorum. Dagobertus itaque unicus rex Francorum, leges Bavaris dedit. Qui dum patre suo Lothario adhuc vivente, cum Saxonibus bellum inisset, ab eis graviter est vulneratus. B Unde postulato et accepto a patre auxilio, iterum cum Saxonibus pugna congreditur. Quibus gloriose victis atque fugatis, universam Saxoniam suæ ditioni subjecit; omnesque illius gentis masculos, qui gladio Dagoberti statura fuerant longiores, ejus imperio legimus tunc fuisse peremptos. Eo tempore beatus Cunibertus Coloniensis erat episcopus.

Heraclius interea a Sergio patriarcha seductus, hæresi Eutychiana inficitur : insuper fit mathematicus et astrologus. Tunc per constellationes cognovit, quod homines circumcisi essent ejus imperium vastaturi. Existimans autem homines illiusmodi esse Judæos, missis ad Dagobertum legatis, omnes Judæos postulat jussu regio baptizari. Quod etiam C impetravit. Ipse quoque Heraclius de Judæis sui imperii similiter fecit. Non multo post Agareni, qui omnes sunt circumcisi, imperium ejus invadunt. Quos dum Heraclius, misso exercitu cogitabat cohibere, quinquaginta millia de suo exercitu perdidit. Nam Heraclius apertis portis Caspios educit, homines sævissimos, quos Alexander Magnus, propter eorum immanitatem, super mare Caspium olim conclusit, et cum istis adversus Agarenos imperator bellum instaurare proponit. Angelus autem Domini, eadem nocte, dum mane fuerant pugnaturi, de imperatoris exercitu quinquaginta millia interfecit. Unde fractus animo imperator, ex dolore fit tumidus; et in hydropisin versus, anno imperii quadragesimo septimo emisit spiritum.

O judicia Dei justissima! quia Heraclius per virtutem et signaculum victoriosissimæ crucis gloriosissime triumphaverat : postea Dei et ipsius crucis oblitus, magis in auguriis, quam in divino auxilio confidebat; ab Agarenis, qui nec inter viros fuerant computandi, meruit infeliciter superari. Cætera de Heraclio, et de cruce, atque de Cosdroe, versibus exponamus :

Item de Heraclio et de Exaltatione sanctæ crucis, et de papa sui temporis.

Heraclius stat magnificus, diademate summus,
Gothorum rex mirificus regnat Sigismundus.
Multos Judæos subdidit ille Deo.
Expedit Heraclii jam Cæsaris acta fateri,
Qui crucis et cleri studuit loca, jura tueri;
Pro cruce quanta gerit, sermo canendus erit.
Urbs bona Davidica, modica sub pace quieta,
Fertur ab antiqua Persarum gente petita,
Marte requisita, crux latitabat ita.

De Cosdroe.

Cosdroes iratus, disponit ut urbs capiatur,
Urbs ubi pugnatur, capitur, populusque ligatur,
Cumque crucem rapuit Persica gens abiit.

De aula Cosdroe, et filio ejus.

Cosdrois aula fuit, valida testudine plexa,
Intus habens latera gemmis auroque retexta,
Qua velut ætherea sidera fixa micant.
Sub specie cœli potuit domus illa videri,
Desuper instituit currus quandoque moveri,
Unde ferens strepitum fulmina ficta dedit.
Cœlibe mentita sedet impius arce petita,
Cum cruce quæsita; putat illic vivere vita,
Nec metuit mortem, dum resideret ita.
Filius ex ipsa patris feritate patrissat,
Acriter amissa fert prælia, sanguine mixta,
Militibusque suis in loca sancta ruit.

Heraclius Persarum victor.

Obviat Heraclius, reprimens virtute superbum,
Ponteque Danubii celebrat cum rege duellum,
Et virtute crucis diripit arma ducis.
Impius occisus cadit hic, sed credere visus,
Devictus populus rediit, baptismate nisus;
Miles et ipsius credidit in Dominum.

Cosdroes decollatur.

Signa jubet Cæsar per climata Persa moveri,
Cosdroes absconsus memoratis tegmine cœli,
Delitus interiit, cœlica pompa perit.
Amputat Heraclius regis caput ense malignum.
Obsequium dignum recipit venerabile signum,
Ad loca Davidica cum cruce signa micant.
Montis Oliveti, victorum munere freti,
Dum portas penetrare putant cum Cæsare læti,
Porta fit ut paries, turba repulsa redit.
Adfuit angelicus pro Cæsare sermo venustus :
Nolo quod Augustus gemmis procedat onustus,
Intrantis Christi sit memor ipse sibi.
Auferat ornatus, humilis pede progrediatur,
Heraclii manibus jam crux benedicta feratur
Porta reformatur, spes via larga datur.
Sufficit Heraclii breviter narrasse decores,
Me vocat ad reliquos regum mea musa labores,
Carolus et reliqui, grandia gesta movent.
Imperat Heraclius annis quasi ter duodenis,
Quo crucis et cleri celeberrima gloria venit,
Illa recordatio perpetualis erit.

De Severino papa.

Temporis Heraclii succedit papa Severinus.
A tribus edoctus pater est ad dogmata primus,
Fertque duos annos ipse, duosque dies.

De Honorio papa, et Joanne.

Præsul Honorius est ipso cum Cæsare magnus,
Ipse duodenos in vita perficit annos,
Mensibus undenis, lux quoque dena venit.

Digitized by Google

Temporis Heraclii Theodorus ordine sedit,
Qui post sex annos, et menses quinque recedit,
Octo decemque dies plus sibi vita dedit.

De Pyrrho patriarcha Constantinopolitano.

Constantinopoli tunc Pyrrhus erat patriarcha,
Quem probitate sua Theodorus ille coarctat,
Romanæ sedi quod famulator erat.
Gesta suæ partis anathemate Pyrrhus ademit,
Romano se Pontifici supponere venit.
Annis perpetuis sponsio talis erit.
Temporis Heraclii Mauricius ordine sedit,
Constantinopoli, cui Paulus præsul obedit;
Tunc sibi Romana dogmata papa dedit.
Sex annis vivit Mauricius ordine rerum,
Et menses, spatio viginti quinque dierum,
Tempora Pontificum sic numeranda fuerunt.

De pontifice Eugenio.

Eugenius papa sub eodem tempore sedit,
Vita duos annos peragens a sede recedit,
Adde duos menses, ter dabis octo dies.

De Heraclio Constantino imperatore, filio Magni Heraclii, et chronica sui temporis.

Anno ab Incarnatione Domini 639, regnante in Africa Dagoberto, Constantinus Heraclius, Heraclii filius, quinquagesimus septimus ab Augusto, regnum adeptus, quarto imperii sui mense, fraude novercæ suæ Martinæ, Pyrrhique patriarchæ veneno necatur; ipsaque cum filio suo Heraclona regnum usurpans per duos annos tenuit. Mutilatis ergo naribus filii sui, matrisque ipsius lingua abscissa, Constans Constantiniani, Heraclii filii filius, a senatu imperator creatur. Pyrrhus quoque patriarcha sceleris illius auctor in exsilium truditur, et in locum ejus Paulus subrogatur. Hic est Pyrrhus, qui cum Cyro Alexandrino episcopo, hæresim quæ duas in Christo voluntates negabat, condidit. Cætera versus habent :

Item de eodem Constantino tertio, et papa sui temporis, versifice narratur.

Tertius accedit Cæsar Constantinianus,
Papaque Romanus residet nunc Vitalianus.
Grandis in Ecclesiis fit per utrumque salus.
Octo tulit Cæsar pro vita temporis annos,
Papa quater senos annos, ratione notandos,
Et menses septem vixit, et octo dies.

De papa Deodato.

Papa Deodatus sub eodem tempore venit,
Annis bis binis, et bino mense recedit,
Quinque dies ultra, tunc sua vita dedit.

De pontifice Dionysio.

Papa Dionysius sub eodem rege notatur,
Annis quinque sedens, et menses quinque notatur,
Octo diebus ei, plus quoque vita datur.

De Agapeto papa.

Agapetus papa sub eodem tempore sedit,
Post annos binos, et menses octo recedit,
Bisque dies septem, plus sibi vita dedit.

De Constante imperatore, filio Constantini, quinquagesimo octavo ab Augusto; et chronica sui temporis.

Anno ab Incarnatione Domini 642, pulso cum A matre Heraclona, Constans Constantiniani filius quinquagesimus octavus ab Augusto regnavit. Hic cum in eamdem, quam avus suus Heraclius, hæresim fuisset lapsus, Martinum papam, eo quod Paulum patriarcham, Pyrrhum, et Cyrum, habita synodo excommunicasset, apud Chersonam in exsilium misit; ubi multis miraculorum signis refulgens, migravit ad Dominum.

Porro Constans congregata sub Vitelliano papa synodo, hæresim abdicavit, ac beato Petro miræ magnitudinis Evangelia, auro cooperta, gemmis ornata, misit. Ipse vero non multis post diebus Italiam a Longobardorum potestate eripere volens, per æquora navigando, Tarentum applicuit. Post Beneventum veniens, omnes pene civitates quas B Longobardi inhabitabant, cepit. At civitatem Luceriam ad solum usque prostravit; deinde accepta obside sorore Rumaldi, scilicet Grimaldi regis filia, Neapolim iter flectit. Inde ad Urbem iter tendens, Vitellianum papam in septimo milliario obvium cum clero et populo habuit. Ac ita honorifice Romam ingressus, beato Petro pallium auro textum obtulit.

Cogitabat autem imperium ad Urbem retransferre, eo quod Constantinopolitanos, qui ei de sacrilegio in Martinum papam commisso, consilium dederant, tanquam hæreticorum fautores, exosos haberet.

Hujus diebus beata Gertrudis virgo, Pipini Grossi filia, beato fine quievit. Dagoberto quoque mortuo, Clodovæus filius ejus successit. Nam alius filius, Sigibertus scilicet, dum adhuc viveret, Austrasiam C reliquerat, eumque Cuniberto Coloniensium præsuli, et Pipino Grosso commendaverat.

Constans imperator Heraclius ab Urbe digressus, Siciliam ingreditur : ubi per sex annos moratus, fraude suorum in balneo occiditur, anno imperii sui octavo. Quo mortuo, milites quemdam, Mitium nomine, imperatorem creaverunt. Hoc comperto, Constantius Constantiniani filius, intravit Siciliam, et Mitium eum interfectoribus patris sui occidit; rebusque in Hesperia compositis, Constantinopolim redit. Cætera de Heraclio Constante, versus habent.

Item de eodem Constante, imperatore Heraclio, et de papa sui temporis.

D Heraclio regnante datur Leo papa sedere,
Annos vita decem mensemque refertur habere,
Pollet in eloquio scripta beata ferens

De Benedicto pontifice.

Temporibus Heraclii nunc papa venit Benedictus,
Ter ternos menses vivit, tumuloque relictus,
Octo dies tenuit, quos sibi vita dedit.

De Theodosio imperatore, filio Constantis Heraclii, et chronica sui temporis.

Anno ab Incarnatione Domini 670, Theodosius Constantinus, filius Constantis Heraclii, cum duobus suis filiis, Heraclio et Tiberio, quinquagesimus nonus ab Augusto, sortitur imperium. His diebus, Ansgisius, filius beati Arnulphi, Metensis episcopi,

Digitized by Google

qui majordomus prius fuerat in regno Francorum, dignitatem majorisdomus adipiscitur. Constantinus Theodosius, anno imperii sui decimo septimo vitam finivit.

De Justiniano imperatore, filio Theodosii, sexagesimo ab Augusto, et chronica sui temporis.

Anno ab Incarnat. Domini 686, Justinianus Theodosii Constantini filius, sexagesimus ab Augusto imperatore. Iste composuit pacem cum Saracenis, et Africam ab eis liberatam imperio Romano supposuit.

Progenies omnium Carolorum, ab Ansgisio filio Arnoldi episcopi Metensis, qui prius fuerat dux Francorum et majordomus.

Eo tempore Pipinus, filius Ansgisii, factus majordomus, totum regnum administrabat Francorum. Cujus Pipini Grossi, ab hoc loco in antea anni et gesta ponuntur in Catalogo regum Francorum. Reges enim Francorum a temporibus istius Pipini Grossi, qui erat majordomus, omnibus regni negotiis et honoribus denudati, nomine solo regnabant; econtra majoresdomus, curam et fortitudinem regni tenebant.

Justinianus a Leontio patricio, quem ipse per tres annos in vinculis tenuerat, naso et labro mutilatur: qui Leontius per tres annos occupat imperium, ipso imperatore mutilato interim in exsilio detento. Post illos tres autem annos, Tiberius, qui cognominatur Absmarus, eidem Leontio similiter nasum abscidit, eumdemque in monasterium trusit, atque ipse regnum usurpatum septem annis detinuit.

His diebus sub Sergio papa synodus Aquilegiæ congregatur. Justianianus quem Leontius patricius prius mutilaverat, per adjutorium regis Bulgariæ, urbem Constantinopolim captam recepit, et postmodum per sex annos tenuit. Iste tunc cepit Tiberium et Leontium. Quos etiam in catenis positos, per plateas trahi præcepit, universo populo post eos clamante sic: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem* (*Psal.* xc). Ipse etiam colla eorum calcans, ad ultimum decollavit eos. Alios quoque qui perpetratæ factionis erga eum rei exstiterant, diversis pœnis fecit cruciari. Item quotiescunque de naribus mutilatis guttam rheumatis stillantis tergebat, toties aliquem illorum necari præcipiebat. Ipse etiam Gallicinum patriarcham, erutis oculis, Romam in exsilium misit, et Cyrum abbatem, qui ei necessaria ministraverat, fecit patriarcham, atque Tiberium filium Cyri, consortem regni sibi constituit. Deinde Philippum, quem ipse in Ponto relegaverat, comprehendere voluit. Philippicus vero ab exercitu imperator creatus, sexto milliario ab urbe Constantinopoli pugna commissa, Justinianum occidit: filium quoque Justiniani fideles Philippici necaverunt.

De Philippico Constantinopolitano imperatore et chronica regum Francorum per idem tempus.

Anno ab Incarnatione Domini 713, Philippicus, A LXI ab Augusto, imperium accepit. Tunc in Francia solo nomine junior Dagobertus regnabat. Pipinus vero Grossus majordomus omnem regni honorem et potestatem habebat. Eo tempore populus Romanus statuit ne chartæ ipsius Philippici in Ecclesia, vel etiam jussa ejus Romæ reciperentur, cum esset hæreticus; neque nomen ejus inter missarum solemnia recitaretur. Iste cum in die sancto Pentecostes, egressus a balneo, post meridiem lecto cubaret, a Ruffino et Theodoro per Auream Portam ingressis, comprehensus excæcatur post annum et undecim menses, ex quo cœperat regnare.

De Anastasio imperatore, sexagesimo secundo ab Augusto, et chronica sui temporis.

B Anno ab Incarnatione Domini 714, Artemius, qui mutato nomine dictus est Anastasius, LXII ab Augusto, accepit imperium, et tribus annis regnavit

Tunc mortuo rege Francorum Dagoberto junore, et Pipino Grosso, Carolus Martellus filius Pipini Grossi ex Alpheida, qui fuit avus Caroli Magni, factus est majordomus, qui regnum Francorum per XXVII annos administravit, regibus adhuc, sed sine honore et utilitate, ibi manentibus. Iste Carolus Martellus, Regunifridum quemdam regnum invadere volentem, multis bellis pressit, Buguariam et Sueviam subjugavit; Guasconiam, Saxoniam et Frisiam devicit, Saracenorum 385 millia occidit. Igitur dum regnum Francorum multis modis sub bellicosissimo principe Carolo Martello augmentaretur, C imperium vero Græcorum minueretur, milites adversus Anastasium imperatorem creant Theodosium, licet invitum: qui conserto prælio Anastasium vicit, et presbyterum fecit eum ordinari.

De Theodosio secundo imperatore, sexagesimo tertio ab Augusto.

Theodosius iste sortitus imperium, LXIII ab Augusto, uno anno imperavit. Cui succedit Leo, LXIV ab Augusto, manente adhuc in Francia Carolo Martello.

De Leone imperatore Græcorum, sexagesimo quarto ab Augusto.

Iste LXIV ab Augusto imperator, vocatus Leo, ima- D gines Domini jussit incendi, et sanctos suæ iniquitati resistentes decollari. Inter quos passa est sancta Theodoxia, cujus corpus adhuc integrum, Constantinopoli cum ingenti veneratione servatur.

Gregorius papa cum vidisset imperatorem Leonem iniquum et incorrigibilem, totam Italiam a suo imperio discedere persuasit. Eo tempore reliquiæ sancti Augustini de Sardinia in Papiam a Luprando rege Lombardorum deportantur. Tunc etiam Beda venerabilis presbyter in pace quievit. Iis diebus Saraceni Constantinopolim per triennium obsidione cinxerunt; tandemque sine victoria recesserunt. Romæ quoque 300,000 per pestilentiam tunc perierunt. Leo imperator, imperii sui anno quarto, moritur; cui succedit filius ejus Constantius.

Digitized by Google

De ultimo Constantio, imperatore Græcorum sexagesimo quinto ab Augusto.

Constantius igitur imperat anno ab Incarnatione Domini 742, sexagesimus quintus ab Augusto. Iste maleficus sacrificabat dæmonibus, patre suo deterior factus, luxuriæ et omni immunditiæ deditus, Ecclesiam Dei affligebat : unde etiam suis iniquitatibus ipse, et pater ejus meruisse videntur, ut eorum regnum divideretur. Anno imperii illius Leonis primo, Carolus Martellus filius Pipini Grossi moritur, relictis tribus filiis Carlomanno, Pipino Nano, et Griphone : quorum Gripho minor, inquietus, a fratribus apud Alverniam captus, et detentus in prælio, cum uxore sua Svanichilda, in quodam castello permansit.

A

Cætera versifice pagina nostra refert.

Item de Theodosio imperatore, versifice, et de papa sui temporis.

Theodôsii vita fuit annis bis duodenis,
Cujus et Ecclesiis ornatus tempore venit,
Hic et imaginibus ordine stare dedit.
Gregorius cum Theodosio stat papa secundus,
Annis ipse decem fuit Urbis et Orbis alumnus,
Ter ternos menses, ter tulit octo dies.
Tempore Gregorii præsul Bonifacius exstat,
Sede Moguntina miracula plurima præstat,
Gratia baptismi Teutona regna tulit.

GODEFRIDI VITERBIENSIS

PANTHEON.

PARS DECIMA SEPTIMA.

IMPERIUM TRANSFERTUR AD FRANCOS.

Proœmium auctoris.

Superius promisisse me memini narraturum qualiter Franci, quorum facimus hic mentionem, in Galliam venerunt, et qualiter a Romanorum principatu sejuncti, in propria sua auctoritate et potestate manere cœperunt.

Tempore igitur quo Æneas post Trojæ destructionem in Italiam venit, Priamus junior, nepos magni Priami ex sorore, et cum eo Antenor, Trojanorum princeps, cum 13,000, per mare Illyricum in Venetias venerunt. Ibique Paduam civitatem ædificantes, in qua hodie ipse Antenor honorifice sepultus, more regio invenitur, per Mæotidas paludes in Scythiam regionem sedes suas posuerunt, civitatem Sicambriam ædificantes, unde etiam Sicambri sunt nominati.

Cum autem toto orbe in provinciam Romanorum subacto, ipsi etiam inter alios subacti fuissent, elapso tempore Germaniam occupaverunt, ubi etiam Germani de cætero sunt vocati.

Deinde cum imperator Valentinianus impugnatos Alanos, et inter Mæotidas paludes receptos, delere non potuisset, edictum protulit, ut gens quæcunque Alanos vinceret ac deleret, per decem annos proximos libera esset ab omni tributo. Quare Germani, ipsius gloriæ cupidi, adversus Alanos movent exercitum, eosque vincunt, et omnino exstinguunt, unde per decem annos liberi a tributo fuerunt ; et propter eamdem victoriam a Valentiniano imperatore Franci, id est feroces, sunt perpetuo appellati.

B

Expletis autem decem annis dum Romani a Francis solita tributa repeterent, Franci ob ipsam libertatem effrenes jam facti, ipsum tributum solvere renuerunt. Habuerunt autem inter se principes antiquos, ut dixi, Priamum et Antenorem. Qua propter dum a Romanis contra eos pugnatur, occiso in prælio Priamo rege eorum, in partes regni Thuringiæ se contulerunt cum principibus suis, filiis scilicet Priami, et Antenoris, nomine Marcomede et Sunone. Porro defuncto Sunone, communicato consilio, filium Marcomedis, nomine Pharamundum, regem sibi creaverunt.

Leges quoque per auctores suos Guisogastaldum et Salagastum compositas, extunc habere cœperunt. A Salagasto illo lex Salica nomen accepit ;

C

qua lege usque hodie Franci utuntur, qui etiam Salici nuncupantur. Mortuo autem Pharamundo, filius ejus Crinitus successit, a quo Francorum reges Criniti sunt appellati.

His temporibus Francia crescere, Roma autem minui cœpit, ut supra dixi. Gentes enim quæ subactæ Romanis fuerant, jam per se ipsas regnare didicerunt. Romani e converso, qui semper imperaverant, servire gentibus cogebantur. Gothi enim cum ipsam Urbem essent depopulati, ultra Ligerim fluvium in Gallia consederunt. Burgundiones quoque juxta Rhodanum habitaverunt ; qui et ipsi paulo post reges habere cœperunt. Sic etiam Franci, Rheno transuisso, Romanos, qui illic habitabant, fugaverunt. Postea captis urbibus Tornaco et Cameraco, atque inde paulatim progressi Remis,

Digitized by Google

Suessonam et Aurelianum, et Coloniam, quæ tunc dicebatur Agrippina, Trevérim, ac pene totam Galliam, atque Germaniam, ab Aquitania usque in Bavariam sibi vindicant atque subjiciunt. Clodovæo rege Francorum defuncto, Merovæus filius ejus, a quo Franci Merovæi sunt appellati, successit in regnum. Quo moriénte, Hildericus successit. Qui dum luxuriose viveret, a suis expellitur a regno, et ad regem Thuringorum, Bisinum nomine, secessit : a quo humaniter receptus, uxorem suam Bisinam, reginam pulcherrimam, latenter tetigit. Postea idem Hildericus, iterum in regnum Francorum, per interventum amicorum suorum receptus est. Post cujus vestigia secuta est Bisina regina ; quæ, interrogante Hilderico rege ad quid venisset, respondit : « Ad te venio, tecum permansura. » Tenuit itaque rex eam pro uxore, genuitque ex ea filium Clodovæum. Sed dum Hildericus expulsus a regno, in Thuringia, ut diximus, moraretur, Ægidius quidam Romanus loco ejus substitutus est in regno Francorum. Post octo annos Hildericus revocatus in regnum, urbem Agrippinam invadit, et ejectis inde omnibus Romanis, qui Ægidio favere videbantur, suos fautores imposuit Francos : unde et eamdem urbem, quæ usque in illud tempus dicebatur Agrippina, præcepit propter incolatum Francorum perpetuo Coloniam appellari. Mortuo autem Ægidio, filius ejus Siagrius in civitate Suessona regnavit.

Hildericus rex, vita decedens, Clodovæo filio suo regnum dimisit. Iste Clodovæus primus Christianus fuit inter reges Francorum, a beato Remigio baptizatus. Siagrius filius Ægidii, dum contra Clodovæum regnare aut certare non posset, secessit ad Alaricum regem Wisigothorum, qui Alaricus, nonus erat ab Alarico Magno rege Gothorum, a quo supra diximus, Romam captam, et depopulatam. Siagrius a Clodovæo reposcitur. Alaricus ei eum remittit. Qui remissus, necatur; omnesque Romani, qui tunc in Galliis habitabant, ita sunt exterminati, ut nec unus posset in omnibus Galliis reperiri.

Videntur mihi Franci in illis temporibus linguam Romanam, qua usque hodie utuntur, ab illis Romanis qui habitaverant didicisse. Quæ autem lingua eis prius fuerit naturaliter, nos ignoramus. Itaque Clodovæus subjugatis Alemannis, jam Christianus factus, Gothis, et Aquitanis bellum indicit. Quo dum pergeret, votum vovit beato Martino apud Turonum ; qui jam CXII, annos post obitum suum habebat. Cumque triumphasset in Gothos, et Alaricum eorum regem occidisset, reversus Turonum, gratias egit Deo et beato Martino. Ditata etiam tunc ecclesia Sancti Martini, equum suum, quem prius iturus ad prælium dederat Sancto Martino, per suam pecuniam redimere volens, centum solidos custodi ecclesiæ, pro equi ipsius redemptione transmisit. Equus vero stetit immobilis. Hoc audiens rex, considerat beatum Martinum illud equi pretium parvipendisse. Quare et alios centum solidos insuper pro equi redemptione porrexit : quibus enim datis, velociter secutus est equus, et regi præsentatus. Unde fertur dixisse Clodovæus : « Sanctus Martinus est bonus auxiliator, sed carus negotiator. »

Hæc omnia de origine Francorum ponimus in hoc loco, sub titulo Leonis imperatoris, cujus temporibus Græci dominium Romæ omnino perdiderunt, et Franci imperium Romanum in Occidente habere cœperunt. Primo quidem per Carolum Martellum ducem Francorum, quem Pipinus Grossus majordomus, genuit ex Alpheida ducissa, occulto coitu. Deinde per Pipinum Nanum, filium ipsius Caroli Martelli. Postea per Carolum Magnum, filium Pipini Nani, primum imperatorem Francorum. Deinde per Ludovicum filium Caroli; et deinceps usque in præsentem diem ; sicut in posterum per distincta capitula suis locis et temporibus, auctore Deo, referemus.

De ultimo Leone imperatore Græcorum, LXVI *ab Augusto; cujus temporibus imperium Græcorum ad Francos est devolutum; et de Romanis pontificibus illius temporis, et chronica diversorum.*

Cæsaris imperium nunc fertur adesse Leonis,
Sedecies ductis annis fert lora decoris,
Ultimus est ipse quem sua Roma colit.
Gregorius sedit cum Cæsare papa Leone,
Annis rite decem Romanum gessit honorem,
Menses ter ternos addita vita fovet.
Insuper ad requiem pertulit octo dies.
Carolus Martellus dux Francorum regna regebat,
Pipinus Nanus dux tunc cum patre sedebat,
Plurima Gothorum bella frequenter erant.
Græcorum reges hucusque licet memorari,
Quos loquor Italiæ tunc imperio dominari,
Nunc et in Italia Græco corona cadit.
Vertimur ad Francos, quorum virtute tueri
Itala gens poterit, securaque Roma teneri :
Carolus Martellus tutor et auctor erit.
Pipinus Nanus fieri rex inde meretur,
Qui post Martellum papalia jura tuetur,
Fit quoque patricius, fert et in Urbe decus.
Carolus imperium poterit post ista mereri
Cujus et Ecclesia poterit virtute tueri,
Ejus ab imperio Græca corona perit.

De genealogia Caroli Magni, a temporibus atavi sui Pipini Grossi, et qualiter ipsa progenies obtinuit regnum Francorum : quæ postea sortita est Romanum imperium, et totum orbem.

Anno ab Incarnatione Domini 710, mortuo Dagoberto minore, rege Francorum, filius ejus parvulus in tutela Pipini Grossi, qui erat majordomus, remansit. Qui etiam post pauca per insidias quorumdam periit. Tunc Grimoaldus filius legitimus Pipini Grossi, regnum usurpans, a consanguineis Dagoberti regis defuncti captus est, et tandiu in arcta custodia detentus, donec ibi mortuus est.

Eodem tempore pars illa Galliæ, in qua est Sequana fluvius et Ligeris, vocabatur Gaudina : ubi

Digitized by Google

duo reguli fratres, ex consilio matris, invadunt regnum Francorum, id est Theutonicorum, super Rhenum fluvium, cum ibi tunc rex non esset. Et primo impetu urbem Wormatiam invadunt, ubi a Francis bello repressi, iterum reparatis viribus civitatem Moguntiam obsidione cingunt. Ad hæc Franci regem non habentes, Carolum Martellum, filium Pipini Grossi, natum ex Alpheida, regem facere decreverunt : qui coronam quidem recipere renuit; sed vexillum eorum contra Gaudinos suscepit, et cum regibus præfatis prælio conserto, utrumque regem manu sua in prælio occidit atque cum ipsa victoria præcedens Remis, et Parisiis, omnem Gaudinam provinciam subjugavit.

Tunc idem Carolus Martellus perpetuo decreto constituit illam provinciam Gaudinam eo nomine non nominari, sed Francigenam appelari, in lingua vero Theutonica, jussit eamdem provinciam vocari nomine suo Carlingam, et eos homines nomine suo vocari Carlingos, sicut a Cæsare Cæsarea dicitur ; quod vocabulum omnes Theutonici usque hodie servaverunt. Dicunt enim : Vado in Carlingam, venio de Carlinga, homo ille Carlingus est, et linguam habet Carlingam. In lingua autem Latina, vocant eos Francigenas, quasi genitos a Francis. Theutonicos vero occidentales, id est cis citraque regnum, Francos vocant. Terram quoque ipsam Franciam a Francis dicunt. Franconiam quoque, a quodam duce eorum Francone, vocare eam consueverunt. Itaque de ipso Carolo Martello, qualis fuerit et quot filios reliquerit, dicamus.

De Carolo Martello.

Anno igitur ab Incarnat. Domini 714, majordomus erat iste præfatus Carolus, cognomine Martellus, qui pater Pipini Nani fuit, et avus Caroli Magni, qui dux et majordomus Francorum existens, natus ex Alpheida ducissa per concubinatum, ex patre duce Pipino Grosso, sua prudentia omnes Gallias, et Hispanias vicit et subjugavit; et Ecclesiam Romanam, atque Italiam a Gothis liberavit, et ipse primus decimas Ecclesiarum consensu papæ Zachariæ, militibus dedit in feudum, pro Ecclesiæ Dei necessitate. Eo tempore Beda presbyter obiit, nono Kalendas Junii, qui multa scripta Ecclesiis contulit.

Carolus Martellus reliquit duos filios, Pipinum et Carlomannum, qui simul duces et majoresdomus Francorum dicebantur. Sed post annos IV Carlomannus fecit se monachum in Monte Casino. Pipinus vero per papam Zachariam, ex electione Francorum, factus est rex Francorum, Hildrico ignavo rege per Francos tunc monacho in monasterium misso. De Pipino vero natus est Carolus Magnus. Cætera versus habent, de Leone imperatore, et Carolo Martello :

De primo adventu Gothorum in Italiam, tempore Leonis, imperatoris Græcorum, quando Carolus Martellus Italiam a Gothis liberavit.

Cæsare Græcorum diadema tenente Leone,
Plaga venit Romæ, pax deperit a regione,
Gothica nam rabies prælia dira movet.
Ad scelus edoctos peperit Guasconia Gothos,
Copia Gothorum genus est speciesque malorum,
Viribus ipsorum præda fit omne solum.
Marte premunt Ligures pariunt hinc inde dolores,
Thuscia conteritur, sentit quoque Roma furores.
Itala terra dolet, mors erat ante fores.
Roma requirit opem; Leo non dedit; inde querites
Amodo per Francos satagunt has tollere lites
Theutonici veniunt, Francia signa nitent.
Gregorio papa totoque petente senatu,
Carolus Martellus committere bella vocatur,
Liberet ut patriam, munus ab Urbe datur.
Militis ad pretium decimas respublica donat,
Papa vocat proceres, veniant defendere Romam.
His dedit Ecclesia tunc decimata bona.
Copia Gothorum Martelli marte fugatur,
Roma reformatur, pax Ecclesiæ reparatur,
Gloria Francorum fulget in Urbe caput.

De morte et sepultura Caroli Martelli, et de filio ejus Pipino Nano, cum duobus fratribus suis.

Anno ab Incarnatione Domini 743, defuncto Carolo Martello, et sepulto eo in Liguriæ civitate, quæ vocatur Aquis, Pipinus filius ejus dictus Nanus, et frater ejus Carlomannus, cum tertium fratrem eorum Griphonem, tanquam hostem suum, a regno fugassent, regnum inter se dividunt. Carlomannus accepit Austriam, id est Osterrich, et Alemanniam, id est Sueviam et Turingiam : Pipinus autem Burgundiam et Neustriam atque provinciam cis Rhodanum sortitur. Deinde multis prœliis ab eis contra hostes commissis, anno ab Incarnat. Domini 746, quando Fuldense monasterium fundabatur, Carlomannus fratri suo Pipino omnem terram relinquit, et ipse monasticum habitum, in monte Sirati, ubi olim latuit beatus Sylvester, per papam Zachariam assumit : et inde propter nimiam hominum frequentiam, ad Montem Casinensem se transfert, et clericus factus, ibidem vitæ finem exspectavit. Ibi etiam, sicut dicitur, aliquando porcos custodivit; ibique in introitu ecclesiæ beatam sepulturam accepit.

His temporibus Pipinus dux Francorum factus est patricius Romanorum.

Anno ab Incarnatione Domini 751, cum in regno Francorum regibus solo nomine regnantibus, majordomus omnem regni administrationem ac potestatem haberet, et Ecclesia a Gothis, atque a Longobardis afflicta instanter a Francis auxilia postulasset Pipinus, dictus Nanus, cum esset majordomus, ad Zachariam papam legatos suos, Burchardum scilicet Guerzeburgensem episcopum, et Pholradum capellanum suum, gratia sciscitandi transmisit; et quid de regno Francorum ei videretur agendum quæsivit. Papa itaque melius esse illum regem, qui regni totius curam et potestatem habet, quam illum, qui solo nomine rex est, remandavit. Stabat enim in rege sola nominis umbra; in Pipino vero potestas et dignitas efficaciter apparebat. Erat tunc

Digitized by Google

Hildericus rex ignavus et inutilis, ex antiquorum regum Francorum genealogia, qui reges a Mirovæo, filio Clodii, omnes Mirovæi fuerant appellati, qui etiam inane regis nomen habebant. Reversi sunt igitur Pipini ab Urbe legati, et omnis Gallia consilio papæ Zachariæ libenter consensit.

Pipinus fit rex Francorum.

Anno igitur ab Incarnat. Domini 752, auctoritate papæ Zachariæ, Pipinus a Bonifacio Moguntino archiepiscopo, aliisque regni principibus, in civitate Suessiona, in regnum eligitur. Sequenti anno, papa Zacharia defuncto, Stephanus papa successit. Qui cum ab Agistulpho rege Lombardorum multa mala pateretur, Pipino a prælio Saxonum revertenti, ubi etiam de morte fratris sui Griphonis nuntium recepit, occurrit in villa, quæ dicitur Carisius, rogans eum ut Ecclesiæ Romanæ succurrat. Cætera versus habent :

De Gothis, et de Lombardis, a quibus Pipinus Ecclesiam Romanam, et totam Italiam liberavit.

Marte prius Gothis procul a regione remotis,
Gens venit Hunnorum, Ligurum contraria votis,
  Omnibus Italicis perniciosa locis.
Hæc gens bella gerens dum dimicat hoste minante,
Femina pugnando crines sibi porrigit ante,
  Barbaque mentita, pendula pendet ita.
Mirantur Ligures longas sub pectore barbas,
Cumque vident barbas, metuunt, quasi bestia [larvas,
  Gens Ligurum timuit, cessit, et arma dedit.
Sic Longobarda meruit gens illa vocari,
Nisa super Ligures hoc ingenio dominari,
  Vicit et Apuliam, littore, rure, mari.
Rex Lombardus erat Luprandus in urbe Papia,
Qui gravat Ecclesiam, Romam premit usque Sutriam
  Nec patitur patriam pacis habere viam.
Papa coarctatur. Leo Cæsar ad ista vocatur;
Spes ibi nulla datur, rex Francorum rogitatur,
  Sed neque rex venit, cum foret umbra caput.
Hildericus tunc ignavus regnasse videtur,
Qui neque Francorum regnum virtute tuetur,
  Nec bene regales novit habere lares.
Pipinus dux Francorum sua regna tueri
Curat, et ipse domusmajor censetur haberi,
  Rex et patricius qui cito magnus erit.
Pipinus dux Francorum tunc regna regebat,
Regis et officium plene sub rege tenebat,
  Rex ibi tunc vacuo nomine vilis erat.
Coram principibus dum rex in sede sederet,
Nil ibi præciperet, nisi dux prius ille juberet,
  Jura, potestatem, dux erat ipse gerens.
Rex erat Hildricus, qui tunc regnasse putatur,
Umbra fuit regis, non rex, si jure notatur,
  Francia si poterit non erit umbra caput.
Tunc rex Luprandus regnabat in urbe Papia,
Opprimit et Romam, simul et papam Zachariam
  Et nimis Ecclesiam perdere semper hiat.
Dum regimen regni Francorum Nanus haberet,

A Rex tamen Hildricus vacuus vilisque sederet,
  Nanus apostolico scripserat ista ferens :
« Si cupis Ecclesias regni virtute juvari,
Præcipias regem validum fortemque levari,
  Robur ad hæc patriæ nos retinemus, ait;
Nam rex Hildricus, cui nomen Francia præstat,
Res quasi funesta, cui non datur ulla potestas,
  Nudum nomen habet, sed mihi terra favet.
Scribe, Pater, Francis, [pete, suggere præcipe semper,
Ut faciant regem patria gladioque potentem,
  Nam nihil auxilii principis umbra facit. »
Littera papalis Francis celeberrima venit,
Erigitur solium, Pipino gloria cedit.
  Quippe sibi regnum Francia tota dedit.
B Hildericus factus monachus, caput ipse totondit,
Seque monasterio sub religione recondit,
  Sic fortuna fuit, sic rota versa ruit.
Sede Moguntina regem Bonifacius ungit,
Regis ad obsequium se Francia subdita jungit,
  Ad regem Nanum cedit ubique salus.
Sic probitate sua regnum Pipinus adegit,
Corpore qui minimus res ad meliora redegit,
  Et melius reliquis subdita regna regit.
Ejus sponsa fuit grandis pede nomine Bertha,
Venit ab Ungaria, sed Græca matre reperta,
  Cæsaris Heraclii filia namque fuit.
Ex hac mistura fit summa corona futura,
Carolus est Magnus quem Berta fuit paritura,
  Scripsit visa prius jungitur arte sua.

C *Chronicum.*

Trojanam propaginem in duo genera regum quondam fuisse divisam, id est in Æneam et Priamum juniorem. Æneas venit in Italiam, a quo omnes Romani reges et imperatores exierunt. Priamus vero junior ivit in Germaniam, a quo omnes Germani, sive Theutonici reges nati sunt. Istæ itaque duæ progenies, a Troja venientes, in unum Carolum Magnum concurrunt, cum sit Theutonicus patre, et Romanus sive Græcus a matre Berta.

Pipini origo.

In duo divisa Trojana propago parentes,
Jungitur in Bertæ Pipini semine ventre
D Semine Pipini Troja fit una sibi.
Si modo Theutonica, Romanaque germina quæres,
Gemma parentelæ stat Carolus unicus hæres,
  Romuleus matre, Theutonicusque patre.
Pipini regis digressio scripta quiescat,
Contra Lombardos Pipini gesta patescant,
  Qualiter Ecclesiam juverit ecce canam.

Item de Pipino qualiter fit rex Francorum per papam Zachariam.

Anno ab Incarnatione Domini 754, Pipinus per Stephanum papam a fidelitate Hilderici prædicti Francorum regis, cum omnibus Franciæ principibus est absolutus. Tunc etiam, Hilderico tonsurato et monachato, atque in monasterium detruso, Pipinus regalem recipit unctionem. Eo tempore finem

Digitized by Google

accepit regnum Merovæorum; incipit autem regnum Carolorum, qui Græcorum imperium Romæ postea obtinuerunt. Ex hoc etiam facto Romani pontifices mutandi regnum trahunt auctoritatem. Pipinus igitur extunc regnum Francorum nomine et re laudabiliter gubernavit.

Chronicum.

Anno autem ab Incarnat. Domini 755, Pipinus rogatus a papa Stephano, contra Astulphum regem Longobardorum movet exercitum, et Italiam intrare disponit. Cum autem Longobardi per angusta montium positis ante se ad tuitionem validis muris, defensionem sibi parassent, Pipinus, occisis ex eis plurimis, murorum claustra confregit, et pertransiens, in plano Lombardiæ resedit. Astulphus rex in Papiam se colligit, ubi a Pipino obsessus XL obsides dare, atque insuper jurare compellitur, ne Romanam Ecclesiam amplius infestaret, ubi Stephano papa honorifice cum militia Francorum Romam remisso, ipse in Franciam remeavit. Hoc anno Bonifacius Moguntinus archiepiscopus, qui Ecclesiam Fuldensem, aliasque multas fundaverat, a Frisonibus, quibus prædicaverat, martyrio coronatur.

Cætera, si qua placent, versibus acta patent.

De obitu Luprandi regis Lombardorum, et de Astulphi regis exaltatione, et de primo introitu Pipini in Italiam.

Luprandus moritur, Astulphus sede levatur,
Cujus et Ecclesia graviore furore gravatur,
Ejus primatu Roma perire datur.
Aurea Romanus sibi ferre tributa jubetur,
Romanus præsul nusquam sua jura tuetur,
Græci dissimulant, nec sua regna juvant.
Nunc prece Pipinum repetunt ad prælia primum
Vincere Ticinum, regemque repellat ad imum,
Liberet Italiam Romuleumque sinum.
Venit, et obsedit regem, pariterque coegit
Reddere Romanis quæ tunc Astulphus abegit,
Gratia fit regi, qui loca sancta regit.
Visitat almificam Pipinus in agmine Romam,
Nec tamen in Roma voluit gestare coronam,
Fit modo patricius, nomen honorque tonat.
Inde Moguntinas patriæ remeavit ad ædes,
Regia Francorum quæ tunc erat inclyta sedes,
Qua Germanorum gloria summa sedet.
Dum rex Luprandus regnaret in urbe Papia.
Papa prius dictus sua fata tulit Zacharias,
Annis vita decem, bis quoque mense sedet.
Ter senos numerando dies superaddis ad annos,
Erigitur Stephanus Romæ præsul venerandus,
Cujus et a studiis pax rediviva fuit.

De secunda rebellione Astulphi regis, et de secunda victoria Pipini super eum

Rex Lombardorum Astulphus, post Pipini discessionem, ruptis promissionibus adversus Ecclesiam sævior solito apparebat. Unde Pipinus iterum cum fortitudine Italiam ingreditur; rursusque Astulphus in Papia obsessus, omnia corrigere, fortioribus promissionibus et pluribus obsidibus coarctatur. Insuper Ecclesiæ Ravennam cum quibusdam aliis urbibus coactus est resignare. Ipse autem Pipinus in Galliam est reversus.

Sequenti anno, Græcorum regno, sicut supra taxavimus decrescente, Francorum autem regno plurimum jam sublimato, legati Constantini Augusti de Græcia cum magnis muneribus ad Pipinum venerunt, apud Compendium. Thassilo quoque dux Bavarorum cum suis principibus tunc regi Pipino fidelitatem et subjectionem exhibuit. Post hæc etiam Saxones gravissimo bello Pipinus devicit, et tributarios fecit. Non multo post Guaifarium magnum Aquitaniæ ducem prælio pressit, et obsides dare coegit. Iterum dux Guaifarius ab Aquitania, Thassilo etiam dux ab Aguaria, incipiunt rebellare. Pipinus post diversa prælia, Guaifarium interfecit. Thassilonem quoque sufficienter oppressum subjugavit. Deinde Turonis infirmatur Pipinus, et Parisios deportatus, anno XIV a die qua in regem unctus est, anno vero ex quo post patrem suum acceperat principatum XXIII, diem obiit, relinquens duos filios, Carolum et Carlomannum.

Cætera versifice pagina nostra refert.

Item de eodem Pipino, versifice narramus.

Dum putat Astulphi scelus evasisse senatus,
Rex Lombardorum mox ad graviora paratur,
Nullaque jam requies ejus ab arte datur.
Præsul ab Astulpho queritur tormenta moveri,
Vita petit cleri Pipini more tueri,
Si modo tardus erit Roma repressa perit.
Alpibus evectus celeri Pipinus hiatu,
Milite congreditur, Astulphus marte fugatur
Urbe sua clausus quærere pacta datur.
Jurat, et obsidibus sua quæstio tota ligatur,
Amodo si papa Lombarda peste gravatur.
Auferat obsidibus regia pœna caput.
Pace reformata, Petro datur hostia grata,
Francia Brachata, loca visitat illa beata,
Et redit in patriam, pace manente rata.

De exaltatione Desiderii regis Lombardorum, et de Rachisio adversario ejus.

Astulphi regis dum vita die breviatur,
Rachisius frater monachus regnare paratur,
Cui Desiderii pars inimica fuit.
Divisis populis, et regibus his tribulatis,
Arma premunt armis, et pluribus inde necatis
Oppositis cuneis pugnat uterque satis.
Nunc Desiderio Stephanus dat papa favorem,
Jurat et ille sibi, non lædere prorsus honorem,
Quem super Italicos papa tenere solet.
Rachisius cedit monachus, pars altera sedit,
Gens Ligurum Desiderio reverenter obedit,
Nam sibi subsidii tempora papa dedit.
Rara fides Liguris; violat rex fœdera pacis,
Fœderis ante dati jam nexibus evacuatis,
Concutitur gratis papa dolore satis.
Hæc ubi Roma sapit, doluit rebus variatis,
Stat quasi fracta ratis, vel præda parata piratis,
Undique quassatis rebus et igne datis.

Digitized by Google

Carolus Magnus, filius Pipini, erigitur in regnum Francorum, mortuo Pipino.

Anno ab Incarnat. Domini 768, imperante adhuc in Græcia Constantino quinto, Carolus Magnus, filius Pipini Nani, regnum dividit cum fratre suo Carlomanno, et incipit regnare. Iste primo loco Hunaldum, qui occiso duce Guaifario, bellum in Aquitania renovabat, ad Lupum ducem Guasconiæ fugavit, et postmodum, tam ipsum quam Lupum in deditionem accepit. Inde sequenti anno in Wormatia generali curia celebrata, limina apostolorum causa orationis visitare disponit. Anno tertio regni ejus, Carlomannus frater ejus moritur, et uxor ejus cum filiis ad Desiderium regem Lombardorum confugit.

Carolus itaque jam solus regnum adeptus, Saxoniam cum exercitu ingreditur, omnibusque ferro et igne vastatis, acceptis inde obsidibus, revertitur; dehinc rogatu Adriani papæ Italiam ingreditur, et Desiderium Longobardorum regem Ticini obsidione inclusit. Ibique dimisso exercitu, Romam orationis gratia pergit. Inde reversus urbem fatigatam ad deditionem compulit, regemque captivum abduxit.

Inter hæc Saxones, absentia regis elati, fide postposita, contigua terræ sua loca populantur. Porro rex subacta Italia, reversus in Franciam, tripartito ordine militum Saxoniam ingreditur, incendiisque vastata terra, prædam immensam diripuit, et non multo post regressus, denuo ab eis obsides accepit.

His diebus Constantinus persecutor, trigesimo quinto imperii sui anno mortuus est, eique filius suus Leo successit, et Græcorum monarchiam per sex annos satis debiliter tenuit in Græcia.

De Leone imperatore Græcorum sexagesimo primo supra memorato, et chronica ipsius temporis.

Anno igitur ab Incarnatione Domini 776, Leo, sexagesimus sextus ab Augusto, imperium Græcorum accepit. Hic primo visus est mitior : unde et principes filium ejus imperatorem postulant.

Per idem tempus Saxones more suo, non semel, sed sæpe pactum mentientes Carolus diversis præliis pressit, ac plurimis ex eis fidem Christianam accipere persuasit. Porro Leo imperator, sexto imperii sui anno moritur.

Cætera versifice gesta referre placet :

Item de Pipino, et de generatione ipsius, versifice narramus ; et quomodo Carolus vocatus est in auxilium Romanæ Ecclesiæ in Italiam.

Pipinus moritur, consurgit Carolus acer,
Natus in Ingelehein, cui Bertha sit Ungara mater,
Pipinusque pater, chronica vera patent.
Dupla fuit juveni mensura pusilla parentis,
Major erat probitas, species, audacia mentis,
Fama fuit celebris, gloria multa nimis.
Nunc moritur Stephanus memoratus papa secundus ;
Annis quinque suo viguit sub dogmate mundus.
Insuper in finem pertulit octo dies.
Tertius accedit Stephanus Romæ venerandus,
Quem Desiderius perturbat ubique tyrannus,
Temporis exigui vir modo papa fuit.
Nam tribus hic annis et mensis quinque resedit,
Ter senos superaddo dies, quibus ipse resedit,
Cui Desiderius tempora torva dedit.
Erigitur post hunc Adrianus papa beatus,
Cui Desiderius perturbat pontificatum ;
Hic et opem Caroli pressus ubique petit.
Vixit Adrianus viginti quatuor annis,
Addo decem menses, denosque dies numerandos,
Insuper et septem sic superaddo dies.
Carolus egregius papalia scripta relegit,
Scribit ei papa mala quæ Lombardus adegit,
Et petit ut Christi conferat arma gregi
Francorum proceres pariter cum rege rogantur,
Ut simul Ecclesiam virtute sua tueantur,
Actaque Pipini commemorantur ibi.
Fertur ad hæc procerum sententia talis haberi
Si velit Ecclesia Francorum marte tueri,
Carolus imperio præficiendus erit.
Nam labor est vacuus sic Italiam superari,
Ni maneat princeps, qui possit ei dominari,
Gestet et imperii jura colore pari ;
Qui tenet archiva, quæ sæpe cadunt recidiva,
Tempora passiva sibi sunt, sed pauca dativa,
Nam mala castigat, nec tamen ipsa ligat :
Sit rex Francorum Romæ dominus dominorum,
Imperium teneat, terram premat Italicorum,
Atque super Danaos auferat omne solum.
Regis opem precibus dum Roma per omnia quærit,
Dum petit ut patriam dignetur ab hoste tueri,
Dicit ut imperium tollat ut alter heri.
Rex ait : « Italicos ego renuo ferre labores,
Ni simul Italicos habeam constanter honores,
Qui mihi, si fierent, pax valitura foret.
Prælia Pipini perpendo mei genitoris,
Quanta super Ligures probus intulit arma doloris,
Nec tamen abstinuit turba renisa dolis. »
Non valet Italica sine principe terra teneri,
Si requiem cleri cupitis sine rege tueri,
Qui fuit error heri, cras quoque major erit.
Nil valet archatus dum nullus eo dominatur,
Nec valet imperium nisi Cæsaris ense regatur,
Subjectam patriam regia norma parat.
Roma potens viguit dum Cæsar in Urbe resedit,
Publica res crevit, gens Itala pace quievit,
Terra suis dominis digna tributa dedit.
Tempora quæ memini, si Roma cupit reparari
Aut Desiderii regis scelus evacuari,
Expedit imperii quæ peto jura dari.
Rex ubi verba dedit, populus petit arma moveri,
Jura sui cleri petit, optat et ipse tueri,
Nam Desiderii Roma furore perit.
Curia Francorum precibus consentit eorum,
Tollat ut imperium victoria Theutonicorum,
Stringat et Italicum fiscus ubique solum.

Digitized by Google

Signa movent proceres, rex præcipit arma parari,
Transit et ad Ligures, quibus a modo vult do-
[minari,
Sed Desiderium prælia dira parit.
Campus apud Ligures Mortaria rite vocatur,
Rex ubi congreditur, Ligurum pars victa fugatur,
Sic Desiderii copia terga dedit.
Pro nece multorum, quæ facta fuit populorum,
Dicitur illorum Mortaria nomen agrorum,
Quæ peregrinorum stat modo grande forum.
Tunc duo consocii meritis vitaque beati,
Amis et Amilius parili sunt marte necati,
Carolus his tribuit digna sepulcra satis.
Obsidet egregiam modo rex cum rege Papiam,
Et jubet ut gladiis Francorum subdita fiat,
Reddat et Ecclesiæ quæ male rapta tenet.
Urbs nimis obsessa dolet, igne fameque repressa.
Vulnere defessa Lombarda superbia cessat,
Et licet invita, clausa remansit ita.
Dux ibi mirandus tenuit vexilla Rolandus,
Sic et Oliverius socia probitate notandus,
Hos pro rege duces tunc habuere truces.
Visitat interea regina potentia Romam,
Nec modo Cæsaream voluit captare coronam,
Orat, et ad Ligures signa reversa volant.
Carolus Italiam, postquam remeavit ab Urbe
Visitat et superat, fiscoque subesse perurget,
Reddit et ecclesiis prædia digna suis.
Rex Desiderius, quem marte recluserat intus,
Traditur exsilio pariter cum conjuge vinctus,
Cujus Aquisgrani carcere vita cadit.
Dum Desiderium regem rex Carolus angit,
Ante ducentenis et quinque fluentibus annis,
Itala Lombardis subdita terra fuit.

Historia Lombardorum, qui prius Vinuli vocabantur.

Duo duces Lombardorum ab insula Scatinavia fuerunt, Hibor scilicet et Hangio, quorum mater fuit Gambara, sapientissima. Isti tunc egressi, in finibus Oceani maris, sub rupe quæ vocatur Altissima, septem viros a longissimis temporibus ibi positos, inveniunt dormientes. Romano more pretiose vestitos, et tam vestibus quam corpore incorruptos: de quibus cum unum quidam vestibus exspoliare tentasset, tangentis eos manus protinus aruerunt: propter quod alii omnes amplius eos attingere non tentaverunt. Locus autem ille, et ipsa provincia, et populi illi, Vinuli vocantur, et crudis carnibus vescuntur, et sanguinem bibunt, sicut Historia Lombardorum testatur. Crudis etiam et hispidis coriis bestiarum, quasi cervis consimilibus induuntur; et nunquam sine arcu tenso, et sine sagittis incedunt. Omni tempore nives habent, et in quibusdam locis eorum tempore æstivo dies clara in medio noctis nostræ habetur, et quasi tunc sine noctibus esse videntur. Dum apud nos est solstitium, sol tamen ibi non videtur. Dies ibi minores sunt quam alibi: sed noctes longiores, quia scilicet quanto ibi a sole longius disceditur, tanto sol ipse terræ vicinior appareret, et umbræ longiores excrescunt.

Lombardi, a Scantinavia exeuntes cum ducibus supradictis, in regione Scoringa aliquandiu consederunt. Illo tempore Ambrietasius dux Vandalorum, vicinas quasque provincias bellis premebat. Unde multis elati victoriis, nuntios ad Vinulos mittunt, ut vel Vandalis tributa persolvant, aut se præparent ad bellorum certamen. Sic Hibor et Angio duces Vinulorum, simul cum Gambara matre sua, deliberant, melius esse armis tueri libertatem, quam tributorum solutione libertatem fœdare. Mandantque Vandalis per legatos, pugnaturos se potius quam servituros.

Refert Toclacus historiographus antiquitatis fabulam ridiculosam, quod Vandali accedentes ad idolum suum Godam, victoriam de Vinulis postulaverint. Illeque responderit se illis victoriam daturum, quando primum orientem solem conspexisset. Refert econtra Gambaram ad deam nomine Feriam, uxorem scilicet Godam, tunc accessisse, et pro Vinulis victoriam ab ea postulasse, eamdemque deam Feriam consilium dedisse, ut mulieres Vinulorum crines suos dissolutos ante faciem suam ponerent, et primo mane cum viris adessent, seseque pariter videndas versus fenestram, per quam Godam eas aspiceret, collocaret. Quod et factum ita fuisse refertur. Quos cum Godam solem orientem inspiciens, vidisset dixit: « Qui sunt hi Longibarbi? » Cui dea Feria respondit, dicens: « Ut, quibus ipse nomen tribueret, victoriam etiam condonaret. » Itaque Vinulis, sicut aiunt, sic victoriam concessit. Hæc quidem fabulosa dicta videntur.

Verum autem nomen Lombardorum est, a longa barba, ferro intacta, Longobardos eosdem Vinulos appellari. In lingua enim Vinulorum *lang*, id est *longa; bart*, id est *barba*, interpretatur. Votam autem quidam Gotham adjecta littera dixerunt. Ipse est qui apud Romanos dicitur Mercurius, et tunc ab universis Germanis, ut Deus adorabatur, unde usque hodie, *Goth* in Theutonico, Latine dicitur *Deus*. Vinuli igitur etiam hodie Longobardi dicuntur.

Commisso igitur decies cum Vandalis prælio, et pro libertate contendentes Vinuli victores fiunt. Qui magna postmodum fame coacti, in eadem provincia Scoria, animo sunt consternati. De qua egredientes, dum in Moringam provinciam transire disponerent, Assipidi eorum iter impediunt, denegantes eis transitum per terminos suos. Porro cum Longobardi magnas hostium copias cernerent, et pro suorum paucitate cum illis congredi non auderent, tandem necessitas consilium adinvenit. Simulaverunt enim Longobardi se in castris suis habere cynocephalos, id est homines canina capita habentes. Quos etiam divulgant apud hostes pertinaciter prælia gerere, humanum sanguinem bibere; atque si hostem non possint attingere, proprium sanguinem potare. His hostes auditis, credulique effecti, bellum quod in-

Digitized by Google

dixerant, committere formidabant; habebant tamen apud se virum fortissimum, de cujus viribus omnimodis confidebant. Quem solum pro omnibus objiciunt pugnaturum; mandantes Longobardis ut unum eorum illi opponerent, qui cum eo pro omnibus singulare iniret certamen, ea scilicet conditione, ut si Longobardorum pugilem vinceret, ipsi transitum liberum obtinerent; sin alter illum vinceret, ipsi, sicut venerant, repedarent.

Ad hæc homo quidam, de genere servorum Longobardorum, se obtulit pro omnibus pugnaturus, ea quidem conditione, ut si vicerit, libertati donetur. Longobardi gratanter quod postulat pollicentur. Ita cum servus hostem vicisset, Longobardi in Mauringuam pervenientes, transeunt in Rugulandam : ubi modicum commorati, procedunt in provinciam Anthap, et inde in terram Bathaib ; deinde in Burgandam, quam per annos aliquot possederunt. Interea mortuis duobus ducibus Longobardorum, Hibor scilicet et Angione, ipsi sibi regem creaverunt.

Regnat igitur Agelmund filius Angionis, de progenie Vinulorum, qui apud eos nobilior habebatur. Iste super Longobardos annis triginta tribus regnavit.

Hujus temporibus quædam meretrix uno partu enixa septem infantes, crudeliter omnes in piscinam projecit necandos. Rex autem Agelmund equo residens, dum in piscinam forte venisset, hasta quam ferebat, miseros tangebat infantes. Quorum unus extenta manu, hastam apprehendit. Rex misericordia motus, et rem altius admiratus, mox illum ab aqua levari præcepit, atque per nutricem summo studio mandat alendum, eumque a piscina, quæ dicitur Lama, Lamis appellavit. Qui cum crevisset, factus est juvenis bellicosus, multaque virtute notatus, ita ut defuncto rege Agelmundo, ipse regnum laudabiliter gubernaret.

Interea dum Longobardi ab omni hoste securos se esse putarent, Bulgari eos medio noctis invadunt, regem Agelmundum, et magnam partem suorum occidunt, regisque unicam filiam captivam deducunt.

Longobardi postea resumptis viribus, Lamisionem supra memoratum regem sibi constituunt. Qui mox in Bulgaros arma convertit. Primo igitur bello cum Longobardi terga vertissent, rex Lamisio eos confortat, servis bene pugnantibus libertatem, omnibusque præmia larga promittit. Unde omnes armati in hostes Bulgaros manus convertunt, omnes pene prosternunt, spolia et arma infinita diripiunt, et gloriosissimum habent triumphum. Ex tunc et Longobardi ad exercenda prælia semper audaciores esse cœperunt.

Rege Lamisione defuncto, qui secundus regnavit, Letha pro eo regnavit, qui tertius eorum rex, cum annis quadraginta regnasset, succedit ei filius ejus Gildehoc, quartus a primo rege eorum. Quo defuncto, quintus rex Gildehoc regnum suscepit. Paulo post Longobardi a finibus illius egressi, transeunt in Rugulanda, id est in patriam Rugorum, ubi propter terræ fertilitatem aliquandiu remanserunt. Interea moritur rex Gildehocus, cui succedit Classo filius ejus. Defuncto quoque rege Classone, filius ejus Guado succedit, septimus rex Longobardorum. Tunc egressi de Rugulanda, habitaverunt in campis patentibus, quos lingua eorum Felda vocabant, ibique tribus annis manserunt.

Defuncto Guadone, succedit Gualtarius filius ejus, in regno octavus. Omnes autem reges illi fuerunt Adelingi, id est de nobiliori prosapia, quæ apud illos dicitur Adelinga. Gualtarus rex cum septem annis regnasset, obiit. Cui succedit Alduinus nonus in regnum, qui Longobardos in Pannoniam perduxit. Iste Alduinus habuit filium Alboinum, militem audacissimum; qui dum Gepidorum rex contra Lombardos pugnaret, filium regis Gepidorum uno gladii ictu exstinxit, et de eisdem Gepidis gloriose triumphavit.

Eo tempore Justinianus imperator legum multiplicitatem abbreviavit, et imperium in diversis partibus orbis mirifice dilatavit, sicut in tractatu ejus, dum de aliis imperatoribus scriberemus, satis est enarratum.

His diebus beatus Benedictus abbas erat apud locum qui dicitur Sublacus, et paulo post transiit ad montem Casinum.

Mortuo Alduino rege Longobardorum, filius ejus prædictus Alboinus, quem genuit Rudulinda regina, vir bellicosissimus, et per omnia strenuus, succedit patri in regnum, decimus regum Longobardorum. Iste accepit in uxorem filiam Clotharii, regis Francorum, nomine Glotsuindam, de qua genuit unam tantum filiam, nomine Abbisindam.

Obiit interea Turisindus rex Gepidorum : cui succedit Cunimundus in regnum, qui rupto cum Lombardis fœdere, bellum cum eis potius, quam pacem elegit, ut antiquas patris sui injurias, et fratris sui necem vindicaret. Itaque rex Alboinus cum Avaribus, qui prius Hunni, sed postea Avares a regibus sunt appellati, perpetuum fœdus composuit, deinde ad indictum sibi Gepidorum prælium properavit; dum Gepidi ad bellum procedunt, Avares, sicut cum Albuino condixerant, Gepidorum regnum invadunt. Quo audito, Gepidi in angustiis positi, et animo consternati, ex consilio suo eligunt cum Lombardis prius pugnare; deinde Hunnos, id est Avares, a patria removere. Igitur Gepidi et Lombardi bellum committunt. Hoc prælio Gepidi usque adeo sunt exstincti, ut nec unus ex eis nuntius remaneret. Albuinus in eo prælio regem Gepidorum Cunimundum occidit, et de testa capitis ejus scyphum ad bibendum paravit. Hoc genus scyphi, apud illos dicitur scapha, Latine autem dicitur patera.

Albuinus filiam Cunimundi occisi, nomine Rosimundam, deduxit captivam. Quam quia Glotsuinda filia regis Clotarii, prior scilicet uxor sua, jam obierat, ipsam captivam in suam perniciem sicut postea patuit, duxit uxorem. Ex illo tempore Lombardi su-

Digitized by Google

pra modum ditati et exaltati. Gepidi vero quasi exstincti, perpetuo servituti Hunnorum, id est Avarorum, sunt mancipati.

Igitur cum circumquaque frequens Longobardorum victoriæ personarent, Narses chartularius imperialis, qui tunc præerat Italiæ, bellum adversus Totilam regem Gothorum præparans, cum jam pridem Longobardos confœderatos haberet, legatos ad regem Albuinum direxit, quatenus ei pugnaturo cum Gothis auxilium ministraret. Tunc Albuinus ei exercitum direxit, qui Romanos adversus Gothos juvaret : quibus susceptis, Romani cum Gothis bellum committunt. Quibus usque ad internecionem pariter cum Totila suo rege deletis, honorati multis muneribus, victores ad propria remearunt.

Ex tunc Romani Longobardorum amici in Pannonia semper fuerunt. Igitur Narses deleta gente Gothorum, et hostibus Romanorum in diversis mundi partibus superatis, invidiam sibi apud Romanos contraxit. Romani eum apud Justinianum imperatorem et apud Sophiam imperatricem, falsis delationibus gravissime accusabant. Justinianus imperat ut Narses ab Italia discedat, et Constantinopolim redeat, Longino præfecto loco ejus in Italia constituto. Sophia quoque regina contra eum gravissime commota, minas ei gravissimas inferebat, dicens eumdem Narsem eunuchum ita se velle deprimere, ut in lanificio et in tela texenda cum cum aliis mulieribus vivere oporteret. Ad quæ verba Narses eunuchus dicitur respondisse, quod talem telam ei ordiretur, quam ipsa omnibus vitæ suæ temporibus complere non posset. Itaque odio metuque exagitatus, in Neapolim Campaniæ civitatem secedens, legatos mox ad Longobardorum gentem dirigit, mandans ut pauperrima Pannoniæ rura desererent, et ad Italiam cunctis refertam divitiis possidendam venirent : simulque misit multimoda pomorum genera, aliarumque species rerum, quarum Italia fertilitate lætatur. His et aliis dictis Longobardorum animos Narses ad intrandam Italiam vehementer allexit.

Longobardi legationem læti suscipiunt, de futuris commodis extolluntur, et ad intrandam Italiam præparantur. Eodem tempore igneæ acies in aere apparuerunt, Italiæ sanguinem qui postea effusus est coruscantes.

Albuinus rex Lombardorum, intraturus Italiam ab omnibus amicis suis Saxonibus petit auxilium, ut spatiosam Italiam cum pluribus possessurus intraret. Ad quem de Saxonibus viginti millia virorum cum uxoribus et filiis, cum Longobardis perpetuo mansuri venerunt. Hoc audientes reges Francorum, Clotharius et Sigibertus, Suevos, et alias gentes in locis unde Saxones exierant, collocaverunt.

Albuinus sedes suas, id est totam Pannoniam amicis suis Hunnis, id est Avaribus, ea conditione reliquit, ut si Longobardos aliquo tempore regredi oporteret, liceat eis ad suas possessiones in Pannoniam remeare.

Habitaverant Longobardi Pannoniam annis quadraginta duobus ; a qua egressi sunt mense Aprili, indictione secunda, cum uxoribus et liberis Italiam possessuri.

Anno ab Incarnatione Domini 588, Albuinus ingressus Italiam apud Forumjulii circa Venetias nepotem suum Gilphulsum primo loco ducem constituit, eique illas Italiæ partes commisit.

Eodem tempore moritur Clotharius rex Francorum, et regnum Galliæ inter filios ejus quadrifarie dividitur. Quorum primus, Aribertus, sedet Parisiis, secundus Guthrannus sedet Aureliani, tertius Hilpericus, apud Senones tenet sedem Clotharii patris sui, quartus Sigibertus sedet in urbe Metensi. Romæ tunc erat papa Benedictus, in Aquilegia vero Paulus erat patriarcha, qui metu Lombardorum ad Gradum, id est Venetiam, cum omni thesauro Ecclesiæ suæ, et cum supellectili confugit. Eodem tempore Avares qui et Hunni, sive Ungari, audita morte regis Francorum Clotharii, super filium ejus Sigibertum arma convertunt; quibus ille in Thuringia occurens, juxta Albim fluvium de eis optime triumphavit, illisque postulantibus pacem dedit.

Albuinus cum Tervisium pervenisset, episcopus ejus Ecclesiæ Felix ei occurrit; cui rex petenti super omnibus bonis Ecclesiæ privilegii sui firmamenta concessit. Albuinus Veronam omnesque alias Venetiæ civitates, præter Paduam, et Mantuam, et montem Silicis, vicit. Venetia enim non in paucis insulis, sicut quidam æstimant, constat, sed etiam terminos a finibus Pannoniæ usque ad Aldam fluvium tenet Laudensium et Mediolanensium. Probatur hoc per libros Annales, in quibus civitas Bergamum inter alias civitates Venetiæ numeratur. Dicitur autem Liguria circa Mediolanum, et circa Papiam, quasi a legendis leguminibus, quibus omni tempore plus quam aliæ provinciæ abundare videtur. Ligurii usque ad fines Suevorum et Burgundionum terminos suos extendunt.

Albuinus rex Lombardorum uxorem suam Rosimundam cogit bibere ex testa capitis patris sui Cunimundi, regis Gepidorum : quam ipse in similitudinem scyphi fecerat præparari.

Albuinus rex in quadam sua magna solemnitate in convivio solemniter residens, cum scypho illo, quem de capite Cunimundi, regis Gepidorum, socceri sui, sibi fecerat præparari, imperat, ut in præsentia omnium, reginæ propinetur : quæ dum facti sceleris ignara, poculum bibitura tulisset, dicit ei rex Albuinus. « Bibe cum patre tuo : » Quo dicto, Rosimunda regina, magis quam credi valeat contristata, ingenium et animum ad hujus sceleris ultionem convertit.

Rogat igitur ad hoc perpetrandum ipsius regis pincernam, nomine Helmegis, et alium militem, nomine Paradeum. Erat autem Helmegis nutritius et

Digitized by Google

collactaneus regis, miles fortissimus; qui dum prima fronte non consensisset, regina, subtiliori usa ingenio, imperat ancillæ suæ admodum speciosæ, ut sese pincernæ ad coitum sequenti nocte supponat. Quod cum puella semel aut bis peregisset, regina in ipsa nocte, clam remota puella, se ipsam militi ignoranti subjecit, expletaque cum eo libidine, dixit : « Quam feminam me esse existimas ? » Ille respondens, nominavit puellam. Ait illa : « Reginam me esse cognoscas. Unde nisi meis dictis parueris, ipso Albuino te feriente, peribis. Elige igitur magis illum occidere, mecumque regnare feliciter, quam illo vivente, meque te accusante, perire. » Ad hoc Helmegis pincerna in angustiis positus, quasi invitus sequitur mulieris præceptum, tandemque iniquum consilium pessimum sortitur eventum.

Qualiter autem regina, et Helmegis pincerna regis cum milite Paradeo hæc scelera inchoaverint et terminaverint, qualiter etiam ipsi postmodum perierint, subjecta pagina versibus heroicis explicabit : quibus perlectis, ad historias imperatorum iterum convertemur, et de Carolo, suisque successoribus historias proponemus.'

Item de Albuino, et de Rosimunda versifice, qualiter illa se vindicat, et ipsa tandem veneno moritur.

Anni sexcenti fuerant post tempora Christi,
Quando per Italiam Lombardus prælia sistit :
  Lombardus Vinuli nomina prisca tulit.
Regibus ante novem jam præteritis Vinulorum,
Venit in Italiam rex Albuinus eorum ;
  Sic Lombardorum scripta priora volunt.
Ducta per Ungariam quondam Lombarda corona,
Occupat Italiam, sedem tenet urbe Verona ;
  Taliter historiæ scripta priora sonant.
Primus in Italiam rex Albuinus eorum
Vicit ab Ungaria bello gentem Gepidorum,
  Interimens regem, diripiensque forum.
Tunc Gepidi caput inde tulit regis Cunimundi,
Sub specieque scyphi capitis parat ossa rotundi,
  Victor et inde bibit pocula chara sibi.
Interea sua sponsa prior moritur Gledosunda,
Filia regis ei Gepidi fit sponsa secunda,
  Hæc Rosimunda fuit, cujus et arte luit.
Ipse caput soceri, quem fecerat ense necari,
Arte scyphum fieri statuens, auroque ligari,
  Vina suæ sponsæ præcipit inde dari
Femina nescisset quod testa paterna fuisset,
Vina nec hausisset, nisi diceret impius ipse :
  Testa tui patris est, cum patre nata bibe.
Dum bibit immunda data vina gemens Rosimunda,
Pectora pessundat, lacrymæ vehementer inundant,
  Occisique patris res fit amara satis.
Crimen inauditum, regemque perhorret iniquum,
Præparat invisum regina necare maritum,
  Dum caput abscissum comperit esse scyphum.
Instruit ancillam, forma specieque decoram,
Ut sibi pincernam coitus conjungat in hora,
  Illa quod implorat perficit absque mora.

A Nocte sequente venit regina, loquens mulieri :
Militis hujus ego volo te lecto removeri,
  Opto mihi fieri quod tibi fecit heri.
Abiit ; se prostituit regina latenter,
Ignarum tenet ipsa virum perpessa libenter,
  Expletisque jocis, incipit ipsa loqui :
Quomodo reginam tu non tetigisse vereris ?
Ecce tui regis gladio digne morieris,
  Ni mihi credideris hostia mortis eris.
Vir putat ancillam, sed vox sonuit Rosimundæ,
Unde vir expavit, mulier confortat eundem,
  Cœpit et ordiri facta futura viri.
Elige quod cupias, duo sunt quæ conspicis in te,
Aut regem perimes, inquit, vel rex perimet te,
  Elige sorte fori, vivere sive mori.
B Te licet invitum, dixit, mihi quæro maritum
Rex eris, et regem gladio jugulabis iniquum,
  Si mihi credideris, quamcito summus eris.
Dum regina dolet nimium pro morte paterna
Vindice pincerna cito vindicat acta moderna,
  Rege soporato sustulit ille caput.
In pretium mortis tribuit se femina sorti,
Thesaurosque suos in eum post pauca retorsit,
  Indeque post plura præripuere fugam.
Namque Ravennatum ratibus rapuere meatum,
Dux urbis suscepit eos tribuitque theatrum,
  Patria tunc illis magna Ravenna fuit.
Cum duce regina clandestina fœdera quærit
Si pincerna perit, si morte potest removeri,
C Sponsus reginæ dux ibi solus erit.
Dum pincerna venit potum parat illa venenl,
Potans præbet ei, simul et potare coegit,
  Femina mœcha bibit, nota venena sibi.
Illa prius moritur, defungitur ille sequenter,
Fraus ibi fraude perit, moritur mors morsa decen[ter,
  Sic gravis ira Dei digna rependit ei.

De Constantino imperatore Græcorum, sexagesimo septimo ab Augusto, regnante in Francia Carolo Magno.

Anno ab incarnat. Domini 781, regnante in Francia Carolo Magno, Constantinus filius Leonis, sexagesimus septimus ab Augusto, in imperium successit Græcorum, cujus filia Carolo Magno a matre de-
D sponsata, alii copulatur, cujus imperii anno tertio idem Carolus rex Romam veniens, ab Adriano papa honorifice suscipitur, ibique sancto Pascha celebrato, Pipinus filius ejus in regem Italiæ, et Ludovicus alius ejus filius, in regem Aquitaniæ unguntur. Ipse autem Carolus, universo Romano populo acclamante, patricius Romanus appellatur.

Circa idem tempus Carolo Pascha Domini in loco qui dicitur Ingelheim, quarto milliario ab urbe Moguntia, celebrante, Tassilo cum majoribus Bavariæ principibus venit, ubi dum accusatus a Bavaris, quod fidem Carolo non servasset, imo Avares ad regnum devastandum duxisset, de his et de aliis majestatis reus, et capitali pœna plectendus judicatur. Rex tamen misericordia motus, in monaste-

Digitized by Google

rio Lauracensi, quod ipse construxerat, eum Monasticum habitum assumere, et de peccatis ibi pœnitere permisit.

Constantinus interea imperator, consilio matris suæ Irenes, ut aiunt, non multo post cæcatus, imperii sui anno primo diem obiit; regnavitque post eum mater sua quinque annis; unde postquam in manum feminæ devenerat imperium, dignum erat ut ad Francos, viros potentissimos, transferretur.

Leo papa Romæ fuisse cæcatus et lingua mutilatus, et iterum a Deo redintegratus.

Eodem tempore Leo papa, anno ab incarnatione Domini septingentesimo nonagesimo nono, post mortem papæ Adriani succedens, a Romanis flagitiosissime tractatur, ita ut oculis una die bis cæcatus, et lingua bis truncatus fuisset, et in capella quadam reclusus est. Sequenti nocte a quibusdam fidelibus ad Basilicam beati Petri perductus, ubi virtute Dei oculos et lumen oculorum, et linguam cum loquela recepit. Deinde ad regem Carolum transiens, eventum rerum deplorat. Igitur Carolus, subjugatis sibi jam Bavaris, et Danis, et Saxonibus, atque Aquitanis, Normannis, et Britannis, et Pannoniis, multisque aliis provinciis, ad urbem Romam ulturus papam, tendebat. Leo papa prius per legatos in sedem suam restitutus, tunc ei venienti ad decimum lapidem occurrit, et honorifice eum suscepit. Transactis post hæc decem diebus, rex in populo facta concione causam adventus sui exponit, ubi Leo papa spontanea voluntate, nullo eum cogente, a crimine sibi objecto tactis sacrosanctis Evangeliis se purgavit. Cætera versus habent

Item ae eodem Leone papa tertio, versifice, quomodo cæcatus est, et lingua truncatus.

Prorsus ab Ecclesia Ligurum jam peste remota,
Plebeque Romulea gaudente per omnia tota,
  Volvitur ambigua sorte ferente rota.
Papa Leo capitur, processio dum celebratur,
Corpore conteritur, radicitus exoculatur,
  Cæcus et horribili carcere papa jacet.
Sustulit et linguam penitus gens illa maligna,
Cum foret indigna papalia tangere signa,
  Linguam cum rapuit rursus ab inde tulit.
Mane sub aurora res vertitur ad meliora,
Dum populus plorat, dum carcere papa laborat,
  Carceris e medio tollitur arte foras.
Tristior Ecclesia Dominum cum cernere quærat,
Vulnera mortifera reficit Clementia vera',
  Lumina participat qui modo cæcus erat.
Præsul habens oculos videt omnia lumine prisco,
Gloria sit Christo, qui mira patravit in ipso,
  Quo meruit cæcus frontis habere decus.
Obtinet et propriam linguam, redeunte loquela,
Audit et Ecclesia papa recitante querelam,
  Pollet in eloquio qui modo mutus erat.
Auctorum sceleris lector, si nomina quæris,
Campulus Ecclesiæ primicerius ordine cleri,
  Auctor erat sceleris quem data pœna ferit.

Nomine Paschalis, cantor, papæque sacrista,
Sacrilegas dedit insidias, nam perpetrat ista,
  Ambo pares scelere sunt, pariterque luent.

Leonis querela apud Carolum, et de Campi Paschali reis.

Quæ Leo passus erat, populus tormenta revelat,
Carolus interea suscepit ab urbe querelam,
  Et jubet ut veniat præsul, et ille meat,
Hæc ubi papa gerit, solatia regia quærit,
Multaque Romulei secum tulit agmina cleri,
  Ultio martyrii, quod Leo portat, erit.
Curia Francorum precibus miseretur eorum,
Quærit et ipsorum quæ sit modo causa laborum,
  Stans Leo conqueritur, narrat et ipse dolum.
Tempus ut exegit, Leo retulit omnia regi,
Quæ mala collegit, quæ Campulus ille peregit,
  Compatitur miseris qui diadema regit.
Corde dolent mites, plorant pietate quirites,
Præsulis horribiles properant exstinguere lites,
  Castra movent proceres, regia signa nitent.
Copia primatum suscepit ab Urbe senatum,
Suscipit archatum sibi papa reconciliatum,
  Pax velut optatur rege jubente datur.
Campulus et reliqui, quos noxia culpa notavit,
Traditur exsiliis, quia crimina tetra patravit,
  Præsul et Ecclesia gaudia longa trahit.

Qualiter et quando Carolus Magnus factus est Romanorum imperator, sexagesimus octavus.

Anno ab incarnatione Domini 801 ab Urbe condita 1552, Carolus Magnus XXXIII regni sui anno, a Leone tertio summo pontifice coronatur, omni populo Romano tunc acclamante, et laudes imperiales canente. Est igitur imperator Carolus LXVIII ab Augusto vocatus.

Carolus igitur Augustus, illos qui in papam sacrilegium commiserunt, Campulum scilicet primicerium, et Paschalem sacristam, capitali sententia condemnatos, interventu papæ vivere permisit, et ad pœnitentiam agendam, exsilio relegavit.

Porro Irene Græcorum imperatrix, missis legatis pacem inter Græcos et Francos ordinari rogavit. Cum quibus Carolus missis suis nuntiis, Irenen in uxorem sibi postulavit. Cui dum Irene annuisset, Ewius patricius præsentibus legatis Caroli, fratrem suum Nicephorum fecit imperatorem, et Irenen in monasterium trusit. Nicephorus idem factus Imperator, legatos suos cum legatis Caroli transmisit, et fœdus tunc inter se litteris ac nuntiis firmavere. Rex quoque Persarum Carolum imperatorem muneribus suis tunc honoravit. Cætera de coronatione Caroli versus habent.

Item de coronatione Caroli Magni, versifice narratur.

Undique papali gaudens Leo pace beari.
Dum super altari satagit divina parari,
  Ordine regali regia metra canit.
Laudat et ecclesia populo plaudente coronam,
Imperii zonam satis obtulit inclyta Roma,
  Laudibus imperii fortiter aula tonat.

Digitized by Google

Rex ubi laudatur, dum Cæsar in Urbe vocatur,
Cantica miratur, quibus a populo reboatur,
Istaque principibus dicta referre datur;
Imperii nomen qui vult mihi promere Roma,
In vacuum promet, nisi nomine conferat omen.
Nil agitur pro me, ni valitura sonent.
Laudibus imperii tantum nequit orbis haberi,
Effectum cum laude geri respublica quærit,
Si laus vana perit, gloria risus erit.
Ast quia complacuit populo me laude levari,
Papaque Cæsarea voluit me sorte sacrari,
Ne videar pavidus, suscipiamus, ait,
Quod non Roma tenet, gladio mea dextra requiret
Opto super Danaos procerum prætendere vires,
Urbis et orbis opes conferat ista dies.
Imperii nomen non renuo tollere Romæ,
Namque super Danaos capiemus jura coronæ,
Tollere sic nomen curia tota monet.
Carolus imperii suscepit in urbe coronam,
Cujus et auxiliis reparat sua tempora Roma,
Sicut et in titulis pagina nostra sonat.

Carolus Romæ coronatus, cogitat invadere imperium Græcorum.

Carolus ut fungi statuit diademate mundi,
Pontificis summi manibus decrevit inungi,
Cæsareis Aquilis nomen onusque tulit.
Clerus ei cecinit, populus sua jura subegit,
Nec tamen imperii tunc plenum culmen adegit,
Nam Leo Græcorum rex diadema regit.
Cumque foret magni terroris fama per orbem,
Quod caput Italiæ jam Carolus obtinet Urbem,
Gliscit, ut et Romam possit habere novam.
Non satis est regem Romæ captasse favorem,
Nec putat imperium pleno retinere decore,
Unde super Danaos protinus arma movet.
Migrat in Ausoniam, pleno petit ista rigore,
Græcus ut imperium sibi deferat absque tenore,
Ille necem metuens congrua pacta movet.

Nicephorus Græcorum imperator, a Bulgaris occiditur, Michael gener ejus erigitur, Carolo jam Romæ imperante.

Anno ab incarnatione Domini 812, Nicephorus Græcorum imperator, a Bulgaris publico congressu necatur. Cui gener suus Michael, in regnum substituitur. Iste nuntios Caroli, ad antecessorem suum missos honorifice dimisit, suosque legatos cum eis ad Carolum destinavit, et pacem cum eo renovatam firmavit. Is etiam dum contra Bulgaros exercitum ducit, non prosperis usus successibus, revertitur, depositoque regno monachus efficitur.

De Leone Græcorum imperatore, jam Carolo Romæ imperante.

Leo filius Bardi patricii, imperator in Græcia, cum quo rursus Carolus pacem perpetuam hoc modo componit, ut alter alterius semper frater nominetur, et alter ab altero semper juvetur, Græcus autem imperator Orientem, Carolus vero suique successores habeant Romam cum toto Occidente. Quibus omnibus in pacem compositis, Carolus orationis causa, Hierosolymam per Constantinopolim transit. Factaque ibi oratione, per Siciliam, sicut dicitur, remeavit, atque inde per Calabriam et Apuliam Romam rediit, ubi recepta benedictione in Gallias rediens, apud Aquisgranum ecclesiam Beatæ Mariæ opere mirifico ædificavit.

Item Carolus per admonitionem angeli, in Hispanias parat exercitum, ubi, ut aiunt, per annos quatuordecim laboravit, plurimas gentes convertit, plurimos amisit. Inde Aquisgranum reversus, post infinitas victorias, in palatio Aquisgrani, ubi ipse principalem sedem regni Francorum constituit, finem vitæ suscepit, anno quadragesimo sexto regni sui; subactæ vero Italiæ anno quadragesimo tertio, imperii autem sui, anno decimo quarto, ætatis suæ, anno septuagesimo secundo, sepulturam honorabilem in eadem Sanctæ Mariæ ecclesia, imperiali more sortitus est.

Erat autem Carolus, ut quidam scripserunt, corpore amplo ac robusto, statura eminente, apice capitis rotundo, oculos habuit prægrandes et vegetes, nasum paululum excedentem mediocritatem, canitiem pulchram, faciem lætam et hilarem. Eloquentia erat copiosus et exuberans, in cibo temperatus, in potu temperantior. Regni ejus tunc erat terminus a Bulgaria sive ab Illyrico, usque ad Hispanos; atque a Danis, usque ad Pharum Siciliæ, exceptis adjacentibus regionibus, utpote Boemia, Polonia, Dalmatia, Histria, Venetia, Britannia, aliisque provinciis.

Cætera versifice gesta referre placet.

Item de pactione facta inter Carolum et Græcorum imperatorem, versibus explicamus.

Pacta parant reges, ut frater uterque vocetur,
Dividit imperium, sed honor communis habetur,
Græca tenet Græcus, sit sibi Roma vetus.
Unde duæ summæ gestantur in orbe coronæ,
Si fuit una prius, binæ sunt ordine Romæ,
Unus erat Cæsar, nunc duo jura colent.
Unus erat dominus mundi, præcelsus honore,
Nunc duo sunt fratrum dupla ratione decores,
Fratris adhuc nomen fingere sæpe solent.
Græcia transegit, placuit transactio regi,
Consensu Græci Carolus sibi culmen adegit,
Legibus obtinuit quod quasi præda fuit.
More suo fratres tali sunt fœdere facti,
Ut simul imperium teneant, ac pace coacti,
Roma vetus nostris, sed nova cessit eis.
Consilio, gladio, spondetur utrumque juvari,
Nomine fraterno censetur uterque vocari,
Vult sibi jure pari culmen uterque dari.

De quatuor principalibus sedibus imperii Romani, in Occidente.

Scribere vera volens, quot sint loca prima coronæ,
Quatuor imperii sedes video ratione :
Nomina proponam, sicut et acta sonant.
Primus Aquisgrani locus est, post hæc Arelati,
Inde Modoetiæ regali sede locari,
Post solet Italiæ summa corona dari,
Cæsar Romano cum vult diademate fungi,

Digitized by Google

Debet apostolicis manibus reverenter inungi,
Percipietque patrem cui loca sancta patent.
Absque manu papæ quem protulit aurea Roma,
Non decet ut capiat monocrator in Urbe coronam.
Cœlica tunc dona gratia summa tonat.
Illud ab imperio fieri de more fatemur,
Nam placere Deum sacra suscipiendo solemus,
Placat pontificem rex, et honore fovet.
Talia jure fori nulli tribuuntur honori,
Jure poli soli Petri donatur amori,
Nam ratione poli, condecet illa coli.
Ungit eum præsul, sed Christus inunctor habetur,
De cœlis divina manus quæ corde videtur,
Cui bene rex offert illud et omne decus.
Dum sacra pontificis manus hunc benedicere sistit,
Longa manus Christi sua munera dirigit isti,
Donaque missa Dei porrigit unctor ei.
Ungitur in Christum Domini, sed eum Deus ungit,
Unctio pontificis dat ei diademate fungi,
Est vice papa Dei qui benedicit ei.
Testis enim mihi psalmus erit, qui cantica junxit,
Inveni David servum mihi, quem Deus unxi,
Unxi, non unxit, littera narrat ibi.
Ipse quidem Samuel tunc personaliter unxit,
Nec legitur, Samuel unxit : sed ego Deus unxi
Ex oleo sancto cœlitus ipse meo
Sic oleo non corporeo diadema sacratur,
Materiale tamen oleum sacrare putatur,
Pontificisque manus conficit alma sacrum.
Si quæris quid papa gerit, quid honoris habebit?
Clavigerum loquor æthereum, cui mundus obedit,
Terrea cum superis cui Deus ipse dedit.

Carolus pergit peregrinus Hierosolymam, per Constantinopolim, sed revertitur per Siciliam, Calabriam et Apuliam.

Carolus Ausoniæ tandem lucratus honores,
Inde Hierosolymam subiit cum pace labores,
Jam crucis almificæ solvere vota volens.
Visitat illorum vestigia sancta locorum,
Qua natus, qua passus erat, Deus ipse deorum,
Qua tulit æthereum virgo Maria thorum.
Rex ut adoravit, Jordano lavandus biavit,
Rebus honoravit regalia mœnia David,
Tunc regnum Siculi nave reversus adit.

Carolus revertitur a Hierosolymis.

Dum rate festina regem vehit unda marina,
Urbe Panormita portum capit absque ruina,
Omne solum Siculi munera solvit ei.
Carolus hic Siculum recreat baptismate regem,
Quem jubet Ecclesiæ Romanæ sumere legem,
Catholici populi dogma tulere Dei,
Mons ibi stat magnus, qui dicitur esse Rolandus,
Alter Oliverius, simili ratione vocandus,
Hæc memoranda truces constituere duces.
Mons ibi flammarum quas evomit Ætna vocatur,
Quo lapis ignitus cum sulphure præcipitatur,
Hoc ibi tartareum dicitur esse caput.
Latrat ibi Scylla, dat plurima damna Charybdis,
Inde rates pereunt, homines merguntur in ipsis,
A Gurgitis unda Pharo damna pericla parit.
Carolus videns loculis, quæ damna feruntur ab illis,
Miratur patrias, Ætnæ rutilare favillis,
Urbi Messanæ dixit, amica vale.

Item de eodem.

Transit ab inde Pharum quem gurgite sensit amarum,
Rerum multarum cernens ibi damna suarum,
Unde ferunt regem non doluisse parum.
Suscipit hunc Calaber, properant vexilla potentum,
Omne solum capiunt subita probitate retentum,
Undique cum pace subdita terra jacet.
Inde per Apuliam miranda potentia Romam
Venit, et imperii gestavit in urbe coronam,
Organa cum cithara, fistula, trumba sonant,
B Tunc Aaron, rex Persarum, Carolo remeante,
Muneribus placavit eum, mittens elephantem,
Vasaque tunc auri plurima misit ei

Angelus Domini præcepit Carolo pergere contra Hispanos.

Pace data Romæ papa residente Leone,
Carolus ex more diadematis auctus honore,
In patriam rediit regna paterna colens.
Carolus imperii dum gaudia vult renovari,
Tempore Paschali solio sedet imperiali,
Regibus ac ducibus regia dona parit.
Nocte quiescenti loquitur vox cœlica regi,
Quem jubet Hispanos Christi supponere legi,
Audit et obstupuit qui diadema regit.
Mane revelata fit regia visio grata,
Curia laudata, satis est ad jussa parata,
Cœlica mandata stant ratione rata.
Dum super Hispanos vult Carolus arma parari,
Gaino prior comitum dat consilium variari,
Et requiem petiit tunc super arma dari.
Hinc ait, o Cæsar, nunc imber et algor abundant,
Flumina sunt valida, pluviæ torrentis inundant,
Asperitas hiemis est metuenda nimis.
Parcite principibus, equites hiemando quiescant,
Flumina deficiant, glaciesque nivesque liquescant,
Solis in ardore tunc tua signa move.
Si placet interea legatum mitte potentem,
Qui videat si forte queat convertere gentem,
Ne pereat gladio maxima turba tuo.
D Mittere magnificum poteris pro pace Rolandum,
Ejus ego sermone reor populum revocandum,
Si cum pace redit, laus tibi major erit.
Cessat ut iste loqui, favet inclyta curia votis,
Carolus tamen metuit ventura pericla nepotis,
Ne sua mortiferis traderet arma locis.
Surgit, et infremuit plenus feritate Rolandus,
Dixit, ob invidiam satagit me tradere Gainus,
Mens inimica latet, jam maledicta patent.
Ibo, nec horribiles spernit mea dextra labores,
Spero quod imperio multos referemus honores,
Sit Deus in medio, dux sua signa movet.
Rex timet eventum, sunt namque pericula centum,
Turba ducum comitatur eum, cœtusque potentum,
Millia ter dena tunc ducis agmen erat.

Digitized by Google

Dux noi sumit iter, pergunt sine pace quirites,
Undique multiplices peperit via pessima lites,
Bella parant gentes in regione sitæ.
Nocte sub obscura venit angelus, alma figura,
Bella ducis dura prædicit ubique futura,
Spondet et auxilium ne ducis arma ruant.
Coge tuas acies, ait Angelus, ecce potentes,
Sex video reges hostilia signa ferentes,
Quos ubi marte feris, me duce victor eris.
Dixit, et auratis clypeis montana refulgent,
Agmina Francorum circumdata marte perurgent,
Vulnera dant strepitum, corpora cæsa cadunt.
Agmina mirandi secuit manus apta Rolandi,
Ense ducis magni reges periere tyranni,
Ense triumphali deperiere mali.
Quinque ferunt reges aciei fronte fuisse,
Quos aiunt quinque ducis ictibus hic cecidisse,
Angelus hic lucis protegit arma ducis.
Clarior e cœlis ferit angelus agmina telis,
Cujus in auxiliis stetit inclyta turma fidelis,
Cessit et hostis ei sorte ferente Dei.
Talia multorum sunt prælia facta locorum,
Hoc facit armorum victoria Teutonicorum,
Viribus ipsorum vincitur omne solum.
In Pampilona fuerat tunc summa corona,
Cui Barsellona, regioque subest Aragona,
Atque Tarascona, sive Girunda bona.
Summus ab hac Urbe rex David ad arma recur [rens,
Agmina Francorum belli statione perurgens,
Prælia dira gerit, victus ab inde redit.
Pellitur interius rex David in agmine victus,
Acriter afflictus quia cum duce pertulit ictus,
Ante domum regis dux sua signa regit.
Dux petit alloquium modica sub pace teneri,
Rex favet, et causas cur venerit, ordine quærit,
Seria res agitur, sermo tenendus erit.
Romulei dux imperii proponit honorem,
Et jubet ut tribuat fiscalia jura coronæ,
Hæc ubi jussa movet, rex tumet, atque dolet.
Ira movet regem, quia jussa recepit amara,
Ista suis paribus fuerant fiscalia rara,
Rursus in arma ruens bella furore parat.
Solvitur armatis censura brevissima pacis,
Hostis ut ante ducis rejicit rex jussa minacis,
Utitur insidiis hostis uterque satis.
Lis patet absque mora, redeunt ad bella priora,
Rex nequit ire foras, præclusus ad interiora,
Cæsaris in patriam Francia signa volant.
Prœlia mirandus tulit infinita Rolandus,
Militis officio præcelsus in orbe notandus.
Sidus honestatis, dignus honore satis.
Carolus revertentis recipit vexilla nepotis,
Gens mala Catholicis nimis est contraria votis,
Rex parat hæreticis bella referre locis.
Rex jubet imperii victricia signa moveri,
Nec modo se poterint Hispanica regna moveri,
Judicio cœli turba maligna perit.
Qualiter Hispanos superavit Carolus olim,
A Hujus ego libri titulis subscribere nolim,
Alterius moduli sors dabit illa coli.
Prorsus ab hac cæde mecum mea musa recede,
Mecum læta sede, prolem mihi Cæsaris ede,
Cæsaris ad genitos dactyle verte pedem.

Ludovicus filius Caroli exaltatur in imperium, sexagesimus nonus ab Augusto.

Anno ab incarnatione Domini 815, Ludovicus, filius Caroli Magni, quem ipse Carolus adhuc juvenis successorem sibi et imperatorem constituit, comperta morte patris, ad palatium Aquisgrani redire festinat ab Aquitania; ubi, consensu omnium principum imperator creatur, sexagesimus nonus ab Octaviano Augusto. Qui primo regni ejus anno per delationes quorumdam comperit quosdam re-
B gni primates adversus Leonem papam conspirantes interfectos fuisse. Ad quod perscrutandum, vocat ad se nepotem Bernardum, regem Italiæ; qui Romam pergens; ibique ægritudine tactus, statum rei per comitem Heroldum Augusto mandavit. Leo quoque papa, missis ad Ludovicum nuntiis, de his quæ sibi imposita tunc fuerant, se purgavit. Pauco post tempore transacto, Leo moritur, et Stephanus substituitur. Qui statim præmissis nuntiis, qui eum ad imperatorem dicerent esse venturum, illico itinere abrepto, subsequitur. Imperator eum Remis cum honore suscepit, ubi papa celebratis missarum solemnibus, Ludovicum Romanorum imperatorem laudibus imperialibus pronuntiavit.

C Imperator postea Aquisgrani, Lotharium filium suum socium imperii legit. Alios filios duos, reges vocatos, unum Aquitaniæ, alterum Bavariæ præfecit. Sed paulo post Bernardum nepotem suum regem Italiæ, cum aliis Italiæ civitatibus contra se reperit conjurasse, adversus quem dum Ludovicus parat exercitum, ille animo fractus occurrit, et tradit se imperatori. Imperator tunc Aquisgrani, data sententia in Bernardum, et alios suæ factionis conjuratores, cum essent capite puniendi, jussit eos omnes cæcari.

Deinde filium suum Lotharium in Italiam mittit, ubi Lotharius rebus ordinatis, in sancto Pascha a Romano pontifice invitatur, et ab eo in imperium coronatur.

D Postea Ludovicus, propter mala uxoris suæ opera, ut dicitur, a regno pellitur, et iterum restituitur. Deinde post pauca, anno imperii sui sexto, diem solvit extremum. Anno ab incarnatione Domini octingentesimo quadragesimo primo, dum Lotharius, filius Ludovici, reversus ab Italia monarchiam habere proponit, fratres ejus Carolus et junior Ludovicus, imperii dignitate et nomine carere nolentes, Lothario bellum indicunt. Cunctisque viribus regni simul hinc inde contractis, mirabilem habent congressum apud Fontaniacum, ubi vires totius regni Francorum usque adeo sunt imminutæ, ut jam non regnum eorum dilatare, sed sua cogitet vix unusquisque contra gentes circumpositas posse tenere. Ibi Carolo et Ludovico vix victoria cruenta et

Digitized by Google

miseranda concessit. Deinde concordia inter se facta, his tribus fratribus sic dividitur imperium. Carolus a mari Britannico usque ad fluvium Mosam, partem obtinuit, Lothario, a Mosa usque ad Rhenum fluvium, Belgica Gallia cessit, quæ usque hodie Lotharingia, suo nomine solita est appellari: Ludovicus autem a Rheno versus Orientem omnem Germaniam, Alemanniam, et Bavariam in sorte suscepit.

Item de eodem Ludovico imperatore versifice narramus.

Carolus egregium genuit regem Ludovicum,
Quem Deus almificum sibi conformavit amicum,
Lege sua clerus jure vocatur herus.
Hic pater Ecclesiam vario prævenit honore,
Veste, domo, cerere, cujus fuit aucta favore,
Jure suo legitur grandis ubique fore.
Hic proprias habitare domos, equitesque tenere,
Nos facit, et veste varia griseaque nitere,
Nisus et accipiter hac quoque lege sedet.
Talis honor clero nisi Cæsare dante veniret,
Grande genus comitum cleri juga nulla subiret,
Rustica ne fieret, nobilitate viget.
Rex homo Catholicus, fovet, auget, amatque beatos,
Suscipit et ternos divino munere natos,
Quos facit et regno participare suo.
Dividit hic proles, subdividit et regiones,
Attamen imperii summos habet unus honores,
Sed duo reliqui sede carere dolent.
Climate sejuncti sunt, non diademate functi,
Sed neque pontificis manibus scribuntur inuncti,
Ita gravis pueris guerraque magna fuit.
Unus apud Francos Lotharius orbe resedit,
Carolus est alter, cui Sequana Gallia cedit,
Climata Bavariæ sic Ludovicus habet.

De Lothario imperatore, filio Ludovici, septuagesimo ab Augusto.

Diviso Francorum regno, Lotharius, cui ut dixi, cum Lotharingia Romanum imperium devenerat, septuagesimus ab Augusto imperavit. Theophilo mortuo, filioque ejus Michaele apud Græcos in urbe regia imperante, Normanni per Ligerim fluvium intrantes, civitates quasdam irrumpunt, et in Sabbato sancto Paschæ episcopum ex more generale baptismum celebrantem, cum clericis interficiunt; ac circumquaque diffusi, cunctam ferro flammaque vastantes provinciam, Andegavensem quoque, ac Turonensem occupantes urbes, Beati Martini ecclesiam cremare non verentur.

Eo tempore Carolus, cui, ut supra dixi, Occidentalia regna in divisione cesserant, capit Carolum regem Aquitaniæ, ac episcoporum consilio, tonsum monachum Suessione in monasterio Sancti Medardi fecit.

Porro Lotharius imperator tribus filiis suis regnum quod eum contigerat, partitur: Ludovico Italiam cum nomine imperatoris, Lothario Lotharingiam, Carolo Provinciam tradens; ipse vero ordinatis omnibus in Promiansi monasterio, decimo sexto imperii sui post mortem patris anno, monachus efficitur.

Vide ad quantum defectum Romanum imperium devenerit, scilicet, ut in tres partes diviso regno Francorum, tertiæ partis tertia pars esset ejus imperium.

Cum igitur Lotharius, deposito cingulo militiæ, monachus fieret, anno ab incarnatione Domini 845, Ludovicus filius ipsius Lotharii serenissimus sexagesimus tertius ab Augusto Octaviano, suscepit imperium, tunc in Constantinopoli regnante Basilio, qui occiderat Michaelem.

Tunc Lotharius frater ejus, qui Lotharingiam pro parte regni susceperat, accepit uxorem Theobirgam, sororem abbatis Huguberti. Non multis post diebus, Carolus frater ipsius Lotharii, qui Provinciam pro parte regni susceperat, moritur. Unde Lotharius frater ejus, qui regnum tenebat Lotharingiæ, contra patruum suum Carolum, qui tenebat Aquitaniam, contendit. Interea idem Lotharius abbati Huguberto, fratri scilicet reginæ uxoris suæ, ducatum inter Montem-Jurum et Montem-Jovis commisit.

Porro rex Ludovicus, alter patruus ipsius Lotharii, qui Germaniam et Bavariam tenebat, multa prælia contra Slavos magnifice gessit, captumque principem eorum, Rastil, luminibus privavit. Deinde idem Ludovicus rex, scilicet Germanorum, et Bavarorum, ad regnum Galliæ, quod Carolus frater ejus in divisione regni acceperat, a quibusdam principibus ipsius Galliæ vocatus, in partes illas cum exercitu transiit, et regnum Caroli fratris sui invasit, et usque Senonas processit. Cumque, relicto ibi exercitu, in Germaniam, Bavariamque redisset, principes, qui eum illuc invitaverunt, in gratiam regis sui redierunt. Unde exercitus Ludovici, qui ibi remanserat, a Gallia exire compellitur.

His diebus, Saraceni ex Africa progressi, Beneventanorum regionem, quæ olim vocabatur Samnitum, devastabant. Contra quos imperator Ludovicus, viribus repente undecunque contractis, Lotharium fratrem suum in adjutorium invitat. Qui cum exercitu ingressus Italiam, cum inique et enormiter iret, tam ex calore, quam morsibus aranearum, in pœnam culparum suarum, de gente sua multos amisit. Ipse quoque Lotharius in via morbo correptus, apud Placentiam obiit.

Carolus autem rex Galliæ, audita morte Lotharii, regnum ejus, scilicet Lotharingiam, invadit. Ad hæc imperator Ludovicus, ipsum regnum Lotharingiæ, cum Carolo patruo suo, habita inter se pactione divisit. Ita tamen quod Ludovicus imperator, Aquisgrani palatium cum sua portione haberet. Non multo post tempore transacto, Adalgisius dux Beneventanus, sub fiducia Græcorum, adjunctis sibi Campanis, Lucanis, atque Samnitibus, Ludovico imperatori rebellare proponit. Imperator itaque collatis copiis Beneventum bello invadit. Cui Adalgisius, ad

Digitized by Google

id dolo datis muneribus, a finibus suis discedere persuadet. Imperator rediens, omnes civitates Campaniæ et Lucaniæ, præter Capuam, sine gravibus laboribus cepit. Capua etiam deinde capta, et episcopo cum clero portante reliquias ante pedes ejus, cum lacrymis veniam postulante, in gratiam eos recepit, totamque Campaniam et Apuliam a Græcis mundavit.

Paulo post imperator ex consilio Adalgisii ducis, dimisso exercitu, Beneventum ingreditur; dux et cives circa meridiem in imperatorem dormientem faciunt insultum, ipsumque cum palatio comburere minantur, nisi jurejurando promittat se fines eorum amplius non ingressurum. Imperator post hanc ignominiosam pactionem Romam venit; ibique coram Joanne pontifice, qui Adriano successerat, præsente senatu, causam suam exponit, propter quod Adalgisius dux a senatu hostis judicatur. Imperator a juramento, quod non sponte, sed pro vita servanda fecerat, absolvitur per Apostolicum. Quamvis tamen esset absolutus, ad evitandum scandalum non ivit Beneventum, verumtamen reginam illuc cum exercitu destinavit, Adalgisius perterritus in Sardiniam fugit, et ab ira Cæsaris declinavit. His diebus Franci creant sibi regem Othonem filium Roberti.

Item de eodem Lothario imperatore, versifice narramus.

Solus in imperii Lotharius arce resedit,
Jureque Theutonicis Romana monarchia cedit,
Juraque Theutonicus Cæsar in Urbe dedit.
Tunc rex Danorum baptisma recepit Heroldus,
Filius ipsius cum matre puer Manigoldus,
Et reliqui populi chrisma tulere sui.
Imperium cum patre suo Ludovicus adeptus,
Italiæ sub patre tenet moderamina receptus,
Usque Pharum Siculi regia signa tulit.

De Carolo secundo, imperatore Romanorum, septuagesimo primo ab Augusto.

Anno ab incarnat. Domini 874, Ludovicus, suavissimus imperator, ultimum diem clausit, anno imperii sui decimo nono. Eodem anno Carolus, patruus ejus senior, occidentalis Franciæ rex, cum suis Francigenis Romam veniens, imperium a Romanis, ut dicitur, pecunia impetravit. Regnavit itaque ab Augusto septuagesimus primus.

Non multo post frater ejus Ludovicus rex Germanorum et Bavarorum in castro Francofurt diem obiit, qui tres filios reliquit, scilicet Carlomannum, Ludovicum et Carolum.

Porro Carolus imperator, morte fratris sui Ludovici audita, regnum Lotharingiæ molitur invadere. Primo itaque loco Aquisgrani palatium occupavit, et usque Coloniam progreditur. Interea Carlomannus primogenitus Ludovici, Bavarorum et Germanorum regis defuncti, Italiam ingreditur, et tentat tollere imperium. Verumtamen frater ejus Ludovicus apud Germanos et Bavaros cœperat jam regnare; qui cum audisset patruum suum Carolum in fines regni ejus, scilicet Aquisgrani et Coloniæ, introisse, missa legatione, a regno eum cedere monet. Quo non cessante ad pugnam progreditur; et ambo juxta Rhenum, apud Andrenacum prœliantur. Carolus in fugam convertitur, multis ex utraque parte prostratis.

Post hoc, Ludovici filii tres, conventione inter se facta, regnum Theutonicum a patre sibi relictum, dividunt hoc modo: Carlomannus accipit in portionem Bavariam, Pannoniam, Carinthiam, Bohemiam, et Moraviam; Ludovicus accipit Orientalem Franciam, scilicet circa Rhenum, et Thuringiam, Saxoniam, et Phrysiam, et Lotharingiam; Carolus accepit in portione Alemanniam, id est Sueviam, et quasdam civitates Lotharingiæ, propter vini copiam.

Carolus interea secundus, imperator prædictus, a Galliis Romam petiit; indeque rediens, contulit se Papiam. Ibi nuntiatur ei Carlomannus, filius fratris sui Ludovici, qui tenebat Bavariam, cum magno exercitu Italiam intrasse. Tunc imperator in Franciam redire volens, veneno interiit.

Anno secundo, Ludovicus, filius Caroli junioris, qui dicebatur Baldus, obiit, relictis duobus filiis, scilicet Ludovico et Carlomanno, quoniam tertium eorum fratrem, qui postea dictus est Carolus, mater ejus tunc in utero gestabat. Cujus regnum Provinciam, quam pater ejus Carolus, filius imperatoris Lotharii, in divisione regni pro parte acceperat, Boso, cui Carolus imperator Gallis illam nuper tradiderat, invadit, et primo loco Lugdunum venit: ibique a Lugdunensi archiepiscopo in regem Burgundiæ et Provinciæ ungitur: qui a dictis adolescentibus Ludovico et Carlomanno arcetur.

De nativitate regis Francorum Arnulphi septuagesimi secundi ab Augusto.

Anno ab incarnatione Domini octingentesimo octuagesimo, Carlomannus Ludovici filius, cui Bavaria in sortem devenerat, post multos triumphos quos peregerat, moritur, et in loco Odino in Bavaria sepelitur, relinquens filium ex nobili femina, sed non legitima: quem tanquam de origine Carolorum progressum, Arnulphum vocaverunt. Isti Arnulpho postea monarchia cessit.

Sed Ludovicus orientalis Franciæ rex, audita morte fratris, Bavariam adiit, eamque sibi subjecit. Arnulpho prædicto ducatum Carinthiæ cum castro quod dicitur Moseburg, donavit.

De illo rege Carolo, qui a fratribus suis acceperat Alemaniam in portionem, septuagesimus tertius ab Augusto.

Anno ab incarnatione Domini octingentesimo octuagesimo primo, Carolus, qui Alemanniam pro portione acceperat, in Italiam movet exercitum, totaque Lombardia in deditionem accepta, Romam venit, ubi a Joanne papa in imperium consecratur, septuagesimus tertius ab Augusto imperatore.

Ea tempestate Northmanni regnum Ludovici per fluvium Guala navigio ingressi, palatium Noviomagi incendunt: deinde Coloniam et Aquisgranum cum tota illa provincia devastant. Inter hæc Ludovicus

Digitized by Google

ipse obiit apud Francofurt, et in monasterio Lauracensi sepultus est.

Northmanni autem regis Ludovici morte comperta, securiores effecti, urbem nobilissimam Galliarum Treverim invadunt, et in ipsa Cœna Domini cum adjacente provincia, igne consumunt, et episcopum ipsius urbis occidunt; deinde præda Francorum onusti ad naves revertuntur.

Hæc dum in Galliis agerentur, Carolus tertius imperator in Italia morabatur. Principes autem, tam Galliæ quam Germaniæ, omnes eum precibus pulsant, quatenus fratre suo Ludovico rege Germanorum jam mortuo, redeat accipere regnum paternum, et patriam liberet a Northmannorum incursione, qui festinans revertitur, assumptisque Lombardis, et Bavaris, Saxonibus, et Phrysonibus, Alemannis atque Thuringis, aliisque pluribus, contra Northmannos, qui adhuc in regno morabantur, movet exercitum.

Itaque Gotfredus rex Northmannorum, Christianus efficitur, et ab imperatore de sacro fonte suscipitur. Filiam quoque Lotharii uxorem accipit Gislam, et totam terram Phrysonum in dotem; et sic a finibus regni, cum suis discessit.

Anno sequenti, Ludovicus filius Caroli regis Francigenarum obiit, et in monasterio Sancti Dionysii sepultus est; et fratrem suum Carlomannum hæredem regni reliquit. Non multo post Carlomannus in venatione ab apro percussus, diem obiit.

Occidentalis ergo Galliæ principibus jam amissis, Carolum imperatorem, qui tunc solus de stirpe Carolorum superesse videbatur, ultro invitant, eique venienti omnes subjiciuntur. Paulo post autem idem Carolus imperator, corpore et animo in tantum ægrotat, ut ab hominibus inutilis habeatur. Propter quod Arnulphus supra memoratus, ad imperium ab omnibus est electus, anno ab incarnatione Domini 886.

Infirmus autem imperator Carolus ad tantam penuriam devenit, ut etiam pane carens ab Arnulpho paucos redditus ad vitæ solatium gratanter accepisset. Ab hoc tempore usque ad primum Othonem imperatorem, invenimus, in imperio confuse fuisse regnatum. Carolo enim isto mortuo, qui septem annis regnavit, et septimo anno privatam vitam, relicto imperio, vixerat, imperium diversis modis scindebatur, cum singulæ provinciæ, singulos reges nitebantur creare. Arnulpho tamen pars maxima cessit.

Tunc Italia et Lombardia sibi regem Berengarium Forojuliensem constituit, et alium regem fecit, Guidonem Spoletanum. Rex Berengarius tunc a rege Guidone pulsus, ad Arnulphum confugit.

His diebus gens Ungarorum ex Scythia egressa, et a Pincenatis propulsa, in Pannoniam primitus venit, et ejectis inde Avaribus, perpetualiter ibi permansit. Ista gens Ungarorum illo tempore tam belluina, tam inculta fuisse narratur, ut carnibus crudis ad cibum, humano vero sanguine uterentur ad potum, quemadmodum et Phalegi. Pincenates usque hodie sanguinem bestiarum appetunt, et carnibus equorum, et vulpium, luporum etiam et catorum crudis utuntur.

Porro Arnulphus totam orientalem Franciam, quæ hodie Theutonicum regnum vocatur, id est Bavariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Phrysiam et Lotharingiam rexit, et totum Rhenum; occidentalem Franciam vero Odo tenuit, Arnulphi auctoritate.

Post hæc Northmanni Arnulphi regnum invadunt, et duces sibi occurrentes exstinguunt. Arnulphus autem eos postea tanta virtute prostravit, ut viventes pauci remansissent. Deinde anno ab incarnatione Domini 854 compositis omnibus rebus in Germania, Arnulphus cum exercitu Lombardiam ingreditur, captaque civitate Bergamo, comitem Ambrosium in furca suspendit, unde tota Italia perterrita, suæ se ditioni subjecit. Arnulphus, in Galliam per Montem-Jovis rediit.

Ea tempestate Guido, qui regnum Italiæ usurpaverat, moritur. Cujus filius Lambertus, Romam veniens, fecit se imperatorem vocari. Arnulphus filio suo Cendebuldo spurio, tunc donavit Lotharingiam. Deinde Arnulphus a papa Formoso vocatus, iterum Italiam ingressus, Romam venit, quam et armis tunc cepit, et ab ipso pontifice coronatus est et Augusti nomen sortitus. Postea eos qui adversus pontificem seditionem moverunt, decollari præcepit. Reverso ab Urbe Arnulpho, Lambertus, filius Guidonis Spoletani, qui imperium invaserat, moritur, et Ludovicus filius Bosonis, a Longobardis ad imperium invitatur.

Reperi ego Gotfridus, in quibusdam gestis Romanorum, post Carolum tertium, tanquam imperio a Francis ad Lombardos translato, Arnulphum in catalogo imperatorum non nominari, et Ludovicum, cæterosque post ipsum, in numero Augustorum poni. Alii autem Arnolphum in catalogo ponunt; eos autem qui post eum confuse usque ad Othonem regnaverunt, non imperatores et Augustos, sed invasores et Augustos appellare consueverunt. Non multo post, mortuo Othone rege Francorum occidentalium, et in ecclesia Sancti Dionysiii sepulto, Carolus ibi rex creatur. Arnulphus duodecimo regni sui anno, imperator, secundum quæ supra taxatum est, diem suum obiit, et juxta patrem suum Ludovicum, apud Odinum in Bavaria sepelitur. Monstratur tamen sepulcrum ejus in monasterio Sancti Helmerani Ratisbonæ.

De Rege Cendebuldo filio Arnulphi imperatoris.

Cendebuldus erat rex, de non conjuge natus,
Filius Arnulphi regis, regni dominator,
Nec tamen imperii tunc diadema tulit.
Vir fuit impatiens, super omnia deditus iræ.
Fertur Agrippinum dominum sic fuste ferire,
Præsul ut exanimis nocte sit atque die.
Cendebuldus obit, pravæ veritatis amicus,
Legitimus puer erigitur, dictus Ludovicus,

Digitized by Google

Ejus erat frater, legitimusque puer.

De Ludovico puero rege Francorum, filio Arnulphi regis, septuagesimo quinto ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini noningentesimo primo, Ludovicus filius Arnulphi, in loco qui dicitur Phoreim, rex creatur, atque a principibus Lotharingiæ, qui offensi erant Cendebuldo, invitatur ad regnum totius Belgii. Regio enim illa, Belgica Gallia appellatur. Quo comperto, Cendebuldus, dum multa mala committeret, regnumque multa præda et incendio et cæde cruentaret, tandem a comitibus Stephano, Gerardo, et Mafrido, in bello occiditur. Itaque Ludovicus Arnulphi filius regno libere potitur.

His diebus Ungari Lombardiam pervagantes, incolas terræ sibi occurrentes sagittis suis occidunt, atque provincia crudeliter depopulata, in patriam suam revertuntur. Anno ab Incarnatione Domini noningentesimo quinto, Ludovicus filius Bosonis, imperium adeptus, Berengarium expulit. Cumque totius regni pro suo arbitrio potiretur, dimisso milite, Veronam cum paucis se contulit; ubi a civibus captus per traditionem, revocato Berengario, cæcatus est. Berengarius extunc regnum Italiæ cum imperio Romano obtinuit.

Circa idem tempus Albertus nobilissimus comes Francorum, nepos scilicet Othonis ducis Saxonum, ex filia, Conradum occidit, qui a quibusdam dicitur Ludovici regis fuisse filius; propter quod rex prædictum Albertum, in castro Babenberg, ubi nunc episcopatus nobilis est, bello invadit. Ille vero impotens, cum regi resistere se non posse videret, consilium ab Othone Moguntino archiepiscopo postulavit. Archiepiscopus in castrum tunc munitissimum Babenberg adiit Albertum ipsum, eumque ad regis præsentiam venire persuadet, data ei dextra quod eum securum et indemnem in ipsum castrum suum reduceret. Albertus comes, recepta fide et promissione Othonis archiepiscopi, cum eo pergens, a castro suo aliquantulum egressus, ait ad archiepiscopum : « Domine, debuimus in castro prius prandium sumere, quam pergeremus ad curiam regis. Oportebit enim nos tota die hac jejunare. » Cui archiepiscopus : « Recte, inquit, locutus es. Revertamur in castrum, et modicum comedamus. » Albertus comes verba sacerdotis, quæ dicebantur in dolo, simplicibus auribus more antiquorum accepit, et in castrum cum episcopo velociter rediens, accepto datoque prandio, nulla alia securitate ab episcopo requisita, in conductu ejus ad regem perrexit : ubi positus in causa, capitali sententia condemnatur. Condemnatus autem monet archiepiscopum de facta securitatis suæ promissione. Archiepiscopus respondit se fidei promissionem servasse, ipsumque e castro egressum, sanum et indemnem in castrum suum reduxisse. Tali fraudi circumventus ipse Albertus, in eadem curia decollatur. De cujus bonis ecclesia Babenbergensis, ut dicitur, postea constructa, divitiis ampliatur.

Si autem Otho archiepiscopus, qui pro salute regni hoc fecisse asseritur, in hac causa peccaverit, non meo, sed auditorum judicio reservetur. Ego tamen si fecissem, æstimarem me, etiam Saracenum conducendo, peccasse. Ex istius Alberti sanguine alius Albertus originem traxisse narratur, qui postea marchiam orientalem, id est vulgariter dictam Osterich, quam alii dicunt Pannoniam superiorem, ab Ungaris ereptam, Romano imperio adjecit.

Ludovicus rex Franciæ orientalis, anno regni sui XII sine hærede decessit. Secundum scripta quorumdam, in isto rege Ludovico, et in fratre suo Cendebuldo supramemorato, Carolorum genealogia finem accepit ad tempus. Unde quidam sic scripsit : « Ultimus Augustorum Romæ fuit Augustulus; ultimus vero Carolorum in Francia fuit Cendebuldus. » Igitur, Ludovico jam defuncto, Otho dux Saxonum ab omnibus petitur. Princeps autem clarissimus Otho, tanquam senio gravatus, rex fieri recusabat.

Item de eodem Rege Ludovico puero versifice narratur.

Iste puer pietate valens, tribus imperat annis,
Ultimus est iste Carolorum germine sanguis,
Attamen a latere germina Carlus habet.

De primo Conrado rege post Ludovicum puerum, septuagesimo septimo ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini noningentesimo decimo tertio, Conradus primus, filius Conradi illius quem occiderat prædictus comes Albertus, consilio prædicti ducis Othonis, qui regnum accipere renuit, consensu omnium Francorum rex creatur. Quem quidam asserunt fuisse filium fratris regis Ludovici, tunc defuncti, et propterea eum ponunt novissimum omnium Carolorum. Anno regni sui primo, Ungari ad depopulandam terram rursus effusi, a Suevis et Bavaris juxta Henum fluvium sternuntur. Postea dux Bavarorum Arnolphus, Conrado regi rebellans, cum uxore et filiis ad Ungaros fuga lapsus est.

Conradus rex, anno regni sui septimo, diem obiit, ejusque consilio Henricus, filius ducis Othonis, in regnum subrogatur, anno ab Incarnatione Domini noningentesimo et vigesimo. Ab illo tempore dicunt quidam post Francorum fuisse Theutonicorum imperium. Unde etiam a Leone papa dicunt istum Othonem primum Theutonicorum regem dictum esse. Nam iste de quo agimus Henricus dux, oblatam sibi a summo pontifice imperii dignitatem renuisse perhibetur : propter quod etiam non numeratur in catalogo imperatorum Theutonicorum. Mihi autem ex multis scripturarum auctoritatibus patuit regnum Theutonicorum, quod imperator Fridericus nostro tempore possidet, partem esse regni Francorum. Ibi enim primi Franci fuerunt cis citraque Rhenum, quæ hodie Francia orientalis, usque ad terminos Bavariæ appellatur. Francia vero occidentalis est regnum illud quod est cis citraque Sequanam et Ligerim fluvios; quæ provincia prius dicebatur Gaudina; sed a Carolo Martello, avo Caroli

Digitized by Google

Magni, primum Francia, vel Francigena, id est a Francis genita, est appellata. In lingua vero Theutonica, unde ipse Carolus Martellus fuerat oriundus, vocavit eam nomine suo Carlingam, sicut a Cæsare Cæsarea, et ab Alexandro Alexandria nuncupatur. Hoc autem ideo fecit, quia ipse eos suo gladio subjugavit, et regno Francorum adjunxit. Alia quædam ratio ad hæc satis manifesta monstratur. Denique, sicut in superioribus patet, tempore Caroli Magni, regis Francorum, tota Gallia, id est Celtica, et Belgica Lugdunensis, omnisque Germania, quæ est a Rheno usque ad Illyricum, una Francia fuit. Postea vero, regno inter filios filiorum diviso, aliud orientale, aliud occidentale regnum Franciæ dicebatur. Utrumque tamen vocabatur regnum Francorum.

In orientali ergo regno Francorum, quod usualiter dicitur Theutonicum, deficiente stirpe Carolorum, Henricus primus de gente Saxonum, successit in regnum, manente adhuc in occidentali Francia, id est Parisiis et Rhemis, rege Carolo quodam, de progenie similiter Carolorum. Istius Henrici filius, Otho, postea imperium Romanum reduxit ad Francos, quod jam a Longobardis fuerat usurpatum. Et propterea idem Otho forsitan primus rex vel imperator Theutonicorum dictus est, quia ipse primus, extra progeniem Carolorum, rex de sanguine Saxonum factus, non quidem primus apud Theutonicos regnavit, sed primus imperium Romanum a Lombardis ad Theutonicos revocavit, quod a Lombardis fuerat usurpatum.

Notanda est autem hic varietas in nominibus regum Francorum, quomodo primitus a Merovæo rege, successores ejus dicti sunt Merovæi; postea a Carolo Magno, successores ejus vocati sunt Caroli, vel Carlini; ab Othone vero imperatore dicti sunt Othones; deinde ab Henrico Henrici.

Item de eodem Conrado rege primo, ultimo autem Carolorum, versifice.

Semine Carlorum jam deficiente virorum,
Surgit Conradus lateris cognatus eorum,
Obtinet imperium Theutonicumque solum.
Conradus rex eximius sedet ordine primus,
Hostibus ingeritur, contraria pellit ad imum,
Subjugat Ungaricos, Illyricosque sinus.
Conrado primo natus non exstitit hæres.
Mirantur proceres, quis sceptra meretur habere,
Vita datur fatis, plebs dolet inde satis.

De Henrico primo, rege Francorum, qui cognominatur Auceps.

Anno ab Incarnatione Domini 920, Henricus, Othonis dictus filius, in Francia orientali regnavit, occidentalem Franciam tunc Carolo quodam rege Parisiis regente. Quidam Celtici scriptores asserunt eum primo ducem Saxonum tantum fuisse, et tunc Carolo subjecisse. Et postea consilio Giseberti ducis generis sui, qui Belgicam tenebat, a regno ipsius Caroli, cum omnibus orientalibus discessit, et regium nomen assumpsit. Alii dicunt eum, post mortem Conradi primi, in regnum ab omnibus orientalibus fuisse electum, nec unquam aliquid eum de manu illius Caroli suscepisse.

Post hæc ipse Henricus rex Ungaros in Saxoniam violenter ingressos incredibili cæde prostravit. Iste Henricus rex sacram lanceam imperii, quæ coram imperatoribus fertur, a Rodulpho rege Burgundiæ multis extorsit. Alii dicunt a Bosone rege provinciæ fuisse eam ad imperium translatam. Ipse autem Henricus rex, post multa virtutis suæ opera, dum ad obtinendum imperium Romam pergeret, antequam Romam pervenisset, diem ultimum clausit, relicto filio Othone primo, qui factus est imperator, anno regni ejus decimo septimo.

Item de eodem Henrico primo, versifice subnotatur.

Henricus dux Saxonicus regnare vocatur,
Legati mittuntur ei, qui sæpe rogatus
Noluit imperium sumere, rite datum.
Invenere ducem veterano more sedentem,
Aucupis officio sua retia perficientem,
Ut modicas caperet insidianter aves.
Et quia simpliciter fuit his præsentibus auceps,
Amodo perpetuo cognomine dicitur Auceps,
Cum tamen egregium mundus haberet eum.
Dux igitur cum plus petitur sibi sumere Romam,
Jurat in æternum capiti non ferre coronam,
Cum sibi sufficiant quæ tenet ampla bona.
Cogitur Henricus regnantis numine fungi,
Cogitur in regem tandem reverenter inungi
Nulla tamen capiti missa corona fuit.
Coram rege secus ferri diadema jubetur,
Ut bene servetur quidquid jurasse videtur
Signa tamen plene regis ubique tenet.
Ex hoc Henrico rex primus nascitur Otho
Cujus et egregia nunc gesta referre peropto,
Jam tres Othones promere Musa monet.

De primo Othone, imperatore Romanorum, septuagesimo octavo ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini 936, Otho primus, nobilis hæres Henrici primi, in regnum succedens, in palatio Aquisgrani, a Moguntino Hildeberto archiepiscopo coronatur. Iste Sclavos Boemos sibi resistentes compescuit; Belgicos, dum ei transitum Rheni prohiberent, vertit in fugam, totaque terra Belgica igne ferroque vastata, castrum situm in Monte-Capri, obsedit: unde Ludovicus, filius Caroli regis occidentalis Galliæ, terram Belgicam, quam pater suus perdiderat, sub hac occasione recuperare intendens, Alsatiam provinciam ingreditur. Quo audito, Otho rex solvit Capri-Montis obsidionem, et expulso ab Alsatia rege Ludovico, Bresecam obsedit.

Interea dux Gisibertus, qui sororem Othonis regis habebat uxorem, adversus Francos, tanquam hostis regis Othonis, usque ad Andernacum procedit: ubi a Francis victus, fugiens in Rhenum submergitur, suis omnibus cæsis, aut fuga delapsis. Rex autem Otho iterum Belgicam ingressus, totam in deditionem redegit, et extunc omnes Theutonici

Digitized by Google

reges sine contradictione Belgicam semper tenuerunt.

Post hæc rex Ludovicus, uxorem ducis Gisiberti, quæ erat soror regis Othonis, et vidua, in matrimonium accepit. Ipse vero non post multo a suis a regno suo expulsus, ad Othonem veniens, petit auxilium. Quo habito, devictis suis hostibus, in regnum per Othonem est restitutus.

Post hæc apud Ingelheim, in præsentia amborum regum, Marino sedis apostolicæ legato adjuncto, synodus celebratur.

Eo tempore Berengarius Italiam nimia feritate premebat, et Adilinda vidua Lotharii imperatoris defuncti, ab eo captiva tenebatur. Otho autem Italiam potenter ingressus, reginam liberat, eamque sibi in uxorem consociat, atque Berengario depulso, Natalem Domini Papiæ celebravit, ibique Conradum ducem contra Berengarium relinquens, ipse in Galliam Theutonicam remeavit. Berengarius, consilio ducis Conradi, ad Othonem pergit; et per ipsum Conradum, et per filium regis Othonis Letulphum, veniam impetraturus. Ubi cum per triduum ei rex audientiam denegasset, vix tandem per ducem et per regiam prolem obtinuit, quod ei Otho apud Regium in Lombardia diem illuc veniendi præfixit : ubi postea præsentatus, regnum Italiæ de manu Othonis suscepit excepta marchia Veronensium, et Aquileiensium. Reversus in Italiam Berengarius, per suam tyrannidem totius in se odium Italiæ concitavit. Tunc Letulphus filius regis adversus patrem moliri tentavit, sed cito conversus, gratiam regis recepit.

Eo tempore Ungarorum gens erupit, totamque terram quasi locusta cooperuit, atque super fluvium Lichum, juxta civitatem Sueviæ Augustam, consedit. Quibus Otho, precibus et hortatione Uldarici, sanctissimi illius urbis episcopi, in Domino confisus, occurrit, tantaque illos virtute prostravit, ut non solum ab infestatione aliorum quiescerent, sed pro se timentes terram suam vallo et palude munirent. Cecidit in eo prælio gener regis Conradus, et dux Vormatiensis; Barbari autem, exceptis sex viris residuis, omnes gladio narrantur exstincti. Hujus mali auctor dicitur quidam comes de Stira in Bavaria exstitisse; quem Ungari tanquam eum qui eos in mortem eduxerat, occiderunt : terra autem ejus redacta est in regium fiscum.

Eo tempore ab apostolica sede veniunt legati, de tyrannide Berengarii conquerentes, et defensionem Othonis in Italia postulantes. Guabertus etiam episcopus Mediolanensis, Gualdo Cumanus episcopus, cum aliis Italiæ principibus, pro eadem causa ad regem venerunt.

Otho autem Aquisgrani in palatio filium suum Othonem tunc in regnum sublimavit : deinde, collecto exercitu, in Italiam, per vallem Tridentinam, intravit, totaque sibi Italia subjugata, ad Urbem progressus, a Joanne papa et toto populo dignissime receptus, et imperatoris nomen ac dignitatem sortitus. Iste Otho imperator, secundum illos historiographos, qui Arnolphum in catalogo imperatorum posuerunt, et alios qui interim in Italia imperium tenebant, a catalogo excluserunt, LXXVII est ab Augusto Octaviano; secundum Romanos vero historiographos, qui Arnolphum a catologo imperatorum excludunt, et Ludovicum, atque duos Berengarios, et Hugonem, et Berengarium, et Albertum, in numero et catalogo priorum ponunt, iste Otho est LXXXIV ab Augusto.

Ab eo tempore regnum Romanorum, post Francos et Longobardos imperatores prædictos, ad Theutonicos reversum est, et ad Francos orientales, unde jam quodammodo videbatur elapsum. Ego autem tunc imperium a Francis non dico aliquando fuisse sublatum, sed eclypsim passum, quandiu tot et tam diversi invasores imperium confuse tenuerunt.

Otho Imperator ab Urbe rediens, Papiæ Pascha celebravit; sed Berengarius imperatorem fugiens latitavit. Anna sequenti Otho in monte Sancti Leonis obsidet Berengarium, cujus filius Albertus in Corsicam insulam fugit : qui postea ad Joannem pontificem Romanum accedens, in partem suam multis promissionibus inclinavit. Quo audito, Otho imperator, dimissa obsidione, Romam ducit exercitum; ubi quidam Romani timentes, una cum pontifice Joanne fugiunt : alii, datis obsidibus, Othoni subduntur. Imperator postea missa legatione scribit Joanni papæ ut redeat; quo redire nolente, Otho congregata synodo substituit Leonem : quod videns Albertus, filius Berengarii, iterum Corsicam fugit. Hæc omnia utrum licite an illicite facta tunc fuerint, ad hoc opus non pertinet explicare; proposui enim res gestas describere, non rerum gestarum reddere rationem. Imperator Berengarium in deditionem accepit, quem in Bavariam exsilio relegavit.

Othone tunc Romæ manente, Romani communicato consilio cum vicinis castellis statuunt occidere eum. Sed dum proditio consilia præveniisset, imperator insidias satagit præcavere, et de Romanis multos nece prostravit; deinde centum obsides ab eis, interpositis sacramentis, accepit. Postea tamen ad Spoletum papa rogatus, obsides relaxavit, Othone recedente.

Romani papam Joannem recipiunt in Urbem, expulso Leone. Leo apud Camerinum imperatorem velociter adiit, ibique cum eo Pascha celebravit. Interea Joannes moritur, cui a Romanis Benedictus est subrogatus. Otho, tam pro Leonis expulsione, quam pro Stephani substitutione, iratus, ad Urbem festinat : quam obsidione constrictam et fame incredibili fatigatam, ad deditionem coegit, tali duntaxat conditione inserta, ut apertis portis eum susciperent, et Benedictum suæ jussioni repræsentarent. Tunc imperator Leonem in cathedram restituit, et inde Benedictum depositum secum deducens, in suam Francjam remeavit. Non multo post, deficientibus a se Italicis, imperator Alpes transcendit.

Digitized by Google

et Natale Domini Romæ celebrato, tredecim ex majoribus, præter præfectum, Romanis, qui erga papam Leonem moverant factionem, patibulis una die suspendit. Deinde filium suum Othonem fecit a Leone pontifice coronari, et Augustum vocari, eique filiam Constantinopolitani imperatoris, Theophaniam, in matrimonium junxit. Deinde trigesimo septimo regni sui anno, imperii vero decimo tertio, diem ultimum clausit. Iste est ille Otho, qui Græcos in Apulia et Calabria superavit, et Romanorum imperium ad Francos orientales reduxit.

Ipse primus in Goslaria Saxonica argentifodinas invenit. Metropolim etiam Magdeburg, ubi sepultus est, ornamentis et thesauris plurimis decoravit. Berengarius exsul et uxor ejus apud Babenberg mortui sunt. Denarii qui vocati sunt Otholini, ab hoc Othone sunt in Italia constituti.

Item de eodem Othone primo versibus subrogatur.

Otho coronatus paschalia festa peregit,
Adfuit et celebris primatum curia regi,
Fercula quæ docuit, regia mensa vehit.
Mensa cibos coctos tenuit prius illa paratos,
Quam veniant domini, vel more ducum sedeatur,
Ille cibus miseris pauperibusque datur.
Dux puer accedens, magni ducis unicus hæres,
Cum foret esuriens, dum fercula prompta videret,
Accipit ut comedat, cor puerile gerens.
More suo dapifer vitio variabilis iræ,
Non timuit puerum graviori fuste ferire,
Inde puer cecidit, vulnere stratus humi.
Miles adest, puero custos datus atque magister,
Vindicat egregie dominum quem percutit iste,
Vulnere nam dapifer mortuus ipse jacet.
Turba gemit, rex Otho venit, causamque requirit,
Ille jacet, dum turba tacet, mandat aperiri,
Quæ fuerit pueri, quæ modo causa viri.
Quærit et auctorem mortis, quisnam foret ille,
Ille stetit medius, animo quasi major Achille,
Nec negat hunc ipsum fuste necasse virum.
Rex ait : «Ergo mori dignus ratione videris,
Criminis actorem, dum te satis ore fateris,
Digna tuis meritis hostia mortis eris.»
Miles ait : «Discerne magis quid juris habetur,
Judicio ne præcipiti res acta putetur,
Est quia Pascha Dei, rex, miserere mei.
Ira movet regem, timet ille mori sine lege,
Cum rex justa neget, miles rapit illico regem,
Rex prostratus humi, justa negasse luit.
Dum tenet Othonem, barbam trahit, atque grano-
[nem,
Guttur et ora premens, gravior feritate leone,
Ni foret auxilium mortuus Otho foret.
Sub loculo scamni regem crudeliter angit,
Unguibus infixum guttur conanime frangit,
Nunc pede, nunc manibus turba retraxit eum.
Otho sedet stupidus, turpi statione levatus,
Barba pilis caruit, guttur dolet excoriatum,
Laude coronatum stat sine laude caput.
Turba dolens, stans ante fores cupit hunc cruciari.
A Otho reum defendit eum, jussitque vocari,
Vir stetit et siluit, incipit Otho loqui :
«Judicio sisti legum ratione petisti,
Dum tibi non licuit, tetigit me dextera Christi,
Non tua, sed Domini verbera digna lui.
Digna lui, quia Pascha fuit, cum parcere possem,
Me libuit, quod non licuit, dedit ultio nosse,
Porro furore mei digna flagella Dei.
Parcius ista tamen punire tibi potuisses,
Quam sine rasore barbam manibus rapuisses
Amodo quæ cupias ordine dicta feras.»
Miles ut exponit quæ sit modo causa furoris,
Mitigat Othonis symptomata vi rationis,
Sic datur incolumis miles abire foris.
Nec datur hinc ire quod debeat ipse redire,
B Læsor enim si quando redit, reminiscimur iræ,
Si mala deliteant livor et ira silent.
Post rediit tempus, quo rex foret ipse peremptus
Aut male detentus, sed militis ense redemptus,
Corpore stat sano, cujus et acta cano.
Quando sub arce poli, Canis est adjuncta Leoni,
Ut placet Othoni castrum datur obsidioni,
Clausos lege fori judicat Otho mori.
Dum media dormire die rex ipse soleret,
Et proceres somni requies hinc inde teneret,
Vir sedet in lavacro balnea rite gerens.
Rege soporato, cito prosilit hostis ab urbe,
Ut perimant regem, cursum latitando perurgent,
Solus eos miles qui lavat, ille videt.
C Ex lavacro saliens, clypeum rapit, atque mucronem,
Prævenit hostiles Othone jacente furores,
Clamat, et ex more prælia dira movet.
Regia pars crescit, timet hostis, et inde recessit,
Miles ut insequitur nudus, vera pugna calescit,
Aspicitur late nudus, et acta patent.
Miratur Cæsar, nudum præcedere fortes,
Nam solum nudum cernit superare cohortes;
Laus equitis nudi grandis ubique fuit.
Mane sequente jubet equitem rex Otho venire,
Miles adire timet, ne si reminiscitur iræ,
Pristina culpa viri sit memoranda sibi.
Dumque venit compulsus eques, rex hæc ait illi :
«Nonne tuis manibus nostri periere capilli?
Nonne furore tui barba pilata fuit?»
D Miles ait : «Fateor; sed erat mihi culpa remissa;
Non decet ut culpas iterum rex suscitet ipsas;
Securus venio rege vocatus ego.»
Surgit in amplexus equitis mirabilis Otho,
Dicit ei : « Gaudere, meis te rebus adopto;
Regia facta geris, semper amicus eris.»

De secundo Othone, imperatore Romanorum, septuagesimo nono ab Augusto.

Anno ab Incarn. Domini 975 Otho secundus, Magni Othonis filius, qui a Leone Romano pontifice fuerat coronatus, patri in imperium successit, octogesimus quintus ab Augusto imperavit. Iste dum Græcos incaute per Calabriam persequitur, amisso milite, de navi exsiliens, natando evasit. Qui postea nono imperii sui anno Romæ obiit, et ante eccle-

Digitized by Google

siam Sancti Petri in concha marmorea honorificam habuit sepulturam.

Tradunt de eo Romani quod ipse Otho, capta Benevente, ossa sancti Bartholomæi inde asportaverit, et ea Romæ in insula Tiberis, quæ dicitur Lycaonia, in ecclesia, quæ nunc vocatur Sancti Bartholomæi, in concha porphyretica collocaverit, et postmodum easdem reliquias cum eodem sarcophago, per Tiberim in mare, et per mare in suam Franciam deducere cogitasset: eo autem morte præventO, reliquiæ Romæ sic remanserunt.

Item de eodem Othone secundo, imperatore, versifice subnotamus.

Otho secundus adest, Romæ diademate functus,
Lætus apostolicis manibus discedit inunctus,
Jus dedit Italicis undique pace frui.
Rex ubi discessit, gens Itala bella capessit,
Jussio vilescit, procerum discordia crescit,
Regia delituit pax quia nulla fuit.
Terra perit, gens pressa gemit, belloque gravatur,
Rex venit iratus, concurrit ab Urbe senatus,
Suscipit imperii regia Roma caput.
Imperii vocat Otho duces comitesque potentes,
Pontifices simul Ecclesiæ recipit venientes,
Et queritur populos pace carere suos.
Judicis officio numerat, quos culpa notavit,
Pœnaque præcipitur ducibus condigna parari,
Ultio terribilis dira flagella parit.
Ante gradus Romæ mensas jubet Otho parari,
Multaque circuitu jubet ordine scamna locari,
Et loca principibus undique more dari.
Dum cibus astruitur, dum potus et esca paratur,
Dum proceres comedunt, dum lætior hora putatur,
Otho per armatos cingit utrumque latus.
Præco jubet taceant, et ne quis abhinc moveatur,
Qui loquitur, qui se moveat, gladio feriatur:
Turba timet, procerum terror ubique datur.
Crimina scripta ducum, quæ jusserat ante notari,
Ante suas mensas jubet Otho sibi recitari,
Damnat et obtentos crimine lege pari.
Qui meruit, damnatur ibi pœna capitali,
Sanguine nobilium jam mensa potest maculari,
Otho sibi capita vult quasi fercla dari.
Humani capitis dum mensa cruore madescit,
Non minus ante datis rex imperat undique vesci,
Mittit et ingratis fercula cocta satis.
Taliter alludit sceleri, sic corpora fudit,
Sic scelus excludit, sic pacis commoda cudit,
Sic sua pax viguit, sic reus acta luit.

De Othone, tertio imperatore, octuagesimo ab Augusto.

Anno ab Incar. Dom. 984 Otho tertius, admodum puer, patri in regnum succedens, octuagesimus sextus ab Augusto, suscepit imperium. Hujus diebus Albertus episcopus, Boemorum prædicans Prussis, martyrio coronatur.

Otho imperator tertius, anno imperii sui XVII diem ultimum clausit, et Aquisgrani in ecclesia Sanctæ Mariæ sepultus est. Duo isti posteriores Othones, quamvis brevitatis causa de eis pauca dixerimus, tam feroces, tam mirabiles fuerunt, ut unus, pallida mors Saracenorum, vel sanguinarius; alter autem Otho, mirabilia mundi solitus sit nuncupari. De isto tamen tertio Othone, quædam alia versifice descripsimus, quæ in præsenti capitulo subnotamus:

Item de tertio Othone imperatore versibus subrogatur.

Est juxta Mutinam Comitis domus, Æmula dicta,
Imperii tunc obsequiis jussisque relicta,
Qua vacat hospitiis crebrius Otho suis.
Corpore glorificum comitem, vultuque decorum,
Dum regina videt, stimulis urgetur amorum,
Et cupit hunc regis clam violare thorum.
In vitium regina virum dum flectere credit,
Veste trahit comitem, tractus sine veste recedit,
Spreta dolens mulier, vota nefanda dedit.
Protinus ascito queritur regina marito,
Suggerit ut comitis caput amputet ense petito,
Crimine mentito credidit Otho cito.
Dum comes in culpa domina testante putatur,
Jam dolus astruitur, cito mors indigna paratur,
Nec locus insonti pandere vera datur.
Indicat uxori propriæ comes acta pudoris,
Dicens: « Opto mori, quam regis abesse decori,
Se mihi prostituit femina digna mori.
Et quia delitui, fugiens luxum mulieris,
Judicor ad mortem, mihi non licet acta fateri,
Tu mihi post mortem conscia testis eris.
Si dubium videatur eis, quod teste probabis,
Judicio candentis eos ferri superabis,
Sic mihi post mortem gaudia fama dabit. »
Uxor ait: « Fuge cum poteris, ne sic moriaris; »
Ille refert: « Magis opto necem, quam sons reputari
Qui fugit, ille magis suspiciosa trahit. »
Dixit, et in fatum præcone trahente vocatur;
Insequitur comitissa virum, quia fraude necatur,
Morte data comitis detulit ipsa caput.
Judicii causas dum præcipit Otho parari,
Imperat et viduas celebri præcone vocari,
Hisque piis studiis jura cupita dari.
Astitit occisum plorans comitissa maritum,
Et queritur, quia judicium dat Cæsar iniquum,
Cui pro more loci nititur arte loqui.
Dicit ei: « Dic pœna reis quo jure paratur,
Si rupta quandoque fide vir fraude necatur? »
Rettulit Otho: « Caput perdere jure datur. »
Intulit hæc: « Tua te, Cæsar, sententia damnat,
Fraude meum jugulasse virum te crimine pandam,
Si vis jura coli, te decet inde mori. »
Hæc tacuit: Rex obstupuit, dicens mulieri:
« Nescio quid quæris, neque vera tulisse videris,
Hujus enim sceleris quis tibi testis erit?
— Ecce caput comitis, dixit comitissa, paratum,
Fraude tua periit, proprium cognosce reatum,
Suscipe judicium, te perhibente, datum. »
Rex ait: « Iste comes meruit pro crimine mortem. »
Illa negat, cupiens ignitam sumere sortem;

Digitized by Google

Rex parcit ignita, femina vincit ita.
Dum laqueo juris se conspicit Otho ligari,
Mira viri bonitas ratione potest superari,
Femineis manibus se sinit ipse dari.
Dum regem comitissa tenet, dat regia honestas
Ut capitis sit plena sibi collata potestas,
Sic, ut et arbitrio stet, cadat ipse suo.
Cogitat illa modum, quo regem perdere possit,
Inducias tunc rex modicas pro tempore poscit,
Addunt et proceres cum pietate preces.
Innumeris precibus procerum simul et mulierum,
Regia vita decem spatio datur esse dierum,
Sic ratione verum femina vicit herum.
Jam decima veniente die, casumque minante,
Otho redit, comitissa venit, quæ venerat ante.
Rex ubi dixit : « Ave, » rettulit illa : « Cave. »
Tollit eum comitissa reum, miranda lœna ;
Dum trahitur, dum præcipitur succumbere pœna,
Femina victa prece distulit ipsa necem,
Distulit, et dixit : « Ita nunc tristissima parco,
Ut post octo dies gladio sit pœna monarcho, »
Sic data tunc vita, pendula pendet ita.
Pace dies octo rediens dum perficit Otho,
Tunc precibus cum principibus rursus petit octo ;
Septima dat requiem post numeranda dies.
Septima præteriit, rursus cupit octo mereri,
Ut sex ipse dies habeat cum pace tueri,
Consilio cleri femina dixit : « Erit. »
Nec tamen illa dedit, nisi rex promitteret illi,
Quod prius ignitis pereat regina favillis,
Hoc ubi convenit vita redempta redit.
Pro tribus induciis tribuit tria castra monarchus,
Nec fuit in reliquis concedere plurima parcus,
Nomina castrorum novimus atque solum.
Si cupis illorum confinia nosse locorum,
Climate Tuscorum, populus monstratur eorum,
Me quoque non latuit sæpe videre solum.

De secundo Henrico, scilicet Claudo, imperatore Romanorum octuagesimo septimo ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo primo, Othone tertio sine hærede defuncto, Henricus Claudus, filius Hezilonis, natione Noricus, et dux Noricorum, id est Bavarorum, ab omnibus regni principibus electus, octuagesimus septimus ab Augusto, rex creatur.

Iste multis bellis prospere gestis, in Germania, Bohemia, Italia et Apulia, postremo a Domino data sibi requie, cum esset Christianissimus, episcopatum nobilissimum Babenbergensem gloriose fundavit et locupletavit. Regi quoque Ungarorum Stephano sorore sua copulata, tam ipsum regem, quam totum ipsius regnum vocavit ad fidem. Hunc Stephanum omnes Ungari ut sanctum venerantur, pro eo quod per eum initium fidei acceperunt.

Henricus imperator piissimus anno regni sui vigesimo quarto, imperii autem anno undecimo, die functus, in ecclesia Babenbergensi humatur : ubi sepulcrum ejus crebris miraculis sæpe et manifeste ornatum tota illa provincia magnifice veneratur. Cætera de ipso Henrico imperatore, et de civitate et Ecclesia Babenbergensi, ego qui ibi prima documenta grammaticæ artis didici, tanquam eorum alumnus versibus explicavi.

Item de eodem secundo Henrico imperatore Romanorum, Claudo : et de civitate et gloriosa ejus ecclesia, quæ vocatur Babenberg, id est Mons Pavonis, versifice dicamus.

Bavaricus fluvius vulgo Radiantia dictus,
Norica rura fovens, varieque vagando relictus,
Montis Pavonis urbis amœna colit.
Nomine vulgato mons Babenberga vocatur,
Flumine crassatur, vicinaque terra rigatur,
Ponsque super stratus cingit utrumque latus.
Urbs laudanda nimis, montis succrescit ab imis,
Indeque sublimis fit turribus insita primis,
Montis in urbe tamen culmina clerus habet.
Agmine murorum series præcincta domorum
Exclusis laicis munitio fit dominorum,
Clericus illorum spernit adire forum.
Dogmate grammatico clerus solet ille beari,
Nullaque vulgaris vox audet in urbe sonari,
Sola solet cunctis lingua Latina dari.

De ecclesia Babenbergensi.

Ecclesiæ forma montis caput auget et ornat
Grandis ibi norma cleri recidiva reformat,
Divitiæ late rebus et arte patent.
Otho Pater patrum tenet ordine pontificatum,
Nobilium fratrum dilatat honore theatrum,
Ipse sacer, sacrum præstat, adæquat utrum.
Fulget in ecclesia mirandi ponderis aurum,
Quo minus est Danais solitus persolvere Maurus,
Pallia purpurea quis numerare queat ?

De Monte Pavonis, et ejus forma situque.

Mons Pavonis habet colles sibi collaterales,
Tres quasi consimiles, urbis quoque participales,
Ipse nitens medius, præminet absque pare.
Pulchrior illorum loca maxima dat monachorum,
Templaque multorum reliqui dant canonicorum,
Quartaque pars fluvio præbet utrinque forum.
In crucis ergo modum posuit sibi Pavo colonum,
Qui veneretur eum, foveat celebretque patronum,
Ipse suis famulis præbet ab urbe bonum.
Stat medius Petrus, Stephanus sibi dexter habetur,
Vertice stat Jacobus, læva Michael retinetur,
Fertque secus fluvium Virgo Maria decus.

De sepultura Cæsaris Henrici.

Cæsaris Henrici sancti, cognomine Claudi,
Lector opes audi, quo possunt munere claudi?
Hæc et majora sunt sua multa bona.
Cujus et ossa bona sunt ad miracula prona,
Hoc opus, hæc dona sua contulit alma corona,
Unde per Ecclesias cantica digna sonant.

Babenbergæ auctor prius studuit.

Laude vacans ista, recolo mihi tempora prisca,
Prisca fuit puero mihi Babenberga magistra,
Mens mea quæ didicit, reddit amica sibi.
Reddere non potui quantum, sed reddere quale.
Ecce meæ volitant alias properantius alæ,
Me vocat historia, Pavo beate, vale.

Digitized by Google

Item de eodem Henrico Claudo laudes scribuntur.

Henrici Claudi meritum solemniter audi,
Cui decet applaudi, cujus metra porrigo laudi,
Sumptus ab arce soli regnat in arce poli.
Conjuge virginea virgo permansit et ille,
Catholicas dedit ecclesias numero quasi mille,
Pauperibus, viduis, spes, via, vita fuit.
Nunc et in altari sua cernimus ossa sacrari,
More salutari solemnia digna parari;
Corpora debilium plurima sana dari.

De secundo Conrado, imperatore Romanorum, octuagesimo secundo ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini 1020, defuncto Henrico imperatore Claudo sine filiis, Conradus dux, natione Francus, consilio ipsius Henrici imperatoris (cujus tamen gratiam non habebat) ab omnibus electus est in imperium, octuagesimus secundus ab Augusto Octaviano. Iste ex matre, de primis Francorum regibus, qui a Troja venerant et a sancto Remigio fuerant baptizati, originem traxerat: et prædecessoris sui Henrici imperatoris Claudi neptem, quam nolente imperatore acceperat, uxorem habebat nomine Gisilam, de genere Carolorum. Sicut illo tempore quidam per istos versiculos insinuavit:

Quando post decimam numeratur in linea quarta,
De Carolo magno processit Gisila prudens.

Ista Gisila primum Arnulpho duci Suevorum nupta fuit, et ex eo geminos peperit, Hernestum scilicet et Hermannum; quo mortuo, accepit istum Conradum, de quo in præsentiarum narramus.

Erat itaque Conradus iste armis strenuus, consilio providus, sapientia florens, peritus in jure civili, et in religione Christiana devotus. In principio regni sui dux Polonorum Boleslaus, quem prædecessor suus Henricus noviter regno subjecerat, per seipsum rex vocari intendit, et ab imperio dividi omnino proponit; qui cum morte propositum prævenisset, Misiconem filium suum successorem relinquit. Ille dum patrem imitari cogitat, et insuper fratrem suum Othonem a patria expulisset: rex tam expulsum ejus fratrem in patriam reducturus, quam de contumacia Misiconis se et regnum vindicaturus, in Poloniam transit.

Misico, cum non posset resistere, ad Ulricum Boemorum ducem, qui etiam tunc hostis imperii erat, confugit. Quem cum Ulricus regi reddere, et per hoc in gratiam cogitasset redire, rex eum sub perfidia illiusmodi recipere contempsit. Misico autem accepto a rege ducatu Poloniæ, coronam quam pater ejus sibi imponere contra imperium cogitaverat, Conrado resignavit, seque ditioni suæ supposuit. Ipse vero Misico post hæc a suo armigero occisus est.

Ab illo tempore provincia Polonorum imperio nostro solvit tributum Conradus filium suum post se ordinat regnaturum, nomine Henricum, adhuc pue-

A rum. Quo facto, Italiam ingreditur, ad quem Ernestus privignus ejus, dux, consilio matris suæ Gisilæ reginæ, venit, et gratiam regis obtinuit, pro mittens se cum eo in Italiam transiturum.

Conradus Romam venit, et in die Paschali procedens inter duos reges, Cutonem scilicet Anglorum, et Rodulphum regem Burgundionum, avunculum Gisilæ reginæ suæ, a Joanne summo pontifice est coronatus, et imperii dignitatem, toto populo plaudente, sortitus. Eadem hebdomada bellum inter rixantes Romanos et Theutonicos oritur; fugatis autem cæsisque ibi multis Romanis, imperator triumphavit.

Conradus imperator per montem Pirenæum in Franciam suam rediit, ubi cum Ernestum privignum B suum ducem prædictum regno rebellare jam velle audisset, viribus imperii terra marique propulsum, in silvis conversari coegit, ubi postmodum a fidelibus imperii occisus fuit, cujus ducatum frater suus Hermannus suscepit.

Eo tempore Radulphus Burgundiæ rex moriens, Henrico, filio imperatoris Conradi, nepoti suo, regnum cum corona, aliisque insignibus, sub testamento reliquit. Unde comes Celticus Otho asserens ad se regnum Burgundiæ, seu Lugdunensis Galliæ pertinere, invadit illud. Imperator ad hæc indignatus, cum exercitu in regnum illud intravit, et Othonem ad deditionem coegit, et omnes principes illos in suam fidelitatem suscepit.

Deinde populo Italiæ contra imperium machinante, venit Mediolanum, captumque ipsius civitatis episcopum, qui factionis illius reus dicebatur, apud Aquilegiam in exsilium misit; qui tamen postea clam aufugit. Imperator Cremonam pergens, Romanum ibi obvium habet pontificem. Quo cum multo honore dimisso, ipse propter calorem ad montana secedit. Interea Otho comes, ruptis juramentis, in Burgundia iterum rebellat, ubi a fidelibus imperii occiditur, et vexilium ejus imperatori in signum victoriæ transmittitur. Conradus causa orationis Romam vadit, et inde in Apulia multis civitatibus visis, per mare Adriaticum redire disposuit, ubi a distemperantia aeris principes multos amisit. Deinde reversus in Franciam, ad civitatem Trajectum inferiorem pervenit; ibique infirmatus obiit, D anno regni sui decimo septimo, Imperii vero decimo quarto. Cætera de imperatore Conrado secundo versibus exponamus.

Item de eodem Conrado imperatore versifice narratur.

Dux erat ex villa quam rite vocant Guebelingam,
Inclyta nobilitas regum generatur ab illa,
Militis officio summus in orbe suo.
Hostibus infesta fuit ejus ubique potestas,
Magna ducis gesta fuerant, sed major honestas,
Clarus in eloquio, dignus honore suo.
Henrici cognata fuit, quem jam memoravi,
Ipsaque pulchra ducem clandestine tunc adamavit,
Cujus et a gremio germina clara trahit.

Digitized by Google

Hanc raput, sponsam tenuit dux pluribus annis,
Cæsareis tunc subjacuit pro tempore bannis,
Proscriptus latuit, damnaque longa luit.
Cæsar ut agnoscit sua proxima tempora morti,
Edocuit proceres, regem præferre cohorti,
Et simul inducit tradere regna duci.
« Sit licet in bannis, inquit, proscriptus ab annis,
Hic valet a validis defendere regna tyrannis,
Et bene Romuleum continuare solum. »
Rex Claudus moritur, dux a dominis revocatur;
Conveniunt proceres, ut rex alius statuatur,
Cum quibus hic juvenis plebe petente fuit.

De Cuano duce, et lusoria voce ejus pro rata accepta.

Cuano dux erat summus inter principes, sperans sine dubio imperium obtinere; qui a cæteris principibus interrogatus quisnam ad imperium aptior videretur? Respondit quasi derisorie dicens : « Nepos meus dux Conradus videtur ad imperium aptissimus. » Credebat enim hoc esse impossibile, et propterea eum nominavit. Quo audito, universi laudant eumdem Conradum, et eligunt eum. Dux vero Cuano contra dixit; sed tamen prævaluit electio universorum. Tali autem modo tunc Conradus imperavit.

Item de eodem Cuano duce, et nepote ejus Conrado.

Dux erat in patria præcelsus, nomine Cuno,
Ille procul dubio confidit habere coronam,
Sed de Conrado spes modo nulla somat.
Consedere duces, electio vult agitari,
Conrado dux ille petit diadema parari;
Fraude quidem petiit, nec cupit illud agi.
Dum petit, hi laudant; laudantibus ipse resistit;
Sed prohibente duce regnum contraditur isti,
Vox ita fraudata stat ratione rata.

De edicto Conradi imperatoris et Lupoldi casu.

Conradus secundus imperator nulli violatori pacis parcebat. Unde comes Lupoldus violator pacis, timens occidi ab imperatore, fugit in silvam remotissimam, ibique cum uxore sua solus in tugurio latitabat. Contigit imperatori e venatione sua fortuito casu illuc divertisse, et ea nocte ibi mansisse. Uxor comitis eadem nocte peperit masculum, quo vagiente, vox de cœlo ait : « O imperator, infans iste erit tibi gener et hæres. » Hac voce tertia vice audita, surgit imperator diluculo, et inventis duobus suis famulis, dixit : « Ite et occidite illum infantem. » Qui euntes accipiunt infantem, sed miserti ipsius, non occidunt, sed super arborem ponunt atque relinquunt. Regi autem repræsentant cor leporis, pro corde infantis. Rex autem eos remuneravit. Transiens postea inde dux quidam, invenit et deportat infantem, et adoptat eum in filium. Imperator longe post in domo ducis videt puerum, et habet suspectum ne sit ille quem præcepit occidi, et assumit eum quasi pro cliente, et præcipit ut ad reginam litteras suas portet, in quibus præcipiebat reginæ, ut visis litteris statim faciat eum occidi. Puer autem rem ignorans pergit, et in domo sacerdotis cujusdam hospitatur, qui ei dormienti litteras subripuit et aperuit; et visa ibi morte pueri, alias litteras scripsit in hunc modum : « Cum videris hunc puerum, o regina, statim da ei filiam nostram in uxorem, sicut diligis vitam tuam. » Et istas litteras reposuit in marsupium pueri. Puer nescius abiit, et ita filia regis statim tradita est ei.

Item de eodem Conrado imperatore, et de pace sui temporis, versibus explicamus.

Conradus pro pace duces deponit honore,
Et pacis sancita facit constare favore,
Quisque ducum metuit, ne sibi pœna foret.
Unus erat comitum pacem violasse notatus,
Cui domus in latebris nemorum clam parva paratur,
Nam regem metuit, dum latitabat ibi.
Uxor et ipse comes, dum sic latuere dolentes.
Regem Conradum videt ipse comes venientem,
Dispersis sociis solus et ipse fuit.
Hospitium petiit, quia vespera tetra coegit,
Quæ possunt miseri referunt solatia regi,
Quidquid equus voluit hospita larga dedit.
Filius est comiti sub eadem nocte creatus,
Suscipiunt puerum forma specieque beatum,
In somno regi visio magna fuit.
Vox ait : « Ecce tuus puer hic erit unicus hæres,
Omnia percipiet quæcunque videris habere,
Hunc tibi tu generum posteritate feres.
Mane sub aurora rex pergit ad ulteriora,
Et dolet et plorat generum sic tollere fora,
Ut puer hic pereat cogitat absque mora.
Protinus ex nemore vestigia nocte sequentes,
Ecce canes famulique manent, regem repetentes,
Mirantes dominum nocte perisse suum.
Rex vocat inde duos juvenes, aliisque relictis.
Utitur astrictis sceleroso pectore dictis :
« Ite simul, pueri, cor cito ferte mihi. »
Dum puerum quærunt, curat Deus ipse tueri,
Nam puero pueri pietate volunt misereri,
Judicio cœli salvificandus erit.
In manibus dum plasma suum tenuere parentes
Armigeri venere viri puerum rapientes,
Ut medio nemorum vita relinquat eum.
In puerum dum respiciunt animus variatur,
Nam ridet quocunque videt, risuque precatur
Ne cadat infantum tam puerile caput.
Armigeri cum jam puero capiunt misereri,
Incipiunt quæ concipiunt ex ore fateri.
« Respice, natus heri quomodo pulcher erit? »
Unus ait : « Concedo magis vivere vita,
Quam gladio tua parva meo sint membra petita,
Morteque mentita tu remanebis ita. »
Alter ait : « Totum cupio dissolvere votum,
Ponamus puerum nemorum statione remotum,
Ne lupus hunc comedat nidificabo locum.
Signa tamen mortis qua calliditate feremus? »
Ille refert : « Canibus leporem campo capiemus,
Cor quoque tollemus quo simulabo scelus. »
Dixit : et ecce lepus juvenum per crura resurgens,
Armiger insequitur clamando, canesque perurget,
Sic pietate Dei victima fertur ei.

Digitized by Google

Arboris in ramo puerum lacrymando relinquunt,
Cor leporis demonstrantes mendacia fingunt,
Juxta mandatum jam scelus esse datum.
Cæsar habet grates, et gaudia magna duobus
Præstat et ambobus sceleris pro munere robur,
Nam bene complacuit perditionis opus.
Contigit hinc transire ducem qua nunc jacet infans,
Audit et obstupuit, pueri vox altius instat,
Cumque videt puerum dux cito tollit eum.
Suscipit infantem nimium gavisa ducissa,
Noctis in obscuro dum cum duce luderet ipsa,
Se queritur sterilem magna ducissa fore.
Dux ait: « Hunc puerum poteris ibi fingere natum,
Finge, precor, partum, de te fatere creatum.
Quippe manu Domini suspicor esse datum. »
Annuit audito mulier formosa marito.
« Hinc, ait exito, thalamo properanter abito,
Omnibus insinua me peperisse cito.
Sic ego de more partus simulabo laborem,
Tu dictis moderare meis, præstaque favorem,
Ut reputent puerum me generante fore. »
Fama volat genuisse ducem, peperisse ducissam,
Aspectu facieque puer formaque patrissat,
Crescit, et inducit gaudia magna duci.
Cum puer Henricus quindenum scanderet annum,
Militis officio censetur honore levandus,
Prorsus enim species corpus et acta placent.
Interea rex ipse venit, puer astitit illi,
Forma recens faciesque nitet, flavique capilli,
Dum quasi flos lucet, rex vocat ipse ducem :
« Dic mihi, quis puer est? » « Meus est » dux intulit illi.]
Cæsar ait : « Totus forma simulatur Achilli,
Hunc, ait, obsequiis continuabo meis. »
Dux ait : « Oro, pater, tenero nunc parcite nato,
Cum fortis, cum miles erit, juvenem revocato,
Ut vacet obsequio tunc meliore dato. »
Dum pater implorat, dum sic retinere laborat,
Rex ferus evacuat penitus quæcunque perorat,
Atque sibi puerum detulit absque mora.
Anxia mens regis juvenem solerter adegit,
Quis pater aut mater sibi sit, narrare coegit,
Sum ducis, ille refert, me ducis aula regit.
Rex quia jam sterilem cognoverat esse ducissam,
Æstimat enixa puerum quia non foret ipsa,
Et quia sic dubitat, noxia corde parat.
Nam putat hunc puerum, quem jusserat ante necari,
Hunc et ad imperii metuit diadema vocari,
Unde cito puero morte pericla parit,
Ipse manu propria properat cum scribere chartam,
Qua puerum portare necem sub fraude coarctat,
Fit puer Urias arripit ergo vias.
Fertur Aquisgrani septem properasse diebus,
Ipse caret sociis, nec abundat ad omnia rebus,
Presbyter hunc recipit, ut jubet ipse Deus.
Fessus et esuriens scamno capit ipse soporem,
Presbyter aspiciens juvenem fulgere decore,
Prandia disposuit deliciosa fore.
Charta boni pueri bursa retinente pependit,
Presbyter hanc aperit, et eam cognoscere tendit,
Forte necem pueri quamcito cernit ibi.
Presbyter ut potuit pueri perpendere mortem,
Protinus in melius satagit convertere sortem,
Noxia rasit; abhinc hæc bona scripsit ibi :
« Hæc regis dum scripta legis, regina, videbis,
Hunc puerum, facies generum, charumque tenebis;
Si dare distuleris, hostia mortis eris. »
Mane puer surgens ait : « Hospes, chare, valeto. »
Ille refert : « Domine famulum me semper habeto,
Rex mihi cum fueris tunc memorare peto. »
Risit ad hæc juvenis, risumque fuisse putavit,
Versus Aquisgranum festinus iter peragravit,
Nescius in scriptis quid sibi charta parit.
Aspiciens regina videt juvenem venientem,
Miratur formam, faciem, vultumque nitentem,
Mox puer ut venit, regia scripta dedit.
Ipsa legit, sed lecta tegit, secreta reponens :
Nata videns, vagabunda silet, perhibente rubore.
Mater eam citius cernere scripta monet
Regia mandata nimio perplexa rigore
Lecta docent dominam regis metuisse furorem,
Et species juvenis hæc peragenda monet.
Non erat ut possent regis præcepta negari,
Curia dat juveni thalamum de more parari,
Filia præcipitur quamcito sponsa dari.
Altera post pauca regis data littera, quærit
Si jussis regina suis reverenter obedit :
Illa refert : Cuncta perficienda dedi.
Aspera scripta quidem, te præcipiente, relegi,
Sed quia pertimui cito contradicere regi,
Omnia contribui quæ tua charta velit.
Nata maritata, sponsalia sunt celebrata,
Curia lætata, solemnia magna parata,
Filia nostra parem gaudet habere marem.
Legit et obstupuit reputans hæc omnia Cæsar,
Urget equos, festinat iter, cursumque coæquat,
Commotusque satis sede resedit Aquis.
Filia cum matre procerum turba comitante,
Astitit, et generum præfert, quem prætulit ante.
Sponsa manu sponsum ducit amanda suum,
Turgidus ille sedens, quid agat, quid dicat in illam,
Nescit, et intumuit, ardensque furore favillat,
Stant furor et ratio pectore tusa suo.
Ira, furor cordis, contraria stant rationi,
Obviat et ratio socia pietate furori;
Stans gener in medio credit abinde mori.
Filia cum matre fervente patris feritate,
Plena timore tacet, vultu variante minacem,
Mors et vita simul regis in ore latent.
Ira recens inferre necem pœnamque laborat,
Parce pater, differre placet, natura perorat,
Naturæ precibus vincitur absque mora.
Dum gravis in rege fieret luctatio mentis,
Obtinet in causa ratio, fugit ira potentis,
Respicit uxorem lætus ut ante solet.
Dicit ei : « Sancita Dei nequeunt vacuari,

Digitized by Google

Quod volui, jam non potui, Deus ipse negavit,
Quæ Deus instituit, nos patiemur. » Ait.
Uxor ad hæc instat : « Deus, inquit, contulit ista,
Prorsus ab humana cœli sapientia distat,
Hæc sunt acta Dei, mens tua cedat ei.
Si generum tamen ingenuum natura notaret,
Nec fortuna mihi, neque filia damna pararet,
Si secus est gener, gaudia nulla daret. »
Cogitur hinc regi dux insinuare quod egit,
Inde duos juvenes verum recitare coegit,
Compulit et comitem, quem Nigra Sylva tegit.
Dum comes adductus credit sibi crescere luctus,
Cognitus esse pater, recipit pro tempore fructus,
Nam gener imperii filius ejus erit.
Cæsar ubi potuit de nobilitate doceri,
Pace frui regis valet et gener ipse mereri,
Iste mihi socius et gener, inquit, erit.
Cumque videt quod et ipse fidem puero violavit,
Plaudit ei quem dextra Dei servavit, amavit,
Tu gener imperii, tu mihi natus, ait.
Rex cadit in fatum, regis gener ille vocatur,
Ordine laudatur, socero gener associatur :
Sic rota fortunæ rem variasse datur.
Ille locus nemorum quo vir fuit ille creatus,
Nobilis Ecclesia monachis Hirsaugia vocatur,
Magna Creatori nunc ibi pompa datur.

De tertio Henrico imperatore, filio Conradi secundi imperatoris, octuagesimo tertio ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo, Henricus tertius supra memoratæ imperatricis Gisilæ filius, qui cœperat patre vivente regnare, patre mortuo, ab Augusto octuagesimus tertius cœpit imperare. In ipso dignitas imperialis, quæ per longum tempus extra Carolorum genealogiam deducta jam exsulaverat, ad nobilissimum germen Carolorum, per matrem ejus Gisilam, est revocata.

Iste Henricus, patri suo æqualis in virtutibus, et præcelsior fuisse perhibetur. Primo quidem Bohemorum ducem, imperio tunc offensum, in deditionem accepit. Petrum autem regem Ungarorum a regno expulsum, et exsulem suscepit, atque inserto prælio cum Ungaris innumerabilem eorum multitudinem fudit, Pannoniamque ingressus, Petrum ipsum regno suo restituit. Accepit postea nobilissimi principis Galliarum, Pictaviæ et Aquitaniæ ducis Wilhelmi sororem Agnetem in uxorem. Cumque more regio apud Ingelheim nuptias celebraret, universos joculatores abire permisit inanes; atque ea omnia quæ eis fuerant largienda, pauperibus dedit.

Circa idem tempus in Ecclesia Romana est confusio gravis exorta, tribus invasoribus sedem illam occupantibus. Quorum unus Benedictus vocabatur. Atque ad majoris miseriæ cumulum, divisis inter se patriarchiis, earumque reditibus, unus apud Sanctum Petrum, alter apud Sanctam Mariam Majorem; tertius, id est Benedictus, in palatio Lateranensi sedebat. Omnes vitam turpem, ut accepimus, et flagitiosam habebant. Tunc quidam presbyter, nomine Gratianus, Ecclesiæ Dei in tanta confusione compassus, præfatos viros adiit, eisque a sancta sede cedere, pecunia persuasit. Benedicto, qui inter illos majoris videbatur auctoritatis, reditibus Angliæ, pro pacis compositione, relictis. Propter quod, Romani eumdem Gratianum presbyterum, tanquam Ecclesiæ liberatorem, ad summum pontificium communiter elegerunt, eumque Gregorium septimum, vocaverunt.

Imperator, his auditis, Romam pergere festinavit. Cui Gratianus apud Sutrium occurrit, eique coronam pretiosam, ad captandam ejus benevolentiam, donavit. Imperator eum tunc benigne suscepit, sed postmodum collecta synodo, propter notam simoniæ sedere persuasit; eique Suidegerum Babenbergensem episcopum, consensu Ecclesiæ substituit; quem etiam Benedictum placuit nominari.

Extunc canonica electio Romanorum pontificum usque adeo suffocata fuisse narratur, ut iste Benedictus, et Aldibrandus, et alii quatuor sequentes, ab imperatore constituti in catalogo Romanorum pontificum scripti reperiantur Qualiter autem Ecclesia Dei partim sub Leone juniore, ad plenum vero sub Alexandro, liberam electionem rehabuerit, sicut probatorum virorum assertione didicimus, postea auctore Domino referemus. Cætera de Henrico tertio versibus explicamus.

De eodem Henrico tertio.

Henricum dixere Nigrum, barba nigricante,
Romuleum tulit imperium papa mediante,
Prospexit populis cum probitate suis.
Theutonicus dictus tunc papa fuit Benedictus,
Romanis qui principibus cum pace relictis,
Ad patriam rediit, nobilis unde fuit.
Curia Romana pariter cum Cæsare pergit,
Copia Theutonica digno moderamine servit,
Urbeque Wormatiæ fit sibi prima quies.
Pluribus alloquiis cum Cæsare papa vagatur,
Papa loco moritur qui Babenberga vocatur,
Tunc Leo Theutonicus papa recepit onus.

De quarto Henrico imperatore Romanorum, LXXXIV *ab Augusto.*

Anno ab Incarnatione Domini 1047. Henricus quartus, rex victoriosus, Romæ in die Natalis Domini, a Clemente papa coronatus, LXXXIV ab Augusto, imperii nomen dignitatemque suscepit. Inde per Apuliam ducto exercitu, ad patriam cum honore revertitur.

Eodem anno, mortuo Suidegero, id est Clemente papa, Popio Aquileiensis patriarcha, in locum ejus Romæ subrogatur. Non multo post, rex Ungarorum Petrus, a quodam suo cliente, nomine Andrea, oculis regnoque privatur. Tunc mortuus est Popio, id est Damasus papa. Cui Bruno Tullensis episcopus, id est Leo papa, Romæ succedit. Ille nobili Francorum prosapia oriundus, auctoritate imperiali ad sedem beati Petri fuerat destinatus : qui cum assumpta purpura per Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, ubi Aldibrandus papa supra

Digitized by Google

memoratus, prioratus officium ministrabat. Ipse eum adiens, æmulatione Dei plenus, constanter de incœpto redarguit, illicitum asserens summum pontificem per manum laicam ad gubernationem universalis Ecclesiæ introire. « Verumtamen, inquit, si meis consiliis te credere volueris, efficere poteris, quod neque regis animum exacerbabis, neque sanctæ Ecclesiæ auferes in electione pontificis, libertatem. » Inclinatur ille ad admonitionem Aldibrandi prioris, et purpuram deponit, et habitum peregrini assumit, et iter arripiens, eumdem Aldibrandum secum deducit. Igitur cum ambo Romam simul venissent, consilio Aldibrandi Bruno in summum pontificem eligitur. Qua causa, Romana Ecclesia qualitercunque tunc cœpit ad electionem sui pontificis noviter informari.

Interea imperator ingressus Belgicam, Gotfridum et Balduinum duces ad deditionem coegit. Post hæc, synodus Moguntiæ celebratur, in præsentia ipsius papæ Leonis, et Henrici quarti imperatoris.

Ad hæc imperator adversus Andream, qui, ut supra narravimus, dominum suum Petrum, regem Ungarorum, oculis regnoque privaverat, exercitum movet, et Pannoniam ingreditur. Sed incolis terræ undique latitantibus, cunctisque Ungariæ victualibus vel absconditis, vel contaminatis, aut veneno infectis, exercitum illic sustentare non valens, Pannonia devastata, reversus est. Item sequenti anno Pannoniam hostiliter aggrediens, Leonem papam secum deducit, et Andream fugavit, atque omnia feliciter ordinavit.

Terra Roberti Guiscardi in Apulia.

Eo tempore gens Northmanniæ consurgens, sub Roberto Guiscardo, viro strenuissimo, et magnæ recordationis duce, Apuliam ingreditur, ubi incolas terræ, variis modis, nunc potentia, nunc dolo et fraude afflixit. Quos dum Leo papa, Romam cum militia a Gallia rediens, incipit coercere, et ab Apulia intendit expellere, conserto cum eis prælio, multisque prostratis, victus cogitur fugere Beneventum. Tanta autem ibi ex utraque parte cecidit multitudo, ut acervus ibi postea factus ex ossibus mortuorum, usque hodie ab indigenis soleat viatoribus ostentari.

Anno extunc proximo papa Leo moritur, et in ecclesia Sancti Petri sepultus, miraculis coruscare monstratur. Cui succedit Gebehardus Æstetensis episcopus, qui Victor papa est nominatus. Illi quoque successit Stephanus, Theutonicus natione.

Imperator rursus Italiam ingressus, comitissam Beatricem, matrem scilicet comitissæ Mathildæ, consanguineam suam, viduam Bonifacii marchionis secum deduxit.

De recuperatione sancti sepulcri, anno Domini millesimo sexagesimo septimo.

Defuncto Gregorio VII, papa apud Salernum, Gilberto autem Romæ per imperatorem cathedram et urbem possidente, pauci Romani propter metum imperatoris abbatem Desiderium de Monte Casino, invitum ad papatum traxerunt; qui etiam dato pretio custodibus occulte, qui civitatem Leoninam custodiebant, sub silentio noctis eum apud Sanctum Petrum in cathedram posuerunt, et Victorem eum nominaverunt. Ipse vero fluxu ventris statim detentus, vitam finivit. Cujus loco episcopum Hostiensem Othonem, id est Urbanum papam constituerunt.

Eodem tempore civitas Jerusalem a paganis conculcata erat, atque detenta; sepulcrum autem Domini ab eis quæstus causa venerabiliter habebatur, vivente adhuc imperatore Henrico quarto et Alexio rege Græcorum. Tunc præfatus Urbanus papa, propter miseriam Jerosolymorum transiens in Galbas, ad defensionem sancti sepulcri Christianorum arma commovit, atque ex diversis nationibus centum millia hominum ad arma collegit, eisque duces subscriptos præfecit, ducem Lotharingiæ Gotfridum de Boillon, comitem Sancti Ægidii, Reinmundum comitem Flandriæ, Robertum et Hugonem fratrem Philippi regis Franciæ. Curam autem omnium eorum in Christo episcopo Fodiensi commisit. Rumores istos alii Christiani audientes, ex omnibus regionibus et linguis et insulis Christianorum homines cum inæstimabili multitudine affluxerunt, asserentes se apostolos et prædicatores Christi esse, atque adversus inimicos crucis Christi pugnatores.

Gotfrido igitur duce, per Bulgariam cum magna difficultate Constantinopolim pervenerunt, ubi multum dolum et impedimentum a rege Alexio perpessi, commissa cum Græcis pugna pontem urbis regiæ expugnant, et transeuntes suburbium succendunt. Ibi recensitis trecentis millibus bellatorum in Nicænam turrim quondam Christianorum venientes, eam a paganis expugnaverunt, et imperatori eam dederunt. Deinde per maritimam Ruthenorum progressi, tantam rerum abundantiam invenerunt, ut bos pro siclo, et aries pro numino, teste Roberto comite, venderetur; principes etiam Saracenorum sibi occurrentes bello presserunt. His elati successibus, obsidione Antiochiam cingunt, ubi per novem menses morantes, deficientibus copiis, et exercitu debilitato, valde humiliati sunt. Deus autem eorum misertus, urbem cum omni copia Turcorum tradidit in manus eorum.

Cum igitur rumor eorum universum Orientem terreret, rex Babyloniorum dirigit ad eos legatos, poscens confœderationem eorum in dolo, cum quibus legatis pergunt in Babyloniam legati Francorum, et honorifice suscepti, dum proceritas, et pulchritudo eorum aspicitur, dum virtus et magnanimitas ipsorum consideratur, dum magis esse quam homines ab illius terræ indigenis asseruntur, rex Babyloniæ, accepto a suis consilio, movet illico exercitum, et Jerusalem cingit obsidione, dicens eis se cum Francis fœdus et amicitiam contraxisse; cum quibus etiam eos vellet destruere, nisi se et urbem regi Babyloniæ subditos exhiberent. Turci itaque urbem tenentes, propter metum Christiano-

Digitized by Google

rum, se et urbem in manus regis dederunt. Qui ejectis omnibus Turcis, urbem cum Saracenis munivit, et sic Christianorum propositum suo ingenio præpedivit.

Inter hæc Christiani, capta, ut diximus, Antiochia, quia Deum non digne glorificasse videntur, tanta cinguntur multitudine Saracenorum, ut priorem ubertatem fames tam intolerabilis sequeretur, ut etiam vix ab humanis carnibus abstinerent. Respiciens autem Dominus populi sui contritionem, lanceam, qua Christi sanctissimum latus legitur perforatum, in locis illis per revelationem eis monstravit; cujus virtute Christiani confisi, quamvis debiles et famelici, cum Saracenis bellum committunt, fusisque viriliter omnibus, non sua, sed Christi fortitudine, hostes vicerunt. Inde procedentes in Syriam, Barram et Martam urbes ceperunt; ubi moram facientes, tanta iterum inopia narrantur attriti, ut etiam humana corpora fœtida famelici aliqui devorarent. Post hæc ad civitatem sanctam, jam a Sarracenis inhabitatam atque munitam, acies direxerunt. Quam obsessam cum capere non possent, habito religioso consilio, Christum humilitatis magistrum imitantes, nudis eam pedibus circuire disponunt. Igitur in die, quæ dicitur Divisio apostolorum, civitas capitur, et hostes ibidem comprehensi, tanta sunt occisione prostrati, ut in porticu Salomonis sanguis occisorum usque ad nostrorum equorum genua perveniret. Extunc civitas Jerusalem usque nunc, auctore Deo, a nostris possidetur.

Porro admiratus * Babyloniorum, qui et rex Memphеorum, et Alexandrinorum vocatur, apud Ascalonam manens, innumerabilem collegit exercitum, tanquam Jerusalem et Antiochiam, per suam potentiam recepturus. Legatos autem Francorum adhuc in Ascalona apud se retinebat. Ad hæc Christiani, sarcinis suis et infirmis in urbe relictis, exercitui Babyloniorum in campo occurrunt. Cumque infinitam hostium multitudinem conspexissent, fusis ad Dominum precibus, cum paucis contra hostes procedunt; et mirum in modum per divinum auxilium, cum quinque millibus equitum et quindecim millibus peditum, Saracenorum centum millia equitum, et trecenta millia peditum, vertere terga compellunt, et spolia immensa diripiunt. Ceciderunt ex Saracenis in eo prælio plus quam centum millia gladio exstincti, sed circa portam Ascalonæ ducenta millia in introitu civitatis sunt suffocata. Innumeri quoque submersi et spinis irretiti, periisse referuntur.

Peracta victoria, principibus ad propria remeantibus, dux Gotfridus exercitum qui remansit, strenue sapienterque conduxit. Ipse etiam Romanos et Theutonicos invicem sæpe ob invidiam rixantes, tanquam utriusque linguæ peritus, ad pacem et concordiam, ut simul commanerent, suis studiis salubriter informavit. Interea Urbanus papa, qui ultra mare exercitum direxerat, celebrato concilio Clarmontem, Romam revertitur, et Gilbertum, qui per imperatorem cathedram Romæ tenebat, ab urbe expellit; sola illi domo Crescentii, id est castello Sancti Angeli remanente. Inde cathedra sua recepta, egressus ab urbe, Apuliam, Calabriam atque Siciliam peragravit: unde quamplurima collecta pecunia, Romam reversus, custodes castri Crescentii pecunia corrupit, atque in hunc modum expulso Gilberto, ad ultimum tam Urbe quam cathedra libere potitur. Ipse paulo post in fata concessit, et cathedram Paschali papæ reliquit.

Interea Christianis ad sanctum Domini sepulcrum confluentibus, dux Gotfridus in Jerusalem moritur; eique Balduinus frater ejus ibidem subrogatur, et auctoritate summi pontificis rex appellatur anno Domini 1100.

Eo tempore quo primus Balduinus factus est rex Jerusalem, Gilbertus moriens, horribilissimo schismati, tanquam Ægypti densissimis tenebris, finem imponit.

Anno sequenti Conradus, filius quarti Henrici imperatoris, cui pater Italiam commiserat, obiit, anno scilicet IX, ex quo a patre discesserat, et in civitate Florentia honorifice sepultus est. Post hæc imperator pater ejus, apud Moguntiam Nativitate Domini celebrata, Henricum filium ejus, qui fuit quintus Henricorum, regnaturum post se principibus assignavit, seque Hierosolymam iturum devovit, et publice pronuntiavit. Anno secundo iterum apud Moguntiam imperatore existente, Henricus filius ejus contra eum rebellionem molitur apud Ratisbonam, consilio Bavarorum, habens occasionem, quod pater excommunicatus a Romano pontifice haberetur. Assumptisque principibus, Saxoniam contra imperium facile commovendam intravit, ubi apud Quintlineburg universos Saxones suæ voluntati conjunxit.

Tunc Ruthardus Moguntinus archiepiscopus a sede sua diu per patrem imperatorem expulsus, filio ejus Henrico quinto adhæsit, et apud villam Northusen concilio celebrato, imperatorem tanquam Simoniacum condemnavit. Inde Henricum Magdeburgensem electum, sed ab imperatore reprobatum consecravit. Inde in Moguntiam per auxilium filii redire proposuit. Sed pater in Moguntia cum militia manens propositum præpedivit. Post hæc filius castrum Noricum, id est Nuremberg, expugnavit.

Item de eodem Henrico quarto imperatore.

Henricus quartus cum esset puer, mortuo patre, sub custodia matris suæ Agnetis imperatricis fuit; quæ aliquanto tempore prudenter imperium rexit. Postea filius consilio lascivientium a matre alienatus, per se cœpit regnare. Hæc discessio maximæ discordiæ seminarium fuit. Imperatrix aspiciens iniquas rerum mutationes, cum fluctibus turbationis nollet involvi, religiosam vitam elegit, et ad monasterium Fructuariense se transtulit. Inde postmodum Romam pergens, ibique aliquantam moram

Digitized by Google

faciens, vita decessit, et in ecclesia Beatæ Petronillæ, in tumba marmorea honeste sepulta est.

His diebus Alexander, primo Lucensis episcopus, postea communi voto et electione promotus in summum pontificem, Ecclesiam Romanam, diu jam ancillatam, in pristinam libertatem reduxit. Nam Cadulum Parmensem episcopum, Romanam sedem armata manu occupare volentem, constanter repressit. De isto Cadulo, et de isto Alexandro scriptus est versus in camera Lateranensi :

Regnat Alexander, Cadolus cadit, et superatur.

Itaque imperium Henrici in seipsum dividitur, et conspirantibus Saxonibus, rebelliones fiunt. Detractiones et inhonesta plurima de imperatore ad aures summi pontificis referuntur. Hanno Coloniensis archiepiscopus, et Germanus Babenbergensis episcopus, Romam mittuntur. Qui peracta legatione revertentes, litteras apostolicas regi assignant, per quas ad satisfactionem de Simonia aliisque enormitatibus commonetur. Eodem tempore Saxones manifeste rebellant, et urbes et castella, quæ rex in Saxonia construxerat, auferunt, et omnino subvertunt.

Anno secundo Alexander papa decedit, et Aldibrando archidiacono suo, qui Gregorius septimus fuit, apostolatum reliquit. Quod quia sine imperatoris concessione actum est, schisma gravissimum narratur exortum. Ipse itaque Gregorius papa ad Simoniam exstirpandam et clericorum incontinentiam reprimendam intendens, imperatorem ipsum ad synodalia pro hujusmodi frequenter vocavit. Connubia clericorum, a subdiaconatu et supra, per totum orbem Romanum, edicto decretali in æternum prohibuit, ac seipsum athletam Dei pro domo Domini murum constituit.

Imperator Saxones bello petit, et juxta fluvium Hunstrot bello incerto, cæsis hinc inde quamplurib us, cruentam victoriam vix obtinuit. Cecidit ibi Gebeardus pater ducis Lotharii, qui postea imperavit, et Ernestus pater Alberti Marchionis.

Eodem anno Wilhelmus comes Northmanniæ, majorem Britanniam, quæ nunc Anglia nuncupatur, expugnavit, regemque ipsius Eraldum occidit. Deinde, Northmannis ibi positis, totaque provincia in servitutem redacta, ipse ibi regnavit.

Anno sequenti, imperator accepit uxorem filiam Othonis Marchionis Italici, nomine Bertham. Papa tantum imperatorem excommunicavit, ejusque consilio Saxones sibi Rodulphum regem creaverunt; quo postea in bello occiso, et Herimanno principe Lotharingiæ sibi substituto, ipse quoque cito interficitur. Ante hunc imperatorem non legimus aliquem a Romano pontifice excommunicatum, aut imperio privatum : nisi forte illud pro excommunicatione reputetur, quod Philippus primus Christianus imperator, ad breve tempus a Romano pontifice inter pœnitentes legitur collocatus. Aut illud, quod Theodosius, ob cruentam hominum cædem, a liminibus Ecclesiæ legitur sequestratus.

Interea Gregorius papa septimus, potentia imperiali ab Urbe pellitur. Cujus loco Gilbertus Ravennas intruditur.

Item, de eodem Henrico quarto, versibus subnotatur.

Henricus quartus Guebelingo semine surgens,
Regna per Italiam multa feritate perurget,
Ut tribuant Domino digna tributa suo.
Omnia dum recipit quæ rapta vel aucta putavit,
Romani bona pontificis plerumque gravavit,
Papa dolens factis, non patiemur, ait.
Cur petat illicitum Cæsar, cito papa requirit,
Ecclesiæque bonis qua vult ratione potiri?
Pax mea jam periit pro feritate viri.
Despicit Henricus papæ quamcunque querelam,
Nec cupit Ecclesiam aliqua placare medela :
Namque potens armis cordeque magnus erat.
Invidia fertur nimia potuisse notari,
Et nimia feritate sua nequam reputari,
De quibus exempla pagina pauca dabit.
Si probitate virum, vel equum pollere putaret,
Ejus ad interitum quæ posset iniqua pararet,
Insidias mortis fraude doloque daret.
Miles erat regi speciosus et altus honore,
Ille datur nudo pugno mactasse leonem,
Militis officio summus in orbe suo.
Hunc videt invitus rex, insidiator iniquus,
Invidus Henricus, probitatis atrox inimicus,
Cujus ab insidiis deperit ille cito.
Fertur eques regi talis quandoque fuisse,
Cui virtute parem nullum natura dedisset,
Hic in aquis Reni, rege jubente, perit.
Prava per imperium dum regia fama notatur,
Ira movet proceres, gens Theutona tota gravatur,
Et dolet imperium turpe fovere caput.
Curia Francorum collecta simul dominorum,
Crimina gestorum regis condemnat eorum,
Expertumque volunt jam reprobare dolum.
Nunc ab apostolico procerum sententia quærit :
Si princeps scelerum rex jure potest removeri?
Papa refert : Merito destituendus erit.
Gregorius papa nunc septimus exstat in Urbe,
Post venit Urbanus, qui regia facta perurget,
Fert quoque Paschalis tempora plena malis.
Henricus male sortitus fit abhinc anathema,
Rodulphus cum Saxonibus tulit hoc diadema,
Cum quibus Ecclesia regia jura premat.
Junctaque Saxonibus consentit et inclyta Roma,
Aurea Rodulpho transmittitur inde corona,
Bella per imperium multiplicata tonant.
Scriptus et insertus fuit in diademate versus,
Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho;
Hæc ita Saxonibus missa corona datur.
Sede Moguntinus tunc præsul in ordine primus,
Exstitit Albertus, sævus, feritate ferinus,
Nec tamen ingenio vel probitate minor.
Hic super Henricum magis omnibus est inimicus,
Sic et Agrippinus præsul, celebris Fridericus,
Alberto de Treveri, fit gravis hostis ei :

Digitized by Google

Undique conspirant, veniunt certamina mira,
Signa, pares Aquilæ, veniunt ad prælia dira,
Saxo tribus vicibus marte repressit eum.
Pugna redit quarta, regem male Saxo coarctat,
Nam quasi jam parta fuerat victoria quarta,
Ast ubi bella gerit rex novus ense perit.
Dum fugit Henricus, comitum fugiente caterva,
Miles ei signum media statione reservat,
Dicens : « Quo graderis, respice, victor eris.
Hoc ergo Rodulphum gladio tibi dico peremptum. »
Rex negat eventum, sed eum trahit ille retentum.
Rex ubi fata gemit, publica fama venit.
Miles sit : « Surge, tua gloria magna resurget,
Saxo fugit, quia rex cecidit, tu curre, perurge, »
Dum tractus rediit victor et ipse fuit.
Nec tamen ut vivit, victorem pœna reliquit,
Mortibus addici regem faciunt inimici,
Filius ejus ei tollere regna sitit.

Henricus junior tollit imperium adversus patrem suum.

Efficit ingratus præsul procerumque senatus,
Patris ad interitum quod habet diademata natus,
Ex ope pontificis omnia posse ratus.
Fit pater ut fuerat sub præsule rex anathema,
Filius erigitur Henricus habens diadema,
Et studet ut penitus jura paterna premat.
Pellitur ergo pater, nimia procerum feritate,
Nec penitus natus patris caruit pietate,
Leodii genitor pauper inopsque latet.
Henricus Magnus, numero quartus reputandus,
Quinquaginta duos vitæ præfecerat annos,
Bella quibus nati fertur amara pati.
Tunc obiit, tunc Leodii voluit tumulari,
Canonici studuere sui corpus venerari,
Moreque regali condere membra lari.
At quia rex voluit vivens anathema mereri,
Papa caput celeri jubet hinc corpus removeri
Cunctaque Leodii mox anathema ferit.
Pellit et a sacris corpus : rebus variatis,
Filius ossa patris doluit fore cum sceleratis,
His cito sublatis longius ire facit
In patriam Spiram, quæ Rhenica littora gyrat,
Ossa patris minat, nimium commotus in iram :
Aphra capella fuit quæ patris ossa tulit.
Rex ita translatus, feretroque novo reseratus,
Quinque reservatus annis fuit intumulatus,
Omnibus ingratus, ludibrioque datus.
Hoc genus horroris nato fit causa doloris,
Tempora mœroris renovat feretrum genitoris,
Pulsus ab Ecclesiis dum jacet ipse foris.
Sacra sepultura papa prohibente negatur,
Annulus et baculus nisi papæ restituatur,
Cum quibus ecclesias vendidit ille suas.
Vendidit ille, quia raro caruit Simonia,
Quæ nota ne fiat, vetuit divina sophia,
Papaque mente tali tollere prorsus hiat.
Henricus vere defuncti Cæsaris hæres,
Amodo pontificum baculos prohibetur habere :
Hoc etenim fieri regula nulla feret.

A Vendere pontifices non possunt amodo reges,
Illud enim sacræ prohibent per sæcula leges,
Expedit ut Simonis crimina quisque neget.
Henricus quintus tunc incidit in labyrinthum,
Hoc laqueo cinctus, foris est arctatus et intus,
Ecclesiæ cedit, dona coacta dedit.
Hæc duo duntaxat Cæsar repetita relaxat,
Ecclesias passas rabiem, non amodo quassat,
Guerra dedit requiem, pax rediviva placet.
Annulus et baculus papalia jura sequuntur,
Sic et ab imperio merito mundana reguntur,
Jura coæquata stant ratione rata.
Sacra sepultura nunc Cæsaris est valitura,
Aurea structura patris est, dans gaudia plura,
Sanctaque Spirea membra recondit ea.

B *Northmanni invadunt Apuliam tempore quarti Henrici imperatoris.*

Henrici Quarti dum gloria vergit ad imum.
Sentit et Apulia Northmannica prælia primum,
Vincitur et Calaber nunc, Siculusque sinus.
Dux ibi Northmannus Wilhelmus primo notandus,
Postque * Robertus Magnus Viscardus adest memo-
Cujus et in modico maxima gesta dabo. [randus,
Paganos Siculos hic in sua jura redegit,
Apulus et Calaber victus sibi colla subegit,
Quos modo Wilhelmus rex probitate regit.

Robertus Viscardus combussit Lateranum, dum imperator papam Paschalem captum Romæ teneret.

Non erat Henrico licitum defendere terram,
C Namque per imperium fuerat validissima guerra.
Papaque Paschalis vincula captus adit.
Henricus quintus dum gestat in Urbe coronam,
Audet Viscardus partim comburere Romam,
Hinc Lateranensis porta perusta sonat.
Transit ut ad Danaos, referunt sibi prælia Græci,
Regis ibi Danai pars exstitit hostia lethi,
Copia fit spolii, miraque massa necis.
Dux erat in rebus pauper, dives probitate,
Addidit ex corio nummos expendere late,
Cum quibus et Danai copia victa jacet.
Devictis Danais, post tempora fertilitatis,
Reddidit argentum pro denariis coriatis,
Militibus gratis dat sua dona satis.
Robertus Viscardus obit tandem sine prole;
D Rogerius Germanus ei succedit honore,
Climata Siciliæ possidet atque fovet.
Rogerius paganus erat de more vocatus,
Rogerius de Rogerio comes est generatus,
Gemma sui generis, et probitate caput.
Gemma fuit, regnare sui meruit probitate,
Apulus, et Calaber fit ei subjectus, et Afer :
Quod loquor ecce patet, terra subacta jacet.
Rogerii regis hic tempus et acta relinquam,
Cæsaris Henrici quinti rem primitus inquam,
Post quoque Rogerio tempus et acta dabo.

Item de quinto Henrico juniore filio quarti Henrici, octuagesimo quinto ab Augusto.

Henricus junior contra patrem movet exercitum, et pater contra eum. Utriusque autem exercitus,

Digitized by Google

supra Rhenum fluvium castrametatur, Rheno in medio existente, et alterum ab altero separante. Erat autem patris maxima potentia in exercitu Bohemorum, et in marchione Austriæ Lupoldo. Quam rem cum filius considerasset, tam ducem Bohemorum, nomine Boroez, quam marchionem Lupoldum, largissimis promissionibus ab auxilio patris sui avertit : quibus abeuntibus, pater debilitatus, a campo cedere compulsus, confusus discessit. Ab illo itaque die pater minuitur, filius autem augetur. Postea filius et pater apud Pinguiam castellum colloquuntur, ubi filius monet, ut pater per apostolicum exeat ab excommunicatione ; qui petit principes apud Moguntiam congregari, ibique coram eis de eadem causa tractari. Itaque, petente patre, generalis curia Moguntiæ indicitur, ibique pater et filius omnibus principibus præsentantur.

De Hierosolymis.

Circa idem tempus, Balduinus rex Hierosolymorum Ascalonam obsessam, sibi tributariam fecit. Commissoque prælio cum Saracenis, cum ipse tantum quatuor millia bellatorum haberet, hostium quinquaginta millia Dei magis, quam hominum virtute prostravit, uno Saracenorum principe capto, et altero occiso.

Tunc Alexius rex Constantinopolitanus, Christianæ prosperitatis adversarius, Turcos in desperationem jam positos, in amicitiam suam confœderavit, eisque turrim Nicæam, Christianorum sanguine conquisitam, concessit.

Interea generali curia Moguntiæ congregata, præsentibus apostolicæ sedis legatis, imperator coram omnibus excommunicatus pronuntiatur. Unde etiam ipse in castro quodam custodiæ mancipatur, ubi dum audientiam petunt principes, eum dolo circumveniunt, et quodammodo cogunt ut filio suo regalia insignia non differat resignare, anno scilicet regni sui quinquagesimo tertio, imperii sui vero quadragesimo. Reversi igitur principes a patre ad filium, imperialia insignia detulerunt, eumque tunc a patre electum denuntiantes, per manus legatorum Romani pontificis creant imperatorem, nonagesimum secundum ad Augusto Octaviano.

Auctor.

Hucusque tam ex libris Orosii, quam Eusebii, et aliorum qui post eos scripserunt auctoritatibus fulti, scripta nostra posuimus. Cætera autem quæ sequuntur, quia recentis memoriæ, et quasi nostrorum temporum sunt, nos ea nobis a viris probabilibus tradita, et partim a nobis oculata fide conspecta, et auribus nostris audita, quanto veracius possumus, favente Domino, lectoribus proponemus.

Nota me Gotfridum, hujus libri auctorem, capellanum et notarium fuisse regis Conradi tertii, et Friderici imperatoris, et filii ejus Henrici sexti, quorum temporibus hæc omnia cis citraque mare per annos quadraginta sum perscrutatus, ex omnibus armariis et Latinis, et Barbaris, et Græcis, et Judaicis et Chaldæis.

De Henrico quarto.

Imperator Henricus quartus, omnibus regalibus filio resignatis, et omnium principum suffragio destitutus, et factus egenus, dum per Rhenum fluvium Coloniam pervenisset, ibi, non sicut exsul, sed ut imperator, a civibus suscipitur. Indeque procedens Leodium, insinuavit omnibus tam verbo quam litteris, a principibus se fuisse deceptum, et ad resignanda regalia filio coarctatum. Transacto pauco tempore, pater apud Leodium moritur, et more regio ibi sepelitur. Sed postea mandato Romani pontificis, a cœmeterio ejicitur, eique omnis Christiana sepultura denegatur. Corpus autem ejus a Leodio in urbem Spiram, scilicet supra Rhenum, ubi ipse in honorem sanctæ Mariæ mirabilis structuræ ecclesiam fundaverat, sed non perfecerat, est in feretro deportatum, et in capella Sanctæ Aphræ, sine sepultura, per spatium quinque annorum in feretro conservatum. Quid autem de eo postea fuerit factum, in fine hujus capituli inferius versifice referemus. Quid igitur filius faciat videamus.

Henricus quintus capit papam Paschalem.

Henricus quintus, mortuo patre, mirabili collecto exercitu, tertio anno post obitum patris, per Montem Jovis transit Pyrenæum, Romam proficiscens. Cumque supra Padum castrametatus, præciperet exercitum recenseri, inventa sunt triginta millia militum, exceptis omnibus, qui ad eum de Italia confluxerunt. Inde per montem Apenninum transiens, Bargum Pontis Tremuli turribus et muris valde munitum, qui transitum exercitui prohibere tentavit, expugnavit atque destruxit. Deinde Perusiam procedens usque Aretium, civitatem ipsam destruxit, pro eo quod cives illi ecclesiam Sancti Donati, id est episcopium, quod est extra civitatem, destruxerant, sedem episcopalem infra mœnia civitatis ponere intendentes. His ita peractis Romam pervenit, et in gradibus beati Petri papa Paschali, cunctisque cardinalibus, et a populo Romano, cum crucibus in processione, cum tripudio et gaudio magno susceptus est. Ipse autem papam Paschalem, consilio quorumdam sceleratorum, captum detinuit, et Ulrico patriarchæ Aquileiensi, cum reverentia custodiendum commisit. Tunc orto ex improviso tumultu, et ornatu Ecclesiæ cunctisque rebus clericorum invasis atque distractis, qui exspectabant gaudium, luctum incurrunt.

Occasio autem et causa illius captivitatis talis fuisse narratur, quia imperatore Romam tendente, papa cum eo tali pactione convenerat, ut imperator episcoporum investituras dimitteret, papa autem e converso imperatori omnia episcoporum regalia relaxaret. Hæc pactio sacramentis et obsidibus inter papam et imperatorem asseritur firmata fuisse. Quam dum renitentibus episcopis papa adimplere non posset, cum per omnia innocens esset, tanquam reus custodiæ est mancipatus. Hujus factionis consiliator præcipuus dicitur fuisse Albertus, tunc imperatoris cancellarius, qui postea fuit archiepi-

Digitized by Google

scopus Moguntinus, quem tantum imperator postea per divinum judicium, fortissimum sensit inimicum.

Papa aliquandiu capto et detento, imperator a civibus revocatur, et episcoporum investituras, id est, annulum et baculum, a papa recipiens, ipsum papam et cives Romanos muneribus reconciliare curavit : et a papa coronatus, favorem et nomen imperiale sortitur, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo undecimo, anno vero regni ejus, ex quo pater regalia sibi resignaverat, sexto.

His ita transactis, synodo episcoporum postea celebrata, privilegium ab imperatore minis et terroribus extortum tanquam pravilegium reprobavit. Imperator ab Urbe in Franciam reversus, filiam Henrici regis Anglorum, Mathildam, in uxorem sibi conjunxit, nuptiasque magnificas Moguntiæ celebravit. In ipsa curia Lotharius dux Saxoniæ, qui postea fuit imperator, tunica lanea pro pœnitentia indutus, et pedibus discalceatus, procidit ante pedes imperatoris. Tantus enim terror omnes invaserat, ut aliquis voluntati suæ resistere non auderet. Cæterum in ipsa nuptiarum celebratione, ubi omnes convenerant, factæ sunt contra terribilitatem ejus multæ principum conspirationes; et ex tunc tam manifeste, quam occulte multi incipiunt rebellare. Ex consilio autem et suggestione archiepiscoporum, Friderici scilicet Coloniensis, et Alberti Moguntinensis, et aliorum quorumdam, Callistus papa, qui post Paschalem, et Gelasium, Romæ pontificatum acceperat, imperatorem excommunicationis vinculo innodavit. Schismate itaque renovato, imperator Romam pergens, Burdinum, natione Hispanum, in cathedram, per suam violentiam collocavit, quem Romani apud Sutrium postea captum, et camelo, ut dicitur, superpositum, cum ignominia deportaverunt, et in cavea prope Salernum, perpetuæ custodiæ tradiderunt. Imperator videns a se regnum paulatim deficere, et exemplum patris sui mente revolvens, atque metu anathematis quo urgebatur; collecta generali curia apud Wormatiam, investituram episcoporum, scilicet annulum et baculum, in manus legati apostolici, nomine Lamberti, qui postea fuit papa Honorius, publice resignavit, per quem etiam ab anathemate est absolutus. Papa quoque imperatori tale privilegium scripsit, ut episcopi omnes tam Cisalpini, quam citra, non prius episcopi ordinentur, quam per manus imperatoris de regalibus sint investiti.

Imperator de Romanis ulcisci desiderans, festinato cursu in Italiam, Urbem obsedit : quibus contra eum incaute progressis, plurimos cepit, quos fere omnes aut cæcavit, aut denasavit. Deinde reversus in patriam, morboque correptus, obiit, et in civitate Spira, ubi Ecclesiam supra memoratam complevit atque ditavit, sepultus est juxta patrem et avum et atavum suum, anno regni ejus decimo nono, imperii vero decimo quarto.

Cætera versifice gesta referre placet.

A *Item de captivitate papæ Paschalis, et de guerra inter imperium et Ecclesiam versibus subornatur.*

Cum foret Henrico subjecta per omnia Roma,
Unctus apostolicis manibus, sumptaque corona,
Cepit apostolicum, rumor in Urbe sonat.
Bella parat populus, succurrit ab Urbe senatus
Prævalet Henricus, pars præsulis exspoliatur,
Papa caret Manto, captus ab hoste suo.
Quæstio nunc oritur, cur carcere papa tenetur?
Respondetur eis : Quia sustulit omnia præsul,
Abstulit imperio pontificale decus.
Nam bona Pontificum quæ nititur ipse tenere,
Contulit imperium, quæ debeo Cæsar habere;
Amodo qui teneat, Cæsare dante feret.
Annulus et baculus de nostro munere venit,
B Undique pontifices regum sunt munere pleni,
Cæsaris officium quomodo papa gerit?
Rettulit Ecclesia : si quærimus æqua fateri,
Annulus et baculus nunquam de Cæsare venit,
Nam Deus Ecclesiis cœlitus ista dedit.
Omnia quæ reges per tempora prisca dederunt,
Non modo sunt regum, sed cui data jura fuerunt,
Nec Deus hoc patitur, nec tua jura ferunt.
Cum tua sit regni, tua sit custodia juris,
Carceribus nostris mala dat exempla futuris,
In sanctum Domini dum feritate furis.
Conditor es juris, qui spernere jura videris,
Jam neque jura Dei, neque regia jura vereris,
Ecclesiam crucias, qui cruciandus eris
Dedecus est fontem juris confundere legem,
C Et magis est timidum, cœlorum spernere regem,
Cum sacra jura neges, tristia regna reges.
Cur laicus quærit tradi sibi munera cœli?
Ut Deus instituit electio consona cleri,
Judicio cœli libera semper erit.
Tu tua si repetis, repetes quæ tu tribuisti,
Hæc cum non dederis, cur tollere proposuisti?
Tradere te decuit, tollere nulla mihi.
Si quodcunque datur, ratio monet ut repetatur,
Dos tua tollatur, nobis quoque nostra feratur,
Hoc ita si cupias quærimus esse ratum.
Imperium dedimus, tu pauca dedisse videris,
Ex ope pontificis Cæsar Romanus haberis,
Vincula pontifici qua ratione geris?
D Quidquid agat præsul, quidquid sacra turba fatetur,
Reddere cogetur quod Cæsaris esse videtur,
Illud et in scriptis firmat uterque secus.
Annulus et baculus, vel cætera quæ memorantur,
Cæsaris ad jussum penitus reddenda parantur,
Papaque Paschalis sic spoliatus abit.

De excommunicatione imperatoris Henrici quinti, propter papæ Paschalis captivitatem.

Papa dolens lamenta movet, totumque per orbem
Ecclesiam sua charta vocat properanter ad Urbem:
Hæc ubi consedit, Cæsaris acta dedit.
Tunc ait: o patres, a Cæsare scripta notate,
Et quodcunque placet super his decreta parate,
Me quoque pontificem non fore, jussa date.

Digitized by Google

Peccatis mala vestra meis venisse notavi,
Officiis me destitui dignum reputavi,
Me quoque deposui, ne pereatis, ait.
Hæc ait, et mitram rejicit, Mantumque relinquit,
Ordinet Ecclesia sine me, quidquid placet, inquit,
Moreque pontificis judicet ipsa sibi.
Scripta legunt cleri, rex pontificalia quærit,
Annulus et baculus sub Cæsare fertur haberi,
Copia pontificum non ita, dixit, erit.
Extortum papæ scriptum contra rationem
Uritur, et priscum tibi conciliamus honorem,
Tolle pater Mantum, curia tota monet.
Rursus in Henricum quintum nova bella gerentur,
Pristina mota patri sibi jam tormenta moventur,
Ut pater ante fuit, sic anathema luit.
Littera papalis simul, et papale sigillum,
Missa per imperium gravis excommunicat illum,
Et cunctos proceres, qui sua jussa tenent.
Nunc Paschalis obit, succedit honore Calixtus,
Sede Viennensis regumque propagine mistus,
Germine Francigenæ Cæsaris hostis erat.

Disputatio inter imperialem curiam et papalem; quis eorum esset major in illo tempore.

Curia papalis contendit et imperialis,
An sit inæqualis, vel debeat æquiparari;
Partibus oppositis curia regis ait :
Spiritus est papa carnis velamine clausus,
Hunc quasi terrenum describere quis foret ausus?
Terrea cum superis qua paritate gerit?
Est quoque par superis, cœlum datur ore tenere,
Qua ligat, et solvit, qua regna videtur habere;
Carnis in exsilio spiritus astra tenet.

Allegatio in contrarium de imperatore.

Cæsar lex viva stat regibus imperativa,
Legeque sub viva sunt omnia jura dativa,
Lex ea castigat, solvit, et ipsa ligat.
Conditor est legis, neque debet lege teneri,
Sed sibi complacuit sub lege libenter haberi,
Quidquid ei placuit juris adinstar erit.
Qui ligat ac solvit Deus, ipsum protulit orbi,
Divi sit regnum divina potentia secum,
Astra dedit superis cætera cuncta sibi.

Responsio curiæ Romanæ contra imperatorem.

Pars quoque papalis sic obviat imperiali,
Sic regnare damus, quod Petro subjiciaris,
Jus etiam nobis Christus utrumque parit.
Spiritus et corpus mihi sunt subjecta potenter,
Corpore terrena teneo, cœlestia mente,
Unde tenendo polum, solvo ligoque solum.
Æthera pandere, cœlica tangere papa videtur,
Nam dare, colere, nectere, solvere, cuncta meretur,
Cui dedit omne decus lex nova, lexque vetus.
Annulus et baculus, quamvis terrena putentur,
Sunt de jure poli, quæ significare videntur,
Respice jura Dei, mens tua cedat ei.
Reddit apostolico Cæsar, quæcunque rogavit,
Pax bona conficitur, sublata Deo reparavit
Jura suæ partis lætus uterque trahit.

A *De Lothario imperatore, octuagesimo sexto ab Augusto, post Henricum quintum.*

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimo quinto, defuncto absque hærede Henrico quinto, principes Moguntiæ conveniunt, ibique habito de successore consilio, quatuor regni optimates, Lotharius dux Saxonum, Fridericus dux Suevorum, Leopoldus marchio orientalis, Carolus comes Flandriæ ad regnum designantur.

Tandem Lotharius, natione Saxo, patre Gebehardo, voto omnium, renitens, valde acre clamans, ad regnum tractus, præsente legato sedis apostolicæ, nonagesimo secundo ab Augusto regnavit.

Iste per omnia humiliavit progeniem Henrici imperatoris, contra quem dux Fridericus et frater ejus
B Conradus, nepotes Henrici imperatoris ex sorore, diu rebellaverunt. Propter quod papa Honorius successor Calixti, eos excommunicavit.

Verumtamen prædictus Conradus, a fratre suo Friderico, et a quibusdam aliis, factus est rex contra Lotharium. Qui cum pauco exercitu intravit Italiam, et Mediolani apud Modoetiam coronam portavit. Deinde ad partes Romanorum processit, et tandem rebus exhaustus in patriam remeavit, pacemque cum Lothario componens, dimisso regno, quievit. Eodem tempore Romæ Honorio mortuo, oritur schisma inter Innocentium et Anacletum. Innocentius autem transiens in Galliam, venit Leodium, ubi Lotharius ei occurrit, auxiliumque promittit. Unde Innocentius papa apud Clarum-montem,
C concilio celebrato, Romam rediit, et regem Lotharium, in Lateranensi palatio apud Sanctum Salvatorem coronavit. Non enim poterat apud Sanctum Petrum morari, propter potentiam Anacleti filii Petri Leonis.

Lotharius in patriam rediit, rursusque renovato exercitu, Romam post biennium remeavit. Ubi assumpto secum Innocentio, in Apuliam transiit, et Rogerium Siculum, qui tunc dux Apuliæ vocabatur, inde fugavit, et Rainonem comitem ibi ducem constituit, civitatem Barum cepit, et totam Apuliam occupavit. Inde reversus, Veronæ morbo correptus, vitam finivit, anno regni sui duodecimo; cui Conradus supra memoratus, per electionem principum
D in regnum successit.

Item de Lothario versifice, et de duce Conrado contra eum erecto, sed tandem pacificato.

Non erat Henrico quinto tunc masculus hæres,
Sed soror hunc genuit qui regna meretur habere,
Tertius Conradus rex diadema geret.
Conradus dux imperium captare paratur,
Lotharius dux Saxonicus contra relevatur,
Sed magis invidia, quam ratione datur.
Livor et invidia recolebant gesta priorum,
Quos Henricorum fortuna repressit amorum,
Sic modo Lotharius tollit habetque thronum.
Transit in Italiam Conradus, ibique receptus,
Est Mediolani diadema potenter adeptus,
Bellaque rex regi fortis utrinque vehit.

Digitized by Google

Schisma fuit regno, sunt et nova schismata Romæ;
Nam duo sunt papæ, binæque fuere coronæ :
Schismatis errores mundus adesse dolet.
Unus Anacletus fuerat sub schismate præsul,
Innocentius est, qui contra papa tenetur;
Hæc duo fert secum schismata Roma vetus.
Cedit Anacletus, alterque sedere meretur,
Regnat Lotharius, Conradus amicus habetur,
Summus et imperii signifer ipse fuit.
Lotharius senuit, Conradi longa juventus,
Obtulit obsequium, sed post, sene prorsus adempto,
Succedens juvenis regia jura tulit.
Interea juvenis regni vexilla tenebat,
Fit prior in ducibus semper, primusque sedebat,
Hoc sibi nobilitas, dignaque forma dabat.
Imperat hinc annis sic Lotharius duodenis,
Bis videt Italiam, Romam quoque denuo venit,
Et semel Apuliam cum feritate premit.
Rogerius nunc dux Siculus regnare putatur,
Pulsus ab Apulia, qui Cæsaris ense fugatur,
Cæsar habet Barum, vincit et usque Pharum.
Rainonem creat ipse ducem, cui cuncta relinquit,
Quem dux Rogerius post hoc certamine vincit,
Et facit Apuliæ se sine fine ducem.
Indeque se regem jussit dominumque vocari,
Moreque regali regalia signa parari,
Atque per Apuliam magna tributa dari.
Hostis ei papa satis Innocentius exstat,
Intrat in Apuliam, regi contraria præstat,
Captus ibi cedit, regia jura dedit.

De exaltatione Conradi tertii post Lotharium imperatorem, octuagesimo septimo ab Augusto.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo nono, Conradus supra memoratus, XCIII ab Augusto, apud Confluentiam, inter Moguntiam et Coloniam, in regnum eligitur, præsente Deodevino Portuensi episcopo, apostolicæ sedis legato. Statimque Aquisgrani in sede Caroli a principibus constitutus, ab eodem legato est coronatus.

Saxones tamen et dux Bavariæ Henricus tunc in eum non consenserunt. Asserebant etiam eum non regem legitimum, sed per subreptionem creatum. Rex præfigit eis omnibus curiam generalem apud Babenberg, ad quam venientes, simul cum imperatrice vidua Lotharii, in gratiam et pacem regis fuere omnes recepti, excepto solo duce Bavarorum Henrico, qui cognominabatur Superbus, apud quem etiam insignia regalia contumaciter adhuc detinebantur. Erat enim gener defuncti imperatoris Lotharii, et ex hoc tenens regalia, ad regnum quantum poterat, aspirabat. Coactus vero tandem regalia, id est crucem et lanceam et coronam reddidit, gratiam autem regis non impetravit. Postea vero judicio principum a rege proscriptus, ab omnibus suis derelictus, vix quatuor militibus comitatus, in partes Saxoniæ miserabiliter cessit. Atque post pauca vitam finivit.

His temporibus, Rogerius Siculus Apuliam rursus ingressus, cum duce Rainone, quem Lotharius ibi præfecerat, habet conflictum victusque fugatur. Interea Anacletus, filius Petri Leonis Romæ moritur, et eo mortuo, schisma terminatur. Post pauca, dux Apuliæ, Raino vel Rainaldus, moritur. Rogerius in Apuliam revertitur, et terram duce orbatam nec rebellantem occupat. Principem Robertum Capuanum, cum omnibus nobilibus ejicit, et residuos, variisque tormentis affligit. Ad ultimum se regem Siciliæ et Apuliæ præcipit appellari; princeps Robertus Capuanus cum omnibus comitibus expulsis, ad regem Conradum secessit. Rex benigne omnes recepit, et longo tempore in Alemannia secum tenuit, sed in Apuliam transire non potuit, quia eum gravis imperii necessitas præpedivit.

Ad hæc papa Innocentius, vir magnanimus, cum populo Romano contra Rogerium collecto exercitu Apuliam ingreditur, ubi incaute conductus, in loco qui vocatur Galluzu, a Rogerio capitur, eoque cum reverentia coacto, Rogerius nomen et auctoritatem regiam, cum benedictione apostolica, tam in Sicilia quam in Apulia, sicut voluit, plenarie impetravit.

Rogerius ex tunc auctoritate apostolica rex exaltatus, cum jam nullum præter Conradum regem haberet obstaculum, Velfonem ducem, fratrem scilicet Henrici superbi supra memorati, pecunia sua conductum, contra Conradum in Alemannia concitavit. Quem rex in uno prælio, juxta castrum Winisberg eleganter vicit, suosque grandi occisione prostravit. Altera vice Henricus filius Conradi, qui si vixisset, post eum fuerat regnaturus, eumdem Velfonem bello devicit. Velfo tamen, dum Conradus vixit, pro Rogerio stetit, et regnum pro viribus impedivit.

His temporibus Romani cœperunt innovare senatum, qui longis ante temporum curriculis ita cessaverat, ut nec mentio ejus Romæ haberetur; quem papa Innocentius ingenio, pretio, et minis solvere conatus, non potuit; morboque præventus sub ea discordia diem ultimum clausit; cui sacerdos laudabilis Cœlestinus successit, quo infra annum defuncto, in cathedra Lucius papa consedit. Lucius secundus itaque intendens senatum exstinguere, cum ingenti militia capitolium Romæ conscendit, ut sedentes ibi tunc senatores cum dedecore removeret. Senatus autem populusque Romanus ad arma conversus, papam cum suis omnibus a capitolio in momento repellunt. Ubi papa, sicut tunc audivimus, lapidibus magnis percussus, usque ad obitus sui diem, qui proxime secutus est, non sedit in sede. Cui tunc successit Eugenius abbas Sancti Anastasii Romæ, de ordine Clarævallensium.

Cujus tempore obiit rex Conradus apud Babenbergam, cui successit Fredericus nepos ejus, dux Suevorum. Tunc Constantinopoli Manuel imperabat, habens uxorem Theutonicam, sororem, scilicet uxoris regis Conradi, natam de Sulzbach, filiam nobilissimi comitis, in terra Bavarorum. Cætera de rege

Digitized by Google

Conrado, qualiter fvit ultra mare, et de rege Rogerio, et de filio suo rege Wilhelmo, et item de Wilhelmo rege filio Wilhelmi, versibus adnotamus.

Item de Conrado tertio, qualiter rex Rogerius contra eum tollit Apuliam, et per Velfonem ducem infestat regnum Theutonicum.

Lothario moriente, venit Conradus honestus,
Hostibus infestus, sapiens, ad cuncta modestus,
Quem satis imperium laudat, et omne solum.
Dum timet hunc Siculus, dum perdere regna veretur,
Velfoni dat dona duci, quo sæpe tenetur,
Hoc duce sustinuit bella ferente decus.
Undique Conradus Siculos arctare minatur,
Præmia Velfoni magis ille referre paratur,
Diraque cum rege prælia Velfo movet.
Contra Velfonem mens regia plena furore,
Imperii virtute sui defendit honorem,
Vultibus oppositis insimul arma movent.
Dextera Conradi gladio conformis Achilli,
Signifero veniente ducis caput amputat illi;
Hic ubi marte cadit, Velfo repulsus abit.
Multimoda tunc cæde data, sumptoque trophæo,
Conradus virtute datur major Machabæo,
Omne decus Velfo tempore perdit eo.
Rogerii regis Siculi venit ultima vita,
Filius ipsius Wilhelmus regna cupita
Suscipit, et vitæ tempore regnat ita.
Tempus abit, Conradus obit, miranda potestas.
Succedit Fridericus ei, relevatur honestas,
Interea Siculus rex sine clade fuit.
Nulla dedit Siculo Fridericus prælia regi,
Nam Mediolani tunc prælia longa peregit.
Sic rex Wilhelmus regna quieta regit.

De duobus Wilhelmis.

Wilhelmus post Wilhelmum succedit honore,
Formosus, gladioque probus, summusque decore,
Qui magis Ausoniæ dignus honore foret.
Dum jam Wilhelmus ter denos perficit annos,
Cæsar apud Danaos Manuel moritur memorandus,
Tunc quoque Francigenis rex Ludovicus obit.
Imperium nunc Græcorum rapit ille tyrannus,
Andronicus, princeps scelerum, vir nec memoran-
Græcorum proceres ejus ab ense cadunt. [dus,

De pace inter imperatorem Fridericum et Lombardos.

Expedit hic dici, quod et imperio Friderici,
Omnes Lombardi sic efficiuntur amici,
Sicut ei placuit, res patet acta sibi.
Filius ipsius Henricus, ad alta levatur,
Rite coronatur, uxoris honore beatur,
Fit regis Siculi filia sponsa sibi.
Sponsa fuit speciosa nimis, Constantia dicta,
Posthuma, post patrem materno ventre relicta,
Jamque tricennalis tempore virgo fuit.

Item de Conrado tertio, qualiter ultra mare perrexit cum exercitu Christianorum.

Consilio Seneca, specie Paris, Hector in armis,
Regnum bis senis Conradus rexerat annis,
Cum tulit in scapulis insita signa crucis.
Unde Cisalpina gens omnis erat peregrina.

A Quam neque per maria vexit ratis ulla marina,
Imo per Ungariam præripuere viam.
Tunc rex Francigena Ludovicus mente serena,
Signa crucis tulerat: numerum si noscere quæras?
Millia millena militis agmen erant.
Reges et populos latuit fortuna futuri,
Nam fuerant nostri pro lege Dei morituri.
Constantinopolim miles uterque venit.
Inde per Iconium via regum recta paratur,
Fraudeque Græcorum male per deserta vagatur,
Unde fame pereunt, spes bona nulla datur.
Millia Turcorum veniunt ad bella virorum,
Copia Maurorum ferit agmina Theutonicorum,
Perforat ipsorum pectora, castra thorum.
Nunc rex Francorum comes astat Theutonicorum,
B Perditur armorum series, ornatus equorum,
Plena jacent feretris, prata, platea, forum.
Cum labor infestet, calor irrogat undique, pestes.
Qui fuerant equites, pergunt moriendo pedestres,
Æger ubique jacet, prælia nostra tacent.
Tunc rex Conradus multis tulit arma diebus,
Ense regens equites, cessantibus undique rebus,
Sic loca pacifica Theutona signa petunt.
Adfuit egregius Fridericus dux Suevorum,
Æqua suo patruo regit agmina Theutonicorum,
Hostibus ingeritur, protegit ipse forum.
Dummodo festinant nimiam vitare ruinam,
Inveniunt binas per littora forte carinas,
Unde Jerosolymam præripuere viam.
C Tunc magis irasci studuit super urbe Damasci,
Prælia contraxit, cœpit victoria nasci,
Urbs obsessa fuit, nam quasi capta fuit.
Ni foret ob pretium res vendita proditione,
Urbs peritura foret, nostrisque dedisset honorem,
Rex pro fraude dolens, signa reversa movet.
Ipse suis manibus rex tantus erat gladiator,
Ut gladio feriente suo nullus tueatur.
Indeque per medium corpora cæsa cadunt.
Ad sua regna redit, modico post tempore vivit,
Palmigerique viri pauci redeunt redivivi,
Paceque rex obiit, nam requiescit ibi.
Anno milleno, centeno, terque deceno,
Atque quater deno, reddit sua tempora cœlo,
Cui famulabar ego, qui mea metra lego.

D *De exaltatione imperatoris Friderici primi, nepotis Conradi tertii, octuagesimi octavi ab Augusto.*

Anno ab Incarnat. Domini 1146, anno etiam ab Urbe condita 1918, annis vero ab Adam sex millibus trecentis triginta quinque transactis, Fridericus primus, filius Friderici ducis Suevorum, fratris scilicet Conradi regis, natus ex clarissima progenie Carolorum, post Conradum tertium apud Francofordiam communi voto, et consensu omnium principum, electus est ad imperium, nonagesimus quartus ab Octaviano Augusto. Cujus in hoc loco brevem tractatum ad observandum catalogum imperatorum facimus, ne ordo nominum ipsorum interrumpatur, si forte nomen ejus in hoc catalogo non assignatur. Alibi autem de actibus ejus, omnia fere principalia

Digitized by Google

quæ gessit in Italia, versifice dictata posuimus, ubi de Mediolani destructione, et de aliis satis compendiose narramus.

Gratias igitur agimus Creatori, a quo bona cuncta procedunt, quia, sicut in exordio libri hujus spopondimus, universum Vetus et Novum Testamentum in summa complectentes versifice assignavimus, et ab initio mundi usque ad præsentem diem, sub tempore domini imperatoris Friderici, et domini papæ Urbani tertii, omnia regna mundi, omnes reges, et acta regum, sub compendio, et nomina, et tempora, et annos eorum, atque omnes Romanos pontifices, et annos et menses, et dies eorum per ordinem descripsimus : qui etiam imperatores cum quibus apostolicis vixerunt. Distinximus Chronica omnia, quæ catholicæ Ecclesiæ inseruimus. In omnibus autem istis nihil fabulosum scienter addidimus, sed auctores catholicos et authenticos secuti sumus, ut Eusebium, Clementem papam, Dionysium Areopagitam, Origenem, Hieronymum, Augustinum, Josephum, Orosium, Ægesippum, Strabum, et Hionium, et Solinum de mirabilibus, et Suetonium de vita imperatorum.

Item de eodem Friderico imperatore, versifice notamus.

Regibus antiquis descripsimus omnia late,
Tu minor ætate, Friderice, prior probitate,
Jam tua gesta patent, quæ recitare placet.
Nam Friderici tempora, prælia, gestaque novi,
Indeque maxima, vel magis optima promere vovi,
Qui tulit, aut movit, quæve recepit ob id.
Dum caninus magni regis, mea musa, cacumen,
Sub brevitate suum studeamus tangere numen :
Altius incipias; organa nostra tument.
Nunc tibi lingua mea panget, Friderice, trophæa,
Acta gigantæa canat omnis in orbe chorea,
Tu quoque musa mea, surge, canamus ea.
Flos fuit ex flore regum Fridericus honore;
Sumpsit eum regem Germania plena favore,
Imperii dominum semper habere volens.
Rex ut Aquisgrani Carolorum sede resedit,
Ordine legitimo Germania prorsus obedit,
Finibus Italiæ rex sua signa dedit.

De civitate Mediolani et de guerra ejus cum Friderico imperatore.

Urbs Melana potens, meritis dicenda lœna,
Viribus eximia, populis et milite plena,
Sæva, superba, fera, tota rebellis erat.
Urbibus annexa fuit hæc, quibus omnia vexat,
Quæ fuerint urbes, exponere nomina restat,
Brixia, Terdona, Crema, Placentia bona.
Rex ubi Theutonicam meruit captasse coronam,
Quærit et Italicam, quia sic docet inclyta Roma,
Per medios Ligures regia signa volant.
Signa sui regis spernit Melana vereri,
Sed propria virtute sua vult rura tueri,
Nescia quod sibi mors rex Fridericus erit.
Hanc ubi rex angit regalibus undique bannis,
Dissipat et frangit, sex marte fluentibus annis,
Urbs, quæ summa fuit, marte repressa luit.

(Rex modo dissimulat mala quæ Melana meretur,
Ad reliquas urbes exercitus ire jubetur,
Et super Astenses arma tulere duces.
Rex abiit, Melana sibi non præbet honorem;
Tempus erit quo facta luet, contrita furore;
Roma vocat regem, rex sua signa movet.)

De Astensi civitate.

Magna timens regem mox deserit Asta colonum,
Ad castrum novum cuncti sua cuncta reponunt,
Unde suum vacuum deserit Asta solum.
Nec penitus vacua, deserta relinquitur Asta,
Turribus eversis, inventa cibaria vastant,
Alterius muri nulla ruina fuit.
Dum rex egreditur melior fortuna paratur,
Jurat ei populus sic asta reconciliatur,
Culpa fuit modica, gratia plena datur.

Item de eadem Asta civitate.

In Ligurum patria manet urbs, quæ dicitur Asta,
Inclyta divitiis, modico munimine vasta,
Quæ cito succubuit, nec tamen ipsa ruit.

De civitate Terdona per Fridericum ter desolata.

Amodo Terdonæ superest recitare dolorem,
Quæ Mediolani veteri subnixa furore,
Consueto more vult inimica fore.
Rex ubi castra movet, metuit fera turba leonem,
Cingitur horribili procerum Terdona labore,
Miles ut aggreditur plebs fugitiva dolet.
Undique rex arcet, populus secedit ad arcem
Nec sibi sic patet : stringens eques undique partes,
Urbs capitur plane, turba cacumen habet.
Hinc cibus arctatur, fons tollitur, inde paratur,
Talpa cavans, aries, mangonibus injaculatur,
Perforat interius, rumpit utrumque latus.
Proxima jam morti cedit gens subdita sorti,
Introitum regi patulis dedit undique portis,
Plebis membra tamen vitaque salva manent.
Insita telluri rex mœnia præcipit uri,
Inde cadunt muri populi digne perituri,
Sic Terdona ruit, qua satis alta fuit.
Inclyta Terdona nimis irascente corona,
Victa ruit prona, capiens tria tristia dona,
Quippe tribus vicibus diruta tota domat.

Qualiter a Terdona Romam consecrandus processit.

Hæc ubi complevit, celebris legatio venit,
Pergat ut hinc propere papalia jura tueri
Ex ope pontificis jam monocrator erit.
Utque moras purget, vehementer papa perurget,
Rex bonus exsurgens aquilas direxit ad Urbem,
Dantque Placentina rura cremata viam.
Servit ei Parma, Bononica transiit arva,
Alpe satis parva Florentia pertulit arma,
Nuntius Achaiæ Palæologus adest.
Arnaldus capitur, quem Brixia sensit alumnum,
Dogmata cujus erant quasi pervertentia mundum,
Strangulat hunc laqueus, ignis et unda vehunt,
Thuscia devota sese dedit undique tota,
Nota vel ignota subduntur regna remota,
Ad Pendentis-Aquæ prædia castra jacent.
Ad vitæ meritum veniunt vexilla Viterbum,

Digitized by Google

Unde patens erebus fontem facit igne protervum,
Fortis ibi populus, miles ad arma probus.
Optimus indigenis fons balnea multa paravit,
Fertilis est patria quam copia multa beavit,
Nam genus et species fertilitate trahit.
Illic Roma suos voluit requiescere fessos,
Emeritos equites, senio seu vulnere pressos,
Sic vitæ meritum, res facit ipsa locum.

Verba auctoris.

Longa per obsequia cum vita labore gravetur,
Si senio premitur, si vulnere debilitetur,
Hic habeat requiem sæpe senile decus.
Si præclara velit Cæsar sua gesta foveri,
Hoc decus imperii decet omni lege teneri,
Debeat ut senibus vitia quieta geri.
Non hæc servorum fit gloria, sed dominorum,
Si defectorum stet salvus honor seniorum,
Si nitet ipsorum veste platea, forum.
Si miserum præstat famulum, si diva potestas,
Dedecus infestat dominum, cui servit egestas,
Non sibi, sed Domino stat miser ille suo.
Regia præveniunt tentoria plurima Romam,
Gestat ut imperium Romana sede coronam.
Cui favet Ecclesia publica signa tonant.
Romanus populus antiquos expedit usus,
Rex despexit eum primatum milite tutus,
Nil petit, imo jubet, Roma furore tumet.
Spe male frustratus discedit abinde senatus,
Acriter iratus Romanus ad arma paratur,
Vincere primates regis et arma ratus.
Rex animo fortis, movet agmina multa cohortis,
Papa dedit patulis aditum per devia portis,
Tecta beata Petri nocte sub ense petit.
Mane sub aurora sedem tenet atque coronam,
Munere basilicam Petri reverenter honorat,
Roma dolens plorat, rumor in Urbe sonat.

Qualiter imperator ab apostolico Adriano coronatus est apud Sanctum Petrum, sine Romanorum consensu; unde pugnatum est cum Romanis, sed imperator obtinuit.

Decipitur Roma dum sic capit ille coronam,
Regia persona recipit papalia dona,
Ungitur, erigitur, rumor in Urbe sonat.
Præsul Adrianus Romanaque curia tota,
Tunc sine Romanis complevit regia vota,
. . . . . .
Acriter iratus consurgit ad arma senatus,
Prosilit armatus Cæsar, feritate citatus,
Marte secus Tiberim fervet utrumque latus.
Plebs adiit, rex obtinuit, multisque necatis,
Unda fuit Tiberis defensio sola fugatis,
Sanguine tincta salis turba natabat aquis.

De Spoleti destructione.

His ita completis papali munere freti,
Dum remeant læti, resident super arva Spoleti,
A quibus et Cæsar danda tributa petit.
Falsa moneta venit, falsum cito Cæsar ademit,
Prælia namque gerit, multos de plebe peremit.
Intus et exterius plebs superata gemit.
A Imperat Augustus pereat locus igne perustus:
Qui fuerat vacuus miles, remeavit onustus,
Debita qui sprevit reddere, cuncta dedit.

De Veronensium traditione inter Alpes, ubi imperatorem, et totum exercitum inter angusta montium conclusum, exstinguere cogitaverunt.

Regales Aquilæ veniunt ad plana Veronæ,
Flumina dum transit rex, durius invenit omen,
Monte coarctatis bella Verona movet.
Montibus angustis et fluminis ordine cincti,
Rex, proceresque sui fuerant quasi carcere vincti,
Conclusique suas non habuere vias.
Arma ruunt, quia saxa pluunt de monte relaxa,
Interimunt, quassant proceres a vertice saxa,
Armaque militibus nulla valere queunt.
B Quatuor has pœnas spatio sensere dierum,
Quo sine spe vitæ tolerant discrimina rerum,
Vulnera suscipiunt nec tamen ulla gerunt.
Passibus occultis super alta cacumina tendunt,
Unde Veronensi populo male facta rependunt,
Plebsque supercilii montis ad ima redit.
Nunc pede truncari, nunc funditus exoculari
Rex jubet ingenuus, laqueo super alta levari;
Talis honor reprobis debet ob ista dari.

De nuntio schismatis inter Alexandrum et Octavianum, tempore prædicti imperatoris.

Præsul Romanus tunc mortuus est Adrianus,
Venit Alexander, cui restitit Octavianus:
Schisma fit Ecclesiæ, pugnat utrinque manus;
Schismate fervente Friderica potentia venit,
C Quæ Mediolanum post multa potenter ademit,
Quo satis absorpto, lis recidiva redit.
Conspirant Ligures, profugus rex inde recessit,
Omneque jus regis Lombarda superbia pressit,
Ipsa sibi dominans tunc quasi Cæsar erat.
Rex rediit, Morianna luit, Cilenia clusa
Præbuit introitum regi, pereunte Segusa,
Et reliqui Ligures regia signa timent.

De civitate Alexandria, quæ nunc dicitur Cæsarea, in Lombardia.

Burmia cum Tanaro palearum fecerat urbem,
Quam subito veniens rex obsidione perurget,
Succurrunt Ligures, bellica signa patent.
Cæsar ab opposito mox obsidione relicta,
D Obviat his, plebs obstupuit, quæ stans quasi victa,
Pacta petit pacis, plena timore satis.
Nudatos gladios nuda cervice gerentes,
Cæsaris ante pedes veniunt, veniam repetentes;
Cæsar amore Dei parcere sanxit eis.
Regia mandata jurat gens pacificata;
Ante dies octo pax decidit evacuata,
Guerra velut fuerat stat recidiva rata.
Urbs Mediolanum melius reparata resurgit,
Fortior effecta Lombarda potentia turget,
Utraque pars tumida fortis ad arma volat.
Rex prius obtinuit; sed post fugiendo recessit
Nec tamen a patria cessit, sed verbere fessi
Tam rex, quam Ligures jam super arma silent.
Annis ter senis tribulatis schisma recedit;

Digitized by Google

Vincit Alexander tandem, cui Cæsar obedit,
Paceque consedit, consiliumque dedit.

De rege Henrico sexto, filio domini Friderici imperatoris, octuagesimo nono ab Augusto.

De domino rege Henrico, filio domini Friderici Augusti, adhuc adolescente, gesta non tenemus. Videmus autem ejus elegantissimam formam, laudabilem militiam, audaciam et largitatem, benevolentiam, pietatem, justitiam, et veritatem; atque omnes regias virtutes, quas ex ætate adolescentum possemus optare. Qui licet natura et litteratura super omnes coætaneos, sapientia et sensuum subtilitate videatur pollere, nos quidem si plura nescimus, plura tamen temporum ratione conspeximus, plura etiam experti sumus, salva ejus majestate, cogitavimus, ut ei aliquas admonitiones in medium proponamus; per quas admonitiones ad laudabiles mores, et ad justitiam et judicium informetur, et ad regias virtutes, quibus sibi concessum gloriose et honeste regat imperium, veribus heroicis animetur.

Item de rege Henrico sexto, adhuc adolescente, proponitur quædam forma regnandi, qualiter imperium debeat laudabiliter gubernare.

Henrico sexto sacra sunt diademata præsto.
Tu pater, hoc festo, Friderice, monarchus adesto,
O pater, o nate, regia metra patent.
Regibus antiquis, Henrice monarche, cohæres,
Tu diadema feres, Romani culminis hæres,
Romula signa geres, sæcula nostra tenes.
Imperii sidus, plaudunt tibi mensis et idus,
Metra tibi fidus regalia dat Godefridus,
Quæ tibi sæpe legas, ut bene regna regas.
O juvenis juvenum flos mundi, gloria regum,
Urbis et orbis honor, cui plaudunt tempora rerum,
Suscipe consilium, quod mea metra ferunt.
Sordibus implicitos pravosque cavebis amicos.
Omnibus equus eris; sed castigabis iniquos.
Prospice, quidquid agis, te tibi nosce magis.
Lautius est tibi te solum constringere legem,
Quam varios populos, aut magnos vincere reges.
Hæc si mente leges, rex, bene regna reges,
Si tua nolueris, neque publica vota vereri,
Qua fore te regem poteris ratione fateri?
Si tibi non fueris, nec mihi rector eris.
Doctor Alexandri magni pravos sibi mores
Finxit, et incessus inhonestos absque decore;
Rex puer hæc didicit: sed didicisse dolet.
Vicit Alexander Darium, simul et Babylonem:
Sed nequit impressum sibimet devincere morem:
Quo semel imbuitur testa tenere solet.
Tu puer explora, si te nota prava colorat,
Prorsus et absque mora vitium removere labora,
Namque vetus vitium nescit abire foras.
Dum tibi cuncta licent, non quæras cuncta licere,
Nam quæ sæpe licent, potcrunt tentata nocere;
Res etenim licitæ noxia sæpe ferent.
Legum fræna tenens freno te fortiter arce,
Plus aliis, minus ipse tibi pro tempore parce,
Dum nullum metuis, sis metus ipse tibi.

A Vita Pharaonis, scelerosaque gesta Neronis,
Et transgressoris monstrant culpæ Salomonis,
Quæ mala sint reprobis, quæ bona nata bonis.
Has tibi tam duras veterum propono figuras,
Ut sacra Scriptura tibi sit doctrina futura:
Hac poteris patrias arte fovere tuas.
Judicis officio loca sacra decenter honora,
Pace frui, punire malos, Henrice, labora,
Si scelus exploras, pax erit absque mora.
Ecclesias jubeas multa pietate foveri,
Semper in adversis te subveniente tueri
Ecclesiæ precibus vult diadema geri.
Si cupias veri regis promissa mereri,
Auxilio cleri studeas, Henrice, doceri,
Ut placeas Domino cras quoque sicut heri.
ß Pauperis aut viduæ dum cernis adesse querelas,
Promptius exhibeas plena pietate medelas,
Judicium miseri cum pietate geras.
Prima poli, postrema fori sic jura coæqua,
Ut jus prævaleat, quantum tua suppetit ætas,
Omne malum resecca, nevia cuncta veta.
Expedit interdum sancita remittere legum,
Ne pereat feritate mala clementia regum;
Nam puto sæpe Deum vivere velle reum.
Indulgere tuis tua sic dignetur honestas,
Ut magis absolvat quam puniat alma potestas,
Si miserando feris, rector amandus eris.
Judicio residens animum sic comprime judex,
Ne scelerum vindex vultus sit pectoris index,
C Et quæ sunt pœnæ proxima, clausa tene.
Et qua sorte bonus causæ sit utrinque patronus,
Par quoque portet onus extraneus atque colonus,
Et nihil arcanum polluat arte manum.
Currant marte suo parili discrimine lites,
Nec reprimant miseros sub majestate quirites,
Lite cadant lites judicis arte sitæ.
Si varios testes cupiant producere partes,
Ne dolus intersit, examine cuncta coarctes,
Atque memor pueri tunc Danielis eris.
Si superest charta, causam per scripta coarcta,
Nec sceleri parcas, si falsa prodiit arca,
Falso, fraude, dolo, non tibi plaudat homo
Si scelus ulcisci ratio certissima possit,
Rex age quod subito tua debeat ultio nosci;
D Ultio tarda fovet crimina, damna movet.
Si mea vincla prius subito punita fuissent,
Nulla Moguntini tibi captio damna dedisset:
Crimina non fieri regia pœna facit.

Item ad regem Henricum admonitio.

Laudibus inspectis quas audis commemorari,
Nolo superborum cupias veritate levari,
Tædia nam populis vita superba parit.
Proximus esse Deis hac forsan laude putaris:
Rex moritura caro, caveas ne decipiaris,
Et quia mortalis, mors tibi fata parit.
Corpore mortalis, mortalia sic moderaris,
Ut rex jure pari cum pauperibus moriaris,
Divitis et miseri vita coæva cadit.

Digitized by Google

De nuptiis Henrici sexti.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo sexto, indictione sexta, sexto Kalendas Februarii, rex Henricus sextus cum re-
A gina Constantia, filia Rogerii regis Siciliæ, nuptias gloriosas celebravit Mediolani apud Sanctum Ambrosium, anno ætatis suæ vigesimo primo, anno autem regni sui decimo septimo.

Partis decimæ septimæ finis.

GODEFRIDI VITERBIENSIS
PANTHEON.
PARS DECIMA OCTAVA.
DE ANGLIS ET SAXONIBUS.

De nonnullis Ecclesiæ persecutoribus.

Chronica quæ perhibent regnasse Diocletianum,
Cum regnasse sibi referunt tunc Maximianum,
Climata Britaniæ quem tenuisse canunt.
Fecerat hunc apud hos regionis Roma patronum,
Quem perhibent sat pacifice tenuisse colonum,
Hunc patriæ dominum semper habere volunt.
Attamen in sanctos exarserat ille furore,
Undeque Christicolas deleverat a regione,
Omnia Catholica scripta cremare volens.

De Maximiani prole.

Maximianus obit, scelerum scelerosus amator,
Deserit et geminos propria de conjuge natos,
Uter et Aurelius nomen habere datos.
Mater habens pueros, procul a regione recedit,
Pars ubi Britaniæ sibi clam reverenter obedit,
Conscia quod pueris terra paterna redit.
Hostibus amotis tali moderamine totis,
Securi vivunt pueri, procul inde remoti,
Sed nova sors oritur perniciosa locis.
Defuncti regis fratrem facit insula regem,
Nomine Constantem monachum qui Canone degens
Tempore post modico Britona regna regit.

De Voltigerno Anglorum duce.

Voltigernus dux Anglorum summus habetur,
Carus apud proceres tota regione tenetur,
Cujus ob auxilium regna tenet monachus.
Ille docet, quod multa voce rex arma virorum,
Ut valeat punire malos quoscunque suorum,
Et sibi subjiciens stringat ubique solum.
Charta vocat quos merce locat per regna Quirites
Utque solet commota movet Britannia lites,
Bella fovent gentes in regione sitæ.

Quamobrem Saxones Oceanum transfretarunt.

Saxo vocatus ad hæc ad regia bella monetur,
Cujus et innumera populorum turba movetur,
Arma per Oceanum militiamque ferunt,
Miratur jam rex cur copia tanta veniret.
Saxo refert, quia tota domi remanere nequiret,
Terra foret modica, milite plena loca.
B Plena viris terra, jam pene carebat et herba,
Hæc tua nos terra cum sit ditissima servat,
Tu tibi belligeros nos retineto viros.
Turba sumus quam pellit humus sortita parentum,
Sorte pari remanere lari vult turba potentum,
Nos quoque sors misit regna tenere tibi.

Saxones a Voltigerno duce humaniter recepti.

Voltigernus ait : « Nova sint tibi gaudia regi,
Cui fortuna truces sortis bonitate subegit,
C Sic modo tu tua, rex, regna quieta regis.
Da tua Saxonibus fortissima castra foveri,
Jura, potestates, sub Saxonis arce teneri,
Saxonis officio dat tua bella geri.
Cordis amicitia quam Voltigernus habebat,
Insita Saxonibus sic Saxonis acta fovebat,
Sic quoque Saxo duci corde fidelis erat.
Saxo tenens patriam regis bonitate levatus
Occulta feritate ducis subito variatur,
Rex ducis ingenio perdidit ense caput.
Cum duce tunc equites ficto gemuere dolore,
Ulciscique necem falso statuere colore,
Cordeque lætifico tristia gesta movent.
Arce trucis statuere ducem consistere regem,
Saxonica virtute sedens tenet omnia lege,
D Enseque Saxonico regnat in orbe suo.
Hujus erat regis miles de semine natus,
Dux Volgimerus, vulgi ratione vocatus,
Militiæ princeps clarus, ad arma potens.
Ille dolet quod regna solet sua Saxo tenere,
Nam fieri si Saxo perit, vult regius hæres,
His et ob invidiam tunc gravis hostis erat.

De Orsone, et Engisto.

Tunc erat Anglorum regalis copula fratrum,
Orsus et Engistus Angla ratione vocati :
Hi duo Saxonibus rite fuere caput.
Dum movet introrsus dux Volgimer arma scorsum
Restitit his prorsus saliens Engistus et Orsus.
Insula Britonum præstat utrumque dolem.

Digitized by Google

Volgimer et Saxo, sua dum certamina taxant,
Utráque pars passa, Britannica prædia quassat,
Vulneribusque datis mors fit utrinque satis.
Volgimer ut regnum satagit vexare paternum,
Saxonibusque locum cupit annihilare modernum,
Saxo movet pacis dicta, favore patrum.
Rex vocat iratum patria dulcedine natum,
Et quasi pacatus sibi sponte reconciliatur,
Talibus alloquiis rem moderatur ei.

Saxonum commendatio.

Saxonicæ gentis cur opprimis agmina, fili?
Cum regni sit amica mei custosque culmili?
Sintque bonæ fidei, belligerique viri?
Hæc regni diadema mei, me teste, paravit,
Hostiles probitate dies satis alleviavit,
Quam male persequeris rem bene gessit, ait.
Pacificos largire dies, depone furorem,
Saxonibus tu redde tuum constanter amorem,
Hæc tibi proficuo me moriente foret.
Cum regni sis, nate, mei spectatilis hæres,
Saxonica probitate potes tua jura tenere,
Hi tua jura ferent, et tua bella gerent.
Volgimer acta patris non suscipit ordine pacis,
Saxo quasi gratis juvenis fert bella minacis,
Attamen iratis restitit ense satis.
Orsus et Engistus Saxo non sustinet istud,
Undique per patriam contraria prælia sistunt,
Et ducis ardore bella movente movent.
Dum furit introrsus tellus Britannica prorsus,
Transiit oceanum mare dux Engistus et Orsus,
Et redit in patriam fratre uterque suam.
Angria Saxonicos dominos rediisse revelat,
More Macedonico proponitur alta querela,
Quam mala Volgimeri præ'ia Saxo ferat.
Undique per patriam sonitu fervente querelæ,
Femina cum maribus sua nititur arma movere,
Insula Britonum jam nova bella feret.
Orsus et Engistus propriam duxere sororem,
Quæ specie formaque datur meruisse decorem,
Regis ad accubitum digna Corinna foret.

De Angria regina, et regione et cæteris actis.

Angria regina nomen tulit a regione,
Femina Theutonica roseo suffulta colore,
Cujus in obsequium signa Macedo movet.
Plena per æquoreos fertur ratis inclyta fluctus,
Insula Britonica parcos videt undique luctus,
Dum ratis arma gerit, subdita terra perit.
Saxonicæ gentis rex Voltigernus amator,
Pacis utrinque dator, cupit esse reconciliator,
Et petit alloquio bella silere dato.
Bella silent, dum pacta vident, vexilla quiescunt,
Colloquiis hinc inde datis fera corda tepescunt.
Rex parat iratis fœdera stricta satis.
Pacis ab hac hora dum rex dare pacta laborat,
Rixa scelus renovat, rixantur in ulteriora,
Miles ad arma volat, pax perit absque mora.
Saxonici populi valido stant cuspide fulti,
Unde suis cultris hostes perimuntur inulti,
Omne decus patriæ Saxonis ense; jacet.

A Viribus Anglorum vires superantur eorum,
Ense Macedo bonum superat perimitque colonum,
Saxo tulit patriam, diripuitque solum.
Volgimer elatus hostiliter inde fugatus,
Visa morte patrum timet hic incurrere fatum,
Per medium nemoris labitur atque fugit.
Tempore post modico fertur periisse veneno,
Undique per patriam Saxo viget ordine pleno,
Amodo Saxonibus plena trophæa fero.
Regis amicitia qua sæpe Macedo revixit,
Regis in obsequium victorum pectora fixit,
Subditus unde sibi Saxo remansit ibi.
Consona Saxonibus fit regis ubique voluntas,
Saxo patrem regem reputat quocunque triumphat,
Quippe suo regi climata victa regit.
B Orsus et Engistus quasi conregnare videntur,
Nam cum rege simul communia regna fuentur,
Rex pater, hi nati, posteritate sui.
Victima principibus mandatur amœna parari:
Rege sedente lari datur Angria virgo vocari,
Sidere splendidior, gaudia forma parit.
Angria regina maris huc evecta carina,
Fratribus inclinat, regique decora propinat,
Et cito regale pectus amore ligat.
Virginis aspectus penetrat sine vulnere pectus,
Mox amor injectus latuit sub pectore tectus,
Mentis in ardore tela puella movet
Vestibus auratis nituit coma flava capillis,
Pocula dum recipit, oculos rex intulit illi,
C Dumque videre libet, dicit: « Amica, bibe. »
Gustat, ut illa refert: « Mecum bibe, diva potestas, »
Rex ait: « Ergo sede, tua me constringit honestas,
Sub lare regali te decet, inquit, ali. »
Pocula præbentis dulcantur in ore potentis,
Inde calor mentis impellit ad acta volentis,
Plus ubi vina bibit plus adamare libet.
Mensa brevis, fortuna levis, pro virgine venit,
Cor regis quod virgo vehit, sub pectore sævit;
Tracta manu leni, dicit: « Amanda veni. »
His ita prævisis, virgo celeberrima risit,
Fratribus ascitis, regi sua dicta remisit.
Si cupit Angrorum lege parare thorum.
Et mihi lege bona vult participare corona,
D Regis ad obsequia sint agmina Saxona prona,
Verba placent fratri, sponsa fit absque mora.
Orsus et Engistus socia regnante sorore,
Amodo majore funguntur ubique favore:
Insula tota favet, regna quieta manent.
Brito timet factum, quia Saxo tenet dominatum,
Ne sibi primatum reputet vincendo paratum,
Vendicat imperium Saxo labore datum.
Viribus Angrorum cœpit male terra gravari,
Nomine vulgari datur Angriterra vocari,
Illud et Angrorum nomen ab urbe trahit.
Moribus et linguis victoribus assimilatur.
Angria perpetuo victore vocante vocatur,
Angria dicta per R; tunc ibi non erat L.
Gregorius papa, cujus baptismate pollent,

Digitized by Google

Nomina dans dedit R, prius R de nomine tollens,
Sic velut angelicos papa vocavit eos.
Tunc erat in patria mons, culmen habens speciosum,
Quæ rex Angrorum castrum parat imperiosum,
Nec potuit lapidum pondera ferre locus.
Quotquot enim muri coalent hodie valituri,
Mane cadunt vacui, post oras iterum ruituri,
Quidquid ponit ibi, subdita terra bibit.
Mirantur populi, mirantur ab arte magistri,
Quidquid ibi lapidum poterint jactare magistri,
Deperit absque mora : nam lupa terra vorat.
Rex jubet ariolos longa statione vocari,
Et magica mox arte sibi jubet insinuari,
Mœnia cur recidant, quæ sibi terra trahit.
Cur cadat, ignorant ; sed quomodo stare valerent,
Fingere consilium mendaciter illico quærunt,
Quod simul inveniunt, rege jubente ferunt ;
Hunc, aiunt, montem, superi sibi constituerunt,
Sæpe sibi reges libamina magna tulerunt,
Quæ nisi tu dederis mœnia nulla ferunt.
Munera sacra deis, quæ te modo ferre jubemus,
Nec tu ferre potes, neque nos in rebus habemus,
Nec dabit hæc penitus, insula, terra, nemus.
Sanguinis humani petit hic torrente sacrari,
Corpore fundari, post desuper ædificari,
Murus ab hinc stabit, si memorata dabis.
Nec tamen humanum petit hæc tua victima corpus,
Cujus ab humano sit semine conditus ortus,
Natus erit matre filius absque patre.
Consilio vatum rex amodo certioratus,
Undique legatos direxit ad ista paratos;
Quæritur optatus, sorte ferente datur.
Inveniunt puerum phantasmatis arte creatum,
Nomine Merlinum, vatem sine dogmate vatum,
Partu feminino, sed sine patre datum.
Suscipit inventum puerum pars magna potentum,
Ejus in adventu, castrum putat esse redemptum,
Corpus Merlini si tumuletur ibi.
Quæritur a matre, quo spermate, qua novitate,
Filius a matre potuit nasci, sine patre ?
Retulit illa, patet Incubus esse pater.
Ad regem Merlinus ait : « Nihil hic operaris,
Vatibus ignaris, caveas ne decipiaris,
Nil tibi proficui turba maligna parit.
Ecce meum corpus si mittitur arte seorsum,
Mox erit absorptum, cadet urbs tua, rupta retrorsum.
Multiplicando dolum perdis utrumque bonum.
Duc, ait, Ariolos, turbamque jubeto magorum
Dicere, murorum quæ sit modo causa tuorum,
Quid sibi fata volunt, quis sit in arte dolus.
Dicere si norunt, tu dogma tenebis eorum,
Si male decipiunt, gladius sit pœna malorum.
Post, ego murorum consolidabo solum. »
Verba placent pueri, rex illico dicta requirit,
Nec valet arioli quod poscitur arte potiri,
Pœna datur sceleri, quam puer inquit, ibi.
Carcere multorum reserat rex colla magorum,
Ut si forte dolum puer exsuperaret eorum,
Fiat in ariolos mortis ubique forum.

A Amodo Merlini verbis datur insinuari,
Cur lapis inde cadit, quo rex jubet alta parari,
Cur opus artificis concava terra trahit ?
« Si cupis, invisa, puer inquit, ænigmata dicam :
Montis in arce sita stat de super unda petita.
Terra superposita pendula pendet ita :
Portat onus terræ, crustaque natante, supernæ,
Amplius inferre sinis nequit undula ferre,
Pondera pressa bibit quæ superaddis ibi.
Ut pateat dubium, montis latus infodiatur,
Inde tibi fluvius, quem nescis, ut egrediatur ;
Siccus abinde lacus siccaque terra datur. »
Nomine Merlini rex imperat hunc aperiri,
Magnus apertus ibi fluvius monstratur adiri,
Castra suis populis rex fabricabit ibi.
B Restat ut illorum rex puniat acta magorum,
Quorum sæpe dolus fuerat sibi causa dolorum,
Concremet ipsorum corpora tecta torum.
Dum cadit ariolus, dum montis ad acta venimus,
Undique Merlinus vates fit summus et imus,
Ut docet Oceanus, Iscotiæque sinus.
Egrediente lacu terret gravis unda colonum,
Gurgitis e medio surgit tetra forma draconum.
Undique dant strepitum, concutiuntque solum.
Climata Cornubiæ bini petiere dracones,
Rufus et albus erant, errore premunt regiones,
Territus hinc populus rura timendo colet.
Uter et Aurelius quos charta supra memoravit
Principis Italici de semine Maximiani,
Militis officio tunc valuere magis.
C Uter in arma furens invadit et ipse draconem,
Cujus ad interitum datur ingessisse mucronem,
Indeque plebs patriæ gaudia magna movet,
Qui prius Uter erat juvenis, milesque decorus,
Uter Pendragon sub lege vocatur eorum ;
Nomine serpentis nomen habere volunt.
Fama recens vagabunda necem gerit ipsa draconis,
Uter eum jugulasse reum datur ore mucronis,
Terror inest regi famaque læta bonis.
Ad regem Voltigernum dum fama veniret,
Dicit : « Merline, tu, quæso, futura require,
Nam regina timet, dum nova tanta videt.
Dic, precor, augurium nobis, Merline, draconum,
Quid rumor, quid fama sonat, partis regionum ?
D Uter et Aurelius, quæ sibi jura volunt. »
Merlus ait : « Ventura magis, si noscere gliscer,
Jam regni metuenda tui symptomata disces,
Fortuitosque dies applicuisse scies.
Hos ego serpentes binos loquor esse potentes,
Uter et Aurelium, jam regna paterna petentes,
Judicioque Dei terra redibit eis.
Quæ bona Saxonibus sunt, aut tibi subdita tollent,
Militis officio patriæque juvamine pollent,
Cæsar enim Romæ posset uterque fore.
Sanguinis insani pueri sunt Maximiani,
Semine Romani, fervent feritate ferali,
Tu tibi, si poteris, prospice. » Merlus ait :
« Insula dividitur, populi duo sceptra sequuntur
Regibus ambiguis regalia jura reguntur

Digitized by Google

Bellaque Saxonicis sunt nova nata locis.
Obtinet Aurelius, regnum sibi conciliatur,
Voltigerna manus gladio cadit atque fugatur,
Perdit et archatum, perdit et ipse caput.
Angria regina regis viduata ruina,
Bella refert prima, neque viribus exstitit ima,
Prælia fert varia, damna, pericla, minas.
Orsus et Engistus, seu cætera Saxona virtus,
Acriter obsistunt, regnum rapientibus istud,
Pro nece prostrati regis amara pati.
Uter et Aurelius dum regna paterna capessunt,
Viribus excrescunt, sed et Anglica bella tumescunt,
Regibus iratis arma tulere satis.
Post varias cædes, hinc inde cremantur et ædes,
Conveniunt plebes, quas ferre pericula tædet,
Pacis apud proceres fœdus inire sedet.
Sic modus est pacis; quod rite reconciliatis
Saxonibus gratis tribuat rex fœdera pacis,
Urbibus et feudis, rebus, honore datis.
Angria regina, pacis sumpta medicina,
Regibus inclinat, secedit arva marina,
Qua sibi pacifica castra tenere sinant,
Aurelius primogenitus, regnique monarchus,
Sic pacis sancita facit, sic prospicit actus,
Ut reparet patriæ gaudia, lata quies,
Confovet optima, dissipat horrida, regia norma,
Prælia deprimit, abdita rejicit, apta reformat,
Rex erat, imo pater, gesta paterna patent.
Attamen admissa patris feritate patrizat,
Nam prius inflixa renovat tormenta, remissa,
Et tenet erroris dogmata plena dolis.
Æmulus ipse Dei, populi fit tutor Hebræi,
Atria scripta vehit, sectamque fovet Manichæi,
Catholicique rei prorsus habentur ei.
Post annos paucos, post multa pericula rerum.
Suscipit Aurelius fatum finemque dierum,
Justus apud proceres, sed reus ante Deum. »

Defuncto Aurelio rege Anglorum erigitur Uter, qui et Pendragon dicitur.

Post regis fatum dominus terræ variatur,
Rex obit Aurelius, germanus ad alta vocatur,
Erigitur solium, versa corona datur.
Uter Pendragon rex est cognomine dictus,
Viribus invictus, cujus draco decidit ictu,
Moribus et specie regia forma placet.
Usus erat regem proceres ad Pascha vocare,
Nuntia lætitiæ convivia magna parare,
Regis et a solio regia dona dare.
Ferre nec est licitum sine conjuge dona maritum,
Imo simul veniunt, Dominum laudare petitum,
Præbet eis solitum principis aula situm.
Dividit alterutrum Dominus convivia rerum,
Dextera fit procerum, fit et altera pars mulierum,
Rex sedet in medio, fercula digna ferunt.
Dux ibi Cornubiæ tunc primus in ordine sedit,
Uxor in opposito, cui nomen Hierna, comedit,
Cui cito rex oculos luxuriando dedit.
Dum sedet alta, rosa magis omnibus est speciosa,
Fercula multiplicat rex omnibus invidiosa,
A Per varios oculos cætera turba notat.
Hæc ubi subrisit, oculos compota remisit,
Nutibus innisi, nexi sunt pectore visi,
Femineas latebras tactus amore sitit.
Curia magnorum commota sedet dominarum,
Nam velut ignarus rex non videt agmen earum :
Respicit hanc nimium, cætera cuncta parum,
Hunc amor involvit; cito rex convivia solvit;
Dum cupit hanc tolli causam, rota versa revolvit,
Territus exsurgit dux, et Hierna fugit.
Mane sub aurora fugiunt stationis ab hora,
Laxa ducis lora, loca præripiunt potiora,
Ad loca Cornubiæ fertur Hierna volans.
Dum fuga facta sonat, rex ustus amore laborat,
Imperat ut redeant, dux pergit in ulteriora,
B Dum fugit illa foras, rex furit absque mora.
Lex erat ut nunquam proceres a rege recedant,
Ni prius his reditum concessa licentia quærat,
Utque domum rediens regia scripta ferat.
Regula præfata cum jam foret evacuata,
Ad ducis interitum sunt regia bella parata,
Terraque damnata perditione rata.
Arte satis forti parat ille resistere sorti,
Sæpe tulit patulis regalia prælia portis,
Sæpe dedit gratis prælia dira satis.
Rex tenet obsessum, procerum virtute repressum,
Abstulit ingressum, restrinxit ab urbe regressum,
Jussit et induci prælia multa duci.
Sic amor occultus regali pectore fultus,
Efficit insultus, equitum movet ipse tumultus,
C Dat quoque languere, regia membra terens.
Nunc amor injectus penetrat sine vulnere pectus,
Visceribus tectus amor est pallore repertus,
Tela nec evadit, pressus amore cadit.
Dum sic est, Gothorum petit auxilium medicorum,
Nec valet antidotum causas removere dolorum,
Nescit enim medicus quod sit amoris onus.
Quum timet ipse mori, datur optima cura labori,
Merlinus fert consilium studio meliori,
Mirus in auxiliis, miraque facta colit
Quærit et a medicis, quæ sit modo causa doloris,
Dicere dum nequeunt, gravis est sibi pœna pudoris,
Quæ latet interius, promitur ira foris.
Merlus ait regi; « Te causa perurget amoris,
D Ite foras, medici, labor estis ubique labori,
Regia deserite, quærite jura fori.
Quæso torum regis nostræ imitate legi. »
De pulsis medicis solatia Merlus adegit,
Inde domus regis gaudia digna vehit.

De Merlino propheta Anglorum.

Rex modo Merlini quæ sit medicina requirit,
Ille refert; volo te nemorum statione potiri,
Tuque meis studiis mira videbis ibi.
In ducis ecce tuam faciam transire figuram,
Nunc ita mansuram, rursusque tibi redituram,
Forma ducis pura sit modo forma tua.
Hac ego sorte suos in nostros verto ministros,
Ut putat, ecce ducis servos qui viderit istos,
Me quoque servili pelle videbis ibi.

Digitized by Google

Vultibus arte datis, pro velle tuo variatis,
Nominibus variis forma variante vocatis,
Velle tuo poteris luxuriare satis.
Amodo Cornubiam curemus adire ducissam,
Sanet ut infixa tibi vulnera pectoris ipsa,
Qua satis ascita, tunc remeabis ita.
Sis licet in guerra, castri conscende superna,
Quam cupis interea, te pulchra videbit Hierna,
Dum mentita viri forma sedebit ibi. »

De eodem.

Vatis ad indicium gaudet rex, illico surgens,
Edita perficere socios mandata perurgens,
Pergit ut ista gerat, qui prius æger erat.
Non erat in castro tunc cum duce pulchra Corinna,
Altera pars montis ducis altera castra resignat,
Qua residens plene semper Hierna manet.
Imperat armatos rex hic remanere ministros,
Ducere promittens equites plures super istos,
Hæc via mentita regis habetur ita.
Rex ubi carpit iter, paucis comitatus alumnis,
Montibus ingeritur per summa cacumina summis
Suscipit ut proprium magna ducissa virum.
Regis in adventu dat gaudia turba potentum,
Organa cum centum reboant, sub laude retentum,
Laude canunt Dominum, villa, platea, forum.
Regis in amplexu dat pro duce femina nexum,
Artibus impressum vultum ducis, oscula, fletum,
Arte superducit oribus ora ducis.
Tunc nova de rege faciunt exponere regem,
Ille refert regem pravam præcedere legem,
Dum qui regna regit, destruit ipse gregem.
« Rex, ait, armatis infert mihi prælia gratis,
Destruit atque capit bellis mea castra patratis,
Attamen arma sapit nostra nociva satis.
Me premit injustus, locus est mihi circiter ustus,
Imminet incursus, bello sum totus onustus,
Hic mihi nunc requiem conferat una dies.
Fortiter ingemuit cum vidit Hierna maritum,
Hostibus attritum, nimioque labore petitum,
Condolet ignitum marte perire situm.
Nocte sedent plena, regem vocat inclyta cœna,
Rex satis accelerat, consedit Hierna serena,
Sed magis in Venerem cor comedentis erat.
Fit modo mensa brevis, mens saucia, pauca comedit,
Clauditur interius, dominaque favente resedit.
Cætera quæ petiit larga Corinna dedit.
Nocte jacent tota, veniunt solatia mane,
Illa refert germen utero consistere plane,
Qui pater efficitur, lætior inde manet.
Noxque diesque simul subito signatur et hora,
Lætitia plenus pater est, et abire laborat,
Mox quæ signa gerit rex memoranda dedit.
Quæ fert signa pater, retinet sibi conscia mater,
Et quæ mater habet, secum rex deferet acer,
Nec patuit matri subdola forma patris.
Cedit ab uxore dux fictus, aditque laborem,
Dum redit in nemore prisco renovatur honore.
Scribere nunc placuit quid sua turba facit. »

A *Uter Pendragon rediens a collusione ducissæ, invenit ducem occisum, et castrum ejus captum.*

Rex ubi de castris Merlo comitante recessit,
Miles ab incœpto modicum sua castra repressit,
Et datis insidiis sic latitabat ita.
Miles ab arce ducis dum castra relicta videret,
Irruit in paucos, spolium confisus habere,
Dux quoque cum reliquis prosilit arma ferens.
Regis ab insidiis exercitus obviat illis,
Jura sui domini manibus defendit Achillis,
Dux miser hic capitur, perdit et ense caput.
Altera pars equitum quæ cum duce venit ab arce,
Fusa jacet penitus, regis manus obtinet arcem,
Regia regale signa cacumen habent.
Dum redit ex nemore rex hostis adire laborem,
B Signa videns castri, proprium cognoscit honorem,
Tunc iter accelerans, gaudia digna movet.
Prælia victorum laudat sine fine suorum,
Quoslibet ad libitum socios ditavit eorum,
Inde cupit reliquum tollere marte solum.

Item de Hierna ducissa, obsessa in arce sua.

Uter Pendragon jubet Anglica signa moveri,
Viribus armorum se quærit Hierna tueri,
Nescia quod socia regis et uxor erit.
Sub specie pacis recipit mandata minacis,
Ut veniat mediis componere fœdera pratis,
Ne pereat gratis rebus et arce datis.
Illa refert : « habeo fortem super arce maritum,
Hoc tibi colloquium teneat pro pace petitum,
Non decet ut mulier quærat ad arva situm. »
C Rex ait : « Ingratum cognosce ducem jugulatum,
Desere morte datum, melius jam percipe fatum,
Ne tibi sit dubium, respice tolle caput.
Saucia mortiferis causis, infixaque telis,
Concidit exanimis mulier turbata fidelis,
Verbaque cum rediit vix rediviva dedit.
« Mors injusta ducis tibi rex, non proficit, inquit,
Ipse mihi prolem quam gesto, ventre relinquit,
Si pater ense perit, filius hostis erit.
Urbis mea tam fortis, tua non timet arma cohortis,
Nec patulis portis metuit discrimina sortis,
Dum puer hic vivis, ipse manebit ibi. »
Rex ait : « O domina, secretius, oro, loquamur,
Gesta tibi referam quæ chara ferenda putamus,
D Ex quibus indicia digna favore damus.
Pone supercilium, cœptumque relinque furorem,
Si mihi credideris, summum retinebis honorem,
Gaudia percipies quæ lacrymata doles. »
Vix devicta prece mulier fortissima regi,
Cessit, et alloquiis animum reverenter adegit,
Amodo Merlini mira loquentur ibi

Loquitur cum ducissa.

Rex placator ait : « Pro te mea bella paravi,
Te nimis optavi, nimiumque coactus amavi,
Funetuo potui vinctus amore trahi.
Sub ducis effigie tecum quandoque resedi,
Deditus ingeniis lecto rutilante quievi,
Basia cum reliquis actibus ore dedi
Ore tuo didici, quia germina venter haberet.

Digitized by Google

Unde tibi placuit proprie mea signa tenere,
En tua quæ teneo, respice, nosce, gere.
Hic quem ventre tenes meus est, hunc opto tenere,
Iste meæ patriæ rex est, regnique cohæres,
Tu regina sedes, et diadema feres. »

Hierna ducissa recognoscit dicta regis, et tradit se illi.

Credidit absque mora, cognovit et acta priora,
Illico majora recipit, spernitque minora,
Abstergit lacrymas, pellit amara foras.
Splendida fit facie, capit illico læta colorem,
Pallida quæ fuerat recipit regina raborem,
Clarior est flore, cum prius ægra foret.
Miles ut inquirit, quid nam sibi causa requirit,
Illa jubet regi castrum properans aperiri,
Undique suscipiens jussa colenda viri.
Nuptia regalis datur illico mira parari,
A Illa subarrhari, reginaque summa vocari,
Pace vacant populi flumine, rure, mari.
Indice Merlino rex et regina requirit,
Plasma jacens utero, quo debet honore potiri,
Femina si fuerit, dignave forma viri?
Lætus, ait vates, en gaudia magna parate,
Currite primates, cœloque resolvite grates,
Nam quæ ventre latent mira futura patent.
Hic erit Arturus rex summus in orbe futurus,
Prælia gesturus, loca Gallica rex habiturus,
Nomine magnus erit, vulneribusque perit.
Nec perit omnino, maris observabitur imo.
Vivere perpetuo poterit ex ordine primo :
Ista tibi refero, cætera claudo sinu.
Arturi qui tantus erat, si bella requiris,
B Omne solum variis potuit devincere mirls,
Viribus et gladiis præfuit ipse viris.

GODEFRIDI VITERBIENSIS

PANTHEON.

PARS DECIMA NONA.

De regalibus insignibus, videlicet de sancta cruce, de gladio, de lancea sacra, de sceptro, de pomo aureo, de corona, de diademate : quid significent gemmæ in corona; quid significet aurum in corona, quid significet crista in corona.

Cæsar jussit heri quæ sint insignia quæri,
Quæ caput imperii digne perhibentur haberi,
Et cur signa gerit, quid rationis erit?
Ut Scriptura tonat, crux, ensis, sceptra, corona,
Lancea, palla, bona nobis insignia donant,
Restat ut exponam, quid sua signa sonent.

Quid significat illa crux.

Crux caput imperii, datur hæc medicinaque morbis,
Climata quadrati per brachia continet orbis,
Crux est scala Dei, spes, via, vita reis.
Hac datur ascensus justorum merce repensus,
Hac latro suspensus; recipit pro crimine census,
Hanc solet imperium ferre per omne solum.
Brachia distenta mundum complexa retentant,
Cunctaque portenta Christi virtute retenta,
Crux velut athleta noxia cuncta vetat.
Unde per hoc signum, quo tollitur omne malignum,
Imperii dignum caput est venerabile signum,
Prælia virtutis dant sibi signa crucis.
Crux datur imperio speciali jure ferenda,
Quippe vicem Christi tenet hic ad regna tuenda,
Et gerit in terris signa colenda crucis.

Quid significat gladius regalis, vel imperialis.

Judicii signum gladius monstrare videtur,
C Quo malefactorum feritas cessare jubetur,
Ut latro frustretur, rex tenet arma secus.
Præcipitur gladius vibratus semper haberi,
Puniat ut subito, potuit quod culpa mereri :
Nam si tardus erit, pax vacuata perit.
Jura sibi soli Deus edere, condere patrat,
Ut gladio laqueoque suo mala pressa quiescant.
Si mala non premeret principis umbra foret.
Sic sibi regna Deus subjicit, sic jurgia legum,
Quod valet humano lucrari sanguine cœlum,
Munera grata Deo dat pereunte reo.
Ense quiescente compescere non valet orbem,
Sanguinis humani torrente potest moderari,
Qui regnare volet sanguine jura colet.

Quid significat sceptrum regale.

D In manibus regum dum regia sceptra tenentur,
Tunc quasi per virgam compescere cuncta videntur,
Pœnaque præstatur quæ ratione datur.
Usibus innumeris et legibus undique fultus,
Instruit hic homines dignos prætendere cultus,
Regia virga tamen, quo moderentur habet.
Plura solent homines per climata fingere jura,
Cæsar sceptra tenens, novit distinguere plura,
Imperat et virga jura valere sua.
Vita, genus, linguæ variæ, variant regiones,
Una nequit cunctos distinguere regula mores,
Unde per imperium plurima jura moveat.
Lex superest legi, rex regi pluribus unus,
Par superest paribus, mos moribus, usibus usus,

Digitized by Google

Imperat his unus, cujus in orbe sumus.
Lex Romanæ locum super omnia jura meretur,
Nec tamen evacuat quod in his rationis habetur,
Vult magis atque minus Cæsar habere simul.

Quid significat lancea imperialis, et unde venit.

Lancea Mauricii reliquis præmaxima signis,
Plurima Christicolis peperit miracula dignis,
Clavus namque Dei junctus habetur ei.
Subjicit imperio bello gestata potentes,
Motibus ipsius nequeunt obsistere gentes,
Hæc ubi bella movet, vincere cuncta solet.
Lancea sancta solet regnorum vincere lites,
Ipsa facit proceres Romanos esse quirites,
Ex hac Cæsar habet quod sibi regna favent.
Rex Arelatensis illam dum Boso teneret,
Et sibi pugnanti semper fortuna faveret,
Exstitit indigetis terror amara ferens.
Nunc liber expone, quo casu, qua ratione,
Traditur imperio post hæc sacra lancea Romæ
Et cur Bosonem littera nostra sonet.
Boso formosus, rex magnus, rex animosus,
Insomnis totus quandoque fuit furiosus,
Inde soporatus alligat ense latus.
Hunc requiescentem somno quicunque vocaret,
Regia dextra virum mox plena furore necaret,
Solus et absque pare dormiit ipse lare.
Tempore Natalis Domini rex est Arelati,
Pontifices sacri surgunt ad festa parati,
Noctis ad officia laude canore dati.
Dumque gerit Sacrum, præsul quo missa canatur,
Rex venit iratus, quia non fuit ante vocatus,
Fusteque mitratum percutit ipse caput.
Res plangenda satis præsul cum sanctificatis
Percutitur gratis solemnibus evacuatis.
Amodo noscatis quid Deus inde facit.
Tam male tractati tunc pontifices Arelati,
Milite collecto veniunt ad bella parati,
Cœlestis fati digna patrare pati.
Unde coarctatus rex surgit ad arma vocatus,
Vincitur, ejicitur, stat præsul honorificatus,
Rex dolet iratus, ludibrioque datus.
Mens devicta dolet, nimio confusa pudore,
Nec regnare volet, quia bello perdit honorem.
Optat ut et monachi jam sibi vita foret.
Imperii solium cum maximus Otto teneret,
Et valitura satis mundi fortuna faveret,
Huic rex Boso loquens verba gemendo refert.
Trado tibi regnum cunctos depono decores,
Amodo nostra tibi sacra lancea præstet honores,
Sola mihi monachi vita colenda foret.
Do tibi Vivarium, Lugduni sede sedebis;
Hæc duo cis Rhodanum, me traduce, castra tenebis,
Rex ibi Francigenis prædia nulla petit.
Lancea Mauricii, mea quam tibi dextera tradit,
Est caput illorum quæ nunc mea regna notavi,
Nunc caput imperii lancea sancta dabit.
Qua dubius Sauna, Rhodanus fluit, estque Vienna,
Cis mare Tyrrhenum fuerant Bosonica regna,
Huic simul Allobroges et Morienna favent.

A *Quid significat globus aureus, qui regum manibus gestatur.*

Aureus ille globus, pomum vel palla vocatur,
Unde figuratum mundum gestare reputatur,
Quando coronatur, palla ferenda datur.
Significat mundum, forma perhibere rotundum,
Intus habere plenum, terrestri pondere fundum,
Quem tenet arcanum palla ferenda manu.
Hæc fuit ex terris munda collecta quaternis,
Ut foret imperii manibus gestanda supernis,
Hac tulit imperium Julius arte suum,
Taliter hunc mundum gesta manus una rotundum,
Regius includit sic omnia climata pugnus,
Taliter omne quod est regia pompa tenet.

B *Quid significat crux posita super aureum pomum*

Crux superest pomo cœli super insita dono,
Suscipe corde bono rex, quæ tibi mystica promo,
Teque sedente throno prospice quid sit homo.
Crux et palla simul pariter connexa tenentur,
Hæc magis, illa minus, parte reverenda videntur,
Hæc ferit, hæc sanat, hæc perit, illa manet.
Si mundana cupis pugno concludere regna,
Significata crucis tibi sint reverenter habenda,
Servulus esto Dei, qui tua sceptra regit.

Quid significat diadema imperiale.

Hoc diadema sonat duplam conferre coronam,
Quod veterem Romam mundanaque climata donat,
Hoc quicunque tenet, summus in orbe sedet.
C Dupla corona manet, quia dum complectitur urbem,
Continet et reliquum fastu diadematis orbem,
Sic facit esse suas una corona duas.
Non loquor esse duas numeri ratione, sed actu,
Urbis et orbis habet solium diadema subactum,
Hæc duo continuans omnia Cæsar erat.

Quid significant gemmæ pretiosæ in corona et qui eas instituit.

Julius instituit gemmas superesse coronæ,
Ut pretiosa foret lapidum gravidata decore;
Nunc liber exponet, quid sibi gemma volet.
Quattuor in cunctis sunt insita mystica gemmis,
Durities, virtus, splendorque calorque perennis,
Hæc, qui Cæsar erit, mystica nosse velit.
Duritie constans, virtute refertur honestus,
D Est bona fama color, splendor sine crimine quæstus,
Quattuor ista geret qui diadema feret.

Quid significat aurum in coronis.

Aurea materies regalibus apta coronis,
Indicat imperium mundi superesse patronis,
Circulus est orbis forma rotunda soli.
Aurum cuncta suo superat fulgore metalla,
Imperium superat quos orbis continet aula,
Et bene Romuleo jure gubernat eos.
Suscipit innumeras aurum tractabile formas,
Suscipit et varias Romana monarchia normas,
Flexibilis, facilis, aurea forma suis.

Quid significat crista in corona imperiali.

Ducitur augusta circlo superaddita crista,
Publica res aucta plane monstratur in ista,
Qui diadema gerit, victor et auctor erit.

Digitized by Google

GODEFRIDI VITERBIENSIS

PANTHEON.

PARS VICESIMA.

Catalogus omnium pontificum Romanorum, et omnium imperatorum Romanorum; et etiam omnium regum, qui fuerunt ab initio mundi usque ad papam Urbanum Tertium, et usque ad imperatorem Fridericum Primum, et ad filium ejus regem Henricum Sextum.

PAPÆ.

Salvator noster, Dominus noster JESUS CHRISTUS sedit in hoc mundo annis triginta duobus, mensibus tribus.

Pontifices Romani.

Petrus Apostolus, sedit annis viginti quinque, mensibus quinque, diebus quatuor.

Linus papa, sedit annis undecim, mensibus tribus, diebus duodecim.

Cletus papa, sedit annis duodecim, mense uno, diebus decem.

Clemens papa, sedit annis novem, mense uno, diebus decem.

Anacletus papa, sedit annis novem, mensibus quinque, diebus undecim.

Evaristus papa, sedit annis novem, mensibus quinque, diebus decem.

Alexander papa, sedit annis decem, mensibus septem, diebus quinque.

Xystus papa, sedit annis decem, mensibus quinque.

Telesphorus papa, sedit annis undecim, mensibus quinque, diebus viginti et uno.

Hyginius papa, sedit annis quatuor, mensibus duobus, diebus tribus.

Anicetus papa, sedit annis decem, mensibus quatuor, diebus tribus.

Pius papa, sedit annis decem, mensibus quatuor, diebus quatuor.

Soter papa, sedit annis novem, mensibus septem.

Eleutherus papa, sedit annis undecim, mensibus novem, diebus tribus.

Victor papa, sedit annis undecim, mensibus septem, diebus duodecim.

Severinus papa, sedit annis novem, mensibus novem, diebus decem.

Callistus papa, sedit annis quinque, mensibus duobus, diebus decem.

Urbanus papa, sedit annis novem, mensibus decem, diebus duodecim.

Pontianus papa, sedit annis quinque, mensibus sex, diebus duobus.

Anteros papa, sedit annis tribus, mense uno, diebus novemdecim.

Fabianus papa, sedit annis duodecim, mensibus duobus, diebus undecim.

Cornelius papa, sedit annis tribus, mensibus duobus, diebus quatuor.

IMPERATORES.

A

Julius Cæsar, regnavit annis quatuor, mensibus sex.

Octavianus imperator, regnavit annis quinquaginta sex.

Tiberius imperator, regnavit annis tredecim.

Gaius Caligula imperator, regnavit annis tribus, mensibus decem.

Claudius imperator, regnavit annis quatuordecim, mensibus quinque.

Nero imperator, regnavit annis tredecim, mensibus novem.

Hic fuit prima persecutio.

Galba, Vitellius et Otho imperatores, regnaverunt anno uno.

Vespasianus imperator, regnavit annis novem, mensibus undecim.

Titus imperator, regnavit annis duobus, mensibus duobus.

B Domitianus imperator, regnavit annis quindecim, mensibus quinque, diebus duobus.

Hic fuit secunda persecutio.

Nerva imperator, regnavit anno uno, mensibus quatuor.

Trajanus imperator, regnavit annis novemdecim, mensibus quinque, diebus quindecim.

Hic fuit tertia persecutio.

Adrianus imperator, regnavit annis viginti, mensibus undecim.

Hic fuit quarta persecutio.

Antonius Pius imperator cum filiis suis, regnavit annis viginti duobus, mensibus tribus.

Marcus Verus Antoninus imperator, cum fratre suo Aurelio Commodo, regnavit annis viginti novem, mensibus quatuor.

Hic fuit quinta persecutio.

Commodus imperator, regnavit annis tredecim.

Ælius Pertinax imperator, regnavit mensibus

C sex.

Severus imperator, regnavit annis novem decim.

Antoninus Caracalla imperator, regnavit annis septem.

Alexander imperator, regnavit annis duodecim.

Macrinus imperator, regnavit anno uno.

Marcus Aurelius imperator, regnavit annis quatuor.

Hic fuit sexta persecutio.

Maximinus imperator, regnavit annis tribus.

Gordianus imperator, regnavit annis septem.

Philippus cum filio suo Philippo, primus Christianus imperator, regnavit annis septem.

Digitized by Google

PAPÆ.	IMPERATORES.
A	
Lucius papa, sedit annis tribus, mensibus quatuor, diebus quinque.	Decius imperator, regnavit anno uno.
Stephanus papa, sedit annis quatuor, mensibus sex, diebus duobus.	Hic fuit septima persecutio.
	Gallus imperator, cum filio suo Volusiano, regnavit annis duobus.
Xystus papa, sedit annis duobus, mensibus sex, diebus octo.	Valerianus imperator, cum filio suo, regnavit annis quindecim.
Dionysius papa, sedit annis quinque, mense uno, diebus quatuor.	Hic fuit octava persecutio.
	Claudius imperator, regnavit anno uno.
Felix papa, sedit annis quatuor, mensibus quatuor, diebus quinque.	Aurelianus imperator, regnavit annis quinque, mensibus sex.
Eutychianus papa, sedit mensibus decem, die uno.	Hic fuit nona persecutio.
	Tacitus imperator, regnavit mensibus sex.
Gaius papa, sedit annis undecim, mensibus quatuor, diebus duodecim.	Probus imperator, regnavit annis sex, mensibus quatuor.
Marcellinus papa, sedit annis novem, mensibus quinque, diebus sex.	Carus imperator, cum Carino et Numeriano filiis, regnaverunt annis tribus.
Marcellus papa, sedit annis quinque, mensibus octo, diebus viginti et uno.	Diocletianus et Maximianus imperatores, regnaverunt annis viginti.
B	
Eusebius papa, sedit annis duobus, mensibus duobus. Isti omnes martyres fuerunt.	Hic fuit persecutio Christianorum decima.
	Constantius, et Galerius, et Licinius imperatores, regnaverunt annis duobus, mensibus sex.
Miltiades papa, sedit annis tribus, mensibus septem.	
Sylvester papa, sedit annis viginti tribus, mensibus decem.	Constantinus imperator, regnavit annis triginta, mensibus decem.
Marcus papa, sedit annis duobus, mensibus octo, diebus viginti.	Constantius cum Constantino, et Constante fratribus, imperatores, regnaverunt annis triginta quatuor, mensibus quinque, diebus viginti tribus.
Julius papa, sedit annis undecim, mensibus duobus, diebus sex.	
Liberius papa, sedit annis sex, mensibus tribus, diebus quatuor.	
Felix papa, sedit anno uno, mensibus quatuor, diebus duobus. Liberius ab exsilio reversus. Nota, Felicem, qui in Catalogo Pontificum positus est, ab hæreticis fuisse Liberio subrogatum, vivente Liberio : sed quare in Catalogo stet, interroga Romanos.	Julianus imperator, regnavit annis duobus, mensibus sex.
	Jovinianus imperator, regnavit annis octo.
	Valentinianus imperator, regnavit annis undecim.
Damasus papa, sedit annis quindecim mensibus quatuor, diebus duobus.	Valens imperator, regnavit annis quatuor.
C	
Syricius papa, sedit annis undecim, mensibus undecim.	Gratianus cum fratre suo imperatores, regnaverunt annis sex.
Anastasius papa, sedit annis tribus, mensibus decem, diebus duodecim.	Valentinianus imperator, regnavit annis duodecim.
Innocentius papa, sedit annis undecim, mensibus duobus, diebus viginti et uno.	Theodosius imperator, regnavit annis viginti septem : cum utrisque, et post utrosque filios.
Sosimus papa, sedit anno uno, diebus undecim.	Arcadius, et Honorius, Theodosius cum Valentiniano, imperatores, regnaverunt annis triginta duobus.
Bonifacius papa, sedit annis tribus, mensibus octo, diebus septem.	
Cœlestinus papa, sedit annis septem, mensibus decem, diebus septemdecim.	Honorius et Arcadius imperatores, regnaverunt annis viginti quinque.
Xystus papa, sedit annis octo, mense uno.	Valentianianus cum Martiano imperatores, regnaverunt annis novem.
	Marcianus imperator, regnavit annis sex, post Valentinianum.
Leo papa, sedit annis 21, mense 1, diebus 13.	Leo imperator, regnavit annis septem.
	Zeno imperator, regnavit annis septemdecim.
Hilarius papa, sedit a. 7, m. 3, d. 10.	
Simplicius papa, sedit annis sex, mense uno, diebus septem.	
D	
Felix papa, sedit annis octo, mensibus sex, diebus septem.	
Gelasius papa, sedit annis quatuor, mensibus octo, diebus octodecim.	Anastasius imperator, regnavit annis septemdecim.
Symmachus papa, sedit annis novem, diebus septemdecim.	
Hormisda papa, sedit annis duobus, mensibus novem, diebus septemdecim.	Justinus senior imperator, regnavit annis septem.
Joannes papa, sedit annis duobus, mensibus novem, diebus sedecim.	
Felix papa, sedit annis quatuor, mensibus duobus, diebus tredecim.	Justinianus imperator, regnavit annis triginta quatuor.
Bonifacius papa, sedit annis duobus, diebus viginti sex.	
Joannes papa, sedit annis duobus, mensibus quatuor, diebus sex.	

Digitized by Google

PAPÆ.		IMPERATORES.
Agapetus papa, sedit annis undecim, mensibus decem, diebus undecim.	A	
Silverius papa, sedit anno uno, mensibus quinque, diebus undecim.		
Vigilius papa, sedit annis tredecim, mensibus sex, diebus viginti et uno.		
Fabianus papa, sedit anno uno, mensibus quinque, diebus tredecim.		
Pelagius papa, sedit annis undecim, mensibus decem, diebus viginti septem.		Justinus minor, imperator, regnavit annis septem.
Joannes papa, sedit annis duodecim, mensibus undecim, diebus viginti sex.		
Benedictus papa, sedit annis quatuor, mensibus duobus.		Tiberius imperator, regnavit annis sex.
Pelagius papa, sedit annis decem, mensibus duobus, diebus decem.		Mauricius imperator, regnavit annis triginta et uno.
Gregorius papa, sedit annis tredecim, mensibus sex, diebus decem.		
Sabinianus papa, sedit anno uno, mensibus quinque, diebus viginti octo.	B	Phocas imperator, regnavit annis octo.
Bonifacius papa, sedit annis novem, diebus viginti duobus.		
Deusdedit papa, sedit annis tribus, mense uno.		Heraclius imperator, regnavit annis triginta sex, cum Constantino filio suo.
Bonifacius papa, sedit annis quinque, mensibus decem.		
Honorius papa, sedit annis quinque, mensibus decem.		
Severinus papa, sedit annis duobus, diebus quatuor.		
Joannes papa, sedit anno uno, mensibus octo, diebus novemdecim.		
Theodorus papa, sedit annis sex, mensibus quinque, diebus quatuordecim.		
Martinus papa, sedit annis sex, mensibus duobus, diebus viginti septem.		Constantinus filius Heraclii.
Eugenius papa, sedit annis duobus, mensibus novem, diebus viginti quatuor.		
Vitalianus papa, sedit annis quatuordecim, mensibus sex.	C	
Adeodatus papa, sedit annis tribus, mensibus duobus, diebus quinque.		Constantinus junior.
Bonnus papa, sedit anno uno, mensibus quinque, diebus decem.		
Agatho papa, sedit annis duobus, diebus quatuor.		
Leo Secundus papa, sedit annis decem, diebus tredecim.		
Benedictus papa, sedit mensibus decem, diebus duodecim.		
Joannes papa, sedit anno uno, diebus novem.		
Conon papa, sedit mensibus undecim, diebus viginti duobus.		
Sergius papa, sedit annis tredecim, mensibus novem.		Justinianus junior.
Joannes papa Sextus, sedit annis tribus, mensibus duobus, diebus sexdecim.		Leo. Tiberius.
Joannes Septimus papa, sedit annis duobus, mensibus septem.	D	
Sisinnius papa, sedit diebus triginta.		
Constantinus papa, sedit annis septem, diebus viginti.		Justinianus imperator.
Gregorius papa, sedit annis quindecim, mensibus viginti duobus.		Philippus imperator. Anastasius imperator.
Gregorius papa, sedit annis decem, mensibus novem, diebus viginti quatuor.		Theodosius imperator. Leo, Constantini filius.
Zacharias papa, sedit annis decem, mensibus octo.		Constantinus, cum filio Leone. Pipinus jam Francorum rex, et patricius Romanorum.
Stephanus papa, sedit annis quinque, mensibus tribus.		Leo post mortem patris sui imperator.
Paulus papa, sedit annis decem, mense uno.		Carolus Magnus jam rex Francorum, et patricius Romanorum.
Constantinus papa, sedit anno uno, et diebus tribus.		

Digitized by Google

PAPÆ.	IMPERATORES.
A	
Stephanus papa, sedit annis tribus, mensibus sex.	
Adrianus papa, sedit annis viginti quatuor, mensibus decem, diebus tredecim.	
Leo tertius papa, sedit annis viginti, mensibus sex.	Constantinus cum matre Irene, imperatrice post filium suum.
Stephanus papa, sedit mensibus septem.	
Paschalis papa, sedit annis octo.	*Nunc imperium transfertur ad Francos*
Eugenius papa, sedit annis sex.	Carolus ille imperator Francorum.
Valentinus papa, sedit mense uno, et diebus undecim.	Ludovicus, cum Lothario filio.
Gregorius quartus papa, sedit annis tredecim.	Lotharius imperator, post patrem suum.
Sergius secundus papa, sedit annis tribus. Iste papa fuit primus qui nomen suum mutavit; et sequentes omnes idem fecerunt.	
Leo quartus papa, sedit annis octo mensibus quinque.	Item Lotharius imperator, cum filio suo Ludovico.
Papissa Joanna non numeratur.	
Benedictus papa, sedit annis duobus.	B
Paulus papa, sedit annis decem.	
Nicolaus papa, sedit annis decem, mense uno.	Ludovicus secundus imperator, post patrem suum.
Adrianus papa, sedit annis quatuor, mensibus undecim.	
Joannes papa, sedit annis decem, mense uno.	Carolus secundus imperator.
Martinus papa, sedit anno uno.	Carolus tertius, imperator.
Adrianus papa, sedit anno uno, mensibus tribus.	
Stephanus papa, sedit annis sex.	
Formosus papa, sedit annis quatuor, mensibus septem.	Arnolphus, secundum quosdam.
Bonifacius papa, sedit annis duodecim.	
Stephanus papa, sedit anno uno, mense uno, diebus quindecim.	
Romanus papa, sedit annis quatuor.	
Theodorus papa, sedit anno uno.	
Joannes papa, sedit anno uno.	
Benedictus papa, sedit annis quatuor, mensibus sex.	*Secundum Romanos, isti in Italia imperatores sunt.*
	C
Leo quintus papa, sedit mensibus duobus.	
Christophorus papa, sedit mensibus sex.	Ludovicus imperator in Italia.
Sergius papa, sedit annis sex, mensibus quatuor.	
Anastasius papa, sedit annis duobus, mense uno.	Berengarius in Italia imperator.
Lando papa, sedit mensibus quinque.	
Joannes papa, sedit annis quatuor, mensibus duobus.	
Leo sextus papa, sedit annis septem, diebus quindecim.	Hugo imperator in Italia.
Stephanus papa, sedit annis duobus, mense uno.	Guido imperator in Italia, et filius ejus Lambertus.
Joannes papa, sedit annis tribus, mensibus decem.	
Leo septimus papa, sedit annis tribus, mensibus sex.	Berengarius in Italia imperat
Stephanus papa, sedit annis tribus, mensibus quatuor.	Lotharius in Italia.
Marinus papa, sedit annis tribus, mensibus sex.	Berengarius in Italia cum filio suo Alberto.
Agapetus papa, sedit annis novem, mensibus octo.	D
Joannes papa, sedit annis quatuor, et mensibus tribus.	*Nunc imperant Theutonici.*
Benedictus papa, sedit anno uno, mensibus quinque.	Otho primus, imperator Theutonicus.
Leo octavus papa, sedit annis duobus, mensibus tribus.	
Joannes papa, sedit annis quinque, mensibus undecim.	
Benedictus papa, sedit anno uno, mensibus quinque.	Otho secundus, imperator Theutonicus.
Donnus papa, sedit anno uno, mensibus sex.	
Bonifacius papa, sedit mense uno.	
Benedictus papa, sedit annis novem	
Joannes papa, sedit mensibus octo.	

Digitized by Google

PAPÆ.	IMPERATORES.
A	
Joannes papa, sedit mensibus quatuor.	
Joannes papa, sedit annis decem, mensibus sex.	Otho tertius, imperator Theutonicus.
Gregorius papa, sedit anno uno, mensibus sex.	
Joannes papa, sedit mensibus decem.	
Silvester papa, sedit annis quatuor, et mensibus quinque.	
Joannes papa, sedit mensibus quinque.	
Joannes papa, sedit annis tribus.	
Sergius papa, sedit annis tribus.	
Benedictus papa, sedit annis undecim, mensibus undecim.	Henricus primus, imperator.
Joannes papa, sedit annis novem, mensibus sex.	Conradus primus, imperator.
Benedictus papa, sedit annis quatuordecim.	
Silvester papa, sedit mensibus duobus.	Nota quod ante istum Henricum imperatorem
Gregorius papa, sedit annis duobus, mensibus duobus.	fuit alter Henricus rex, Saxo; qui dicitur primus Henricus rex, sed non imperator
Clemens papa, sedit mensibus novem.	Similiter fuit alter rex Conradus primus; sed non
Damasus papa Theutonicus, sedit mense uno. B	imperator.
Leo papa Theutonicus, sedit annis quinque, mensibus quinque.	Isti vero sunt, primus Henricus, et primus Conradus imperator Theutonicus. Henricus tertius in
Victor papa Theutonicus, sedit annis duobus, mensibus quatuor.	regno; sed in imperio est Henricus secundus, ratione Henricorum.
Stephanus papa Theutonicus, sedit mensibus octo.	
Benedictus papa, sedit annis decem.	
Nicolaus papa, sedit annis tribus, mensibus sex, diebus viginti quinque.	
Alexander papa, sedit annis novem mensibus sex.	Henricus imperator tertius; sed in regno quartus Henricus est, ratione Henricorum.
Gregorius papa septimus, sedit annis quindecim, mense uno, et diebus octo.	
Victor papa, sedit mensibus quatuor, diebus septem.	
Urbanus papa, sedit annis undecim, mensibus sex, diebus octodecim.	
Paschalis papa, sedit annis novemdecim.	Henricus imperator quartus; sed ratione Henri-
Gelasius papa, sedit anno uno, diebus sex. C	corum est quintus. Iste Henricus cepit papam Pas-
Callistus papa, sedit annis quinque, mensibus decem, diebus tredecim.	chalem: et iste refutavit Ecclesiæ annulum, et baculum episcoporum.
Honorius papa, sedit annis quinque, mensibus sex, diebus viginti novem.	
Innocentius papa, sedit annis tredecim, mensibus sex, diebus quatuordecim.	Lotharius secundus.
Cœlestinus papa, sedit mensibus quinque, diebus undecim.	
Lucius papa, sedit mensibus undecim.	
Eugenius papa, sedit annis octo, mensibus quinque, diebus decem.	Conradus tertius.
Anastasius papa, sedit anno uno, diebus quinque.	Fredericus primus.
Adrianus papa, sedit annis quatuor, mensibus novem.	
Alexander papa, sedit annis viginti duobus.	Henricus sextus, cum patre suo Friderico regnat.
Lucius papa tertius, sedit annis tribus.	
Urbanus papa, tertius, sedet nunc.	

Finis catalogi pontificum, et imperatorum Romanorum.

Catalogus regum Italicorum.

Italus, primus rex Italiæ, regnavit annis quadraginta et uno.

Janus, rex Italiæ, regnavit annis viginti septem.

Saturnus, rex Italiæ, regnavit annis triginta quatuor.

Picus, rex Italiæ, regnavit annis triginta et uno.

Faunus, rex in Laurento, id est in Sabinia provincia, regnavit annis viginti novem.

D Latinus, rex in Latio, regnavit annis triginta duobus.

Æneas, rex Italiæ, regnavit annis triginta sex.

Ascanius, rex Italiæ, regnavit annis triginta sex.

Posthumus Silvius, filius Laviniæ, regnavit annis triginta noven..

Æneas Silvius, regnavit annis viginti duobus.

Latinus Silvius, regnavit annis quinquaginta.

Alba Silvius, regnavit annis triginta quatuor.

Digitized by Google

Capetus Silvius, regnavit annis triginta quatuor.
Capys Silvius, regnavit annis viginti septem.
Calpetus Silvius, regnavit annis tredecim.
Tiberinus Silvius, regnavit annis octo.
Agrippa Silvius, regnavit annis quadraginta et uno.
Alladius Silvius, regnavit annis viginti quatuor.
Aventinus Silvius, regnavit annis triginta sex
Procas Silvius, regnavit annis viginti tribus.
Amulius Silvius, rex in Latio ultimus, expulso fratre suo Numitore, in Alba regnavit annis quatuor et quadraginta.
Deinde urbe Roma tempore Numitoris condita, Remus et Romulus Romæ regnaverunt : quorum mater fuit Rhea Silvia, virgo Vestalis, quam alii dicunt Æliam.

Romanorum tempora.

Roma condita est anno ab Adam ter millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto : anno autem ab imperio Nini millesimo trecentesimo : anno vero post eversionem Trojæ quadringentesimo decimo quarto ; Olympiade tertia, regnante etiam tunc Osee in Israel
Post Romulum autem regnavit Romæ Numa Pompilius, annis quadraginta.
Tullus Hostilius, regnavit annis triginta duobus.
Ancus Marcius, regnavit annis viginti quatuor.
Tarquinius Priscus, regnavit annis triginta septem.
Servius Tullius, regnavit annis quadraginta quatuor.
Tarquinius Superbus, regnavit annis viginti quinque.
Ejecto Tarquinio Superbo regnaverunt consules, senatores, dictatores, tribuni, magistri militum, per annos quadringentos sexaginta quatuor.
Postea a Julio Cæsare, qui his successit, fuerunt imperatores, et Romani pontifices : quemadmodum antea descripsimus.

Jam de regno Assyriorum dicturi sumus, quod cœpit anno decimo quinto Saruch, proavi Abrahæ. Duravit autem usque ad annum quintum Oziæ regis Judæorum. Illud regnum habuit triginta et octo reges, quorum nomina ordine sequuntur. Duravit autem illorum regnum in suo statu, annis mille trecentis et duobus.

Catalogus regum Assyriorum.

Hi sunt reges Assyriorum.
Rex Babyloniæ Nembrot, gigas decem cubitorum.
Rex Belus Assyriorum.
Rex Ninus Assyriorum.
Regina Assyriorum Semiramis, uxor Nini post eum.
Rex Assyriorum Zameis, qui et Ninias, filius Nini et Semiramidis.
Rex Arius Assyriorum.
Rex Aralius Assyriorum.
Rex Baleus Xerses Assyriorum.
Rex Armamitres Assyriorum.
Rex Belochus Assyriorum.
Rex Baleus junior Assyriorum.
Rex Altadas Assyriorum.
Rex Mamitus Assyriorum.
Rex Mancaleus Assyriorum.
Rex Spherus Assyriorum.
Rex Mancaleus alter Assyriorum.
Rex Sparetus Assyriorum.
Rex Ascatades Assyriorum.
Rex Amyntas Assyriorum.
Rex Belochus junior Assyriorum.
Rex Belopares Assyriorum.
Rex Lamprides Assyriorum.
Rex Sosares Assyriorum.
Rex Lampares Assyriorum.
Rex Pannias Assyriorum.
Rex Sosarmus Assyriorum.
Rex Mitreus Assyriorum.
Rex Tautanius Assyriorum.
Rex Teuteus Assyriorum.
Rex Tyneus Assyriorum.
Rex Dercillus Assyriorum.
Rex Eupales Assyriorum.
Rex Laosthenes Assyriorum.
Rex Pyridiades Assyriorum.
Rex Ophrateus Assyriorum.
Rex Ophraganeus Assyriorum.
Rex Astrasapes Assyriorum.
Rex Tonos Concoleros, qui et Sardanapalus vulgariter nuncupatur.

Sub isto Sardanapalo periit regnum Assyriorum : et Medi subjugaverunt illud, anno ab imperio Nini millesimo ducentesimo vigesimo sexto, a regno vero partis suis Beli, millesimo trecentesimo quinto; ab initio autem Babyloniæ, vel instauratione sub regina Semiramide, millesimo centesimo sexagesimo quarto. Tunc prædictus Sardanapalus novissimus et vilissimus rex Assyriorum, primam culcitram seu prima pulvinaria adinvenit, et suis manibus fecit, ob quam causam principes ejus verecundia moti, voluerunt interficere eum ; ille autem dixit eis : « Non habebitis de me trimphum. » Et hoc dicto, projecit in ignem semetipsum, in quo exstinctus est.

Catalogus regum Medorum.

Ista sunt nomina regum Medorum, postquam subjugaverunt sibi regnum Assyriorum :
Primus rex Medorum Arsaces, regnavit annis viginti octo. Cui postea successit
Rex Medorum Sosarmus, cujus regni anno decimo quinto, Olympias primum apud Ælidem urbe Græciæ cœpit nominari. Sosarmo regi successit
Rex Medidus. Post quem fuit
Rex Medorum Cardiceas, cui deinde successit
Rex Medorum Dejoces. Et post eum regnavit
Rex Medorum Phraortes, qui regnavit annis duobus et viginti. Cui successit
Rex Medorum Cyaxares. Et post eum venit
Rex Astyages.

Digitized by Google

Istius Astyagis nepos ex filia, Cyrus, rex Persarum, bello eumdem avum suum Astyagem devicit, et regnum Medorum subjugavit; avum suum regem Astyagem Hyrcanis præfecit; et ipse regnum Medorum sub regno Persarum constituit. Duraverat autem imperium Medorum ducentis quinquaginta septem annis.

Catalogus regum Persarum.

Isti sunt reges Persarum :

Rex Persarum Cyrus. Cui successit

Rex Persarum Cambyses, quadrinominis; qui et Xerxes secundum Esdram; qui et Nabuchodonosor secundum historiam Judith; qui et Assuerus secundum historiam libri Esther. Post istum Cambysem successit

Rex Persarum Darius, filius Hystaspis, qui templum Domini restauravit. Dario successit filius ejus

Rex Persarum Xerxes. Cui successit alius

Rex Persarum Artaxerxes, post quem venit

Rex Persarum Darius nothus. Deinde

Rex Persarum Magnus Artaxerxes. Cui successit

Rex Persarum Darius Ochus. Dario isti successit

Rex Persarum Arsames, qui et Arses. Cui successit

Rex ultimus Persarum, Darius Codomanus.

Hunc Darium devicit Alexander Macedo : et subjugavit Persas et totum Orientem.

Mortuo Alexandro Magno, principes ejus sic inter se diviserunt imperium : Ptolomæus accepit Ægyptum; Antipater Græciam; Seleucus, a quo dicitur Seleucia, accepit Syriam et Babyloniam; Cassander accepit Lyciam et Pamphiliam; Antigonus majorem Phrygiam; quorum unusquisque diadema sibi imposuit :

Catalogus regum Hebræorum.

Saul.
David.
Salomon rex totius Israel.
Roboam in Juda.
Hieroboam in Israel.
Baasa in Israel.
Abiam in Jerusalem.
Rex Asa in Jerusalem.
Rex Josaphat in Jerusalem.
Rex Samariæ, Hela.
Rex Zambri in Samaria.
Rex Amri etiam in Samaria.
Rex Achab in Samaria.
Rex Ochozias in Samaria.
Rex Josaphat in Juda.
Rex Joram in Juda.
Rex Azachias in Juda.
Rex Joachim in Juda.
Rex Achas in Juda.
Rex Ezechias in Juda.
Jehu rex Samariæ.
Rex Joas in Samaria.
Rex Hieroboam in Samaria.
Rex Zacharias in Samaria.
Rex Sellum in Samaria.
Rex Manacho in Samaria.
Rex Phaceja in Samaria.
Rex Osee in Samaria.

Regnante eodem Osee, Salamanassar rex Assyriorum cepit eumdem Oseam, et captivum deduxit cum omni populo Samariæ, et posuit eos super fluvium suum Mosim, in terra Medorum.

Rex Ezechias tunc erat in Jerusalem.
Rex Manasses in Jerusalem.
Rex Amon in Jerusalem.
Rex Josias in Jerusalem,
Rex Joas in Jerusalem.
Rex Joachim in Jerusalem.

Istum captivum duxit Nabuchodonoser, cum omni populo Judæorum in transmigratione Babylonis.

Ab hoc loco in antea deficiunt omnes reges Hebræorum, tam in Jerusalem quam in Samaria, quia in captivitate sunt.

Post quadringentos autem annos iterum reges habuerunt in Jerusalem, post tempora Machabæorum.

Regem scilicet Joannem Hyrcanum.
Regem Aristobolum.
Regem Alexandrum.
Regem iterum Aristobolum.
Regem Hyrcanum iterum.

Regem Herodem alienigenam, filium Antipatris viri pagani, ex matre Judæa. Cujus tempore natus est Christus Rex regum.

Catalogus regum Trojanorum.

Jupiter rex, et filii ejus.
Dardanus rex primus in Troja.
Trojus, rex secundus in Troja.
Laomedon rex Trojæ
Priamus rex Trojæ.
Anchises rex Trojæ.
Hector rex Trojæ.
Paris rex Trojæ.
Priamus junior rex Trojæ.
Antenor rex Trojæ.
Æneas rex, e Troja

Catalogus regum Græcorum.

Rex Jupiter Athenis.
Rex Danaus filius ejus.
Rex Pelops in Græcia.
Rex Atreus in Græcia.
Rex Menelaus in Græcia.
Rex Agamemnon in Græcia.
Rex Philippus, pater Alexandri Magni.
Rex Alexander Magnus.

Tunc subdivisum est ipsum regnum inter duodecim principes Alexandri, usque ad tempora Romanorum, qui omnia regna obtinuerunt.

Catalogus regum Sicyoniorum.

Sicyonia est regio quæ prius vocata est Api-

Digitized by Google

postea vero mutato nomine, vocata est Peloponnesa.

Regnum Sicyoniorum cœpit anno vigesimo quarto Nachor avi Abraham, perduravit usque ad annum Heli sacerdotis Domini in Silo. Duravit autem hoc regnum per annos noningentos sexaginta duos. Et habuit hos reges viginti sex.

1.	Ægialeus	regnavit annis 52
2.	Europs	45
3.	Selchin	20
4.	Apis	25
5.	Thelasion	52
6.	Ægydius	54
7.	Thurimachus	45
8.	Leucippus	53
9.	Messapius	47
10.	Ileratus	46
11.	Plemnæus	48
12.	Orthopolis	63
13.	Marathius	50
14.	Marathus	20
15.	Erichthreus	55
16.	Choar	50
17.	Epopeus	55
18.	Laomedon	40
19.	Sicyon	45
20.	Polybus	40
21.	Inachus	42
22.	Phæstus	8
23.	Adrastus	4
24.	Polyphides	31
25.	Pelasgus	20
26.	Zeusippus	52

Catalogus regum Ægyptiorum.

Regnum Ægyptiorum, sub Belo patre Nini cœptum, sub Nino etiam fuit, et sub uxore sua Semiramide : quibus mortuis, remansit inter principes Ægypti ; qui per electionem statuere sibi regem, sub nomine isto dynastiæ. Cujus etiam successores, singuli vocati sunt similiter, dynastiones. Regnum Ægypti ante tempora Abrahæ habuit quindecim dynastiones, id est reges Ægyptiorum.

In nativitate autem Abrahæ, jam erant dynastiæ septemdecim. Ex tunc reges Ægypti cœperunt vocari Thebæi. Rursus postea mutato nomine, reges illi vocabantur pastores.

In vigesima autem dynastia, cœperunt vocari Pharaones. Alio quoque nomine vocati sunt Diapolitæ.

Pharaones autem per diversa tempora eorum, fuerunt septemdecim usque ad Cambysem filium Cyri, regis Persarum, qui primus subjugavit Ægyptum. Notandum autem, quod ab illo tempore, quo Joseph descendit in Ægyptum, usque ad nativitatem Mosis, reges, id est Pharaones, quinque in Ægypto fuerunt, quorum nomina sunt hæc :

Rex Amois, regnavit annis quindecim.

Rex Nembrot, qui regnavit annis tredecim.

Rex Amenophis, regnavit annis viginti et uno.

Rex Memphres, regnavit annis viginti duobus.

Rex Mesphat, regnavit annis viginti sex.

Sub quo rege, Aram filius Levi, anno ætatis suæ sexagesimo quinto, genuit Moscn. Quem filia Pharaonis nomine Termut, collectum de flumine educavit. Qui etiam Israel de Ægypto eduxit.

Catalogus regum Ægypti et Antiochiæ post mortem Alexandri Magni.

Post mortem igitur Alexandri, successit in Ægypto primus Ptolemæus, cognominatus Soter. Qui regnavit in Ægypto annis novemdecim. Secundus rex Ptolemæus Ægypti, vocatus est Philadelphus. Tertius Ptolemæus, vocatus est Evergetes. Quartus Ptolemæus, vocatus est Philopator. Adversus istum Philopatorem surrexit Antiochus Magnus, qui et occidit eum, subjugavitque Ægyptum, et Judæam, et Persidem, et regnavit annis triginta sex. Iste habuit duos filios, Seleucum et Soter. Seleuco illo qui erat major natu, Romæ existente in obsidatu, frater ejus Seleucus minor natu, successit Patri in imperio Antiochiæ, et est cognominatus Epiphanes. Iste Epiphanes filium fratris sui Demetrium ejecit e regno. Iste Epiphanes usque adeo oppressit Judæos, ut in templo Domini idola ponerent, et ea adorarent. Tunc surrexit Matathias pater Machabæorum contra Antiochum, et post eum Judas Machabæus. Antiochus Epiphanes regnavit annis duodecim : cui successit filius ejus Eupator, et regnavit annis duodecim. Huic successit in Antiochia Demetrius rex, filius Soter. Sub istius Demetrii imperio occisus est Judas Machabæus. Hunc Demetrium occidit Alexander. Cujus patrem præfatum Eupatorem ipse occiderat, et ipse regnat pro eo. Istum Alexandrum postea occidit Demetrius Creticus, filius prædicti Demetrii, et regnat pro eo. Postea filius istius Alexandri vocatus Antiochus Magnus, receptus est in regnum Antiochiæ, et fugavit inde Demetrium. Tryphon autem princeps Antiochi pueri, occidit ipsum puerum Dominum suum, unde et ipse regnavit pro eo, cum adhuc Demetrius quem ille puer ejecerat, captus apud Artaxem regem Arabum teneretur. Tryphone autem in prælio armis attrito, surgit Demetrius, filius Demetrii captivi, et receptus in regnum Antiochiæ, imperat. Tryphon vero isto Demetrio, Joannes Hyrcanus de progenie Machabæorum, erat summus sacerdos. Cujus filius Aristobulus, primus rex Judæorum post captivitatem Babyloniæ est constitutus. Cui successit Alexander filius ejus rex Judæorum. Alexandro autem successit filius Aristobulus.

Et ipse regnavit pro eo, cum adhuc rex Demetrius expulsus, apud Arabes captus detineretur. Tryphone autem a Machabæis in prælio nimis confecto, Demetrius filius Demetrii captivi recipitur in regnum. Tryphon vero fuga lapsus, abiit in Persidem.

Eo tempore Aristobulus ex genere Machabæorum, factus est rex Judæorum primus, scilicet post transmigrationem Babyloniæ quadringentis quadraginta septem annis.

Digitized by Google

Aristobulo succedit alter Aristobulus, quem occidit consul Pompeius, et fecit Antipatrem procuratorem Judææ.

Cui succedit Herodes filius ejus in regnum.

Eo tempore natus est Christus Dominus: et subactum est regnum Judæorum; Antiochia jamdudum a Romanis subjugata.

Catalogus regum Argivorum.

Regnum Argivorum incœptum est eo anno, quo natus est Jacob et Esau filii Isaac, sub primo rege eorum Inacho. Duravit autem usque ad annum decimum quintum illius mulieris prophetæ, quæ vocabatur Debora, in Israel. Permansit etiam regnum Argivorum in suo statu, per annos ducentos sexaginta quatuor. Dissipatum vero est, atque destructum sub Græcorum rege Danao, a quo omnes Græci, usque hodie, Danai sunt vocati.

Eodem tempore rex Phoronæus, filius Inachi, primi regis Atheniensium et uxor ejus Niobe, primas leges Græcis dederunt apud Athenas, et primi statuerunt causas sub judice agitari; et locum judicii appellaverunt forum.

Catalogus regum Babyloniorum.

Regnum Babyloniæ computatum est sub regno Ægyptiorum, vel Assyriorum. Verumtamen sub temporibus Nabuchodonosor, qui non fuit de genere regum Babyloniorum vel Assyriorum, sed fuit quasi extraordinarius, ut puta spurius, ex incerto coitu procreatus. Cœpit Babyloniæ imperium præeminere usque ad tempora Cyri Regis Persarum et Medorum, qui Babyloniam subjugavit, et imperio Persarum adjunxit. Ponemus ergo catalogum regum Babyloniorum ab ipso Nabuchodonosor, usque Cyrum:

Rex Nabuchodonosor, qui Jerusalem destruxit, et Judæos omnes captivavit.

Rex Nabuchodonosor filius primi.

Rex Evilmerodach etiam filius illius.

Rex Regusar, filius Evilmerodach.

Rex Labosar, etiam filius Evilmerodach.

Rex Balthasar, etiam filius Evilmerodach.

Iste Balthasar vidit manum scribentem in pariete. Quam visionem Daniel interpretatus est, dicens quia divideretur regnum ejus, et ipse rex gladio periret. Quo dicto, sequenti nocte venit Darius rex Medorum, et Cyrus nepos ejus ex filia, rex scilicet Persarum, et occiderunt regem Balthasar, et totum regnum Babyloniæ obtinuerunt.

Catalogus regum Francorum.

Regum Francorum genealogiam nobilissimam, multis tamen auctoribus ignotam, per catalogum disponemus, incipientes ab Adam usque ad Noe, et a Noe usque ad primum regem Babyloniæ Nembrot, et ab illo de rege ad regem usque ad reges Trojanos; et inde usque ad Carolum Magnum, et ab illo usque ad Fridericum imperatorem, et filium ejus regem Henricum. Igitur ab Adam ordiamur.

Adam, Seth, Enos, Cainan, Malalehel, Jareth, Enoch, Mathusalem, Lamech, Noe, Sem filius Noe, Arphaxad filius Sem. Arphaxad genuit Salem, Salem genuit Heber, Heber genuit Phalec, et Irari patrem primi regis Nembrot, in divisione linguarum. Nembrot, primus rex hujus Mundi in Babylonia, genuit octo filios; quorum primus fuit Cres, a quo Creta insula nomen accepit. Cres primus rex Cretensium, genuit Cælium.

Cælius genuit Saturnum.

Rex Saturnus genuit Jovem.

Rex Jupiter genuit Dardanum et Trojum.

Rex Trojus ædificavit Trojam nomine suo, et genuit Laomedonta.

Rex Laomedon genuit Priamum et Anchisen.

Rex Anchises genuit Æneam, a quo omnis nobilitas regum Albanorum et Romanorum descendit.

Rex Priamus major habuit ex sorore sua nepotem Priamum juniorem, qui Priamus, et Antenor cum eo, post Trojæ destructionem, transierunt navigio per mare Illyricum, cum tredecim millibus armatorum per Venetias, ibique civitatem Paduam ædificaverunt, in qua etiam Antenor habet honorabilem sepulturam. Inde transierunt in Mæotidas paludes, ibi ædificaverunt urbem Sicambriam, a qua ipsi vocati sunt Sicambri. Deinde processu temporum, obtinuerunt Germaniam, a qua vocati sunt Germani. Postmodum quoque ab imperatore Valentiniano vocati sunt Franci, id est feroces. In Germania igitur regnantes, primum regem suum habuerunt filium Priami supra memorati, nomine Priamum, quem imperio Romano rebellem, Romani in prælio occiderunt. Tunc remansit filius Priami, quem vocabant Marcomirum, cujus filium Pharamundum Germani sibi regem creaverunt. Leges etiam tunc, per suos auctores Guisogastaldum et Salagastum compositas, habere cœperunt. Ab illo autem Salagasto Lex Salica nomen accepit. Qua Lege Salica usque hodie usi sunt Franci. Unde et ipsi Franci Salici nuncupantur

Mortuo autem rege Pharamundo, succedit rex Crinitus filius ejus, a quo reliqui Francorum reges omnes Criniti sunt appellati

His temporibus Franci accrescere, Romani vero minui cœperunt. Gentes enim quæ fuerant Romanis subjectæ, per seipsas regnare cœperunt. Romani econtra gentibus servire cogebantur.

Gothi enim, cum ipsam Urbem jam essent depopulati, ultra Ligerim fluvium in Gallia consederunt. Burgundiones tunc regem habere cœperunt. Franci etiam Romanos, qui tunc circa fluvium Rhenum habitabant, fugaverunt. Defuncto rege Crinito, successit rex Gildibertus, qui ex regina nomine Bissina genuit Clodovæum.

Rex autem Clodovæus genuit Mirovæum.

Rex Mirovæus genuit alium Mirovæum, a quo reges reliqui omnes Mirovæi sunt appellati in Francia.

Digitized by Google

Rex Ildricus filius Mirovæi, genuit alium Clodovæum.

Rex iste Clodovæus, fuit primus Christianus rex Francorum, quem sanctus Remigius baptizavit.

Iste Clodovæus Alemannos subjugavit, Gothos, id est Vascones, devicit.

Anno ab Incarnatione Domini septingentesimo quinquagesimo primo, reges Francorum solo nomine regnabant. Erat autem apud eos princeps de cognatione eorum, qui vocabatur ex officio suo majordomus: totum enim illud regnum regebat. Quorum primus dicitur fuisse Arnuldus, qui postea fuit episcopus Metensis.

Cujus filius Ansgisus, post eum fuit majordomus. Post quem fuit filius ejus Pipinus, majordomus, qui cognominabatur Grossus, cujus filius fuit avus Caroli Magni, Carolus Martellus, de quo natus est Pipinus Nanus, dux etiam Francorum et rex, et majordomus, de quo natus est Carolus Magnus, primus Francorum imperator.

Ex tunc fuerunt in Francia imperatores, usque hodie. Quorum

Carolus Magnus, primus imperator fuit.
Ludovicus secundus, Francorum imperator.
Lotharius primus,
Lotharius secundus,
Carolus secundus,
Carolus tertius,
Arnulphus,
Cendebuldus
Ludovicus puer,
Conradus primus,
Henricus primus,
Otho primus,
Otho secundus,
Otho tertius,
Henricus secundus,
Conradus secundus,
Henricus tertius,
Henricus quartus,
Henricus quintus,
Lotharius Saxo,
Conradus tertius,
Fridericus primus,
Henricus sextus, filius Friderici.

Ecce habes, lector, ab Adam usque ad Fridericum et filium ejus Henricum, plenam genealogiam et plenum catalogum regum, sive imperatorum Francorum. Deo gratias.

Catalogus regum Gothorum.

Gothorum gens est diversa. Sunt enim Wisigothi, quos nos vocamus Wascones, circa provinciam Catalauniam et Aragonam. Sunt etiam Austrogothi, in plaga australi. Quorum omnium una est origo: sed propter diversa climata, eorum nomina seu cognomina sunt diversa. Quorum reges fuerunt isti:

Rex Theodericus primus,
Rex Theodericus secundus,
Rex Theobaldus,
Rex Alaricus,
Rex Dalaricus,
Rex Witigous,
Rex Vigivus,
Rex Sigismundus,
Et alii quidam.

Catalogus regum Lombardorum.

Lombardi olim in patria sua, a qua prius venerunt, vocati sunt Vinuli, in plaga Australi in provincia Scatinavia. Unde venientes, in principio duos duces habuerunt, Ivor, et Agion, et matrem eorum Gamaram. Quibus mortuis, creant sibi Lombardi regem Agilmundum, filium Agionis, qui regnat annis triginta tribus. Quo defuncto, creant sibi regem Lamisonem. Quo defuncto, Lecha rex regnat pro eo. Qui cum quadraginta annorum spatio regnasset, successit ei filius Gildeoc.

Quo defuncto succedit rex Classo, filius ejus. Quo defuncto, succedit filius ejus Guado. Quo defuncto, succedit filius ejus Gualtaris, octavus in regno Lombardorum.

Rex Gualtaris cum septem annis regnasset, obiit. Cui successit Aldoinus, nonus rex Lombardorum. Iste Aldoinus, primus perduxit Lombardos in Pannoniam. Eo tempore Justinianus imperator legum multiplicitatem abbreviavit. Iis diebus sanctus Benedictus abbas erat in Sublacu. Mortuo igitur rege Alduino, filius ejus Alboinus succedit, decimus regum Lombardorum. Iste interfecit Cunimundum regem Gepidorum, et filiam ejus Rosimundam accepit uxorem, et de capite ipsius regis Cunimundi, fecit sibi scyphum ad bibendum parari. In quo etiam fecit ut filia propinaret, dicens ei: « Bibe cum patre tuo. » Illa autem ultra injuriam suam et patris, fecit eum occidi, sicut in libri hujus corpore continetur.

Igitur cum ubique Lombardorum victoriæ personarent, rege Alboino adhuc in Pannonia manente, Narsis præfectus Italiæ, et Carthularius imperialis, vocat ipsum Alboinum cum omnibus Lombardis in Italiam. Ubi mortuo Alboino, succedit Luprandus. Quo mortuo succedit Agistulphus. Quo mortuo, succedit Desiderius.

Desiderium illum cepit et in exsilium deportavit Carolus Magnus imperator. Extunc imperatores et reges Francorum tenuerunt Lombardiam sibi subjugatam, usque ad tempora Friderici imperatoris, et filii ejus regis Henrici Sexti.

Quorum temporibus, ego Gotfridus, istiusmodi librum composui et conscripsi, ad honorem Dei, et Ecclesiæ atque imperii, et ad omnium lectorum perpetuam utilitatem. Precor igitur omnes hujus libri lectores, ut amore Dei et summæ charitatis intuitu, benedicant animæ meæ et parentum meorum. Amen.

Finis catalogorum omnium regum.

Digitized by Google

CATALOGUS PAPARUM ET IMPERATORUM SYNCHRONUS.

Dominus Jesus Christus, primus et summus pontifex, sedit in hoc mundo, annis triginta duobus, et mensibus tribus, ante ascensionem suam.

Petrus apostolus in partibus Orientis prædicando, sedit annis quatuor. In episcopatu vero Antiochiæ, sedit annis octo. Romæ autem in papatu, sedit annis viginti quinque, mensibus duobus, diebus quatuor.

Distinctio temporum.

Octavianus imperator Augustus fuit tempore Petri apostoli, et imperat annis quinquaginta sex.

Tiberius privignus Octaviani fuit tempore Petri, et imperat annis tredecim.

Gaius Caligula fuit tempore Petri, et imperat annis tribus, mensibus decem, diebus octo.

Claudius imperat tempore Petri, annis quatuordecim, mensibus octo. Tempore Claudii venit Petrus apostolus Romam, ubi sedit annis viginti quinque. Et cum eo Linus fuit coadjutor Petri in papatu annis novem, mensibus tribus, diebus duodecim.

Cletus cum Lino coadjutor Petri, sedit annis duodecim, mense uno, diebus decem. Isti duo, Linus scilicet et Cletus, fuerunt coepiscopi, et coadjutores Petri. Unde Joannes apostolus tertio scribit omnibus episcopis Galliæ et Germaniæ, sic : « Petrus princeps apostolorum, adjutores sibi ascivit Linum et Cletum; non tamen pontificium aut potestatem ligandi atque solvendi tradidit eis, sed in exterioribus eum juvabant. »

Nero imperator, tempore Petri fuit, et imperavit annis tredecim, mensibus novem.

Galba et Vitellius, et Otho, post Neronem invadunt imperium, et se invicem bellis et contentionibus cito exstinguunt. Quibus succedit Vespasianus.

Distinctio temporum.

Clemens primus papa, post Petrum, sedit annis novem, mense uno. Tunc cessavit papatus diebus viginti uno, post obitum suum.

Vespasianus tempore Clementis, imperat annis novem, mensibus undecim, diebus viginti duobus. Cujus tempore colossus erectus est, qui fuit altus centum et octo pedum. Tunc urbs Adventia condita est apud Allobrogos, super Ararim fluvium. Vespasianus obiit fluxu ventris.

Titus tempore Clementis, imperat annis duobus, mensibus duobus, et facundissimus fuit.

Domitianus frater Titi, tempore Clementis imperat annis quindecim, mensibus quinque, diebus duobus. Iste superbus præcepit Deum et Dominum se vocari; christianos persecutus est, et Joannem evangelistam in Patmum insulam relegavit. Omne genus David regis interfecit. Eo tempore capitolium Romæ, et forum, et porticus, et stadium, et thermæ Trojanæ, et Pantheon, ædificata sunt. Domitianus a suis in palatio occiditur. Cadaver ejus in plateas turpiter tractum est a populo Romano.

Nerva tempore Clementis, imperat anno uno, mensibus quatuor. Iste omnia quæ Domitianus fecerat, damnavit : et quæ ille damnaverat, absolvit. Unde Joannes tunc ab exsilio rediit, ubi scripserat Apocalypsim.

Distinctio temporum.

Anacletus papa, sedit annis novem, mensibus duobus, diebus undecim. Cessat diebus tredecim.

Trajanus tempore Anacleti, imperat annis novemdecim, mensibus sex, diebus quindecim.

Distinctio temporum.

Evaristus papa, sedit annis novem, mensibus decem, diebus duobus. Cessat diebus novemdecim.

Adrianus imperator tempore Evaristi, regnat annis viginti, mensibus undecim. Tunc tertia persecutio fuit Christianorum, satis gravis.

Distinctio temporum.

Alexander papa, sedit annis decem, mensibus septem. Cessat diebus viginti quinque papatus Romæ post eum.

Ælius imperator tempore Alexandri papæ, regnat annis viginti, mensibus undecim. Iste Jerosolymam a se reparatam, vocavit nomine suo Æliam; et Judæos omnes, in remotissimis partibus, exsilio relegavit, ne in ea amplius habitarent, et ne civitas Jerusalem vocaretur in æternum, sed Ælia.

Distinctio temporum.

Xystus papa, sub Decio imperatore, sedit annis decem, mensibus quinque. Cessat diebus duobus.

Decius imperator, tempore Xysti, regnavit anno uno. Orosius dicit, annis tribus.

Distinctio temporum.

Telesphorus papa, sedit annis undecim, mensibus quinque, diebus viginti et uno, sub Antonino. Cessat diebus septem.

Antoninus Pius imperator, sub Telesphoro papa, imperat annis viginti duobus, mensibus tribus. Eo tempore Galenus medicus claruit, Pergami natus.

Hyginius papa, sub Antonino imperatore, sedit annis quatuor, mense uno, diebus quatuor.

Distinctio temporum.

Marcus Antoninus tempore Aniceti, annis novemdecim, mensibus quatuor, die uno, cum fratre suo Lucio Aurelio. Lucius iste apoplexia moritur. Antoninus vero filium suum Commodum vocat ad imperium. Isti leges asperas temperaverunt, et scripta fiscalia omnia in foro publico incenderunt.

Anicetus papa, sub Marco imperatore, sedit annis undecim, mensibus sex, diebus tribus. Cessat papatus diebus decem.

Item sub Marco Pius papa, sedit annis decem,

Digitized by Google

mensibus quatuor, diebus quatuor. Cessat cathedra post obitum ejus, diebus tredecim.

Item sub eodem Marco imperatore, Soter papa, sedit annis novem, et mensibus septem. Cessat diebus viginti et uno.

Eleutherus papa sedit annis quindecim, mensibus novem, diebus tribus. Cessat diebus decem post eum cathedra papalis, sub Commodo.

Commodus imperator, tempore Eleutheri, regnat annis tredecim.

Ælius imperator Pertinax, sub Eleuthero, infra sex menses occiditur. Post hunc, Julianus mensibus septem imperat, eumque Severus occidit, et ipse fit imperator.

Distinctio temporum.

Victor papa sedit annis undecim. Cessat diebus duodecim sub Severo, cathedra Petri.

Severus imperator, sub papa Victore, regnat annis novemdecim. Iste in Britannia partem insulæ, a mari usque ad mare, vallo munivit, quod erat in longitudine centum triginta milliarium, et mult s turribus communitum. Severus ille imperator, apud Eboracum sepultus est.

Distinctio temporum.

Severinus papa sedit annis octo, mensibus septem, diebus decem, sub Aurelio. Cessat diebus sex.

Antoninus Aurelius Caracalla, tempore Severini, imperat annis septem. Iste asperior Severo patre suo fuit, et a Persis occisus est.

Distinctio temporum.

Callistus primus, papa, sedit annis sex, mensibus duobus, diebus decem. Cessat diebus sex.

Alexander imperator, tempore papæ Callisti Primi, regnat annis duodecim. Iste vicit Xersem, magnum regem Persarum, in prælio.

Distinctio temporum.

Urbanus papa, primus, sedit annis quatuor, mensibus decem, diebus duodecim. Cessat cathedra, diebus triginta post obitum ejus.

Macrinus, tempore Urbani, imperat anno uno. Cujus historia non habetur.

Distinctio temporum.

Pontianus papa sedit annis novem, mensibus sex, diebus duobus. Cessat diebus decem.

Marcus Aurelius Antoninus, tempore Pontiani, imperat annis tribus. Iste in stupro et in omni turpitudine mortuus est, et turpem famam reliquit.

Anteros papa, sedit annis duodecim, mense uno, diebus duodecim. Cessat diebus octo.

Maximus imperator, tempore Anteri, regnat annis tribus, et persequitur Christianos.

Distinctio temporum.

Fabianus papa sedit annis quatuordecim, mensibus undecim, diebus undecim.

Gordianus, tempore Fabiani, imperat annis septem. Iste puer a suis deceptus, in Parthico bello occisus est Eo tempore claruit Origenes.

Distinctio temporum.

Cornelius papa sedit annis duobus, mensibus duobus, diebus tribus. Cessat post illum cathedra, diebus triginta et uno.

Philippus imperator, cum filio suo Philippo, est primus Christianus imperator, tempore Cornelii papæ, imperat annis septem. Anno autem ejus quarto completus est annus millesimus ab Urbe condita, propter quod facti sunt Romæ ludi theatrales in Campo Martio tribus diebus, et tribus noctibus. Istum Philippum, et filium ejus Philippum occidit Decius in dolo, et ipse factus est imperator, et persecutor Christianorum, in odium ejus Philippi.

Distinctio temporum.

Lucius papa, primus, sedit annis tribus, mensibus quatuor, diebus tribus. Cessat diebus triginta et uno.

Decius imperator, tempore Lucii, regnat annis tribus, et persequitur Christianos. Fuit autem septima persecutio.

Distinctio temporum.

Stephanus papa sedit annis octo, mensibus sex, diebus duobus. Cessat diebus duodecim.

Gallus cum Volusiano, tempore Stephani primi papæ, imperat annis duobus, mensibus quatuor. Isti duo imperatores in dolo sunt occisi ab Æmiliano. Ipse quoque Æmilianus postea occisus est, quarto mense. Eo tempore Cornelius papa corpora sanctorum de Catacumba levavit et dedicavit.

Distinctio temporum.

Xystus papa secundus sedit annis duobus, mensibus sex, diebus quindecim. Cessat diebus triginta quinque.

Valerius cum filio suo Galleno, nunc regnat annis quindecim. Et est persecutio octava in Christianos facta per illos. Eo tempore Germani, id est Theutonici, Galliam pervagati Italiam devastant. Nunc etiam gens Gotborum Macedoniam, Græciam, Pontum et Asiam depopulantur. Imperator Valerius a Sapore Persarum rege capitur et cæcatur. Qui, dum vixit, talem pœnam portavit, ut regem Persarum equum ascensurum ipse proprio suo dorso semper levaret super equum.

Dionysius papa, sub eodem Valerio, sedit annis quinque, et mensibus duobus. Cessat post eum pontificatus, diebus quinque.

Felix papa, sub eodem Valerio imperatore, sedit annis quatuor, mensibus quatuor, diebus quinque. Cessat post eum cathedra papalis, diebus quinque.

Distinctio temporum.

Eutychianus papa sedit mensibus decem, et die uno, tempore imperatoris Claudii.

Claudius, tempore Eutychiani, imperat anno uno, mensibus novem. Iste Gothos, Macedoniam et Illyricum vastantes, incredibili strage delevit. Et propter hoc, ei clypeum aureum, et hastam auream senatus in Capitolio dare decrevit.

Digitized by Google

Distinctio temporum.

Gajus papa sedit annis undecim, mensibus quatuor, diebus duodecim. Cessat papalis cathedra post eum diebus sex.

Aurelianus, tempore Gaji papæ, imperat annis quinque, et mensibus sex. Iste Gothos summa virtute depressit, et Romam muris firmioribus cinxit, et Solis templum construxit. In Christianos ille nonam persecutionem concitavit. Et ipse tandem occisus est.

Tacitus imperator, similiter Gaji papæ tempore, regnat mensibus sex.

Item Florianus, sub eodem Gajo, regnat mensibus tribus.

Probus, sub eodem Gajo papa, imperat annis sex, et mensibus quatuor.

Distinctio temporum.

Marcellinus papa sedit annis novem, mensibus quinque, diebus duodecim. Cessat diebus sex.

Carus imperator, cum filiis suis Carino, et Numeriano, tempore Marcellini papæ, imperat annis tribus. Iste devictis Persis cum esset supra fluvium Tigridem, cum duobus filiis suis, ictu fulminis occisus est.

Marcellus papa sedit annis novem, mensibus quinque, et diebus viginti uno. Cessat sedes papalis, diebus viginti.

Diocletianus et Maximianus, tempore Marcelli, imperat annis viginti. Diocletianus socium suum Maximianum suscepit in imperium, eumque in Africam direxit, ut eam defenderet a Quingentianis. Præterea plures Cæsares sibi elegit, videlicet Constantium, Licinium, et Galerium. Ipse etiam Diocletianus tanquam Deum se adorari præcepit, et ipse prior gemmas in vestibus, et in calceamentis portavit. Prius enim reges alii, sola purpura utebantur. Diocletianus iste in Oriente, et Maximianus in Occidente, omnes ecclesias Christianorum præcipiunt devastari, et libros comburi, et Christianos omnes occidi. Ista persecutio decima, omnibus aliis immanior, et diuturnior fuit. Diocletianus ille apud Nicomediam, et Maximianus Mediolani, purpuram deposuerunt.

Distinctio temporum.

Eusebius papa sedit annis duobus, mensibus duobus. Ipse autem et suprascripti papæ omnes martyres fuerunt.

Constantius et Galerius, et Licinius Cæsares, Diocletiani, tempore Eusebii papæ fuerunt, et imperium Romanum rexerunt.

Distinctio temporum.

Miltiades papa sedit annis septem, mensibus septem in papatu.

Valerius, et Constantius, et Licinius Cæsares supra memorati, regnant, tempore Miltiadis papæ, annis duobus, quorum Constantius Hispaniam subegit, et de Alemannis triumphavit, et filiam regis Britanniæ, nomine Helenam, defuncto prius patre ejus, nomine Johel, accepit uxorem, de qua genuit Constantinum. Quamvis alii asserant ipsum Constantinum fuisse spurium filium Helenæ, puellæ tabernariæ, in finibus Persarum genitum; dum pater ejus Constantius, pro colligendis tributis publicis, legatione in Perside fungeretur. Ipse Constantius pater, in Anglia apud Eboracum dicitur esse sepultus.

Eodem tempore Maxentius filius Maximiani, Romæ creatus est imperator: quem Constantius postea a Romanis vocatus, juxta pontem Milvii interfecit; et ipse regnavit annis triginta, mensibus decem. Regnum vero Britanniæ Tacherio avunculo suo reliquit. Et prius quidem Christianos persecutus est, postea vero per Sylvestrum papam accepit sacrum baptismum.

Sylvester papa sedit annis viginti tribus, mensibus decem. Cessat diebus quindecim.

Iste Sylvester, anno quarto imperii Constantini, factus est papa, et eum baptizavit. Sed, sicut Tripartita narrat historia, et Eusebius Cæsariensis in Chronicis testatur, ipse postea rebaptizatus est a quodam Eusebio Ariano, episcopo Nicomediæ, in villa quæ vocatur Aquilona.

Constantinus, tempore Sylvestri et Martini papæ, imperat annis triginta, mensibus decem. De quo satis diffuse in corpore hujus libri, sub tractatu imperatorum, locuti sumus.

Marcus papa sedit annis duobus, mensibus octo, diebus viginti. Cessat diebus quindecim. Iste Marcus papa, fuit temporibus Constantini imperatoris.

Distinctio temporum.

Julius papa sedit annis undecim, mensibus duobus, diebus sex. Cessat diebus quindecim.

Constantius cum Constantino et Constante, imperant, tempore Julii papæ, annis viginti quatuor, mensibus quinque, diebus viginti tribus; quorum Constans, edomitis Gallis, et in pace receptis, in Hispania occisus est. Constantinus autem, dum fratri suo Constantio bellum inferre pararet, juxta Aquileiam est occisus. Sic ad Constantium monarchia pervenit: qui in hæresim Arianorum lapsus, et ab eis rebaptizatus, gravissimam Catholicis intulit persecutionem. Cujus auxiliis, Ariani omnes Catholicos episcopos carceribus et aliis variis tormentis simul demoliti. In qua persecutione, Athanasius Alexandrinus episcopus, Hilarius Pictaviensis, et Eusebius Vercellensis, constantissimi et invincibiles apparuerunt. Eo tempore claruit Basilius Cæsariensis, Victorinus rhetor, et Priscianus et Donatus grammatici.

Distinctio temporum.

Felix papa, vivente Liberio papa, et in exsilio posito, ab hæreticis constitutus, sedit annc uno, mensibus quatuor, diebus duobus. Cessat cathedra diebus triginta octo.

Liberio autem ab exsilio Constantii imperatoris, post biennium reverso, et in papatum restituto, Felix qui ei viventi fuerat subrogatus, aliæ civitati

Digitized by Google

prælatus est. Quare autem idem Felix in Catalogo catholicorum apostolicorum scriptus sit, ego ignoro. Vos autem, Romanos interrogate, si placet

Distinctio temporum.

Julianus apostata, temporibus Liberii et Felicis pap., imperavit annis duobus, mensibus sex. Iste a puero fuit Christianus, et Ecclesiæ Romanæ subdiaconus. Sed postmodum ad idolorum cultum conversus, et apostata pessimus factus, persecutus est Christianos, et in odium Christi templum Hierosolymis reparari præcepit. De Juliani autem vita et morte, in corpore hujus libri largius continetur. Tempore Juliani claruit Didymus, et Basilius Cæsariensis episcopus.

Distinctio temporum.

Damasus papa sedit annis octodecim, mensibus quatuor, die uno. Cessavit sedes papalis post eum diebus viginti.

Jovianus, tempore Damasi papæ, imperat annis octo. Iste omnem exercitum Constantii ad fidem catholicam revocavit.

Distinctio temporum.

Syricius papa sedit annis quindecim, mensibus undecim. Cathedra non cessat.

Valentinianus tempore Syricii, imperat annis undecim.

Valens, filius Valentiniani, sub eodem papa Syricio, imperat annis quatuor.

Gratianus imperator, cum fratre suo Valente, imperat, sub eodem papa, annis sex.

Distinctio temporum.

Anastasius papa sedit annis tribus, mensibus decem, diebus duodecim. Cessavit post eum pontificatus diebus viginti et uno.

Valentinianus secundus imperat, tempore Anastasii papæ, annis duodecim.

Distinctio temporum.

Innocentius papa sedit annis undecim, mensibus duobus, diebus viginti uno. Tunc Roma ab Alarico rege Gothorum capta est, ipso papa tunc Ravennæ commorante.

Theodosius imperavit annis viginti septem, tempore Innocentii papæ primi.

Distinctio temporum.

Sosimus papa sedit anno uno, diebus undecim. Cessat diebus undecim.

Arcadius, cum Honorio et Theodosio et Valentiniano, imperat annis triginta duobus sub eodem papa.

Distinctio temporum.

Bonifacius papa sedit annis tribus, mensibus octo, diebus septem. Cessat diebus novem.

Honorius et Arcadius, tempore Bonifacii papæ, imperant annis viginti uno.

Cœlestinus papa sedit annis septem, mensibus decem, diebus septemdecim. Cessat diebus viginti. Iste vero Scotis in Christo credentibus primum mittit episcopum, nomine Palladium.

Distinctio temporum.

Valentinianus cum Martiano, imperat annis novem.

Xystus papa, sub eodem Valentiniano, sedit annis octo, mense uno. Cessat diebus viginti duobus.

Distinctio temporum.

Leo papa sedit annis undecim, mense uno, diebus tredecim. Cessat diebus septem. Tunc facta est quarta synodus sexcentorum triginta Patrum sub Martiano imperatore contra Eutychen : ubi concessum est Theotocon, id est Dei matrem esse Mariam, et prohibitum est dicere duas in Christo esse personas. Eo tempore Atila intrat Italiam : ad quem egressus Leo papa, ut Urbem non ingrederetur, obtinuit : unde Atila frenum retro convertit.

Distinctio temporum.

Martianus post Valentinianum sub Leone papa, imperat annis sex.

Distinctio temporum.

Hilarius papa sedit annis septem, mensibus tribus, diebus decem. Cessat diebus decem.

Leo imperator regnat annis septem in Constantinopoli.

Distinctio temporum.

Simplicius papa sedit annis quindecim, mense uno, diebus septem.

Zeno imperator, tempore Simplicii papæ, regnat annis septemdecim.

Felix papa sedit annis octo, mensibus sex, diebus septem. Cessat diebus quinque. Iste fuit sub Zenone.

Distinctio temporum.

Gelasius papa sedit annis quatuor, mensibus octo, diebus octodecim. Cessat diebus septem. Hoc tempore, Genericus, rex Gothorum, capit urbem Romam, et per dies quatuordecim omnibus bonis exspoliat; sed hominibus ad ecclesias confugientibus parcit ; et ita locupletatus recedit.

Anastasius imperator, tempore Gelasii, regnat annis septemdecim.

Symmachus papa sub Anastasio, sedit annis novem, diebus septemdecim.

Distinctio temporum.

Hormisda papa sedit annis novem, diebus septemdecim. Cessat diebus sex.

Justinus Senior, sub Hormisda, regnat annis septem

Joannes papa sub Justino, sedit annis duobus, mensibus novem, diebus sedecim. Cessat diebus quinquaginta octo. Iste a Theoderico Gothorum rege carcerali inedia maceratus, post diuturnam pœnam peremptus est.

Mercurius papa sedit sub Justiniano.

Bonifacius papa sedit annis duobus, diebus viginti sex. Cessat diebus septuaginta sex

Distinctio temporum.

Joannes papa secundus, sub Justiniano, sedit annis duobus, mensibus quatuor, diebus sex. Cessat diebus sex.

Digitized by Google

Agapetus papa sub illo sedit annis undecim, mensibus decem, diebus undecim. Cessat diebus viginti septem.

Silverius papa sedit anno uno, mensibus quinque, diebus undecim. Cessat diebus sex.

Vigilius papa sedit annis septemdecim, mensibus sex, diebus viginti et uno. Cessat diebus viginti quinque. Nunc fit quinta synodus sub Justiniano, contra Theodorum.

Fabianus papa, sedit anno uno, mensibus quinque, diebus tredecim.

Distinctio temporum.

Pelagius papa, sub Justino imperatore, sedit annis undecim, mensibus decem, diebus viginti septem.

Benedictus papa, sub eodem Justino, sedit annis quatuor, mensibus duobus. Cessat mensibus tribus.

Justinus imperat annis septem.

Joannes papa, sub Justino, sedit annis duodecim, mensibus undecim, et diebus viginti sex.

Distinctio temporum.

Tiberius imperat annis sex.

Benedictus papa, sub Tiberio, sedit annis quatuor, mensibus duobus.

Distinctio temporum.

Mauricius imperat annis viginti uno.

Pelagius papa, secundus, sub Mauricio, sedit annis decem, mensibus duobus, diebus decem. Cessat mensibus septem.

Gregorius papa, sub Mauricio, sedit annis tredecim, mensibus sex, diebus decem. Cessat mensibus quinque. Iste convertit Anglos.

Distinctio temporum.

Phocas imperator regnat annis octo.

Bonifacius papa, tertius, sedit annis novem, diebus viginti duobus. Cessat diebus triginta sex. Tunc consecratum est Pantheon.

Distinctio temporum.

Heraclius imperator, cum filio suo Constantino, imperat annis triginta sex. Per eumdem Heraclium facta est exaltatio sanctæ crucis.

Bonifacius quartus, papa, sub Heraclio, sedit annis quinque, mensibus decem. Cessat diebus quatuordecim.

Deusdedit papa, sub Heraclio, sedit annis tribus, mense uno. Cessat diebus sexaginta septem.

Honorius papa sedit annis duodecim, mensibus undecim, diebus sexdecim. Cessat anno uno, mensibus septem, diebus octodecim.

Severinus papa sedit annis duobus, diebus quatuor. Cessat mensibus quatuor, diebus viginti sex.

Joannes papa sedit anno uno, mensibus octo, diebus novemdecim. Cessat diebus quadraginta tribus.

Distinctio temporum.

Constantinus imperator filius Heraclii.

Theodorus papa sedit annis sex, mensibus quinque, diebus octodecim. Cessat anno uno, diebus duobus

Martinus papa sedit annis sex, mensibus duobus, diebus viginti septem. Cessat anno uno, diebus viginti.

Eugenius papa sedit annis duobus, mensibus novem, diebus viginti quatuor. Cessat mensibus duobus, die uno.

Vitallianus papa sedit annis quatuordecim, mensibus sex. Cessat anno uno, diebus tredecim.

Distinctio temporum.

Constantinus junior, imperator.

Deodatus sedit annis tribus, mensibus duobus, diebus quinque. Cessat diebus octo.

Donnus papa sedit anno uno, mensibus quinque, diebus decem. Cessat diebus duobus. Iste construxit locum qui dicitur Paradisus ante ecclesiam S. Petri.

Agatho sedit annis duobus, diebus quatuor. Cessat anno uno, mensibus quinque, et diebus quinque. Nunc sexta synodus celebratur Constantinopoli centum quinquaginta episcoporum, sub Constantino pronepote imperatoris, contra Georgium patriarcham.

Leo papa sedit mensibus decem, diebus sexdecim. Cessat diebus duodecim.

Benedictus papa sedit mensibus duobus, diebus viginti.

Joannes papa sedit anno uno, diebus novem. Cessat mensibus duobus, diebus octodecim.

Conon papa sedit mensibus undecim. Cessat mensibus quatuor, diebus viginti duobus

Distinctio temporum.

Justinianus junior, imperator.

Sergius papa sedit annis tredecim, mensibus novem.

Leo papa sedit sub Justiniano Juniore annis duobus, mensibus novem.

Distinctio temporum.

Joannes papa sedit annis tribus, mensibus duobus, diebus sedecim. Cessat mense uno, diebus tredecim.

Joannes alius, papa, sedit annis duobus, mensibus septem. Cessat mensibus octo.

Sisinnius papa, sedit diebus viginti. Cessat mense uno, et diebus novemdecim.

Distinctio temporum.

Justinianus imperator.

Constantinus papa sedit annis septem, diebus viginti. Cessat anno uno et diebus quadraginta.

Philippus imperator regnat tempore ipsius Constantini papæ.

Distinctio temporum.

Anastasius imperator regnat tempore Gregorii papæ.

Gregorius papa, sub ipso Anastasio, sedit annis quindecim, diebus viginti duobus. Cessat diebus triginta quinque.

Digitized by Google

Distinctio temporum.

Theodosius imperator. Sub eo sedit Gregorius papa, tertius, annis decem, mensibus novem, diebus viginti quatuor. Cessat diebus octo.

Leo imperator, cum Constantino filio suo, regnat tempore ipsius Gregorii papæ.

Distinctio temporum.

Constantino cum filio suo Leone imperante.

Zacharias papa sedit annis decem, mensibus octo.

Distinctio temporum.

Stephanus papa sedit annis quinque, mensibus tribus. Cessat diebus triginta quinque. Tempore ipsius Stephani papæ, Pipinus dux Francorum factus est rex Galliarum et patricius Romanorum. Hilderi- B cus vero qui prius fuerat rex Francorum, ignavus et inutilis, tonsus et monachatus est.

Paulus papa, tempore Pipini regis et patricii, sedit annis quinque, mense uno. Cessat anno uno. Tempore ipsius Pauli et Pipini, Leo imperat.

Distinctio temporum.

Stephanus papa, tempore Caroli regis Francorum et patricii Romanorum, sedit annis tribus, mensibus sex.

Adrianus papa, tempore Caroli regis et patricii, sedit annis quatuordecim, mensibus decem, diebus viginti septem.

Leo papa, tertius, imperante Constantino in Græcia, cum matre sua Irene, et regnante Carolo Magno in Francia, sedit annis viginti, mensibus sex. Iste C primum Carolum Magnum pro imperatore suscepit, et laudes imperiales solemniter ei Romæ cantavit. Nunc septima synodus Nicæna sub Constantio, et Irene imperatrice, matre ejus, celebrata est de imaginibus sanctorum. Carolus Magnus imperator, tempore papæ Leonis, et deinceps tertii, imperat annis quadraginta sex.

Distinctio temporum.

Ludovicus imperator, filius Caroli Magni, imperat post patrem cum filio suo Lothario.

Stephanus papa, tertius, sub Ludovico et Lothario, sedit annis septem.

Paschalis papa, sedit annis sex.

Eugenius papa, sedit annis sex.

Valentinus papa, sedit annis undecim, sub eodem D imperatore.

Distinctio temporum.

Lothario imperante, post patrem suum Ludovicum.

Gregorius quartus, papa, sedit annis quatuordecim.

Sergius papa sedit annis tribus.

Leo papa sedit annis octo, mensibus quinque, sub eodem Lothario et filio ejus Ludovico.

Benedictus papa, sub eodem, sedit annis duobus.

Distinctio temporum.

Ludovicus imperator, regnat post patrem suum.

A Paulus papa, sub eodem Ludovico, sedit annis decem, mensibus duobus. Cessat anno uno.

Stephanus papa sedit annis quatuor.

Nicolaus papa sedit annis decem, mense uno.

Adrianus papa sedit annis quatuor, mensibus undecim.

Distinctio temporum.

Carolus secundus, imperator, post Ludovicum secundum regnat.

Joannes papa sedit annis decem, mense uno, sub Carolo secundo.

Distinctio temporum.

Carlomannus imperat post Carolum secundum.

Marinus papa, sub Carlomanno, sedit anno uno, B mensibus tribus.

Adrianus tertius, papa, sedit anno uno, mensibus tribus.

Stephanus papa, sedit annis quatuor.

Distinctio temporum.

Arnulpho imperatore, secundum quosdam.

Formosus papa sedit annis quatuor, mensibus septem

Bonifacius papa sedit annis duodecim.

Stephanus papa sedit anno uno, mense uno, diebus octodecim.

Romanus papa sedit annis quatuor.

Theodorus papa sedit anno uno.

Joannes papa sedit annis duobus.

Distinctio temporum.

C Ab hoc loco in antea ponimus, secundum sententiam Romanorum, illos imperatores, qui in sola Italia leguntur regnasse. Ludovicus imperat in Italia.

Christophorus papa, sub Ludovico, sedit mensibus sex.

Sergius papa, sub eodem Ludovico, sedit annis sex, mensibus quatuor.

Distinctio temporum.

Berengario imperante in Italia, Anastasius papa sedit anno uno, mense uno.

Lando papa sedit mensibus quinque, sub isto Berengario.

Joannes papa sedit annis quatuor, mensibus duo- D bus, sub Berengario primo.

Distinctio temporum

Hugone imperante in Italia.

Leo papa sedit annis septem, diebus quindecim.

Distinctio temporum.

Guidone imperante in Italia, et filio ejus Lamberto.

Stephanus papa, sedit annis duobus, mense uno.

Joannes papa, sub eisdem, sedit annis quatuor, mensibus decem.

Distinctio temporum.

Berengario secundo, imperante in Italia, Leo papa sedit annis tribus, mensibus sex.

Digitized by Google

Distinctio temporum.

Lothario imperante in Italia.

Stephanus papa sedit annis tribus et mensibus IV.

Distinctio temporum.

Berengario tertio imperante in Italia, cum filio suo Alberto.

Marinus papa sedit annis tribus, mensibus sex.

Distinctio temporum.

Ab hoc tempore in antea incipiunt soli Theutonici imperare.

Othone primo Theutonico imperatore

Benedictus sedit anno uno, mensibus quinque.

Leo papa, sub eodem Othone primo, sedit anno uno, mensibus tribus.

Joannes papa, sub eodem Othone, sedit annis quinque, mensibus undecim.

Dictinctio temporum.

Othone secundo, imperatore, Benedictus papa, sedit anno uno, mensibus quinque.

Donnus papa sedit anno uno, mensibus sex.

Bonifacius papa sedit mense uno.

Benedictus papa sedit annis novem.

Joannes papa sedit mensibus octo.

Joannes papa sedit mensibus quatuor.

Distinctio temporum.

Othone tertio Theutonico imperatore.

Joannes papa sedit annis decem, mensibus sex.

Gregorius papa sedit anno uno, mensibus sex.

Joannes papa sedit mensibus decem.

Silvester papa sedit annis quatuor, mensibus quinque. Iste vocabatur Gilbertus.

Joannes papa sedit mensibus decem

Joannes papa sedit annis tribus.

Sergius papa sedit annis tribus.

Distinctio temporum.

Nota quia plures sunt Henrici reges quam Henrici imperatores. Unde, cum legitur Henricus imperator primus, ratione imperii, primus quidem est; sed ratione Henricorum, secundus est; fuit enim unus rex Henricus ante istum. Idem intellige de Conradis.

Henricus primus imperator, cognomine Claudus, qui inter Henricos notatur secundus. Cujus tempore Benedictus papa sedit annis undecim, mensibus undecim. Joannes papa sedit annis VI, mensibus IX.

Distinctio temporum.

Conrado primo imperante, qui inter Conrados notatur secundus, Benedictus papa, sedit annis XIV.

Silvester papa, sub eodem Conrado, sedit mens. II.

Gregorius papa, sub eodem, sedit anno uno, mensibus sex.

Clemens papa, sub eodem Conrado, sedit mens. IX.

Damasus papa, Theutonicus, sedit mense uno.

Leo papa, Theutonicus, sedit annis V, mens. V.

Victor papa, Theutonicus, sedit annis duobus, mensibus quatuor.

Stephanus papa, Theutonicus, sedit mensibus octo. Omnes sub eodem Conrado secundo.

Distinctio temporum.

Henricus secundus imperator: sed, ratione Henricorum regum, tertius numerandus est. Fuerat enim ante omnes Henricos et ante omnes Othones, quidam Henricus rex, ut diximus, sed non imperator, de gente Saxonica; cognominatur Auceps. Similiter fuit ante omnes Conrados primus Conradus, rex Theutonicorum: sed non erat imperator. Tempore autem istius Henrici secundi imperatoris, Benedictus papa sedit annis decem.

Nicolaus papa sedit annis tribus, mensibus sex, diebus viginti quinque.

Distinctio temporum.

Henricus imperator tertius: sed, ratione Henricorum, quartus est numerandus. Tempore istius Henrici, Alexander papa sedit annis novem, mens. VI.

Gregorius septimus, papa, sedit annis quindecim, mense uno, diebus octo.

Victor papa sedit mensibus quatuor, diebus VII.

Urbanus papa sedit annis undecim, mensibus sex, diebus octodecim

Distinctio temporum.

Henricus imperator quartus, qui ratione Henricorum numeratus est quintus. Iste est Henricus qui cepit papam Paschalem Romæ, et iste refutavit Ecclesiæ Romanæ annulum et baculum episcoporum.

Paschalis papa, sub eo, sedit annis novemdecim.

Gelasius papa sedit anno uno, diebus sex

Callistus papa sedit annis quinque, mensibus sex, diebus tredecim.

Honorius papa sedit annis quinque, mensibus sex, diebus viginti octo.

Distinctio temporum.

Lotharius secundus, imperator, regnavit annis duodecim, fuit Saxo.

Innocentius papa sedit annis tredecim, mensibus sex, diebus quatuordecim.

Cœlestinus papa sedit mensibus quinque, diebus XI.

Lucius papa, sedit mensibus undecim.

Distinctio temporum.

Conradus, rex Theutonicorum et Romanorum, regnat annis quatuordecim.

Eugenius papa, tempore Conradi tertii, sedit annis octo, mensibus quinque, diebus decem.

Distinctio temporum.

Fridericus primus, imp. imperat nunc an. XXXVII.

Anastasius papa, tempore Friderici, sedit anno uno, diebus quinque, vivente etiam Eugenio suprad.

Fridericus secundus regnat.

Adrianus papa sedit annis quatuor, mensibus novem. Iste unxit Fridericum in imperatorem.

Alexander papa sedit annis XVII, imperante Friderico, et regnante cum patre filio ejus Henrico VI.

Lucius papa, imperante Friderico, et filio ejus Henrico regnante, sedit annis tribus.

Urbanus tertius, papa, sedit similiter imperante Friderico, et regnante filio ejus Henrico: sedet nunc feliciter. Amen.

Digitized by Google

PETRUS COMESTOR

NOTITIA

(Oudin, *Commentarii de Scriptoribus et scriptis eccles.*, II, 1526)

Petrus Comestor, canonicus ac decanus Beatæ Mariæ Trecensis, perperam a quibusdam dicitur fuisse frater Petri Lombardi Parisiensis episcopi, Sententiarum Magistri, et Gratiani, ut vocant, canonistarum principis, utriusque Itali. Gratianus enim Etruscus, ex oppido Clusio, Petrus Lombardus Insuber fuit, patria Novariensis; Gallus vero Petrus Comestor : qui tamen ubi Galliarum natus fuerit, incertum manet. Scribunt enim aliqui fuisse illum Parisiensem, qui auctoritate Ægidii in *Carolino* se tuentur, ubi sic habet.

Illum etiam e medio raptum proponere possem,
Cujus nunc titulos successor honore secundo
Pictaviensis habet, etc.

Ubi loquitur Ægidius de Petro Pictaviensi, qui successit Hilduino, Comestoris successori, in cancellariatu Parisiensi et theologica cathedra, quem *Comestorem* inter Parisienses accenset. Contra Henricus Gandavensis Trecensem vocat : *Petrus*, inquit, *dictus Manducator, Trecis oriundus, studens utilitati in theologia studentium, omnes historias Veteris et Novi Testamenti breviavit in unam* Historiam *quam vocant* Scholasticam. Nec tantum id nominis ei datum est propterea quod decanus esset Trecensis, sed quod etiam ex urbe ipsa oriundus erat. Ut-ut sit, vir fuit in rebus præsertim theologicis magni nominis, eumque inter præcipuos commendavit Petrus cardinalis S. Chrysogoni Alexandro III his verbis : *Litteraturam et honestatem magistri Petri Manducatoris, decani Trecensis, vos non credimus ignorare.* Similiter Vincentius Bellovacensis ad annum 1151 tanquam illustres commemorat *magistros Petrum Lombardum et Comestorem :* deque ultimo sic præsertim ille : *Circa idem tempus æstimo floruisse M. Petrum Comestorem, qui Scholasticam Historiam composuit, scilicet historiam sacræ Scripturæ breviter et utiliter persequens, et difficultates in plerisque locis prudenter exponens. Insuper et quædam incidentia ex Historia Josephi Judæi, et quorumdam gentilium locis congruis inserens. Nonnulla etiam alia opuscula edidit, et hos sequentes versus in laudem B. Virginis eleganter composuit.*

Si fieri posset quod arenæ pulvis et undæ,
Undarum guttæ, ros, gemmæ, lilia, flammæ,
Æthera, cælicolæ, nix, grando, sexus uterque,
Ventorum pennæ, volucrum, pecudum genus omne,
Silvarum rami, frondes, avium quoque plumæ,
Ros, gramen, stellæ, pisces, angues et aristæ,
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones
Lingua cuncta forent, minime depromere possent
Quæ sit vel quanta Virgo Regina Maria;
Quæ tua sit pietas nec littera, nec dabit ætas.

Hæc Vincentius, quæ præclara duxit, de Comestore, qui cancellarius fuit Parisiensis Academiæ, ab anno 1164 usque ad suam mortem. Scripsit *Libros* IV *Historiæ Ecclesiasticæ. Opus seu summam sermonum de solemnitatibus festorum per anni circulum.* Obtulit *Historiam Scholasticam* liberalissimo omnium litteratorum Mœcenati, Guillelmo *ad Albas Manus* dicto, Senonensi archiepiscopo, qui postea cardinalis Remensisque archiepiscopus fuit. De ejus Operibus sic Otho de Sancto Blasio, Scriptor synchronus : *Librum* Scholasticæ Historiæ *utilissimum confecit, a principio Geneseos incipiens, Pentateuchum, librum Josue, Judicumque et Ruth continuavit, libroque Regum Paralipomenon includens, cum ultimis Isaiæ Tobiam complectitur. Transmigrationem cum morte Godoliæ et visionibus Danielis descripta, Esdram, Esther, Judith, librumque Machabæorum diligenter persequitur. Exinde Josephum secutus, a Joanne Hircano usque ad regnum Herodis nativitatemque Christi historiam deduxit, Evangelioque complexo, in Actibus apostolorum totum concludit. Obscura quæque dilucidans, ambigua certa faciens, ecclesiasticarum traditionum diversas species inducit. Præter hæc librum sermonum miru subtilitate composuit, in quo præter alia utilia, moralitatem mentibus mortalium miro modo inculcavit.*

De sermonibus ejus amplissime loquitur sæculum IV *Historiæ Universitatis Parisiensis*, pag. 374, quorum multos habuisse vult in publicis Parisiorum scholis, pro more istorum temporum. Qui sermones neutiquam eo ordine quo conscribuntur hodie, sed tumultuario et confuso habentur, prout e suggestu diversis temporibus emanarunt. Addo hujus *Petri sermones numero* CXIV mss. inveniri in folio in bibliotheca Longipontis, ordinis Cisterciensis, in episcopatu Suessionensi. Incipiunt ab his verbis : *Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam*, etc. *Tres legimus cœlestis verbi auditores*, etc. Advertendum autem est sermones quos edidit Joannes Busæus, societatis Jesu, sub nomine Petri Blesensis, et qui habentur in Bibliotheca sanctorum Patrum Coloniensis editionis, sæculo XIII, parte seu tomo II, pag. 837, non esse vere *Petri Blesensis* sed *Petri Comestoris*, ut recte adnotavit Petrus de Gussanvilla, qui ultimo in Galliis Opera Petri Blesensis edidit. Unde etiam istos sermones missos fecit in editione illa Petri Blesensis, illos hoc modo auctori legitimo restituens. Sermones Petri Comestoris in mss. codicibus aliquando plures, aliquando pauciores, nec eodem modo incipiunt, nec ordine eodem procedunt. Habentur nonnulli in ms. codice bibliothecæ S. Germani de Pratis, cod. 381, qui incipiunt : *Erudimini qui judicatis terram. Nolite arbitrari quod alienum a vobis sumpserim exordium, si enim dissimulare non vultis, vos estis qui judicatis terram*, etc., et

Digitized by Google

habentur inter Impressos in bibliotheca sanctorum Patrum editionis Coloniensis, sub falso nomine Petri Blesensis. Alii in bibliotheca Sancti Victoris Canonicorum Regularium divi Augustini, Littera QQ. 19, codice optimæ notæ. Inscribuntur : *Sermones magistri Petri Comestoris*, incipiuntque : *Hodie charissimi, Adventus Domini tempus ingreditur, ex cujus sanctitate temporis*, etc. Item alii ibidem, Littera QQ. 22 : *Sermones magistri Petri Comestoris*. Incipiunt : *Sermo primus in Purificatione beatæ Virginis. Adorna thalamum tuum, Sion*, etc. *Legimus ubi majus donum scientiæ, ibi gravius periculum culpæ*, etc. Nam ut videre est, alio atque alio modo procedunt in diversis mss. codicibus, ut Cantabrigiæ in aula Pembrochiana, codd. 48; n. 1 et 3; 76, num. 1. Ibidem sermones habentur in Segia Galliarum Bibliotheca, cod 4389, 4390, 4391. In Colbertina Parisiensi, codicibus 3690, 4028, atque alibi, ut in bibliotheca Majoris Monasterii Turonensis ter, codicibus D, 2, D. 3, D. 4; in bibliotheca Conchensi, littera M, 1, et in bibliotheca monasterii Aureæ Vallis, ordinis Cisterciensis, in ducatu Luxemburgensi, cod. 69. Habent autem hanc specialem finiendi formulam sermones Petri Comestoris, qua facile ab omnibus aliis distingui possunt, nempe quod semper finiant per hæc vel æquipollentia verba, ex speciali affectatione sui auctoris : *Præstante Jesu Christo Domino nostro, Rege nostro, Judice nostro, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem*; vel alias : *Quod ipse præstare dignetur Jesus Christus, Dominus noster, Rex noster, Judex noster, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem*. Possunt qui voluerint experiri an verum dixerim in sermonibus qui habentur sub nomine *Petri Blesensis* sæculo XII, parte I *Bibliothecæ Veterum Patrum* editionis Coloniensis, anni 1618, et qui vere ad Petrum Comestorem spectant. Nam ex quinquaginta et uno qui illic leguntur, unicus solus hoc Comestoris modo non finitur, atque haud dubium ex errore transcribentis.

De anno autem quo mortuus est Comestor, controvertitur maxime. Vult enim ac scribit Vincentius Bellovacensis, cum aliis, illum obiisse anno 1160, quod falsum omnino est. Narrat autem Robertus Antissiodorensis in Chronico. *anno* 1178 *obiisse magistrum Petrum Comestorem*, reclamantibus tamen nonnullis, qui eum volunt vitam traduxisse usque ad annum 1198. Hæ volunt Regulares Canonici Sancti Victoris ad muros Parisienses, apud quos sepultus est, ex commentariis suis domesticis, sed recentibus et mendosis : quibus accedit et Labbeus Jesuita recens, in Dissertatione historica *De scriptoribus ecclesiasticis*. Verum, ut recte observat Cæsar Egassius Bullæus in historia sæculi quarti *Universitatis Parisiensis*, fol. 443, quis credat Robertum fere viginti annorum numero lapsum? præsertim cum et Petrum Comestorem nosset saltem de fama, si non de facie, et iisdem temporibus floreret. Addas Petrum Comestorem cancellarium Universitatis Parisiensis in cancellariatu mortuum, ergo ante annum 1198. cum anno 1196 Petrus Pictaviensis, ejus post Hilduinum in cancellariatu successor, subscripserit cuidam instrumento, ut habet sæculum IV *Historiæ* dictæ *Universitatis*, pag. 767, in Catalogo illustrium Academicorum. Denique inter Petrum Comestorem *et* Petrum Pictavinum medius Hilduinus collocandus est; ex quo conficitur recte ab Roberto canonico S. Mariani Antissiodorensis, ad annum 1178 referri mortem Petri Comestoris. Sed utcunque sit, de eo sic habet Robertus ad annum præfatum : *Petrus Comestor, famosissimus doctor, obiit, qui testamento sapienter disposito, cuncta quæ habuit, pauperibus et ecclesiis prorsus distribuit.* Hujus sepulcro hoc epitaphium apud Victorinos habetur insculptum.

Petrus eram, quem petra tegit, dictusque Comestor.
Nunc comedor, vivus docui, nec cesso docere,
Mortuus, ut dicat qui me videt incineratum :
Quod sumus iste fuit : erimus quandoque quod
Hic est.

Loquuntur de Petro Comestore plurimi, Henricus Gandavensis in libro suo *De viris illustribus*, et Aubertus Miræus in scholiis suis ad hunc librum, in *Bibliotheca ecclesiastica*; Robertus Bellarminus et Philippus Labbeus, uterque in opere suo *De scriptoribus ecclesiasticis*, quibus hic multa addimus; Antonius Possevinus in *Apparatu sacro* tom II, pag. 247, verbo *Petrus Comestor*, quem anno 1160, floruisse ait, et recte ad nostram chronologiam hoc loco stabilitam, revocantes quæ de eo scripsimus in Supplemento *De scriptoribus ecclesiasticis*, pag. 462 ubi eum ad annum 1190 collocaveramus; Gerardus Joannes Vossius, lib. II *De historicis Latinis*, cap. 53; sæculum IV; *Historiæ Universitatis Parisiensis*, ad annum 1151, pag. 261, et ad annum 1169, pag. 374; denique anno 1178, pag. 445, quo eum mortuum esse censet, sicut et in Catalogo illustrium Academicorum, pag. 764; Guillelmus Cavus in *Historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum*, ad annum 1170, pag. 682, ubi cum errore vulgari illum anno 1198 mortuum putat.

NOTITIA ALTERA.

(Fabric., *Bibliotheca mediæ et infimæ Latinitatis*, t. V, p. 401.)

Petrus, cognomine Comestor, sive Manducator, *Mangeur* Gallis, inde dictus, si Trithemio (1) credimus, quod *Scripturarum auctoritates in suis sermonibus et opusculis crebrius allegando quasi in ventrem memoriæ manducarit*. Trecensis ex presbytero ac decano Ecclesiæ patriæ cancellarius Parisiensis, denique in secessu ad Canonicos S. Victoris Parisiensis, diem obiit an. 1178, XII Kal. Novembr., ubi hoc ei positum Epitaphium, apud Germanum Briemum in descriptione Lutetiæ tomo II, pag. 188, et alios multos relatum :

Petrus eram etc. (Vide supra).

Scripsit *Historiam Scholasticam* ad Guilelmum archiepiscopum ab anno 1169 ad 1175 Senonensem; sive librorum Veteris et Novi Testamenti historicorum breviarum quoddam, scholæ usu probatum, adjectis subinde præter expositionem variis non tantum ex Josepho et probatæ fidei, sed etiam ex apocryphis atque ethnicis scriptoribus. Vide Joannis Rainoldi censuram apocryphorum librorum, tomo I, pag. 477 et 1239 seq. Prodiit Reutlingæ 1473, magni folii forma, et Argent. 1483, 1502,

(1) Cap. 380, *de S. E.* Ridiculum id videtur Labbeo, t. II, p. 199. Sed verissima interdum etiam videmus esse quæ sunt ridicula.

Digitized by Google

Basileæ 1486, fol.; Parisiis 1513, 4°; Haganoæ 1519, fol.; Lugduni 1526, 4°; 1543, 8°. In antiquis editionibus nullum librorum sive XVI, ut Labbeus et Caveus, sive XX, ut Trithemius et Simlerus, vestigium, sed tantum librorum historicorum historiæ distinguuntur, ut historia Genescos per capita 115, historia Exodi per capita 78, etc. Sic in Novo Testamento historia evangelica per capita 198, et historia Actuum apostolorum per capita 127. Novissime hoc opus recusum Venetiis 1728, dicatumque reverendissimis et sanctissimis Patribus concilii, quod tunc celebrabatur Beneventani. Exstat et Gallica versio (2) ante ducentos excusa annos sine temporis nota et loci, cum iconibus ligno descriptis, in-fol., duobus voluminibus, dicata Carolo VIII ab interprete Guiars de Moulins. Vide Richardi Simonis *Historiam criticam Novi Testamenti*, lib. II, pag. 19 et 320, ubi notat eamdem versionem ex recentiore recognitione et interpolatione prodiisse Parisiis an. 1545. *Rhythmis Saxonicis* jussu Henrici landgravii Thuringiæ sæculo XIII expressa usque ad Samuelis tempora : exstat ms. et memoratur in catalogo bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, pag. 163. Memorat et Sanderus in *Bibliotheca Belgica* ms. pag. 285. *Historiam Scholasticam* versibus *Rhythmicis Teutonicis* descriptam per Jacobum van Mierlandt, circa annum 1271. Denique in compendium eam redegit Gualtherus Hunte, Anglus Carmelita. Vide Vossium pag. 434 et 635.

(2) Rich. Simon Tom. II, Hist. Crit. du Nouveau Testament pag. 320. *Il n'y avait rien en ce temps-là de plus grand ni de plus estimé pour l'Écriture sainte que le Pierre Comestor, qui a été traduit dans plusieurs langues de l'Europe. On ne lisait la Bible que de la manière qu'elle était dans ce compilateur, et avec ses gloses. Cet usage a duré longtemps en France.*

A Commentarium *in Epistolas Pauli* ms. in bibliotheca Sorbonica exstare Parisiis testatur Jacobus le Long. in *Bibliotheca exegetica*, pag. 683.

Ex tractatu brevi *De pœnitentia*, ms. in Bibliotheca Angliæ Lambethana, et ex *Sermonum* volumine in eadem Bibliotheca, quod vocat pulcherrimum, loca quædam affert Henricus Warthonus in *Auctario ad Usserii Historiam dogmaticam*, pag. 407 et 353.

De *Sermonibus* Comestoris sive illis qui sub *Petri Blesensis* (2*) leguntur nomine, sive aliis et de CXIV illis qui servantur in bibliotheca Longipontis, ordinis Cisterciensis, in episcopatu Suessionensi, et in bibliothecis aliis Galliæ Angliæque, vide Oudinum tomo II, pag. 1527 seq.; Bulæum *Hist. Academiæ Parisiensis*, tomo IV, pag. 374 seq.; *Nova Litteraria maris Balthici*, A. 1678, pag. 246.

Sermones LXVIII nuper venerunt Hafniæ in *Bibliotheca Rostgaardiana*, pag. 461.

B *Sermonem de immaculata B. Virginis conceptione* editum esse Antwerpiæ 1536, ex ms. codice bibliothecæ Anglicanæ, notat Labbeus tomo II *De S. E.*, pag. 200.

Ut venæ etiam Comestoris specimen a me lectori offeratur, *en Decastichon in laudem B. Mariæ Virginis*, quod servarunt Vincentius Bellov. XXIX, 1, *Speculi hist.*, et Antoninus Florentinus *Summæ hist.* tit. 18, cap. 8, tom. III, pag. 77.

Si fieri posset, etc, vide notitiam priorem col. 1045.

(2*) Bibliot. Patrum Tom. XXIV. edit. Lugdun. pag. 1385.

ERUDITISSIMI VIRI
MAGISTRI
PETRI COMESTORIS
HISTORIA SCHOLASTICA.
OPUS EXIMIUM

Magnam sacræ Scripturæ partem quæ et in serie et in glossis crebro diffusa erat breviter complectens, nunc denuo, mendis plurimis purgato, breviationibus exclusis, accurateque correcta in lucem prodit, reverendissimo P. Mag. Fr. Emmanueli NAVARRO, Benedictino, in Salmanticensi academia doctori theologo, Vespertinæ cathedræ moderatori, S. Vincentii collegii abbati et Catholicæ Majestatis a sacris concionibus dicatum.

(Matriti, ex officina Antonii-Gonçalez de Reyes anno M. DC. XC. IX, in-4°. Cum privilegio.)

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

Reverendissimo P. Mag. Fr. Emmanueli Navarro, Benedictino, in Salmanticensi Academia doctori theologo, Vespertinæ cathedræ moderatori, S. Vincentii collegii abbati, et Catholicæ Majestatis a sacris concionibus, etc.

Historia Scholastica, Rev. admodum Pater, et sapientissime mag., opus a M. Petro Comestore ante

Digitized by Google

quingentos annos concinnatum, qua sapientia, qua eruditione, quo fructu, meum non est judicare, latebat, ut ita dicam, nedum imperitis, sed plurimis studiosis, qui impressionis tædio breviationumque nausea afficiebantur. Novis, igitur, typis jam lucem aspicit, nominique tuo dicata refulget. Accipe gratum munus, animi et gratitudinis signum, opusque tam eximium totis viribus amplexare? eget enim non tantum præcone, sed patrono, et tali qualem te, qui morum probitate, doctrinæ sapientiæque laude extolleris : « *Quis uno te reverentior hujus operis, quis benignior æstimator* (3) ? » *Qua ratione ductus tibi potissimum illud dicare consilii fuit. Sed parco tuis laudibus, aut, verius dicam, succumbo, præcipue cum acceperim,* « *non minus interdum oratorium esse tacere, quam dicere* (3'), » *et sciam quod virtus,*

Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animosa suis (4).

Vive diu felix ad Hispaniæ nostræ laudem, Benedictinæ familiæ ornamentum, Academiæ Salmanticensis decorem, devotorum tuorum refugium; et post Nestorios annos in æternum perennare.

Ita vovet ex animo tuus,
Franciscus SACEDON.

(3) Plin., lib. VI, ep. 17.
(3') Idem lib. VII, ep. 6.
(4) Claudian, *Panegyr. Theodor.*

Censura, ex commissione supremi Castellæ senatus lata a R. P. Mag. Fratre Joanne de Arguelles, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, diffinitoris generalis, et procuratoris generalis provinciæ Peruntinæ, in Limina academia magisterii laurea insignito, et in sacro nuntiaturæ Matritensis tribunali theologo examinatore, electi episcopi Panamensis.

—

Ex mandato regii ac supremi Castellæ senatus, sedulo evolvi eruditionis ac elegantiæ eximiæ Petri Comestoris volumen, cui non alia sane quam auctoris celebratissimum nomen, ubique terrarum diffusum, desideratur approbatio; equidem, quem faustum accessum inter juris cultores invenit Gratianus, ac inter theologos Petrus Lombardus, hunc inter historiographos luculenter sibi vindicat utriusque frater sanguine, ingenio, vivacitate conjunctissimus Petrus Comestor; quilibet in sua classe antesignamus, quorum alterutrum scientiarum omnium professoris magistrum venerantur.

Tergemina hæc Jovis proles in vaticinio Cumenæ Sibyllæ adumbrata :

Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

Vel melius ac clarius in triplici gratia ortum ab Eurinome ducente, quæ late per omnes terræ meatus diffunditur ad promovendum in omni genere quidquid ubique laudabile ac egregium emicat, sic cecinit Hesiodus.

A *Tres ipsi Eurynome Charites parit, Ore decoras, Nata ex Oceano.*

Non absimili, quidquid in litterario stadio, venustatis, claritatis, ac veritatis elucet, uberrime ex largitate numinis alterutro reperitur; et ut ad rem propriam individualiter accedam, auctor est ab omnibus summa veneratione receptus; quippe ex ejus ore sermo prorumpit torrente vehementior, flumine gravior, Oceano profundior, aqua clarior, subtiliter humilia, temperate mediocria, magnifice ac explendide summa, admirationis metas transcendens, diserte atque copiose pertractat : unde merito ab omnibus extollitur, et usque ad summum auctoritatis culmen evehitur; ac propterea dignus existimatur ut prelo denuo mandetur ad reipublicæ litterariæ ornamentum atque incrementum. Ita censeo, salvo meliori dictamine. In hoc conventu regali Sancti Philippi, die 2 Maii, anno Domini 1698.

Mag. Fr. Joannes de ARGUELLES.

DE AUCTORE, OPERE ET IMPRESSIONE, AD LECTOREM PRÆFATIO.

—

Petrus Comestor, natione Gallus, presbyter fuit Ecclesiæ Trecensis, dictus Comestor, seu Manducator, quia eruditionem universam vorasse visus est, vel quia Scripturarum auctoritates in suis sermonibus et opusculis crebrius allegando, quasi in ventrem memoriæ manducarit (5) præsertim in *Historia Scholastica*, unde per excellentiam Magister historiæ scholasticæ appellatus est.

Fratres habuisse Gratianum, Decreti compilatorem, et Petrum Lombardum, Magistrum Sententiarum, apud vulgus invaluit; sed opinio hæc non placet Genebrardo, Bellarmino, neque Stephano Menochio, patriis ipsorum repugnantibus; Comestor enim Gallus ex Trecis, Gratianus Etruscus ex Clusio, et Lombardus Longobardus ex Novaria (6).

Historia Scholastica a mundi exordio usque ad obitum SS. Petri et Pauli, librosque historicos utriusque Testamenti breviter, singulari arte et mira eruditione complectitur, adjectis variis lectionibus, interpretationibus dictisque Patrum, intermistis plurimis historiis sæcularibus, multis traditionibus diversisque opinionibus.

Eminent. Bellarminus addit non raro admiscere incertas historias; sed legenti patebit in traditionibus parumque firmatis narrationibus nihil ab ipso probari, imo potius plurima improbari, adjectis fere in omnibus illis verbis, *tradunt, narrant Hebræi, alii dicunt* rejiciendo fidem in ipsarum auctoribus.

Additiones per historiam sparsas Petri Comestoris non esse, vel non omnes, ex ipsis constat, has ad calcem capitulorum rejecimus ne morarentur lectorem.

(5) Tritem. *De scriptoribus ecclesiast.*
(6) Gen. *Chronolog.* lib. IV, anno 1163 : Bellar. *De scriptur. ecclesiastic.* in Petro Lombardo ; Menoch. *nelle stuore*, cent. 12, cap. 3, *De scriptor.* in Comestore.

Digitized by Google

Verba S. Scripturæ diverso charactere notare omisimus, quia cum auctoris scopus historia sit, nunc contrahit illa, nunc extendit, ita ut nostræ Vulgatæ verbis per omnia regulariter non adaptantur.

Quot quantaque correximus, antiquam cum præsenti impressione conferenti manifesta erunt, sed adhuc manent corrigenda, non inficiamur, typothetarum incuria pro excusatione sit; deinde, labor humanus facile labitur, et solum Dei perfecta sunt opera.

Breviationem hujus operis, sub titulo : *Abbreviationes Petri Comestoris*, unico libro compressisse dicitur Gualtherus Huntus, Anglus, ordinis Carmelitarum, doctor Oxoniensis, qui clarebat anno 1478.

Obiit Petrus Comestor Parisiis anno 1178, vel circiter, sub ipso enim a Monacho Sancti Mariani in suo Autissiodorensi Chronico ejus transitus notatur his verbis (7) : *Petrus Comestor famosissimus doctor obiit, qui testamento sapienti disposito, cuncta quæ habuit, pauperibus et ecclesiis prorsus distribuit.*

Sepultus fuit in ecclesia S. Dionysii in ipsa civitate Parisiensi, cum epitaphio, sibi ante obitus diem ab ipso inscripto, quod subjicimus.

Petrus eram, etc. Exstat supra col. 1048.

Horum, benigne lector, te monuisse supervacaneum non judicavimus. Vale, et fruere,

(7) Possevin. in *Bibliotheca*, et Sausaius *De mysticis Galliæ Scriptur.*, pag. 714.

HISTORIA SCHOLASTICA

ERUDITISSIMI VIRI

MAGISTRI PETRI COMESTORIS.

PROLOGUS EPISTOLARIS.

Reverendo Patri, ac domino suo GULIELMO, Dei gratia, Senonensi archiepiscopo, PETRUS servus Christi presbyter Trecensis, vitam bonam et exitum beatum.

Causa suscepti laboris fuit instans petitio sociorum. Qui cum historiam sacræ Scripturæ in serie, et glossis diffusam lectitarent, brevem nimis et inexpositam, opus aggredi me compulerunt : ad quod pro veritate historiæ consequenda recurrerent. In quo sic animus stylo imperavit, ut a dictis Patrum non recederem, licet novitas favorabilis sit, et mulcens aures. Porro a cosmographia Moysi inchoans, rivulum historicum deduxi, usque ad ascensionem Salvatoris, pelagus mysteriorum peritioribus relinquens, in quibus et vetera prosequi et nova cudere licet. De historiis quoque ethnicorum, quædam incidentia pro ratione temporum inserui, instar rivuli, qui secus alveum diverticula quæ invenerit replens præterfluere tamen non cessat. Verumtamen quia stylo rudi opus est lima, vobis, Pater inclyte, limam reservavi, ut huic operi, Deo volente, et correctio vestra splendorem, et auctoritas præbeat perennitatem. Per omnia benedictus Deus.

INCIPIT HISTORIA SCHOLASTICA THEOLOGIÆ DISCIPLINÆ.

Imperatoriæ majestatis est, in palatio tres habere mansiones : auditorium vel consistorium in quo jura decernit : cœnaculum, in quo cibaria distribuit; thalamum, in quo quiescit. Ad hunc modum Imperator noster, qui imperat ventis et mari, mundum hunc habet pro auditorio : ubi ad nutum ejus omnia disponuntur. Unde illud Isaiæ : *Cœlum et terram ego impleo* (*Isa.* XXV). Secundum hanc dicitur Dominus. Unde : *Domini est terra, et plenitudo ejus* (*Psal.* XXII). Animam justi habet pro thalamo, quia *deliciæ* sunt ei ibi quiescere, et *esse cum filiis hominum* (*Prov.* VIII) : secundum hanc dicitur sponsus, et anima cujusque sponsa (*Ose.* II) : Sacram Scripturam habet pro cœnaculo, in qua sic suos inebriat, ut sobrios reddat. Unde : *Ambulavimus in domo Dei cum consensu* (*Psal.* LIV), in sacra Scriptura id ipsum sapientes. Secundum hanc dicitur paterfamilias : Cœnaculi hujus tres sunt partes, fundamentum, paries, tectum. Historia fundamentum est, cujus tres sunt species : annalis, kalendaria, ephimera *. Allegoria paries superinnitens, quæ per factum aliud factum figurat. Tropologia, doma culmini superpositum, quæ per id quod factum est quid a nobis sit faciendum insinuat **. Prima planior, secunda acutior, tertia suavior : sumitur allegoria quandoque a persona, ut Isaac significat Christum ; etiam David quandoque hoc modo significat Christum. Quandoque a re quæ non est persona, ut vervex occisus humanitatem passam significat, et lapis duritiem cordis : persona enim est individua rationalis naturæ substantia;

Digitized by Google

quandoque a numero, ut *apprehendent septem mulieres virum, unum*, etc. (*Isa.* IV), id est septem dona gratiarum Spiritus sancti. Quandoque a loco, ut per montem in quo docebat Christus eminentia virtutum (*Matth.* V); quandoque a tempore, ut *non sit fuga vestra hieme vel Sabbato* (*Matth.* XXIV), id est in refrigeratione charitatis; quandoque a facto, ut interfectio Goliæ a David (*I Reg.* XVII), id est interfectio diaboli a Christo. Tropologia est sermo conversivus, pertinens ad mores animi; et magis movet quam allegoria, quæ pertinet ad Ecclesiam militantem, anagoge ad triumphantem et ad Domini trinitatem.

* *Additio* 1. Ephimera est febris, quæ durat tantum per diem, a verme dicta, qui eodem die moritur quo nascitur; historia annalis, est factum quod per annum factum est; kalendaria, historia quæ in uno mense facta est, id est factum aliquod insigne, quod in uno mense factum est. Ephimera est quod repente factum est, id est in uno die, vel in parte mensis : hac similitudine ephimera est piscis, qui moritur eodem die quo nascitur.

** *Additio* 2. A fundamento sumemus principium loquendi, imo ab ipsius fundamenti principio, eo juvante qui omnium princeps est et principium.

HISTORIA LIBRI GENESIS

CAP. I. *De creatione empyrei et quatuor elementorum.* *In principio erat Verbum, et Verbum erat* principium, in quo, et per quod Pater creavit mundum (*Joan.* I). Mundus quatuor modis dicitur : quandoque empyreum cœlum mundus dicitur propter sui munditiam; quandoque sensibilis mundus, qui a Græcis *pan*, a Latinis *omne* dictus est quia, philosophus empyreum non cognovit; quandoque sola regio sublunaris, quia hæc sola animantia nobis nota habet de qua : *Princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII); quandoque homo mundus dicitur, quia in se totius mundi imaginem repræsentat. Unde a Domino homo omnis creatura dictus est, et Græcus hominem microcosmum, id est *minorem mundum* vocat. Empyreum autem et sensibilem mundum, et sublunarem regionem creavit Deus, id est de nihilo fecit; hominem vero creavit, id est plasmavit. De creatione ergo illorum trium inquit legislator : *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I), id est continens et contentum, id est cœlum empyreum et angelicam naturam. Terram vero materiam omnium corporum, id est quatuor elementa, id est mundum sensibilem ex his constantem. Quidam cœlum superiores partes mundi sensibilis intelligunt; terram inferiores et palpabiles. Ubi nos habemus *Deus*, Hebræus habet *eloim*, quod tam singulare quam plurale est, id est *Deus*, vel *dii* quia tres personæ unus Deus creator est. Cum vero dixit Moyses, *creavit* trium errores elidit, Platonis, Aristotelis et Epicuri. Plato dixit tria fuisse ab æterno, scilicet Deum ideas (8), ile (9), et in principio temporis, de ile mundum factum fuisse. Aristoteles duo, mundum et opificem, qui de duobus principiis, scilicet materia et forma, operatus est sine principio, et operatur sine fine. Epicurus duo, inane et atomos : et in principio natura quosdam atomos solidavit in terram, alios in aquam, alios in aera, alios in ignem. Moyses vero solum Deum æternum prophetavit, et sine præjacenti materia mundum creatum. Creatus autem est in principio, id est in Filio, et iterandum est in principio sic : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, in principio scilicet temporis. Coæva enim sunt mundus et tempus. Sicut autem solus Deus æternus, sic mundus sempiternus, id est semper æternus, temporaliter æternus angeli quoque sempiterni. Vel *in principio* omnium creaturarum, *creavit cœlum et terram*, id est has creaturas primordiales fecit, et simul. Sed quod simul factum est, simul dici non potuit. Licet enim hic prius nominetur cœlum, quam terra, tamen scriptum est. In *initio*, tu *Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli* (*Psal.* CI), hanc creationem mundi prælibata, sub operibus sex dierum explicat Scriptura, insinuans tria, creationem, dispositionem et ornatum. In primo die creationem, et quamdam dispositionem; in secundo et tertio, dispositionem; in reliquis tribus ornatum.

CAP. II. *De primaria mundi confusione.* *Terra autem erat inanis et vacua* (*Gen.* I), id est machina mundialis adhuc erat inutilis, et infructuosa, et vacua ornatu suo. *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Eamdem machinam quam terram dixerat, abyssum vocat pro sui confusione et obscuritate. Unde et Græcus eam chaos dixit. Quia vero dictum est, *tenebræ erant*, quidam dogmatizaverunt tenebras fuisse æternas, quæ jam, scilicet cum mundus fieret, erant. Alii irridentes Deum veteris testamenti, dicunt eum prius creasse tenebras quam lucem. Sed tenebræ nihil aliud sunt quam lucis absentia. Obscuritas autem quædam aeris a Deo creata est, et dicta tenebræ. Unde et in catalogo creaturarum dictum est : *Benedicite, lux et tenebræ, Domino* (*Daniel.* III).— Et *Spiritus Domini*,

(8) Ideæ : Græce exemplar, seu *formæ*.

(9) Ile est prima materia, et interpretatur *silva*.

Digitized by Google

id est Spiritus Sanctus Dominus, vel Domini voluntas, *ferebatur super aquas*, sicut voluntas artificis habentis præ oculis omnem materiam domus faciendæ, super illam fertur, dum quid de quo facturus est disponit. Prædictam machinam aquas vocat, quasi ductilem materiam ad operandum ex ea. Ideo vero sic variantur ejus nomina, ne si unius elementi nomine tantum censeretur, illi magis putaretur accommoda. Hebræus habet pro super ferebatur, *incubabat*, vel Syra lingua, *fovebat*, sicut avis ova. In quo etiam omne cum regimine nascentis mundi notatur initium. Hunc locum male intellexit Plato, dictum hoc putans de anima mundi. Sed dictum est de Spiritu sancto creante, de quo legitur : *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur* (*Psal.* CIII).

CAP. III. *De opere primæ diei.*

Dixitque Deus : Fiat lux. Et facta est lux (*Gen.* I), id est verbum genuit in quo erat, ut fieret lux, id est tam facile, ut si quis diceret verbo *. Lucem vocat quamdam nubem lucidam, illuminantem superiores mundi partes, claritate tamen tenui, ut fieri solet diluculo ! et hoc admodum solis circumagitata. Præsentia sui superius hemisphærium, et inferius vicissim illuminat **. Per fiat præsentia, vel præscientia lucis in Deo intelligitur priusquam fieret : perfecta est essentia ejusdem in actu, scilicet cum prodiit adesse. *Et vidit Deus lucem, quod esset bona*, id est quæ placuerat in præsentia, vel præscientia, ut fieret ; placuit in essentia, ut maneret. Vel tropice, *vidit*, id est videre fecit. *Et divisit lucem*, ac tenebras ; hic incipit dispositio. Et tamen aliquid dicit de creatione, quasi cum luce tenebras creavit, id est umbram ex objectione corporum luci ; et creatas divisit locorum distantia, et qualitate, ut scilicet nunquam simul, sed semper e regione diversa hemisphæria vicissim sibi vindicarent. Intelligitur etiam hic angelorum facta divisio : stantes lux, cadentes tenebræ dicti sunt. *Et appellavit lucem diem* a *dia* Græco, quod est *claritas* sicut lux dicitur, quia luit, id est purgat tenebras. Tenebras dixit noctem a nocendo, quia nocet oculis ne videant : sicut tenebræ, quia tenent oculos ne videant sicut tamen dies exortum est a *dia* Græco, ita nox a *nyctim*. *Et factum est vespere, et* post factum est *mane*. Et sic completus est dies unus naturalis. Primo enim cum cœlo et terra lux est creata : qua paulatim occidente, *factum est vespere* primæ diei usualis, *et* eadem migrante sub terras et ad ortum veniente, factum est *mane*, id est terminata est nox, et inchoavit dies secunda. Itaque præcedente luce diei, et sequente nocte terminata, exstitit dies unus. Lux ipsa divisas partes ostendebat, sed non dividebat.

* *Additio* 1. Sicut Verbum est Filius, ita dicere est gignere, et gigni.

** *Additio*. 2. Sicut quam cito oculos aperio, statim acies mea solem jacit in Orientem ; quod non faceret nisi multa aeris spatia quæ sunt inter me et solem, transvolaret ; quam momentaneam transvolationem, si velim explicare ; sæpe addam *prius* et *post*. Sic prius transit acies mea aerem vicinum ; post aerem qui est super Alpes, post aerem qui est super alias terras usque ad oceanum, post aerem qui est super oceanum et tandem tangit solem.

CAP. IV. *De opere secundæ diei.*

Secunda die disposuit Deus superiora mundi sensibilis. Empyreum enim cœlum, quam cito factum est, statim dispositum est et ornatum, id est sanctis angelis repletum. *Fecit* ergo ea die *Deus firmamentum in medio aquarum* (*Gen.* I), id est quamdam extériorem mundi superficiem ex aquis congelatis, ad instar crystalli consolidatam, et perlucidam, intra se cætera sensibilia continentem ad imaginem testæ, quæ *in ovo est*, et in eo fixa sunt sidera. Et dicitur firmamentum, non tantum propter sui soliditatem, sed quia terminus est aquarum, quæ super ipsum sunt, firmus et intransgressibilis. Dicitur etiam cœlum, quia celat, id est tegit omnia invisibilia. Et cum legitur firmamentum cœli, endiadis est, id est firmamentum quod est cœlum, ut cum dicitur creatura salis. Unde et pro sui concamerationem græce dicitur *uranon*, id est *palatium*. Vel dicitur cœlum quasi *casa elios*, quia sol sub ipso positus ipsum illustrat, hanc tamen circumvolutam concamerationem philosophus summitatem ignis intellexit. Cum enim ignis non habet quo ascendat, circumvolvitur, ut in eliband patet ; ita et circa mundi exteriora ignis volvitur ; et hoc est sidereum, vel æthereum cœlum. Est et tertium cœlum infra, quod æreum dicitur, de quo : *Aves cœli comederunt illud* (*Mach.* XII). Quidam quantum suspicantur esse cœlum super empyreum, quia Lucifer cum esset in empyreo legitur dixisse : *Ascendam in cœlum*, etc. (*Isai.*, XVI). Et in eo modo dicunt esse Christum hominem super angelos, qui sunt in empyreo. Sane firmamentum *dividit aquas, quæ sub* ipso *sunt*, ab aquis quæ super ipsum sunt, de quibus dicitur in Psalmis : *Qui tegis aquis superiora ejus* (*Psal.* CIII) ; et sunt sicut et ipsum congelatæ, ut crystallus, ne igni solvi possint, vel in modum nebulæ esse vaporabiles. Cur vero ibi sint Deus novit, nisi quod quidam autumant inde rorem descendere in æstate. Quod autem dictum est, *fiat firmamentum* ; et post, *Deus fecit firmamentum, et* tertio *factum est* firmamentum, non superfluit, quia sicut in domo facienda ; primo domus fit in scientia artificis, fit etiam materialiter cum leviguntur ligna et lapides ; fit etiam essentialiter cum levigata in structuram domus disponuntur, ita cum dicitur : *fiat*, ad præsentiam, vel præscientiam Dei refertur ; *fecit*, ad opus in materia ; *factum est*, ad opus in essentia. Illud primo die, istud secundo factum est ; et cum hujus diei opus bonum fuerit, ut cæterorum, tamen non legitur de eo, *vidit Deus quod esset bonum*. Tradunt enim Hebræi, quia hac die angelus factus est diabolus Satanael *, id est Lucifer, quibus Hebræis consentire videntur qui in secunda feria

Digitized by Google

missam de Angelis cantare consueverunt, quasi in laudem stantium angelorum. Sed tradunt sancti, quia in signum factum est hoc, quia binarius infamis numerus est in theologia, quia primus ab unitate recedit. Deus autem unitas est, et sectionem, et discordiam detestatur (*Prov.* VI). Possumus tamen dicere quia opus tertiæ diei quasi adhuc est de opere secundæ diei; quod post patebit. Unde non commendatur, nisi in tertia die, quasi post sui consummationem.

* *Additio* 1. Dicitur Satanael, qui et Lucifer. Quod in Vita beati Clementis invenitur, et forte cum sit aliis angelorum nominibus, id est Raphael, simile. Sic dictus est ante lapsum, vel forte post lapsum, Satan quasi *adversarius*, El, id est *Deo*.

CAP. V. *De opere tertiæ diei.*

Tertia die aquas sub firmamento congregavit Deus *in unum locum* (*Gen.* I). Quæ licet plura obtineant loca, tamen, quia omnes continentur in visceribus terræ in unum locum congregatæ dictæ sunt. Et potuit esse, ut aquæ quæ totum aeris spatium occupabant vaporabiles, solidatæ modicum obtineant locum, vel terra paululum subsedit, ut eas tanquam in matrice concluderet, et sic apparuit arida, quæ quasi latens sub aquis, proprie humus dicta est, sed cum apparuit arida eadem dicitur terra, quia teritur pedibus animantium. Vel circumpositis tribus elementis dicitur solum, quia solida. Dicitur tellus, quia tolerat labores hominum : *Congregationes aquarum vocavit maria*, Hebræorum idiomate, qui quaslibet aquarum congregationes vocant maria. Completo ergo aquarum opere subditur : *Et vidit Deus quod esset bonum ;* et addidit aliud opus illi, cum dixit : *Germinet terra.* Nec de opere germinandi tantum intelligendum est, sed de potentia, quasi potens sit germinare. Produxit enim *de terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum secundum genera sua.* Patet quia non per moras temporum, ut modo, produxit plantas suas terra, sed statim in maturitate viridi, in qua, et herbæ seminibus, et arbores pomis onustæ sunt. Notandum quod dictum est, *virentem.* Quidam dicunt mundum in vere factum, quia viror illius temporis est, et fructificatio. Alii quia legunt *lignum faciens fructum*, et additum, *herbam habentem semen*, factum dictum in Augusto sub leone. Sed in Martio factum dogmatizat Ecclesia. Nota cum primo ait, *facientem semen*, et addit, *habens unumquodque sementem*, quia sementis proprie dicitur, dum adhuc est in sementino * : semen vero cum seminatur ; seminium vero, vel sementum cum seminatum est. Distingultur tamen aliter sementis frugum et arborum, semen animalium; seminium cujusque rei exordium. Nec nos moveat, quia in dispositione elementorum videtur aer non dispositus, quia non est nominatus, sed dispositus est, cum liber *aer* ab aquis notam nobis formam accepit.

* *Additio* 1. Id est in herba ipsum semen profe-

rente, quia sementinum dicitur, quasi semen tenens sementis, quasi semen tentum, vel detentum.

CAP. VI. *De opere quartæ diei.*

Quarto die quæ disposuerat, cœpit ornare rebus illis quæ infra universum mundum congruis motibus agerentur. Plantæ enim, quia terræ hærent, ad dispositionem terræ quasi magis spectant, et sicut dispositionem sic et ornatum a superioribus inchoavit. Fecit enim eadem die luminaria, solem, et lunam et stellas. Et dicitur sol, quia solus lucet, id est nullum cum eo; luna luminum una, id est prima, ut una dierum : vel una Sabbatorum dicitur (*Luc.* V et XXIV). Sol et luna dicuntur *magna luminaria* in duobus, et ex duobus, id est non solum pro quantitate luminis, sed et corporis, et non tantum comparatione stellarum, sed et secundum se, quia sol dicitur octies major terra *, et luna etiam major terra dicitur. Lunam et stellas voluit illuminare noctem, ne nox sine lumine nimis esset indecora, ut operantes in nocte, ut nautæ, et viatores solatium luminis haberent. Sunt etiam quædam aviculæ, quæ lucem solis ferre non possunt, et fere nocte pascuntur **. Nec superfluit sol, licet nubes lucida vicem ejus ageret (*Matth.* XVII), quia illa tenuem et insufficientem lucem habebat, et forte non nisi superiora illuminabat, sicut nec stella modo. De illa autem nube lucida, supradicta, traditur modo, quod vel redierit in materiam, unde facta fuerat, ut stella quæ apparuit magis (*Matth.* II), et columba in qua visus est Spiritus sanctus (*Matth.* III) : vel quod semper solem comitatur; vel quod de ea factum est corpus solare. Nec tantum ad decorem, et ad usum luminis ea voluit esse, sed etiam, *ut essent in signa, et tempora, et dies, et annos*, ut scilicet signa sint serenitatis et tempestatis. Vel ut ex ipsis fierent signa duodecim majora, et quædam signa minora plura his quæ dicuntur signa, vel sidera : tum quia magna diligentia signavit, vel consideravit ea antiquitas; tum quia adhuc signant et considerant ea homines ad designationem temporum. Nec dicendum est, ut genitaliaci, sive geneathlici somniant, quod posita sint in signa eventuum et operum nostrorum, aut quod status vitæ nostræ signent, et moderentur, quod docent quibusdam experimentis, quæ apotelesmata vocant. Non enim credendum est hoc de cœlo nisi his qui alieni sunt a Patre, qui est in cœlis. Quod autem sequitur, in tempora, non est putandum quod tunc per ea inciperent esse tempora, quæ cœperunt esse cum mundo, sed quia per ea quatuor sunt temporum distinctiones. Sol quoque descendens ad Capricornum, solstitium hiemale facit, ascendens ad Cancrum æstivale. Inter utrumque, pari ab utroque distantia, æquinoctia facit. Vel est ibi endiadis, scilicet *in signa et tempora*, id est signa temporum. *In dies* dicitur pluraliter, quia dies multipliciter dicitur, de die scilicet naturali, scilicet spatio viginti quatuor horarum et de die usuali. Ponitur etiam dies pro tempore non determinato,

Digitized by Google

et ignoto nobis, ut ibi : *In illa die stillabunt montes dulcedinem* (*Amos*, IX). In annos etiam pluraliter dictum est, quia etiam annus multipliciter dicitur. Nec hoc dico, quia apud diversas nationes sunt utique diversæ annorum distinctiones majorum et minorum, et planetæ annos suos habent. Sed secundum etiam Ecclesiæ usum dicimus hoc. Est enim annus lunaris habens trecentos quinquaginta quatuor dies; est solaris constans ex diebus trecentis sexaginta quinque, et quadrante, id est sex horis. Est et bissextilis constans ex trecentis sexaginta sex ; est embolismalis, qui constat ex trecentis octoginta diebus, et excedit, habens tredecim lunationes. Dicitur etiam annus ab ana, quod est *circum*, quia in se revolvitur. Unde, et antiquiores, ante usum litterarum, annum figurabant sub specie serpentis, cujus cauda in os ejus revolvelatur. Facta ergo luminaria *posuit Deus*, ut luceant *in firmamento cœli*, et illuminent terram, sed non semper, *et* dividant *lucem ac tenebras*. Quod autem luna in plenilunio facta sit ex alia perpenditur translatione, quæ habet : *Et luminare minus in inchoatione noctis*. In principio enim noctis non oritur luna nisi panselenos, id est *rotunda*. Et dicitur a pan Græce, id est *totum* latine, et selenos, id est *luna*, vel mene, id est *luna*, quod nos plenilunium appellamus. Inde perpenditur, quod sol factus est mane in oriente, et facto vespere luna facta est in initio noctis, similiter in oriente. Volunt tamen quidam quod mane simul facti sint, sol in oriente, luna in occidente, et sole occidente, luna sub terra rediit ad orientem in inchoatione noctis.

* *Additio* 1. Quod inde perpenditur, quia æque magna videtur, ab omnibus ubique terrarum, quod fieri vix posset, nisi major esset terra.

** *Additio* 2. Maxime hæ aves in desertis Æthiopiæ arenosis, ubi modicus impulsus venti inventa itinerantium vestigia complanat.

CAP. VII. *De opere quinto die.*

Quinta die Deus ornavit aerem et aquam, volatilia data aeri, natalitia aquis : et utraque ex aquis orta sunt (*Gen.* I). Facilis enim transitus est aquæ in aera tenuando, et aeris in aquam spissando. Pisces vocavit Moyses reptilia, quia impetu quodam totos se rapiunt, ut serpentes : non feruntur pedibus, ut feræ. Nota quia ex hoc quod dictum est, creavit *volatile* cœli *super terram*, erravit Plato, qui descendens in Ægyptum libros Moysi legit, et putavit Moysen sensisse volatilia esse ornatum aeris tantum circa terram, ornatum vero aeris superioris calodæmones, et cacodæmones * : sed non ita est. Boni enim dæmones, ut dictum est, sunt in empyreo ; mali vero in hunc aerem caliginosum detrusi sunt ad pœnam, non ad ejus ornatum. *Deus* enim *peccantibus angelis non pepercit* (*II Petr.* II). — *Creavit Deus*, id est plasmavit *cete grandia*. Cete generis neutri est indeclinabile (declinatur tamen *cetus, ceti*). *Et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ.* Motabiles autem dicuntur animæ piscium et avium, respectu animæ hominis. Illæ enim moventur de esse ad non esse ; ista non, quia perpetua est, vel quia forsan animas non habent : sed tamen spiritus vegetativos, quia cum ipsis animabus exstinguitur ** : ipsum animal vocavit animam, id est vivens. Unde, et Græci dividunt animalia, per zoa, et psycheia zoa, id est *viventia bruta*, sed psycheia *animata*, a psyche, quod est *anima rationalis*. Sed etiam dicitur creatum motabile, quod creatum est sic, ut moveretur de vita ad mortem : quod non homo qui creatus est, ut non moreretur, si vellet. Illa vero creata sunt, vel ut in esum cedant aliis, vel senio deficiant. His *benedixit* Deus : *Crescite, et multiplicamini.*

* *Additio* 1. Cum magis vere dæmones dicantur boni angeli quam mali, in suggillationem tamen promissionis eorum, scilicet : *Eritis sicut dii* (*Gen.* III), datum est eis hoc nomen.

** *Additio* 2. Augustinus videtur velle quod pisces animas habeant. Dicit enim eos habere memoriam. Ait enim fontem esse in Bullensi regione plenum piscibus, qui cum hominibus super gradientibus, gregatim natando, eunt et redeunt, et stant cum stantibus, exspectantes ut aliquid eis jaciant, quia sic assueverunt.

CAP. VIII. *De opere sextæ diei.*

Sexta die ornavit Deus terram : produxit enim terra tria genera animalium, *jumenta, reptilia, bestias* (*Gen.* I). Sciens enim Deus hominem per peccatum casurum in pœnam laboris, ad remedium laboris dedit ei jumenta, quasi adjuvamenta, ad opus, vel ad esum. Reptilia vero et bestiæ sunt ei in exercitium. Reptilium vero sunt tria genera. Trahentia ut vermes, qui se ore trahunt ; serpentia, ut colubri, qui vi costarum se rapiunt, repentia pedibus, scilicet ut lacertæ et batracæ. Dicuntur autem bestiæ quasi vastiæ a vastando, id est lædendo et sæviendo. Quæritur de quibusdam minutis animantibus, quæ vel ex cadaveribus, vel humoribus, nasci solent, si tunc orta fuerint. Quorum sex sunt genera : Quædam enim ex exhalationibus habent esse, ut bibiones, vermes qui ante clepsidram nascuntur, bibiones ex vino, papiliones ex aqua : quædam ex corruptione humorum, ut vermes in cisternis ; quædam ex cadaveribus, ut apes ex juvencis : scarabæi, et scabrones, muscæ magnæ quæ sonant ex volatu, nascuncuntur ex equis ; quædam ex corruptione lignorum, ut teredines, quædam ex herbarum corruptione, ut erucæ ex oleribus ; quædam ex corruptione fructuum, ut gurguliones ex fabis. De his dicitur quia quæ sine corruptione nascuntur, ut illa quæ exhalationibus, tunc facta sunt ; quæ vero ex corruptionibus, post peccatum ex rebus corruptis orta sunt. Quæritur quoque de nocivis animantibus si creata sunt nociva, vel primo mitia, post facta sint homini nociva. Dicitur quod ante peccatum hominis fuerunt mitia, sed post peccatum facta sunt nociva

Digitized by Google

homini tribus de causis; propter hominis punitionem, correptionem, instructionem; punitur enim homo cum lædituri his, vel cum timet lædi, quia timor maxima pœna est. Corrigitur his, cum scit ista sibi accidisse pro peccato suo; instruitur admirando opera Dei, magis admirans opera formicarum, quam onera camelorum: vel cum videt hæc minima sibi posse nocere, recordatur fragilitatis suæ, et humiliatur. Sed diceret quis quod quædam animalia lædunt alia, quæ nec inde puniuntur, vel corriguntur, vel instruuntur. Sed ex his et in his instruitur homo per exemplum. Etiam ad hoc creata sunt, ut aliis sint in esum. Sed si iterum dicitur quod etiam in mortuos homines sæviunt: sed et in his instruitur homo, ne aliquod genus mortis horrescat, quia per quoscunque transeat meatus, nec capillus de capite ejus peribit (*Luc.* XXII). Ad hunc modum solet quæri de herbis et arboribus infructuosis, si etiam in illis diebus orta sint, cum Scriptura non memoret nisi herbas seminales, et arbores fructiferas, quæ modo sunt. Potest dici quia quæ modo infructuosa sunt, ante peccatum fecerunt fructum aliquem, post peccatum potius nascuntur homini ad laborem quam ad utilitatem. Vel homini propter, et post peccatum orta sunt, quia post dictum est homini: *Spinas, et tribulos germinabit tibi* (*Gen.* III). Vel quæcunque terris hærent faciunt fructum, id est utilitatem manifestam, vel occultam. Quia vero piscibus, et avibus dictum est: *Crescite, et multiplicamini*, etiam de his intelligendum est, licet non sit dictum. Hæc est enim communis causa creationis eorum.

CAP. IX. *De creatione hominis.*

Deinde subditur de creatione hominis sic: *Faciamus hominem*, etc. (*Gen.* I). Et loquitur Pater ad Filium, et Spiritum sanctum. Vel est quasi communis vox trium personarum, *Faciamus*, et *nostram*: factus est autem homo ad imaginem Dei, quantum ad animam *. Sed imago Dei est anima in essentia, et ratione ejus, quia spiritus factus est et rationalis ut Deus. Similitudo in virtutibus, quia bona, justa, sapiens. *Cum imagine pertransit homo* (*Psal.* XXXVIII), quia illam habet etiam homo peccans, similitudine vero sæpe privatur. *Masculum* vero *et feminam creavit eos.* Hoc quantum ad corpus, tamen dicitur creasse propter animam **. Eos autem dicit pluraliter, ne androgeos, id est *hermaphroditos* factos putaremus. Tamen secundum corpus factus est homo quodammodo ad imaginem Dei cum

Os homini sublime dedit, etc.

(OVID. *Met.* l. I, 85).

ut Deum, et cœlestia videat, et imitetur. Unde cum quæsitum esset a quodam philosopho ad quid factus fuisset, respondit, ut contemplet cœlum et cœli numina. Dedit autem homini Deus potestatem, ut præesset aliis animantibus. In tribus ergo notatur hominis dignitas. Primo quia non solum factus est in genere suo ut prædicta, sed etiam quia imago Dei est; secundo quia cum deliberatione factus est. In aliis siquidem operibus, *dixit et facta sunt* (*Psal.* XXXII), in hoc tanquam inter se deliberantes personæ dicerunt, *faciamus*; tertio, quia scilicet homo dominus statutus est animalium, ut essent ei quæ futurum mortalem Deus sciebat, in alimentum, in indumentum, et laboris adjumentum. Ante peccatum enim herbas tantum et fructum arborum dedit Deus in escam hominibus et animalibus. Quod inde colligitur, quia ante peccatum nihil noxium, aut sterile terra produxit. Et nota quia in maximis, ut in leonibus, perdidit homo dominium, ut sciat se amisisse, et in minimis, ut in muscis etiam perdidit, ut sciat vilitatem suam; in mediis habet dominium, ad solatium, et ut sciat se etiam in aliis habuisse. *Et benedixit eis Deus* sic.

* *Additio* 1. Id est, quoad essentiam et rationem, ad imaginem; quoad virtutes, ad similitudinem Dei factus est.

** *Additio* 2. Ne putaret quis quod fecisset hominem tantum spiritum, et ita sine corpore. Andros interpretatur *vir*, geos *mulier*, vel *gama*, unde bigamus.

CAP. X. *De institutione conjugii.*

Crescite et multiplicamini (*Gen.* I). Quod quia sine conjunctione eorum fieri non potuit, patet quia Deus conjugium viri et mulieris instituit, in quo confutantur quidam hæretici dicentes concubitum sine peccato fieri non posse. Si quæritur quare ante peccatum datæ sint homini escæ, cum esset immortalis, dicemus quia illa immo: talitas, in qua creatus est, cibis erat sustentanda, nec erat talis, qualis illa quæ futura est, quæ cibis non indigebit. Illa enim erat posse non mori, hæc erit non posse mori. *Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona* quæ singula per se bona. Sed in universitate erant omnia valde bona, sicut oculus in animali est pulchrior quam separatus, vel omnia erant valde bona, id est universitas bonorum erat optima, quia licet quædam in ea sunt, per se modo versa in contumeliam, tamen aliis sunt in utilitatem: ipse vero summum bonum. De homine vero, ut de cæteris dixerat, non dixit: *Et vidit Deus quod esset bonum*, quia in proximo sciebat lapsurum, vel quia nondum homo perfectus erat donec ex eo fieret mulier. Unde et post legitur: *Non est bonum hominem esse solum* (*Gen.* II).

CAP. XI. *De quiete Sabbati, et sanctificatione.*

Igitur perfecti sunt cœli et terra (*Gen.* II). Conclusio est hic operum. Quia creati, dispositi, ornati, *igitur perfecti.* Et quia in senario facti, qui primus perfectus numerantibus occurrit, quia ex partibus suis aggregatis reddit eamdem summam, quod in monadibus numeris non invenies, nisi in isto. Monadis numerus appellatur ab uno, usque ad decem. Sed nec in decadibus, nisi in vicesimo octavo. *Complevit Deus die septimo opus suum quod fecerat.* Alia translatio habet *sexto*, et tunc nulla est objectio. Sed Hebraica veritas habet *septimo*, et

Digitized by Google

ideo quæritur: Si complere est finale quidpiam operis facere, quomodo verum est quod sequitur: *Requievit Deus die septimo*, etc. Verum est quod diem septimum fecit, et ipsum etiam benedixit, et post requievit. Vel *complevit*, id est completum ostendit, cum nihil novum in eo fecerit, *et* tunc *requievit* ab operum generibus novis. Nihil enim post fecit cujus tunc non fecisset materiam, ut corporum; vel similitudinem, ut animarum. Non enim quasi fessus dicitur quievisse, sed quia cessavit. Sicut in Isaia dicitur quod seraphim requiem non habebant dicentia: *Sanctus, sanctus, sanctus* (*Isa.* VI), id est non cessabant. Vel *requievit ab opere*, vel in operibus, id est non eget operibus suis, et est dictum quasi negative, vel *requievit ab opere in* semet ipso, id est a mutabilitate operum ejus immutabilis apparuit.

Nam stabilis manens dat cuncta moveri.

(BOET. *De cons. philos.*)

Quod autem dicitur, *ab omni opere, quod patrarat*, innuit esse opus quod nondum fecerat, a quo nondum quiescit. Tria enim opera fecerat, creavit, disposuit, et ornavit. Quartum opus propagationis non desinit operari. Quintum faciet, *et præcinget se, et transiens ministrabit* (*Luc.* XII), ubi præcipue erit requies. *Et benedixit diei septimo*, id est sanctificavit eum, id est sanctum et celebrem eum esse voluit. Semper enim ab aliquibus nationibus ante legem etiam dicitur Sabbatum fuisse observatum. Hujus observantiam in lege etiam dixit sanctificationem, ibi: *Memento ut diem Sabbati sanctifices* (*Exod.* XX).

Additio 1. Partes illas numeri dicimus quarum quælibet assignari potest quota sit in eo. Licet enim senarius ex uno, et quinque constet, et ex duo, et quatuor, quota tamen sit ejus pars, quarta, aut quinta dici non potest.

Epilogus.

Istæ sunt generationes cœli, et terræ (*Gen.* II). Quidam hic determinant opera sex dierum; quidam ibi: *Cognovit Adam uxorem suam* (*Gen.* IV); alii ibi, *Hic est liber generationis Adæ* (*Gen.* V). Prætermisso autem quod dubium est, litteræ instamus. Quia de creatione maris, et feminæ simul dixerat, quæ tamen simul facta non fuit, ut explicet quod sub brevitate concluserat, repetit de aliquibus. *Generationes*, hoc nomen potest accipi active, id est operationes Dei, vel passive, id est generata. Nec est prætereundum quod ait, *fecit omne virgultum antequam oriretur in terra, et herbam priusquam germinaret*, cum superius dixit *virgultum* quam cito factum statim adultum et habens fructum, et herbam ortam et ferentem semen. Ad quod dicitur duos fuisse modos operationis divinæ, ut dictum est, materialem scilicet et essentialem. Fecit ergo ea materialiter, priusquam orirentur, et germinarent essentialiter. Vel aliter, quod innuit sequens littera cum dicitur: *Non enim pluerat Dominus super terram*. Fecit equidem tunc illa perfecta, et essentialiter priusquam orirentur, et germinarent, ut modo faciunt cum paulatim beneficio roris infusi, et labore hominum adhibito, ad ortum et maturitatem perveniunt. Tunc enim fons irrigabat terram, ut Nilus Ægyptum (*Deut.* XI; *Isai.* XXIII), vicissim per partes diversas, sicut dicitur Jordanis ante subversionem irrigasse totam Pentapolim vicissim, scilicet sicut de quibusdam fontibus dicit Augustinus, quia mira vicissitudine totam quamdam irrigant regionem, ne si simul totam terram tunc fonte irrigatam dixerimus, diluvium fuisse dicamus. Vel quia legitur ibi fons, et non unus, multitudinem innuit, ut ibi: *Venit locusta* (*Exod.* X).

CAP. XII. *De creatione animæ protoplasti.*

Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ (*Gen.* II). Hic primo vocat Deum Dominum, quia tunc primo habuit proprie servum, scilicet laborantem (*Sap.* X). Post recapitulationem, de utriusque hominis formatione diffusius agit, et prius de viro. Et quia duæ sunt hominis partes, de utraque agit. Ad carnem enim spectat quod dicitur, *formavit hominem de limo terræ*. Ad animam cum dicitur, *inspiravit*, etc. quasi dicat: Corpus fecit de terra, animam de nihilo. Alia translatio habet, *insufflavit*, vel *sufflavit*, quod non incongruum est de Deo, ut quidam putaverunt, cum fauces et spiritum non habeat. Deus enim inspiravit, id est spiritum fecit. Similiter insufflavit, id est statim scilicet animam fecit. Unde in Isaia: *Omnem flatum ego feci* (*Isai.* LVII). Quod autem dicitur, in faciem, per synecdochen, a parte totum intelligitur. Totum enim hominem animavit. Sed faciem, tanquam partem digniorem, quia sensuum capacem, solam nominavit. Eamdem autem animam etiam *spiraculum vitæ* vocat, quia per eam homo spirat et vivit. Et post dicit, *animam viventem* in se, id est in perpetuitate vitæ viventem, non motabilem, ut animam pecudis. Hunc locum non sane intellexit Plato, dicens Deum animas creasse, sed angelos corpus formasse, ibi: « Dii deorum, quorum opifex paterque ego, » etc. Quod autem quidam asserunt animam de essentia divina factam stare non potest, quia tunc nullo modo peccare posset. Alii distinguunt inter spiraculum vitæ, et animam, dicentes spiraculum vitæ spiritum, sed quem etiam homini tunc datum asserunt ad prophetandum, quando dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*. Alii etiam aliter distinguunt. spiraculum vocantes quemdam spiritum corporeum in corpore animalis, qui et quinque sensus operatur in eo, qui etiam paulatim exstinguitur in eo, et dum moritur animal in aliqua parte corporis, adhuc sentitur spiritus ille, cum in alia exstinctus sit. Factus est autem homo in virili ætate, mortalis et immortalis, id est potens mori, et potens non mori, et anima corpori prius formato infusa. Sed quæritur utrum in ipso corpore dum infunderetur, creata, vel extra creata sit, et sit ei datum naturaliter velle incorporari. Quidquid circa illam actum sit, de post creatis dicitur, quod in ipsis corporibus dum infunduntur, creantur.

Digitized by Google

CAP. XIII. *De paradiso et ligno ejus.*

Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio. Quasi quæreret aliquis : Remansit homo in loco ubi factus est, in agro scilicet Damasceno? non. Ubi ergo translatus est? in paradisum quem Deus die tertia plantaverat, id est plantis aptaverat, herbis scilicet et arboribus insitum, a principio creationis, scilicet cum apparuit arida, et germinare terram fecit : vel *a principio*, id est a prima orbis parte. Unde alia translatio habet, *paradisum in Eden ad orientem.* Eden Hebraice, Latine *deliciæ* interpretatur. Ergo idem est *paradisum voluptatis* quod *paradisum in Eden*, id est in deliciis. Sed *a principio*, idem est quod ad orientem. Est autem locus amœnissimus longo terræ, et maris tractu a nostra habitabili zona secretus, adeo elevatus ut usque ad lunarem globum attingat. Unde, et aquæ diluvii illuc non pervenerunt. Est etiam paradisus cœlum empyreum, et dicitur spiritualis, quia regio est spirituum. Dicitur etiam spiritualiter paradisus vita beata, vel Ecclesia. *Produxitque Deus* in paradiso *de humo* diversa ligna quibus delectaretur homo videndo, et sustentaretur edendo. *Produxit* quidem, id est procul in altum duxit; vel *produxit*, id est pro homine duxit. *In medio* quorum tanquam digniora *posuit lignum vitæ, et lignum scientiæ boni et mali.* Dictum est autem *lignum vitæ* ab effectu, quem habuit naturaliter, ut comestum sæpius perpetua soliditate hominem firmaret, ita ut nulla infirmitate, vel senio, vel anxietate, in deterius, vel in occasum laberetur. *Lignum* vero *scientiæ boni et mali* dictum est ex eo quod secutum est ejus comestionem. Prius enim nesciebat homo quid esset malum, quia nondum expertus. Bonum enim dicimus sanitatem et firmitatem; malum vero ægritudinem et imbecillitatem, quæ nondum senserat homo. Cognoverat quidem ea per scientiam, quia ex uno contrariorum cognoscitur reliquum, sed non per experientiam, ut medicus dum sanus est novit morbos, sed cum ægrotat magis cognoscit, quia novit, et sentit, sicut de puero delicate nutrito dicitur, quia nescit quid sit malum, imo nondum novit quantum sit bonum, vel malum : vel malum dicitur inobedientia, bonum obedientia, quia post comestionem novit quantum bonum erat obedientiæ, et quantum malum inobedientiæ. Plato non putans hoc posse convenire arboribus, quod sit *lignum vitæ*, et *lignum scientiæ boni et mali*, ideo utrumque hoc de homine dictum existimavit, quia vivit et est sciens bonum et malum, et dixit ipsum vocatum *lignum*, id est corporeum, ad differentiam spirituum, id est angelorum, qui et vivunt, et sciunt bonum et malum. *In medio* vero positum tradidit, quia homo est quasi medius inter Creatorem super se positum, et sensibilia sub se posita. Discretam vero illius hominis fuisse creationem a creationibus hominum reliquorum dixit per illa duo addita, *vitæ*, et *scientiæ boni et mali*. Sicut enim in Samia figura, id est Pythagorica, quæ de Samo insula fuit, hæc enim figura a Pythagora inventa est, prius est truncus integer, et post in summo bivium, sic homo modo in primis ætatibus quasi tantum vivit, non utens viribus ad intelligentiam datis. Sed cum venerit ad annos discretionis, tunc discernit inter bonum et malum, et tunc sunt primum opera ejus bona, vel mala. Sed non ita factum est in Adam, imo cum vita data est ei scientia boni et mali, quasi diceret : Factus est homo corporeus, subditus Deo, præpositus animantibus, et simul vixit, et scivit bonum et malum.

CAP. XIV. *De fonte paradisi, et quatuor fluminibus ejus.*

Et fons, vel *fluvius egrediebatur ad irrigandum paradisum*, id est ligna paradisi (*Gen.* II). Fons potest intelligi, vel abyssus, id est matrix omnium aquarum, vel fontes per syllepsim, singulare pro plurali. Irrigare autem positum est pro ministrare humorem. Dicitur enim terra circumjacens humectari a fluminibus per tracones, id est per vias subterraneas, vel per meatus quatuordecim stadiis, aut sexdecim. Qui fons dividitur in quatuor flumina. Unus dictus est Phison, qui a Gangaro rege Indiæ dictus est Ganges, et interpretatur Phison secundum Isidorum *caterva*, quia decem flumina recipit, vel *immutatio oris*, quia mutatur a facie, quam habet in paradiso. Mutatur etiam secundum diversa loca tribus modis. In colore, quia alibi clarus, alibi obscurus, alibi turbidus; in quantitate, quia alibi parvulus, alibi diffusus; in sensu, quia alibi frigidus, alibi calidus : hic *circumit terram Hevilath*, id est Indiam, et trahit aureas arenas. Alius dictus est Gehon, vel Gihon, vel Igion, qui et Nilus, et sonat *hiatus terræ*, vel *terreus*, quia turbidus est : hic *circumit Æthiopiam.* Alii duo primis nominibus vocantur Tigris, et Euphrates. Tigris animal est velocissimum, et ideo fluvius ille a sui velocitate Tigridi equivocatus est. Hic *vadit contra Assyrios.* Dicit Josephus quod Tigris dicitur Diglat, quod sonat *acutum*, vel *angustum.* Euphrates *frugifer*, vel *fructuosus* de quo per quas transiret regiones, quasi notum, tacuit Moyses, quia est in Chaldæa, unde venerat Abraham. Hæc quatuor, ut diximus flumina ab eodem fonte manant, et separantur, et iterum quædam eorum inter se commiscentur, et iterum separantur, sæpe etiam absorbentur a terra, et locis iterum in pluribus emergunt. Inde est quod de ortu eorum varia leguntur. Dicitur etiam Ganges nasci in locis Caucasi montis, Nilus non procul ab Atlante, Tigris et Euphrates ex Armenia.

CAP. XV. *De præcepto, et prohibitione edulii.*

Tulit ergo Deus hominem de loco formationis suæ in paradisum, scilicet terrestrem, *ut operaretur* ibi (*Gen.* II). Non tamen laborando ex necessitate, sed delectando, et recreando, et sic Deus *custodiret illum*, scilicet hominem. Vel utrumque refertur ad hominem, ut scilicet homo *custodiret* paradisum et

Digitized by Google

operaretur, ut dictum est. Quidam codices non habent, *illum*, sed *illud*, et tunc est sensus, et *custodiret*, id est consideraret opus suum homo, ut quod faceret in terra, per agriculturam, observaret in se per disciplinam, ut sicut terra sibi, hic ipse obtemperaret suo Creatori. *Præcepitque ei dicens*, etc. Ut homo sciret se esse sub Domino, præceptum accepit a Domino. Omnis autem jussio est in duobus, in præceptione et prohibitione, et ideo utroque usus est Dominus. Præcepit, ex *omni ligno paradisi comede*. Prohibuit : *de ligno scientiæ boni et mali ne comedas*. Et datum est viro mandatum, ut per virum etiam transiret ad mulierem : vel forte est præoccupatio, quia, facta muliere, utrique simul datum est. Subdit autem pœnam, si contemneret. *Quacunque die comederis, morte morieris*, scilicet animæ, et necessitatem mortis habebis. Unde alia translatio habet planius * : *Mortalis eris*. Septuaginta pluraliter ponunt. *Quacunque die comederitis, morte moriemini*. Ideo creditur a quibusdam utrique dictum, et hic præoccupatum. Facta est autem hæc jussio per aliquam creaturam subjectam, sicut et nobis per prophetas et angelos.

* *Additio* 1. De diversis translationibus semel dicimus : Ante incarnationem Domini, anno trecentesimo quadragesimo primo, temporibus Ptolemæi Philadelphi LXX interpretes floruerunt. Post ascensionem Domini, anno centesimo vicesimo quarto, Aquila Judæus factus Christianus, primus interpres ex Hebræo in Græcum, floruit Adriano regnante; deinde post annos quinquaginta quatuor, Commodo regnante Theodosion; deinde post annos triginta, sub Severo Symmachus; deinde post annos octo, quinta editio Jerosolymis est inventa, quæ quia auctor ejus ignoratur, Vulgata dicitur. Origenis quoque editio dicitur Vulgaris, quia ea quasi vulgo utimur. Deinde post annos viginta octo, sub Alexandro, Origenes correxit LXX, cum asterisco, et obelo : postea sine his transtulit. Hi omnes de Hebræo in Græcum transtulerunt : quidam de Græco in Latinum. Plures in primitiva Ecclesia, scioli utriusque linguæ, de Græco in Latinum transferebant sermonem. Hieronymus ultimo de Hebræo in Latinum, cujus editio nunc ubique servatur a nobis. Periarchon, *principatus* : Periarchon est liber in quo Origenes dicit Christum adhuc in aere pro dæmonibus pati, sicut in terra pro hominibus passus est, hac auctoritate : *Nihil odisti eorum, quæ fecisti* (*Sap.* XI).

CAP. XVI. *De impositione nominum animantium principaliter, et mulieris formatione.*

Dixit quoque Deus : Non est bonum hominem solum esse; faciamus ei adjutorium, ad procreandos liberos, quod sit *simile* illi. Similia enim de similibus naturaliter nascuntur. Sed ne videretur Adæ superflua mulieris formatio, putanti sibi in animantibus esse simile, ideo *adduxit Deus ad Adam omnia terræ animantia* et aeris. In quibus intelligenda sunt, et aquæ animantia. A parte totum accipe. Vel universa sunt terræ, quia etiam quæ de aquis condita sunt aliquid habent terræ in se : vel potius pisces post ab hominibus sunt cogniti, et inde nominati. Quod patet, quia æquivocantur animalibus terræ, quia similes his deprehensi sunt. Fecit autem ut omnia simul eo nutu venirent, quo omnia creavit : vel forte factum est per angelos. Adduxit autem pro duobus, ut imponeret homo eis nomina, in quo scirent eum sibi præesse, et sciret Adam nullum ex eis simile sibi. Et imposuit eis nomina Adam lingua Hebræa, quæ sola fuit ab initio. Quod inde perpenditur, quia nomina quæ leguntur usque ad divisionem linguarum Hebræa sunt. Et non invento simili sibi, *immisit Deus soporem in Adam*, non somnum, sed exstasim in qua creditur supernæ interfuisse curiæ. Unde et evigilans prophetavit de conjunctione Christi et Ecclesiæ, et de diluvio futuro, et de judicio per ignem ibidem cognovit, et liberis suis postea indicavit.

CAP. XVII. *De somno Adæ, et formatione mulieris de costa ejus.*

Cumque obdormisset, tulit Dominus unam de costis ejus, carnem scilicet et os, et ædificavit ministerio angelorum illam in mulierem, de carne carnem, de osse ossa faciens, et statuit eam ante Adam. Qui ait : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea;* hoc adverbium, *nunc*, Judæos traxit in errorem, ut dicant aliam prius factam, de qua dictum est, *masculum et feminam creavit eos* (*Gen.* I); et nunc secundam, quasi dicat Adam : Prior mulier facta est de limo terræ mecum, sed hæc nunc de carne mea. Et Josephus dicit mulierem extra formatam, et in paradisum cum viro translatam, sic dicens : « In hunc hortum introduxit Deus Adam, et uxorem ejus, præcipiens eos plantationis habere sollicitudinem. » Et ex duabus uxoribus Adæ innumerabiles, sive interminabiles fingunt genealogias, sed ex ipso textu convinci videntur, in quo semper singulariter sermo est de ejus uxore. Nota quod, de formatione mulieris agendo, de corpore tantum dictum est. Unde quidam ideo tacitum esse voluerunt de anima, ut daretur intelligi, sic traductam in animam mulieris de anima viri, sicut carnem de carne. Augustinus etiam hæsitare videtur quid sentiendum sit de anima, an ex traduce sit an ex nihilo. Sed id ipsum quod tacitum est de anima potius contra eos est. Si enim anima mulieris fuit ex traduce, aliter facta est quam anima viri, quæ de nihilo. Et si aliter fiebat taceri non debuit, ne sic facta putaretur, ut jam audieramus de anima viri, itaque tacendo innuit, non aliter putandum factam esse, quam didiceramus prius.

CAP. XVIII. *De nominibus mulieris.*

Et imposuit Adam uxori suæ nomen tanquam dominus ejus, et ait : *Hæc vocabitur virago* (*Gen.* II), id est *a viro acta*, et est sumptum nomen a viri nomine, ut materia de materia sumpta fuerat. Etiam denominatio in Hebræo est. Is enim vir

Digitized by Google

dicitur, unde denominatur ista, ut a vir virago : hoc nomen proprium illius mulieris fuit, nunc omnium est commune. Et ejus syncopatum est virgo. Virgines dicuntur quandiu sunt in integritate nativitatis suæ. Postea vero fractæ dicuntur mulieres. Similiter sicut hoc nomen Adam fuit proprium illi homini, nunc vero est commune, et Adam sonat *rubeus*, vel *rubra terra*, quia, secundum Josephum, de rubea terra conspersa factus est *. Talis est enim virgo tellus, et vera, vel rubea; id est animata, quia sedes animæ est in sanguine, vel rubea secundum quod futura erat, id est sanguinea, id est peccatrix (*Gen.* III). Sanguinis nomine sæpe designatur peccatum, ut ibi : *Vestimentum concretum sanguine* (*Isai.* IX), et : *Sanguis sanguinem tetigit* (*Ose.* IV). Imposuit ei et aliud nomen Eva, scilicet post peccatum, quod sonat *vita*, eo quod futura esset mater omnium viventium. Tamen quia hic non legitur imposuisse, sed infra post maledictionem, forte quasi plangens hominis miseriam, dixit eam Evam, quasi alludens ejulatui parvulorum. Masculus enim recenter natus ejulando dicit, *a*, mulier vero *e*, quasi diceret : Omnes dicent *e*, vel *a* quotquot nascuntur ab Eva.

* *Additio* 1. Terra proprie adhuc virgo erat, quia nondum corrupta hominum opere, nec sanguine infecta.

CAP. XIX. *De prophetia Adæ.*

Imposito nomine statim prophetavit dicens : *Quamobrem*, scilicet quia de latere viri sumpta est, *relinquet* sæpe *homo patrem* et *matrem*, propter uxorem suam, *et adhærebit uxori suæ* (*Gen.* II), tanquam portiunculæ suæ. Vel ob hanc rem demonstrando uxorem, dicit, id est propter hanc mulierem *relinquet homo*, etc. Hoc fit quotidie a viris, quia relinquunt cohabitare corporaliter, vel spiritualiter, quia major est zelus in uxorem, quam amor filiorum in parentes, non dico parentum in filios, humor enim ascendit de trunco ad ramos, sed non redit * : Et ideo non dixit, quia propter hoc relinquent parentes filios. *Et erunt duo in carne una*, id est unientur ambo in uno carnali opere. Vel *erunt duo in carne una*, pueri gignendi. Non enim ex sanguine uno, sed ex sanguinibus concreatur parvuli caro, vel licet sint duo personaliter, erunt tamen in conjugio una caro, in aliis duo, quia neuter habet potestatem suæ carnis.

* *Additio* 1. Maxime intelligendum est hoc, semper *relinquet*, id est non jungetur eis in matrimonio. Hic duo personæ, in lege undecim, in Evangelio plures personæ amoventur a conjugio, hoc est *propter hoc*, scilicet conjugium, *relinquet homo patrem et matrem*.

CAP. XX. *De statu innocentiæ eorum ante peccatum.*

Erat autem uterque nudus, nec erubescebant (*Gen.* II). Nihil putabant velandum, quia nihil senserant refrenandum, sicut non erubescimus, si quis viderit manus, et caput, et pedes nostros. Inordinatus enim motus membrorum ipsa facit pudenda. A Sic et pueri si videantur pudenda eorum non erubescunt, quia beneficio ætatis motum erubescibilem nondum senserunt : qui pudendus est et inordinatus, quia non sine peccato fit, nisi raro spe prolis excusatus ; cum tamen excusari potest a peccato, rubore carere non potest. Unde sanctus Zacharias cum sanctam Elisabeth cognosceret ad gignendum sanctum præcursorem Domini, tamen videri noluit (*Luc.* I). Et quibusdam hic visum est Deum præcepisse utrique de abstinentia pomi, licet præoccupatum sit.

CAP. XXI. *De suggestione serpentis, sive dæmonis.*

Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ (*Gen.* III), et naturaliter, et incidenter. Incidenter, quia plenus erat dæmone. Lucifer enim dejectus a B paradiso spirituum, invidit homini quod esset in paradiso corporum, sciens si faceret eum transgredi, quod et ille ejiceretur. Timens vero deprehendi a viro, mulierem minus providam et certam, in vitium flecti aggressus est. Et hoc per serpentem, quia tunc serpens erectus est ut homo, quia in maledictione prostratus est, et adhuc, ut tradunt, phareas erectus incedit. Elegit etiam quoddam genus serpentis, ut ait Beda, virgineum vultum habens, quia similia similibus applaudunt, et movit ad loquendum linguam ejus, tamen nescientis, sicut, et per fanaticos, et energumenos loquitur, nescientes, et ait : *Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi*, id est, ut comederetis de ligno, sed non de omni. Quærit ut ex C responsione occasionem inveniat dicendi ad quod venerat. Et sic factum est. Cum enim quasi dubitando dixit mulier : *Ne forte moriamur*, quia dubitans ad quamlibet partem de facili flectitur, unde securus de imperatione ait : *Nequaquam moriemini* : imo Deus nolens vos similari ei in scientia, et sciens quod eum comederetis ex ligno hoc *eritis sicut dii, scientes bonum et malum*, quasi invidus prohibuit. Et elata mulier volens similari Deo, acquievit.

CAP. XXII. *De esu pomi, et statu post peccatum.*

Vidit quoque *mulier* prius, *quod lignum esset pulchrum visu* (*Gen.* III), id est mundum, et ex odore, vel tactu notans, quod *ad vescendum* suave, *comedit, deditque viro suo*, forte præmonens verbis persuasibilibus, quæ transit legislator brevitatis causa. D Qui, et ei facile acquievit, quia, cum crederet prius mulierem statim morituram, juxta verbum Domini, et vidisset non fuisse mortuam, dictum hoc a Domino æstimavit quasi tantum ad terrorem, et *comedit*. *Et aperti sunt oculi eorum*, id est visu tale quid perceperunt, quod non ante, disconvenientiam scilicet nuditatis. Vel non de oculis corporis intelligendum est cum dictum sit : *Vidit mulier lignum*, etc. Non enim accesserunt ad lignum, quasi palpones. Sed oculis eorum, dicimus concupiscentiam et cognitionem ejus. Erant enim in eis naturales motus concupiscentiæ, sed repressi, et clausi, ut in pueris usque ad pu-

Digitized by Google

bertatem, et tunc tanquam rivuli aperti sunt, et A
cœperunt moveri, et diffundi, quos cum prius in se
esse non sensissent, tunc experti sunt, et cognove-
runt eos. Et sicut inobedientes fuerunt suo superiori, sic et membra cœperunt moveri contra suum superius, id est rationem. Et primum motum concupiscentiæ contrarium rationi senserunt in genitalibus, et sua contra se moveri videntes, erubuerunt. Unde, et illa pudenda dicta sunt. Cætera quidem membra ad nutum hominis stant, aut moventur, pudenda non. Quia vero hæc est porta propaginis, et inobedientia membrorum, quasi signum inobedientiæ parentum scriptum est in porta. Et cognoverunt *se nudos*, id est disconvenire pudenda, id est erubuerunt videri pudenda. B
Tamen Josephus tradit scientiam cognoscendi se nudos, et intelligendi confusionem suam, habuisse ex esu ligni, quasi hunc effectum naturaliter habentis, dicens : « Ista namque plantatio causa acuminis erat, et intellectus. »

CAP. XXIII. *De maledictionibus serpentis, viri et mulieris.*

Tunc *fecerunt sibi perizomata* (*Gen.* III), id est succinctoria, quasi bracas breves, ut campestria *. Nec sine causa de foliis ficuum, quia de succo eorum si teratur, caro hominis inuncta statim ibi sentit voluptatis pruriginem, ut quasi per hoc ostensum sit quia pruriginem voluptatis jam in carne senserant : quæ prurigo designat pruriginem voluptatis quam ipsi habuerunt. Hinc quidam dicunt C
ficum fuisse arborem prohibitam. Et audierunt *vocem Domini deambulantis*, ut ex ipso suo motu jam videretur eos arguere, quia non steterant in præcepto. Loquebatur autem per subjectam creaturam eis. Et absconderunt *se a facie Dei in medio* lignorum. *Vocavitque Dominus* virum, scilicet, cui dederat præceptum, et increpando, non ignorando, ait : *Adam, ubi es ?* quasi dicat : Vide in qua miseria es. *Qui ait : Abscondi me, quia nudus eram.* Stulta responsio, quasi displiceret nudus, qui talis fuerat factus. Et ait Dominus. *Quis* hoc *indicavit tibi, nisi quod de ligno comedisti ?* Ille vero non humiliter confitens, sed peccatum in uxorem retorquens, imo in ipsum mulieris datorem, ait : D
Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi. Et ad mulierem ait : Quare hoc fecisti ? Nec ipsa se accusavit, sed obliquavit peccatum in serpentem, tacite vero in Auctorem serpentis. Serpens vero non interrogatur, quia per se hoc non fecerat, sed diabolus per eum. Et maledicens eis, incepit a serpente, ordinem servans, et congruum maledictionum numerum. Serpens enim, et prius et plus peccavit, quia in tribus ; mulier post, et minus eo, sed plus viro, quia in duobus ; homo postremo, et minus, quia in uno. Serpens invidit, mentitus est, decepit. His tribus redditæ sunt tres maledictiones. Quia invidit hominis excellentiæ, dictum est ei : *Super pectus tuum gradieris.* Quia mentitus est, punitus est in ore : unde : *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*, imo abstulit ei vocem, et posuit ei venenum in ore. Quia decepit, accepit hoc : *Inimicitias ponam inter te et mulierem.* Hinc innuitur quod Eva pœnituit : *Ipsa conteret caput tuum*, quod naturaliter servat serpens, quasi sedem vitæ. *Et tu insidiaberis calcaneo illius* maxime. Et sicut naturale odium est inter equos et griphes, lupos et canes, sic inter hominem et serpentem. Sicut enim venenum serpentis hominem, sic sputum hominis jejuni perimit serpentem. Et quia adhuc nudi erant, serpens modo hominem timet nudum, et fugit, et in vestitum insilit. In duobus peccavit mulier, superbivit, et vetitum comedit. Quia superbivit, humiliavit eam dicens : *Sub potestate viri eris* violenta, ut etiam vulneribus te affligat in defloratione. Nunc quidem subdita est viro conditione, et timore, cui prius subjecta fuerat, sed amore. Et quia in fructu peccavit, in fructu suo punita est. Unde dictum est ei : *In dolore paries.* Quod dictum est ei *in dolore*, maledictio est, sed *paries*, benedictio est. Maledicta enim est sterilis (*Exod.* XXIII). Et ita in puniendo non est oblitus, misereri Deus, quod etiam in aliis maledictionibus hominum notandum est. Adam, quia in solo esu peccavit, in laborem quærendi sibi edulii punitus est sic : *Maledicta terra in opere tuo*, scilicet pro opere tuo, id est pro peccato, pro quo factum est, ut terra, quæ bonos prius, et uberes fructus sponte faciebat, deinceps raros, nec sine hominis labore ; quandoque etiam pro fructibus spinas, et tribulos germinabit. Et addidit : *Et comedes herbas terræ*, quasi etiam in hoc par eris jumento. Terræ autem maledixit, quia de fructu terræ transgressio facta est, et non aquis. Inde est quod comedit Dominus piscem, sed non legitur comedisse carnem viventium de terra maledicta, nisi forte de agno paschali, pro præcepto legis. Addit ergo de labore : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec in terram revertaris*, id est donec moriaris, *quia terra es, et in terram ibis.* Pulchre dictum est, *ibis*, quia qui in eodem statu stetisses, donec transires in melius, si velles, modo de miseria in miseriam ibis, more fluentis aquæ. Et tunc Adam, plangens miseriam posteritatis suæ, vocavit uxorem suam Evam, ut dictum est.

* *Additio* 1. Id est femoralia de campania, ubi homines cursores sunt, ut expeditius currant.

CAP. XXIV. *De ejectione eorumdem de paradiso, et rhomphæa ignea.*

Fecitque Deus Adæ, et uxori ejus tunicas pelliceas, id est de pellibus mortuorum animalium, ut signum suæ mortalitatis secum ferret (10) ; *et ait : Ecce Adam factus est, quasi unus ex nobis* (*Gen.* III) : ironia est, quasi voluit esse ut Deus, sed in

(10) Fecit secundum quosdam, id est jussit, ut sibi faceret.

Digitized by Google

evidenti est modo, quod non est. Nec est vox Dei insultantis, sed vox a superbia corrigentis, et est vox Trinitatis. Vel est vox Dei ad angelos, et est vox plangentis ; quod patet, quia factus est a me, ut esset quasi unus ex nobis, si stetisset. *Nunc ergo ne forte mittat manum suam, et sumat de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum* *. Aposiopesis est, quasi videte, vel cavete, vel ejicite eum. Dura videtur Dei sententia, quæ prædictis pœnis pœnam ejectionis addidit **. Sed contra. Hanc enim pœnam, quam dederat, misericorditer temperavit, ut verum de eo appareat : *Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis* (*Habac.* III), quia enim victuri erant in miseria, quanto esset vita diuturnior, tanto miserabilior. Si ergo gustassent de ligno vitæ diutius viventes, diutius miseri essent. Nec est mirum, si etiam post peccatum per esum ligni illius diutius vixissent, cum adhuc sint quædam insulæ viventium, in quibus nullus moritur, sic etiam lanugo fit in foliis arborum, apud Seres, cujus esu vita protelatur. Etiam Alexander scripsit Aristoteli de sacerdotibus arborum solis et lunæ, quod esu pomorum longissimam agant vitam. *Et*, sicut dixerat, *emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua assumptus est*, in agrum scilicet Damascenum, de quo sumptus fuerat, in quo Cain Abel suum fratrem interfecit (*Gen.* IV), juxta quem Adam, et Eva sepulti sunt in spelunca duplici. *Et collocavit ante paradisum voluptatis cherubim et flammeum gladium atque versatilem ;* ut angelus arceret diabolum, ignis hominem. Vel ministerio angelorum posuit ignem ibi, qui intercluderet paradisi ingressum, qui nomine gladii, non cujuslibet, sed versatilis, dicitur, id est utrobique secantis, quia pœna fuit homini in utraque parte sui puniri, in anima scilicet et in corpore. Vel dictus est versatilis, id est aptus ad versandum, id est tollendum, cum Deus vellet. Ablatus enim fuit ad tempus, intrantibus Elia, et Enoch, penitus vero non, donec in morte Christi fuit exstinctus. Si quæritur quid consumebat ignis ille, potest dici, quia quædam species est ignis, sicut in Vita beati Nicolai legitur, cui si manum adhibes, ardorem sentis, sed non pateris adustionem ; nec eget materia quam consumat ; et taliter urit spiritum. Iterum, si quæritur quare permisit Deus hominem tentari, cum eum sciret lapsurum, et de multis in hunc modum, dicimus, quantum ad præsens attinet opus, quia sic voluit. Si quæritur, cur voluit, insipida est quæstio quærere causam divinæ voluntatis, cum ipsa sit summa causa omnium causarum.

* *Additio* 1. Quod dictum est *vivat in æternum*, ad opinionem hominis trahendum est, quasi dicat, et comedat hac opinione, ut vivat in æternum, vel *æternum* accipitur pro multo tempore. Quidam tradunt eos fuisse in paradiso septem horas.

** *Additio* 2. Ejectionem primorum parentum repræsentat Ecclesia in Capite jejunii, cum ejicit ex se pœnitentes. Cilicium dat in signum tunicarum pellicearum, cinerem sub his verbis . *Cinis es*, etc. Et in memoriam maledictionis, ejecti ardentes candelas ferunt, quia pro opere, quo porrexerunt manus ad pomum vetitum, apposita est ignea rhomphæa paradiso. Transeunt quoque ad aliam ecclesiam, et clauduntur coram eis fores in signum aditus paradisi quondam occlusi. Non ad mensam, sed super terram comedunt, quia, *maledicta terra in opere tuo*. Nemo dicit eis ave, quia nondum mutatum erat nomen Evæ quod in salutatione beatæ virginis Mariæ factum est.

CAP. XXV. *De generationibus Adæ.*

Adam cognovit uxorem suam (*Gen.* IV), sed non in paradiso, sed jam reus et ejectus. Breviter legislator generationes Adæ transit festinans ad tempora Abrahæ patris Hebræorum, et plures subticet Adæ filios et filias. Sed Methodius martyr oravit, dum esset in carcere, et revelatum est ei a Spiritu de principio, et fine mundi : quod et oravit, et scriptum, licet simpliciter, reliquit, dicens quod virgines egressi sunt de paradiso. Et anno creationis vitæ Adam decimo quinto natus est ei Cain, et soror ejus Chalmana. Et si enim factus est Adam quasi in ætate triginta annorum, tamen fuit unius diei, et anni ; et post, duorum annorum, et trium, et sic de cæteris. Et potuit ante Cain multos genuisse, qui tacentur hic. Post alios quindecim annos natus est ei Abel, et soror ejus Delbora. Anno vitæ Adam centesimo tricesimo Cain occidit Abel, et luxerunt eum Adam, et Eva centum annis. Tunc natus est ei Seth trigesimo anno primæ chiliadis, id est primæ ætatis. Unum sæculum scilicet spatium mille annorum chiliadem dicimus. Inchoat enim Methodius sæcula post ducentos annos Adæ, et vocat sæculum unam chiliadem. Et consonant in hoc Septuaginta, quæ dicunt Adam ducentorum triginta annorum esse cum genuit Seth, sed tamen in Hebræo est centum et triginta. Et omittunt Hebræi centum annos luctus *. Sed tamen redeamus ad brevitatem Genesis. *Concepit Eva, et peperit Cain*, qui interpretatur *possessio ; rursumque peperit Abel*, quod sonat *luctus*, vel mœror, vel *vapor*, quasi cito transiturus, tanquam nomine prophetatum fuerit, quod de ipso futurum erat ; tamen secundum Josephum interpretatur *nihil hic*, quia non reliquit semen super terram. *Abel fuit pastor, et Cain agricola.* Cum enim esset malignissimus, ut etiam avaritiæ consuleret suæ primus terram incoluit.

* *Additio* 1. Locus in quo luxerunt dicitur vallis lacrymarum juxta Hebrom. Chilios *bis mille* interpretatur, et ubi nos sex ætates dicimus Græci dicunt sex chiliades, non quod omnis ætas mille habuerit annos. Quædam enim plures, quædam pauciores habuit.

CAP. XXVI. *De oblationibus fratrum.*

Post multos dies obtulerunt *Domino munera* (*Gen.* IV) : Cain de frugibus, Abel, secundum Josephum, lac et primogenita agnorum. Moyses ait, *de adipibus eorum*, id est de pinguioribus gregis etiam ob-

Digitized by Google

tulit. Creditur Adam in spiritu docuisse filios, ut offerrent decimas Deo et primitias. *Et respexit Deus ad Abel, et ad munera ejus, ad Cain vero, et ad munera ejus non respexit*, quia placuit Deo Abel, et pro ipso placuit oblatio ejus (*Hebr.* II), quod quomodo cognitum fuerit, alia translatio aperit : *Inflammavit Deus super Abel, et super munera ejus.* Ignis enim de cœlo oblationem ejus incendit, ut legitur Eliæ factum in Carmelo (*III Reg.* XVIII), et in Levitico sub Moyse (*Levit.* X ; *II Paral.* VII). Munera vero Cain, ex avaritia hominis nata, Deo non placuerunt. *Iratusque est Cain, et concidit vultus ejus*, præ verecundia, minorem sibi prælatum videns. Increpans ergo Dominus Cain, ait : *Quare iratus es ? Nonne si bene egeris, recipies* præmium, scilicet in me, vel pro *recipies* Theodotion posuit, *acceptabile erit munus tuum. Sin autem male, statim peccatum in foribus aderit*, id est præsto est, et in voluntate per quam ingressus est ad opus. Sed tamen quia liberi es arbitrii, *sub te*, id est in potestate tua, *erit appetitus ejus* peccati, *et dominaberis illius*, si volueris. Alia translatio habet : *Quare concidit vultus tuus ? Nonne si recte offeras, et recte non dividas peccasti ? Quiesce. Ad te conversio ejus, et tu dominaberis illius*, id est in te est, ut a peccato convertaris. Recte obtulerat, quia Deo, quia creaturam Creatori, sed non recte diviserat, quia se ipsum, qui melior erat, oblationem obtulerat diabolo. Vel non recte divisit, quia meliora sibi retinuit, spicas vero attritas, et corrosas secus viam, Domino obtulit.

Cap. XXVII. *De morte Abel.*

Invidens itaque Cain fratri suo dixit ad eum : *Egrediamur foras* in agrum, vel transeamus (*Gen.* IV). Dicit Hieronymus, quia hoc furtive in Samaritanorum * libris, et nostrorum reperitur. Non enim legitur quid dixerit ad eum, sed intelligendum est, quod dixerit ei verba Domini, increpantis scilicet. Et tunc *consurrexit adversus Abel, et interfecit eum*, et dixit Dominus ad eum. *Ubi est Abel frater tuus ?* Non ignorando, sed increpando improperans fratricidium. Qui cum vellet occultare factum, dixit Deus : *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*, id est notorium est quod fecisti, quia effusio sanguinis hoc indicat, nec eget accusatore quod in evidenti est. Inde est quod in Ecclesia quorumdam mos est, etiam si nemo accuset, pro sanguinis effusione suspecti in loco sacro trahuntur in causam, quia sanguis clamat, quod si negaverint, judicio Dei examinentur, et juramento. *Nunc ergo maledictus eris super terram vagus, et profugus.* Merito iste maledicitur, et non Adam, quia sciens iste pœnam primæ prævaricationis, inde fratricidium addidit. Timens ergo Cain, ne vel bestiæ devorarent eum, si egrederetur ab hominibus, vel si maneret cum eis occiderent eum pro peccato suo, damnans se, et desperans, ait : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* **. *Omnis qui invenerit me occidet me.* Ex timore hoc dixit, vel optando dixit, quasi diceret : Utinam occidant me ; *Dixitque ei Deus. Nequaquam ita fiet.* Non cito scilicet morieris, *sed omnis qui occiderit Cain* (supplendum est, *liberabit eum a timore, a dolore, et miseria*). Et tunc additur impersonaliter, *septuplum punietur*, id est punitio fiet de eo dum vivet in pœna, usque ad septimum Lamech : quod consonat translationi Septuaginta : *Omnis qui occiderit Cain septem vindictas exsolvet.* Tradunt quidam pœnam ejus durasse, usque ad septimam ejus generationem, quia septem peccata commisit. Non recte divisit, fratri invidit, dolose egit, vocans in agrum occidit, procaciter negavit, desperavit, pœnitentiam damnatus non egit. Vel *Omnis qui occiderit Cain septuplum punietur*, id est plusquam ipse Cain pro prohibitione homicidii, quæ nondum fuerat facta Cain. *Et posuit Deus signum in Cain*, tremorem capitis, Quia fratrem suum, qui erat caput Ecclesiæ occiderat, ut sic sciretur a Domino punitus excommunicatus, et indignus misericordia, nec interficeretur. *Tunc egressus a facie Domini* ***, *habitavit ad plagam orientalem* Eden, id est deliciarum, non in deliciis, sed versus terram deliciarum. Josephus ait : « Et multam peragrans terram cum uxore sua Chalmana, collocatus est in loco, qui Nayda nuncupatur in quo ei etiam filii nati sunt. » Hieronymus tamen dicit : « Non est terra Nayda, ut vulgus nostrum putat, sed habitavit in terra Nod, id est *instabilis*, et *vagus*, quod sonat nod, et dicitur Cain nod.

* *Additio* 1. Qui receperant Pentateucum ut liberarentur a feris, sed corruperant multis, addendo secundum numerum.

** *Additio* 2. *Major est iniquitas mea, quam* sit id quo veniam merear, quasi dicat major iniquitas mea omni merito.

*** *Additio* 3. Ejectionem Cain repræsentat Ecclesia excommunicando sanguinarios, præcipue cum candelis exstinctis, quia, et ille, et isti, vitam fratrum exstinxerunt.

Cap. XXVIII. *De generationibus Cain.*

Cognovit Cain uxorem suam, quæ peperit ei (*Gen.* IV) *Henoch, et fecit civitatem, et dixit eam Henoch ex nomine filii sui Henoch* *. Hic patet quod jam multi homines erant, etsi non dicatur eorum generatio, quos convocavit Cain ad urbem faciendam, quorum auxilio eam fecit. Et ait Josephus, quia rapinis, et violentia opes congregans, suos ad latrocinia invitabat, et simplicitatem vitæ hominum, adinventionem, et inæqualitatem permutavit, mensurarum, et ponderum, et ad calliditatem, et corruptionem produxit. Terminos terræ primus posuit. Civitates munivit sive muravit, et timens quos lædebat, ob securitatem suos in urbibus collegit. Porro Henoch genuit Irad, qui Maviael, qui Mathusael, qui Lamech, qui septimus ab Adam, et pessimus, qui primus bigamiam introduxit, et sic adulterium contra legem naturæ, et Dei decretum, commisit. In prima enim creatione unica unico facta est mulier, et

Digitized by Google

Deus per os Adæ decreverat : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II). *Accepitque duas uxores Adam et Seltam. Genuitque Ada Jabel*, qui adinvenit portatilia pastorum tentoria ad mutanda pascua, et greges ordinavit, et characteribus distinxit, separavitque secundum genera greges ovium a gregibus hœdorum, et secundum qualitatem, ut unicolores a grege sparsi velleris, et secundum ætatem, ut anniculos a maturioribus, et commissuras certis temporibus faciendas intellexit. *Nomen fratris ejus Tubal, pater canentium in cithara, et organo.* Non instrumentorum quidem, quæ longe post inventa fuerunt, sed inventor fuit musicæ, id est consonantiarum, ut labor pastoralis quasi in delicias verteretur. Et quia audierat Adam prophetasse de duobus judiciis, ne periret ars inventa, scripsit eam in duabus columnis, in qualibet totam, ut dicit Josephus, una marmorea, altera latericia, quarum altera non diluetur diluvio, altera non solveretur incendio. Marmoream dicit Josephus adhuc esset in terra Syriaca. *Sella genuit Tubalcain*, qui ferrariam artem primus invenit, res bellicas prudenter exercuit, sculpturas operum in metallis in libidinem oculorum fabricavit. Quo fabricante Tubal, de quo dictum est, sono metallorum delectatus, ex ponderibus eorum proportiones, et consonantias eorum, quæ ex eis nascuntur excogitavit, quam inventionem Græci Pythagoræ attribuunt fabulose, sicut et ex opere fructicum excogitavit operari, id est sculpere in metallis. Cum enim fructices incendisset in pascuis, venæ metallorum fluxerunt in rivulos, et sublatæ laminæ figuras locorum in quibus jacuerant, referebant. *Soror vero Tubalcain, Noema*, quæ invenit artem variæ texturæ. Lamech autem, secundum Josephum, res divinas sapienter sciens, videns eum communi pœnæ subjacere, sibi vero deberi majorem pœnam, prædixit hoc mulieribus suis sic : *Quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentem in livorem meum, septuplum dabitur ultio de Cain, de Lamech vero septuagies septies.* Lamech vero vir sagittarius diu vivendo caliginem oculorum incurrit, et habens adolescentem ducem ; dum exerceret venationem, pro delectatione tantum, et usu pellium, quia non erat usus carnium ante diluvium, casu interfecit Cain inter fructeta, æstimans feram, quem, quia ad indicium juvenis dirigens sagittam, interfecit. Et cum experiretur quod hominem, scilicet Cain, interfecisset, iratus illic cum arcu ad mortem verberavit eum. Occiderat ergo Cain in vulnere, adolescentem in livore vulneris. Vel utrumque occiderat in vulnus, et livorem suum, id est in damnationem suam. Et ideo cum peccatum Cain punitum esset septuplum, ut diximus, suum punitum est septuagies septies, id est septuaginta animæ, et septem egressæ de Lamech, in diluvio perierunt : vel hoc numero majoritatem pœnæ tantum notat. Hebræus ait : *Mulieres suæ sæpe male tractabant eum.* Unde ipse iratus dicebat eis se pati hoc pro duplici homicidio quod egerat ; tamen terrebat eas, subdendo pœnam, quasi dicat : Cur me vultis interficere? Gravius punietur qui me interficiet, quam qui Cain.

Cap. XXIX. *De Seth, et ejus generatione.*

Cognovit quoque Adam adhuc uxorem suam, quæ peperit filium, et vocavit eum Seth (*Gen.* IV). Dixit Strabus post mortem Abel vovisse Adam, non ultra uxorem suam se cogniturum, sed Deo jubente per angelum fregit votum ut Dei Filius de eo nasceretur *. Tamen Josephus dicit quia, Abel exstincto et Cain effugato, Adam de procreatione filiorum cogitabat, et vehementer eum generationis amor angebat ; hanc cogitationem propagationis potuit vocare Strabus præceptum Domini, quia juserat : *Crescite, et multiplicamini* (*Gen.* I) *Sed et Seth natus est filius quem vocavit Enos*, quod sonat *homo*, vel *vir*, quasi rationalis, et fortis, quia primus *cœpit invocare nomen Domini.* Forte invenit verba deprecatoria ad invocandum Deum. Sed plerique Hebræorum arbitrantur quod imagines ad honorem Dei excogitaverat, et errant. Vel forte ad excitandam pigritiam memoriæ Dei effigiavit Dominum, ut modo fit in Ecclesia.

* *Additio* 1. Legitur Adam triginta habuisse filios, et totidem filias præter Cain et Abel.

Cap. XXX. *Epilogum interserit.*

Hic est liber generationis Adæ (*Gen.* V). Repetit de generatione Adæ, ut integrum ordinem genealogiarum prosequatur. Unde quidam incipiunt ab Adam primam ætatem ; alii a Seth, quibus assentit Methodius, et ideo hoc dicit, quia de Abel nullus natus est, et generatio Cain tota perilt in diluvio. *Vixit Adam centum triginta annis, et genuit Seth ad imaginem, et similitudinem suam*, ipse ad imaginem Dei, reliqui ad imaginem ejus, Adæ ; quod fere idem est. Vel potius mortalis, mortales. Unde : *Qualis terrenus, tales et terreni* (*I Cor.* V). Forte Moyses centum annos luctus Adæ prætermisit, quia ut diximus, Septuaginta et Methodius, et Josephus ducentum triginta annorum eum fuisse scribunt, cum genuit Seth. Iste genuit Enos, qui Cainam, qui Malaheel, qui Jaret, qui Henoch, qui Mathusalem, qui Lamech, qui Noe. Sicut ergo in generatione Cain, septimus, scilicet Lamech, fuit pessimus, ita in generatione Seth, septimus, scilicet Henoch, fuit optimus. Et transtulit illum Deus in paradisum voluptatis ad tempus, ut in fine temporum, cum Elia convertat corda patrum in filios (*Malach.* IV).* Judæi tamen causam hujus translationis attribuunt potius septenario, quam sanctitati ejus, quia plures leguntur sanctiores eo, quorum nullus translatus est. In tantum enim aiunt, Deum omnia sub septenario disposuisse, quod etiam dicunt eum septem cœlos creasse, et cuique nomen suum datum, et septem terras, quas David fundamenta montium vocat (*Psal.* XVII). De annis Mathusalem diversæ sunt opiniones. Secundum computationem LXX, vixit annos quatuordecim post diluvium, sed non legitur fuisse in arca, nec translatus ut Henoch.

Digitized by Google

Quidam dicunt quod mortuus fuerit ante diluvium sex annis. Hieronymus asserit, quod eodem anno, in quo fuit diluvium, mortuus est, quod etiam diligens computatio annorum ejus, secundum Genesim, manifestat. Tamen omnes in numero annorum vitæ ejus conveniunt, quia vixit annis nonagentis sexaginta novem. Porro Noe fuit decimus ab Adam, in quo prima ætas terminata est; ita quod et ipse fuerit in ea. Hujus ætatis annos Septuaginta ponunt duo millia ducenta quadraginta quatuor; alii ducenta sexaginta quatuor. Hieronymus non plene duo millia. Methodius duo millia. Ipse tamen per chiliades sæcula disponit, nec apponit annos si supersint, et ideo nihil certum de numero annorum tradidit.

* *Additio* 1. Henoch quasdam litteras invenit, et quosdam libros scripsit sub quo Adam intelligitur mortuus. B

Cap. XXXI. *De causa diluvii.*

Noe vero cum quingentorum esset annorum, *genuit Sem, Cham et Japhet* (*Gen.* VI). Moyses dicturus de diluvio præmisit causam ejus dicens : *Cum cœpissent homines multiplicari super terram, viderunt filii Dei*, id est Seth, religiosi, *filias hominum*, id est de stirpe Cain, *et* victi concupiscentia, *acceperunt eas uxores*, et nati sunt inde gigantes. Tempus quidem quando factum fuerit hoc utrum sub Noe, vel ante, vel multum, vel parum ante, non determinat. Josephus autem dicit quod usque ad septimam generationem boni permanserunt filii Seth, post ad mala progressi sunt, recedentes a solemnitatibus paternis, et ob hoc contra se Deum irritaverunt. Nam multi angeli Dei, id est filii Seth, id est qui supra *filii Dei*, cum mulieribus coeuntes injuriosos filios genuerunt, qui propter confidentiam fortitudinis gigantes a Græcis dicti sunt, Methodius causam diluvii, hominum scilicet peccata, diffusius exsequitur dicens, quia quingentesimo anno primæ chiliadis, id est post primam chiliadem, filii Cain abutebantur uxoribus fratrum suorum nimiis fornicationibus. Sexcentesimo vero anno mulieres in vesania versæ supergressæ viris abutebantur. Mortuo Adam, Seth separavit cognationem suam a cognatione Cain, quæ redierat ad natale solum. Nam et pater vivens prohibuerat ne commiscerentur, et habitavit Seth in quodam monte proximo paradiso. Cain habitavit in campo, ubi fratrem occiderat. Quingentesimo anno secundæ chiliadis exarserunt homines in alterutrum coeuntes. Septingentesimo anno secundæ chiliadis filii Seth concupierunt filias Cain, et inde orti sunt gigantes. Et incœpta tertia chiliade inundavit diluvium. Sic ordinat Methodius *. Potuit etiam esse, ut incubi dæmones genuissent gigantes, a magnitudine corporum denominatos, sic dicti a geos, quod est *terra*, quia incubi vel dæmones solent in nocte opprimere mulieres; sed etiam immanitati corporum respondebat immanitas animorum. Post diluvium tamen nati sunt alii gigantes in Hebron, et post fuerunt in Tham civitate Ægypti, a qua et Titanes dicti sunt, A de quorum stirpe fuit Enachin, cujus filii habitaverunt in Hebron, de quibus ortus est Golias, et quidam alii. Iratusque Deus peccatis hominum dixit : *Pœnitet me fecisse hominem*, quasi dicat : Faciam quod solet facere homo pœnitens operis sui, delet enim quod fecerat. Et est sensus, *delebo hominem quem feceram. Non enim permanebit spiritus meus*, id est indignatio mea, *in homine* in æternum *quia caro est*, quasi dicat : Non puniam eum æternaliter ut diabolum, quia fragilis est. Sed hic reddam quod meretur. Et tamen prius quam disperdam eum, dabo ei tempus pœnitudinis, si voluerit, eruntque dies illius ad pœnitendum, scilicet centum et viginti annorum. Non enim intelligendum est de spiritu hominis, sed de Dei indignatione. Noc est terminus iste humanæ vitæ post diluvium, cum post diluvium inveniatur homo amplius vixisse, et dixit Dominus hoc ante annos viginti, quam inciperet fieri arca, ut dicit Hieronymus, quæ facta legitur centum annis. Vel secundum Strabum ab eo anno dixit, quo cœpit arca fieri, sed quia in malitia perseveraverunt ante præfixum tempus, scilicet centesimo anno deleti sunt. Tamen Josephus dicit hunc terminum vitæ hominum statutum. Quod autem dicitur *Deus tactus dolore cordis intrinsecus*, forte nihil aliud est, quam quod homines latebat quantitas divinæ offensæ. Vel antropospatos est, scilicet humana propassio, quando attribuitur Deo quod hominis est.

* *Additio* 1. Hanc opinionem alibi damnat Augustinus. C

Cap. XXXII. *De arca Noe, et quomodo Dominus locutus est Noe.*

Noe vero erat perfectus in generationibus suis (*Gen.* VI), quasi non illius perfectionis, quæ est in patria, sed secundum modum generationis suæ, scilicet terrenæ. Et dixit Dominus ad Noe. *Finis universæ carnis venit coram me*, præter eos qui in arca erunt salvandi, *disperdam eos cum terra*, id est cum fertilitate terræ. Tradunt quoque vigorem terræ, et fecunditatem longe inferiorem esse post diluvium, quam ante, unde esus carnium homini concessus est, cum antea fructibus terræ victitaret. Fecit Noe, juxta præceptum Domini, arcam de lignis levigatis, id est politis, vel quadratis *. Alia D littera, vel bituminatis, longitudine trecentorum cubitorum, latitudine quinquaginta, altitudine triginta * *, ad modum scilicet humani corporis, in quo longitudo sexies est major latitudine, et decies major altitudine. Est autem longitudo a planta, usque ad verticem et latitudo a crate lateris ad cratem; altitudo a dorso, usque ad ventrem. Quod tamen multi de corpore Christi, tantum dictum esse volunt, quia sic legitur in Isidoro, qui humani corporis instar ostendit, in quo Christus apparuit. Fuit ergo hæc arca in fundamento quadrata, sed in forma altera parte longiori ab angulis in arctum conscendens, donec in cubito summitas ejus perficeretur. Bitumine intus, et extra linita est, quod

Digitized by Google

est gluten ferventissimum, quo ligna linita non dissolvuntur aliqua vi, vel arte, nec materia, vel maceria bituminata solvi potest, sine menstruo mulieris. In lacubus Judææ supernatans colligitur. In Syria limus est a terra æstuans. Facta sunt in ea cœnacula, et tristega, id est distinctiones dictæ a trita. Dicit alia translatio bicamerata, et tricamerata; habuit enim quinque cameras, quas Augustinus etiam, præter sentinam, dicit ibi fuisse, dicens super tabulatum sentinæ fuisse bicameratam. Una enim camerarum erat stercoraria, altera apothecaria, et super hanc mansionem erat alia tricamerata. Laterales cameræ erant una immitium, altera mitium animalium, media hominum, et avium. Et habuit ostium ubi bicamerata, et tricamerata jungebantur. Alii vero has quinque cameras in altitudine sola disponunt, inferioremque et sentina stercorariam dicentes; secundam supra illam apothecariam, tertiam immitium animaliuni et serpentum, ubi hæ junguntur ostium ponunt; quartam mitium animalium; suprèmam hominum et avium. Josephus tamen dicit arcam quatuor cameras habentem, forte stercorariam, vel sentinam non includens. Fecit in ea Noe fenestram quam Hebræi crystallinam fuisse tradunt, quæ in Hebræo vocatur meridianum, a Symmacho *diluculum*. Dicit Rabanus cubitos arcæ fuisse geometricos, alioquin tanta capere non valeret. Continet enim cubitus geometricus septem nostros, vel novem. Proprie enim cubitus pedem et dimidium habet.

* *Additio* 1. Quasi agricolæ locutus est Dominus, ut faceret scilicet navem, instar arconii, id est ad conum tendentis, vel forte ab arcendo, quia undique clausa.

** *Additio* 2. Quod dicitur arca habuisse triginta cubitos in altum, in corpore ejus intelligendum est, id est a fundo usque ad tabulatum. Impossibile enim esset operturam ejus non plus ascendisse, et tigna triginta cubitorum tantum, operire longitudinem et latitudinem.

CAP. XXXIII. *De ingressu in arcam.*

Perfecta igitur arca, dixit Dominus ad Noe: *Ingredieris arcam tu, et filii tui, uxor tua, et uxores filiorum tuorum* (*Gen.* VI). In his octo reservatum est seminarium generis humani *. Et seorsum viros, seorsum mulieres nominavit Dominus cum de ingressu loqueretur. Ac si diceret. Tempore afflictionis vacandum est ab amplexibus mulierum. *Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in arca*, id est combinata, id est masculum et feminam. De immundis enim animalibus fuerunt ibi tantum duo secundum genus suum, de mundis vero septem. Immunda vero vocat ea Moyses secundum tempus suum, quæ scilicet lex Mosaica vocat immunda. Vel tunc dicta sunt immunda, quæ etiam tunc naturaliter esui hominum non erant apta. Ideo dixi, naturaliter, quia nulla adhuc ad edendum concessa. *Tollesque tecum ex omnibus quæ mundi possunt, ut sint tam tibi quam illis in escam.* Si quæritur, utrum de minutis, vel immundis animantibus, aliqua introducta sunt ad hunc numerum, dicit Augustinus, quod quæ non generantur de coitu, non fuit necesse esse in arca, quæ scilicet de pulvere, ut pulices, vel de humoribus, vel corruptionibus nascuntur. Quod autem ex coitu generativa tantum introducta sint, innuitur cum addit, *secundum genus suum*, vel *in genere suo*. Quæritur etiam, si sine transgressione mandati ibi aliqua fuerunt inclusa, quæ necessitas eorum alendorum quæ vescuntur carnibus coegisset includi? Dicit Augustinus posse esse præter carnes alimenta communia, maxime cum ea quæ carnibus vescuntur fico et castanea vesci possint, præcipue cum omnibus vesci cogat fames. Forte nondum etiam animalia carnibus vescebantur, sicut nec homines. *Fecitque Noe cuncta, quæ sibi Dominus præceperat.* Sexcentesimo anno vitæ suæ ingressus est Noe in arcam cum omnibus, quæ dixerat ei Dominus, quæ et nutu divino, et angelorum ministerio adducta sunt, mense secundo die decima septima qui ab Hebræis Nisan dicitur, a Latinis Maius, a Macedonibus Dion. Moyses autem in legitimis Nisan, id est Aprilem, primum mensem constituit, secundum Josephum. In contractibus vero, id est in mercibus faciendis, et in alia gubernatione sæculi temporum decreta, et usualem ordinem mensium servavit. Dicit Josephus, quod ab Adam usque ad hoc tempus, fuerunt anni duo millia sexcenti quinquaginta sex quod in sacris litteris conscriptum est, et integritate signatus est.

* *Additio* 1. Uxor Noe Phuarphara, uxor Sem Pharphia, uxor Cham Cathaflua, uxor Japheth Fliva.

CAP. XXXIV. *De inundatione et cataclismo.*

Ingresso Noe in arcam, *rupti sunt fontes abyssi*, id est aquæ quæ sunt in visceribus terræ, *et cataractæ cœli*, id est fenestræ apertæ sunt, id est nubes (*Gen.* VII). Cataractæ proprie sunt meatus Nili fluvii, cum Nilus per septem ostia separatur, vel loca ejusdem, quæ cataduplа dicuntur. Abusive quilibet aquarum meatus dicuntur initiales, id est cataractæ. Et pluit super terram quadraginta diebus, et noctibus, et elevata arca, in sublime ferebatur, et super omnes montes excrevit aqua altior cubitis quindecim, ut ablueret sordes aeris, usquequo ascenderant opera hominum. Usque ad eumdem locum ascendet ignis judicii ob aeris purgationem. Sed non videtur opera hominum tantum ascendere potuisse, cum olympus usque ad liquidum aera vadat, super quem litteræ inscriptæ in pulvere, per annum repertæ sunt stetisse immobiles, quia venti delere non poterant, propter altitudinem montium, ubi pro nimia aeris raritate, nec etiam aves vivere queunt, nec philosophi ascendentes, absque spongiis plenis aqua, aliquantulum ibi manere potuerunt, quas naribus apponentes crassiorem inde aerem attrahebant. Sed sunt qui putant altitudinem montium tunc non fuisse tantam, quanta nunc est, vel fortasse in sublimibus sacrificantes ignem accendebant, cujus vapor, et

Digitized by Google

favillæ multum ascendere potuerunt, et aera maculare. Et cum intrasset Noe clausit ostium Deus, et bituminavit exterius, et mortua est omnis anima vivens super terram, et obtinuerunt aquæ terras ita exaltatæ centum quinquaginta diebus, ab illa scilicet die qua ingressus est Noe. Post dies centum quinquaginta cœperunt aquæ minui mense septimo, ita quod die vigesima septima mensis requievit arca super montes Armeniæ. Illic arcæ reliquias usque nunc provinciales ostendunt. Hujus diluvii, et arcæ, ut ait Josephus, memoriam faciunt, etiam qui barbarorum historias conscripserunt. De qua Berosus Chaldæus sic ait : « Dicitur navis ejus, quæ in Armenia venit circa montem Cordicum, adhuc aliqua pars esse, et quoddam bitumen exinde tolli, quo maxime homines ad expiationem utuntur. » Meminit ejusdem Hieronymus Ægyptius, qui antiquitatem conscripsit. Manasse Damascenus de eisdem sic ait : « Et super Numidiam excelsus mons in Armenia qui Baris appellatur, in quo multos confugientes, sermo est diluvii tempore liberatos, et quemquam in arca simul devectum. *Decimo* tandem *mense, prima die mensis, apparuerunt cacumina montium. Cumque transissent quadraginta dies, aperuit Noe fenestram, et emisit corvum, qui non revertebatur* (*Gen.* VIII), forte interceptus aquis, vel inveniens supernatans cadaver in aquis est illectus eo. Tamen Josephus ait, quod cuncta reperiens inundantia regressus est ad Noe. *Emisitque* post eum *columbam, quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad Noe.* Sed nonne cacumina montium jam erant nudata? Forte nondum siccata, et sic in palude requiescere non potuit, sicut nec in aqua. Vel per recapitulationem prius potest intelligi factum, et postea dictum. Post dies septem iterum emisit eam, quæ vespere rediit ferens ramum olivæ virentem. Post alios septem emisit eam, *quæ non est ultra reversa ad eum.* Igitur sexcentesimo primo anno vitæ Noe, primo mense, prima die mensis, aperuit Noe tectum arcæ, et vidit quod exsiccata esset terræ superficies, sed egrediendi exspectabat Domini præceptum.

CAP. XXXV. *De egressione Noe, et Iride.*

Mense secundo, septimo et vigesimo die mensis, dixit Dominus ad Noe : Egredere de arca tu, et uxor tua, filii tui, et uxores filiorum tuorum (*Gen.* VIII). Conjuncti jubentur exire, qui disjunctim intraverant. Ac si diceret eis : Nunc rediit tempus amplectendi, ut multiplicemini super terram. Mox enim subjunxit : *Crescite, et multiplicamini* (*Gen.* IX). Et egressus est Noe cum universis, quæ erant cum eo, eadem die, qua ingressus fuerat, revoluto anno. Ingressus enim fuerat decima septima luna mensis secundi, licet habeat alia translatio vigesima septima, et egressus est vigesima octava luna, quia quota est luna hodie, si undecim addas : tanta erit eodem die revoluto anno, si hodie prima, eadem die sequenti anno duodecima. Nec te moveat, quod dixi, egressum vigesima octava luna, cum liber dicat vigesima septima. Potuit enim esse quod vespera septimæ diei, et vigesima septima lunæ egressus sit, jam imminente vigesima octava. Media vero tempora, quolibet nomine extremorum sæpe nominantur, ut cum Dominus crucifixus fuit inter tertiam, et sextam : quidam evangelista dicit hora tertia, alius sexta. Vel potius secundum nomina septem dierum, si in tertia feria est luna vigesima septima revoluto anno in eadem tertia feria erit luna vigesima octava, quia computus dictus per unam diem descendit in martyrologio. Verbi gratia, Kalendæ Januarii sunt in Dominica die, et luna septima, revoluto anno in Kalendis Januarii reiterata luna erit decima septima, sed Kalendæ erunt secunda feria. Ergo Dominica die ante Kalendas erit luna decima septima, et sic a Dominica in Dominicam revoluto anno, non adduntur lunæ nisi decem, sed a Kalendis in Kalendas undecim. *Et ædificavit Noe altare Domino*, et de mundis animantibus septimum obtulit Domino (11). Ideo enim jusserat Dominus septem secundum genus suum induci, ut septimo oblato, sex sufficerent propagationi. Locum autem quo egressi sunt Armenii Egressorium vocant. Filii vero Noe dixerunt Thenon, id est *octo* pro numero egressorum. Ob hoc quoque, ut quidam tradunt, Noe fecit altare de octo lapidibus. *Et odoratus est Dominus odorem suavitatis, et ait ad Noe : Non ultra maledicam omni terræ propter homines, quia proni sunt ad malum. Tempus autem sementis, et messis, et frigus, et æstus, nox, et dies non requiescent.* Forte nondum ita plene distincta erant quatuor tempora, quia nec usque ad diluvium aquæ fuerant collectæ in nubes. *Et benedixit eis Dominus dicens : Crescite, et multiplicamini, et sit timor vestri super cuncta animantia terræ.* Hoc dictum est eis in solatium, ne pauci homines a pluribus bestiis opprimi timerent. Quasi Deus diceret : Olera virentia prius dederam in cibum, nunc trado vobis animantia *, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis, id est animal suffocatum. Et prohibuit eis Deus homicidium fieri, quia maxime timebant ne Dominus iterum aquas diluvii inundaret super terram ; et Noe quotidie orabat, ne hoc fieret, ut Josephus refert : pepigit eis Deus, quod ultra non fieret diluvium, et in signum fœderis hujus, posuit arcum suum in nubibus **. Et est signum duorum judiciorum. Judicii per aquam præteriti, ne timeatur, et futuri per ignem, ut exspectetur. Inde est quod duos habet colores, cœruleum, qui est aqueus, et est exterior, quia præteriit, et rubeum, qui est igneus, qui est interior ; quia futurus est ignis. Et tradunt sancti, quod quadraginta annis ante judicium non videbitur arcus, quod etiam naturaliter ostendet desiccationem aeris jam incœptam.

* *Additio* 1. Esus carnium ante diluvium non erat, sed post statim concessus est.

(11) De mundis septem ingressa significant septem dona, scilicet, quæ perfectus habere debet.

Digitized by Google

Additio 2.

Ne timeant imbres, datus est in nubibus obsex.

CAP. XXXVI. *De ebrietate Noe, et maledictione Cham.*

Cœpit Noe exercere terram, et plantavit vineam, labruscas naturales per cultum ad usum vineæ trahens, *bibensque vinum*, sed ignorans vim ejus, *inebriatus est, Et dormiens nudatus est in tabernaculo suo* (*Gen.* IX). Nuditio enim femorum sequitur ebrietatem, sicut libido satietatem. Sed cum Cham verenda patris vidisset nudata, irridens, nuntiavit hoc fratribus. Sed illi pallium imponentes humeris, et euntes retrorsum, ne viderent operuerunt patris verenda. Patet quia nondum homines utebantur femoralibus *. Evigilans Noe, cum didicisset quod fecerat filius suus minor, ait : *Maledictus Chanaan puer servus erit fratribus suis.* Sed quæritur quomodo Cham dicitur minor filius, cum esset medius natu? Potest dici minor, id est indignior; vel forte minor statura. Vel de Japheth dicitur, qui cum minor esset, tamen prudentior fuit Cham majore. Maledixit autem non filio, sed filio filii, quia sciebat in spiritu filium non serviturum fratribus, sed semen ejus, nec omnes de semine, sed eos, qui de Chanaan descenderant. Peccata quidem patrum sæpe vindicantur in filios temporaliter. Et est sensus sic : Non læteris de filio tuo, sicut nec ego de te. Et addidit. *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus.* Prophetia est, quia prævidit in filiis Sem cultum et nomen unius Dei permansurum. Et iterum: *Dilatet Deus Japheth, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus.* Et hæc prophetia est. Gentes enim, quæ de Japheth dilatatæ sunt numero, Deo auctore, et in cultu deorum Deo permittente, post inseritæ sunt trunco olivæ. *Et impleti sunt dies Noe nongenti quinquaginta annorum, et mortuus est.* Dicit autem Josephus quod nemo putet falsa quæ de antiquorum longævitate scripta sunt, quia propter virtutes et gloriosas utilitates, quas jugiter perscrutabantur, id est astronomiam et geometriam, Deus eis ampliora vivendi spatia condonavit, quæ aliter discere non potuissent, nisi sexcentos vixerint annos. Per tot enim annorum curricula magnus annus impletur **.

* *Additio* 1. Semiramis fuit mulier quæ primo adinvenit brachas, et usus earum.

** *Additio* 2. Magnus annus completur reversis planetis omnibus ad loca suæ creationis.

CAP. XXXVII. *De dispersione filiorum Noe, et Nemrod.*

Redit Moyses ad principium genealogiæ Noe dicens : *Hæ sunt generationes filiorum Noe* (*Gen.* X), et incipit a Japhet minori, ut ultimo loco ponatur Sem, cujus successionem texere intendit. Texuntur autem ex eis septuaginta duæ generationes, quindecim de Japhet, triginta de Cham, viginti septem de Sem. Hi tres disseminati sunt in tribus partibus orbis secundum Alcuinum. Sem Asiam, Cham Africam, Japheth Europam sortitus est. Vel expressius dicitur secundum Josephum : Filii Japhet tenuerunt septentrionalem regionem, a Tauro et Amano montibus Ciliciæ et Syriæ, usque ad fluvium Tanaim, in Europa vero, usque ad Gadira. Filii vero Cham a provincia Syria, et Amano et Libano montibus cunctas terras obtinuerunt, quæcunque ad mare sunt positæ, apprehendentes etiam eas, quæ usque ad Oceanum sunt, et proprias facientes appellationes. Filii vero Sem usque ad Oceanum seorsum habitant Asiam, ab Euphrate facientes initium. Generationi Sem insistemus, alias transeuntes, hoc tamen addentes, quod Chus dicitur filius Cham, et filius Chus Nemrod, qui *cœpit primus potens esse in terra, et robustus venator* hominum *coram Domino*, id est exstinctor, et oppressor amore dominandi, et cogebat homines iguem adorare * ; ad hoc exiit proverbium, ad dicendum de aliquo, quod fortis sit et malus : *Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.* Hoc ideo diximus, quia Methodius dicit hunc fuisse de filiis Hirom filii Sem. Quare vero primus cœperit dominari ostendit, agens de quodam filio Noe, de quo non egit Moyses, sic dicens : Centesimo anno tertiæ chiliadis natus est Noe filius in similitudinem ejus, et dixit eum Jonithum **. Trecentesimo anno dedit Noe donationes filio suo Jonitho, et dimisit eum in terram Ethan, et intravit eam Jonithus usque ad mare orientis, quod dicitur Elioschora, id est *solis regio*, hic accepit a Domino donum sapientiæ, et invenit astronomiam. Ad quem veniens Nemrod, Gigas decem cubitorum, eruditus est ab eo, et accepit ab eo consilium, in quibus locis regnare cœpisset. Jonithus iste futuros quosdam eventus prævidit, et maxime de ortu quatuor regnorum, et occasu eorum per successionem. Quam etiam plane prophetavit Daniel. Et prædixit discipulo suo Nemrod, quod primi regnarent de Cham, de quo Belus descendit, post de Sem Medi, et Persæ, et Græci, post, de Japheth Romani. A quo rediens Nemrod accensus amore dominandi, sollicitavit genus suum de Sem, ut imperaret aliis, quasi primogenitus, sed noluerunt; et ideo transivit ad Cham, qui acquievit, et regnavit inter eos in Babylone, et exinde dictus est de filiis Cham. Sed si vere fuit de filiis Cham, tunc nulla est quæstio quare inter eos regnaverit; hujus exemplo cœpit regnare Jectam, vel Jetram, vel Uram super filios Sem, Suphene, vel Sustene super filios Japheth. Narrat autem Philo Judæus, vel ut alii volunt Gentilis philosophus, in libro *Quæstionum* super Genesim, quod ex tribus filiis Noe adhuc ipso vivente sunt nati viginti quatuor millia virorum et centum, extra mulieres et parvulos, habentes tres super se duces, quos prædiximus.

* *Additio* 1. Chaldæi ignem adorabant, et cogebant alios idem facere, comburentes alia idola. Sacerdotes vero Canopi hoc audientes, quod magnum idolum in honore Beli formaverant, removentes coronam auream apposuerunt vas fictile ad modum coronæ perforatum foraminibus cera obturatis. Ve-

Digitized by Google

nientes Chaldæi opposuerunt ignem, et liquefacta cera aqua defluens, quæ erat in corona exstinxit ignem, et prævaluerunt Canopi idola.

** *Additio* 2. Objicitur secundum Methodium de Jonitho, quia non genuerat eum Noe ante diluvium, quia non fuit in arca, cum non fuerit mortuus ante, quia post instruxit Nemrod, nunc post diluvium. Forte non est vera ratio Methodii.

CAP. XXXVIII. *De turre Babylon.*

Post obitum vero Noe, moventes pedes suos ab Oriente, convenerunt duces in unum, in campum Sennaar, et timentes diluvium, consilio Nemrod volentis regnare, cœperunt ædificare turrim, quæ pertingeret usque ad cœlos, habentes lateres pro saxis, et bitumen pro cæmento. *Descendit autem Dominus, ut rideret turrim* (*Gen.* xi), animadvertit, ut puniret, et ait ad angelos : *Venite, et confundamus linguam eorum, ut non intelligat quisque vocem proximi sui.* In hac divisione nihil non fecit Deus, quia voces eædem sunt apud omnes gentes, sed dicendi modos, et formas diversis generibus divisit. De hac turri dicit Josephus, quia latitudo erat ita fortissima, ut prope eam aspicientibus longitudo videretur in minus. Dii vero ventos immittentes everterunt turrim, et vocem propriam unicuique partiti sunt. Propterea Babyloniam contigit vocari civitatem. Babel enim Hebræi confusionem appellant. De hac turri meminit sibylla dicens : « Cum omnes homines existerent unius vocis, quidam turrim ædificaverunt excelsam, tanquam per eam ascensuri in cœlum. » De campo vero Sennaar in regione Babylonis meminit Esicius dicens : Qui de sacerdotibus sunt erepti : Jovis sacra sumentes, in Sennaar Babylonis venerunt, divisique sunt post hæc, diversitate linguarum migrationes agentes, apprehendentes mediterranea simul, et maritima. Nec prætereundum puto quod Moyses dicit Regma, filium Chus, duos habuisse filios Saba, et Dodam. Josephus dicit Seba, et Judam, quorum Judas Ægyptiacam gentem Hesperiorum inhabitans, Judæis cognomen suum reliquit. Quod autem dicitur, de terra Sennaar egressus est Assur, intelligendum est, quia Nemrod expulit eum vi a terra illa, et turre, quæ ejus erat jure hæreditario. Vel intelligendum non est Assur filius Sem, qui invenit purpuram, et unguenta crinium, vel corporum a quo Chaldæa *, et Assyria dicta est, sed Assur, id est regnum Assyriorum, inde egressum est, quod tempore Sarug, proavi Abrahæ, factum est. Regnum quidem Babylonii habuerunt, qui de semine Nemrod fuerunt, usque ad quartam chiliadem, et ultimum eumdem.

* *Additio* 1. Chaldæa, Babylon, Sennaar, idem sunt.

CAP. XXXIX. *Primum incidens.*

Interim vero obtinuerunt Ægyptios et Assyrios ita : In diebus Sarug Belus Nerothides rex Babylonis, quia fuit alter Belus rex Græciæ, intravit Assyriam, sed parum obtinuit in ea. Quo mortuo filius ejus Ninus totam obtinuit Assyriam, et civitatem, in qua caput regni erat, itinere trium dierum ampliavit, et a suo nomine Ninivem dixit. Inde est quod quædam historiæ dicunt regnum Assyriorum cœpisse ab antiquo Belo : quod verum est quantum ad initium. Alii dicunt cœpisse a Nino, quod verum est etiam, quantum ad regni ampliationem. Ninus vicit Cham, qui adhuc vivebat, et regnabat in Bractia, [*al.* Thracia], et dicebatur Zoroastres inventor magicæ artis, qui et septem liberales artes, in quatuordecim columnis scripsit, septem æneis, et septem lateritiis, contra utrumque judicium [*al.* diluvium]. Ninus vero libros ejus combussit. Ab eisdem orta sunt idola sic *.

* *Additio* 1. Syrophanes primus idololatra Ægypti, Diothatus Lacedæmoniorum, in *Poetria* magistri Anselmi.

CAP. XL. *De morte Beli, et ortu idolorum.*

Mortuo Belo, Ninus in solatium doloris, imaginem patris sibi fecit, cui tantam exhibebat reverentiam, ut quibuslibet reis qui ad eam confugissent parceret. Proinde homines de regno ejus divinos honores imagini ejus cœperunt impendere ; hujus exemplo plurimi claris suis mortuis imagines dedicarunt, et sicut ab idolo Beli cætera traxerunt originem, sic ab ejus nomine generale nomen idolorum traxerunt. Sicut enim dictus est Belus ab Assyriis, sic et aliæ nationes secundum idiomata linguæ suæ dixerunt, aliæ Bel, aliæ Beel, aliæ Baal, aliæ Baalim. Imo, et nomina specificaverunt, aliæ Berlphegor, aliæ Beelzebub dicentes. Sed tandem seriem genealogiæ Sem prosequamur.

CAP. XLI. *De generatione Sem.*

Sem centum annorum erat, quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium (*Gen.* xi), Repugnare huic videtur quod dictum est supra, quingentesimo anno Noe natum Sem, et sexcentesimo inundasse diluvium. Ergo post diluvium centenarius erat Sem, et biennio post, centum et duorum annorum. Sed mos est sacræ Scripturæ, sæpe limites numerorum ponere, paucis annis, si superfuerint, tacitis. Potest ergo dici quod Sem centum annorum erat, et duorum, sed duos tacuit Scriptura, vel Noe, cum genuit eum, quingentorum et duorum, vel duo deerant ad sexcentos cum inundavit diluvium : vel ita legatur littera. Sem centum annorum erat post diluvium, et erat biennio post diluvium, quando genuit Arphaxad. Josephus autem dicit, Sem filius Arphaxad natus est, post annos duodecim facti diluvii, quod forte vitium scriptoris est. Arphaxad genuit Salem, cui in Luca (cap. III) subditur Cainam secundum Septuaginta, qui condidit Salem, qui Heber a quo Hebræi dicti sunt, secundum Josephum. Tamen Augustinus dicit : « Merito quæritur utrum ab Heber dicti sunt Hebræi, vel ab Abraham quasi Abrahæi. Heber genuit Phaleg, et Joctan. Phaleg Hebraice *divisio*, eo quod in diebus ejus, pro divisione linguarum, divisæ sunt gentes, et divisio terrarum facta, sed sub isto præcipue facta dicitur, quia in isto, et in filiis ejus remanente lingua unius-

Digitized by Google

qua, alii quasi ab eo divisi sunt. Phaleg genuit Reu, vel Regau, qui Sarug, qui Nachor, qui Thare. Thare cum esset septuaginta annorum genuit Abram, Nachor, et Aran, et est ordo præposterus. Aran enim primogenitus, et Abram ultimus fuit, et forte non genuit eos cum esset hujus temporis, sed tunc cœpit generare, et suis temporibus, eos genuit, scilicet per diversa tempora, ita quod jam centum viginti annorum erat cum genuit Abram, qui fuit ultimus*. In Thare terminatur secunda ætas habens, secundum Septuaginta, mille septuaginta duos annos, secundum Methodium chiliadem, secundum Hebraicam veritatem annos mille ducentos nonaginta duos. Et tot annos dicit Josephus, usque ad nativitatem Thare, sed usque ad nativitatem Abræ extenditur hæc ætas. Porro Aran genuit Lot, et Jescham, qui et Sarai, et Melcham, et mortuus est ante patrem suum in Hur Chaldæorum. Et est nomen civitatis Hur, secundum Josephum, ubi et hactenus sepultura ejus ostenditur. Hebræi Hur ignem dicunt, inde fabulantur, quod Chaldæi in ignem, per quem trajiciebant parvulos projecerant Abram, et Aran, quia nolebant ignem adorare, et Aran ibi exspirante, Abram Dei auxilio est liberatus. Unde dicitur : *Ego sum qui eduxi te de Hur Chaldæorum* (*Gen.* II) (12). Thare ergo odio habens terram, propter luctum Aran, nec valens sustinere injurias quæ fiebant ei, ut ignem coleret (13), statuit peregrinari, et dedit Nachor Melcham uxorem. Abræ vero Sarai, qui et Lot fratrem uxoris in filium adoptavit, quia Sarai sterilis erat.

* *Additio* 1. Qui invenitur in glossa super Lucam. In quadam enumeratione generationis Christi de Cainam reperies, per quam Magister locum istum correxit.

** *Additio* 2. Ita non brevem faciunt hanc ætatem Hebræi.

CAP. XLII. *De egressu Thare, et suorum de Chaldæa.*

Egressus est ergo *Thare cum illis, ut irent in terram Chanaan, venerunt usque ad Haran* (*Gen.* XI) Mesopotamiæ civitatem. Septuaginta Interpretes ponunt Charram, quia cum *h* aspirationem utrobique habeat, in Græcum vertere non potuerunt, *ch* pro utraque aspiratione posuerunt. Unde et filium Noe Habam dixerunt Cham. Inde est quod varie legitur Oreb, vel Choreb, Raab, vel Rachab. Mesopotamia vero a circumfluentibus aquis, nomen accepit. Meso enim *medium*, potamos *aqua*, sicut Aquilegia dicitur, quasi *aquis* ligata. *Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, et mortuus est in Haran.*

CAP. XLIII. *De annis Abræ post mortem patris, et egressu suo de terra sua.*

Dixit autem Dominus ad Abram : Egredere de terra tua, etc. (*Gen.* XII). Septuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran, Josephus ait : Dimisitque Chaldæam cum septuaginta quinque annorum esset, Domino jubente, ut migraret in Chananæam. Si ergo post mortem patris Abram erat annorum septuaginta quinque patet, quod diximus, quod Thare plus quam septuaginta annos habebat cum genuit Abram. Si enim in illa ætate genuit Abram, tunc post mortem patris erat Abram centum quadraginta quinque annorum. Augustinus tamen dixit per recapitulationem hoc esse dictum. Adhuc enim vivente patre cum esset centum quadraginta quinque annorum, et Abram septuaginta quinque egressus est de Haran, relinquens ibi patrem, et fratrem et in itinere, dum iret in Mesopotamiam, Dominum locutum ei, et dixisse : *Egredere de terra*, etc., non quin jam esset egressus, sed animum revertendi ad eam habebat quasi dicat : Qui egressus es corpore, egredere mente. Hieronymus dixit veram esse Hebræorum traditionem, qui et annos Thare* ponunt septuaginta cum genuit Abram, et mortuo patre, egressum Abram dicunt de Haran, et plurium eum esse annorum tunc, quam Moyses dicat, sed annos ejus computatos ab illo tempore, quo Dei auxilio evasit ignem Chaldæorum, ut id ei reputetur tempus ætatis, ex quo confessus est Dominum, spernens idola Chaldæorum. Ecce, dicit Josephus, jam recidebatur vita hominum paulatim declinans, usque ad Moysen; in quo terminum vitæ, quem constituerat Dominus, confirmavit. Centum enim et viginti annorum Moyses mortuus est.

* *Additio* 1. Thare ergo erat centum triginta annorum cum genuit Abram, Abram septuaginta quinque cum pater obiit.

CAP. XLIV. *De adventu Abræ in terram Chanaan.*

Tulit ergo *Abram Sarai, et Lot, et animas quas fecerat in Haran* (*Gen.* XII), id est animantia, quæ ibi acquisierat, et intravit terram *Chanaam, et venit ad Sichem*, quæ corruptus Sichar sæpe legitur, et ad vallem illustrem, quæ Pentapolis dicebatur tunc, a quinque urbibus Sodomorum, quæ nunc mare Salis, vel Mortuum dicitur, quia nihil in eo vivit, et nihil in eo mergi potest, habens animam, vel lacus asphalti, id est bituminis, quod dicitur Judaicum, vel vallis Salinarum *. Apparuitque ei Dominus, et dixit ei : *Semini tuo dabo terram hanc.* Qui ædificavit ibi altare Domino, ubi apparuit ei. Inde de eo sic Josephus ait : « Primus præsumpsit Deum unum Creatorem esse cunctorum pronuntiare, et hominum opiniones, quas cæteri de Deo habebant innovare, et immutare prævaluit. Hæc autem conjiciebat per terræ passiones, et maris, et ea quæ contingunt circa solem, et lunam, et ex omnibus, quæ circa cœlum semper eveniunt. De eodem Berosus meminit dicens, post diluvium decima generatione fuit apud Chaldæos vir in cœlestibus rebus expertus. Inde transgrediens Abram tetendit tabernaculum inter Bethel, et Hai, et ædificavit ibi iterum altare Domino. Et perrexit Abram vadens, et ultra progrediens ad meridiem, sed quo iverit subtiect

(12) Hoc canticum canit Ecclesia.

(13) Gloss. *Quia Chaldæi ignem, et alii idola colebant, sic omnes erant idololatræ præter Abram cum suis.*

Digitized by Google

Moyses brevitatis causa, vel quasi notum, et habitavit in Damasco. Unde et nomen ejus usque nunc in civitate Damascena habetur in gloria, et vicus ostenditur, qui ab eo dicitur habitatio Abram. Unde Nicolaus Damascenus : « Abram regnavit in Damasco, veniens advena cum exercitu de terra, quæ super Babylonem dicitur Hur Chaldæorum. »

* *Additio* 1. Nunc dicitur mare Diaboli, cujus suasu ibi peccatum est, et multum aluminis ibi reperitur.

CAP. XLV. *De descensu Abræ in Ægyptum, et de reditu ejusdem.*

Facta est autem fames magna in terra Chanaan, et descendit Abram in Ægyptum, timensque libidinem Ægyptiorum, ne eum propter speciem mulieris, occiderent, sororem suam eam dixit esse. Et sublata est mulier, valde pulchra, in domum Pharaonis. Abram vero bene usi sunt Ægyptii propter eam. Deus vero desiderium regis impedivit, ne tangeret eam, ægritudine, et tumultu causarum. Cumque pro salute regis sacrificarent sacerdotes, per iram Dei hoc accidisse significaverunt, quod uxori peregrini injuriam inferre voluisset. *Vocavitque Pharao Abram, et dixit ei : Cur non indicasti, quod uxor tua esset ? Ecce uxor tua, accipe eam, et vade* (*Gen.* XII). Et præcepit rex viris suis, ut deducerent eum. Erat enim dives valde, in auro, et argento, in servis, et ancillis, et in jumentis. Arithmeticam sane, et quæ de astrologia sunt Ægyptiis tradidit, ante eis ignota, a quibus post pervenerunt ad Græcos. Reversusque est Abram, usque ad locum, ubi fixerat tabernaculum, inter Bethel et Hai. Partitusque est terram cum Lot, dum pastores eorum inter se rixarent, pro pascuis, optionem etiam concessit Lot, et elevans Lot oculos, vidit regionem Jordanis congruam sibi, et moratus est in oppidis Sodomorum. Abram vero descendit ad convallem Mambre juxta Hebron*, et habitavit ibi, fecitque ibi altare Domino. Hebron civitas est, quæ et Cariatharbe dicitur, id est *civitas quatuor*. Arbe enim *quatuor*, Cariath *civitas*, ibi enim sepultus est Adam maximus, et Abram, Isaac, et Jacob cum uxoribus suis : Mambre vero, Auer, et Eschol fratres erant, et confœderati sunt Abræ. A primogenito eorum vallis cognominata erat. Habitabat autem ibi Abram circa quercum, vel terebinthum, cujus radices apparent adhuc. Quam pro nomine Josephus vocavit, dicens : « Habitabat Abram circa ilicem**, quæ vocatur Aygæ, vel Ogig, vel Dirpsi ; ibi promisit ei Deus, quod omnem terram circumstantem, per quatuor partes orbis, daret ei, et semini ejus. »

* *Additio* 1. Hebron interpretatur *conjugium*, vel *conjugum*, quia quatuor patriarchæ cum uxoribus suis ibi incinerati fuerunt. Hæc interpretatio reperitur in quadam glossa in Actibus apostolorum, quam magister legens consuluit ut in historiis poneretur, quod et se fecisse dixit.

** *Additio* 2. Arbor illa, secundum Hieronymum, usque ad tempus Theodosii imperatoris duravit, et ex illa fuisse perhibetur quæ modo est, quæ licet arida, tamen medicinalis est.

CAP. XLVI. *De victoria Abræ, et occursu Melchisedech.*

Factum est autem illo tempore, ut Amraphel rex Sennaar, id est Babylonis, etc. (*Gen.* XIV). Jam tantum processerat libido dominandi, quod quæque civitas regulum habebat, quorum plurimi alicui majori regi serviebant : Tandem omnes subditi erant monarcho Assyriorum. Sane quinque civitates Sodomorum Sodoma, et Gomorrha, Adama, Seboïs, Bala, quæ et Segor quinque reges habebant. Has subjugaverat sibi Chodorlahomor rex Elamitarum, et tributarias sibi fecerat, et duodecim annis servierant ei in tributo. Anno vero decimo tertio noluerunt sibi dare. Proinde decimo quarto anno Chodorlahomor assumens secum tres reges Babylonis, et Ponti, et gentium collecto exercitu convenerunt in vallem illustrem, in qua erant putei bituminis, quæ per iram Dei post versa est in mare Mortuum, et circumadjacentia loca depopulati sunt. Et egressi sunt quinque reges ut pugnarent adversus quatuor, qui et *terga verterunt, et ceciderunt plurimi, et qui remanserant, fugerunt ad montes*. Tulerunt autem victores omnem substantiam eorum, et captivos, nec non et Lot, et substantiam ejus. *Et ecce unus, qui evaserat nuntiavit hoc Abram Hebræo*, vel transfluviali, quia de trans Euphraten venerat. *Qui numeravit expeditos vernaculos suos* trecentos decem et octo et tres prædictos fratres Mambre, et Aner, et Eschol, *et prosecutus est eos usque Dan*, qui est unus de fontibus Jordanis, et ab eo oppidum Dan dictum est, quod nunc Penæas dicitur : alter enim fons Jor dicitur, quibus in unum confœderatis Jordanis dicitur, et *irruit super eos nocte, divisis sociis* in tres turmas dormientes trucidavit, vigilantes, præ ebrietate pugnare non valentes, effugerunt. *Et prosecutus est eos Abram usque Hoba, quæ est ad lævam Damasci, et reduxit Lot, mulieres quoque, et populum, et omnem substantiam eorum*. Occurrit autem ei rex Sodomorum ad locum, qui dicitur Regia vallis, in via Solymæ civitatis, vel Salem, quæ post Jerusalem dicta est. *At vero Melchisedech rex Salem obtulit ei panem, et vinum*. Quod quasi exponens Josephus ait : « Ministravit exercitui xenia, et multam abundantiam rerum opportunarum similiter exhibuit, et super epulas benedixit Deum, qui Abræ subdiderat inimicos. » *Erat enim sacerdos Dei Altissimi*. Cui Abram decimas dedit ex omnibus spoliis, et tunc primum decimæ leguntur datæ, primitiæ vero ab Abel. *Et ait ad eum rex Sodomorum : Da mihi animas, cætera tibi tolle*, et noluit Abram etiam minimum quid tollere, exceptis quæ comederunt juvenes, et partibus trium fratrum, qui venerant cum eo. Hunc Melchisedech, aiunt Hebræi fuisse Sem filium Noe, et vixisse usque ad Isaac*. Et omnes primogenitos, a Noe usque ad Aaron, sacerdotes fuisse, qui in conviviis, et oblationibus

Digitized by Google

populo benedicebant, et habebant primogenita, de quibus post explicabitur.

* *Additio* 1. Josephus in fine libri sui ait : « Potentissimus Chananæorum, qui lingua patria justus rex appellatus est, primus Deo sacerdotium, vel sacrificium exhibuit, et fanum ædificavit, et urbem quam Jerosolymam dixit. Cum autem Solyma vocaretur, Chananæis post ea expulsis primus Judæorum in ea Leobius, vel Theobitus regnavit. »

Cap. XLVII. *De ortu jubilei.*

De hac victoria tradunt jubileum initium habuisse pro hac remissione captivorum. Jubel enim *remissio*, vel initium, inde jubileus remissivus, vel initians, ob hoc autem institutus est quinquagesimus, quia tunc erat Lot, ut dicunt quidam quinquaginta annorum; vel tunc erat quinquagesimus annus ex quo beatus erat Dominus Abræ in via, vel ex quo egressus erat de Haran : vel Abram peritus astrorum, in quibus etiam secundum quosdam Zoroastren magicæ artis inventorem instituit, noverat quod intemperies aeris, quæ fit ex elevatis, vel depressis planetis, semper usque ad quinquaginta annos ad temperiem redeunt, et quod vidit fieri in astris voluit imitari in terris.

Cap. XLVIII. *De sacrificio Abræ post promissionem hæredis.*

His transactis, locutus est Dominus ad Abram dicens : Protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Et dixit Abram : Quid dabis mihi ? Ego vadam absque liberis, ac Damascus filius Eliezer procuratoris mei erit hæres meus (*Gen.* xv), quasi dicat : Quid mihi de promissione terræ eum desit hæres ? Ab hoc Damasco aiunt Damascum conditam, et denominatam, et ibi eum regnasse. *Et dixit Dominus ad eum : Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de utero tuo. Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam*, et quia insperatum promittebatur, quæsivit Abram signum, unde sciret sibi hoc fieri, non ex diffidentia, sed sperando, et modum quærendo. Et hinc maxime mos inolevit Judæis, signa quærere. *Et ait Dominus : Sume mihi in crastino vaccam, et capram, et arietem*, quæque trima, *et turturem, et columbam.* Quasi dicat. Immolabis mihi hæc, et ostendam tibi signum. *Qui tollens hæc animalia divisit per medium, et partes contra se altrinsecus posuit, aves autem non divisit, et* dum exspectaret præceptum Domini de modo immolandi, *descenderunt volucres super cadavera, et abigebat eas Abram. Cumque sol occubuisset sopor irruit super Abram, et horror magnus*, qui fuit pars signi, et dictum est ad eum : *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos extranei servituti, et affligent quadringintis annis. Tu autem ibis prius ad patres tuos, generatione autem quarta revertentur huc.* Quasi dicat : Ne exspectes te modo regnaturum in terra hac, et semen tuum post te. Te enim prius mortuo, post quadringintos annos implebitur promissio mea. Nec est intelligendum, quod tot annis servierunt in Ægypto, sed hic numerus annorum in illa afflictione completus est, qui secundum Isidorum ab illo tempore computantur, quo ista Abræ promittuntur. Augustinus ab Isaac nato computat, quia dictum est *semen tuum*. Et ab anno nativitatis Isaac, usque ad annum egressionis de Ægypto numerat quadringintos quinque annos. Sed Scriptura subticet quinque et legit litteram sic. Semen tuum peregrinum erit quadringentis annis : sive enim in terra Chanaan, sive in Ægypto peregrinum fuit, donec habuit hæreditatem ex promissione Dei. Illud autem interpositum, *subjicient eos, et affligent*, non refertur ad quadringintos annos. Quod autem dictum est, *in quarta generatione* eos redituros, secundum tribum sacerdotalem intelligendum est *. Levi enim genuit Chaat, qui genuit Aram, vel Amram, qui genuit Aaron, qui Eleazar, qui cum Aaron egressus est. Nec dicas quatuor generationes personas quatuor sed successiones, ut tot sint generationes quoties ibi legitur, *genuit :* quod alia littera habet quinque generationes, secundum regiam tribum est. Judas enim genuit Phares, qui genuit Efron, qui genuit Aram, qui Aminadab, qui Naason, qui cum patre egressus est. *Et facta est caligo*, et apparuit ignis quasi clibani transiens inter divisiones illas, et consumens illas. Ecce signum, et terminos terræ promissionis diffinivit ei Dominus a rivo Corula flumine Ægypti usque ad Euphratem, et populos ejus nominavit.

* *Additio* 1. Duæ fuerunt tribus : sacerdotalis quæ a Levi habuit principium, altera regalis, quæ a Juda.

Cap. XLIX. *De fuga Agar, et ortu Ismaelis.*

Igitur Sarai non habebat liberos, et dixit Abrahæ : *Ingredere ad ancillam meam* Agar, *si forte ex illa suscipiam filios* (*Gen.* xvi); et ingressus est ad eam. Quæ cum concepisset *despexit dominam suam*, et Abraham dissimulabat. Et ait Sarai : *Inique agis contra me. Judicet Deus inter me, et te.* Cui Abraham : *Ecce ancilla tua in manu tua, utere ea, ut libet. Affligente autem eam Sarai, illa iniit fugam*, volens redire ad patriam, quia Ægyptia erat. Et invenit eam Angelus Domini, dum fugeret, et sitiret, et viam ignoraret, solivagam juxta puteum, *qui est in via Sur in deserto.* Qui dixit ad eam : *Unde venis ? et quo vadis ?* Et illa : *A facie dominæ meæ Sarai fugio.* Cui Angelus : *Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub ea.* Et rursum : *Concepisti, et paries filium, et vocabis nomen ejus Ismael.* Hic primo legitur nomen prædictum a Domino, quod perrarum est. *Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum, et a regione fratrum suorum figet tentoria*, quod tamen non de ipso legitur, sed de filio ejus Cedar. Tamen de genere ipsius hoc prædictum est, quia Sarraceni vagi sedibus incertis, gentes, quibus desertum ex latere jungitur, impugnant, et ab omnibus impugnantur. Hoc autem præcipue futurum erat secundum Methodium,

Digitized by Google

quando quatuor principes de genere Ismael, quos etiam filios vineæ vocat, forte pro vesania tanquam ebrios Oreb, scilicet et Zeb, et Zebee, et Salmana, egressi sunt de solitudine contra filios Israel (*Psal.* LXXXII), qui victi per Gedeon retrusi sunt in solitudinem de qua prodierant. Quod vero legitur in Genesi : Hic *erit ferus homo*, Hebræus habet Pharaï, quod sonat *onager*. Propter hoc, ut dicit Methodius, dictum est : Onagri, et capreæ a deserto omnem bestiarum supergredientur rabiem, et mansuetorum numerus conteretur ab eis. Dicit enim de filiis Ismael : Futurum est autem, ut exeant adhuc semel, et obtinebunt orbem terræ per octo hebdomadas annorum, et vocabitur iter eorum via angustiæ, quia patrem illorum Ismael vocavit Dominus onagrum. In sacris locis interficient sacerdotes, ibidem cum mulieribus dormient, ad sepulcra sanctorum religabunt jumenta, et hoc pro nequitia Christianorum, qui tunc erunt, de quibus dicitur : *In novissimis diebus erunt homines sese amantes*, etc. (*II Tim.* III.) Et tunc implebitur, quod dictum est per Ezechielem : *Fili hominis, voca bestias agri, et exhortare illas dicens :* « Congregamini, et venite, eo quod sacrificium magnum immolo vobis. Manducate carnes fortium, et bibite sanguinem deorum excelsorum (*Ezech.* XXXIX). » Cumque loqueretur Dominus cum Agar, pertransiit in turbine, et ipsa vidit posteriora Dei, et ait : *Vidi posteriora videntis me. Et appellavit locum puteum Viventis et Videntis*, quia viderat eam Dominus, et quasi reddiderat vitam sitienti, ostendendo puteum. Adhuc puteus Agar ostenditur *inter Cades et Barath*. Quæ cum rediisset peperit filium, et vocavit eum Ismaelem *. Abram autem erat octoginta septem annorum cum natus est Ismael.

* *Additio* 1. Legitur in Vita Clementis, quod Abram alium habuit filium de Agar, qui dictus est Eliesdros, a quo Persæ duxerunt originem.

CAP. L. *De pacto circumcisionis, et mutatione nominum Abræ, et Sarai.*

Postquam vero nonaginta et novem annorum esse cœperat Abram, apparuit ei Dominus dicens : Multiplicabo semen tuum, et tu custodies pactum meum, hoc scilicet : *Circumcidetur ex vobis*, etc. (*Gen.* XVII.) Sed antequam pactum exponat, nomen ei mutat. Dicebatur enim Abram, ex Abba, et ram, quasi Abbaram, id est *excelsus Pater*, et addita ea littera, *u*, dictus est Abraam, quasi Abbaraam, quod sonat, *pater multarum*, subauditur gentium. Hebræi tamen dicunt, quod de nomine suo tetragrammaton, *e* litteram addidit Deus Abrahæ, quæ tamen sonat *a*, idioma enim eorum est scribere, *a*, et sonare, *e*, et e converso : *r* autem supradicta est causa euphoniæ. Et quia tempore circumcisionis mutatum est nomen ei, cum circumcidunt imponunt Hebræi nomina *. Volens itaque Dominus quasi quodam charactere populum suum ab aliis discernere, induxit eis circumcisionem sic : *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri. Infans octo dierum circumcidetur, tam vernaculus, quam emptitius; cujus caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo.* Quo cultello fieret non est præceptum. Quare autem fiebat lapideo post dicemus. Notandum quod servus primo dictus est a servando. Victores enim victos hostes, quos ad vitam servabant, servos dixerunt. Verna vero, vel vernaculus, vel vernula, qui nutritus est domi. Emptitius qui in propria persona emptus est. Originarius, qui et servus glebæ, scilicet colonus. *Dixitque Dominus ad Abraham : Non ultra vocabis uxorem tuam Sarai, sed Saram.* Quidam dicunt mutationem nominis Saræ sic factam, quia cum prius per duo *rr* scriberetur modo per unum, vel e contra, et errant. Sed cum diceretur Sarai, id est *Princeps mea*, et quasi unius gentis, dicta est Sara, id est princeps absolute, quasi omnium gentium princeps futura. Et attende quod quantum ad nos videtur, *i* littera subtracta, et nulla addita, sed apud Hebræos additur *a*, et scribitur per *e*. Quidam, quia Sarath Hebraice *lepram* sonat, erraverunt, putantes eam primo lepram vocari. *Et ait Dominus : Ex illa dabo tibi filium, et vocabis nomen ejus Isaac. Cecidit Abraham in faciem, et risit præ gaudio dicens applaudendo : Putasne centenario nascetur filius; et Sara nonagenaria pariet? Et ait Dominus : Sara pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Isaac*, quod interpretatur *risus* a risu, scilicet patris. Ecce secundo a Domino producitur nomen nascituri. Et adhuc de duobus legitur hoc in Veteri Testamento, de Samsone, scilicet, et Josia, et in Novo de duobus tantum, Jesu et Joanne. Etiam multiplicationem Ismaelis promisit ei Dominus. Et cum finitus esset sermo Domini, circumcidit se Abraham, et Ismaelem, et omnem suam familiam sexus masculini. Abraham tunc erat nonaginta et novem annorum, et Ismael tredecim.

* *Additio* 1. Hoc quantum ad interpretationem, non quantum ad Abram.

CAP. LI. *De Tribus angelis susceptis ab Abraham.*

Apparuit Dominus Abrahæ in convalle Mambre. Cumque elevasset oculos, vidit tres viros, et occurrens illis, unum ex eis *adoravit* (*Gen.* XVIII). Dicit Josephus, tres angelos in specie humana missos, ut unus nuntiaret Abrahæ verbum Dei de filio suo, et duo subverterent Sodomam. Eusebius vero ait : Primo omnium prophetarum Abrahæ Verbum Dei, cum in figura apparuisset humana, vocationem gentium pollicetur. Et sic apparuit ei Filius, quem et adoravit. Sed quia nusquam legitur Pater apparuisse in subjecta creatura * dicitur quod duo angeli apparuerunt in designatione duorum præconum Moysi, et Eliæ, quorum alter primum prævenit adventum, alter prævenict secundum. Quos, et rogavit Abraham, ut diverterent ad eum, et paulum comedendo confortarentur. Qui assenserunt. Et æstimans Abraham, præcepit Saræ, ut de tribus satis similæ faceret subcinericios panes. Ipse quo-

Digitized by Google

que tulit vitulum de armento optimum, tulitque butyrum, et lac, et vitulum assatum, et posuit coram eis. Verisimile est quod prius homines credidit, quibus hæc xenia paravit, post angelos Dei esse comprobavit. De cibo quem sumpserunt, potest dici quod in masticando exinanitus sit, sicut aqua calore ignis. Abraham stabat juxta eos **. Sara vero erat post ostium tabernaculi. Et dixit angelus : *Revertens veniam ad te tempore isto*, id est, eodem die revoluto anno, *et habebit Sara filium. Quo audito risit Sara. Erant enim ambo senes, et desierat Saræ fieri muliebria*, id est menstrua, quibus deficientibus vis pariendi deficit. Si alter juvenis esset, non esset impossibile ex sene et juvene prolem fieri. Sed *ambo* erant *provectæ ætatis*. Ad hæc, etiam, ipsa sterilis erat. Risit ergo, quia dubitavit, dicens : *Postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo. Dixitque Dominus ad Abraham : Quare risit Sara* ***, nunquid quidquam *Deo est difficile? Negavit Sara* se risisse perterrita. Ecce qua intentione quisque riserit, dijudicare potuit, qui corda novit.

* *Additio* 1. Anthropomorphitæ sunt hæretici de Judæis, qui dicunt Deum Patrem habere corpus hominis, cujus superiorem partem dicunt esse in cœlis, pedes vero in terra.

** *Additio* 2. Hunc ordinem videtur Augustinus comprobare in *Genesi* super hunc locum : *Quo audito risit Sara*, scilicet quod prius putavit Abraham eos esse homines, in quibus tamen Deus loqueretur, propter quædam signa divinæ majestatis in eis apparentia. Ideoque pronus in terram, non eos, sed in eis Deum *adoravit*, post vero percepit aliquibus figuris, vel divino instinctu, quod angeli erant. Tamen videns eos habere corpora humana, paravit eis escam.

*** *Additio* 3. Et forte credidit adulatorie dictum, quia bene paverat eos.

Cap. LII. *De duobus angelis descendentibus in Sodomam.*

Cumque surrexissent, illi tres viri direxerunt oculos contra Sodomam, et Abraham gradiebatur simul, et dixit Dominus : Non potero celare Abrahæ, quæ gesturus sum (*Gen.* xviii). Et ait ad illum : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ venit ad me.* Peccatum cum clamore est culpa cum libertate, cum scilicet quis palam, et ad libitum suum peccat. Peccatum illorum fuit superbia vitæ, et abundantia panis (*Ezech.* xvi), propter quam usque ad ignominiosam libidinem proruperunt. Et addidit : *Descendam, et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint.* Qui omnia novit, hoc in exemplum nobis reliquit, quasi dicat : Mala hominum non ante credite, quam probetis. Inde est quod judex sibi soli crimen notum punire non potest. Unde, et dictum est : *Nemo te condemnavit, nec ego te condemnabo* (*Joan.* viii). Abraham vero memor Lot filii fratris sui, appropinquans ad Dominum ait : *Nunquid perdes justum cum impio?* (*Gen.* xviii.) *Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram. Si fuerint quinquaginta justi ibi, nonne parces populo propter eos? Et ait Dominus : Dimittam omni populo propter eos.* Tunc Abraham quasi paulatim descendens ait : *Si fuerint quadraginta quinque :* Item, *si quadraginta. Quid, si triginta? Quid, si viginti? Quid si decem? Et ait Dominus : Non delebo eos propter decem. Abiit Dominus*, id est non apparuit, *postquam cessavit loqui ei, et ille reversus est in locum suum. Venerunt*que illi *duo angeli*, qui fuerant cum Domino, vel alii (secundum quosdam), *Sodomam vespere, sedente Lot in foribus civitatis*, expectante alicujus hospitis adventum. Qui occurrens eis, *adoravit*, petens, ut diverterent in domum suam. Quos renitentes compulit oppido. Ingressisque illis fecit convivium, coxit azyma, et comederunt. *Tunc viri civitatis, a puero usque ad senem, vallaverunt domum, et dixerunt Lot : Educ viros illos huc, ut cognoscamus eos. Qui ait : Habeo duas filias, quæ nondum cognoverunt virum, abutimini eis, ut libet; tantum his nihil mali faciatis, qui ingressi sunt sub umbra culminis mei.* Mos enim fidelium erat ab omni injuria hospites suos defendere. Quod autem dixit, perturbatio animi fuit, non consilium. Consilium sane est ut faciat quis levius, ne ipse committat gravius. Nullo autem modo debet quis levius facere mortale, ne alius committat gravius. At illi noluerunt, et vim faciebant vehementissime Lot. Et ecce angeli introduxerunt Lot, et clauserunt ostium. Illos vero percusserunt cæcitate, non privatione visus, sed acrisia*, quam Latine audientiam dicere possumus, quæ facit non videri, non omnia, sed quæ est opus; qua percussi sunt, qui quærebant Eliseum cum esset cum eis (*IV Reg.* vi), et discipuli cum Domino euntes in Emmaus (*Luc.* xxiv). Forte hoc modo, quandoque quærimus, quod in manu tenemus. Et Angeli dixerunt ad Lot : Educ omnes tuos de urbe hac. Delebimus enim locum istum. Et ingressus Lot ad generos suos ait : Surgite, et egredimini, quia delebit Dominus civitatem istam. Non est credendum (ut ait Hieronymus) his qui dicunt, alias filias, a prædictis virginibus, Loth habuisse, habentes viros, quæ cum viris submersæ sint. Sed generos vocat, futuros generos. Unde Hebraica veritas habet : Egressus est Lot ad sponsos : qui noluerunt egredi, consuetudinem hanc verborum Lot esse dicentes, quod semper mala prædiceret.

* *Additio* 1. Acrisia est quando quis habet apertos oculos, et non videt, quod magi faciunt incantationibus. Fit etiam quando quis habet aliquando rem aliquam in manu, et non videt, et est etiam acrisia.

Cap. LIII. *De subversione Sodomorum.*

Mane dissimulante Lot exire, apprehensum eum, cum uxore sua, et filiabus statuerunt angeli extra civitatem dicentes : Ne respicias retro; sed in monte salvum te fac (*Gen.* xix). Qui ex perturbatione, nondum plene credens Domino, ait: *Non pos-*

Digitized by Google

sum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, et moriar. Forte senex montium frigora, et laborem viæ perhorrebat. Sed *est hæc civitas parva ad quam fugere sufficio, ut salver in ea :* Et ait Dominus. *Non subvertam urbem, pro qua locutus es, et ideo,* quia dixit parva, *vocatum est nomen urbis Segor,* id est *parva.* Tradunt enim Hebræi hanc urbem primo dictam Balam, et post Salisam, et in Isaia Vitulam consternatam (*Isai.* xv), quia tetro terræmotu absorpta sit, post subversionem quatuor aliarum civitatum, modo dicitur civitas Palmæ. Quamdiu ergo fuit Lot in ea, pepercit ei Dominus. Sed ut dicit Hieronymus, Lot, timens consuetum ejus terræmotum, egressus mansit in monte. Egresso itaque Lot de Sodomis, *pluit Dominus* super civitates illas *sulphur et ignem.* Pluit Dominus a sepso ens in terra, a se ente in cœlo, judicans, id est puniens ab imperante. Pluit autem hæc, ut terra in æternum aresceret, sine spe iterum germinandi, et ita gravius punivit istos, quam primos peccatores diluvio. Licet enim illi mensuram excederent delicti, tamen quasi naturaliter peccabant, et universos subvertit etiam parvulos pro peccatis parentum, in quo provisum est illis, ne diu viventes, sequerentur exempla patrum, et est aliquod bonum reum non esse, qui gloriosus non est. Prodest enim pauperem non esse, qui rex non esse potest. *Et respiciens uxor Lot retro, versa est in statuam salis,* quam Josephus dicit se vidisse, et hactenus manere. Versa est ergo regio in lacum salis *, et sterilem, qui dicitur mare Mortuum, quia nec pisces, nec aves, in eo vivunt, ut in aliis. Navem quoque non patitur, nec ullam sustinet materiam, quin tota forsitan supernatet, nisi bituminatam, propter homines intus viventes. Nam omne carens vita in profundum mergitur. Si quid vivum aliqua arte immerseris, superexsilit. Lucerna ardens superenatat, exstincta mergitur. Multis in locis nigras glebas bituminis vomit, et ideo lacus Asphalti, vel Asphaltidis dicitur. Dicitur etiam quod poma nata in arboribus circumpositis, usque ad maturitatem coloris sunt viridis, matura si incidas, favillas intus invenies. Unde, ut ait Josephus, favilla terræ Sodomiticæ fidem habet, dicitur et vallis Salinarum. Forte fit ibi sal, vel lapides salis circa inveniuntur.

* *Additio.* 1. Lacus hic Judæam dividit, et Arabiam non majorem, sed illam, quæ olim fuit, illa solitudo invia, et inaquosa, in qua quadraginta annis fuerunt filii Israel. Dicit Josephus quod nimia ejus levitate, etiam gravissima in eum jacta, referuntur in altum. Unde Vespasianus quosdam, junctis post tergum manibus, jussit in altum projici, et omnes, tanquam ut spiritus, sursum repulsi, desuper fluitabant.

CAP. LIV. *De incestu Lot.*

Lot autem egressus de Segor, mansit in monte in spelunca, et duæ filiæ ejus cum eo (*Gen.* xix). Didicerant autem filiæ Lot consummationem mundi futuram, per ignem, et suspicatæ sunt tale aliquid factum, quale fuit in diebus Noe, scilicet ad reparandum genus humanum, servatas se esse superstites cum patre. Ideoque consilium inierunt, et patris mœstitiam et rigorem vino mollientes, singulæ, licet virgines, singulis noctibus susceperunt ab ignorante conceptum, nec repetierunt. Hoc tamen desuper appungunt Hebræi quasi incredibile, quia natura rerum non patitur coire quempiam nescientem. Vel dicitur nescisse filiam fuisse, putans fuisse uxorem suam. Dicitur quoque impossibile in defloratione fieri conceptum. Ob hoc Antichristus dicet se filium virginis. Peperitque major filia filium, et vocavit eum Moab, patrem Moabitarum ; minor peperit filium, et vocavit eum Ammon, patrem Ammonitarum. Moab interpretatur *ex patre,* hoc nomine mater aperte publicavit incestum patris. Ammon *filius populi mei.* Hæc aliquantulum texit, quasi filius cujusdam de populo meo. Dicit Hieronymus filias posse excusari, quia crediderunt genus humanum defecisse, et pietas posteritatis impietatem incestus excusavit se tanto, sed non in toto. Sed hoc patrem non excusat, sed infidelitas ejus causa fuit incestus. De eodem dicit Strabus: Lot inexcusabilis est : primo, quia angelo non credidit se posse salvari in Segor ; deinde, quia inebriatus est, et fuit peccatum causa peccati.

CAP. LV. *De peregrinatione Abrahæ apud Abimelech regem Geraris.*

Profectus est *Abraham* de convalle Mambre *in terram australem, et peregrinatus est in Geraris, inter Cades,* unde fluxerunt aquæ contradictionis, *et Sur,* loco sororis habens Saram, similia prioribus simulans præ timore, *misit autem Abimelech Rex Geraræ, et tulit eam* (*Gen.* xx). In quo vis formæ illius miranda notatur, quæ nonagenaria adhuc amari poterat. Sed in ægritudinem cecidit rex Dei voluntate, ne eam tangeret, ut ait Josephus. In fine tamen hujus capituli alia pœna notatur, hæc scilicet quod Deus concluserat omnem vulvam domus Abimelech propter Saram, ne quid scilicet femininum in domo ejus interim conciperet. Medicis autem desperantibus, soporatus audivit a Domino, hæc sibi propter uxorem peregrini inferri. Et præcepit ei, ut redderet viro uxorem, quia Propheta erat, et ille oraret pro eo, et viveret. Statimque surgens, vocavit servos suos, vocavit et Abraham, et dicit ei : *Quid fecisti nobis ? Quid vidisti, ut hoc faceres? Et ait Abraham : Cogitavi, quod timor Dei non esset in hoc loco, et interficerent me pro uxore. Alias autem, et vere soror mea est filia patris.* Hic distinguitur, sui scilicet patris. Sequitur *mei,* id est, qui est meus, subaudi frater, vel filia *Patris mei,* et non matris meæ, quod est, neptis mea est, et cognata ex parte patris, et fratris mei, et non ex parte sororis. Unde alia translatio : *Soror mea est a patre suo,* et non a matre. Sicut enim dicebant cognatos fratres, sic et cognatas sorores ; fratrem vero Aram, patrem suum vocavit, quia senior eo fuerat, secundum usum loquendi, quo majores natu, patres vocamus,

Digitized by Google

minores filios, et quia dignior, et major affectio solet esse propinquorum secundum viros, quam secundum mulieres, propinquam suam per virum, digniori nomine vocavit, sororem scilicet, potius quam neptem. Vel finxit eam filiam patris esse, nec tamen mentitus est, sicut nec Dominus cum finxit se longius ire (*Luc.* XXIV): præsertim cum Domino jubente creditur hoc dixisse, et ita relator fuit verborum Domini, ut Elisæus celavit se non cognoscentibus. Quidam tamen dicunt Thare, mortua matre Abrahæ, et mortuo Aram, duxisse uxorem filii, et genuisse Saram. Unde et hic dicitur filia Thare secundum carnem, et supra filia Aram secundum suscitationem seminis, quia solum masculum reliquit Aram. *Oravit autem Abraham pro eo, et sanatus est, et uxor et ancillæ ejus pepererunt.* Et dedit Abimelech Abrahæ munera, et terram ad habitandum ad optionem suam. Saræ autem dixit : *Ecce dedi fratri tuo pro te mille argenteos. Hoc erit tibi in velamen oculorum coram omnibus, qui tecum sunt*, id est in memoria verecundiæ, quia in mendacio deprehensa es. Unde subdit exponendo : *Et quocunque perrexeris, memento te deprehensam.* Vel elegans est irrisio : Hoc erit tibi in velamen oculorum, id est in præparationem funeris, quasi dicat : Anus es, et vicina funeri, et mentita es tamen, et decepisti. Habe tibi ergo hæc in expensas funeris. Quod magnis expensis fieri solebat, maxime a Judæis, vel ad pepla emenda, ut tegas faciem, ne ameris.

CAP. LVI. *De ortu Isaac, et ejectione Agar cum filio.*

Visitavit Dominus Saram, concepitque, et peperit filium, et circumcidit eum Abraham octavo die (*Gen.* XXI). Et exinde post totidem dies Judæi circumcidunt. Arabes vero post tredecim annos, quia eo tempore Ismael gentis illius auctor circumcisus fuit. Et vocavit eum Isaac, id est *risum*, quia risum fecerat Dominus parentibus ejus, id est gaudium inopinatum. *Crevit puer, et* trimus *ablactatus est. Et fecit pater grande convivium in die illa*, quia ea die filius primo accessit ad mensam patris. Dumque simul luderent Ismael et Isaac, major lædebat minorem. Et intellexit mater in ludo persecutionem, quia scilicet, patre mortuo, vellet dominari major minori. Vel ut Hebræi tradunt, cogebat eum adorare luteas imagines, quas fecerat. Quod cum displicuisset matri, dixit ad Abraham : *Ejice ancillam et filium ejus.* Dure hoc accepit Abraham, et dissimulabat, sed dixit ei Dominus : *Audi vocem Saræ. Qui tollens panem, et utrem aquæ imposuit scapulæ Agar, et tradidit ei puerum.* Cumque consumpta esset aqua in deserto, et puer deficeret siti, abjecit mater puerum sub arbore, *et sedit procul quantum arcus jacere potest* *, ne videret filium morientem, et flevit, et exaudivit Deus vocem pueri, id est, fletum matris pro puero. Et dixit angelus matri : *Surge, tolle puerum*, et aperuit oculos ejus Deus, et vidit puteum, deditque puero bibere, et implens utrem abiit *Crevit puer, et moratus est in solitudine Pharan, et factus est vir sagittarius. Et accepit ei mater uxorem de terra Ægypti*, de qua nati sunt ei duodecim filii principes tribuum suarum, quorum appellatione, oppida, pagi, et tribus celebrantur. Nabaioth primogenitus famosior est nominatus, a quo pars Arabiæ, quæ est ab Euphrate, usque ad mare Rubrum Nabathea dicitur. Cedar secundus, a quo Cedar, quæ est in deserto ; Duma sextus, a quo Dumea regio; Themam nonus, a quo Themam, quæ est ad Austrum : Cethuma ultimus, a quo Cethema, quæ est ad Orientem.

* *Additio* 1. Id est, reliquit jacentem quasi ad jactum, non quod eum portaret cum esset jam tredecim annorum. Vel per recapitulationem dictum est.

CAP. LVII. *De puteo juramenti.*

Eo tempore videns Abimelech Abraham multiplicatum, timuit eum, et venit ad eum cum Phicol principe exercitus sui, et ait : *Jura mihi per Deum, ne noceas mihi, et posteris meis, sed semper facias mihi juxta misericordiam, quam feci tibi* (*Gen.* XXI). Et eduxit eos Abraham ad puteum, quem ostenderat Deus Agar, quem foderat Abraham ante Agar ejectam. Sed servi Abimelech abstulerant illum Abrahæ, et fecerant illum in solitudine pro gregibus adaquandis, quæ longe a mansione ejus in solitudine pascebantur. Et restituit ei Abimelech puteum, sed in testimonium quod ipse foderat puteum, et ablatum restituit ei Abimelech, dedit regi septem agnas, et vocavit puteum Bersabee, id est puteum septimum. Sabee enim Hebraice septem sonat, et ibidem perc usserunt ambo fœdus. Unde et Bersabee dictum putant, id est puteum juramenti. Sabee quoque Hebraice juramentum dicitur. Josephus tamen interpretatur Bersabee, *fœdus putei.* A puteo vero circumstans regio etiam dicta est Bersabee. *Plantavitque Abraham circa puteum nemus, et fuit ibi colonus multis diebus*, non habitator. Dicit enim Stephanus in Actibus apostolorum, quia non accepit ibi hæreditatem; nec spatium pedis (*Act.* VII).

CAP. LVIII. *De immolatione arietis pro Isaac.*

Post hæc dum habitaret in Bersabee, et Isaac, ut dicit Josephus, viginti quinque annorum esset, dixit Dominus illi : *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, et offer mihi eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Terram visionis dixit, illam partem Judeæ, quæ est in montanis, quia et ipsa a longe, et de illa longe videri potest, quæ et ab Isaia vallis visionis dicitur (*Isa.* XXII). In summitate vero montium Judeæ monticulus erat eminentior, dictus mons Moria, quem monstravit Deus Abrahæ ad immolandum filium. In hoc tradunt Hebræi templum post factum, et altare factum in loco, ubi Abraham altare fecit, et David Angelum reponentem gladium, vidit in area Ornan [Jebusæi. Unde dicit Isaias : *Erit mons domus Domini in vertice montium, et ad eum fluent omnes gentes* (*Isai.* II), de quo et Dominus præcepit Judæis, ne immo-

Digitized by Google

larent sibi in omni loco, nisi in loco quem ostenderet eis Dominus (*Deut.* XXXIV). *Abraham ergo de nocte consurgens*, nemini quod facturus erat indicans, *stravit asinum suum, ducens secum duos juvenes, et filium*, ivitque iter duorum dierum. *Tertio die, elevatis oculis, vidit locum procul.* Hinc probantur illi errasse inter Bethel et Hay. Locus enim ille non distat a monte Moria per iter unius diei. Et cum accepisset ligna, et ignem, relictis infra juvenibus cum asino, cum filio ascendit solus. Cui filius : *Ecce*, inquit, *ignis, et ligna, ubi est victima holocausti? Cui pater : Deus providebit sibi victimam.* Et statuit aram, et lignis impositis, ignem adhibuit. Refert autem Josephus verba patris ad puerum dicentis : Quia sicut ex voluntate Dei ingressus fuerat mundum mirabiliter, ita etiam ex voluntate Dei, necesse erat ei egredi mirabiliter, quem Dominus quidem judicasset dignum, non ægritudine, non bello, non aliqua passione, humanam vitam finire, sed cum orationibus, et sacrificiis animam ipsius ad se vocare, quod suscitaret eum ob implendas promissiones. Et sic Isaac libens accessit ad aram, et mortem. De hoc Alcuinus * dicit: Indubitanti animo mactare volebat filium, laudandus in constantia offerendi, et in fide suscitandi filii. Arrepto autem gladio, ut filium immolaret, clamavit ad eum angelus : *Non extendas manum in puerum, nunc cognovi quod timeas Dominum.* Non enim sanguinem pueri sitiebat Dominus, sed ut sciretur, quantum Abraham timuerit Dominum. *Et vidit Abraham post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem obtulit pro filio.* Hebræus *in virgultis* habet, Sabech *hærentem cornibus*, et est Sobech *genus virgulti*. Hic erravit Eusebius dicens, Sabech hircum erectum ad carpendas frondes. Dixit ergo arietem Sabech, id est quasi hircum erectum. Et dicit eum Rabanus non noviter creatum, sed aliunde ab angelo allatum. *Et vocavit nomen loci : Dominus videt. Et usque hodie*, quasi in proverbium, *dicitur* a Judæis in arcto positis: *In monte Dominus videbit*, quasi dicerent : Sicut respexit Isaac in monte, sic videat nos in hac angustia. Diem autem liberationis Isaac, dicunt Hebræi primam diem Septembris. Unde in eo solemnizant, et clangunt cornibus pecorinis in memoriam arietis. Et juravit Dominus per seipsum de semine multiplicando ex Isaac, et de terra danda semini ejus. Altera die rediit Abraham, et reversus est in Bersabee. *Nuntiatumque est ei, quod Melcha genuisset Nachor fratri suo filios octo; primogenitum Hus*, de cujus stirpe descendit Job, sicut scriptum est : *Vir erat in terra Hus, nomine Job* (*Job* I), *et fratrem ejus* ex cujus genere Balaam, qui secundum Hebræos dicitur in Job Eliu Buzites. Errant ergo qui dicunt Job de genere Esau fuisse. Quod enim in fine libri ejus est, quod de Syro sermone translatus sit, et quod ipse quartus ab Esau, in Hebræo non habetur. De concubina vero Roma, alias Rema, susceperat Nachor filios quatuor.

* *Additio* 1. Alcuinus fuit magister Caroli regis, abbas Sancti Martini Turonensis.

CAP. LIX. *De morte Saræ.*

Rediit autem Abraham ad convallem Mambre, et mortua est Sara cum esset centum viginti et septem annorum, et sepulta est in Hebron in spelunca duplici (*Gen.* XXIV), quam emit Abraham quadringentis siclis argenti ab Ephron, supplicantibus pro eo Hethæis, id est populo terræ. Erat autem spelunca duplex *, rupes naturaliter, vel artificialiter duas speluncas habens, quam emit Abraham in sepulturam generi suo. In superiori sepeliebantur viri, in inferiori mulieres. Tamen Adam, et Eva jam ibidem sepulti erant. Nec peccavit Abraham emendo, nec ille vendendo, sicut nec hodie, qui emeret agrum, ut faceret cœmeterium, nisi forte quia sepulti erant ibi protoplasti. Hieronymus tamen dicit Ephron reprehendendum, et ideo nomen ejus mutatum pro Ephron Ephran.

* *Additio* 1. Eadem Cariatarbe, id est civitas quatuor patriarcharum, Isaac, Abrahæ, Jacob et Adæ.

CAP. LX. *De legatione Eliezer in Mesopotamiam.*

Erat autem Abraham senex, et dixit ad Eliezer, procuratorem domus suæ : Pone manum tuam sub femore meo, et jura mihi per Deum cœli et terræ, quia non accipies filio meo Isaac uxorem de filiabus gentium, inter quas habito; sed ibis ad cognationem meam, et inde accipies ei uxorem. Si tamen ex illis aliqua noluerit sequi te, non teneberis juramento. Juravitque servus ponens manum sub femore ejus. Tradunt Hebræi quod in sanctificatione ejus, id est in circumcisione juraverit. Sed quod dicitur sub femore, dicimus eum jurasse in semine Abrahæ, id est in Christo, quem ex se nasciturum sciebat. Unde dixit *Jura mihi per Deum cœli et terræ.* Quod autem sub femore manum poni voluit, innuit carnem Christi super omnes futuram. *Tulit ergo Eliezer decem camelos, et abiit, ex omnibus bonis Domini sui portans secum*, maxime, quæ rara novit esse in terra ad quam ibat. *Perrexitque Mesopotamiam ad Charbem *, urbem Nachor.* Multo quidem tempore et labore ut dicit Josephus, quia in hieme, in Mesopotamia est luti profunditas, in æstate aquæ defectio, in saltibus latrones. Fecit autem camelos accumbere juxta puteum ante urbem, impotatos nolens introducere. Cum autem vespere egrederentur mulieres, ad hauriendam aquam, oravit Dominum, ut inter illas inveniretur uxor Domini sui, si aliqua gentis illius domino suo deberetur, et cognosceretur ita, ut aliis negantibus aquam, sibi poscenti ipsa præberet. *Et ecce Rebecca, Bathuelis filia, descenderat, et impleverat hydriam*, et aliis quidem avertentibus se, peregrino aquam præbuit, et adjecit, *quin et camelis tuis aquam hauriam, et haustam* aquam infundens in canalibus potum dedit camelis. Ille autem tacitus intuens eam, utrum esset idonea domino suo **, quæsivit ab ea cujus filia esset, et si ei esset locus in domo patris ad manendum. Accepto

Digitized by Google

vero quod erat filia Bathuelis filii Nachor et Melchæ, soror Laban, protulit inaures aureas et armillas, et dedit ei. Cucurritque puella in domum matris ***, nuntians, quæ audierat, egressusque Laban, introduxit virum in hospitium, et destravit camelos, deditque paleas, et fenum, et lavit pedes hospitum, et apposuit eis panem. Noluit autem Eliezer comedere, donec loqueretur sermones pro quibus venerat. Cum ergo se dixisset servum Abrahæ fratris eorum, et commendasset Abraham in multis, exposuit eis petitionem Abrahæ, et juramentum quod ipse fecerat, et orationem suam a Domino ad puteum exauditam. *Responderunt Laban et Bathuel* ****: *A Domino egressus est sermo*, scilicet Abrahæ, et oratio tua. *Non possumus extra placitum ejus quidquam loqui tibi. Ecce Rebecca coram te est, tolle eam, et uxor sit domini tui.* Sed notandum, quod Josephus dicit Bathuelem jam defunctum fuisse, et virginem in custodia matris et fratris esse, et de morte patris prædixisse puellam, quærenti ad puteum, cujus filia esset. Etiam Moyses hucusque videtur velle, eam nec tunc habuisse patrem. Superius dixit: Cucurrit puella in domum matris. Forte nomine patris vocatur hic mater, quia mandatum patris de filia tradenda, quod ei reliquerat decedens, nunc exposuit. Potuit enim fieri, ut eam tradendam generi suo delegasset. *Audiens hoc puer Abrahæ adoravit Dominum, qui direxerat iter suum, et protulit vasa aurea, et argentea, et vestes dans Rebeccæ, matri quoque ejus, et fratri ejus munera dedit.* Surgens autem mane puer, petiit dimitti, prætendens moram, quam fecerat in via, et domini senectutem. Cumque rogassent, ut decem dies maneret apud eos, noluit. Et dixerunt: *Vocemus ergo puellam, et quæramus ejus voluntatem.* Quæ sciscitantibus si vellet ire ait: *Vadam.* Et hic primo legitur consensus mulieris requisitus, et exinde pro jure habitum est ut requiratur. *Et dimiserunt eam.*

* *Additio* 1. Vel ad Haran, Hebræi enim ante, et retro aspirabant vocales.

** *Additio* 2. Ne forte lusca, vel gibbosa, vel torto, vel grandi naso.

*** *Additio* 3. Et hoc quod non ait Patris perpenditur quod mortuus erat, sicut Josephus voluit.

**** *Additio* 4. Id est uxor ejus, ex mandato ab eo moriente suscepto, si verum est, quod mortuus erat, sicut Josephus ait.

CAP. LXI. *De adventu Rebeccæ ad Isaac.*

Eo tempore Isaac habitabat in Gerara, et forte *deambulabat, per viam, quæ ducit ad puteum viventis et videntis. Egressus* enim erat *ad meditandum in agro*, forte de mora servi (*Gen.* XXIV). Alia littera habet, *ad exercitandum*, forte laborans in agro, vel quidpiam operis ad deducendum agens. Rebecca vero, Isaac viso et cognito, quod vir ejus esset, descendens de camelo, et tollens teristrum, vel pallium album, operit, et compsit se. Est autem teristrum genus Arabici vestimenti mulierum. *Isaac vero introduxit eam in tabernaculum matris suæ, et in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris acciderat, temperaret.*

CAP. LXII. *De morte Abrahæ post susceptam sobolem de Cethura.*

Abraham aliam duxit uxorem, nomine Cethuram (*Genes.* XXVII). Aiunt Hebræi Cethuram nomen appellativum, quod interpretatur *copulatam.* Dicunt enim hanc fuisse Agar, quæ prius concubina, mortua Sara, transit in uxorem, de non copulata in copulatam, ne senex novis nuptiis lascivisse arguatur. Josephus autem dicit, quod antequam misisset pro uxore filii, duxerat eam. Et hæc genuit ei liberos sex. Juvenis enim de sene parere potest. Et separavit eos Abraham dum viveret ab Isaac ad plagam orientalem, et cuncta, quæ possederat dedit Isaac. Aliis vero largitus est munera. Filii tamen Cethuræ a nomine liberæ se dixerunt Saracenos, obtinuerunt autem primo Traconitidem, et Phœnicem, et Arabiam, usque ad terminos maris Rubri. Refert Josephus, quod ex uno eorum natus est Afer, qui castra sua fixerat in Lybiam, quam posteri ejus inhabitantes ab illo Africam denominaverunt. Dixit quoque Eldeum prophetam, qui, et Malcus, sive Malchus dictus est, historiam Judæorum scripsisse, sicut et Moyses scripsit. Quem refert dixisse, ab uno filiorum Cethuræ, nomine Surim, vel Syrim Syriam vocatam. Ab alio vero, qui dictus est Apher, Africam dictam. Cui descendenti in Libyam Hercules auxilium tulit, et filiam ipsius nomine Ethæam, duxit Hercules uxorem, et ex ea genuit Dodorim cujus filius fuit Phorum. *Fuerunt autem dies Abrahæ centum septuaginta quinque anni, et* * *mortuus est, et congregatus est ad populum suum* in sinu inferni. *Et sepelierunt eum Hismael, et Isaac, in spelunca duplici* cum uxore sua.

* *Additio* 1. *Deficiens* habetur in textu, et in Glossa habetur Hieronymi, super hunc locum dicentis, quod *deficiens* male additum sit in LXX, quasi quia non sic in Hebraica veritate, et etiam quia incongrue dici videtur de tanto patriarcha, quod deficeret, vel minueretur. Cum ergo in littera nostra habeatur, *deficiens*, de quo Hieronymus arguit LXX, patet ex eo et ex pluribus aliis locis, quod non est ista nostra pura translatio Hieronymi, sed forte est quædam prima, quam compegit de Græco in Latinum ex translatione LXX et translationibus aliorum. Quæ quia forte non inde magis visa est, apposuit manum, ut puram faceret de Hebræo in Latinum, quam non habemus nisi in duodecim Prophetis. Vel forte potest dici, quod ista nostra sit illa Vulgata, quæ miraculose inventa est Jerosolymis.

CAP. LXIII. *De ortu regnorum.*

Anno undecimo Abrahæ mortuus est Ninus, cujus uxor Semiramis, ut post eum regnare posset, proprio filio, quem susceperat ex Nino, nupsit, et ex eo filium genuit, qui et Babyloniam ampliavit. Anno Abrahæ septuagesimo quinto facta est ei repromissio. Anno ejus octogesimo sexto natus est ei

Digitized by Google

Hismael. Anno ejus centesimo natus est ei Isaac: Anno ejus centesimo trigesimo septimo mortua est Sara.

CAP. LXIV. *Aliud incidens.*

Exortum est regnum Assyriorum anno vicesimo quinto Saruch, proavi Abrahæ sub Belo, et cucurrit, ad annum septimum Oziæ regis Judæ, per annos mille et trecentos; alii quadringentos et duos: per reges triginta septem usque ad Sardanapalum, qui primus pulvinaria adinvenit. Post quem translatum est regnum ad Medos. Regnum autem Sicyoniorum ab anno vigesimo quarto Nachor, avi Abrahæ, exortum est, sub Euglalo, alias Egialo, et cucurrit, usque ad annum decimum septimum Heli sacerdotis, et judicis Israel, per annos noningentos septuaginta et unum et per reges triginta et unum usque ad Zeusippum post quem judicaverunt Sicyoniam Sacerdotes Charmi. Sicyonia autem est regio, quæ prius Apia, post Peloponensis dicta est. Usque ad Abraham vero jam fuérant in Ægypto quindecim dynastiæ. Dynastiam summam potestatem Ægyptii dicunt*; a nativitate Abrahæ, dynastiam sexdecim obtinuerunt Thebæi, septemdecim Pastores, Reges sic vocati, octodecim Thebæi, vel Thiopolitani, qui et Pharaones, per Reges septemdecim. Variatæ quoque sunt dynastiæ de generibus quorumdam regum ad alia sæpe transeuntes, usque ad Cambysem filium Cyri, sub quo primo per se imperaverunt Ægypto.

* *Additio* 1. Dynastia proprie dicitur principatus, qui durat apud aliquam provinciam de eligendo imperatore, sive alio principatu, qui major est in illa provincia. Verbi gratia, quondam eligebantur in Saxonia imperatores, et duravit ibi, et deinde in Franconia diu. Deinde in Bavaria et nunc in Suevia. Hæ tamen sunt principaliores provinciæ Theutonicæ terræ, licet multæ sint adjacentes. Et sicut in istis dictum est, ita intelligitur in aliis.

CAP. LXV. *De morte Hismaelis.*

Vixit quoque Hismael centum triginta septem annos, et mortuus est (*Genes.* XXV), tradunt illum Hebræi dysenteria mortuum fuisse coram cunctis fratribus suis, id est coram fratribus suis adhuc viventibus, obiit. Habitavit posteritas ejus ab Evila usque Sur; est vero Evila India, ab Evila nepote Noe sic dicta. Sur autem est solitudo inter Cades, et Barath, extendens desertum, usque ad Mare Rubrum et Ægypti confinia.

CAP. LXVI. *De labore Rebeccæ in partu geminorum.*

De Isaac prosequitur historia: Isaac quadraginta annorum erat cum duxit Rebeccam uxorem, quæ inventa est sterilis longo tempore. Sciens autem Isaac patri suo factam promissionem, seminis multiplicandi per ipsum, oravit Dominum, ut quod promiserat impleret. Et concepit mulier, habens duos in utero. Sed cum vicina esset partui, *collidebantur in utero ejus parvuli*; septuaginta Interpretes posuerunt, *ludebant*, vel *calcitrabant*. Aquila *confringebantur*, Symmachus *in superficie ferebantur*, in similitudinem navis legitimo pondere carentis. Movebantur enim mixtim pueri, ut vicissim alter prior altero videretur posse prodire ad ortum. Non pro exilitate uteri materni, quasi vix geminos capientis, intelligendum est hoc accidisse, ut quibusdam visum est, sed tantum ex voluntate Dei, jam demonstrantis in nondum natis quod futurum erat in adultis, primogenituram scilicet, quam alter habuit per naturam, cessisse alteri per gratiam, in posteris etiam eorum futuram dissensionem, jam tunc figurabat. Creditur enim in utero jam tunc sanctificatus fuisse Jacob, et in hoc motu præfiguratum, quia non esset consensus Christi ad Belial (*II Cor.* VI). Mater vero graviter afflicta, nollet concepisse, et fere desperans de partu, *perrexit ut consuleret Dominum*. Tamen quia non locus consulendi Dominum, nec modus, nec per quos consuleret Dominum, adhuc legitur institutum, forte ad montem Moria, ubi Abraham altare fecerat Domino, iit, et immolatis hostiis, substratis pellibus earum incumbens, per somnium accepit oraculum. Forte more gentium, quem viderat in parentibus, speciem lauri, quam tripodem dicunt, capiti supposuit, et ramis arboris, quæ agnuscastus dicitur, incubuit, ubi visiones capitis phantasticas, dormiens, non sentiret. Vel adhuc viventem Melchisedech consuluit. Quocunque autem modo fecerit, responsum accepit a Domino: *Duæ gentes sunt in utero tuo*, id est patres duarum gentium, quæ inter se post *dividentur*, et pugnabunt, sed *et major serviet minori*. Quod de parvulis nequaquam dictum est, cum semper major præfuerit minori, sed de populis. Idumæi enim qui de Esau futuri erant, tributarii erant David, qui de Jacob. Nisi forte intelligatur, Esau servisse Jacob, dum persecutus est eum, ut lima confert ferro, fornax auro, flagellum grano. Cum ergo duos peperisset, *qui prior egressus est rufus erat, et totus in modum pellis hispidus*, et dictus est ob hoc Seir. Hebræi enim Sciron *capillaturam* dicunt. Dictus est proprio nomine Esau, id est *fortis*.—*Protinus alter egrediens, plantam fratris in manu tenebat*, quasi retrahere volens fratrem a primogenitura, et ob hoc dictus est Jacob, id est *supplantator*. — *Sexagenarius* ergo *erat Isaac quando nati sunt ei parvuli*. Vivebat ergo Abraham, et adhuc quindecim annos supervixit. Abraham enim præter centum annos, quos vixerat, nato Isaac, restabant adhuc Abrahæ quindecim anni ad vitam. Hoc ideo diximus, quia Josephus sic ait: Porro, et post mortem Abrahæ concepit uxor Isaac, etc. mortem ejus forte appellans, quando jam penitus effeto corpore generare desiit. Ipse enim textus litteræ non esse dictum per recapitulationem indicat.

CAP. LXVII. *Tertium incidens.*

Porro eodem anno, quo nati sunt gemini Isaac, regnum Argivorum exortum est, sub Inacho patre Isidis primo rege. Cucurrit autem usque ad annum decimum quintum Delboræ et Barach Judicum Israel. Duravit autem usque ad ultimum Acrisium per reges quatuordecim et annos quingentos qua-

Digitized by Google

draginta quatuor, alii quingentos sexaginta quatuor. Perseus verò cum non interfecisset sponte Acrisium, tamen timens reliquit Argos, et transtulit regnum apud Mycenas. Si legeris in historiis regnum hoc processisse ab Inacho, usque ad Telenum, intelligitur posteros de genere Inachi, usque tunc regnasse, et datum regnum Danao, qui non erat de genere regio.

CAP. LXVIII. *De venditione primogenitorum Esau.*

Porro cum adolevissent filii Isaac, factus est Esau venator, et Jacob agricola, et pastor in tabernaculis habitavit. Pater diligebat Esau, tum quia primogenitus erat, tum quia de venatione ejus libenter vescebatur. Mater vero diligebat Jacob, tum pro simplicitate, tum pro Dei inspiratione. Factum est autem cum coxisset Jacob pulmentum lenticulæ, Esau lassus rediit ab agro, et ait : *Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum.* Quasi dicat: Esurio, nec pro lassitudine sufficio mihi pulmentum parare. *Cui dixit Jacob : Vende mihi primogenita tua.* Esau parvi pendens primogenita, se moriturum, nisi comederet in instanti, putans, dedit ei primogenita pro edulio lentis. Et juravit talem venditionem ratam se habiturum (*Gen.* XXV), et quia lenticula fulva est, Hebraice autem Edom, a quo postea dicta est regio Idumæa. Erant autem primogenita quædam dignitates, quas habuerunt primogeniti in cognationibus suis, usque ad Aaron. Habebat enim primogenitus vestem specialem, qua induebatur, tantum in sacrificio offerendo, et recepturus finalem benedictionem a patre. Ipse in solemnitatibus, in conviviis benedicebat minoribus, et in his duplam ciborum portionem recipiebat. Tradunt etiam, quod in divisione hæreditatis similiter in duplum recipere-ret.

CAP. LXIX. *De descensu Isaac in Geraris.*

Orta autem fame, dum vellet ire Isaac in Ægyptum, ex præcepto Dei remansit in Geraris, et ob amicitiam Abrahæ receptus est ab Abimelech, et ad exemplum patris dixit de uxore sua, *et soror mea est* *. Forte post plurimos dies, vidit Abimelech per fenestram, Isaac jocantem cum uxore sua, et accersito ait : *Quare imposuisti nobis?* (*Genes.* XVI.) Et est hoc imponere verbum absolutum, id est imposturam, id est dolum facere, et est sensus : *Quare nos decepisti? Cur mentitus es sororem tuam esse?* Potuisti super nos inducere grande malum, si quis cognovisset uxorem tuam, liberam a viro reputans. Et ait ad populum suum : *Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte moriatur.* Seminavit Isaac in terra illa, et invenit centuplum æstimatum, id est æstimavit, secundum quod recordabatur de jacto olim semine centuplum recepisse. Nec de una specie hoc esse potuit, sed forte in omni genere opum est centuplicatus. Unde alia translatio habet, *Invenit in illo anno centuplum.*

Ob hoc invidentes ei Palæstini, puteos, quos foderat pater ejus, obstruxerunt, replentes humo, Abimelech etiam timens eum dixit ei : *Recede a nobis; quia potentior nostri factus es.* Et recedens Isaac venit in agrum, qui dicitur Phata, id est *convallis*, et habitavit juxta alveum per quem torrens quandoque influebat, et eruderavit ibi puteos, quos olim ibidem foderat pater ejus, sed eo mortuo obstruxerunt eos Philisthæi. Et cum invenisset aquam vivam, jurgati sunt pastores Geraræ adversus eum dicentes : *Nostra est aqua.* Et ob hoc vocavit puteum Eschom, id est *calumniam*, vel *jurgium.* Et recedens inde fodit alium puteum, et pro illo quoque jurgati sunt. Et ob hoc vocavit eum Satanam, id est *contrarium*, vel *inimicitias.* Utriusque putei, ut dicit Josephus, opus imperfectum relinquens, nolens contendere cum indigenis, exspectans et exoptans bonæ voluntatis eorum rationem et licentiam. Profectusque inde fodit puteum tertium, pro quo non contenderunt. Ob hoc vocavit eum Robooth, id est *latitudinem*, quia dilatatus creverat super terram, *et ex illo loco ascendit in Bersabee. Et apparuit ei Dominus in ipsa nocte*, promittens ei quæ promiserat patri ejus. *Et ædificavit altare, et invocavit ibi nomen Domini, et præcepit servis ut ibi foderent puteum.* Verosimile est quod eruderaverunt puteum Abrahæ. Eo tempore venit ad eum Abimelech, et Phicol dux militiæ, et jurantes inter se fœdus firmaverunt. *Eodem die redierunt ad Isaac pueri, nuntiantes de puteo, quem foderant, quod invenissent aquam, et appellavit eum Bersabee, id est puteum satietatis*, vel *abundantiæ. Et impositum est hoc nomen urbi, usque in hodiernum diem.* Et nota quod in modico vocis stridulo, et in scriptura, differt hoc nomen a nomine, quod Abraham ei olim imposuerat. Sabee enim per sin Hebræum scriptum, *septimum*, vel *juramentum* sonat, et asperius stridet, scriptum vero per sigma Græcum, *satietatem* significat, et mollius sonat.

* *Additio* 1. Per recapitulationem hoc dictum videtur, id est prius factum quam hic dicatur. Non enim videtur vixisse tantum Abimelech, scilicet post prædictam venditionem.

CAP. LXX. *Quartum incidens.*

Eo tempore Phoroneus, filius Inachi et Niobes, primus Græciæ leges dedit, et sub judice causas agi instituit. Locumque judici destinatum a nomine suo forum appellavit. Soror sua Isis in Ægyptum navigavit, et quosdam apices litterarum tradidit Ægyptiis, de agricultura etiam multa docuit eos. Unde cum Io diceretur, Isis ab eis dicta est, quod in lingua eorum terra sonat. Et ob hoc post mortem in numero deorum in Ægypto recepta est. Filius etiam Phoronei, qui Apis dictus est, eodem tempore in Ægyptum navigavit, quem quidem virum Isidis fuisse tradunt, et similiter ab Ægyptiis deificatus est, et Serapis nominatus.

CAP. LXXI. *De uxoribus Esau.*

Esau vero quadragenarius duxit uxores Judith, et Bethsameth (*Genes.* XXVI), filias potentium virorum inter Chananæos, semetipsum dominum faciens in potestate uxorum. Quæ cum ambæ offen-

Digitized by Google

dissent animum Isaac et Rebeccæ, et licet nollet Isaac provinciales suæ misceri cognationi; tamen melius silere decrevit.

CAP. LXXII. *De benedictionibus Jacob.*

Senuit Isaac, et videre non poterat. Et dixit ad Esau: Fac mihi cibos de venatione tua, ut comedam, et benedicat tibi anima mea antequam moriar (*Gen.* XXVII). Egresso Esau ad venandum dixit Rebecca ad Jacob: Sic, et sic *audivi patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo. Affer ergo mihi cito duos hœdos optimos, ut faciam patri tuo escas quibus libenter vescitur, ut benedicat tibi pro Esau. Abiit ille et attulit, deditque matri.* Quæ cum parasset cibos, *induit Jacob vestibus Esau valde bonis*, quibus utebantur primogeniti, ut diximus. Timebat vero Jacob ne deprehensus a patre, susciperet maledictionem pro benedictione. Porro mater pelliculas hœdorum manibus, et collo ejus circumdedit, ut similitudinem pilosi fratris exprimerent. In aliis enim quam simillimi erant, tanquam gemelli. Acceptosque cibos Jacob intulit patri, dicens: *Ego sum Esau, comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua* *. Cui Isaac: *Accede ad me, ut tangam te, et probem, utrum tu sis filius meus Esau an non.* Quo palpato ait: *Vox quidem vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau.* Cum autem comedisset, et hausisset vinum, osculatus est filium, et benedixit ei dicens: *Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, et olei.* His tribus solet omnis terræ fertilitas intelligi: per frumentum cibus, per vinum potus, per oleum pulmenta. Et addidit: *Serviant tibi populi, et tribus; esto dominus fratrum tuorum; qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Nota quia tria quæ in benedictione promissa sunt, scilicet abundantia, potentia, primogenitura, præsentis sunt temporis. Quartum vero, scilicet benedictio, futuri est, et ideo in benedictionibus sacerdotum nostrum solet dici. Benedictus autem est Jacob secundum verba, non secundum intentionem patris, sicut episcopus ordinat alienum, quem putat esse suum, et est ordinatus. *Vix sermonem impleverat pater, et egresso Jacob, venit Esau*, cibos inferens patri, petens ab eo benedictionem. *Expavit Isaac vehementer*; et in hac extasi vidit in spiritu a Domino factum esse hoc, et significationem piæ fraudis intellexit. Et ideo non irascens, sed confirmans quod fecerat ait: *Frater tuus venit fraudulenter, et accepit benedictionem tuam, et erit benedictus.* Cui Esau: *Juste vocatus est Jacob. En altera vice me supplantavit*, id est bis decepit, *prius primogenita, secundo benedictionem subripiens.* Cumque et ipse a patre benedictionem postulasset, et patri hæsitanti in quo ei benediceret, vehementer instaret, motus Isaac, ait: *In pinguedine terræ, et rore cœli desuper, erit benedictio tua*; et ita fuit. Idumæa enim pascualis est. Et addidit de posteris ejus prophetans: *Vives gladio*, id est bellicosus eris, *et fratri tuo servies*, cum sciicet Idumæa facta est tributaria domui Israel, *sed veniet tempus cum excutias jugum ejus de cervicibus tuis.* Hoc impletum est cum rebellaverunt Idumæi, ne essent sub Juda.

* *Additio* 1. Quasi, ego sum cujus sunt primogenita et benedictio, sicut prius erant Esau. Nec mentitur, sicut nec Christus dicens Joannem esse Eliam, non personaliter, sed in similitudine, ut dicit Gregorius in Homilia.

CAP. LXXIII. *De somno Jacob cum fugeret in Mesopotamiam, et de separatione Jacob et Esau.*

Oderat ergo Esau Jacob, et dixit in corde suo: Venient dies luctus, id est mortis patris mei, *et occidam Jacob. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ* (*Gen.* XXVII). Eodem spiritu sciebat Rebecca cogitationes Esau, quo intimaverat Jacob fraudare fratrem. Excusatur ergo Jacob de mendacio in patrem, et dolo in fratrem, per jussionem matris; mater vero, per familiare consilium Spiritus sancti. Quæ ait ad Jacob: *Fuge ad Laban fratrem meum, et esto ibi donec quiescat indignatio fratris tui.* Quod ne absque licentia patris fieret, ait Rebecca viro suo: *Si acceperit Jacob uxorem de filiabus* *, *Heth nolo vivere.* Et advocans Isaac Jacob, benedixit ei, et præcepit ei ut iret in Mesopotamiam sibi accipere uxorem de filiabus Laban. Fidens autem Esau quod offendisset suum patrem, pro nuptiis alienigenarum, *iit ad Ismaelem* patruum suum, accipiens sibi uxorem filiam ejus Meleth, sororem Nabajoth uterinam, *absque his quas prius habebat. Igitur egressus est Jacob de Bersabee, et pergebat Aram* (*Gen.* XXVIII). Per Chananæam vero iter faciens, timuit incolas terræ, quia, ut ait Josephus, Chananæi erant indevoti Isaac, prioribus bellis ejus valde gravati, maxime cum Cariathiarim cepisset, circa quam præcipue laboraverat. Timuit ergo Jacob, apud aliquem provincialium introire, et sub divo jacebat. Cum autem venisset juxta Luzam vespere, supposuit capiti suo lapidem, et obdormivit. *Et vidit in somnis scalam* erectam a terris, cœlos attingentem, *et angelos descendentes et ascendentes per eam.* Josephus dicit: Vidit descendentes per eam figuras, honestiorem naturam habentes, quam homines; *et Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Deus Abraham et Isaac. Terram hanc dabo tibi et semini tuo. Benedicentur in te omnes tribus terræ, et in semine tuo. Ero custos tuus* in hoc itinere, *et reducam te in terram hanc.* Ordine præpostero usus est Dominus. Prius enim in propria persona, Jacob custodivit, post, sub Josue dedit semini ejus terram illam (*Jos.* VIII), in fine temporum in Christo, quia de Jacob, benedictæ sunt tribus terræ. Evigilans Jacob ait: *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Terribilis est locus iste, et est domus Dei hic, et porta cœli.* Et prophetavit de lege, et de templo, et passione Christi, quæ in terra illa futura erant. Terribilis enim lex; domus Dei, templum et passio Christi, apertio portæ cœli. *Et lapidem, quem supposuerat capiti suo, erexit ibi in titulum,*

Digitized by Google

id est in commendabilem memoriam hujus visionis, et libavit super illum oleum Domino, vovens Dominum, qui apparuerat ei, semper sibi esse in Deum, et lapidem id est locum lapidis, semper sibi honorabilem, et in reditu decimas, et hostias se sibi oblaturum. Et urbem proximam etiam honorandam decrevit, vocans eam Bethel, id est domum Dei, vel secundum Josephum, hostiam Dei. Prius enim Jebus a Jebusæis, qui eam condiderant vocabatur; post Luza, id est *nux*, vel amygdalus, quia cum primo ibi fundamenta jacerent, radix amygdalina inventa est. Vel forte copia hujus generis arborum ibi est.

* *Additio* 1. A quo Hethæus unus de septem populis, pro quo invenerunt quandoque Cethæus, quia nos, pro vocali utrobique aspirata, apud Hebræos, ponimus, *ch*, ad mitigandam asperitatem. ipsi dicunt Haraham nos Charam, ipsi Hethæus nos Chetæus.

CAP. LXXIV. *De duabus uxoribus Jacob.*

Procedensque in Mesopotamiam, longo tempore pervenit in Aram, et venit ad puteum in agro, opertum lapide grandi, juxta quem tres greges accubabant. Cumque dixisset pastoribus, ut adaquarent greges, et ad pastum reducerent, accepit morem ibi esse, non amoveri lapidem, donec omnes greges convenirent, nec licere greges particulatim adaquare. Cumque cuncta percunctaretur de Laban : *Valet*, inquiunt pastores; *et ecce Rachel filia ejus cum grege suo venit* (*Gen.* XXIX). Quæ cum advenisset, amovit Jacob lapidem ab ore putei. Patet quia non solus ivit Jacob, et adaquavit gregem ejus, et indicans se consobrinum ejus : *osculatus est eam*. Quæ nuntiavit hoc patri. Qui occurrens, duxit Jacob in domum suam, et audita causa fugæ, dixit ei : *Os meum, et caro mea es;* et ideo secure latebis apud me. Tandem curam gregis eum habere decrevit. Post mensem vero Jacob dedit optionem mercedis pro servitio pastorali. Habebat autem Laban filias duas, Liam lippis oculis, et Rachel venusto aspectu. Quam diligens Jacob ait : *Serviam tibi septem annis pro Rachel. Servivit ergo pro Rachel septem annis, et videbantur ei pauci dies, præ amoris magnitudine.* Nec dictum est parvi, quia desideranti animo ipsa velocitas tarda est, sed dictum est *pauci*, quia videbatur ei rem tam amabilem paucis emisse. Longe enim pluribus annis servivisset pro ea, priusquam ea careret. Vel dies vocat laborem dierum, qui videbatur ei parvus, quia laborem levigabat amor. Completo septimo anno fecit Laban nuptias genero suo. Vespere autem facto subintroduxit Liam, dans filiæ ancillam, nomine Zelpham. Jacob vero (ut dicit Josepnus) per ebrietatem et noctem, Liæ commixtus, die facto apud Laban de injustitia querebatur. Qui quandam necessitate veniam postulavit, moris ibi esse asserens, majores ante tradi ad nuptias; post alios autem septem annos se daturum ei Rachel, laudavit causam protelati temporis, dicens se non libenter filiam ad Chananæos missurum, cum etiam de sorore pœnitentiam ageret, quod eam illuc direxisset. Hieronymus vero dicit errasse illos qui dixerunt post septem annos alios Rachel Jacob traditam, sed post septem dies conviviorum, quos quasi perturbare, superinducta alia sponsa, fas non erat. Quibus finitis, Jacob optatis potitus nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, serviens pro Rachel aliis septem annis.

CAP. LXXV. *De quatuor filiis Liæ, et de filiis ancillarum.*

Dominus autem aperuit vulvam Liæ, sorore sterili data, ut amorem viri fecunditate consequeretur. Quæ peperit filium, et ait : *Vidit Dominus humilitatem meam* (*Gen.* XXIX), scilicet vilitatem erga virum meum; et ideo vocavit filium Ruben, id est *visionis filium*. Rursum peperit filium alium, et ait : *Audivit me Dominus haberi contemptui;* et ideo dictus est Simeon, id est *auditio*. Peperit autem tertium, et ait : *Copulabitur mihi vir meus, quia addidi ei filios;* et ob hoc dictus est Levi, id est *additio*, vel *firmator societatis*, secundum Josephum. Peperit quoque quartum, et ait : *Modo confitebor Domino;* et ob hoc dictus est Judas, id est *confessio. Cessavitque parere.* Proinde Rachel invidit sorori, et ait ad Jacob : *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Qui ait : *Nunquid ego sum Deus?* Et illa : *Si non de me, saltem de ancilla mea.* Et dedit ei Balam in conjugium non in uxorem, sed ut ei jungeretur. Peperit Bala filium, et dixit Rachel : *Judicavit me Dominus*, id est æquavit me sorori; et ob hoc dictus est puer Dan, id est *judicium*. Peperit et alium, et ait Rachel : *Comparata sum sorori, et invalui*, et ob hoc dictus est puer Nephthalim, id est *comparatio*, vel *dilatio*. Lia quoque tradidit viro Zelpham, quæ peperit filium. Et ait Lia : *Feliciter;* et dictus est puer Gad, id est *felicitas*. Peperitque etiam, et alium. Et ait illa : *Beatam me dicent omnes mulieres;* et dictus est puer Aser, id est *beatus*.

CAP. LXXVI. *Quintum incidens.*

His temporibus factum est diluvium particulare in Achaia, sub Ogyge rege, qui urbem, quæ vocabatur Acta, innovans, Eleusim nominavit. Tunc etiam apud lacum Triconidem virgo apparuit, quam Græci Minervam dixerunt : hæc plures artes adinvenit, maxime lanificium. Eadem dicta est Pallas, a Pallane insula Thraciæ in qua nutrita est, vel a Pallante gigante, quem interfecit. Traditur autem, cum per diluvium illud insulæ Cyclades longo tempore obumbratæ fuissent, aquis rarescentibus prima inter eas Delos sole illuminata est, et ideo Delos dicta, quod sonat *manifestum*.

CAP. LXXVII. *De reliquis filiis Liæ, et ortu Joseph.*

Ruben tempore messis triticeæ, scilicet, vel jam collectis hordeis; vel forte tres collectiones, a metendo, id est colligendo, messes dicuntur, messis pomorum, quæ prima, messis triticea, quæ secunda, messis vindemiarum, quæ tertia. Hoc,

Digitized by Google

inquam, tempore *ab agro regressus Ruben tulit mandragoras, et dedit matri suæ* (*Gen.* xxx). Cujus esum desiderans Rachel dixit Liæ : *Da mihi de mandragoris filii tui.* Opinantur enim quidam, hoc genus pomi in escam sumptum, sterilibus fecunditatem parare, quod Augustinus falsum esse dicit. Cum enim mandragoram vidisset, occasione hujus lectionis, naturam ejus omnem et vim diligenter ascrit se perscrutatum, et nihil tale reperisse in ea. Et ait illa : *Parumne tibi videtur quod abstuleris mihi virum meum, nisi et mandragoras simul tuleris?* Rachel sororis iram mitigans ait : *Dormiat hac nocte tecum pro mandragoris filii, et occurrit Lia Jacob redeunti de agro,* quod eum mercede conduxisset significans, et *concepit nocte illa, et peperit quintum filium,* et ait : *Deus dedit mihi mercedem, quia dedi ancillam viro meo, et* ideo *vocavit puerum Issachar;* quod sonat *merces.* Achar enim *merces.* Pro eo etiam sic vocavit eum, quia mandragoris emerat viri introitum. *Rursum Lia concepit sextum filium, et peperit, et ait: Mecum habitabit maritus meus, quia genui ei sex liberos; et ob hoc vocavit puerum Zabulon,* id est *habitaculum.* In libro tamen *Nominum Hebræorum,* violenter, *fluxus noctis* interpretatur. *Post quem peperit filiam nomine Dinam. Recordatus est autem Dominus Rachelis, et aperuit vulvam ejus, quæ peperit filium dicens : Addat mihi Dominus filium alterum.* Et ob hoc dictus est puer Joseph, id est *augmentum.*

CAP. LXXVIII. *De diversicoloribus virgis et fetibus.*

Finitis ergo annis quatuordecim servitii pro uxoribus, Jacob dixit socero suo : *Da mihi uxores, et liberos meos, ut revertar ad terram meam. Et ait Laban : Inveniam gratiam in conspetu tuo, ut adhuc servias mihi septem annis, et constitue mercedem, quam dem tibi. Scio enim, quia propter te benedixit mihi Deus* (*Gen.* xxx). Et ait Jacob : *Justum est ut aliquando provideam domui meæ, si feceris quod postulo, adhuc pascam et pecora tua : separa greges varios, et sparso vellere,* et trade in manu filiorum tuorum, unicolores vero trade mihi, et quod ex unicoloribus varium natum fuerit, sit merces mea, et quod unius coloris tuum : *respondebitque mihi cras justitia mea,* id est in futuro, quasi dicat : Tecum facit natura, ut alba ex albis, nigra ex nigris nascantur; mecum justitia mea, dum Deus, pro labore meo, quod justum sibi videbitur, reddet mihi contra naturam. Gratum hoc habuerat Laban, et separavit omnes diversi coloris, et dedit filiis suis in custodiam. Unicolores tradidit Jacob, et separavit iter trium dierum inter Jacob et filios suos, ne quis ex vicinitate pecoris nasceretur dolus. Et ita planum hoc dictum est, nisi quod in textu legitur quod Laban *unicolorem gregem tradidit in manu filiorum suorum,* scilicet Jacob, quod videtur contrarium ei quod diximus. Potest dici eum tradidisse *in manu filiorum suorum,* id est nepotum suorum, filiorum scilicet Jacob, qui sub patre opiliones erant. Vel per anticipationem dictum est, *unicolorem gregem* post natum sub custodia Jacob, dedit filiis suis, eum diversicolore prius dato. Hieronymus quoque dicit, usque ad tempus suum locum hunc confusum fuisse. Jacob autem novam naturæ stropham, id est conversionem commentatus, contra naturam arte naturali pugnavit. Tulit enim virgas virides populeas, quas LXX stiraceas vocant, et amygdalinas, et plataniuas, quas per loca discorticans, varium virgarum fecit colorem. Forte tres erant canales, et tres virgas tantum ejusdem longitudinis cum canalibus tulit, cuique canali suam virgam imponens. Forte plures erant in canalibus virgæ. Observabat ergo Jacob tempus in quo pecora accendebantur, et in fervore diei, cum ad potandum avida pergerent, in ipsa aviditate potandi, faciebat oves, et capras ascendi, ut tales fetus conciperent, quales umbras arietum et hircorum super se ascendentium in aquarum speculo videbant. Ex virgis enim ibi positis varius erat umbrarum color. Ne autem omnes fetus diversicolores fierent, et deprehenderetur dolus, sic temperavit Jacob : Primo tempore cum accendebantur oves, quia verni fetus meliores sunt, ponebat virgas, ut in conspectu earum conciperent. In serotina enim admissura, id est in ea quæ fiebat in extremitate veris, deteriores sunt fetus, quia in tarde appetentibus coitum minus viget natura, et ideo tunc non apponebat virgas, et ita quæ serotina erant facta sunt Laban, et qui primi temporis Jacob. Vel forte serotina admissura dicta est in autumno, quia natura ovium Mesopotamiæ, et Italiæ eadem esse traditur, ut bis in anno pariant, unde poeta :

Bis gravidæ fetu...

Quod autem dicitur quod in virgis conciperent, dicit Hieronymus vim Hebræi verbi nisi circuitu exprimi non posse. Signant enim totius corporis extremam concussionem in fervore coitus extremo. Nec mirum similem conspectæ imagini sobolem fieri in extremo voluptatis, cum hoc ipsum in equarum gregibus apud Hispanos fieri dicat Hieronymus; et Quintilianus matronam accusatam, quod Æthiopem peperisset, ex imagine conspecta hoc accidisse argumentans defendit. Et in libris scriptum Hippocratis reperitur, quamdam puniendam, quia pulcherrimum puerum peperisset, utrique parenti, generi quoque eorum toti dissimilem, nisi monuisset Hippocrates quærere, ne forte talis pictura esset in cubiculo. Ditatus est ergo Jacob ultra modum. Postquam autem audivit verba filiorum Laban dicentium : *Tulit Jacob nostra, et de facultate patris factus est inclytus; et etiam faciem Laban animadvertit, quod non esset erga se, sicut heri, et nudiustertius, maxime dicente sibi Domino : Revertere in terram tuam, et ero tecum, misit, et vocavit Liam, et Rachel in agrum, ubi pascebat gregem, et ait : Facies patris vestri non est mecum : scitis quia circumvenit me, et mutavit mercedem meam decem vicibus* (*Gen.* xxxi), LXX dicunt *decem annis.* Sed intelligendum

Digitized by Google

est decem annis, quasi decem circumvolutionibus, quæ denaria mutatio in sex annis facta est. Dicit enim Josephus, quod omne tempus, quod fuit cum Laban viginti annorum fuit. Noluit autem Jacob tertiam septimanam viginti annorum complere sub illo, pro ejus nequitia; videns enim Laban plures nasci diversicolores aiebat: *Deinceps unicolores sint merces tua.* Item, cum videbat unicolores multiplicari, mutabat mercedem. Et addidit Jacob: *Deus tulit substantiam patris vestri, et dedit mihi*, qui in somnis ostendebat mihi quales essent fetus nascituri, qui et dixit mihi: *Surge, et egredere de terra hac. Responderunt Lia, et Rachel: Quasi alienas reputavit nos pater noster, nunquid quidquam residui habebimus de facultatibus et hæreditate ejus. Fac quæcunque præcepit tibi Dominus.*

Cap. LXXIX *De fuga Jacob et fœdere inito cum Laban.*

Surgens ergo Jacob cum uxoribus, et liberis *abiit, tulitque omnem substantiam, et greges, et quidquid in Mesopotamia acquisierat* (*Gen.* xxxi). Et deduxit etiam Jacob, ut ait Josephus, medietatem gregis, nesciente Laban, qui eo tempore, ad tondendas oves ierat. Rachel etiam nesciente viro idola patris sui pretiosa furata est, et secum tulit non ad colendum, quia docente viro sciebat non esse colenda, sed si comprehenderentur, patre consequente, ut ad hæc fugiendo, veniam impetrarent. Ivit ergo Jacob amne transmisso contra montem Galaad; et nuntiatum est Laban die tertio; quod fugisset Jacob. Qui assumptis filiis, et cognatis suis insecutus est eum septem diebus. Tamen Josephus dicit: Laban post primum diem cognoscens discessum Jacob et filiarum, persecutus est eos, et in colle procul collocatos invenit eos. Potest dici quia si in tertio die cognovit, tunc post primam diem dicitur cognovisse, quia tunc egressus nuntius, tertia die venit ad eum, ubi filii pascebant greges, qui séparati erant a Jacob itinere trium dierum, ut prædictum est. *Vidit* autem Laban *in somnis Deum, dicentem sibi: Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob.* Qui consurgens ait ad Jacob: *Quare me ignorante fugisti.* Et cur furatus es deos meos. Consobrinus, et gener meus, et copulator, hæc facere non debueras. Respondit Jacob: Timui ne filias tuas violenter auferres mihi, quæ tamen non tam me, quam filios sequuntur. *Quod autem furti me arguis, apud quemcunque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris. Ingressusque Laban tabernacula Liæ, et ancillarum non invenit. Cumque intraret tabernaculum Rachel, illa subter stramenta cameli abscondit idola, et sedit desuper; et quærenti patri ait: Ne irascatur dominus meus, quod nequeo ei assurgere, quia juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi, et sic delusa sollicitudo quærentis.* Iratusque Jacob improperavit, quod pro diligenti servitio viginti annorum non meruerat, ut ipse omnem supellectilem suam scrutaretur. Et ait Laban: *Omnia quæ habes mea sunt, sed quid possum facere filiis et nepotibus meis. Veni, et ineamus fœdus. Tulitque Jacob lapidem, et erexit eum in titulum fœderis, et ait fratribus suis, Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, et comederunt super eum. Et dixit Laban: Tumulus iste sit fœderis nostri testis, ne ego transeam illud, pergens contra te, malum tibi cogitans. Nec tu transeas ad me nocens, nec afflixeris filias meas, nec uxores alias super eas induxeris.* Et ob hoc dixit Jacob lingua sua collem Galaad, id est *acervum testimonii.* Gal, enim, *acervus*, ad *testimonium* sonat Laban vero Syriæ lingua vocavit eum Igar Seducha. *Laban autem de nocte consurgens, benedixit eis, revertens in locum suum.* Porro Josephus dicit eos columnam in monte statuisse sub schemate aræ. Forte acervum columnam innominavit.

Cap. LXXX. *De visione angelorum a Jacob, et de muneribus præmissis Esau.*

Jacob autem abiit itinere quo cœperat, fuitque ei obvia multitudo angelorum, et ob hoc vocavit locum illum Manaim, id est *castra*, quia ibi vidit angelos, quasi paratos defendere eum a fratre, quem timebat. *Misit autem* ab illo loco *nuntios ad fratrem*, qui explorarent fratris animum (*Gen.* xxxii). Qui reversi nuntiaverunt Esau sibi occurrentem pacificum cum quadringentis viris. Timuit ergo Jacob, non de promissione angelorum diffidens, sed more hominum perturbatus. Et divisit populum, qui secum erat, in duas turmas, ancillas, et liberos earum in priori turma. In secunda liberas, et filios earum, ita tamen quod in extremitate ejus posuit Rachel, et Joseph, tanquam chariores. Unde quidam erraverunt putantes, tertiam turmam Rachel, et Joseph habuisse. Sic autem divisit, ut si veniret Esau ad nocendum, et priorem percuteret turmam, reliqua fugiens, salvaretur. Separavit autem ibidem de his, quæ habebat munera fratri suo, quæque pulchriora, et rariora, et diversorum generum animalia. Misit etiam ea per diversos nuntios, spatium ponens inter gregem, ut ex frequentia munerum sese subsequentium, multa esse putarentur, ut muneribus, si quid indignationis esset adhuc in Esau, placaretur. Præcesserunt ergo munera, ipse vero adhuc erat in Manaim. Consurgensque ante diluculum, traduxit uxores, et filios, cum omnibus ad se pertinentibus, per vadum Jaboch *. Josephus dicit, quod torrentem nomine Jaboch transierunt: et quia in Genesi legitur, cum orasset Jacob timens fratrem, dixisse: *In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior*, forte Jordanis dicitur, quem pertransivit, et quia ibi calculosus, et torrens, dicitur vadum Jaboch. Forte autem vitio scriptoris, pro Jacob legitur Jaboch, et ex transitu illo, sortitum est hoc nomen, vadum Jacob.

* *Additio.* Secundo milliario a Jordane, in finibus Idumææ, est torrens Jaboch, quem transvadavit Jacob.

Digitized by Google

CAP. LXXXI. *De lucta Jacob cum angelo, et mutatione nominis.*

Cum autem præcederent turmæ, solus in ripa fluminis remansit, ut oraret. Et ecce Vir luctabatur cum eo usque mane, qui tetigit latus, alias lævum nervum femoris ejus, et emarcuit (*Gen.* XXXII). Unde, et Jacob proposuit se deinceps non comesturum nervum, et id ipsum posteritas ejus observat. Cumque ascenderet aurora, dixit Vir ad eum : *Dimitte me.* Qui dixit ei : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Viro autem quærenti nomen ejus, ait se vocari Jacob. *Nequaquam*, inquit, *appellabitur nomen tuum Jacob, sed Israel, quia si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis ?* Et ita benedixit Jacob, mutando ei nomen, et confortando, ne timeret fratrem. Quod enim contra Deum stetit invictus, factum est ei in signum, quia invictus staret contra fratrem. Josephus dicit hoc nomen, Israel, Hebraice sonare, *reluctantem angelum sacrum*, in libro autem *Nominum Hebræorum* interpretatur, *vir videns Deum.* Is, enim, *vir*, el, nomen *Dei* est, ra, vero *videns* dicitur, vel *mens videns Deum.* Hanc autem interpretationem dicit Hieronymus, non tam vere quam violenter factam esse. Illam Josephus dicit se in Hebræo non invenisse, et dicit illud nomen sonare, *princeps cum Deo.* Sic enim angelum interpretatum fuisse, asserit : *Si contra Deum* princeps, vel *fortis, fuisti*, etc. *Vocavitque Jacob locum illum Phanuel;* id est *facies Dei, et ait : Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea*, id est de valde territa plurimum confortata. *Cumque transgressus esset Phanuel, ortus est ei sol, et claudicabat.*

CAP. LXXXII. *De occursu Esau, et emptione agri in Sichem.*

Elevans autem oculos vidit Esau, et cum eo quadringentos viros. Et præcedens utramque turmam, quam fecerat, *adoravit pronus ad terram septies, currens autem Esau, amplexatus est eum, et* deosculans eum, *flevit* (*Gen.* XXXIII); et quærens, cujus essent mulieres et parvuli, cum accepisset pertinere ad Jacob, accessit, et deosculatus est eos. Cumque nollet Esau munera præmissa retinere, se plurimum abundare dicens, ait Jacob : *Si inveni gratiam coram domino meo, accipe munusculum de manu mea; sic vidi faciem tuam, quasi viderim vultum dei*, id est alicujus potentissimi. Non enim aut credebat illum Deum, aut in tantam prorupisset insaniam, vel adulationem. *Reversus est* ergo *Esau in die illa in Seyr;* villam scilicet quam de nomine suo sic dixerat. Jacob autem inde procedens, fixit tabernacula in loco, quem ob hoc dixit Sochot, id est *tabernacula*, de quo dicit Hieronymus : Sochot est usque hodie Civitas trans Jordanem in parte Sicopoleos, ubi Gedeon transierat Jordanem, cum locutus est ad viros Sochor. Sed mirum est quod dixit trans Jordanem, cum Jacob secundum quosdam, jam dictus sit transisse Jordanem, cum esset in Sochot. Forte trans Jordanem dixit respectu Mesopotamiæ, de qua redibat Jacob, vel potius nondum transierat Jordanem, sed Jaboch. Cum autem dixit supra, Jordanem istum (*Gen.* XXXII), non præsentem monstravit, sed notum terminum Judææ indicavit. Abiitque de Sochot *in Salem, urbem* scilicet *Sichimorum*, id est in Sichem. A Sichem enim Sichimini, vel Sichimitæ dicti sunt, et forte binomia erat. Vel, ut Hebræi tradunt, Moyses eam tunc tantum vocavit Salem, id est *consummatam* et *perfectam*, quia ibi femur claudicantis Jacob sanatum sit. Porro Jacob *emit juxta oppidum partem agri, ab Emor rege Sichimorum, et a filiis ejus centum agnis, habitavitque ibi, et erecto altari, invocavit fortissimum Deum Israel.*

CAP. LXXXIII. *De morte Sichimitarum pro raptu Dinæ.*

Egressa est autem Dina, ut videret mulieres regionis illius (*Gen.* XXXIV), quia, ut ait Josephus, Sichimitis solemnitatem habentibus, sola transivit ad urbem, emptura ornamenta mulierum provincialium. *Quam videns Sichem filius regis adamavit eam, et rapuit, et vi oppressit virginem, et conglutinata est anima ejus cum ea, et ait patri : Accipe mihi puellam hanc conjugem. Egressoque rege cum filio ad Jacob, filii Jacob veniebant de agro, et irati siluerunt.* Regi autem quærenti vicariam eorum amicitiam, et societatem eorum, et ut mutua contraherent conjugia, et Sichem offerenti multa, et promittenti ampliora, responderunt in dolo : Illicitum est apud nos federari incircumcisis, sed circumcidamini, et *erimus populus unus. Placuit Emor, et filio ejus oblatio* [alias optio], *nec distulit adolescens, quin statim impleret;* et intrantes urbem persuaserunt populo, et circumcisi sunt omnes. *Et ecce tertia die, quando gravissimus est dolor vulnerum, Simeon et Levi arreptis gladiis, confidenter urbem ingressi sunt, et interficientes omnem masculum in ea, tulerunt de domo Sichem sororem suam, cæteri vero fratres irruerunt super occisos, et depopulati sunt urbem, parvulosque et uxores captivos duxerunt.* Josephus tantum dicit : Cum esset festivitas, et Sichimitæ requie et epulis uterentur, incunctanter primis custodiis assistentes, dormientes interfecerunt, quo agnito dixit Jacob ad Simeonem, et Levi : *Turbastis me, et odiosum me fecistis habitatoribus terræ hujus; percutient me, et delebor ego, et domus mea.* Dominus autem confortans eum, ait ad illum : *Surge, et ascende in Bethel, et habita ibi, et fac altare, ubi apparui tibi* (*Gen.* XXXV), sed prius sanctifica tuos. *Jacob, vero, convocata domo sua, dum purgaret suos*, invenit deos Laban, ut ait Josephus. Neque enim sciebat, eo quod Rachel celasset eos in terra sub arbore. Et ait suis : *Abjicite deos alienos, et mundamini, et ascendamus in Bethel;* de Sichem enim attulerant etiam idola, et inaures, id est ornamenta idolorum ; a parte totum, quæ omnia *fodit* Jacob *subter Terebinthum, quæ est post urbem Sichem.* Tradunt quidam quod ea tulit David in Jerusalem, et conflavit in materiam tem-

Digitized by Google

pli quod facere disposuerat. Porro terror Dei invasit finitimos, ne persequerentur Jacob. Qui profectus venit in Bethel, et *ædificans ibi altare Domino*, obtulit ei, juxta id quod prius voverat. *Eo tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, et sepulta est juxta Bethel sub terebintho. Et vocatum est nomen loci illius, quercus fletus.* Et nota quod hic videtur quod quercus, et terebinthus, idem sunt. *Apparuitque ei iterum Dominus, et ait: Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellavit eum Israel.* Ecce patet, quia supra nomen promisit tantum (*Gen.* XXXII), hic autem imposuit.

CAP. LXXXIV. *De morte Rachel in partu Benjamin.*

Egressus autem inde Jacob, venit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephratem (*Gen.* XXXV), id est Bethleem. Et est anticipatio, post enim dicta est Ephratia, ab uxore Caleph, quæ ibi sepulta est. Ibique cum parturiret Rachel cœpit periclitari, tamen peperit filium. *Egrediente autem anima præ dolore* partus, moriens, *vocavit filium Bennoni*, id est *filium doloris. Pater* autem circumcidit eum, et *vocavit filium Benjamin*, id est *filium dexteræ. Sepulta est ergo Rachel in via, quæ ducit Bethleem*, et sola inter cognatos, honorem sepulturæ Abrahæ habere non meruit. *Erexitque Jacob titulum super sepulcrum ejus, qui apparet usque in præsentem diem. Et egressus inde, fixit tabernaculum trans* turrim Ader, id est *turrim gregis.* Hunc locum dicunt Hebræi, ubi post ædificatum est templum, et dictum, quasi quodam vaticinio, *turrim gregis*, id est congregationis futuræ ad templum. Sed Hieronymus ait locum esse juxta Bethleem, ubi vel angelorum grex, in ortu Domini, cecinit, vel Jacob greges suos pavit, nomen inde loco relinquens. *Cumque habitaret ibi, Ruben dormivit cum Bala concubina patris; quod tamen non latuit Jacob.*

CAP. LXXXV. *De morte Isaac, et regibus Edom.*

Venit etiam ad Isaac patrem suum in civitate Hebron (*Gen.* XXXV), et jam mortuam invenit matrem. Nec multum etiam post adventum ejus, completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum, vel secundum Josephum centum octoginta quinque annorum. *Et appositus est populo suo plenus dierum, et sepelierunt eum filii ejus, Esau, et Jacob* in spelunca duplici. Hic terminatur primus liber Joseph. Porro mortuo patre ditati sunt Esau, et Jacob, ita quod eos terra non caperet. Et rediit Esau ad montana, quæ dimiserat, et dicta est terra Idumæa ab Edom, quæ prius Bosra dicebatur. Enumerans enim Moyses duodecim reges terræ illius a primo usque ad ultimum, quem videre potuit *, ait: *Et regnavit pro Bela, Jobab filius Zaræ de Bosra* (*Gen.* XXXVI), et tunc dicunt quidam, fuisse Job pronepotem Esau; sed Hebræi contradicunt, ut supra dictum est. Videtur etiam in Genesi quod eadem terra ante Esau, etiam dicta fuit Seir **. Enumeratis enim filiis Esau, enumerat princeps Horræorum, qui fuerant in terra ante Esau, de quibus incipit sic: A *Isti sunt filii Seir Horræi habitatores terræ*, etc. Horræos enim expulit Esau, ut legitur in Paralipomenon (*I Paralip.* I). Quidam tamen dicunt hic enumeratos reges, qui fuerunt in Edom, antequam filii Israel habuissent regem, scilicet Saul, et dicunt hanc enumerationem esse appositam ab Esdra, qui scire potuit eam. In enumeratione vero istorum, legitur de Janna filio Subeon, cujus filiam duxit Esau; qui invenerat aquas calidas in solitudine, dum pasceret asinas patris sui. Hebræum verbum est *invenit* Jamnum, de quo, ut ait Hieronymus, varie disputant Hebræi. Dicunt quidam Jamnum Maria, quia lacum invenit in eremo. Alii putant aquas calidas, lingua punica quæ affinis est Hebrææ, hoc nomine dici, quas Græci Thermas B vocant. Alii dicunt eum onagros asinabus admiscuisse, ut inde veloces asini nascerentur, qui vocantur jamnum. Alii dicunt, jamnum associationem, quia primus asinis equas fecit ascendi, ut muli nascerentur. Et notandum quia, in recapitulatione filiorum Esau, posuit Moyses alia nomina uxorum ejus, ab illis, quæ ante posuerat. Dicit etiam Josephus, quod Amalech, Esau filius naturalis de concubina, habitavit in parte Idumææ, quæ Gabolitis dicebatur, et dixit eam Amelechitem. His vero prætermissis, transeundum est ad generationem Jacob.

* *Additio* 1. Cum Moyses fuerit a Jacob quartus, ab Esau quintus, non vidit duodecim reges Edom. Solve per hoc, quod sequitur: *Quidam tamen dicunt*, etc. C

** *Additio* 2. Sub monte Seir Damascus, Idumæa est in terra Damascena, nam et Esau habitavit Damascum. Themam metropolis est Idumææ, unde Eliphas Themanites, et Suitam, unde Baldad Suites. Bosra in finibus Idumææ, et Arabiæ. Libanus dividit Idumæam, et Phœniciam, in cujus radice oriuntur Albana, et Pharsar fluvii, fluentes secus Antiochiam.

CAP. LXXXVI. *Sextum incidens.*

Eo tempore Prometheus, frater Athlantis, primus dictus est fecisse homines, tum quia de rudibus doctos fecit, tum quia legitur fecisse imagines hominum, quas arte quadam ambulare fecit. Invenit etiam primus annulum, sed ferreum, et includit D gemmam: unde, et ungulum vocavit, quia sicut unguis carne, sic gemma metallo circumdatur. Tradidit etiam ut in digito, quem medium vocant, poneretur ad ornatum, digniorem hunc reliquis dicens, quia ab eo usque ad cor, quædam vena pertingat. Dicitur etiam ea tempestate Triptolemus in navi, in qua pictus erat draco, in Græcia venisse, et ampliasse agriculturam. Ceres vero præter instrumenta arandi, etiam mensurari granum adinvenit, cum prius in arconiis segetes ponerentur, et triticum per acervos numerabatur, unde et a Græcis dicta est Demetra. Tunc etiam Thelchines victi, et exsules Rhodum condiderunt.

Digitized by Google

CAP. LXXXVII. *De venditione Joseph.*

Joseph cum sexdecim esset annorum, pascebat gregem patris sui (*Gen.* XXXVII). Sciendum est quod ante mortem Isaac duodecim annis venditus est Joseph. Quod sic probatur. Sexagenarius erat Isaac, cum natus est Jacob, et centum octoginta annorum mortuus est, ergo centum viginti annorum fuit Jacob, in morte patris, in venditione autem filii centum et octo annorum fuit; cum enim venit ad Joseph in Ægyptum, centum et triginta annorum fuit, sed inter descensum in Ægyptum, et venditionem Joseph fluxerunt viginti duo anni. Joseph enim sexdecim annorum erat, cum venditus est in Ægyptum, et triginta novem quando venit ad eum pater. Redit ergo Moyses, ad id quod prætermiserat. Dum ergo rediret Jacob de Mesopotamia, et nondum venisset ad patrem, adhuc vivente Rachel, secundum Josephum, facta est venditio Joseph in hunc modum. Oderant eum fratres sui, quia a patre plus cæteris amabatur (*Gen.* XXXVII), tum quia in senectute genuerat eum, tum quia præstantior corpore, et sapientior cæteris erat. Accusaveratque fratres apud patrem crimine pessimo, vel de odio in ipsum, vel de coitu cum brutis, juxta opinionem quorumdam sequentium ordinem Genesis, s lum Ruben pro concubina patris. *Fecitque ei pater tunicam polymitam* *, vel manu, vel acu pictam; vel secundum Aquilam, *tunicam astragoleam*, id est talarem, vel secundum Symmachum, *tunicam manicatam*, id est manicas habentem. Alii colobiis utebantur, ut expeditiores essent. Potest tamen dici manicata, id est manu picta, acu scilicet superinducta. Causa tamen odii major fuit visio somniorum. Retulit enim fratribus somnium, quod viderat dicens : *Putabam nos ligare manipulos in agro, et vestros manipulos adorare manipulum meum stantem.* Qui dixerunt : *Nunquid rex noster eris, aut subjiciemur ditioni tuæ?* Aliud quoque somnium præsente patre retulit eis : *Vidi quasi solem, et lunam et undecim stellas adorare me. Increpavit eum pater, et ait : Nunquid ego, et mater tua, et fratres tui adorabimus te super terram?* Potuit hoc congrue dicere, quia mater adhuc vivebat, nec tamen mater eum adoravit, quia non descendit in Ægyptum. Nec pater legitur eum adorasse, quia nec Joseph hoc sustinuisset, sed fratres adoraverunt, et parentes in filiis. *Cumque fratres, in pascendis gregibus, morarentur in Sichem*, misit eum pater de valle Hebron, ut videret quæ fierent circa fratres, et pecora. Cumque non invenisset eos in Sichimis, insecutus est eos in Dothaim. *Qui cum vidissent eum procul, mutuo loquebantur : Ecce somniator venit; venite, occidamus eum, et mittamus* cadaver *in cisternam veterem, dicemusque : Fera pessima devoravit eum.* Ruben autem volens liberare eum aiebat : Non effundamus sanguinem ejus, sed vivum projiciamus eum, in cisternam, ne pater una perimatur, et mater in luctu. Hic vult Josephus matrem adhuc vixisse. Nudantes ergo eum tunica polymita, miserunt in cisternam, in qua non erat aqua; et recessit Ruben, meliora quærens pascua; dum autem sederent comedentes panem, viderunt Ismaelitas venientes de Galaad, portantes in camelis aromata, et resinam, et stacten, id est myrrham, in Ægyptum. Dixitque Judas fratribus suis : *Melius est, ut venumdetur Ismaelitis puer, et manus nostræ non polluantur* cælando sanguinem ejus. *Caro enim, et sanguis noster est. Et vendiderunt eum Madianitis viginti argenteis.* Eosdem vocat Madianitas, quos et Ismaelitas. Madiam tamen de Cethura filius Abrahæ, et Ismael de Agar, et filios, de diversis uxoribus, legitur separasse Abraham adinvicem. Forte separati prius, postea redierunt in unum, et facti sunt unus populus, retinentes utriusque parentis nomen. Vel vera est Hebræorum opinio, qui dicunt Agar, et Cethuram unam fuisse, et ita forte nunquam separati fuerunt. Reversus autem Ruben ad cisternam, non invenit puerum, et credens eum interemptum, scissis vestibus ejulabat. Sed accepto quod viveret, quievit. Tulerunt autem vestes Joseph, et ejus tunicam in sanguine hœdi tinxerunt, et miserunt quosdam, qui ferrent ad patrem, et dicerent : *Hanc invenimus, vide si filii tui est tunica. Quam cum agnovisset pater ait : Fera pessima devoravit filium meum Joseph. Scissisque vestibus, et indutus cilicio luxit filium multo tempore. Congregatisque filiis, ut lenirent dolorem patris, noluit eos audire, sed dicebat : Descendam lugens ad filium meum in infernum.* Erat enim tunc in inferno, quidam locus beatorum, longe semotus a locis pœnalibus, qui ob quietem et separationem, ab aliis sinus dicebatur, sicut sinum maris dicimus. Et dictus est etiam sinus Abrahæ, quia etiam Abraham ibi erat in sui tentatione **, usque ad mortem Christi.

* *Additio* 1. Polymitam pronuntiant quidam, correpta penultima, quia componitur a polys, quod est *plura*, et micos, quod est *licium*; sicut hexaminatum ab *hexa*, quod est *sex*, *licia* aminatum, quasi *habens sex licia*, et tunc penultima correpta.

** *Additio* 2. Qui dictus est prima via credendi, non quod primus crediderit, sed quia primus pro fide unius Dei persecutionem passus, quia de Chaldæa expulsus.

CAP. LXXXVIII. *De ingressu Joseph in Ægyptum.*

Madianitæ vero vendiderunt Joseph in Ægyptum Putiphari eunucho, magistro militiæ Pharaonis (*Gen.* XXXVII). Alii dicunt archimachero, id est *principi cocorum*. Machera enim *coquina* dicitur, vel *securis cocorum* a machere, quod est *occidere*. Nec abhorret a vero, quia apud plures nationes dapifer principis honorabilior est, et princeps militum. Hunc Josephus vocat, Petephren, sed Hieronymus non bene translatum nomen asserit. Hic habuit uxorem, et liberos, quia et Joseph filiam ipsius duxit uxorem, nec de eunuchis regis fuit, qui parvuli castrabantur. Sed tradunt Hebræi, quod videns Joseph elegantem, emit eum ut misceretur

Digitized by Google

ei. Dominus autem custodiens Joseph, illum adeo infrigidavit, ut deinceps impotens fuerit coire, et tanquam eunuchus esset, ita quod videntes eum hierophanti arefactum, de more suo eum pontificem Heliopoleos, id est *domus solis*, creaverunt, et honoratior erat quam ante in principatu.

CAP. LXXXIX. *Quod Judas genuit Phares, et Zaram de Thamar*, etc.

Eo tempore, (antequam Joseph venditus esset, quia hoc etiam intersertum est per recapitulationem *), *descendens Judas a fratribus suis, ivit ad virum Odollamitem, nomine Hiram* (*Gen.* XXXVIII), et accepit ibi uxorem, nomine Sue, filiam Chananæi, quæ peperit ei filium primogenitum Her, deinde Onam, post Sela. *Dedit autem Judas Her primogenito, uxorem, nomine Thamar. Fuit autem Her nequam*, id est abutens vasculo uxoris, *et occisus est a Domino*, id est inventus est mortuus in thoro juxta uxorem. Et dixit Judas ad *Onam*, ut ingrederetur ad eam, ut suscitaret semen fratri. In quo patent quædam in lege post scripta, quæ ante eam sunt observata. Qui indignans sibi non nasci filios fundebat semen in terram, id est inutiliter uxorem cognoscere satagebat. *Et percussit eum Dominus.* Remisitque Judas Thamar, ut esset vidua in domo patris sui, donec cresceret Sela; quo adulto timuit eum dare Thamar, et dissimulabat. *Mortua est autem Sue uxor Judæ. Qui consolatione accepta post luctum*, ibat ad tondendas oves cum Hira opilione suo. Quod audiens Thamar, *depositis vestibus viduitatis, assumpsit theristrum, seditque in bivio itineris, quod ducit Thamnam;* Hebræum sonat *in oculos sedit.* Sic enim vocat bivium, ubi diligentius debet aspicere viator, quo gradiatur. *Quam cum vidisset Judas, suspicatus est cadesam*, id est *scortum.* Cui et dixit : *Sine me, ut coeam tecum.* Quæ ait : *Quid dabis mihi?* Et ille : *Mittam tibi hœdum de grege.* Et illa : *Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem : et dedit illi annulum, et armillam, et baculum, quem gerebat, pro arrha. Ad unum ergo concubitum concepit mulier* geminos. Et abiit receptis iterum viduitatis vestibus. *Misitque Judas hœdum per pastorem.* Qui cum venisset, et non inveniret eam, rediit ad Judam sine pignoribus. Post tres autem menses dictum est Judæ : *Fornicata est Thamar, et uterus ejus intumuit.* Qui ait : *Producite eam, ut comburatur. Quæ cum duceretur ad pœnam misit socero suo pignora dicens : De viro cujus hæc sunt concepi.* Qui ait : *Justior me est, quia non tradidi eam Sela filio meo*, hæc fecit, ne periret semen filii mei, ultra non cognovit eam Judas. *Instante vero partu apparuerunt duo in utero, et in ipsa effusione unus protulit manum, in qua ligavit obstetrix coccinum, et ait : Hic egredietur prior. Illo quoque retrahente manum, egressus est alter.* Dixit quoque mater : *Quare propter te divisa est a fratre tuo maceria? et ob hoc vocavit eum Phares.* Maceriam dixit membranam secundarum, vel secundinarum, qua involvitur puer in utero, quæ dividitur in partu, et sequitur puerum. *Postea egressus est alter cum coccino, et dictus est Zaram*, id est *oriens*, quia primus apparuit, vel quia plurimi justi ex eo nati sunt, ut legitur in Paralipomenon (*I Paralip.* II). Tamen in glossa super librum Regum in principio tertii libri legitur : Obstetrix in Genesi coccinum ligavit in manu Phares; et ab eo quod parietem diviserat, nomen Phares forte sortitus est. Forte post, coccinum tulit de manu Zaram, et alligavit Phares, ut a similibus gemellis primogenitus distingueretur.

* *Additio* 1. Aliud est recapitulatio, si cum, quod prius factum est, post dicitur. Aliud anticipatio, cum prius dicitur, quam factum fuerit quid.

CAP. XC. *De incarceratione Joseph.*

Igitur Joseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus; fuitque Dominus cum eo, domumque domini sui *creditam sibi gubernabat. Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph; qui tamen aliud de omnibus non noverat nisi panem quo vescebatur* (*Gen.* XXXIX). Factum est autem quod domina sua oculos jecit in Joseph, et ait : *Dormi mecum.* Qui respondit : *Omnia sua tradidit mihi dominus meus præter te. Quomodo ergo hoc possum facere*, imo *et peccare in Deum meum.* Accidit autem, ut ait Josephus, ut publica festivitas instaret, cui etiam mulieres interesse debebant. Tunc illa ægritudinem simulavit viro, captans ob hoc solitudinem et silentium, ut exoraret Joseph. Et apprehenso lacinio pallii Joseph, ait illi : *Dormi mecum. Qui* iratus *relicto pallio in manu ejus egressus est foras.* Illa contemptam se dolens, in argumentum fidei retentum pallium ostendit marito revertenti, dicens : *Ingressus est ad me servus Hebræus ut illuderet mihi.* Ille nimis credulus conjugi, vinctum Joseph tradidit in carcerem regis. *Fuit autem Dominus cum illo, et dedit illi gratiam in conspectu domini carceris;* qui carcerem et vinctos in custodia ejus posuit.

CAP. XCI. *De expositione somniorum Pincernæ, et Pistoris.*

Accidit autem ut pincerna regis, et pistor in eumdem carcerem mitterentur, et Joseph ministrabat eis. *Viderunique ambo somnium nocte una. Quos cum mane vidisset Joseph tristes* (*Gen.* XL), sciscitatus est ab eis causam doloris : cumque accepisset pro somnio eos dolere, ait : *Referte mihi quæ vidistis. Nunquid non Domini est interpretatio*, id est nunquid adjutorio Dei non potest interpretari? Et ajt præpositus pincernarum : *Videbam coram me vitem, et in ea tres fundos oculos*, scilicet unde funduntur palmites (alii ponunt *tria flagella*, vel *tres propagines*, quod idem est), *et paulatim crescere gemmas, et post flores uvas maturescere, premebamque uvas in calicem Pharaonis, quem tenebam, dabamque poculum Pharaoni.* Et ait Joseph : Deus dedit in bonum hominibus usum vini unde et ipsi libatur, solvit luctes et tristitias, et bona est ejus vi-

Digitized by Google

sio : *Tres autem propagines tres sunt dies, post quos restituet te Pharao in gradum pristinum. Memento mei dum bene fuerit tibi, ut suggeras regi, ut educat me de isto carcere, quia de terra Hebræorum furto sublatus sum, et hic innocens in lacum missus sum.* Tunc ait Pistor : *Vidi quod haberem tria canistra farinæ super caput meum, et in superiori me portare cibos, qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eo.* Josephus vero ait : duo canistra plena panibus, tertium vero obsonio variisque ciibis quales solent regibus ministrari. Græcus habet, tria canistra codritorum, id est panum secundorum, et potuit esse quod etiam in superiori essent panes secundi, super quos essent panes primi, de quibus edebat Pharao. Et ait Joseph : Mallem me esse interpretem bonorum. *Tres adhuc dies sunt, post quos Pharao suspendet te in cruce, et comedent aves carnes tuas. Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat, et inter epulas recordatus est magistri pincernarum et pistorum principis; pincernæ restituit in locum suum; pistorem vero suspendit in patibulo; oblitusque est pincerna interpretis sui.*

A

B

Cap. XCII. *De sublimatione Joseph pro expositione somniorum.*

Post duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves crassæ, obesisque carnibus, id est plenis, quasi ad esum educatis; et post, *aliæ septem emergebant de flumine*, summa *confectæ macie, et devorabant priores. Expergefactus Pharao rursum obdormivit, et vidit aliud somnium. Septem spicæ plenæ pullulabant in culmo uno, aliæque totidem juxta oriebantur tenues, et percussæ uredine, et devorabant priores. Territus Pharao convocavit conjectores, et sapientes Ægypti, nec erat qui interpretaretur* (*Gen.* XLI). Et recordatus est pincerna Joseph, *et* ejus suggestione *ad regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt.* Vincti enim et exsules incrementa crinium patiuntur. *Et veste mutata, oblatus est regi.* Rex apprehensa manu ejus dextera ait : *Vidi somnia, nec timeas edissere quidquid sit. Narravitque quod viderat.* Et ait Joseph : *Somnium regis unum est*, id est unius significationis; *quæ facturus est Deus ostendit Pharaoni. Ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in universa terra Ægypti; quos sequentur alii septem tantæ sterilitatis, ut oblivioni detur cuncta retro abundantia.* Ad idem sane spectant boves et agricolæ, et spicæ, et somnii repetitio *firmitatis est indicium.* Quod autem juxta fluvium vidisti, hæc causa fertilitatis et sterilitatis ex flumine maxime oritur. *Nunc ergo provideat rex virum, qui quintam partem frugum per septem annos fertilitatis congreget in horrea regis, ut serventur* adversus futuram paratam famem. Pharao utrumque miratur in Joseph, et somnii solutionem, et consilii discretionem, dispensationemque hujus rei commisit, ei dicens quod Spiritu Dei plenus esset. Ecce ter jam insinuatus est Spiritus Dei, primo ibi : *Spiritus Dei ferebatur super aquas* (*Gen.* I); secundo ibi : *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis* (*Gen.* VI); tertio hic : *Tulit ergo Pharao annulum de manu sua, et dedit in manu ejus, et collo torquem auream circumposuit, et fecit eum secundum in regno. Ascenditque currum regis Joseph, clamante præcone ut omnes coram eo genua flecterent*, sicut coram rege. Hebræi tamen tradunt præconem non clamasse ad geniculationem, sed abrech, quod sonat *pater tenerrimus.* Abba enim *pater*, rech, *delicatus*, vel *tenerrimus*, quasi dicat : Etsi ætate tener, tamen sapientia pater. Et ait rex ad Joseph : *Ego sum Pharao.* Juramentum est, et est sensus : Sicut verum est me esse Pharaonem, sic verum est quod dicam : *Absque tuo imperio non movebit quispiam pedem, aut manum in Ægypto*, id est non egredietur quispiam hinc sine nutu tuo, neque publicis fungetur officiis. *Et vocavit eum lingua Ægyptiaca Phanechane*, id est *Salvatorem mundi*, quod Græce Pontiphanec dicitur, Hebraice tamen sonat *absconditorum inventorem. Et dedit ei Aseneth filiam Putiphar domini sui virginem* *. *Triginta annorum erat Joseph, quando stetit coram Pharaone, natique sunt ei duo filii, priusquam veniret fames. Vocavitque filium primogenitum Manasses*, quod est *oblivio*, dicens : *Oblivisci me fecit Deus laborum meorum, et domum patris mei. Secundum vocavit Ephraim*, quod est *fructificatio*, dicens : *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.*

C

D

* *Additio* 1. Hebræi in excusationem Joseph de matrimonio alienigenæ, dicunt Job post flagella duxisse Dinam filiam Jacob, et ex ea suscepisse filiam, de qua et Putiphare nata est Aseneth.

Cap. XCIII. *De ingressu fratrum Joseph in Ægyptum.*

Joseph collegit granum septem annis. Quibus transactis, venerunt anni inopiæ. *Et clamavit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit : Ite ad Joseph. Aperuitque Joseph horrea, et vendidit Ægyptiis. Aliæ etiam provinciæ venibant in Ægyptum, ut emerent escas* (*Gen.* XLI). Pecunia vero tradebatur arcariis regis. Audiente autem Jacob quod escæ venderentur in Ægypto, misit illuc decem filios suos, Benjamin domi retinendo. Qui ingressi terram Ægypti venerunt ad Joseph, nec agnoverunt eum. *Cumque adorassent eum, et cognovisset eos, durius loquebatur eis dicens : Unde venistis?* Qui dixerunt : *De terra Chanaan, ad emendum escas.* Et ille : *Exploratores estis, ut videatis infirmiora terræ* ex diverso *venistis.* Et illi : *Non est ita, domine; sed servi tui, omnes sumus filii viri unius; minimus cum patre nostro est, alius non est super.* Qui ait : *Hoc est quod locutus sum : Exploratores estis.* Impossibile est enim viro idiotæ tales filios esse, cum etiam regibus talis filiorum copia valde sit difficilis. *Per salutem Pharaonis non egredietur hinc omnes, donec veniat frater vester minimus. Mittite unum ex vobis, qui adducat eum.* Timebat enim ne forte et in illum aliquid deli-

Digitized by Google

quissent ; *et tradidit eos vinctos custodiæ tribus diebus.* Tertio autem die eduxit eos, et retinens Simeon, ligansque eum illis præsentibus, alios abire permisit. Qui conquerebantur ad invicem : *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum,* nescientes, quia intelligeret eos Joseph, quod per interpretem loquebatur eis. *Jussitque Joseph ministris suis, ut implerent saccos eorum, et reponerent singulorum pecunias in saccis suis, datis supra cibariis in via.*

CAP. XCIV. *De reditu fratrum ad patrem.*

Et illi profecti sunt, veneruntque ad patrem suum in terram Chanaan, et dixerunt ei omnia quæ acciderant eis. *Cumque frumenta effunderent, singuli invenerunt in ore saccorum ligatas pecunias. Territisque omnibus dixit pater : Absque liberis fecistis me : Joseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, Benjamin auferetur, in me hæc mala reciderunt. Et ait Ruben : Trade eum mihi, duos filios meos interfice, nisi restituam eum tibi. At ille : Non descendet filius meus vobiscum* (*Gen.* XLII). Interim consumptis cibis fames opprimebat eos. *Et dixit Jacob ad filios : Revertimini in Ægyptum, ut ematis pauxillum escarum. Et ait Judas : Si vis puerum mittere nobiscum, ibimus, alioquin non imus* *. *Ego suscipiam puerum, de manu mea require eum. Nisi illum reduxero, ero reus peccati omni tempore. Et ait Israel : Si sic necesse est, facite quod vultis. Sumite de optimis fructibus terræ* nostræ vobiscum, *modicum resinæ, et mellis, storacis, et stactes, terebinthi, et amygdalarum, et ferte viro munera, pecuniamque quam retulistis reportate, et aliam ad emendos cibos. Deus autem faciat vobis virum placabilem, et remittat vobiscum fratres* (*Gen.* XLIII). Resina dicitur quodlibet gummi liquidum, vel aridum, a resin Græco, quod est *manare.* Prima pretiosior est, quæ et terebinthina dicitur, quod forte exponendo subdit, et terebinthi; secunda est lentiscina, quæ venit de Chio insula; tertia pinea : forte balsamum sic vocavit. Josephus enim in principio munerum unguenta balsami posuit, et resinam tacuit. Storacem quidam dicunt speciem resinæ. Hieronymus dicit in Hebræo esse nethota, quod sonat generaliter *tymiama;* et in Isaia, pro *domo Nethota,* quidam transtulerunt, *domus tymiamatis;* quidam, *domus storacis.*

* *Additio* 1. Ex eo quod Jacob non tradidit puerum Ruben, offerenti duos filios; sed Judæ sub conditione reatus, volunt accipi, quod majus sit peccatum, occidere animam, quam corpus.

CAP. XCV. *De ingressu fratrum in Ægyptum, cum Benjamin.*

Igitur filii Jacob descenderunt in Ægyptum, et steterunt coram Joseph. Qui præcepit dispensatori suo, ut introduceret eos, pararetque convivium, quia secum erant comesturi. Illi timentes se introductos pro pecunia, quam retulerant, dicebant dispensatori, se eamdem retulisse, et eis nescientibus, repositam fuisse etiam in sacculis, qui ait : Pax vobis. Deus vester dedit vobis eam pecuniam, quam dedistis mihi probatam ego habeo. *Eduxitque ad eos Simeon : Parabantque munera donec ingrederetur Joseph meridie* (*Gen.* XLIII). Cui ingresso obtulerunt munera, et adoraverunt in terram, et accepto quod salvus esset pater, benedictoque Benjamin, commota sunt viscera ejus, et ingressus cubiculum flevit. Lotaque facie egressus continuit se, et ait : *Ponite panes.* Sedit autem Joseph seorsum, tanquam alienigena, et Ægyptii seorsum, ut indigenæ et fratres seorsum, ut advenæ. Profanum enim putant Ægyptii edere cum Hebræis; forte pro dispari cultu. Disposuitque Joseph fratres secundum ordinem ætatis eorum, sicut in domo patris sedere consueverant. Datisque partibus, mirabantur quod pars Benjamin quinque partibus excederet. Josephus autem dicit : « Benjamin duplicibus partibus honorabat. » Utrumque autem stare potest, si quinque ciborum fuerunt impositiones, et de qualibet duplum dedit. *Biberuntque et inebriati sunt cum eo,* id est satiati cibo, secundum idioma Hebræorum. Præcepitque Joseph dispensatori suo, ut impleret saccos, et pecunias eorum reponeret, ut prius, et scyphum suum argenteum in sacco minoris reponeret. Factumque est ita. Ortoque mane dimissi sunt. Tunc dispensator, jubente Joseph, secutus est eos, et apprehensis ait : *Pessimam rem fecistis. Scyphum furati estis in quo bibit dominus meus, et in quo augurari solet* (*Gen.* XLIV). At illi dixerunt : *Apud quemcunque inventum fuerit, quod quæris, moriatur et nos servi erimus domini tui.* Ille scrutatus incipiens a majori, usque ad minorem, invenit scyphum in sacco Benjamin. Illi autem redierunt ad Joseph. Qui ait : An ignoratis quod non sit similis mihi in augurandi scientia. Forte joco dictum est, nec est imputandum. Judas vero plurimum supplicabat, ut ipsum, meliorem pro puero, servum retineret, quia in suam eum fidem receperat a patre.

CAP. XCVI. *Quod Joseph indicavit se fratribus.*

Non poterat ultra se cohibere Joseph, et ejectis aliis foras cum fletu clamabat, ita quod qui exierant, audirent : *Ego sum Joseph, nolite timere; pro salute vestra misit me Dominus ante vos. Biennium jam famis transiit, adhuc quinque anni restant quibus nec arari, nec mati poterit* (*Gen.* XLV) : quod ex nimia fluvii inundatione creditur accidisse. Et adjecit. *Festinate, et nuntiate patri meo gloriam meam, adducite eum ad me, ut pascam vos, et pecora vestra, ne moriamini, et habitabitis in terra Gesse. Oculi vestri vident quod os meum loquatur ad vos,* id est verum est quod loquor. *Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, flevitque super singulos. Auditumque est verbum in aula regis : Venerunt fratres Joseph. Gavisusque est Pharao, et dixit ad Joseph :* De fratribus tuis. Tollite plaustra de Ægypto ad subvectionem conjugum, et parvulo-

Digitized by Google

rum. Omnia vestra adjucite vobiscum, dabo vobis omnia bona Ægypti, et medullam terræ comedetis. Factumque est ita. Dedilque Joseph singulis binas stolas. Stola dicitur à telon, quod est longum, quasi tunica talaris. Benjamin vero dedit trecentos argenteos, et quinque stolas optimas, et totidem misit patri, asinosque decem, qui subveherent ex omnibus bonis Ægypti, et proficiscentibus ait: *Ne irascamini in via.* Qui cum venissent ad patrem dixerunt: *Joseph vivit, et dominatur in Ægypto. Jacob quasi de gravi somno evigilans, non credebat eis. Cumque vidisset omnia, quæ miserat ei, ait: Sufficit mihi, si filius meus Joseph vivit.* Quasi dixerat: De pœna, vel gloria non multum curo: *Si vivit, vadam et videbo eum, priusquam moriar.*

CAP. XCVII. *De descensu Israel in Ægyptum.*

Igitur profectus Israel cum omnibus quæ habebat venit ad puteum Juramenti, et mactatis victimis Deo, audivit Deum per visionem noctis dicentem sibi: Noli timere, descende in Ægyptum, faciam te ibi in gentem magnam, et inde reducam te. Joseph quoque ponet manum suam super oculos tuos. Surgens ergo de puteo Juramenti, venit in Ægyptum cum omni semine suo. Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum eo, et egressæ de femore ejus (non quod animæ sint ex traduce, sed a parte totum intelligitur) fuerunt *sexaginta sex* (*Gen.* XLVI), præter ipsum, et Joseph cum duobus filiis, qui erat in Ægypto; fuerunt ergo omnes simul septuaginta. Tamen LXX, transtulerunt septuaginta; et Lucas similiter in Actibus apostolorum, sed per præoccupationem dictum esse Hieronymus asserit; et enumeratos cum eis quinque filios filiorum Joseph, quia illi duas facturi erant tribus. Lucas quidem scribens Actus apostolicos gentibus, non fuit ausus mutare verbum LXX, quia eorum vigebat auctoritas inter gentes; ipse vero adhuc cis erat ignotus. Ipsi etiam LXX in Deuteronomio transtulerunt, quod Israel ingressus est cum animabus septuaginta (*Deut.* x). Nota in his numerari Her, et Onam filios Judæ, qui tamen mortui sunt in terram Chanaan. Forte in loco defunctorum numerantur duæ ancillæ Jacob, si tamen et illæ intraverunt. Vel more Scripturæ summam numeri posuit quamvis parum desit. Item, nota si Dina numeratur inter filios, et nepotes, septuaginta sunt præter Jacob. Filii enim Liæ triginta tres, filii Zelphæ sexdecim, filii Rachel quatuordecim, filii Balæ septem. Nota quod cum Joseph nondum haberet nisi duos, restat ut Benjamin haberet decem, sed in libro non leguntur nisi novem. Forte vitio scriptorum duo nomina scripta sunt pro uno. Unde magister Hugo *Asbel* in *Asa* et *Belum* divisit. Sed non videtur posse stare, quia in Numeris cum familiæ tribuum numerantur, victis Madianitis, sic legitur: *Asbel a quo familia Asbelitarum* (*Num.* XXVI). Sed in Hebraica veritate, Ros, et Numphin duo sunt nomina, quæ apud nos vitiose juncta sunt, quia forte Josephus pro Asbel posuit Asbela, ideo sic divisit.

CAP. XCVIII. *Quod Joseph occurrit patri suo, et introduxit eum ad regem.*

Præmisit ergo Jacob ad Joseph, ut occurreret ei. Qui juncto curru occurrit ei in Gessen (*Gen.* XLVI). Alii dicunt ad urbem Heroum in terra Ramesse, quæ tunc Gessen, post Thebais dicta est, aqua Thebæi, quorum legioni præfuit beatus Mauricius. Aliæ sunt Thebæ, unde Thebani. Postea cum reges fuerunt ex ea, dicta est urbs Heroum, quia heroes Ægypti ei debebant custodiam. In finibus terræ illius postea ædificaverunt Hebræi, cogentibus Ægyptiis, urbem Tabernaculorum, quæ dicta est Ramesse, post pagus Arsenoïtes dicta est, quod sonat *sine sexu*, sic dicta quando sine discretione uterque sexus cœpit imperare Ægypto. Dixitque Joseph ad omnem domum patris sui: Ibo, et nuntiabo Pharaoni venisse vos, et viros esse pastores. *Cumque dixerit vobis: Quod est opus vestrum, dicetis: Pastores sumus nos, et patres nostri. Hæc dicetis, ut habitetis seorsum ab Ægyptiis, in optima terra Gessen, quia detestantur omnes Ægyptii pastores ovium*, quia non comedunt eas, sed colunt ut Ammonem. Ingressusque Joseph ad regem, extremos fratrum suorum, id est supremos quinque viros statuit coram rege. Qui cum dixissent se pastores ovium, addiderunt, non est herba in terra Chanaan, petimusque ut jubeas nos servos tuos esse in terra Gessen, nec enim separari volumus, sed omnem patris providentiam facere (*Gen.* XLVII). Si quæritur quomodo Ægyptus tempore inopiæ abundabat in pascuis, dicimus quia Ægyptus, contra naturam aliarum regionum, cum abundat frugibus, sterilis est in pascuis, et e converso. Diutior, vel diuturnior enim mora fluminis super terram, tempora colendi impedit, vel sata exstinguit, pascua autem nutrit. *Post hæc introduxit Joseph patrem ad regem.* Benedixit regi. Inquisitusque a rege de diebus annorum suorum, ait: *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali; nec pervenerunt usque ad dies patrum meorum.* Peregrinationis dixit, quia sancti vitam hanc pro incolatu habent. Mali dixit, quia *sapiens accusator est sui* (*Prov.* XVIII), quod autem dixit parvi, determinavit dicens, *nec pervenerunt*, etc. — *Dedit ergo Joseph fratribus suis possessionem in optimo terræ solo Ramesses.* Dicit tamen Josephus: Concessit eis Pharao, ut in Heliopolitana urbe conversarentur; illic enim pascua pastores ejus habebant, sciens gratum esse Ægyptiis separari a se pastores, et nihil quod eorum esse istis dedisse. Forte ad territorium Heliopoleos spectabat terra Gessen.

CAP. XCIX. *De ratione sive annona quintæ partis frugum instituta.*

Inclinavit fames in Ægypto. Cumque defecisset pretium emptoribus, sustentavit eos Joseph anno illo pro commutatione pecorum (*Gen.* XLVII). Se-

Digitized by Google

quenti anno cum iterum fame perirent, emit omnem terram Ægypti Joseph pro alimentis, et subjecit eam servituti Pharaonis, præter terram sacerdotum, quam dederant eis reges, quibus statuta cibaria ex horreis publicis debebantur, et ideo non sunt compulsi vendere possessiones suas. Circa finem vero sterilitatis, ait Joseph ad populos: *Ex vos, et pecora vestra, et terra in manu Pharaonis sunt. Ecce vobis reddo terram, et pecora, et dabo semina, et coletis terram regi. Quintam partem dabitis regi, quatuor reliquas permitto vobis in sementem, et in cibos. Qui dixerunt: Salus nostra in manu tua est. Ex tunc usque nunc quinta pars solvitur regibus Ægypti. Et factum est quasi in legem.*

CAP. C. *De juramento quod fecit Joseph patri.*

Habitavit ergo Israel in terra Ægypti, auctusque est nimis, et vixit in ea decem et septem annis, factique sunt dies sui centum quadraginta et septem annorum. Cumque videret diem obitus sui imminere, vocavit Joseph, et fecit ut poneret manum sub femore suo et juraret, id est per circumcisionis sanctitatem juravit hoc secundum Judæos vel per Christum, quod sepeliret eum in sepulcro majorum suorum, quod Abrahamium dicitur, et interserendo dixit, ubi mortua fuit Rachel, quasi se excusans, quod non sepelierat eam, ubi ipse volebat sepeliri. Cura fuit sanctis sepeliri in terra, qua sciebant Christum resurrecturum, ut cum eo resurgerent. Distat enim Abrahamium a Calvaria fere triginta milliaribus. Cumque jurasset Joseph, *conversus Israel ad lectuli caput*, quod erat ad orientem, *adoravit Deum*. Quidam codices habent, *adoravit super caput virgæ ejus*, vel *in capite virgæ suæ* et utrumque stare potest. Potuit enim senex habere virgam, ut in hac ætate fieri solet, et innixus super eam adoravit, vel sceptrum, quod gerebat Joseph suscepit, donec jurasset. Cumque jurasset, innixus super cacumen nondum redditæ virgæ, adoravit Deum. Non enim credendum est dicentibus quod adoraverit sceptrum Joseph.

CAP. CI. *De benedictione Ephraim, et Manasse.*

Iterum *nuntiatum est Joseph, quod ægrotaret pater ejus, assumptisque duobus filiis, perrexit.* Audiens senex venisse filium, *confortatus est, et sedit in lecto, vidensque Jacob Joseph et ejus duos filios, ait: Qui sunt isti? Clare* enim *videre non poterat. Et ait Joseph: Isti sunt filii mei, quos dedit mihi Deus in loco isto. Et ait Jacob: Isti duo mei erunt. Sicut Ruben et Simeon deputabuntur mihi*, id est quisque tribum faciet *. *Reliquos quos genueris, nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis*, id est non facient tribus, sed contenti erunt possessionibus suis (*Gen.* XLVIII). Vel aliter, *nomine fratrum suorum vocabuntur*, id est annumerabuntur tribubus fratrum suorum, ita quod quidam Manasse, quidam Ephraim. Applicuit autem Joseph Manassen ad dexteram patris, et Ephraim ad sinistram, adorans, et petens ut benediceret eis. Jacob vero in spiritu cancellavit manus, minori dexteram superponens. Quod Joseph graviter accepit, et ait: *Non ita convenit, pater. Alter enim est primogenitus.* Et ille: *Scio, fili mi, scio, et ille quidem erit in populos, sed minor major erit, et semen ejus crescet in gentes.* Hoc impletum est in Jeroboam, qui primus imperavit decem tribubus, et fuit Ephraita. Et ait ad Ephraim: *In te benedicetur Israel, et dicetur* in proverbium: *Faciet tibi Deus sicut Ephraim, et Manasse.* Et ad ambos ait: *Deus patrum nostrorum benedicat pueris istis, et invocetur nomen meum super eos*, id est nomina Abraham, et Isaac, *et crescant in multitudinem super terram.* Et ait ad Joseph: *Deus reducet vos in terram vestram. Do tibi præter fratres tuos Sichimam, quam tuli in gladio, et arcu meo de manu Amorrhæi.* Sane emerat eam centum agnis a rege Emor, sed cum pro nece Sichimitarum debuerat auferri sibi, potestative semper eam obtinuit.

* *Additio.* 1. Quilibet filiorum Jacob, præter Joseph, fecit tribum, cujus loco, duo ejus filii, duas tribus fecerunt, sed tribus Levi raro numeratur.

CAP. CII. *De benedictionibus duodecim tribuum.*

Convocavit autem Jacob filios suos, et ait illis: Congregamini, ut annuntiem vobis quæ futura sunt in diebus novissimis * (*Gen.* XLIX). Ad litteram de divisione terræ, et statu tribuum futuro prophetavit, apertissime vero de utroque Christi adventu.

* *Additio* 1. Non quod omnibus benedixerit, quod patet in Ruben, sed quia omnibus prophetavit.

CAP. CIII. *De Ruben.*

Ruben primogenitus meus, fortitudo mea, id est quem genuit in ætate robusta, *principium doloris mei*, id est sollicitudinis meæ circa meos filios, unde alii habent *capitulum liberis meis* *. *Prior in dono, major in imperio* [supple *esse debuerat*], *effusus es sicut aqua*, id est in vilem libidinem. *Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui* (*Gen.* XLIX). Vel ita distingue: *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui*, ac si diceret: Lege primogenituræ honor tibi præ aliis debebatur, et duplicitas in possessione, sed sufficiat tibi pro crimine tuo, parem esse cæteris. Non ergo super excrescas, sicut aqua bulliens super egreditur, vel sicut fluvius inundans.

* *Additio* 1. Hieronymus in lib. 1 *Hebraicarum Quæstionum Genes.*, capitul. 207, sic dicit: In Hebræo scribitur: *Ruben primogenitus meus, fortitudo mea, et capitulum in liberis meis, major ad portandum, et major robore, effusus es sicut aqua*, ne adjiciatur, *ascendisti cubile patris tui, et contaminasti stratum in ascensu.* Est autem sensus hic: Tu es primogenitus meus, major in liberis, et debebas juxta ordinem nativitatis, et hæreditatis, quæ primogenitis jure debebatur, sacerdotium accipere et regnum * hoc etiam portando onere, et prævalido robore monstratur. Verum quia peccasti, et velut aqua, quæ vasculo non tenetur, voluptatis effusus es impetu, idcirco præcipio tibi, ut ultra non pecces,

Digitized by Google

sisque in fratrum numero, pœnam ex peccato A Judas ascendet pro vobis in prælium. *Ligans ad*
luens, quia primogeniti ordinem perdidisti. *vineam pullum, et ad vitem asinam*, id est tanta erit
ei copia vini, quod in una vite onerabitur asinus,
et ob hoc etiam rubicundos dixit oculos, quia sic
apparet in oculis bibentium. In candore dentium,
copiam ovium et lactis notat, quia lac comestum
apparet in dentibus.

CAP. CIV. *De Simeon et Levi.*

Simeon et *Levi vasa iniquitatis, quia in furore suo occiderunt viros*, scilicet Sichimitas, *et foderunt taurum in voluntate sua* (*Gen.* XLIX). Hic aperit, quia contra voluntatem suam factum fuit istud. Alii habent, subvernaverunt taurum, quod quidam de filio regis, qui rapuerat Dinam, intelligunt; quidam de Christo, quidam de tauris ipsius per syllepsim dictum putant. *In concilio eorum non veniat anima mea:* hoc plane de Christo. De Simeon enim Scribæ, de Levi sacerdotes, quorum consilio Christus occisus est. *Dividam eos in Jacob, et dispergam in Israel.* Ad litteram Levi sortem non habuit in terra, sed admistus aliis viculos habuit ad alenda B pecora. Simeon similiter, quia modicus erat, sortem non habuit, sed receptus erat sorte Judæ.

CAP. CV. *De Juda.*

Sequitur de Juda, ubi prophetavit de regno futuro in Juda, et plane de Christo. *Juda, te laudabunt fratres tui* (*Gen.* XLIX). Hoc factum est, quando aliis hæsitantibus primus post Moysen intravit mare Rubrum, ubi et regnum promeruit. *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, et adorabunt te filii patris tui.* Hic notat regem futurum. *Catulus leonis Judas*, hoc de capite regni, David enim minimus fratrum electus est in regem. *Ad prædam, fili mi, ascendisti*, quia primo David plurimos hostes habuit. *Requiescens, accubuisti ut leo, et quasi leæna*, quia C postea in pace regnavit, et maxime timebatur. *Quis suscitabit eum ad* prophetandum, quasi dicat spiritus solus qui directus est in David, vel de successione Salomonis dici potest: *Non auferetur sceptrum*, id est rex *de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est*, a Patre scilicet, Christus. Usque ad transmigrationem Babylonis viginti fuerunt reges de Juda, exinde duces, usque ad Hircanum. Et iterum fuerunt reges circa tempora Christi, et defecerunt utrique, et regnavit Herodes alienigena. *Et ipse erit exspectatio gentium*, salus scilicet exoptata, non solum Judæis, sed etiam gentibus. Tandem convertit sermonem ad filium Judam de illo Christo mittendo sic: *O fili mi*, ille erit *ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem asinam* D *suam*, id est gentilem, et Judæam, sibi, qui vitis est, associabit. *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum*, id est carnem suam passionis sanguine cruentabit. *Pulchriores oculi ejus vino*, id est apostoli, *et dentes ejus*, id est prædicatores, *lacte candidiores*. Hebræus omnia de Juda sic: *Non auferetur sceptrum de Juda*, id est quoddam dominium, quod scilicet primus intravit mare Rubrum, primus obtulit facto tabernaculo, et hujusmodi, *donec veniat qui mittendus est.* Hebræus dicit, *donec veniat Silo*, id est usque ad Saulem unctum in Silo. Post tamen rediit ad Judam, qui eripuit Joseph a manibus fratrum suorum. *Erit exspectatio gentium*, id est tribuum, unde Dominus

CAP. CVI. *De Zabulon.*

Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque Sidonem (*Gen.* XLIX). Ad litteram tribus hæc maritima possedit.

CAP. CVII. *De Issachar.*

Issachar asinus fortis, vel *osseus*, id est vir agricola, *accubans in terminis*, quia Mediterranea possedit inter maritimam et montes. *Et vidit requiem, quod esset bona*, id est terram fecundam, unde sequitur, et terram, quod esset optima, *et supposuit humerum suum ad portandum*, quia in vehendis mercibus ad mare, quæ in finibus suis abundabant, laboravit, *factusque est tributis serviens*, id est navibus ferentibus tributa. Hoc Hebræi metaphorice exponunt dicentes quia nocte et die studendo laboravit, et ideo omnes tribus ei servierunt, quasi magistro dona ferentes.

CAP. CVIII. *De Dan.*

Dan judicavit populum suum, sicut et alia tribus Israel. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro (*Gen.* XLIX). Hoc in Samsone impletum est, quasi dicat: Licet Dan sit minima tribus, tamen de ea surget judex in Israel, sicut, et de aliis, qui ad modum colubri vias observavit, ne hostibus liceat vagari per Judæam, depopulando ut prius, et superbiam Philisthiim retrocedere faciet. Sed quamvis tantus sit, non tamen erit Christus. Unde subdit: Tamen post illum *salutare tuum exspectabo, Domine.* Exponitur hoc, et de Antichristo, quem venturum de Dan asserunt, qui contra sanctos morsu pestiferæ persecutionis, et cornu potestatis armabitur. Multos etiam, qui ascenderant ad culmen virtutum, dejiciet retro, et tunc veniet Salvator, ante judicium exspectatus. Alii referunt hoc ad Judam, qui equum, id est carnem Christi, et ascensorem ejus, id est animam, morsu proditionis dejecit in mortem, tamen Salvator exspectatus resurget. Sed Judas creditur fuisse de Issachar.

CAP. CIX. *De Gad.*

Gad accinctus, vel *latrunculus præliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum* (*Gen.* XLIX). Gad, cum Ruben, et dimidia tribu Manasse, relictis uxoribus et liberis ultra Jordanem in finibus suis, armatus præcessit Israel in terra; pro conditione accepta a Josue, ut rediret in terram, quam occupaverat, scilicet post quatuordecim annos, primus revertens, prælium vicinarum gentium adversus suos, quod reliquerat invenit, et fortiter dimicans hostes stravit.

CAP. CX. *De Aser.*

Aser pinguis panis, et præbebit delicias regibus

Digitized by Google

(*Gen.* XLIX). Fertilis enim fuit hujus possessio et deliciis affluens.

CAP. CXI. *De Nephtalim.*

Nephtalin cervus emissus, et dans eloquia pulchritudinis (*Gen.* XLIX). Per velocitatem cervi significatur velocitas terræ uberioris, quæ præ aliis pretiosos fructus parit. Alii habent ager irriguus, quia super lacum Genezareth Jordane irrigatur, vel aquæ calidæ ibi sunt. Commendationem vero eloquiorum ad montem Thabor, qui in finibus ejus est referunt, quia eum prophetæ incoluerunt, vel quia de primis ejus frugibus offerebatur in Pascha, unde fiebat laus Deo, quæ est eloquium pulchritudinis. Tamen ad Christum et apostolos verius refertur, quia ibi maxime docuit.

CAP. CXII. *De benedictionibus Joseph.*

Filius Joseph accrescens, virtute scilicet et dignitate, vel propter duas partes in tribus. *Filiæ discurrerunt per murum* (*Gen.* XLIX). Hic notat quia Joseph transeunte per Ægyptum mulieres ascendebant muros, ut viderent ejus pulchritudinem. *Exasperaverunt eum, et jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula.* Hoc de fratribus ejus, vel de viris Ægyptiis, qui jaculis invidiæ armati sunt contra eum. *Sedit in forti arcus ejus*, id est in Domino, *et ideo dissoluta sunt vincula brachiorum, et manuum illius per manus potentis Jacob*, id est Deus, qui est potentia Jacob, solvit vincula, quibus ligaverant eum fratres. *Inde pastor egressus est lapis Israel*, quia de eo Jeroboam, qui fortiter rexit Israel, id est decem tribus, vel pastor totius familiæ patris in Ægypto. Hebræus habet verius : *Inde pastorum lapidem in Israel.* Post commendationem ejus benedixit ei sic : *Deus patris tui erit adjutor tuus. Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ* (ordo conversus, quia pro conceptione et nutritione ponitur). Optat ei rorem cœli, fertilitatem terræ, ubertatem factis, fecunditatem pecorum. *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium æternorum.* Hic ad litteram nihil est expositum. Forte sic intelligi potest : Legitur in Numeris : *Inclinati sunt scopuli Arnon*, vel *gestierunt scopuli Arnon* (*Num.* XXI) : et in Psal. : *Montes exsultaverunt sicut arietes, et colles sicut agni ovium* (*Psal.* CXIII). Et hoc dicit *Desiderium collium æternorum.* Hæc tria ad idem spectant. Alibi dicuntur *colles tetragoni æterni.* Dicimus ergo, juxta Arnon, fuisse colles asperrimos et saxeos, et ideo dicti sunt æterni. Quatuor habebant ceraunia, unde et tetragoni dicti sunt, quorum aliqua pars inclinata est coram Israel, ut facile transiret, et quasi applausit eorum adventu, et forte dimidia tribus Manasse circa montes illos sortem habuit. Et est sensus : Sic benedicetur Joseph, donec per colles exsultantes intret terram promissam, et ultra, quia hæc dictio, *donec*, inclusivum est. Forte prophetavit de monte Ephraim, et monte Samariæ, in quibus regnavit Israel, vel de montibus Medorum et Persarum, ultra quos exsulat adhuc Ephraim et Manasses, et lætata est terra de exsilio hostium, et tunc, *donec*, exclusivum est. Tunc enim terminata est gloria Israel. Et Hebræo habetur hic sensus : *Donec jungantur colles æterni cælo.* Et est sensus : Benedictus sit Joseph ubique, more loquendi. Sic enim solet dici, donec cœlum et terra coeunt. Et hæc omnes benedictiones fiant in capite Joseph, et in veritate Nazaræi, id est sancti inter fratres suos.

CAP. CXIII. *De Benjamin.*

Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia (*Gen.* XLIX). Quidam referunt hoc ad Jerusalem, quæ fuit in sorte Benjamin, quæ dicitur *lupus rapax*, quia sanguinem prophetarum et Christi fudit, et *mane* egressionis de Ægypto, *prædam*, id est legem, quasi exortam a Deo accepit, et adhuc eam comedit, sed in vespera mundi *dividet* spiritum vivificantem a littera occidente. Hebræi ad altare, quod fuit in Jerusalem referunt, quod dicitur *lupus rapax*, propter ignis voracitatem in quo mane sacerdotes proponebant victimas ad adolendum, *vespere* ipsi inter se partes suas, quæ de sacrificiis eos contingebant, dividebant. Sed verius de Paulo intelligitur qui fuit de Benjamin, qui primo fideles persecutus, post fidelis eloquia Dei, et gradus Ecclesiæ dispensavit, vel quia hæc tribus multum fuit bellicosa. *Et benedixit singulis propriis benedictionibus*, non quod singulis bona dixerit, sed quia bene et prophetice dixit, vel quia ex maxima parte benedixit eos.

CAP. CXIV. *De morte Jacob, et translatione ejus in Hebron.*

Hæc locutus est Jacob, collegitque pedes suos super lectulum, et obiit, et appositus est ad populum suum, id est ad angelos, certa spe tandem in re (*Gen.* XLIX). Notum quidem est quod appositus est ad Abraham, et Isaac, sed tam pauci populus dici non possunt. Vel populus dici possunt omnes ab Adam prædestinati, qui erant in sinu Abrahæ. *Joseph vero præcepit medicis, ut condirent eum aromatibus, et custodirent eum Ægyptii quadraginta diebus* (*Gen.* L). Mos enim erat ethnicorum incondita servare corpora novem diebus, et singulis diebus plangere, et fovere ea calida aqua, ut sciretur utrum anima egressa an sopita foret ; condita vero undecim diebus servabant. Hebræis mos erat incondita servare septem diebus, condita diebus triginta. Servaverunt igitur et ipsi Jacob diebus triginta, et ita sub amborum custodia transierunt dies septuaginta. Fideles modo, quia mortuos suos fide et virtutibus conditos aiunt, triginta diebus eos plangunt, id est speciales missas sub numero tot dierum pro ipsis celebrant. Quidam tertiam diem maxime celebrant, pro spiritu, anima et corpore. Alii septimam, quia transeunt mortui ad septimam quietis, vel pro septenario animæ et corporis. Significavit autem Joseph Pharaoni per intercessores, quod juraverat patri de sepultura, et accepta licentia a Pharaone comitatus

Digitized by Google

fratribus suis, et multis senibus Ægypti detulit ad sepeliendum patrem in Hebron; sed timentes bella deviaverunt a recto itinere; veneruntque ad aream Azad, ubi postea populus murmurans contra Deum divino igne consumptus est, et planxerunt ibi diebus septem. Et ob hoc indigenæ dixerunt illum Planctum Ægypti. Tandem redeuntes ad viam, transito Jordane, *sepelierunt eum in spelunca duplici. Rediitque Joseph in Ægyptum cum fratribus, et universo comitatu.*

CAP. CXV. *De reditu Joseph, et ejus morte.*

Timentes vero fratres ejus ne mortuo patre memor fieret injuriæ eorum, dixerunt ei : *Pater tuus adhuc vivens mandavit, ut hæc verba tibi diceremus : Obsecro ut obliviscaris scelerum fratrum tuorum. Nos quoque oramus ut patri tuo dimittas iniquitatem hanc. Et adoraverunt eum proni in terram.* Flevitque Joseph, et ait : *Nolite timere, et consolatus est eos. Vixitque centum et decem annis, et vidit filios Ephraim usque in tertiam generationem. Et etiam de Machir filio Manasse nati sunt filii in genibus Joseph.* Aitque fratribus suis : *Deus adhuc visitavit vos, et reducet ad terram, pro qua juravit patribus vestris. Asportate ossa mea vobiscum de loco isto. Cumque adjurasset eos* super hoc, *mortuus est, et conditus aromatibus, repositus in loco, in Ægypto,* nec motus donec egressi sunt filii Israel de Ægypto (*Exod.* XIII; *Jos.* XXIV). Alii fratres, secundum Josephum, quisque in obitu suo deferebatur, et sepelichatur in Hebron, et post translati sunt in Sichem.

HISTORIA LIBRI EXODI.

CAP. I. *Præfatio.*

Historia sequitur Exodi, non alia quidem a prædicta, sed eadem continuata, sed propter fastidium tollendum in quinque partitiones distincta est, quarum quælibet proprium libri sortita est vocabulum. Etiam hæ quinque distinctæ sunt ab Hebræis per quinquaginta quatuor tomos quorum tredecim præcesserunt in Genesi. Hæc autem secunda partitio Græce dicitur Exodus, Latine *Exitus.* Odos enim *iter* vel *via* dicitur. Agit enim de exitu Israel de Ægypto. Hebraice Elesmoth, a principio libri, et sonat, *hæc sunt nomina,* sicut nos a principiis suis psalmos nominamus.

CAP. II. *De servitute filiorum Israel.*

« Surrexit igitur rex novus in Ægypto » longo tempore post mortem Joseph (*Exod.* I). Ab illo enim sub quo fuit Joseph, qui proprio nomine dictus est Nephres, octavus regnavit Ammonaphis, sub quo natus est Moyses. Regno autem translato ad aliam domum, rex ille ab hoc quasi novus, ignoravit beneficia Joseph, quæ contulerat Ægypto, et odiebat Israel maxime, ut ait Josephus, quia invidebant eis Ægyptii propter virtutem ingenii, et laboris industriam, et affluentiam opum et sobolis nobilitatem. Et ait rex ad populum suum : « Populus Israel fere fortior est nobis; sapienter opprimamus eum, ne multiplicatus, vel ipse contra nos insurgat, vel addatur hostibus nostris, et egrediatur liber. » Imposuit ergo eis graves angarias operum, quibus fracti non vacarent amplexibus, et magistros operum præfecit eis Hebræos, sed magistris operum præfecit Ægyptios, ut durius affligerent eos. Coxerunt ergo lateres ex quibus « ædificaverunt regi civitates tabernaculorum, Phithon et Ramessen. » Civitates quidem prius erant, sed non erant *tabernaculorum,* erantque in finibus Ægypti, et ideo muravit eas Pharao, ut ibi poneret armatos, quasi in tabernaculis semper excubantes, ne quis posset ingredi, vel egredi sine regis nutu : vel « tabernaculorum, » id est pauperum prius, et opere illorum illas ditavit; vel, ut alia littera habet, « positionum, » ubi scilicet fiscus reponeretur. Aliud etiam opus, non tam grave quam servile, imposuit eis, ut lutum platearum et sordes vicorum cophinis exportarent, de quo legitur : « Manus ejus in cophino servierunt (*Psal.* LXXX). » Tertium etiam addidit opus, secundum Josephum, ut fluvium per multas derivationes dividerent, et circumdarent civitates fossatis, ne eas inundare fluvius valeret, et jam quadringentos annos in his miseriis expenderunt, id est compleverunt. Quanto magis autem opprimebantur, tanto magis Deo auctore multiplicabantur.

CAP. III. *De dolo obstetricum.*

Quod videns Pharao alium excogitavit dolum, et præcepit obstetricibus Hebræorum Sephoræ, et Phuæ, quæ præerant multitudini obstetricum, ut masculos Hebræorum in obstetricando interficerent, et abortum factum esse mentirentur; feminas autem reservarent : tum quia fragilis sexus nocere non poterat, et libidini Ægyptiorum deservirent; tum quia quidam sacrorum scriba regi prædixerat eo tempore in Israel masculum nasciturum, qui regnum Ægypti humiliaret, et virtute universos transcenderet. « Timuerunt vero obstetrices Deum, et servaverunt mares (*Exod.* I). » Quæ cum a rege arguerentur, mentitæ sunt dicentes : « Hebrææ mulieres scientiam obstetricandi habent, priusquam veniamus ad eas pariunt. Et quia timuerunt Deum, ædificavit illis domos, » id est locupletavit eas, cum essent pauperes, vel fecundavit eas, cum essent steriles. Augustinus dicit obstetrices venialiter peccasse. Gregorius videtur velle quod mortaliter. Dicit enim quod merces benignitatis earum potuit

Digitized by Google

in æterna vita retribui, sed pro culpa mendacii in terrenam compensationem declinata est.

CAP. IV. *De submersione parvulorum.*

Videns ergo Pharao dolos sibi non prodesse, aperte aggressus est eos, præcipiens ut quidquid masculini sexus nasceretur in Israel, in flumen projiceretur, et multi eo tempore submersi perierunt (*Exod.* I). Pro quo peccato creditur Deum Ægyptios tradidisse in hunc errorem, ut Apim pro Deo colerent. Erat autem Apis, ut ait Plinius, qui et testatur se vidisse eum, quidam taurus, qui ex improviso egrediebatur de flumine, habens in humero dextro signum candidum instar lunæ corniculatæ, ad quem cum statim confluerent Ægyptii omni genere musicorum psallentes, levabatur in aera, et super eos tanquam psallens ferebatur, et ad motum vel stationem ipsius ipsi in terra movebantur, et stabant, et eadem die evanescebat. Dicunt autem quidam quod in festo Serapis annuatim emergebat, unde et ipsum Serapin, id est Serapi consecratum, autumant vocatum. Alii autem per decennium semel apparere dicunt. Alii, tantum tempore justi sacerdotis Heliopoleos, injusti non, ut quasi divinitus justitia indicaretur sacerdotum. Peccatum ergo fluminis punivit Deus in errore fluminis.

CAP. V. *De ortu, et educatione Moysi.*

« Egressus est post hæc vir levita (*Exod.* II), » nomine Aram, vel Amram, qui accepit uxorem contribulem nomine Jocabeth, qui nolebat accedere ad uxorem post edictum, malens carere liberis quam in necem procreare. Cui Deus per somnium astitit, ut ait Josephus, dicens, ne timeret uxorem cognoscere, quia puer, quem timebant Ægyptii, nasciturus esset ex ea : etiam de sacerdotio Aaron ei significavit. Tandem « concepit mulier, et peperit filium » sub silentio, eo quod non multum ei dolores partus institerint. « Et videns puerum elegantem, abscondit eum tribus mensibus. Cumque celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam » in modum fisci, id est sacci rotundi, vimine complexam, « et linivit eam bitumine ac pice, et ponens intus infantulum in arecto ripæ eum exposuit, » ne impetu fluminis raperetur, et stante procul sorore parvuli Maria, exspectante rei exitum, ex matris præcepto. « Ecce autem descendit Terimith filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine, quæ videns alveolum, et afferre sibi jubens, vidit parvulum vagientem, et miserta est ejus dicens : De infantibus Hebræorum est hic. » Sic enim Deus eum venustaverat, ut etiam ab hostibus dignus alimento haberetur. Et cum Ægyptiæ plures ei admovissent ubera ad lactandum, faciem avertebat. Et ait Maria : Vis, inquit, Hebræam adducam, forte ubera gentis suæ sequetur. Ex præcepto ergo Terimith abiens, matrem parvuli, tanquam alienam, adduxit, et accessit ad ejus ubera puer. Suscepit ergo Terimith alendum puerum, et ablactatum reddidit filiæ Pharaonis, quæ adoptavit eum in filium, et dictus est Moyses. Ægyptii enim *Moys*, aquam, *is* salvatum dicunt. Quem dum quadam die Terimith obtulisset Pharaoni, ut et ipse eum adoptaret, admirans rex pueri venustatem, coronam, quam tunc forte gestabat, capiti illius imposuit. Erat autem in ea Ammonis imago fabrefacta. Puer autem coronam projecit in terram, et fregit. Sacerdos autem Heliopoleos a latere regis surgens, exclamavit : Hic est puer, quem nobis occidendum Deus monstravit, ut de cætero timore careamus, et voluit irruere in eum, sed auxilio regis liberatus est, et persuasione cujusdam sapientis qui per ignorantiam hoc factum esse a puero asseruit. In cujus rei argumentum cum prunas allatas puero obtulisset, puer eas ori suo opposuit, et linguæ suæ summitatem igne corrupit. Unde et Hebræi impeditioris linguæ eum fuisse autumant. Tantæ vero pulchritudinis fuit, ut ait Josephus, ut nullus adeo severus esset, qui ejus aspectui non hæreret, multique, dum cernerent eum per plateas ferri, occupationes in quibus studebant, desererent.

CAP. VI. *De uxore Moysi Æthiopissa.*

Factum est autem cum adultus fuisset Moyses, Æthiopes vastaverunt Ægyptum, usque ad Memphim et mare, quo circa conversi ad divinationes Ægyptii, acceperunt responsum, ut auxiliatore uterentur Hebræo; et vix obtinuerunt a Terimith, ut exercitui, quem paraverant, Moysen præficeret ducem, prius præstitis sacramentis, ne ei nocerent. Erat autem Moyses vir bellicosus, et peritissimus, qui fluminis iter tanquam longius prætermittens, per terram duxit exercitum itinere breviori, ut improvisos Æthiopes præveniret. Sed per loca plena serpentibus iter faciens, tulit in arcis papireis super plaustra ibices ciconias, id est Ægyptiacas, naturaliter infestas serpentibus, quæ rostro per posteriora immisso alvum purgant, castraque metaturus, præferebat eas, ut serpentes fugarent, et devorarent, et ita tutus per noctem transibat exercitus. Tandem præventos Æthiopes expugnans inclusit eos fugientes, in civitatem Sabba regiam, quam post Cambyses a nomine sororis suæ Meroem denominavit. Quam cum, quia inexpugnabilis erat, diutius obsedisset, oculos suos injecit in eum Tarbis filia regis Æthiopum, et ex condicto tradidit ei civitatem, si duceret eam uxorem, et ita factum est. Inde est quod Maria et Aaron jurgati sunt adversus Moysen pro uxore ejus Æthiopissa (*Num.* XII). Dum autem redire voluisset, non acquievit uxor. Proinde Moyses tanquam vir peritus astrorum duas imagines sculpsit in gemmis hujus efficaciæ, ut altera memoriam, altera oblivionem conferret. Cumque paribus annulis eas inseruisset, alterum, scilicet oblivionis annulum, uxori præbuit; alterum ipse tulit, ut sic pari amore, sic paribus annulis insignirentur. Cœpit ergo mulier amoris viri oblivisci, et tandem libere in Ægyptum regressus est.

Digitized by Google

CAP. VII. *De fuga Moysi, et affinitate Jethro.*

In diebus illis egressus Moyses ad fratres suos in terram Gessen, vidit afflictionem eorum, et præfectum operis Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis, et secrete percussum Ægyptium abscondit in sabulo. Et egressus altera die vidit duos Hebræos rixantes. Qui dum argueret eum, qui fecerat injuriam, respondit : « Quis te constituit judicem super nos? Num me occidere vis, sicut occidisti heri Ægyptium? » Miratus est Moyses, quomodo palam factum erat verbum hoc, et timuit, præsertim cum audisset Pharao verbum hoc, et quæreret eum occidere. Qui fugiens per desertum venit in terram Madian, et ciborum inopiam, ut ait Josephus, virtute tolerantiæ superabat, et venit ad civitatem Madian circa mare Rubrum, sic nominatam a quodam filio Abrahæ de Cethura, seditque juxta puteum. Erant autem sacerdoti Madian, id est primati, qui antiquitus sacerdotes dicebantur, septem filiæ, et dicebatur Raguel, agnominatus Jethro, cognominatus Cinæus, quæ venerant ut haurirent aquam gregibus suis. Officium enim gregum alendorum tunc etiam erat mulierum, maxime in regione Troglodytarum. Supervenientes autem pastores repulerant eas, quos prohibuit Moyses ab injuria virginum, et adaquavit greges earum. Quæ maturius solito redeuntes rogaverunt patrem, ne beneficium peregrini retributione privaretur. « Vocatusque Moyses, juravit ut habitaret cum eo. Et accepit uxorem filiam ejus Sephoram, quæ peperit ei Gerson, » quod sonat *advena*, eo quod in exsilio genuerat eum, pepe itque alterum, quem dixit Eliezer, id est *Dei mei adjutorium*, deditque ei socer omnem curam gregum suorum, in quibus omnis antiquis barbaris erat possessio.

CAP. VIII. *De Dei visione in rubo.*

Tandem mortuus est rex Ægypti, et clamaverunt filii Israel ad Dominum, et recordatus est fœderis quod pepigerat patribus eorum (*Exod.* II et III). « Moyses autem pascebat greges ovium in deserto. Cumque minasset gregem ad interiora deserti, et venit ad montem Dei » Sinai, qui et in quadam parte sui dictus est Horeb, « apparuit ei Dominus in flamma ignis in medio rubi (*Exod.* III). » Ignis autem viriditatem rubi depascebat innoxius. Erat autem mons ad pasturas egregius, et herbis abundans, quia pastores illuc ascendere non præsumebant, tum quia mons excelsus erat, tum quia opinio erat Deum ibi habitare. Et ait M yses : « Vadam, et videbo visionem hanc magnam. » Et vocavit eum Dominus de rubo, et ait : « Moyses, Moyses. » Qui respondit : « Adsum. » Et Dominus : « Tolle calceamenta tua; locus enim in quo stas terra sancta est. » Et ait : « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et descendi, ut liberarem eum, et educa u eum in terram fluentem lacte et melle, ad loca Chananæi, Hethæi, Amorrhæi, Pherezæi, Hevæi et Jebusæi : » nomen autem gentis septimæ, scilicet Gergesæi, tacuit, et fere ubique tacetur, nisi in Deuteronomio : « Sed veni, mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum de Ægypto. » Et dixit ei Moyses : « Quis ego sum ut eam ad Pharaonem? » Et Dominus : « Ego ero tecum, et habebis hoc signum, quod miserim te. Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum. » Quasi dicat : Tunc videbis quod ego fui tecum, et eduxi te de terra Ægypti. Hebræi tamen terminant hic versum, « quod miserim te. — Et ait Moyses : Si dixerint filii Israel, quis est qui misit te? quod est nomen ejus? quid dicam eis? Cui Dominus : Ego sum qui sum. » Quasi dicat; vocor qui sum : « Et dices eis. Qui est, misit me ad vos. Dices etiam : Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob misit me ad vos; hoc nomen mihi est in æternum, » quia hi tres testes vivunt in æternum. Josephus dicit : Dixit ei suam appellationem, quam homines prius non audierant, nec mihi fas est dicere : « Vade, congrega seniores Israel, et dices eis, quod apparui tibi in rubo, et misi te ad liberandum eum, et ingredientur tecum ad regem Ægypti. Et dices ad eum : Deus Hebræorum vocavit nos. Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Deo nostro. Scio tamen quod non dimittet vos nisi per manum validam, et percutiam Ægyptum in mirabilibus meis. Nec exibitis vacui, sed postulabitis ab Ægyptiis, et conce laneis vestris vasa pretiosa et vestes, et spoliabitis Ægyptum. » Dicunt Hebræi postulasse ut dono darent, sed verius est quod mutuo. Excusantur autem per præceptum Domini.

CAP. IX. *De signis datis Moysi.*

« Et ait Moyses : Non credent mihi. Cui Dominus : Quid est quod tenes in manu tua? Respondit : Virga. Et ait : Projice eam in terram. Et projecit : Et versa est in colubrum. Et expavit Moyses ita ut fugeret. Et dixit Dominus : Apprehende caudam ejus. Et cum tenuisset, versa est in virgam (*Exod.* IV). » In Hebræo enim coluber feminini generis est. Et ait, hoc signum facies, ut credant tibi. Et adjecit : « Mitte manum tuam in sinum tuum. Et misit; et facta est leprosa, id est albida instar nivis. Iterum ait : Retrahe manum in sinum. Et retraxit, et protulit, et erat similis carni reliquæ. Et iterum : Sed neque his duobus signis credent. Sume aquam fluminis, et funde super terram aridam, et vertetur in sanguinem. Et ait Moyses : Obsecro, Domine, mitte alium; nam impeditioris linguæ factus sum, ex quo locutus es ad servum tuum, nec etiam eloquens sum ab heri, et nudiustertius. Et Dominus : Quis fecit os, quis mutum, aut surdum? quis videntem, aut cæcum? Nonne ego? Age igitur docebo te, et ero tecum. At ille : Obsecro, Domine, mitte quem missurus es. Et Dominus quasi iratus ait : Aaron frater tuus eloquens est, et ipse egredietur in occursum tuum gaudens. Pone verba mea in ore ejus, et ostendam vobis quid agere debeatis. Virgam sume in qua facturus es signa. Venit ergo Moyses

Digitized by Google

ad Jethro, et ait : Revertar ad fratres meos in Ægyptum, ut videam si vivant. Cui Jethro : Vade in pace. » Moram autem facienti dixit iterum Dominus ad Moysen : « Vade in Ægyptum ; mortui sunt qui quærebant animam tuam. » Pharao, scilicet, et complices ejus. Vel plurale ponitur pro singulari, si solus Pharao quærebat.

Cap. X. *De reditu Moysi in Ægyptum, et dimissione uxoris.*

« Tulit ergo Moyses uxorem, et liberos, et imponens super asinum profectus est. Cumque esset in itinere in diversorio, ut comederet, occurrit ei Dominus, id est angelus, evaginato gladio, et volebat occidere Moysen, scilicet, quia uxorem ducebat, et filios contra voluntatem Dei ; essent enim impedimento. Vel quia puerum ducebat, qui incircumcisus erat. Alterum forte jam circumciderat Moyses. Non enim credendum est illis qui dicunt alterum remansisse cum Jethro, cum supra ait liberos. « Tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, et ait : « Sponsus sanguinum tu mihi es ; et dimisit eum postquam dixerat » hoc (*Exod.* IV). Ut ait Augustinus, locus iste brevitate obscuratus est. Ubi ergo, ait, « tetigit pedes ejus, » intelligendum est, sanguis tetigit pedes pueri, vel angeli. Unde irata ait viro : Esne mihi vir sanguinum, id est an ex conjugio tuo tantum scelus teneor agere, ut fundam sanguinem filii mei ? Et recessit ipsa ab eo, vel angelus. Hebræus ita habet : « Et tetigit pedes ejus, » id est Sephora Moysi. « Indignans enim præputium jecit ad pedes Moysi, et ait : Gener sanguinum tu mihi es, » id est tu gener patris mei ideo factus es, ut esses mihi, id est carni meæ in filio ad sanguinem, id est ad mortem. Vel sanguis meus effusus est, ad placandum angelum, qui tibi mortem minabatur. « Et dimisit angelus Moysen, » quod in Hebræo patet. Tamen Hebræus habet, « relaxavit eum angelus, » quem prius scilicet, usque ad mortem arctabat. Et hinc volunt quidam, morem circumcidendi petrinis cultellis habuisse principium, vel a Josue in Galgalis. Tamen ubi nos habemus « petram, » Hebræus habet « aciem, » et dicit « acutissimam aciem novaculam. » Unde et Judæi novaculis circumcidunt. Fabulantur quidam Hebræi, usque ad David circumcisionem factam per petram. Sed quia in dejiciendo Goliam ferrum loricæ et galeæ cessit lapidi jacto, quasi dans ei locum, deinceps cessit lapis ferro in circumcisione.

Cap. XI. *De primo ingressu ad Pharaonem.*

Abiit itaque Moyses solus, tenens virgam intravitque Aaron, Domino jubente, desertum Sinai ; « et occurrit Moysi in monte Dei ; dixitque Moyses verba Domini, et signa quæ mandaverat. Venerunt-que simul, et congregaverunt seniores Israel. Locutusque est eis Aaron omnia verba Domini, et fecit signa coram eis, et crediderunt (*Exod.* IV). Post hæc cum senioribus Israel ingressi sunt ad Pharaonem, et dixerunt ad eum : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Dimitte populum meum, ut sacrificemus Deo nostro (*Exod.* V). » In quo non contrarietas, nec duplicitas intelligenda est. Eo enim ordine forsitan populus educeretur, si Pharao populum dimisisset. Tunc Moyses, secundum Josephum, commemoravit ei quanta fecerat Ægyptiis oppressis ab Æthiopibus, et commemoravit labores, et pericula quæ pro eis tulerat, et quod pro eis condignam non acceperit retributionem, pariterque quæ sibi contingebant in signa exposuit. Quem rex deridens, servum suum fugitivum vocavit, et pro seditione eum rediisse. Tunc ait rex servis suis : « Multus est populus : quanto major si dederitis ei requiem ab operibus ? » Et præcepit, ne ultra darentur eis paleæ ad conficiendos lateres, quæ comminutæ luto miscebantur, ut solidiores essent lateres, vel lateres potius coquebantur pro lignorum penuria in Ægypto.

Cap. XII. *De afflictione filiorum Israel.*

Opprimebantur ergo Hebræi operibus, nocte colligendo paleas, et die lateres faciendo, idem numerus laterum exigebatur ab eis, qui et prius. Flagellatique sunt magistratus de filiis Israel, qui præerant fratribus suis operantibus, nocte colligendo paleas, a præfectis Pharaonis. Magistratus enim operum Hebræi erant ; præfecti vero magistris, Ægyptii. Veneruntque præpositi filiorum Israel ad Pharaonem, et dixerunt : « Cur iniqua agis contra servos tuos ? Qui ait : Vacatis otio, et ideo dicitis : Eamus, sacrificemus Domino. Ite ergo, operamini, paleæ non dabuntur vobis. » Cumque egrederentur, « occurrerunt Moysi, et Aaron, et dixerunt eis : Videat Dominus injuriam vestram in nos, et judicet, quando fetere fecistis nos, » id est abominabiles reddidistis, « coram Pharaone. Et ait Moyses ad Dominum : Cur misisti me, ut affligeres populum istum ? (*Exod.* V.) Cui Dominus : In manu robusta ejiciam eos (*Exod.* VI). » Et adjecit : « Ego sum qui apparui Abraham, et Isaac, et Jacob in Deo omnipotente, » id est qui sum Omnipotens, « et nomen meum Adonai non indicavi eis, » id est fortitudinem, et potentiam, ad quas pertinet hoc nomen, sed pietatem, et sapientiam, ad quas pertinent Eli et Eloi Vel non indicavi, sicut tibi. Apparuit enim Dominus Abrahæ, sed Moysi locutus est facie ad faciem. Et iterum : « Introducam vos in terram super quam levavi manum meam, » id est juravi, « ut darem eam patribus vestris, » ego Dominus. » Quasi dicat : Ita verum est hoc, sicut ego sum Dominus, et est juramenti species. « Narravitque Moyses hæc omnia filiis Israel ; nec acquieverunt propter angustiam spiritus (*Exod.* VI). » Connumerat autem hic historia principes domorum per familias suas, sed de tribus tamen, scilicet Ruben, Simeon et Levi. Nobis autem de solo Levi dicere sufficiat. Filii Levi fuerunt Gerson, Caath et Merari. E quibus tres familiæ Levitarum derivatæ sunt : Gersonitæ, Caathitæ, Meraritæ. Filii Caath Amram, Isaar, Hebron et Oziel ; filii

Digitized by Google

Amram de Jocabed, Aaron, Moyses et Maria. Accepit autem Aaron uxorem Elisabeth filiam Aminadab, sororem Naasson, quæ peperit ei Nadab, et Abiud, Eleazar et Ithamar. Eleazar accepit uxorem de filiabus Phanuel, quæ peperit ei Phinees; iste est Moyses, et Aaron, quibus locutus est Dominus in terra Ægypti. Hoc addidit Esdras, ut quidam dicunt. Vel Moyses de se, tanquam de alio locutus est.

Cap. XIII. *De mutatione virgarum in colubrum.*

« Iterum locutus est Dominus ad Moysen : Loquere ad Pharaonem omnia, quæ loquor tibi, et ne timeas eum. Ecce constitui te Deum Pharaonis, » id est potentem in ipso, et in terra ejus facere signa ad modum Dei (*Exod.* VII). Aaron erit propheta tuus, id est prolocutor. Non tamen Moyses deus, vel Aaron propheta. Ingressique sunt Moyses, et Aaron ad Pharaonem. Moyses erat octoginta annorum, Aaron octoginta trium quando locuti sunt ad Pharaonem. Tulit ergo Aaron virgam Moysi, et jecit eam in terram coram Pharaone, et versa est in colubrum. Vocavitque Pharaon maleficos, et fecerunt similiter, projicientes singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed devoravit virga Aaron virgas eorum. » Et sciendum quia magi oculos spectantium deludebant. Vel secundum Augustinum, dæmones discurrunt per mundum, et subito semina rerum, de quibus hoc agitur, afferunt.

Cap. XIV et XV. *De plagis Ægypti, et de aqua versa in sanguinem.*

« Induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos. Et ait Dominus ad Moysen : Egredere in occursum Pharaonis, cum egredietur ad aquas, et dices : In hoc scies, quia Dominus sum. Percutiam virga aquam fluminis, et vertetur in sanguinem. Pisces morientur, et affligentur Ægyptii (*Exod.* VII). Et factum est ita *. « Et percussit Aaron aquam fluminis, et versa est in sanguinem; » et ut fuit sanguis in omni terra Ægypti, in fluviis, rivis et paludibus. Forte non in omnibus, sed in his quæ manabant de Nilo, et in vasis domorum tam ligneis quam saxeis. « Foderuntque puteos Ægyptii per circuitum fluminis, et invenerunt sanguinem. » Feceruntque similiter magi Tannes et Mambres. Et dicunt quod allata sit aqua de terra Gessen, quam non percussit Dominus plagis propter filios Israel, qui habitabant in ea. Tamen Josephus dicit quod Hebræis fluvius potabilis erat, licet esset mutatus; Ægyptiis vero non solum colore, sed etiam sapore amaro, cruorem præferebat. Unde potius videtur, quod alibi quam in Nilo aqua fuerit in Ægypto. Et hæc est prima plaga, qua percussit Dominus Ægyptum septem diebus. De qua dicit Josephus quod Pharao timens pro ea, et hæsitans, Hebræos abire permisit. Cumque malum fuisset relevatum, sententiam permutavit.

* *Additio* 1. *Versus de decem plagis.*

Prima rubens unda, ranarum plaga secunda.
Inde culex tristis, post musca nocivior istis.
Quinta pecus stravit, vesicam sexta creavit.
Post quam grando subit, post bruchus dente nefando.]
Nona tegit solem, primam necat ultima prolem.

Cap. XVI. *De ranis.*

« Iterum locutus est Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem; et si noluerit dimittere populum, dic ad Aaron ut extendat manum super flumina, rivos et paludes (*Exod.* VIII). » Et fecit sic. « Et ascenderunt ranæ et operuerunt terram Ægypti. » Quæ ut dicit Josephus, ortæ, in brevi moriebantur, et putrescentibus cadaveribus fetor nimis noxius exhalabat ex aqua, imo quædam quasi domesticæ domos intrantes sæpe in cibis, et potibus, et lectis invenichantur. « Fecerunt autem et malefici similiter. » Sunt autem tria genera ranarum, unum fluviale, et vocale; aliud minimum, quod et calamitum dicitur; quod si projiciatur in os, canis obmutescit; tertium magnum est et venenosum, quod rubeta dicitur, et vulgo exassantium. Dixit ergo Pharao ad eos : « Orate Dominum, et auferentur ranæ a nobis, et dimittam populum. Et clamavit Moyses ad Dominum, et mortuæ sunt ranæ. Videnque Pharao quod data esset requies, non dimisit eos. »

Cap. XVII. *De sciniphibus.*

« Dixitque Dominus ad Moysen : Dic ad Aaron : Extende virgam. Et percute pulverem terræ, et sint sciniphes in omni terra Ægypti (*Exod.* VIII). » Et factum est ita. Sunt autem sciniphes muscæ adeo subtiles, ut visum nisi acute cernentis effugiant, et corpus cui incident acerbo terebrant stimulo. « Feceruntque malefici similiter, ut educerent sciniphes, et non potuerunt. Et dixerunt Pharaoni : Digitus Dei est hic, » id est spiritus Domini Dei. Sicut enim per dexteram Filius, sic per digitum Spiritus sanctus solet accipi. Augustinus quærit quare in hoc defecerint, et non in primo, vel secundo. Et dicit hoc esse factum ad notandum quia, etsi philosophi habuerint notitiam Patris, et Filii, non tamen Spiritus sancti. Hæc tria signa facta sunt per manum Aaron, quæ sequuntur, vel a Domino tantum; quædam vero per Moysen.

Cap. XVIII. *De cœnomyia.*

« Dixit ergo Dominus ad Moysen : Egredere ad aquas ad Pharaonem, et dic ei quod si noluerit dimittere populum meum, mittam in omnem terram Ægypti omne genus muscarum, et faciam in die illa mirabilem terram Gessen, quæ habebit tranquillitatem (*Exod.* VIII). » Et factum est ita. « Et venit musca gravissima in omnem terram Ægypti. » Figurata locutio, id est multitudo muscarum, et expressius dictum est, quam si pluraliter diceretur *. Pro quo LXX posuerunt « cœnomyam, » id est musca canina, quod et in Psalmis (LXXVII et CIV) legitur. « Tunc vocavit eos Pharao, et ait : Ite, sacrificate Deo vestro in terra hac. Qui dixerunt : Non possumus. Abominationes Ægyptiorum immolabimus. Si mactaverimus quæ colunt Ægyptii coram

Digitized by Google

eis, lapidibus obruent nos. » Taurum enim adorabant in honorem Apis, vaccam pro Iside, ovem pro Ammone, unde abominabile erat eis occidi hæc, vel comedi. « Et ait Pharao : Ite in desertum ; verumtamen longius ne abeatis ; rogate Dominum pro me. » Oravit Moyses, et recessit musca. « Et iterum cor Pharaonis induratum est. » Pro his duabus plagis, dicit Josephus, quod innumera multitudo pediculorum Ægyptiis pullulavit, ex interioribus ebulliens, quos neque lavacris, neque medicamentorum unguentis, exterminare poterant. Multis enim plagis, præter decem famosas, credibile est percussos Ægyptios.

* *Additio* 1. Id est quadam consueta locutione dicit hoc, secundum quam, ait Augustinus : Singularis numerus nescio quo plus significat, quam pluralis, ut in *armato milite complet*. Per hanc clausulam locutio est, notatur figura, et hanc, sensus est, et locutionis proprietas.

CAP. XIX. *De morte pecorum.*

« Tunc dixit Dominus Moysi : Dic Pharaoni, si retinuerit populum meum eras, inducam pestem gravem, et morientur omnia animantia Ægypti, nec quidquam de his, quæ possidet Israel morietur. Et mortua sunt animantia Ægypti (*Exod.* IX), » quæ scilicet erant in domibus, quia quæ in pascuis erant, post grandine perierunt. Vel forte determinatum non est, quia sine multo temporis intervallo forte hæc facta non sunt, et potuerunt alimnde habere iterum animantia. Pro hac etiam dicit Josephus, quod bestiis multigenis, quarum aspectibus nullus occurrit, Dominus regionem eorum implevit, quibus et ipsi consumebantur, et terra agricolis nudabatur. « Et ingravatum est cor Pharaonis, et noluit dimittere populum. »

CAP. XX. *De ulceribus, et vesicis.*

« Iterum dixit Dominus ad Moysen et Aaron : Tollite cineres de camino, et spargat illos Moyses in cœlum coram Pharaone, et erunt in hominibus, et jumentis ulcera, et vesicæ in omni terra Ægypti (*Exod.* IX). » Et factum est ita. Nec poterant etiam malefici stare coram Pharaone propter vulnera, quæ erant in eis ex interiori corruptione venientia.

CAP. XXI. *De grandine.*

« Dixit quoque Dominus ad Moysen : Dic Pharaoni : Hæc dicit Dominus : Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra. Et pluam hac ipsa hora eras talem grandinem, qualis non fuit in Ægypto usque in diem hanc (*Exod.* IX), » nec etiam in partibus hyperboreis. « Congrega quæ habes in agro, homines enim et jumenta foris inventa grandine morientur. Qui timuit de servis Pharaonis Dominum, confugere fecit servos et jumenta in domos. Extenditque Moyses virgam in cœlum, et dedit Dominus tonitrua, grandinem, et fulgura, et ignis et grando pariter mista ferebantur. Et percussit grando cuncta quæ fuerant in agris, et herbam et lignum regionis confregit. Hordeum læsum est, quia jam virens erat ; et linum, quia jam folliculos germinarat. Triticum vero et far, » quod est grani genus, frumento grossius, « non sunt læsa, quia serotina sunt, » nec adhuc virentia, quia in spicam nondum prodierant. « Tamen in terra Gessen grando non cecidit. Et vocavit eos Pharao, et ait : Peccavi etiam nunc. Orate Dominum pro me, et dimittam vos. » Egressusque Moyses ex urbe tetendit manus ad Dominum, et cessavit tempestas, nec etiam stillavit pluvia super terram. « Et ingravatum est cor Pharaonis ».

CAP. XXII. *De locustis.*

« Dixitque Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem, et faciam signa, quæ narres filiis, et nepotibus, ut sciatis quia ego sum Dominus. Et ingressi dixerunt regi : Hæc dicit Dominus : Ecce ego inducam eras locustas in fines tuos, ut comedant quod residuum est grandini (*Exod.* X). » Egresso Moyse dixerunt servi Pharaonis ad eum : « Usquequo patiemur hoc scandalum ? Dimitte homines, quia perit Ægyptus. Et revocatis illis dixit Pharao : Quinam sunt qui ituri sunt ad sacrificandum ? Et ait Moyses : Viri et mulieres, senes et parvuli, cum ovibus et armentis. Et respondit : Cui dubium est quod pessime cogitetis. Non fiet ita, sed ite, viri tantum ; hoc enim petistis. Et ejecti sunt a conspectu ejus. Et extendit Moyses manum super terram Ægypti, et induxit Dominus austrum die illa et nocte. Qui levavit locustas, et sederunt innumerabiles in cunctis finibus Ægypti, et devoraverunt omne virens in lignis et herbis. » Dicitur autem locusta, quasi longa hasta, quia longiora retro habet crura. « Festinusque Pharao vocavit eos, et ait : Peccavi in Deum vestrum, et in vos. Orate pro tollenda peste etiam hac vice. Et egressus Moyses oravit Dominum. Et flavit ventus ab occidente, et projecit locustam in mare Rubrum. Et induravit Dominus cor Pharaonis nec dimisit Israel. »

CAP. XXXIII. *De tenebris.*

« Extenditque Moyses manum in cœlum, et factæ sunt tenebræ palpabiles, ut nec videri, nec moveri localiter possent Ægyptii (*Exod.* X), » multi etiam mirabiliter compulsi sunt mori. « Ubicunque autem erat Israel, lux erat. Et vocavit eos Pharao, et ait : Ite, universi, oves tamen et armenta remaneant. Et ait Moyses : Nec remanebit ex eis ungula, præsertim cum adhuc ignoremus quid debeamus immolare. Et ait Pharao : Cave ne ultra faciem meam videas, et moriaris. »

CAP. XXIV. *De diebus ægyptiacis.*

Abiit ergo Moyses ad fratres suos, et dixit Dominus ad eum : « Adhuc una plaga tangam Pharaonem, et dimittet vos (*Exod.* XI). » Notandum quia plures fuerunt in Ægypto plagæ quam decem, quas Exodus non enumerat, sed non fuerunt adeo graves forte, et ideo tacentur. Unde quidem dies Ægyptiaci dicuntur, quia in his passa est Ægyptus,

Digitized by Google

quorum duos tamen in singulis mensibus notamus ad memoriam, cum plures forte fuerint. Nec est credendum quod Ægyptii, licet astrorum periti, deprehenderunt dies hos infaustos in inchoatione operis, vel itineris, vel minutionis. Nota etiam quod quidam Ægyptiorum timentes Ægyptum perituram egressi sunt, ut Cecrops, qui ingressus Græciam urbem condidit, quam vocavit Actem, quæ postea dicta est Athenæ, quam quidam Græcorum Diadas, quidam Orcomenam dixerunt. Qui dictus est Diffres. Et est nomen Ægyptium, quod Latine dicitur quasi *dihomo*, vel quia tradidit Græcis matrimonium maris et feminæ, ut ait Pompeius Trogus, vel Bicorpor, vel propter proceritatem staturæ, vel pro virium immensitate, vel pro peritia utriusque linguæ quam habuit Græcæ, et Ægyptiæ, sub quod primo nata est in arce oliva. Creditur etiam eadem tempestate egressus Dionysius Bacchus, qui agros coluit, et usum vineæ Græcis dedit. Dicitur etiam diluvium in Thessalia factum sub Deucalione, et incendium sub Phaetonte circa tempora Moysi, et sub eo Hercules Antheum vicit. Erictonius filius Vulcani currum, et Troilus primus quadrigam junxisse feruntur. Ægyptus quæ prius Mesraim, post Aerea, ab Ægypto rege submerso, Ægyptus dicta est. Lacedæmon filius Semeles Lacedæmoniam condidit, Pantlus Triopa Lesbum. Epidaurus condita, et Corinthus, quæ prius Ephyra. Isis secundum quosdam ex Theleno Epaphum genuit, qui Memphim condidit, cum in secunda Ægypto regnaret. Sane determinans Dominus plagam, quæ restabat ait : « Ingrediar in Ægyptum, et morietur omne primogenitum, a primogenito Pharaonis usque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam, etiam primogenita pecorum. Apud vos vero nec mutiet canis, et petetis vasa pretiosa ab Ægyptiis, et dabunt vobis (*Exod.* XI). »

CAP. XXV. *De diebus azymorum, et agno paschali.*

« Iterum dixit Dominus ad Moysen : Mensis iste erit vobis primus in mensibus anni (*Exod.* XII). » Hic est Aprilis, id est lunatio Aprilis quæ in Martio sæpe inchoat. Hic dicitur ab Hebræis Nisan, apud Ægyptios Pharmuti, apud Macedones Xanticus. Voluit quippe Dominus Judæos a cæteris nationibus differre sicut religione, et charactere circumcisionis, ita ex temporali ratione. Romani enim ex traditione Numæ Pompilii primum mensem ponunt Januarium, quia tunc incipit sol ascendere post solstitium hiemale. Arabes inchoant annum post solstitium æstivum. Congruentius videtur fieri ab Hebræis in Martio, in quo et mundus conditus legitur. In Aprili ergo cæremoniali differunt a nobis ; in temporali conveniunt nobiscum. Et adjecit Dominus : « Decima die mensis hujus tollet domus quæque agnum ; » vel si non poterit agnum, saltem hœdum. « Quod si non sufficiet numerus domus ad esum agni, assumet de domo vicina domui suæ juxta numerum animarum quæ sufficiant ad esum agni ; et erit masculus, anniculus, » id est unius anni, « sine macula, » non quidem velleris, sed corporis quod in Levitico determinatur : « Si cæcum fuerit, si fractum », etc. (*Levit.* XXII) et sumptum de grege « servabitis eum in domo usque ad quartam decimam diem, et immolabit eum omnis multitudo filiorum Israel, » quæque domus scilicet suum, « ad vesperam, et tingetis cum fasciculo hyssopi utrumque postem, et superliminare sanguine, edentes carnes nocte illa assas igni, nec coctum quid de ea aqua, aut crudum, » id est semicoctum ex festinatione, « et azymos panes cum lactucis agrestibus, » quarum amaritudo amaritudinem servitutis memoraret in sempiternum.

« Caput cum intestinis vorabitis, et pedibus. Si quid residuum fuerit, igni comburetis, » quia, ut ait Josephus, crematum sursum ferri solet, et elevatio ignis elevationem ab eis pestis, quæ vastavit Ægyptios significavit, nec comedet de eo incircumcisus. De modo etiam comedendi ait : « Renes vestros accingetis, calceamenta habentes in pedibus, tenentes baculos in manibus, os non frangetis, nec de carnibus foras mittetis, et comedetis festinanter. Est enim Phase, id est transitus Domini. » Dicta est autem nox illa transitus, quia transivit in ea angelus per Ægyptum percutiens primogenita ab homine usque ad pecus, et transivit super tecta Hebræorum linita, vel illita sanguine. Et aggressus est Israel iter transeundi ab Ægypto. Iterumque ait Dominus : « Diem hunc habebitis solemnem, et in monumentum, in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus azyma comedetis, prima dies erit sancta et venerabilis, similiter et septima. Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent. » Patet quod mediis diebus poterant operari. Ex hoc etiam patet quia Sabbatum erat eis solemnius quovis festo, quantum ad otium, in quo nec ad vescendum licebat operari. Inde potuit esse, quod mulieres in ipso die solemni Paschæ potuerunt parare unguenta ad ungendum Dominum, quod Sabbato non licuisset. In Ezechiele festum in prima die Aprilis legitur, et in septima quod non hic. *Et regressi filii Israel, fecerunt sicut præcepit Dominus Moysi et Aaron, et congregati sunt* decima quarta luna in finibus Ægypti circa Ramessen. Tamen Josephus dicit eos congregatos decima luna, et vix exspectasse quartam decimam.

Additio 1. Per decimam lunam alias decimam quartam innuitur quod agnus, qui tollebatur, significabat aliquid æternum. Sic enim dicitur luna quarta die creata, quasi fuerit prima die mundi undecima et ante mundum decima. Aiunt quidam, quod decem capita erant in esu unius agni. Bene attendas hoc, scilicet quod luna fuit creata quarta feria, et eo die decima quarta et sic tertia, feria fuit decima tertia, secunda feria duodecima, prima feria undecima.

Digitized by Google

CAP. XXVI. *De morte primogenitorum.*

« Factum est autem noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum Ægypti, nec erat domus in qua non jaceret mortuus (*Exod.* XII); Domino forte ita procurante, non fuisse domum absque primogenito. Compulsusque Pharao, dixit Moysi per nuntios, ut egrederetur cum omnibus suis; imo et Ægyptii urgebant eos exire *. « Tulit igitur populus farinam conspersam super humeros, ligatam in palliis, et petierunt vasa ab Ægyptiis vestemque plurimam, et spoliaverunt Ægyptios » ex præcepto Domini; tum pro mercede laboris, qua fraudati erant, tum ut inde fieret tabernaculum. Et erant quasi sexcenta millia virorum peditum, absque parvulis, et vulgo famulantium eis innumerabili, et duxerunt secum diversi generis animantia multa nimis.

* *Additio* 1. Pharao, vel Ægyptus, quæ decem plagis verberata, non cessit, solo sanguine agni victa, filios Israel dimisit.

CAP. XXVII. *De exitu Israel de Ægypto.*

Factum est autem ut Nilus præter solitum, adhuc inundaret terram, in qua erat sepulcrum Joseph. Tenebantur autem juramento asportare ossa ejus. Tulit Moyses scriptum in lamina aurea nomen Domini tetragrammaton, quæ superposita aquæ, supernatavit, usque dum veniens staret supra ubi erat sepulcrum. Et effodientes sustulerunt ossa, quæ sublata leguntur eis prophetasse, forte de difficultate itineris. Tamen Hebræi tradunt quod ovis ex improviso astitit juxta eos, quæ locuta est ad eos. Ob quam rem duxerunt eam secum multo tempore per desertum, et dixerunt eam ovem Joseph, de qua ibi : « Qui deducis velut ovem Joseph (*Psal.* LXXIX). » In egressu etiam eorum, terræmotu facto, multa templa Ægypti cum idolis suis corruerunt. « Habitatio autem filiorum Israel in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum (*Exod.* XII). » Sed nomine Ægypti intelligendus est omnis incolatus eorum, qui incœpit a promissione Abrahæ facta in via Mesopotamiæ, a qua, usque ad legem datam, tot anni fluxerunt. Solis enim centum quadraginta quatuor annis servivit Israel in Ægypto post mortem Joseph. Quibus expletis, eadem die egressa est omnis multitudo de terra Ægypti; quod etiam mirabiliter a Deo factum est, vel forte eadem die qua exivit Abraham ad peregrinandum. Et nota quod hic dicitur, « Die qua egressi sunt (*Exod.* XIII), » et infra : « Mementote diei hujus, in qua egressi estis de Ægypto prima die, » scilicet azymorum, etiam supra legitur dictum eis : « Nullus egrediatur ostium domus suæ usque mane, econtra statim legitur hic : « Nox illa observabilis est Domino, quando eduxit eos de terra Ægypti, » et in benedictione cerei dicuntur « nocte educti. » Forte intelligendum est nocte eductos, id est ad mane egrediendum, ab Ægyptiis nocte compulsos. « Profectique sunt de Ramesse in Sochot, » nec sunt secuti eos Ægyptii sepelientes mortuos suos. Multi etiam Ægyptiorum flebant pœnitentes, quod eis fuerant tam crudeles. « Coxeruntque farinam, quam tulerant de Ægypto, feceruntque subcinericios panes azymos, » ex modico tamen tempore coagulatos. His enim usi sunt triginta diebus. Non enim ultra sufficerunt quæ tulerant de Ægypto, licet sub necessitate custodirentur, nec eis ad satietatem vescerentur.

CAP. XXVIII. *De sanctificatione primogenitorum.*

« Dixitque iterum Dominus ad Moysen : Sanctifica mihi omne primogenitum masculinum, quod aperit vulvam, tam de hominibus quam de jumentis (*Exod.* XIII), » quia percusserat primogenita Ægypti in liberatione eorum, et quia solos masculos pro hoc sibi voluit sanctificari, dici potest, non percussos nisi tantum masculos, vel forte, quia primogenita eorum a percussore angelo liberaverat, et hoc modo sua erant, voluitque ut deinceps essent sua omnia, vel quia ex omni fructu primo honorandus est Deus. Primogeniti ergo, qui erant de filiis Levi offerebantur, nec redimebantur, et serviebant jugiter Domino, primogeniti aliorum offerebantur, et quinque siclis redimebantur (*Num.* III et XVIII). Primogenita pecorum, apta ad immolandum, oblata erant sacerdotum. Immundorum vero non oblata, quædam redimebantur, ut primogenitum asini ove mutabatur, quæ pro eo offerebatur; quædam nec etiam redempta occidebantur, ut primogenitum canis. Et adjecit Dominus : « Cum introduxerit te Dominus in terram promissam, intimabis hæc filiis tuis, servanda ritu sempiterno. Eritque hoc quasi signum in manu tua, et quasi appensum quid, ob recordationem ante oculos tuos, » ut scilicet hujus liberationis memoria non aliter veniret in oblivionem, quam quæ manu geruntur vel ante oculos appenduntur. Quod Pharisæi ad litteram observantes, in chartis hæc scribebant, et Decalogum simul, et eas sinistris circumligabant brachiis, et inter oculos appendebant, quas Dominus in Evangelio phylacteria vocat, a phylace, et thorace (*Matth.* XXIII).

CAP. XXIX. *De deserto Ægypti.*

« Igitur cum emisisset Pharao populum, non eduxit eos Moyses per Palæstinam conterminam Ægypto, » propter antiquam molestiam, et odium patrum, ne insurgerent Philisthæi adversus eos, « sed circumduxit eos per desertum, quod est juxta mare Rubrum (*Exod.* XIII), » tum pro mandato Domini jubentis, ut duceretur populus ad montem Sinai ad immolandum sibi, tum si pœnitentes Ægyptii vellent eos persequi, gravem molestiam sustinerent itineris. « Armatique ascenderunt filii Israel de terra Ægypti; » multa scilicet supellectile muniti. Tamen alia translatio habet : « Quinta progenie ascenderunt filii Israel. » Moyses enim a Jacob quintus fuit, vel per tribum Judæ a Phares usque ad Salmonem : Quinque fuerunt tantum generationes. Hebræus habet; « quinque generationes ascenderunt filii Israel. » — « Profectique de Sochot venerunt in Etham. » Etham civitas

Digitized by Google

erat tunc deserta in capite solitudinis, quæ a Josepho Lycus dicitur, ubi et Babylonem * postea factam dicit, dum Cambyses Ægyptum vastaret.

* *Additio* 1. Non illam famosam Babylonem Nabuchodonosor, sed aliam Babylonem, quæ etiam tunc inhabitabatur, et dicitur ibi requiescere beata Catharina in monte Sinai; et sunt ibi monachi religiosi, et ardet solummodo oleum in lampadibus, quod de tumba illius beatæ Virginis manat.

CAP. XXX. *De ducatu columnæ, et mari Rubro.*

« Dominus autem ut dux esset itineris, præcedebat eos per diem in columna nubis, contra fervorem solis, et per noctem in columna ignis (*Exod.* XIII), » contra tenebras, et ut sibi a serpentibus providerent. Præcepitque Dominus, ut « reversi » aliquantulum versus Ægyptum « castrametarentur in regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum et mare contra Beelsephon (*Exod.* XIV). » Est autem Magdalum civitas in confinio Ægypti ad quam Judæi tempore Jeremiæ interfecto Godolia primo confugerunt, et posuerunt castra super mare Rubrum (*Jer.* XLI). Hujus maris aqua non est rubea, sed omnis terra circumstans rubea est, ex qua vitiatur gurges, et inficitur, unde minium acutissimum excipitur. Quidquid etiam ad esum in fructibus est, in hunc colorem cadit. Ob hoc ibidem rubræ gemmæ inveniuntur, quæ humo involutæ, et inter arenas attritæ terræ colorem habent et maris. Hoc mare in duos sinus dividitur, qui ab oriente est Persicus appellatur, quia Persæ oram ejus inhabitant, alter Arabicus dicitur, ubi tamen nos dicimus Rubrum : Hebræus dicit Cannosum, quia cannæ in littoribus ejus abundant. Sane ibi coarctati sunt filii Israel. Ex una parte erant montes asperrimi et immeabiles, ex altera parte mare.

CAP. XXXI. *De transitu maris Rubri.*

« Immutatumque est cor Pharaonis (*Exod.* XIV), » tulitque trecentos currus proprios, et trecentos ab Ægyptiis, et insecutus est eos, equites quoque duxit quinquaginta millia, et ducenta millia peditum armatorum. « Levantesque oculos Hebræi, viderunt Ægyptios post se, et timuerunt valde. » Neque enim fugæ facultatem habebant, nec pugnare poterant, quia inermes erant, nec ibi morari propter ciborum inopiam.

Cumque plurimum arguerent Moysen, dixit eis : « Nolite timere, hæc fecit Dominus, ut hodie videatis magnalia ejus. Ipse pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. Ægyptios quos videtis nunc non videbitis in sempiternum. » In Hebræo plenius est « non videbitis in sempiternum, ut nunc videtis, » vivos scilicet. Et oravit Moyses ad Dominum, qui dixit: « Quid clamas ad me? Eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare, et divide illud, ut super siccum ingrediantur filii Israel. Tollensque se angelus, qui præcedebat eos, stetit » post tergum inter Ægyptios, et Israel, « et erat nubes tenebrosa. » Ægyptiis, sed lucida Hebræis. « Cumque extendisset Moyses manum, » flavit ventus vehemens, « et vertit aquam in siccum, » et divisum est mare in duodecim divisiones, ut quæque tribus per turmas suas incederet. Et advocans Moyses singulas tribus secundum ordinem nativitatis suæ hortabatur eos ut ipsum præeuntem sequerentur. Cumque timuissent intrare Ruben, Simeon et Levi, Judas primus aggressus est iter post eum, unde et ibi meruit regnum. « Profecti sunt ergo per medium maris, et erat aqua quasi murus a dextris eorum, et a læva. » Quod videntes Ægyptii, vesanos judicabant eos. Sed cum viderent illos illæsos abire, ingressi sunt post eos. « Jamque advenerat vigilia matutina. * « Et respexit Dominus super Ægyptios per columnam ignis et nubis, » id est intolerabiles imbres, et gravia tonitrua, coruscationesque ac lampades infecit super eos. Unde et territi dixerunt : « Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis, » filii autem Israel secundum Josephum ad contrapositam venerunt terram. Hebræi vero tradunt quod, cum venissent ad extremum montis porrecti in mare, per longam maris viam eos obliquasse, et circumeundo montem ad idem littus Ægypti rediisse, quod probant sic : Natura maris est ut quod perit in eo ad proximum littus projiciat. Cum ergo male jacerent Ægyptii mortui in littore, patet quia idem erat littus ex altera montis parte. Non enim in spatio noctis, fere æquinoctialis, nec illi nec hi etiam ad medium maris transcurrissent, quia spatiosum est ibi. Cumque sic perturbarentur Ægyptii, Moyses, Domino jubente, extendit manum suam super mare, et reversæ sunt aquæ ad priorem locum, et operuerunt Ægyptios, « nec unus quidem superfuit ex eis, » et tulit Israel arma mortuorum. Moysesque Domino canticum exposuit hexametro carmine. « Cantemus Domino, etc. (*Exod.* XV). » Quod quia prius legitur cæteris, Canticum dicitur canticorum. Nec hoc discredendum esse, dicit Josephus, cum Alexandro Macedoni et exercitui ejus Darium insequenti, mare Pamphilæum divisum fuisse legitur, Domino jubente, qui per eum regnum Persarum delere voluit. Moratus est autem Israel juxta littus maris septem diebus, et cum tympanis, et musicis instrumentis, singulis diebus veniebant ad littus, et cantabant Domino canticum Moysi, viri seorsum, et mulieres seorsum. In cujus rei memoriam septem paschalibus diebus cantando redimus ad fontes. Et terminatur hic liber Josephi secundus.

* *Additio* 1. Quatuor dicuntur vigiliæ matutinæ, prima continitium, secunda intempestivum, tertia gallicinum, quarta antelucanum, et ipsi in quarta ingressi sunt mare Rubrum.

CAP. XXXII. *De dulcoratione aquæ Mara.*

Post hæc egressi sunt in desertum Sur (*Exod.* XV). » Tamen Hebræus habet, « in desertum Etham. » Dicimus enim quia prius ante mare fuerunt in deserto Etham; post mare, in deserto Sur; post Elim, in deserto Sin. « Ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, nec invenerunt aquam, » donec venerunt in Mara, ubi aquam inventam, præ ama

Digitized by Google

ritudine non poterant bibere. Unde, et locum illum dixerunt Mara, ab hac amaritudine aquæ, vel potius pro amaritudine animi. Animæquior est enim, qui sitit, si non invenerit potum, quam si inventum gustare non possit. « Dominus autem ostendit lignum Moysi, quod cum misisset in aquas, dulcoratæ sunt. » Forte lignum illud talis efficaciæ erat, et forte miraculose factum est, ut in solitudine in qua non erat lignum, inveniretur lignum. Hebræus dicit, quia illud lignum naturaliter amarissimum erat, et ut mirabiliter innotesceret vis divina, amarum additum amaro, dulcedinem operatum est. Josephus videtur velle, quod aquæ vitium hoc contraxerint, quia semper immotæ fuerant, secundum illud :

Et vitium capiunt, ni moveantur aquæ.
(Ovid.)

Dicit enim ibi fuisse modicum puteum. Sumens autem virgam Moyses, quam habebat, in præsenti scidit eam per medium, in longitudine incisionem faciens, et jecit in puteum, et præcepit fortibus, ut haurirent aquam, et plurimam prius effunderent, ut ultima quæ remaneret, frequentibus concussionibus exercitata, et purgata fieret potabilis. Ibi etiam dedit eis judicia, nondum tamen in re, sed daturum se promisit, si obedire sibi vellent.

Cap. XXXIII. *De duodecim fontibus, et septuaginta palmis Elim.*

Post hæc « venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes, et septuaginta palmæ (*Exod.* xv), » et dicit Josephus quod modica aqua erat in fontibus, ut quod ex ea modicum sumeretur manibus cœnosum esset et inutile. Propter hoc etiam palmæ non multum eminebant a terra, quia non sufficiebat humor ad conglutinandam humum. Eximde « venerunt in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai (*Exod.* xvi), » ubi plures fecerunt mansiones, quæ in Numeris exponuntur.

Cap. XXXIV. *De coturnicibus, et manna.*

« Quinto decimo die mensis secundi (*Exod.* xvi), » id est Maii, tricesima die scilicet ab exitu eorum Pascha celebrabatur *, defecerunt eis victualia, quæ tulerant de Ægypto, et dixerunt : « Utinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate. » Cumque orasset Moyses ad Dominum dixit ad eos : « Audivit Dominus murmurationes vestras contra eum, et dabit vobis vespere carnes, et mane panes in saturitate. Factumque est vespere. Et ascendens coturnix » de sinu Arabico, ubi præcipue nutritur, transcenso medio mari operuit castra, et ad libitum populi capiebatur. Est autem coturnix avis regia, quam Josephus ortygiam vocat, Græcus orthogometrum, nos vulgo curlegium dicimus a currendo. Mane vero cum orasset Moyses, ros descendens illinitus est manibus ejus quem prius imbrem suspicatus est, sed cum gustasset, sensit mellis dulcedinem, et panem promissum datum intellexit, et jacuit ros per circuitum castrorum, et erat granum minutum quasi semen coriandri, album in modum pruinæ, et quasi pilotusum. Quod videntes filii Israel dixerunt : Manhu, id est quid est hoc. Unde deinceps manna dictum est. Quod quidam indeclinabile putant, alii in prima declinatione ponunt, alii in tertia, sicut et *pascha, chæ*, vel *paschatis*. Et ait Moyses : « Hic est panis vobis datus a Domino. Colligite vobis gomor per singula capita. Et collegerunt alii plus, alii minus, et mensi sunt ad mensuram gomor. Nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus paraverat reperit minus. » Forte enim in acervis collecta ponebantur, et reddebatur singulis gomor. Quod Josephus vocat assarium, et est decima pars ephi. Vel forte quantumcunque quis colligeret veniens ad propriam non inveniebat nisi gomor, qui ab aliis etiam comedebatur. Colligebatur ** autem mane, quia, cum incalesceret sol, liquefiebat, quod miraculosum erat, cum ad ignem durum fiebat. Terebant autem illud in pulverem, et conglutinatum in panes formabant, cujus sapor erat dulcissimus, pro quo dictum est, simila cum melle. Et alibi « sapor panis oleati (*Num.* xi; *Sap.* xvi). » Quod vero dicitur, quia sapiebat in ore cujusque quod desiderabat non multum authenticum est ***. Dicit Josephus, quod etiam hactenus rigatur locus ille siccis imbribus. Dixitque Moyses ad populum : « Nullus relinquat ex eo in mane. Quidam tamen reservaverunt, et scatebat vermibus, et computruit. » Præcepitque Moyses ut die sexto colligerent cibos duplices, quia Sabbato non inveniebatur in agro. Tamen servatum in die Sabbati non corrumpebatur. Quidam quoque putant nec etiam sexto die collegisse quemquam, nisi unum gomor, sed illud per miraculum multiplicabatur, ut duobus sufficeret diebus. Hoc inde colligentes, quia infra legitur, quia « propter hoc tribuit vobis Dominus die sexto cibos duplices. » Dixitque Dominus Moysi : « Imple gomor ex eo, ut custodiatur in futuras retro generationes, » id est post futuras retro generationes, ad memoriam retro habendam. « Et fecit Moyses juxta verbum Domini, et posuit illud Aaron » in urna aurea « in tabernaculo reservandum. » Aiunt Hebræi eos primo habuisse parvum tabernaculum, in quo Dominum consulebant, de quo infra : « Moyses tollens tabernaculum tetendit extra castra procul (*Exod.* xxxiii). » Vel per prolepsim de futuro tabernaculo dictum est. Hoc cibo aliti sunt filii Israel quadraginta annis, *usque dum tangerent fines terræ Chanaan* (*Exod.* xvi).

* *Additio* 1. Præcepit Dominus Moysi ut, si aliquis, vel pro remotione, vel pro immunditia, non posset Pascha celebrare, in primo scilicet Aprili, secundi mensis, scilicet Maii decimo die illud celebraret.

** *Additio* 2. Per miraculum factum est, ut edacibus sufficeret gomor.

*** *Additio* 3. Consonat tamen ei quod in libro Sapientiæ dicitur. « Panem de cœlo dedisti nobis, habentem omnem saporem suavitatis (*Sap.* xvi). »

Digitized by Google

CAP. XXXV. *De aqua data in Raphidim.*

« Igitur profecta est omnis multitudo de deserto Sin per mansiones suas, juxta sermonem Domini, et venit in Raphidim (*Exod.* XVII.), » non quod verbo distingueret eis Dominus mansiones, sed judicio nubis stantis, quam præeuntem semper sequebantur, ea stante castrametabantur. Ibi omnino defuit aqua, et murmuraverunt contra Moysen, qui ait ad Dominum : « Quid faciam populo huic? Adhuc pusillum, et lapidabit me. Et Dominus ad eum : « Sume de senioribus Israel, et vade ad petram Horeb, percutiesque eam virga; » pars est montis Sina sic dicta. Alia est et alibi petra Horeb, dicta sic propter Horeb regem, qui occisus est in ea. Factumque est ita. Et egressæ sunt aquæ, et bibit populus, « et vocavit Moyses nomen loci Tentatio, quia tentaverunt Dominum dicentes : Estne Dominus in nobis, an non? » Aliæ post fuerunt aquæ contradictionis.

CAP. XXXVI. *De pugna contra Amalec.*

« Egressus est autem Amalec, ut pugnaret adversus Israel in Raphidim (*Exod.* XVII). » Strabus ait : Amalec fuit filius Ismael, a quo Amalecitæ, qui et Ismaelitæ ipsi sunt Sarraceni. Hos dicit Josephus pugnaces, inhabitantes Guboch, vel Jaboth, et Petram, a circumstantibus conductos ad bellum adversus Hebræos. Econtra legitur in Genesi, quod Eliphaz primogenitus Esau genuit de concubina Amalec (*Gen.* XXXVI).

Unde in libro Regum, ubi filius Doech Idumæi nuntians David mortem Saul, ait : « Amalecites sum (*III Reg.* I). » Forte duo fuerant equivoci, et ex his duo populi. Elegit autem Moyses Jesum de tribu Ephraim, virum bellicosum, ad dimicandum contra hostes, cui et paucos tradidit armatos, plurimos ad custodiam castrorum retinuit. Ipse autem ascendit in montem, habens virgam Dei in manu. Ascenderuntque cum eo Aaron, et Hur vir Mariæ. Tamen secundum Paralipomenon fuit filius Caleph, et avus Beseleel (*I Paral.* II). « Cumque elevasset manus Moyses ad Dominum, vincebat Israel. Sin autem paululum remisisset, vincebat Amalec (*Exod.* XVII). » Quo comperto, « Aaron et Hur supposuerunt ei lapidem, et ex utraque parte manus ejus sustentabant, erantque graves, » præ labore orandi. In hujus rei figura sacerdos manus elevat in missa, etiam in figura Christi orantis in cruce. « Nec remisit manus Moyses, usque ad solis occasum. Fugavitque Josue Amalec in ore gladii. Et ait Dominus Moysi : Scribe hoc in libro ob monumentum. Adhuc enim delebo memoriam Amalec de sub cœlo. » Quod in diebus Saul impletum est. « Et ædificavit Moyses altare, et vocavit illud : Dominus exsultatio mea. »

CAP. XXXVII. *De subdivisione magnatum ad consilium Jethro.*

« Egressus est autem Jethro, cognatus Moysi, obviam ei in desertum, tulitque secum Sephoram, et duos filios ejus. Cumque intrasset tabernaculum Moysi, narravit ei Moyses signa, quæ fecerat pro eis Dominus, et universum laborem itineris sui. Et congratulans illi Jethro ait : « Benedictus Dominus, qui eripuit populum suum de terra Ægypti. Nunc cognovi quia magnus est Dominus super omnes Deos. Obtulit ergo Jethro hostias Domino, et comederunt cum eo Moyses, et Aaron, et seniores Israel coram Domino (*Exod.* XVIII). » Augustinus tamen non vult, gentilem immolasse Domino, sed Moysen, secundum aliam translationem, quæ est : « Sumpsit Jethro hostias de oblatis a Moyse, sumpsit ab eo, et comedit. » Forte tunc sacrificavit Moyses juxta montem, sicut prædixerat Dominus. Dicit enim Josephus Jethro venisse circa montem, ubi in rubo multas viderat Moyses visiones. « Altera die sedit Moyses, ut judicaret populum, qui assistebat ei a mane, usque ad vesperam. Quod attendens Jethro ait : Stulto labore consumeris, ultra vires tuas est negotium. Sed audi verba mea, et erit Dominus tecum : Esto populo in his, quæ sunt ad Deum, et cæremonias, et viam morum, vel itineris ostendas eis. Ad decisionem vero causarum elige viros potentes, timentes Dominum, amantes veritatem, detestantes avaritiam. » Et nota quod in his quatuor, quæ dicit consideranda in eligendo judice, ponit potentiam, quæ plurimum valet si tria illa sequantur, alioqui additur oleum camino, et gladius veneno. Alia translatio habet, « sapientes, » quos forsan potentes vocat ad judicandum. Et addidit : « Constitue ex electis quosdam tribunos, id est cuique tribui unum præpone, qui a tribu *tribunus* Hebraice, Græce *chiliarchus*, Latine *milleuarius*. Non quia in tribu tantum essent mille, sed certum numerum posuit pro incerto. Vel pro multitudine copiosa numerum posuit supremum. Forte quia jam principem habebat quæque tribus suum, sub principe voluit esse millenarios, qui tantum præessent mille. Sub millenariis autem monuit constitui decem hecatontarchos, id est *centenarios*, vel *centurioyes*, sub centurione duos pentacontarchos, id est *quinquagenarios*, sub quinquagenario quinque decanos. Orta igitur lite inter decem, stabant ad judicium decani, sicque facile erat lites paucorum dirimere; si non poterant diffinire ascendebant ad quinquagenarium, et sic usque ad Moysen, quod tamen rarum erat. Majora tamen reservabant Moysi, ipsi minora judicantes.

In hunc modum Ecclesia Romana vocavit plurimos in partem sollicitudinis, primates, vel patriarchas, archiepiscopos, episcopos, archidiaconos, archipresbyteros. Et minores sacerdotes leviora peccata, et quædam gravia, sed occulta judicant; graviora vero peccata et aperta referunt ad episcopum.

Acquievit Moyses, nec erubuit vir Deo plenus, consilium sequi gentilis, « dimisitque cognatum suum, » Hebræus ubique ponit, « socerum. » Et « reversus est Jethro in terram suam. »

CAP. XXXVIII. *De perventu ad montem Sinai.*

« Mense ergo tertio egressionis de Ægypto, id est

Digitized by Google

Junio, die hac, in Kalendis Junii, « venerunt ad montem Sinai, fixeruntque tentoria e regione montis (*Exod.* XIX), quadragesima septima die scilicet a phase. In exponendo enim Scripturas triginta dies pro mense ponimus, quasi mediam, inter lunares, et solares menses, eligendo viam. Lunares enim infra tricenarium inveniuntur quidam, ultra vero non. Solares vero plures hunc numerum excedunt. A phase quidem sexdecim dies primi mensis restabant, fluxerunt vero postea triginta secundi mensis. Restat ergo quod prima dies Junii quadragesima septima fuit. Sequenti die diluculo ascendit Moyses in monte ad Deum, qui dixit ei : « Dices domui Jacob : Vidistis quæ fecerim vobis. » Nunc adjiciam ut etiam loquar vobis : « Si ergo custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. » Quæ cum Moyses retulisset populo, responderunt : « Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus. Cumque rediisset Moyses ad Dominum, ait ei Dominus : Veniam ad te in caligine, ut audiat me populus loquentem ad te. Vade et sanctifica populum hodie, et cras, id est lavent se, et vestimenta sua. Vacent ab amplexibus, et sint parati in diem tertium, et constitues terminos per circuitum montis, quos qui transierit tunc, et tetigerit, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidabitur, aut jaculis confodietur, sive jumentum, sive homo. » Utebantur autem, ut dicit Josephus, in his duobus diebus, conviviis opulenter et ornamentis decenter.

CAP. XXXIX. *De datione legis verbotenus.*

« Jam advenerat dies tertius, et ante solis ortum cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, et nubes densa operuit montem, et clangor buccinæ perstrepebat. Fumabat mons, quia descenderat Dominus in igne, et fumus ferebatur, quasi de fornace (*Exod.* XIX); » et mons tremuit, ut aiunt Hebræi : « Timuit populus; » sed et Moysen ira Dei perisse putabant. Tandem lætus apparuit Moyses, et serenus aer cum eo, reversus est inter eos. Et ait eis : Hodie non audietis Moysen filium Aram, et Jocabeth, sed illum qui pro vobis percussit Ægyptum, qui per mare iter dedit, qui cibum de cœlo misit, potum de petra concessit, per quem Adam de fructibus terræ comedit, Noe ex imbribus ereptus, vel exceptus est; Abraham Chananæam obtinuit, Isaac natus est de sterilibus, Jacob prole ditatus, Joseph sublimatus. Fiant ergo verba hæc vobis amabiliora, quam filii vel uxores. Et eduxit populum in occursum Domini ad radicem montis. Ascenderunt autem, Domino jubente, Moyses et Aaron, ultra terminos, sacerdotes, id est majores, et populus non transierunt. Locutusque est eis Dominus, ita ut nullum vox effugeret. Et sic quinquagesimo die dedit eis legem, verbo tantum, in figura, quod daturus erat per Spiritum sanctum die quinquagesimo.

CAP. XL. *Explicatio Decalogi* (*Exod.* XX).

« Non habebis deos alienos coram me. » Quod non nisi decem præcepta Dominus dedit omnes asserunt sancti, sed in distinctione eorum differunt. Primum enim et unum, secundum Augustinum, dividit Origenes in duo, et quæ sunt duo ultima, secundum Augustinum, colligit in unum; cui consentit Josephus. Præterea dicit Augustinus tria fuisse in una tabula, et septem in alia *. Josephus vero, et Hebræi quinque in utraque. Forte quia Augustinus voluit tria pertinere ad dilectionem Dei, et septem ad dilectionem proximi, pro dignitate potius, quam pro Scriptura, dixit ea esse primæ, et secundæ tabulæ, sicut dicere consuevimus homines primæ classis et secundæ. Quocunque vero modo distinguantur idem est sensus.

* *Additio* 1. Josephus dicit se vidisse duas tabulas legis lapideas, quarum quælibet continebat duo mandata et dimidium, tam exterior quam interior.

Primum præceptum.

« Non habebis deos alienos coram me, » id est me solum habebis Deum. Et ponitur, « non habebis » pro « non habeas, » imperative, secundum idioma Hebræorum. Non enim asserit hoc Deus, cum quandoque habuerint. « Non facies tibi sculptile, » vel idolum. Alia littera, « quod nihil est in mundo, » id est nullius rei naturalis repræsentativum, ut fiebat Ammon capite arietino, Anubis, id est Mercurius, capite canino sine barba. « Nec omnem similitudinem, quæ est in cœlo, vel terra, vel aquis, vel sub terra, » quasi nec facias tibi pro Deo simulacrum solis, et lunæ, et hujusmodi, nec hominis, aut jumenti, aut hujusmodi, nec draconis, vel reptilis cujuslibet, quæ colebat diversus hominum error : « Non coles, nec etiam adorabis ea. » Colere enim est mente adorare. Adorare autem est, si non animo, saltem pro metu, vel adulando regibus, adorare. Postea ad inculcandam custodiam dicti et dicendorum, addidit incidenter : « Ego sum Dominus Deus tuus fortis, et zelotes *, visitans peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea. » Zelus dicitur invidia, dicitur etiam amor, sed proprie amor viri in uxorem, pro quo sustinere nequit alterius accessum ad eam. In modum hunc dicit Dominus : « Ego sum zelotes, » id est non patiar te fornicari post deos alienos. Quod addidit se visitare peccata patrum in filios, aiunt hæretici : Non est bonus hic sermo, ut pro peccato alterius quis puniatur. Et dicunt Vetus Testamentum non esse datum a Deo. Non enim sic crudelis est Deus, sed econtra in his mitis apparet, quod etiam hoc nomine visitans innuitur. Ex pietate enim visitamus infirmos, et ipse ex mansuetudine non statim peccantem punit, sed exspectat etiam, usque ad quartam generationem, quandiu scilicet patres vivere solent, et si corripietur pater, vel filii non imitabuntur ipsum, parcit; alioqui quasi post longam exspectationem justius punit. Et de temporali pœna tantum intelligendum est. Sicut de Achab, et Jehu,

Digitized by Google

in posteris vindictam sumptam legimus (*III Reg.* xxi). Vel potest exprimi severitas juste judicantis. Gravius enim puniuntur peccantes, si filios pro se etiam videant puniri, et justius pro exspectatione. Origenes tamen hic intelligit per patres, dæmones; per posteros, coadjutores, quos quandoque in peccando nobis adjungimus, utpote : Primo intravit diabolus in cor Judæ (*Luc.* xxii). Ecce pater : Post « accessit ad principes (*ibid.*), » ut et ipsi in hoc peccarent; ecce filii : post « accepit ab illis cohortem, et ministros (*Joan.* xviii) : » ecce tertia et quarta generatio. Dominus autem non visitat hic peccata patrum, qui reservantur igni æterno, modo tamen sæpe punit homines.

Additio 1. Est Deus essentia, potestate, partici patione, nuncupatione.

Secundum præceptum.

« Non assumes nomen Dei tui in vanum, » id est nec falso, nec superflue, nec dolose jurabis per nomen Dei, nec honorem ejus, quantum in te est, evanescere facias, de eo prave sentiendo.

Tertium præceptum.

« Memento ut diem Sabbati sanctifices, » id est sanctum et feriatum habeas. « Non facies in eo omne opus, tu et filius tuus, et filia tua, nec servus nec ancilla tua, nec jumentum tuum, nec advena, qui juxta portas tuas est, » id est tecum in domo tua serviens, quia « Deus quievit die septimo (*Gen.* II), » et nos diem septimum servamus, etsi non hunc, quem illi. Nam et Josephus sic ait : Quartus sermo secundum servandas septimanas, cum ab omni opere forent cessaturi, propterea de opere servili dicimus intelligendum.

Quartum præceptum.

« Honora patrem et matrem tuam, » duplici honore, reverendo scilicet, et necessaria ministrando. In his enim quæ sequuntur, fere et in omnibus, a parte totum intelligitur. Unde et Dominus docens totaliter intelligenda, implevit legem.

Quintum præceptum.

« Non occides » manu, vel mente, vel consensu, nec violentam manum inferes insonti, nec subtrahes auxilium vitæ, cui potes, et debes dare. Judex quidem non occidit, sed lex.

Sextum præceptum.

« Non mœchaberis, » id est non miscearis alicui, excepto fœdere matrimonii.

Septimum præceptum.

« Non furtum facies, » nec etiam rapies aliena.

Octavum præceptum.

« Non contra proximum tuum falsum testimonium dices. » Hic prohibet omne mendacium. Licet quidam male senserint, Deum tacite concessisse mendacium, quod prodest, si nulli obest.

Nonum præceptum.

« Non concupisces domum proximi tui. » Secundum Augustinum, hic prohibet concupiscentiam rei alienæ immobilis.

Decimum præceptum.

« Non desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt. » Hic autem prohibet concupiscentiam rei mobilis. Secundum Origenem, unum est præceptum.

CAP. XLI. *De altari faciendo.*

« Videbat autem populus voces, et lampades, et vocem buccinæ, et montem fumantem, et stantes procul dixerunt Moysi. Non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur. Stetit ergo de longe populus, et Moyses accessit ad caliginem. Cui Dominus ait : Altare de terra facietis mihi (*Exod.* xx). » Forte, ante constructionem altaris portatilis, voluit hoc fieri, vel illud portatile erat de terra, sicut infra dicemus. « Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus. Si levaveris cultrum tuum super eo, polluetur. » Quasi dicat : Nolo quod cum instrumento effusionis sanguinum ædifices mihi sanctum. Inde et nos unius lapidis altare construimus. Forte prohibuit, ne super altare hostiæ occiderentur. Et addidit : « Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua. » Forte nondum antiqui utebantur femoralibus.

CAP. XLII. *De judiciis* (*Exod.* xxi).

Deinceps addidit Dominus judicia quædam, ad determinandas lites. Nos quidem non omnia · sed congrua prosequimur, sic : « Si emeris servum Hebræum, » qui jam scilicet servus non sit, « septem annis serviet tibi, » nisi jubilæus intervenerit : « septimo egredietur liber, et gratis, cum quali veste intraverit. Si habens uxorem cum uxore, et liberis exeat. Si dominus dederit ei uxorem, mulier cum filiis, quos fecerit, erunt domini. Quod si elegerit servus manere in servitute, « offeret eum dominus diis, » id est sacerdotibus præsentabit, « et applicabitur ad ostium tabernaculi, et perforabit autem ejus subula, » in signum perpetuæ servitutis; « eritque servus in sæculum, » id est dum vivet, vel usque ad jubilæum. Idem enim intelligendus est de ancilla.

De famula.

« Si quis vendiderit filiam suam in famulam, » non in ancillam scilicet, sed in concubinam, quam Græci *Moypheton*, alii *Moypheten* dicunt, « septimo anno non egredietur sicut ancilla, » scilicet sine pretio. Quia enim eam humiliavit, « dotem, vestes et nuptias, » id est virum ei providebit, pro pretio pudicitiæ; quod si ante septimum annum displicuerit ei, vendendi eam alii potestatem non habebit, nec pudicitiæ pretium negabit. Quod si interim agnominaverit eam sibi, » id est in uxorem duxerit, juxta legem uxorum faciet ei, « nec sine libello repudii egredietur. Si vero non sibi, sed filio eam emerit, in modum prædictum faciet ei pro filio, sicut pro se. Si tria ista non fecerit, » id est si nec ipse eam humiliaverit, sine agnominatione, nec eam agnominaverit, nec filio eam accepo-

Digitized by Google

rit, « more ancillarum gratis egredietur, et absque A pretio sibi dato. »

De homicida.

« Qui occiderit hominem volens moriatur, si vero nolens, confugiat ad unam de sex civitatibus refugii, » et ibi salvabit animam suam, ne occidatur a proximis occisi. Et erit ibi donec per judices civitatis ejus propinquis mortui reconcilietur, vel usque ad mortem summi sacerdotis. Tunc enim redibit securus ad propria. « Per industriam vero occidens, etiam ab altari evellatur. » Quod de Joab factum legitur (*III Reg.* II). Instar vero harum civitatum nos habemus loca Deo dicata, majorem tamen immunitatem præstant, quam illæ. Salvatur enim in eis etiam volens homicida, et quilibet fugitivus. Tamen quidam exceptionem faciunt. Si enim B pro homicidio in ecclesia facto, vel furto, vel hujusmodi confugiat ad ecclesiam, inde dicunt eum debere extrahi, et puniri.

De talione.

Addidit etiam Dominus præcepta talionis jubens reddi « animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, vulnus pro vulnere, livorem pro livore, adustionem pro adustione. »

De bove cornupeta.

« Si bos cornupeta servum occiderit, lapidibus obruatur, nec carnes ejus comedantur. Dominus autem bovis triginta siclos argenti reddet domino servi. » Aiunt Hebræi, ideo sic æstimatum pretium servi, quia triginta generationes egressæ sunt de C Cham, quem Noe servituti addixit.

De decimis et primitiis.

« Decimas, et primitias ne tardaveris offerre (*Exod.* XXII). Tamen agnum vel hædum septem diebus dimittes cum matre sua, die octavo, et deinceps poteris reddere. »

De septimo anno.

« Sex annis seminabis terram tuam, et congregabis fruges ejus, septimo anno eam requiescere facies (*Exod.* XXIII). Unde, et dicebatur annus requietionis * et etiam annus remissionis, quia in illo nulli licebat exigere debitum aliquod nisi eo terminato; « et si quid in eo anno, ex præteritis frugibus succreverit in ea, comedent pauperes po- D puli, et quod residuum fuerit pauperibus, comedent bestiæ agri, ita facies in vinea, et oliveto tuo. » Dum hoc observatum fuit, ut ait Josephus in anno sexto in tantum abundabant fruges, quod sufficiebant ad usum septimi et octavi etiam ad sementem.

* *Additio* 1. August. super Exodum dicit, quod eo anno seminabant, sed non colligebant.

De tribus solemnitatibus.

Addidit etiam de tribus præcipuis solemnitatibus anni, in quibus voluit sibi apparere omne masculinum, sed non vacuum (*ibid.*), de quibus infra dicetur.

De hædo non coquendo in lacte matris.

« Non coques hœdum in lacte matris suæ (*ibid.*). » Quod Josephus exponit sic : Non comedes eum infra octavum diem quia adhuc non differt a lacte. Sancti de Christo exponunt sic : Ne occidas Christum in die conceptionis suæ *; quod tamen transgressi sunt. Dies vero conceptionis vocatur lac matris, quia ex tunc in matre paratur materia lactis. Hebræus habet : « Non coques separatum in lacte matris suæ, » et est sensus : Separatum a carne parentum, id est quod per carnalem generationem conceptum, et editum est, non comedes coctum cum lacte, vel cum aliquo lacteo caseo, scilicet vel butyro. Quod dictum est propter aves, quæ non de carne, sed de ovis separantur, quas in lacte coctas, vel cum lacte B comedunt. Nec ideo de lacte matris prohibitum dicunt, quod in alio lacte liceat coquere; sed quia lac illud paratius possit inveniri cum animali, per hoc prohibuit de omni lacte. Quidam tamen de his quæ Domino offeruntur, dictum intelligunt, quasi non offeras agnum, vel hœdum infra octavum diem, quia nondum est esibilis, nec differt a lacte matris, quia et supra dixerat de primitiis agnorum, et decimis. In fine vero judiciorum addidit Dominus : « Si feceris hoc, occidam omnem populum, ad quem ingredieris, et præmittam scrobrones et vespas, quæ fugabunt eos **, » id est « terrorem nominis tui; paulatim vero ejiciam eos, ne redigatur terra in solitudinem, et crescant contra te bestiæ; ponamque terminos tuos a mare Rubro, » quod est ab oriente, « usque ad mare Palæstinum, » quod Tyrenum dicitur, et est ab occidente, « et a deserto » quod est post Bethlehem, quod incipit post Thecuam, « usque ad fluvium, » scilicet Euphraten, quæ tota regio quandoque dicta est Judæa.

* *Additio* 1. Vel est prophetia, quod Herodes non occideret Christum infantem, vel quod apostoli non paterentur pressuras, nisi prius roborati.

** *Additio* 2. Hoc nunquam ad litteram factum legitur; ideo aculeos terrores intellige.

CAP. XLIII. *De fœdere firmato aspersione sanguinis vitulorum.*

« Venit ergo Moyses, et narravit plebi judicia Domini, et dixerunt omnes una voce. Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, et audiemus (*Exod.* XXIV). » Quod præpostere, et inordinate dictum est, præsignavit, futuros transgressores, et in hoc verbo mendaces. « Scripsitque Moyses universos sermones Domini » præter Decalogum, « et mane consurgens, ædificavit altare Domino, et duodecim titulos per duodecim tribus Israel » forsan duodecim altaria, titulos dixit *. Vel potius unum ex duodecim lapidibus, et in singulis singula nomina filiorum Israel scripsit, quasi titulus tribuum duodecim, « misitque juvenes, » scilicet Nadab, et Abiud, qui futuri erant sacerdotes, « et immolaverunt Domino pacifica duodecim vitulos. »

Digitized by Google

« Tulitque Moyses mediam partem sanguinis, et misit in crateres, » vasa, scilicet, viminea cum ansis, a cratin, quod est *contexere* dicta, « reliquum sanguinem fudit super altare, legitque volumen fœderis audiente populo. Qui dixerunt. Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus. Ipse vero, sumptum sanguinem, respersit in populum, et ait : Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum. » Quasi diceret : Sic peribit vita ejus, et sanguis ejus fundetur, qui violabit fœdus hoc, id est pactum inter vos et Dominum. Sane hoc signum, ad confirmationem fœderis hujus, habuerunt a gentilibus, qui, porcam fœderis fœde laniantes, sic confirmabant fœde laniandum fœderis violatorem. Tamen et aliud signum fœderis terribilius habuerunt Judæi ex se, scilicet effusionem aquæ, quod fecit Josue, et Samuel, quia sicut aqua tota funditur, ita quod nil remanet in vase, quod non alii liquores, et etiam ipsa pectus fusa in terram, sic penitus cum stirpe sua pereat, qui solveret fœdus.

* *Additio* 1. Est titulus triumphalis, præconialis, memorialis.

Cap. XLIV. *De primo ascensu Moysi in montem.*

« Hoc facto ascendit Moyses, et Aaron, Nadab, et Abiud, et septuaginta de senioribus Israel, secundum præceptum Domini, usque ad terminos montis, et viderunt Dominum. Et sub pedibus ejus quasi opus sapphirinum, et quasi cœlum cum serenum est. Tamen nec super eos, qui erant in castris misit manum suam (*Exod.* XXIV), » id est non abscondit se ab eis, sed videntes majestatem Domini, et non ipsum læti epulabantur. Et vocavit Dominus Moysen, daturus ei tabulas lapideas, inscriptas Decalogo. Et assumpto tantum Josue, transivit terminos, dicens senioribus. « Expectate hic, » id est in castris, et usque ad terminos. « Si quid quæstionis natum fuerit, referetis illud ad Aaron, et Hur; operuitque nubes montem. » Iterumque dimisso Josue in quadam planitie montis, solus ascendit Moyses ad caliginem. « Septimo autem die vocabit eum Dominus de medio caliginis. »

Cap. XLV. *De tabernaculo faciendo.*

« Ingressusque Moyses medium nebulæ, fuit cum Domino quadraginta diebus, et quadraginta noctibus (*Exod.* XXIV), » nec comedens, nec bibens. « Et ait Dominus ad eum : Sume primitias (*Exod.* XXV), » id est pretiosa quæque a populo Israel, sed « ab eo tantum, qui ultroneus obtulerit, aurum scilicet, et argentum, et æs, hyacinthum, et purpuram, coccumque bis tinctum, » id est setam hyacinthini, purpurei, « coccinei coloris, et byssum quod est genus lini Ægyptii molle, et candidum, pilos quoque caprarum, et pelles arietum rubricatas, » quas parthicas dicimus, quia Parthi sic colorari eas excogitaverunt, « et pelles hyacinthinas, et ligna setim. » (Est autem Setim nomen montis, et regionis, et arboris, quæ similis est albæ spinæ in foliis, et est levissimum lignum, et imputribile, et incremabile), « oleum quoque ad luminaria; aromata in unguenta, et thymiamata boni odoris, et lapides onychinos, sardonices, et gemmas, et faciant mihi sanctuarium, ut habitem in medio eorum, » ne sit eis labor recurrere ad montem hunc, « juxta similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi facies illud ita. »

Cap. XLVI. *De schemate arcæ.*

Arcam de lignis Setim facies (*Exod.* XXV), quæ Hebraice dicitur *beron*. Et nota quod Moyses hoc ordine narrat primo de his quæ fecerunt in tabernaculo, secundo de tabernaculo, tertio de atrio. Josephus vero econtra : ille, secundum ordinem compositionis; iste secundum ordinem collocationis. Longitudo arcæ habebat duos cubitos, et semissem; latitudo similiter cubitum et dimidium. Et intelligitur cubitus humanus, non geometricus. Quod apparet in altari Lateranensi, infra quod dicitur esse arca. Etiam hic Josephus vocat cubitum duos palmos. Et dicitur arca non habuisse pedes, et deaurata est intus et foris auro mundissimo. Et facta est supra corona aurea, ad modum scilicet labii quod in mensis et scacariis fieri solet. Per utrumque latus longitudinis bini erant circuli aurei totum lignum penetrantes, et per eos vectes de lignis Setim deaurati mittebantur, quibus arca ferebatur, nec unquam extrahebantur. In qua postea posita est testificatio, id est tabulæ in quibus scriptum erat testamentum. Tamen quæque ibi reposita testimonia dici possunt. Posita est ibi urna aurea plena manna, in testificationem quod panem dedisset eis de cœlo. Tabulæ, in testificationem quod legem naturalem sopitam in cordibus suscitaverat in scripto. Virga Aaron, in testimonium quod omnis potestas a Domino Deo est. Deuteronomium, in testimonium pacti quod dixerant, « omnia, quæcunque dixerit nobis Dominus, faciemus. » Ob hoc dicta est arca testamenti, vel testimonii. Ob hoc etiam tabernaculum testimonii dictum est; et ideo etiam quia causæ præ foribus ejus agebantur.

Cap. XLVII. *De propitiatorio, et cherubim.*

Factum est etiam super arcam propitiatorium aureum, id est tabula aurea, ejusdem longitudinis et latitudinis, cujus et arca; ut arcam tegere sufficeret (*Exod.* XXV). De spissitudine ejus non legitur. Hoc idem dicebatur oraculum, quia Dominus de loco illo responsa dabat. Responsum autem divinum oraculum dicitur, quia orantibus datur. Dicebatur etiam propitiatorium; quia exinde loquens Dominus propitiabatur populo, vel quia die propitiationis dicebant gloriam Domini semper ibi descendere. Ex utraque vero parte oraculi *, scilicet in duobus angulis anterioribus, positi sunt duo cherubim aurei, et productiles, non scilicet fusiles, sed tussionibus malleorum producti. Sunt autem, ut dicit Josephus animalia volatilia, habentia figuram, quæ a nullo hominum est inspecta. Hæc dixit Moyses se in sede Dei conspexisse figurata. Cherubim unus alterum respiciebat, versis tamen vultibus in propitiatorium, duabus quoque alis expansis, et mu-

Digitized by Google

tuo se tangentibus, velabant oraculum, alas ex opposito extendebant.

* *Additio* 1. Possunt etiam dici, ad terram juxta arcam positi quinque cubitis alti, ut in templo Salomonis actum est postea, nisi quod ibi in duplum majores erant.

CAP. XLVIII. *De mensa, et columnis.*

Itemque ait Dominus : « Facies, et mensam de lignis Sitim, habentem duos cubitos longitudinis, et in latitudine cubitum, et in altitudine cubitum, et semissem (*Exod.* xxv); » spissitudinem vero tacet: « et inaurabis eam ex omni parte auro purissimo. » Erat autem ut dicit Josephus hæc mensa proxime, velut Delphica, scilicet Appollinis, habens quatuor pedes, qui dicuntur ejus altitudo, erantque ex medietate partis inferioris rotundi, quasi tibiæ, et tornatiles. Pars superior operis quadranguli, quasi femur erat, in singulis vero pedibus erat annulus aureus, sinusque erat in pede, ubi annulus missus erat, in annulis vero vectes aurati, quibus ferebatur mensa. Erat autem labium in ea per circuitum sicut in arca, et labio affixa erat aurea corona alta digitis quatuor, ita quod medietas ejus super mensam eminebat, ne superposita caderent ex ea. Altera medietas inferius pendebat ad decorem, et erat corona hæc interrasilis, id est interpolata cælaturis, et plano. Erant autem, ut aiunt Hebræi, cælaturæ illæ quasi imagines regum, et propheticæ, tot ibi sunt imagines factæ, quot futuri erant reges in Jerusalem a David, usque ad Sedechiam : tamen Josephus videtur velle non fuisse in ea aliud labium, nisi hanc coronam interrasilem, id est reticulatam *. Huic vero superposita erat alia corona minor ista. Sed quanta, et quomodo superposita, et an plana, vel interrasilis nescimus : tamen aureola vocatur. Hebræi dicunt et hanc prophetice additam ad præsignandam divisionem regni in duo regna. Fuit enim regnum Israel populosius regno Juda ; sed tamen minus dignum et ideo aureola superposita erat, et tamen minor. Mensa hæc ponebatur in tabernaculo ad Aquilonem, non longe ab aditu.

* *Additio* 1. Sicut Ariel Ezechielis, de interrasili exsurgebat, per aliquod interpositum (*Ezech.* xl), sic Ariel interpretatur *altare Dei*, vel *leo vorax*, quia altare holocaustorum omnia vorabat.

CAP. XLIX. *De panibus propositionis.*

Et ponebantur super eam duodecim panes azymi de simila, mundi valde, et ponebantur altrinsecus seni, et constabant singuli de duabus decimis ephi * (*Exod.* xxv), quas Josephus duos assarios vocat. Et singulis superponebatur patena aurea, et super patenam pugillus thuris. Josephus dicit phialas aureas superpositas plenas thure. Hi diluculo Sabbati recentes et calidi imponebantur mensæ, et erant ibi immoti usque ad Sabbatum sequens. Tunc illis sublatis, et toto thure incenso super altare, novi cum altero thure substituebantur. Sublatos vero soli sacerdotes comedebant, unde sacerdotales dicebantur. Vel etiam ideo, ut ait Josephus, quia Dominus præceperat quod soli sacerdotes panes illos formarent, et coquerent, et ponerent in mensam, et tollerent, ipsi tamen postquam scilicet divites facti sunt, non observaverunt hoc. Dicebantur etiam panes propositionis, quia propositi erant coram Domino in memoriam sempiternam duodecim tribuum filiorum Israel. Vel porro positi scilicet per totam hebdomadam, vel in æternum per successionem ponendi.

* *Additio.* 1. Ephus, et batus mensuræ sunt duorum, vel ergo mensurabantur ephi provenientes de decimis, hinc una, illinc altera. Vel decimabatur ephus illaque pro decima dabatur, vel sicut levitæ primo loco omnium rerum accipiebant decimas, sic summi sacerdotes harum decimationum accipiebant decimas. Forte ergo de decima illa secundaria fiebant panes illi trium modiorum. De quolibet exponi potest.

CAP. L. *De vasis libaminum.*

Præcepit ergo Dominus præparari, ex auro purissimo, quatuor genera vasorum, ad offerenda libamina, et ab offerentibus sacerdoti (*Exod.* xxv), a libando, id est gustando dicta, et a sacerdotibus Domino, a libando, id est fundendo, et poni ea super mensam, scilicet acetabula, phialas, thuribula et cyathos. In his vinum quod debebat offerri prævidebatur, et prægustabatur, utrum dignum esset offerri an non.

Sed quia in colore, et sapore vinum dignoscitur, dicitur quod præter aureas phialæ vitreæ ibi erant; unde, et a *phialim*, quod Græce *vitrum* dicitur, sic vocabantur in imo angustæ, in superiore parte amplæ, in quibus color, et sapor poterat cognosci, quas Hebræi scutellas dicunt. Cyathi vero minores, et angustiores erant, et aurei, cum quibus fundebatur vinum super altare pro hostiæ libamento. In thuribulis, quæ etiam mortariola dicebantur, thus præcognoscebatur, et offerebatur. Similiter et in acetabulis acetum. Sed quia nunquam aut raro occurrit de oblatione aceti, quidam dicunt acceptabula, ubi scilicet prævidebatur a sacerdotibus, quæ debebant offerri, utrum accepta, id est idonea essent, an non. Postea subdividunt acetabula in tria, in phialas, in quibus vinum; et thuribula, in quibus thus, et simila, et granum, et sal; et cyathos in quibus oleum. Sumebant enim sacerdotes prius de his quæ offerenda erant, portiunculas, quas in hujusmodi vasis ponebant ad prægustandum, quasi libando de singulis, quæ libamina dixit Moyses offerenda, id est de offerendis sumenda.

CAP. LI. *De candelabro aureo.*

Præcepit quoque Dominus fieri candelabrum ex auro purissimo ductile (*Exod.* xxv). Tamen Josephus fusile dicit. Cujus hastile basi infixum erat, et ferreum super vestimentum calamis aureis quinque geniculatis ad modum cannæ. Ubi autem calamorum capita inter se jungebantur, capita habebant tumentia, et invicem ad modum scyphi, quem cuppam dicimus. Jungebantur autem inter se tanquam duo scyphi in modum nucis, et ex fundo

Digitized by Google

cujusque scyphi procedebant flores recurvi quasi lilia, et in ipso fundo, inter scyphum et lilia, erat sphærula volubilis, sicut in capitibus cathedrarum subsunt sphærulæ volubiles, et ita cum in hastili essent quinque calami in hunc modum copulati, quatuor erant ibi juncturæ, quarum quæque habebat quasi scyphos duos sibi junctos, et sphærulas simul et lilia, et hoc est quod Moyses dicit in hastili quatuor fuisse scyphos in modum nucis. Tamen Hebræus non dicit scyphos, sed nigellatas rotunditates, scilicet nigello distinctas. Ex hoc hastili procedebant tria brachia, ex lateribus hinc et tria inde, ferrea, quorum unumquodque supervestitum erat calamis aureis, ad modum hastilis, et in junctoris coibant capita calamorum quasi scyphi in modum nucis cum sphærulis et liliis. Et quia in unoquoque quatuor scyphos dicit Moyses fuisse, videtur unumquodque quatuor calamos habuisse. Videtur tamen quibusdam non sphærulas fuisse in fundo scyphorum, ut dictum est, sed in media planitie cujusque calami sphærulam volubilem superpositam. Sic erat candelabrum ex ferro, calamis aureis superinducto, factum si fusile fuit : si vero ductile simpliciter ex auro fuit, et malleis mirabili artificio in hanc formam productum. Erat autem, ut dicit Josephus, ex LXX partibus compositum, in una base erectum, sic in hastili, et brachiis erant calami viginti novem non integri ; sed ex duabus partibus, in medio, ubi partes jungebantur erat sphærula superposita, ne junctura videretur, et putaretur calamus unus; et ita erant calami viginti novem cum totidem sphærulis quinquaginta octo quinque partes, in basi septem lampadum sedes. Quocunque vero modo factum fuerit, in summo septem habebat capita æqualia, super quæ ponebantur septem lucernæ aureæ. Infusoria etiam septem ex auro erant, quibus oleum lucernis infundebatur. Erantque ibi forcipes dicti emunctoria ex auro ad emungenda, vel exstinguenda licinia. Etiam vascula ex auro erant ad exstinguendum in aqua quæ emungebantur, ne tetrum redderent odorem, dicta extinctoria. Omne pondus ejus cum vasis suis habuit talentum auri ad pondus sanctuarii. Tria enim habebant talenta. Minus quinquaginta librarum, quod erat institorum, medium septuaginta, quod erat civium, maximum centum viginti, quod erat sanctuarii. Tamen Josephus dicit ipsum habuisse centum minas, quas Hebræi cithares dicunt, Græca lingua interpretatum, talentum nuncupatur. Positum autem erat ad austrum contra mensam non recte quidem, sed obliquc.

CAP. LII. *De parietibus tabernaculi.*

Præcepit quoque Dominus fieri tabernaculum in hunc modum (*Exod.* XXVI). Tabernaculum erat domus Deo dicata quadrata, et oblonga, tribus clausa parietibus, aquilonari, meridiano, occidentali; liber patebat introitus ab oriente, ut sole oriente radiis ejus illustraretur. Longitudo ejus erat triginta cubitorum, latitudo decem, altitudo decem. In latere meridiano erant tabulæ de lignis Setim stantes viginti quarum unaquæque in longitudine habebat cubitos decem, in spissitudine digitos quatuor, in latitudine cubitum et semissem. Jungebantur autem sibi mutuo incastraturæ, ne rimula esset ibi, aut planities parietis inæqualis, et erant inauratæ ex utraque parte, superpositæ vero singulæ duabus basibus argenteis perforatis, in quarum foraminibus cardines aurei immittebantur, in utroque angulo tabulæ emittentes, sicut in scriniis fieri solent. Tamen Augustinus videtur velle quod una basis esset sub tabula, et altera supra pro epistilio ; sed littera contraria est, quæ dicit quod binæ bases singulis tabulis per duos angulos summittebantur. Utrum autem tabulæ suspensæ a terra super bases, an inter bases ad terram pertingerent, non legitur. Eodem schemate factus erat paries aquilonaris. Ad occidentem vero erant septem tabulæ per omnia similes aliis, et eodem modo stantes in basibus. Sed cum non implerent, nisi novem cubitos, dimidius cubitus ex utraque parte vacuus patebat, et ideo tabula uno cubito lata secta est per medium, et factæ sunt tabulæ semicubitales, quæ utrinque appositæ parietem occidentis aliis duobus compaginaverunt; quæ etiam singulæ duabus basibus immittebantur. Ne vero ventorum impulsu, vel qualibet alia causa parietes concuterentur, singulæ tabulæ habebant annulos aureos per ordinem, velut quibusdam radicibus confixos, per quos vectes per transversum parietis immissi tabulata firmiter continebant. Erant autem vectes de lignis setim inaurati, singuli quinque cubitorum, immittebaturque caput unius vectis in caput alterius in modum cocci, ut ex pluribus sic innexis, quasi unus vectis immensæ longitudinis videretur, sicut in baculo cambucæ pontificalis eburneo fieri solet. Hoc sane planum esset, nisi Dominus addidisset quod quinque vectes essent in latere ad aquilonem, et totidem ad austrum, et totidem ad occidentem, quod minus congruum videtur. Cum enim quilibet vectis quinque erat cubitorum quinque protensi in latere uno, viginti quinque cubitos tamen contingebant. Itaque quinque cubiti illius lateris remanebant intacti, in occidentali vero latere duo tamen sufficiebant. Sunt qui dicunt de tribus vectibus superfluis, unum super additum quinque vectibus in latere septentrionali, et alium in australi ; et sic quod illis deerat adimpletum. Tertium sectum dicunt in duos, qui positi erant in duobus angulis parietum, ut recurvati juncturas angulorum colligarent, sicut juncturæ angulorum in scriniis strapis ligari solent. Sed hoc ex littera conjici non potest. Quia ergo in littera est quinque vectes immitti per tabulas medias a summo usque ad summum de altitudine parietis intelligi potest. Erat autem juxta summitatem parietis supremam, unus ordo vectium extensus in longum per totum parietem, et juxta summitatem inferiorem alius ordo in eumdem modum, et in media planitie tres

Digitized by Google

ordines, ut quod dictum est quinque vectes fuisse in uno latere, potius ad numerum ordinum, quam vectium referatur. Erant autem in unaquaque tabula quinque annuli * et in quolibet duorum parietum vectes triginta quia quinque ordinum quilibet sex vectes habebat, in latere occidentali decem vectes bini per singulos ordines. Sunt qui dicunt non omnes vectes ejusdem quantitatis fuisse, sed quilibet vectium quinque qui erant in magnis lateribus, erant sex cubitorum, et ita quinque sufficiebant ad continendum triginta cubitos, et quinque vectes qui ad occidentem erant, singuli duorum cubitorum erant. Sed Josephus loquens de his vectibus ait, uno quoque habente magnitudinem cubitorum quinque.

* *Additio* 1. Una tabula erat incisa, et cavata in fronte ex una parte, similiter, et altera tabula erat incisa, et cava ex altera parte, in fronte vero conjungebantur.

Cap. LIII. *De distinctione tabernaculi, et utroque velo.*

Tabernaculum hoc distinctum erat in duas partes (*Exod.* xxvi). Posterior pars ad occidentem decem cubitis protendebatur, et ita quadra erat, in longum scilicet, et in latum, et in altum decem cubitorum. Hæc pars adytum dicebatur, vel sanctum sancti, vel sanctuarium sanctuarii, vel sancta sanctorum. Anterior pars ad orientem viginti cubitis protendebatur, quæ communis erat sacerdotibus, et hoc dicebatur sanctum, vel sanctuarium. Respectu hujus posterior dicebatur sanctum sancti, quasi consecutivum sancti, ut dicitur sæculum sæculi. Vel sanctum sancti, id est sanctius sancto, ut dicitur Dominus dominorum, vel Rex regum. Ad alterutras vero partes separandas, positæ erant in medio, quatuor columnæ de lignis setim deauratæ, capita habentes aurea, et bases argenteas. Tamen Josephus dicit quatuor fuisse tabulas ad modum aliarum operatas, æqualiter a se invicem distantes, inter quas tres angusti patebant ingressus. Super capita vero columnarum superpositi erant duo vectes decem cubitorum a pariete in parietem protensi, in quibus per circulos aureos immissum dependebat velum, ante quatuor columnas extensum, quadrum in omni parte, scilicet decem cubitorum, ut ex omni parte prohiberet aspectum interiorum. Erat autem velum factum de bysso retorta, quod est genus lini candidissimi et mollissimi, et de hyacintho, et purpura, et cocco bis tincto, id est de filis sericis hyacinthini, purpurei, et coccinei coloris, opere plumario compositum, id est opere acu picto. Pluma enim lingua quadam acus dicitur, scilicet Ægyptiorum, quorum sunt diversæ linguæ, sicut Græcorum. Hoc genus veli vulgo distratum dicitur, quasi bis stratum. Primo enim fit tela, cui cum acu opere manuali substernuntur diversæ picturationes. Sunt qui dicunt opus plumarium a similitudine avium, quibus superaddita est plumarum varietas. Idem opus dicitur etiam polymitum a *polu*, quod est *multum*, pro multitudine picturarum. Erat autem hoc velum pulchra varietate contextum ex universis, ut ait Josephus, floribus, quos gignit humus, et aliis picturis, quas poterant interserere pictores, præter animalium formas. In egressu vero tabernaculi quinque columnæ erant de lignis setim deauratæ, capita habentes aurea; bases vero æneas, super quas duo vectes, vel unus decem cubitorum protendebatur a pariete in parietem. In utroque capite, sui utrique parieti insertus, ad modum trabis in domo, a quo dependebat aliud velum, per circulos aureos insertum, ad modum prioris operatum. Sed secundum Josephum, usque ad medietatem columnarum dependebat, tegens eas, per quinque cubitos; reliqui quinque usque ad terram ad ingressum Sacerdotum patebant. Super hoc vero dicit, aliam cortinam laneam superpositam, usque ad terram pertingentem, funibus per annulos eam ducentibus et retrahentibus, ut in diebus festis reducta præberet aspectum tabernaculi; in aliis diebus superducta prohiberet aspectum, præcipue cum nubilum videretur. Tectus enim fortis erat, et facile laborem sustinebat, et in ingressu templi Salomonis similem dicit fuisse appensam. Erat enim interiori sanctuario arca fœderis cum his, quæ in ea reposita diximus, et cum his quæ erant ei superposita. In anteriori vero candelabrum ad austrum, mensa ad aquilonem. In medio autem velum, non longe ab aditu altare aureum, quod etiam Josephus thuribulum aureum vocat, de quo post dicemus.

Cap. LIV. *De cortinis et sago.*

Tectum tabernaculi non concameratum, id est recurvum, sicut in ecclesiis, sed planum ad modum Palæstinæ, fuit quatuor operimentis aptatum (*Exod.* xxvi). Primum operimentum fuit cortinæ decem, quæ etiam vela, vel tentoria, vel quandoque tabernaculum vocantur, quæ erant factæ de quatuor prædictis coloribus opere plumario. Longitudo cortinæ unius erat viginti et octo cubitorum, latitudo quatuor, quarum quinque mutuo sibi jungebantur, et quinque similiter, ut quasi duæ cortinæ, ex quibus sibi conjunctis redderentur. Jungebantur autem ansulis hyacintinis, quæ in unoquoque latere cortinarum dispositæ, altera contra alteram veniebant, et binæ annulo aureo colligabantur, sicut ad ornatum colli fibulæ argenteæ, vel aureæ, utramque oram capitii solent colligare. Dicit tamen Josephus annulis aureis et uncinis eas fuisse junctas. Secundum operimentum erant saga cilicina, quæ et vela, vel capillaria quandoque vocantur, quæ de pilis caprarum, quos capillos quandoque dicimus, ad differentiam lanæ ovium, facta erant, de quibus et cilicia fiunt. Unde, et illa saga cilicina dicta sunt, quæ pro asperitate saga dicebantur. Unde, et quosdam pannos asperos sagias dicimus. Vel forte ex quadratura saga dicta sunt *. Unde, et militare pallium a Gallis inventum,

Digitized by Google

quia quadrum erat sagum dictum est. Quod tamen ex aspero fiebat panno contra aeris intemperiem, et potuit dici sagum. Erant autem saga hæc undecim. Longitudo sagi unius habebat cubitos triginta, latitudo quatuor, et erant quinque sibi mutuo juncta, ut quasi unum sagum facerent, et alia sex quasi in unum sagum juncta. Jungebantur autem annulis aureis insertis ansulis contra se venientibus. Utrum autem singulæ cortinæ, vel saga sibi invicem ita copularentur, an sextæ cortinæ sibi consutæ filo inseparabiliter, in unam cortinam junctæ erant, et aliæ quinque similiter, et ad tegendum tabernaculum, hæ duæ magnæ cortinæ tantum annulis et ansulis jungerentur, non elucet.

* *Additio* 1. Quo dicuntur uti reges Francorum cum primum coronantur. Quadratum est, jungitur ad cellum, et caret omni sutura.

Cap. LV. *De modo tegendi secundum Bedam.*

Quomodo vero ex his tegebatur tabernaculum, videamus prius. Secundum Bedam protendebantur decem cortinæ sibi copulatæ per transversum, scilicet tabernaculi; totum operientes tabernaculum, et descendentes per latera, uno cubito distabant ex omni parte a terra. Et quia simul junctæ quadraginta cubitos implebant, longitudinem tabernaculi quæ erat triginta cubitorum tegebant *. Et quinque cubiti dependebant juxta latus occidentale, alii quinque tantum descendebant ante aperturam, quæ erat ad orientem. Tamen ne incompositæ penderent utrobique, cortinæ transgredientes duo magna latera tabernaculi usque in medium aperturæ trahebantur, ibique mutuo jungebantur, et similiter in latere occidentis. Et ita ex omni parte tabernaculum erat tectum cortinis, uno tantum cubito circa terram ex omni parte non velato. Superponebantur saga similiter per transversum, sed quia erant triginta cubitorum, per latera descendebant usque ad terram, et ita cubitum cortinis non velatum ipsa velabant. Sed quia ex transverso quadraginta quatuor cubitos habebant cum essent undecim simul juncta, et unumquodque erat quatuor cubitorum, longitudinem tabernaculi triginta cubitis tegebant; de quatuordecim qui supererant, septem descendebant ad occidentem, et septem ad orientem. Partes vero sagorum, quæ supererant, pendentia juxta latera duo magna, usque ad terram, ex utraque parte reducebantur, ad tegendum introitum orientalem. Sed quia septem cubiti ex utraque parte veniebant, in spatio vero introitus decem tantum erant, supersuebatur sagum sago. Vel forte in summitate cujusque, duo cubiti retroplicati consuebantur, instar orarum vestimenti, et tunc ex æquo venientia saga, de lateribus in medio introitus, copulabantur in eodem loco, in quo et cortinæ, et similiter in latere occidentis. Propter hujusmodi supersuturam, vel replicationem sagorum, dicit Beda primo dixisse Dominum Moysi : « Sextum sagum in fronte tecti duplices (*Exod.* xxvi), » id est dimidium sagum, quod excedit cortinas in introitu, supersues, vel replicabis. Et post planius addidit, « quod superest in sagis, » id est unum sagum, quod amplius est, « ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi, » id est latus occidentis. Duplicabantur autem ita, ut impetum ventorum possent sustinere, et secundum hanc dispositionem, tabernaculum ex omni parte tegebatur sagis usque ad terram, et nil ex eo videbatur; et tentorium, quod erat in introitu pretiosum, inutiliter ibi erat, et cum sacerdotes intrabant tabernaculum, vel necesse erat attollere saga et cortinas, ut subintrarent, vel in medio jungebantur uncinis, et annulis, ad introitum eorum dissolvebantur.

* *Additio* 1. Nota, quod ait : « quinque cubiti dependebant. » Non ideo hoc dicit, quia per totam partem occidentalem simul et orientalem dependerent quinque cubiti, sed quia illa pars cortinæ, quæ dependebat in lateribus, respectu longitudinis tabernaculi, erat tantum quinque cubitis, sed respectu latitudinis erat novem cubitis. Ideoque contingebat quod cum junctis cubitis hinc, et inde venientibus, etiam in his duabus partibus, occidentali scilicet et orientali, totum tabernaculum, præter unum cubitum tegeretur.

Cap. LVI. *Josephus aliter.*

Alia est Josephi dispositio, cui consentit Origenes, et videtur probabilior. Ait enim decem cortinas sibi mutuo junctas, ut dictum est, a fronte tabernaculi super introitum extendi per transversum, et tegere totum tabernaculum, et descendere juxta latus occidentis usque ad terram. Introitum vero non tegi aliqua parte cortinarum, cum proprium velum haberet. Similiter, et de sagis, totum dicit operi tabernaculum, excepto introitu. Sed quia duo cubiti sagorum supersunt cortinis, ex utraque parte, dicit eos replicari sub cortina, ne ventus intrans inter saga et cortinas, totum concuteret operimentum, pro quo etiam dictum putat. Sextum sagum in fronte tecti duplices, sed etiam secundum hæc speciosa et pretiosa plurimum, pars extrinseca tabernaculi non videbatur, nec illud cortinarum, quod circa tabernaculum defluebat. Frustra ergo tanti facta videbantur. Quo circa forte ex omni parte cortinæ, et saga funibus extendebantur circa tabernaculum, et paxillis æreis colligebantur funes, quia et paxillos habuisse tabernaculum, infra Moyses dicit, et in modum tecti dependentis circumquaque attollebantur, ut et tabernaculum undique videri posset, et circuiri ab ingredientibus sub cortinis

Cap. LVII. *De pellibus superpositis.*

Quocunque vero modo hæc duo operimenta disposita fuissent, de reliquis duobus non est quæstio. Sane tertium erat operimentum de pellibus arietum rubricatis, quæ superiora tantum tegentes, ad altera non descendebant, funibus, et paxillis æreis affixis terræ circumligatæ (*Exod.* xxvi). Quartum

Digitized by Google

quoque operimentum in eumdem modum erat superpositum de pellibus arietum hyacinthinis; superposita vero erant hæc duo propter æstum, et imbrium diffusionem. Multos itaque, ut ait Josephus, stupor habebat a longe inspicientes; nam colorem ejus in nullo putabant differre a cœlo.

CAP. LVIII. *Quid figurabant prædicta.*

In hac compositione tabernaculi, patet Deum et non hominem sic disposuisse, quia, ut ait Josephus, singula horum ad formam rerum facta reperiet, si quis absque invidia velit hæc considerare. Abditum enim, quod soli pontifici pervium erat, figurabat cœlum Deo, et angelis attributum. Sanctuarium vero, quod in duplo erat, terram, et mare cunctis gressibilia, sicut et illa pars communis sacerdotibus erat. Cortinæ, cœlum sidereum; saga, aquas, quæ sunt super firmamentum; pelles rubricatæ, cœlum empyreum in quo sunt angeli; hyacinthinæ, cœlum superius, ubi Deus super omnia. Tamen in quatuor coloribus velorum, dicit Josephus, figurari quatuor elementa. Per byssum, terram, quia de terra est, et primo terreum, et viridem colorem habet; per purpuram mare, quia ex conchis marinis tingitur; per hyacinthum, aerem, quia in colore ei similatur; per coccum, ignem, quia in colore ei assimilatur; per mensam tempus, vel annum *; per panes, duodecim menses; per coronam quatuor digitorum, annum solarem quatuor temporum; per coronam minorem, annum lunarem; per septem lucernas candelabri, septem planetas; per septuaginta ejus partes decarmoniam ** planetarum; forte quod quisque planetarum habet decem dignitates, vel potestates. Quinque naturales et quinque accidentales, in quibus harmonice, id est proportionaliter, se habent, in candelabro notatur; quia quæ sub eis sunt ad ipsos tendunt, id est motus naturales, et effectus ab eis habent, quod etiam notat ornatus ejus, scyphi, id est vasa liquoris, aquam, sphærulæ solem sphæricum, lilia aerem, qui solus vitiatur odoribus.

* *Additio* 1. Est annus legitimus, est annus usualis, est et annus emergens. Annus legitimus lunatione Aprilis incipiens; usualis, a Kalendis Januarii inchoans; emergens, qualibet die incipiens.

** *Additio* 2. Deca, *decem*, et harmonia, id est *concordia*. Inde decarmonia, id est consonantia planetarum.

CAP. LIX. *De altari holocaustorum.*

Præcepit quoque Dominus fieri altare de lignis setim (*Exod.* XXVII). Altare hoc dicebatur holocausti, vel holocaustorum, vel holocaustomatum, et posset dici sacrificiorum, sed a digniori nomen accepit. Erat autem in longitudine, et latitudine quinque cubitorum scilicet quadrum, et altitudine trium, cui, tanquam nimis alto, ad horam ministrationis aliquid apponebatur, in quo staret minister, quod, impleta ministratione, tollebatur. Altare enim gradus habere alibi prohibetur. Erat enim concavum instar arcæ sine operimento, parietes lignei, sed operti erant ære intus, et extra, licet uri non possent, sicut nec *antiton*, vel *lignum Paradisi* quodlibet, quod urendo fit mundius; area ejus, sive arula ærea erat, tanquam fundus arcæ super quam fiebat ignis, qui per fenestram, quæ erat in latere orientali imponebatur. In quatuor angulis superioribus erant extra quatuor recurva cornua, in quibus quatuor catenæ annulis inserebantur, de quibus dependens craticula ærea, in modum retis facta, usque ad medium altaris intus descendebat, super quam cremanda in odorem Domino ponebantur, quæ ignis per circulos craticulæ ascendens de arula consumebat. Circa angulos vero inferiores quatuor erant annuli ærei, in quibus vectes imponebantur de lignis setim operti ære ad portandum altare. De hoc tamen altari, et craticula ejus ambiguitas est, non solum inter nos, verum etiam inter Hebræos, præcipue cum Hebraica veritas a nostra translatione nil discrepare videatur. Nos quidem sic habemus: « Facies craticulam in modum retis æneam, per cujus quatuor angulos erunt annuli ænei, quos pones subter * arulam altaris, eritque craticula usque ad altaris medium. » Hebræus vero sic habet. Facies ei *michar*, id est craticulam, fracturam retis ænei, et super rete quatuor annulos æneos, et dabis illam fundum aræ de subtus, eritque rete usque ad altaris medium. Josephus autem sic: Cui suberat craticula in modum retiaculorum facta. Suscipiebat enim terra ignem, qui de craticula ferebatur; quia bases non erant ei subjectæ. Cassiodorus tamen senator in pictura, quam fecit, cujus in *Expositione psalmorum* meminit, quatuor pedes in utroque altari fecit. Proinde videtur quibusdam non superponi craticulæ carnes assandas, sed fuisse quasi vas quoddam in quo sederet altare, cujus parietum altitudo altare ambiens, usque ad medium altaris elevata esset, in cujus angulis sursum quatuor annuli pendebant, per quos vectibus insertis, altare ipsi insidens, portaretur. Altare enim non legitur alios annulos habuisse. Sed utrum separatum esset hoc vas reticulatum ab altari, ita ut amoveri posset altare ab eo cum vellent, et super imponi, an de ipso altari opere fusili ita fabrefactum esset, ut quasi oppositum videretur, ambiguum est. Super arulam vero altaris, quam in medio ejus positam dicunt, per fenestram ab oriente struem lignorum asserunt, et super ligna carnes imponi assandas. Vel non erat ibi arula, sed super craticulam superpositam fiebat ignis, quod velle videtur Josephus in prædictis verbis. Aliis videtur, nec operimentum, nec fundum ipsum habuisse, sed parietes tantum terra repleri, secundum quod Dominus dixit: « Altare de terra facietis mihi, » in cujus area superiori fiebat ignis, ubi cremanda imponebantur. Et de craticula altari superposita idem sentiunt **. Arula vero subter quam craticula posita legitur, Hebræus arunculam vocat, vel suleum,

Digitized by Google

quem in medio parietum altaris fuisse dicit ***, usque ad quem locum altitudo craticulæ pertingebat.

* *Additio* 1. Juxta prædictam opinionem exponitur, subter, vel super, vel sic ordinatur littera, quos pones subtus, id est subter quos pones.

** *Additio* 2. Hoc secundum prædictas sententias non est servatum sed mystice.

*** *Additio* 3. Quia forte concavus erat locus ad recipiendos cineres hostiarum.

CAP. LX. *De situ altaris, et vasis ejus.*

Positum autem erat altare ante tabernaculum sub divo, non directe ante introitum, sed aliquanto ad meridiem descendens (*Exod.* XXVII), ita ut ante ipsum immolantes, stantes ad aquilonem, in ipsum tabernaculum, usque ad sancta sanctorum inspicere possent. Et quia stabant ad aquilonem, id est in B altaris latere aquilonari, et contra meridiem, quandoque legitur eos sacrificasse ad aquilonem, quandoque ad meridiem. Erantque in usus ejus lebetes ad colligendos cineres cum abundabant, et deportandos, qui in locum secretum et mundum reponebantur, et forcipes ad emundandum ignem altaris. Et fuscinulæ quas Græce *creagras* dicimus, quia inde de caldariis carnes coctæ proferebantur, et patilla, quasi vatilla, a vehendo, quibus prunæ ab hoc altari, ad altare thymiamatis, deferebantur, præter cacabos, et ollas ad carnes coquendas, quæ tamen juxta altare non coquebantur, omnia vero ænea erant. Hebræus vero sic habet : « Facies ejus ollas, et ejus pallas, et ejus pelves, et ejus uncinos, C et ejus ignium receptacula. »

CAP. LXI. *De atrio circa tabernaculum.*

Erat autem atrium circa tabernaculum in latere meridiano centum cubitorum; in aquilonari centum, in orientali vero quinquaginta et totidem in occidentali (*Exod.* XXVII). Et sic quadrum erat, vel quadrangulum, sed non quadratum, sed in forma altera parte longiori. Erantque in latere australi viginti columnæ, altæ quinque cubitis, vestitæ laminis argenteis, capita habentes argentea cum cælaturis, cum basibus æneis, spatio quinque cubitorum inter se distantes, super quas annuli singulis inerant *, pertingebantque funes ab annulis usque ad capita paxillorum, qui erant cubiti unius magnitudine, et per singulas columnas in terram valide D fixæ, ut atrium immobile custodirent, cortina vero de bysso mollissimo centum cubitorum in longum, et quinque in latum per columnas dependebat, a capite usque ad basem diffusa, ut nihil a pariete differre videretur, nisi forte pro aeris intemperie, quandoque retro funibus, et paxillis traheretur, ut sub ea tanquam sub tecto reciperetur populus. In eumdem modum latus aquilonis viginti columnas, et cortinam habebat diffusam, ab occidente vero decem columnæ, et cortina cubitorum quinquaginta atrium cingebat. In egressu vero ad orientem tres columnæ hinc, et inde tres stabant, et cortinæ juxta has diffusæ nihil a prioribus differentes. In medio vero latere ejus quatuor erant columnæ in modum A portarum, quibus appensum erat velum de quatuor pretiosis coloribus, contextum opere plumario, quod ad egressum, et ingressum facile attolli et deponi poterat. Notandum tamen in longioribus lateribus fuisse columnas viginti inter quas erant aperturæ centum cubitorum, et in duobus minoribus novem, sed propter angulares, quæ communes erant duobus lateribus **, dicuntur ibi viginti, hic vero decem. Et designavit Dominus per numerum columnarum numerum intercapedinum. Habebat ergo utrumque latus magnum viginti columnas, id est viginti intercapedines. Alia littera decem columnas, id est decem intercapedines.

* *Additio* 1. Eminentia quidem erant in summitate columnarum, et ipsa perforata, et in foramine B duæ cordæ, una hinc, et una inde, quæ tenerent columnam rectam : in glosis, inquit vi Exodi dicuntur linguæ, et quia decalvatæ, et quasi rotundæ in summo ad modum linguæ; appellat eas Josephus angulos. Credibile etiam, inquit, quod singulis basibus columnarum inferius esset infixa cavilla, per quam etiam tota columna terræ firmiter inhæreret.

** *Additio* 2. Si in latere meridiano, viginti tantum columnæ essent, cum unaquæque distaret ab alia quinque cubitis, cum fuerint inter eas novemdecim interstitia, non habebant in longitudine, nisi nonaginta quinque cubitos. Idem etiam de latere aquilonis intellige. Hanc objectionem solvit magi- C ster.

CAP. LXII. *De lucernis tabernaculi.*

Præcepit etiam Dominus offerri a filiis Israel oleum olivarum purissimum piloque tusum (*Exod.* XXVII). Hoc enim purius est, quam nuceum, vel lineum, vel myrtinum, vel raphaninum, ut semper arderet ex eo lucerna in tabernaculo testimonii, quam accendebat Aaron, et filii ejus vespere; et usque mane lucebant super candelabrum septem lucernæ coram Domino, in die vero tres tantum. Lychinus lucernæ papyreus erat; cinerndula vero, quam mergum dicimus, aurea.

CAP. LXIII. *De communibus vestibus sacerdotum.*

Iterum locutus est Dominus ad Moysen dicens : D « Applica fratrem tuum Aaron ad te, cum filiis suis de medio filiorum Israel, sacerdotio fungantur mihi, faciesque vestem sanctam fratri tuo (*Exod.* XXVIII). » *in qua sanctificatus ministret mihi.* De his sane vestibus, quia confuse agit historia, ad evidentiam congruo ordine prosequamur. Quatuor erant vestes, tam sacerdotibus minoribus quos chaneos vocabant, quam principi sacerdotum, quem arabarchum appellabant, communes; et aliæ quatuor post illas, quibus solus arabarchus, id est princeps sacerdotum, utebatur, quibus secundum ordinem hunc induebatur : Purificatis prius manibus et pedibus aqua, sacerdos induebat *manachasim*, quod *constrictorium* sonat, quod Græce *brachæ*, Latine femoralia dici potest *. Eratque de

Digitized by Google

bysso retorta contextum, ingredientibusque per ipsum pedibus ascendebat usque ad lumbos ; ibique fortiter stringebatur, et usque ad genua tantum descendebat. Noster tamen pontifex, quia jugem habet continentiam, tantum sandalis pedes tegit (*Joan.* XIII), ac si dicatur ei : « Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet * ». » Secundo byssina sindone duplici vestiebatur, quod *ceetomone*, id est *lineum* dicebatur, quam nos lineam strictam, sive camisiam, vel subuculam dicimus, quam Moyses *abanech* appellavit, sed post a Babyloniis discentes Hebræi, emissan eam dixerunt. Est autem descendens usque ad talos, et decenter corpori coaptata, sed manicis brachia valde constringens, nastilibus, vel nastulis, hinc inde super humeros capitium constringentibus. Tertio stringebatur balteo, lato, quasi digitis quatuor, sic reticulato, ut quasi pellis viperea, quam in æstate exuit, videretur, contexta floribus coccineis, purpureis, et hyacinthinis, stamen vero tamen byssinum erat, sumens initium cingendi a pectore, circumductis lateribus, iterum ante umbilicum redibat, ibique modice stringebatur, et usque ad tibias dependebat ad decorem, dum sacerdos nihil operabatur cum autem sacrificabat, ne impediretur, pendentes summitates super lævum humerum reflectebat, unde, et forte diaconus quandoque casulam plicatam eidem humero superponit. Quarto simplicem tiaram gestabat in capite, a cidari pontificali plurimum differentem. Erat enim in modum parvi calamati, vel cassidis modicæ, medietatem verticis excedens, dicebaturque *manephei*, habens vittas, quæ involutæ sæpius nectebantur, ne facile laberetur, habens desuper aliud velamen byssinum, usque ad inferiora barbæ descendens, celans pillei ligaturas, et totam capitis superficiem, aptatumque perfecte, ne laborante sacerdote rueret.

* *Additio* 1. Origenes : Femorale vestimentum est, in quo pudenda corporis contegi et contingi solent. Et ne turpitudo defluentibus femoralibus reveletur, zona femora constringuntur.

** *Additio* 2. Id est primos motus, quos penitus coercere nequit, refrenet.

CAP. LXIV. *De pontificalibus indumentis.*

Super hæc propriis quatuor vestibus induebatur arabarchus, quarum prima tunica erat hyacinthina, Poderis, vel impolitis dicta est talaris, quam Hebræus *michir*, dicit *Exod.* XXVII). Eratque de duabus incisionibus facta consuta, super humeros, et per lateras in modum dalmaticæ facta, manicas ejusdem coloris habens assutas, capitium habens non ex transverso super scapulas, sed in longum sectionem habebat a pectore usque ad medias scapulas, cui aperturæ, ne ante et retro turpiter appareret, assuta erat vitta, quæ super scapulas hinc inde nastulis astringebatur ; habebat autem pro fimbriis septuaginta duo tintinnalia aurea, quibus erant immistæ totidem nastusi, quasi mala punica, ex hyacintho, et purpura, et cocco bis tincto, ita ut post tintinabulum esset malum granatum, quasi inter scalari modo posita, ut audiretur sonus, cum sacerdos solus ingrederetur, vel egrederetur sanctuarium, et non moreretur *. Super hanc tunicam, videtur Josephus, velle accingi pontificem cingulo prædicto, quo alii sacerdotes super lineam tunicam ; alii nondum ipsum accingi dicunt, sed super ephod, ut super omnia indumenta ad ultimum cingeretur. Fueruntque qui dicerent duas zonas habuisse pontificem, primam ad modum sacerdotum, secundam super ephod, quæ duæ tamen pro uno habebantur indumento. Secunda vestis erat ephod, similis superhumerali Græcorum de prædictis quatuor coloribus, auroque contextum, sine manicis, ad modum collobii, descendens usque ad renes, adeo ut supercingi posset, superiorem partem tunicæ hyacinthinæ tegens, inferiorem relinquens intactam. Oræ vero laterum uncinis et annulis aureis jungebantur, aperturam habens in pectore quadram, ad magnitudinem palmi**, in qua logion inserebatur, in cujus parte superiori, super utrumque humerum, infibulati erant auro duo lapides onychini, sardonices, secundum Josephum, secundum LXX smaragdi, in quibus erant sculpta duodecim nomina filiorum Israel provincialibus litteris ***, lingua Hebræa juxta ordinem nativitatis eorum, sex nomina seniorum in humero dextro, minorum in sinistro ob recordationem filiorum Israel. Habebat autem capitium ex transverso super humeros fortibus loris contextum. Quod legitur Samuelem (*II Reg.* II), et David (*II Reg.* VI) indutos ephod, aliud erat, et proprie *ephotar* dicebatur, et erat lineum ; illud vero mira pulchritudine vermiculatum. Tertium erat ornamentum quod Hebræus *essin*, Græcus *logion*, Latinus *rationale* dicit, quadrangulum, et duplex, ne pondere gemmarum rumperetur, mensuram palmi habens, scilicet aperturam superhumeralis implere sufficiens, ex prædictis quatuor coloribus contextum et auro eodem schemate, quo superhumerale. Erantque in eo duodecim lapides, auro firmiter inclusi, per quatuor ordines trini in singulis. In primo ordine sardius, topasius, smaragdus. In secundo carbunculus, sapphirus, jaspis. In tertio ligurius, achates, amethystus. In quarto chrysolithus, onychinus, et berylus. In quibus erant sculpta duodecim nomina filiorum Israel, juxta ordinem nativitatis suæ, singula in singulis, ut gestaret sacerdos memoriale filiis Israel, et filiorum Israel in humeris et pectore, ob recordationem trium, quorum unius populus esset memor, ipse vero duorum : ut scilicet populus videns nomina patrum suorum, satageret ne a virtute priorum degeneraret ; sacerdos vero vitam et fidem patriarcharum meminisset imitari ; meminisset etiam populum ex his patribus ortum, sacrificiis et orationibus Deo commendare. Appellabatur enim rationale judicii ; quia scripta erant in eo hæc duo nomina, judicium et veritas, vel doctrina et veritas. Sane ubi nos habemus, *pones in rationale judicii, judicium et veritatem*

Digitized by Google

Hebræus habet *phurim* et *thumim*. Unde et fortes, in quibus judicium veritatis inquiri solet, phurim dicunt. Tradunt autem in medio rationalis fuisse lapidem quadrum, magnitudine duorum digito um, in quo secundum coloris mutationem perpendebant utrum Deum placatum haberent, an offensum. Josephus dicit sardonicem, qui in dextro humero gerebatur, cum sacrificium pontificis Deo placebat, tanto splendore micare, quod etiam procul positis radius ejus appareret; egressuris vero ad prælium, si Deus cum eis esset, tantus fulgor in lapidibus rationalis apparebat, ut omni fieret multitudini manifestum, in eodem auxilio Deum adesse, et ob id rationale judicii nuncupari.

Asserit autem Josephus hunc sardonicem et fulgorem sardonicis rationalis, cessasse annis ducentis, antequam ipse scribsisset hæc, cum Deus moleste ferret transgressiones legis. Erant etiam in quatuor summitatibus rationalis quatuor annuli aurei, quorum duobus supremis insertæ erant duæ catenæ aureæ sibi invicem cohærentes, id est obliquatæ ad modum litteræ X sibi in medio conjunctæ, vel potius exprimit facturam catenæ ****, in qua maculæ maculis cohærent, pro quo Hebræus habet, « plexas opere perplexo, » Josephus dicit per fistulas venientes, quod juxta Chaldæum sonat *terminatas*, id est ad quantitatem spatii in quo protendebantur factas, quæ sursum ferebantur usque ad scapulas pontificis, super quas inserebantur duobus uncinis aureis superhumerali firmiter insertis, duobus vero annulis inferioribus assutæ erant duæ vittæ hyacinthinæ, quæ circa latera ductæ duobus annulis aureis inter scapulas inserebantur, qui sub utroque sardonice in ephod fixi stabant, ut utraque ligatura ephod, et log:on sibi invicem firmiter cohærerent. Super hoc dicit Josephus zonam ex quatuor coloribus, et auro confertam, ex utroque latere circumductam, et iterum revolutam ante pectus in utraque summitate infra pendente, habentem ex aureis fistulis fimbrias miro decore compositas.

* *Additio* 1. Etsi ad litteram verum non fuit, quod moreretur sacerdos cum sonus non audiebatur, tamen allegorice per hoc datur intelligi, quod non debent esse muti sacerdotes, qui debent curam gerere gregis sui, unde dicitur : « Væ cani non latranti. »

** *Additio* 2. Palmus, mi, quarta est mensura, quæ fit pugno, extenso pollice reliquis digitis complicatis continens dimidium pedem.

*** *Additio* 3. Id est, litteris et figuris quibusdam notis omnibus, sunt characteres quidam vulgo noti, quibus etiam laici in computationibus dicuntur uti in digitis suis, vel provinciales litteræ dicuntur Ægyptiorum, quas propter cohabitationem eorum noverant. Sed sive hoc, sive alio modo intelligas, lingua Hebræa erant scripta.

**** *Additio* 4. Ad hujus catenæ similitudinem, dicit magister, stolam a collo ex utraque parte dependentem, obliquandam in pectore, quod inde sic non fit.

Cap. LXV. *De mitra et tiara.*

Ultimum erat capitis ornamentum, quod communius tiara, vel mitra dici potest, vel infula, specialius vero cidaris (*Exod.* xxviii). Eratque tiara ad modum prædictæ facta, quæ communis erat sacerdotibus super quam consuta erat alia tota hyacinthina, quæ circumdabatur aureo circulo tribus ordinibus facto, super quam ab occipite stabant flores aurei plantagini similes a tempore ad tempus. A fronte vero supra stabat flos aureus similis herbæ, quam Græci jusquiamum dicunt, magnitudine digiti unius. In superiori vero planitie tiaræ ex omni parte in circuitu usque ad summitatem ejus, quæ in acutissimum deficiebat cacumen, particulatim per loca erant malagranata aurea, cum spinosis extremitatibus suis fabrefacta. Super frontem vero pendebat lamina aurea, quam petalum dicunt, admodum lunæ dimidiæ facta, quæ arcuationem sursum habens, et in medio annulum aureum uncino aureo inserebatur, qui tiaræ insertus erat. In qua sculptum erat Aioth Adonai, scilicet sanctum nomen Domini, id est tetragrammaton, quod ineffabile dicitur, non quia dici non possit, sed quia rem ineffabilem significat, quod his litteris scribitur י iod, ה he, ו vau, ה he *, quæ sonant principium vitæ passionis iste, quod est, per passionem hujus, quem præfigurat hic sacerdos, reinitiabitur et recuperabitur vita in Adam perdita. Ne vero cum moveretur pontifex, moveretur, et lamina sancta, sursum ligabatur vitta hyacinthina perspicua, eolante uncinum et annulum, quæ circumducta capiti, et ligata in occipite, dependentes summitates super humerum utrumque diffundebat.

Additio 1. Tamen hæ litteræ non repræsentant sua elementa in illo nomine, sicut tunc aliquando elementa cætera.

Cap. LXVI. *De typo vestium.*

His vestibus ornatus pontifex, imaginem totius orbis super se præferebat. Feminalia enim, et linea stricta, quia byssina erant, terram figurabant; baltei vero quotquot erant *, circumvolutionem Oceani; tunica hyacinthina aera ipso colore præferebat; per tintinnabula, sonitus tonitruum; per malagranata, coruscationes significabantur. Ephod vero sui varietate, cœlum sidereum; quod aureis coloribus intertextum erat, significat quod calor vitalis penetrat universa. Duo sardonices, solem et lunam, vel duo hemispheria; duodecim gemmæ pectoralis, duodecim signa in zodiaco. Pulchre quod in medio erat, rationale appellabatur. Ratione enim cuncta sunt plena, et terrena adhærent cœlestibus, imo ratio terrenorum et temporum, caloris et frigoris, et duplex inter utraque temperies, de cœli cursu, et ratione descendit. Cidaris cœlum empyreum, lamina superposita, Deum omnibus præsidentem.

Digitized by Google

* *Additio* 1. Quia quidam unum, quidam plures esse rebant, ideo dicunt, quotquot erant.

Cap. LXVII. *De compositione altaris incensi, et loco ejus.*

Post vestium compositionem, locutus est Dominus ad Moysen, de modo consecrationis Aaron, et filiorum ejus, quod ad ipsam consecrationem distulimus, de altari aureo prosequentes. Factum enim erat hoc altare de lignis setim, habens cubitum longitudinis, et alterum latitudinis, id est quadrum et duos cubitos in altitudine, vestitumque erat auro purissimo, cornua habens, et craticulam auream, et catenas, et annulos, et vectes aureos instar prioris (*Exod.* xxx). Utrum vero arulam haberet, an cineres exciperet terra, ambiguum est. Josephus addidit quod per angulos singulos coronas sex habebat ex auro purissimo, quod singulariter forte in Exodo dictum est, ita : « Faciesque ei coronam auream per gyrum ». » Hoc altare dicebatur incensi, vel thymiamatis, quia singulis diebus mane et vespere ad consumendum juge sacrificium, quod fiebat de duobus agnis, super illud thymiama incendebatur, sanctificatum Domino. Fuerunt tamen qui dicerent mane solum incensum, id est thus superimponi, vespere vero, pro dignitate sacrificii vespertini thymiama. Cæterum utrum hoc altare esset intra sancta sanctorum, an in sanctuario cum candelabro et mensa, sancti videntur dubitare. Nec est putandum in dubium venisse quin esset in sanctuario; cum Hebræus hoc dicat, et Josephus plane, et prima positio tabernaculi facta a Moyse innuit, nisi quia Paulus, ad Hebræos, thuribulum ponit aureum intra sanctum sanctorum solummodo** (*Hebr.* IX). Potuit esse sane quod in templo, ubi omnia ampliata fuerunt, et multiplicata, præter altare aureum, quod erat extra velum, ad quod bis in die necessarium erat ingredi, erat superadditum thuribulum in aditu, in quo summus sacerdos prunas, et thymiama, quæ secum ferebat adoleret, quando ad interiora contingebat ipsum penetrare.

* *Additio* 1. Quædam eminentia ad modum labii.

** *Additio* 2. Origenes in homilia *De tabernaculo*. « Fiunt præterea quædam velaminibus distincta, quæ appellantur sancta, et alia nihilominus secundo distenta velamine, quæ dicuntur sancta sanctorum. Collocatur intrinsecus arca, supra quam cherubim extensis alis sese invicem contingentibus statuuntur, ibique ex auro velo basis tabula quædam collocatur, quæ appellatur propitiatorium, sed ad altare aureum incensi. Præterea in exteriori loco candelabrum ponitur aureum, in parte australi, ut respiciat ad aquilonem, in parte vero aquilonis mensa collocatur, et propositio panum super eam, necnon altare holocaustorum juxta velamen interius ponitur.

Cap. LXVIII. *De compositione thymiamatis.*

De compositione vero thymiamatis sancti locutus est Dominus ad Moysen dicens : « Sume tibi aromata stactem, et onycha, galbanum boni odoris, et thus lucidissimum; æqualis ponderis erunt omnia, et in tenuissimum pulverem contundes ea (*Exod.* xxx). » Onycha fertur esse ostreola parvula suave redolens, magnitudine humani unguis, unde, et onycha dicitur, quia *onyx* Græce *unguis* dicitur. Stacten est gummi, quod fluit de myrrha, quod et myrrha dicitur. Galbanum vero succus est ferulæ, et nascitur in Syria optimum, cartillaginosum scilicet, et minus lignosum, cujus odore fugantur serpentes. Ferula quoque, quæ et fœniculum, in gargano nascitur, cujus succus vilior est. Thus vero lucidissimum optimum, quod masculum dicitur, quia instar humani testiculi rotundum est. Dicitur etiam Libanum a Libano monte Arabiæ, in quo nascitur arbor thuris, ad aceris qualitatem perplexo, et intorto vimine. Ex his quatuor fiebat pulvis thymiamatis sancti, prohibuitque Dominus talem fieri compositionem in usus hominum, quod si quis simile faceret, ut odore ejus frueretur, periret de populis suis (*ibid.*). Inde est quod in Ecclesia non datur odor thuris benedicti sponso et sponsæ. Inde etiam est quod objato thure benedicto super altare, si descendat thuribulum ad clericos in choro, vel ad laicos, aliud thus sine benedictione ponendum est, et hominibus offerendum

Cap. LXIX. *De confectione sanctæ unctionis.*

Unguentum etiam sanctum de quatuor fiebat aromatibus* (*Exod.* xxx). Aroma vero dicitur quodlibet pigmentum, quod odore suo aera inficit, quasi aeriorna. Sumebantur quidem quingenti sicli virgultorum primæ, id est præcipuæ myrrhæ. Et est myrrha arbor, quæ Græce *smyrna* dicitur, quinque cubitorum, quæ est in Arabia, cujus virgulta Arabes exurunt, ut melius pullulent et fructificent, ex quorum nitore multos contraherent intolerabiles morbos, nisi fumo storacis occurrerent. Cinnamomi ducenti quinquaginta sicli, et calami totidem, casiæ vero quingenti. Et est cinnamomum virgultum Indiæ, vel Ethiopiæ duorum cubitorum, dictum quasi cannamomum, quia in modum cannæ subtiles habet calamos, et replicatos, qui fracti spiramentum visibile reddunt. Calamus vero species aromatica juxta Libanum. Casia in aquosis nascitur, crescit in immensum, odorem reddit. Hæc redacta in pulverem cum oleo olivarum, cum mensura Hin, conficiebantur opere unguentarii, et dicebatur sanctum unctionis oleum, vel unguentum sanctum, de cujus usu loco suo dicemus. Josephus etiam balsamum apponi dicit.

Cap. LXX. *De labio æneo.*

« Locutus est iterum Dominus ad Moysen : Facies et labium æneum cum basi sua (*Exod.* X), » vas scilicet lavatorium, quod etiam luter dicitur, quod erat inter tabernaculum, et altare holocaustorum, in quo missa aqua, lavabant sacerdotes manus suas et pedes, vestes sanctas accepturi, ut sacrificarent, similiter ingressu tabernaculum, et egressuri, quod dicitur factum de speculis mulie-

Digitized by Google

rum excubantium ad ingressum tabernaculi. Forte de sedibus speculorum æneis factum fuit. Vel potius eo facto in circuitu labii supremi circumposita fuerunt specula, in quibus sacerdos videre posset, si uspiam, vel in facie, vel in veste, maculam haberet abluendam.

CAP. LXXI. *De redemptione numeratorum.*

Iterumque dixit Dominus ad Moysen : « Cum numerabis filios Israel, dabit quisque pretium pro anima sua, ne sit in eis plaga, dimidium sicli juxta mensuram sanctuarii (*Exod.* xxx). Siclus autem viginti obolos habet. A viginti annis et supra dabunt, » ab eo enim tempore ad nomen familiæ transibant. « Dives non addet, et pauper non minuet. » Et hæc pecunia ad usus tabernaculi reponebatur. Hoc in David vindicatum est, quia aliter fecit quam Deus jusserat, quia regnans in pace, quasi superbe populum numeravit, et numeratum juxta præceptum Domini non fecit offerre, et sic in duobus peccavit (*II Reg.* xxiii).

CAP. LXXII. *De electione artificum, et datione tabularum.*

« Vocavit etiam Dominus ex nomine, » id est nominatim elegit, hujus operis summos artifices, « Beseleel * filium Huri de Tribu Juda, et Oliab ejus socium **, sed minus peritum, « filium Achisamech de Tribu Dan (*Exod.* xxxi), » quod implevit spiritu Dei, id est scientia, ad excogitandum in omne opere fabre faciendo.

« Completisque sermonibus his, dedit Moysi duas tabulas lapideas, digito Dei scriptas. »

* *Additio* 1. Nota quod secundum Paralipomenon, non videtur Beseleel habuisse, nisi duos annos ad plus.

** *Additio* 2. Vitium scriptorum in duobus maxime attenditur, in propriis nominibus, et numeris, et quoniam Paralipomenon fere totus consistit in his duobus, potuit esse vitium scriptorum, qui cum certum numerum annorum Beseleel posuisse debuerint, incertum pro certo scripserunt.

CAP. LXXIII. *De vitulo conflatili.*

« Videns populus quod Moyses moram faceret, dixit ad Aaron : « Fac nobis Deos, qui præcedant nos, » « Moysi enim ignoramus quid acciderit (*Exod.* xxxii). » Excusant se Hebræi dicentes, quia *Eloim* non tantum *deos*; sed etiam *dominos* sonat, et dicunt eos petiisse duces itineris. Aaron vero, et Hur restiterunt. Sed indignatus populus, spuens in faciem Hur, sputis, ut traditur, eum suffocavit. Unde timens Aaron ait : « Tollite inaures uxorum, et liberorum, et afferte ad me. » Hoc erat quod charius et pretiosius habebant, putans, quia consulentes avaritiæ suæ nollent afferre, « quas cum accepisset formavit ex eis vitulum conflatilem opere fusorio. » Forte aliud non reciperent, quia adoraverunt bovem in Ægypto. Tradunt quidam Aaron projecisse in ignem inaures, et inde opere dæmonis conflatum caput vituli tantum, quod tamen quandoque vitulus, quandoque caput vituli vocatur, quia in excusationem sui inferius legitur Aaron dixisse Moysi. « Projeci illud in ignem, et egressus est hic vitulus. » « Et dixit populus : Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. » Fecitque Aaron altare coram eo, et in crastinum indixit solemnitatem, maneque surgentes, obtulerunt hostias, « sedítque populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere, » id est adorare. « Tunc ait Dominus ad Moysen : Descende, peccavit populus tuus. » Quasi dicat : jam non meus. « Dimitte me, ut deleam eos faciamque te in gentem magnam. Cui Moyses. « Quæso, Domine, quiescat ira tua ne dicant Ægyptii; Callide eduxit eos, ut interficeret eos in montibus, » impotens eis dare terram, quam promiserat. « Recordare quoque servorum tuorum, quibus jurasti dicens. Terram hanc dabo semini vestro. Placatoque Domino, descendit Moyses ferens tabulas, ex utraque parte digito Dei scriptas. Cui occurrit Josue, » qui forte singulis diebus in occursum ejus egrediebatur. Non enim credibile est cum Moysi eum jejunasse. « Et ait ad Moysen : « Ululatus pugnæ « est in castris. Cui Moyses : Imo vox est cantantium. Et appropinquans, vidit vitulum, et choros, et iratus projecit tabulas, et confractæ sunt. Combussitque vitulum, et massam redegit in pulverem, quem sparsit in aquam, et dedit ex eo potum filiis Israel. » Cumque accusaret Aaron, quia populum audierat, excusans se Aaron, dixit quæ supradicta sunt, dicens se timuisse populum, quia pronus erat ad malum. « Videns ergo Moyses, quod ornamentis nudatus esset populus *, » scilicet, vel auxilio Dei, vel potius idololatria, quam longo tempore ante concepera!, tandem manifestaverat : vel forte videns sibi indicatos a Deo sceleris auctores per pulverem bibitum, qui in barbis eorum miraculose apparuit, stans in porta castrorum, et advocans levitas ait : « Qui Domini est jungatur mihi. Ponat vir gladium super femur suum, transite per medium castrorum, occidat quisque amicum suum, et fratrem, » quem scilicet signatum pulvere invenerit. « Et ceciderunt ea die quasi tria millia. » Alia translatio habet viginti tria millia. De his omnibus, quæ dicta sunt de vitulo, tacet Josephus; tantum opiniones eorum de mora Moysi narrat. Alii enim dicebant eum a bestiis comestum, alii a Domino translatum, alii sanæ mentis cum Domino philosophantem.

* *Additio* 1. Quatuor modis exponitur nudatus, spoliatus, derelictus, manifestatus, designatus.

CAP. LXXIV. *De prece Moysi, et minis Dei.*

« Altero die locutus est Moyses ad populum : Peccastis peccatum maximum. Ascendam ad Dominum, si quivero eum deprecari pro vobis; et cum ascendisset ait : Obsecro Domine, aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem scripsisti * (*Exod.* xxxii). » Quod de impetu animi, non de ratione, quidam dictum tradunt, vel ex magna confidentia in Deum per impossibile dictum, quasi dicat : Sicut impossibile est ut me deleas, sic oro non posse fieri quin dimittas. Augustinus dicit ex consequentibus ratiocinationem debere concludi, ut scilicet quod

Digitized by Google

sequitur præmittatur sic : « Aut dele me, aut dimitte eis. » Quæ ponitur pro æquipollenti sua, quasi dicat : Si non dolet me, dimitte eis. Disjunctiva enim vertitur in conjunctivam, destructo quod antecedit, et manente, quod consequitur. Scribi, aut deleri de libro vitæ dicitur quis dupliciter, vel secundum præscientiam *, vel secundum præsentem justitiam **. « Cui Dominus. Qui peccaverit mihi, » nisi pœnitest, « delebo eum, » quasi dicat : Non te, quia non peccasti. « Vade duc populum istum, angelus meus præcedet te. « Non enim ascendam tecum, quia populus duræ cervicis est, ne forte disperdant te in via (*Exod.* XXXIII). » Tradunt Hebræi, quia prius Deus ipse custos eorum erat, deinceps dedit eis Michaelem custodem eorum proprium, sicut cæteræ nationes proprios habent angelos custodes sibi delegatos ; addidit etiam Dominus. « Semel ascendam in medio tuo, et delebo te. » Et est comminatio captivitatis Babylonicæ, vel Romanæ. Et nota ascensum dupliciter dici, vel ab inferioribus ad superiora, vel ab occultis ad manifesta, et est sensus : Manifestabo me tibi malo tuo.

* *Additio* 1. Secundum prædestinationem Paulus erat scriptus in libro vitæ, quando persequebatur Ecclesiam.

** *Additio* 2. Secundum præsentem justitiam Judas erat scriptus in libro vitæ.

CAP. LXXV. *De translatione prioris tabernaculi.*

« Audiens hæc populus luxit, et nullus indutus est cultu suo. Deposuitque ornatum suum a monte Horeb (*Exod.* XXXIII). » Tollensque Moyses tabernaculum, quod commode de priori tabernaculo intelligitur, quod sibi fecerant, ut ante ipsum jura tractarent ; quod cum hucusque fuerit in radice montis, ut propinquius esset Domino, voluit Dominus a se illud removeri *, et tetendit illud Moyses ex altera parte castrorum, et longe a castris. Egrediebaturque Moyses ad illud **, et plebs stabat in foribus tabernaculorum suorum, et adorabat procul. « Descendebatque columna nubis, et loquebatur Dominus cum Moyse, cernentibus universis, facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum, » id est manifeste.

* *Additio* 1. Quasi avertens faciem suam ab eis.

** *Additio* 2. Et ipsum tabernaculum intrabat Moyses cum Deo loquens.

CAP. LXXVI. *Quod Moyses vidit posteriora Domini.*

« Oravitque iterum Moyses ad Dominum : Respice populum tuum gentem hanc. Vis ut educam populum, indica mihi quem missurus es mecum. Dixitque Deus : Facies mea præcedet te (*Exod.* XXXIII). » Ecce jam majus impetraverat Moyses, plus notatur in facie, quam in angelo : Sed quia in facie intellexit Moyses aliquem, quam simillimum Deo, promittit, addidit : « Si tu ipse non præcedes, ne educas nos de loco isto *. Cui Dominus : « Et verbum, quod locutus es faciam, et te ipsum novi ex nomine, » id est proprie et specialiter mihi placuisti ; « vocabor in nomine Domini coram te, » id est faciam me vocari Deum, et ducem vestrum. Est miraculis, quæ faciam, et non ob aliud, nisi quia volo, « quia miserebor cui voluero. » Cui Moyses : « Ostende mihi faciem tuam. « Cui Dominus : « Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, et vivet. Stabis in caverna petræ, et transibo coram te in gloria mea. Quam qui non sustineres, ponam manum meam coram te. Cumque pertransiero tollam manum meam, et videbis posteriora mea : » quod ratione similitudinis dictum est. Sicut enim a tergo visus homo, scitur quod homo sit, sed non quis homo sit ; ita Deum esse modo scimus, sed quis sit nondum scimus. Potuit esse, quod in tanta claritate pertransierit Dominus, quam humanus, non sustinuisset aspectus, et apposita est nubes Moysi. Deinceps cum longius abisset, potuit a Moyse videri. Ad litteram Hebræi tradunt vidisse eum posteriora hominis, et in occipite quasdam ligaturas.

* *Additio* 1. Familiarem enim se ei exhibet, qui alium nomine suo vocaverit, quod præcipue in majoribus commendatur.

CAP. LXXVII. *De secundis tabulis, et gloria vultus Moysi.*

Et ait Dominus ad Moysen : Præcide tibi duas tabulas instar priorum, et scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti (*Exod.* XXXIV). » In Deuteronomio etiam dicitur Deus scripsisse (*Deut.* IX). In sequentibus vero dicit : « Scribe tibi hæc, » etc. Et paulo post : « Fuit Moyses cum Domino quadraginta diebus, etc. » et scripsit in tabulis verba fœderis decem. Potest dici quod auctoritas scribendi fuit in Domino, ministerium in Moyse. Cumque excidisset Moyses tabulas, de nocte consurgens montem ascendit, et transeunte Domino coram eo in turbine, pronus in terram adorans, ait : « Obsecro ut gradiaris nobiscum, auferasque iniquitates nostras, et possideas nos. » Cui breviter Dominus memoravit quædam, quæ etiam prædixerat de tribus solemnitatibus, de oblatione primitiarum, et primogenitorum et addidit ne cum gentibus terræ promissionis aliquod haberent participium. « Fuitque Moyses secundo cum Domino, quadraginta diebus, et quadraginta noctibus. Panem non comedit, et aquam non bibit. Cumque descendisset de monte cum tabulis, apparuit facies ejus cornuta, et ipse ignorabat, » id est radii miri splendoris ferebantur de facie ejus, qui reverberabant oculos intuentium *, quos gloriam vultus Moysi appellat Paulus apostolus ; posuitque velamen super faciem suam, cum loqueretur filiis Israel. Locutus quoque est eis omnia, quæ sibi fuerant imperata. » Quantum autem hæc gloria duraverit, et utrum semel, vel pluries hoc acciderit ignoramus. Et tradunt Hebræi, quia adhuc tertio ascendit ad Dominum, ad impetrandam ei veniæ certitudinem, et iterum fuit cum Domino quadraginta diebus, et quadraginta noctibus jejunans. Cumque redisset cum certitudine veniæ, erat nona dies septimi mensis, et in crastino solemnitatem agentes pro venia data, afflixerunt animas suas je-

Digitized by Google

nantes, et deinceps dicta est decima dies mensis hujus dies propitiationis * *. Quod si verum est potest esse quod etiam Ecclesia ob hoc tres in anno proponit quadragenas, licet ob hoc institutum dicatur, quia tres tribus leguntur jejunasse quadragenis. Moyses, Elias et Jesus * * *. Sive vero fuerit, sive non, post secundum reditum de constructione tabernaculi præcepit eis Moyses, secundum quod a Domino acceperat, et præmisit de observatione Sabbati, ne forte in hoc opere putarent sibi licere operari in Sabbato.

* *Additio* 1. Sicut in Christo, quando ejecit de templo vendentes et ementes.

** *Additio* 2. Et a quinquagesimo die egressionis eorum de Ægypto jam fluxerant hi quadraginta dies. Quia Deum habuerunt propitium, hoc festum moderni adhuc celebrant Judæi.

*** *Additio* 3. Nota quod quædam Ecclesia tria servat jejunia, propter Moysen, Eliam, Jesum. Sed duo dissimilibus servat temporibus. Quædam observat quatuor propter duo Moysi, unum Christi, et unum Eliæ, iterum diversis temporibus.

CAP. LXXVIII. *De compositione tabernaculi, et erectione.*

Egressa omnis multitudo, obtulit, juxta verba Moysi, mente promptissima quidquid pretiosius habuit, et cum tanta copia, quod compulsi sunt artifices voce præconis clamare, ne quisquam ultra offerret. Feceruntque Beseleel, et Oliab cuncta quæ sibi fuerant, et sicut fuerant imperata (*Exod.* XXXV). Et secundum Josephum, omne tempus ad opus faciendum transiit in mensibus septem. Omne aurum, quod expensum est in opere sanctuarii, viginti novem talentorum fuit, et septingentorum triginta siclorum, ad pondus sanctuarii. Fuerunt præterea, centum talenta argenti, ex quibus conflatæ sunt, centum bases sanctuarii *. De mille autem, septingenta septuaginta quinque facta sunt capita columnarum, quæ etiam vestitæ erant argento. Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, et quadringenti sicli. Obtulerunt autem a viginti annis, et supra, sexcenta tres millia, et quingenta quinquaginta. Igitur mense septimo secundi anni, in prima die mensis, erexit Moyses tabernaculum, operuitque nubes tabernaculum, cum lux serena esset, non procellosa, sed lucida, non tamen per quam transiret aspectus, sed qualem decebat præsentiam Dei. Et ad nebulæ elevationem illius, deinceps moverunt castra, et ad depositionem deposuerunt, et dum stabat super tabernaculum, et ipsi stabant, eratque ignis in nocte.

* *Additio* 1. De genere Aaron erant Annas, et Caiphas, et alii, qui prænuntiaverunt Christum reum esse mortis, et effuderunt ejus sanguinem ad basim altaris. Ibi enim est occisus, ubi erant altare, et basis ejus. Unde: « Non capit prophetam perire extra Jerusalem (*Luc.* XIII). »

HISTORIA LIBRI LEVITICI.

CAP. I. *Præfatio.*

Tertia distinctio historiæ, quam scripsit Moyses. Græce dicitur Leviticus, quia de electione et ministerio levitarum agit; latine *Offertorius*, vel *Sacrificaticius;* quia de sacrificiis et de his quæ offerebantur ex lege tractat. Hebraice vero Vaiacra, quod sonat *ministeriales.* Vocavit autem Moyses more Hebræorum, quia principiis librorum nominant eos, sicut nos officia missarum, et Evangelia, videlicet cum dicimus Dominica qua cantatur: *Populus Sion;* vel legitur: *Erunt signa in sole, et luna.* Inchoatur autem sic liber iste *. « Vocavit autem Moyses, et locutus est ei Dominus de tabernaculo, fœderis dicens: Homo qui obtulerit hostiam, si fuerit holocaustum, et de armentis, masculum offeret. Pro « autem, » habetur in Hebræo, « va, » quod *enim* sonat, et icera, *vocavit.*

* *Additio* 1. Moyses hunc librum, et duos præcedentes et duos consequentes composuit, sed eos, sicut nunc sunt distincti, non distinxit, imo cum ipse composuisset eos, totum opus quasi in unum corpus, et volumen redegit. Esdras vero, qui dictus est velox scriba, et qui totam Bibliothecam a Babyloniis combustam reparavit, hoc opus in quinque partitiones divisit, sive in quinque libros, qui dicti sunt Pentateuchus.

CAP. II. *Permittitur divisio utilis.*

Ad videndum de doctrina et traditione sacrificiorum, quæ sequitur, quædam prælibanda sunt in hunc modum: Quinque consideranda sunt hic. Sacrificia, quæ Deo offeruntur, personæ a quibus offeruntur, tempora quando offeruntur, loca ubi offeruntur, causæ pro quibus offeruntur. Triplex autem eorum quæ offerebantur, rite occurrit discretio. Aut enim erat oblatio de animalibus, et sacrificium dicebatur, nec ante octavum diem nativitatis poterat offerri, nec eadem die mater et fetus ejus. Aut de sicca materia, ut simila, pane, thure, et proprie dicebatur oblatio. Aut de liquidis, vino, et oleo, quæ proprie libamen, vel libatio dicebatur, licet his nominibus scriptura quandoque indifferenter utatur. Personæ vero offerentium duæ, anima, vel Synagoga. Animarum vero alia sacerdos, alia princeps, alia privata, de quibus suis locis dicetur, similiter de locis, et temporibus, suo loco. Causarum quoque triplex erat differentia. Of-

Digitized by Google

ferebant enim quandoque necessario, quandoque sponte, quandoque casu. Necessario autem, vel ex voto, vel ex præcepto. Sane ex præcepto offerebant primitias frugum, uvarum, fructuum *. Decimas quoque eorumdem, et insuper animalium. Primogenita quoque animalia, et liberorum. Oblationes etiam trium solemnitatum, etc. in hunc modum **. Mel autem et fermentum nunquam offerebantur Domino, tamen primitiæ eorum temporibus suis offerebantur sacerdoti, sed nil ex eis super altare ponebatur. Communiter autem a nullo sacrificio sal deesse debebat, et ideo dicebatur sal fœderis, quia non erat fas hoc transgredi. Porro secundum ordinem libri a sacrificiis inchoandum est.

* *Additio* 1. Duæ erant primitiæ. Primæ primitiæ frugum de spicis confricatis, primo die azymorum. Secundæ in panibus, in die Pentecostes.

** *Additio* 2. Si erat primogenitum hominis de levitis, ipse templo remanebat, sin autem redimebatur quinque siclis.

CAP. III. *De holocaustis, et modo offerendi.*

Sacrificiorum, alia holocausta, alia sacrificia. Et primo de holocaustis videamus. Holocausta dicebantur illa sacrificia, quæ tota incendebantur. Holon, enim, *totum*, cauma, *incendium* dicitur. Fiebat autem tantum in tribus, armentis scilicet, pecudibus, sed tantum de ovibus et capris. Et in avibus; sed tantum in turture et columba. De armentis et pecudibus sic : Offerebatur tantum masculus anniculus (*Levit.* 1), scilicet unius anni, vel circa, supra annum non.

Unde quandoque hostia agnus, quandoque aries appellatur. Bos enim supra annum poterat offerri ut ait Josephus. Erat quoque immaculatus, quod non de macula velleris, sed corporis intelligendum est, id est non debile, aut fracto membro, aut papulas habens * aut scabiem, aut cæcum, et hujusmodi. Offerebaturque primo sacerdoti ad ostium atrii, ut videret si idoneum esset ad offerendum, postea ad ostium tabernaculi offerebatur Domino per manuum impositionem super caput, lotis prius manibus, quia præter mare sacerdotum, erant in atrio duo maria, unum virorum, et alterum mulierum. Unde et a loco offerendi ab Hebræis hostia dicebatur **. Gentiles autem ab hostibus vincendis hostiam, et a victis hostibus victimam consueverant appellare ***. Victimam vero Hebræi a vinciendo dixerunt, quia vinctum adducebatur animal. Oblatam sic hostiam, reducebat sacerdos ad altare holocaustorum, et stans ad aquilonem immolabat eam, coram Domino, ad latus altaris, et in conspectu sanctorum, fundebatque sanguinem ejus circa crepidinem altaris in circuitu ****. Hebræus habet, « parietem. » Josephus, « limbum, » forte, labium, supereminens, detractaque pelle hostiæ, quæ erat sacerdotis, artus in frusta concidebat, quibus lotis, cum capite, pedibus et intestinis, adolebat omnia super altare in holocaustum, et odorem suavem Domino. Non est credendum, quod in nidore, A seu odore carnium delectaretur Dominus, sed potius in re significata, et devotione offerentium. S. autem de avibus fieret holocaustum, fiebat sic : sed cum duo offerrent, ut dictum est, primo homo de Israel postea sacerdos. Quomodo ab homine offerebatur avicula, tacet. Forte quia eodem modo, quo et pecus, forte tantum sacerdoti. Offerebatur autem pullus turturis, vel columbæ cui frangebat sacerdos collum sola manu. Non enim licebat sacerdotibus ferrum levare super avem. Et, retorto collo cum capite sub assella, ungue cutem colli, ubi fractum erat, rumpebat, et fuso sanguine circum crepidinem altaris, vesiculam gutturis et plumas projiciebat ad orientem in loco secreto, ubi cineres effundebantur, confractisque asselli manu B adolebat eam super altare in holocaustum. Et hæc erant minora, et simplicia holocausta, quæ voluntarie fiebant. Erant quædam majora quadam necessitate facta, quæ et sanctiora quodam modo, quia totum incendebatur, et pellis, et fimus, de quibus post dicetur, quodam modo minus digna, quia super altare non cremabantur. Nunc de sacrificiis partialibus prosequamur, et voluntariis.

* *Additio* 1. Papula est oris infirmitas, quæ Gallice dicitur lampast.

** *Additio* 2. Unde hostia secundum Hebræos, aliter secundum gentiles.

*** *Additio* 3. Victima quæ cecidit dextra victrice vocatur.

C *Hostibus a domitis hostia nomen habet.*

(OVID.)

Domitis posuit, pro domandis, metri necessitate.

**** *Additio* 4. Quædam hostia immolabatur a sacerdote, quæ erat aliquantulum magna, cujus sanguis effundebatur ad crepidinem altaris. Alia hostia quæ major erat, occidebatur ita quod sanguine ejus aspergebat sacerdos parietes ipsius altaris. Erat autem et hostia maxima, quæ sacrificabatur, cujus sanguis effundebatur, ab ipso immolante, super cornua ipsius altaris.

CAP. IV. *De sacrificiis pacificis et salutaribus.*

Horum quædam erant pacifica, quædam salutaria, quæ scilicet pro salute danda, vel data, vel conservanda offerebantur. Similiter et pro pace, vel ad D Deum, vel ad hominem, vel quia ad bonum pacis fiebant, cum cuique quod suum erat dabatur, scilicet Deo, et sacerdoti, et offerenti. Fiebat autem, cum erat de animalibus, de armento tantum, et de pecudibus prædictis, de avibus vero non. Sane in modo offerendi ab homine, vel sacerdote, idem fiebat cum hostia holocausti. Sed in hoc erat differentia, quia hic offerebatur masculus, vel femina, et anniculus, vel grandiora, immaculata tamen. Pars vero hostiæ offerebatur Domino, pars erat sacerdotum, reliqua offerentium. De armento hæc offerebantur Domino. Omnis adeps quæ est pinguedo interiorum offerebatur. Pinguedo enim supra carnem animalis, arvina, vel lardus dicitur. Quæ carni admista, proprie pinguedo, quæ intestinis,

Digitized by Google

adeps est. Est autem triplex adeps, vitalium, id est cordis et ventris. Adeps jecoris, id est epatis, quem reticulum dicimus, quia involvitur ad modum retis. Et est adeps renum. Hos tres adipes, duosque renes, id est ilia, et renunculos, adolebat sacerdos super altare. Eadem etiam de capra Domino offerebantur. Si vero de ovibus erat oblatio, præter prædicta, offerebatur de ea cauda integra, quam lumbum vocant LXX. Pellis vero erat sacerdotis, qui offerebat illud. Armus vero dexter, qui dicebatur separationis, et pectus, quod dicitur elevationis, et quare sic dicebantur infra dicetur, cedebant in usus sacerdotum, et lingua cum faucibus, ut tradunt, sed in textu non memini me legisse. Forte pectori adhærebant, et cum pectore ab animali tollebantur. Unde sufficit nominasse pectus, et his vescebantur sacerdotes in domibus suis, cum uxoribus, et liberis, et domo tota mundis tantum *; etiam quæ in domibus immolabant causa epuli, vel religionis, pectus et armum dabant. Reliqua erant offerentium, et inde epulabantur coram Domino, in locis ad hoc deputatis, in ipso atrio, vel juxta. Licebat etiam ex his, tam sacerdotibus quam aliis, edere duobus diebus, si quid supererat in diem tertium, cremabatur. Et nota quod nullum animal offerebatur, vel in holocaustum, vel in sacrificium, sine libamentis suis, sed de libamentis proprius infra erit tractatus.

* *Additio* 1. Diversis modis efficiebantur immundi, tactu mortuorum, et multis aliis modis, de quibus infra dicetur.

Cap. V. *De oblatione inanimatorum.*

Si vero manus hominis animal invenire non poterat, offerebat pro salute, vel pace, similam farinam, scilicet delicatissimam fundens super eam oleum, et dicebatur simila oleata, vel oleo fermentata; thus offerebatur cum ea. Sacerdos autem totum thus et pugillum plenum similæ oleatæ adolebat super altare memoriale, id est in memoriam offerentis, ut scilicet Dominus memor esset ejus, vel sacerdos ad Dominum; reliquum erat sacerdotum (*Lev.* II). Tradunt Hebræi non semper plenum pugillum offerre, sed pro quantitate similæ minus poterat offerri, in tantum, quod etiam impleto pugillo, omnes digitos poterat aperire sacerdos, præter medium; et illud tantillum, quod remanebat, inter illum digitum, et volam, sufficiebat *. Josephus vero drachmam unam offerendam dicit. Si vero sacrificium de simila coctum offerebat, panes sine fermento, conspersos oleo, coctos in clibano, vel in craticula, offerebat, et lagana azyma, id est latos panes, et tenues, non conspersos, sed linitos oleo. Quidam tamen per lagana, panem coctum in aqua intelligunt, ut sit tertium genus panis, a cocto in clibano, et cocto in craticula. Si vero coctum in sartagine offerebat, conspersum oleo, et sine fermento erat, et dividebatur minutatim. Ex his oblatis sacerdos memoriale adolebat coram Domino, de panibus unum, et de frustis unum; reliquum erat Aaron, et filiorum ejus ad edendum cum omni domo sua, et æqua sorte dividebatur eis. In Hebræo præter clibanum, tria ponuntur, Marchesilis, Mahebach, Michar. Marchesilis sonat *conciliatrix*, quod sartagine convenit propter stridorem, et susurrum frixuræ. Michar *rete*, vel *cribrum*; Mahebach forte *scaturiens*, potest esse patella, in qua coctio liquida fit **. Potest etiam esse tertia species sacrificii, id est a salutari, et pacifice pro gratiarum actione, vel pro victoria, scilicet pro aliquo bono eventu inopinato. Et potest dici fieri casu, ut sit una species sacrificii, quod fit casu.

* *Additio* 1. Quando farina redacta fuit in panem. Quidam dicunt 4. genera panum fuisse, coctum in clibano, in craticula, coctum in aqua, quam laganа azyma dicunt. Quidam tamen intelligunt formam panis, et secundum hoc tertium genus erat coctum in sartagine.

** *Additio* 2. Dicere vult quod Mahebach potest intelligi tertia species sacrificii.

Cap. VI. *De hostiis pro peccato.*

Post hostias salutares, præcepit Dominus de hostiis pro peccato et pro delicto * (*Levit.* IV). Dicitur autem peccatum gravius, scilicet quod ex industria est factum. Delictum levius, scilicet quod ex ignorantia. Vel peccatum cum fit quod faciendum non est. Delictum quasi derelictum, cum non fit quod faciendum est **. Et juxta personas peccantium erat diversitas sacrificiorum.

* *Additio* 1. Tamen omnia hæc sacrificia indifferenter sæpe dicuntur sacrificia pacifica.

** *Additio* 2. Delictum quoque specialiter peccatum in Deum, id est in sanctificata Deo. Hoc enim est derelinquere, id est Deum relinquere; vel delictum peccatum recognitum.

Cap. VII. *Pro peccato sacerdotis.*

Distinguntur autem hic quasi quatuor personæ, sacerdos, Synagoga, id est populus, princeps, anima. « Si ergo sacerdos, qui inunctus erat, peccabat, delinquere faciens populum (*Levit.* IV), » faciebat quæ sequuntur. Additum est: « Qui inunctus. » Non quod omnes inuncti essent, sed ad differentiam illorum, qui cum essent de genere sacerdotali, propter maculam corporis, nec inungi poterant, nec ministrare. Quod etiam additum est, « faciens populum peccare, » forte generale est, quia peccatum quodlibet cujuslibet sacerdotis, trahitur in exemplum. Et est dictum ad exaggerationem peccati. Vel specialiter dictum est, cum scilicet verbo, vel aliquo modo, populum ad peccandum provocaverit. Vel sane sicut in Hebræo habetur. « Si sacerdos, qui inunctus est, peccaverit ad culpam populi, » id est ita vil ter et aperte, quasi unus de populo, quod valde indecens est, tunc inquam, offerebat, pro suo peccato, per manus impositionem ad ostium tabernaculi, vitulum immaculatum *; » Et coram altari immolabat eum, hauriensque de sanguine, inferebat illum in tabernaculum, et intingens in eo digitum, aspergebat illum, septies contra velum sanctuarii,

Digitized by Google

et de eodem ponebat super cornua altaris incensi, et egrediens, reliquum sanguinis fundebat circa crepidinem altaris holocausti, et omnem adipem cum renibus et renunculis adolebat super altare, sicut et de vitulo hostiæ pacificorum. Pellem vero, et omnes carnes cum fimo etiam efferebat extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solebant, et incendebant ea super struem lignorum.

* *Additio* 1. Quia vitulus propria hostia erat sacerdotum.

CAP. VIII. *Pro peccato Synagogæ.*

« Quod si omnis turba per ignorantiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, offerebant seniores populi ad ostium tabernaculi per manuum impositionem vitulum (*Levit.* IV) »: » et fiebat de hoc vitulo, sicut et de priori pro peccato sacerdotis. Et orante pro eis sacerdote, propitius erat eis Dominus. In duobus tantum hic innuitur differentia inter peccatum sacerdotis et populi, quia scilicet sacerdos non dicitur peccare per ignorantiam, non enim licet ei ignorare mandata Domini. Iterum quia non legitur quis orare pro sacerdote, quia « si percussus fuerit incantator a serpente, quis medebitur ei? (*Eccli.* XII.) » Ecce patet differentia inter holocausta hæc, et prædicta, quia ex his nihil erat sacerdotum, totum Domino cremabatur *, neque membra istorum cum capite, pedibus et intestinis lotis ponebantur super altare **. Generalis enim erat regula, quia de cujus sanguine inferebatur in sanctuarium, nil ex eo licebat remanere, nec aliquid ex eo super altare adolebatur, nisi adeps cum renibus et renunculis. In modo etiam offerendi, et numero sacerdotum offerentium, erat differentia. De carnibus enim holocausti salutaris fiebant novem partes, quas super altare ponebant novem sacerdotes, quisque suam, unus vero quatuor simul offerebant, scilicet caput, et pedes, et jecur, et intestina lota aqua, duo vero sanguinem offerebant, ut omnes simul essent duodecim.

* *Additio* 1. Quod etiam supra notaverat in fine cujusdam capituli.

** *Additio.* 2. Hanc eamdem regulam habes in Apostolo, et in Epistola ad Hebræos.

CAP. IX. *De hostia pro peccato principis.*

Si peccaverit princeps, qui et chil.archus dicitur, vel tribunus, per ignorantiam, et post intellexerit peccatum suum, vel per se, vel per alium offerat ad ostium tabernaculi per manus impositionem hircum immaculatum (*Levit.* IV). Quo immolato, tingebat sacerdos digitum in sanguine, quo tangebat cornua altaris holocausti, reliquum fundens ad basim ejus, et adolebat adipem, renes et renunculos, reliqua erant sacerdotum. Sed quia erat hostia pro peccato, et de sanguine ejus tincta cornua altaris holocausti, carnes ejus erant sanctæ, et sanctificabant, quæ ab eis erant tacta, sed non quælibet imo in genere suo, caro carnem, simila similam panis panem, et non vescebatur eis nisi sacerdos unctus, et mundus, et non nisi in loco sancto, et non nisi in eadem die qua offerebantur, si quid residuum esset, igne comburebatur *. Si vestis polluebatur ejus sanguine, abluebatur, ut nullum remaneret in ea sanguinis vestigium, alioquin urebatur. Vas testeum in quo coquebatur caro, statim frangebatur, æreum defricabatur, et lavabatur aqua.

* *Additio* 1. Hoc non propter hoc sacrificium dictum est, cum in eo non esset simila, vel panis; sed ad sequentia respicit, scilicet sacrificium pauperis.

CAP. X. *De hostia pro peccato animæ.*

Cum autem peccabat per ignorantiam anima de populo terræ, offerebat capram immaculatam, eo modo quo alii, vel agnum (*Levit.* IV); et fiebat de hac hostia eodem modo quo et de hirco principis. Si autem non poterat manus ejus invenire pecus, offerebat duos pullos turturis, vel columbæ, quorum alter offerebatur Domino in holocaustum, alter erat sacerdotum, cujus tamen sanguis ad fundamentum altaris holocausti distillabatur, quia pro peccato erat. Quod si nec aviculas poterat invenire, offerebat similam, decimam partem ephi, nec mittebat in ea oleum, aut thus, quia pro peccato erat. Cujus memoriale sacerdos adolebat super altare; reliquum ipse habebat in munere.

CAP. XI. *De igne jugi, et ejectione cinerum.*

« Iterum locutus est Dominus ad Moysen: Ignis semper in altari ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens mane ligna per singulos dies; et erit ignis ex eodem altari (*Levit.* VI), » id est non aliunde sumptus apponetur. Cum vero cineres superabundabant, induebatur sacerdos vestibus quatuor sacerdotalibus, quas prætaxavimus, et tollens cineres de altari, reponebat in pelvim juxta altare, et depositis vestibus sanctis indutusque aliis, forte ad hoc destinatis, vel etiam suis propriis, cineres efferebat extra castra, et in loco mundissimo, usque ad favillam faciebat consumi.

CAP. XII. *De esu adipis, et sanguinis prohibito.*

Hæc de oblationibus dicta sufficiant hic. In Numeris de oblationibus septem legalium festorum legitur, hoc addendo, quod omnis adeps Domini erat (*Num.* XXIX). Adipem et sanguinem non comedetis omnino (*Levit.* III-IV), quod intelligitur de animalibus oblatis, tamen propter illud Judæi ab omni adipe abstinebant. Sed verius quod Dominus adipem, qui debebat offerri, in esum prohibuit eis, etiam nominatim adipem bovis, ovis, et capræ *. Adipem vero morticini, vel a bestia occisi, concessit eis in usus varios, scilicet vel ad lucernas, vel unctiones extrinsecas. Quid ergo faciunt de adipe animalis mundi non oblati, nec morticini, nec a bestia capti, si Domini est? Forte projiciunt, vel dant alienigenis ad edendum. Sed quomodo hoc, vel illud faciunt de illo, si Domini est. Prohibuit etiam eis Dominus omnem esum sanguinis (*Levit.* III). Josephus ait, quia animam et spiritum in eo esse Moyses putavit. In quo esus suffocati

Digitized by Google

tantum intelligitur prohiberi **. Tamen in tantum prohibuit esum sanguinis, quod etiam avem, vel feram, aucupio, vel venatione captam, voluit fuso sanguine in terram et operto comedi. Et addidit : « Nam anima omnis carnis in sanguine est (*Levit.* XVII). »

* *Additio* 1. Nota quia sic apposuit Augustinus hic, tamen Judæi non comedunt adipem mundi animalis, scilicet quod offerri non licet, cervorum scilicet, damularum et hujusmodi ; adipem, qui solebat offerri, non edunt, sed habent in varios usus, ad modum adipis morticini.

** *Additio* 2. Vel nomine spiritus dicit, quo mediante conjungitur anima corpori, quo etiam palpitat caro sine anima. Unde : « Benedicite, spiritus et animæ justorum Domino (*Dan.* III). »

CAP. XIII. *De consecratione summi sacerdotis, et minorum.*

Iterum præcepit Dominus Moysi, ut initiaret Aaron et filios ejus in sacerdotes (*Levit.* VIII). Et tunc omnes quidem filii Aaron consecrati sunt, sed non omnes postea de genere ipsius. Cæcus enim, vel claudus, si grandi, vel parvo, aut torto naso, si gibbosus, aut herniosus, si jugem scabiem habens, vel impetiginem, de semine Aaron erat, non poterat ministrare, nec intrare sanctuarium, vescebantur tamen panibus, qui offerebantur in sanctuario (*Levit.* XXI). Tulit ergo Moyses, juxta præceptum Domini, Aaron, et filios ejus, vestesque sanctas, et oleum unctionis, vitulum quoque, et arietes duos, et canistrum cum tribus generibus azymorum, tortas scilicet panis, et quæ collyrida dicitur, lagano et crustulo. Est autem crustulum panis, qui fere in crustam induratus est. Et congregavit omnem multitudinem ad ostium tabernaculi. In electione enim pontificis assensus desideratur plebis. Tradit autem Josephus, quia animos populi inclinavit ad sacerdotium Aaron in hunc modum. Dixit enim, quia ipse seipsum, dignum sacerdotio judicaverat, tum pro familiaritate, quam habebat cum Domino, tum quia plurimum pro populo laboraverat, tum quia quisque naturaliter amicus sui est ; sed Dominus digniorem Aaron judicaverat ; cum ergo placuisset populo, obtulit Domino Aaron et filios ejus. Cumque lavisset eos aquis fontium, et Aaron feminalia induisset, vestivit eum Moyses septem aliis vestibus, quas prædiximus, fundensque super caput ejus oleum unctionis, unxit caput ejus et manus, ita quod per barbam stillavit oleum, usque in oram vestimenti ejus. Filios autem ejus vestivit lineis, et balteis cingens imposuit eis mitras, et manus eorum oleo sanctificavit. Linivit quoque tabernaculum sancto oleo cum omni supellectili sua. Cumque aspersisset utrumque altare septies aquis, unxit illud, et omnia vasa ejus, labiumque æneum cum basi sua sanctificavit oleo.

CAP. XIV. *De potestate offerendi eis data, et accipiendi partes suas.*

Obtuleruntque Aaron et filii ejus vitulum pro peccato suo, super caput ejus manus imponentes (*Levit.* VIII). Quem cum immolasset Moyses, tinxit digitum in sanguine, et tetigit ex eo cornua altaris per gyrum, et fecit de eo, sicut de vitulo pro peccato sacerdotis facienda prædiximus. Obtulerunt, et arietem in holocaustum, hostiam scilicet salutarem. Et fecit Moyses de eo, sicut de holocaustis salutaribus fieri præceperat Dominus. Obtuleruntque per manus impositionem arietem secundum, hostiam scilicet consecrationis ipsorum. Quem cum immolasset Moyses sumens de sanguine tetigit extremum auriculæ eorum dextræ, et pollicem manus dextræ, similiter, et pedis dextri. Reliquum sanguinis fudit super altare per circuitum. Adipem vero omnem, et caudam, renes quoque cum renunculis, et armum dextrum separavit. Tollensque de canistro collyridam unam, et laganum unum, et crustulum unum, omnia simul tradidit Aaron, et filiis ejus, quasi dicat : Accipite potestatem sumendi hæc a populo, quædam ad offerendum Domino, quædam ad usum vestrum. Qui cum tenerent eas inter manus, superposuit Moyses omnibus pectusculum. Unde et pectusculum elevationis dictum est, quia omnibus superpositum fuit : in signum tamen, quia superior est omnium sapientia ; etiam pro elevatione offerentium legitur sic vocatum. In pacificis enim, et salutaribus, armum, et pectus prius elevabant offerentes coram Domino, et post tradebant sacerdotibus sicut per partes eis assignatas. Armus vero dexter dicebatur separaticius, quia in separatione membrorum hostiæ, primus ab ea separabatur, et quia in parte sacerdotum separavit illum Moyses, tanquam cæteris membris digniorem. Tradunt enim quidam quod formatio corporis animalis in utero matris ab humero dextro inchoatur. Tenentes ergo filii Aaron omnia hæc in manibus, elevaverunt coram Domino, et tradiderunt ea Moysi, qui omnia adolevit Domino super altare, eo quod oblatio consecrationis esset. Assumensque unguentum, et de sanguine, qui erat in altari, admiscens aquas fontium, aspersit eos, et super vestimenta eorum. Cumque sanctificati essent in hunc modum reliquas carnes arietis coxerant ante fores tabernaculi ; et ibi comederunt eas cum panibus qui residui fuerunt in canistro, et quidquid in canistro superfuit ex eis, ignis absumpsit. In eumdem modum iteravit singula, quæ diximus Moyses septem diebus, tamen non vestivit eos, quia semel induti septem diebus non deposuerunt vestes sanctas, nec de atrio tabernaculi sunt egressi. Quidam tamen tradunt prima die omnia, ut diximus fuisse prosecuta sex diebus consecrationis sequentibus, oblationes quotidie iteratas, sed non unctionem. Josephus vero dicit, omnia sicut et in prima die sequentibus fuisse prosecuta diebus.

CAP. XV. *De prima oblatione sacerdotum, et igne dato de sublimi.*

Octavo autem die denuntiavit Moyses populo solemnitatem, in quo sacerdotes consecrati offerri

Digitized by Google

inchoarent pro se populo (*Levit.* IX). In præcedentibus enim septem diebus vicem sacerdotis habuerat Moyses, et acceperat ab Aaron et filiis ejus, quæ postea a populo illi erant accepturi, et ministravit altari. In die octavo aggressi sunt ipsi ministerium ad quod fuerant ordinati, et Moyses cessavit. Et tradunt quidam diem octavam fuisse primam diem anni secundi, ex quo egressi sunt. Et cum objicitur eis quod prima die anni secundi dictum est, scilicet tabernaculum erectum, aiunt erectionem diei, consummationem consecrationis ejus. Præcepitque Moyses ignem terrenum amoveri ab altari, quo usus fuerat his diebus; quia ea die appareret eis Dominus. Congregatisque filiis Israel, primo obtulit Aaron pro peccato suo vitulum, cujus adipem, renes, et renunculos imposuit altari, igne non supposito; cætera combussit extra castra. Immolavit etiam pro se hostiam salutarem, arietem in holocaustum, et imposuit altari, sed sine igne. Deinceps oblaturus pro populo, sumpsit ab eis hostias quinque, vitulum pro peccato populi, et hircum pro peccato principis, agnum pro peccato animæ, bovem in holocaustum, arietem pro pacificis. Tamen in immolatione non nisi tria dicitur immolasse, hircum pro peccato populi, et bovem, et arietem pro pacificis. Forte quia prius ea numeraverat, pro brevitate illa tacuit. Et quia separatim de peccato Synagogæ principis, et animæ non agebat, ut prius, quodlibet trium pro peccato populi potuit dici oblatum. Augustinus tamen improbat litteram quæ dicit quinquè tantum sumpta, et dicit eum illis quinque sumptum agnum anniculum in holocarposin, quod sonat *holocaustum fructuosum*. Dicebaturque holocarposis, holocaustum illud quod Dominus aliquo signo visibili ostendebat sibi gratum esse. Cum autem imposuisset ex his Aaron super altare, quæ adolenda erant, Domino separavit de pacificis partem suam, armos dextros et pectora, et extendens manus benedixit populo. Ingressique Moyses et Aaron tabernaculum, et egressi iterum, benedixerunt populo; et cum essent oblata super altare, et etiam cum eis juge sacrificium matutinum *, egressus ignis a Domino, devoravit quæ erant super altare, et servatus est ignis iste perpetuus usque ad transmigrationem Babylonis, nec licuit deinceps ignem apponere alienum.

* *Additio.* 1. Juge sacrificium vocabatur, quod quotidie offerebatur; duo, scilicet, agni, unus mane, alter vespere.

Cap. XVI. *De morte Nadab et Abiu.*

Eadem die Nadab et Abiu, arreptis thuribulis, ignem imposuerunt alienum desuper incensum, offerentes (*Levit.* X). Egressusque est ignis a Domino, vel ille qui jam erat in altari, vel alius iterum veniens de sublimi, et devoravit, id est exstinxit eos. Et ait Moyses ad Aaron : « Hoc est quod Dominus dixit : Sanctificabor in his, qui appropinquant mihi » id est etiam in his qui mihi ministrant, apparebo sanctus, non parcens peccatis eorum. Vocavitque Misaelem, et Elisaphan filios Oziel patrui Aaron, cognatos eorum, et ait illis : « Tollite fratres vestros extra castra. » Et exportaverunt eos, sicut erant induti, lineis, et tiaris, et sepelierunt eos, ita ut ministri altaris sepeliuntur induti vestibus ministerii sui. Cum autem Aaron, et reliqui duo filii ejus, Eleazar, et Ithamar plangere vellent fratres suos more solito, prohibuit Moyses dicens : « Oleum sanctum est super vos, nolite capita vestra nudare; vestes nolite scindere, ne forte moriamini; non exibitis fores tabernaculi. » Tamen Josephus aliter dicit, quia dum portarent hostias super aram, quas non præceperat Dominus, sed quibus primo utebantur, subito inflammati sunt, nec valuit quisquam eos exstinguere. Jussitque Moyses patrem eorum, et fratres, portantes corpora extra castra, congruo honore sepelire, dixitque Moyses Aaron, et filiis ejus, ut tollerent partes suas de hostiis salutaribus, et oblata pro peccato, quorum sanguinis non erat illatus in tabernaculum, et comederent ea. Et cum quærerent hircum oblatum pro peccato principis, exustus inventus est. Cumque iratus Moyses super hoc argueret Aaron et filios ejus, excusavit se Aaron dicens. « Mihi accidit quod vides. » Quasi dicat : Ex perturbatione animi factum est hoc.

Cap. XVII. *De discretione ciborum*

Præcepit Dominus Moysi, et Aaron, ut traderent filiis Israel legem de discretione ciborum (*Levit.* XI). Ad litteram enim Dominus cibos hominî concessos, eis arctavit propter gastrimargiam eorum, cujus summa sic comprehendi potest : Animalium alia vivunt in terra, alia in aquis, alia in aere. Item quæ in terra, alia reptilia, quæ omnia immunda; alia latentia, ut talpa, quæ de luto nascitur; et hæc omnia immunda. Alia gradientia super terram; de his generalis est regula : Mundum tantum est quod ruminat et findit ungulam *. De piscibus quoque generalis est regula : Mundus est tantum habens squamas et pennulas. De avibus nominatim expressit quæ immundæ essent. Hoc tantum de avibus generaliter dictum est ** : Volatile quod graditur super quatuor pedes immundum est, nisi crura retro habuerit longiora super quæ saliat ***. Tangens morticina eorum, lavabit vestimenta sua, et immundus erit, usque ad vesperum; etiam si necesse fuerit ut portet quispiam eorum mortuum. Super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum polluetur, tam vas ligneum quam quodlibet vestimentum; ad vesperum aquâ mundabuntur. Vas fictile intra quod ceciderit frangetur. Clibani, vel citropedes, quas strapas dicimus, destruentur ****. Fontes vero, et cisternæ, et quælibet maria, et sementis granum, nondum seminatum, tactu eorum non polluuntur.

* *Additio.* 1. Ruminat dicit, propter porcum, qui tamen findit ungulam; findit dicit, propter camelum, qui ruminat.

Digitized by Google

** *Additio.* 2. Ut puta graphus, et si quid aliud simile.

*** *Additio.* 3. Sicut locustæ, et bruchus, et opimachus avis est, quæ cum serpentibus pugnat.

**** *Additio.* 4. Pro eodem accipe clibanum et citropedem, vasa scilicet terrea quibus artocreæ teguntur in lare, apud nos dicitur testa.

CAP. XVIII. *De purificatione puerperæ.*

Addidit quoque Dominus legem purificationis mulierum talem : « Si mulier peperit masculum, immunda erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ (*Levit.* XI), » id est ejusdem immunditiæ judicabitur, cujus est cum separatur a mundis, quando patitur menstruum. In tantum enim immunda est, quod quidquid tangit, immundum reddit, cibum, lectum, vestem, sedem. Unde non licet alicui communicare ei nec in lecto, nec in cibo. Octavo die circumcidebatur puer, post septem dies inquinationis, manebat triginta tres dies in sanguine purificationis suæ, ita ut omnes dies purificationis suæ fierent quadraginta, quia tot diebus dicunt physici, carnem masculi formari in utero. In purificatione vero triginta trium dierum, licebat ei surgere, in domo deambulare, sed non egredi et operari; et tangendo non polluebat, et licebat aliis communicare ei in cibo, et in sede, sed non in lecto. Accedere vero ad tabernaculum non poterat, nisi expletis quadraginta diebus. Si vero pareret feminam duplicabantur priores dies inquinationis *, et postea dies purificationis, ut simul fierent octoginta, quia tot diebus formatur femina in utero. Expletis vero diebus purificationis, offerebat pro filio, vel filia, agnum anniculum in holocaustum, vel pullum columbæ, vel turturem pro peccato **, quia in libidine conceperat, et erat sacerdotis. Quod si non poterat manus ejus invenire agnum, offerebat duos turtures, vel duos pullos columbatum, alterum in holocaustum pro puero, alterum pro peccato suo, vel pro originali filiæ, quia filio in circumcisione dimissum erat ***. Hebræi tamen non habere parvulos peccatum tradunt. Præter hæc dicit Josephus, primogenitum redimi quinque siclis,

* *Additio.* 1. Id est, immunda erat duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menstrui.

** *Additio.* 2. Hæc autem oblatio, etiam purificatio dicebatur.

*** *Additio.* 3. Augustinus tamen dicit, quod pro peccato puerorum offerebant quod licet in circumcisione dimissum, plenius tunc dimittebatur.

CAP. XIX. *De cognitione leprarum.*

Legem quoque lepræ tradidit eis Dominus (*Levit.* XIII). Sunt autem quatuor genera lepræ, in cute, in capillis, in veste, in domo *. Lepra cutis cognoscitur si fuerit in eo albor, id est pallida albedo, vel pustullæ, vel cicatrix; maxime si fuerit albo, vel subrufa, ita quidem si locus lepræ humilior sit carne reliqua; vel si mutati fuerint capilli in candorem, et solito tenuiores. Lepra vero in capillis, alopecia dicitur, fluentibus capillis. Si in calvitio, vel recalvatione albus, vel rufus color inventus fuerit, plaga lepræ est. Adducto itaque leproso ad sacerdotem, sine cujus arbitrio non excludebatur, si lepra nondum ei perspicua fuerat, recludebat eum in domo sua septem diebus. Quibus expletis, si non creverit lepra, iterum recludebat eum aliis septem. Quod si necdum lepra increverat, mundabat eum, id est mundum judicabat, quia scabies erat. Et lavabat homo vestimenta sua, et mundus erat. Cum vero perspicua erat lepra, separabatur ad arbitrium sacerdotis, et habebat vestimenta dissuta, id est facilia ad induendum, vel exuendum **; vel solam vestem extrinsecam, ut sic cognosceretur, et caput nudum, ut posset agnosci; et os veste contectum, ne fetorem loquendo diffunderet; et habitabat solus extra castra, ita ut a mortuo nihil differre videretur. Patet, ut dicit Josephus, illos irrisibiles qui dixerunt Moysen lepra fatigatum, et similium ejectorum ducem factum, venisse in Chanaæam cum eis, cum ita quasi immisericors circa leprosos habitus sit, qui tunc maxime misericordia indigebat. Lepra vero vestis lineæ, vel lanceæ, vel pellis, erat macula albida, vel rufa, humilior superficie reliqua, quia corrosiva est, quæ cum apparebat, considerabat eam sacerdos.

Si perspicua erat lepra, comburebatur vestis; si dubia recludebatur septem diebus. Si creverat macula adjudicabatur lepræ. Si non creverat, abluebatur vestis, et recludebatur aliis septem diebus. Si adhuc dubia erat, rumpebat illud a solido. Si tamen iterum aliqua macula apparebat, lepra volatilis erat, et comburebatur vestis. Si vero similis macula corrosiva apparebat in domo, prius præcipiebat sacerdos omnia de domo efferri, consideransque valliculas in pariete pallore, vel rubore deformes, et humiliores superficie reliqua, claudebat ostium domus septem diebus; post quos, si inveniret crevisse lepram, jubebat erui lapides leprosos, et projici extra civitatem et domum, radi intus per circuitum, et pulverem rasuræ spargi extra castra, vel extra urbem in loco immundo, et alios lapides substitui in domo, et luto alio liniri domum. Quod si iterum redierit macula, lepra perseverans est, et destruetur domus, et ligna, et lapides; et pulvis extra oppidum projicietur in locum immundum.

* *Additio* 1. Patet ex his quæ de diversitate lepræ dicuntur, quod non omnia ad litteram accipi possunt. Origenes : Invenimus quinque species positas de hominum lepra, aut in corpore fit cicatrix, et signum albedinis, et fit in cute ejus corporis contagio lepræ. Aut efflorens efflorebit lepra, et conteget omnem cutem contagio lepræ a capite usque ad pedes ejus, vel in carnis cute fit ulcus, et sauciatur, et fit in loco ipsius ulceris cicatrix alba. Aut in carnis cute fit adustio ignis lucida, alba, aut cum rubore candida. Quarta species cum viro, aut mulieri fit in capite aut in barba contagio lepræ. Ultima cum fit in calvitie, vel in recalvatione cor-

Digitized by Google

tagio lepræ rubicundæ quæ est lepra efflorens in calvitio, vel in recalvatione.

** *Additio* 2. Quædam vestis erat, quæ aperturam a capitio usque ad umbilicum habebat, et quibusdam nastulis claudebatur.

CAP. XX. *De purificatione leprosi.*

Quod si leprosus mundabatur, revocabatur ad communem habitationem sic : Veniebat usque ad communem introitum castrorum, vel oppidi habens secum duos passeres vivos*, quibus licitum erat vesci, lignumque cedrinum, et hyssopum, et vermiculum, filum scilicet coccineum, et aquas viventes in vase fictili (*Levit.* XIV), occurrensque ei sacerdos, immolabat passerem unum, stillans sanguinem super aquas, aliumque, scilicet vivum, ligans filo coccineo, cum hyssopo, in summitate ligni cedri quasi faciens aspersorium, tingebat illud in aquis rubricatis, aspergens hominem septies, dimittebatque passerem vivum avolare in agrum. Cumque lavisset homo vestimenta sua, radebat omnes pilos corporis sui, et lotus aqua, ingrediebatur castra, ita duntaxat ut maneret extra proprium tabernaculum septem diebus, iterumque die septimo rasis omnibus pilis corporis, etiam superciliis, lotisque vestibus et corpore, die octavo tollebat duos agnos immaculatos, et ovem anniculam, et tres decimas similæ conspersæ oleo, et olei sextarium, et offerebat omnia ad ostium tabernaculi. Tunc sacerdos immolabat agnum unum pro delicto, et sumens de sanguine ponebat super extremum auriculæ dextræ hominis, et super pollicem manus dextræ, et pedis, et de olei sextario mittens in manum sinistram, et tingens pollicem dextrum in eo, aspergebat septies contra tabernaculum. Reliquum olei, quod erat in sinistra, fundebat super extremum auriculæ dextræ hominis, et super pollicem manus dextræ, et pedis dextri, id est super sanguinem, quem prius infuderat, et super caput ejus. Et rogabat sacerdos pro eo, faciens aliquam specialem institutam ad hoc orationem, et post sacrificium faciebat pro peccato, et post immolabat holocaustum cum libamentis suis, ponens illud in altari. Et nota quod hic proprie distinguitur sacrificium pro delicto, cujus sanguine finitus est homo, et sacrificium pro peccato**, de quo nihil ei factum est. Unde et Moyses dixit hic, quasi distinguens, ita pertinere ad sacerdotem hostiam pro delicto, sicut et pro peccato. Cum enim distinxisset agnum pro delicto, nec distinxisset quod aliorum pro peccato, et quod in holocaustum fieret, innuit in arbitrio sacerdotis esse de agno et ove, ut alterum pro peccato, alterum holocaustum facere ***, quod vellet. Quod si manus ejus hæc invenire non posset, agnus tamen pro delicto, et olei sextarium non minuebatur, quia ex his purificabatur homo, ut prius ; sed pro ove et agno reliquo offerebat par turturum, aut duos pullos columbarum quorum unus pro peccato, alter in holocaustum fiebat. Offerebat quoque decimam similæ oleatæ in sacrificium.

* *Additio* 1. Forte duo erant genera passerum, quorum uno licitum erat vesci in lege, alterum vero prohibitum. Magister et Hugo dicunt, de quibus non est discretivum. Origenes dicit : Duæ gallinæ accipiebantur vivæ ei qui mundabatur, et lignum cedrinum, et coccineus coccus, filum scilicet rubeum, quo ligabat passerem vivum, et hyssopus in ligno cedri.

** *Additio* 2. Pro peccato, est quasi loco dictionis accusativi casus. Unde : « Et sacrificium pro peccato non postulasti (*Hebr.* X). »

*** *Additio* 3. Nota, quia distinguit revera Moyses inter sacrificium pro delicto, et peccato, sed inter delictum et peccatum, nequaquam distinguit. Sancti vero distinguunt tripliciter, ut sit delictum, quod fit per industriam ; peccatum, quod per ignorantiam ; vel delictum quod fit in Deum, peccatum quod in proximum ; vel delictum in omittendo facienda, peccatum in committendo non facienda.

CAP. XXI. *De viro spermatico, et muliere hemorrhoissa.*

Deinceps addidit Dominus de viro patiente fluxum seminis (*Levit.* XV); qui tunc judicatur huic vitio subjacere, si per momenta adhæserit carni, et concreverit fœdus humor seminis, quod, licet nolens, effundit ex corruptione. Talis immundus immundum reddebat quod tangebat, lectum suum, vestem suam, sedem suam, etiam sagma super quod sedebat *, id est straturam asini. Vas fictile quod tangebatur frangebatur, ligneum lavabatur ; qui tangebat lectum ejus, vestem ejus, aut sedem, vel super quem ipse salivam jaciebat, lavabat vestimenta sua, et erat immundus usque ad vesperum. Cum autem sanatus fuerat numerabat septem dies post mundationem sui, et lotis vestibus, ac corpore in aquis viventibus mundus erat. Die autem octava, offerebat par turturum, aut duos pullos columbarum, et faciebat sacerdos alterum pro peccato, alterum in holocaustum. Eadem lex erat immunditiei et purificationis de muliere patiente fluxum sanguinis ex morbo **. Similiter ejusdem immunditiei erat mulier menstruata. Sed non purificabatur solemniter. Sufficiebat enim ipsam cum vestibus ablui. Morbidæ enim immunditiæ pro peccato etiam solent accidere, et ideo pro eis et pro peccato salutare offerebatur, quod non pro menstruo, quia *** naturale est. Et nota quod accedentem ad menstruatam dicit hic immundum septem diebus, et purificationem ei concedit ; quod de ignoranter accedente intelligendum est. Infra, utrumque perimendum dicit quod dictum est, si fiat ex industria. Nec mirum quia etiam legitime cognoscentem uxorem, voluit Dominus lavare vestem, et omne corpus, et esse immundum usque ad vesperum. Et de uxore eodem modo.

* *Additio* 1. Sagma asini, id est sella ejusdem.

** *Additio* 2. Tradunt Hebræi quod si quis dormierit cum muliere, prima die sui menstrui, et si puer inde concipitur, et vixerit, infra decem annos leprosus erit. Si vero secunda die menstrui, tunc

Digitized by Google

infra viginti, et sic usque ad septimam diem.

*** *Additio* 3. Unde et mulieri hemorrhoissæ a Domino dictum est, postquam sanata est : « Vade, et amplius noli peccare (*Joan.* VIII). » Per quod patet quia pro peccato suo morbus ei acciderat.

CAP. XXII. *De vitula rufa, et hirco apompeio, et cineribus aspersionis.*

« Iterum locutus est Dominus ad Moysen * :.Loquere ad Aaron, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum, ne moriatur, quia in nube apparebo super oraculum, nisi fecerit hæc » quæ sequuntur (*Levit.* XVI). Non est intelligendum, ut quoties vellet intrare, faceret hæc, et intraret, sed tantum decima die Septembris intraturus, prius tamen hæc faceret; hæc dies solemnis erat in Israel, et dicebatur dies propitiationis propter causam prædictam. Vel quia agebatur ea die cinis expiationis, sicut dies Jovis sancta, quia sanctum chrisma conficitur. Et pro peccatis totius anni communibus, vel ignoratis, ea die oblatio fiebat. Dicebatur etiam dies afflictionis, quia ea die jejunabant homines, et jumenta, etiam pueri septenes, et agebatur ea die memoria mortuorum. Dicebatur etiam dies expiationis, quia ea die purificabatur totum tabernaculum, et altaria per sanguinis aspersionem, a contagiis, quæ contraxerant per annum ex peccatis ministrantium. Ea die tollebat summus sacerdos de proprio vitulam rufam, trimam, immaculatam, quæ non traxerat jugum. Nec turbemur, si quandoque vitulus nominetur, quia in feminino genere tantum intelligendum est, quia pro peccatis fragilitatis offerebatur. Sumebatque ab universa multitudine duos hircos pro peccato, et arietem in holocaustum. Cumque lavisset se, induebatur lineis tantum, secundum ritum minorum sacerdotum, oblatisque animalibus, factaque oblatione, vel oratione propria, pro se, et pro domo sua, statuebat duos hircos in ostio tabernaculi, mittebatque sortem super utrumque, ut sciretur, quis esset Domini, et quis populi fieret. Nec est credendum quibusdam, qui dixerunt; ideo mitti sortes, ut sciretur quis Domino immolandus esset; et quis diabolo mittendus ei in solitudinem cum peccatis. Lex enim immolare nisi Deo, non admittit. Sane cujus sors exibat Domino, offerebat illum pro peccato populi, et forte hic dicebatur proprie pro peccato. Cujus sors exibat populo, reservabat viventem, immolabatque vitulam rufam pro peccato suo, et domus suæ, et tollebat, de sanguine hirci, et vitulæ, et thuribulum plenum prunis, multumque tollens thymiamatis, intrabat ultra velum, tantum imponens thymiamatis, ut nebula, et vapor operiret oraculum, ne forte, visa majestate Domini, morerctur. Aspergebatque septies digito, de sanguine coram propitiatorio, ad orientem. Eodem etiam numero aspergebat pavimentum. Simili quoque aspersione septena, expiabat sanctuarium exterius et pavimentum. Fundebatque de eodem sanguine, super cornua altaris aurei, et aspergebat illud septies digito, expians ita totum tabernaculum, et altare ab immunditiis filiorum Israel, et a cunctis prævaricationibus eorum, id est contagio, quod contraxerat, positum in medio peccantium tabernaculum.

Nullusque erat cum eo in tabernaculo, cum ipsum expiabat. In quem modum etiam semel in anno lavamus altaria vino. Nota quia hic legitur, sacerdotem egredi de oraculo ad altare, et sic patet, quia erat extra. Nec potest dici eum egressum ad altare coram tabernaculo, cum dicatur hic ad altare, quod est coram Domino. Post hanc expiationem egrediebatur sacerdos ad hircum viventem : ponensque utramque manum super caput ejus, confitebatur generaliter omnes iniquitates filiorum Israel, et imprecans eas capiti ejus, ponens etiam, ut tradunt quidam, cartham inscriptam peccatis populi super caput ejus, mittebat eum in desertum, per hominem ad hoc paratum. Tradunt Hebræi quorumdam parvulos tribualiter ad hoc parari, id est de tribu ad hoc deputata, medicinaliter eis splene subtracto, ut sic expiatus esset populus a peccatis illius anni, quæ per ignorantiam, vel fragilitatem contraxerat, quæ secum ferebat hircus. Qui quia emittebatur non rediturus, apompeius Græce, Latine emissarius dicebatur. Cum autem deduxerat Aaron hominem cum hirco extra castra, redibat ad tabernaculum testimonii, depositisque vestibus lineis, in quibus expiaverat sanctuarium, et emiserat hircum, lavabat carnem suam in loco sancto, et induebatur vestibus suis, scilicet pontificalibus, et pretiosis, et offerebat arietem in holocaustum, et adipes vitulæ, et hirci pro peccato, renesque cum renunculis. In hunc modum, et pontifex evangelicus, in aspersione basilicæ, quam dedicat, quasi in expiatione, lineis et minoribus utitur indumentis. Etiam in Sabbato baptismali, in consecratione fontium, et in mersione catechumenorum, cum scilicet transferuntur peccata eorum, utitur similibus indumentis. Cum autem, his peractis, administrationem accedit altaris pontificalibus, et pretiosis vestibus infulatur. Vitulum autem, et hircum, de quorum sanguine facta est expiatio, ferebant extra castra, et comburebant igni, tam pelles quam carnes eorum, et fimum. Projiciebatque ea sacerdos in ignem, qui illa vorabat, mutatis prioribus vestibus, et sumptis propriis, lignum cedrinum, hyssopum, et coccum bis tinctum, quia hæc in purificationibus valebant, et tunc rediens, lotis vestibus, et carne sua, ingrediebatur castra, et immundus erat, usque ad vesperum. Sed et ille sacerdos, qui remanebat ad ignem, ut consumi faceret omnia, usque ad cinerem, non nisi lotis vestibus, et corpore intrabat castra, et immundus erat, usque ad vesperum. Sed et tertius sacerdos qui colligebat cineres reservans ad aquam aspersionis, non nisi lotus intrabat castra et immundus erat usque ad vesperum. Ex his cineribus fiebat aqua aspersionis, qua per totum annum purificabantur immundi. Unde difficile est

Digitized by Google

rationem invenire, cum hic cinis fieret ad purificandos immundos, cur illi qui eum tractabant, ut dictum est, immundi erant, cum etiam Dominus hoc sacramentum, quasi sanctissimum, religionem victimæ appellet**. Sed et qui caprum dimiserat, alias duxerat in desertum, immundus erat. De quo tamen facile est invenire rationem, et est verisimile hos cineres factos annuatim, ut modo fit chrisma. Quidam tamen Hebræi dicunt eos valuisse et durasse per plures annos, nec factos, nisi cum deficiebant.

Additio 1. Quia defuncti erant duo filii Aaron, Nadab et Abiu, cum offerrent ignem alienum ad altare Dei, erat necesse ut influeretur cœlesti doctrina Aaron, quomodo eum ad altare oporteret accedere, et quo supplicationis ritu propitium faceret Deum, et ut caveret de hoc quod acciderat filiis. Propterea de his hæc modo præfacta est lex : « Iterum locutus est Deus, etc. »

**Additio* 2. Cum et Judæi prorsus de hoc respondere se nescire fatentur, nec Gamaliel aliquid hic eos doceat.

(14) Cap. XXIII. *De purificatione immundorum.*

His cineribus purificabantur immundi in hunc modum : Si quis tangebat cadaver hominis mortui in tabernaculo, vel in agro, occisi, aut per se mortui, vel sepulcrum ejus, immundus erat septem diebus (*Num.* XIX). Tabernaculum in quo mortuus est homo, et universa, quæ ibi erant, vasa, immunda erant septem diebus. Tollebatque vir mundus cineres combustionis, mittensque super eos aquas vivas tingebat ex eis hyssopum, et aspergebat ex eo, die tertio, et septimo, tentorium, et omnem supellectilem, et homines hujusmodi contagione pollutos, et lotis vestibus et corpore, mundi erant. Si die tertio non fuerat aspersus immundus, die septimo non mundabatur. Si quis autem sic non expiabatur, peribat de medio ecclesiæ, quia polluebat sanctuarium, id est anima ejus peribat de Israel, quia peccabat, et arcebatur ab ingressu loci sancti. Sed et ille qui purificabat immundum aqua hujusmodi, quia tetigerat cineres, lavabat vestimenta sua, et immundus erat, usque ad vesperum. De immunditiis vero quibus erat immundus homo per diem tantum, ut propter illusionem nocturnam, vel quia dormierat cum uxore, non credimus hominem his cineribus expiatum, sed ad minus de immunditia septem dierum, quia die tertio, et septimo, legitur facienda expiatio talis. De expiationibus, quæ fiebant cum muneribus oblatis, ut supra de leproso dictum est, et de viro spermatico, et muliere sanguinaria, quia legitur eos numerare septem dies, et octava purificari, credimus die tertia et septima, his aquis expiatos.

Cap. XXIV. *De personis exclusis a matrimonio.*

Tradidit etiam Dominus filiis Israel multitudinem præceptorum, recapitulando prædicta, et superaddendo nova, de quibus non nisi illa perstrinxi-

A mus quæ ad intelligentiam lectionis sacræ Scripturæ sunt necessaria. Sane prohibuit Dominus ne homo ad domesticam suæ carnis accederet, nec revelaret turpitudinem ejus, id est discooperiret, et intraret pudenda ipsius. In primorum quidem parentum conjugio propter hominum raritatem solum duas personas exclusit Dominus a conjugio dicens. « Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem (*Gen.* II), id est nec filius matri, nec patri filia copulabitur. Sub lege vero plures excepit, quæ sunt fere duodecim (*Levit.* XVIII), mater, noverca, soror, neptis, amita, matertera, uxor patrui, nurus, uxor fratris*. Sed hæc determinationem recipit privigna, filia privigni, vel privignæ, soror uxoris. Paucas tunc exclusit, ut multiplicarentur homines,
B et replerent terram. Sub gratia plurimæ excluduntur ubi continentia locum habet; et est hæc prohibitio conjugii. A fornicatione enim omnis mulier excluditur.

Additio 1. Si enim quis habens uxorem mortuus fuerit, non suscepta inde prole, frater ejus duxit eam, et inde fratri defuncto semen suscitavit.

Cap. XXV. *Catalogus quorumdam præceptorum.* (*Levit.* XVIII-XXIII.)

Coitum quoque cum masculo et jumento, sub interminatione mortis prohibuit; ne etiam colligerent spicas, vel racemos remanentes, ne grana decidentia; sed relinquerent ea pauperibus terræ,
C nec opus mercenarii retinere, usque mane, nec accipere personas, diligi amicum sicut seipsum præcepit, ubi LXX proximum ponunt. Somnia, auguria, divinationes observari prohibuit, nec agrum seri diverso semine, nec jumenta diversi generis facere coire*, nec veste ex duobus texta indui, nec comam in rotundum tonderi, nec barbam radi, nec carnes suas super mortuo incidi, nec figuras aliquas, aut stigmata in carne sua fieri, cum quibus, et similibus, ad litteram subintelligendum est, secundum ritum gentium, et maxime Ægyptiorum cum quibus habitaverant. Nam, et David legitur mulam habuisse, super quam positus est Salomon, et delatus ad fontem Gihon ad inungendum (*III Reg.* I). Sed Ægyptus omnigenorum
D veneranda monstra deorum, et in honore diversorum deorum, quos putabat talibus præesse, diversa semina in agro, diversas materias in veste sociabat, diversos etiam cincinnos capitis diversis diis sacrificabat. Unde et in principio horum præceptorum dixit Dominus : « Juxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis, juxta morem regionis, ad quam introducam vos, non agetis. » Addidit etiam speciale præceptum, cum intrarent terram repromissionis, ut auferrent præputia arborum quas plantarent. Quod quasi exponens subdit : « Poma quæ germinant, immunda erunt vobis, » hoc tamen non est in Hebræo. Et videtur velle quod fructus trium primorum anno-

(14) Capitulum hoc ad historiam libri Numeri referendum videtur.

Digitized by Google

rum immundus esset, et abjiciendus, fructus quarti anni sanctus Domino, et communis pauperibus, sed in quinto anno, et deinceps domini sui essent, et esibiles.

Additio 1. Diversa etiam animalia coire faciebant, ut inde animal nasceretur, quod plurimum esset deorum sacrificio congruum, vel eorum honori dedicatum, sicut mulus, de equo, et asino, Marti, et Sileno aptus erat.

CAP. XXVI. *De tribus generibus panum.*

Ad evidentiam quoque eorum quæ hic in Leviticо traduntur (*Levit.* XXIV), sciendum est sacerdotes habuisse tria genera panum, panes scilicet sacerdotales, Leviticos, et laicos : Sacerdotales erant propositionis, qui de publico sumptu fiebant, quos non licebat edere nisi solis sacerdotibus ; panes Levitici, qui et offertorii, quibus soli de genere Levitico vescebatur. Etiam qui propter maculam non poterant ministrare, et filia familias, sed non uxorata, vel vidua, vel repudiata, nisi necessitate rediret ad domum patris, ut esset quasi filia familias. His non vescebatur advena*, inquilinus, mercenarius sacerdotis ; verna tamen, vel emptitius ipsius vesci poterat, laici, id est communes, quibus quicunque poterat vesci.

Additio 1. Advena generale nomen est, continens peregrinum, qui tantum pertransit, et inquilinum, qui cum sit de eadem regione, mansionem tamen conducit.

CAP. XXVII. *De sanctimonia sacerdotum.*

De sanctimonia quoque sacerdotum agens Dominus (*Levit.* XXI), primo de minoribus sacerdotibus agit, ne contaminarentur in mortibus civium suorum, nec etiam principis populi, nisi tantum super matre, et patre, filio, et filia, fratre, et sorore virgine, ne scilicet lavarent, vel sepelirent, vel plangendo tangerent mortuos alios ; nec aliis tantum prohibitas, eis interdixit uxores, sed nec habere concubinas, nec in uxorem ducere scortum, nec ancillam, nec captivam, nec viduam, nec repudiatam, nec eas quæ de cauponibus, et pandocibus, id est apothecis venalibus vitam agunt. Pontificem vero ad nullum omnino mortuum ingredi voluit.

Unde et dominus papa nullis exsequiis interesse dicitur. Nec uxorem ducere, nisi virginem, et tantum de populo suo. Sed nec parochia domini papæ muros urbis excedit. In commune vero præcepit, ne sacerdos in diebus vicis suæ cum ministrare deberet, vinum biberet, aut omne quod inebriare potest, ut sciret discernere inter sanctum et profanum, mundum et immundum, et doceret filios Israel legitima terræ, quæ locutus erat Dominus (*Levit.* X), et ne sacerdos dum quandoque immundus esset, accederet etiam ad tangenda ea, quæ offerebant filii Israel* (*Levit.* XXII-XXIII). Patet quoque si sacerdos evangelicus quotidie ministrat, assiduam debet habere munditiam. Addidit quoque Dominus de solemnitatibus legalibus. Sed quia plenius de his in libro Numeri diffinitur, et nos ibidem de illis prosequemur. Prima die Septembris festum Tubarum, vel clangores pro liberatione Isaac, quod cereorum dicitur ; decima die ejusdem mensis festum Propitiationis, quia cum fecissent vitulum, orante Moyse, propitiatus est eis Deus ; decima quinta die festum Scenopegiæ, quod est fixio tabernaculorum, quod est festum Patris (*Num.* XXVIII-XXIX). Cum enim Patri ascribatur potentia, magna fuit potentia Dei, quod vestes eorum non sunt attritæ per quadraginta annos. Sed habent modo alia festa, Phurim, id est *sortium*, quia sors in contrarium cecidit, ut in Esther legitur (*Esther* IX), quia occisuros occiderunt. Encœnia tria, id est dedicationes : in autumno, quæ fecit Salomon (*III Reg.* VIII) ; in vere, quæ Zorobabel, aliisque reversi de Babylone (*I Esdr.* III) ; in hieme, quæ fecerunt Machabæi (*II Mach.* VIII). De quo in Evangelio : « Facta sunt encœnia in Hierusalem ; et hiems erat (*Joan.* X). »

Additio 1. Septem festa Judæi habuerunt. Sabbatum, Neomeniam, Pentecosten, Pascha, et festum Tubarum, festum Propitiationis, Scenopegiam.

CAP. XXVIII. *De pœna blasphemi.*

« Ecce autem egressus filius mulieris Israelitis, quem pepererat de viro Ægyptio jurgatus cum viro Israelita, blasphemavit nomen Dei Israel, maledicens ei (*Levit.* XXIV). Quem Moyses reclusit in carcerem, donec super hoc consuluisset Dominum, qui ait ad Moysen : Qui maledixerit Deo suo, omnes qui audierint, ponent manus suas super caput ejus, » quasi contra ipsum testificantes, « et eductum extra castra, omnis multitudo lapidabit eum, » sive civis sit, aut advena.

CAP. XXIX. *De talione legis datæ.*

Subintulit quoque Dominus de talione (*Levit.* XXIV), ut qui læderet hominem, in eumdem modum læderetur quo læserat eum, scilicet, ut redderet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, fracturam pro fractura, livorem pro livore, adustionem, pro adustione. Nota quia talio non erat in injuriis rerum, sed in læsione tantum corporum, quia furta restituebantur in duplum, vel quadruplum. Determinabaturque talio per necessitatem, ut lædens mulier virum in virilibus, puniebatur manu, quia virilia non habet, et vir lædens mulierem prægnantem, ut faceret abortivum nondum animatum, multabatur pecunia. Incertum est autem utrum talio extenderetur, usque ad judicem, vel circa injuriatum tantum haberet locum. Quod vero injuriatus sine judice posset ulcisci, forte inde haberi potest, quod ad civitates refugii fugiebat homicida non volens, ne interficeretur a proximis occisi.

CAP. XXX. *De observatione jubilæi anni.*

Addidit etiam Dominus de observatione jubilæi, qui septimanam hebdomadarum annorum sequebatur (*Levit.* XXV) : ad cujus præsignationem septem annis præcedentibus, ut tradunt quidam, in singulis

Digitized by Google

neomeniis clangebant tubis, et septem diebus continuis ante ipsum solemnizabant clangentes tubis. In libro tamen Numeri legitur quod clangerent tubis, septimo mense, decima die, in universa terra (*Num.* x-xxix). In hoc jubilæi anno, omnes distractiones rerum, ad pristinos redibant possessores; præter domos quæ erant in urbibus muratis, quas tamen, primo anno venditionis, venditori redimere licebat, exceptis domibus Levitarum, quæ in quæcunque essent loco in jubilæo redibant. Eodem anno requiescebat terra, et debita eodem anno, servi liberi dimittebantur. Nam licet essent contribules, tamen voluit eos Dominus servitii schismate castigare, propter transgressiones legum. Josephus dicit, quia in jubilæo conveniebat venditor agri et emptor; et reputantes fructus, et expensas in agrum factas, fructibus exuberasse compertis, venditor recipiebat agrum: si vero expensæ transcenderunt, hoc quod decrat recipiebat emptor, et a possessione discedebat. Hanc tamen computationem fieri licuit infra annum jubilæum, nedum in ipso, si venditor prius vellet revocare quod vendidit. Littera Levitici videtur velle quod, juxta numerum annorum, usque ad jubilæum, majori minorive pretio jubebat agrum vendi, ne venditor gravaretur, si modico venderet, et plurimi anni superessent, usque dum reciperet quod vendiderat, et ne gravaretur emptor, si multo emeret quod in proximo amissurus erat. Determinata quoque fructuum reputatione, et expensarum infra jubilæum addidit, quod si venditor, quod supererit expensatum, reddere non poterit, habeat emptor agrum, usque ad jubilæum. In ipso enim omnis venditor redibat ad pristinum possessorem. Terram autem sic voluit Dominus vendi ab eis sub conditione recipiendi, quia sua erat, et non ipsorum. Alienigenas tamen servos voluit eos in perpetuum possidere.

Cap. XXXI. *De benedictionibus et maledictionibus.* Talium præceptorum observatoribus præmisit Dominus benedictiones suas dicens: « Dabo vobis pluvias temporibus suis, etc. (*Levit.* xxvi) ubi clausulæ promissionum inveniuntur. Transgressoribus vero longæ plures ingeminat maledictiones.

Cap. XXXII. *De decimis, et votivis.* In decimatione animalium, quod decimum, vel nascendo, vel numerando veniebat, Domino sanctificabatur, nec mutari licebat in melius, vel deterius (*Levit.* xxvii). Similiter animal quod vovebat, dominus non licebat immutari, si quis quod voverat immutaret, et votivum et immutatum erat domini. Sed distinguendum est de hujusmodi votis. Aliquando enim sic ex voto aliquid sanctificabatur Domino, quod anathematizabatur; illud non poterat vendi a sacerdotibus, vel alienari. Quandoque non sic obligabantur votiva, sed poterant vendi a sacerdote, determinato pretio, secundum utilitatem quæ ex his poterat provenire, sive esset anima, vel fundus. Qui tamen voto dederat, si volebat illud emere supra æstimationem, pro quo alii daretur, adderet quintam ejus partem. Quod ideo est statutum, ne qui voverat, aspiraret, quasi ad pœnitentiam ductus, nec etiam digniorem aliis se putaret in emptione ejus rei, quia eam dederat.

HISTORIA LIBRI NUMERORUM.

Cap. I. *Præfatio.* Quarta hujus historiæ distinctio Hebraice dicitur Vajedabber, quod sonat *et locutus est.* Apud nos tamen, et non habetur. Nomen Græcum in scriptis nostris non habemus: nam Græce, baresmoth, alias ellesmoth. Latine liber *Numeri*, vel *Numerorum* dicitur. Et dicitur quandoque Numeri pluraliter, unde et dici solet; Legitur hoc in Numeris. Merito autem hoc nomine censetur, quia quatuor principaliter hic numerantur. De omni populo, viri apti ad arma ferenda; primogeniti Leviti, qui etiam bis numerantur, mansiones per quas profecti sunt Sed nec mulieres, nec minores viginti annorum, nec vulgus promiscuum *, nec debiles ad bella, numerantur. Ad hanc partem historiæ sic transit Josephus. Moyses prædictam constitutionem legum, dum sub Sina morarentur, a Deo cognovit, et Hebræis scriptam contradidit. Cumque circa legislationem hæc sufficere putaret, ad exercitii militaris jura conversus est, et numeravit populorum capita, scilicet pugnare valentium. Moyses dicit Dominum super hoc locutum fuisse dicens: « Locutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, in tabernaculo fœderis, prima die mensis secundi, anno secundo egressionis de Ægypto (*Num.* i.) » Et nota quod prætermittit hic quædam, quæ facta sunt in primo mense secundi anni, scilicet oblationem duodecim principum, quam fecerunt singuli singulis diebus in dedicatione tabernaculi, et solemnitate Phase, quæ proprio nomine dicitur Pascha in deserto **, et forte sanctificatione Levitarum. De his tamen infra aget per recapitulationem. Prosequentes ergo ordinem libri, dicimus quia Moyses, et Aaron, et duodecim principes tribuum ex præcepto Domini, anno secundo mense secundo, die prima mensis, numeraverunt viros, præter tribum Levi, a vicesimo anno, et supra. Josephus certum terminum posuit, scilicet usque ad quinquagesimum annum, et numerati sunt per generationes, et familias, et domos, et nomina, et capita singulorum. Hæc autem quinque ad inculcationem tantum quidam apposita tradunt, et hic, et in Josue, sed congrue quidem distingui

Digitized by Google

possunt generationes, vel cognationes. Vocat hic tribus ipsas, duodecim familias, quæ ex ipsis filiis patriarcharum primo descenderunt, verbi gratia. In una tribu Levi fuerunt tres familiæ, Caathitæ, Gersonitæ, Meraritæ. Unaquæque familia multas habebat domos, in quibus proprii patresfamilias erant. Quod additur nomina, et capita, intransitive legendum est, id est capitum nomina, scilicet singuli homines in eadem domo. Fuerunt autem in summa, a vigesimo anno, et supra, potentes ad bella procedere, sexcenta tria millia virorum quingenti, et quinquaginta. Et tribus Levi non numerabatur cum his filiis Israel.

* *Additio* 1. Vulgus promiscuum vocantur, quidam Ægyptii, qui secuti erant eos egressuros.

** *Additio* 2. Nota quia primum Pascha fecerunt in Ægypto ; secundum fecerunt in deserto de quo hic loquitur ; tertium fecerunt in ingressu, et introitu terræ promissionis in Galgalis ; quartum fecerunt in terra promissionis.

CAP. II. *De excubiis circa tabernaculum.*

Præcepit etiam Dominus, ut semper poneretur tabernaculum in medio castrorum, et filii Israel per gyrum excubarent per turmas *, et cuneos (*Num.* II), quod pro eodem hic accipitur. Turma est propriæ triginta millium est. Et dicitur cuneus quasi conveniens multitudo. Excubare enim large hic accipitur; excubiæ etiam propriæ dici, vigiliæ noctis. Ternæ tribus per quatuor partes tabernaculi excubabant, ita tamen remoti, ut maximas in medio plateas haberent. Eratque ornatus quasi fori rerum venialium, singulis in ordine constitutis. Opifices etiam artium in stationibus suis erant, ita ut urbi competenter ædificatæ, castra eorum simillima viderentur. Judas itaque Issachar et Zabulon castra metabantur ad orientem, Ruben, Simeon et Gad ad meridiem, Ephraim, Benjamin, Manasses ad occidentem, Dan Aser et Nephtalim ad aquilonem. Inter tabernaculum et castra excubabant Levitæ in tabernaculis suis, propinquiores tabernaculo quam castris. Et excubabant similiter per quatuor plagas Moyses et Aaron cum suis ad orientem; reliqui ab his, Caathitæ, ad meridiem sub custodia Eliazaris filii Aaron excubabant ; filii autem Gersonitæ ad occidentem ; Meraritæ ad septentrionem, et erant utrique sub custodia Ithamar.

* *Additio* 1. Multitudo dicitur cuneus, quasi conceus a *co*, et *uniendo*

CAP. III. *De commutatione primogenitorum pro Levitis.*

Separavit sibi Dominus tribum Levi pro primogenitis quæ tunc habebant, et jumenta Levitarum pro primogenitis jumentorum, quasi commutationem faciens cum populo (*Num.* III). Primogenita enim omnia specialiter tunc erant sua, quia cum occideret primogenita Ægypti, pepercit primogenitis eorum, reservans ea sibi. Deinceps tamen propter id ipsum, omnia primogenita eorum sanctificavit sibi in perpetuum, et maxime quia primitiæ quorumlibet fructuum debentur Domino. Pro his ergo primogenitis, quæ nunc habebant tulit sibi tribum Levi, et jumenta eorum, et populus primogenita illa habuit pro Levitis et jumentis eorum. Et ne duodenarius numerus tribuum minueretur, tribum Manasse quasi pro Levitis instituit, Ephraim vero pro Joseph *. Ne autem major videretur numerus Levitarum quam primogenitorum, et ita iniqua esset commutatio, ait Dominus ad Moysen. « Numera filios Levi masculos ab uno mense, et supra. » Et cum numerati essent, inventi sunt viginti duo millia. Nota tamen, quia si diligenter attendas in libro Numerorum, numerum eorum per familias, invenies viginti duo millia, et trecentos. Dicit Hebræus quia trecenti erant in eis primogeniti, et ita jam erant Domini * *. Iterum ait Dominus ad Moysen : « Numera primogenitos masculos a mense uno, et supra. » Et inventi sunt viginti duo millia et ducentos septuaginta tres. Tulit autem Moyses in pretio, ducentos septuaginta tres qui supererant, per singula capita quinque siclos, ad mensuram sanctuarii, et dedit eos Aaron, et filiis suis juxta verbum Domini.

* *Additio* 1. Jacob enim in benedictione filiorum suorum, promiserat filiis Joseph, quod uterque facturus esset tribum.

** *Additio* 2. Ne ergo damnosa esset illa permutatio Domino, si non restauraretur ei pro primogenitis, quod deerat in Levitis, recipit pro quolibet primogenito quinque siclos argenteos.

CAP. IV. *De ætate ministrantium in tabernaculo, et de differentia ministrorum.*

Iterumque ait Dominus ad Moysen. « Numera Levitas a trigesimo anno, usque ad quinquagesimum ut serviant mihi in duobus : hi in tabernaculo portando et collocando, senes emeriti in servando *. » Et cum numerati essent, inventi sunt octo millia quingenti et octoginta. Septuaginta tamen dicunt a vicesimo quinto anno, quem numerum annorum in ordinatione sacerdotum, et nos observamus. Isti deferebant tabernaculum in hunc modum. Quia non licebat ea, quæ erant ultra velum nuda videri, ideo primo intrabant sacerdotes, et involvebant arcam, propitiatorium, et cherubin prius vero velum quod ante pendebat, et post pallium hyacinthinum, et candelabrum aureum, altare, et mensam cum utensilibus suis, palliis involvebant. Tunc intrantes Caathitæ, propriis humeris omnia hæc involuta deferebant. Similiter, et altare holocausti cum utensilibus suis, ut quibusdam videtur. Gersonitæ, ut breviter dicamus, deponentes tectum tabernaculi, mollia ferebant in curribus, scilicet cortinas, saga, pelles rubricatas, et hyacinthinas, tentorium, quod erat ante tabernaculum, cortinas quoque atrii, et funes, et vasa ministerii, quæ ad altare æneum pertinebant **. De altari holocausti tacet liber a quo ferebatur. Potest tamen dici, quia vasa ejus ferebant Gersonitæ, ut in libro habetur. Ipsum altare Caathitæ propriis humeris ferebant. Meraritæ vero,

Digitized by Google

ut breviter dicamus, omnia tabernaculi, et atrii, quæ dura erant, tabulas, bases, vectes, columnas, paxillos, et ea ferebant curribus. Emeriti Levitæ non serviebant sic in opere, sed posito tabernaculo, sedebant custodes

* *Additio* 1. Omnes a trigesimo anno usque ad quinquagesimo portabant tabernaculum, et collocabant ea quæ attinebant. At qui erant supra quinquagesimum emeriti dicebantur.

** *Additio* 2. Sed quia ibi, et altare mundabant cinere, dicitur quia Caathitæ portabant altare humeris et vasa ejus. Potest dici potius, quod Gersonitæ ferebant vasa ministerii altaris, non altaris vasa. Aliqua forte in quibus ponebant ea quæ portabant pertinentia ad altare, et illa vasa ponebantur super currus.

CAP. *i. De quodam modo reddendi rem alienam.*

Tunc præcepit Dominus ejici per manus sacerdotum a castris leprosos, et semine fluentes (*Num.* v). Et factum est ita. Addidit quoque Dominus de reductione alienæ rei, ut fierent cum quinta parte capitis *. Sed quia in Exodo videtur dicere contrarium, scilicet ut in quadruplum redderetur (*Exod.* XXII), ideo huc usque distulimus, ut hic solveremus. Et dicimus, quia alienæ rei possessio aliquando fiebat ex industria, furto, vel rapina, aliquando fiebat per negligentiam, aliquando ignoranter **. De re sublata scienter in Exodo dicitur quod restituatur in quadruplum si perierat res; quod si exstabat in duplum. Si ibi legis quinque boves pro uno, alia est translatio secundum quosdam, et quod in quadruplum verius dicatur, ex verbis Zachæi profertur. De sublata per ignorantiam agit hic, reddatur caput, et quinta pars desuper; vel de re furtiva, si penitus latet, et fur pœnitens sponte confitetur, et reddit. Si vero non esset qui reciperet, redderetur Domino, et esset sacerdotis. Pro peccato vero furti, vel negligentiæ, fiebat aliqua oblatio secundum quantitatem rei. Josephus dicit, aurum et argentum reddi in duplum, jumenta in quadruplum, solum bovem in quintuplum, quia quanto possidetur cæteris utilius, tanto amittitur damnosius.

* *Additio* 1. Cum quinta capitis reddebatur illa res, quæ reddebatur cum quinta parte pretii ejusdem.

** *Additio* 2. Quia præsumitur res exstata, ad restituendum conservata.

CAP. VI. *De judicio zelotypiæ.*

Addidit quoque Dominus de lege zelotypiæ, zelus proprie dicitur, amor viri in uxorem, pro quo sustinere non potest, ut alii misceatur (*Num.* v). Unde vir dicitur zelotes; zelotypia vero quandoque dicitur mœchia, et zelotypus, adulter. Solet ergo zelotypia dici sola suspicio adulterii, de qua legitur hic, ad hunc modum. Si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ polluta est, sed probari non potest, vel qui falsa suspicione impetitur, adducet eam ad sacerdotem, et offeret pro ea assarium farinæ hordeaceæ, quod est decima pars sati, non fundet oleum, nec thus imponet. Sacerdos autem statuet eam coram Domino, et ponet in manibus ejus in vase fictili aquas vivas, et oblationem farinæ pusillum cujus et thus incendet super altare, et mittet in aquam pauxillum pulveris de pavimento tabernaculi, et nudabit caput ejus, scribetque in membrana, ut dicit Josephus, Dei vocabulum, scilicet tetragrammaton.

Facietque eam jurare quod nil viro suo nocuerit in his quæ sibi objiciuntur.. Quod si hoc viro suo non sufficiet, subdet sacerdos maledictiones etiam scriptas in membrana, et dicet: Si non es polluta, deserto viri toro, non te noceant aquæ istæ amarissimæ. Si autem declinasti a viro, ingrediantur aquæ maledictæ ventrem tuum, et ipsum tumescere faciunt, et putrescat femur tuum dextrum. Et dicet mulier: Amen, amen. Et delebit sacerdos omnem membranæ scripturam in aquis, et dabit ei bibere, et tunc sacerdos tollet de manu ejus sacrificium zelotypiæ, et elevabit illud coram Domino, et ponet super altare. Quod si rea erit adulterii mulier, putrescet femur ejus, et uterus tumebit in hydropisim, non tamen statim sed usque ad decem menses. Quod si non polluta erit, innoxia erit ei aqua, imo sæpe concipiet, et pariet masculum mense decimo. Hæ aquæ dicebantur sanctæ propter nomen Domini dilutum in eis, et dicebantur maledictæ propter maledicta congesta in eis, et amarissimæ propter effectum qui quandoque sequebatur. Hæc autem lex introducta fuit ad duritiam cordis eorum sicut permissus est libellus repudii, quia prompti erant ad effundendum sanguinem.

CAP. VII. *De sanctimonia Nazaræorum.*

Locutus est Dominus ad Moysen de lege Nazaræorum (*Num.* VI). Nazaræus sonat *sanctus*, vel *florens*, vel *germinans*. Dicebanturque Nazaræi quidam qui ex voto obligant se sanctimoniæ, usque ad certum tempus, vel jugiter ut Samuel, et consecrabant se Domino, et quasi separabantur a communi vita hominum, sicut quis modo per annum, vel duos, ex voto servit in hospitali Jerusalem. Sanctitatis eorum lex fuit hæc. Omni tempore separationis suæ novacula non transibat super caput ejus. Unde forte quidam pingunt apostolos et Christum crinitos, non in re, sed pro sanctitate. Nihil quod inebriare poterat, bibebant, non edebant aliquid quod esset ex vinea, ab uva passa, usque ad acinum *, ad nullum mortuum ingrediebantur. Quod si mortuus esset subito quispiam coram eo, polluebatur caput consecrationis suæ, et illico radebat caput suum, et rursum die septimo offerebat par turturum, aut duos pullos columbarum, quorum unum sacerdos faciebat pro peccato, alterum in holocaustum. Diesque quos fecerat, pro infectis erant, et voti sui sanctimoniam iterum incipiebat. Forte non pro quolibet mortuo, sed pro occiso coram eo, polluebatur quidquid fecit propter sanctimoniam. Completis autem diebus voti sui, offerebat agnum anniculum in holocaustum.

Digitized by Google

ovem anniculam pro peccato, arietem hostiam pacificam. Et nota, cum ita simpliciter ponitur aries, quod Hebræus dicit, ad minus duorum annorum eum debere esse. Canistrum quoque diversorum panum azymorum, exceptis his, quæ sponte offerebat juxta perfectionem sanctitatis suæ, quæ oblatio dicebatur corban, id est *munus*. Et offerebat mulier triginta siclos, si poterat, vir quinquaginta, sin autem, ad arbitrium sacerdotis pauper offerebat. Cumque immolaverat hostias sacerdos ritu suo, reddebatur Nazaræus ad ostium tabernaculi, ponebatque sacerdos crinem ejus in ignem sacrificii, et sic ad communem hominis vitam redire poterat.

* *Additio* 1. Id est immatura, quæ ante maturitatem collecta, servatur, et tandem missa in aquam, grossescit.

CAP. VIII. *De benedictione super populum.*

* Iterum locutus est Dominus ad Moysen : Aaron et filii ejus invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis : hoc fit in omnibus sacramentis Ecclesiæ. Invocabunt autem sic : Benedicat tibi Dominus Deus, et custodiat te, det tibi pacem, et ostendat tibi faciem suam ** (*Num.* VI).

* *Additio* 1. Quid factum sit primo mense secundi anni, cum sit omissum, hic explanabitur.

** *Additio* 2. In Numeris in forma benedictionis hujus, ter ponitur nomen Domini.

CAP. IX. *De oblationibus duodecim dierum in dedicatione tabernaculi.*

Factum est autem in die qua unxit Moyses tabernaculum, et sanctificavit illud, obtulerunt duodecim principes tribuum in altaris strenationem, ut Hebræus habet, sex plaustra tracta cum duodecim bobus, singuli bovem unum, et bini plaustrum unum. Et data sunt duo plaustra Gersonitis, ad ferenda onera eorum, de quibus diximus. Et quatuor sunt data Meraritis. Postea singuli, singulis diebus, obtulerunt vasa, altari necessaria. Duodecim enim diebus solemnitas dedicationis protelata est. Prima die obtulit Naason, de tribu Juda, acetabulum argenteum centum triginta siclorum. Hebræus habet « scutellam, phialamque argenteam septuaginta siclorum, » utrumque plenum simila, in phiala thus ponebatur. Mortariolum quoque aureum, decem siclorum, plenum incenso. In hoc vase aromata terebantur. Hebræus habet cochlear, quo scilicet thus in thuribulo ponebatur. Bovem quoque, et arietem et agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato, et in sacrificio pacificorum, boves* duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque.

Ejusdem modi vasa, et ejusdem hostias, obtulerunt alii principes, quisque die suo, et sic terminata est dedicatio, duodecim diebus. Patet per recapitulationem hæc dici. Octava enim die mensis primi, secundum quod littera videtur sonare, inchoata est dedicatio, septima enim diebus præcedentibus ejusdem mensis, consecrati sunt sacerdotes, et tabernaculum inunctum, sed nondum dedicatum. Si vero ita est, tunc consecratio sacerdotum et dedicatio tabernaculi protelatæ sunt novem decem diebus **. Itaque non fecerunt Phase eo anno tempore suo, scilicet die decima quarta. Quod tamen præceptum fuit eis a Domino, prima die ejusdem anni. Ideo quidam dixerunt, ut prædiximus, septem dies consecrationis sacerdotum fuisse terminales primi anni, et prima die secundi anni unctum tabernaculum, duodecima die finitam dedicationem, quarta decima die celebratum Phase ***. Potest tamen dici hanc oblationem duodecim dierum factam secundo mense anni secundi, nec per recapitulationem hæc dici. Quod vero legitur ea die inchoatam, qua finctum est tabernaculum, eadem dicunt pro consimili, quia sicut octava die primi mensis unctum est tabernaculum, ita et octava die secundi mensis inchoata est hæc oblatio, et sic, octo primis diebus anni tertii sacerdotes et tabernaculum consecrata sunt.

* *Additio* 1. Secundum Hebræum, bos dicebatur ad minus trimus, aries bimus.

** *Additio.* 2. Non enim licebat, duo generalia festa facere simul.

*** *Additio.* 3. Plane dici potest quod eadem die inchoata sunt consecratio, vel unctio sacerdotum, et dedicatio tabernaculi, et oblatio principum, et cucurrerunt simul per septem dies post quos secuta est oblatio quinque diebus ; decima tertia die consecrati sunt. Levitæ, et decima quarta die fecerunt solemne Phase.

CAP. X. *De consecratione Levitarum.*

« Iterum locutus est Dominus ad Moysen dicens : Tolle Levitas de medio filiorum Israel, et sanctificabis eos mihi (*Num.* VIII). » Itaque secundum præceptum Domini, Levitæ prius aspersi aqua lustrationis, rasisque omnibus pilis carnis suæ, ubi non includuntur capilli, lotis etiam indumentis coram Domino, steterunt ad ostium tabernaculi, convocata omni multitudine, ponentesque manus suas super eos filii Israel, obtulerunt eos Aaron munus Domino, ut servirent in ministerio ejus. Obtulerunt-que Levitæ boves duos, quorum alterum fecit Aaron pro peccato, alterum in holocaustum, et sic separati fuerunt Domino a filiis Israel. Exinde habuerunt in usus suos ea quæ Domini erant. De decimis enim vivebant, et his contenti erant. Sacerdotum vero etiam erant sacrificia, primitiæ, primogenita, vota. His omnibus vescebantur cum domo sua mundi tamen, præter oblata pro peccato, quia sacerdotes soli peccata populi comedebant. Decima decimarum suarum dabant Levitæ summo sacerdoti, et de melioribus dabant, ideo sortem non habuerunt in terra, quod et melius eis cesserat. Tunc enim, duodecimam partem tantum bonorum terræ haberent, modo habebant decimam.

CAP. XI. *De his, qui non possunt facere Phase primo mense, ut faciant secundo.*

« Locutus est Dominus ad Moysen anno secundo mense primo * (*Num.* IX), » hic plane determinatur.

Digitized by Google

per recapitulationem hoc dici, faciant filii Israel Phase tempore suo, decima quarta die mensis usque ad vesperum. Et fecerunt Phase. Erant autem quidam immundi super anima hominis**, id est super hominem, qui dicitur anima, cujus cadaver qui tetigerant, non poterant facere Phase, et dixerunt ad Moysen : « Quare fraudamur, ne valeamus offerre inter filios Israel. » Forte indignantes, quia talis immunditia necessaria est quandoque. Et consuluit Moyses super hoc Dominum. Qui respondit ei : Homo de gente vestra, qui fuerit immundus super anima hominis, sive in via procul, faciat Phase mense secundo, decima quarta die omnem ritum Phase observans. Si vero sine hujusmodi causis, tempore suo non fecerit Phase, exterminabitur anima ejus de populis suis. Peregrinus quoque advena, si fuerit apud vos, faciet Phase Domini. Si quæratur, si iterum in mense secundo propter immunditiam non posset facere Phase, quid faceret? Potest dici, quia tertio faceret, quia quod in uno dictum est, similiter datur in aliis intelligi, vel forte si deinceps eo anno non faceret, non peccaret.

* *Additio.* 1. Quasi dicat : Per hoc quod ibi dicitur anno secundo, patet quod istud, scilicet, « faciant filii Israel Phase, etc. » dicitur per recapitulationem. Debet enim prius dictum fuisse, cum prius factum sit in mense, scilicet primo ante oblationem principum, quæ supra posita est.

** *Additio.* 2. A meliori parte totum hominem significat, scilicet et animam, quod est frequens in sacra pagina.

CAP. XII. *De tubis argenteis, et modo clangendi in eis.*

« Iterum locutus est Dominus ad Moysen : Fac tibi duas tubas argenteas ductiles (*Num.* x), » quibus convocabis multitudinem. Has duas tubas habebant in quatuor usus, ad convocandam multitudinem, ad movenda castra, ad bella, ad festa. Et erat, ut dicit Josephus, tuba fistula cantatoria, pene magnitudine cubiti, calamo capacior, præbens in principio latitudinem, quæ conveniat ori ad susceptionem spiritus, quæ Hebraice dicitur *asora*. In convocatione vero multitudinis, aliqua erat diversitas, ad convocandum omnem populum, utraque simul clangebant simpliciter. Ad convocandos solos principes, semel clangebant. Quod dupliciter intelligitur, id est una tantum, vel uno impulsu. Etiam, ut addit Josephus, semel clangebant, si principes populum suum quisque in ecclesia convocare volebant, vel Moyses populum per ecclesias. Ad castra vero movenda, non simpliciter, sed concise, et prolixius tubis clangebant. Et in primo sonitu movebant castra tres tribus, quæ erant ad orientem, in secundo, quæ ad meridiem, in tertio, quæ ad occidentem, in quarto, quæ ad aquilonem. Modus vero clangendi in bellis non distinguitur, quia forte, sicut apud alias nationes, fiebat apud eas, quando etiam habebant solemne epulum, et dies festos, et kalendas clangebant, sed non est determinatus modus sacerdotes autem clangebant.

CAP. XIII. *De recessu Israel ad montem Sinai.*

« Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis elevata est nubes de tabernaculo fœderis, et profecti sunt de monte Domini viam trium dierum (*Num.* x). » Dicunt Hebræi quod arca præcedebat eos tribus dictis, super quam nube stante, quasi ad certum locum conveniebant paulatim, quidam citius, quidam tardius; sed melius est, ut de hoc itinere tantum dicamus, quando egressi sunt de monte Sina, et præcessit eos nubes, nec quievit per tres dies et noctes. Unde statim murmuraverunt pro labore itineris, quia nec noctibus castra posuerunt, et tunc recubuit nubes in solitudine Pharan, id est in prima mansione quam fecerunt in Pharan. Est enim Phara maxima solitudo quam modo Saraceni inhabitant, quia ergo anno primo mense tertio prima die mensis, venerunt ad montem Domini, et ab eodem egressi sunt anno secundo, vigesima die, mensis secundi, patet, quod in hac mansione, quæ et duodecima fuit fere sederunt per annum. Et dicit Hieronymus, quia per annum et quatuor dies ibi fuerunt. Quod difficillimum est invenire, nisi forte fuerit annus embolismalis. Potest tamen dici quia eadem die qua legem acceperant, revoluto anno naturali, recesserunt. Cum ergo venissent pridie Kalendas Junii ad montem, et quarta die Junii legem recepissent, si eadem die quarto revoluto anno, recesserunt, patet quia quatuor diebus, et anno sederunt ad montem, et ita tertio mense anni legitimi die quarto recesserunt. Tamen nihilominus verum est, quia secundo mense, anni secundi, vigesima die, egressi sunt. Tripliciter enim accipitur annus ab eis, præter naturalem. Annus usualis a Januario, quem habent communem nobiscum in contractibus suis, et negotiis communibus agendis. Quoto autem mense hujus anni quinto die egressi sunt, non legitur. Est et apud eos annus legitimus quo utuntur in legitimis, quæ agunt. In hoc, ut diximus, tertio mense et die quarto egressi sunt. Est et apud eos annus emergens. In memoriam enim liberationis suæ, cœperunt annos suos numerare ab exitu de Ægypto, sicut Græcia prima Olympiade, Romani ab urbe condita, Christiani ab Incarnatione Domini, et hujus anni, secundo mense, vigesima die egressi sunt. Jam enim annus Phase usque in Phase unus transierat, et de secundo Phase, scilicet, usque in Phase fluxerant, quinquaginta dies. Ergo mensis unus, triginta dierum fluxerat, et secundus jam fecerat viginti dies. Hæc autem annorum distinctio in multis locis necessaria est. In hac mansione media pars Exodi, et totus Leviticus, et Numerorum præcepta non modica descripta sunt. Nota quod quadruplex est annus, legitimus, emergens, usualis, et naturalis. Annus legitimus, hujus anni tertio mense Junio, et quarta die ejusdem mensis egressi sunt. Istum computa a Kalendis in Kalendas. Annus emergens, hujus anni secundo

Digitized by Google

mense, scilicet, vigesima secunda die ejusdem, quæ est quarta dies Junii exierunt. Istum a Phase in Phase computa. Prius accipe quindecim dies primi mensis, et junge cum quatuordecim diebus Maii sequentis. Ecce habes primum mensem secundi anni. Item accipe sexdecim dies qui remanent de Maio, et junge cum quatuor diebus Junii, et habebis viginti dies secundi mensis a Phase, et ita vera erit utraque computatio, anni scilicet legitimi, et emergentis, sicut in textu litteræ continetur. Annus usualis, iste incepit a Januario, et hunc habent Hebræi nobiscum communem in negotiis suis. Annus naturalis, hujus mense tertio luna quarta quæ est quinquagesima dies a decima quarta luna Aprilis recesserunt. Duxit autem Moyses secum Obal, alias Obad, fratrem uxoris suæ qui noverat in quibus locis per desertum castra commode poni poterant, promittens ei de optimis, quæ traderet eis Dominus. Sane cum elevabatur arca, dicebat Moyses : « Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant qui oderunt te a facie tua. » Cum autem deponeretur aiebat : « Revertere, Domine, ad multitudinem filiorum exercitus Israel. »

* *Additio* 1. Melius est, inquit magister, ut dicamus, quando egressi sunt de Sina tantum, eos præcesisse nubem.

** *Additio* 2. Solaris annus superat lunarem undecim diebus, quibus collectis constituitur una lunatio per triginta dies, vel etiam per viginti novem dies, qui supersunt reservatis, et annus, quo evenit illa lunatio, dicitur embolismalis; alii dicuntur communes. Contingit autem aliquando duos communes interponi embolismali, aliquando unum, secundum quod unus tantum bis in decem novenali cyclo evenit. Inde est ergo quod dixit Hieronymus, nisi fuerit embolismalis annus. Impossibile est quod per annum naturalem, et quatuor dies fuerint ibi, si quinquagesima die a Pascha sunt egressi, quia nunquam dies Paschæ, idem est anni præcedentis, et sequentis, et nunquam concurrunt Pascha annum, et annotinum. Similiter nunquam idem est dies quinquagesima. Non ergo ab eo die quo lex data est, revoluto anno naturali, sunt egressi, sed cum venissent ad montem prima luna Junii, revolutis lunationibus usque ad primam lunam Junii, quarta ejusdem luna sunt egressi, quæ est quinquagesima die a decima quarta luna Aprilis.

CAP. XIV. *De electione septuaginta seniorum.*

Ortum est autem murmur populi contra Dominum dolentis pro labore, et accensus ignis in ira Domini, devoravit extremam partem castrorum (*Num.* XI), » illos scilicet qui retro longe erant. « Oravit Moyses ante Dominum, et absorptus est ignis, vocavitque nomen loci illius Incensio; tamen non fuit hoc mansionis nomen. In eadem quoque mansione, vulgus promiscuum, quod ascenderat cum eis, id est servi et ancillæ Ægyptii, et multi de Israel pariter cum eis flagrabant desiderio carnium. Carnium nomine, non solas carnes, sed alio-

A rum ciborum etiam abundantiam intelligimus. Unde nec in querela eorum de carnibus legitur, cum dixerunt : « Recordamur piscium quos comedebamus gratis in Ægypto, in mentem veniant nobis cucumeres, et pepones, porrique, et cepæ et allia; anima nostra arida est; nihil vident oculi nostri nisi manna. » Audivitque Moyses populum flentem, et intolerabilis res visa est ei, quia et ab eo escas petebant. Et ait ad Dominum : « Cur imposuisti populi hujus pondus super me? numquid ego concepi, et genui multitudinem omnem hanc? Obsecro, aut aliter provideas, aut interficias me. » Cui Dominus, Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos meliores nosti ad ostium tabernaculi, et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustenB tent tecum onus populi, et populo dices : Cras dabo vobis carnes usque ad mensem dierum, » id est quæ sufficient ad mensem, etiam usque ad nauseam. Et dicitur large nausea, pro vomitu. Proprie est enim vomitus ille qui excitatur fetore sentinæ. Ablatio, quidem spiritus Moysi, et traditio aliis, non est intelligenda divisio spiritus ejus per partes, vel imminutio; sed illuminatio aliorum ad regendum populum, per eamdem specialem gratiam, per quam et Moyses illuminatus erat, sicut de igne unius lucernæ, multæ illuminantur, sine sui diminutione. Electos itaque septuaginta viros duxit Moyses ad ostium tabernaculi, præter duos, qui in castris remanserant, non ex contemptu, sed quia reputabant se indignos, quorum unus vocabatur Eldad, et alter C Medad, et erant, ut aiunt Hebræi, fratres Moysi ex matre, sed non ex patre *. Descenditque Dominus per nubem, et requievit spiritus in eis qui stabant cum Moyse, et prophetabant. Sed, et duo qui remanserant in castris, prophetaverunt, nec postea siluerunt, id est semper deinceps vocati sunt prophetæ. Et rediit Moyses cum illis ad castra.

* *Additio* 1. Hieronymus dicit super Paralipomenon, non ex patre, sed ex matre, quia post legem acceptam, Amram, mandante Moyse, dimisit matrem ejus, quia amica ejus erat, et duxit aliam, de qua suscepit hos duos, sed secundum hoc isti nondum erant bimi. Magister solvit. Potest dici lex accepta a Moyse per cognitionem in spiritu, multo D ante tempore quam per dationem, forsan per triginta vel quadraginta annos. Et ita isti duo potuerunt connumerari inter septuaginta.

CAP. XV. *De datione carnium, et ira Dei super eos.*

Ventus vero egrediens a Domino, arreptans præcepto ejus trans mare in insulis Ortygiis coturnices, detulit in castra per circuitum castrorum itinere diei unius, volabantque a terra altitudine duorum cubitorum (*Num.* XI). Surgensque populus, congregavit sibi coturnices duobus diebus, et siccavit eas. Qui parum decem coros habuit. Fuerunt hæ coturnices, ut tradunt, non modicæ quæ apud nos sunt; sed illæ majores, quæ regiæ aves dicuntur, quas curleios, a currendo, vocamus. Nondum defecerat cibus, et furor Domini percussit populum

Digitized by Google

plaga magna nimis. Modus vero plagæ non determinatur hic, sed in psalmis videtur, quod fuerit ignis. Sepultusque est ibi populus qui carnes desideraverat. Unde et locus ille vocatus est Cabroth, alias Cabaioth, quod sonat *desiderium sepulturæ*, vel *sepulcra concupiscentiæ*.

CAP. XVI. *De plaga Mariæ, et causa lepræ.*

« Egressi autem de sepulcris concupiscentiæ, venerunt in Haseroth, ibique jurgati sunt Maria et Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam (*Num.* XII), » quasi rixantes cum eo, improperaverunt ei quod reginam Æthiopiæ in uxorem duxerat, vel ductam dimiserat, vel potius propter uxorem ejus Sephoram, quæ rixata fuerat contra Mariam. Madianitæ enim quondam vocati sunt Æthiopes, ut legitur in Paralipomenon, et indignando dixerunt : « Nonne et nobis, sicut et Moysi locutus est Dominus (*II Paralip.* XIV). » Ac si dicerent : Quare vult Moyses præesse nobis, quia locutus est ei Dominus ? Et iratus Dominus dixit eis : « Egredimini vos tres tantum ad tabernaculum. » Cumque staret ibi, descendit Dominus in columna nubis, vocansque Aaron, et Mariam, ait : « Si quis fuerit propheta inter vos, loquar ei in visione, vel per somnium, vel per ænigmata, vel per figuras. Servo vero meo Moysi, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore ad os loquor. Ut quid ergo detraxistis, vos ei quasi parificantes. Et recessit nubes, et ecce apparuit Maria leprosa. Et ait Aaron ad Moysen : Obsecro, Domine, ne imponas nobis hoc peccatum. Oravitque Moyses ad Dominum. Deus, obsecro, sana eam. Cui Dominus : Si pater ejus spuisset in faciem ejus, nonne debuerat saltem septem dierum rubore confundi. Separetur septem diebus extra castra. Quasi dicat : Si pater ejus vilificasset eam pro aliquo crimine suo, nonne deberet aliquo tempore verecundari ? « Exclusa itaque est Maria extra castra septem diebus, nec populus motus est donec revocata est. »

CAP. XVII. *De duodecim explorationibus.*

« Egressus autem populus de Haseroth, fixit tentoria in deserto Pharan (*Num.* XIII). » Non est Pharan nomen mansionis, sed solitudinis plures mansiones continentis, ut in catalogo mansionum manifestabitur. Omnes enim continet mansiones ab Haseroth, quæ fuit decima quarta usque ad Asiongaber, quæ fuit trigesima secunda per quas omnes transierunt in anno secundo. De Asiongaber misit Moyses ex præcepto Domini, duodecim viros *, singulos de singulis tribubus, qui considerarent terram quam possessuri erant ; quorum præcipui fuerunt Caleph filius Jephone de Juda, et Osee filius Nunde Ephraim. Vocavitque Moyses Osee Josue; hic erat minister Moysi. Unde quidam dicunt, id quod supradictum est, Josue, per anticipationem dictum esse, quia nunc primo impositum est ei hoc nomen. Potest etiam dici quia Moyses curam et salutem aliorum undecim commisit illi. Cumque vocaretur Josue, vel Osee, quæ nomina *salvatorem* sonant, tunc primo ei hæc nomina appropriavit, cum salvatorem aliorum instituit. Præcepitque eis Moyses ut considerarent qualitatem terræ et hominum, et urbium ; et afferrent de fructibus terræ. Eratque tempus quando præcoquæ uvæ comedi possunt. Qui ascendentes exploraverunt terram, et venientes in Hebron viderunt tres viros de genere Enac, vel Enacim, id est de semine giganteo, quales etiam viderant in Tanai civitate Ægypti, qui et a Tanai, Titanes dicti sunt. Fuit autem Hebron septem annis ædificata ante urbem Tanaim. Unde, et ab Hebron semen gigantum in Ægyptum descendisse creditur. Descendentesque usque ad vallem uberrimam, et torrentem, tulerunt de malis granatis **, et de ficis loci illius. Palmitem quoque cum uva absciderunt, quem præ magnitudine tulerunt in vecte duo viri. Ob hoc appellatus est locus ille Nebelescol, id est botri torrens.

* *Additio* 1. Hæc sunt nomina duodecim exploratorum, quos misit Moyses : « De tribu Ruben, Sammua ; de tribu Simeon, Salphat ; de tribu Juda, Caleb ; de tribu Issachar, Igal ; de tribu Ephraim, Osee, vel Josue ; de tribu Benjamin, Phalti ; de tribu Zabulon, Geddiel ; de tribu Joseph, Gaddi ; de tribu Dan, Ammiel ; de tribu Aser, Sthur ; de tribu Nephtalim, Nahabi ; de tribu Gad, Guel. Hæc sunt nomina virorum quos misit Moyses, ad considerandam terram Chanam (*Num.* XIII). »

** *Additio* 2. Malagranatus arbor, malumgranatum fructus.

CAP. XVIII. *De murmure populi pro quo per quadraginta annos in deserto perierunt.*

Reversique, post dies quadraginta, venerunt ad populum suum in Cades (*Num.* XIII). De trigesima secunda enim mansione interim egressus erat populus, et morabatur in trigesima tertia. Tamen quidam tradunt quod de Cades missi sunt exploratores, et ibi eos exspectavit populus. Hanc mansionem vocat Josephus convallem, juxta Chananæorum terminos existentem *, et ad habitandum difficilem, et commendantes viri terram quam viderant, addiderunt **. « Sed cultores fortissimos habet, urbes grandes et muratas, stirpem Enac vidimus ibi, quibus nos comparati quasi locustæ videbamur ; terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos ***. Quod sic exponit Hebræus. Terra infirma est, nec habere diutius vivaces homines potest, vel quia nulli genti licebat diu in ea habitare, propter frequentes impugnationes supervenientium. Unde propheta cum securitatem permanendi illi terræ pollicetur, hoc opprobrium ab ea auferendum dicit, quod non vocabitur terra cultores suos devorans. Potest tamen, et in commendationem terræ dici, quod adeo bona sit, ut nullus ex ea peregrinari velit, sed qui in ea nascitur, moritur in eadem. Igitur audiens hæc omnis turba, flevit, dicens : « Utinam mortui essemus in Ægypto !

Nonne melius est reverti in Ægyptum quam cadamus gladio, et uxores et liberi tradantur capti-

Digitized by Google

vi ? Constituamus nobis ducem aliam quam Moysen, et revertamur in Ægyptum. At vero Josue et Caleb sciderunt vestimenta sua, dicentes : « Nolite rebelles esse contra Dominum, » id est eum mendacem in promisso judicare, « quia sicut panem populum terræ hujus devorabimus. Cumque clamarent in eos, alii decem qui terruerant populum, et omnis multitudo lapidibus vellet eos opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis, et ait Dominus ad Moysen : « Quousque non credet mihi populus hic ? feriam eos, et faciam te in gentem magnam. Cui Moyses : Obsecro Domine, ne fiat hoc, ne forte insultent tibi Ægyptii, et dicant : Non potuit populum inducere in terram quam promiserat. Cui Dominus : Juxta verbum tuum dimisi. Attamen, vivo ego; nullus eorum, qui viderunt signa quæ feci in Ægypto, » numerati scilicet a viginti annis, et supra, et jam per decem vices, id est multoties tentaverunt me, videbit terram, pro qua juravi patribus eorum, præter Josue et Caleb. Quoniam autem **** Amalecites et Chananæus habitant juxta vos, ne superveniant, movete cras castra, et redite in solitudinem juxta numerum undecim dierum *****, quibus terram considerastis, quadraginta annis recipietis iniquitates vestras. Locutusque est Moyses omnia verba hæc ad eos, et luxit populus nimis. Et ecce mane surgentes dixerunt ad Moysen : Peccavimus desperantes; parati sumus ascendere ad locum quem promisit Dominus. Et Moyses ad eos : Nolite ascendere; non enim Dominus vobiscum est. At illi contenebrati, sine Deo scilicet posse vincere putantes, ascenderunt, arca cum Moyse et Levitis remanente in castris. Persecutusque est eos Amalecites et Chananæus, percutiens usque ad locum qui ob hoc vocatus est Horma, id est *anathema*, et redierunt ad solitudinem (*Num.* XIV). »

* *Additio* 1. In terra promissionis habitabant septem populi quorum unus erat Chananæus.

** *Additio* 2. Sic et nos cui invidemus, laudibus ejus, cum adversatione, vitia subnectimus.

*** *Additio* 3. Adverte triplicem ejus expositionem, quod dictum est : « Terra quam lustravimus devorat habitatores suos. »

**** *Additio* 4. Sed quia in omni opere Dei conjuncta est justitiæ misericordia, subdit quoniam autem.

***** *Additio* 5. Iterum subditur de justitia Dei, juxta numerum, etc. Unde David propheta : « Quadraginta annis offensus fui generationi huic (*Psal.* XCIV). »

Cap. XIX. *De lapidatione colligentis ligna in Sabbato.*

« Factum est autem, cum essent in solitudine, invenerunt hominem colligentem ligna in Sabbato : quem reclusit Moyses, donec consuleret Dominum. De quo dixit Dominus : Moriatur homo iste extra castra ; lapidibus obruatur (*Num.* XV). » Et factum est ita. Quidam putant hunc fuisse Salphat, quia et filiæ ejus postea dixerunt : « Pater noster in deserto in peccato suo mortuus est (*Num.* XXVII). » Ibidem etiam præcepit eis Dominus, ut per quatuor angulos palliorum fimbrias ponerent hyacinthinas, ob recordationem etiam minimorum præceptorum Domini observandam. Has magnificaverunt Pharisæi, in tantum ; ut etiam spinas in eis ligarent, ut frequenti earum punctione ad memoriam jugem præceptorum Domini excitarentur. Quadratis tunc Judæi utebantur palliis, et adhuc in angulis vestis quadratæ in synagogis suis habent fimbrias hyacinthinas ob recordationem legis datæ de cœlo. Hoc autem faciebant, ut a cæteris gentibus etiam habitu discernerentur.

Cap. XX. *De schismate Core, Dathan et Abiron, et plaga eorum.*

Ecce autem Core, filius Isar, fratris Amram *, cum vidisset fratrueles suos honoratos, alterum sacerdotio, alterum ducatu populi, invidit (*Num.* XVI), et murmurans contra Moysen et Aaron, complices secum habuit ducentos quinquaginta de levitis majoribus, quos etiam dignos sacerdotio præferebat : adjunxeratque sibi Dathan, et Abiron, potentiores Rubenitarum, quibus principatum populi deberi dicebat, quia fuerant de Ruben primogenito. Quibus Moyses ait : « Tollat unusquisque vestrum thuribulum suum ; et cras hausto igne superponat thymiama, et Aaron vobiscum, et quem elegerit Dominus, ipse sit sanctus. » Misit ergo Moyses mane, ut vocaret Dathan et Abiron, qui dixerunt : « Non veniemus. » Et convocata omni multitudine, dixit Moyses ad Core, et ducentos quinquaginta : « Tollite thuribula vestra, et ponite thymiama super ea, et state coram Domino. » Illis autem sic stantibus, Moyses descendit cum senioribus populi, ad Dathan et Abiron, ut eos vocaret. Nam, et Abiron, ut dicit Josephus, ex parte Levita erat. Illi autem stabant cum uxoribus et liberis, et omni frequentia domus suæ in introitu papilionum suorum, parati potius ad resistendum, si vim inferre vellet Moyses, quam ad obediendum. Quod videns Moyses oravit ad Dominum, ut insolita morte perirent; et sic planum fieret quod Dominus ipsum miserat. Quo orante, et flente tremuit terra, expavitque populus, grandi strepitu per illorum tabernacula excitato, et scissa est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoravit eos, cum omni substantia eorum, et descenderunt vivi in infernum, id est in patulum terræ hiatum. Et reducta est terra, quasi nihil horum factum esse videretur. Sed et ignis egressus est de thuribulis Core, et concilii ejus, tantus quantus nec de terra prolatus, vel concursione fulminum, aut violentia spirituum, visus est unquam exsilire, et devoravit eos, Aaron stante illæso. Tulitque Eleazar thuribula eorum, ex præcepto Domini, igne huc illucque disperso, et ea produxit in laminas, formansque ex eis coronulas aureas, affixit eas altari æneo, ad commonendum filios Israel ne quis, nisi de semine Aaron, accederet ad offerendum in-

Digitized by Google

censum Domino, ne similia paterentur. Tamen et sic fabrefactæ erant, quod ibi stabant ad decorem.

* *Additio* 1. Nota quod Isaar et Amram fratres erant, quorum alter, scilicet Isaar, quia primogenitus erat, visum fuit filio scilicet Core, quod ipse potius haberet summum sacerdotium quam Moyses filius Amram, et hoc idem voluit persuadere Dathan, et Abiron, de dignitate ducatus, quia potiores erant Rubenitis.

Cap. XXI. *De exustione populi extincta per Aaron.*

Iterum sequenti die, « murmuravit omnis multitudo contra Moysen et Aaron dicens : Vos interfecistis populum Domini (*Num.* xvi). » Cumque vellent eos obruere lapidibus, fugerunt ad tabernaculum, et operuit eos nubes, apparuitque gloria Domini. Et egressus ignis a Domino devoravit populum. Dixitque Moyses ad Aaron : Tolle thuribulum, et hausto igne de altari, ponensque thymiama, perge cito ad populum, ut roges pro eis. Acceleransque Aaron cum thuribulo, et stans inter vivos, et mortuos, oravit Dominum, et plaga cessavit. Fuerunt autem percussi ex eis quatuordecim millia, et septuaginta. Alibi habetur septingenti, præter hos qui perierant in seditione Core.

Additio 1. Signo præmisso confirmatum fuit sacerdotium Aaron. Adhuc duo sequuntur, quorum alterum hic supponitur.

Cap. XXII. *De virga Aaron, quæ nocte una floruit, et fronduit, et peperit nuces.*

Attamen nondum cessaverat tumultus super sacerdotio Aaron. Dicebant enim quia etsi non prædictos Levitas elegerit Dominus, poterat esse quod aliqui de aliqua reliquarum tribuum digni essent sacerdotio, et forte de omnibus tribubus aliquot vellet Dominus habere sacerdotes, ne tanta ministerii dignitas uni domui, et tam paucis crederetur ministris (*Num.* xvii). Accusabantque Moysen de deserti inopia, eo quod eorum negotiaretur inopiam, ut semper ejus viderentur egere auxilio *. Tulit ergo Moyses ex præcepto Domini virgas duodecim principum, et scripsit in unaquaque nomen tribus suæ, vel potius principis. Scripsit autem in virga Aaron nomen Levi, et præter has duodecim sumpsit unam seorsum, cunctas familias continentem, in qua probaretur utrum de omnibus tribubus vellet Deus habere sacerdotes. In Numeris tamen legitur non fuisse virgas nisi duodecim quod intelligendum est, de singularibus scilicet excepta generali. Quas cum posuisset in tabernaculo coram Domino, sequenti die regressus, invenit germinasse virgam Aaron, et foliis dilatatis, amygdala protulisse. Sane hic tertio, Deo ordinante, Aaron sacerdotium firmissimo possedit. Nam et in signum rebellium, præcepit Dominus, virgam Aaron servari in tabernaculo in posterum,

Additio 1. Dicebant Moysen sponte eos per desertum duxisse, ut ipsi suo egerent auxilio.

Cap. XXIII. *De reditu in Cades in quadragesimo anno.*

Fuerunt itaque filii Israel longo tempore in solitudine; multo sederunt tempore in Cadesbarne, et diu circumierunt montem Seir, redierunt fere, usque ad mare Rubrum, et circa fines Sinai, et prostrata sunt cadavera eorum in deserto. Tandem post multos labores, et annos triginta octo redierunt ad Cades, unde miserant exploratores, vel in qua redierunt ad eos, ut dictum est, quæ est in deserto Sin *, nec illud est desertum, ad quod venerunt octava mansione, ut dicit Hieronymus. Prior enim scribitur Sin per samech, et interpretatur *rubus*, vel *odium*. Sin vero in quo Cades, vel quæ est Cades, scribitur per sade, et interpretatur *mandatum*, vel *sancta*, et est ut quidam volunt pars deserti Pharan. In fine igitur trigesimi noni anni a finibus Sinai venerunt in Cades undecim diebus, et potuit esse quod tantum irent undecim diebus, concito gradu, quantum ierant viginti et una mansionibus tardo, vel per aliam viam. Redierunt ergo filii Israel quadragesimo anno, mense primo, in desertum Sin et mansit populus in deserto Cades (*Num.* xx). Et sic quadraginta et duæ mansiones filiorum Israel, quibus leguntur profecti ab Ægypto, usque ad campestrias Moab, juxta Jordanem, tribus tantum annis completæ fuerunt duodecim ab Ægypto, usque ad montem Sinai anno primo a decima quarta die mensis primi usque ad diem primam mensis tertii. Deinde anno secundo vigesima die mensis primi profecti a Sinai, usque ad Cades viginti mansiones et unam expleverunt, infra annum secundum, tamen quoto spatio anni non est determinatum, sicut in primo, per triginta octo annos **. Post errantes, et prostrati quadragesimo anno redierunt ad eamdem Cades. Eo anno reliquas novem mansiones transegerunt. Quod si invenires decem hujus anni fuisse mansiones, scito quod inter has iterum numeratur Cades repetita.

* *Additio* 1. Sin, de quo hic agitur, vel est Cades, vel in eo est Cades. Unde dicitur, Sin in quo Cades, etc.

* *Additio* 1. Quasi diceret : Non est ita distinctum in mansionibus secundi anni quantum temporis fluceret inter unam mansionem et aliam, sicut in mansionibus primi anni.

Cap. XXIV. *De morte Mariæ et aquis contradictionis.*

Mortua est autem Maria in Cades (*Num.* xx), dum quadragesimum, ut dicit Josephus, complesset annum, ex quo Ægyptum dereliquit, in initio mensis Xantici, qui et Nisan, secundum lunam. Et sepelierunt eam in montem qui vocatur Sin. Transactisque triginta diebus fletus, Moyses populum purgavit hoc modo : Vitulam trimam totam rubeam extra castra combussit. Et prosequitur hic Josephus ordinem cinerum lustrationis, quem Dominus decima die mensis septimi fieri præcepit, et videtur velle nunc primo combustionem hujusmodi a Moyse

Digitized by Google

factam. Unde etiam subdit : Hoc etiam venturos A servare præcepit : et potuit esse, quod impediti hucusque distulerunt, quia nec Pascha interim celebrasse leguntur. Cum autem intraverunt terram promissam, secundum præcepta Domini, legitima sua prosecuti sunt. Etiam hic dicit Josephus, antequam redissent in Cades, eos venisse ad terminos Idumææ, et misisse nuntios ad Edom *, pro libertate transitus per terram suam. Quod cum prohibuisset Moyses inde recessit per desertum iter faciens. Historia Numeri dicit post mortem Mariæ misisse Israel ad Edom. Nec est liquidum utrum Josephus per anticipationem, an liber Numeri per recapitulationem hoc dixerit. Nos vero, sequentes ordinem historiæ, dicimus quod mortua Maria indiguit populus aqua, factaque seditione contra Moysen, et B Aaron in populo, oraverunt ambo ad Dominum. Quibus Dominus ait : « Tolle virgam, et congrega populum ad petram, et percussa dabit vobis aquam. » Utrum virga quæ frondueral, an alia usus est Moyses, hic est dubium. Et tamen quia in Numeris legitur, virga, quæ erat in conspectu Domini, videtur fuisse virga, quæ erat in arca. « Et congregata multitudine ante petram, dixit Moyses : Audite rebelles et increduli, nunquid de petra hac poterimus aquam vobis ejicere? » Hic autem cum in aliis egissent Moyses, et Aaron fiducialiter, turbati populo murmurante, diffidenter egerunt : quod Domino manifestante, cognitum est. Non enim ex opere eorum aliquo, vel verbo hoc perpendi po- C tuisset, nisi forte quia Moyses quasi dubitans dixit : « Nunquid poterimus, etc. » Quia inde sensus affirmationis poterat elici, quasi poterimus, vel negationis, quasi non poterimus. Cum ergo percusisset prius virga silicem, quia desperaverat, non manaverunt aquæ. Secundo vero ictu egressæ sunt ita largissimæ, ut biberet populus et jumenta. « Et dixit Dominus Moysi et Aaron : Quia non credidistis mihi, non introducetis populos hos in terram eorum. Hæc est aqua contradictionis, » quia etiam electi desperaverunt de promissis, et potentia Dei, quasi contradicentes promittenti.

* *Additio* 1. Iste Edom frater Jacob fuit.

CAP. XXV. *De circumitu Idumææ.*

« Misit Moyses nuntios de Cades ad regem Edom D dicentes : Frater tuus Jacob mandavit tibi hæc : Obsecro, ut liceat nobis transire per terram tuam. Non ibimus per loca culta ; via publica gradiemur ; non declinabimus neque ad dextram, nec ad sinistram. Si biberimus aquas tuas, quod justum erit dabimus. Et respondit : Non transibitis per me. » Timens tamen ne transirent, egressus est obviam in manu forti. « Quamobrem divertit ab eo Israel, » maxime quia Deus præceperat ei : « Non pugnabis adversus fratrem tuum. » Circumivitque Idumæam, egredientesque de Cades, et incedens per desertum Arabiæ, pertransiensque Archim metropolim Arabum, quæ nunc Petra dicitur, venit ad montem Hor, qui est in finibus terræ Edom.

CAP. XXVI. *De morte Aaron.*

« Ibi locutus est Dominus ad Moysen : Pergat, inquit, Aaron ad populum suum. Non intrabit terram promissionis, eo quod incredulus fuit ori meo. Tolle Aaron, et filium ejus cum eo, et duces eos coram omni populo super montem Hor. Cum nudaveris patrem stola pontificali, indues ea Eleazarum (*Num.* xx), » cui pontificatus accessit per ætatem, primogenito per ignem absumpto. « Et fecit Moyses, quod præceperat ei Dominus, et mortuus est Aaron in monte Hor. » In Deuteronomio dicitur Mosara locus sepulturæ Aaron (*Deut.* x), qui usque hodie monstratur in montis vertice. Populus vero flevit eum triginta diebus. Mortuus est autem quadragesimo anno egressionis, cum esset centum viginti trium annorum, eodem anno quo et Maria mense quinto qui et apud Hebræos dicitur Sedebach, apud Romanos Augustus, prima die mensis secundum lunam.

CAP. XXVII. *De victoria post votum anathematis.*

« Cumque audisset Chananæus, qui habitabat ad meridiem, venisse illuc Israel, pugnavit cum eo, et obtinuit, et adduxit ex eo prædam (*Num.* xxi). » Israel autem vovit Domino, quod si traderet eum Dominus in manus suas civitates ejus anathematizaret quod fecit. Et vocavit nomen loci illius Horma, id est *anathema*. Forte hic est locus qui supra per anticipationem vocatus est Horma. Anathema dicitur ab anathene, id est *sursum* ponere, quod est devotare, id est voto deorsum ab usu nostro separare, cum scilicet res vota, et reddita sursum in templis ponebatur. Et nota quod olim generaliter populus terræ promissionis dictus est Chananæus *. Unde et hic nomine generali vocat eos qui erat ad meridiem. Tunc enim septem populi propriis vocabantur nominibus in ea, et ille proprie dicebatur Chananæus qui habitat at maritimam.

* *Additio* 1. Tertio leguntur victi per Capadoces, in Deuteronomio, cap. II

CAP. XXVIII. *De serpente æneo contra ignitos serpentes.*

Profecti de monte Hor, venerunt in Salmana, ubi cœpit populum tædere itineris et laboris, dum circumirent terram Edom, et murmuravit contra Moysen (*Num.* xxi). Ideo misit Dominus in populum ignitos serpentes, qui dicebantur igniti, quia minimi et veloces erant, ad modum scintillarum. Vel ut alii tradunt, tactum veneno inflabant, usque ad tumorem et ruborem igneum. Rogaverunt-que Moysen, ut oraret pro eis. Cui Dominus ait : « Fac serpentem æneum, et pone in perticam in medio populi eminentem, et quicunque percussus fuerit a serpente, respiciat eum, et vivet. » Et factum est ita. Hunc secum semper habuerunt filii Israel, et magnifice repositus est in Jerusalem. Tandem ob cultum superstitionis, quem populus ei exhibebat, comminuit eum in pulverem rex Juda *.

* *Additio* 1. Quia historiæ sibi super hoc contra-

Digitized by Google

dicunt; ideo nomen regis non ponitur, quod tamen post determinabitur.

CAP. XXIX. *De scopulis torrentium qui gestierunt.*

Inde profecti per aliquas mansiones venerunt ad torrentem Zared, quæ transierunt siccis pedibus, ut mare Rubrum (*Num.* XXI). Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, qui, ut ait Josephus, fluvius est a monte Arabiæ descendens, et per desertum fluens in stagnum Asphaltidem erumpit, dividens Moabitidem et Armonicam. Quidam volunt Armonicam civitatem esse, quæ est in deserto, et prominet in finibus Amorrhæi. De hoc transitu Israel per terram illam prosequitur liber Numeri in hunc modum : « Unde dicitur in libro Bellorum Domini : Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, » vel gestierunt, « ut requiescerent in Arnon, et recumberet in finibus Moabitarum. » Hunc locum sufficienter expositum non memini me legisse. Augustinus dicit forte fuisse librum sic vocatum apud Chaldæos, unde egressus Abraham erat; vel apud Ægyptios, apud quos sapientiam didicerat Moyses; in quo de hoc transitu prophetatum fuerat. Ut autem fines inter duas gentes ibi constituerentur, bello actum fuisse putant, quod, propter magnitudinem sui, bellum Domini vocatum est, quod bellum liber ille conscripsit. Quidam dicunt historiam totam de filiis Israel dici librum Bellorum Domini, in qua frequenter dicitur Dominus pro eis pugnasse. Et maxime dicunt Hebræi, in terra illa Amorrhæos manu potenti Hebræorum fuisse deletos, et isti legunt *dicitur*, pro *dicetur*, quia etiam in Hebræo ita est : « Super hoc dicetur in Retractionibus Bellorum Domini. » Et legitur sic : « Unde, » id est de Arnon, « dicitur, » id est dicetur, et fiet memoria « in libro Bellorum Domini, » id est in historia ista, cum legetur a posteris. Fiet autem mentio de ea talis : « Sicut fecit Dominus in mari Rubro » perdendo Ægyptios, « sic faciet in torrentibus Arnon » perdendo Amorrhæos. Moyses dixit futurum, « faciet, » nos dicimus præteritum sic, « fecit. » Quod etiam sequitur : « Scopuli inclinati sunt, etc., » similiter ambigue exponitur. Traduut Hebræi immensam multitudinem Amorrhæorum, in convallibus torrentium et scopulorum Arnon posuisse insidias Israelitis, ut transeuntes incautos perimerent, Dominum vero latitantes oppressisse rupibus, hinc inde inclinatis, ita ut labent a scopulorum extenderentur in Arnon, ibique requiesceret, id est finiret. Fuerunt qui dicerent describi situm Arnon, quia cum scopuli prærupti et altissimi sint in deserto, paulatim inclinantur humiliando *, donec requiescant, id est finiantur, juxta Arnon. Potuit esse ut aliqui scopuli montium, juniorum et minorum coram Israelitis inclinati sunt, ut de facili transirent, quod forte erat prædictum in benedictione Joseph, ibi : « Donec veniret desiderium collium æternorum (*Gen.* XLIX). » Et forte de eodem dixit David . « Montes exsultaverunt, ut arietes, etc. (*Psal.* CXIII). »

* *Additio* 1. Montis ruina decidens, quod in nive aliqua videtur, et a labendo labentia dicitur.

CAP. XXX. *De cantico ad puteum*

Ex eo loco apparuit eis puteus, id est ex hoc loco venerunt in alium locum, ubi monstrante Domino, foderunt puteum (*Num.* XXI). Unde subditur : « Quia hunc puteum foderant principes duces multitudinis in datore legis, » id est in Domino. Hoc tamen in Hebræo non legitur. Et ascendit aqua de puteo, donec supra redundaret : forte in signum, quia exinde pugnarent, et hostes supergrederentur in hunc modum, et obruerentur. Quo viso cecinit Israel carmen istud : « Ascendat puteus, etc. »

CAP. XXXI. *De morte Seon regis Amorrhæorum, et Og regis Basan.*

Egressus populus inde per aliquas mansiones pervenit, usque in Bamoth (*Num.* XXI). Nec est nomen hoc mansionis; sed est vallis in regione Moab, in vertice Phasga, id est juxta montem illum *. Vel forte adeo mons ille magnus est, quod in vertice habet colles et valles. Inde misit Israel nuntios suos ad Seon regem Amorrhæorum, ut transitum ei per terram suam concederet **. Qui noluit; imo cum exercitu egressus ei obviam in desertum, pugnavit cum Israel, et percussus est in ore gladii, id est in instantia. Josephus dicit, plurimos ex eis siti periisse, alios ruentes ad fluvium jaculis terræ confixos, fugientes ad mœnia fundibulariis prævenios. Occisus est ergo Seon, tulitque Israel omnes ejus civitates ab Arnon usque Jabock ***, inter quas caput regni erat Hesebon, et habitavit in eis. Dicit Josephus hanc terram, inter tria flumina sitam, quasi naturam insulæ habentem, et opulentissimam. Arnon fluit a meridie, Jabock a septentrione, qui in Jordanem descendit, cui et nomen tradidit Jordanis ab occidente. Cumque transisset Israel fluvium Jabock, et ascenderet per viam Basan, occurrit ei Og rex Basan in Edrai, quem percusserunt cum populo suo, usque ad internecionem, et possederunt terram ejus. Tamen terra hæc quam habuerunt ultra Jordanem, non fuit de terra promissionis; quod patet, quia Moyses hanc intravit. « Profectique castrametati sunt in campestribus Moab, ubi trans Jordanem Jericho sita est (*Num.* XXII). »

* *Additio* 1. Exponit quod dixerat, vallis in vertice Phasga.

** *Additio* 2. Vel saltem circa terram suam, sicut fecerat Esau et Moab; quod legitur in Deuteronomio.

*** *Additio* 3. Civitates sunt, quarum altera est caput regni, altera fines.

CAP. XXXII. *De itinere Balaam, et quod ei locuta est asina.*

Videns Balac filius Sephor, qui tunc rex erat in Moab, quid fecerat Amorrhæo timuit, et ascitos seniores Madian, qui proximi regno ejus erant et amici, consulit quid facto opus esset, dicens : Po-

Digitized by Google

pulus hic delebit nos, sicut solet bos herbas usque ad radices carpere (*Num.* XXII). Misitque eorum consilio ad Balaam, filium Beor, ariolum, qui habitabat super flumen Ammonitarum, ut veniret, et malediceret populo huic. Audierant enim quod benedictus erat cui benedicebat Balaam, et maledictus cui maledicebat. Audierant etiam quod Israel non vincebat in arcu et gladio, sed oratione fusa ad Deum suum; visumque est eis commodum execrationibus contra orationes dimicare. Cumque venissent ad Balaam seniores Moab et Madian, ferentes munera divinationis in manibus, causamque viæ exposuissent, dicit eis Balaam : « Manete hic hac nocte, donec videam quid dixerit mihi Dominus. » Domini enim prophetam se mentiebatur, licet in sacrificando consuleret dæmones. Forte dæmonem qui sibi loquebatur Dominum vocabat. Dixitque ei Dominus in nocte curam populi sui gerens : « Non eas cum eis, nec maledices populo huic, quia benedictus est. » Mane surgens Balaam dixit se prohibitum a Domino. Rursum misit ad eum Balac viros plures, et honoratos, muneraque majora, et ampliora promisit si malediceret populo. Quibus ait Balaam : « Si dederit mihi Balac domum suam plenam auri, non potero mutare verbum Domini. Obsecro manete hic etiam in hac nocte. » Et ait Dominus ad eum nocte : « Surge, vade cum eis; ita duntaxat, ut quod præcepero tibi facias. » Mane strata asina profectus est cum eis : « Et iratus est Dominus ei, stetitque angelus Domini, gladio evaginato, in via contra Balaam. » Mutaverat enim propositum, et captus cupiditate promissorum, disponebat quomodo populo malediceret, licet prohibuisset Dominus. Josephus videtur velle quod Dominus iratus, quasi ironice dixerit ei : « Vade cum eis. » Quod quia non intellexit obstitit ei angelus. Cum autem vidisset asina angelum, quem tamen Balaam non videbat, timens deviavit in agrum. Quam cum verberibus reduxisset Balaam ad semitam, iterum stetit angelus in angustiis maceriarum, quibus vineæ cingebantur, timensque asina junxit se parieti, et attrivit pedem sedentis. At ille verberabat eam. Iterum stetit angelus in loco angusto ubi nec ad dexteram, nec ad sinistram poterat deviari. Timensque asina, cecidit sub pedibus sedentis. Qui cum vehementer fustibus cæderet latera ejus, aperuit Dominus os asinæ, et ait : « Cur percutis me? Ecce jam tertio? Qui respondit. Illusisti mihi; utinam haberem gladium, ut percuterem te! » Assuetus iste monstris ad vocem asinæ non expavit : « Protinus aperuit Dominus oculos Balaam; viditque angelum stantem in via cum gladio, et adoravit eum. Cui angelus : « Perversa est mihi via tua, » et nisi asina declinasset, occidissem te. Cui Balaam : « Peccavi, et nunc si via mea tibi est contraria, revertar. Cui angelus : « Vade, sed cave ne aliud quam præcepero tibi loquaris. »

CAP. XXXIII. *De ariolathesi Balaam, et ejus prophetia.*

Cum ergo iret, Balac occurrit ei in extremis finibus Moabitarum, magnifice suscipiens eum, et dedit ei munera (*Num.* XXII). Cui contestatus Balaam ait : « Non potero loqui nisi quod posuerit Dominus in ore meo. » Ascenderuntque pariter excelsa montis, unde extremam partem populi intuebantur. Aberant autem ab exercitu Domini stadiis quadraginta. Dicitque Balaam ad Balac : « Ædifica hic septem aras, et para totidem vitulos, et ejusdem numeri arietes (*Num.* XXIII). Cumque imposuissent ambo vitulum et arietem super aram, dicit Balaam regi : « Sta juxta holocaustum, vadam, si forte occurrat mihi Dominus, et quod jusserit loquar tibi. Cumque abiisset, posuit Dominus verba in ore ejus. Qui rediens coram omnibus assumpta parabola, vel incœpta ratione sua, ut Hebræus habet, ait : « Quomodo maledicam populo, cui benedixit Dominus? Habitabit solus inter gentes, et non reputabitur, » id est singularis erit præ omnibus et innumerabilis. « Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. » Contristatus Balac ait : « Quid est quod agis? » Duxitque eum ad alium locum excelsum montis Phasga, unde aliam partem populi videre posset, secundum errorem gentilium putans omnia locis inesse et temporibus, et Deum sicut hominem posse mutari. Cumque juxta modum prædictum statuissent ibi septem aras, et imposuisset holocaustum, iterum posuit Dominus verba in ore ejus, et revertens ait : « Non est idolum in Jacob, nec simulacrum in Israel. Dominus Deus ejus cum eo est. Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israel. Surget ut leo, quasi leæna non accubabit, donec devoret prædam, » id est terram Chananæorum. Tunc ait Balac : « Salem nec benedicas eis, nec maledicas. » Itemque duxit eum super montem Phogor, statuitque septem aras impositisque holocaustis per singulas, non abiit Balaam, sicut ante, ut augurium quæreret, sed elevans oculos vidit Israel commorantem in tentoriis per tribus suas, et irruente in se spiritu Dei, ait loquens de se : « Dixit Balaam filius Beor : Homo cujus obscuratus est oculus, auditor sermonum Dei. Quam pulchra tabernacula tua, Jacob (*Num.* XXIV). » Hebræus habet, et translatio Origenis : « Cujus oculus revelatus est. » Tamen idem est sensus, quia dum dormiret, in somnis vidit hæc quæ dicebat : unde et obturatus erat oculis carnis, et revelatus oculus mentis. Unde et sequitur : « Qui cadit, et aperiuntur oculi ejus. » Hebræus plenius habet : « Qui ponit, » id est qui collocat se in lecto. Addidit etiam apertam de Saule prophetiam dicens : « Tolletur propter Agag rex ejus, et auferetur regnum illius. » Quod factum est Sauli, quia pepercerat Agag regi Amalecitarum : Et post, direxit verba ad populum : « Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus, qui maledixerit, in maledictione reputabitur. » Cumque

Digitized by Google

irascereter Balac, dixit quod in discessu suo daret ei consilium quid faceret adversus populum hunc. Iterumque assumpta parabola ait : « Orietur stella ex Jacob et consurget virga, » id est Maria, « ex Israel, et percutiet duces Moab, et vastabit omnes filios Seth. » Quasi dicat, vastabit totum genus humanum, quod scilicet carnale in bonis conteret et malos perdet. De Seth enim totum genus humanum est, de quo fuit Noe, filii enim Cain diluvio perierunt. Secundum hoc vaticinium dicitur venisse Magos in Judæa, visa stella (*Matth.* II), et tunc exstitisse apud eos scripta Balaam super hac re. Prophetavit quoque, quod Israel Idumæos, et Amalec, qui fuit principium pugnantium contra eos, subjiceret sibi. Prophetavit etiam quod Assyrii terram vastarent, etiam Cinæos, qui erant de fortissimo genere, scilicet de Jethro. Addiditque : « Venient in trieribus de Italia, et superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, et ad extremum ipsi peribunt. » Monarchiam * prædixit Romanorum, et in fine temporum destructionem eorumdem. Dicit Josephus, eum prophetasse adhuc totum orbem futurum eorum habitaculum in æternum, etiam insulas. Et cum pars prophetiæ sit impleta, reliquum pro certo credimus impleudum.

* *Additio* 1. Scilicet quando erant omnes reges subjecti Romano imperio.

Cap. XXXIV. *Quod amore mulierculorum initiatus est Israel Beelphegor.*

Surrexit Balaam, ut rediret in locum suum (*Num.* XXIV). Cumque finibus Madian valedicceret Balac, et suis, consilium dedit eis, ut virgines, quarum specie illudi posset castitas, circa tentoria Israel cum exeniis * venalibus mitterent, quæ juvenes ad se declinantes, iterum sibi allicere laborarent, ut eos transgredi leges patrias facerent, et deos colerent alienos, ut sic. Deo suo irato eis, vel ad modicum tempus humiliarentur Deo enim eis propitio, nec bella, nec pestis aliqua eos corriperent (*Num.* XXV). Feceruntque ita Madianitæ. Tamen et de Moabitidis virginibus missæ sunt, sed paucæ, quia naturaliter sunt deformes. Eo tempore morabatur Israel in Settim, et fornicatus est cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua, et comederunt idololathyta sua, et adoraverunt deos eorum, et initiatus est **, id est consecratus Israel, Beelphegor idolo Madianitarum, idolo scilicet tentiginis, quem Græcia Priapum dixit. Iratusque Dominus dixit ad Moysen : « Tolle cunctos principes populi tui, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel ***. » Forte quia subditos non corripiebant, duces tribuum voluit suspendi. Vel potius principes, id est auctores hujus idololatriæ. Unde et statim subdens, dixit Moyses ad judices Israel : « Occidat unusquisque proximos suos qui initiati sunt Beelphegor. »

* *Additio* 1. Exenia, peregrinorum fercula, unde xenodochium.

** *Additio* 2. *Initio, as;* non *initior*, unde : Initio scholarem litteris.

*** *Additio* 3. Subintelligenda est pœna aliqua, vel plaga a Domino irrogata, quam expressam non habemus.

Cap. XXXV. *De zelo Phinees.*

Tradit Josephus quod princeps in tribu Simeon, Zambri, filiam cujusdam potentis Madianitarum duxerat, quæ dicebatur Corbi, qui, uxore jubente, in quadam solemnitate, aliis ducibus Deo immolantibus, non ipse immolavit. Quamobrem cum Moyses ecclesiam congregasset, et eos culparet, non nominatim tamen, quia turba erat in causa, ille coram omnibus confessus est, se alienigenam duxisse, idola colere, nec tyrannicis legibus, quas ipse sibi Moyses posuerat, obnoxium esse, quibus sub figmento legis, et Dei graviori servitute premebat populum, quam Ægyptii, cui proprium auferebant vivendi arbitrium, et discedens coram omni turba, quæ flebat ante fores tabernaculi Domini, intravit tabernaculum uxoris. Mirabantur autem omnes quod mortuus non fuerat. Surgensque Phinees *, filius Eleazari, de medio multitudinis, et arrepto pugione ingressus est post illum lupanar, et cum invenisset coeuntes, perfodit ambo in locis genitalibus, cessavitque plaga, et occisi sicut triginta quatuor millia, forte a Domino per plagam aliquam præcedentem, quæ tunc cessavit. Sed Josephus videtur velle, quod plurimi juvenes zelo Phinees accensi, multa millia populi percusserunt. Locutus est autem Dominus ad Moysen : « Hostes vos sentiant Madianitæ, percutite eos. » Hoc factum est postea cum Moyses misit exercitum, et percussit Madianitas. Vel forte sicut percussi fuerant filii Israel, voluit etiam tunc Dominus mulieres occidi quæ subverterant eos.

* *Additio* 1. Unde in Psalmo : « Stetit Phinees, et placavit, et cessavit quassatio (*Psal.* CV). »

Cap. XXXVI. *Secundus numerus bellatorum.*

Postquam vero sanguis noxiorum effusus est, dixit Dominus ad Moysen et Eleazarum : « Numerate summam filiorum Israel, qui ad bella possunt procedere, a vigiati annis et supra, per domos et cognationes suas (*Num.* XXVI). » Feceruntque ita, et inventi sunt sexcenta millia, et mille septingenti triginta, inter quos nullus fuit eorum qui numerati fuerant a Moyse et Aaron, præter Josue et Caleb, et ait Dominus : « Istis dividetur terra, pluribus majorem partem dabis, et paucioribus minorem. » Quod non est intelligendum de tribubus, vel familiis, sed de domibus *. Terra enim æque divisa, secundum sortes, data est tribubus, et quælibet tribus sorte æquales partes dedit familiis **; familiæ vero juxta numerum capitum domibus diviserunt sine sorte, majores et minores portiones ***. Numerati sunt quoque Levitæ a mense uno et supra viginti tres millia generis masculini.

* *Additio* 1. Sic continuavimus capitulum istud : Postquam pro malitia ipsorum Dominus jam om-

Digitized by Google

nes deleverat qui supra numerati erant, apti pugnare; et postquam multo tempore pro diffidentia sua erraverant in deserto, præcepit Dominus de novo numerari aptos in bello.

** *Additio* 2. Sorte distribuenda, æque dividenda sunt, ne forte inæqualiter sors daret pluribus partem minorem, et e converso.

*** *Additio* 3. Reduc ad memoriam, quod supra distinctum est inter tribum, familiam, et domum, et intelliges quod dicitur, quod alias non est intelligendum.

CAP. XXXVII. *De jure successionis hæreditariæ.*

Domus autem Salphaad, quia non reliquerat filium non est numerata (*Num.* XXVII). Audientes autem quinque filiæ ipsius, quod numeratis daretur terra, steterunt ad ostium tabernaculi coram Moyse, et Eleazaro, et tota multitudine, et dixerunt : « Pater noster mortuus est in deserto pro peccato suo, nec habuit mares filios, cur tollitur nomen ejus de familia? Date nobis possessionem inter cognatos nostros. » Quarum causam retulit Moyses ad Dominum, qui ait : « Justam rem postulant filiæ Salphaad. Ad filios autem Israel loqueris. Homo si mortuus fuerit, absque filio, ad filiam transibit hæreditas. » Quod usque hodie consuetudo obtinet. « Quod si nec filiam habuerit, transibit ad fratres ejus. Quod si nec fratres habuerit, transibit ad patruos: Quod si nec hos habuerit, transibit ad eos qui proximi sunt. »

CAP. XXXVIII. *De substitutione Josue.*

« Dixit quoque Dominus ad Moysen : Ascende in montem Abarim, et contemplare terram quam daturus sum filiis Israel, et post ibis ad populum tuum : non enim intrabis eam. Cui Moyses : Provideat Dominus Deus spiritum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, ne sit populus Domini sicut oves sine pastore. Cui Dominus : Tolle Josue, et statue eum coram Eleazaro et omne multitudine, et impone manum tuam super caput ejus, ut audiat eum; sicut audivit te omnis synagoga filiorum Israel. Fecitque Moyses ut Dominus imperaverat (*Num.* XXVII). » Cognovitque universa multitudo quod Josue post mortem Moysi antecederet eos. Utrum autem tunc, vel post ascenderit Moyses, ut videret terram, certum non est; sed certum est quod ascendit, et partem terræ videre potuit. Quod si totam vidit, miraculose factum est.

CAP. XXXIX. *De libaminibus.*

Præcepitque Dominus Moysi de jugi sacrificio, et de sacrificiis legalium solemnitatum. Sed quia non offerebatur hostia sine libamentis, de his breviter præmittendum est. Libamen, vel libamentum, erat simila oleo glutinata, et vinum; quæ cum hostia adolebantur, ut scilicet quasi panis, et vinum, et caro Domino offerentur. Cuique vero hostiæ proprium libamen determinatum erat. Pro agno similæ decima pars ephi, vini quarta pars hin, vel ephi offerebatur (*Num.* XXVIII). Erant autem ephi et corus * mensuræ aridorum, hin et batus liquidorum. Pro vitulo de simila tres decimæ, de vino media pars hin. Et forte tres decimæ erant integræ, de tribus ephi, vel de uno ephi.

* *Additio* 1. Corus enim triginta continet modios, ephi tres aridorum, hin et batus liquidorum. Prius tollebatur decima. Iterum novem partes decimabantur, et tertio decimabatur reliquum, et sic erant tres decimæ unius ephi. Pro ariete de simila duo decimæ, de vino tertia pars hin. Eadem erant libamenta hirci. Si quando legas pro agno de simila dari decimam decimæ intelligendum est de consueta decima decimandi, quasi decimam decimationis, vel decimam decimantem. Vel ipsa decima ephi iterum decimabatur, et hæc decimæ decima dabatur pro agno, secundum quosdam, vel potius idem est decima decimæ, quod decima ephi. Est enim ephi decima pars cori.

CAP. XL. *De jugi sacrificio.*

Prius autem de jugi sacrificio videamus. Juge sacrificium, vel indeficiens, quotidie fiebat de sumptu publico (*Num.* XXVIII). Mane offerebatur agnus anniculus in holocaustum, cum libamentis suis, ut tota die cremaretur in odorem suavem Domino. Quo imposito super altare, sacerdos cum prunis et thymiamate, et lotus intrabat tabernaculum, ponebatque prunas, cum thymiamate, super altare incensi, et hoc vocabatur consummatio sacrificii. Tunc etiam quatuor de septem lucernis mortificabat. In vespere ponebatur similiter alius agnus, in eumdem modum. Et intrans cum thymiamate sacerdos, accendebat omnes lucernas, et sic tota nocte in altari erat odor suavis Domino. Vespertinum tamen sacrificium melius erat, et pinguius matutino, quia sæpe in die præter illud plura imponebantur. Et inde dicebatur illud gratius Domino, quia pinguius dicimus nos gratius, quia mortem Domini factam vespere significabat. Hos agnos quidam tradunt, de sumptu tradi sacerdotum. Josephus vero de publico; qui etiam quotidianam de sumptu sacerdotum oblationem determinat. Offerebat enim sacerdos in diebus vicis suæ assarium farinæ oleo mixtæ, et modica decoctione induratæ, medietatem mane, et medietatem vespere super altare. In hunc modum Ecclesia mane et vespere offert Domino laudes et completorium, vel potius in prima et completorio offert confessionem, ad mutuo orandum, tanquam juge sacrificium, quia sacrificium nostrum Deo est spiritus contribulatus et humiliatus (*Psal.* L).

CAP. XLI. *De sabbato et oblationibus ejus.*

Solemnitates legales erant septem : Sabbatum, Neomenia, Phase, Pentecostes, festum Clangoris, festum Propitiationis, Scenopegia. Sabbatum interpretatur *requies*, et potest dici festum Domini, quia cum alia festa instituta et nominata sint ab aliquo eventu; vel opere eorum, hoc dicitur Sabbatum, quia Deus in eo quievit. Inde est forte, quia privilegiatum est in duobus, quia in eo non licet cibum parare, nec ultra mille passus ire. Dicitur

Digitized by Google

autem hoc festum legale, non quia et ante legem, etiam ab exteris quibusdam nationibus observatum fuerit Sabbatum, sed quia sub lege prima observatum est ex præcepto. Ea die præter juge sacrificium, offerebantur duo agni anniculi immaculati cum libamentis suis in holocaustum (*Num.* XXVIII).

CAP. XLII. *De Neomenia.*

Neomenia sonat *innovatio lunæ*. Neos enim *novum*, mene *luna* interpretatur. Quia ergo Judæi in legitimis suis lunationes pro mensibus habebant ex lege, diem novæ lunæ vocabant Kalendas legales, et erat dies ferialis apud eos. Ea die offerebant vitulos duos, arietem unum, agnos anniculos septem, cum libamentis suis per singulos; hircumque pro declinatione peccati cum libamentis suis; omnia hæc in holocaustum (*Num.* XXVIII).

CAP. XLIII. *De Phase.*

Quarta decima die primi mensis ad vesperum, comedebant agnum paschalem; et nox illa dicebatur Phase (*Num.* XXVIII), id est *transitus*, propter causas superius dictas. Eadem dicebatur Pascha, id est *immolatio*. Sequenti die inchoabat festum Azymorum, quod protelabatur septem diebus. Quorum dies prima, et ultima solemnis erat, et ferialis ab omni opere servili. Quod Ezechiel addit de festo primæ diei Aprilis, et alibi de decima die qua tollebatur agnus (*Ezech.* XLV, XLVI). Unde et primus mensis solet comparari septimo in solemnitatibus; forte Moyses causa brevitatis pertransiit. Vel multa ad ampliandum cultum Dei superaddita sunt, quæ Ezechiel prosequitur, sicut in Sabbato de portarum apertione et prece principis. Post primam diem solemnem, id est decimam sextam lunam, torrebant igni spicas recentes, et grana manibus confricata, in modum farris fracti, offerebant Domino assarium unum, cujus pugillum, vel drachmam unam adolebat sacerdos super altare, reliquum erat ejus. Pro hac oblatione quidam putaverunt hoc festum non solum Azymorum dici, sed etiam festum Novorum, errantes quia legunt Nisan quandoque vocari mensem Novorum. Ab hac decima sexta die dicit Josephus numerari septem hebdomadas, post quas statim erat Pentecostes. Alii dicunt eas numerari ab altera die Sabbati, quod erat in diebus Azymorum, quia littera historiæ videtur sic sonare. Alii ab ipsa prima die Azymorum, ne plures, quam quinquaginta dies inter Pascha, et Pentecostem inveniantur. In his diebus septem per singulos dies offerebantur in holocaustum eædem hostiæ, quæ etiam in Neomenia, cum libamentis suis.

CAP. XLIV. *De Pentecoste.*

Pentecoste sonat *quinquagesimus*. Pentacon enim Græce quinquaginta Latine, Hebraice Asarta, vel Pentecoste. Ipsa quinquagena dierum, quibus completis, imminens ultima dies dicebatur festum Pentecostes, id est consecutivus quinquaginta dierum *. Fiebat autem in memoriam datæ legis quæ quinquagesima die ab exitu de Ægypto data est. Eadem solemnitas dicebatur festum Hebdomadarum (*Num.* XXVIII), quia supputatis, ut dictum est, septem Hebdomadibus, ab altera die Sabbati Azymorum, fiebat **. Quod si volumus sequi Josephum, Sabbatum dicemus hic primam diem solemnem Azymorum. Dicebantur etiam festum primitivorum, quia tunc de novis frugibus *** offerebantur duo panes duorum assariorum, de alphica sicata facti, secundum Josephum, et fermentati, et ideo nil ex eis super altare ponebatur, et cum eis duæ agnæ in esum tantum sacerdotum; et nil ex eis in crastinum relinqui permittebatur. Erat et hoc festum septem dierum, et per singulos offerebantur eædem hostiæ, quæ etiam in Neomenia et diebus Azymorum cum libamentis suis. Tamen videtur velle Josephus tunc immolari vitulos tres, arietes duos agnos, quatuordecim.

* *Additio* 1. Secundum hoc invenies : « Dum complerentur dies Pentecostes (*Act.* II). »

** *Additio* 2. Certior sententia est a prima die Azymorum quinquagesimum esse Pentecosten, et a secunda quinquagesimum esse secundam diem Pentecostes, in qua offerebantur panes novi, sicut secunda die Azymorum grana, et ita duo dies quinquagesimi leguntur numerati.

*** *Additio* 3. Tres primitiæ frugum offerebantur Domino, scilicet colligendarum, edendarum, reservandarum : colligendarum in manipulis, et in Pascha; edendarum in panibus, et in Pentecoste; reservandarum, quæ reservabantur, et de istis ad plus dabatur quadragesima pars, ad minus decima.

CAP. XLV. *De festo Tubarum.*

Prima die mensis septimi duplex erat solemnitas, Neomenia et festum Clangoris, vel Tubarum (*Num.* XXIX). Unde : « Buccinate in Neomenia tuba (*Psal.* LXXX). » In quo buccinabant cornibus pecorinis; quia ea die liberatus est Isaac, ne immolaretur, pecore substituto pro eo. Dicebatur etiam festum Septimorum, vel Sabbatum mensium, quia hic septimus mensis fere totus erat solemnis. Ea die, præter oblationes Neomeniæ, offerebantur in holocaustum vitulus unus, aries unus, agni anniculi septem : hircus pro peccato cum libamentis suis. Traditur quia subintroductum est à Judæis de cereis, ut per ignem immolationem Isaac paratam, significarent. Hem, a modernioribus translati sunt cerei ad decimam diem, quæ est pro mortuis forte pro spe resurrectionis.

CAP. XLVI. *De festo Propitiationis.*

Decima die ejusdem mensis erat festum Propitiationis (*Num.* XXIX), quia ea die rediit Moyses ad eos, referens Deum eis placatum super offensam vituli conflatilis *, ea die jejunabant homines, et jumenta, et pueri septenes, a vespera usque ad vesperam pro memoria mortuorum. Unde etiam dicebatur dies afflictionis. Dicebatur quoque dies expiationis, quia ea die sanguine vitulæ rufæ expiabatur tabernaculum, et altare, ut prædictum est. Et fiebat cinis ex eo ad expiationem immundo-

Digitized by Google

rum, et ipsi expiabantur a peccatis illius anni, per emissionem hirci apompeii. Erat enim oblatio diei illius vitulus unus, aries unus, agni anniculi septem, hircus pro peccato, cum libamentis eorum.

* *Additio* 1. Supra in Exodo in diversis capitulis : « Et ait Dominus ad Moysen (*Num.* XXXII). »

Cap. XLVII. *De Scenopegia.*

Quinta decima die ejusdem mensis erat Scenopegia quod sonat *fixio tabernaculorum* (*Num.* XXIX). In qua per septem dies habitabant sub umbraculis, in memoria quadraginta annorum, in quibus fuerunt in tabernaculis in deserto. Unde festum Tabernaculorum dici solet. Protelabatur autem septem diebus, quarum prima et ultima solemnes erant. Octavus etiam dies erat solemnis, non quia esset de Scenopegia, sed quia ea die conveniebant ad faciendam collectam, forte in usus pauperum, vel in alios usus communes.

Unde, et Scenopegia quandoque legitur esse festum octo dierum. Sed patres illi non servierunt ogdoadi. Traditur quoque in quatuor diebus interpositis a die decima usque ad hanc, Hebræos observare jejunia. Tradidit Josephus quod in his septem diebus ferebant in manibus ramos myrti et salicis, et summitates palmarum, virgulas mali Persici. Fiebatque de cunctis frugibus terræ oblatio Domino in gratiarum actionem. Oblatio vero septem dierum hæc erat : prima die offerebantur in holocaustum vituli tredecim, arietes duo, agni anniculi quatuordecim et hircus pro peccato, cum libamentis eorum. Eadem oblatio arietum, et agnorum et hirci fiebat per singulos dies sequentes ; sed de numero vitulorum unus subtrahebatur in dies. In secunda duodecim, in tertia undecim, in quarta decem, in quinta novem, in sexta octo, in septima septem. In octava, quæ erat solemnis, offerebatur aries unus, vitulus unus, agni anniculi septem, et hircus pro peccato, cum libamentis eorum. Forte in septem diebus facta est subtractio vitulorum, ut in summa fierent septuaginta in memoriam eorum qui in septuaginta animabus intraverunt Ægyptum. Hæ sunt oblationes holocaustorum in septem solemnitatibus, et fiebant de publico. Non propter hoc cessabat indesinens sacrificium, nec hostiæ spontaneæ, vel necessariæ. Et nota quia illæ tres solemnitates, quæ septem diebus protelabantur præcipuæ dicebantur. Et Sabbatum quod interveniebat in illis diebus dicebatur Sabbatum Sabbatorum, quasi Sabbatum festorum. Alias festivitates adjecerunt his Hebræi propter varios eventus, sicut Encœnia, et Phurim, id est festum Esther ; sed non dicuntur legales, id est non sunt in lege institutæ. Nota solemnitates præfatas tres Pascha, Pentecostes et Scenopegia, dictas cæremonias, a cereis, id est luminaribus, vel a carie, et mene, quod est *defectus*, quia tunc debent in nobis sordes deficere quasi carimeniæ. Vel a carendo muniis, id est officiis servilibus, quasi carimoniæ. Vel a Cerere, ubi summa veneratio præstita est, sacris Romanis illuc delatis, urbe a Gallis capta.

Cap. XLVIII. *De votis.*

Addidit quoque Dominus de votis mulierum. Vidua, vel repudiata quidquid voverint, vel in quo juramento se constrinxerint, implebunt (*Num.* XXX). Filia, vel uxor, tenentur ex voto, vel juramento, nisi pater, vel vir contradixerit, statim ut audierit. Si enim statim contradixerit, irritæ sunt pollicitationes earum. Ipse vero peccatum portabit cum audivit, si tacuerit, et postea contradixerit. Vir autem omne juramentum, vel votum implebit, nisi forte de continentia.

Cap. XLIX. *De destructione Madian, et prædæ divisione.*

« Iterum locutus est Dominus ad Moysen. Ulciscere filios Israel de Madianitis, et sic colligeris ad populum tuum (*Num.* XXXI). » Armavit ergo Moyses de singulis tribubus mille viros electos, scilicet duodecim millia præfecitque eis Phinees filium Eleazari ; vasa quoque sancta, et tubas ad clangendum, tradidit eis. Qui profecti hostes vicerunt. Quinque reges et omnes viros eorum occiderunt ; urbes, vicos et castella flamma consumpsit, Balaam quoque interfecerunt gladio, mulieres et parvulos, pecora et omnem supellectilem in prædam duxerunt. Dum autem redirent, Moyses, Eleazar et omnes principes Synagogæ egressi sunt in occursum eorum extra castra. Visisque mulieribus, iratus Moyses dixit ad eos : « Cur feminas reservastis ? Nonne ipsæ sunt quæ deceperunt filios Israel. Interficite omnes quæ noverunt viros, omnem masculum ; virgines tamen reservate. » Feceruntque ita, et reservatæ sunt virgines triginta duo millia. Et ait Moyses : Quia peccastis, eritis immundi ; qui occidistis, vel tetigistis mortuos extra castra eritis septem diebus, et purificabimini tertio, et septimo die aqua aspersionis. Præda etiam quam tulistis purificabitur. Aurum, et quidquid transire per ignem potest, igne purificabitur. Quod autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis purgabitur. Dixitque Dominus ad Moysen : Tolle summam eorum quæ capta sunt, ab homine usque ad pecus, et divides prædam ex æquo inter eos qui pugnaverunt et reliquam multitudinem. De parte vero eorum qui pugnaverunt, separabis Domino unam animam de quingentis, et dabis ea Eleazaro. Ex media vero parte multitudinis, accipies quinquagesimum caput, et dabis Levitis. » Quo facto principes exercitus accesserunt ad Moysen, et dixerunt : Recensuimus numerum pugnatorum, quos dedisti nobis, et nec unus quidem defuit. Quamobrem offerimus in donariis Domini, quod in præda auri potuimus invenire, periscelides *, armillas, annulos, dextralia, murenulas, ut depreceris Dominum pro nobis. Susceperunt autem aurum Moyses et Eleazar, et intulerunt illud in tabernaculum.

* *Additio* 1. Aperi, quod est *circum*, et scele,

Digitized by Google

quod est *brachium*, dicuntur perisceli des, quasi ornamentum brachii.

CAP. L. *De sorte duarum tribuum, et dimidiæ.*

Filii autem Ruben, et Gad, et dimidia tribus Manasse habebant pecora multa nimis (*Num.* XXXII). Et videntes Amorrhæam, Basan et Galaad aptas pecoribus alendis, rogaverunt Moysen, ut terram hanc eis contraderet. Æstimans autem Moyses, ob timorem pugnæ et laboris, hoc eos quæsisse, malignos eos appellavit, eo quod, fratribus in ærumna consistentibus, ipsi vellent deliciari. Ipsi vero polliciti sunt quod mulieres et parvulos in tutis locis ordinarent, caulas ovibus, et jumentis stabula fabricarent; ipsi vero armati præcederent fratres suos, donec eos introducerent ad loca sua. Sub hac autem conditione terram Sehon regis Amorrheorum, et Og regis Basan susceperunt. Porro filii Machir, filii Manasse, obtinuerunt Galaad. Jair vero, filius Manasse, occupavit vicos ejus, et vocavit eos Anothjair, id est *villas Jair*.

CAP. LI. *Catalogus quadraginta duarum mansionum.*

Ponitur hic catalogus mansionum ab exitu de Ægypto (*Num.* XXXIII). Fuerunt autem ante transitum maris Rubri quatuor, Ramesse, Soccoth, Etham, Phihahiroth; a mari Rubro usque ad Sina octo : Mara, Elim, Jamsuph, quod sonat mare Rubrum, vel Scirpeum : Jam enim, *mare*, Suph, *rubrum*, vel *scirpeus* interpretatur; et potuit esse Lacus Scirpeus, quia Hebræi quamlibet aquarum congregationem vocant mare. Post Jasuph, desertum Sin, Daphca, Alus, Raphidim, solitudo Sinai. A monte Sinai usque ad Cades, viginti et una : Sepulcra concupiscentiæ, Haseroth, Rethma; Remmophares, Lebna, Ressa, Ceelatha, mons Sepher, Arada, Maceloth, Thahath, Thare, Methcha, Hesmona, Moseroth, Benejaacan, mons Gadgad, Jetebatha, Hebrona, Asiongaber, Cades; a Cades usque ad campestria Moab novem, mons Hor, Salmona, Phunon, Oboth, Jieabarim, Dibongad, Helmondeblathaim, montes Abarim, campestria Moab.

CAP. LII. *De urbibus Levitarum, et suburbanis.*

Iterum locutus est Dominus ad Moysen, et distinxit terminos terræ promissionis ab ortu et occasu, meridie et aquilone (*Num.* XXXIV). Et nominavit principes tribuum, qui, transito Jordane, cum Josue et Eleazaro terram dividerent. Præcepitque Levitas in omnibus tribubus dispersos habere civitates ad inhabitandum, et a muris forinsecus per circumitum, terram mille passuum obtinere, in qua suburbana essent, ad pecora eorum alenda (*Num.* XXXV). Ex quibus civitatibus sex essent refugii, tres ultra Jordanem, et tres citra, de quibus in Deuteronomio dicitur (*Deut.* XIX).

CAP. LIII. *De matrimonio contribulum.*

« Accesserunt autem filii Machir, filii Manasse ad Moysen, et dixerunt : Filiæ Salphaad fratris nostri habent nobiscum sortem, ex præcepto Domini. Si ergo nupserint viris tribus alterius, quia filii earum sequentur tribum patris, minuetur hæreditas nostra, et sortium distributio confundetur in jubilæo (*Num.* XXXVII). Occasionem ergo filiarum Salphaad, lex hæc promulgata est a Domino per Moysen : » Omnes viri ducant uxores de tribu, et cognatione sua, ut hæreditas permaneat in familiis; ne commisceantur tribus, sed maneant, ut a Domino separatæ sunt, etc.

HISTORIA LIBRI DEUTERONOMII.

CAP. I. *Præfatio.*

Quinta, et ultima distinctio, hujus historiæ dicitur Hadde debarim, quod sonat *hæc sunt verba*. Græce autem dicitur Deuteronomius, id est *secunda lex*. Deuteron enim, *secunda*, nomia *lex*. Et hoc nomine quidam errantes dixerunt duas esse leges : unam datam a Deo, quæ in præcedentibus libris continetur, alteram datam a Moyse, quæ in hoc libro. Attendentes in assertionem sui erroris, quod de illa legitur supra in multis passibus : « Locutus est Dominus ad Moysen, et ad omnem Israel. » De ista dicitur : « Locutus est Moyses. » Ad hæc dicebant quod multa hic leguntur, quæ non supra : quædam quasi contraria; quod non fieret, si hic esset prædictorum repetitio. Verius sentiendum est, quia hic Pentateuchus non est nisi lex una, quæ etiam ab Apostolo et aliis, sæpe vocatur lex Moysi, quam lex Dei. Hebræus etiam vocat hos quinque libros thorath, id est legem, nec ob aliud dicitur liber hic lex secunda, nisi quia prædicta hic iterantur quasi lex iterata. Iterantur hic etiam tria, tribus de causis, præcepta, et cæremoniæ ad commendationem memoriæ, et ipsorum confirmationem. Beneficia Dei ad roborandam dilectionem Dei in illis. Flagella, quæ sustinuerunt murmurantes, ad incutiendum timorem.

Si vero in hac iteratione videtur aliqua prædictis inesse contrarietas in superficie verborum, in intellectu tamen nulla est. Fuerunt etiam qui dicerent hunc librum factum a Josue, transito Jordane, quia legitur in principio : « Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses trans Jordanem (*Deut.* I). Pro situ enim terræ promissionis sacra Scriptura dicere consuevit, ultra Jordanem, vel citra. Dicitur tamen liber Moysi, vel Josue, quia quod Moyses verbo tradidit, Josue redegit in scripto. Videtur etiam Hieronymus velle quod magnam Josue hujus libri scripserit partem. Verius videtur esse quod scriptus sit a Moyse, et loquitur Moyses de se tanquam de alio. Vel hoc in principio apposuit Esdras,

Digitized by Google

sient et in fine de morte Moysi, præsertim cum circa finem libri legatur : « Scripsit Moyses legem hanc (*Deut.* XXXI). » Et paulo post : « Postquam scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, præcepit Levitis : Tollite librum istum, et ponite in latere arcæ fœderis (*ibid.*). » Legitur quod longo tempore post inventus in Jerusalem Deuteronomius in arca.

CAP. II. *Epilogus cum additionibus et determinationibus.*

Quadragesimo anno ab exitu filiorum Israel de Ægypto, undecimo mense, prima die mensis, videns Moyses diem mortis sibi imminere, locutus est ad omnes filios Israel, et cœpit legem explanare, congregans eos, secundum Josephum, ad Jordanem, in loco ubi nunc civitas Abidal est, locusque palmarum (*Num.* I). Sane recapitulationem Moysi prosequentes, quæ supradicta sunt, omittemus; super addita, dicemus quædam, quæ videntur contraria, memorabimus, determinando. Itaque in recapitulando ait Moyses * : « Dixi vobis illo tempore : Non valeo solus negotia vestra sustinere, date ex vobis viros sapientes, et ponam eos tribunos, centuriones, quinquagenarios, et decanos. » Hoc videtur contrarium prædictis. Supra enim, consilio Jethro dixit hoc factum esse; utrumque vero factum fuit. Primo enim, ad consilium soceri, faciendum secreto disposuit, postea auctoritate et assensu populi complevit. Quod etiam dicit hic Moyses : « Dixistis mihi : Mittamus viros, qui considerent terram. » Supra vero legitur dixisse Dominum : « Mitte viros (*Num.* XIII), » non est contrarium, quia ad suggestionem populi consuluit Dominum, qui dixit : « Mitte. » Ad pusillanimitatem quoque eorum confortandam, iteravit Moyses de victoria Og regis Basan (*Deut.* III), qui restiterit, de stirpe gigantum, et in argumentum magnitudinis ejus, monstratur lectus ferreus ipsius, in Rabath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis.

* *Additio* 1. Supra in Exod. c. XVIII : « Egressus est autem Jethro. »

CAP. III. *De civitatibus refugii trans Jordanem.*

Separavit Moyses tres civitates refugii trans Jordanem Bosor in tribu Ruben, Ramoth Galaad in tribu Gad, Golan in Basan in tribu Manasse (*Deut.* IV). Harum hic usus erat : si quis nolens hominem occidisset, confugiebat ad aliquam harum, et ibi a consanguineis occisi tutus erat. Si enim extra fines alicujus harum invenisset eum, qui ultor sanguinis effusi esse debebat, impune percutiebat homicidam. Erat autem in ea fugitivus usque ad reconciliationem cum propinquis, vel usque ad mortem summi pontificis, in quo hujusmodi omnes fugitivi, redibant securi ad propria. Tamen si propinqui occisi volebant illum impetere, quod volens occidisset, et coram civibus urbis ejus hoc probarent, tradebatur eis ad occidendum.

CAP. IV. *De præcepto dilectionis.*

Addidit quoque Moyses : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota fortitudine tua * (*Deut.* VI). » Addidit quoque cum de manna iteraretur : « Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei (*Deut.* VIII). » Panem vocavit hic omnem cibum hominum. Consuevit enim Scriptura, panem pro cibo ponere, et est sensus : Nolite mirari si cibum insolitum dedit vobis Dominus, quia non in solis usitatis cibis vita hominis stabilita est apud Deum, sed solo verbo potest creare nova, ex quibus vivat homo. Addidit quoque inter beneficia, quod per quadraginta annos in deserto vestimenta eorum non defecerant vetustate, nec solutares attriti erant, et quod evaserant serpentes flatu urentes circumstantia, quos ob hoc forte supradixit ignitos, et scorpiones, et dipsades (*Deut.* VIII), quæ Latine situlæ dicuntur, quia perimunt hominem siti, et adeo parvæ sunt, ut cum calcantur vix videantur, cujus venenum ante exstinguit, quam sentiatur, nec tristitiam sentit moriturus. Dicitur autem situla per contrarium; vas enim quod situla dicitur, aufert sitim, hæc affert. Sicut pharetra quæ infert mortem, feretrum, quia fert vel aufert mortuum. Ut etiam ostenderet quæ necessitas incumberet eis, observandi præcepta Domini, in terra promissionis, addidit, quia non erat terra illa, sicut terra Ægypti, quæ beneficio fluminis fecundatur, ubi per hortos aquæ derivantur irriguæ, sed erat montuosa et campestris, de cœlo pluviam exspectans; et ideo plurimum ibi colendum Deum, ut daret ei pluviam temporibus suis, temporaneam scilicet in autumno, in vere, vel in hieme, jactis seminibus nutriendis, et serotinam, ad crementum in vere vel æstate. Addidit quoque de terminis terræ promissionis dicens : « Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit, a deserto, quod est in meridie, et Libano, qui in septentrione, et flumine magno Euphrate, qui est in oriente, usque ad Mediterraneum erunt termini vestri (*Deut.* II), hoc est mare quod Tyrrhenum dicitur. Addidit quoque quod benedictiones et maledictiones scriptas in libro hoc, transito Jordane; in egressu suo dicerent, in hunc modum : Sex tribus majores natu ascenderent montem Garizim cum sacerdotibus et Levitis, et sex minores montem Ebal e regione, et qui in Garizim omnes benedictiones dicerent super legis observatores, et qui in Ebal responderent : Amen. Post ascenderent sacerdotes et Levitæ cum aliis sex tribubus in Ebal, et simul omnes maledictiones imprecarentur transgressoribus, et qui in Garizim responderent : Amen. Et nota, quia cum enumerat gentes quas ejecerunt de terra promissionis, fere ubique sex nominat Chananæum, Amorrhæum, Pherezæum, Jebuzæum, Hevæum, Hethæum. In hac vero iteratione nominat septimum Gergezæum. Item nota quia Abrahæ promissum est, quod decem delerentur, quæ tunc

Digitized by Google

revera ibi erant. Sed cum venerunt illuc filii Israel, jam tres erant deletæ. Filii Lot deleverunt gigantes, filii Esau Horræos, Cappadoces partem Hevæorum.

* *Additio* 1. Alibi ponuntur decem præcepta. Sed nota quod sub his duobus continentur illa; horum enim primum complectitur tria, secundum continet septem.

CAP. V. *De decima secunda.*

Addiditque Moyses, quia non liceret eis comedere decimam in oppidis suis, nec primogenita pecorum, nec primitias laborum, nec votiva, nec sponte oblata, sed tamen coram Domino in loco quem elegerit Dominus, ibi cum uxore comederent, et liberis, servo, et ancilla, et levita qui concellaneus esset (*Deut.* XII). In quo præcepto videntur fraudari Levitæ, quibus præmissa debebantur. Proinde B dicunt quidam hoc semel factum, cum primo scilicet terram obtinuerunt. Tunc enim obtulerunt prædicta Domino, et deinceps reddiderunt ea Levitis. Sed hoc nihil est, quia nondum Dominus locum sibi elegerat in terra promissionis. Alii dicunt quia singulis annis hæc fiebant sic: primam partem decimæ totius, ut primam gelimam grani, primam amphoram vini, vel olei separabat sibi, qui decimam dabat Levitis, et illam modicam partem decimarum ferebat secum in Jerusalem, et epulabatur inde coram Domino. Et hoc inde conjectant, quia hæc decima præcipitur poni in cartallo, quod modicum vas est, nec veram caperet decimam. Sed hic primogenitis et primitiis, votivis et spontaneis C nihil habent determinatum. Unde verior est hic traditio Hebræorum: Singulis annis Hebræi faciunt duas decimationes bonorum suorum. Primam separabant Levitis: de hac dictum est: Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum, cui des, id est illum cui debes. Iterum novem reliquas partes decimabant, et hanc secundam decimam sibi reservabant, et ex ea ter in anno, cum ascendebant in Jerusalem, oblationes et epulas sibi, et domui suæ faciebant, et Levitam concellaneum, qui etiam cum eis ascenderet invitabant. In eosdem usus reservabant sibi secundum animal post primogenitum, quasi secundum primogenitum, et similiter post primitias tantumdem sibi reponebant, quasi secundas primitias. Qui autem ampliora his D illis tribus festis expendere volebat, aliqua de bonis adhuc separabat, et cum prædictis reservabat, vovens illa Domino. Præterea etiam quidam in illis solemnitatibus, præter ea quæ diximus, sponte quædam expendebant ad honorem Domini, et hæc secundaria præcepit Moyses ferri ad locum sanctum, et comedi coram Domino (*Deut.* XIV et XV). Tamen remotioribus licebant ista vendere in loco suo, et ferre pretium secum, et emere sibi in Jerusalem quod desiderabat anima sua. Præterea tertio anno duabus decimis sublatis, ut diximus, tertiam faciebant iterum decimationem in usus pauperum, et hanc reponebant apud se, ut haberent unde darent peregrino, et advenæ, pupillo et viduæ egentibus, et etiam Levitis, si indigerent. In usus vero proprios ex hac nihil expendebant, et de hac dictum est: « Omni petenti tribue (*Luc.* VI). » Addit quoque quod si etiam frater, aut uxor, aut filius, aut amicus specialis persuaderet aliquem ad cultum idolorum, forte propter affluentiam, quæ sequebantur gentiles, non occultaret eum; sed convictum, aut confessum populus obrueret lapidibus: et ille cui præsuaserat, primus imponeret manus suas super eum; eodem modo civitas adversus civitatem insurgeret, et deleret eam, si persuaderet recedere a cultu Dei. Incissuras etiam, et calvitium fieri super mortuos prohibuit (*Deut.* XIV), quod, et sanguinem suum fundere, et capillos tondere, et sacrificare mortuis, ut ethnici faciunt. Prohibuit quoque morticina comedi; sed addidit quia et illa sibi immunda, possent dare, aut vendere peregrinis, et advenis, quia nationes aliæ licite multis vescuntur, quæ interdicta sunt Hebræis. Septimo quoque anno quietis terræ addidit Moyses ne creditor exigeret debitum a debitore Hebræo duntaxat. A peregrino poterat exigere, et ob hoc vocabit annum illum annum remissionis, non illius tamen cujus erat Jubilæus. In Jubilæo enim dimittebantur debita; in hoc differebant petere. Prohibuitque in primogenitis bobus arari, et vellera primogenitorum tonderi. Per quod innuit nihil de primogenitis debere sumi, vel fieri in usus proprios, quia Levitarum erat. Quod si maculam haberet primogenitum, poterat comedi in loco suo, sed non coram Domino. Repetens quoque Moyses de festo Pentecostes ait: « Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris, et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo (*Deut.* XVI). » Hoc, ut dicit Hieronymus, Hebræi nec ad litteram, nec ad spiritum custodiunt, tunc enim non eodem die fieret Pentecostes, quia alii tardius, alii citius metunt, secundum statum regionum suarum. Fuerunt etiam qui dicerent, quemque agricolam a prima die messionis suæ, quinquaginta dies computasse, et ea die sibi, et suis epulum solemne parasse, et diem festum egisse. Nec quidem Pentecosten legalem, sed pro collectis omnibus quasi diem agebant solemnem. Tradidit Josephus, quia decima quinta luna Phase, die scilicet solemni Azymorum offerebant grana confricata Domino. Et hæc erat missio prima falcis in segetem, et a decima sexta luna numerabant septem hebdomadas, post quas faciebant Pentecosten *. Quidam tamen dicunt, ut prædictum est, a die Dominica, quæ est in festis Azymorum debere numerari septem hebdomadas, quia legitur in Levitico. « Ab altera die Sabbati numerabitis (*Levit.* XXIII). »

* *Additio* 1. In veritate a quinquagesima die Azymorum prima, est prima dies Pentecostes, cujus festi secunda die, duo panes novi offerebantur, et ita duos dies quinquaginta intellige. In primo, primum diem Pentecostes, secundo, secundum diem ejusdem festi.

Digitized by Google

CAP. VI. *De appellatione populi ad summum sacerdotem.*

Præcepit quoque judices civitatum sedere in portis, quasi judicaturos intrinsecus, et extrinsecus de finibus civitatis, et ut in ore duorum, vel trium testium periret, qui interficeretur ab eis, et quod manus testium prima fieret in illum (*Deut.* XVI). Quod si contingeret judices illos ambigere de sententia aliqua, ascenderent ad summum sacerdotem, et quod ille judicaret fieret. Quod si quis sententiæ ejus non obediret interficeretur. De his judicibus civitatem dicit Josephus quod septem eligebantur in singulis civitatibus, virtute, et studio justitiæ accepti. Unicuique vero eorum dabantur duo viri ministri de genere Levitarum. Testimonium mulierum non admittebant propter levitatem, nec servorum propter ignobilitatem animi, pro qua de facili, vel pro timore poterant corrumpi, vel lucro. In appellationibus non licebat pontifici judicare sine prophetæ, et senioribus loci illius quem elegerat Dominus.

CAP. VII. *De justitia regis per eos electi.*

Addidit etiam quod si quandoque regem sibi crearent, non alienigenam, sed contribulem assumerent, qui sine consilio pontificis et seniorum nil ordinaret (*Deut.* XVII), in otio semper Deuteronomium legeret, uxores sibi non multiplicaret, ne averterent eum a recto; equos autem aut opum pondera non multiplicaret, ne potentior factus sæviret in subditos; terminos terræ, propriæ, vel alienæ, non mutaret. Non enim procul est ut leges transcendat qui metas terrarum transmutat: hoc præceptum plurimum transgressus est Salomon, qui gloriatus est, quod tantum reliquerat in Jerusalem auri, et argenti quantum invenerat ibi æris et ferri. Tandem tamen pœnituit, ut tradunt; de quo post dicetur.

CAP. VIII. *De maleficis abjiciendis.*

Interdixit quoque secum habere ariolos, id est inspectores fibrarum circa aras pro cognoscendis futuris, et conjectores somniorum, et augures, id est gestus avium, aut garritus attendentes, maleficos, id est immolantes pueros dæmonibus, vel saltem lustrantes, incantatores, id est præstigios, qui intuentes fallunt, Pythones, id est ventriloquos, qui per spiritum malignum loquuntur, a Pythone, id est Appoline, sic dictos; *divinos*, id est aruspices, id est astrorum inspectores, nec romanticos, qui sacrificiis vel carminibus evocant mortuos, quia prophetam suscitaret eis Deus de gente eorum, illum audirent.

CAP. IX. *De talione legis.*

De talione quoque legis, occasione falsi testis, apposuit ut si diligentissime perscrutantes deprehenderent falsum testem, redderent ei quod cogitaverat facere proximo suo, animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, pedem pro pede (*Deut.* XIX).

CAP. X. *De timidis et sollicitis removendis ab exercitu.*

Addidit quoque de exercitu progressuro ad pugnandum, ut prius sacerdos exercitum admoneret; ne timeret hostes, et sperarent tantum in Domino, non in armis et robore suo; deinceps quisque princeps turmæ suæ loqueretur, et diceret. « Qui ex vobis est formidolosus revertatur, ne pavere faciat fratres suos perterritus, etiam sollicitos pro negotiis imperfectis, quæ reliquerant, reverti præciperet (*Deut.* XX). » Specificabat autem tria negotia, quibus maxime affectus tenetur humanus dicens. « Quis est homo, qui ædificavit domum novam, et non dedicavit, vel initiavit eam? Revertatur, ne forte moriatur in bello, et alius dedicet eam. Quis est homo qui despondit uxorem, et non accepit eam? Revertatur ne forte moriatur, et alius accipiat eam. Quis est homo, qui plantavit vineam, et necdum fecit eam communem, de qua omnibus vesci liceat, revertatur ne forte moriatur, et alius fungatur ejus officio? » Quod sic intelligitur: Si novella vineæ plantatio ante quartum annum fructum faceret immunda erat, quia natura præter tempus vim fecisse videbatur, nec ex ea primitias Deo offerre, vel quidpiam edere licebat. Quarto anno vindemiabatur Domino. Omnem enim fructum ejus anni deferebat homo ad urbem sanctam, cum secunda decima aliarum frugum, ut epularetur ex eis coram Domino. Quinto anno fiebat homo dominus vineæ, et vindemiabat sibi. Sexto anno, et deinceps erat quasi omnibus communis, secundum consuetudinem eorum talem. Iter agentibus licebat intrare vineas, et pomeria, et tanquam de propriis satiari, sed extra deportare fas non erat, neque vindemiantes de his, quæ ad torcular portabant, gustare prohibebant sibi occurrentes. Alia translatio plana est. Quis est homo qui plantavit vineam, et de novella ejus non bibit, etc?

CAP. XI. *Ne fœdus inirent cum gentibus.*

Addidit quoque, ne cum gentibus terræ promissionis fœdus inirent, sed penitus exstirparentur (*Deut.* XX): in quo post graviter peccaverunt, cum finitimis autem gentibus pacifici, quantum possent, et fœderati essent. Addidit quoque ne in obsidione succiderent arbores fructiferas ad faciendas machinas. Item, si inventus fuerit occisus, sed a quo nescitur, seniores de propinqua urbe occiderent juvencam, et lotis manibus super eam, sacerdotibus jurabunt de innocentia sua (*Deut.* XXI). Egressi vero ad pugnam, si in numero captivorum, mulierem quis viderit pulchram, virginem seu jam nuptam, et voluerit eam habere uxorem, non prius cubile ejus ascendet, donec illa raserit caput, et circumcidat ungues, et lugubre schema suscipiens defleat parentes, et amicos, quos amisit in bello, triginta diebus, ut tandem luctu satiata, ad epulas nuptiales convertatur. Tunc liceat viro eam humiliare. Quod si saltatus fuerit, et nec sederit animo ejus, dimittat eam liberam. Non enim licet ei, aut

Digitized by Google

revocare eam in servitutem, aut venundare alii. Maleficum quoque suspensum in patibulo ea die jussit deponi, et cadaver ea die sepelire, quia maledictus erat omnis pendens in ligno, id est sufficit ad pœnam quia turpem et maledictam suscepit mortem, ne ultra jus tenderetur pœna. Abominabile quoque dixit apud Dominum, si aut mulier veste virili, aut vir veste feminea uteretur.

CAP. XII. *De his quibus non erat fas intrare Ecclesiam Dei.*

Addidit quoque de differentia ingredientium Ecclesiam Dei sic : « Non intrabit eunuchus attritis vel amputatis testiculis, vel abciso veretro ecclesiam Dei, nec manzer usque ad decimam generationem. Ammonites, et Moabites post decimam generationem non intrabit in æternum, quia hi populi propinqui Hebræis exeuntibus de Ægypto occurrerunt eis cum pane tantum, cum scirent eos laborare siti in deserto, et conduxerunt adversus eos Balaam filium Beor (*Deut.* XXIII). » Præterea quamplures eorum seducti fuerunt per mulieres eorumdem. Potest ingressus in ecclesiam dici ingressus in atrium * mundorum, a quo arcebantur quidam in æternum, quidam ad tempus, scilicet vel usque ad aliquem terminum dierum suorum, de quibus alibi, vel usque ad terminum successionum, de quibus hic agitur. Hebræus verius tradit dicens, ingredi Ecclesiam Dei esse de filiabus Israel ducere uxorem, et sic in se, et in genere suo, fieri de populo Dei. Tamen secundum hoc frustra videtur præmissum esse de eunucho, cum non possit ducere uxorem, sed nec si ille vellet uxorem ducere de Israel, ob pecuniam, vel hæreditatem, vel ob quamlibet causam ei non liceret. Forte quia nisi solum manzerem nominavit, non excludebatur ab ecclesia spurius et nothus. Manzer autem proprie est de scorto natus ; spurius de concubina pro spurcitia incontinentiæ ; nothus qui de adultera. Videtur enim cum non sit verus de matrimonio filius, sicut et notas febres dicimus quæ veræ quartanæ, aut hujusmodi, videntur, non sunt autem. Manzer ergo non copulabitur filiabus Israel, nec filius ejus etiam de legitima, nec nepos usque ad decimum successorem. Hic poterat intrare ecclesiam Dei, quia penitus exstincta erat memoria antiqui opprobrii. Ecclesia non solum manzeres, sed et spurios excludit ab ordinibus. De hoc quod prohibiti sunt duo populi prædicti intrare, Augustinus dicit quia in decima generatione poterant, propter Ruth Mohabitidem, quæ intravit, de qua Booz, filius Salmon, genuit Obeth. Sed quia generationem Ruth nescimus, ab Abraham, contemporaneo Moab decem numeravimus generationes, usque ad matrimonium Ruth : quod autem additum est in prohibitione, « in æternum, » per hoc quod ibidem promissum est debet exponi, scilicet nisi post decimam generationem. Vel quia dixit Ammonites et Moabites, quæ nomina sunt masculini generis, nec dixit Ammonitis, vel Moabitis, de viris facta est prohibitio non de mulieribus, quia forte nec mulieres occurrerunt Hebræis in deserto.

* *Additio* 1. Quatuor erant atria, unum Levitarum ; secundum, Israelitarum mundorum, qui tactu mortuorum vel alio non erant immundi ; tertium immundorum ; quartum gentilium.

CAP. XIII. *De prohibitione prostibuli, et libello repudii.*

Addidit quoque : « Non erit meretrix, nec scortator in Israel. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domum Domini tui (*Deut.* XXIII), quia, ut dicit Josephus, mercedem pro coitu canis venatici, vel custodis gregum, non licebat offerri, quia ex his quæ de contumelia procedunt, Divinitas non delectatur. Item non fœnerabis pecuniam ad usuram, nec fruges, nec aliquid aliud fratri tuo, sed alieno. Sed quod dictum est de fratre præceptum est ; quod de alieno permissio, sicut et permissio fuit, quod sequitur de libello repudii. Vir apud quem uxor sua non inveniebat gratiam propter aliquam fœditatam, quæ multimode proveniunt, scribebat quod nunquam conveniebat cum ea, et causam ob quam displicebat ei mulier, ne conveniret, et tradebat libellum, in quo scripta erant hæc mulieri, ut coram sacerdotibus legeretur. Et cum jurasset verum esse, quod scripserat, licebat utrique alii copulari. Quod si ingrederetur mulier ad alterum, qui iterum daret ei libellum repudii, viro priori non licebat eam recipere, quia abominabilem fecerat eam coram Domino. Modo pro nulla fœditate excluditur uxor, nisi ob solam fornicationem, neque sic etiam licet eos migrare ad secunda vota. Tamen quædam Ecclesiæ modo introduxerunt de novo lepram, quia morbus serpens est, et contagiosus. Item, qui nuper accepit uxorem, non producetur ad bellum, nec ei quidquam necessitatis publicæ injungitur, ut uno anno lætetur cum uxore sua (*Deut.* XX). Potest autem intelligi annus iste nuptialis, non usualis decem mensium tamen, juxta quem numerum dicitur annus luctus, quia mortuo viro non licet uxori transire ad alium ante decem menses, quia forte concepit de primo, et posset fieri dubium cui virorum ascribendus esset partus. Item prohibuit quoque ne liberi ancillas ducerent uxores.

CAP. XIV. *De plagis, quarum major erat quadragenaria.*

Iterum, si viderit judex reum dignum plagis tantum, prosternet eum coram se, et faciet eum verberari (*Deut.* XXV). Pro mensura peccati, erit et plagarum modus, ita duntaxat ut quadragenarium numerum non excedat. Sic et pœnitentes excommunicatos plagis cædimus, secundum numerum versuum alicujus psalmi, quem, dum cædimus, cantamus. Josephus dicit quadraginta plagis una minus habena publica verberandum. Liberum autem hominem turpissimum erat pœnam hanc sustinere.

CAP. XV. *De suscitatione seminis, et modis discalceandi.*

Item, quæ sine filiis a viro fuerit relicta, accipiet

Digitized by Google

eam frater ejus, et primogenitum ex ea filium fratri suo defuncto adnominabit (*Deut.* xxv), id est filium fratri defuncti non suum vocabit, et dimittet hæreditatis successorem quem suscitabit. Quod si noluerit frater recipere relictam, quæ sibi debetur ex lege, interpellabit mulier judices in porta. Et accersito eo, si accipere eam noluerit, mulier coram eis tollet calceamentum de pede ejus, et spuet in faciem ejus, et dicetur domus ejus, domus discalceati, opprobrium in Israel. Alibi legitur quod qui ducturus erat eam, alius discalceabat illum, secundum quod Joannes dixit: « Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus (*Luc.* III). » Quod forte fiebat, si præsto erat alius ducturus eam, si frater repudiaret. Quandoque enim nullus ducturus erat eam, et tunc mulier discalceabatur. Quandoque etiam frater, non interpellante muliere, profitebatur judicibus se nolle habere eam, et tunc ipse seipsum discalceabat. Unde alibi legitur, quod nolens suscitare semen fratris, se discalceabat. Item: « Si mulier apprehenderit virilia alterius viri rixantis cum viro suo, abscides manum ejus, nec flecteris super eam misericordia aliqua. » Item: « Non habebis pondus et pondus, mensuram et mensuram, id est majorem qua emas, minorem qua vendas, hoc enim abominabile est Domino. »

Cap. XVI. *De semine agrorum.*

Addidit quoque Moyses de quibusdam permistionibus rerum diversi generis cavendis, dicens: « Non feres vineam tuam altero semine grani, vel leguminis, ne et sementis quam sevisti et quæ nascuntur ex vinea pariter sanctificentur (*Deut.* XXII), » ne scilicet unam decimam, et singulares primitias des tanquam de uno agro, cum de utroque fructu separatim danda sint, vel ne hac occasione velles primitias sementis, vel vini non dare, quia simul non sanctificantur. Nam [sementis, primo anno, vinea, quarto. Facta ergo altera sanctificatione, forte putares sufficere ad unius agri sanctificationem. Alia littera habet: « Ne pariter suffocentur. » Quod videtur velle Josephus, dicens hanc communionem prohibitam esse, quia dissimilium conjunctione natura non lætatur. Item: « Non arabis in bove simul et asino. » Cujus sensum ponit Josephus, bobus scilicet tantum arandam terram esse, ut nomine asini quælibet alia animalia exclusa esse, intelligamus. Hebræi tradunt ob hoc dictum, quia noluit Dominus, servili jumento, id est asino, regem jumentorum copulari. Quatuor enim quasi regia animalia ostendit Dominus Ezechieli (*Ezech.* I): homo enim rex omnium animalium est, sub quo leo est rex ferarum, aquila rex avium, bos rex jumentorum. Quidam Hebræi puerilius exponunt, quia, scilicet bos ruminat, putaret asinus ipsum comedere, et fame afficeretur, et deficeret. Item: « Non indueris vestimento quod ex lino lanaque contextum est, quia, ut dicit Josephus, hæc vestis solis sacerdotibus erat concessa; hoc usque adeo observabant Judæi, ut nec pelles, nec aliquam laneam vestem, nisi filo laneo consuant. Tradit quoque Josephus jumenta diversi generis prohibita commisceri, ne injuria hæc transiret ad homines, ut pecudibus commisceri licitum putarent, multa tantum in minoribus prohibita dicit, ne ad majora per simile fieret accessus.

Cap. XVII. *De deletione Amalecitarum.*

Præcepit etiam Dominus, ut cum dominarentur in terra promissionis, delerent Amalec de sub cœlo (*Deut.* XXV), quia ipsis transeuntibus per desertum plurimum nocuerunt (*Deut.* XXVI). Extremos scilicet agminis, id est fessos, et leprosos, et semine fluentes, eos scilicet quibus non erat fas ingredi castra, interficientes. Et subdidit Dominus huic præcepto: « Cave ne obliviscaris. » Quod quia transgressus est Saul, translatum est regnum a domo ejus. Item: « cum intraveris terram promissionis, tolles de cunctis frugibus tuis primitias, et pones in cartallo, » vase scilicet vimineo, « ibisque ad locum quem Dominus elegerit. Et facta oblatione, stans e diverso altaris, gratias ages Deo coram sacerdote, quia liberavit patrem tuum Jacob a Syro, eum persequente, » scilicet Laban, « et filios ejus de Ægypto, et tandem dedit tibi terram lacte et melle manantem. » Hoc semel factum quidam tradunt in ingressu terræ, sed singulis annis tradit Josephus has gratiarum actiones agendas in Scenopegia*. Imo bis in die, et vespere, et mane jugiter, testificanda ab eis dona Dei, dicit. Item: « Quando transieris Jordanem, ædificabis altare Domino, de lapidibus quos ferrum non tetigit, et offeres hostias Domino, et scribes super lapides omnia verba legis hujus plane et lucide (*Deut.* XXVII). » Item: « Postquam enumeravit Moyses benedictiones observantium legem, et maledictiones transgressorum, in fine maledictionum ait prophetando: « Reducet te Dominus classibus in Ægyptum; ibi venderis hostibus tuis in servos, et ancillas; et non erit qui emat (*Deut.* XXVIII). » Hæc prophetia postea impleta fuit, quando triginta Judæi etiam pro uno denario emebantur. In Alexandria enim, ut dicit Josephus, multa millia Judæorum sunt vendita, et vix habuerunt emptores. In hac recapitulatione ponit Josephus, ne venenum, aut mortiferum quid ullus Israelitarum habeat, et apud quem inventum fuerit moriatur, hoc patientes, quod ille contra quem confectum probatur, pateretur.

* *Additio* 1. In hujus rei memoriam, Judæi etiam adhuc ingressi synagogam eorum, cantant hunc psalmum: « Benedic, anima mea, Domino (*Psal.* CII), » in quo continentur beneficia eis præstita.

Cap. XVIII. *Quod Moyses tradidit Deuteronomium Levitis.*

Facta recapitulatione, tradidit Moyses Deuteronomium Levitis, ut reponerent eam [illud] in arcam fœderis Domini, ut septimo anno remissionis legeretur, universis utriusque sexus audientibus, in diebus Scenopegiæ, a summo sacerdote inedito ut ait

Digitized by Google

Josephus. Itemque ait Moyses : « Scio intentionem vestram, et cervicem durissimam. Adhuc vivente me vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum, quanto magis cum mortuus fuero (*Deut.* XXXI). » Ideo iterum moneo vos ne faciatis. Ideo vero quia in testimonium hujus admonitionis hominum mihi deest testimonium, aut inutile esset, quia mortales sunt, immortalia elementa in testimonium invoco.

CAP. XIX. *Canticum testimonii.*

Locutusque est Moyses, audiente universo cœtu, verba carminis hujus : « Audite, cœli, quæ loquor. Audiat terra verba oris mei, etc. (*Deut.* XXXII). » Cujus carminis hunc versum ad litteram tantum exponimus. Constituit terminum populorum juxta numerum filiorum Israel, id est secundum numerum personarum, quæ intraverunt Ægyptum posuerat Dominus nationes linguarum. Hebræus sic legit : « Constituit Dominus terminos populorum, sed terminos filiorum Israel constituit juxta numerum, » quasi dicat : Israel tanquam charum numeravit, alios quasi viles numero non distinxit. Alia editio habet : « juxta numerum angelorum Dei. »

CAP. XX. *De morte Moysi postquam benedixit populo.*

« Locutusque est Dominus ad Moysen eadem die : « Ascende in montem Abarim, in montem Nebo, id est per illum transi in istum, et vide terram Chanaam, et morere (*Deut.* XXXII). » Sed antequam ascenderet Moyses, benedixit filios Israel. Benedictionem vero incepit in hunc modum : « Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis. Apparuit de monte Pharan in dextera ejus ignea lex (*Deut.* XXIII). » Tradunt Hebræi quod Dominus misit angelos suos ad Idumæos, et ad ismaelitas in Pharan, et obtulit eis legem suam. Quam cum recipere nollent, venit ad Judæos in montem Sina, cum multis millibus angelorum. Datis benedictionibus singularum tribuum, « ascendit Moyses super Nebo, usque in verticem ipsius, qui dicitur Phasga, et ostendit ei Dominus omnem terram promissionis, usque ad mare novissimum, et partem australem, et latitudinem campi Jericho (*Deut.* XXXIV), » quæ alio nomine dicta est civitas Palmarum, usque Segor. Mortuusque est ibi Moyses in terra Moab, jubente Domino, et sepelivit eum Dominus ministerio angelorum « in valle terræ Moab, et non cognovit homo sepulcrum ejus, usque in hodiernum diem. » Quod ideo factum autumant Hebræi ne ipsi Moysen pro Deo colerent, quia proni erant ad idololatriam. « Moyses centum viginti annorum erat quando mortuus est, nec dum tamen caligaverat oculus ejus, nec dentes ejus moti sunt. Et fleverunt eum filii Israel triginta diebus. Et non surrexit ultra propheta in Israel, sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, » id est adeo familiariter. Hoc capitulum finale, ut ferunt, apposuit Esdras, sicut ab illo loco : « Ascendit Moyses, » usque ad hunc locum, ferunt Josue apposuisse.

HISTORIA LIBRI JOSUE.

Incipit præfatio in historiam libri Josue.

Liber Josue a nomine auctoris censetur, qui et Jesus dictus est. Nam Josue et Jesus idem est nomen. Cognominatus est autem a patre Jesus Nave, vel Josue Bennum, id est filius Nave, vel Nun ; quod idem est. Cognominatus est autem sic, ad differentiam Jesu filii Sirach pronepotis Jesu magni sacerdotis, qui scripsit Ecclesiasticum. Et nota quod secundum Hebræos hic incipit secundus ordo Veteris Testamenti. Qui distinguunt Vetus Testamentum in tres ordines. Primum vocant legem, secundum prophetas, tertium agiographa. In lege ponunt quinque libros Moysi ; in prophetis octo Josue, Judicum, Samuel, Malachim, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, duodecim prophetas. In agiographis * ponunt novem libros Veteris Testamenti, qui supersunt. Hi dicuntur agiographia, id est sanctorum scripta ; quod nomen commune est omnibus sacræ Scripturæ libris. Et quia hi novem non habuerunt eminentiam præ cæteris, secundum quam agnominarentur, communi nomine contenti sunt, sicut hoc nomen, confessor, generale est omnium sanctorum : et tamen quidam illorum, secundum eminentiam aliquam quam habent, aliis nominibus censentur, dicuntur alii apostoli, alii martyres, et hujusmodi. In hunc etiam modum ultimus ordo angelorum communi nomine omnium nuncupatur. Origenes autem secundum Græcos in primo ordine septem ponit libros, addens Pentateucho, Josue, et Judicum, et vocat ordinem illum heptateuchum, ab hepta, quod est *septem*, et teucos, quod est *volumen*. In quocunque autem ordine sit liber iste, historia non mutatur.

* *Additio* 1. Job, David, tres libri Salomonis, Daniel, Paralipomenon, Esdras, Esther, Sapientia, Ecclesiasticus, Judith, Tobias, Machabæorum, agiographa sunt, quia auctor ignoratur eorum ; sed quia de veritate non dubitatur, ab Ecclesia recipiuntur. Si autem nec auctor, nec veritas scietur, non reciperentur, ut liber De infantia Salvatoris.

CAP. I. *De Josue.*

« Factum est autem post mortem Moysi, » et quiescente luctu populi, qui pro eo factus est, « locutus est Dominus ad Josue filium Nun. Moyses servus meus mortuus est. Surge et transi Jordanem hunc, tu et omnis populus tecum ; sicut fui cum

Digitized by Google

Moyse, ero et tecum (*Jos.* I). » Eadem quæ Moysi promiserat, eisdem fere verbis promisit ei, et eosdem terminos terræ promissionis descripsit. Et nota quia cum dixit, « Moyses mortuus est, » suggillavit errorem quorumdam dicentium Moysen raptum cum Elia esse, et Enoch, quoniam nullum vestigium mortis ejus relictum est. Quod autem addidit, « servus meus, » destruit et aliorum errorem dicentium Moysen damnatum æternaliter, propter aquas contradictionis. Quod vero dixit, « surge, » locutio est, et non sensus. Non enim credendus esset sedisse, vel jacuisse cum loqueretur ei Dominus. Tunc præcepit Josue populo per præcones : « Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem. » Quod de cibariis aliis quam manna intelligendum est, quod in tertium diem reservari non poterat. Hoc de humano consilio dixit Josue. Neque enim transierunt Jordanem, usque in diem septimum. Exploratores enim quos tunc misit, per triduum morati sunt. post quorum reditum triduo exspectavit populus diminutionem aquarum, et præparavit sibi cibaria juxta mandatum Josue. Permisit ergo Dominus, ut ait Augustinus, errare Josue, ne deinceps simile aliquid sine divino consilio aggrederetur, præsertim cum Dominus dixisset Moysi in electione ejus, « Josue succedet tibi, pro eo si quid agere voluerit, Eleazar consulet Dominum (*Num.* XXVII). » Quod autem erraverit patet. Ignorabat enim utrum in tertium diem nubes attolleretur, sine cujus motu non moverentur castra. Quidam tamen asserunt hoc per anticipationem dictum, nec mandatum esse a Josue, donec redierunt nuntii.

CAP. II. *De exploratoribus, et Raab.*

Misit ergo Josue duos exploratores de Setim in Jericho (*Jos.* II) ; ipse vero interim movit castra, et metatus est ea spatio quadraginta stadiorum a Jordane. Exploratores autem sub simulatione fatuitatis diligenter consideraverunt urbem, et immunita loca ejus. In vespera declinaverunt in domum Raab meretricis, quæ juncta erat muro et portæ civitatis. Nuntiatum est autem regi Jericho cœnanti viros exploratores esse. Qui cum misisset ad Raab, ut educeret eos, absconderat eos in stipula lini, quam siccabat supra murum, mentiens eos egressos, cum clauderetur porta. Dixitque nuntiis : « Persequimini eos per viam Jordanis, et comprehendetis. » Tunc ascendens ad viros, quos operuerat, dixit eis : « Novi quod tradet vobis terram hanc, ex his quæ audivimus pro vobis facta a Domino. » Jurate ergo mihi per Dominum, ut quomodo ego feci vobis misericordiam, sic et vos faciatis mecum, et cum universa domo patris mei, ut salvetis animas nostras, et universa quæ possidemus. At illi juraverunt. Tunc dimisit eos mulier per funem coccineum de fenestra domus quæ hærebat muro, et ait eis : « Latitate in montanis tribus diebus, donec redeant, qui vos persequuntur. Qui dixerunt ei : Non tenebimur juramento, si non collegeris, cum capietur civitas, omnem domum tuam tecum, et ligaveris funem hunc in fenestra, ut hoc signo domum tuam cognoscamus. Quicunque ostium domus tuæ ingressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus, et nos erimus alieni. » Itaque post tres dies redierunt exploratores ad Josue, narrantes omnia quæ sibi acciderant : Josue vero et Eleazar, et majores populi ratum habuerunt juramentum eorum.

CAP. III. *De transitu Jordanis.*

Postea tribus diebus evolutis, dixit Josue ad populum : « Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia (*Jos.* III). » Diluculo vero dixit ad sacerdotes : « Tollite arcam, et præcedite populum spatio cubitorum duorum millium, ut videri possitis ab universis. Cumque intraveritis partem Jordanis, siccabitur instar pavimenti. » Cumque præcederent sacerdotes, cum arca sequebatur universa multitudo, parvulis et mulieribus in medio collocatis, præcedebantque Ruben, et Gad, et dimidia tribus Manasse secundum quod promiserant Moysi. Et erant sexaginta millia armatorum. In Paralipomenon legitur tantum quinquaginta : in quo multa vitio scriptorum depravata sunt. Accedentes autem ad Jordanem, repererunt eum immeabilem. Plus enim solito tempore triticeæ messis excreverat, tum pro solutione nivium facta in montibus, tum propter imbrem serotinum noviter datum. Cumque intrassent sacerdotes aquam, steterunt aquæ ascendentes, et instar montis intumescentes apparebant procul ab urbe quæ vocatur Adom, usque ad locum qui dicitur Sarthan. Inferiores vero aquæ descenderunt in mare Mortuum, ubi quinque civitates submersæ sunt, Sodoma, et aliæ (*Gen.* XIX). Sacerdotes autem stabant in medio fluminis cum arca, donec universus populus per arentem alveum pertransiret. Tunc elegit Josue duodecim viros, singulos de singulis tribubus, qui tulerunt de loco, ubi steterant sacerdotes, duodecim lapides, juxta numerum filiorum Israel in siccum (*Jos.* IV). De sicco vero retulerunt in alveum, alios duodecim in acervum memorialem transitus eorum, et sunt ibi usque in hodiernum diem. Ad quos Joannes creditur demonstrationem fecisse cum dixit : « Potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ (*Matth.* III). » Tamen super Matthæum legitur, ad illos quos Josue transferri de Jordane fecit. Cumque transisset populus, et arca post eos, reversæ sunt aquæ in alveum suum ; ascenditque populus de Jordane primo mense, decima die primi mensis, tollentesque secum duodecim lapides fluminis, castrametati sunt in Galgalis per stadia decem a Jericho ad orientem ; quinquaginta vero stadiis a Jordane. Josue autem construxit altare Domino de lapidibus quos tulerant de Jordane, et super illud postea sacrificavit Deo. Et nota quod sic legitur in *Chronicis* Eusebii. Secundum Hebræos, ille annus erat jubilæus, et erat quinquagesimus primus inter jubi-

Digitized by Google

lxxx; quasi fluxissent ab initio mundi anni duo millia quinginti quinquaginta, singulis jubilæis per quinquagenos annos deputatis. Secundum LXX vero, longe plures anni fluxerant ab initio mundi. Beda quoque in *Chronicis* suis ponens numerum annorum, secundum Hebraicam veritatem, probat de prædicta summa annorum septem annos defuisse [*a.* defluxisse].

CAP. IV. *De circumcisione in Galgalis.*

Eo tempore ex præcepto Domini circumcidit Josue populum secundo « cultris lapideis (*Jos.* v), » tamen Hebræus habet « novaculis acutis, » nec intelligendum est quod idem homo iterum circumcideretur; sed parvuli, qui nati fuerant in deserto per quadraginta annos incircumcisi erant, alii ex mandato Domini, alii vero ex negligentia parentum, alii vero ex eorumdem cautela, ne forte mox circumcisis attolleretur nubes, et necesse haberent progredi, et sic periclitarentur parvuli. Facta autem circumcisione dixit Dominus ad Josue : « Hodie abstuli a vobis opprobrium Ægypti, » id est præputium, quod apud Hebræos erat opprobrium immunditiæ gentium. Ob hoc vocatum est nomen loci illius collis præputiorum, vel Galgala *, id est *revelatio*, quasi sanctificatio, secundum illud : « Facta est Judæa sanctificatio ejus (*Psal.* CXIII). » Potest tamen dici, opprobrium ab eis ablatum, servitus Ægypti, et labor deserti, quod congruit, secundum aliam nominis interpretationem. Interpretatur enim Galgala *libertas*. Porro mansit populus in castrorum loco donec sanaretur, et fecerunt Phase quarta decima die ad vesperam in campestribus Jericho, quod nondum nisi bis factum fuerat : primo in finibus Ægypti circa Ramasse; secundo ad radicem montis Sina, secundo anno egressionis. Ex tunc intermissum fuerat, cum circumcisione, usque ad terram promissionis. « Et comederunt de fructibus terræ die altero azymos panes, et polentam ejusdem anni. » Est autem polenta grana tosta, et manibus confricata ad modum grani pilo tusi. Et dicitur polenta, quasi pelrenta. Quidam tamen tradunt polentam esse pultes de purgatissima farina factas. Et dictam polentam, quasi pollentam, a polline quod est purgatissima farina, cujus nominativus est pollen, vel pollens. Statimque defecit eis manna, quo alliti fuerant quadraginta annis.

* *Additio* 1. Nota quod Galgalis, quandoque ponitur indeclinabile, quandoque primæ declinationis, ut Galgala Galgalæ, quandoque neutri generis, et secundæ declinationis, ut Galgala Galgalorum.

CAP. V. *De angelo apparente Josue, et eversione Jericho.*

Eadem nocte cum esset Josue in agro Jericho ad explorandum, « vidit virum stantem contra se » evaginato gladio, « et ait : Noster es, an adversariorum? Qui respondit : Nequaquam, sed princeps sum exercitus Domini, et nunc venio (*Jos.* v). » Et docuit eum angelus de modo capiendi civitatem, et quod eam, et universa ejus faceret anathema * : anathema, id est ab usu hominum seorsum remota. Cumque adorasset Josue pronus ad terram, dixit ei angelus : « Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas sanctus est, » quod intelligendum est, sanctificatus est. Qui enim pollutus erat in habitatione gentium, ad præsentiam Domini per angelum sanctificatus est. Porro per nuditatem pedum in hujusmodi locis sanctis, et in pœnitentibus, potest notari innocentia, quæ talibus congruit. Eam enim habuerunt primi parentes nudi. Dilueulo autem, juxta consilium angeli, septem sacerdotes, septem buccinis clangebant ante arcam, omnisque populus armatus præcedebat arcam, et reliquum vulgus sequebatur eam; circumieruntque civitatem primo die Azymorum semel, et sub silentio, et redierunt in castra (*Jos.* VI.) Sic fecerunt sex diebus. Die autem septimo septies eam circumierunt, et in circuitu septimo dixit Josue ad populum. « Vociferamini, et ascendite, sitque hæc civitas anathema, » quasi devotata in mortem, præter aurum, et argentum, et æs, et ferrum, quod conservabitur Domino in primitias operum nostrorum, sola Rahab cum suis salvabitur. Igitur vociferante populo, et clangentibus sacerdotibus cum buccinis, « muri funditus corruerunt. Et ascendit quisque per locum, qui contra se erat, et interfecerunt omne vivens in ea et combusserunt eam, et omnem supellectilem in ea in tumulum Domino sempiternum. » Rahab vero honoratam muneribus, cum omni domo sua, receperunt in Israel in perpetuum. Quam procedente tempore duxit Salmon ** in uxorem princeps in tribu Juda. Tunc imprecatus est Josue dicens : « Maledictus, qui reædificaverit Jericho in primogenito suo fundamenta illius jaciat, et in novissimo liberorum ponat portas ejus, » quod impletum est, ut post liquebit.

* *Additio* 1. Anathema dicitur, quasi *seperatum*. Unde anathema dicebatur civitas, quando quæcunque cum ea capiebantur, comburebantur omnia, et fiebat cineris cumulus acceptus Domino; nihil inde separabatur, præter ea, quæ transierunt per ignem, quæ non incinerantur, sed potius in igne purgantur, quæ etiam eadem, in igne purgata, in usum tabernaculi et templi, et vasorum reservabantur, omnia scilicet metallina.

** *Additio* 2. Qui genuit Booz, avum illius Booz qui genuit Obeth. Tres enim continui, pater, filius, nepos dicti sunt Booz, et ideo Matthæus unum tantum posuit (*Matth.* I.)

CAP. VI. *De lapidatione Achor.*

Porro Achor, vel Achar [*al.* Achim], filius Charmi, de Tribu Juda, tulit aliquid de anathemate (*Jos.* VII), chlamidem scilicet coccineam contextam auro, habentem, secundum Josephum, auri pondus mazam, id est *massam*, id est ducentos siclos, tulitque totidem siclos argenti, regulamque auream, vel regulam quinquaginta siclorum. Misitque Josue viros

Digitized by Google

le Jericho, qui explorarent civitatem Hai, quæ est juxta Bethel. Qui revertentes dixerunt : « Non ascendat omnis populus. Sufficiunt tria millia ad capiendam urbem. » Josephus tamen dicit triginta millia. Qui cum ascendissent terga vertentes percussi sunt a viris urbis Hai, et corruerunt ex eis triginta et sex viri. Josue vero scidit vestimenta sua, et jacuit pronus coram arca, usque ad vesperam, et senes populi cum eo saccis induti : et liquefactum est cor populi. Verebantur enim ne timor eorum, qui invaserat Chananæos transiret in audaciam, adeo ut impetum facerent in ipsos. Dixitque Dominus ad Josue : « Pollutus est populus anathemate, nec ero cum eo, donec mundetur. Applica cras populum ad te, et fac sortem per tribus, et familias, et domus, et capita. Et quemcunque sors invenerit comburetur igni cum omni substantia sua. » Quo facto invenit sors tribum Judæ, deinde familiam Zare, tandem domum Charmi, ad ultimum caput Achor, et dixit ei Josue : « Fili, da gloriam Deo, confitendo quid feceris. » Quo confesso, missi sunt nuntii ad tentorium ejus, qui præfatam pecuniam reconditam in terra retulerunt ad populum. Tollens itaque Josue illum, cum universa domo ejus, universa supellectili, et jumentis, duxit eum in vallem profundam, lapidavitque eum omnis populus, et cuncta quæ illius erant igne consumpta sunt : « Feceruntque super eum acervum lapidum qui permanet, usque in præsentem diem. Vocatumque est nomen loci illius vallis Achor. » Nec putandum est populum neglexisse mandatum Domini, quo præceperat eum comburendum. Nam in sacra Scriptura ignis pro vehementi pœna accipi solet, ut ibi de fornace ferrea Ægypti (*Jer.* xi), putant tamen Hebræi Dominum præcepisse lapidari ipsum, et alia, quæ lapidibus obrui possent, cætera, quæ lapides non sentirent, igne cremanda. Tradit tamen Augustinus Josue fecisse hoc quadam consideratione. Aut enim pœnituit Achor, et sic dignus non erat igne gehennali, et sic illum noluit urere, qui dignus igne non erat. Vel si non pœnituit, et dignus erat igne æterno, reservavit Domino pœnam ignis. Punivitque eum alio genere pœnæ, ne videretur bis punitus in idipsum.

CAP. VII. *De incendio Hai.*

Postea surrexit Josue, et omnis populus cum eo ut ascenderent in Hai, et præmisit triginta millia virorum inter Bethel, et Hai ad occidentem (*Jos.* viii). Qui dimissis in locum insidiarum quinque millibus, redierunt ad exercitum qui erat ad aquilonem. Rex autem Hai festinavit mane egredi cum omni populo suo, ignorans quod post tergum laterent insidiæ. Josue vero fugiens, cum longius protraxisset eos ab urbe, elevavit clypeum quem gerebat *. Quo viso, surrexerunt, qui erant in insidiis, et intrantes urbem, succenderunt eam. Quibus egressis post hostes, et Josue faciente impetum in eos, ex utraque parte cædebantur adversarii, et interfecerunt omnes a viro usque ad mulierem, duodecim millia hominum, prædam vero sibi diviserunt, suspendentes regem Hai in patibulo, usque ad vesperam, et tunc deponentes eum, projecerunt eum in introitu civitatis, congesto super eum acervo lapidum, succendentesque urbem fecerunt eam tumulum sempiternum. Hic præoccupat historiam de altari illo quod factum est inter Garizin et Hebal, super quo scripsit Josue Deuteronomium, et de benedictionibus et maledictionibus factis super montes illos, de quibus loco suo dicemus.

* *Additio* 1. Ex eo quod clypeos habebant, conjici potest quod equos habebant, clypeos enim ferre pedites, vix possent.

CAP. VIII. *De dolo Gabaonitarum, et mulcta.*

Gabaonitæ vero audientes, quæ fecerat Josue duabus urbibus, et quod ex mandato Domini nulli parceret, habitantium in terra promissionis, nec amicitias cum eis faceret, callide cogitaverunt inire fœdus cum Israel, miseruntque nuntios, quasi de longinquo venientes, qui in argumentum longi itineris utres ferebant, et sotulares veteres, et pittaciis consutos, panesque in sistartiis eorum duri erant, et muscidi, et in frusta comminuti (*Jos.* ix). Qui cum venissent in Galgalis dixerunt ad Israel. « De terra longinqua venimus, quæ est extra terram, quæ sorte vobis debetur servi vestri sumus, inite nobiscum fœdus. » Crediderunt que eis filii Israel, et os Domini non interrogaverunt. Initoque cum eis fœdere, juraverunt eis Josue, et Eleazar, et omnes principes multitudinis. Post triduum vero cognovit Israel se circumventum esse a Gabaonitis, moventesque castra, venerunt, ut everterent civitates eorum, egressique sunt Gabaonitæ obviam eis, et ait Josue : « Quare imposuistis nobis. » Qui dixerunt. « Timuimus valde, et de consilio providimus animabus nostris, facite quod bonum vobis, et rectum videtur. » Tunc acclamavit populus non esse standum juramento, quod per subreptionem factum erat, et præsertim cum Dominus inhibuisset talibus confœderari. Majores vero qui juraverant, pro religione jurisjurandi servanda et murmuri populi sedando, sic dispensaverunt, ut non haberent eos socios, sed servos aquarios, et lignarios, et dicti sunt Natinæi, qui scilicet ligna cæderent, et aquas comportarent in usus altaris, in locum quem sibi Dominus elegisset. Quo facto rediit Israel in Galgalis.

CAP. IX. *De quinque regibus suspensis.*

Eo tempore regnabat in Jerusalem Adonisedech (*Jos.* x), qui interpretatur *Dominus justus;* forte sic vocabantur reges Jerosolymorum. Nam et Melchisedech sonat *regem justum.* Qui cum audisset Gabaonitas fœderatos cum Israel, timuit valde, et convocavit quatuor reges secum, et ascenderunt quinque reges Amorrhæorum, et obsederunt Gabaon. Obsessi autem miserunt ad Josue dicentes : « Ascende cito, et libera nos. » Qui, collecto exercitu, irruit repente super hostes, et versi sunt in fugam per descensum Bethoron. Et Dominus misit grandinem super eos, et plures occidit grando, quam gladius. Videns autem Josue solem descendentem ad occasum

Digitized by Google

et lunam ascendentem, timens ne beneficio noctis evaderent hostes, clamavit ad Dominum, dicens: « Sol contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Ailon. » Steteruntque sol, et luna spatio unius diei *, nec antea, nec postea fuit tam longa dies. Quinque vero reges absconderunt se in spelunca urbis Maceda. Præcepitque Josue sociis suis, et ait: « Volvite saxa ad os speluncæ, et apponite custodes, vos autem persequimini hostes. » Cæsis itaque adversariis plaga magna, rediit exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erat castra sana, et integro numero. Et ait Josue: « Producite quinque reges de spelunca. » Quibus eductis, dixit ad principes exercitus: « Ponite pedes super colla regum istorum, ne timeatis. Sic faciet Dominus cunctis hostibus vestris. » Quo facto, suspenderunt reges in patibulis, depositosque ad vesperam projecerunt in speluncam in qua latuerant, et posuerunt super os ejus saxa in tumulum sempiternum. Eadem die percussit Macedam et regem ejus in ore gladii. Postea vero vastavit Lebnam et Lachim, Eglon quoque et Hebron, et Dabir, et reversus est cum omni Israele ad locum castrorum in Galgala.

* *Additio* 1. Sub Ezechia, decem horæ additæ sunt (*IV Reg.* xx; *Isa.* xxxviii), hic unus dies.

Cap. X. *De viginti quatuor regibus percussis a Josue.*

Quod cum audisset Jabin rex Asor, misit ad omnes reges circumstantes (*Jos.* xi). Egressique sunt viginti quatuor reges, cum turmis suis, habentes secum trecenta millia armatorum, et duo millia curruum, convenerunt ad aquas Merom, alias Meros, ut pugnarent contra Israel. Dixitque Dominus ad Josue: « Ne timeas eos, cras tradam tibi omnes vulnerandos, equos eorum subnervabis, et currus igne combures. » Factumque est ita. Percusserunt-que omnes filii Israel, præter eos, qui in civitates munitissimas se receperunt. Fecerant enim sibi Chananæi plures munitiones prævalidas a die qua audierant egressum Israel ab Ægypto adversum se, nec eas nisi longo tempore et gravi labore obtinuit Israel. Vastavit tamen universam circa regionem, nulli ætati hominum parcens aut sexui, ditatusque est supra modum ex hostium præda.

Cap. XI. *De altare in Hebal, et prima distributione terræ.*

Quintus jam annus transierat et transtulit Josue locum castrorum in Silo, et ibidem transtulit tabernaculum, cum omni ornatu suo, pro loci opportunitate. Et inde processit in Sichem cum omni populo, et constituit in monte Hebal altare Domino de lapidibus impolitis, obtulitque super eo holocausta et pacifica (*Jos.* viii). Scripsitque super illud Deuteronomium, quod quidam intelligunt mandata tantum Deuteronomii. Posuitque mediam partem populi sui super montem Hebal cum sacerdotibus et Levitis, aliamque mediam in montem Garizim cum Sacerdotibus et Levitis. Et acclamaverunt sibi alternatim benedictiones, et maledictiones, sicut mandaverat illis Moyses. Porro Josephus tradidit, maledicta, et benedicta in altari conscripta, reliquisse. Quo facto redierunt Silo. Concessit autem Josue tribu Jude montana ad meridiem, quæ jam acquisierant; sed nondum sorte tradidit. Ephraim quoque concessit montana ad aquilonem, inter utrumque mediam tribum Manasse collocans. His tribubus commisit terram, aliis in castris manentibus, tum quia bellicosæ erant, tum quia digniores. Sciebat enim inde regnum esse promissum, et Manasse et Ephraim benedixisse Jacob pro beneficio Joseph patris eorum. Sed ipse quoque Josue Ephraita erat, dedit autem Ephraim extra sortem aliorum agrum Sichem, quem dederat Jacob singulariter Joseph filio suo, et sepelivit in eo ossa Joseph. Hieronymus tamen testatur se vidisse in Sichem sepulcra aliorum undecim patriarcharum; et credibile est quod quæque tribus suum patriarcham retulit in suam sortem.

Cap. XII. *Quod Hebron data est Caleb.*

Accessit autem Caleb filius Jephone ad Josue coram omni populo, et ait: « Nosti quæ locutus sit Dominus de me, et de te ad Moysen, et quod juravit mihi Moyses in reditu ab exploratione dicens: Terra quam calcaverit pes tuus erit possessio tua in æternum. Pollicitusque est mihi Dominus terram, in qua invenimus Enacim, te audiente. Quadraginta et quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum hoc, et hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens, ut eo tempore valebam (*Jos.* xiv). » Benedixitque ei Josue, et tradidit ei Ebron in possessionem, et quievit terra a prœliis.

Cap. XIII. *Quomodo Josue sorte divisit terram decem tribubus.*

Iterum convocavit Josue Ecclesiam in Silo, et ait: « Senui; bonum est, ut terram, quam promisit nobis Dominus, sorte dividamus (*Jos.* xviii). » Et assumpsit de singulis tribubus tres industrios viros, ad considerandam terram, deditque eis decem viros metiendi peritos, quos propter artem veritas non lateret, mandans eis ne secundum quantitatem terram metirentur, sed secundum æstimationem felicis terræ, et quæ minus esset idonea. Nam sæpe pluris sunt decem jugera quam centum, et quod in scriptis redigerent terræ divisionem. Viri autem circumeuntes terram et æstimantes, septimo mense reversi sunt ad eum in Silo, projectisque sortibus prima sors Judæ egressa est, secunda Simeonis, tertia Benjamin (*Jos.* xxi). Hæc sors angustissima fuit propter terræ fertilitatem. Tulerunt enim Jericho, et Jerosolymam. Quarta Ephraim, quinta medietati Manasse, sexta Issachar, septima Zabulonitis, octava Aseritis, nona Nephtali, ultima Danitis. Et notandum quod secundum concessionem terræ prius factam duabus tribubus et dimidiæ, et traditionem postea factam, secundum sortes, novem tribubus et dimidiæ, varie quandoque loquuntur

Digitized by Google

auctores. Legitur enim quod Judas habuit terram sine sorte, et quod obtinuit Jerusalem, nec potuit inde ejicere Jebusæum, quæ de concessione dicta sunt. Alibi legitur quod Benjamin possedit Jerusalem, quod de traditione dictum est. Iterum legitur quod Josue locutus est septem tribubus dicens: « Usquequo torpetis ignavia. Date mihi viros, qui dividant vobis terram (*Jos.* XVIII). » Cumque hoc omnibus dixisset, septem tantum legitur hoc dixisse, quia duæ tribus, et dimidia terram concessam, quasi traditam possidebant. Inde est quod hoc nomen Judæa diversis modis accipitur. Quandoque dicitur Judæa tota terra promissionis, et tunc a Judæis dicitur, secundum quod dicitur Pompeius Judæam fecisse tributariam, quandoque Judæa tantum regnum Juda, ut ibi: « Audivit Joseph quod Archelaus regnaret in Judæa (*Matth.* II). » Quandoque pro sola sorte Judæ, ut ibi: Judæa et Jerusalem, id est sors Judææ et Benjamin. Si ergo circa hoc sibi obloqui videntur auctores, determinandum est secundum terram concessam, vel traditam. Nam Judas et Ephraim majorem habuerunt concessam, vel traditam. Soli autem duo Josue et Caleb, quasi privilegiati, sine sorte terram habuerunt *. Caleb Hebron habuit, Josue Tamnatha, vel Tannasara, et etiam Sichem, secundum Josephum. Hanc partem elegit sibi Josue post distributionem omnibus factam tanquam bonus dispensator. (*Jos.* XXI.) Sed et Levitis separavit quadraginta et octo civitates, ad inhabitandum, quarum decem prius acceperant in Amorrhæa. De reliquis triginta octo tres constituit civitates refugii, Hebron de Juda, Sichem ex Ephraim, de Nephtalim Cedes (*Jos.* XV). Tunc locuti sunt filii Joseph ad Josue: « Cur dedisti nobis quasi possessionem unius funiculi, cum simus tantæ multitudinis? » Responditque Josue ad Ephraim et Manasse: « Populus multus es, et fortis, non eris contentus sorte tua, sed transibis ad montem, et poteris ultra terminos terræ promissionis procedere, et parare tibi locum (*Jos.* XVII). »

* *Additio* 1. Potuit esse, ut nunc est, quod in eadem civitate diversi habuerunt quod sui juris erat, quod sæpe in singulis videmus fieri.

CAP. XIV. *De irriguis Axæ datis a patre Caleb.*

Eo tempore ascendit Caleb in terram sibi traditam, et percussit in Hebron * tres filios Enach (*Jos.* XV). Et ascendens inde, obsedit civitatem Dabir, quæ prius vocabatur Cariatsepher, id est *civitas litterarum*. Cives enim ejus scriptores erant. Quam cum invenisset munitam, ait: Qui primus percusserit urbem hanc, et ceperit, dabo ei Axam filiam meam uxorem cum ea, et cepit eam Othoniel, filius Cenem, frater Caleb junior eo. Erant autem uterini fratres tantum **. Nam ille filius Jephone, iste vero filius Cenem dicitur, nisi forte pater eorum binominus fuerit. Dedit itaque Caleb filiam suam Axam fratri suo in uxorem ***. Quæ cum pergeret cum viro ad urbem traditam sibi, suasa est a viro suo, ut peteret a patre suo agrum in convallibus. Suspiravitque, et flevit ut sedebat in asino. Cui Caleb: « Quid habes, inquit? At illa: Da mihi benedictionem. Terram arentem dedisti mihi, junge et irriguam. Deditque Caleb ei irriguum superius, et irriguum inferius ****, id est agros irriguos circa civitatem ab oriente et occidente.

* *Additio* 1. In Paralipomenon dicitur Hebron Cariatharim, id est *civitas silvarum*, vel Cariathbaal, id est *civitas muscarum*, vel virorum.

** *Additio* 2. Hæc nota determinat objectionem, quæ de eo fieri potest, et Caleb obviabat legi jam datæ, dando fratri nepoti suo filiam suam.

*** *Additio* 3. Nota quod Caleb maluit servare votum suum, quam legem, quæ interdicit matrimonium cum filia fratris, nisi forte lex intelligatur de filia fratris ex patre.

**** *Additio* 4. Redemptionem excelsarum, et redemptionem humilium, subaudit fluentorum.

CAP. XV. *De reditu duarum tribuum et dimidiæ.*

Eodem tempore cum jam quartus decimus transisset annus, dixit Josue Ruben et Gad, et dimidiæ tribui Manasse: « Fecistis quæ præcepit vobis Moyses, famulus Dei: Et quia dedit Dominus fratribus vestris quietem, revertimini ad terram possessionis vestræ, ita duntaxat ut custodiatis legem Dei, et colatis eum, nec eatis post deos alienos, quia arcam et tabernaculum non habebitis. Fratres sumus et servi unius Dei, licet interjecto flumine separemur. In multa substantia reditis, dividite eam cum fratribus, qui remanserunt. Qui revertentes venerunt ad tumulos Jordanis (*Jos.* XXII). » Sic enim dictus est locus per quem transierunt, alius per quem transierunt filii Israel dicitur vada Jordanis. Et ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis, vocantes hoc nomine illud. Testimonium nostrum, quod Dominus ipse est Deus. Videturque Josephus velle quod altari superinscripsissent illud. Cumque redissent ad propria, nuntiatum est Josue et his qui remanserant de ædificatione altaris, et arbitrati sunt illos erexisse illud, ut immolarent super eo victimas; quod non licebat nisi super altare quod statuerat Deus ante tabernaculum. Cumque arripuisset arma, ut deleret eos, de consilio missus est ad eos Phinees, et decem honorati cum eo, qui dixerunt ad eos: « Quæ est ista transgressio? Cur reliquistis Deum Israel, et cultum ejus, ædificantes vobis altare sacrilegum? At illi responderunt: Absit a nobis hoc scelus! alioqui Deus ipse quærat, et judicet. Sed timuimus, ne cras dicerent filii vestri filiis nostris: Quid vobis, et nobis? Quid vobis, et Domino Deo Israel? Terminum posuit Dominus inter nos, et vos. Quamobrem memoriale hoc erximus in signum, quoniam fratres vestri sumus, et Deicolæ vobiscum. His auditis placatus est Phinees. Et cum retulisset verba hæc ad omnem populum, laudaverunt Deum. » Hoc videtur quibusdam factum esse, quod legitur in libro Judicum, quod angelus Domini transierit de Galgala ad locum flentium (*Judic.* II). Sed quia

Digitized by Google

potius videtur Augustino, hoc factum esse post mortem Josue, non enim ausi fuerunt filii Israel, eo vivente, aperte recedere a Deo, nos illud loco suo explicabimus.

CAP. XVI. *De fœdere quod statuit populus ad Deum.*

Evoluto autem multo tempore congregavit Josue omnem Israel in Sichem, et ait : Ego hodie ingredior viam universæ carnis, et scio vos pronos ad irritandum Deum. « Eligite hodie, quod placet, cui potissimum servire debeatis, utrum diis quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis, ego autem et domus mea serviemus Domino. » Et ait populus : Domino serviemus, absit ut ab eo recedamus! Et dixit Josue : Testes vos estis, quia hodie elegistis vobis Dominum. Et responderunt : Testes sumus (*Jos.* XXIV). Et ascenderunt in Silo, ut starent coram Domino. Percussitque populus in die illa fœdus cum Domino, et in signum fœderis effudit Josue aquam super terram. Mos erat gentibus, in signum et robur fœderis initi, sanguinem suillum effundere, quasi dicerent : Sic effundetur sanguis illius qui violaverit hoc fœdus. Hebræi vero aquam fundentes, atrociorem pœnam in violatorem indicabant. Alii enim liquores non effunduntur de vase, quin aliquod vestigium sui in eo relinquant. Solus aquæ liquor prorsus effunditur. Quod faciebant Hebræi in fœdere inito cum Domino, quasi dicerent : Non solum violator hujus fœderis peribit, sicut in aliis fit fœderibus, sed tota progenies ejus peribit cum eo, ut nullum vestigium ejus appareat super terram. « Scripsitque Josue in die illa verba hæc in volumine legis Dei, » id est in libro hoc, « et tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat ante sanctuarium Domini, et ait : En lapis iste erit vobis in testimonium. » Solebant enim veteres hujusmodi durabilia erigere, ut sui diuturnitate posteris initum fœdus in memoriam revocarent. Dimisitque Josue populum, singulos in possessionem suam.

CAP. XVII. *De morte Josue et Eleazar.*

« Post hæc mortuus est Josue, cum esset centum et decem annorum (*Jos.* XXIV). » Quadraginta quatuor annorum erat cum accessisset ad Moysen, et quadraginta annis servivit ei in deserto. Ex quo colligitur quod viginti sex annis rexit populum trans Jordanem, et sepelierunt eum in Tamnathsara, quæ sita est in monte Ephraim. Eleazar quoque mortuus est, et sepelierunt eum in Gabaa Phinees * filii ejus, quæ data est ei in monte Ephraim, qui successit patri in sacerdotium.

* *Additio* 1. Gabaa Phinees potest esse nomen civitatis a Phinees ibi sepulto, vel possunt esse duæ dictiones.

Incidentia.

In diebus Josue Erictonius primus junxit quadrigam in Græcia, erat quippe apud alias nationes. Busiris tyrannidem exercuit in hospites. Phœnix et Cadmus de Thebis Ægyptiorum in Syriam profecti, in regione Tyri et Sidonis regnaverunt. Sed Cadmo recedente in Græciam, terra a Phœnice Phœnicia dicta est. Europæ, filiæ Phœnicis, Jupiter mistus est. Danaus per quinquaginta filias, quinquaginta filios Ægisthi fratris sui interfecit, uno tantum superstite, qui regnavit post eum.

HISTORIA LIBRI JUDICUM.

CAP. I. *Præfatio.*

Liber Judicum Hebraice Sophetim dicitur, qui judices describit, usque ad Heli sacerdotem, et ob hoc dicitur Judicum tanquam materia. Videtur tamen quibusdam ab auctoribus sic nominatus, ut quasi chronice scribendo, quisque judicum tempus suum in actis redegerit. Quis autem in unum compegerit dubium est. Dicunt quidam quod Samuel, alii quod Esdras. Verisimilius videtur quod Ezechias, qui parabolas Salomonis, et librum Regum in unum collegit. Si quæritur quare Josue et Moyses inter judices non annumerentur, dicimus quia non solum judicaverunt populum, sed et rexerunt. Ceteri vero nil juris in populo habuerunt, nisi quod in tribulationibus suis consilio et prudentia eorum populus utebatur.

CAP. II. *Quomodo Judas pugnavit contra Chananæum.*

Et factum est post mortem Josue consulit populus Dominum per Phinees : « Quis ascendet ante nos contra Chananæum, et erit dux belli. Et dixit Dominus : Judas (*Jud.* I.) » Non personam, sed tribum designans. Creditur tamen Caleb præfuisse populo, sed pro modicitate temporis, nec rectoribus, nec judicibus annumeratus est. Et ait Judas Simeoni : « Ascende mecum in sortem meam, et pugna contra Chananæum, et ego pergam tecum in sortem suam. » Non tamen legitur Simeon propriam postea habuisse sortem, sed adhæsit Judæ, ut impleretur quod prædixerat Jacob de Simeon et Levi. « Dividam eos in Jacob, et dispergam in Israel (*Gen.* XLIX). » Ascenderuntque Judas et Simeon in Besec, et percusserunt in eo decem millia virorum. Comprehendentesque Adonibesec, id est *dominum Besec*, adonai enim *dominum* sonat, inciderunt summitates manuum et pedum ejus. Hebræus tamen sermo videtur sonare pollices. Quibus cæsis non est idoneus homo ad arma ferenda. Et ait Adonibesec : « Merito patior hoc, id ipsum enim feceram septuaginta regibus, qui colligebant sub mensa

Digitized by Google

mea ciborum reliquias. » Et ascendentes in Jerusalem percusserunt eam, tradentes incendio, et reliquerunt ibi Adonibesec, et mortuus est. Nec intelligendum est, quod filii Israel tunc habuerunt Jerusalem in ditione sua, expulso Jebusæo. Hoc enim factum non est usque ad tempora David, qui expulsis Jebusæis sedit in ea, et transtulit eam de Benjamin in sortem regum. Hoc videtur quibusdam recapitulando dictum, et factum esse vivente Josue ante distributionem sortium, quando concessa sibi Judas habebat Jerusalem, et totum recapitulando dictum, usque ibi : « Et surrexerunt alii, qui non noverant Dominum (*Jud.* II). » Alii tradunt eo ordine dictum esse quo factum, et ibi demum inchoant recapitulationem, « dimisit ergo populum, etc. (*Jos.* XV.) Ascendit et Caleb in Hebron terram, scilicet gigantum, et percussis hostibus, plenius possedit eam. Et recapitulat hic historiam, quod supra diximus factum in Ariathsepher. Cepitque Judas Gazam, et Ascalon, et Accaron cum finibus suis. Nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.

* *Additio* 1. Hoc etiam vult Augustinus, ordine suo dictum in Josue præoccupatum.

CAP. III. *De Cinæis, et transgressione populi.*

« Filii autem Jethro Cinæi, cognati Moysi, ascenderunt de civitate Palmarum cum filiis Juda in desertum sortis ejus, quod est ad meridiem (*Jud.* I). » Isti sunt filii Jobal fratris Sephoræ, uxoris Moysi, qui, relicto patre et patria, secutus est Moysen, et deinceps habitavit in medio filiorum Israel. Civitas autem Palmarum dicitur hic Engaddi. Vel qui a Jericho sic solet appellari, et forte de campestribus ejus, ubi erant cum Bejamin, transtulerunt se ad Judam. Benjamin autem post Judam ascendit in Jerusalem. Hinc putant quidam eam fuisse communem. Nec potuit ejicere Jebusæum, sed permisit eum habitare secum in tributo. Ephraim quoque ascendit in Bethel, quæ prius vocabatur Luza. Videntesque hominem egredientem de obsessa civitate dixerunt ei. « Ostende nobis introitum civitatis, et faciemus tecum misericordiam. » Quo ostendente percusserunt eam, hominem vero et domum ejus ditaverunt. Qui transiens in terram Etthim, edificavit ibi civitatem, et vocavit eam Luzam. Nec delevit Ephraim Chananæum, sed passus est eum vivere sub tributo. Similiter, et reliquæ tribus cum essent confortatæ, maluerunt eos habere tributarios quam delere, transgredientes mandatum Domini, et converterunt se ad agriculturas. Qui ad divitias se tradentes per epulas et libidinem, jam imbelles facti, in conversatione legum integri non erant.

CAP. IV. *De loco Flentium in Galgalis.*

« Angelus autem Domini apparuit in Galgala, et cum convenissent filii Israel ad eum, de finibus, transtulit se ad alium locum, et insecuti sunt eum (*Jud.* II). » Cumque improperasset eis Dominus per angelum beneficia, quæ eis contulerat, addidit. « Cur inistis fœdus cum habitatoribus terræ hujus, et reservastis aras eorum, et noluistis audire vocem meam. Quamobrem dii eorum erunt vobis in ruinam. » Hæc angelo loquente, elevaverunt vocem suam, et fleverunt, et vocatum est nomen loci illius, locus Flentium, cognominatus ab eventu, sicut Galgala *Collis præputiorum*. « Immolaveruntque ibi hostias Domino. » Porro hic recapitulat historiam de Josue ad continuandam ordinis seriem dicens : Dimisit ergo Josue populum, et abierunt filii Israel unusquisque in possessionem suam, servieruntque Domino cunctis diebus Josue et seniorum, qui post eum vixerunt, et noverunt opera Domini, quæ fecerat cum Israel. Mortuus est autem Josue, et omnis generatio seniorum congregata est ad patres suos. »

CAP. V. *De Othoniele populi liberatore, et ejus morte.*

« Et surrexerunt alii, qui non noverunt Dominum (*Jud.* II), » id est non viderant virtutes ejus, quas fecerat eis in exitu de Ægypto in deserto, et in ingressu terræ promissionis. « Feceruntque malum in conspectu Domini, et servierunt Baal et Astharoth, et diis terræ, contraxeruntque conjugia cum alienigenis (*Judic.* III). » Quamobrem indignata divinitas, non delevit gentes de medio eorum, ut essent eis in aculeum et laborem. « Et tradidit eos Dominus in manibus Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ et Syriæ. Servieruntque eis octo annis, et clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis liberatorem Othoniel, fratrem Caleb, quem Josephus Cenem vocat, quasi equivocum patri. Et dicitur Cenem, quasi Cenezæus a loco. Et fuit Dominus cum eo, et pugnavit adversus Chusan Rasathaim, et oppressit eum, et quievit terra quadraginta annis. Et mortuus est Othoniel. » Hic dicit Josephus, occisionem in Benjamin factam pro uxore Levitæ; quod nos infra ponemus, sequentes ordinem hujus libri. Et nota quod Hebræi sub hoc numero comprehenderunt annos servitutis et quietis, et similiter sub aliis judicibus. Aliter non staret historia.

Incidentia.

In diebus Othoniel Cadmus regnavit Thebis ex cujus filia Semele natus est Dionysius Liber pater. Bithynia condita est a Phœnice, qui Phœnicibus quasdam tradidit litteras, et ad scribendum vermiculum instituit. Unde, et color ille Phœniceus dictus est quo postea littera mutata Puniceus dicitur. Eppira, quæ nunc Corinthus dicitur, a Sysipho condita est. Minos filius Europæ regnavit in Creta.

CAP. VI. *De Aod, et Sangar liberatoribus Israel.*

« Addiderunt autem filii Israel facere malum in conspectu Domini. Qui suscitavit adversus eos Eglon regem Moab, et copulavit ei filios Ammon et Amalec (*Judic.* III). » Qui transiens Jordanem percussit Israel, et posuit idola sua in Galgala, et fecit sibi domum in urbe Palmarum, id est Jericho, et servierunt ei filii Israel decem et octo annis, et clamaverunt ad Dominum. Qui suscitavit eis salvatorem, Aod, filium Gera filii Gemini. Qui utraque manu utebatur pro dextera. Geminum quidam di-

Digitized by Google

cunt fuisse quemdam virum in Benjamin, qui posteris suis sæpe legitur improperatus ob ignominiam. Hebræi tradunt hunc fuisse Benjamin. Et quasi per apheresim, ubi nos ponimus geminum, ipsi ponunt Jemin, quod sonat *dextrarium* vel *dextrale* qui Latine *geminus* dici posset, quia geminatur cum trahente, nisi geminus a Jemin, per J consonantem scriberetur. Dicitur autem a Jamin proprie Jeminus, sicut a dextera dextrarius. Miseruntque filii per Aod munera Eglon regi, qui fecit sibi gladium ancipitem longitudinis palmæ manus, et accinctus est eo in dextro femore subter sagum, quod est quadratæ formæ militare indumentum. Erat autem Eglon crassus nimis. Cumque obtulisset ei munera, prosecutus est socios, qui cum eo venerunt, et reversus est ad regem, et ait « Verbum secretum habeo ad te o rex. » Egressisque omnibus, qui cum eo erant accessit ad eum Aod, et ait : « Verbum Domini habeo ad te. » Quod intelligendum est de somnio ex mandato Domini. Qui statim surrexit de throno. Extenditque Aod manum sinistram, et tulit siccam de dextro femore, et infixit eam in ventrem ejus valide, nec eduxit eam, sed reliquit in corpore. Ipse vero clausis diligenter ostiis cœnaculi, per posticum egressus est, et aufugit. Servi autem regis post longam moram intrantes, invenerunt eum mortuum, et jacentem in terra. Venitque Aod in Seirat, et insonuit buccina in monte Ephraim, et descenderunt cum eo filii Israel ad vada Jordanis quæ transmittunt in Moab. Et volentes transire Moabitas percusserunt circiter decem millia, et humiliatus est die illa Moab sub manu Israel, et quievit terra octoginta annis. » Et mortuus est Aod. Et tunc de Philisthæis volentibus intrare terram Israel Sangar occidit sexcentos viros vomere uno, ipse quoque defendit Israel, et eodem anno vitam finivit.

Incidentia.

In diebus Aod, Cyrene civitas condita est in Libya, et Triptolemus longa navi veniens Eleusim, frumenta ibi distribuit. Proserpinam rapuit rex Molossorum Orchus, cujus ingens canis Cerberus Pirithoum devoravit, qui cum Theseo ad raptum Proserpinæ venerat. Sed et Theseum devorasset, nisi Hercules superveniens eum liberasset. Frixus, et Helles insidias novercales evaserunt in navi cujus insigne fuit aries. In Dardania regnavit. Tros a quo Trojam conditam ferunt. Perseus occidit Gorgonem meretricem, quæ ob nimiam pulchritudinem spectatores suos mentis impotes reddebat. Dionysius in India Nysam condidit, et a suo nomine eam appellavit.

Additio. 1. In Regum libro, ubi incipit agere de Saul, dicitur vir fortis robore (*1 Reg.* xvi), ob hoc quidam putant dictum geminum, quasi binomium.

CAP. VII. *De Debbora prophetissa, et Barach, Sisara, Jahel, et Jabin.*

« Post mortem Aod addiderunt filii Israel facere malum coram Domino. Qui tradidit eos in manus Jabin regis Chanaan. Qui regnavit in Asor, et habuit ducem exercitus sui Sisaram. Ipse autem habitabat in Harosteh gentium (*Judith* iv), » quæ sic dicebatur, quia non ab uno populo, sed a multis collectis gentibus habitabatur, et oppressit filios Israel per viginti annos. Qui clamaverunt ad Dominum. Erat autem Debbora prophetes uxor Lapidoth, quæ posuerat tentorium suum in monte Ephraim sub arbore palmæ, quæ dicebatur palma Debboræ, et ascendebant ad eam filii Israel in omne judicium. Quæ vocavit Barac filium Abinoem de Cedes, alias Cades de Nephthalim. Mulier enim itura ad prælium vocavit virum suum, qui supradictus est Lapidoth. Creditur enim fuisse idem Barac, et Lapidoth, quia eadem est utriusque nominis interpretatio. Interpretatur enim utrumque *coruscatioc*, Debbora vero Hebraice *apis*. Quæ dixit ad eum : « Præcepit tibi Deus Israel : Duc exercitum in montem Thabor, decem millia de Nephthalim et Zabulon, ego tradam Sisaram in manum tuam juxta torrentem Cison. Cui Barac : Nisi veneris mecum non pergam. Quæ ait : Ibo, sed victoria tradetur in manus mulieris. » Nuntiatum est Sisaræ, quod ascendissent Debbora et Barac in montem Thabor ad pugnandum. Et congregavit exercitum ad torrentem Cison, trecenta millia armatorum, ut ait Josephus, et decem millia equitum, et nongentos currus falcatos, et alios currus duo millia, et centum. Et ait Debbora ad Barac : « Descende, hac die dabit tibi Dominus Sisaram in manus tuas. » Et descendit cum decem millibus, Debbora stante in monte ad orationem. Et perterruit Dominus Sisaram et universam multitudinem ejus. Ventus, grando, et pluvia irruerunt in facies eorum, arcus et fundibulæ inutiles fiebant, plurimi de equis suis, et curribus excussi conterebantur. Sicque conversæ in fugam exercitu, Sisara de curru exiliens, et fugiens, pervenit ad tentorium Jahel uxoris Haber Cinæi. Haber enim cum omni domo sua recesserat a fratribus suis, qui habitabat, ut diximus in sorte Judæ, et tetenderat tabernacula sua in valle Semiim juxta Cedes, et erat fœdus inter regem Asor, et domum Haber Cinæi. Porro Jahel suscepit fugientem, et rogantem, ut celaret eum, et petenti poculum dedit ei lac, ut gravius obdormiret. Illa vero dormienti clavum ferreum, percussum malleo per utrumque tempus immisit usque in terram. Et Barac post paululum venienti ostendit eum in terra confossum. Et sic impletum est, quod dixerat Debbora, quod per mulierem triumphus accideret. Barac, vero agens exercitum super Asor obviam venientem Jabin interfecit, civitatem funditus ejiciens, ut ait Josephus. Cecineruntque Debbora, et Barac canticum Domino, in quo hortantur victores, ad benedicendum Deum, rememorando beneficium, quod fecerat Dominus Israeli, dum daret legem in terræmotu, et pluvia, addendo, et quod per Sangar, ut diximus, quieverunt hostes a semitis Israel, et quomodo defecerunt fortitudo Israel, donec surge-

Digitized by Google

ret Debbora, quando nova bella elegit Dominus, ut mulier de viris triumpharet. Quod sequitur in cantico : « Surge, Debbora, et loquere canticum, » non est in Hebræo. Addidit quoque de Amalec * victo in Raphidim ab Ephraim, id est a Josue Ephraita, et prophetavit eumdem postea vincendum per Saul ex Benjamin. Et commendavit eos qui de Manasse, et Issachar, et Zabulon, et Nephtalim cum eis venerant ad prælium, vituperans Ruben, et Gad, et Dan, et Aser, qui noluerunt cum eis venire. Quod etiam dicit Ruben contra se divisum, intelligitur, quod separavit se a pugnaturis, vel quod Rubenitæ inter se divisi erant, quibusdam hortantibus ut irent ad prælium, aliis dehortantibus. Quod autem dicit pugnasse eos in Than juxta aquas in Agedon, intelligendum est regionem esse secus Cison, qui præterfluit Mageddon. Hebræus habet in Ramazache, quod interpretatur *super altitudinem campi*, et significat quod in campo ubi prælialum est, hostibus superiores facti sunt. Quod autem sequitur : « Stellæ pugnaverunt adversus Sisaram, » non mathematice intelligendum est, quasi fatali constellatione hoc factum fuerit. Sed quia coruscationes et fulgura ita de sublimi ferebantur in eos, ac si stellæ ruerent ; et est hyperboleos. Sequitur : « Torrens Cison traxit cadavera eorum sicut torrens Cadumim, » supple, traxit cadavera Ægyptiorum. Cadumim interpretatur *antiquorum*, et ponitur pro mari Rubro, eo quod antiqua miracula ibi facta sunt. Quod sequitur, « conculca anima mea robustos, » vox est populi sese adhortantis. Sequitur : « Maledictæ terræ Meroz, dixit angelus Domini. » Meroz fuit unus de principibus Chanaan, Debbora vero seipsam dixit Angelum Domini vel Michael ; qui præerat Israeli dixit ut malediceret Meroz, quod sonat *arcanum*, id est angelis apostatis, qui adversabantur ei in arcano. Postea benedixit Jahel, quoniam fortiter egit, et quievit terra per quadraginta annos.

* *Additio* 1. Qui primus infestavit Israel in deserto.

Incidentia.

Eo tempore regnum defecit apud Argos, et translatum est in Micænas. Obiit Liber pater, cujus sepulcrum est apud Delphos juxta Apollinem aureum. Pingitur vero muliebri corpore, quia mulieres militantes cum viris habuit in exercitu. Ilium ab Ilio conditum ; Miletus condita.

CAP. VIII. *De alio misso, et de Gedeone.*

Fecerunt iterum filii Israel malum coram Domino, qui tradidit eos in manibus Madian septem annis (*Judic.* VI). Ascendebant enim Madian, et Amalec singulis annis in Israel, vastantes segetes eorum, et universa jumenta trahentes in prædam. Cumque clamasset Israel ad Dominum, misit ad eos virum prophetam per quem exprobravit eis Dominus beneficia quæ contulerat eis, et tamen noluerunt audire vocem ejus. « Venit autem angelus Domini, et sedit sub quercu, quæ erat in Ephra. Hic est vir quem Dominus miserat : Lapis autem super quem sedebat, et quercus, et ager pertinebant ad Joas patrem familiæ Ezri, id est honorabiliorem inter alios illius familiæ. Gedeon * vero filius ejus timens hostes, qui irruerant super terram ; in occulto excutiebat frumenta in torculari, ut haberet viaticum ad fugam Josephus dicit, hoc maximum fuisse divinæ propitiationis indicium, quod tunc uteretur torculari pro area. Futurum enim per eum erat, ut areæ replerentur, et torcularia. Et ait angelus ad eum : « Dominus tecum, virorum fortissime. Cui Gedeon : Si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc mala ? Et respexit in eum Dominus in angelo, et ait : Vade, ego mitto te in hac fortitudine tua, quam scilicet confero tibi, respiciendo, vel mittendo, percuties Madian quasi virum unum. Cui Gedeon : Si gratiam inveni coram te, non recedas donec revertar. » Et coxit Gedeon hædum, posuitque carnes et azymos panes in canistro, et misit jus in ollam, offerens ea angelo. Cui Angelus : « Pone carnes, et panem super petram, et jus desuper funde. » Quo facto, tetigit ea angelus summitate virgæ, quam gerebat. Et ascendit ignis de petra, et consumpsit omnia. Angelus autem evanuit ab oculis ejus. Timensque Gedeon ait : « Heu mihi, Domine, quia vidi angelum Dei ! Cui dixit Dominus : Ne timeas. Non morieris. » Eadem nocte ait Dominus ad eum : « Destrue aram Baal, quam erexit pater tuus, et nemus circa eam succide, et occide taurum, quem saginat idolis, alium vero taurum septennem, quem cives dedicaverunt idolo, offeres mihi in holocaustum super altare, quod ædificabis mihi in summitate petræ super quam ante sacrificium posuisti. » Gedeon timens patrem, et cives, cum decem servis omnia nocte complevit, et vocavit altare pax Domini, et latuit. In crastino cives dixerunt ad Joas : Educ filium tuum, ut moriatur, quoniam fecit hoc. Quibus ille ait : Nunquid ultores estis Baal ? Si Deus est Baal, vindicet se. » Exinde dictus est Gedeon Jerobaal, id est *fortitudo Baal*, quasi fortis contra Baal. Igitur Madian, et Amalec, transito Jordane, sederunt in valle Jezrael quasi locustæ. Spiritus autem Domini induit Gedeon vocavitque domum Abiezer, de cujus familia ipse erat, et ipse misit nuntios ad Manassen et Azer et Zabulon et Nepthalim. Qui occurrerunt ei triginta duo millia. Et petiit Gedeon signum victoriæ a Domino in vellere posito in area, si nocte illa vellus rore compluretur, area sicca manente. Et factum est ita. Et expresso vellere, rore conchamimplevit. Sequenti nocte ne casu factum putaretur petiit signum in contrarium, ut area irrigaretur, et vellus siccum esset. Quod factum est. Venit autem Gedeon cum suis ad fontem qui dicitur Harad (*Judic.* VII). Et ait Dominus ad Gedeon : « Populus multus est tecum, ne dicat Israel : Viribus meis liberatus sum. Clama ad populum : Qui formidolosus est, revertatur. » Tamen intelligendum est alia tria quæ mandavit Dominus clamanda in populo, cum non tacuis-

Digitized by Google

se, quæ Moyses dixit in Deuteronomio : « Qui edificavit domum, et non dedicavit eam revertatur. » Similiter : « Qui plantavit vineam, et nondum fecit eam communem, et qui desponsavit uxorem, et nondum accepit eam (*Deut.* xx). » Et reversi sunt de populo viginti duo millia, et tantum decem millia remanserunt. Et ait Dominus ad Gedeon : « Adhuc populus multus est. Duc eos ad aquas in calore meridiei, et eos qui lambuerint aquam manu, et lingua sicut canes, existimans magnanimos separabis. Et inventi sunt tantum ex eis trecenti viri. Et ait Dominus : In his trecentis tradam Madian in manus tuas. » Quibus assumptis, et cibariis pro numero, et tubis, Gedeon se certamini dedit. « Eadem nocte dixit Dominus ad Gedeon : » Descende in castra Madian tu, et Pharam puer tuus tecum, et audies quid loquantur, et confortabuntur manus tuæ. Dissolutum enim erat cor ejus. Qui descendens stetit in partem castrorum, ubi vigiliæ erant, et audivit quemdam narrantem somnium commilitoni suo in hunc modum : Videbatur mihi quod panis ex hordeo subcinericius et comestibilis descendebat in castra Madian usque ad tabernaculum *, » scilicet regis, « et subvertit illud, et terræ funditus coæquavit. Et ait is cui loquebatur : Vile est hordeum inter grana, et inter gentes Israel videtur abjectum, et in Israel vilis est familia Gedeonis. « Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis : tradidit Dominus in manus ejus Madian. Quod audiens Gedeon adoravit. Et reversus ad socios ait : Eamus tradidit nobis Dominus castra Madian. Et divisit eos in tres partes, et dedit tubas in manus eorum dextras, lagenas vacuas, et lampades in medio lagenarum in sinistras, et ait : Quod me facere videbitis facite. » Et ingressi sunt per gyrum castrorum in tribus locis in vigilia noctis mediæ. Et cum confregissent hydrias, tenuerunt lampades in manibus, et insonantes tubis clamaverunt : « Gladius Domini, et Gedeonis. » Secundum Josephum, vacuas quoque amphoras portaverunt. Quibus simul complosis, terribilis audiebatur sonitus. Quo subito hostes excitati, turbati sunt, nec cognoscentes sese, plurimi mutuis vulneribus ceciderunt, aliis in fugam conversis usque ad Bethsettha. Viri autem de Nephtalim, et Aser et Manasse, qui redierant, conclamantes persequebantur Madian. Ephraim quoque descendit in occursum fugientium, et occupavit Jordanem usque Bethbera, et occidit duos reges Madian Oreb, et Zeb : Oreb in petra quadam ; Zeb vero in torculari. Et vocatum est nomen loci illius torcular Zeb, et nomen alterius petra Oreb. Quæ modico apice litteræ differt a nomine Horeb; unde aquæ fluxerunt per manum Moysi. Et forte differentia est in interpretatione. Et potavit Ephraim capita regum ad Gedeon, et irascentes dixerunt ad eum. « Cur contempsisti vocare nos ad pugnam? Qui ait : Ne forte indignatemini. Melior est enim racemus Ephraim vindemiis Abiezer, sed in manus vestras dati sunt reges Madian. Quid tale facere potuit sicut vos fecistis (*Jud.* viii). Quo audito requievit spiritus eorum. Transivitque Gedeon Jordanem cum trecentis viris, nec poterat persequi fugientes præ lassitudine. Et ait ad viros Soccoth : « Obsecro, date nobis panes ut possimus persequi Zebee et Salmana. » Qui negaverunt ei, et subsannaverunt eum. Id ipsum responderunt ei viri Phanuel petenti panes ab eis : Zebee autem et Salmana in valle quiescebant, nil adversi suspicantes, cum duodecim millibus tantum, cæsis de exercitu centum viginti millibus. Gedeon autem repente irruit super eos, et turbato exercitu eorum, duos reges comprehensos, secum reduxit. Et revertens apprehendit puerum de Soccoth, et quæsivit ab eo nomina seniorum de Soccoth. Et descripsit ei septuaginta septem viros, quos spinis et tribulis comminuit, tanquam auctores prædictæ subsannationis. Turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus civitatis. Cumque redisset in Ephra regionem suam dixit Zebee et Salmana. « Quales erant viri quos occidistis in monte Thabor? Qui dixerunt. Similes tui. Et ait eis : Fratres mei erant uterini. Et ait primogenito suo : Interfice eos. » Qui non eduxit gladium, timens quia puer erat. Surgens Gedeon occidit eos. « Et dixerunt omnes filii Israel ad eum : Dominare nostri tu, et filius tuus, et filius filii tui. Quibus ille : Non dominabor vestri, nec filius meus, sed Dominus dominabitur in vos. Unum postulo a vobis, date mihi inaures aureas de præda. » Qui dederunt. Et fuit pondus auri mille et septingenti sicli. Et fecit ex eo Gedeon Ephod, et posuit illud in civitate Ephra, et fornicatus est omnis Israel in eo. Et factum est Gedeoni, et omni domui ejus in ruinam. Per Ephod, quod est dignius indumentum pontificis, intelligitur, quod Gedeon fecerit omnia indumenta pontificalia, et fecit in Ephra tabernaculum, et altare præter illud quod erat in Silo. Et factus est sacerdos, et immolavit super illud hostias Domino. Quamobrem offensus Dominus omnem domum ejus fere delevit. Habuit enim septuaginta liberos de uxoribus, et unum naturalem Abimelech de concubina Dyohoma, quam habebat in Sichen **. Hic occidit omnes fratres suos præter unum. Et quievit terra quadraginta annos, quibus præfuit Gedeon. Qui mortuus est in senectute bona, et sepultus est in sepulcro patris sui in Ephra.

Additio 1. Sexto suscitavit Dominus spiritum Gedeonis in Israel.

**Additio* 2. Forte tabernaculum eorum dixit vexillum, quo ducebantur, vel habebant tabernaculum, in quo idolis suis sacrificabant.

*** *Additio* 3. Per quod conjicitur quod postea pœnitentiam egerit, qui alibi quam ubi Dominus constituerat sacrificabat.

Incidentia.

Temporibus Gedeonis Mercurius invenit syringas, trahens hoc nomen a Syringa uxore Cadmi, quæ propter zelum harmoniæ a viro suo recesserat. Invenit etiam lyram hoc modo : Reperit etiam conchan testudinis mortuæ, et putrefactæ, cujus nervuli

Digitized by Google

arentes, et extensi in ore conchæ, ad auram tenuem sibilum reddebant. Incertum est autem quis fuerit iste Mercurius utrum Hermes, an Trismegistus philosophus, an Mercurius minor. Tres enim leguntur fuisse secundum Josephum. Tyrus condita est ante templum Hierosolymorum annis ducentis quadraginta. Dedalus aves fecit metallinas, quas volare fecit artificiose spiritu incluso. Dicitur etiam fecisse simulacra se moventia. Primus enim omnium peles statuarum a se invicem separavit, aliis conjunctim eos fabricantibus. Qui cum filio in nave fugiens, propter investigabilem fugam pennis evolasse æstimatus est. Argonotarum historia facta est Orphæus clarus habitus est. Cujus discipulus fuit Musæus. Linus magister Herculis claruit. Minos creditur Cretensibus legem dedisse; quod Plato negat. Hydram vero callidissimum fuisse sophistam asserit Plato.

CAPITULUM IX. *De Abimelech qui septuaginta fratres suos occidit.*

Post mortem Gedeonis, filii Israel fornicati sunt cum Baalim, nec fecerunt misericordiam cum domo Jerobaal (*Judic.* IX). Ascendit autem Abimelech in Sichem ad omnem cognationem matris suæ, et ait: « Considerate quod os vestrum, et caro vestra sum. Loquimini ad omnes viros Sichem in hunc modum: Quid vobis melius est, ut dominentur vestri septuaginta viri filii Jerobaal, an ut dominetur unus vir? » Et locuti sunt de eo ad omnem populum, et inclinaverunt cor populi post Abimelech, et juraverunt ei omnes in fano Baal. Quamobrem vocatum est deinceps Idolum Baalberith. Berith enim *conjurationem* sonat. Et tollentes de fano, septuaginta pondo argenti dederunt ei. Qui conduxit ex eo viros inopes et vagos, et ascendens in Ephra occidit omnes fratres suos super lapidem unum, excepto uno Joathan. Tunc omnes Sichimitæ constituerunt Abimelech regem juxta quercum in Sichem. Si quæritur, quomodo ergo Saul primus dicitur rex in Israel, potest dici hoc dictum esse propter regnum universale; hic autem tantum regnavit in Sichimis. Quod cum nuntiatum esset Joathan, stetit in vertice montis Garram, vel Garizim, et exclamavit ad omnes Sichimitas, qui convenerant ad diem festum Baal: Audite me, viri Sichem: « Ierunt ligna silvarum ut ungerent regem supra se, et dixerunt olivæ: Impera nobis. » Quæ noluit deserere pinguedinem suam, qua dii utuntur, et homines. Idipsum dixerunt ad ficum, quæ noluit deserere dulcedinem fructus sui. Id ipsum dixerunt ad vitem, quæ noluit deserere vinum, quod lætificat Deum et homines. Dixeruntque ad rhamnum: « Impera super nos. Qui respondit: Venite ergo, et requiescite sub umbra mea, alioquin egrediatur ignis de rhamno, et devoret cedros Libani. » Est autem rhamnus genus rubi, quod vulgo senticem appellant, asperum nimis et aculeatum sicut sentes Josephus dicit hoc inter ligna habere naturam ignem proferendi. Tunc expesuit eis paradigma dicens: « Interfecistis filios Jerobaal, et filium ancillæ ejus super vos constituistis regem. Si recte egistis cum Jerobaal, et domo, et filiis ejus, recte sit vobis; sin autem perverse, egrediatur ignis de Abimelech, qui devoret ipsum, et vos. » Quæ cum dixisset, aufugit. Factum est autem cum regnasset super Sichem tribus annis Abimelech, dedit ei Dominus spiritum malum adversus eum, et expulerunt Abimelech ab urbe et a tribu. Qui exercebat latrocinia super eos, agens prædam ex eis. Tempore vero vindemiarum intravit Gaal cum fratribus suis in Sichem. Quo descendente ad eos, descenderunt Sichimitæ, vineas uvasque calcaverunt, et ingressi fanum Dei sui inter epulas, et pocula maledicebant Abimelech. Gaal quoque dicebat. « Quis enim est Abimelech, ut serviamus ei? Nunquid non est filius Jerobaal. » Ironice dictum est, quasi non est, sed spurius. Et addidit: « Utinam daretur populus hic in manu mea, ut auferrem Abimelech de medio! » Zebul quoque quem fecerat Abimelech principem in civitate, clam nuntiavit Abimelech omnia. Surrexit itaque Abimelech cum exercitu nocte, et tetendit insidias juxta urbem. Egressusque est Gaal mane, et Zebul cum eo steterunt in porta. Cumque ascendisset Abimelech cum exercitu, dixit Gaal ad Zebul: Ecce de montibus multitudo descendit. Cui Zebul: Umbras montium vides, quasi hominum capita, et hoc errore deciperis. Rursus quoque Gaal: Ecce populus quasi de umbilico terræ descendit. Cui Zebul: Ubi est os tuum nunc quo contra Abimelech loquebaris. Egredere, et pugna contra eum. » Qui pugnavit, et victus est, et fugiens recepit se in urbem. Zebul autem expulit eum, et socios ejus. « Sequenti die Abimelech expugnavit urbem, interfectis habitatoribus ejus, eamque destruxit ita, ut sal in ea dispergeret. Habitantes vero in turre Sichimorum ingressi sunt fanum Dei sui, quia locus munitus erat. » Josephus tamen dicit profugos per provinciam congregatos supra petram munitissimam, et nitebantur eam munire, vel murare. Quod videns Abimelech ascendit in montem Selmum, et præcisum ramum ferens dixit sociis: « Facite quod ego ago. » Qui tollentes ramos, et circumdantes præsidium succenderunt illud, et igne, et fumo perierunt in eo mille viri, præter mulieres et parvulos. Et recedens inde Abimelech obsedit oppidum Thebes. Erat autem turris in medio in qua receperant se Thebitæ. Et nota quod a Thebis Ægyptiorum dicuntur Thebæi: a Thebis Græcorum Thebani; a Thebe Judæorum Thebitæ. Cumque Abimelech expugnaret turrim, et ignem supponere niteretur, mulier fragmen molæ jaciens desuper, fregit cerebrum ejus, qui ait armigero suo: « Percute me ne dicar interfectus a femina, quia interfecit eum. » Hanc pestem dicit Josephus accidisse Ephraitis, eo quod jurgati sunt adversus Gedeonem ad aquas Jordanis.

Incidentia.

Eodem tempore chorus inventus est in Græcia quod instrumentum dicit Strabus pellem esse cum duabus cicutis; per alteram inspiratur, per alteram reddit sonum. Et scribitur secundum quosdam sine

Digitized by Google

aspiratione; pro voce autem canentium, et mensura, et vento cum *ch* aspirato.

CAP. X. *De Thola duce Israel.*

Post Abimelech judicavit Israel Thola de Issachar, filius Phua, patrui Abimelech (*Judic.* x). Nec moveat te Phua, et Joas fratres esse, cum alter de Issachar, alter de Manasse ortus fuerit. Filii enim fuerunt unius matris, et duorum patrum, de diversis tribubus; hic judicavit Israel in Sanir viginti tres annos et mortuus est.

Incidentia.

Eo tempore Hercules Antheum vicit in palæstra, et illum vastavit; bellum fuit inter Lapitas et Centauros, quos Palephactus, in libro *De incredibilibus*, nobiles fuisse describit equites Thessalorum. Priamus filius Laomedontis regnavit in Troja. Androgæus Athenis dolo interficitur. Theseus in agone minotaurum occidit, propter quod Athenienses pueri tributarii a pœna liberati sunt. Fuit autem minotaurus vir quidam inhumanus, et valens in palæstra magistratus Minois. Unde et sic dictus est, quasi *minois taurus*, id est minois carnifex.

CAP. XI. *De Jair Galaadite duce Israel, et morte ejus.*

Post Tholam Jair Galaadites de tribu Manasse judicavit Israel viginti duobus annis, habens triginta filios, quos fecit principes triginta civitatum, quas vocavit nomine suo Avothjair, id est *oppida Jair*, et mortuus est (*Judic.* x).

Incidentia.

Eo tempore Theseus rapuit Helenam, quam rursus receperunt fratres ejus Castor, et Pollux, capta matre Thesei, eo peregre profecto. Phylistus scribit a civibus Tyriis Zoro et Carthagine Carthaginem conditam. Carmentis nympha litteras Latinas invenit.

CAP. XII. *De pœnitentia filiorum Israel propter idololatriam suam, et de Jephte.*

Iterum filii Israel servierunt idolis circumstantium gentium, et tradidit eos Dominus in manus Philisthiim et Ammon (*Judic.* x). Et afflicti sunt vehementer octodecim annis, omnes qui habitabant trans Jordanem in terra Amorrhæi. Ammonitæ quoque Jordane, transmisso, vastabant Judam, et Benjamin, et Ephraim. Qui afflicti clamaverunt ad Dominum. Qui cum dure respondisset eis: « Ite invocate deos, quos elegistis, » projecerunt omnia idola de finibus suis, et doluit Dominus super miserias eorum. Congregatique sunt Filii Israel in Maspha contra Ammonitas, qui fixerant tentoria in Galaad. « Fuit eo tempore Jephthe Galaadites vir fortissimus pugnator (*Judic.* xi); » sed filius meretricis; habuit uxorem Galaad, de qua suscepit filios. Qui cum adolevissent ejecerunt eum, tanquam spurium dicentes: « Non poteris esse hæres in domo patrum nostrorum. » Et abiit in terram Tob. « Et congregati sunt ad eum viri inopes, et latrocinantes, et eum quasi principem sequebantur. » Descenderuntque ad eum majores natu de Galaad dicentes: « Esto princeps noster, et pugna contra filios Ammon. Qui ait: Nonne vos estis qui odistis me, et ejecistis? Qui dixerunt: Non odimus te, nec venimus ut persequamur te, sed ut sequamur te. Et ait Jephthe: Jurate ergo mihi. Et juraverunt. » Et ascendens cum eis in Masphath, humiliavit se coram Domino, et factus est princeps populi. Et misit nuntios ad regem Ammon in hæc verba: Exi de terra mea. Cur vastas eam? Qui respondit: Tulit Israel terram meam cum ascenderet de Ægypto, et recepi eam. Cumque Jephthe dixisset eam jure belli acquisitam, et multo tempore possessam trecentis annis, noluit acquiescere Ammon ut exiret. Et ait Jephthe: « Judicet hodie Dominus inter Israel et Ammon. » Et factus est spiritus Domini super Jephthe. Et egrediens ad pugnam votum vovit Domino dicens: « Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque de domo mea primus occurrerit mihi revertenti, eum holocaustum Domino offeram. » Et percussit Jephthe filios Ammon plaga magna nimis, et humiliati sunt coram filiis Israel. Revertenti autem Jephthe in Maspha, occurrit ei unigenita filia ejus cum tympanis et choris. Qua visa, scidit vestimenta sua, et ait: « Heu! filia, decepisti me, et decepta es. Aperui os meum Domino contra te. » Filia vero non dolens in hoc casu pro victoria patris ait: « Fac mihi, pater, quodcunque pollicitus es. Hoc solum præsta mihi ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis. Et ait pater: Vade. Et expletis duobus mensibus rediit ad patrem suum, et fecit ei sicut voverat. » Exinde mos increbuit in Israel ut annuatim veniant filii Israel, et plangant filiam Jephthe quatuor diebus. Arguit Josephus Jephthe, quia obtulit holocaustum non legitimum, nec Deo charum. Quid si canem obvium habuisset, immolasset eum Domino? Fuit ergo in vovendo stultus, in solvendo impius. Potuit tamen ante votum esse bonus, quia irruit super eum spiritus Domini, et etiam post votum. Nam et Apostolus ponit eum in catalogo bonorum (*Hebr.* xi), quidam tamen excusantes eum, familiari consilio Spiritus sancti dicunt eum hoc fecisse. Tunc venientes ad eum Ephraitæ dixerunt: « Cur contempsisti nos vocare ad pugnam? Incendemus domum tuam. Qui ait: Vocavi vos, et venire noluistis (*Judic.* xii). » Et vocatis viris Galaad pugnavit contra Ephraim. Occupaverunt autem Galaaditæ vada Jordanis. Cumque venisset ad eos quidam fugiens de Ephraim, et obsecrans, ut permitterent eum transire, dicebant ei: « Nunquid Ephratæus es? Quo dicente: Non sum, interrogabant eum: Dic ergo Scibboleth, quod interpretatur *spica*. Qui respondit, Sibboleth, eadem littera spicam exprimere non valens. Statimque jugulabant eum. Et ceciderunt eo tempore de Ephraim quadraginta duo millia. Et nota quod Ephratæus ponitur hic pro Ephraita. Ephratæus enim proprie dicitur Bethlehemita. » Et judicavit Jephthe Israel sex annis, et mortuus est, et sepultus in civitate sua Sebethi quæ est in Galaad. Hic ab

Digitized by Google

ætate Moysi usque ad seipsum ait computari annos trecentos. Annis his non adduntur decem et octo anni afflictionis, qui præcesserant.

Incidentia.

Eo tempore Hercules flammis se injecit, Nam in morbum inciderat pestilentem.

CAP. XIII. *De Abessan duce Israel.*

Post Jephthe judicavit Israel Abessan, vel Essebon, Bethlehemita de Juda septem annis (*Judic.* XII). Eo tempore Agamemnon regnavit Micænis, Menelaus Lacædemoniæ.

CAP. XIV. *De Ahialon.*

Post Abessan Ahialon Zabulonites judicavit Israel annis decem (*Judic.* XII). Hic cum decem annis suis in LXX Interpretibus non habetur. Pro quorum damno supplendo Eusebius Josue, nec non Samueli, et Sauli, quorum annos Scriptura sacra non dicit, plures annos quam in Josepho legebat annotavit, quatenus ab egressu Israel ex Ægypto, usque ad ædificationem templi quadringentorum et octoginta annorum summam quam Scriptura prædicat, haberet.

Incidentia.

Eo tempore Paris Helenam rapuit, bellum decennale surrexit. Memnon et Amazones Priamo tulere subsidium.

CAP. XV. *De Abdon duce.*

Post Ahialon Abdon Thecuites de Ephraim judicavit Israel octo annis (*Judic.* XII). Sub his tribus judicibus non recessit Israel a Domino, et quievit terra. Et ideo nil memoriale fecisse leguntur. Tamen quidam tradunt sub Abdon cladem factam in Benjamin pro uxore levitæ.

Incidentia.

Hujus anno tertio capta est Troja, et fluxerunt usque ad primam Olympiadem anni trecenti et sex Tunc Græci ad gloriam victoriæ suæ cœperunt annotare tempora sua sic : Anno a captivitate Trojæ. Incœpta Olympiade, deinceps annotaverunt tempora juxta numerum Olympiadum*. Tandem Romani florentes annotaverunt tempora sic : Anno ab Urbe condita. Ultimo Christiani annotant sic : Anno ab Incarnatione Domini. Capta Troja Menelaus, et Helena devenerunt ad Thuorim regem Ægypti, quem Homerus Polybum vocat. Anno tertio a captivitate Trojæ, vel quinto, ut quidam volunt, regnavit Æneas tribus annis in Italia, in qua prius regnaverant Janus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus, annis circiter centum quinquaginta.

**Additio* 1. Nota quod Olympias dicta est a ludis, qui sub Olympo monte fiebant apud Elidem civitatem Elidis agentibus agonem, et quinquennale certamen quatuor annis mediis vocantibus, et ob hoc Elidis certaminis tempus olympiadem vocaverunt quadriennium in una Olympiade computato. Est autem Olympias spatium quatuor annorum.

CAP. XVI. *De Samsone.*

« Rursus filii Israel peccaverunt coram Domino, et tradidit eos in manus Philistinorum quadraginta annis (*Judic.* XIII). » A qua servitute hoc modo liberati sunt : « Fuit vir quidam de stirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem pulchram, sed sterilem. Cui, sæpe orantibus in agro pro sterilitate amovenda, apparuit ei angelus, et ait : Concipies, et paries filium : cave ne comedas, aut bibas deinceps, nisi juxta legem Nazaræorum*. Filius enim tuus erit Nazaræus Dei, ex utero matris, et deinceps, ipse liberabit Israel. » Alia littera : « Et dicetur Samson robustus liberator Israel. » Quæ cum omnia indicasset viro suo, et commendasset angeli pulchritudinem, contristatus est vir, quia zelotes erat. Et ut mitigaret irrationabilem viri tristitiam, consuluit, ut ambo orarent Dominum, ut iterum veniret angelus ad eos, et instrueret utrumque de puero. Et apparuit iterum angelus uxori. Quæ cum vocasset virum, ait Manue ad eum : « Tunc es, qui locutus es de puero? » Cui angelus : Sum. Cui Manue : Quid vis ut faciat puer? Et ait angelus : Nazaræus erit omni tempore vitæ suæ. Attulitque Manue hædum, et panes. Cui angelus : Non comedam. Si vis offerre, offer illa Domino. Et ait Manue : Quod est nomen tuum. Cui angelus : Cur quæris nomen meum, quod est mirabile? » Et obtulit Manue quæ tulerat, supra petram Domino qui facit mirabilia. Et ascendit angelus in flamma ignis, nec ultra apparuit*. Et intelligens Manue esse angelum Dei ait : « Moriemur, quia vidimus Dominum. Cui mulier : Nequaquam. Nam accepit Dominus holocaustum a nobis, et indicavit quæ futura sunt. » Natumque filium vocaverunt Samson, quod sonat *robustum*. Crevitque cito puer, adeo ut jam propheta futurus agnosceretur, cœpitque spiritus Domini cum eo esse in castris Dan, id est in exercitu tribus suæ. Vel locus est in quo prius habitavit Samson, et est dictus castra Dan, per anticipationem. Nondum enim tribus Dan propriam habebat sortem.

**Additio* 1. Qua lege viverent Nazaræi require in historia Numerorum (*Num.* VI). Istud apposuit magister, ut satisfaceret Hieronymo, qui ait nomen ejus prædictum a Domino, cum prædeterminatum sit supra quot fuerint, quorum nomina prædicta sunt, quia nomen fuit ei impositum scilicet Samson. Juxta æquipollentiam horum verborum Domini, ait Hieronymus, prædictum ejus nomen.

**Additio* 2. Nota quod in Veteri Testamento quatuor hominum nomina per angelum nuntiata fuerunt : Ismael, Isaac, Josias, Samson ; in Novo duo Joannes et Jesus.

CAP. XVII. *Quomodo Samson accepit uxorem, et interfecit leonem.*

Descendit igitur Samson in Thamnatha Philisthæorum ut videret solemnitatem, quæ ibi agebatur (*Judic.* XIV), et visa ibi virgine concupivit, aitque patri, et matri : Accipite mihi, quæso, uxorem Thamnathæam, quia complacuit oculis meis. Qui dixerunt : Cur negligis filias fratrum tuorum, et transis ad filias incircumcisorum. Nescientes quod res fieret a Domino. » Cumque descenderent cum

Digitized by Google

eo, apparuit ei catulus leonis in vineis oppidi, et irruit in eum Samson in spiritu Domini nihil habens in manu, et dilaceravit eum frustatim quasi hædum caprarum, et hoc parentibus non indicavit. Desponsataque sibi uxore, cum post aliquot dies rediret, ut acciperet eam, declinavit, ut videret cadaver leonis. Et ecce apes erant in ore leonis, et favus mellis, quem sumptum comedit in via, deditque partem patri et matri et comederunt; partem quoque sponsæ tradidit. Cumque Thamnathæi cives essent in epulis nuptiarum, timentes robur juvenis, dederunt ei triginta juvenes robustos, sermone quasi socios, opere vero custodes, ne quid forte vellet committere, crescente convivarum satietate. Quibus ait Samson: « Propono vobis problema: quod si solveritis mihi infra septimum diem convivii dabo vobis triginta sindones, et totidem tunicas: alioqui vos dabitis mihi totidem. Qui dixerunt: Propone. Ait quoque Samson: De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo. » Josephus alia ponit verba: « Qui cuncta devorat, cibum de se genuit suavem, licet ipse sit insuavis. Nec potuerunt per tres dies propositionem solvere. Cumque adesset dies septimus dixerunt sponsæ: « Blandire viro tuo, ut indicet tibi problema, et indica nobis: alioquin incendemus te, et domum patris tui. » Quæ sollicitans virum flendo dicebat: Odisti me, et ideo non exponis mihi. Septem igitur diebus convivii flebat apud eum. » Sed quomodo septem diebus flebat, cum supradictum sit septimo die convivii venisse ad eam juvenes? Potest dici: « Cumque adesset dies septimus, » id est cum adhuc esset dies inter septem primus. Quod ideo determinatum est, ne putaretur post tres dies venisse, de quibus dictum erat, quod non poterant solvere propositionem per illos tres dies. Potest etiam aliter dici: « Cumque adesset dies septimus, » id est appropinquaret, sed nondum esset, ut dictum sit, adesset, quasi juxta esset, et ita post tres dies inquisitionis eorum quarta die venerunt ad eam, et locuta est viro suo. Quod autem dicitur septem diebus flevisse, hoc est in illis septem non per illos. Quidam tamen corrigunt ita: « Cumque adesset dies unus. » Quod vitio scriptoris reor factum, qui videns septem abbreviatum, æstimavit legi unum. Tandem die septima cum ei molesta esset, exposuit; quæ statim indicavit civibus suis. Et illi die septimo ante solis occasum dixerunt Samsoni: « Quid dulcius melle, quid fortius leone? Qui ait: Quid dolosius muliere? Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam. Et irruit spiritus Domini in eum, et descendit Ascalonem, et ibi percussit triginta viros, quorum ablatas vestes dedit pronubis suis. Et iratus Samson rediit in domum patris sui. Uxor autem ejus nupsit uni de pronubis suis. Cumque dies triticeæ messis instarent venit Samson visere uxorem suam ferens hædum (*Judic.* xv). Cumque cubiculum ejus vellet intrare, prohibuit pater dicens: Putavi quod odisset eam, et tradidi eam amico tuo. Sororem habet, quæ pulchrior est ea: sit tibi pro ea uxor. Cui Samson: Ab hac die non erit culpa in me contra Philisthæos. Faciam enim vobis mala. » Et cepit trecentas vulpes, et junxit caudas caudis, et faces ligavit in medio, quas igne succendens dimisit eas discurrere, et incenderunt segetes Philisthæorum in tantum, ut vineas quoque et oliveta ignis consumeret. Palæstini scientes opus esse Samsonis, uxorem ejus, et parentes combusserunt tanquam mali hujus auctores. Et ait Samson: « Adhuc expetam ultionem, et quiescam. Et percussit eos plaga gravi, ita ut stupentes suram femori imponerent. » LXX Interpretes dicunt ita: « Percussit alienigenas Samson tibiam super femur: » quod ad priorem sensum reducitur, id est tam mirabiliter, ut stupentes tibiam unius pedis super femur alterius ponerent. Tamen quia tibiis incedimus, et super femur sedemus, quidam exponunt sic: « Percussit tibiam super femur, » id est pedites præter sedentes in equo. « Et habitabat Samson in spelunca Petræ Etham, quasi in loco munito.

Cap. XVIII. *Quomodo interfecit multos cum mandibula asini.*

« Tunc ascendentes Philisthæi in terram Juda, castrametati sunt in loco, qui postea dictus est Lechi, id est *maxilla*. Et dixerunt ad eos viri Juda: Servi vestri sumus. Cur ascendistis adversus nos? Qui dixerunt: Ut ligemus Samsonem. Et ascenderunt tria millia de Juda ad Samsonem, et culpantes eum dicebant: Nescis [*al.* nosti] quod Philisthæi imperent nobis. Venimus ut ligemus te, et tradamus Philisthæis. Qui ait: Jurate ne me occidatis. Et juraverunt (*Judic.* xv). » Et permisit se ligari duobus novis funibus. Qui cum traherent eum, et vociferarent Philisthæi præ gaudio, irruit spiritus Domini in eum, et dissoluta sunt vincula ejus, ut lina stuppæ lineæ, id est ut filum lini tortum putamine ad ardorem ignis. Tollensque mandibulam asini jacentem in terra, interfecit in ea mille viros, aliis in fugam versis. Et exsultans Samson cecinit metrice: « In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum delevi eos, et percussi mille viros. Hebræus habet, « in maxilla asini hemor. » Hemorque sonat *cumulum de cumulis*, hoc est in maxilla asini feci cumulum de cadaveribus mortuorum. Et projecit mandibulam, et vocavit nomen loci Ramathlechi, vel Ramathlehi, quod est *elevatio maxillæ*. Rama enim *excelsum* sonat. Et sitivit ad mortem, quod factum esse tradunt Hebræi, quia dedit sibi gloriam, et non Deo, et clamavit ad Dominum: « Obsecro, Domine, en morior, et incidam in manus incircumcisorum. Et aperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, et egressæ sunt aquæ, quibus haustis vires recepit. » Et mutato nomine priori, dictum est nomen loci, Fons invocantis de maxilla. Cumque non timeret Philisthæos abiit in Gazam, et vidit mulierem meretricem, et ingressus est ad eam (*Judic.* xvi). Quo cognito Palæstini posuerunt custodes in porta civitatis, ut exeuntem mane occiderent. Samson vero media nocte surgens, ambas

Digitized by Google

fores apprehendit cum postibus suis, et sera, et in humeris suis portavit in verticem montis, qui respicit Hebron.

CAP. XIX. *Quomodo tandem deceptus fuit Samson.*

Post hæc amavit Dalilam, quæ erat in monte Sorec (*Judic.* xvi). Et est Sorec locus, vel genus vitis. Et venerunt ad eam quinque Satrapæ, id est nobiliores Philisthinorum, dicentes : « Disce ab eo in quo habeat vires, et quomodo valeamus eum vinctum affligere, et dabimus tibi singuli mille et centum argenteos* ; » quod est quinque millia quingentos ; quidam tamen distinguunt ita : « Dabimus tibi singuli mille et centum argenteos. « Et blandita est Dalila Samsoni. Qui respondit ei in dolo : « Si septem nerviceis funibus novis et adhuc humentibus ligatus fuero, ero sicut cæteri homines. » Quos Josephus palmites vinearum recentes dicit. Et attulerunt ad eam septem funes, quibus dormientem ebrium** colligavit, latentibus apud se Philisthæis. Et clamavit mulier : « Philisthæi super te Samson. » Qui rupit vincula quasi stupea. Idipsum factum est secundo, de septem novis funibus. Cum autem tertio septem crines capitis ejus circumligatos litio, et clavo terræ infixisset, excitatus ab ea Samson, extraxit clavum cum crinibus et litio. Cumque molesta esset ei Dalila, et deficeret anima ejus ad mortem, aperuit ei veritatem, dicens : « Nazaræus sum ab utero matris meæ. Si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo. » Tunc Dalila revocavit satrapas, ut venirent cum pecunia, quam promiserant. At illa dormire fecit eum super genua sua, et per tonsorem rasit septem crines ejus, id est omnes. Vel quia novacula ascenderat super caput ejus, etiam pro solis septem rasis Dominus recessit ab eo. Tunc abjecit eum mulier. Quem cum apprehendissent Philisthiim eruerunt oculos ejus, et circumduxerunt eum per terram, et apud Gazam clausum in carcere molere fecerunt, quasi servili opere eum affligentes. Hebræi tamen tradunt quod Philisthæi coegerunt eum dormire cum mulieribus robustis, ut ex eo sobolem robustam susciperent. Procedente tempore cum capilli ejus renasci cœperant, cum adesset publica solemnitas, ingressi sunt principes famum suum, ut immolarent magnifice Dagon deo suo, quia tradidit inimicum in manus eorum. Cumque lætarentur convivantes, adductus est Samson, ut ante eos luderet, et ei illuderent. Stabat autem inter duas columnas, quibus domus innitebatur. Et ait puero regenti se : « Sine me ut tangam columnas, et paululum requiescam. » Et apprehendens utramque columnam manibus ait : « Moriatur anima mea cum Philisthiim. » Et concussis columnis cecidit domus super omnes, et multo plures interfecit moriens quam vivus. Et perierunt præter convivas circiter tria millia utriusque sexus, qui ludentem exspectabant de tecto. Tulitque eum universa cognatio ejus, et sepelierunt eum in sepulcro patris sui. Et judicavit Israel viginti annis. Hactenus Judicum liber tempora signat, habens annos ducentos nonaginta novem, et judices duodecim præter Sangar et Barach.

*Additio 1. Omnis enim mulier fere naturaliter avara, et levis, unde addam : Quid levius flumine? flamen. Quid flamine? fama. Quid fama? mulier. Quid muliere? nihil.

**Additio 2. Ebrium dicit non vino, sed amore, vel satiatum, aliter legem Nazaræorum excessisset ante tonsuram, et recessisset ab eo Dominus.

CAP. XX. *Incidentia.*

Eo tempore Ascanius Albam condidit, secundus rex Latinorum. Palefatus in libro *Incredibilium*, tradit Ulyssem in trierim syrenorum fugisse Scyllam, spoliare hospites solitam. Syrenes quoque mulieres fuisse, quæ decipiebant navigantes.

CAP. XXI. *De Micha et ejus sacerdote.*

Sequitur historia de idolo Michæ (*Judic.* xvii). Hunc autem eventum, et alterum de uxore Levitæ, dicit Josephus contigisse post mortem Josue, et ante Othoniel, cum plurimum peccasset coram Domino Israel, et tradidisset eos Dominus in manus Chananæorum. Qui abstulerunt Judæ Ascalonem, et Accaron, et multas urbes in campestribus, et ipsos Danitas expulsos in montem fugere compulerunt. Eo tempore fuit vir de monte Ephraim, nomine Michas, qui suscepit a matre sua mille centum argenteos votivos. Et fecit ex mandato matris suæ eis ephod et theraphim, id est vestem sacerdotalem et idola. Et separavit eis ædiculam in domo sua, et implevit manum unius filiorum suorum, et factus est ei sacerdos, et investivit eum sacerdotio per aliquod appositum in manu ejus, vel implevit manum ejus, id est sæpe obtulit ei tanquam sacerdoti. In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur faciebat. Fuit autem alter adolescens Bethlehemita cognatus Michæ et levita, sed pauper. Qui voluit peregrinari, ubicunque commodum sibi reperisset. Cumque declinasset in domum Michæ, cognita causa viæ ejus, constituit eum sibi sacerdotem instituens sibi per singulos annos decem argenteos, et vestem duplicem, præter victum. In diebus illis tribus Dan quærebat sibi possessionem, et miserunt quinque viros, ut explorarent terram in qua possent habitare (*Judic.* xviii). Et intrantes domum Michæ, requieverunt in diversorio Levitæ. Cumque considerassent vestes, et idola, abierunt, et venerunt Lais.

Et videntes locum uberem, et magnarum opum, et habitantes in ea sine timore et imbelles, reversi sunt ad fratres suos, et dixerunt : « Eamus, et possideamus terram, quam vidimus. Nullus erit labor. » Et profecti Danitæ sexcenti viri armati primo manserunt in Cariathiarim Judæ, qui locus ex eo dictus est Castra Dan, alius eodem nomine dictus est, de quo diximus in Samsone. Tertius eodem nomine dictus est ubi Jeroboam sacrificavit vitulos (*III Reg.* II). Cumque transissent juxta domum Michæ, intraverunt quinque prædicti viri, ut tollerent vestes et idola. Cumque sacerdos eccla-

Digitized by Google

maret, dixerunt ei : « Veni nobiscum. Melius est tibi, ut sis pater in una tribu quam in domo unius viri. » Et abiit cum eis, ferens secum omnia. Cumque insequeretur eos Michas cum omni domo sua, videns eos fortiores, et minantes sibi mortem, reversus est. Illi vero cum mulieribus, et parvulis, et jumentis et universa supellectile sua venerunt ad populum Lais, et percusserunt eos, et urbem incenderunt. Et struxerunt sibi civitatem, non procul a Libano, et juxta fontes Jordanis, circa maximum campum Sidonis in regione Rohob. Et appellaverunt eam Dan, quæ prius Lais vocabatur : posuerunt sibi in Deum idolum Michæ toto tempore quo fuit domus Dei in Silo. Jonatham vero filium Gersam de genere Moysi, et filios ejus statuerunt sacerdotes in tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ. Cumque replicet historia : « In diebus illis non erat rex in Israel, » videtur consentire Josepho, qui dicit hoc factum quod sequitur, circa tempora eadem contigisse.

Cap. XXII. *De uxore Levitæ.*

Fuit vir Levita habitans in latere montis Ephraim, habens uxorem de Bethlehem; quæ irato viro suo rediit in domum patris sui in Bethlehem (*Judic.* xix). Secutus est eam vir suus cum puero suo, et duobus asinis, reconciliatus est uxori. Quarto autem die cum regredi vellet, tenuit eum socer, usque in crastinum. Quinto die, sumpto cibo circa meridiem, egressus est ducens secum duos asinos onustos et concubinam. Sic enim quandoque uxor dicitur. Et, ut videtur velle Josephus, luna quinta infaustum iter arripuit. Cumque transirent juxta Jebus, die declinante, noluit ingredi oppidum gentis alienæ. Et transivit in Gabaa, quæ est in tribu Benjamin, et nullo eum recipiente sedebat in platea. Et ecce senex rediens de agro, qui erat in monte Ephraim, et advena habitabat in Gabaa. Qui introduxit eos in domum suam. Et cœnantibus illis, venientes viri civitatis filii Belial, dixerunt ad dominum domus : « Educ virum qui ingressus est ad te, ut abutamur eo. » Tamen Josephus dicit non venisse eos pro eo, sed ut raperent uxorem ejus. Cum autem obtulisset eis senex filiam virginem, et uxorem viri pro viro, eduxerunt uxorem viri. Qua cum tota nocte abusi essent, dimiserunt eam mane; quæ rediens ad hospitium exspiravit ante januam. Et ferens vir ejus cadaver in asino rediit in domum suam, et concidens eam in duodecim partes, misit in omnes terminos Israel. Et clamabant singuli : « Nunquam sic factum est in Israel, ex quo ascenderunt patres nostri ex Ægypto. » Et egressi sunt omnes quasi unus vir in Masoha quadringenta millia pugnatorum, et dixerunt : « Non redibit quispiam in domum suam, donec ulciscamur in Gabaa (*Judic.* xx). » Et elegerunt virum unum de decem*, qui apportaret cibaria, et miserunt ad omnem tribum Benjamin, dicentes : « Tradite nobis flagitiosos de Gabaa, ut moriantur. » Qui noluerunt, imo dederunt eis in auxilium triginta quinque millia de Benjamin. Erant enim in Gabaa septuaginta viri, ita sinistra ut dextra prœliantes; sic etiam fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque possent percutere. Et ascendens exercitus Israel in Silo consuluit Dominum : « Quis ascendet princeps certaminis contra Benjamin? Et respondit Dominus : Judas. » Hoc forte videtur facere pro Josepho de tempore hujus cladis. Et ascendentes, inde expugnabant Gabaa, et prima die egressi filii Benjamin de Gabaa percusserunt de Israel viginti duo millia; sequenti vero die, octodecim millia; tertia vero die per insidias circumventi ceciderunt, et incenderunt urbem filii Israel occidentes viros, mulieres et parvulos, idipsum facientes aliis civitatibus in Benjamin. De omni numero Benjamin soli sexcenti remanserunt. Qui sederunt in Petra Remmon, et planxerunt planctu magno quatuor mensibus**. Et juraverunt filii Israel in Maspha, quod nullus eorum filias suas daret uxores filiis Benjamin (*Judic.* xxi). Tandem pœnitentes de deletione tribus unius requisierunt, quis de Israel non ascenderat cum eis, nec juraverat. Et inventi sunt filii Jabes Galaad non interfuisse certamine. Et percusserunt eos a viro usque ad mulierem, solis quadringentis virginibus reservatis. Et advocantes sexcentos viros de Petra Remmon reddiderunt eis sortem Benjamin, et quadringentas illas virgines dederunt eis in uxores. Et inito consilio de dandis uxoribus ducentis, qui remanserant, dixerunt eis : « Ecce solemnitas Domini est in Silo, et ascendent filiæ Israel ducentes choros, et vos latentes in vineis exite, et rapite singuli singulas uxores. » Et factum est ita. Et restituta est tribus Benjamin. « In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur faciebat. » Eadem est clausula, quæ est supra. Ideo forte videtur, quod circa idem tempus utrumque factum fuerit.

*Additio 1. Decimam partem virorum intellige. Sensus est. Decimam partem virorum elegerunt, ad apportanda cibaria.

**Additio 2. Petra hæc excelsa fuit. Rama autem *excelsum* sonat. Unde de planctu istorum plangentium filios suos dicitur in Evangelio : « Vox in Rama, » etc. (*Matth.* II.)

Digitized by Google

HISTORIA LIBRI RUTH.

CAP. XXIII. *De Ruth.*

Post Samsonem judicavit Israel Heli sacerdos, qui non tantum judex, sed sacerdos a digniori officio agnominatus est. Et translato sacerdotio a filiis Eleazari, hic primus de filiis Ithamar accepit sacerdotium (*Ruth.* I). In diebus ejus facta est fames in terra; et surrexit Elimelech, de Bethlehem Ephrathæus cum uxore sua Noemi, et duobus filiis suis Mabalon. et Chelion. Et ingressus est regionem Moabitidem, ut pasceretur ibi. Quo mortuo, filii ejus duxerunt uxores Moabitidas Orpham et Ruth. Tamen Josephus dicit quod pater accepit filiis suis uxores, et manserunt ibi decem annis, et mortui sunt ambo sine liberis. Noemi vero vidua, et orbata filiis, surrexit ut rediret in patriam. Audierat enim quod Dominus dederat populo suo escas, et comitabantur eam nurus suæ**. Quærait ad eas : « Revertimini, filiæ meæ, in domum matris vestræ. Non enim ultra potes is sperare viros ex utero meo. » Et nota quoniam apud Moabitas servabatur lex de semine suscitando, et acquievit Orpha, et reversa est. Ruth vero sequebatur eam. Cui Noemi : « Audi, filia : Non est Deus noster, sicut dii gentium, nec populus noster secundum ritum gentium vivit; expedit tibi ut redeas ad populum tuum, et ad deos tuos. » Et ait Ruth : « Populus tuus, populus meus, Deus tuus, Deus meus. » Profectæque sunt simul, et venerunt in Bethlehem, quæ prius dicebatur Ephrata ab uxore Caleb***; hæc fuit Maria soror Moysi, secundum quosdam, translata de Eremo, quæ, postquam percussa est lepra, agnominata est Ephrata, id est *furorem vidit*, id est experimento iram Dei cognovit. Vel interpretatur *speculum*, quia plaga ejus omnibus est posita in exemplum; sed tunc primo propter incredibilem ubertatem sibi redditam cepit vocari Bethlehem. quod est *domus vanis*. Percrebuit fama in Bethlehem, et dicebant : « Hæc est illa Noemi. Quibus illa : Nec vocetis me Noemi, quod est *pulchram*, sed vocate me Mara, quod est *amaram*. Egressa sum plena, et vacuam reduxit me Dominus, amaritudine plenam. Et tunc primo metebantur hordea. Erat autem ibi vir potens, et opulentus Booz consanguineus Elimelech (*Ruth.* II). Intrabat itaque Ruth agros illius de voluntate Noemi, et colligebat spicas post metentes. Accidit autem ut egrederetur Booz ad agrum, et ait messoribus : « Dominus vobiscum. » Et quæsivit cujus esset hæc puella. Et dixerunt : « Hæc est Moabitis illa quæ venit cum Noemi. Et ait Booz ad eam. Filia, ne vadas in alterius agrum. Nullus puerorum molestus erit tibi. Si sitis, vade ad sarcinulas puerorum meorum, bibe, et hora vescendi veni huc, et comede, et intinge buccellam in aceto****. A Reddat tibi Deus Israel mercedem, quoniam confugisti sub alas ejus. » Pueris quoque suis dixit : « Projicite de manipulis vestris de industria, ut absque rubore colligat. » Cumque comedisset Ruth ad latus messorum, conjecit polentam, quam Josephus alphitam vocat, et conservabat eam socrui suæ. In vespera autem quæ collegerat virga excutiens, invenit hordei quasi ephi, id est tres modios. Cumque redisset ad socrum, indicavit ei quæ fecerat sibi Booz. Et ait Noemi : « Propinquus noster est homo, benedictus sit a Domino. » Idipsum fecit Ruth sequentibus diebus, usque ad areæ ventilationem. Mos erat in Israel quod in ventilatione areæ dominus grande convivium parabat pueris suis et messoribus. Et dormiebat in area et quasi solemnizans abstinebat ab amplexibus. Idipsum fiebat in tonsione ovium. Si post vindemias fieret non legi. Et ait Noemi ad Ruth : « Lavare, filia, et ungere, et induere cultioribus vestimentis, et ascende in aream cum aliis. Non te videat homo, donec inebriatus fuerit. Cumque obdormierit, projicies te a parte pedum ejus, et ibi jacebis (*Ruth.* III). » Et fecit omnia, quæ sibi socrus imperaverat. Et ecce media nocte evigilans homo expavit dicens : « Quæ es? Et illa : Ego sum ancilla tua. Expande pallium tuum super me, quia propinquus es. » Cumque indicasset ei Booz in talibus derogationibus castitatem esse servandam, addidit : « Alius propinquior me est. Si te voluerit retinere jure propinquitatis, bene res acta est, alioquin ego te suscipiam, vivit Dominus. » Surrexit itaque Booz de loco ubi jacuerat juxta arconium manipulorum*****, antequam homines mutuo se cognoscerent, et implevit palliolum illius hordeo, quasi sex modiis, et rediens Ruth onusta ad socrum, indicavit ei quæ dixerat Booz. Ascendit ergo Booz ad portam, et sedit cum judicibus, et vocavit decem de senioribus civitatis, et advocavit propinquiorem illum, de quo dixerat, et ait ad illum : « Partem agri patris nostri Elimelech disposuit vendere Noemi. Nos duo soli propinqui sumus, sed tu propinquior. Eme ergo, si placet. At ille; ego emam. Cui Booz : Ergo non ex media parte oportet te legum habere memoriam, habeas necesse est cum agro relictam Maalon, ut suscites nomen propinqui tui. At ille ait, cedo a jure propinquitatis; tu autem utere meo privilegio. Et ait Booz : Tolle ergo calceamentum tuum, ut firma sit confessio (*Ruth.* IV). » Josephus tamen dicit : Booz itaque testificans seniores, jussit mulieri, ut ejus solveret calceamentum, secundum legem, et in faciem ejus spueret. » Joannes vero ait : « Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere****** (*Marc.* I). » Ex his tribus conjicitur quoc

Digitized by Google

secundum diversos casus, quandoque ipse repudians solvebat sibi calceamentum, quandoque vero mulier solvebat ei, quandoque vir qui suscipiebat eam. Sed quocunque modo fieret, in opprobrium refugii contra legem domus ejus dicebatur, domus discalceati. Et ait Booz astantibus : « Hujus rei testes estis. Qui dixerunt : Testes sumus. Faciet Dominus hanc mulierem tibi sicut Rachel et Liam, quæ ædificaverunt domum Israël. » Accepit itaque Booz Ruth in uxorem. Et post annum natus est ei filius quem posuit Noemi in sinu suo, nutricis et gerulæ fungens officio. Et dixerunt ad eam vicinæ congratulantes : « Ecce habes qui nutriat senectutem tuam, et serviat tibi plus quam septem filii. Ob hoc vocavit nomen ejus Obed, quod Hebraice interpretatur *serviens*. Hic est pater Isai patris David.

Additio 1. Sic certum, quod cum Aaron quatuor habuit filios, duo ex eis in deserto igne perierunt; eorum qui remanserant, major natu fuit Eleazar, cui debebatur sacerdotium, quod duravit usque ad Heli, qui fuit de Ithamar fratre suo.

**Additio* 2. Super Paralipomenon dicit Hieronymus quod in diebus Elimelech, sol stetit ad transgressores legis. Sed quia non timuerunt Deum, tanta fames invaluit, ut potior in tribu Juda fugeret cum uxore et liberis.

***Additio* 3. Opiniones plures ponuntur. Unde civitas, quæ nunc Bethlehem dicitur, prius vocata fuit Ephrata, secundum primam opinionem dicentem, Mariam sororem Moysi translatam illuc, quia mortua fuit in deserto. Hieronymus tamen dicit, quod Caleb suscepit de Ephrata, Hur virum Mariæ, et Hur genuit Bezeleel.

****Additio* 4. Cum terra illa calidissima sit, homines regionis illius contra remedium æstus in condimentis suis aceto, quod frigidum est, utuntur. Contraria enim contrariis curantur, quoniam etiam calidissimus æstus mitigatur.

*****Additio* 5. Arconium dictum est ab arcendo, quia gelimæ ibi arcentur quælibet ab alia.

******Additio* 6. Sensus verborum Joannis secundum unam expositionem is est : Putabatur Joannes sponsus sponsæ, id est Ecclesiæ, et fuit consuetudo, ut, mortuo uno sine prole, uxorem ejus duceret propinquior ejus cognatus. Quod si nollet proximus, eum discalceabat, et duxit eam. Dicit ergo Joannes : Non sum ego sponsus, sed Christus, cujus corrigiam calceamenti non sum dignus solvere, ut ducam ejus sponsam; non tamen ipse discalceabat repudianter ducens eam. Quod notat hic.

HISTORIA LIBRI I REGUM.

Cap. I. *Præfatio.*

Liber Regum in quatuor voluminibus distinguitur apud nos; secundum Hebræos autem in duobus, et dicunt primum Samuel, a nomine auctoris; secundum vocant Melachim, id est *regum*, a materia, quidam vocant Melachoth, quod sonat *regnorum*, sed vitiose. Agitur enim in eo de uno regno Judæorum tantum, et de regibus ejus, licet in duo divisum fuerit. Scriptus est autem chronice liber iste sub istis regibus, qui compactus est in unum a Jeremia, quod exinde patet, quod idem finis est hujus libri, et Jeremiæ. Ad commendationem autem Samuel præmittitur commendatio patris ejus in hunc modum.

Cap. II. *De parentibus Samuelis.*

Fuit vir unus de Ramathaimsophim, de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana Ephrathæus (*I Reg.* 1). Vir enim ponitur hic non pro sexu, sed pro vigore virtutum, nec unus pro numero, sed pro singularitate religionis præ aliis. Dicitur autem civitas ejus Ramathaim, quæ in Evangelio dicitur Arimathæa (*Matth.* XXVII), a Josepho dicitur Ramath, quia in excelso sita erat, Sophim vero *speculatio* interpretatur; et est ibi genitivus casus, ac si diceretur de Ramathaim *speculationis*, quia ex ea circumjacens regio longe videri poterat, sic tradit Hieronymus. Alii distinguunt sic de Ramathaimsophim. Non est autem mons Ephraim nomen montis, sed regionis. Unde in sequentibus ubi legitur de duodecim præfectis regionum, qui ministrabant Salomoni per singulos menses; ponitur Dechar præfectus montis Ephraim. Fuit autem Elcana Levita nonus decimus a Levi, descendens ab eo per Caath, et Isaar et Core. Unde patet quod Samuel non fuit Aaronita, et dicitur Ephrathæus, id est Bethlehemita. Fuit enim secundum matrem de tribu Juda. Unde postea Samuel posuit unum de filiis suis judicem in Bethlehem tanquam inter contribules. Et nota quod quidam tria nomina distinguunt sic : Effratæus ad Effraim scribunt per duo *ff*; Euphrathæus ad Ephrata, per *ph*; Ephrathæus ad Euphraten, quod est frugifer, per *eu*, et est, ut dicunt, terminus Judææ juxta Euphraten.

Cap. III. *De Phenenna et Anna uxoribus.*

« Habuit autem Elcana duas uxores, nomen uni Anna, et nomen secundæ Phenenna (*I Reg.* 1). » Et cum debuit dicere alteri de duabus, dixit secundæ, innuens quia, licet pares essent in nomine uxorio, tamen hæc secunda erat in amore viri. Erat autem Anna pulchra, sed sterilis, Phenenna vero

Digitized by Google

fecunda. Et ascendebat vir ille tribus statutis diebus, secundum legem, in Silo ad adorandum. Erant autem in Silo filii Heli Ophni et Phinees sacerdotes. Cumque immolasset Elcana, dedit « Phenennæ, et filiis et filiabus ejus partes, Annæ autem dedit partem unam tristis. » Quidam putant hoc dictum esse de vestibus novis, quas distribuebat uxoribus et liberis in die festo. Sed magis putandum est esse dictum de partibus sacrificiorum, quæ contingebant offerentes, quas tanquam sanctas Levitæ cæteris distribuebant. Hebræus sermo magis videtur sonare, « dedit ante missionem unam duplicem, » quasi unam partem æquipollentem duabus. Porro Anna tristis erat pro sterilitate, et non sumebat cibum, et egressa est ad fores tabernaculi, ut oraret, Heli sedente ante postes, ut, quærentes consilium, paratum eum invenirent, et flens Anna votum vovit Domino. « Domine exercituum, si dederis mihi sexum virilem, dabo eum tibi Nazaræum omnibus diebus vitæ suæ. » Et attendens Heli motum labiorum vocemque non audiens, æstimans temulentam ait: « Digere paulisper vinum quo mades. Quæ respondit: Nequaquam, Domine. Sed mulier infelix ego sum, usque adhuc. Ora pro ancilla tua. » Intelligens autem eam Heli sterilem, ait: « Det tibi Deus Israel petitionem tuam. » Hebræus tamen habet, « dabit. » Unde mulier ex promissione sacerdotali secura abiit, « vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati, » id est animus ejus non est deinceps distractus in varietates dubitationis.

CAP. IV. *De ortu Samuelis.*

Et factum est ut pareret filium, et vocavit nomen ejus Samuel, id est *postulatio Dei*, quia a Deo postulatum susceperat, nec ascendit mulier in Silo cum viro suo, donec ablactaret filium (*I Reg.* I). Et cum ablactatum duxit in Silo cum vitulis tribus et modiis farinæ tribus. Hebræus tamen habet, « et in modio farinæ, et cum amphora vini, » quæ est mensura trium modiorum. Nec attulit similam et vinum ad libandum tantum, cum in libaminibus vitulorum pauciora sufficerent, præsertim cum non nisi unum vitulum obtulisset, sed intelligendum est quod residuum dedit domui sacerdotum. Porro mirum videtur esse puerum bimum, quasi noviter ablactatum, adductum esse ad ministrandum in tabernaculo. Propterea quidam dicunt tres esse ablactationes: prima est a lacte mamillæ, quæ fit tertio anno; secunda a lacte infantiæ, quæ fit septimo; tertia a lacte pueritiæ, quæ fit duodecimo, et sic amovetur puer a nutrice, a pædagogo, a tutore. Dicunt ergo quidam eum adductum post secundam ablactationem ad imbuendum litteris. Unde in sequentibus legitur quod per singulos annos mittebat ei mater tunicam parvam (*I Reg.* II). Alii dicunt quod post tertiam ablactationem quasi jam idoneum ad ministrandum. Unde statim sequitur: « Puer autem erat minister in conspectu Domini (*ibid.*) » Cumque obtulisset puerum Heli, ait Anna: « Vivit anima tua, domine. Ego sum mulier infelix pro qua orasti, et ecce filius, quem dedit mihi Dominus. » Genus erat jurisjurandi per confirmationem, quasi diceret, per animam tuam, domine. Quidam tamen quandoque per exsecrationem dici putant ibi, ut, vivit anima tua, rex, si novi eum, quasi diceret: Destruet me vita tua, rex, si novi eum, et oravit Anna Dominum, et dixit: « Exsultavit cor meum, etc. (*ibid.*). Canticum tamen est proprie, non oratio, et continet tria hoc canticum, primum est gratiarum actio pro beneficio sibi præstito; secundum est invectio in superbos occasione Phenennæ, ut ibi: « Nolite multiplicare loqui; » tertium prophetat de regno Christi, ut ibi: « Dominus judicabit fines terræ. » Quod autem legitur in cantico, « donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est, » Hebræus habet pro plurimos, *septem*, et pro infirmata est, *secta est*, et tradit quod singulis Annæ filiis nascentibus, singuli Phenennæ filii moriebantur; et quinque filiis Annæ duos filios Samuelis connumerat, ut sint septem. Rediit Elcana in domum suam, et Samuel ministrabat ante Heli, et dicit eum Josephus anno duodecimo pleno prophetasse.

CAP. V. *De filiis Heli.*

Porro filii Heli nescientes Dominum, partem sacerdotalem de sacrificiis, antequam adolerent adipem, tollebant ab offerentibus crudam, ut lautius sibi præpararent eam, et mittebat puer sacerdotis fuscinulam in ollam, et quidquid levabat fuscinula, erat sacerdotis (*I Reg.* II); quod non erat portio, sed rapina. « Samuel autem ministrabat accinctus ephod lineo, » non sacerdotali, sed prophetico; « et tunicam parvam afferebat ei mater singulis annis, » et visitavit Dominus Annam, et habuit tres filios et duas filias. « Heli autem erat senex valde; » et audivit peccata filiorum, qui dormiebant cum mulieribus excubantibus ad ostium tabernaculi, et eas quæ venerant ad purificandum, polluebant. Quidam tamen volunt quod non admiscebantur mulieribus, sed corrupti pecunia dabant mulieribus licentiam commiscendi viris suis infra dies purificationum. Unde et pater dixit eis: « Transgredi facitis populum Domini, » et tepide arguebat eos. Venit autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum: « Loquens locutus sum, ut domus patris tui ministraret mihi in sempiternum. Absit hoc a me! Sed honorantes me glorificabo, et contemnentes abjiciam. Ecce præcidam brachium domus patris tui, » id est auferam sacerdotium de domo tua pro quo debebatur ei armus dexter, « et videbis æmulum tuum in templo. » Quod factum est in diebus Salomonis cum Sadoc, qui fuit de Eleazar, factus est sacerdos, ejecto Abiathar, qui fuit de Ithamar (*I Paral.* XXIV). Quidam tamen autumant translatum esse sacerdotium ad Samuelem, qui non fuit Aaronita. Sed nec legitur Samuelem fuisse sacerdotem, nec Aaronitas amotos a sacerdotio, usque circa tempora Machabæorum. Quod autem addidit vir

Digitized by Google

Dei, « magna pars domus tuæ morietur, » forte impletum est in proximo, quando occubuerunt filii ejus in bello, vel quando Saul sacerdotes Nobe interfecit, et in signum futuræ veritatis prædixit ei una die filios ejus morituros. « Porro in diebus illis erat sermo Domini pretiosus (*I Reg.* III), id est rarus. »

CAP. VI. *Quod tertio Dominus vocavit Samuelem.*

« Et factum est una die Heli jacebat in lecto suo, et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre lucernam diei, antequam exstingueretur (*I Reg.* III). » Quod mirum videtur. Non est enim aliquis adeo cæcutiens, quin clarius videat lucernam ardentem quam exstinctam, præsertim cum cæcutientes oculi clarius videant ad lucernam quam ad diem. Quidam sic distinguunt : Nec poterat videre lucernam Dei, antequam exstingueretur, id est morereretur. « Samuel autem dormiebat, » et superabundabat « autem. » Huic sensui videtur consentire Hebræus, qui distinguit ibi, « nec poterat videre ; » et subjungit, « lucerna Domini nondum exstinguebatur, » et sic congrue sequitur ; « Samuel autem dormiebat in templo Domini, » id est in thalamo juxta tabernaculum, ubi solus cum Heli sacerdote dormiebat. Unde cum vocasset eum Dominus, cucurrit ad Heli, dicens : « Vocasti me. » Falsum dixit, sed non est mentitus. « Et ait Heli : Non vocavi te. Revertere, et dormi, » et factum est secundo similiter. « Nondum enim Samuel sciebat Dominum, » id est nondum habebat consuetudinem audiendi Dominum. Cumque vocasset eum Dominus tertio, iterum abiit ad Heli. Intellexitque Heli quod vocasset eum Dominus, et ait : « Si deinceps vocaverit te, dices : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. » Cumque vocasset eum Dominus dormientem, ait : « Loquere, Domine, » et indicavit ei eamdem comminationem in domum Heli, quam prius fecerat per virum Dei. Non tamen putandum est irritam factam esse promissionem, quam fecerat Dominus Aaron de sacerdotio sempiterno. Promissionibus enim hujusmodi semper addenda est conditio quandoque posita : « Si custodierint filii tui testamentum meum, etc. (*Psal.* CXXXI.) Videtur Josephus velle Dominum ideo tertio vocasse Samuelem, ut præfiguraret tres ipsius dignitates futuras. Fuit enim propheta, quod ab hac vocatione dicit eum habuisse ; fuit quoque judex ; obtulit etiam, quasi sacerdos, eo quod parvulus esset Ichabod nepos Heli. Mane adjuravit Heli Samuelem, ut indicaret ei universum sermonem Domini, et indicavit ei omnia. Et ait Heli : Dominus est ; quod bonum est in oculis suis faciat. Crevit autem Samuel, et cognovit universus Israel, quod fidelis propheta Samuel esset Domino, » et consuluit eum omnis populus, juxta verbum Domini. Præceperat enim Dominus, ut abjicerent divinos et ariolos, et hujusmodi, et sciscitarentur a fratribus suis verbum Domini.

CAP. VII. *De morte Heli, et filiorum ejus, et captione arcæ a Philisthiim.*

Et factum est, convenerunt Philisthiim in pugnam in Aphech (*I Reg.* IV), qui dicitur locus Jezraphel, pertinens ad Israel, quam vocat Josephus civitatem Ampheolbenitis. Israel quoque egressus est in prælium juxta Lapidem adjutorii, quod per prolepsim dictum est, id est per anticipationem, postea patebit, et victus est Israel, et ceciderunt de eo quasi quatuor millia virorum, et dixerunt seniores : « Afferamus de Silo arcam Domini sedentis super cherubim. Quod ideo dictum est sicut et in Psalmo : « Qui sedes super cherubim (*Psal.* LXXIX), » quia gloria Domini ibi quandoque apparebat. Et tulerunt arcam, et iverunt cum ea duo filii Heli. Nam et Phinees jam fungebatur officio patris sui ; et acceperant mandatum ab Heli, ne forte redirent ad eum sine arca, et timuerunt Philisthiim, et acrius pugnaverunt. Fugitque Israel, et cæsa sunt ex eo triginta millia peditum, et arca Domini capta est, et duo filii Heli mortui sunt. Cucurrit autem puer Benjamita ex acie, et indicavit in Silo quod factum fuerat. Heli autem sedebat contra viam quæ ducebat ad castra, spectans, id est auscultans. Jam enim cæcus erat, ut tradunt Hebræi, id est cæcutiens. Qui, audita strage populi, et morte filiorum quievit. Cum autem audisset arcam captam cecidit retrorsum, et fractis cervicibus exspiravit. Nurus autem ejus uxor Phinees prægnans erat, et præ dolore incurvavit se, et peperit filium septem mensium, ut dicit Josephus, et vocavit eum Icabod, id est *inglorium*, dicens : « Translata est gloria Domini de Israel. » Porro Heli judicavit Israel quadraginta annis. Cui concordat Josephus ; LXX vero et Paralipomenon dicunt viginti. Potest dici quod, post Samsonem, viginti anni fluxerunt sine judice, qui aggregati sunt annis, quibus judicavit Heli. Quidam tamen dicunt viginti annos quibus judicavit Samuel, aggregandos annis Heli magistri sui. Sed verius anni Samuelis, cum annis Saulis ascribuntur. Sane potuit fieri ut Heli factus judex transtulerit sacerdotium de domo Eleazar. Eleazar quidem succedit Phinees. Cui successit Abiezer, cui successit Buzi, cui successit Ozi, et translatum est sacerdotium.

Incidentia.

In diebus Heli fuit tertius rex Latinorum Silvius posthumius filius Æneæ, et Laviniæ, a quo deinceps Latini reges Silvii denominati sunt. Hunc Ascanius hæredem reliquit adhuc parvulo filio suo Julio, a quo Juliorum familia et originem traxit et nomen. Hectoris filii Ilium receperunt, expulsis posteris Nestoris.

CAP. VIII. *De remissione arcæ.*

Tulerunt autem Philisthæi arcam Domini in Azotum, et statuerunt eam juxta Dagon, quasi tropæum (*I Reg.* V), et surgentes diluculo invenerunt Dagon prostratum in terra ante arcam, et quasi adorantem, ut dicit Josephus, et restituerunt eum

Digitized by Google

in locum suum. Rursus mane sequente invenerunt eum prostratum, caput vero, et manus ejus abscisæ a trunco jacebant super limen. Ob hoc nullus ingrediens templum in Azoto calcat super limen, usque in hodiernum diem, et aggravata est manus Domini super Azotos, et percussit eos in secretiori parte natium, et computrescebant prominentes extales eorum. Quod Josephus dicit factum ex crudeli passione dysenteriæ, ita ut putrefacta egererent intestina, et mures ebullientes de agris corrodebant extales eorum, et, satrapis convocatis, dixerunt ad eos : « Quid faciemus de arca ? Qui dixerunt. Circumducatur. » Quocunque autem circumducebatur, percutiebat omnes in posterioribus ; et fecerunt sibi sedes pelliceas, et convenientes principes quinque urbium, tractabant quid facturi essent, et erant qui dicerent causam passionum factam per arcam, alii per casum, alii per corruptionem aeris et fructuum terræ. Dixerunt autem sacerdotes et divini : « Cur aggravatis cor vestrum sicut Pharao et Ægyptus (*I Reg.* VI). Remittite arcam, sed non vacuam. Reponite in capsella juxta arcam quinque annulos aureos et quinque mures aureos, pro numero civitatum quæ percussæ sunt. » Josephus tamen dicit, quinque simulacra hominum aurea : « Et ponetis arcam super plaustrum novum, et conjungetis duas vaccas fetas, quibus non est impositum jugum, et vitulos earum recludetis domi, et si recto itinere ascendant contra Bethsames, ipsa fecit nobis hoc malum ; alioquin casu factum est. Ibant ante vaccæ mugientes in directum, nec declinantes ad dexteram, nec ad sinistram per viam, quæ ducit Bethsames. » Et hæc est una sacerdotalium civitatum in tribu Benjamin. Est altera Bethsames in tribu Nephthalim. « Porro Bethsamitæ metebant triticum, et venit plaustrum in agro Josue Bethsamitæ, et stetit ibi. Et posuerunt arcam super lapidem grandem, » quem putant Hebræi fuisse aram, et ædificatam ab Abraham, « et capsellam, quæ erat juxta eam, et conciderunt Levitæ ligna plaustri, et vaccas posuerunt super ea in holocaustum Domino. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, et victimas in die illa. » Asserunt quidam quinque tantum esse civitates Philisthiim, et ideo quinque tantum misisse annulos aureos et quinque mures. Sed in sequentibus legitur Siceleg fuisse civitas Philisthinorum (*I Reg.* XXVII). Unde melius videtur, quod dicit Isidorus quinque fuisse tantum metropoles ; « et quæque obtulit annulum aureum et murem ; aliæ solum mures obtulerunt, usque ad Abel magnum super quem posuerunt arcam Domini. » Et videtur hæc littera sonare, quod Abel sit nomen lapidis super quem posita fuit arca. Alii asserunt civitatem, quæ tunc Bethsames dicebatur, quæ postea dicta est Abel, quod interpretatur *luctus*, propter luctum Bethsamitarum qui secutus est. Et additum est, magnum, ad differentiam alterius Abel, quæ in sequentibus Abela dicitur, ubi sapiens mulier exclamavit ad Joab (*II Reg.* XX) : « Qui interrogant, interrogent in Abela *. » Et tunc legitur « super quem posuerunt arcam, » id est juxta quem. « Et percussi sunt de Bethsamitis septuaginta viri, et quinquaginta millia plebis, eo quod vidissent arcam nudam. Creduntur autem illi septuaginta deposuisse arcam, cum non essent sacerdotes. Si quæritur cur ergo mortui non sunt Philisthæi quotquot viderunt arcam, potest dici quod non peccaverunt videndo, quibus non erat prohibitum videre. Timentes autem Bethsamitæ miserunt ad viros Cariathiarim, ut reducerent ad se arcam (*II Reg.* II). Qui reduxerunt eam, et tulerunt eam in domum Aminadab viri justi in Gabaa **. Et Eleazarum filium ejus sacerdotem instituerunt in custodiam arcæ, et fuit ibi viginti annis usque ad octavum annum regni Saulis, quo ipse tulit eam in castra. Manserat autem apud Philisthæos septem mensibus; et tunc quievit Israel post Dominum, sedata ira Domini super eos.

**Additio* 1. Quando volebat eam Joab capere, ut sit sensus, noli eam destruere, quia omnes in ea capiunt consilium faciendorum.

***Additio* 2 De Cariathiarim transtulit eam Samuel in Masphath ; post, ipse et Saul in Galgala ; post, Saul in Nobe, et de Nobe in Gabaa ; post, David in domum Obed ; post, in Sion ; post, Salomon in templum. Has omnes translationes diligens lector advertere poterit in hoc libro.

Cap. IX. *Quod orante Samuele vicit Israel Philisthiim.*

Quod attendens Samuel, et videns eorum fiduciam in Domino, ait : « Ascendamus in Masphath, ut orem pro vobis (*I Reg.* VII), » Cumque ascendissent in Masphath effundens aquam coram Domino, in qua maledicta congesta erant, quam si idololatra bibebat. Labia ejus adhærebant sibi inseparabiliter, forte in signum fœderis sicut fecit Josue, et indicavit eos ibi Samuel, id est docuit eos judicia Dei. Quidam tamen asserunt Samuelem quoddam idolum redegisse in pulverem, et mistum dedisse populo ad bibendum, et in barbis eorum indicasse reos idololatriæ a non reis, sicut quondam fecit Moyses. Et audierunt Philisthiim congregatum Israel esse inermem in Masphath, et armati ascenderunt adversus eos, et timens Israel dixit ad Samuelem : « Clama pro nobis ad Dominum. » Et obtulit Samuel lactentem agnum in holocaustum. Et dum clamaret Samuel ad Dominum, initum est prælium, et intonuit Dominus fragore magno super Philisthæos, et mota est terra, et per loca pandebat hiatus, et Philisthæi in fugam versi, cæsi sunt a filiis Israel, qui percusserunt eos, usque ad terminos terræ suæ. Tulitque Samuel lapidem, et posuit eum in terminis, et vocavit nomen loci illius Lapis adjutorii. Nec apposuerunt ultra Philisthiim, ut intrarent terminos Israel, dum viveret Samuel. Judicabat itaque Samuel populum in Bethel, et Galgala et Masphath circumiens per singulos annos, et revertebatur in Ramatha, et ædificavit ibi altare, sed

Digitized by Google

et ibi judicabat Israel. Tres illæ civitates famosæ erant; Bethel, propter somnium Jacob; et Galgala propter circumcisionem secundam; et Masphath propter frequentiam Josue, et ascendebat ad eas Samuel vicissim in tribus solemnitatibus hebdomadariis, et judicavit ibi populum. Aliis diebus ascendebat ad eum populus in Ramatha ad judicandum.

CAP. X. *De malis filiis Samuelis, et quod Israel petiit regem.*

Cum autem senuisset Samuel, posuit filios suos Joel et Abiam, alterum in Bethel, alterum in Bersabee, ut ibi sedentes judicarent populum (*1 Reg.* IX). Qui declinaverunt post avaritiam, et perverterunt judicium. Quod non ferens populus dixit ad Samuelem : « Da nobis regem, ut judicet nos sicut cæteræ gentes habent. » Quod graviter tulit Samuel propter insitam sibi justitiam, et circa odium regis. Cumque consuluisset Dominum, ait ei Dominus : « Audi vocem populi. Nec te tantum abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. Verumtamen prædic eis jus regis super eos. Et ait Samuel ad populum : Hoc erit jus regis : Filios vestros faciet sibi servos suos, equites et præcursores, agricolas, et fabros armorum; filias vestras faciet unguentarias et coquestrias et panificas. Servos vestros, et ancillas, et jumenta ponet in opere suo, optimaque vestra dabit servis suis, et vos eritis ei servi. Et ait populus : Non audiemus te, sed erit rex nobis, et pugnabit ante nos, et ait Samuel : Ite ad propria opportune vos evocabo, cum cognovero a Domino, quod daturus sit vobis regem. »

CAP. XI. *De unctione Saulis et electione.*

« Et erat vir de Benjamin, nomine Cis, de stirpe Jemini, cujus erat filius Saul, non erat vir melior illo in Israel. Cumque periissent asinæ Cis, dixit ad filium. Tolle unum de pueris, et quære asinas (*1 Reg.* IX). » Cumque pertransissent per montem Ephraim, et terram Salim, et terram Benjamin, et non invenissent, venerunt in terram Suph, qui fuit proavus Samuelis, et ait Saul ad puerum : « Revertamur, ne pater meus sollicitus sit pro nobis. Cui puer : Est vir Dei in civitate hac, qui absque ambiguitate loquitur. Eamus ad eum, si forte indicet nobis de via nostra. Et ait Saul: Quid feremus ad eum? Panis defecit in cistartiis nostris, et sportulam non habemus, » id est argentum in sportula. Errabat, ut ait Josephus, putans prophetam accepturum munera, cum nec Saul legitur obtulisse, nec ille accepisse. Cui puer : « Habeo in manu mea quartam partem stateris argenti. » Et ascenderunt in Ramatha, in qua erat vir Dei, et dixerunt puellis egredientibus ad aquam : « Nunquid est hic videns? Quæ responderunt : Est hic hodie sacrificaturus in excelso *. » Cumque ambularent in urbis medio, apparuit ei Samuel, cui pridie dixerat Dominus : « Cras, hac hora, mittam ad te virum de Benjamin, quem inunges super populum meum. Cumque Samuel aspexisset Saul, dixit ei Dominus : Ecce vir, quem dixeram tibi. Et ait ad Saul : Ego sum videns, ascende, ut comedas mecum; cras dimittam te, et quæ sunt in corde tuo indicabo tibi, et de asinis noli esse sollicitus, quia inventæ sunt. » Posset videri Saul habuisse sollicitudinem in corde pro asinabus, nisi hic determinasset prophetа. Unde aiunt Hebræi Saulem vidisse per somnium se collocatum in vertice palmæ, quod est signum regnaturi, et inde sollicitus erat, et ob hoc dixit ei Samuel : « Cujus erunt optima quæque in Israel? Nonne tibi? » Ascenderunt in excelsum; ante templum enim licebat sacrificare in excelso **. Cumque recumberent in triclinio, dedit ei Samuel locum in capite triginta virorum qui fuerant invitati, et posuit ante eum armum, quasi partem regalem, quem de industria servaverat ei. Cumque mane surrexissent, et egressi essent civitatem, dixit Samuel : « Antecedat nos puer, et, tu, subsiste, ut indicem tibi verbum Domini. Tulit autem Samuel lenticulam olei; » quod est vas fictile, quadrangulum habens foramen in latere « et effundit super caput ejus, et osculatus est eum, et ait : Unxit te in principem Deus super hæreditatem suam, et hoc tibi signum : Cumque recesseris a me, invenies duos viros, juxta sepulcrum Rachel, qui dicent tibi quod inventæ sunt asinæ. Cumque veneris ad quercum Thabor, et est Thabor nomen hominis, non montis, invenient te tres viri, unus portans tres hœdos, alius tres tortas panis, et alius lagenam vini, et accipies de manu eorum duos panes. Post hoc venies ad locum qui dicitur statio Philisthinorum, eo quod quondam ibi Philisthæi castrametati sunt, et habebis obviam cuneum prophetarum descendentium de colle Domini, psallentium in instrumentis, et prophetantium; et insiliet in te spiritus Domini, et prophetabis cum eis (*1 Reg.* X). » Et nota quod Samuel primo instituit conventus religiosorum jugiter psallentium Domino, et dicebantur conventus eorum cuneus, quasi couneus. Et, dicebantur prophetare, id est jugiter Deum laudare, et forte aliqui quandoque prophetabant ex eis. Et addidit Samuel : « Cum videris hæc signa, scias quod Dominus tecum est, et descendas ante me in Galgala, quia ibi conveniemus, cum opus fuerit. Ego quippe descendam ad te, ut offeras oblationem septem diebus. » In consecratione enim sacerdotis et regis tot diebus fiebat oblatio, secundum quosdam. Et addidit : « Exspecta hic, donec veniam ad te, et ostendam tibi quæ facias. » Tamen quidam, septem dies referunt ad exspectationem, ut sit sensus. Septem diebus exspectabis donec veniam : quod postea explicabitur. Cumque venisset Saul ad cuneum prophetarum, prophetavit cum eis Saul. Aiunt Hebræi eum prophetasse de Gog et Magog, et de præmiis justorum et pœnis malorum. Et admirantes, qui noverant eum, dixerunt : Nunquid est Saul inter prophetas, et Cis pater ejus? Quasi dicat : cum non sit de genere prophetarum. Alia littera habet : « Et quis pater ejus? » sub eodem sensu; vel ita :

Digitized by Google

« Et quis pater eorum ? » Quasi dicat : solus Deus est pater prophetarum, « et Spiritus ubi vult, spirat (*Joan.* III), » non tantum in filios prophetarum. Exinde versum est in proverbium : « Num et Saul inter prophetas ? » Quod forte de solo Saule dicebatur, vel de quocunque repente sublimato. Et intravit ad Ner patruum suum. Qui cum quæsisset ab eo de verbis Samuelis, de verbo regni tacuit, cætera indicavit. Vocavit autem Samuel populum in Maspha, et ait ad illos : « State coram Domino, et faciemus fortes per tribus, et familias, et capita, et invenit sors tribus Benjamin, et descendit usque ad Saul filium Cis. » Et creditur Samuel temperasse sortes juxta cor suum. Sciens autem Saul quod quæreretur, latuit, quasi nolens suscipere principatum. Quem inventum statuerunt in medio populi, « et fuit altior universis ab humero et sursum. Et ait Samuel : « Ecce quem elegit Dominus ; non est ei similis in omni populo. Et exclamavit omnis populus : Vivat rex ! Et scripsit Samuel legem regni, et legit universo, audiente populo et rege. Et reposuit libellum in tabernaculo, quod erat adhuc in Maspha cum altari, et redierunt ad propria, et Saul abiit in domum suam in Gabaa ; quidam vero despexerunt eum, et Saul dissimulabat. »

* *Additio* 1. Sacrificium dicitur prandium, quod paraverat Samuel illis.

** *Additio* 2. Cum in multis locis damnentur sacrificantes in excelso, quid est, quod Samuel dicitur sacrificasse in excelso ? Solve : nondum erat constructum templum.

Cap. XII. *De Naas et secunda unctione Saulis, post victoriam contra Ammon.*

« Factum est autem, quasi post mensem, Naas Ammonites obsedit Jabes Galaad (*I Reg.* XI). » Cumque petissent ab eo obsessi fœdus, ait : « In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnibus vobis oculos dextros. » Eis enim quos bello capiebat, dextros oculos eruebat, ut sinistros scitis celantes ad bellum forent inutiles. Et responderunt ei : « Concede nobis septem dies ; et mittemus in omnes terminos Israel ; et si non fuerit nobis defensor, egrediemur ad te. Venerunt autem nuntii in Gabaa Saulis. » Et cum nuntiassent hoc, flevit populus, et ipse Saul veniebat de agro sequens boves, et promisit Jabitis se tertia die venturum eis in auxilium, et jussit aliquos eorum, pro ducatu itineris sustinere, et divinitus inspiratus concidit utrumque bovem in frusta, et comitatus est in omnes terminos Israel, dicens : « Qui non exierit post Saulem et Samuelem, sic fiet bobus ejus. » Et egressi sunt omnes quasi vir unus, trecenta millia virorum ; et constituit Saul populum in tres partes, et ingressus est castra in vigilia matutina, et percussit Ammon plaga grandi : « Et ait populus ad Saul: Quis est qui dixit : Non regnabit Saul super nos. Date nobis ut interficiatur. Et ait Saul : Non interficietur quispiam hodie ; quia fecit Dominus salutem in Israel. Et ait Samuel : Eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum. » Et inunxerunt Saul in regem secundo in Galgala. « Et ait Samuel ad populum : Ecce rex graditur ante vos. Me abjecistis, et Dominum ; et hoc vobis signum, quod dedit Dominus vobis regem in ira : ecce messis tritica est hodie. Invocabo Dominum, et dabit tonitrua et coruscationes, grandines et pluvias (*I Reg.* XII). » Et sic factum est statim contra naturam terræ illius. Et populus timens ait : « Ora pro servis tuis. Addidimus enim peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem. Et ait Samuel : Peccastis : nolite deinceps recedere a Domino, et vivetis ; alioquin peribitis vos, et rex vester. » Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpisset, id est humilis tanquam parvulus ; duobus autem annis regnavit super Israel, id est juste rexit populum (*I Reg.* XIII). In reliquis annis regni quasi tyrannus fuit, et non rex. Quidam hoc legunt de Isboseth filio ejus, dicentes eum anniculum esse in principio regni paterni. Et de eodem dictum est quod duobus annis regnavit in Israel, quod autem duobus annis regnavit Isboseth certum est, quod autem anniculus esset, cum regnare cœpisset pater ejus, stare non potest. Saul enim circiter viginti annos regnavit. Isboseth vero regnans post patrem jam quadragenarius erat. Quod tamen ipsi determinare conantur dicentes Saul cœpisse regnare post Heli ; et ponunt in regno Saulis annos Samuelis. Hebræus sic habet.

Cap. XIII. *Quod Samuel prædixit Sauli de translatione regni.*

« Filius unius anni erat Saul * cum esset in regno, et duobus annis regnavit. Elegit sibi tria millia in Israel (*I Reg.* XIII), » id est, cum regnasset per annum et post duos annos, quasi post tres annos, elegit sibi, etc. « Et erant duo millia cum Saul in Machmas et in Bethel ; mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin, » quæ fuit urbes Phinees filii Eleazari. « Et percussit Jonathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa, » id est locum munitum, in quo posuerunt Philisthæi custodes tanquam dominantes in Israel, et tunc erexit se Israel adversus Philisthiim. Quo audito, Philisthæi congregati sunt ad pugnandum contra Israel triginta millia curruum, et sex millia equitum, et vulgus innumerabile. Et ascendens Saul in Galgala convocavit populum et Samuelem ad consulendum Dominum. Et cum exspectaret Samuelem septem diebus, juxta condictum, dilapsus est ab eo populus ; et timentes « absconderunt se in speluncis, et in abditis, et in antris; Hebræi quoque transierunt Jordanem. » Quidam erant in Israel, sic appropriato vocabulo dicti. Qui præ timore creduntur descendisse in castra Philisthiim ad obsequendum eis. Cumque vidisset Saul moram sibi damnosam septima die obtulit holocaustum et pacifica. Cumque complesset, ecce Samuel veniebat, et arguens Saulem ait : « Quid fecisti ? Respondit Saul : Populus subterfugiebat, et tu non veneras juxta placitos dies ; timui ne hostes

Digitized by Google

ascenderent ad nos, priusquam placarem faciem Domini, et necessitate compulsus obtuli Domino. » Videtur Saul peccasse, quod sine Samuele obtulit holocaustum Domino ad consulendum. Unde quidam, ut supra diximus, dicunt septem dies quos dixit Samuel, non esse exspectationis, sed oblationum in consecratione regis, et dicunt nunquam sine eo esse offerendum ad consulendum Dominum. Verumtamen ut oblationes septem dierum fierent, « pro sacerdote » legitur, « pro rege » vero non memini me legisse. Ad hoc valde mirandum est, cum jam bis inunctus esset Saul in regem, quod in neutra illarum fuit oblatio talis pro rege. Et ideo dici potest Samuelem sic mandasse, ut, cum vellet Saul immolare ad consulendum Dominum, citaret ipsum, ut ostenderet ei quæ facturus esset; et post citationem si moram faceret, exspectaret eum septem diebus. Saul vero diem citationis annumeravit in his septem, et non exspectavit eum nisi sex diebus. Et addidit Samuel : « Nequaquam regnum tuum ultra consurget; sed quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum, ut regat populum ejus. » Abiit Samuel in Gabaa Benjamin, et egressus est Saul cum populo obviam Philisthæis, nec erant cum eo nisi sexcenti viri, et Jonathas filius ejus. « Porro faber ferrarius non erat in Israel; caverant enim Philisthæi ne facerent Hebræi gladium, aut lanceam. Et descendebat Israel ad Philisthiim, ut exacuerent aries omnium ferramentorum usque ad stimulum corrigendum, » id est ad emendandum et exacuendum. Vel ita, « ad stimulum, qui est ad corrigendum, » subaudi, boves. « Cumque venisset dies prælii non est inventus ensis, vel lancea in manu totius populi, excepto ense Saul et Jonathæ. » Et fecit Saul arcam Domini afferri juxta castra, et Achias filius Achitob fratris Ichabotd portabat ephod.

* *Additio* 1. — Duplex potest esset intellectus hujus capituli, vel ut Saul sit nominativi casus, vel quod sit dativi.

CAP. XIV. — *De clade Philisthiim, et fato quem comedit Jonathas.*

Accidit autem ut quadam die exiret Jonathas cum armigero suo, ut exploraret stationem Philisthinorum, patre suo ignorante (*I Reg.* XIV), et transire voluit Jonathas ad Philisthæos per vallem præruptam scopulis, hinc et inde eminentibus, in modum dentium. Et ait Jonathas ad puerum : « Cum apparuerimus eis, si dixerint : Manete donec veniamus ad vos, stemus : Quod si dixerint : Ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manus nostras : hoc erit nobis signum. » Cumque dixissent Philisthæi : « Ascendite ad nos, » ascendit Jonathas reptans manibus et pedibus, et armiger ejus post eum. Et exterruit eos Dominus ante Jonatham, et percussit Jonathas cum puero ex eis viginti viros in media parte jugeri. Et conturbata sunt castra, et diffugiebant, mutuo se perimentes; et indicaverunt speculatores fugam hostium Sauli. Cumque quæsisset : « Quis ex nobis abiit? » repertum est abesse Jonatham et armigerum ejus. Et ait ad Achiam : « Applica, » id est præpara, « arcam Domini ad consulendum Dominum. » Cumque tumultus crebresceret in castris, ait ad sacerdotem : « Contrahe manum tuam. » Et exclamans Saul cum populo cœpit persequi fugientes; sed et Hebræi, qui transierant ad castra Philisthiim, reversi sunt, ut essent cum Israel, omnesque, qui se prius absconderant, redierunt in prælium, et jam erant cum Saul quasi decem millia. Vidensque Saul moram damnosam si comederet, adjuravit populum, dicens : « Maledictus vir, » id est dignus erit morte, « qui comederit panem, usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. » Cumque transiret populus per saltum, apparuit mel fluens, et nullus gustavit ex eo. Jonathas vero, qui non audierat maledictum patris, tinxit virgam in favo. Et cum gustasset, « illuminati sunt oculi ejus, » id est facies exhilarata est resumptis viribus. Dicitur quod tanta copia mellis est ibi in cavis arborum, et cavernis petrarum et abditis terræ, quod plures reperiantur favi decidentes super terram. Dicit Josephus invenisse Jonatham apud cubilia in quercu, quæ erat in sorte Ephraim. Cumque indicasset ei quidam maledictum patris, edere cessavit, non approbans maledictum patris : « Nonne, sumente populo cibum, major plaga fuisset in hostibus? In vespera vero populus fessus nimis, et præ fame moram non sustinens, pecora mactavit in terra, et comedit cum sanguine; » hoc est, quocunque modo occidit et coxit, antequam sanguis bene dilueretur, nondum purgatis carnibus vescens; non secundum morem patrium, guttura cultro laniavit, et eliquavit sanguinem *. Dicunt quidam quod de præda hostium nemini licebat edere, donec immolasset victimam Domino, aliter edens, quasi cum sanguine edebat. Et ait Saul populo : « Peccastis; volvite ad me saxum grande. » Et præcepit ut omnes super illud saxum, et coram ipso, secundum morem patrium, pecudes laniarent, ne forte quis aliter faceret occulte. « Tum primum ædificavit Saul altare Domino. » Unde patet quod non super recens altare Saul jam bis obtulerat in Galgala. Putant tamen quidam eum, quotiescunque obtulerit, novum altare construxisse. Hoc vero dictum primum, quod nunc plena juxta Dei placitum obtulit. Cumque nocte irruere vellet super hostes, ait sacerdos : « Consulamus Dominum. » Sed consulenti « non respondit Dominus in die illa; » hoc est nec nocte, nec die sequenti. Et ait Saul : Taciturnitas hæc est latentis causa peccati. « Per viventem Dominum etiam si per Jonatham factum est, absque retractatione morietur. » Et statuit populum in parte una, et se et Jonatham in parte altera, et cecidit sors super Jonatham. « Et ait Saul : Quid fecisti? Cui Jonathas : Nil mihi conscius sum, nisi quod heri nesciens maledictum, mel comedi. Et ait Saul : Morieris, Jonatha, quia nisi hoc fecero, hæc faciat mihi Deus, et hæc addat. Et ait populus : Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem in Israel? Vivit Dominus, »

Digitized by Google

id est per viventem Dominum, vel sicut Deus est vivens, et non dii gentium, « si ceciderit capillus de capite ejus in terram. » Aposiopesis est, vel legitur *si*, pro *non*, « et eripuerunt Jonatham e manibus patris, et redierunt ad propria. »—« Saul vero confirmatus in regno, quocunque se verterat superabat hostes Israel, et percussit Amalec : » prolepsis est. Vel forte prius percussit quam deleret ex toto, ex mandato Domini. Fuerunt autem filii Saulis Jonathas, et Jessui, et Melchisua. Quartus tacetur Isboseth, tanquam puer et nondum militans, vel tanquam ineptus. Filiæ vero ejus Merob, et Michol, et uxor ejus Achinoam, et princeps militiæ Abner filius Ner patrueli ejus : nam Cis, et Ner fratres fuerunt, et filii Abiel. Legitur tamen in Paralipomenon, quod Ner fuit pater Cis (*I Parat.* VIII) : quod pro ætate dictum est, et quia nutrivit eum.

**Additio* 1. Usus erat quod in prælio non edebant, donec sacrificium vespertinum fieret pro eo. Alioquin edebant cum sanguine quem fuderant in bello.

CAP. XV. — *Quod Saul vicit Amalec.*

« Tunc ait Samuel ad Saul : Hæc dicit Dominus : Demolire Amalec, et universa ejus, quia restitit Israeli, cum ascenderet de Ægypto (*I Reg.* XV). » Jumenta quidem voluit Dominus interfici, ut nec in aliquo memoria Amalec superesset. Sunt qui dicant illos maleficos fuisse, et in pecudes se vertendi habuisse peritiam; et ideo ne sub forma pecudum evaderent, etiam pecudes periisse. « Et recensuit Saul ducenta millia peditum, et decem millia virorum Juda. » Nota quod fere ubique dicuntur viri Juda, quam potiores cæteris. Unde alibi : « Catulus leonis Juda (*Gen.* XLIX). » Cumque invaderet Saul Amalec, dixit Cinæo : « Recede ab Amalec, ne involvam te cum eo, quia tu fecisti misericordiam cum Israel. » Jethro enim qui, et Raguel et Cis dictus est, bonum consilium dedit Moysi (*Exod.* XVIII), cujus domus habitabat in Amalec, præter filios Oliab, et egressi sunt Cinæi, et deinceps habitaverunt in Israel. Ex his ortus est Rechab, ut in Paralipomenon legitur : « Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore domus patris Rechab (*I Parat.* II). » —« Tunc percussit Saul Amalec in ore gladii, » id est in vastatione quasi devoratione; vel est locutio, id est in gladio, « et pepercit Saul Agag regi Amalec, et optimis armentorum. Et ait Dominus ad Samuelem : Pœnitet me quod fecerim Saul regem. » Et oravit Samuel pro eo Dominum tota nocte. Cumque accepisset quod Saul erexerat sibi fornicem triumphalem in Carmelo, juxta superbiam gentium, quæ faciebant figi arcum de myrtis, et palmis, et olivis, in signum victoriæ, descendit ad eum in Galgala, et occurrit ei Saul. Cumque culpasset eum quod quidpiam reservasset de Amalec, in excusationem sui dicebat populum reservasse optima ad offerendum Domino in gratiarum actionem. Cui Samuel : « Melior est obedientia quam victimæ. » Super bonos delectatur Deus, et non super sacrificia, præsertim si obtulerint quæ decreverat Deus perire. Et Saul : « Peccavi : sed hac vice porta peccatum meum, » id est ora et satisfac pro me, vel dimitte mihi. Cui Samuel : « Projecit te Deus, ne sis rex super Israel. » Cumque vellet abire Samuel, apprehendit eum Saul per summitatem pallii ejus, quæ scissa est, et ait Samuel : « Sic scidit Dominus regnum a te hodie, » id est a tua posteritate. Cumque simul adorassent Dominum, præcepit Samuel adduci ad se regem Agag, et oblatus est ei pinguis et tremens. Et dixit ad Samuel Agag : « Siccine separat amara mors, » quasi diceret : Mirum est quod sic te concutit mors, et separavit animam tuam a te. Quidam dicunt, « duas dictiones separavit, » et supplent, « adversum te; » vel, secundum aliam litteram, « et dixit Agag : Sic me separat amara mors. » Quasi dicat : Mors quæ separaverat a me meos, amarissime separat me ab hominibus. Et concidit eum Samuel in frusta, et abiit in Ramatha. Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa; et non vidit Samuel ultra Saulem, in habitu scilicet regio; nam in prophetico postea vidit.

CAP. XVI. — *De unctione David in domo patris.*

Samuel autem lugebat Saul, et ait Dominus : « Usquequo luges Saul, cum ego projecerim eum : Imple cornu oleo, et vade ad domum Isai, ut inungas regem unum de filiis ejus; et quia times Saul, fer vitulum quasi ad immolandum (*I Reg.* XVI). » Cumque venisset in Bethlehem, dixerunt seniores ad eum : « Pacificusne est ingressus tuus? » Timebant enim ne propter aliquam correctionem misisset rex, vel quod offensus forte regi fugisset, et non auderent eum recipere. Qui cum dixisset se venisse ad immolandum, sanctificavit Isai, et filios ejus, et statuit eos coram altari, et videns Eliab primogenitum procerum, et optimum æstimavit regem futurum, et ait Dominus ad eum : « Ego non corporis pulchritudinem apicem facio regalem, sed animi virtutem. » In eumdem modum probavit Dominus alios. Statuerat enim Isai septem filios coram Samuele, septem proprios, et Nathan adoptatum filium Samaa filii sui, et ait Samuel ad eum : « Nunquid completi sunt filii? Qui respondit : Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. » Et jubente Samuele adductus est « David rufus, » id est rubicundus. « Et pulcher; et unctus est in medio fratrum, et directus est Spiritus Domini in David a die illa et deinceps. Et recessit Spiritus Domini a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam » missus « a Domino. » Dicit Josephus David tunc accepisse spiritum propheticum, sicut ille quidem prophetare cœpit, sancto super se Spiritu veniente. Sed quia dictum est spiritum recessisse a Saul, et directum in David, videtur quod de eodem spiritu dicatur, id est, de gratia Spiritus, qua hucusque Saul victor hostium exstiterat. Tunc dixerunt ad Saul servi ejus : « Spiritus malus exagitat te : adhibe tibi psaltem peritum in cithara, et levius feres. » Tradunt physici quod harmonia lætum reddat lætiorem, et tristem tristiorem. Tradunt

Digitized by Google

mathematici quod multi dæmones harmoniam ferre non possunt, et quandoque nulli; et indicatum est regi quod David esset sciens psallere et vir bellicosus. Cumque misisset rex ad Isai pro filio ejus, « tulit Isai asinum plenum panibus, et vinum, et hœdum, et misit ea regi per manum David. » Dicitur autem asinus plenus, id est sufficienter oneratus, vel forte, sicut ex bove et hirco fiunt utres, ita de asino flebant sacci ad aliqua ferenda. « Igitur cum spiritus arripiebat Saul, David psallebat in cithara, et levius erat ei, et quandoque recedebat ab eo spiritus. » Cumque aliquandiu cessisset spiritus Saul, remissus est David ad patrem.

CAP. XVII. *De bello Philisthiim contra Israel, et de morte Goliæ.*

Factum est autem ut congregarentur Philisthiim adversus Israel in prælium. Porro Saul, et Israel castrametati sunt in valle Terebinthi, sub qua abscondit Jacob idola. « Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum Goliath Gethæus » de semine giganteo, « altitudinis sex cubitorum, et palmi (*I Reg.* XVII). » Iste spurius dictus est, quia de ignobili patre, id est gentili, et nobili matre, id est Judæa natus erat. Spurius et hybrida dicitur ignobilis ex patre, sicut *manzer*, et nothus ex matre. Hic exprobrabat Israel quod servi essent Philisthinorum, et proponebat eis monarchiam, ita ut quorum vinceretur athleta, servi essent aliorum. Hebræi autem stupebant, et metuebant eum nimis. Sic dicebat Goliath quadraginta diebus. Erant autem tres majores fratres David in exercitu, et misit eis Isai per manum David ephi polentæ, et decem panes, et tribuno sub quo militabant decem formellas casei, id est decem caseos parvos et recentes. Hebræus habet decem sectiones casei. Hoc est decem genera, et diversitates casei, et præcepit ut secum afferret pignora fratrum, id est libellos repudii. Mos erat euntibus ad bellum, ut libellos repudii darent uxoribus, ut, si caperentur nec redirent usque ad tres annos, liceret uxoribus nubere cui vellent. Cumque David venisset ad locum certaminis, egrediebantur enim singulis diebus aliqui præliantes, ecce ascendebat Goliath exprobrans ut heri, et nudiustertius, et fugerunt Israelitæ a facie ejus, et admirans David, audivit a pluribus viris: « Qui percusserit istum, ditabit eum rex, et dabit ei filiam suam. » Cumque audiret eum Eliab frater ejus talia sciscitantem, increpabat eum, timens ne pugnaret et occumberet. Et respondit David. « Quid feci? Nunquid non verbum est [*sup.*, dignum increpatione]? » Quasi dicat: Cur pro solo verbo increpas me? Vel ita: Verbum tantum est, et non res, id est non animo pugnandi hoc dico, sed ut rem sciam. Nuntiata sunt ante verba David ad Saul, et ait ad regem: « Ego servus tuus pugnabo adversus Philisthæum. » Cumque prohiberet eum Saul, quia puer esset, addidit: « Ego servus tuus interfeci leonem et ursum, cum invasissent gregem. Erit igitur hic incircumcisus quasi unus ex eis, » Domino me liberante. Tunc induit eum Saul armis suis: et deposuit ea David, quia non habebat armorum consuetudinem, « et tulit in manu baculum pastoralem, et elegit de torrente quinque lapides limpidissimos, » id est planos et volubiles, « et misit eos in peram pastoralem, » id est vas quo lac mulgebat, vel ferebat panem, « et fundam manu tulit, et processit adversus Philisthæum. » Qui contempsit David, et ait: « Nunquid ego canis sum, quia tu venis ad me cum baculo. Cui respondit David. Tu venis ad me cum armis, ego autem venio ad te in nomine Domini, ut sciat hodie universa ecclesia hæc, quia non in gladio salvat Dominus. Cumque jecisset lapidem, funda percussit eum in fronte. Secundo quoque, et tertio lapide percussit eum in eodem loco, et tertio jactu dejecit eum, et currens eduxit gladium illius, et præcidit caput ejus. Hic fabulantur quidam Judæi, quod ferrum galeæ loricæ obsequium præstitit Domino, dans locum lapidi, ut intraret ad hominem occidendum, et ob hoc deinceps circumcisio facta est cum cultello ferreo, quæ prius fiebat petrino. Fugerunt itaque Philisthæi, et Israel persecutus est eos, usque ad portas Accaron. « Tulit autem David caput, et gladium, et posuit in tabernaculo suo: » longo tempore post tulit illa in Jerusalem, Hebræus non habet « suo. » Ob hoc creditur quod in trophæum posuit ea in tabernaculo Domini. Unde postea Abimelech accepit gladium. Cumque rediisset David a prælio, ait Saul ad Abner: « De qua stirpe est hic adolescens? » Forsan volens scire, cui daturus esset filiam. Nec recognovit eum Saul, quia aliquandiu absens fuerat, et alteratus per excogitationem mali spiritus, factus erat labilis memoriæ*. Et respondit Abner: « Vivit anima tua, rex, si novi eum, » id est per vitam tuam non novi eum, vel per exsecrationem. Hebræi enim sæpe nominant mala a contrariis eorum, ut ibi: « Benedic Domino, et morere (*Job* II). » Cumque quæsisset Saul a David, quis esset, ait: « Filius sum servi tui Isai. » Et tunc anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et inierunt fœdus: et dedit Jonathas David vestimenta sua, usque ad arcum, et gladium, et balteum (*I Reg.* XVIII). »

Additio 1. Quamvis ante sæpe præsens fuisset regi, cum cithara leniret eum, tamen non cognovit eum modo.

CAP. XVIII. *Quod Saul persecutus est David.*

Factum est, cum redirent triumphantes de prælio, et David disponeret ferre caput Goliæ in Jerusalem: nam, ut ait Josephus, hoc secum habebat, sed hastam jam dicaverat Deo, egrediebantur mulieres ex universis urbibus; et cum instrumentis præcinebant mulieres: « Saul percussit mille; » et respondebant virgines: « Et David decem millia (*I Reg.* XVIII). Audiens Saul causam victoriæ potius attribui David quam sibi, dolens intra se ait: « Quid ei superest, nisi solum regnum. » Et timuit ne a domo sua transferretur regnum; « et invidebat David, nec jam rectis oculis respiciebat eum. Post

Digitized by Google

dies paucos invasit spiritus malus Saul; » et quasi prophetabat; missa lancea quam tenebat, David psallentem putavit configere parieti. David autem declinavit ab eo secundo. Primo enim recesserat, bello imminente, et postea statuit eum Saul cliliarcham, et ait: « Filiam meam Merob dabo tibi, tantummodo esto vir fortis, et præliare bella Domini. » Tractabat enim apud se : « Non sit manus mea in eum, sed manus Philisthinorum. Cum autem debuit Merob dari David data est Hadrieli Molathitæ. Dilexit autem David, Michol, et placuit Saul, et ait ad eum : In duabus rebus gener meus eris hodie : » quod est in duabus filiabus meis*. Nam alteram habuisti sponsam, alteram habebis uxorem; vel ita : Pro duabus rebus, quia stravisti gigantem, et dabis centum præputia, hoc enim significavit ei Saul per servos suos, non habet rex necesse habere sponsalia, id est munera, vel donationem propter nuptias, nisi tantum centum præputia Philisthinorum. Et abiit David cum viris, quorum tribunus erat in Accaron, et percussit de Philisthiim ducentos viros, et afferens præputia eorum, annumeravit ea regi. Josephus tamen dicit abscidens sexcenta capita venit ad regem; et nuptias exigebat, et dedit ei Saul filiam suam, licet invitus. Cumque videret, eum apud Dominum et homines approbari, timuit, et tractabat de morte ejus. Nec jam metum celare volens, « dixit Jonathæ, et servis suis, ut occiderent David (*I Reg.* XIX). Quod indicavit Jonathas David, dicens : « Abscondere, usque mane, cras loquar patri pro te. In crastinum locutus est Jonathas ad patrem. Cur peccas in sanguine innoxio, qui fecit salutem in Israel, et opera ejus tibi valde sunt necessaria, et cujus morte filia tua vidua vexabitur. Et placatus Saul juravit. Vivit Dominus, quia non occidetur. » Et introduxit Jonathas David ad regem, et stetit coram eo, sicut prius.

**Additio* 1. Hieronymus dicit duas res fuisse, centum præputia, quæ prius dederat regi pro Merob, et ducenta, quæ postea dedit pro Michol.

Cap. XIX. *Quod Michol deposuit David persecutum a Saul per fenestram.*

Rursum inito certamine, percussit David Philisthæos plaga magna, et invidit Saul, et iterum dæmon exagitabat eum, et David psallentem voluit, sicut prius, perforare, et fugit David in domum suam (*I Reg.* XIX). Misit autem Saul satellites nocte circa domum, ut mane egredientem occiderent. Quod cum præsensisset Michol, deposuit eum per fenestram, et aufugit. Michol autem stravit lectulum suum, quasi ægrotantis, in quo posuit statuam, et pellem caprarum ad caput ejus, similitudinem capillorum exprimens, et sagis superposuit jecur capræ spirans exprimens anhelantem. Cumque Saul deprehendisset se esse illusum, dixit ad Michol : « Cur dimisisti inimicum meum. » Quæ respondit : Timui, dixit enim mihi : « Dimitte me, alioquin interficiam te. » David autem fugiens, venit ad Samuelem in Ramatha, et indicavit ei omnia quæ fecerat ei rex, et abierunt ambo in Naioth, qui est collis in Ramatha, ubi erat cuneus prophetarum. Quod cum accepisset Saul, misit lictores in Naioth, ut raperent David. Qui cum vidissent prophetas, et Samuel stantem super eos, factus est in illis Spiritus Domini, et prophetabant. Misitque secundos, et tertios nuntios, qui et ipsi prophetaverunt, et iratus Saul abiit post eos, et antequam venirent in Naioth, ingrediens prophetabat, et quasi amens factus est, et exutus veste regia, tota die et nocte, canebat cum cæteris, David et Samuele clam videntibus*. Fugit autem David inde et venit ad Jonatham, et quærebatur ei. Cui Jonathas : « Non morieris. Nihil grande, vel parvum faciet pater meus, quod non indicet mihi. Cui David : Scit pater tuus, quod diligis me, et dicet : Nesciat hoc Jonathas, vivit anima tua, quia uno tantum, ut ita dicam, gradu, ego et mors dividimur (*I Reg.* XX). » Gradum unum dicit parietem domus suæ, quo interposito evaserat manus apparitorum. Hebræus habet « uno tantum passu, » et est sensus : Minimum intervallum fuit inter me et mortem. « Fac ergo, obsecro, quod dicam : Cras erunt Kalendæ, et ego abscondar in agro, usque ad vesperam tertiæ diei. Si requisierit me rex, quia consedere consueveram, juxta eum ad vescendum**, dices ei : Rogavit me David, ut iret in Bethlehem, quia victimæ solemnes sunt ibi omnibus contribulibus ejus. » Forte erat neomenia solemnis aliqua per triduum. « Quod si dixerit tibi rex : Bene, pax erit servo tuo. Sin autem fuerit iratus, completa est in me malitia ejus, et ait Jonathas : Egrediamur in agrum. » Cumque egressi essent, juravit ei Jonathas quod quidquid boni vel mali invenerit apud patrem, indicaret, et juraverunt sibi mutuo fœdus inter se et semen suum. « Addidit etiam Jonathas dejerare, id est plurimum jurare. Quod autem interpositum est « requisivit Dominus de manu inimicorum David, hoc de suo addidit scriptor in spiritu***, et addidit Jonathas : « In die qua operari licet, » id est pridie Kalendarum, ut quidam volunt, sed melius est ut de sequenti die intelligatur, « egredieris, et sedebis latens juxta lapidem Ezel, et veniens ad te post solemnitates, jaciam tres sagittas juxta eum, quasi exercens me ad signum. Si dixero puero, qui tollet eas : Ecce sagittæ intra te sunt, pax tibi est, veni ad me. Quod si dixero : Sagittæ ultra te sunt vade, Dominus sit inter me et te usque in sempiternum. » Porro prima die solemnitatis apparuit locus David vacuus, et siluit Saul æstimans David nondum purificatum. Altera die requisitum a rege, excusavit eum Jonathas, et iratus Saul dixit ad eum : « Fili mulieris virum ultro rapientis, scio quia in confusionem tuam diligis filium Isai, non stabilieris eo vivente tu, neque regnum tuum. Adduc eum ad me, quia filius mortis est. Et ait Jonathas : Quare morietur? et arripuit Saul lanceam, ut percuteret eum. » Et declinavit Jonathas ab eo contristatus, nec comedit panem in die illa, et egressus in agrum fecit

Digitized by Google

secundum, quod dixerat David. Et cum dixisset puero : « Ultra te sunt sagittæ, » remisit puerum in civitatem cum arcu et sagittis. Et surgens David de latibulo, adoravit tertio, Deum scilicet, vel ipsum Jonatham. « Et fleverunt valde, et ait Jonathas : Quæcumque juravimus fient in sempiternum inter nos et semen nostrum. Vade in pace. »

* *Additio* 1. Quid est ergo, quod supra legitur, non vidit Samuel Saul, usque in diem mortis suæ, nisi quia non vidit eum in regio habitu.

** *Additio* 2. Hebræi tradunt, David non comedisse, nec aperte legitur hoc, quod comederit.

*** *Additio* 3. Esdras, vel alius, quia David exhæreditavit postea filium Jonathæ.

CAP. XX. *De fuga David in Nobe.*

Et fugit David in Nobe ad Abimelech sacerdotem, fratrem Achiæ. Qui cum miraretur, quod quasi solus venisset gener regis, ait ad eum David : Secretus sermo regis urgebat me, et condixi pueris in illum, et illum locum, et ideo private veni, et cum paucis, vel fere cum nullis. Nunc si quid habes ad manum, saltem quinque panes, da mihi (*I Reg.* XXI). Forte ex numero panum, numerus intelligitur sociorum, nec mentitur David. Non enim animo fallendi hoc dixit. « Et respondit sacerdos : Non habeo panes laicos ad manum, sed tantum panem sanctum, panes scilicet propositionis. Si mundi sunt pueri, et maxime a mulieribus, manducent, » quasi dicat : Necessitas non habet legem ; si tamen immundi sunt pro coitu, nec in necessitate dabo eis. « Et ait David ad eum : « Continuimus nos ab heri et nudiustertius, et fuerunt vasa puerorum sancta, » id est corpora in quibus continentur animæ, vel ipsi pueri. « Porro et via hæc polluta est, sed ipsa sanctificabitur hodie in vasis, » quasi dicat, forte in via hac aliquid immunditiæ contraximus ; sed munditia corporum sufficit ad eam mundandam. Hebræus habet : « Sunt vasa puerorum sancta » et dicunt de vasis ad edendum, quasi dicat : In vasis mundis licet tibi ponere panes mundos. Sequitur : « Porro via hæc » laica « est, » id est interrogatio tua laicalis est *, quasi dicat : Cur quæris de munditia, cum etiam, si mundi essent, vesci non deberent? « Sed et ipsa santificabitur hodie in vasis, » id est in conscientiis nostris. Scimus enim quia necessitas, quæ non habet legem, excusat nos, et quasi sanctificat, et dedit eis panes propositionis, qui sublati fuerant, ut ponerentur calidi. Ex hoc perpenditur quod Sabbatum erat. Cumque quæsisset ab eo David, si haberet arma, dedit ei gladium Goliæ. Josephus dicit lanceam, quæ erat involuta pallio in tabernaculo. Erat enim tunc ibi arca cum aliquo suo tabernaculo. Et consideravit hæc omnia Doeg Idumæus potentissimus pastorum Saul, qui erat ad orandum obligatus voto.

* *Additio* 1. Iterum dicunt ipsum fuisse Achiam ; filium Architon, filii Phinees, filii Eleazari.

CAP. XXI. *De fuga David ad Achis.*

Fugit autem David in die illa ad Achis regem Geth (*I Reg.* XXI). Et indicaverunt servi sui regi, quod quasi rex erat in Israel, qui latebat apud eum, et de vicino hostem reciperet, si salvum eum servaret, et timuit David præsertim, quod miserat Saul ad Achis, ut redderet ei servum suum fugitivum. Cumque traheretur ad regem, simulavit furorem, et impingebat in ostia portæ, quasi per clausam portam ingredi volens, et quæ furiosi faciunt agebat, ut fidem regi veræ passionis ostenderet, et ait rex : « Non ingredietur hic arreptitius domum meam, et dimisit eum. » Et abiit inde David, et latuit in spelunca Odollam (*I Reg.* XXII), non tamen statim, sed prius venit ad Naas regem Ammonitarum, ut dicit Hieronymus in sequentibus in quadam glossa. « Et convenit ibi ad David omnis cognatio ejus. Sed et alii, quibus aut odio, aut timor Saulis erat, vel qui ære premebantur alieno, convenerunt ad eum, et fuerunt cum eo, quasi quadringenti armati. Et profectus est David cum eis in Maspha, quæ est Moab. » Est enim altera in Juda, et deposuit apud regem Moab patrem, et matrem suam, et manserunt apud eum quandiu David fuit in præsidio, id est in expeditione, in qua sibi quærebat munitiones ad manendum.

CAP. XXII. *De morte Abimelech, et octoginta quinque sacerdotum.*

Et monente Gad propheta, ut inde recederet, et iret in terram Juda, profectus in terram Juda, venit in saltum Haret (*I Reg.* XXII). Et audivit Saul, quod apparuisset David, et cum esset Saul in nemore, quod est in Rama tenens hastam, ait ad servos suos : « Nunquid ditabit vos omnes filii Jemini filius Isai? Non est ex vobis qui doleat vicem meam? » et ait Doeg Idumæus : « Vidi eum in Nobe, apud Abimelech, filium Achitob, qui consuluit pro eo Dominum, et dedit ei cibaria et gladium Goliæ, et iratus rex convocavit Abimelech, et omnes sacerdotes, qui erant in Nobe, et ait ad eum : Cur conjurasti adversum me cum filio Isai. Dedisti enim ei panes et gladium. Qui respondit : Absit hoc a me ! Non suspicetur rex hujusmodi rem in universa domo patris mei. Nescivi quod a te fugisset, et ait rex emissariis : Irruite in sacerdotes. Qui noluerunt manus extendere in christos Domini. Et ait rex ad Doeg : Irrue in eos. Et trucidavit in illa die octoginta quinque viros vestitos ephod lineo. » Forte tunc erant induti, ut per habitum religionis moverent animum regis. Aiunt Hebræi, non omnes fuisse sacerdotes, nec indutos Ephod, sed omnes dignos esse. Percussit quoque Saul Nobe viculum sacerdotum, et mulieres, et viros, et jumenta secundum quod Deus Heli sacerdoti prophetaverat, prolem ejus radicitus evellendam. Solus Abiathar sacerdos filius Abimelech evasit, et fugit ad David ferens ephod secum, quod fecit Moyses, et nuntiavit ei interitum patris et suorum. Et ait David : « Ego sum reus omnium animarum patris tui. Mane mecum. Qui quæsierit animam tuam, quæret et meam. » Et nuntiatum est

Digitized by Google

David, quod Philisthæi oppugnarent Ceilam, et diriperent areas, id est annonam de areis, vel quod vastarent segetes. « Consuluit igitur Dominum : Vadam et percutiam Philisthæos. Et ait Dominus : Vade et percuties eos, et salvabis Ceilam. (*I Reg.* XXIII). » Cumque timerent viri ejus ire cum eo, rursus consuluit Dominum, et accepit responsum ab eo, quod et prius. Et abiit David, et percussit Philisthæos plaga magna, et intravit Ceilam. Quod cum audisset Saul ait : » Conclusus est David in urbe. Et congregabat exercitum, ut obsideret David et viros ejus. Quod cum audisset David, consuluit Dominum per Abiathar : Descendet huc Saul, et tradent me viri Ceilæ in manus ejus. Et ait Dominus : Descendet, et tradent te, quasi diceret : Hæc est voluntas regis, et illorum quæ Deum latere non poterat. Et egressus est David, et viri ejus cum eo, quasi sexcenti, et vagabantur incerti. Quod cum accepisset Saul, dissimulavit exire. Transivit autem David in montem solitudinis Ziph, et abiit Jonathas ad eum in locum silvæ, qui vocabantur Nava, et confortavit manus ejus in Deo, et ait : « Tu regnabis in Israel, et ego ero tibi secundus. Sed et pater meus scit hoc. » Et innovaverunt jusjurandum fœderis inter se coram Domino, id est coram Gad propheta, et Abiathar.

CAP. XXIII. *De Ziphæis et quoa David latuit in spelunca fugiens a facie Saul.*

Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa dicentes : David latet apud nos in colle Hachillæ. Veni, et trademus eum in manus tuas. Et benedixit eis Saul, et ait : « Considerate curiosius ubi sit pes ejus, et renuntiate mihi, et sequar vos. David autem, et viri ejus erant in deserto Maon (*I Reg.* XXIII). » Cumque egressus esset Saul ad quærendum eum, ascendit David ad Petram, locum scilicet munitissimum, ut dicit Hieronymus, ubi quæ sibi erant oneri reposuit, et versabatur David in deserto Maon in monte opaco. Porro viri Saul, in modum coronæ, cingebant montem. Cumque desperaret David se posse evadere, venit nuntius ad Saul : Redi festinus, quoniam infuderunt se Philisthæi super terram. Et desiit Saul persequi David pergens in occursum Philisthinorum. Ob hoc vocaverunt locum illum Petram dividentem, eo quod illi separatus esset Saul a David. « Ascendit ergo David inde, et habitavit in locis tutissimis Engaddi (*I Reg.* XXIV), hoc est oppidum, in quo erat vinea balsami. Assumens autem Saul tria millia electorum, insequebantur David etiam, super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus * sunt perviæ. Et intravit Saul speluncam, ut purgaret ventrem. Porro David, et viri ejus in interiori parte speluncæ latebant. Et dixerunt servi David : Tradidit eum Dominus in manus tuas. Et præcidit David oram chlamydis Saul silenter. Et rediens ad viros, percussit cor suum, « metonymice, » id est pectus suum, in quo continetur cor, vel momordit eum conscientia sua de eo quod fecerat ; cumque murmurarent socii ejus adversus eum, timens ne irruerent in Saul, ait : « Vivit Dominus, quia, nisi Dominus percusserit eum, aut in obitu, aut in prælio » apposiopesis est, quasi dicat : de cætero non parcam ei. « Propitius mihi sit Dominus, » id est hanc misericordiam faciat mecum, ut non mittam manum meam in christum Domini. « Et confregit viros suos his sermonibus. Porro Saul egressus ibat cepto itinere. Et egressus David post eum clamavit : Domine mi rex. » Cumque respexisset, Saul adoravit David in terram, et ait : « Quare audis, domine mi rex, verba hominum loquentium adversum me mala, dicentium : David quærit malum adversum te. Cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea, quam cum præcideram, pepercit tibi oculus meus. Quem persequeris ? Canem mortuum, et pulicem unum vivum. His auditis flevit Saul, et ait : Justior es me, reddat tibi Dominus. Scio quod regnaturus sis. Jura mihi in Domino ne deleas semen meum post me. Et juravit David Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam, David autem ascendit ad tutiora loca in augustias Maspha. »

* *Additio* 1. Ibix æquivocum est, ad avem quasi ciconia et ad capream.

CAP. XXIV. *De morte Samuelis et Nabalis.*

Eo tempore « mortuus est Samuel, » et flevit eum universus Israel, singuli tanquam proprium filium lugentes, « et sepelierunt eum in Ramatha. » (*I Reg.* XXV.) Certum est itaque quod ab hoc loco, usque ad finem secundi libri non scripsit Samuel. Cur ergo nomine ejus prætitulantur hi duo libri ? Quia reliqua scripsit unus prophetarum de discipulis ejus, cujus opus ascribitur magistro. Quidam tamen dicunt Nathan scripsisse sequentia, quidam David. « David autem descendit in desertum Pharam. » Pharam oppidum est in Arabia. Erat autem vir in civitate Aman, in solitudine Maon, et possessio ejus erat in Carmelo. Mons est in sorte Judæ. Alter Carmelus est in confinio Palæstinæ, et Phœnicis, ubi Elias occidit prophetas Baal ; et hic erat de genere Caleb. In Paralipomenon sic legitur : « Caleb genuit Orcham, alii habent Archam, » Orcham genuit Jezeni, » hic est, ut Judæi putant, Nabal (*I Paral.* IV). Cum ergo audisset David, quod ascendisset Nabal ad tondendos greges, misit ad eum decem juvenes, ut mitteret ei aliquam benedictionem in die bona. Exsultabant enim, et epulabantur Judæi in tonsione ovium, ob memoriam patrum suorum, qui fuerant pastores ovium. Et ait Nabal nuntiis David : « Non mittam. Quis est filius Isai ? Hodie increverunt servi fugitivi. Nescio eos. » Cumque audisset David quod improperaverat ei Nabal, accinctus est gladio cum quadringentis viris, et ait : « Hæc faciat Dominus inimicis meis, et hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad eum pertinent, usque ad mingentem ad parietem, » id est saltem canem, vel infirmum. Porro Abigail uxor Nabal, formosa et prudens, hæc ignorabat. Et indi-

Digitized by Google

cavit ei custos ovium, quanta præsidia tulisset ei David in deserto; festinavit igitur Abigail, et tulit in occursum David panes, et vinum, et arietes coctos, sata polentæ, et ligaturas uvæ passæ, et massas caricarum, et adorans David ait : « In me sit, domine mi, hæc iniquitas, » id est condona mihi hanc iniquitatem viri. Vel ita : Si putas esse iniquitatem, nisi deleas eum, quia jurasti, mihi imputetur. Porro facit vir meus secundum nomen suum. Nabal enim *stultus* interpretatur. « Constituit te Dominus ducem super Israel, non debes fundere sanguinem innoxium. Nihil enim tibi nocuit, sed sua tibi non dedit, et erit anima tua custodita, quasi in fasciculo viventium. » Hebræus habet, « in vinculo vitæ, » quod idem est, id est in collegio sanctorum. Alia littera habet, « in fasciculo virium. » Quasi dicat : Sic custodiet Dominus animam tuam ad multiplicandum, sicut fasciculus vitium custoditur in aqua, ad transplantandum. « Et respondit David : Benedictus Dominus, qui misit te hodie in occursum meum. Vade in pace. Audivi vocem tuam, » injuriam scilicet remittendo, « honoravi faciem tuam, xenia de manu tua recipiendo. » Cum ergo indicasset Abigail omnia hæc viro suo, emortuum est cor ejus præ timore, timuit enim ne forte David nollet dejerare, et mortuus est post decem dies. Quo audito, David ait : « Benedictus Deus, qui custodivit manus meas a sanguine, et reddidit malitiam Nabal in caput ejus. » Et vocavit Abigail, et duxit eam in uxorem. Accepit quoque David tertiam uxorem Achinoem de Israel.

CAP. XXV. *De fuga David ad Achis.*

Iterum nuntiaverunt Ziphæi ad Saul : « Ecce absconditus est David in colle Hachilæ » (*I Reg.* XXVI). Et abiit Saul post eum cum tribus millibus electorum. Et descendit David noete ad castra Saulis, ducens secum Abisai filium Sarviæ sororis suæ. Hujus fuerunt tres filii, Joab, et Abisai, et Asael, nepotes David. Cumque clam intrassent tentorium regis cunctis dormientibus, dixit Abisai : « Perfodiam Saul lancea in terra. » Et prohibuit David, dicens : « Quis extendet manum suam in christum Domini, et erit innocens ? Sed tolle hastam, quæ est ad caput ejus fixa in terra, et vas aquæ, et eamus. Et egressi sunt nullo evigilante, quia sopor Domini irruerat super eos. Cumque transiissent torrentem, et stetissent in vertice montis, unde possent audiri, exclamavit David ad Abner et ad omnem populum : « Filii mortis vos estis, quia non custodistis dominum vestrum christum Domini. Ingressus est quispiam, ut interficeret regem. Videte ubi hasta regis sit, et scyphus aquæ. » Et agnoscens Saul negligentiam suorum et beneficium David exclamavit : « Num vox tua est hæc, fili mi David ? » Qui respondit : « Cur persequitur dominus servum suum. Quid feci ? Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium, » id est placari eum oportet sacrificio et prece, ut ostendat nobis super hoc quod velit. Vel ita : Tu ipse occidas me, et erit quasi sacrificium Deo in odorem suavitatis. Quidam ita legunt. Odoretur sacrificium, si Dominus incitat te adversum me, id est sacrificantes probemus judicio Dei, si Dominus hoc faciet. Si autem filii hominum incitant te, maledicti sunt, qui cogunt me transire ad idololatras, ne serviam Deo Israel. Et ait Saul ad David : « Peccavi, revertere, fili mi. Non ultra male faciam tibi. » Et respondit David : « Judicet Dominus inter nos. Ecce hasta regis, veniat qui tollat eam. » Cui Saul : « Benedictus, tu fili mi. Equidem faciens facies, et potens poteris ; et Saul reversus est in locum suum. Et dixit David in corde suo : « Aliquando incidam in una die in manus Saul, melius est ut salver inter Philisthæos. Abiit ergo David, et sexcenti viri cum eo, ad Achis, filium Maoth, regem Geth (*I Reg.* XXVII). » Iste fuit filius supradicti Achis, cujus mater dicebatur Maoch. Et erant cum David duæ ejus uxores Achinoam et Abigail. Et dixit David ad Achis : « Nolo onerosus esse regi, det mihi rex locum in quo habitem. » Et dedit ei Achis Siceleg, quæ exinde facta est regum Juda. Et habitavit David in ea quatuor mensibus, et viginti diebus, et agebat David prædas de viculis Philisthinorum circumstantibus, qui non erant sub potestate Achis. Virum, et mulierem non adducebat captivum, ne forte loquerentur adversus eum. Cumque quæreret Achis, quos percussisset, aiebat, se depopulatos esse habitantes ad austrum Judæ, et in campestribus.

CAP. XXVI. *De congregatione Philisthiim contra Israel et pythonum occisione, et suscitatione Samuelis.*

Factum est eo tempore, congregati sunt ad prælium contra Israel Philisthæi. Et ait Achis ad David. Mecum egredieris in castra tu, et viri tui. Ego custodem te pono capitis mei præ cunctis (*III Reg.* XXVIII). Congregavit etiam Saul universum Israel, et venit in Gelboe. Samuel autem mortuus erat. Hoc ideo repetitur hic, ut angustia Saulis ostendatur, in qua plurimum esset ei necessarius Samuel. Vel ut ostendatur Samuel recenter mortuus, qui in proximo erat suscitandus. Tradunt enim, neminem posse suscitari arte pythonica, nisi recenter mortuum, et adhuc integris vitalibus. Timuit itaque Saul, et consuluit Dominum. Qui non respondit ei, neque per somnia, neque per prophetas, id est per discipulos Samuelis, neque per sacerdotes. Hebræus habet, neque per doctrinam ephod, scilicet in quo erat doctrina et veritas. Et ait Saul servis suis : « Quærite mihi mulierem habentem pythonem. Ipse enim occi erat magos, et ariolos et pythonicos. Unam tradidit Hieronymus reservatam, quia mater erat Abner, quæ latens habitabat in Endor, quæ civitas est juxta fontem Endor. Pythonem quidam tradunt esse artem suscitandi mortuos quam Pythius adinvenit, quasi dicat : « Quærite mihi mulierem peritam artis illius. Quod congruit Hebræo in quo legitur mulierem Ba-

Digitized by Google

ladoph. Balad enim interpretatur *domina*, oph est nomen artis illius. Mutavit itaque Saul habitum suum, et venit ad mulierem nocte cum duobus viris, et ait : « Suscita mihi, quem dixero tibi. » Quæ respondit : « Nosti quanta fecerit Saul magis. Quare ergo insidiaris animæ meæ? » Quidam tradunt, Saulem ob hoc eos delevisse, quia præconizabant David futurum regem. Juravit autem ei Saul, quod propter hanc rem nihil mali pateretur, et dixit ut suscitaret Samuelem. Videns autem mulier virum sanctum, conturbata est, et ait : « Quare imposuisti mihi, Tu enim es Saul. » Hoc enim ei Samuel indicaverat, ut ait Josephus. Quidam fabulantur, mortuum magice suscitatum a pedibus primo moveri, et surgere nisi quando suscitante rege suscitatur, tunc enim a capite surgit. Alii dicunt prophetam non posse suscitari, nisi rege scisciante ? Tunc indicavit ei Saul, se Saulem esse, et ait : « Noli timere. Quid vidisti ? Quæ respondit. Virum senem, et gloriosum, et amictum pallio sacerdotali. Et intelligens Saul, quod Samuel esset adoravit eum. » Et ait anima Samuelis, ut dicit Josephus : « Quare inquietasti me? Cui Saul. Coarctor nimis, Philistæi pugnant adversum me, et Dominus non respondit mihi. Obsecro, dic mihi, quid faciam? Qui respondit : Quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te ? Faciet tibi Dominus, sicut locutus est. Tollet regnum de manu tua, et dabit illud David. Cras autem tu, et filii tui mecum eritis, » id est in numero mortuorum, « sicut ego sum, » vel in inferno. De hac suscitatione dicitur a quibusdam quod spiritus malignus apparuit in specie Samuelis, vel phantastice imago ejus ibi apparuit, quæ dicta est Samuel. Tradunt quidam quod, Deo permittente, anima ipsius tantum consilii corpore induta apparuit ibi. Alii vero, quod corpus tantum suscitatum est cum spiritu vivifico, anima in loco suo manente, et quiescente. Hoc audiens Saul prostratus est in terram præ timore, nec comederat panem in die illa, et coegit eum mulier, et servi ejus, ut comederet. Cumque comedisset rediit ad castra per noctem. Noluit enim sciri, quod consuluisset pythonissam.

CAP. XXVII. *Quod David vicit Amalech.*

« Congregati sunt ergo Philisthæi in Aphech, et Israel castrametatus est super fontem qui erat in Jezrabel (*I Reg.* XXIX). » Satrapæ vero Philisthinorum videntes David, et suos esse cum Achis dixerunt : « Revertantur Hebræi isti in locum suum, ne forte cum cœperimus præliari fiant nobis adversarii, et in capitibus nostris mereantur sibi reddi gratiam Domini sui. » Tunc ait Achis ad David invitus et dolens. « Bonus es in conspectu meo, sed satrapis non places. Surgite de nocte, et abite diluculo. Abiit ergo David cum suis in Siceleg die tertia. Amalecitæ vero interim impetum fecerunt in Siceleg. Et succenderant eam, et captivas duxerunt mulieres, et parvulos, et universam prædam (*I Reg.* XXIX, XXX). » Planxit ergo David, et populus, qui erat cum eo, donec deficerent in eis lacrymæ, et volebant eum sui lapidare. Confortatus autem David in Domino, consuluit Dominum per Abiathar dicens. « Persequar latrunculos hos, et comprehendam. Qui respondit. Persequere, et comprehendes, et reduces prædam. Abiit ergo David, et sexcenti cum eo, et venerunt ad torrentem Bothor [*al.* Besor] et ibi ducenti lassi substiterunt ad sarcinas ex mandato David. Cumque alii transissent invenerunt puerum Ægyptium fame deficientem, quem reliquerat dominus suus vir Amalecita, cum ægrotare eum vidisset. Et dederunt ei cibum, et reversus est spiritus ejus. Et ait ad eum David : « Potes me ducere ad cuneum istum ? Qui ait : « Si juraveris mihi quod non occidas me, nec tradas me in manus domini mei, ducam. » Et juravit ei David. Et eo ducente invenerunt hostes epulantes, et quasi diem festum celebrantes. Et percussit eos David a vespere usque ad vesperam alterius diei, et soli quadringenti adolescentes evaserunt in camelis. Eruit ergo David omnia quæ tulerant Amalecitæ, ab homine usque ad pecus. Dicitur quod in hac victoria præbuerunt illi auxilium novem principes militum de Manasse, qui confugerant ad eum, dum rediret in Siceleg. Prius enim venerunt ad eum tantum de Juda et Benjamin. Porro cum redissent ad ducentos viros, qui lassi substiterant, salutavit eos David pacifice. Et indignati sunt quidam, qui cum eo ierant dicentes. « Sufficiat cuique uxor sua, et filii de præda nihil dabimus eis. » Et ait David : Non audiet » vos quisquam, fratres mei, in sermone hoc. Æqua pars erit descendentis ad prælium, et manentis ad sarcinas. » Hieronymus ait : Non ait, qui lassi manserunt, quia lassis nil debet dari de prædæ pretio. Et factum est hoc ex die illo, et deinceps quasi lex in Israel, usque ad diem hanc. Venit ergo David in Siceleg, et misit dona de præda senioribus Juda proximis suis, et reliquis cum quibus commoratus fuerat ipse, et viri ejus.

CAP. XXVIII. *De morte Saul et filiorum ejus.*

Porro Philisthæi pugnabant adversus Israel (*I Reg.* XXXI). Saul autem sciens et prudens, festinabat ad mortem et viriliter dimicabat. Soli quippe magnanimes rerum terribilium sunt contemptores. Hæc magnanimitas maxime convenit regibus, quos pro cumulo principatus non solum malos, non licet esse circa subditos, sed nec mediocriter bonos esse. « Fugerunt autem filii Israel a facie Philisthinorum, et ceciderunt in monte Gelboë, et percussi sunt tres filii Saul, Jonathas, Aminadab, Melchisna : » Isboseth autem domi erat. Cumque graviter vulneratus esset Saul, dixit ad armigerum suum : « Percute me gladio tuo, ne forte incircumcisi isti illudant mihi vivendo, et post interficiant me. Et noluit armiger. Et irruit Saul super gladium suum. Adeo enim defecerat, quod non poterat se transverberare. Quæ videns armiger suus irruit ipse super gladium suum. Hic fuit Doeg Idumæus, ut autumant Hebræi, qui timuit esse superstes

Digitized by Google

Sauli propter David, et mortui sunt omnes domestici Saul, qui erant cum eo. Videntes autem filii Israel, qui trans vallem Jordanis erant stragem suorum, egressi de civitatibus suis fugerunt. Altera die venientes Philisthæi, ut spoliarent interfectos, exspoliaverunt Saul armis suis, et filios suos, et præcisa capita eorum cum armis, miserunt in terram suam per circuitum, ut annuntiaretur hoc in templo idolorum, et in populis. Et posuerunt arma ejus in templo Astaroth, caput vero in templo Dagon, ut in Paralipomenon legitur (*I Paral.* x). Corpus vero ejus et filiorum suspenderunt in muro Bethsan, quasi in oculis Israel. Est enim civitas Philisthiim in terminis Israel. Viri autem de Jabes Galaad, quos liberaverat Saul ab Ammonitis, ambulaverunt tota nocte et tulerunt cadavera de muro Bethsan, et combusserunt ea igni, et sepelierunt ossa in nemore Jabes. Et planxerunt eum jejunantes septem diebus. Nota quod in Paralipomenon legitur : « Mortuus est Saul propter iniquitates suas (*I Paral.* x), » et additur, quasi in cumulum peccati, sed insuper consuluit pythonissam, propter quod interfecit eum Dominus. » Hujus peccati magnitudinem multi non attendunt. Et regnavit Saul, vivente Samuele, octodecim annis, et, eo mortuo, duobus annis. Hos annos sacra tamen Scriptura non adnotavit. A Samuele proprie incipiunt tempora nominatorum prophetarum, sicut a Saule tempora regum Israel.

Incidentia.

In diebus istis apud Latinos quartus regnavit Silvius Æneas, filius Posthumi. Alia tamen historia quartum ponit Silvium Latinum uterinum fratrem Posthumi, et quintum Silvium Æneam. His temporibus Homerum fuisse quidam dicunt, de quo magna dissonantia est apud veteres. Crates ponit eum ante descensum in Peloponensium urbem Heraclidarum. Cristodenes centesimo anno a captivitate Troiæ. Aristarchus et Philochorus tempore migrationis Ionicæ. Apollodorus Atheniensis, anno ducentesimo quadragesimo eversionis Iliі, alii modico tempore antequam olympiades inciperent.

HISTORIA LIBRI II REGUM.

CAP. I. *De planctu David super Saul et Jonathan.*

Factum est post mortem Saulis, adolescens fugiens de prælio venit ad David in Siceleg, et adoravit. Cumque indicasset ei populum victum, et Saul cum filiis suis mortuum, ait David: « Unde scis quod mortuus est Saul, et Jonathas filius ejus? » Qui respondit : « Vidi Saul incumbentem super hastam suam, et hostes appropiabant ei. » Cumque quæsisset quisnam essem, et dixissem : « Amalecites sum, » ait : « Interfice me, quia proselytus es; ne occidant me incircumcisi. Et occidi eum, quia vivere non poterat, et tuli diadema, quod erat, » id est quod esse solebat, « in capite ejus, et armillam de brachio ejus, et attuli ad te dominum meum (*II. Reg.* I). Aiunt Hebræi hunc fuisse filium Doeg Idumæi, cui pater suus, prius quam irrueret super gladium suum, tradidit insignia regis, quæ custodiebat, ut ferens ea ad David redderet eum sibi placabilem. Nec obviat quod pater Idumæus filius Amalecites dicitur, cum Amalecitæ sint Idumæi. Amalec enim fuit filius Eliphas filii Esau, et Edom. David ergo, et omnes, qui cum eo erant, sciderunt vestimenta sua, plangentes, et jejunantes, usque ad vesperam secundum legem, et ait David ad nuntium. « Quare non timuisti mittere manum tuam in christum Domini : os tuum locutum est contra te. » Et jubente David, unus de pueris ejus occidit eum. « Et præcepit David, ut patres docerent filios suos carmen arcuum, » ubi alii habent, « docerent filios suos arcum, » id est artem sagittandi, eo quod audierit populum a sagittariis interfectum, sicut scriptum est in libro Justorum. Hic liber non habetur, sicut nec plurimi, quorum fit mentio in Veteri Testamento, quos combustos credimus a Babyloniis. Fuerunt qui dicerent, hunc librum dici librum Justorum, eo quod de justis agit, id est de Samuele et David. Alii dicunt Pentateuchum librum Justorum, ubi conjici potest artem sagittandi utilem esse, quia dicit Joab, se tulisse agrum de manu Amorrhæi in gladio et arcu (*Gen.* XLVIII). Quidam legunt Justorum neutraliter, et dicunt librum Justorum, quia ait de his, quæ justa sunt, quasi librum judiciorum, ut sit sensus. Sic præcepit David artem illam servandam, sicut servatur, quod scriptum est in libro Justorum. « Tunc planxit David carmen lugubre super Saul et Jonathan, » et creditur metrice compositum fuisse. Et est continentia hujus carminis tripartita. Primo agit de loco ubi facta est strages, et imprecatur ei; secundo commendat Saul et Jonathan; tertio specialiter commendat Jonathan, ostendens quantum dilexerit eum. Nec obest quod aliquando pluraliter aliquando singulariter de eodem monte loquitur. Est enim unus mons plures colles habens. Ubi legitur; « Montes Gelboë, nec ros, nec pluvia veniat super vos. » Quidam dicunt « super te, » sic legentes litteram. « Montes Gelboe, » subaudi, væ vobis; postea inferunt, « nec ros, nec pluvia veniant super te :

Digitized by Google

montes hi, ut dicunt, prius uberrimi fuerant, et imprecatur eis non ariditatem, sed sterilitatem, quasi aridi essent. Unde subdidit. «Neque sint super vos agri primitiarum, » id est fructuum optimorum sicut prius. Alii dicunt prophetiam esse, quæ impleta est in diebus Eliæ, quando non pluit super terram annis tribus, et mensibus VI; Alii dicunt in cacumine montis, nec ante nec post pluisse, sed per maledictionem confirmatum. Planxitque David Saulem, eo quod viliter interfectus esset, licet unctus esset oleo. Et subdit causam necis hujus « a sanguine interfectorum, et adipe fortium, » id est pro sanguine sacerdotum, quos occidit in Nobe. Hebræus tamen inchoat versum ita : « A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagittæ Jonathæ, » etc.

* *Additio.* 1. Proselytus quidem veniebat de gentilitate ad judaismum.

Cap. II. *De prima unctione David in regem super tribum Juda in Hebron.*

Post hæc ex responso Domini, ascendit David in Hebron, et habitavit ibi cum duabus uxoribus suis in domo sua, virique ejus manserunt in oppidis Hebron. Et unxerunt eum viri Juda in regem super tribum Juda (*II Reg.* II). Hic inchoatur quarta ætas, non pro nuntio regni Judæorum, ut quidam volunt, quia tunc inchoasset a Saule, sed pro innovatione promissionis, quæ patribus olim data erat de regno Christiano, quod præfiguratum est in David, jurante Domino David veritatem, de fructu ventris ejus sessuro super sedem suam (*Psal.* CXXXI). Nuntiatumque est David quod Jabitæ sepelissent Saul, et nuntiavit eis dicens. « Benedicti vos a Domino qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro : retribuet vobis Dominus. Sed et ego retribuam. Nec timeatis quasi non habentes regem, quia unxit me domus Juda regem sibi. »

Cap. III. *De regno Isboseth.*

«Abner autem princeps exercitus Saul tulit Isboseth, et circumduxit eum per castra, » id est ubicunque dispersus erat exercitus, « et creavit eum regem super reliquas tribus (*II Reg.* II).» Vel per castra intellige Manaim locum munitissimum, ubi inunxit eum in regem. « Erat autem Isboseth tunc quadraginta annorum, et duobus annis regnavit super Israel. David vero septem annis, et sex mensibus regnavit in Hebron super domum Juda. » Eo tempore ortum est intestinum bellum inter Hebræos. Porro egressus est Abner et pueri ejus de castris in Gabaon. Joab autem et pueri David occurrerunt eis ad piscinam Gabaon, et convenit inter eos, quod duodecim tantum ex utraque parte pugnarent in medio exercituum, et apprehenso unusquisque capite comparis sui defixit gladium in latus contrarii, et ceciderunt simul. Ob hoc dictus est locus ille ager Robustorum. Josephus tamen videtur velle, quod pueri David superstites occiderunt compares suos. Ortum est autem bellum inter reliquos, et fugit Abner cum suis. Erant autem cum Joab duo fratres ejus, quorum Asael velocissimus, quasi unus de capreis, persequebatur Abner cum suis instantissime. Cui Abner : « Noli me sequi, ne compellar confodere te, et non potero levare faciem meam ad Joab. Ille vero noluit declinare, et percussit eum Abner in inguine aversa hasta, » id est cum ligno posteriori, non cum mucrone hastæ, vel versa ad eum hasta. « Persequentibus autem Joab, et Abisai, fugiente Abner sol occubuit, et venerunt ad collem aquæductus. » In cujus summitate congregati sunt ad Abner filii Benjamin in cuneum unum, et ait Abner ad Joab. « Nunquid vis desævire, usque ad deletionem fratrum tuorum. An ignoras, quod non gratis moritur jugulo, qui provocat hostem. » Cessavit ergo Joab, et omnis exercitus persequi eos. Porro Abner cum suis nocte illa transiens Jordanem, venit ad Isboseth in Manaim. Joab vero, et viri ejus tulerunt Asael, et sepelierunt eum in sepulcro patris sui in Bethlehem, et redierunt ad David in Hebron.

Cap. IV. *De filiis David.*

Facta est ergo longa concertatio inter hos reges; et David crescente, alter decrescebat (*II Reg.* III). Natique sunt filii David in Hebron primogenitus Amnon de Achinoam; secundus Chelab, vel Chelaph de Abigail; tertius Absalon de uxore gentili, id est Maacha, scilicet filia Tholmai regis Gessur; quartus Adonias filius Aggith; quintus Saphatia filius Abital; sextus Jetthraam*, quem Josephus vocat Nathan de Egla uxore sua, quam Hebræi aiunt fuisse Michol; quæ sola dicitur uxor ejus, quia in adolescentia sua primam sortitus est uxorem. Quod non videtur posse stare cum in sequentibus legatur Michol in Jerusalem subsannasse David, et dicitur, quod non est natus ei filius de David, usque in diem mortis suæ, quia in ipso partu occubuit. Sed potuit fieri, ut vicina partui de Jerusalem descenderet in Hebron, ut ibi pareret, tanquam in primitivo loco regni.

* *Additio.* 1. Quod Jetthraam natus sit David in Hebron, non videtur verum, audi causam et solutionem.

Cap. V. *De interfectione Abner.*

Eo tempore factum est quod Abner intraret ad concubinam Saulis Respham, pulchram nimis (*II Reg.* III). Ob hoc objurgatus est adversus eum Isboseth pro opprobrio domus suæ, timens ne forte concubina usurparet sibi regnum. Et iratus Abner ait ad eum : « Nunquid canis caput ego sum hodie adversus Judam propter te : » Quasi dicat? Propter te Judas habet me quasi caput canis mortui. Vel ita : Propter te factus sum caput canum, id est princeps irrationabiliter latrantium contra christum Domini. Et misit Abner ad David nuntios dicentes : « Cuius est terra? » Quasi dicat : Nonne terra est in manu

Digitized by Google

mea? « Fac mecum amicitias, et reducam ad te universum Israel. Qui ait : Optime. Faciam tecum amicitias, sed non videbis me antequam reduxeris Michol. » Sed et ad Isboseth mandavit David, ut remitteret ei uxorem suam Michol. Tulerunt ergo eam a viro suo Phaltiel *, qui sequebatur eam plorans, usque Baburin. Non enim cognoverat eam, eo quod illa diligens David semper tristis erat. Et locutus est Abner ad seniores Israel, et maxime ad Benjamin, ut transiret ad David, quem elegerat Dominus. Et ascendit Abner in Hebron ad David, et susceptus est ab eo magnifice, et ait : « Surgam, ut congregem ad te omnem Israel. » Cumque abiisset in pace, ecce Joab, et pueri David redierunt cæsis latronibus cum præda magna nimis, et dictum est Joab de adventu Abner, et de pace cum rege. Qui eum tentasset mutare animum regis dicens : « Juravit Abner, ut deciperet te. » Et cum non acquievisset rex, misit nuntios post Abner, quasi rege revocante eum, et reduxit eum, et occurrens redeunti, seorsum adduxit eum, quasi secretius locuturus, et percussit eum in inguine, et mortuus est, quasi in ultionem fratris sui. Sed verius est, quia timebat, ne fieret secundus a rege. Quod cum audisset David ait « Mundus sum ego, et regnum meum a sanguine Abner, et veniat super caput Joab. Non deficiat de domo Joab fluxum seminis fluens, et leprosus, et tenens fusum, » id est effeminatus, « et cadens gladio, et indigens pane. » Secundum hoc vero videtur ei imprecari seminis fluxum, et lepram, et evirationem, et stragem in bello et mendicitatem. Quidam legunt pro uno « leprosus et tenens fusum, » id est breve ventilabrum ad depellendas muscas, quod fit de foliis palmarum, et involvitur inter digitos instar fusi. Scidit ergo David vestimenta sua, et flevit super Abner, et omnis populus, qui erat cum eo, et indixit omnibus jejunium, usque ad vesperam, et ait : « Nescitis quomodo princeps maximus hodie cecidit in Israel. Ego autem sum delicatus rex. » Quasi dicat : Cum sim novus rex maxime indigebam auxilio istius. Porro filii Sarviæ mihi duri sunt.

Additio 1. Iste Phaltiel doctus erat in lege, et ideo nolebat alterius uxorem violare, et propter hoc nomini fixo addictum est, *el*, quod est nomen Dei, quia pro timore et reverentia Dei, et legis abstinuit : hoc dicunt Hebræi.

Cap. VI. *De morte Isboseth, et secunda unctione David super omnem Israel.*

« Cumque audisset Isboseth de morte Abner, dissolutæ sunt manus ejus, et omnis Israel perturbatus est. Duo autem viri principes latronum erant eum Isboseth Baana, et Rechab de filiis Benjamin (*II Reg.* IV). » Qui irati recesserant ab Isboseth, et venerant ad Miphiboseth filium Jonathæ, ut facerent eum regem. Qui noluit, imo prodidit eorum consilium. Quidam vero tradunt, quod Isboseth offensus erat eis, eo quod dicebant ei Miphiboseth debere regem esse, cum filius esset primogeniti Saulis. Erat iste Miphiboseth claudus utroque pede. Quinquennis enim erat quando nuntiatum est ei de morte Saulis, et Jonathæ, et tollente eum nutrice, ut fugeret, cecidit, et confractus est. Porro Baana, et Rechab ingressi sunt domum Isboseth ferentes spicas tritici, quasi primitias regi. Ostiaria autem domus obdormierat. Et invenientes Isboseth dormientem in meridie interfecerunt eum, et attulerunt caput ejus ad David in Hebron dicentes : « Ecce caput viri, qui quærebat animam tuam, » existimantes se munera accepturos a David. Et ait David ad eos : « Interfecistis virum innoxium, sanguinem domini vestri fudistis, et ideo auferam vos de terra. » Et præcisis manibus, et pedibus eorum, suspenderunt eos super piscinam, vel spinam in Hebron, caput vero Isboseth sepelierunt in sepulcro Abner. Et venerunt superiores de Israel ad David, et percussit cum eis fœdus, et unxerunt eum in regem super omnem Israel (*II Reg.* V). Primo igitur inunctus est in signum regni, secundo in regem super Judam, tertio in regem super Israel. Filius triginta annorum erat David, cum regnare cœpisset. Superabundat « filius » idiomate Hebræo, et quadraginta annis regnavit, in Hebron VII annis, et sex mensibus super Judam, subaudi specialiter. Nam si statim post Isboseth regnavit in Israel, non nisi duobus annis regnavit in Juda. Sed aiunt Hebræi eum regnasse in Hebron aliquibus annis adhuc Saule vivente, quia domus Juda jam affectabat eum in regem, et ipse mittebat eis munera tanquam suis. In Jerusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem populum. Si quæratur, quare a summa regni subtrahantur sex menses, ait Hebræus David ægrotasse sex mensibus, et nil dignum rege egisse. Vel quia Absalon persecutus est eum sex mensibus, et tunc quasi non regnavit David.

Cap. VII. *Quod David expugnavit Jerusalem, et munivit.*

Postea collecto exercitu ascendit in Jerusalem, ut ejiceret Jebusæum. Qui posuerunt cæcos et claudos supra murum in derisionem, David dicentes : « Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos et claudos (*II Reg.* V) : » quasi dicant : Adeo est urbs fortis, quod fortium auxillo non indigemus. Alii dicunt eos posuisse imagines super murum, quas dixerunt cæcos et claudos, id est nil agentes, quasi dicant : Etiam nobis nil agentibus intrare non poteris. Vel seipsos dixerunt cæcos et claudos, quia debiles eos, et similes his reputabat David. Deinceps in proverbio dictum est : « Cæcus et claudus non intrabit in templum Dei. » Primo simpliciter in lege prohibitum erat cæcos et claudos intrare templum ad offerendum : postea versum est in proverbium. Forte cum janitores arcerent immundos dicebant ænigmatice : Cæcus et claudus non intrabunt, ponentes cæcitatem et claudicationem pro qualibet immunditia. Porro inferiorem civitatem obtinuit

Digitized by Google

David, tradente eam sibi Ornan Jebusæo. Cumque arcem Sion obtinere non posset, proposuit in præmium principatum militiæ, illi qui primum percuteret Jebusæum, et tangeret domatum fistulas, id est tectorum canales, per quos defluunt stillicidia. Alii dicunt fistulas cuniculos subterraneos, per quos erat ascensus, usque ad tectum. Multis itaque festinantibus, Joab prævenit universos, et clamavit ad regem exigens militiæ principatum, et obtinuit David arcem, expulsis Jebusæis præter Ornam, et ædificavit per circuitum ejus, incipiens intrinsecus a Mello, et partem illam civitatis vocavit Civitatem David. Reliquam urbis partem exstruxit Joab. Mello autem erat præcipuum, et quasi quædam profunda vorago vallis. Porro ipsa Civitas David postea vocata est Mello. Et ædificavit in ea David domum, Hiram rege Tyri ferente sibi auxilium, mittendo ei ligna cedrina, et artifices. Porro David accepit alias uxores, et nati sunt ei filii in Jerusalem undecim, inter quos enumeratur Nathan, alius scilicet a Nathan propheta, quem sibi David adoptaverat post mortem patris. Et nota quia Jerusalem, usque ad Melchisedech dicebatur Jebus, a quo dicta est Salem. Postea a David dicta est Jebusalem. Sed postea mutata *b* in *r* dixit Jerusalem, quasi munita Salem. Hiero enim Hebraice *munitio* est. Tradit Josephus quod hanc litteræ mutationem ab Homero factam quidam putant, postea dicta est a Salomone Jerosolymia, et tandem per syncopam Jerosolyma.

Cap. VIII. *Quod David vicit Philisthæos.*

Audientes autem Philisthæi David regnare super Israel, ascenderunt universi, ut quærerent David, et castrametati sunt in valle Raphaim, non procul a Jerusalem (*II Reg.* v). Et egressus est ad eos David ex responso Domini, et percussit eos in ore gladii, et divisit eos hac et illac in fugam. Ob hoc vocatus est locus ille Baal Pharasim, id est *virorum divisio;* vel quia ibi fugientes reliquerant idola, quæ tulit David secum et conflavit. Et addiderunt adhuc Philisthiim, ut ascenderent in valle Raphaim, et posuerunt idola sua, sub arboribus pyrorum, et ait Dominus ad David : « Non ibis obviam eis, sed gyra post tergum, et veniens ex adverso pyrorum. » Hebræus habet flentium, id est idolorum, quæ digna sunt fletu, et cultores suos ad fletum æternum trahunt. Cumque angelus Domini incedens super cacumina pyrorum sonitum faceret, irruit super eos David, et percussit eos, usque Gazer.

Cap. IX. *De reductione arcæ in Jerusalem.*

Porro fecit David tabernaculum juxta domum suam ad reponendam arcam, et posuit in eo quasdam de veteribus cortinis (*II Reg.* vi). Tabulas vero, columnas et bases priores reservavit. Et descendit David cum triginta millibus virorum, et « posuerunt arcam super plaustrum novum, et tulerunt eam de domo Aminadab, quæ erat in Gabaa, » id est in colle juxta Chariathiarim. Nec est hic Gabaa nomen urbis, vel loci, sed, secundum interpretationem suam, *collem* sonat. Duo autem filii Aminadab minabant plaustrum. Aiot præcedebat, et Oza sequebatur. David autem et omnis Israel psallebant coram arca musicis instrumentis. Cum autem venissent ad arcam Nachor, calcitraverunt boves, et inclinata est arca, et extendit Oza manum, et tenuit eam ; et aruit dextra ejus in qua arcam ferre debuit, sicuti pater ejus jusserat, et exspiravit, et vocatum est nomen loci Ozæ Percussio. Dicit Josephus eum percussum, quia tetigit arcam cum sacerdos non esset. Alii dicunt, quia posuerat arcam super plaustrum, cum humeris portare debuisset. Hebræi tradunt quod ea nocte dormierat cum uxore sua. Timuit itaque David divertere arcam ad se, et posuit eam in suburbio in domum Obed Levitæ filii Edom Gethæi, et erat ibi tribus mensibus, et benedixit Dominus domui Obed*. Quo audito abiit David, ut adduceret arcam in Civitatem David cum gaudio. David autem accinctus ephod lineo, psallebat coram arca in organis armigatis, id est ad armum ligatis. Vel secundum quosdam genus est organi, quod fit in aqua. Et vidit eum psallentem Michol per fenestram, et despexit eum in corde suo. Cumque posuissent arcam in loco suo, obtulit David holocausta, et pacifica, et benedixit populo, et partitus est per singula capita collyridam panis unam, et assaturam bubulæ carnis, et similam frixam oleo. Cumque rediret David in domum suam subsannavit eum Michol, dicens : Quam gloriosus hodie rex Israel nudatus, quasi unus fuit de scurris. Et respondit David : Vivit Dominus ; ludam, et humilior fiam ante Dominum, qui potius elegit me, quam patrem tuum. Quamobrem « Michol non est natus filius, usque in diem mortis suæ. » Quod inclusive legendum est, id est donec in partu occubuit ; vel exclusive, id est nunquam : quod videtur velle Josephus, qui dicit eam de David minime filios procreasse, sed de viro cui dederat eam pater suus, sublatam a David, quinque filios habuisse, qui intelligendi sunt adoptivi. Mortua enim Merob sorore sua, quinque filios ejus adoptavit Michol.

**Additio* 1.* Aiunt Hebræi quod uxores ejus, et concubinæ, et nurus pepererunt masculos, et jumenta duplices fetus.

Cap. X. *De victoriis David, et officialibus ejus.*

« Factum est autem cum sederet rex in domo sua, habens requiem ab hostibus suis, dixit ad Nathan : Vides quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium. Faciam ei domum. Et ait Nathan. Fac, quia Dominus tecum est (*II Reg.* vii), » nesciens quid diceret, id est a Spiritu sancto non loquebatur hoc. Eadem nocte factum est verbum Domini ad Nathan : « Dic servo meo David* : « Non ædificabit mihi domum, quia sanguinarius « est, sed filius ejus succedens ei in regno faciet do« mum nomini meo, et stabiliam thronum ejus, us« que in sempiternum, et ego ero ei in patrem, et

Digitized by Google

« ipse erit mihi in filium. » Ex hac promissione conjicitur quod salvus sit Salomon. His auditis gavisus est David de successione regni, exinde præcipue gratias egit Deo addens : « Ista enim est lex Adam Dominus Deus, » id est lex hominis, ut sit sollicitus de successione filiorum, vel ut gratias agat Deo de beneficiis. « Factum est autem post hæc, percussit David Philisthæos, et abstulit frenum, » id est potestatem tributi, quam habebant in Israel « de manu eorum, et percussit Moab, et mensus est David eos funiculo, » id est cui voluit dedit ei hæreditatem, « coæquans eos terræ, » id est valde humilians, « et mensus est duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum, » id est ad arbitrium suum quos voluit occidit, quos voluit reservavit, « et factus est ei Moab tributarius ; » et percussit Adarezer regem Soba (*II Reg.* VIII), cui cum ferrent præsidium Syri et Damascus ; percussit ex eis triginta millia, et ponens in Syria præsidium, fecit eam tributariam. Audiens autem Thou [*al.* Theno], rex Emath percussum Adarezer hostem suum, misit ad David Joram filium suum cum muneribus, et gratiarum actione, quod hostem suum percusserat. Cumque rediret a Syria David occurrerunt ei Idumæi" in valle Salinarum, et percussit ex eis duodecim millia. Hieronymus corrigit decem et octo millia, et in Jebetzel percussit ad viginti tria millia, et ponens in ea præsidium fecit eam tributariam. Tunc impletum est, quod dictum est Rebeccæ : « Major serviet minori"" (*Gen.* XXV). » Et retulit in Jerusalem aurum, et argentum multum nimis, quod sanctificavit Domino in fabricam futuræ domus. Æs quoque Corinthium sanctificavit""", de quo fecit Salomon mare æneum, columnas, et altare. « Porro Joab erat super exercitum"""" ; » Josaphat erat a commentariis""""", id est scriptor gestorum. Scribebant enim singuli reges chronica gestorum, Sadoc, et Abiathar erant sacerdotes ; Saraias vero scriba, id est cancellarius. Banaias autem erat super Chereti et Phelethi, qui erant custodes capitis David"""""". Filii autem David sacerdotes erant, id est digniores præ cæteris post regem""""""". Sic dicitur Jethro sacerdos fuisse Madian.

"*Additio* 1. Nota quod est dictum ad David per Nathan, « cum completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, etc. ; » quod de Salomone dici non potest, qui vivente patre regnavit. Quod adhuc exspectant Judæi implendum.

""*Additio* 2. Idumæi ab Edom, qui ab Esau descenderunt, qui fuit prior natu, quam Jacob, qui de Rebecca fuerant.

"""*Additio* 3. Aiunt Hebræi, quod uxores Jacob, et concubinæ, et nurus pepererunt masculos, et jumenta duplices fetus.

""""*Additio* 4. In Corintho fuit quoddam templum ædificatum idolorum argento, et ære et auro, quo combusto metalla fluxerunt, et commista sunt, et quia major pars ærea erat, generali nomine vocata est talis commistio, Æs Corinthium.

"""""*Additio* 5. In Paralipomenon legitur (*I Paral.* VI), quod ea die constituit David fratres Asaph cantores, et ipsum præcentorem, et qui cantabant psalmos ex diversis psalmis compactos.

"""""*Additio* 6. A commentariis vicem regis agebat, cujus judicio leges scribebantur.

""""""*Additio* 7. Hi dicuntur fuisse duo viri fortissimi, alii dicunt, quod fuerunt duæ familiæ.

"""""""*Additio* 8. Hi dicunt fuisse septuaginta judices locorum, ut Moyses elegit septuaginta. Unde Celeti sonat *exterminatores*, Phelethi *admirabiles*.

Cap. XI. *De Miphiboseth, et quod Ammon dehonestavit nuntios. David.*

Et recordatus est David fœderis, quod fecerat cum Jonatha, et ait : « Nunquid superest aliquis de domo Saul cum quo faciam misericordiam pro Jonatha (*II Reg.* IX). Cumque accepisset superesse Miphiboseth filium Jonathæ, debilem pedibus, vocavit eum, et restituit ei omnem possessionem Saul avi sui, et constituit eum commensalem suum, tanquam unum de filiis suis. Porro Siba puer Saulis, cui erant quindecim filii, et viginti servi, ex mandato David excolebat terram, et referebat fructus ad Miphiboseth in Jerusalem. Erat autem Miphiboseth filius Micha. « Factum est igitur, ut moreretur Naas rex Ammonitarum, et regnaret pro eo filius ejus Hanon (*II Reg.* X). Misitque nuntios David, ut consolarentur eum de morte patris, monens, ut amicitiæ, quas cum patre ejus habuerat permanerent. Cum enim David fugisset ad Achis sub simulatione furoris, a patre istius benigne collectus fuerat. Principes autem Hanon exacuerunt regem suum dicentes : Nescis quia misit David, ut videret ingressum, et exitum tuum, ut percutiat te, et terram tuam ? Tulit itaque Hanon servos David, et rasit dimidiam partem barbæ eorum, et præcidit vestes eorum, usque ad nates. » Videntes autem Ammonitæ, quod irritassent David, conduxerunt sibi milites de Syria Rohob, et Sobach, et a rege Micha, et a rege Istob. Misitque David Joab, et omnem exercitum adversus eos. Stabant autem Ammonitæ ante ingressum civitatis, et Syrorum exercitus erat in campo. Joab quoque divisit exercitum, et partem tradens Abisai fratri suo, partem sibi retinuit, et irruit in Syros, fugavitque eos in ore gladii. Quod videntes Ammonitæ, et ipsi terga verterunt Abisai, receperunt se in urbem. Joab vero rediit in Jerusalem cum triumpho. Videntes igitur Syri quomodo corruissent coram Israel, collegerunt iterum exercitum ampliorem. David quoque contraxit omnem Israel, et transiens Jordanem, direxit aciem adversus Syros, et percussit ex eis currus, et equites quadraginta millia, et Sobach principem militiæ. Timuerunt Syri auxilium deinceps præbere filiis Hanon, feceruntque pacem cum Israel, et servierunt eis.

Digitized by Google

CAP. XII. *De adulterio David, et morte Uriæ, et pœnitentia David.*

« Factum est, anno vertente, eo tempore cum solent reges ad bella procedere, misit David, Joab, et universum Israel, et vastaverunt filios Ammon, et obsederunt Rabba. David autem remansit in Jerusalem. Accidit ut surgeret David de stratu suo post meridiem, et deambularet in solario. Viditque ex adverso Bethsabee uxorem Uriæ filiam Eliæ, filii Achitophel, lavantem se aqua frigida (*II Reg.* XI). » Cujus specie inspiratus ad se vocatam cognovit, « statimque sanctificata est ab immunditia sua, » id est post coitum lavit se, vel concepit, et cessavit menstruus sanguis, quem natura dicitur reservare post conceptum in alimoniam fetus. Quidam tradunt eam tunc menstruatam esse, et ad tactum regis cessasse menstruum. Dicit Epiphanius, quod cum vocasset David Bethsabee, cognovit hoc Nathan in spiritu, et festinavit ad David, ut prohiberet, antequam veniret mulier, et impedivit eum Belial. Nam in via hominem occisum nudum vidit jacentem, et moram fecit ibi. Eadem nocte rex implevit peccatum, et luxit Nathan. Cumque accepisset eam David concepisse, revocavit Uriam armigerum Joab, secundum Josephum, ab expeditione, ut ingrederetur ad uxorem suam, et partus ei ascriberetur. Quæsivitque David ab Uria de statu belli, monens ut intraret ad uxorem, et paululum recrearet se. Non acquievit Urias, et dormivit cum servis. Quamobrem vocavit eum David iterum; et statuit eum secum in mensa, invitans eum ad pocula, usque ad ebrietatem. Sed nec sic concitatus est vir desiderio uxoris, et ait : « Arca Domini, et Israel habitant in papilionibus, et Dominus meus Joab manet super faciem terræ, et ego ingrediar in domum meam? Per salutem tuam, rex non faciam rem hanc. » Certus ego David quod non intraret, scripsit ad Joab quasi deliquisset in eum Urias, ut poneret ipsum in ea parte belli, in qua percussus interiret. Cumque tulisset Urias epistolam mortis suæ, secundum mandatum regis interiit. Porro Bethsabee accepta morte viri sui planxit eum. » Transactoque luctu vocavit eam David, et facta est ei uxor, et peperit ei filium. Tunc misit Dominus Nathan ad David (*II Reg.* XII). Qui proposuit ei paradigma de divite habente oves plurimas, qui rapuit pauperi vicino oviculam unam, quam habebat, ut ex ea præpararet cibos hospiti, qui supervenerat; et indignatus est rex in hominem illum, et dixit : « Vivit Dominus, quoniam filius mortis est, qui hoc fecit : Ovem reddet in quadruplum. Et respondit Nathan : Tu es vir ille. Uxorem Uriæ accepisti tibi, et ut occultares adulterium, interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem hæc dicit Dominus : Non recedet gladius de domo tua, usque in diem sempiternum. Ecce suscitabo super te malum de domo tua » Hoc ultimum factum est, quando persecutus est eum Absalon, primum vero in divisione regni post Salomonem. « Et ait David ad Nathan. Peccavi Domino. » Et descendens de throno consistorii sedit in terra, et tanquam vir Deicola coram omnibus confiteri peccatum suum non erubuit. Et ait Nathan ad eum : « Translulit Dominus peccatum tuum, non morieris, nec regnum amittes. Verumtamen filius, qui natus est tibi morietur, quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini » Dixerunt enim idololatræ, vel dicere potuerunt : Non est justus Deus Israel, qui Saul amovit de regno, et substituit David, cum David gravius quam Saul peccaverit. Percussit autem Dominus parvulum, usque ad desperationem vitæ, et deprecatus est David Dominum pro parvulo, et jejunavit, et jacuit super terram, et noluit consolari. « Accidit autem die septima ut moreretur infans. Et videns David servos mussitantes, intellexit quod mortuus esset. » Quo accepto lota facie, et mutata veste intravit domum, et adoravit, et exhilaratus comedit, et admirati sunt servi, quod contra consuetudinem egisset, et ait ad eos : « Cum adhuc viveret puer, flevi, et adoravi Dominum, ut viveret; eo mortuo, quare flerem? Nunquid potero revocare eum. Ego vado ad eum, ille vero non revertetur ad me. » Hoc autem aiebat David, ut consolaretur Bethsabee, quia diligebat eam, et procedente tempore genuit ex ea filium, quem vocavit Salomonem, commisitque eum in manu Nathan, qui vocavit eum Ididam, id est *amabilem Domino*. Igitur pugnabat Joab contra Rabbath, et expugnavit eam. Misitque ad David dicens : Veni et cape civitatem, ne nomini meo ascribatur victoria. Et congregavit David omnem populum. Et profectus cepit urbem, et vastavit eam, et tulit diadema de capite Melchon, quod sonat *rex eorum*, et erat idolum Ammonitarum, et erant in diademate gemmæ pretiosæ, et auri talentum. Quod conflavit David, et formavit ex eo sibi diadema, in medio gemmarum statuens sardonicem incomparabilem. Porro reliquas civitates Ammonitarum vastavit, et multos de populo serravit vehiculis ferratis, et plures divisit cultris, et traduxit in typo laterum.

CAP. XIII. *De Thamar, quam Amnon oppressit.*

Et factum est post hæc suscitavit Dominus malum in domo David in hunc modum. Amnon primogenitus ejus diligebat Thamar sororem Absalon ex utroque parente, ita ut deperiret in ea, et ægrotaret (*II Reg.* XIII). Huic erat cognatus, et familiaris Jonadab filius Semmaa, fratris David, prudens valde, quem Josephus Jonathan vocat. Hunc quidam arbitrantur fuisse Nathan : sed absit ut propheta flagitiosum dederit consilium. Hic ait ad Amnon. « Quare sic attenuaris macie, fili regis? » Quasi diceret : qui debes succedere regi in regnum. Et respondit Amnon : « Diligo Thamar supra modum. Cui respondit : Simula languorem. Cumque venerit pater tuus ad te visitandum, dic ei : Veniat, oro, Thamar, soror mea, et faciat mihi pulmentum, ut comedam suavius de manu ejus. Cumque venisset Thamar missa

Digitized by Google

a rege, coxit in oculis ejus sorbiciunculas, vel, secundum Josephum, collyridas frixas. Et ejecit a se Amnon universos. Cumque tulisset Thamar cibos ad eum, in conclavi *, apprehendit eam, et ait : « Cuba mecum, soror mea. Quæ respondit : Noli, frater, opprimere me, et facere opprobrium generi tuo in Israel, sed loquere ad regem et non negabit me tibi. « Hoc aiebat, ut subterfugeret manus ejus. Non enim fas erat, secundum legem, ut quis duceret sororem ex patre. Tamen quidam determinant hoc dictum esse, si fuerint ambo ejusdem populi, hæc autem fuerat de matre gentili, id est Maacha, quam David ceperat in prælio, et cæsarie, et unguibus præcisis, duxerat eam secundum legem in uxorem, et ita traditur illos potuisse fieri conjuges. « Noluit autem acquiescere Amnon, et oppressit eam, et statim exosam habuit eam, magis quam ante dilexerat. Et ejecit eam a se rogantem ut apud se maneret, et esset ei uxor. Cumque ejecissent eam pueri Amnon, aspersit cinerem capiti suo, et rupit tunicam talarem, qua utebantur filiæ regis virgines, quam Josephus vocat colobium manicatum. Et impositis manibus super caput, ingressa est ad Absalon fratrem suum ejulans. Cui frater ait : « Tace ; soror, frater enim noster est. » Et mansit in domo Absalon longo tempore sustinens viduitatem.

* *Additio* 1. Conclave dicitur camera, ad quam non potest veniri, nisi per aliam.

Cap. XIV. *De morte Amnon, et fuga Absalon et reditu ad David.*

Factum est autem post biennium, ut ascenderet Absalon ad tondendas oves, et ait ad regem : « Veniat, oro, rex cum servis suis ad convivium pueri sui ((*II Reg.* XIII). Cumque abnuisset rex, ne gravaret eum, ait Absalon : « Veniat saltem obsecro Amnon frater meus, et filii regis cum eo. » Et abierunt cum Absalon. Cumque recumberent pueri Absalon, ex præcepto ejus interfecerunt Amnon temulentum. Et ascendentes filii regis mulas suas fugerunt, et pervenit fama ad David dicens : « Percussit Absalon omnes filios regis, et scidit rex vestimenta sua, et cecidit super terram. » Jonadab autem quem veritas non latebat, ait ad regem : « Ne timeat dominus meus, quoniam Amnon solus mortuus est, quem oderat Absalon a die qua oppressit sororem suam. » Et ecce apparuerunt filii regis, et fleverunt cum rege planctu magno nimis. Porro Absalon fugiens, abiit ad Tholomai avum suum regem Gessur, et fuit cum eo tribus annis. Rex autem consolatus super Amnon interitu, cessavit, velle persequi Absalon, quia sciebat eum esse flagitiosum, et dignum morte. Quod intelligens Joab, qui diligebat Absalon, misit ad regem mulierem sapientem de Thecua, quæ putatur fuisse prophetæ Amos prophetæ, et posuit Joab verba sua in ore ejus (*II Reg.* XIV). Cumque ingressa fuisset mulier ad regem, adoravit, dicens : « Serva me, rex, mortuus est vir meus, et erant mihi duo filii, et interfecit alter alterum in agro *, et consurgit universa cognatio adversus occisorem, quærentes animam illius pro anima occisi, et quærunt exstinguere scintillam meam super terram. » Hæc mulier posuit se in persona David, et filios suos in persona Amnon et Absalon et cognationem suam in persona aliorum filiorum David, et ait David ad eam : « Vade in pace, ego videbo pro te. » Quod cum non sufficeret mulieri, ait ad regem : « In me sit, domine, hæc iniquitas, et in domum patris mei : Rex autem sit innocens. » Quasi dicat : Si putas iniquum parcere occisori, mihi imputetur, et domui meæ. Cumque iterasset rex promissionem, nec sufficeret mulieri, instantius rogabat regem. Qui ait : « Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram. » Tunc exponens ei mulier similitudinem, ait : « Reducat ergo dominus meus abjectum suum. Non enim vult animam perire Deus, et omnes dilabimur tanquam aquæ, quæ non revertentur. » Quasi dicat : Mortuum filium non potes revocare ad vitam. Melius est ut revoces viventem, quam alterum vindicando, utrumque perdas. Et ait rex : « Nunquid manus Joab tecum est in istis? Quæ respondit : Ipse imposuit verba hæc in ore meo, ut verterem similitudinem sermonis hujus. Et ait rex ad Joab : Revoca puerum Absalon. Cumque reduxisset Absalon in Jerusalem, ait rex : « Non videat faciem meam, donec vocem eum, » ne eo viso reviviscat in me dolor filii. Et mansit Absalon in Jerusalem duobus annis, et faciem regis non vidit. Porro Absalon erat decorus nimis, cujus cæsaries, secundum Josephum tanta erat, ut vix novem diebus tonderi potuisset. Quam semel in anno tonsam, ponderabat ducentis siclis. Forte hujus ponderis erat tonsura ejus. Vel hoc pretio emebant eam mulieres, ut subornarent crines suos. Natique sunt Absalon filii tres, et filia una nomine Thamar, misitque sæpius ad Joab, ut intercederet pro eo ad regem Qui noluit venire ad eum. Misitque Absalon servos suos, ut incenderent segetes agri Joab. Quo facto Joab venit ad eum dicens : « Quid fecerunt servi tui ? Qui respondit. Aliter habere te non poterant. Obsecro, intra ad regem, ut videam faciem ejus, alioquin interficiat me. Et ingresso Joab ad regem vocatus est Absalon, et osculatus est rex eum. »

* *Additio.* 1. Aiunt Hebræi sicerem gestam fuisse quam vertit mulier in parabolam

Cap. XV. *Quomodo Absalon persecutus est David patrem suum.*

Tunc cœpit Absalon aspirare ad regnum, nam Calech ante eum genitus, vel iners erat, vel mortuus. « Fecitque sibi currus, et equites quinquaginta qui præcederent eum ; et mane consurgens stabat in porta, et blandiebatur ascendentibus ad regis judicium dicens : Bona sunt quæ dicis, sed non est qui te audiat constitutus a rege. Quis constituet me regem, ut juste judicem? » Et inclinavit ad se corda virorum (*II Reg.* XV). Post quatuor ve-

Digitized by Google

ro annos reversionis, ait ad regem : « Dum eram in exsilio vovi, si reduxerit me Dominus in Jerusalem : Sacrificabo Domino in Hebron. Vadam ergo, et reddam vota mea. Et ait rex : « Vade in pace. » Alia littera habet post quadraginta annos, quadraginta enim anni fluxerunt ex quo occisi sunt sacerdotes Nobe, qui ponuntur hic, ut monstretur divinam ultionem suscitari super David, eo quod Abimelech sacerdotem fefellit. Abiit ergo Absalon in Hebron, utens consilio Achitophel Gilonitæ, qui fuerat consiliarius David, et egressi sunt multi de Jerusalem rem ignorantes. Cumque immolasset hostias facta est conjuratio valida, et augebatur populus cum Absalon. Quod cum accepisset David, ait servis suis : « Egrediamur cito ne forte veniens Absalon occupet nos, et percutiat civitatem. » Et egressus est David rex, et universa domus ejus nudis pedibus, dimittens decem concubinas ad custodiendum domum ; et præcedebant regem Cerethi, et Phelethi sexcenti viri pugnatores, qui secuti fuerant eum de Geth. Isti creduntur beneficia præstitisse David quando latuit in Geth, et in retributionem dederat eis locum in Jerusalem. Josephus dicit illos sexcentos egressos cum eo, qui quondam astiterant ei in Saulis persecutione. Potuit autem fieri, ut hi et illi essent cum eo. Et ait rex ad Ethai Gethæum filium Achis, qui primus erat inter sexcentos : « Reduc fratres tuos in Jerusalem, et habita cum rege Absalon : heri venisti, et hodie compelleris exire. Qui respondit : Vivit Dominus, nec in morte, nec in vita derelinquam te. » Et transgressi sunt universi flentes cum rege torrentem Cedron, et levitæ arcam portantes, deposuerunt eam, donec transiret populus, et ascendit Abiathar ad consulendum Dominum. Qui non respondit ei. Et ideo ait David ad Sadoc : « Revertere in civitatem cum arca, ego abscondar in deserto. Achimaas filius tuus, et Jonathas filius Abiathar sint vobiscum, per quos veniet ad me sermo a vobis. » Et redierunt cum arca. Cumque ascendisset David clivum Olivarum, occurrit ei Chusai Arachites consiliarius ejus, et ait David : « Revertere, et esto cum Absalon, et dissipabis consilium Achitophel, et quod audieris in domo regis indicabis sacerdotibus, qui dirigent ad me filios suos. » Et venit Chusai ad Absalon in Jerusalem. Cumque paululum processisset David, apparuit ei Siba cum duobus asinis, ferens panem, et uvam passam, et massas caricarum, vel palatarum, id est ficuum, quæ inter tabulas, quas palas dicimus, pressæ compinguntur (*II Reg.* xvi). Et ait Siba ad regem : « Asinos duxi, ut in eis sedeant domestici regis, et tuli cibaria, ut alantur in deserto. Et ait rex : Ubi est Miphiboseth? Qui respondit : Remansit in Jerusalem dicens : Hodie restituet mihi Dominus ultionem patris mei. Et ait rex Sibæ : Tibi sint omnia quæ fuerant Miphiboseth. » Venit ergo David, usque ad Bahurim, et egressus vir de cognatione Saul nomine Semei, projiciens lapides, et lutum, maledicebat regi, dicens : « Egredere, vir sanguinum. Ecce premunt te mala, quæ fecisti in domum Saul. » Quem cum percutere Abisai vellet, prohibuit eum David dicens : « Filius uteri mei quærit animam meam, quanto magis filius Jemini. Misit eum Dominus, ut maledicat mihi. Respiciat Dominus hanc afflictionem meam. » Fabulantur Hebræi hunc Semei fuisse Nabath, patrem Jeroboam, et nomen avi ejus Jemini, et descendit David, usque ad Jordanem.

CAP. XVI. *De consilio Chusai, et morte Architophel.*

Factum est autem, quod Chusai veniens ad Absalon, adoraret, dicens : Salve rex. Ad quem Absalon : Quare non ivisti cum amico tuo? Qui respondit : Illius ero quem elegit Dominus, et omnis Israel, Cui serviam? Nonne filio regis? Sicut patri tuo, sic parebo tibi (*II Reg.* xvi). Tunc ingressus est Absalon, coram omnibus, ad concubinas patris sui, de consilio Achitophel, ut sic intelligeret omnis Israel quod ex animo persequeretur patrem, et roborarentur cum eo. Post hæc dixit Achitophel (*II Reg.* xvii). Eligam mihi duodecim millia virorum, et persequar hac nocte David, et percutiam eum, quia fessus est, et redibunt ad te universi, quasi unus homo. Et ait Absalon : Vocemus Chusai et consulamus eum, et ait Chusai. Non est bonum consilium Achitophel hac vice. Nosti patrem tuum, et viros ejus esse fortissimos. Si modo percusserit aliquos de tuis, quicunque audierit dicet. Facta est plaga in populo, qui sequebatur Absalon, et timebunt esse tecum. Sed hoc est consilium bonum : congregetur ad te omnis Israel, et irruamus super eum. Et ubicunque fuerit operiemus eum. » Et placuit omnibus consilium Chusai. Et dixit Chusai sacerdotibus, ut nuntiarent David, ne maneret in deserto nocte illa, sed transiret Jordanem. Et abiit ancilla ad filios sacerdotum, qui latebant juxta fontem Rogel, ferens pannum, quasi ad abluendum, et indicavit eis verbum Chusai. Vidit autem eos quidam puer filius ancillæ, ut dicitur, et indicavit Absalon. Josephus autem dicit quosdam equites vidisse eos, et nuntiasse Absaloni. Qui misit post eos, ut comprehenderentur. At illi ingressi in Bahurim domum mulieris, rogabant ut celaret eos. Quæ dimisit eos in puteum, et expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas, id est hordeum ad ptisanam, et sic res latuit. Cumque reversi fuissent qui missi fuerant, illi ascendentes de puteo nuntiaverunt David quæ tradita eis fuerant. Et transivit David Jordanem cum suis prius quam dilucesceret, et venit in Manaim. Porro Achitophel sciens regnum rediturum ad David, et timens incidere in manus ejus, descendit in domum suam in Silo, et laqueo se suspendit.

CAP. XVII. — *De morte Absalon*

Absalon autem collegit exercitum, et transivit Jordanem, et statuit Amasam super exercitum pro Joab (*II Reg.* xvii); hic erat filius Abigail, filia

Digitized by Google

Naas, id est Isai, sororis David, quem Josephus Abigeam vocat, et erat consobrinus Joab. Porro viri trans Jordanem, et maxime Berzellai Galaadites obtulerunt David cibaria multa nimis, et stratoria, et tapetia, et vasa fictilia. Porro David divisit populum, qui cum eo erat in tres partes, unam dedit Joab, secundam Abisai, tertiam Ethai Gethæo, qui putatur fuisse filius Achis amici David (*II Reg.* XVIII). Cumque vellet egredi rex cum eis ad pugnam, dixerunt : « Non ibis, te solum quærunt, alios non curant. » Cumque egrederentur cunei ad pugnam circiter septem millia, stabat David juxta portam, et dicebat : « Servate mihi puerum Absalon. » Et factum est prælium in die illa juxta saltum Ephraim, et fugit exercitus Absalon, cæsis ex eo viginti millibus, et plures interfecerunt bestiæ saltus quam gladius. Fugiensque Absalon super mulum, venit ad quercum condensam, et intercepto capiti ejus ramis, mulus pertransiit, eo suspenso. Quod cum quispiam nuntiasset Joab, ait ad eum : « Quare non confodisti eum ? » Qui respondit : « Non mitterem manum meam in filium regis, » præsertim cum audierim eum dicentem : « Servate mihi puerum Absalon. » Infixitque Joab tres sagittas in corde Absalon. Quem adhuc palpitantem interfecerunt armigeri Joab, et projecerunt eum in foveam grandem, et comportaverunt super eum acervum lapidum, ut duplici morte periret tanquam facinorosus. Israel autem fugit in tabernacula sua. « Porro Absalon adhuc vivens erexerat sibi titulum in Valle regia, » quæ duobus stadiis distat a Jerusalem in monumentum nominis sui, et erat nomen tituli : « Manus Absalon. » Hunc titulum quidam putant fuisse arcum triumphalem, in quo sculpta erat manus Absalon. Sed Josephus dicit statuam fuisse marmoream. Tunc ait Achimaas ad Joab. « Curram, et annuntiabo regi. » Qui respondit : « Nolo te hodie nuntiare : Filius enim regis mortuus est. Et ait Joab ad Chusai : Vade et nuntia regi quæ vidisti. Currens quoque Achimaas post eum per viam compendii, transivit eum. David autem sedebat inter duas portas, speculator, vero in fastigio portæ exclamavit : Video hominem currentem solum. Et ait rex : Si solus est, bonus est nuntius. Et iterum ait speculator. Apparet mihi homo alter currens solus. Dicitque rex : Et iste bonus est nuntius. Et veniens Achimaas adoravit dicens : Benedictus Deus, qui conclusit homines levantes se contra regem. Et ait rex : Est ne pax puero Absalon ? » At ille noluit indicare. Chusai vero superveniens indicavit. Et contristatus rex ascendit cœnaculum portæ flens operto capite, et clamans : Fili mi Absalon, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te. Absalon fili mi, fili mi Absalon. » Quod audiens populus timuit ingredi civitatem (*II Reg.* XIX), et ingressus Joab ad regem dixit : « Confudisti hodie vultus eorum, qui salvam fecerunt animam tuam. Diligis odientes te, et odio habes diligentes te. Procede, et alloquere servos tuos, alioquin nec unus remanebit tecum hac nocte, et erit hoc malum tibi super omnia, quæ unquam passus es. Sedit ergo rex in porta lota facie, et venit ad eum omnis multitudo, et benigne locutus est eis. »

Cap. XVIII. — *De reditu David in Jerusalem*

Porro, qui secuti fuerant Absalon, mutuo se hortabantur, ut revocarent regem, memorantes beneficia ejus in Israel (*II Reg.* XIX). David autem misit ad Sadoc, et Abiathar, ut loquerentur ad viros Juda : « Hæc dixit rex : Os meum, et caro mea vos. Quare novissimi reducitis regem ? » Quasi dicat : Videte ne tardiores cæteris sitis, et per eosdem juravit Amasæ, quod principem militiæ eum vellet constituere pro Joab. Et miserunt viri Juda ad regem, ut rediret. Et venit rex usque ad Jordanem, et venit omnis Juda in occursum ejus in Galgala. Semei quoque de Bahurim descendit cum eis, habens secum centum viros, et mille viros de Benjamin. Siba quoque, et filii ejus, et servi trans Jordanem venerunt ad eum, ut traducerent domum ejus. Isti, secundum Josephum, fecerunt pontem Jordanis, ut facilius rex transiret cum exercitu. Cumque transisset rex, adoravit Semei, dicens : « Ne memineris, domine, injuriam servi tui. Scio enim peccatum meum, et ideo hodie veni, in occursum tuum primus de omni domo Joseph, » non quod esset in tribu Joseph, sed quia habitabat in sorte Ephraim. Cumque diceret Abisai Semei occidendum, dixit David : « An ignoras me hodie factum regem super Israel ? Ergo ne hodie interficietur vir in Israel. » Quasi diceret : Illos occidam, qui me hodie fecerunt regem super se. Timebat quoque si interficeretur Semei, quod reliqui, qui similiter regem offenderant, nollent eum sibi facere regem. Et ait Semei : « Non morieris. » — « Miphiboseth quoque venit in occursum regis illotis pedibus, et intonsa barba. Nam et vestes non laverat a die qua egressus fuerat rex. » Hebræus habet, « infectis pedibus, » tradens quod sibi fecerat pedes ligneos. « Et ait rex ad eum : Cur non venisti mecum ? Qui respondit. Servus meus contempsit me, nolens mihi sternere asinum, ut irem cum rege, insuper et accusavit me. Tu autem qui justus es, fac quod tibi videtur. Et ait rex : Fixum est quod locutus sum. Tu et Siba, dividite possessiones. » Quasi diceret : Utrique vestrum dederam, sed quia uterque totum habere non potest, inter vos dividatur. Dicitur quod David, immemor juramenti cum Jonatha, injuste, judicavit ; et ideo Roboam, et Jeroboam diviserunt ejus regnum. Mortuo enim Salomone, Roboam filius ejus et Jeroboam armiger ipsius diviserunt regnum, quod habuerat David. Berzellai quoque, qui præbuerat alimenta regi, descenderat cum eo. « Et ait rex ad eum : Veni mecum in Jerusalem, et honorabo te. Qui respondit : Octogenarius sum hodie, non indigeo hac vicissitudine. Chamas, alias Chanaam filius meus vadat tecum ; fac ei quod tibi videtur. Et ait rex : Veniat, et faciam ei quod tibi placuerit. Et rediit Berzellai in locum suum. Tunc concurrerunt ad regem omnes viri

Digitized by Google

Israel, et indignantes dixerunt : « Quare te furati sunt fratres nostri viri Juda, et traduxerunt te sine nobis? » Et respondit Judas : « Quia propior est mihi rex. Et ait Israel : « Decem* partibus ego major sum, ideo magis ad me pertinet David, quam ad te, præsertim cum primogenitus sim. » Cumque respondissent durius viri Juda, Siba filius Bochri, filius Jemini cecinit buccina, et ait : « Non est nobis pars in filio Isai. » Revertere in tabernacula tua, Israel (*II Reg.* xx). » Et recedentes a David, secuti sunt Sibam. Viri autem Juda reduxerunt regem suum in Jerusalem.

* *Additio.* 1. Nota quoddam hic, quod vix alibi invenies, quod nomine Israel undecim tantum tribus designantur. Cum enim duodecim fuissent, de duodecim partibus, de tribu Juda, rex fuit David, quod indigne ferentes undecim venerunt ad tribum David dicentes.

Cap. XIX. *De morte Amasæ et Siba.*

Rex autem decem concubinas, ad quas ingressus fuerat Absalon, reclusit in custodia viduitatis, nec est ingressus ad eas (*II Reg.* xx). Et ait rex Amasæ, qui erat princeps militiæ : Congrega mihi viros Juda in tertium diem. Abiit ergo Amasa, et moratus est extra placitum. Et ait rex ad Abisai, non ad Joab, quem jam amoverat a principatu ; tamen Josephus dicit eum dixisse ad Joab : « Tolle servos domini tui, et persequere Sebam, ne effugiat vos. » Et egressi sunt cum eo omnes robusti de Jerusalem ; et occurrit ei Amasa residens juxta lapidem grandem, qui est in Gabaon. « Porro Joab vestitus erat tunica stricta! » Josephus tamen dicit lorica ; « et accinctus erat gladio fabrefacto, qui levi motu egredi poterat. » Et arte quadam simulans, quasi cecidisset gladius, et « recepisset eum dextra manu, tenuit mentum Amasæ, quasi osculans eum, et sinistra percussit eum in latere, et effudit ejus intestina. Joab autem, et Abisai persecuti sunt Sebam, et subsistebant venientes ad mortuum in via. Vir autem quidam amovit eum in agrum, et operuit eum, ne subsisterent transeuntes, clamans quod juste occisus esset, qui in dolo moram faceret redire ad regem. Joab vero cum exercitu obsedit Sebam in Abela, et moliebatur destruere muros urbis, et exclamavit ad eum mulier sapiens de civitate. « Sermo dicebatur in veteri proverbio. Qui interrogant, interrogent in Abela. » Quasi diceret ; hæc est urbs consilii ab antiquo. « Quare quæris evertere matrem civitatum Israel. Quare præcipitas hæreditatem Domini. » Hebræus non habet « proverbio, » et est sensus secundum eum : « Sermo dicebatur in veteri, » id est quondam in lege dictum est, ut Israel prius offerat pacem hostibus, quam aggrediatur eos. « Quare ergo præcipitas, hæreditatem Domini, » id est cur non servas legem in Israelitis, quæ servata est in alienigenis ? Postea legit Hebræus, quod interpositum est ad commendationem urbis, secundum priorem expositionem. Et respondit Joab ad eam : « Non quæro evertere urbem, sed Sebam filium Bochri, qui levavit manum suam contra David. » Et locuta est mulier civibus sapienter. « Qui abscissum caput Sebæ projecerunt ad Joab. » Tunc reversus est exercitus in Jerusalem ad regem, et restituit rex Joab super exercitum, et alios ministeriales in officiis suis, sicut supra, hoc addito, quod Aduram statuit supra tributa colligenda, et quod Ira factus est sacerdos David proprius.

Cap. XX. *De fame trium annorum, et de septem viris suspensis in ultione Gabaonitarum.*

Facta est quoque fames in diebus David tribus annis jugiter, et consuluit David Dominum (*II Reg.* xxi). Qui respondit, hoc fieri propter Saul, et domum ejus, qui occidens Gabaonitas, quasi pro zelo filiorum Israel irritum fecerat juramentum Josue, et seniorum. Et ait David ad Gabaonitas. « Quid faciam vobis, ut benedicatis hæreditatis Domini? » Qui dixerunt : « Virum qui attrivit nos delere debemus, ut ne unus quidem residuus sit de stirpe ejus. » Sed quia David hoc facere non poterat propter juramentum, quod juraverat Jonathæ, temperaverunt petitiones dicentes : « Dentur nobis septem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos Domino. Pepercitque rex Miphiboseth filio Jonathæ, et tradidit eis duos filios Saul, quos peperit ei Respha. » Isti adhuc pueri cum Doeg occiderunt sacerdotes Nobe, et postea Gabaonitas. Dedit eis etiam quinque filios Michol adoptivos, quos genuerat Merob Iladrieli ; Gabaonitæ vero crucifixerunt eos in diebus messis primæ, id est incipiente messione hordei. Induens autem Respha cilicium, substravit sibi supra petram, cubans juxta eos die ac nocte, ut amoveret ab eis aves et bestias, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos, id est usque circiter Kalendas Septembris. Tunc enim, juxta naturam terræ, primum post messem pluvia descendit. Hanc Respham quidam non bene putant fuisse Orphan, nurum Noemi. Audiens autem David quæ fecerat Respha, deposuit eos de patibulis, et tollens ossa Saul, et Jonathæ de Jabis Galaad, et ossa eorum qui affixi fuerant, sepelivit eos in sepulcro Cys patris eorum. Quo facto reddidit Deus ubertatem terræ.

Cap. XXI. *De quatuor prœliis David.*

« Factum est autem iterum prælium Philisthinorum adversus Israel, et pugnabat David cum suis adversus eos. Cumque fere David defecisset pugnando cum Jesbibenob, qui fuit de genere Arapha, misus est percutere David, et interposuit se Abisai, et interfecit Philisthæum (*II Reg.* xxi). » Hunc tradunt Hebræi fuisse de genere giganteo : Arapham vero dicunt fuisse Orphan, nurum Noemi, quæ peperit viro Gethæo, quatuor gigantes, qui hic memorantur, Jesbibenob, Sephi, Goliam, et quartum habentem senos digitos in manibus, et pedibus. « Tunc juraverunt David viri dicentes : Jam non egredie-

Digitized by Google

ris nobiscum in prælium ne exstinguas lucernam in Israel. » Occasione hujus ultimi prælii epilogat historia hic tria superiora prælia David nominata, non tamen eo ordine quo gesta sunt. Quorum primum fuit in Gob; urbs est, quæ et Iaer dicitur, in qua percussit Sobochai Sephi, de genere gigantum. Aliud quoque prælium similiter fuit in Gob, in quo secundum Josephum apparuit vir fortis Ephron, cognatus David, qui, suis in fugam versis, solus plurimos hostium peremit, et alios in fugam convertit. Liber vero Regum in hoc loco ponit prælium David contra Goliam in hunc modum. « In quo percussit Adeodatus, filius saltus, polymitarius, Bethlehemites, Goliath Gethæum. » Iisquatuor nominibus exprimitur David, et dicitur Adeodatus, quia ad liberationem Israel datus est a Deo in regem. Filius saltus, quia de pascuis, et saltu assumptus est. Polymitarius, quia de genere Beseleel Polymitarii fuit mater ejus. Vel quia multis modis ampliavit cultum Domini. Bethlehemites, dictus est a patria. Memoratur quoque et aliud prælium in quo Jonathas, filius Semmaa, fratris David, percussit virum habentem senos digitos in manibus et pedibus. Expeditus itaque David a prœliis locutus est Domino verba carminis ejus in die, qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum et de manu Saul, et ait : Dominus, petra mea (*II Reg.* XXII), etc. In Psalmis secundum translationem nostram ita legitur : « Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, et refugium meum (*Psal.* VII), » etc. Cujus titulum sumpsit Esdras ex verbis supra positis, « in die qua liberavit eum Dominus, » etc. Josephus hic dicit quod, cum David pace altissima frueretur, cantica et hymnos composuit, alios trimetros, alios quinque metros, diversa faciens organa, in quibus Levitæ per Sabbata, et alias solemnitates hymnos dicerent. Et ponit Josephus differentiam inter psalterium et nablum. Et est psalterium canora cithara decem chordis coaptata, quæ cum plectro percutitur. Nablum vero duodecim sonos habens, digitis tangitur. Post carmen supradictum addidit David loquens de se, tanquam de alio. « Hæc sunt verba novissima, quæ dixit David filius Isai. Dixit vir cui constitutum est, » id est promissio facta, « de Christo Dei Jacob (*II Reg.* XXIII). Hebræus habet ita : « Dixit vir levatus super Christum Dei Jacob, » id est Christus super alios exaltatus et unctus a Deo. Propter hæc verba quidam dicunt prædictum psalmum novissime scriptum a David. Sed tutius est ut dicamus, « novissima verba David, » quæ sequuntur : « Spiritus Domini locutus est per me, » etc. Et est forte psalmus novissime scriptus, nec aliis centum quinquaginta annumeratus.

Cap. XXII. *Catalogus fortium David.*

Porrocirca regem erant omnes fortissimi, quorum insigniores fuerunt triginta sex (*II Reg.* XXIII). A Insignior tamen cæteris erat David, « sedens in cathedra sapientissimus, » et ita erant triginta septem, annumerato David. Porro post David de illis sex qui erant supra triginta tres erant fortissimi, alii tres non adeo fortes, sed tamen fortiores reliquis triginta, ut quasi dicere possumus triginta erant fortes, tres vero fortiores eis, tres vero reliqui fortissimi. Et secundum hanc expositionem Catalogus triginta sex, fortium incipit ibi. « Princeps inter tres ipse est, quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno. » Josephus dicit nongentos, Paralipomenon trecentos : iste non nominatur hic ab historia. Paralipomenon vocat eum Jesboam, Josephus Eusebium. Non legitur ubi hoc factum fuerit, nisi quantum B hic commemoratur. Post hunc erat Eleazar filius patrui David, qui percussit Philisthæos, donec deficeret manus ejus, et obrigesceret cum gladio. Post hunc erat Semma Ararites, quem Josephus Semeiam vocat. Qui cum fugisset populus solus, stetit in agrolentis, et percussit Philisthæos, et fecit salutem in Israel. His tribus Josephus attribuit delationem aquæ de cisterna Bethlehem. Historia vero Regum refert illud ad tres sequentes, quos fortiores diximus, quorum primus erat Abisai frater Joab. « Ipse est qui levavit hastam suam contra trecentos quos interfecit, optimus quidem, sed usque ad tres primos non pervenit. » Post hunc erat Banaias, qui percussit duos leones Moab, id est principes, quos Paralipomenon dicit arietes (*I Paral.* II). « Ipse C quoque interfecit virum Ægyptium, » id est imitatorem Ægyptii, blasphemantem Dominum, quem interfecit Moyses. Hunc dicunt Hebræi fuisse Semei, quem post interfecit sub Salomone. « Alium quoque virum Ægyptium interfecit, dignum spectaculo, » altitudinis quinque cubitorum, « habentem in manu hastam ad quem venit Banaias in virga, et extorsit hastam de manu ejus, et occidit eum hasta sua. » Hieronymus tamen dicit hoc, quod diximus de alio Ægyptio, de Semei, qui habuit hastam in manu, id est legem Dei : quam si meditatus fuisset permanendo in Jerusalem non periret. Idem occidit leonem in hunc modum. Tempore nivis lapsus est leo in cisternam, qui nullum videns egressum, orificium enim cisternæ nive damnatum erat, rugiebat. D Quem audiens Banaias, dum iter ageret, descendit ad eum in baculo, manibusque eum prostravit. Tertium de fortioribus, nec liber Regum, nec Josephus ponit hic. Sed recurrendum est ad Sabochai, de quo in proximo dictum est. Isti tres opus fecerunt magnificum, quod sequitur. Philistæi quondam posuerunt castra in valle Raphaim, usque ad civitatem Bethlehem; et erat penuria aquæ in Jerusalem. David autem ascenderat in arcem ad consulendum Dominum, et commendabat coram astantibus aquam de Bethlehem, et præcipue eam, quæ erat in puteo, juxta portam. Tunc isti tres per medium hostium iter facientes venerunt ad Bethlehem, et hauerientes aquam, denuo ad regem per eorum cast-

Digitized by Google

reversi sunt, ita ut Palæstini fiduciam eorum obstupescentes a dimicatione cessarent. Delatam siquidem aquam rex noluit bibere, dicens : « Nunquid sanguinem istorum, et animarum periculum biham ? » Et effudit eam tanquam libamen Domino**, de salute virorum gratias agens. Ab hac enumeratione fortium Hebræus dissentit, numerans tantum triginta sex fortes, et in tribus primis quos fortissimos diximus, numerat ipsum David sic : « David sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, » et cætera, quæ non mutantur. Et dicit multos eum occidisse impetu uno, quia pro peccato quando impetuose fecit in Bethsabee multi occisi sunt. Comparatur autem David vermiculo ligni, qui teredo, vel terebella dicitur, qui mollis durum lignum perforat; dum tangitur nil mollius illo, quando tangit nil durius. Sic et David in pressuris, et domi, et circa subjectos mansuetior erat cæteris, in throno et contra hostes nullus eo acutior, et commendatur hic David in tribus in sapientia, et humilitate et fortitudine. Porro reliqui triginta quos fortes diximus, postea enumerantur inter quos non enumerantur Joab, vel quia princeps est aliorum vel quia indignus propter mortem Abner et Amasæ.

* *Additio.* 1. Nota quod habet littera, quæ in libro Regum difficilis est, « David sedens in cathedra sapientissimus, princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno, » hoc uno modo sic distinguit, ut « sapientissimus, » sit finis versus, et « princeps, » sit initium sequentis.

** *Additio* 2. Super locum istum dicit Hieronymus in Paralipomenon : « Notandum quod vinum quod Deo offerebatur aquæ mistum erat.

Cap. XXIII. *De numero populi, et altari erecto a David.*

« Factum est autem post famem prius immissam a Domino addidit furor Domini irasci contra Israel (*II Reg.* xxiv). » Furorem Domini videtur quasi exponere Paralipomenon, dicens : « Consurrexit Satan adversus Israel, et incitavit David, ut numeraret populum (*I Paral.* xxi). » Et ait rex ad Joab : « Perambula omnes tribus Israel, et numera populum, ut sciam numerum ejus *. » Intelligens autem Joab quod de elatione hoc diceret, ait : « Adaugeat Deus ad populum tuum, sed quid sibi vult dominus rex in hac re, » quasi diceret : Vide ne offendas Dominum. Cumque nollet rex mutare propositum, egresssus est Joab, et principes militum, et numeraverunt populum, et redierunt post novem menses et viginti dies in Jerusalem cum descriptione redacta in scriptis. « Et inventa sunt de Israel octoginta millia virorum fortium, et de Juda quingenta millia pugnatorum. » Benjamitæ dicuntur non fuisse numerati adhuc, quia pauci erant. In Paralipomenon longe plura leguntur, scilicet mille millia et centum (*I Paral.* vi, 21), et creditur Joab subticuisse regi partem populi. Peccavit autem David in duobus, quod superbe numeravit, et quia quisque numeratorum non reddidit pecuniam Domino, quinque scilicet siclos argenti, sicut scriptum est in lege Moysi. Quod attendens David, ait ad Dominum : « Obsecro, Domine, transfer iniquitatem servi tui, quia peccavi nimis. » Diluculo misit ad eum Dominus Gad prophetam tres supplicii conditiones portantem.** Qui ait : « Aut septem annis veniet tibi fames in regno tuo, aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, aut tribus diebus erit pestilentia in populo tuo. » Et ait David : « Coarctor nimis. » Quasi dicat : Si famem eligo, pauperum erit supplicium, non divitum. Si victoriam hostium, supplicium erit exercitus, et non meum, qui circumvallor fortissimis. Eligam ergo communem plagam regi et plebi. « Melius est enim ut incidam in manus Domini misericordis, quam in manus hominis. Misit ergo Dominus pestilentiam in Israel de mane usque ad tempus constitutum, » id est usque ad horam prandii, secundum Josephum, vel usque ad horam sacrificii vespertini, secundum alios, « et mortui sunt de populo extra Jerusalem septuaginta millia virorum. » In Paralipomenon (*I Paral.* xxi) legitur « fere trecenta millia (15). » Et aiunt Hebræi ibi positum numerum plebis, hic autem numerum nobilium. Porro cum extendisset angelus percussor manum suam ad Jerusalem, ut disperderet eam, et staret juxta aream Areuna Jebusæi, qui et Ornan dicitur, vidit eum stantem David gladio evaginato, et clamavit : « Ego sum qui peccavi; isti qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei. » Et misertus Dominus ait ad angelum : « Sufficit, contine manum tuam. » — « In illa die dixit Gad ad David : Constitue altare Domino in area Areuna Jebusæi. » Et ascendens David dixit ad Areuna : « Vende mihi aream tuam, ut ædificem ibi altare Domino, et cesset interfectio. Qui respondit : « Accipiat eam dominus meus gratis. Habeat quoque boves in holocaustum, et plaustra, et juga bovum in usu lignorum. » Et ait rex : « Nequaquam, sed emam pretio, et non offeram Domino holocausta gratuita. » Emit ergo David aream « sexcentis siclis auri, » ut in Paralipomenon legitur (*I Paral.* xxi), » et boves argenti siclis quinquaginta, et ædificavit ibi altare Domino, et obtulit holocausta, et pacifica, et propitiatus est Dominus terræ. » Hic est mons Moria, ut aiunt Hebræi in quo Abraham voluit offerre filium, et obtulit arietem pro eo (*Genes.* xxii). Ea tempestate tabernaculum et altare quod fecerat Moyses erat in excelso Gabaon, licet arca esset in Jerusalem. Cumque prophetasset Gad templum ibi futurum, decrevit David ut ille locus vocaretur area populi

(15) Leg. *Septuaginta millia*, ut supra in lib. Reg.

Digitized by Google

* *Additio* 1. Hebræus dicit sic : Jam Dominus sumpsit vindictam de David propter mortem Uriæ in persecutione filii sui Absalon, sed nondum de populo et principibus, qui ei non contradixerant. Unde modo voluit vindicare contra Israel, id est contra populum. Suggestione enim diaboli David, fecit numerare populum, quod non debebat fieri, nisi cum deberet procedere ad bellum, et tunc ab A unoquoque capite debebat accipere quinque siclos in oblationem Domino. Hoc autem fecit David ex supercilio elationis.

** *Additio* 2. In Exodo enim scriptum est : « Quando tuleris summam filiorum Israel, juxta numerum dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, et non erit plaga in eis. »

HISTORIA LIBRI III REGUM.

CAP. I. *De unctione Salomonis in regem.*

Incipit secundum Hebræos Malachim, quod sonat *Regum*, quia licet in præcedenti opere actum sit de duobus regibus Hebræorum, non simul regnantibus, tamen quia in isto opere agitur de regibus, qui simul regnaverunt in Juda et in Israel, merito Regum dicitur. « Et rex David senuerat. Cumque operiretur vestibus non calefiebat (*III Reg.* I). » Et invenerunt ei Abisag Sunamitem puellam pulchram nimis, quæ dormiebat cum rege, et calefaciebat eum, et ministrabat ei. « Rex vero non cognovit eam. » Adonias autem quartus filius David, cum esset primogenitus inter superstites filios regis, fiduciam habuit regnandi, et fecit sibi currus et equites ; nec corripuit eum pater, et sermo ejus erat cum Joab et Abiathar sacerdote. Alii vero ministeriales regis, C et robur exercitus non erant cum eo. Præparavit autem Adonias solemne convivium in horto regali juxta fontem Rogel, et vocavit filios regis, et servos, robustos autem et sibi non faventes, et Salomonem non vocavit. Nathan autem monuit Bethsabee, ut intraret ad regem, et posuit verba sua in ore ejus. Quæ ingressa ad regem ait : « Domine mi, tu jurasti ancillæ tuæ : Salomon filius tuus regnabit post me, et ecce nunc Adonias regnat, te ignorante. » Cumque aliis vocatis ad convivium, filium meum non vocaverit, scio quod « cum dormieris cum patribus tuis, ego et filius meus erimus peccatores, » id est judicabimur morte digni, ego ut adultera, ille ut adulteræ filius. « Adhuc ea loquente, intravit Nathan, et ait : « Domine mi rex, dixisti tu : Adonias regnet post me, et non indicasti mihi servo tuo? » Et ait rex ad Bethsabee : « Vivit Dominus, qui eruit animam meam ab omni angustia, quia sicut juravi tibi, sic faciam hodie. » Et dixit ad Sadoc, et Nathan, et Banaiam : « Tollite vobiscum servos domini vestri, et imponite Salomonem filium meum super mulam meam, et ungant eum in regem Sadoc et Nathan ad fontem Gihon, et canentes ponite eum super solium meum. Et respondit Banaias : Amen. Sumpsit autem Sadoc cornu olei de taber- B naculo, et inunxit eum, et cecinerunt buccina, et dixit omnis populus : Vivat rex Salomon. » Et insonuit terra a clamore eorum, et sedente Salomone super thronum, adoravit David in lectulo suo Deum, qui dederat ei sedentem in solio in oculis suis. Porro Adonias et invitati ab eo cum æstimarent tumultum ortum in civitate, cucurrit ad eos Jonathas filius Abiathar indicans eis quæ fuerant, et abiit unusquisque in domum suam. Adonias autem timens Salomonem abiit in tabernaculum, et tenuit cornu altaris thymiamatis, dicens se non egressurum, nisi rex juraret ei de vita conservanda, et juravit ei Salomon dicens : « Vade in domum tuam. »

CAP. II. *De secunda unctione Salomonis.*

(16) Volens autem David ostendere populo se filium regem fecisse, congregavit in Israel principes universos, sacerdotes et levitas, et inuncto iterum Salomone, et confirmato ab omnibus regno Salomonis, coram omnibus præcepit Salomoni de legum custodia, et justitia, et pietate. Et præcepit ut ædificaret templum Domino dicens se jam præparasse ei auri decem millia talenta, argenti vero centum millia, ferri vero et æris supra numerum, lapidum quoque et lignorum maximam copiam (*I Paral.* XXIX). Levitas quoque divisit in tres ordines, in Aaronitas, Moyscitas, et Levitas. Aaronitas quoque divisit per generationes, et invenit de Eleazar sexdecim et de Ithamar octo. Et elegit ex unaquaque illarum unum pontificem, præcipiens ut singuli D ministrarent a Sabbato in Sabbatum, Sadoc tamen et Abiathar præessent universis. Et projecerunt sortem coram rege de hebdomadibus ordinandis *. De Levitis vero instituit curatores fabricæ templi viginti quatuor, alii habent viginti tria millia. Hi dicti sunt Nathinnæi. Judices autem populi, et scribas sex. Janitores autem domus Dei septem, alii habent quatuor millia, et totidem qui hymnos dicerent. Post hæc divisit exercitum in cohortes duodecim. Habebat autem cohors viginti quatuor millia, quam præcepit Salomonem observare per tre-

(16) Sequentia collecta sunt ex diversis capitulis ultimi libri.

Digitized by Google

centos dies. Moyseitas vero aliquantum honoravit. Fecit enim eos custodes thesaurorum Dei, et vasorum quæ reges Deo dicare contingeret, et collectæ Ecclesiæ omnem dispositionem suam indicavit, deposcens filios suos, ut non graviter ferrent minimum, id est Salomonem inter eos sublimatum, quia Deus sic mandaverat, sicut et ipse David minimus inter fratres inunctus fuerat. Descriptionem vero omnem et constitutionem ædificii templi omnibus suadentibus Salomon tradidit, sed et tunc oblationis primitias faciens, tria millia talentorum auri obtulit ad aditum, et currum Dei faciendum**, in quo cherubim esset, sub quo constituerunt arcam. Principes vero, et sacerdotes, et levitæ, et seniores populi obtulerunt auri talenta quinque millia, et stateres decem millia, argenti vero decem millia, et lapides pretiosos plures, quorum custodiam habuit pronepos Moysi Iabes, vel Iabus, ut dicunt alii.

* *Additio* 1. Qui erat de genere Heli obtinebat primatum.

** *Additio* 2. Currum dicit cibureum, id est coopertorium. Cibureum quatuor columnis erectum, sub quo arca et cherubim essent, ut fit in multis locis supra corpora sanctorum.

Cap. III. *De morte David.*

« Appropinquaverunt autem dies David, ut moreretur (*III Reg.* II). » Et iteravit Salomoni mandata de cultu Dei, et lege servanda, et pietate, et justitia circa suos, memorans promissionem Dei sibi factam de semine suo jugiter regnaturo, si custodierint filii testamentum ejus, et testimonia, quæ doceret eos (*Psal.* CXXXI). Tria vero superaddidit de Joab, et filiis Berzellai, et Semei dicens : « Nosti quæ Joab fecerit » per invidiam « duobus principibus Abner et Amasæ, quorum sanguinem effudit belli in pace. » id est sanguinem, qui non debet fundi, nisi in bello, fudit tempore pacis, et eorum cum quibus habebat pacem, « et posuit cruorem prælii in balteo suo, et in calceamento suo, id est cruor non est respersus super arma ipsius, quia cum eis non dimicavit, sed super vestes ejus, quando pacifice eis loquebatur. Et est sensus : Non vi, sed dolo occidit eos. Vel aliter : Viri bellatores insignia operum suorum in armis suis describebant, ad ostentationem gloriæ. Sed cum Joab hæc tanquam facinora ostentare publice non auderet, saltem in balteo et in calceamento descripsit. Et addidit David : « Facies ei juxta sapientiam tuam, ne descendat pacifice ad inferos. Sed et filiis Berzellai reddes gratiam, et erunt commensales tui. Semei quoque Jeminæum, qui maledixit mihi, non patieris esse innoxium. » Et mortuus est David, et sepultus est in civitate David cum regnasset quadraginta annis. Circa tumulum ejus fecit Salomon octo loculos thesaurorum, quorum unum post mille trecentos annos aperuit Hircanus pontifex, et alium Herodes, sicut infra dicemus. Alii vero nondum manifestati sunt, mechanicæ artis modo reconditi.

* *Additio* 1. Quædam Scripturæ videntur dicere quod non manifestabuntur, usque ad tempora Antichristi

Incidentia.

In diebus David Carthago condita est, ut quidam volunt, a Chalcedone Tyrio, vel, ut alii dicunt, a filia ejus Didone. Quintus Latinorum rex Silvius Latinus. Prophetaverunt autem sub eo Nathan, Gad et Asaph.

Cap. IV. *De morte Adoniæ, et Joab et Semei.*

Sedit autem Salomon super thronum David patris sui, et procedente tempore Adonias supplicavit Bethsabee, ut impetraret a rege sibi dari Abisag Sunamitidem uxorem (*III Reg.* II). Quæ cum ingressa esset ad regem, positus est ei thronus ad dexteram regis, et ait : « Parvulam petitionem deprecor a te, ne confundas faciem meam. Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor. » Et indignatus rex ait : « Quare postulas hoc a me, mater? Postula ei etiam regnum, Ipse enim frater meus est major me, et habet secum potentes Abiathar et Joab. » Et Abisag est quasi regina, et potens. Contra animam suam locutus est Adonias, et in opprobrium patris. « Vivit Dominus, quia hodie occidetur Adonias. » Et interfecit eum per manum Banaiæ filium Joiadæ. Abiathar quoque sacerdoti dixit rex : « Vade in agrum tuum, nec amplius ad faciem meam ingrediaris; vir mortis es, sed hoc te liberat, quia sæpe cum patre meo laborasti, et portasti arcam coram eo. » Abjecto igitur Abiathar, translatum est sacerdotium ad Sadoc, et de domo Ithamar ad domum Eleazari, sicut Samuel prædixerat Heli (*I Reg.* II). Fuerunt autem post Phinees filii Eleazar privati sacerdotio quinque. Joseph qui genuit Joathan, qui Mareoth, qui Asophi, qui Achitob. Achitob autem genuit Sadoc. Porro Joab fugit in tabernaculum Domini, et apprehendit cornu altaris. Et misit rex Banaiam, ut advocaret eum. Et ait Joab : « Non egrediar, sed moriar hic. » Quod cum renuntiasset Banaias regi, dixit ei rex : « Fac ei sicut locutus est, » Et interfecit eum Banaias ad cornu altaris, « et sepultus est in domo sua in deserto. Et constituit rex Banaiam pro eo super exercitum. « Vocavit quoque rex Semei, et ait : « Habita in Jerusalem, non egredieris inde. Quacunque die transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum. Qui respondit. Bonus est sermo regis, sic faciam. » Et habitavit in Jerusalem tribus annis. Factum est autem post hoc, ut fugerent Semei servi ad Achis regem Geth, et descendit Semei in Geth, et reduxit eos. Quod cum nuntiatum esset Salomoni dixit ad eum : « Cur sprevisti jusjurandum regis, et mandatum ejus transgressus es? Reddat Dominus malitiam, quam fecisti patri meo in caput tuum. » Et interfecit eum rex per manum Banaiæ. Et confirmatum est regnum in manu Salomonis (*III Reg.* III).

Digitized by Google

CAP. V. *De somnio Salomonis.*

Porro Salomon duxit in uxorem filiam Pharaonis regis Ægypti (*III Reg.* III), de qua, ut aiunt Hebræi, genuit filium quasi contra naturam, cum ipse adhuc ageret undecimum annum, et induxit eam in civitatem David. Nondum enim sibi fecerat domum. Porro tria proposuerat se facturum, domum Domino, et domum sibi, et ambire Jerusalem muro triplici : ut in primo ambitu esset templum, et mansiones hebdomadariorum ; domus quoque regia cum mansionibus domesticorum ; in secundo habitarent potentes viri et prophetæ. Unde infra legitur de prophetissa, quod habitaret in secundo ; in tertio opifices. Post hæc ascendit Salomon in Gabaon, ut immolaret ibi in excelso. Et cum dicitur Gabaon non est proprium nomen loci, sed appellativum, et interpretatur *collis excelsus*. Josephus enim dicit eum ascendisse in Hebron, et obtulit mille hostias in holocaustum super altare, quod fecerat Moyses, et apparuit ei Dominus, per somnium in nocte, dicens : « Postula quod vis, ut dem tibi. » Qui respondit : « Domine Deus, ego sum puer parvulus, et ignorans ingressum et exitum meum. Da ergo cor docile servo tuo, ut possim judicare populum tuum, et discernere inter bonum et malum. » Et placuit sermo coram Domino, et ait ad eum : Quia non postulasti juxta verbum hominum, dies multos, et divitias, et animam inimicorum tuorum, feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit. Sed et hæc quæ non postulasti, dedi tibi, si tamen ambulaveris in viis meis, sicut pater tuus. Et evigilans Salomon intellexit quod esset somnium, » id est revelatio facta per somnium. « Et reversus in Jerusalem, coram arca Domini gratias agens, obtulit holocausta et pacifica. »

CAP. VI. *De judicio Salomonis facto propter contentionem meretricum.*

Tunc duæ mulieres meretrices venerunt ad regem (*III Reg.* III), quarum una ait : « Ego, et mulier hæc solæ habitabamus in domo una. Cumque peperissem, tertia die post peperit et hæc. Mortuus est autem filius ejus, quem noctis silentio posuit in sinu meo, et filium meum viventem collocavit in sinu suo. Mane facto diligentius intuens, deprehendi illum non esse meum, qui mortuus fuerat. Respondit altera : Non est ita, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. » Cumque mens omnium in hujus rei discrimine hæsitaret, rex solvit causam inopinate. Et allato gladio, ut ait Josephus, præcepit utrumque infantem dividi, ut utraque medietatem vivi et mortui acciperet. Quod audiens mater viventis, commota sunt viscera ejus super filio suo, et ait : « Obsecro, domine, date illi infantem vivum. Sufficiet mihi si videam eum vivere. Altera dicebat: Nequaquam, sed dividatur. » Et cognoscens rex vocem utriusque de vero cordis fonte prolatam, ait: « Date huic infantem vivum. Hæc est mater ejus. » Et attendens omnis Israel divinam sapientiam in rege esse, timuerunt eum, et admirati sunt assessores ejus, qui prius sententiam, quasi ab adolescente prolatam deridebant. Porro Banaias erat super exercitum. Sadoc autem sacerdos, Azarias filius Nathan super custodes regis, Zabud filius Nathan sacerdos regis, id est cancellarius, et Abisar præpositus domus, id est procurator et Adoniram super tributa (*III Reg.* IV).

CAP. VII. *De præfectis Salomonis, et inventione exorcismorum.*

Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel; per singulos menses singuli præbebant necessaria regi et domui ejus (*III Reg.* IV); quorum unus reliquis præsidebat, scilicet Achimaas habens Basamath filiam Salomonis in uxorem, licet, et unus de reliquis aliquam haberet filiam Salomonis. « Erat autem cibus Salomonis per dies singulos triginta cori similæ, et septuaginta cori farinæ ; decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, et caprarum, bubalorum, et avium altilium. » Sed, et pisces quotidie ab alienigenis portabantur. Et erat summa pax in terra, et habebat Salomon equorum currilium quadraginta millia, et duodecim millia equitum, quorum medietas regi in Jerusalem obsequebatur ; reliqui vero per vicos regios dispersi manebant. Præfectus vero ille, qui ministrabat expensas mensæ, equis hordeum et paleam ministrabat devehens omnia ad locum, ubi rex morabatur. Et præcellebat rex sapientia omnes Orientales, et Ægyptios, et Hebræos etiam quatuor filios Moal nominatissimos, Hemam, et Etham, Chachol, et Dorda. Et scripsit librum de Canticis ; et modulationibus, in numero versuum quinque millium. Parabolarum quarum scripsit tria millia. Et disputavit de natura arborum, et herbarum, a cedro usque ad hyssopum. De natura quoque omnium animantium philosophatus est, per unumquodque genus parabolam dicens. Excogitavit etiam adjurationes quibus ægritudines solent mitigari. Alias quoque quibus dæmones ejicerentur, et alias quibus obstricti non redirent. Excogitavit etiam characteres, qui inscribebantur gemmis, quæ posita in naribus arreptitii, cum radice Salomoni monstrata, statim eum a dæmonibus liberabat. Hæc scientia plurimum valuit in gente Hebræorum, et maxime necessaria erat. Ante adventum enim Christi sæpius homines a dæmonibus vexabantur, quod homines vivos ad infernum quandoque detrudebant. Josephus * quoque testatur se vidisse quemdam Eleazarum exorcistam coram Vespasiano, et filiis ejus, et tyrannis, in hunc modum prædictum curantem vexatos a dæmonibus, et ut probaret eis dæmonem egressum per nares cum spiritu anhelantis, vas ponebat in medio, et imperabat dæmoni egresso, ut illud everteret in argumentum suæ egressionis ; et ita fiebat.

Additio 1. Josephus nec gemmam, nec herbam nominat. Sed fuit gemma crystallina, et inter annulum et gemmam ponebatur radix cujusdam herbæ,

Digitized by Google

quæ a quibusdam portagon dicitur, ab aliis fel terræ, vel felterna, ab aliis sarracenica, et circa castraturam in argento persculpta erant septem nomina Dei præcipua, per quæ legitur creasse cœlum et terram, sicut in libro Imaginum habetur, et alia tria nomina sculpta erant in lapide ab aliis diversa. Si modum curandi scire desideras leges librum Imaginum, et ibi omnia invenies

CAP. VIII. *De operariis Templi.*

Misit autem Salomon ad Hiram regem Tyri dicens: Volo ædificare templum Domino, sicut locutus est patri meo. Præcipe ergo servis tuis, ut præcidant mihi cedros de Libano, et mercedem eorum dabo tibi quam petieris (*III Reg.* v). Et rescripsit ei Hiram dicens : « Servi mei deponent ligna de Libano usque ad mare*, et deferent ea in ratibus, usque ad locum quem signaveris mihi, et tu de portu tolles ea, præbebisque necessaria in cibos domui meæ. » Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, et abiegna quibus abundant Sidonii. Salomon autem supplebat inopiam eorum in cibis, præbens Hiram singulis annis coros tritici viginti millia, et totidem hordæi, et totidem batos olei eamdemque vini mensuram. Porro « Salomon elegit operarios de Israel » proselytos. De Israelitis enim neminem servire fecit. « Et erat indictio triginta millium virorum, » id est summa eorum quibus hæc indicebantur. Vel forte indictio est, determinata hominum collectio, sicut cohors et legio. « Et mittebat eos in Libanum cum servis Hiram, decem millia per singulos menses vicissim, ut duobus mensibus revertentes ad propria requiescerent, » ut quarto mense priores ad laborem denuo remearent; « et præerat Aduram huic indictioni. » Statuit autem Salomon octoginta millia latomorum, id est lapidiscesorum in monte, quibus præfecit de Israelitis tria millia, et trecenti qui præcipiebant operariis. Porro latomi in lapidicina lapides grandes, et pretiosos, id est marmoreos scopulabant, et quadrabant**. qui adeo grandes fuerunt in fundamento, ut dicit Josephus, quod multi ex eis habebant in longitudine cubitos viginti, in latitudine decem, in altitudine quinque. Quadratos quidem lapides dolaverunt cæmentarii Salomonis, et cæmentarii Hiram. Dolatos vero præparaverunt Biblii polientes, et sculpentes non solum lapides, sed et ligna. Est autem Biblos civitas Phœnicis, de qua Ezechiel : « Senes Biblii, et prudentes ejus (*Ezech.* XXVII). » Et sic omnia extra urbem dedolata et perfecta sunt, quod malleus, et securis, et omnem ferramentum non sunt audita in domo Domini eum ædificaretur. Fuerunt autem equorum, qui onera portabant septem millia***. Fabulantur Judæi, ad eruderandos lapides celerius, habuisse Salomonem sanguinem vermiculi, qui tamir dicitur, aspersa marmora facile secabantur, quem invenit hoc modo. Erat Salomoni struthio habens pullum, et inclusus est pullus sub vase vitreo. Quem cum videret struthio, sed habere nequiret, de deserto tulit vermiculum, cujus sanguine linivit vitrum, et fractum est. Videns autem Salomon cacumen montis Moria, ubi ædificavit templum angustum, dejecit illud, et in aream spatiis amplioribus diffudit.

*Additio 1. In Paralipomenon legitur, « usque ad Joppen (*II Paral.* II). »

**Additio 2. Latomi sunt proprie, qui in lapidicina eruderant lapides et saxa; cæmentarii qui dolant et componunt; Biblii vero qui sculpunt imagines.

***Additio 3. In Paralipomenon legitur fuisse proselytos septuaginta millia (*II Paral.* II), quæ humeris onera portabant, et tacetur de equis; in Regum legitur de equis, et tacetur de viris

CAP. IX. *De ædificatione templi.*

« Factum est autem, post quadringentos et octoginta annos egressionis Israel de Ægypto, anno quarto regni Salomonis, mense secundo, qui Zius apud Hebræos dicitur, apud nos Maius, cœpit Salomon ædificare domum Domino » de candido marmore, quod parium dicitur (*III Reg.* VI). Josephus tamen dicit, anno quingentesimo secundo egressionis de Ægypto, describens etiam annos ætatum præcedentium, dicens ab Abraham fluxisse annos mille viginti, a diluvio mille quadringentos, ab Adam tria millia centum et duos. Habebat autem domus in longitudine cubitos sexaginta, in latitudine vero viginti. Pars quidem anterior, quæ sancta dicitur, et erat ab Oriente quadraginta cubitorum erat in longitudine. Reliqua pars ad occidentem viginti cubitorum erat, et dicebatur Sancta sanctorum. Porro in altitudine triginta cubitos habebat, usque ad primum tabulatum, super quod secunda mansio erigebatur triginta cubitis, usque ad secundum tabulatum. Tertia vero mansio erat sexaginta cubitorum, usque ad tertium tabulatum, quod erat tectum domus. Et sic tota templi altitudo in centum viginti cubitos ascendebat. Josephus tamen mentionem non facit, nisi de duabus mansionibus unicuique ascribens cubitos sexaginta, sed duos inferiores sub una comprehendit. Et erat porticus ante faciem templi, habens longitudinem juxta templi mensuram sexaginta cubitorum, et latitudinem decem cubitorum, surgens in altum, ut dicit Josephus, usque ad celsitudinem templi, et fecit in templo fenestras obliquas, id est exterius angustas, et interius obliquando diffusas: has excogitavit Salomon. Trabes autem posuit in domo per transversum per tria loca in summitatibus trium mansionum adeo longas, ut forinsecus capita earum prominerent ex utraque parte. Et ædificavit super capita forinsecus prominentia tria tabulata, ad deambulandum circa templum: quæ in Evangelio pinnacula templi dicuntur (*Matth.* IV). Quæ quomodo facta esse in utroque latere, satis elucet. Quomodo autem fuerit in fronte orientali et occidentali, non memini me legisse, nec super hoc me somniare

Digitized by Google

aut libet, aut licet; sed quod ibi fuerant creditur, quod videtur velle Josephus, dum ait de eversione templi. Latitudo vero tabulatorum differens erat. « Tabulatum enim quod erat subter quinque cubitos habebat latitudinis, et medium sex cubitos, et tertium septem. » Quod ad litteram quidam tradunt factum, ut in superioribus tabulatis manentes, non impedirentur, ad aspiciendum inferius, per obstaculum inferiorum. Hebræus tamen dicit tria tabulata parem habuisse latitudinem, ut si a summo usque ad imum plumbata cæmentarii dimitteretur, eorum perpenderetur æqualitas. Verumtamen inferius tabulatum quinque cubitorum erat in latitudine, medium vero sex, quia murus superior arctior factus, quasi per cubitum retractus erat. Ultimum vero tabulatum septem cubitos habebat pro retractione muri superius similiter factum. Fuerunt qui dicerent inferius tabulatum septem fuisse cubitorum, et medium sex, ut ascendendo arctaretur tabulata sicut et murus. Et corrigunt litteram, pro « subter, » ponendo, super. Vel etiam legunt, « subter, » dicentes, « tabulatum quod subter erat, » non loco, sed numero. Sicut enim altum dicitur, et profundum, et supremum, sic et subter dicitur loco, quod infra positum est; subter vero numero, ad quod ascenditur numerandum. Hæc autem tabulata sic erant conjuncta muro, ut ei non hærerent, id est muro infixa non essent. Trabes tamen de muris prominebant. Porro in extremitatibus cujusque tabulati, ut deambulantes ab injuria lapsus defenderentur; ædificavit luriculas, tanquam appodiationes, quæ in Regum, « latera » vocantur (17), in Paralipomenon, cancelli (*II Paral.* III), de quorum altitudine nescimus, nisi de supremo, quod habuit in altitudine quinque cubitos.

Cap. X. *De ornatu inferioris domus.*

Porro murus inferioris mansionis intrinsecus undique opertus erat tabulis cedrinis, trabibus vero solarii affixa erant laquearia cedrina (*III Reg.* VI). Pavimentum vero domus tectum erat tabulis abiegnis, tabulata vero laterum, et laquearia trabium, et pavimenta tabulis aureis operiebantur cum clavis aureis, quorum singuli erant quinquaginta siclorum, nihilque erat in illa inferiori parte templi, quod auro non tegeretur, ita ut vultus ingredientium faceret auri lumine resplendere. Porro in junctura tabularum fecit anaglypha, id est cælaturas, vel tornaturas in juncturis fabrefactis, ne locus junctura deprehendi posset. In medio vero tabulæ erant imagines prominentes, cherubim et palmæ. Hæc quidem in tabulis cedrinis cælata erant, sed auro tecta, vel in ipsis tabulis aureis. Oraculum autem, quod dicitur Sancta sanctorum *, habebat viginti cubitos longitudinis, et viginti latitudinis, et triginta altitudinis. In littera tamen habetur, et viginti cubitos altitudinis, quod intelligendum est de pariete interposito inter sancta et oraculum. Sicut enim in tabernaculo columnæ interpositæ fuerunt, quibus appendebatur velum, sic interpositus est in templo paries cedrinus, non ascendens in altum nisi per viginti cubitos, decem cubitos, qui supererant, usque ad laquearia, intactos relinquens, ut fumus aromatum ascendens de altari per aperturam superiorem libere intraret in oraculum. Erat autem totus paries tectus auro, habens anaglypha, cherubim et palmas ad motum parietum. Huic parieti appensum erat velum de quatuor coloribus, cui intexta erant cherubim tantæ tenuitatis, ut parietis non prohiberent aspectum. Quod totum parietem operiens, forte usque ad laquearia ascendebat, quod legitur in Evangelio scissum fuisse a summo usque deorsum (*Matth.* XXVII). De interiori schemate superiorum mansionum non legi, nisi quod, dum consummaretur ædificium, positus est lapis in angulo superiori, non sine grandi omnium admiratione. Cum enim ædificantes, et in fundamento et in muro eum locare niterentur, non est inventus locus ejus, donec in angulo superiori, et postremus omnium, convenientissime positus est, secundum quod prædixerat David. « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus, » etc. (*Psal.* XVII.) In summitate vero muri per gyrum affixa erant aurea verna ad hominis magnitudinem propter aves abigendas, ut de longe aspicientibus, quasi silva aurea videretur. Per gyrum vero muri erat labium exterius, a quo dependebant grandes uvæ aureæ cum pampinis aureis, adeo fabrefactis**, ut sursum aspicientibus quasi ad instar avium moveri sæpe viderentur. Porro juxta terram, ostium lateris medii in pariete erat domus dextræ, id est meridianæ***, et per cochleam testudinis ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium, hoc est per ascensum tortuosum, qui vulgo vitis dicitur, qui factus est ad similitudinem cochleæ testudinis. Josephus tamen describit ascensum factum per medium muri absconditum, facilem et securum, in parte muri exterioris fenestratum sufficienter. Ostium vero ascensus dicitur fuisse juxta terram in angulis anterioribus utriusque muri. Fecit autem in introitu templi postes de lignis olivarum quadrangulos, et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus, et utrumque ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur****. Et sculpsit in eis cherubim, et palmas, et cælaturas valde eminentes, et operuit omnia laminis aureis opere quadro ad regulam. Fores istæ tantæ venustatis erant, quod etiam David prophetans de templi destructione, eas nominatim expressit, dicens: « Exciderunt januas ejus in idipsum (*Psal.* LXXIII). » Et, ut Josephus ait, non erat in eis lignum majus palmo. Quod forte notatur in Regum, cum dicitur, « opere quadro ad regulam. » Et erat altitudo earum triginta cubitorum secundum altitudinem inferioris

(17) Vix quantum ad sensum tale quid in Paral. reperies.

Digitized by Google

cœnaculi. Sed quod dicit Josephus altitudinem earum viginti cubitorum, videtur falsum esse, quia tanta erat latitudo templi, ergo ab oriente non erat murus. Sed in Regum est determinatio, ubi dicitur. « Ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur. » Erat quippe latitudo muri decem cubitorum altrinsecus, et apertura, in qua erant fores similiter decem, et ita in muro orientali altrinsecus supererant quinque cubiti. In apertura vero erant quatuor fores, duæ extrinsecus, et duæ intrinsecus, quarum unaquæque habebat latitudinem quinque cubitorum. Et erant sic artificiose compositæ, ut clausæ quasi continuum parietem facerent intus et extra. Apertæ sibi in medio spissitudinis muri obviabant, et totam ejus latitudinem tegebant. Et sic artificiose sibi adhærebant, ut quando claudebantur exteriores, claudebantur et simul interiores. Nullus enim in templo nocte remanebat, qui clauderet eas interius. Cumque aperiebantur exteriores, aperiebantur etiam simul interiores, propterea dictum est: « Ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur. » Porro in pariete oraculi fecit duo ostiola de lignis olivarum, et postes angulorum quinque, ut in quinto angulo medio, cardines affixi starent circa quos ostiola movebantur, et erant in ostiola anaglypha, Cherubim et palmæ. Quidam tamen dicunt postes angulorum quinque, subaudi, cubitorum erant. In oraculo autem erat arca, et propitiatorium, et cherubim, quæ fecerat Moyses in deserto.

*Additio 1. Id est sancta consecutiva, loco scilicet sanctorum, sicut dicitur sæculum, consecutivum sæculi, vel sancta sanctorum comparative, id est sanctiora sanctis.

**Additio 2. Pampinus est folliculus, sub quo fructus vitis a frigore vel ardore defenditur; atque adversus omnem injuriam munitur; ideoque alicubi intercisus est, ut et solem ad maturitatem fructus admittat et umbram faciat. Et dictus est pampinus, eo quod de palmite pendeat. Est autem feminini generis, et dicitur hæc pampi..a, et facit genitivum pluralem, harum pampinarum.

***Additio 3. Sensus est, in pariete meridiano, qui dicitur dextrum latus, ad differentiam aquilonaris lateris quod erat sinistrum, erat ostium per quod ascensus erat ad cœnaculum.

**** Additio 4. Nota duplicem esse opinionem de ostiis illis. Dicunt enim quidam in utraque parte introitus, qui erat decem cubitorum, ostium unum fuisse, quorum utraque habebat sibi conjunctum ostium, ut videmus, in fenestris quibusdam, et tam ipsum quam innexum sibi, erat quinque cubitorum, et ita ex utraque parte erant quasi valvæ, quarum utraque decem cubitos habebat, ut eis apertis altrinsecus cooperirent latitudinem, vel potius spissitudinem muri. Et quasi contiguus paries muri apparebat. Quando vero claudebantur, replicabantur illa duo altrinsecus annexa. Alia opinio est, ut altrinsecus in angulis ipsius muri fuerint duo ostia, ita quod quilibet quatuor angulorum, suum haberet ostium, unumquodque hoc cubitum, et dum claudebantur duo exteriora, arte quadam claudebantur interiora. Utrique istorum potest applicari littera, planius tamen sequenti.

Cap. XI. *De duobus cherubim.*

« Fecit autem Salomon duos cherubim de lignis olivarum decem cubitorum altitudinis (*III Reg.* VI), » stantes super pavimentum, in lateribus arcæ, et habentes pedes obliquatos, quasi ad deambulandum elevatos, opertos auro purissimo, habentes alas aureas, singulas quinque cubitorum, quarum duæ extendebantur super arcam, et obviam sibi venientes jungebantur super eam, tegentes sanctuarium infra se positum. Alas autem duas extendebant altrinsecus ad parietes, ita ut ala unius tangeret parietem, et ala alterius parietem alterum. Porro extra parietem in sancta posuit mensam ad aquilonem, et candelabrum ad austrum. Inter quæ medium erat altare aureum, quod fecerat Moyses in deserto. Sed præter illud candelabrum, posuit alia candelabra aurea ejusdem schematis, sed majoris, quantitatis quinque hinc, et quinque inde. Similiter cum mensa quam fecerat Moyses, posuit alias decem mensas ejusdem schematis, sed majores quantitatis, quinque hinc, et quinque inde. Inter hæc autem posuit altare thymiamatis, et vestivit illud cedro, quod etiam dicitur altare oraculi, id est coram oraculo. Per hoc intelligitur fuisse aliud altare, quam quod ædificavit Moyses. Illud enim erat de lignis setim circumtectum ex omni parte auro. Illud autem vestitum erat cedro. Proinde intelligitur hoc altare fuisse de lapidibus, quos ferrum non tetigit, et erat opertum per circuitum tabulis cedrinis. Sed et illæ opertæ erant ex omni parte laminis aureis, cujus quantitatem non memini me legisse. Illud vero modicum altare, quod fecit Moyses in deserto forte repositum erat in Sancta sanctorum, non ad usus quotidianos thymiamatis, sed ad aliquos usus singulares, quando semel in anno ingrediebatur sacerdos cum sanguine. Hoc autem inde potest perpendi, quia dicit Apostolus, in Sancta sanctorum fuisse aureum thuribulum (*Hebr.* IX), et hic erat ornatus templi in interioribus

Cap. XII. *De porticu.*

In facie vero templi erat porticus (*III Reg.* 7), quæ in Evangelio dicitur vestibulum templi, habens columnas æreas in longitudine sui dispositas in medio quarum erant duæ mirabiliores cæteris positæ fores templi, habentes in medio sui spatium decem cubitorum secundum latitudinem portæ templi. Quarum talis erat compositio: Stylus, vel stipes columnæ octodecim habebat cubitos altitudinis *; non planæ, sed valliculatus, habens in circumitum canales cavationis quatuor digitorum, et erat fusilis, et linea duodecim cubitorum ambiebat illum. Si quis vellet rotunditatem tangere, vel forte in

Digitized by Google

medio columnæ, linea fusile opere circumducta erat. Epistylium vero columnæ super quod locandum erat capitellum latius erat stipe, et rotundum opere reticulato cælatum. Capitellum autem superpositum epistylio fusile erat, et quinque cubitorum altitudinis, et in suprema parte erat liliatum. Latera vero ipsius ex omni parte in modum retis et catenarum erant contexta, adeo artificiose, ut retia, et catenæ magis viderentur apposita quam insculpta, vel quia solida non erant, perforata undique fusa sunt, ut connexiones retis formam exprimerent. « Septena versuum retiacula erant in capitello uno, » id est septem ordines habentes eamdem cælaturam, totum circumitum capitelli per gyrum occupantes, vel ab inferiori parte capitelli, usque ad supremam, erant isti septem ordines dispositi ascendendo. Super capitellum vero erat quasi funiculus, super quem positum erat retiaculum tenens ejus summitatem, et descendens aliquantulum circa latera capitelli in circumitum. In cujus extremitate dependebant in duobus ordinibus ducentis malogranata. In epistylio quoque columnæ, super quod sedebat capitellum, dependebant malogranata. Legitur enim quod capitella erant super summitatem malogranatorum. Ejusdem compositionis erat columna altera. De compositione vero basium non legi. Hæ duæ columnæ propriis nominibus vocabantur, tum propter sui magnificentium, tum propter futurorum multam præfigurationem. Dextera dicebatur Jachim, id est *firmitas*, Josephus vocat eam thalamum Jachim. Sinistra dicta est Booz, vel Boz, quod sonat *robur*, vel *in robore*. De reliquis columnis vestibuli et modicis agit historia dicens : « Capitella autem quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant in porticu quatuor cubitorum, et rursus alia capitella in summitate columnarum desuper, juxta mensuram columnæ contra retiacula. Porro de compositione columnarum tacet. Capitella vero earum minora dicit uno cubito prioribus capitellis. De schemate eorum tantum dicit, quod erant liliata, et habebant retiacula superposita. Quod autem sequitur malorum granatorum ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi, ambiguum est, utrum hoc dictum sit de capitellis minoribus, an recapilando dictum sit de capitellis prioribus. Has columnas fudit Hiram Tyrius, plenus sapientia ad faciendum omne opus ex ære, filius mulieris viduæ de tribu Nephthalim, patre vero Tyrio. Sed et omnia utensilia templi ærea, et quidquid in eo de ære factum est, fudit Hyram in campestri regione Jordanis in terra argillosa, et inter Sochot, et Sarchan. Nec te moveat, quod aliquando de ære, aliquando de auricalco dicuntur facta, quia idem est, cujus splendor et pulchritudo similis erat auro, ut dicit Josephus. In hoc vestibulum ascendebatur ab atrio sacerdotum duodecim gradibus, secundum Josephum. Quidam tamen dicunt septem secundum visionem Ezechielis, dicunt enim in multis concordare compositionem templi materialis, cum compositione templi spiritualis, quod vidit Ezechiel.

* *Additio* 1. Triginta quinque cubitorum altitudinis, ut legitur in Paralipomenon.

Cap. XIII. *De cubiculis, et cœnaculis hebdomadariorum.*

Ædificavit autem Salomon in circumitu templi post vestibulum triginta parvulas domus, quæ sui copulatione totum templi spatium intrinsecus ambiebant (*III Reg.* VII). Harum singulæ habebant quinque cubitos latitudinis, et tantumdem longitudinis, et quindecim in altitudine. Ingressusque earum ita fecit adinvicem, ut ex alia ingrederetur ad aliam, aliquo spatio interposito. Et supra eas ædificatæ erant aliæ æquales eis, et mensuris, et numero, ita ut latera templi tria per circuitum tegerentur domunculis, usque ad primum tabulatum exterius *. Reliqua vero pars templi superior circumædificata non erat, sed libere videri poterat. Non fuerunt hæ domunculæ pastophoria, vel exedræ, ut quidam putant, de quibus postea dicemus, sed fuerunt cubilia, et cœnacula hebdomadariorum, et gazophylacia vasorum et vestium templi.

* *Additio.* 1. Si enim exterior longitudo templi fuit tantum quadraginta cubitorum, et latitudo triginta, tunc ambitus trium murorum habuit tantum centum quadraginta cubitos, ad quem ambiendum sufficerent domunculæ viginti octo quia quinquies viginti octo faciunt centum quadraginta. Credendum est autem quod prædicta quantitas templi fuit inter muros intrinsecus, et murus habuit decem cubitos latitudinis. Ergo longitudo exterior fuit septuaginta cubitorum hinc et inde, latitudo occidentalis quadraginta qui faciunt centum octoginta. Ad quos implendos necessariæ essent triginta sex domunculæ si continuæ essent.

Cap. XIV. *De atrio sacerdotum.*

Et ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, et uno ordine lignorum cedri (*II Reg.* VII). Porro plura fuerunt atria circa templum, ut in psalmo legitur : « Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri (*Psal.* CXXXIII). » De interiori tantum atrio mentio fit in Regum, de eodem et de secundo tractat Josephus. Sed præter hæc duo etiam fuerunt alia duo. Igitur atrium interius, erat platea grandis ex omni parte circa templum diffusa per quadrum, quæ præ foribus templi ad orientem plurimum extendebatur, quia ibi erat altare æreum, et luteres, et ibi ministrabant levitæ, et sacerdotes coram Domino. Circa utrumque vero latus templi non adeo diffusa erat. Ab occidente vero strictior, cujus pavimentum vario marmore stratum erat, et diversis imaginibus venustatum. Hoc atrium cingebat murus brevis in altitudine tantum trium cubitorum, et erat unus cubitus lapidum unius coloris, secundus lapidum alterius coloris, et tertius tertii coloris. Intus autem erat vestitus cedro, et positus erat murus per gyrum in extremitate hujus atrii, ut cæteros a ministris

Digitized by Google

ab ingressu atrii prohiberet. Ad hunc se appodiabant psallentes; et conversi ad populum super hunc inclinati loquebantur. In eodem muro stabant columnæ æquis intervallis dispositæ, populum extra stantem ad legem sanctimoniæ prænonentes, aliæ litteris Hebræis, aliæ Græcis, aliæ Latinis, et ne in locum sanctum transirent prohibentes. Hic ambitus muri proprio nomine vocabatur gion, Latine vero cancellus. Unum solum habebat introitum ab oriente contra portam templi, habens aperturam viginti quinque cubitorum sine foribus, usque ad hunc introitum ascendebant viri, et mulieres deferentes oblationes suas ad ministros sibi occurrentes. Nec licebat eis nisi in quibusdam casibus ulterius transire *, et ascendebant ad ipsum per quatuordecim gradus. Hoc atrium dicebatur atrium interius, vel atrium sacerdotum, quod etiam illi qui erant Aaronitæ, sed propter maculam aliquam offerre non poterant, non intrabant, licet de partibus sacrificiorum alerentur.

* *Additio* 1. Forte quando fiebat judicium Zelotypiæ, vel quando Nazaræus adimplebat tempus voti.

Cap. XV. *De atrio mundorum.*

(18) Post illud atrium, et infra ipsum in declivi latere montis, positum erat secundum atrium, quod dicebatur sanctum, quod Josephus vocat aulam, vel basilicam grandem. Erat autem diffusum per circumitum circa atrium interius, longe tamen majus eo, et pavimentum vario marmore. Erat quoque circumseptum muro in altitudine viginti quinque cubitorum interius, exterius vero altitudinis quadraginta cubitorum, secundum declivitatem collis. Et licet sic altus esset, non ascendebat tamen usque ad fabricam templi, nec ipsius aspectum prohibebat. Erat autem murus iste ad occidentem simplex, et nullam habens portam. In utroque vero latere, et fronte orientali, habebat porticus circumjacentes instar claustri monachorum, in quibus erant columnæ singulorum lapidum diversi coloris cum basibus argenteis. Cameræ vero porticuum, et laquearia cedrina erant. Latitudo vero porticus triginta cubitorum. In latere meridiano erant quatuor portæ duplices valvas habentes, quæ laminis aureis et argenteis miro opere decoratæ erant. Ejusdem numeri, et ejusdem schematis erant portæ in latere septentrionali. In his sedebant janitores, ut arcerent immundos ab introitu hujus atrii. Porro in orientali fronte erat porta, quæ speciosa dicebatur, habens valvas de ære Corinthio factas. In angulis hujus frontis erant duæ portæ modicæ, per quas ascendebant mulieres ad offerendum. Vel forte ministri descendebant in occursum earum ibi, ad suscipiendas earum oblationes. Per has portas, quas diximus, ascendebant undequaque viri mundi in atrium secundum, ut orarent sub divo tempore serenitatis, sub porticibus tempore tempestatis. In platea hujus atrii orientalis vendebantur animalia, et volucres ad offerendum, et mensæ numnulariorum stabant ibi, quas evertit Dominus (*Matth.* xxi; *Joan.* ii). In porticibus autem circa portas stabant gazophylacia diversi generis ad recipiendas oblationes ingredientium. In porticibus laterum erant pastophoria, id est loca separata ad comedendum, in quibus sacrificantes de partibus sacrificiorum, quæ eos contingebant, vescebantur coram Domino. Quidam tamen volunt quod ibi tantum a foris venientes a finibus Israel comedebant, et ob hoc dici pastophoria. In eisdem porticibus erant cathedræ, et synedræ, et exedræ, id est tria genera sedilium, ut ait Isidorus. In cathedris sedebant doctores in gymnasio; in synedris sedebant auditores in consistorio. Et dicebantur synedræ, quasi consessus. In exedris autem sedebant assessores cum judice quando secretius aliquid tractabant, quasi in locutorio. Et dicebantur exedræ, quasi assessus, licet exedra sæpius ponatur pro thalamo. Hoc atrium secundum sæpe in Evangelio dicitur templum, ubi dicitur quod oves et animalia vendebantur in templo (*Matth.* xxi), et quod Jesus docebat in templo (*Luc.* xix), et quod filii Israel orabant in templo, etc., in hunc modum.

Cap. XVI. *De atrio mulierum.*

(19) Porro sub hoc atrio erat atrium tertium, similiter in declivi latere montis positum, ejusdem compositionis cum secundo, et si non tantæ venustatis nec tam pretiosi ornatus. In hoc orabant mulieres, mundæ tantum.

Cap. XVII. *De atrio immundorum.*

(20) Infra illud atrium erat et quartum, in quo orabant viri immundi, et mulieres et gentiles, cujus murus exterior in radice collis positus erat, et ascendebant quadringentis cubitus usque ad verticem tantum collis, in quo situm erat templum, et ita muri atriorum in nullo prohibebant aspectum templi, nec eorum qui ministrabant in atrio interiori.

Cap. XVIII. *De altari, et mari æneo.*

(21) Porro in atrio interiori erat altare æreum, factum est lapidibus impolitis circumtectum ex ea parte ære longe majoris quantitatis quam illud portatile, quod factum fuit in deserto viginti cubitorum longitudinis, et totidem altitudinis, et erat sub eo fovea grandis, in quam per foramen in medio altaris positum cineres defluebant, et sanguis qui ad crepidinem altaris fundebatur influebat in eam. Quandoque vero mundabatur fovea per fe-

(18) Hæc sequentia sunt sumpta de Josepho.
(19) Ibid.
(20) Ibid.
(21) Ibid.

Digitized by Google

nostram, quæ erat ad orientem. Altare vero, quod fecerat Moyses, propter reverentiam sui in aliqua parte atrii reservatum est. Quod quidam tradunt ibi permansisse, usque ad eversionem templi factam per Romanos. Imo etiam postea cum gentiles habitaverunt in Jerusalem fecerunt ex eo horologium sibi. De loco vero hujus altaris, et quomodo immolantes ad latus ejus immolarent coram Domino, supra satis dictum est. Porro in eodem atrio posuit Salomon mare æneum fusile (*III Reg.* VII; *II Paral.* IV), quod nos lavatorium dicere possumus, ut in eo sacerdotes ministraturi abluerent pedes et manus. Quod Josephus vocat cantarum ingentem in schemate hemispherii factum, cujus latitudo decem cubitorum erat per diametrum, a labio usque ad labium *. Altitudo vero erat quinque cubitorum a labio, scilicet usque ad fundum, spissitudo vero erat tres digitorum. In superiori parte adeo latum erat, quod « resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum, » sed paulatim in descensu angustius fiebat, adeo ut circa fundum resticula decem cubitorum ambiret illud. Supremum ejus labium repansum erat ad modum lilii. In lateribus autem ejus extrinsecus duo ordines erant sculpturarum historiarum, id est historias aliquas habentium. « Capiebat autem duo millia batos, » id est tria millia metretas. Batus enim capit metretam et dimidium. Et est batus mensura trium modiorum, ejusdem capacitatis cujus, et ephi. Sed et batus est mensura liquidorum, ephi vero aridorum. Porro basis super quam stabat habebat duodecim boves æneos, et fusiles, e quibus tres respiciebant ad aquilonem, tres ad occidentem, tres ad meridiem, tres ad orientem, quorum anteriora tantum prominebant sub mari, posteriora vero intus latitabant.

* *Additio* 1. Id est linea diametraliter a labio ad oppositum labium protensa decem cubitos habebat.

Cap. XIX. *De luteribus.*

« Fecit quoque Salomon decem luteres æneos, et fusiles, » altitudinis quatuor cubitorum (*III Reg.* VII). Erat autem in summitate luteris os recurvatum interius, et adeo angustum, ut unius cubiti esset ejus latitudo. Fundus vero ejusdem erat latitudinis cubiti et dimidii*, juxta quantitatem basis supra quam sedebant. « Quadraginta batos capiebat luter unus. » In eis abluebantur intestina, et pedes holocaustorum, et erant omnes ejusdem facturæ, sicut et bases, quibus incidebant. Erat autem basis in inferiori parte in longitudine et latitudine habens quatuor cubitos per quadrum, in altitudine vero trium cubitorum. Et ascendendo paulatim angustata usque ad cubitum et dimidium, juxta quantitatem fundi ipsius luteris. Eratque composita ex quatuor tabulis, quibus quinta erat superposita quadrata, et ex omni parte aliquantulum excedens summitates aliarum, habens in medio sui eminentem concavitatem rotundam, in qua sedebat luter. Ipsum opus basis interrasile erat, et in juncturis tabularum, per quatuor angulos erant sculpturæ eminentes, ad modum columnarum, quas quidam dicunt vocari media intercolumna, quadrata tamen quidam legunt ibi media intercolumna quadrata, vocantes columnam mediam tabulam, inter quatuor tabulas superpositam. Latera vero basis a media parte supra, insculptas habebant coronulas** et plectas, et in medio earum leones et boves, et cherubim, et super colla leonum et boum, et subter erant lora ex ære pendentia, quibus ligati videbantur. In summitate vero quatuor columnarum angularium erant humeri expansi, in similitudine manus humanæ et pedis aquilini, super quos tabula ferens luterem ita erat coaptata, ut naturaliter inserta videretur. Et habebant illæ columnæ proprias cælaturas, homines, arbores et aves. Porro altera media pars basis quæ erat circa terram, habebat per gyrum rotas eminentes cubiti et dimidii, et qui in rota fieri solent axes, et radios creatos et modiolos, omnia fusilia. Et circa eas positæ erant variæ cælaturæ. Et hæc omnia adeo fabricata erant, ut non cælata, sed quasi apposita per circuitum viderentur, et basis quasi rotis circumstantibus vehi videbatur. Una erat fusura, et mensura, et sculptura decem basium et luterum. De sculptura tamen luterum nihil memini me legisse. Horum quinque in atrio templi steterunt ad dexteram, et quinque ad sinistram ad hunc usum. Nathinæi prius lavabant membra hostiarum in piscina probatica, et lota tradebant sacerdotibus, qui, ne quid interim eis sordis adhæsisset, luteribus ea immergebant, ut resincerata superponerent altari. Porro lavatoria hæc in hunc modum posita erant, ut ingredientibus atrium sacerdotale, primo occurrebat ad meridiem mare æneum ad abluendas manus, postea progredientibus, occurrebant decem luteres, ad intinguenda membra hostiarum, sursumque progredientibus occurrebat altare æneum similiter ad meridiem, positisque hostiis super altare, redibant sacerdotes offerentes ad mare æneum, et abluebant ibi pedes et manus, ut sic loti consummarent sacrificia, id est intrarent templum cum prunis et thymiamate, ad adolendum illud super altare in odorem Domino.

* *Additio* 1. Cubitus tripliciter dicitur : Vel ipsa flexura brachii, vel mensura ab inde usque ad extremitatem digitorum, vel ab una manu usque ad aliam, expansis manibus. Dictus est autem cubitus, quia cibos sumendo in ipso cubamus.

** *Additio* 2. Coronula potest vocari, quæ fit de aliquo solido, ut de auro ; plecta vero corona facta de junctis floribus, vel arboribus, ut fit de lauro et myrto.

Cap. XX. *De vasis altaris.*

Utensilia vero altaris æneï fecit Hiram ex ære lebetes ad suscipiendos cineres et prunas altaris, ollas quoque et caldarias ad coquendas carnes, et hamulas, id est fuscinulas ad extrahendas carnes

Digitized by Google

vel disponendas, et arpagiones, id est furcas ad componendum ignem, et membra hostiarum desuper disponenda, et scutras, vasa scilicet æqualis amplitudinis in ore et fundo, ad calefaciendum (*III Reg.* VII). Josephus addit et trullas forte ad congregandos cineres, vel eruendos, vel ad vertendum pavimentum. Porro utensilia templi aurea erant, vel argentea. Utensilia vero candelabrorum aurea erant, de quibus in Exodo legitur (*Exod.* XXXVII). Numerum vero utensilium quæ fecit Salomon tempore procedente, ponit Josephus, mensas scilicet super quas jacebant phialæ, et pateræ, et mortariola, et patenæ ad offerendam similam, et crateres in quibus simila cum oleo miscebatur, et assarones, in quibus libamina mensurabantur. Thuribula quoque, cum quibus ferebatur thymiama et alia thuribula, in quibus ferebatur ignis a majore altari ad minus. Hæc omnia obtulit Salomon aurea, et alia similiter argentea, sed in duplum. Quorum numerum, secundum Josephum, ponere timui, ne incredibile videretur, præsertim cum vitium scriptorum circa numeros plurimum inveniatur.

CAP. XXI. *De dedicatione templi.*

Anno igitur quarto regni Salomonis, secundo mense, fundata est domus Domini, et in anno undecimo mense Ebul, id est Octobria, consummata est in omni opere suo, et in universis utensilibus, quæ in imminenti erant necessaria. Post dedicationem enim plura fuerunt fabricata et superaddita. Et ædificavit eam septem annis et septem mensibus. Et convocavit Salomon in anno undecimo majores natu Israel, et principes tribuum, et duces familiarum ad dedicationem templi, et ad efferendam arcam in illud (*III Reg.* VIII). Et convenerunt omnes mense septimo, id est septima lunatione, quæ intraverat Octobrem. Et erat dies solemnis, decimus scilicet dies quo fiebat expiatio. Potest tamen dici templum in Septembri dedicatum, quia totus fere solemnis est, rege accelerante, et post dedicationem fecisse aliqua utensilia, quæ deerant mense Octavo, et sic utrumque verum est, quia mense Octavo perfecta est domus in omni opere, et utensilibus, et tamen mense Septimo dedicata est. Et tulerunt sacerdotes, et levitæ de civitate David arcam Domini, et omnia vasa ejus, et vox jubilantium, ut ait Josephus, a longe remotis audiebatur. Rex vero et universa multitudo gradiebantur, alias gratulabantur ante arcam, et immolabant hostias absque æstimatione, et numero, et aromatum fumus a longe positis sentiebatur. Et intulerunt sacerdotes arcam Domini in locum suum, et in oraculum subter alas cherubim, quibus quasi quodam ciburneo tegebatur. Capita quidem vectium super humeros portantium, a populo retro posito videbantur, donec arca reposita retracti sunt a visibus hominum in sempiternum. Area vero tecta erat ne videretur. « In arca autem nihil aliud erat, nisi duæ tabulæ testamenti lapideæ. » Supplendum est autem, et urna aurea plena manna et virga Aaron. Hæc enim testatur Apostolus fuisse in ea (*Hebr.* IX). Factum est autem cum exissent sacerdotes de oraculo, et dicerent : « Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus » (*Psal.* CIV), » — « nebula implevit domum Domini, » non metuenda, sed temperata et fulgens, et obrumbavit facies sacerdotum, ita ut se invicem videre non possent, nec ministrare. Et ait Salomon : « Dixit Dominus, ut habitaret in nebula. » Nusquam legitur Dominus hoc dixisse. Sed quia in monte Sina apparuit in nebula, et præcessit Israel in nube, et ante Moysen positum in caverna petræ transivit in nebula, ideo Salomon posuit dictum pro opere. Et est sensus : « Dixit Dominus, » id est opere monstravit. Subiit autem omnes quædam opinio phantastica, Dominum localiter descendisse in templum, quam amovit Salomon dicens : Novimus, Domine, quia fabricasti tibi domum perpetuam, cœlum, terram simul et mare. Et flexo utroque genu in terra coram omni Ecclesia, utramque manum levavit ad Dominum supplicans pro peccatis, vel gratias agens de promissione Domini impleta, qui promiserat David domum sibi ædificandam per manum filii ejus. Oravit quoque ut quicunque Judæus, vel gentilis, ascenderet ad hanc domum, supplicans pro peccatis, vel clamans ad Dominum pro aliqua tribulatione, exaudiretur a Domino in his quæ juste postularet. Et surgens ab oratione, stans benedixit universo populo, et dedicatum est templum cum utensilibus suis die illa. Et deinceps in eadem die quartum fiebat festum, scilicet festum dedicationis. In eadem enim die erant tria alia festa, festum scilicet propitiationis, afflictionis et expiationis. Nec te moveat, quod diximus eum flexisse genua super terram, cum in Paralipomenon dicatur, quod fecerit Salomon basim æneam quatuor cubitis altam, quam posuit in medio basilicæ, et stans super eam benedixit populo. Potuit enim utrumque fecisse. Vel si pro eodem accipitur intelligendum est eum flexisse genua super terram, id est super locum in quo stabat. « Et immolavit Salomon hostias pacificas viginti duo millia boum, et ovium centum viginti millia. » Et quia altare æneum ad suscipienda holocausta, et adipes pacificorum minus erat; sanctificavit rex medium atrii interioris, ut super illud cremarentur, quæ super altare cremari non poterant". Fecit ergo Salomon festivitatem dedicationis, et omnis Israel cum eodem quatuordecem diebus : Quod sic intelligendum est : Quinque diebus continuis celebrata est dedicatio ; in sexto vero die, quæ fuit quintadecima mensis, occurrit Scenopegia, quæ interposita est septem diebus. Qua terminata iterum celebrata est dedicatio per duos dies, qui intermissi fuerant, et in die octavo, id est post duos septenarios, dimisit rex populum. Vel dedicatio continuis septem diebus facta est, et post decimam septimam diem inchoata est Scenopegia, et terminata in vicesima tertia, et in octava Scenopegiæ post collectam dimisit populum.

Digitized by Google

« Et apparuit Dominus secundo Salomoni per somnium, dicens : Exaudivi orationem tuam, sanctificavi domum hanc, et erunt oculi mei cunctis diebus super eam, et super te, et super populum Israel, si custodieritis mandata, quæ proposui vobis. Alioquin auferam vos de terra quam dedi vobis, et templum hoc projiciam a conspectu meo, et erunt ærumnæ vestræ fabulæ narrantium (*III Reg.* IX). »

**Additio* 1. Quando David introduxit arcam, cantaverunt alium psalmum : « Confitemini Domino, et invocate nomen ejus (*Psal.* CIV). »

***Additio* 2. Legitur in Paralipomenon ignis de cœlo descendisse, et devorasse oblata (*II Paralip.* VII).

CAP. XXII. *De domo Saltus*

Factum est autem post fabricam templi, cœpit Salomon constituere ædificium domorum regalium (*III Reg.* II), quod tredecim annis vix implevit. Non enim circa ea adeo fervens erat studium populi, sicut circa templum, sed nec ad eas opulentia fuerat ei præparata a patre. Fecit autem tres domos, domum sibi, et domum uxori suæ filiæ Pharaonis, et domum Saltus. De domo regis hoc solum dicitur in hoc libro Regum. « Domum suam ædificavit Salomon tredecim annis, et ad perfectum usque perduxit (*III Reg.* VII) ; » et paulo post, « porticum etiam solii, in qua tribunal fecit (*ibid*). » Et vocavit porticum ipsam domum in qua erat solium et tribunal : solium autem est regis, tribunal judicis. Et erat in eadem domuncula in qua sedebatur ad judicandum, id est in qua cum assessoribus tractabatur de sententia. De hujus domus compositione tacet liber Regum, forte quia eadem erat quæ et in domo Saltus, quam plenius describit. De domo reginæ dicitur in Regum, quod eam tali opere fecit, quali et domum regiam. Porro domus Saltus duplex erat, et ex duplice materia. Pars inferior erat lapidea, et dicebatur nephota, id est *pigmentaria*, in qua reponebantur aromata et pigmenta ad usus templi et domus regiæ, ut ex beneficio terræ, et mari diu vigerent quasi recentia. Superior pars domus lignea erat de lignis Libani facta ; unde et dicta est domus Saltus, vel domus Libani, vel domus Saltus Libani. Quidam tamen putant eam ob hoc sic vocatam, quia circumquaque consita erat ex arboribus et viridariis miræ recreationis, juxta densitatem saltus Libani. In ea reponebantur arma, ut beneficio ligni rubiginem non sentirent, nec solum arma ad pugnandum, sed et ad decorem et ad ostentationem regii fastus. « Fecit enim rex Salomon ducenta scuta aurea, et sexcenta sicli erant in unoquoque scuto (*III Reg.* X). » In Paralipomenon additur de totidem lanceis aureis (*II Paral.* IX). « Fecit quoque ducentas peltas aureas, « quarum quædam rotundæ erant, aliæ instar semicicli factæ. Iis utebantur custodes regis ante ostium domus excubantes (*III Reg.* XIV). Etiam quando rex egrediebatur præcedebant eum æquitantes, et ferentes hujusmodi arma, juvenes flavi, et usque in equorum sessionem diffundentes cæsariem, comis suis adjicientes auri tincturam, ut eorum capita sole percussa radiarent. Hos sequebatur rex vectus in curru, et ad locum quemdam solitus erat exire, qui ab Jerosolymis abest duobus funiculis, et dicebatur hortus Eden, id est *deliciarum*. Porro pars illa superior, quæ dicebatur domus Saltus, habebat longitudinem centum cubitorum, in latitudine quinquaginta, et in altitudine triginta cujus camera tota vestiebatur tabulis cedrinis. Sustentabatur vero tribus ordinibus columnarum. Unusquisque ordo habebat columnas quindecim e regione se respicientes, et pari modo a se distantes, et ita inter muros et tres ordines columnarum erant quatuor deambulatoria. Præ foribus autem domus fecit porticum columnarum quinquaginta cubitorum longitudinis, et triginta latitudinis. De compositione inferioris partis domus lapideæ tacet liber Regum, forte quia ejusdem compositionis erat cujus et superior.

CAP. XXIII. *De basilica et domo regia.*

E regione stabat domus regia, grandi interjacente viridario ejusdem longitudinis, latitudinis, et altitudinis, et similiter intercolumnata (*III Reg.* VII). Verumtamen simplex erat, et unius mansionis murus, cujus altitudo quatuor habebat distinctiones, quarum tres diversis variabantur coloribus, quarta vero superior cælaturis erat ornata. Erant ibi arbores sculptæ diversi generis, ramis, foliis et pomis obumbratæ, ita ut propter miraculum subtilitatis agitari quodammodo putarentur. In medio totius amplitudinis erat domuncula habens latitudinem triginta cubitorum, et in ea erat solium validis columnis extensum, in quo rex sedens judicia proferebat. In posteriori fronte domus, laquearia, et parietes vestiti erant auro, ubi « fecit rex thronum de ebore grandem et vestivit eum auro (*III Reg.* X), cujus ascensus facilis erat per sex gradus, et de marmore porphyrio factus ; duodecim leonculi stabant super sex gradus hinc et inde. Reclinatio throni posterior rotunda erat sedens super vitulum respicientem, et duæ manus hinc et inde tenebant eum, et duo leones stabant juxta manus singulas. « Non fuit tale opus in universis regnis. Fecit et circa domum reliqua habitacula et sedilia. Ubi post causas explicatas residebant, strata omnia ex marmore, et tabulis cedrinis. Fecit quoque domum reginæ in latere descendentem, marmore, cedro, auro, et argento opulentissime decoratam. Fecit et utensilia utriusque domus præclara ; necnon et vasa, quæcunque sunt epulis opportuna, omnia ex auro fecit. Perfecit itaque Salomon viginti annis templum, et domos regias cum omni supellectile sua, Hiram rege Tyri præbente sibi auxilium in lignis, et auro (*III Reg.* IX).

CAP. XXIV. *De oppidis datis Hiram.*

« Tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in

Digitized by Google

terra Galilææ (*III Reg.* IX), in sorte Nephthalim maritima. Sed non placuerunt regi Tyrio, licet a Tyro non procul essent positæ, « et appellavit eam terram Chabul, » quod lingua Phœnicum sonat *displicere*, et tunc primum terra illa vocata est Galilæa gentium, non quod ibi gentes habitarent, sed quia sub ditione regis gentilis erat. Refert Josephus Menandrum Phœnice historiographum scripsisse quod Salomon et Hiram mutuo sibi scripserunt ænigmata et figuras, quæ qui non solveret certam daret alteri pensionem. Cumque arctaretur Hiram in solutione, consulebat Tyrium juvenem Abdemium Abdemonis filium, quia omnia de facili explicabat.

CAP. XXV *De operibus Salomonis.*

Porro convertit animum Salomon ad muros civitatis construendos, quos miro robore ampliavit (*II Reg.* IX, et *II Paral.* VIII). Vias quoque regias, quæ ad Jerosolymam ducerent, nigro lapide stravit. In pluribus vero locis ruinas civitatum reparavit. Sed et novas civitates pro opportunitate locorum fundavit, quasdam contra hiemis intemperiem, quasdam adversus cauma æstivum, quasdam contra veris et autumni mutabilitatem. In terminis vero terræ ædificavit urbes tabernaculorum, imo ultra fines terræ promissionis perplurimas urbes occupaverat, socero suo Pharaone rege Ægypti ei præbente auxilium. Qui, ut ait Josephus, ultimus regum Ægypti dictus est Pharao, quod interpretatur *regnans*. Qui cum admiraretur opera Salomonis, præcipue commendabat domum Saltus, et sacrificia et frequentia levitarum circa ea. Porro de filiis Israel nullum fecit Salomon servum, sed erant viri bellatores et ministri ejus, ex quibus erant super omnia opera Salomonis præpositi quingenti quinquaginta; Chananæos autem de monte Libani, usque ad civitatem Amachi, fecit sibi servos tributarios. Classem quoque fecit rex Salomon in insula quadam Ægyptiaca Rubri maris, quæ dicitur Asiongaber, et navigabant cum servis Salomonis viri nautici de Tyro, quæ tunc insula erat, et deferebant de Ophir aurum multum, et circumeuntes Indiam et Siciliam, post elapsum triennium, referebant Salomoni aurum quadringentorum viginti talentorum, et argentum, et dentes elephantorum, et simias, et pavos, et gemmas, et ligna thina multa nimis, quæ erant similia ligni setim, et odorifera; de quibus fecit rex Salomon fulcra, et sedilia domus Domini, et domus regiæ, et citharas, et lyras cantoribus, nam cynara, et nabla ex electro constituit. Quasi nullius pretii erat argentum in diebus ejus, nam et sedilia pro foribus domorum plurima in Jerusalem argentea erant. Sed et ligna cedrina, quasi sycomori ligna abundabant in ea.

CAP. XXVI. *De regina Saba.*

Ad horum incredibilem opinionem regina Saba excitata, venit tentare eum in ænigmatibus (*III Reg.* X, et *I Paral.* IX). Et ingressa est Jerusalem cum comitatu multo, et divitiis inæstimabilibus. Est autem Saba quandoque nomen regionis, sed hic est civitas regalis Æthiopiæ; hujus nominis significationes, apud Hebræos distinguuntur per apices litterarum, SIN et SAMECH. Herodotus dicit, post Mineum, qui Memphim condidit, fuisse reges Ægypti dictos Pharaones, quod sonat *regnantes*. Quibus successit Nichaula regina Ægypti et Æthiopiæ, quam putat Josephus venisse ad Salomonem. Quæ ingressa ad eum locuta est universa quæ habebat in corde suo. Nec fuit sermo, qui regem lateret, sed docuit eam in omnibus his quæ proposuerat. Et admirans, non habebat ultra spiritum, dicens famam regis minorem esse veritate. Verumtamen tria præ cæteris admirabatur, domum Saltus, et supra templi fabricam, ordinem quoque et frequentiam ministrantium in templo; tertium vero ordinem, et distinctionem servientium regi in mensa. Nam et pincernæ simili cultu et distincto ab aliis ornabantur, similiter et panum latores, et dapiferi, ut in tanta multitudine ministrorum, nullus dubitaret quis cujus rei ministerio fungeretur. Dedit autem regina regi munera centum viginti talenta auri, et gemmas pretiosas, et aromata quanta, et qualia non fuerant visa in Jerusalem. Dicit etiam Josephus, eam dedisse regi radicem balsami*, unde propagatæ sunt in Engaddi vineæ balsamitæ. Cui etiam Salomon multa redonavit, nihilque fuit quod postulanti non præberet. Quæ regina gratis suscipiens ad propria remeavit. Tradunt quidam eam rescripsisse Salomoni, quod præsentialiter ei dicere timuit, se vidisse scilicet quoddam lignum in domo Saltus, in quo suspendendus erat quidam, pro cujus morte regnum Judæorum periret, et certis indiciis illud regi indicavit. Quod timens Salomon in profundissimis terræ visceribus occultavit illud. Pro cujus virtute aqua mota sanavit ægrotos, quod tamen in libris suis negant se habere Hebræi. Sed quomodo circa tempora Christi in probatica piscina superenataverit incertum est (*Joan.* V), et creditur fuisse hoc lignum crucis Dominicæ.

* *Additio* 1. Quam postea Cleopatra abstulit, pessima regina Ægypti.

CAP. XXVII. *De feminis adversariis Salomonis, et morte ejus.*

Procedente vero tempore « amavit rex Salomon mulieres alienigenas » contra legem, et posuit maculam in gloria sua, et schisma in genere suo (*III Reg.* II). « Fueruntque ei uxores reginæ, quasi septingentæ. » Josephus tamen dicit septuaginta et concubinæ trecentæ, quæ averterunt cor ejus, cum jam senex esset; et secutus est deos alienos, ne delicias suas contristaret. Et ædificavit in excelsis circa Jerusalem tria fana idolorum: unum Astarthæ deæ Sidoniorum, quæ Juno dicitur; secundum, Chamos idolo Moabitarum; tertium, Moloch idolo

Digitized by Google

Ammonitarum, cujus fanum statuit in monte Oliveti, e regione templi : quod plurimum Deo displicuit. Unde et postea dictus est locus ille locus Offensionis. Venit ergo ad eum propheta missus a Deo Nathan, vel alius, dicens : « Hæc dicit Dominus : Quia scidisti pactum meum, scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo, non tamen totum, sed tribum unam, præter tribum Juda, dabo filio tuo, propter David servum meum, propter quem olim hoc faciam hæc in diebus tuis. » Porro cum vixisset Salomon in summa pace, circa finem vitæ suscitavit ei Dominus adversarium Adad Idumæum de semine regio, qui in tempestate illa, quando desævit Joab in Idumæos, puer fugit in Ægyptum : cui postea rex Ægypti dedit uxorem sororem uxoris suæ, quæ peperit ei filium Genubath. Cumque audisset Adad, David et Joab mortuos esse, et Salomonem infamatum, vel infatuatum, egressus de Ægypto infestabat Israel. Suscitavitque ei Dominus alium adversarium Razon principem latronum in Damasco. Jeroboam quoque filius Nabath Ephrathæus de Sareda, serviens Salomoni, levavit contra regem manum suam hoc modo. Salomon ædificavit Mello, muros a radice voraginis extollens, ut coæquaret eos civitati David : vidensque Salomon Jeroboam bonæ indolis, et industrium, statuit eum præfectum operis, et deinde constituit eum super vigalia universæ domus Joseph. Quadam die dum egrederetur Jeroboam de Jerusalem, invenit eum in via Ahias propheta Silonites, opertus pallio novo, quod scidit in duodecim partes, et ait ad Jeroboam : « Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus : Dabo tibi decem tribus, et eris rex super Israel ; filio autem Salomonis dabo unam, ut remaneat lucerna David coram me in Jerusalem, quam elegi, ut esset nomen meum ibi. » Quo audito, Jeroboam intumescens suadebat populo, ut recederet a Salomone. Quam ob rem « Salomon voluit eum interficere. Tunc Jeroboam fugit in Ægyptum ad Sesac regem Ægypti, usque ad mortem Salomonis. Reliqua vero verborum Salomonis, et omnia quæ fecit, scripta sunt in libro Verborum, vel in libro Dierum Salomonis. » Hunc librum quidam æstimant esse Paralipomenon, sed quia nec in eo scripta sunt reliqua opera Salomonis, verius putandum est hunc librum non supersse'. « Dormivitque Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David, » cum regnasset in Jerusalem super omnem Israel quadraginta annis. Quæritur autem qua ratione dicatur Salomon, senex fuisse, cum modicum ultra quinquaginta annos vixisse legatur. Roboam enim mortuo patre quadraginta et unius anni erat, quem Salomon cum undecim annorum esset, genuisse perhibetur. Plenius ergo super hunc locum dicit Josephus ita. Mortuus est Salomon valde longævus, qui regnavit annis octoginta. Vixit autem nonaginta quatuor annis, sed divina Scriptura eos tantum annos exprimit, quibus regnavit antequam prævaricaretur.

Additio 1. Nota quod de pluribus libris mentio fit in sacra Scriptura, qui non supersunt, sicut liber Bellorum Domini, de quo in Numeri similiter forte liber Verborum (*Num.* XXI), de quo hic et sæpius agit, non superest. Quidam tamen volunt signari Paralipomenon, qui dicitur Residuorum, quia quod minus in Veteris Testamenti libris dictum est, ibi suppletur.

Incidentia.

In diebus Salomonis fuit rex sextus Latinorum Silvius Alba, Silvii Æneæ filius.

CAP. XXVIII. *De Roboam, et divisione regni.*

Post mortem Salomonis successit ei Roboam, et erat mater ejus Naama Ammanites (*III Reg.* XII). Porro Jeroboam, audita morte Salomonis, reversus est de Ægypto, et venit in Sichem ad Roboam cum omni multitudine Israel, quæ vocaverat eum. Cumque vellent Roboam constituere regem dixerunt ad eum : « Luminue paululum de gravi jugo, quod imposuit nobis pater tuus, et serviemus tibi. » Nec est intelligendum de jugo tributi, sed vectigalium in expensas, quibus præerat Achimaas sub Salomone. Qui respondit : « Ite, et redite ad me in diem tertium. » Interim consuluit senes, Sadoc scilicet, et Banaiam, et Joiadam, et reliquos principes Salomonis. Qui dixerunt : « Si hodie audieris eos, leniter eis loquens, servient tibi in æternum. » Post hæc consuluit adolescentes, non ætate tantum, sed moribus. Qui dixerunt : « Imperiose loquere, et populo comminando et timentes servient tibi. » Et redeunte populo in tertium diem dixit ad eos : « Digitus meus minimus grossior est humero patris mei. Pater meus cecidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus. » Quasi dicat : ego sum potentior patre, et majora faciam super vos. Est autem scorpio rubus aculeatus, vel flagellum virgarum nodosum, vel scutica habens in summitate glandes plumbeas. Et indignatus populus ait : « Quæ nobis pars in David, vel quæ hæreditas in filio Isai. » Quasi diceret . Quæque tribus portionem suam hæreditariam habet a Domino, quæ necessitas est, ut ex una eligatur qui regat alias. Quæque tribus regat hæreditatem suam. Et recesserunt decem tribus ab eo. Ipse vero misit post eos Aduram, qui erat supertributa, et lapidaverunt eum. Tunc timens Roboam fugit in Jerusalem. Decem vero tribus constituerunt Jeroboam regem super se. Judas vero, et Benjamin secuti sunt Roboam, et fuerunt cum eis levitæ, propter templum, quod erat in Jerusalem, et tunc separata est monarchia regni Hebræorum in duo regna, nec amplius ad unitatem rediit. Et dictum est regnum decem tribuum regnum Israel pro multitudine sui, nomen Jacob patris sui sibi reservans. Dictum est et Ephraim, quia Jeroboam, qui de Ephraim primus eis imperavit, quasi tunc primo impleta esset benedictio super Ephraim. Alterum vero regnum dictum est regnum Juda, ob dignita-

Digitized by Google

tem tribus regiæ. De utroque regno prosequitur historia quasi modo interscalari, et incisive nunc de hoc loquitur, nunc de illo. Quod diligens lector de facili deprehendet.

Cap. XXIX. *De Jeroboam, et Abdo, et vitulis.*

Porro Roboam collegit exercitum centum octoginta millia electorum, ut pugnarent contra Israel (*III Reg.* xii). Et misit ad eum Dominus Semeiam prophetam dicentem : Hæc dicit Dominus : « Non pugnabitis contra fratres vestros : a me enim factum est verbum hoc. » Quod de schismate regnorum intelligendum est. Et quieverunt a prælio. Jeroboam autem dixit in corde suo : « Si ascenderit populus iste in Jerusalem ter in anno, convertetur cor ejus ad Dominum suum Roboam, et interficient me. Tunc excogitato consilio fecit duos vitulos aureos : » quos Josephus vitulas vocat, « et constituit utrique fanum, alterum in Dan, et alterum in Bethel, et dixit ad populum : Ecce dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti. » Quasi diceret : Omnis locus habet Deum, non habetis necesse ut ascendatis ad hostium vestrorum civitatem, ut ibi quæratis Deum. Feci vobis vitulos æquivocos Deo, ut in eis adoretis Dominum, et constituam ex vobis sacerdotes et ministros, ne filiis Levi egeatis. Cumque immineret Scenopegia, « constituit eis diem solemnem in mense octavo, quintadecima die mensis. » Forte transtulit festum de mense septimo in octavum, vel lunatio Septembris descenderat in Octobrem. Tunc ascendit cum populo in Bethel ad diem festum. Dominus misit prophetam de Juda in Bethel, qui in Paralipomenon nominatur Abdo, hic a quibusdam creditur fuisse Gad, qui rege stante super altare ad immolandum exclamavit : » Altare, altare, hæc dicit Dominus. Nascetur filius domui David, nomine Josias, qui comburet super te ossa sacerdotum tuorum, eruta de tumulis suis. Et ait ad populum. Dabo vobis signum, quod locutus sit in me Dominus : Ecce altare scindetur, et effundetur oblatio quæ est in eo (*III Reg.* xiii). Tunc rex extendit manum suam, præcipiens eum apprehendi : et statim aruit manus ejus cum brachio. Altare quoque scissum est, et effusa sunt omnia quæ erant in eo. Et timens rex ait ad prophetam : « Ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. » Quo orante reversa est manus regis ad eum. Cumque dixisset ei rex : « Veni ut prandes mecum, et dabo tibi munera. Respondit : Non possum. Sic enim præcepit mihi Dominus : Non comedes panem, neque bibes aquam, neque reverteris per viam qua incedis. » Egressus itaque de Bethel, revertebatur in Jerusalem per aliam viam. Erat autem in Bethel propheta quidam senex, et jacens in lecto. Cui cum indicassent filii ejus quæ viderant, et audierant, dixit eis : « Sternite mihi asinum. » Et ascendens abiit post virum Dei, et ait ad eum : « Redi mecum ut comedas. » Qui respondit. Non possum, quia prohibuit me Dominus. At ille : Propheta sum sicut et tu, et dixit mihi Dominus : « Reduc eum tecum, ut comedat. » Et ita seduxit eum, et reduxit. Cumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum, et ait in spiritu : « Quia non custodisti mandatum Domini non inferetur cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum. » Et nota quod per injustum juste locutus est Spiritus sanctus, ut ex eodem ore propheta pœnam acciperet, unde et culpam acceperat. Cumque redisset vir Dei post prandium, occidit eum leo in via ; asinus autem stabat juxta illum, et leo custodiebat cadaver, nec asinum tangens, nec illud. Quod cum accepisset senex ille propheta, retulit cadaver ejus, et posuit illud in sepulcro suo, dicens filiis suis : « Cum mortuus fuero, ponite ossa mea juxta ossa ejus, » ut parcatur ossibus meis pro eo, quando fiet verbum Domini de crematione ossium super altare. Jeroboam autem non est reversus a via sua pessima. Nam senex ille propheta persuadebat ei non fuisse verum prophetam, quem Dominus occiderat, et dexteram ipsius pro labore sacrificandi obstupuisse, et, cum requievisset, ad naturam propriam remeasse. Altare vero propter onus impositorum ruptum fuisse aiebat.

Cap. XXX. *De morte Abiæ et Jeroboam.*

In diebus illis ægrotavit Abia filius Jeroboam, et ait rex uxori suæ : Commuta habitum ne cognoscaris uxor mea, et vade in Silo ad Achiam prophetam, qui mihi quondam locutus est de regno*, ipse indicabit tibi quid eventurum sit puero huic (*III Reg.* xiv). » Et ascendit mulier ad Achiam, qui videre non poterat præ senectute, sed præinstructus a Domino ait : « Ingredere, uxor Jeroboam. Quare te aliam simulas. Vade, et dic Jeroboam : Hæc dicit Dominus : Exaltavi te de medio populi, tu autem projecisti me post tergum tuum, fecisti tibi deos alienos, et conflatiles, et ego percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem, et clausum, » id est incarceratum, « et novissimum in Israel, » id est delebo de domo ejus etiam vilissima, quæ pro sui vilitate negligenda putantur, « et dabo cadavera eorum canibus et feris. Tu autem, revertere, et in introitu tuo morietur puer, qui solus de domo Jeroboam inferetur in sepulcro. Et rediit mulier in Thersa, et mortuus est puer, sepelierunt eum. Reliqua vero verborum Jeroboam scripta sunt in libro Verborum dierum Regum Israel. Et mortuus est Jeroboam cum regnasset viginti duobus annis. Porro Roboam regnavit in Juda, » qui continebat tribum Juda, « et Benjamin; quadraginta et unius anni erat cum regnare cœpisset, et viginti sex annis regnavit in Jerusalem. » Sed et Judas populus ille peccavit coram Domino, et fecit sibi aras, statuas et lucus super excelsa montium. « Sed effeminati fuerunt in terra Juda, » id est cultores Cybeles, evirati natura, vel actu, sicut legitur de hierophantis**. Offensusque Dominus suscitavit contra Judam Sesac regem Ægypti anno quinto regni Roboam,

Digitized by Google

Qui ingrediens Jerusalem, pactis præcedentibus, cum ei resistere non posset, fœdera non servavit. Fecit enim pactum cum eo de quorumdam murorum destructione, quod transgressus est. « Diripuit thesàuros domus Domini, et domus regiæ, scuta quoque aurea diripuit, quæ fecerat rex Salomon***, pro quibus fecit Roboam rex scuta ærea. » Habuit autem Roboam uxores octodecim, concubinas vero triginta et nati sunt ei filii viginti et octo, filiæ vero quadraginta. « Religua Roboam scripta sunt in libro Verborum dierum Regum Juda. » Opera ejus prima, et novissima scripsit Semeias propheta. « Et mortuus est Roboam, et sepultus in civitate David, et regnavit pro eo filius ejus Abia. »

* *Additio* 1. Achias vidit in spiritu populum conculcantem jugum boum, et prædixit sacerdotes conculcandos a populo, et Salomoni prædixit quod evertendus esset a mulieribus, et sepultus est juxta ilicem Silo.

** *Additio* 2. A Hiera, quod est *sacrum*, et fanum, quod est *templum*, quasi sacrum templum.

*** *Additio* 3. Aiunt Hebræi quinquaginta duobus annis avem non volasse super Jerusalem, et fere desperasse Judæos.

Incidentia.

In diebus Roboam Latinorum septimus rex fuit Silvius Achis, sive Silvius Ægyptius. Refert Herodotus Sesac regem Ægypti multas gentes sibi subjugasse, et quasdam sine prælio cepisse. In subsannationem earum, in statuis quæ triumphanti præferebantur, genitalia mulierum insculpsit, significans eas eviratas esse. Refert quoque Æthiopes et Phœnices ab Ægyptiis didicisse circumcisionem.

CAP. XXXI. *De Abia rege Juda.*

« Igitur in decimo octavo anno regni Jeroboam, regnavit Abias super Judam. Tribus annis regnavit in Jerusalem : nomen matris ejus Maacha, filia Thamar, filiæ Absalon. Et ambulavit in omnibus peccatis patris sui (*III Reg.* xv). » Et factum est prælium inter Jeroboam et Abiam in loco, qui vocatur mons Amorrhæorum, et habuit Abias contra spem victoriam inæstimabilem. « Et mortuus est Abias, et sepelierunt eum in civitate David, et regnavit Asa filius ejus pro eo. In anno vigesimo Jeroboam regnavit Asa super Judam, et quadraginta et uno anno regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus, « id est aviæ Maacha. » Et nota quod Roboam et Jeroboam dicuntur conregnasse decem et septem annis, et postea Abia conregnavit Jeroboam tribus annis, et sic impleti sunt viginti anni regni Jeroboam. Non ergo enim vigesimo anno Jeroboam cœpit regnare Asa, ut dictum est, sed potius in vigesimo primo quod per synecdochen dictum est. Dicitur enim Abiam regnasse tribus annis, eo quod regnavit duobus annis, et in parte quadam tertii, et in reliqua parte ejusdem tertii anni cœpit regnare filius ejus Asa, id est in vigesimo anno regni Jeroboam. Hujusmodi contrarietates sæpe occurrunt in sequentibus, quarum quædam determinantur per synecdochen. Vel quia æqualiter conregnaverunt quandoque filii cum patribus, ut post dicemus. Quæ vero determinari non possunt, vitio scriptorum ascribuntur

CAP. XXXII. *De Asa, et regibus Israel Nadab, et Baasa et Hela.*

« Igitur Asa fecit rectum coram Domino, sicut David pater ejus, et abstulit effeminatos de terra, et sordes idolorum, et Maacha matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, et subvertit specum ejus, et simulacrum turpe combussit in torrente Cedron*, excelsa tamen non abstulit. Porro Nadab filius Jeroboam regnavit super Israel anno secundo Asa regis Juda (*III Reg.* xv), » hic patet quia Jeroboam in principio vigesimi secundi anni regni sui mortuus est : hic annus fuit secundus regni Asa. « Et regnavit super Israel duobus annis, » id est uno anno et aliqua parte alterius anni vocatur annus, per synecdochen, sicut dicit Evangelium Christum prædicasse tribus annis et dimidio, ubi pars dimidii anni vocatur dimidius annus. Sæpe etiam fit econtra ut tota summa temporis nomine partis suæ vocetur per synecdochen, ut ibi. « Noe cum quingentorum esset annorum genuit Sem (*Gen.* v), » cum tamen esset Noe quingentorum et duo annorum. Hæc duplex synecdoche plurimum occurrit in sequentibus. Sed hæc dicta sufficiant. Nadab vero ambulavit in viis patris sui, quibus peccare fecit Israel. Qui, cum obsideret Jebbethon urbem Philisthinorum, insidiatus ei Baasa, interfecit eum, et regnavit pro eo anno tertio Asa regis Juda, et percussit omnem domum Jeroboam, « juxta verbum Ahiæ Silonitis, et regnavit in Thersa viginti quatuor annis, non tamen completis. « Et erat bellum inter Asa et Baasa cunctis diebus eorum. » Porro Asa decimo anno regni sui percussit Sariam regem Æthiopiæ plaga grandi, qui irruerat in terram Juda. Et redeunti Asa a victoria occurrit Azarias propheta dicens victoriam sibi a Deo concessam, quia legitima ejus servabat. Tunc scripsit Asa in omnem provinciam, ut omnes legitima diligenter servarent. Baasa vero rex Israel peccavit coram Domino ambulans in viis Jeroboam, et ultra **. Et venit ad eum Jehu propheta filius Hanani, dicens : « Hæc dicit Dominus : Exaltavi te de pulvere, tu autem ambulasti in viis Jeroboam, et in multis peccare fecisti populum meum, et ideo demetam posteriora tua, et faciam domum tuam, sicut domum Jeroboam. » Pro his tamen non quievit Baasa, sed ascendit in Judam, et ædificavit Rama quadraginta stadiis a Jerusalem. Cumque Asa rex Juda videret se arctatum, tollens aurum et argentum de domo Domini, et de domo regia misit illud per servos suos ad Benadad regem Syriæ in Damasco, dicens : « Fœdus fuit inter patrem meum et patrem tuum, et inter me et te. Peto, ut irritum

Digitized by Google

facias fœdus, quod habes cum Baasa, et recedat a me. » Et acquiescens Benadad misit exercitum in civitates Israel. Quod audiens Baasa intermisit ædificare Rama, et reversus est in Thersa. Rex autem Asa misit in omnem Judam, dicens : « Nemo sit excusatus. Et tulerunt lapides et ligna de Rama, et munivit de eisdem rex Asa Gabaa et Maspha. » Et venit ad eum Jehu propheta, vel, ut quidam volunt, Anani pater Jehu, arguens eum quod, relicto Domino, spem posuerunt in rege Syriæ; et misit eum rex in nervum, propter quod « in tempore senectutis suæ doluit pedes. Et mortuus est, et sepultus in civitate David. Et regnavit Josaphat filius ejus pro eo. » Sub Asa fuit octavus rex Latinorum Silvius Capis. Verumtamen adhuc eo vivente, descendit secundum quosdam Jehu propheta ad Baasa regem Israel arguendum, et occidit eum Baasa. Mortuus est ergo Baasa, et sepultus in Thersa. Occisus est autem, ut dicit Josephus, a Creone, commilitone suo. Et regnavit pro eo in Thersa filius ejus Hela anno vigesimo sexto Asa regis Juda. « Et regnavit super Israel duobus annis, » id est anno et parte anni. Qui, cum recumberet in domo Arsa præfecti sui, percussit eum temulentum Zambri servus suus dux mediæ partis equitum. Percussit quoque omnem domum Baasa juxta verbum Jehu prophetæ.

* *Additio* 1. Aiunt Hebræi Asa comminuisse idolum in pulverem, et clam sparsisse in torrentem Cedron, quod ut palam fieret, ex aqua ignis processit a Domino.

** *Additio* 2. Nota quod iste Baasa non fuit de genere Jeroboam, quia in regibus Israel, non semper successit filius patri, sed raro. Regnum vero Juda nunquam excessit genus suum, quia semper filius successit patri.

Cap. XXXIII. *De Zambri et Amri.*

Anno vigesimo septimo Asa regis Juda, regnavit Zambri in Thersa septem diebus. Porro exercitus Israel obsidebat Jebbethon. Qui cum audisset Zambri occidisse regem, constituit sibi regem Amri, qui erat princeps militiæ in castris, anno vigesimo septimo Asa. Ascendit ergo Amri, et omnis Israel cum eo, et obsidebant Thersa (*III Reg.* xvi). » Timens autem Zambri fugit in domum regiam, et succendit se cum ea. « Tunc divisus est populus Israel. Media pars sequebatur Thebni, et media pars Amri. » Et duravit hæc contentio tribus annis, et plus. Tamen Amri, quasi jam regnabat, et prævaluit Amri, et interfectus est Thebni anno trigesimo primo Asa regis Juda, et regnavit Amri super Israel plene, et duodecim annis regnavit. A prima electione sua in Thersa regnavit sex annis, et emit a Somer duobus talentis argenti montis partem, in quo erat civitas Mareon, et reparavit eam, et imposuit ei nomen Samareon, quasi a Somer, et Mareon, quæ Græce dicitur Samaria, et in ea posuit sedem regni, quæ prius fuerat in Thersa. « Et fecit Amri malum coram Domino, super omnes qui fuerunt ante eum, et mortuus est, et sepultus in Samaria*. » Et regnabit Achab filius ejus pro eo anno trigesimo octavo Asa regis Juda. Hic forte patet vitium scriptorum. Regnavit enim Amri pater Achab duodecim annis, ut dictum est, et cœpit regnare anno trigesimo primo regni Asa, qui regnavit quadraginta et uno anno, et ita Asa mortuus est adhuc Amri vivente. Verum est autem quod dicit Josephus, quod jam regnante Josaphat filio Asa cœpit regnare Achab. Tamen determinationem, quæ hic fieri solet in fine regum ponemus.

* *Additio* 1. Samaria est nomen civitatis, et regionis, ut hic apparet.

Cap. XXXIV. *De Achab, et Jezabel et Elia propheta.*

« Et regnavit Achab super Israel viginti et duobus annis (*III Reg.* xvi). » Tamen Josephus dicit viginti annis duobus mensibus. « Nec suffecit Achab, ut ambularet in viis Jeroboam, sed introduxit idola gentium in Israel, et duxit uxorem Jezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum, et ædificavit in Samaria fanum, et altare Baal et adoravit eum. In diebus ejus reædificavit Hiel de Bethel Jericho. » Cumque poneret fundamenta ejus, emortuus est Abiram filius ejus primogenitus. Cumque portas munirct, mortuus est Segub novissimus filius ejus, juxta imprecationem Josue. « Et misit Dominus Eliam Thesbitem de habitatoribus Galaad ad Achab (*III Reg.* xvii). » Qui ait ad regem : Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba; aposiopesis est, vel ponitur *si*, pro *non*, et quærebat Achab animam Eliæ. Qui fugit ex præcepto Domini, et latuit in torrente Carith, qui est contra Jordanem. « Corvi autem deferebant ei panem, et carnes, mane et vespere, et bibebat de torrente. Post dies autem aliquot siccatus est torrens. Non enim pluerat super terram. Et ait Dominus ad Eliam. Vade in Sarephta Sidoniorum; præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te. » Et erat Sarephta urbs modica inter Tyrum et Sidonem. Sed et silva juxta urbem Sarephta videbatur. Cumque venisset Elias ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna. Cumque quæsisset ab ea poculum aquæ, addidit etiam ut afferret ei buccellam panis. Quæ respondit se non habere nisi pugillum farinæ in hydria, et paululum olei, quo conspergeret eam, et panem ex ea faceret, comederet cum filio suo, sed post deficiente cibo tabescerent. Ad quam Elias ait : « Noli timere, fac mihi primum subcinericium panem; tibi et filio tuo facies postea. Hæc enim dicit Dominus : Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, donec pluat super terram. Fuitque Elias apud viduam tempore aliquo. Post hæc mortuus est filius mulieris. Quæ dixit ad Eliam Cur ingressus es ad me, vir Dei, ut rememorarentur iniquitates meæ, » id est magis apparerent ex contrario æquitatis tuæ,

Digitized by Google

« et ideo interficeretur filius meus. » Et posuit Elias A puerum super lectum suum in cœnaculo superiori, et expandit se super eum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, et revixit puer. Quem recipiens mulier ait : « Nunc cognovi, quoniam vir Dei es tu. » Hunc puerum tradunt Hebræi fuisse Jonam prophetam.

Cap. XXXV. — *De sacerdotibus Baal, quos interfecit Elias.*

Post tertium annum ariditatis et famis dixit Dominus ad Eliam. « Vade, ostende te Achab, ut dem pluviam super terram (*III Reg.* XVIII). » Erat autem fames vehemens in Samaria, cujus etiam meminit Menander in Gestis Sidoniorum. « Et habebat Achab procuratorem domus suæ Abdiam, qui cum interficeret Jezabel prophetas Domini, abscondit centum prophetas in duabus speluncis, quinquagenos et pavit eos pane et aqua: » Propter quod postea spiritu prophetiæ donatus est. Ad quem dixit Achab : « Descendamus ad convalles, et quæramus pabula equis et mulis. » Et diviserunt sibi regiones. Occurrit autem Elias Abdiæ in via, dicens : « Vade, dic domino tuo : Adest Elias. At ille : Quid peccavi? Quando nuntiabo Achab, adest Elias, spiritus Domini asportabit te in locum, quem ignoro, et non inveniens te Achab interficiet me. Servus autem tuus timet Dominum ab infantia sua. Et ait Elias : Vivit Dominus, quia hodie apparebo Achab. » Et vocatus Achab per Abdiam, occurrit Eliæ, et ait : « Tune es ille? qui conturbas Israel. Qui respondit : Non ego turbavi, sed et tu, et domus patris tui, qui relinquentes Dominum secuti estis Baal. Verumtamen congrega ad me omnem Israel in monte Carmeli, et prophetas Baal quadringentos quinquaginta, et prophetas lucorum quadringentos qui comedunt de mensa Jezabel. » Et congregati sunt populus, et prophetæ in monte Carmeli. Et ait Elias ad populum : « Usquequo claudicatis in duas partes. Si Dominus patrum vestrorum Deus est, sequimini illum; si autem Baal, sequimini eum. » Non respondente autem populo intulit Elias: « Ego sum hic solus propheta Domini, et prophetæ Baal multi. Dentur nobis duo boves, illi eligant bovem unum, cujus frusta ponent super ligna igne non supposito, et ego faciam similiter de altero bove. Ipsi invocabunt deos suos, et ego Deum meum, et qui exaudierit, dando ignem de sublimi, ipse sit Deus. » Et placuit populo propositio Eliæ. Cumque sacerdotes Baal fecissent quod dixerat, « invocabant Baal a mane usque ad meridiem, et transiliebant altare, quod fecerant, et incidebant se, juxta ritum suum lanceolis, ita ut sanguine perfunderentur. » Dæmones enim plurimum delectantur oblatione sanguinis humani*. « Et illudebat eis Elias dicens : Exaltate clamorem, forte Deus vester dormit, aut cum aliquo alio loquitur, aut in diversorio est. Et dixit Elias ad populum : Accedite. Et præsente populo curavit altare Domini, quod destructum fuerat, » id est destruxit altare eorum, et mundavit locum, ut ibi faceret altare novum coram Domino. « Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum Israel, et ædificavit ex eis altare in nomine Domini Israel. Et fecit aquæductum in circuitu altaris per duo loca. Et ligna superposuit, et membra bovis, præcepitque afferri aquam, » forte de mari vicino, « et effudit super holocaustum et ligna. Et facta est terna effusio aquæ, usque ad implectionem aquæductus, ne forte putaretur arte magica de visceribus terræ suscitasse ignem. Et clamavit Elias ad Dominum in auribus populi : « Domine Deus patrum nostrorum, exaudi me hodie, ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus. Et descendens ignis de B sublimi, voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem, et aquam, quæ erat in aquæductu lambens, et adoravit populus, et ait : Dominus ipse est Deus. » Et mandante Elia apprehenderunt omnes prophetas Baal, et duxerunt ad torrentem Cison, « et interfecit eos ibi Elias. Et ait ad Achab : Ascende et comede ante descensum pluviæ. Et comedente Achab, Elias ascendit verticem Carmeli, et pronus in terram capite inclinato inter genua orabat, et ait ad puerum suum : Vide contra mare, si ascendat nubes. » Erat enim aer serenissimus. Et ait puer : « Non est quidquam. » Et misit eum septies. Septima autem vice ascendebat nubecula de mari, excrescens, usque ad hominis quantitatem. Et ait Elias C ad Achab : « Descende cito in Jezrahel, ne te occupet pluvia. » Et ecce contenebrati sunt cœli, et nubes, et ventus, et pluvia facta est grandis. Festinavit autem Achab in Jezrahel, et facta est manus Domini super Eliam, et currebat ante Achab, donec intraret urbem. Cumque accepisset Jezabel, quæ fecerat Elias prophetis suis, indignata misit nuntios ad Eliam dicens : « Hæc faciant mihi dii, et hæc addant **, nisi cras hac hora posuero animam tuam, sicut tu posuisti animam unius ex illis (*III Reg.* XIX).

* *Additio* 1. Amare dæmones sanguinem humanum dicit Isidorus, cap. 58 : Ideo quoties necromantia fit, cruor aquæ miscetur, ut colore sanguinis facilius provocetur.

D ** *Additio* 2. Sicut in salutationibus verbum, propter nimium affectum, non ponitur, ut quod vis intelligatur, ita in hujusmodi locutionibus demonstrativum pronomen ponitur, ut quodcunque etiam malum sibi accidere precetur, nisi hoc fiat.

Cap. XXXVI. — *De fuga Eliæ, et vocatione Elisei.*

« Et timens Elias fugit in Bersabee, et dimisit ibi puerum suum, » Jonam, ut tradunt, « et solus intravit in desertum viam unius diei. Et sedens subter unam juniperum, oravit ut moreretur ibi, » dicens, se non esse meliorem, id est digniorem vita, patribus, ut, illis perditis, ipse vivere exoptaret, « et projiciens se obdormivit. Tunc angelus Domini tetigit eum, dicens : Surge, comede. Et ecce ad caput ejus

Digitized by Google

erat subcinericius panis et vas aquæ; et comedit, et bibit, et rursum obdormivit. Et suscitavit eum angelus secundo dicens : Surge, comede, grandis enim tibi restat via (*III Reg.* XIX). » Josephus tamen dicit angelum non excitasse eum, sed aliquem. « Et comedit Elias, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb, » in quo apparuit Dominus Moysi in rubo. Et mansit ibi Elias in spelunca. Et ait Dominus ad eum : « Quid hic agis, Elia? Qui respondit : Zelatus sum adversus Israel pro te. Nam altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt, et relictus sum ego solus, et quærunt animam meam, et aufugi. Et ait Dominus ad eum : Egredere, et transibit Dominus coram te. » Tria tamen prius visibiliter transierunt, in quibus non transivit Dominus. Primo ergo transivit ventus fortis conterens petras, sed non in vento Dominus. Secundo transivit commotio terræ, sed non in ea Dominus. Tertio transiit ignis, sed non in igne Dominus. Quarto transiit sibilus auræ tenuis; et cum eo Dominus. Et operuit Elias vultum suum pallio, et stetit in ostio speluncæ. Et Dominus transiens dixit ad eum : « Quid hic agis, Elia? » Et respondit ei, sicut et supra. Et dixit Dominus ad eum : « Revertere per desertum, et vade in Damascum, » et in ultionem mei « inunges Hazael regem super Syriam, et Jehu filium Nansi regem super Israel, Elisæum autem filium Saphat de Abela inunges prophetam pro te *. Et isti tres interficient idololatras de Israel, alios Hazael, alios Jehu, alios Eliseus, et relinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata Baal, nec osculati sunt manus ejus. » Et nota quod Elias non aliter unxit Hazael, nisi quod prædixit per Eliseum eum regem futurum. Jehu vero, nec ipse, nec Eliseus inunxerunt, sed unus prophetarum missus ab Eliseo. Eliseum vero non unxit, nisi quod pallium suum posuit super eum. Non enim in lege ungebantur, nisi rex et sacerdos. Profectus ergo Elias invenit duodecim viros arantes, in duodecim jugis boum, quorum unus erat Eliseus, « et posuit Elias pallium suum super eum, » et continuo prophetavit Eliseus, ut ait Josephus. Et currens post Eliam ait : « Osculer, oro te, patrem meum, et matrem meam, et sequar te. Et reversus mactavit par boum, et coxit illud in lignis aratri, et dedit escas contribulibus, et surgens secutus est Eliam, et ministrabat ei. »

* *Additio* 1. Quod congruit oraculo. Nato enim Eliseo in Galgalis, imago de vitulis aureis mugit. Quo audito in Jerusalem, ait sacerdos : Propheta natus est in Israel, qui sculptilia eorum destruet, etiam fusilia.

Cap. XXXVII. — *De prima obsidione Samariæ, et reliquis.*

« Porro Benadab rex Syriæ obsidebat Samariam habens secum triginta duos reges, et misit ad Achab in Samariam, dicens : Si vis ut recedam a te, cras hac eadem hora mittam servos meos, et omne quod placuerit eis tollent de domo tua; et de domibus servorum tuorum, etiam uxores et liberos (*III Reg.* XX). » Et iniit Achab consilium cum senioribus. Qui dixerunt : Non acquiescas illi : Et respondit Achab nuntiis Benadad : « Dicite domino meo : Omnia quæ jussisti in nuntio, facere possum, hanc autem rem facere, non possum, » scilicet de uxoribus, et liberis. Et indignatus Benadab remisit ad eum, dicens : « Hæc faciant mihi dii, et hæc addant, si sufficerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi mei, qui sequitur me. » Samaria habebat interius terram pene muris æqualem, et est sensus. Tanta mecum est multitudo, ut, si singuli lapidem unum, vel stipitem, vel cespitem comportaverint tantum, exstruent aggerem, qui æquabitur muris Samariæ, et terræ intus positæ, et ita ex quo pugnabunt vobiscum. Et respondit rex Israel : Dicite ei : « Non glorietur accinctus æque, ut discinctus. » Et est sensus : Adhuc es accinctus armis, et res est in pendulo. Noli ergo gloriari quasi jam victor sis, et discinctus armis depositis. Quasi dicat : non potest gloriari sic prælior, sicut victor; vel secundum aliam litteram : « Non glorietur æque accinctus, atque discinctus. » Quasi dicat : Ante victoriam non potest gloriari accinctus multitudine, nec discinctus, id est carens multitudine, quia sæpe pauci vincunt multos. Porro Benadab cum regibus suis bibebat in umbraculis, et ait servis suis : « Circumdate civitatem. » Cumque expugnarent eam timuit Achab nimis. Et ecce unus propheta confortavit eum, Michæas, ut quidam tradunt, et ait : « Hæc dicit Dominus : Ego tradam omnem hanc multitudinem in manu tua hodie, ut scias quia ego sum Dominus. Et ait Achab : Per quem? Qui respondit : Per pedissequos principum provinciarum. Et ait Achab : Quis erit dux eorum? Qui respondit : Tu. » Et invenit Achab filios principum ducentos triginta duos et egressus est cum eis. Cumque nuntiatum esset Benadab, quod egressi essent de Samaria, misit in occursum eorum viros, dicens : Sive ad pacem, sive ad prælium venerint, apprehendite eos vivos. Filii vero principum percusserunt eos, unusquisque virum, qui contra se venichat. Et fugit exercitus Syriorum, et egressus Israel percussit equos, et currus, et Syriam plaga magna. Tunc accessit propheta ad Achab, dicens : Confortavit te Dominus; vide quid facies ei. Sequenti anno ascendet rex Syriæ contra te. « Quasi dicat : Necesse est tibi ut habeas Dominum propitium. Tunc dixerunt servi Benadab ad eum : « Dii montium sunt dii eorum, et pugnavimus cum eis in montibus, et ideo vicerunt nos. Pugnemus ergo in campestribus, ubi dii eorum nihil possunt, et obtinebimus eos. Tu autem fac verbum hoc : Amove ab exercitu reges, quia inertes sunt, et pone principes pro eis, et instaura numerum pugnatorum, quos ante habuisti. »

Cap. XXXVIII. *De victoria Achab.*

Igitur post annum venit Benabab cum exercitu in Aphec, quæ est in campestribus (*III Reg.* XX).

Digitized by Google

« Porro filii Israel castrametati sunt contra eos, quasi duo parvi greges caprarum. Syri autem repleverant terram, et dixit unus vir Dei ad Achab. » Quia dixerunt Syri : Deus montium Dominus est, et non vallium, tradam eos in manu tua. Et direxèrunt acies ex adverso septem diebus. Septima autem die percussi sunt de Syris centum millia peditum, et reliqui fugerunt in Aphec, et cecidit murus super eos, qui remanserant. Benadab autem fugiens in civitatem latuit in cubiculo, quod erat intra cubiculum. Servi autem ejus timentes, ne superveniret Achab, et nemini parceret, et scientes reges Israel clementes, accinxerunt lumbos suos saccis, et ponentes funiculos in capitibus venerunt in occursum Achab dicentes : « Servus tuus Benadab dicit : Vivat, oro te, anima mea. » Quasi diceret : Quamcunque multam imposueris, suscipiam eam pro anima mea. Qui respondit : « Si adhuc vivit, frater meus est, » id est faciam cum eo fœdus. « Qui rapientes verbum ex ore ejus, quasi pro omine festinantes adduxerunt Benabad ad eum. Et levavit eum Achab secum in curru suo, et dixit ad eum Benabab : Civitates quas tulit pater meus a patre tuo, reddam tibi. Fac tibi plateas in Damasco, » id est forum rerum venalium ; « sicut fecit pater meus in Samaria. » Cumque fœderati essent redierunt ad propria. Tunc Michæas dixit ad socium suum in spiritu : « Percute me. At ille noluit Cui ait : Quia non audisti vocem Domini, cum recedes a me, percutiet te leo. » Quod factum est. Inveniensque alterum virum, dixit ad eum : « Percute me » in capite. Qui vulneravit eum. Tunc propheta mutato vultu, aspersione pulveris et sanguinis, clamavit ad regem in via : Cum essemus in prælio, adduxit vir unus captivum suum ad me dicens : « Custodi istum ; qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus, » id est eris servus mihi pro eo, « aut talentum argenti mihi appendes. » Cum autem verterem me huc atque illuc, subito non comparuit. Et ait rex : « Judicium tuum est, » quod ipse decrevisti, alterutrum necesse est facias ei. Tunc lota facie agnitus est propheta a rege, et ait : « Hæc dicit Dominus ; quia dimisisti virum blasphemum dignum morte, erit anima tua pro anima ejus, » id est ipse te interficiet. Et iratus rex prophetæ jussit eum clausum custodiri, et venit in Samariam.

Cap. XXXIX. *De vinea Naboth.*

Porro Nahoth Jezrahelites habebat vineam juxta palatium regis (*III Reg.* xxi). Et dixit ad eum rex : « Da mihi vineam tuam, ut faciam in ea hortum olerum, daboque tibi pro ea vineam meliorem, vel pretium. Qui respondit : Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. » Quasi diceret : Non possum ; hæreditas relicta est mihi a patribus, ut relinquam eam posteris. Et contristatus rex projecit se in lectum, et nolebat comedere, et confortavit eum Jezabel dicens : « Æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth. » Et scripsit secreto litteras ex nomine Achab, et annulo ejus signatas, et ad judices Jezrael misit, ut conventum facerent, et jejunarent, tanquam Dei judicium facturi, et submitterent testes adversum Naboth, qui dicerent. « Benedixit Naboth Deum et regem, » id est maledixit, secundum Hebræum idioma ; « et judicantes reum majestatis lapidarent. » Et factum est ita, et lapidatus est Naboth extra civitatem Jezrahel. Cum ergo accepisset Achab de morte Naboth, descendebat in vineam, ut possideret eam. Et occurrit ei Elias Thesbites dicens : Hæc dicit Dominus : « Occidisti, insuper et possedisti. » Hebræus habet : « Occidisti, et post hæc hæreditabis. » — « In loco hoc in quo linxerunt canes Naboth lambent quoque sanguinem tuum, » id est in eadem regione. Non enim intelligendum est in eodem loco singulariter. Qui respondit : « Num invenisti me inimicum tibi, » id est quare inimicaris mihi? Et ait Elias : « Eo quod venundatus sis diabolo, » ut faceres malum coram Domino, propterea demetet Dominus posteriora tua, et dabit domum tuam, sicut domum Jeroboam et Baasa. Sed et de Jezabel dicit Dominus : Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel. » Achab ergo timens valde, scidit vestem suam, et operuit se cilicio, et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. Et ait Dominus ad Eliam : « Quia humiliatus est Achab coram me, non inducam malum hoc in diebus ejus, sed in diebus filii sui. » Forte dimissum est ei peccatum propter præsentem justitiam. « Transierunt igitur tres anni sine bello inter Syriam et Israel (*III Reg.* xxii), » propter fœdus quod inierant. Interim autem Josaphat rex Juda accepit uxorem filio suo Joram Athaliam filiam Achab, et Jezabel, et per affinitatem confœderati sunt rex Juda et rex Israel. Tunc descendit Josaphat ad regem Israel videndum, et eo præsente dixit Achab servis suis : « Nostra est Ramoth quæ est in Galaad, cur negligimus eam tollere de manu regis Syriæ. Et ait ad Josaphat : Venies ne mecum ad præliandum in Ramoth Galaad ? Qui respondit : Sicut ego, ita et tu, populus meus, populus tuus. Sed quæramus hodie, obsecro, sermonem Domini. » Et asciti sunt Baal prophetæ circiter quadringenti. Quibus rex ait : « Ibo in Ramoth Galaad ad pugnandum, an quiescam ? Qui dixerunt : Ascende, et Dominus dabit eam in manu regis. Et ait Josaphat : Num est hic propheta Domini ? Cui Achab : Remansit unus Michæas filius Jemla, » sed odi eum, quia non prophetat mihi bonum ; putabat reliquos occisos a Jezabel. Tunc petente Josaphat vocatus est Michæas, et hortabatur eum nuntius, ut bona regi diceret, sicut et alii. Qui respondit : « Vivit Dominus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus hoc loquar. Porro in pseudoprophetis erat Sedecias ferens cornua ferrea, et dicens ad Achab : « Hæc dicit Dominus : His ventilabis Syriam, donec deleas eam, » id est hoc signum do tibi, quia ventilabis Syriam. Tunc quæsivit Achab

Digitized by Google

a Michæa idipsum quod quæsierat ab aliis. Qui respondit : « Ascende et tradet eos Dominus in manu regis; » non tamen dixit quos, vel cujus regis. Cui Achab : Adjuro te ut non loquaris nisi quod verum est in nomine Domini. Tunc ait Michæas : « Vidi Israel dispersum, quasi oves sine pastore. Et ait mihi Dominus : Non habent isti dominum, revertantur. » Et intelligens Achab, quod prædiceret ei se moriturum, dixit ad Josaphat : « Vides quia non prophetat mihi bonum. Tunc addidit Michæas : Vidi Dominum sedentem, et angelos assistentes ei, bonos a dextris, malos a sinistris, et ait : Quis decipiet Achab, ut ascendat, et cadat in Ramoth Galaad. » Hoc enim exigebant merita ejus. Et dixit unus a sinistris : « Ego ero spiritus mendax in ore prophetarum ejus. Cui Dominus : Decipies, et prævalebis. Tunc Sedecias percussit Michæam in maxillam et ait : Mene dimisit spiritus Domini, et locutus est tibi? Cui Michæas : Visurus es quando absconderis in cubiculo, tanquam deprehensus in mendacio. Et vidit Sedecias regem hæsitantem, et confortavit eum, dicens secreto : Hic si esset propheta, aruisset manus mea, sicut manus Jeroboam. Sed et locutus est contra Eliam, qui prædixit te moriturum, ubi mortuus est Naboth. Tunc rex præcepit incarcerari Michæam, usque ad reditum suum.

CAP. XL. *De Josaphat, et morte Achab et Ochozia.*

Ascenderunt igitur cum exercitu duo reges in Ramoth Galaad, et Josaphat erat in stola regali (*III Reg.* XXII). Cui Achab differens erat in habitu militari, vel ne cognosceretur a Syris : rex autem Syriæ præceperat principibus belli, ut reliquos non curantes, solius Achab sanguinem quærerent. « Et propterea impetu facto pugnabant contra Josaphat. Qui cum exclamasset convocans servos, intellexerunt Syri non esse Achab, et cessaverunt ab eo. Unus autem dirigens sagittam in incertum percussit Achab inter pulmonem et stomachum, et fluebat sanguis in sinum, » id est in interiora currus, et per præcones revocatus est exercitus a bello. Mortuus est autem Achab, et delatus est in Samariam, et sepultus ibi juxta domum eburneam, quam ædificaverat. » Et dum lavarent mulierculæ currum et habenas in piscina Samariæ, linxerunt canes sanguinem ejus, juxta verbum Eliæ : « Et regnavit Ochozias filius ejus pro eo. » Porro Josaphat redeunti occurrit Jehu, filius Anani arguens eum, quod impio præbuisset auxilium. Josaphat vero regnavit in Jerusalem. « Triginta quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et viginti annis regnavit. Cœpit autem regnare anno quarto Achab regis Israel. » Sed et hic oritur quæstio de collationibus, quas omnes post librum Regum separatim discutiemus. « Et ambulavit Josaphat in viis Asa patris sui. » Anno siquidem tertio regni sui præcepit principibus et sacerdotibus regni sui, ut peragrantes per singulas civitates docerent populum legem Moysi. Porro Ammonitæ, Moabitæ, et Arabes, irruerunt in Judam circa Engaddi. Et orante Josaphat in templo, ut legitur in Paralipomenon, confortavit eum Jaziel filius Zachariæ, propheta dicens : « O Juda et Jerusalem, nolite timere *, cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum (*II Paral.* XX). » Et egressus percussit hostes, et fugavit. Cumque diriperet Israel castra hostium tribus diebus, arxit locum illum convallem Benedictionis, et habuit deinceps cor rectum cum Domino. Sed et reliquias effeminatorum abstulit de terra, verumtamen excelsa non abstulit, et adhuc serviebat Edom regi Juda in tributo. Misit quoque Josaphat classes in Ophir propter aurum, quæ confractæ sunt in Asiongaber. Hanc confractionem prædixerat ei Eliezer propheta, filius Dodam, futuram, quia Josaphat fecerat fœdus cum Ochozia. « Et mortuus est Josaphat, et sepultus in civitate David, et regnavit pro eo Joram filius ejus. »

* *Additio* 1. Nota quod Judæa quandoque dicitur tota terra Judæorum, ut ibi; ignoti Judæa Dei (*Act.* XVII), et : « Notus in Judæa Deus (*Psal.* LXXV). » Quandoque Judæa dicitur tantum tribus Judæ et Benjamin, secundum quod dicit, quod Roboam regnavit super Judam, Jeroboam super Israel (*III Reg.* XIV). Quandoque sola tribus Judæ Judæa dicitur, ut ubi : « Judæa et Jerusalem noli timere. »

Incidentia.

Sub Josaphat nonus Latinorum rex fuit Silvius Carpetemus; decimus Silvius Tiberius, a quo fluvius dictus est Tiberis, qui prius Albula dicebatur; undecimus Silvius Agrippa.

HISTORIA LIBRI IV REGUM.

CAP. I. *De Ochozia rege Israël.*

Porro Ochosias, filius Achab, regnare cœpit in Samaria, anno decimo septimo Josaphat, et duobus annis regnavit, et ambulavit in viis patris et matris suæ, et « prævaricatus est Moab in Israel, » id est recessit a tributo ejus (*IV Reg.* I). Ceciditque Ochozias per cancellum cœnaculi, et ægrotavit, et misit nuntios, qui consulerent Beelzebub Deum Accaron, de infirmitate sua. Josephus dicit : Misit ad Deum Accaron Muscam*, et misit Dominus Eliam in occursum nuntiorum. Qui ait eis : « Nunquid non est Deus in Israel, ut eatis ad Deum Accaron? Quamobrem non consurget Ochosias, sed morietur. » Cumque rediissent nuntii ad regem, et dicerent se

Digitized by Google

rediisse pro hujusmodi prohibitione, quæsivit ab eis de habitu viri, qui apparuerat eis. Qui dixerunt ei : « Vir pilosus est, et zona pellicea accinctus. Qui ait : Elias est. Misit rex quinquagenarium cum suis quinquaginta armatis, ut vocarent Eliam, vel invitum traherent. Et ait quinquagenarius Eliæ sedenti in vertice montis : « Homo Dei, rex præcepit ut descendas. Qui respondit : Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te, et tuos, et sic factum est. Misit quoque rex alium quinquagenarium cum suis, qui similia locutus est, et similia passus. Destinavit quoque tertium quinquagenarium, qui creditur fuisse Abdias, qui curvans genua coram Elia ait : « Obsecro, ut misereris animæ meæ et servorum meorum. Et ait angelus ad Eliam : Descende cum eo, ne timeas. Qui descendit ad regem, et ait : Quia misisti ad Beelzebub, quasi non esset Deus in Israel, morieris. » Et mortuus est Ochosias, et regnavit Joram frater ejus pro eo, anno secundo Joram filii Josaphat, et tunc æquivoci fuerunt rex Juda, et rex Israel, et affines.

Additio 1. Beelzebub Deus Accaron dicitur musca.

CAP. II. *De raptu Eliæ.*

« Factum est cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœlum, venerunt Elias et Elisæus in Galgala; et ait Elias ad Elisæum : Mane hic, quia misit me Dominus in Bethel. Qui respondit : Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te (*IV Reg.* II). » Sciebat enim in spiritu eum tollendum esse. Et occurrerunt eis filii prophetarum, qui erant in Bethel, et dixerunt ad Elisæum secreto : « Nosti quia hodie tolletur Dominus tuus a te. Qui respondit : Novi, silete. Et ait Elias : Mane hic. Qui noluit. » Cumque venisset in Jericho, idipsum dixerunt Elisæo filii prophetarum qui erant ibi, quod et prædicti. Et voluit Elias, ut maneret ibi, sed noluit. Cumque venirent ad Jordanem ambo, et quinquaginta de filiis prophetarum a longe specularentur, involvit Elias pallium suum, et percussit aquas, quæ divisæ sunt, et transierunt per siccum. Cumque transissent, dixit Elias ad eum : « Postula quod vis, et faciam tibi, antequam tollar a te. Qui respondit : Obsecro, ut fiat spiritus tuus duplex in me. Qui respondit : Rem difficilem postulas, tamen si videris me, quando tollar a te, erit; alioquin, non erit. » Spiritum duplicem habuit Elias, id est ad duo, ad prophetiam et ad miracula. Et ad eadem duo, fuit spiritus in Elisæo, et ita non petiit discipulus esse super magistrum. Quidam tamen distinguunt ita, « fiat spiritus tuus duplex in me, » id est dupliceter in me. Quod ita impletum fuisse tradunt. Nam Elisæus vivens suscitavit mortuum, sed et mortuus suscitavit mortuum; quod non Elias. « Cumque pergerent, ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque, et ascendit Elias, et ferebatur per turbinem in cœlum. » Legitur quod Sabacha pater Eliæ, nondum nati, vidit in somnis viros candidatos se salutantes. Quod cum nuntiasset in Jerusalem, responsum est ei : Puer hic judicabit Israel in gladio et igne. Elisæus autem videbat, et clamabat : « Pater mi, Pater mi, currus Israel, et auriga ejus! » id est sustentator populi et rector, et dejecit ei Elias pallium suum. Tunc ille scidit vestimenta sua, vel præ dolore, vel abjiciens vestem suam, ut deinceps uteretur veste Eliæ. « Et rediens ad Jordanem percussit aquas pallio Eliæ, et non sunt divisæ, et ait : Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? percussitque iterum, et divisæ sunt. Et transiit. Quod videntes filii prophetarum dixerunt : Requievit spiritus Eliæ super Elisæum. Et occurrentes adoraverunt eum. » Et eo licet renitente, miserunt quinquaginta viros ad quærendum Eliam, si forte projecisset eum Dominus in aliquo montium, vel vallium. Cumque quæsissent per tres dies, eo non invento redierunt.

CAP. III. *De sale Elisæi.*

« Tunc dixerunt viri Jericho ad Elisæum. Terra hæc optima est, sed aqua fontis pessima terram facit sterilem (*IV Reg.* II). » Qui assumens vas novum terreum misit in illud sal, et egressus ad fontem misit sal in illum. Et cum orasset ait : « Hæc dicit Dominus : Sanavi aquas has, et non erit in eis mors ultra, neque sterilitas. » Forte morbosa erat bibentibus cum sterilitate. « Et sanatæ sunt aquæ, usque ad diem hanc. » Cumque ascenderet in Bethel, illudebant ei quadraginta duo pueri dicentes : « Ascende calve. Et maledixit eis in nomine Domini, » id est per nomen Domini, vel invocato nomine Domini. « Egressique sunt duo ursi de saltu, et devoraverunt eos. » Cumque transisset per montem Carmeli, rediit in Samariam, et habitabat in ea.

CAP. IV. *De tribus regibus qui obsederunt regem Moab.*

« Porro Joram filius Achab regnavit in Samaria anno decimo octavo Josaphat, et duodecim annis regnavit (*IV Reg.* III); tulitque idola gentium, quæ pater suus introduxerat; verumtamen a cultu vitulorum Jeroboam non recessit. Quem cum redargueret Michæas, occisus est ab eo præcipitio, ut dicit Epiphanius episcopus Salaminæ Cypri. Et sepultus est in Morasthi, solus juxta supulturam Senachim. Alius fuit post Michæas similiter Morasthites, sextus duodecim prophetarum. Porro rex Moab solvebat regi Israel tributum agnos centum millia, et totidem arietes cum velleribus suis; sed mortuo Achab, recessit a tributo. Quamobrem Joram rex Israel ascendit contra eum in prælium, et habuit secum Josaphat regem Juda, sed et Josaphat duxit secum regem Edom. Cumque ivissent per desertum Idumææ septem diebus non erat eis aqua. Et ait Josaphat : « Estne hic propheta Domini? Et respondit quidam : Est hic Elisæus, qui fundebat aquam super manus Eliæ. Et steterunt tres reges ante Elisæum. Qui dixit ad regem Israel : Quid mihi et tibi est, » id est tu cum sis idololatra, quare venis ad prophetam Domini? Verumtamen propter Josaphat, respiciam te. Et ait : « Adducite mihi psaltem, » id est psallentem. Cumque caneret psaltes

Digitized by Google

per harmoniam excitatus est spiritus ejus, et factus est spiritus Domini super eum, et ait : « Facite in alveo torrentis » hujus exsiccato « fossas et foveas, » ut abundantiam supervenientis aquæ retinere possint. Dabit enim Dominus vobis aquam sine vento, et pluviam in abundantia. « Insuper tradet Dominus Moab in manus vestras, urbes electas percutietis, ligna fructifera succidetis, fontes obturabitis, agros egregios operietis lapidibus. Factum est mane in hora sacrificii irruerunt aquæ per alveum torrentis. » Pluerat enim vehementer tribus diebus, ut ait Josephus, in supremis partibus Idumææ. Porro Moabitæ stabant in terminis terræ suæ, ut prohiberent hostes ab ingressu. Qui cum mane vidissent ex adverso aquas turbidas torrentis sole repercussas, suspicati sunt infectas sanguine, et dixerunt : « Surgamus ad prædam ; mutuo cæsi sunt hostes. Et dum irruerent præcipites, percussit eos Israel, et fugerunt. et depopulatus est Israel Moab, et fecit illa quatuor, quæ prædixerat Elisæus ; et circumdederunt civitatem, ubi erat sedes regni, quæ a fundibulariis ex magna parte percussa est. Et desperans rex Moab tulit secum septingentos electos, ut irrumperet per partem exercitus, ubi erat rex Edom, et aufugeret. Sed hostes repulerunt eum in urbem ; et necessitate compulsus, filium qui regnaturus erat pro eo, coram hostibus supra murum obtulit holocaustum, ut Deus eum liberaret. Reges autem videntes hoc factum necessitatis, ex humana compassione recesserunt ab eo. Et rediit Josaphat in Jerusalem, et occurrens ei Jehu propheta, filius Anani, culpabat eum, quod homini idololatræ solatia præbuisset.

CAP. V. *De superabundantia olei.*

Factum est autem quod quædam mulier de uxoribus prophetarum, uxor scilicet Abdiæ, ad Elisæum clamabat dicens : « Vir meus mortuus est, et oppressus erat ære alieno propter alimoniam prophetarum. Et ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. Et respondit Elisæus : Quid habes in domo tua ? Et illa : Non habeo nisi parum olei, quo ungar. Qui ait. Pete mutuo vasa vacua non pauca, et clauso ostio cum filiis tuis mitte in ea in omnia vasa. » Dumque infunderet mulier, crescebat oleum, et impletis vasis stetit, id est crescere cessavit. Quod cum accepisset Elisæus, ait ad eam : « Vade, vende, et redde creditori, tu autem et filii tui vivite de reliquo.

CAP. VI. *De suscitatione filii Sunamitidis.*

Factum est ut transiret Elisæus per Sunam civitatem, et erat ibi mulier magna, non tam corpore quam sapientia, quæ intelligens virum Dei esse, tenuit eum, ut comederet panem (*IV Reg.* III). Cumque frequenter diverteret ad eam Elisæus, suasit mulier viro suo ut faceret ei cœnaculum parvum, et poneret in eo lectulum, et mensam, et sellam, et candelabrum. Et rediens Elisæus requievit ibi, et ait ad Giezi : « Voca Sunamitidem hanc, et loquere ad eam : Quid vis, ut faciat dominus meus tibi ? Loquetur pro te regi, vel principi militiæ. Quæ respondit : In medio populi mei habito, » quasi diceret. Vallata sum propinquis, et nullus inquietat me. Cumque quæreret Elisæus quid vellet, dixit Giezi ad eum, filium non habet, et vir ejus senex est. Tunc ait Elisæus ad eam : In tempore isto, et in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium. Hebræus sic habet : In tempore isto cum tempus vitæ, » subaudi, adhuc erit tibi, habebis, etc. Quæ respondit : « Noli, vir Dei, mentiri ancillæ tuæ. » Concepit tamen mulier, et peperit, juxta verbum Elisæi. Cumque crevisset puer, egressus est ad patrem ad messores, et ægrotavit. Cumque clamasset bis : « Caput meum doleo, » remisit eum pater ad matrem suam, « et mortuus est. Et collocavit eum mater super lectum viri Dei, et clausit ostium, et vocans virum suum ait : Curram ad virum Dei, et revertar. Qui respondit : Hodie non sunt Kalendæ, nec Sabbatum, cur ibis ? » Istis enim diebus prophetæ et doctores solebant frequentari et audiri. Et tollens mulier unum de pueris secum, sedens in asino, venit ad virum Dei in montem Carmeli. Qui cum vidisset eam, ait ad Giezi : Ecce Sunamitis illa. Occurre, et dic ei : Rectene agitur circa te, et virum tuum et filium. Quæ respondit : Recte ? Et nota quod semper Elisæus hospitam suam vocabat Sunamitidem. Non enim tantum habuit familiaritatem cum ea, ut proprium nomen ejus sciret. et projecit se mulier, et apprehendit pedes Elisæi. Et ait Elisæus Giezi volenti eam amovere : « Dimitte illam. Anima ejus in amaritudine est, et Dominus celavit a me. Et ait mulier : Nunquid petivi filium a te. » Quasi dicat : Mihi non petenti dedisti filium in perniciem meam. « Nunquid non dixi tibi : Ne illudas me ? » Illusionem vocat dare filium a Domino et tam cito auferri. Et ait ille ad Giezi : « Tolle baculum meum, et vade, et ne facias moram, vel aliquem salutando, vel respondendo salutanti, et pones baculum meum super faciem pueri. » Cumque abiisset, ait mulier ad Elisæum : « Vivit Dominus, non dimittam te. Et secutus est eam. Et reversus est Giezi in occursum ejus dicens : Non surrexit puer. » Et ingressus Elisæus incubuit super puerum, et contrahens se coaptavit membra sua membris ejus. Et cum orasset calefacta est caro pueri, et oscitavit puer, et aperuit oculos. Quem cum reddidisset matri viventem, reversus est in Galgala. Hunc locum sæpe frequentabat Elisæus, tum pro religione loci, tum quia ibi natus est, et in ortu ejus tale ibi contigit prodigium, ut imago una ex vitulis aureis mugiret acute. Quo audito in Jerusalem sacerdos divino nutu ait : « Propheta natus est in Israel, qui sculptilia eorum destruet et fusilia.

CAP. VII. *De colocynthidis, et superabundantia panum.*

« Porro fames erat in terra, et filii prophetarum decem venerant ad Elisæum. Qui dixit uni de pueris : Coque pulmentum filiis prophetarum. Qui egressus, ut colligeret herbas agrestes, invenit quasi vitem

Digitized by Google

silvestrem, et collegit ex ea colocynthidas nesciens quid esset, et concidit in ollam pulmenti (*IV Reg.* IV). Hæ sunt agrestes cucurbitæ amarissimæ, minores his quæ in hortis nascuntur; vel, ut quidam dicunt, herba est, quasi vitis se diffundens in sepibus, fructu modico, purpureo et rotundo, cum maturus est. Cumque gustassent recumbentes de coctione hac clamaverunt : « Mors in olla, vir Dei ! » id est amaritudo quasi in morte, vel mortifera. Et allatam farinam misit in ollam, et dulcorata est esca. Vir autem quidam detulit viro Dei panes primitiarum, et viginti panes hordeaceos, et frumentum novum in pera, id est grana confricata. Non est intelligendum de panibus primitiarum, quæ offerebantur in Pentecoste, neque de polenta, quæ offertur in Pascha. Sed quia fames erat in terra festinanter de tritico adhuc recente fecerat iste panes, quos fecit Elisæus apponi populo. Quidam dicunt centum viris, quia minister dixit : « Quantum est hoc, ut apponam centum viris. Sed intelligendum, ut apponam, etiam centum viris, nedum populo. Vel forte duos tantum panes primitiarum apposuit centum viris, dicens : « Hæc dicit Dominus. Comedent, et supererit : » Et factum est ita miraculose juxta verbum Domini.

CAP. VIII. *De Naaman.*

« Naaman autem princeps erat militiæ regis Syriæ, vir dives, et assiduus, sed leprosus. Et latrunculi de Syria captivam duxerant puellam de Israel, quæ erat in obsequio uxoris Naaman. Quæ ait ad dominam suam : Utinam fuisset dominus meus ad prophetam Samariæ, qui curaret eum. « Tulit Naaman argentum, et aurum multum, et decem mutatoria vestium (*IV Reg.* V), » id est decem paria, vel novas vestes, quæ sic vocantur pro mutatione vestium veterum. « Tulitque secum litteras regis Syriæ ad regem Israel, in hæc verba : Scito quia miserim ad te Naaman, ut cures eum a lepra. Et audiens rex Israel blasphemiam, scidit vestimenta sua, et ait : Nunquid ego Deus sum, ut curem hominem leprosum ? Occasiones quærit adversum me. » Et misit ad eum Elisæus dicens : « Cur scidisti vestimenta tua ? Veniat ad me, et sciat prophetam esse in Israel. » Stetit itaque Naaman, et equitatus ejus ad ostium Elisæi. Qui misit ad eum dicens : « Lavare septies in Jordane et mundaberis. » Cumque abiret Naaman indignans, quod non tetigisset eum, invocans nomen Domini, dixerunt ei servi sui : « Si rem grandem dixisset tibi propheta, facere debueras, quanto magis quod modicum est? Descendit ergo, et lavit se in Jordane septies, et mundatus est. » Et rediens stetit coram Elisæo, et ait : « Scio quod non sit Deus alius in universa terra nisi in Israel. Et obtulit ei benedictionem. » Cumque renuenti vim faceret, ait Elisæus : « Vivit Dominus, quia non accipiam. Et ait Naaman : Obsecro ut tollam onus duorum burdonum de terra hac. » Est autem burdo ex equo et asina. Secundum quosdam tulit terram, ut sterneret eam in templis idolorum, ut stans super eam adoraret Deum terræ Israel, ne offenderet dominum suum, si pariter non adoraret. Sed verius videtur quod fecerit altare Domino ex ea ad immolandum. Unde et subdit : « Non faciet servus tuus ultra holocaustum, ac victimam diis alienis, nisi Domino. Unum est quod mutare non possum, cum innititur rex super manum meam, et adorat in templo Remmon, oportet me simul adorare. Ora Dominum ut non imputet mihi hoc : « Et abiit Naaman electo terræ tempore, » id est cum elegisset terram ad portandum. Hebræus sic habet : « Abiit ab eo aliquanto terræ spatio. » Eadem ambiguitas in Genesi legitur : « Eratque vernum tempus, et ingrediebatur Ephrata (*Gen.* XLVIII). » Hebræus habet : « Adhuc spatium terræ erat, et ingrediebatur Ephrata. » Et sic Latinus interpres posuit electum tempus, vel vernum pro spatio. Cucurrit autem Giezi post Naaman, ut aliquid acciperet ab eo, et ait : « Dominus meus misit me ad te dicens : « Venerunt ad me duo adolescentes ex filiis prophetarum, da eis talentum argenti et vestes duplices. At ille dedit ei duo talenta, et vestes, et tradidit ei pueros qui deferrent ea, et abscondit ea in domo. » Cumque vespere staret coram Elisæo ait : Unde venis, Giezi? Qui respondit : Non ivit servus tuus quoquam. At ille : Nonne cor meum tecum erat, cum reversus fuerat homo in occursum tuum. Accepisti argentum, ut emas possessiones. Sed lepra Naaman adhærebit tibi, et semini tuo in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus. » Non legitur ad litteram Giezi filium habuisse leprosum, nec posterum. Certum est autem de Giezitis, quod lepra Simoniæ respersi sunt.

CAP. IX. *De securi et acrisia Syrorum.*

Factum est autem cum esset Elisæus cum filiis prophetarum, incidentibus ligna ad Jordanem, cecidit ferrum securis unius in aquam (*IV Reg.* VI). Cum ejularet ille, misit Elisæus lignum in aquam, ubi ceciderat ferrum, et natavit ferrum, et tulit illud. « Porro rex Syriæ pugnabat contra Israel, » et sæpe ponebat servos suos in insidiis, quas cavebat rex Israel, Elisæo sibi manifestante ascondita Syrorum. Et conturbatus rex Syriæ, ait servis suis : Quis vestrum proditor est mei apud regem Israel. Et ait unus : Nequaquam, sed Elisæus indicat regi Israel quæcunque loqueris in conclavi. Qui ait : « Mittam, et capiam eum. » Cumque accepisset eum esse in Dothaim, misit illuc robur exercitus. Qui venientes illuc in nocte circumdederunt civitatem. Mane puer Elisæi vidit exercitum, territusque clamavit : « Heu, domine, quid faciemus? Qui respondit : Noli timere, plures sunt nobiscum. » Et orante Elisæo aperuit Dominus oculos pueri, et vidit montem plenum curribus igneis, id est agminibus angelorum. Cumque intrarent hostes ad eum, orante Elisæo percussit eos Dominus cæcitate, non omni quidem, sed acrisia *, ne eum agnoscerent. Et dixit ad eos Elisæus : « Non est hæc via, nec est ista civitas, » id est non est hic mansio Elisæi : « Sequimini me, et ostendam vobis virum, quem quæritis : et duxit eos in Samariam. » Et orante Elisæo « aperuit Dominus oculos

Digitized by Google

eorum, et viderunt se esse in medio Samariæ, » et hostes circumstantes. « Et dixit rex Israel ad Elisæum : Percutiam eos, pater mi? Qui respondit, Nequaquam : » Dominus enim adduxit eos, sed præbe eis hospitalitatem affluenter. Quo facto redierunt Syri ad propria, nec ultra in diebus Elisæi venerunt latrones Syriæ in Israel.

Additio 1. Acrisia est amentia visus, scilicet quando quærimus quod in manu tenemus.

CAP. X. *De fame, et secunda obsidione Samariæ.*

« Factum est post hæc, Benadad rex obsidebat Samariam, et facta est fames in Samaria, ita ut venderetur caput asini octoginta argenteis numismatis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis (*IV Reg.* VI). » Hac, ut ait Josephus, condiebant cibos pro sale. Tradunt quidam nomine stercoris dici vesiculam columbæ, in qua reperiebantur grana de foris allata. Cumque transiret rex Israel per murum, et consideraret custodias muri, clamavit quædam mulier ad eum : « Salva me, domine rex. » Qui suspicatus quod quæreret aliquid ab eo, commotus respondit : « Non salvat te Dominus : unde te salvare possum? De area, an de torcularì? Quæ respondit : Nequaquam, domine, sed ego, et mulier ista condixeramus de filiis nostris comedendis, et comedimus filium meum; hæc autem abscondit filium suum. » Et contristatus est rex vehementer, et scidit vestimenta sua, et aperuit cilicium, quo vestitus erat ad carnem, et ait : « Quid amplius mali possumus exspectare a Domino. Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, si steterit caput Elisæi super ipsum hodie. » Hoc enim malum imputabat Elisæo, quod concives non liberabat, cum posset. Cumque misisset speculatorem, pœnitentia ductus, sequebatur eum ut prohiberet. Elisæus autem sedebat in domo sua, et senes cum eo, quos Josephus discipulos ejus dicit. Et ait Elisæus : « Nescitis quia filius homicidæ, » qui scilicet occidit Naboth, « misit ut præscidatur caput meum. Prohibete intrare nuntium, donec veniat rex, » qui prohibebit ei quod jusserat. Cumque supervenisset rex, ait Elisæus : « Cras hac hora erit in porta Samariæ modius similæ pro statere uno, et duo modii hordei similiter (*IV Reg.* VII). » Et irrisit eum unus eorum super quorum manus rex incumbebat, dicens hoc esse impossibile. Cui Elisæus : « Videbis, et non comedes. » Porro quatuor leprosi erant ad introitum portæ fame deficientes. Qui vespere venerunt ad castra Syriæ, et neminem ibi repererunt. Terruerat enim Dominus Syros, et sonitus exercitus magni, mittens super eos, fugeruntque, animas suas tantum salvare cupientes, et intrantes leprosi comederunt, et tollentes de præda juxta cor suum, nuntiaverunt portariis urbis Syros abiisse. Suspicatus autem rex Israel Syros simulasse fugam, et latere, misit duos in equis, qui explorarent omnia, usque ad Jordanem. Qui cum reversi nuntiassent Syros fugisse, egressus populus diripuit castra, et vendebatur simila, et hordeum juxta verbum Elisæi. Dux autem qui irriserat eum, a rege constitutus ad portam, oppressus est a turba, et mortuus est.

CAP. XI. *De fame septem annorum, et peregrinatione mulieris Sunamitidis.*

« Post hæc autem Elisæus locutus est ad mulierem cujus filium suscitaverat : Vade cum domo tua peregrinari ubicunque poteris. Vocavit enim Dominus famem super terram septem annis, » id est angelum præpositum fami (*I Reg.* VIII). Quasi dicat : Fames veniet : vel est locutio. De hac fame ambiguum est utrum præcesserit prædictam obsidionem, vel secuta sit. Igitur mulier intravit terra Philisthiim, et contribules occupaverunt bona ejus. Quæ finita fame regressa est, et intravit, ut interpellaret regem pro domo sua et agris. Et tunc rex loquebatur cum Giezi, quærens ab eo magnalia Elisæi. Qui videns mulierem ait : « Domine, hæc est mulier, et hic est filius ejus, quem suscitavit Elisæus. » Quæ cum narrasset regi seriem facti, restituit ei rex quæcunque amiserat a die qua reliquerat terram.

CAP. XII. *De morte Benadad.*

Porro Benadad, rex Syriæ, audiens quod Deus amoverat eum ab obsidione, et non homo contristatus ægrotabat (*IV Reg.* VIII). Elisæus autem veniebat Damascum, et misit rex in occursum ejus Azahel cum muneribus, ut consuleret eum de infirmitate sua. Cui quærenti respondit Elisæus : Dic ei : Sanaberis. Nec dixit sanabitur, quia mortuus est rex. Sed ut diceret ei, sanaberis, postea traxit Azahel in partem dicens : « Ostendit mihi Dominus, quia morietur, et tu eris rex Syriæ. » Tunc impletum est, quod dixerat Dominus Eliæ. Aliter enim non inunxit Elias Azahel, nisi quia per Elisæum prædixit eum futurum regem. Et flevit Elisæus, videns in spiritu mala quæ facturus erat Azahel filiis Israel, quæ etiam indicavit illi. Et reversus Azahel ad regem dixit, « sanaberis. » — « Altera die tulit stragulum, et infudit aquam, et expandit super faciem ejus. » Stragulum proprie est stratorium, quod lecto, vel sedili supersternitur. Et dicitur quod Azahel pannum perfusum aqua imposuit super eum ad refrigerandum. Hebræus habet : « Expandit super faciem suam stragulum, » ut non Azahel, sed ipse Benadad, hoc fecisse intelligatur, et tamen mortuus est rex, et regnavit Azahel pro eo. Quidam tamen hoc exponunt de obsequio mortui, dicentes quod Azahel mortuum lavit aqua, et expandit stragulum super faciem mortui. Josephus plane dicit, quod Azahel altera die infuso laqueo strangulavit illum. Ad hunc sensum quidam prædictam litteram referunt dicentes quod Azahel vestem madefactam posuit super faciem ejus, simulans refrigerationem, sed statim effudit aquam super os ejus, donec suffocaret eum.

CAP. XIII. *De Jorum rege Juda.*

Porro anno quinto Joram filii Achab, regis Israel, in quo conregnaverat ei Josaphat rex Juda, regnavit Joram filius Josaphat in Jerusalem octo annis.

Digitized by Google

(*IV Reg.* VIII). Qui ad consilium uxoris fecit malum coram Domino, secutus deos alienos. Tamen Dominus non disperdidit Judam propter David servum suum. Tunc recessit Edom ne esset sub Juda. Nam et regem suum tributarium occiderunt Idumæi, novum creantes, qui non teneretur tributa reddere. Cumque Joram sex fratres suos occidisset, compelleretque Jerosolymitas etiam idololatrare, tulit ad eum Elias quidam propheta epistolam correctoriam cum comminatione pœnæ. Impleta est autem comminatio in hunc modum : Arabes irruentes in Judam, vastaverunt provinciam, et domos regias, et uxorem regis abduxerunt, filiosque occiderunt, præter Ochoziam : et ipse tandem chronicam incidit ægritudinem, interna corruptione viscera effundens, ut quotidie quasi se præeuntem videret; et mortuus est, et sepultus est in civitate David. Non tamen, ut ait Josephus, in sepulcro patrum suorum, sed privatum tumulum, sine regalibus exsequiis, tradiderunt ei. Et regnavit Ochozias, vel Azarias filius ejus pro eo. Hunc regem, et reliquos, usque ad Oziam, prætermittit Matthæus (*Matth.* I). Regnavit autem annos duodecim Joram filii Achab. Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, et uno anno regnavit in Jerusalem, et ambulavit in viis Achab avi sui. Abiitque cum Joram, filio Achab, avunculo, suo ad præliandum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaad, et vulneratus est Joram, et relicto exercitu in obsidione sub Jehu principe, descendit in Jezrahel, ut curaretur, et descendit cum eo Azarias.

Cap. XIV. *De Jehu rege Israel inuncto tempore Elisæi.*

Elisæus autem misit unum de filiis prophetarum cum lenticula olei, ad exercitum in Ramoth Galaad, ut ibi Jehu evocatum in partem, ungeret in regem super Israel (*I Reg.* IX). Qui cum invenisset Jehu sedentem cum principibus ait : « Verbum mihi ad te est, o princeps. » Et ait Jehu: Ad quem? Qui respondit : Ad te, o princeps. » Forte non cognoscens Jehu, hoc quasi præsagium in mente sua posuerat, ipsum esse Jehu, qui primus respondisset. Cumque induxisset eum in cubiculum, fudit oleum super caput ejus, et ait : « Hæc dicit Dominus : Unxi te in regem super Israel, et percuties omnem domum Achab in ultione sanguinis servorum meorum de manu Jezabel. » Quo facto citissime aufugit propheta. Cumque regressus esset Jehu ad servos domini sui, dixerunt : « Quid venit insanus iste ad te? » Quasi insanos enim reputabant filios prophetarum, vel quia fugerat citissime quasi insanus. Et ait Jehu : « Recte judicastis. Nam verba vesana locutus est, dicens : Hæc dicit Dominus : Unxi te in regem super Israel. Festinaverunt itaque tollere vestes suas, et substernere ei in similitudinem tribunalis, et canentes tuba dixerunt : Regnabit Jehu. Conjuravit ergo Jehu contra Joram et ait : Nullus nuntiet hoc in Jezrael, sed omnes ascendamus simul. » Cumque ascenderent, speculator in Jezrahel ait : « Video globum venientem. » Et suspicatus Joram, vel captam esse urbem, vel pacem factam, misit nuntium in occursum eorum. Qui ait : « Hæc dicit rex : Pacata sunt omnia? Et ait Jehu : Quid tibi et paci. » Quasi diceret : Quid ad te, sequere me. Vel forte huic Jehu quasi ipsi regi respondit, quasi diceret : Quid quæris de pace, qui terram, et pacem turbas. Et adhæsit nuntius ei. Misit et Joram secundum nuntium, qui similiter non est reversus ad eum. Et ascendens Joram rex Israel, et rex Juda cum eo, egressi sunt in occursum Jehu, usque in agrum Naboth Jezrahelitæ. Et ait Joram : « Est ne pax, Jehu? Qui respondit : Quæ pax? adhuc vigent fornicationes matris tuæ. » Quasi dicat : Quæ pax potest esse inter nos, cum jugiter offendamus Deum per idololatriam matris tuæ. Et fugiens Joram ait ad nepotem suum : « Insidiæ sunt hic, Ochozia. » Tunc percussit Jehu Joram inter scapulas, et egressa est sagitta per cor ejus, et corruit mortuus. Et ait Jehu ad ducem tertiæ partis militum : Projice eum in agrum Naboth. Memento quoniam ego, et tu sequebamur Achab patrem hujus, quando comminatus est ei Dominus per Eliam, quod redderet in agro Naboth pro sanguine Naboth, et pro sanguine filiorum ejus. » Tamen supra de filiis Naboth nulla facta est mentio, sed quod ibi tacitum est, hic suppletur. Forte canes linxerunt sanguinem Joram juxta verbum Eliæ. Linxerunt enim sanguinem Achab cum linxerunt sanguinem filii ejus : Ochoziam vero fugientem insecutus est Jehu, et vulneravit eum in ascensu Gaber. Qui vulneratus fugit in Mageddo, et mortuus est ibi, et tulerunt eum in Jerusalem, et sepultus est in civitate David. Post hæc intravit Jehu in Jezrahel. Porro Jezabel erat in arce turris, et depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum, ut pulchrior venientibus appareret, et per fenestram ait ad Jehu : Nunquid pax esse potest Zambri, qui interfecit dominum suum? quasi diceret : Tu occidisti dominum tuum sicut Zambri, et eadem pœna puniendus es. Tunc dixit Jehu duobus eunuchis, qui circumstabant eam : « Præcipitate eam. » Et præcipitaverunt eam de turre, et conculcaverunt eam ungulæ equorum. Cumque Jehu sederet ad mensam, ait servis suis : Ite, et sepelite maledictam illam, quia filia regis est. Cumque venissent ad eam, non invenerunt, nisi calvariam, » id est supremam cellulam cerebri, « et pedes, et summitates manuum. Quo audito ait Jehu : Sermo Domini est quem locutus est per Eliam (*III Reg.* XXI). »

Cap. XV. *De septuaginta filiis Achab, et eorum morte, et de morte Jehu.*

Erant autem Achab septuaginta filii in Samaria. Et scripsit Jehu ad nutritios eorum, et ad optimates civitatis dicens : Eligite quem vultis de filiis Achab, et constituite regem super vos, et pugnate pro domo Domini vestri (*IV Reg.* X). Qui perterriti rescripserunt ei : « Servi tui sumus, fac quod tibi placet. » Et scripsit eis secundo : « Si mei estis,

Digitized by Google

tollite capita filiorum Domini vestri, et venite ad me cras in Jezrahel. » Et sic factum est. Et attulerunt capita in cophinis ad Jehu. Qui mandavit ne introducerentur ad eum, sed juxta introitum portæ ponerentur ad duos acervos, usque mane. Cumque mane intuerentur capita, dixit Jehu ad populum : Justi estis. » Quasi dicat : Comparatione istorum qui septuaginta occiderunt, justi estis, qui non nisi Joram et Jezabel mecum occidistis. Vel potius Samaritas qui eos occiderant, commendavit. Quasi diceret : Juste fecistis implendo verbum Domini : quod videtur velle littera sequens, addit enim : « Si ego interfeci Dominum meum, quis percussit eum et istos? Dominus fecit quod locutus est in manu Eliæ. Tunc percussit Jehu omnes reliquos de domo Achab in Jezrahel, et optimates ejus, et notos et sacerdotes, et ibat in Samariam. » In via vero obviavit quadraginta duobus fratribus Ochoziæ regis Juda, qui descendebant ad salutandos Joram et Ochoziam; nescientes quod occisi essent, et occidit eos Jehu. Tunc egressus est in occursum Jehu Jonadab, filius Rechab, et benedixit ei pro ultione Domini quam fecerat. Quem impositum currui suo, duxit Jehu in Samariam, et percussit omnes, qui reliqui fuerant de Achab, usque ad unum. Congregavit ergo Jehu populum Samariæ, et ait in dolo. « Ampliare volo cultum Baal, vocate omnes prophetas ejus et sacerdotes. Quicunque defuerit, non vivet. Sacrificium enim grande est mihi Baal, et venerunt omnes servi Baal, nec unus defuit, et repleta est domus Baal. Et ait Jehu his qui erant super vestes : Date vestes omnibus servis Baal. Et dederunt. Cumque perscrutatus esset Jehu diligenter, ne quis deesset, vel alius interesset, dixit militibus suis. Ingredimini et percutite eos, nullus evadat. Et percusserunt eos, statuamque Baal comminuerunt, et destruxerunt templum ejus, et fecerunt pro eo latrinas, id est subterraneos cuniculos ad mundandas vias urbis. Et delevit Jehu Baal de Israel. Verumtamen a viis Jeroboam non recessit, et ait ei Dominus : « Quia fecisti quæ in corde meo erant contra domum Achab, filii tui, usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. » Et mortuus est Jehu et sepultus in Samaria, cum regnasset viginti octo annis, et regnavit pro eo filius ejus Joam, vel Joaham, vel Joachaz.

CAP. XVI. *De Athalia et Joas.*

Porro Athalia videns filium suum mortuum, et volens regnare interfecit omne semen regium in Jerusalem (*IV Reg.* XI). Erat autem Josaba, soror Ochoziæ ex patre et uxor Joiadæ] summi sacerdotis, quæ furata est Joas filium Ochoziæ lactentem, ne interficeretur, et abscondit eum septem annis in domo Domini; id est in domunculis hebdomadariorum. Anno autem septimo Joiada collegit centuriones, et principes levitarum, et milites, et ostendit eis secreto filium regis, et conjuraverunt omnes pro puero contra Athaliam, et quod puerum in Sabbato constituerent regem. Et fecerunt in hunc modum : Viginti quatuor erant summi sacerdotes, quorum unus in hebdomada vicis suæ habebat secum in ministerium viginti quatuor minores sacerdotes, et totidem cantores, et totidem janitores. Diluculo vero Sabbati pontifex, qui ministraverat, cum turma sua egrediebatur ad propria; pontifex vero, qui ministraturus erat ingrediebatur cum turma sua. Tunc autem Joiada pro ampliando exercitu retinuit egressuros, et recepit ingressuros, faciens ex eis duas turmas. Adjunxit quoque tertiam turmam de centurionibus, et levitis quos convocaverat, et intrans domum saltus et domum armorum, quam quondam fecerat David, dedit singulis arma, et præcepit egressuris, ut circumstarent regem in atrio interiori, et custodirent. Ingressuris vero dixit, ut ascenderent ad domum regiam, ne servi reginæ egredientes ex ea, unctionem regis impedirent. Sed hanc turmam divisit in tres partes, præcipiens ut una observaret excubias regis, id est porticus domus regiæ; alia pars observaret portam Seir, per quam ascendebatur de civitate in domum regiam, tertia pars observaret domum Messa, quæ dicitur porta Scutariorum, id est custodum regis, per quam de domo regia ascendebatur in templum. Tertiam vero partem, quam collegerat de centurionibus et levitis posuit ad custodiam atriorum templi ex omni parte. Tunc ipse cum reliquis sacerdotibus, et levitis et senioribus produxit filium regis, et unxit eum in regem, et imposuit super eum diadema, et testimonium, id est legem Dei dedit ei tenendam in manibus, ut cum ipso habitu regni, disciplina legis Dei servanda, committeretur. Athalia vero accurrens, scidit vestimenta sua, clamans : « Conjuratio! conjuratio! » Et eduxerunt eam centuriones extra septa templi per portam equorum, et interfecta est ibi, deduxeruntque regem per portam scutariorum, in palatium, et sedit super thronum regium. Et lætatus est populus terræ, quia absolverat Dominus opprobrium, ne regnaret mulier super eos, et destruxerunt templum Baal, arasque, et imagines quas fecerant Joram et Athalia. Matham quoque sacerdotem Baal occiderunt coram altari. « Septem annorum erat Joas, cum regnare cœpisset » anno septimo Jehu regis Israel, et quadraginta annis regnavit in Jerusalem, et fecit rectum coram Domino cunctis diebus Joiadæ sacerdotis.

CAP. XVII. *De gazophylacio.*

Erant autem in domo Domini ruinæ, non solum pro vetustate et negligentia, sed etiam quas fecerat Athalia, et de sanctificatis paraverat domum Baal. Præcepit itaque Joas sacerdotibus, ut instaurarent sartatecta domus recipientes oblationes prætereuntium, et quæ offerebantur pro pretio animæ, id est quæ dabant ituri ad prælium numerati (*IV Reg.* XII). Oblatio enim pro delicto, et pro peccato sacerdotum erat; quæ cum suscepissent sacerdotes, usque ad vicesimum octavum annum regis Joas, et non tamen instauraverunt sartatecta templi. Et iratus rex prohibuit sacerdotes ultra accipere pe-

Digitized by Google

cuniam. Josephus tamen dicit, quod per omnem regionem sumerent sacerdotes pro capite dimidium sicli. Quod videns Joiada populo non placere, cessavit, et ob hoc non fuerunt instauratæ ruinæ. Tunc Joiada fecit gazophylacium munitum aperto desuper foramine, et posuit illud ad dexteram ingredientium domum non longe ab altari. « Cumque appareret plurima pecunia in gazophylacio, scriba regis et pontifex effundebant eam, et dabant his qui præerant cæmentariis domus Domini. Et non fiebat cum eis ratio, sed in fide tractabant (*II Paral.* XXIV). » Nec fiebat ex pecunia illa vas aliquod in domo Domini, nisi de eo quod erat residuum sartatectis, ut legitur in Paralipomenon. Et mortuus est Joiada sacerdos, qui solus legitur post Moysen centum triginta annis vixisse, et sepultus est in civitate David, eo quod generi David reparavit imperium. Eo mortuo Joas a legitimis Dei declinavit, cujus exemplo etiam optimates vitiati sunt. Quem cum argueret Zacharias, filius Joiadæ', fecit eum lapidibus obrui inter templum et altare (*Matth.* XXIII). Ex tunc ut dicit Epiphanius non accepit populus in templo responsum manifeste, sicut prius, nec ex dabir'', nec ex ephod; rex autem non multo post pœnas exsolvit. Azael enim rex Syriæ, cum expugnasset Geth, ascendit in Jerusalem (*IV Reg.* XII). Joas vero misit ei thesauros domus Domini, et domus regiæ, non de absconditis tumulorum'''', et recessit ab eo. Cumque incurrisset Joas languorem pessimum, eo quod divinos honores sibi volebat impendi, ut dicunt Hebræi, « duo servi ejus percusserunt eum, et mortuus est, et sepultus in civitate David, non tamen in monumentis regalibus, et regnavit pro eo filius ejus Amasias. »

' *Additio* 1. Non moveat te, quod legitur in Evangelio « ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ (*Matth.* XXIII). » Forte Joiada binomius fuit. Vel ideo, quia Barachias interpretatur *benedictus Domini:* quod iste fuit.

'' *Additio* 2. Dabir enim dicitur lapis positus in rationali. Unde ex dabir, id est ex rationali, perpendebant utrum Deum haberent propitium, vel offensum. Vel dabir interpretatur *sermo*, et est sensus: Neque per sermonem, neque per signa loquebatur illis.

''' *Additio* 3. Omnes filii Zachariæ cum eo lapidati sunt, præter unum posthumum, qui postea dictus est Zacharias.

Incidentia.

Sub Joas duodecimus rex Latinorum Silvius Aremulus, qui præsidium Albanorum inter montes, ubi nunc Roma est, posuit. Hujus filius fuit Julius proavus Julii Proculi, qui cum Romulo Romam comminigrans, fundavit Juliam gentem.

CAP. XVIII. *De obitu Elisæi.*

Anno vicesimo tertio Joas regis Judæ, regnavit Joacham filius Jehu super Israel septem et decem annis, et ambulavit in viis Jeroboam. Et iratus Dominus contra Israel dedit eos in manus Hazael, et in manus Benadad filii ejus, et non sunt derelicti Joacham de populo, nisi quinquaginta equites, et decem currus et decem millia peditum (*IV Reg.* XIII). Et clamavit Joacham ad Dominum, et misertus Dominus dedit ei pacem in diebus ejus. Et mortuus est, et sepultus in Samaria. Et regnavit Joas filius ejus pro eo, anno tricesimo septimo Joas Regis Juda, et sedecim annis regnavit super Israel. Et ambulavit in viis Jeroboam, non tamen adeo quantum patres ejus. Elisæus autem ægrotabat, et descendit ad eum Joas rex Israel, et flens dicebat: « Pater mi, currus Israel, et auriga ejus. Et ait Elisæus: Affer arcum, et sagittas, et pone manum tuam super arcum. » Quo facto superposuit Elisæus manus suas manibus regis, et ait: « Aperi fenestram orientalem, et jace sagittam; et jecit. Et ait Elisæus: Sagitta Domini est contra Syriam; et percuties partem Syriæ, quæ est in Aphec, donec consumas eam. » Et sublato arcu cum sagittis dixit Elisæus ad regem. « Percute terram jaculo. Cumque percussisset eam tribus vicibus, et stetisset, iratus vir Dei ait. Si percussisses usque septies, toties percussisses Syriam; nunc autem tribus vicibus percuties eam. Et mortuus est Elisæus, et sepelierunt eum juxta Abdiam. Porro latrunculi Moabitæ venerant in terram eo anno. Quidam autem sepelientes hominem viderunt latrunculos, et timentes projecerunt cadaver in sepulcro Elisæi. Quod cum tetigisset ossa Elisæi, revixit homo. » Josephus tamen dicit latrones projecisse in Elisæi sepulcrum mortuum, quem ipsi videbantur interfecisse. « Mortuus est autem Hazael rex Syriæ, et regnavit pro eo filius ejus Benadad. » Cum quo dimicavit Joas rex Israel tribus egressionibus, et vicit eum, et tulit de manu ejus civitates quas tulerat Hazael de Israel juxta verbum Elisæi.

' *Additio* 1. Ex tunc æque vocabantur eodem nomine rex Juda et rex Israel.

CAP. XIX. *De Amasia, et Joas rege Israel.*

« Anno secundo Joas regis Israel', regnavit Amasias, filius Joas, in Jerusalem. Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et viginti novem annis regnavit. Nomen matris ejus Joiada de Jerusalem. Et fecit rectum coram Domino, juxta ea quæ fecit Joas pater ejus, nisi tantum hoc quod excelsa non abstulit, » subaudiendum est, uterque eorum (*IV Reg.* XIV). Nec enim Joas excelsa abstulit, sicut videtur littera sonare. Et interfecit servos, qui interfecerant patrem suum, non tamen filios eorum, propter legem Moysi, quæ dicit: Non morientur patres pro filiis, neque filii pro patribus' (*Deut.* XXIV). Collegit autem exercitum, ut Amalecitas, et Idumæos expugnaret, et conduxit a rege Israel centum millia armatorum, centum argenti talentis. Et cum esset in procinctu suasit ei propheta, ut dimitteret Israelitas, quia idola ferebant, et Deus daret ei victoriam. Et acquievit, licet graviter ferret, eo quod Israelitis mercedes præbuerat. « Et percussit Edom in valle Salinarum decem

Digitized by Google

millia, et apprehendit Petram » nobilem Arabiæ civitatem. Et vocavit eam Jectehel, quod sonat *auxilium Dei*. Josephus tamen dicit, vivos quos ceperat, eum adduxisse ad excelsam Petram Arabiæ, et illos ex ea præcipitavit. Idipsum quoque dicit Paralipomenon (*II Paral.* xxv) : nam fere in omnibus consonant Josephus et Paralipomenon. Tamen deos quos tulerat de Amalec postea adoravit, quia audivit eos dantes responsa, ideo perisse Amalec, quia negligentes fuerant in cultu eorum. Pro quo tali pœna percussus est. Elatus enim in superbia scripsit ad Joas regem Israel : Servi mihi, sicut patres tui servierunt David et Salomoni. Alioquin : « Veni, et videamus nos. » Quasi diceret : Pugnemus. Et rescripsit ei Joas in ænigmate : « Carduus Libani misit ad cedrum, dicens : Da filiam tuam filio meo in uxorem. Et indignantes bestiæ saltus conculcaverunt carduum. Elevat te cor tuum pro victoria. Cur provocas malum, ut cadas tu, et Judas tecum. » Et non acquiescente Amasia, congressi sunt juxta Bethsames, et fugit Judas coram Israel, et ligatus est Amasias, et comminabatur ei in mortem rex Israel nisi redderet ei Jerusalem. Qua tradita interrupit Joas murum Jerusalem a porta Ephraim, quæ dicitur porta Vallis, usque ad portam Anguli, quadringentis cubitis. « Et tulit aurum, et argentum, et vasa, quæ inventa sunt in domo Domini, et in thesauris regis, et obsides, et rediit in Samariam. Et facta est contra Amasiam conjuratio in Jerusalem. At ille fugit in Lachis, et miserunt post eum in Lachis, et interfecerunt eum ibi, et retulerunt illum in Jerusalem, et sepultus est in civitate David. Tulitque universus populus filium ejus Oziam, vel Azariam ante annos natum sedecim et constituerunt eum regem. »

* *Additio* 1. Quod homo nescit quantitatem peccati alicujus, ideo quantum ad examen humanum sufficit, ut quis pro suo moriatur delicto, secundum justitiam Dei : forte nec etiam mors filii, quandoque pro delicto patris.

Incidentia.

Sub Amasia tertius decimus rex Latinorum fuit Silvius Aventinus, et in eo monte, qui nunc pars Urbis est, mortuus et sepultus, æternum loco vocabulum dedit.

CAP. XX. *De Joroboam rege Israel, et Amos propheta.*

« Porro mortuus est Joas rex Israel, et sepultus in Samaria, et regnavit Jeroboam filius ejus pro eo anno quinto decimo Amasiæ regis Juda. Et regnavit in Israel quadraginta et uno annis, et ambulavit in viis Jeroboam filii Nabath, qui peccare fecit Israel, Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath, quæ est Antiochia, usque ad mare solitudinis, quod est mare Mortuum, juxta verbum Domini, quod locutus est per servum suum Jonam prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher. » vel Ophir, ad differentiam Geth, quæ est in Palæstina, et est nomen regionis (*IV Reg.* xiv). Quare non est legendum Ophel. Ophel enim est nomen turris nebulosæ, quæ non longe erat a templo. Hanc vastationem Syriæ per Jeroboam factam, non legimus in Jona, sed propter comminationem eversionis, quam prædicavit et scripsit, dicit Josephus eum prædixisse quod post brevissimum tempus Asiæ perderent principatum. Quod quidem per Jeroboam inchoatum est, sed post ea consummatum est, quando monarchia Assyriorum translata est ad Medos. Hac felicitate Jeroboam elatus, fecit malum coram Domino. Et missus est Amos Thecuites propheta de pastoribus, ubi pascebat gregem in Samariam, ut prædiceret eversionem domus Jeroboam, et calamitatem populi, dicens : « Hæc dicit Dominus : Consurgam super domum Jeroboam in gladio (*Amos* VII). » Et rursum. « Venit filius super populum meum Israel (*ibid.*). » Quod cum significasset Amasia, sacerdos Bethel, Jeroboam regi Israel, ex mandato regis prohibuit Amos ne ultra prophetaret in regno decem tribuum. Cum autem Amos nollet cessare, dicens se non esse prophetam, sed pastorem missum a Domino (*Amos* VIII), frequenter afflixit eum Amasias plagis. Tandem filius suus Ozias frequenter eum increpans, vectem per tempora transfixit, et semivivus relatus in terram suam, ibi mortuus est et sepultus. Et mortuus est Jeroboam, et regnavit pro eo filius ejus Zacharias.

CAP. XXI. *De Ozia, sive Azaria leproso rege Juda.*

« Anno vicesimo septimo Jeroboam regis Israel regnavit Ozias in Jerusalem duobus, et quinquaginta annis (*IV Reg.* xv). » Hieronymus tamen super Osee dicit eum cepisse regnare anno duodecimo Jeroboam. Et fecit quod placitum erat coram Domino, verumtamen excelsa non abstulit. Qui cum hostes debellasset, et Ammonitas feciset tributarios sibi, reædificavit muros in Jerusalem, quos destruxerat Joas rex Israel, eratque præcipue terræ cultor, et curam habebat circa plantationes, et semina fructuum diversorum. Cumque ditatus esset in substantia mortali, contra Deum immortalem agere nisus est. Nam in festivitate propitiationis indutus stola pontificali intravit in templum, ut incensum poneret, pontifice Azaria cum 80 sacerdotibus eum prohibente. Et factus est terræmotus, et claritas solis valde effulsit, et incidit in faciem regis, et percussus est lepra in facie. Ante civitatem vero sciesa est media pars montis ad occidentem, et devoluta est ita ut et vias clauderet, et regios hortos opprimeret. « Et habitavit seorsum urbem privatam degens vitam. Joathan vero filius ejus gubernabat palatium, et judicabat populum terræ. Et mortuus est Ozias, et sepultus in civitate David. » Josephus tamen dicit eum de regibus solum habere sepulcrum in hortis. « Et regnavit pro eo filius ejus Joathan, » sub Ozia rege Juda, et sub Jeroboam rege Israel cœpit prophetare Isaias, de quo plenius postea dicitur, et Osee de tribu Issachar ortus in Bethsaeth. Sed hic, ut

Digitized by Google

ait Hieronymus, prænuntians dedit signum : « Ve- A vius Proca, post quem decimus quintus rex Latinorum Silvius Amulius.

niet Dominus in terra, sicut quercus, quæ est in Silo, » etc., quod non legitur in Scriptura ejus secundum editionem nostram. Forte quod Hieronymus dixit signum, hoc Epiphanius dixit prodigium, dicens de Osee : « Et dedit prodigium, dicens : Veniet in terra Dominus, sicut quercus, quæ est in Silo cum ex semetipsa in duodecim fuerit partita, et factæ fuerunt ex ea totidem quercus. » Prophetavit autem contra decem tribus, pauca de duabus loquens. Et pronuntiavit historialiter Judæos in ultimo tempore ad Christum redituros. Tertium quoque diem Dominicæ resurrectionis prædixit. Hic in terra sua sepultus placida quiete dormivit. Sub eisdem quoque prophetavit Joel de tribu Ruben natus in agro Bethoron, qui descripsit terram duarum tribuum eruco, brucho, locusta et rubigine vastandam (*Joel* I). Prædixit quoque effusionem sancti Spiritus futuram super servos Dei, et ancillas, quod factum est in die Pentecostes. Hic in Bethoron in pace mortuus est et sepultus. Sub eisdem regibus prophetavit Abdias, ut quidam tradunt (*Abd.* I); sed secundum Hebræos verius est, quod ante eos prophetaverit : nam mortuus est ante Eliseum. Relicta enim uxor ejus per consilium Elisæi, liberata est a creditoribus, oleo superabundante. Fuit autem de terra Sichem de agro Bethamar. Quinquagenarius enim ille fuit, cui pepercit Elias, qui relicto obsequio regis, Eliæ discipulus factus est. Cujus sepulcrum, usque hodie cum mausoleo Elisæi, et Joannis Baptistæ in Sebaste veneratione habetur. Sub Jeroboam rege Israel prophetavit Jonas filius viduæ Sareptanæ, qui post reditum a Ninive, tempore famis, assumpta matre, gentium incola factus est. Nam et erubescebat esse in terra sua, dicens : Sic auferetur opprobrium meum, eo quod prophetans contra Ninivem mendax repertus sum (*Jon.* IV). Qui, transacta fame, rediit in terram Juda, et defuncta est mater ejus, et sepelivit eam juxta balneum Delboræ *. Hic prædixit signum eversionis Jerusalem, quod cum viderent lapidem luctuose clamantem, prope sit finis, et cum viderint in Jerusalem gentes universas, tunc tota illa civitas irrecuperabiliter everteretur Mortuus est et sepultus in spelunca unius judicis Israel, cujus sepulcrum monstratur in una urbium Geth in viculo quodam juxta Sephoron. Sub Ozia rege Juda terminata est monarchia Assyriorum. Nam Sardanapalius ultimus monarcha victus ab Arbace Medo, semetipsum concremavit, et tunc Arbaces monarchiam ad Medos transtulit, spe, nondum re : hoc enim fecit Darius, occiso Balthazar. Fuerunt tamen reges Assyrii, si non monarchæ, tamen potentes, usque ad subversionem Ninive, quam prophetavit Nahum.

* *Additio* 1. Genus palmæ est Delbora, vel quercus.

Incidentia.

Eo tempore Latinorum quartus decimus rex Sil-

Cap. XXII. *De Zacharia, Sellum, et Manahen.*

« Anno tricesimo octavo Oziæ regis Judæ regnavit Zacharias, filius Jeroboam, super Israel sex mensibus. Qui fecit malum coram Domino, sicut patres ejus, et percussit eum palam Sellum, filius Jabes, et regnavit pro eo (*IV Reg.* XV). » Et translatum est regnum Israel de domo Jehu in generatione quarta, juxta verbum Domini, et « regnavit Sellum uno mense in Samaria. Nam Manahen, filius Gaddi de Thersa, percussit eum in Samaria, et regnavit pro eo. Qui percussit Thapsam, et terminos ejus, eo quod concives sui noluerant aperire ei. Anno tricesimo nono Oziæ regis Juda regnavit B Manahen super Israel decem annis, et ambulavit in viis Jeroboam. In diebus ejus ascendit Phul rex Assyriorum in Thapsam, et dedit ei Manahen mille talenta argenti, ut recederet ab eo, et etiam esset ei in auxilium. Sumpsit autem Manahen quinquaginta siclos argenti a potentatibus, et divitibus terræ per singulos. » Inter hæc munera tradunt Hebræi, Manahen misisse vitulos aureos, qui erant in Dan et Bethel, sed non est verum. Sacerdotes enim dolo sustulerunt aureos vitulos, et absconderunt eos, et fecerunt æreos deauratos similes illis, quos misit Manahen regi Assyriorum. Qua fraude postea percepta, reges Assyriorum plurimum exarserunt contra Israel. « Et mortuus est Manahen, et C regnavit pro eo filius ejus Phaceia anno quinquagesimo Oziæ regis Judæ, et duobus annis regnavit in Israel. Nam Phacee, filius Romeliæ, chiliarchus ejus, interfecit eum in Samaria in convivio cum quinquaginta viris, et regnavit pro eo anno quinquagesimo secundo Oziæ regis Juda, et regnavit viginti annis in Israel. »

Cap. XXIII. *De initio captivitatis decem tribuum.*

« In diebus Phacee regis, Teglathphalasar rex Assur ascendit in Israel (*IV Reg.* XV). » Et est ambiguum an iste fuerit Phul, vel alius, et vastavit omnem regionem trans Jordanem, et captivas duxit duas tribus et dimidiam, vastansque Galilæam, de tribu Zabulon et Nephthalim*, nostos transtulit secum in Assyrios, qui possent dimidiæ tribui comD parari. Unde sæpe legitur quod tres tribus Israel captivaverit, et hoc fuit initium captivitatis decem tribuum. « Porro Osee filius Hela interfecit Phacee regem Israel, et regnavit pro eo. »

* *Additio* 1. De hac captivitate dictum est : « Primo tempore alleviata est terra (*Isai.* IX). »

Cap. XXIV. *De Joathan.*

« Anno secundo Phacee regis Israel regnavit Joathan filius Oziæ in Jerusalem viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit. Nomen matris ejus Jerusa, filia Sadoc. Et fecit bonum coram Domino, verumtamen excelsa non abstulit. Ipse ædificavit portam domus Domini sublimissimam (*IV Reg.* XV), » quam quidam putant turrim gregis. Hæc est quæ in Actibus apostolorum,

Digitized by Google

Speciosa dicitur (*Act.* III), ab Hebræis vocatur porta Joathan. Hæc sola remansit in eversione facta per Chaldæos. Hic devicit Ammonitas, et imposuit eis annuum tributum, talenta argenti centum et tritici decem millia coros, et totidem hordei. In diebus hujus, Rasin rex Syriæ, et Phacee rex Israel, cœperunt infestare regnum Juda. Sub Joathan exortus est prophetare Nahum de Ecelsæi, de tribu Simeon, contra Ninivem prædicens: Hæc dicit Dominus ad Ninivem: Exterminabo te, et nequaquam progredientes de te imperabunt mundo (*Nahum* II). Hieronymus dicit super Nahum, Herodotum dixisse, subversam Ninivem a rege Medorum tempore Josiæ. De eversione quoque finali Ninive prædixit Nahum, quæ facta est in hunc modum: Palus, quæ circumdabat eam, superinundavit eam, facto pariter terræ motu, et igne de sublimi emisso, de qua inundatione videtur in libro scripsisse ibi: « Inundans non faciet innocentem Dominus in tempestate, et turbine viæ ejus (*Nahum* I). » Tamen secundum aliam litteram legitur ibi: « Mundans non faciet innocentem. » Tamen librum suum scripsit post captivitatem decem tribuum sub Ezechia*, dum vastaretur terra Juda ab Assyriis, in quo plenius prophetavit de destructione Assyriorum in consolationem gentis suæ. Qui tandem mortuus est in terra sua in pace, et sepultus. Sub Joathan vidit Isaias Dominum sedentem**, et seraphim mundavit labia ejus. Sub eodem exorsus est prophetare secundus Michæas. « Et mortuus est Joathan rex Juda, et sepultus est in civitate David, et regnavit pro eo filius ejus Achaz. »

**Additio* 1. Quasi diceret: Quamvis fieret mentio libri sui sub Joathan, prius prophetavit quam scriberet.

***Additio* 2. Unde dicitur: Vidi Dominum sedentem super solium excelsum (*Isai.* VI).

Incidentia.

Sub Joathan olympias prima constituta est ab Eliensibus, Remus et Romulus generantur ex Marte et Ilia.

CAP. XXV. *De Achaz.*

« Anno decimo septimo Phacee regis Israel regnavit Achaz in Jerusalem. Viginti annorum erat cum regnare cœpisset, et sedecim annis regnavit, et ambulavit in via regum Israel. Nam et unum de filiis suis consecravit idolo (*IV Reg.* XVI), » trajiciens eum per ignem tophet* in valle Beennon, juxta Acheldemach. Fuit autem quidam filius Ennon cujus vallis illa erat, et ideo dicta est Beennon, id est filii Ennon. « Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, et Phacee rex Israel in Jerusalem, et obsederunt eam primo; » ut ait Josephus. Et congressus cum eis Achaz victus est, et occisus est filius ejus Zacharias, et multa millia cum eo, et captus est princeps militiæ ejus Dichaz [*al.* Dithram]. Cumque rediret victor rex Israel in Samariam cum magna multitudine captivorum occurrit ei quidam propheta Odida, vel Obedo, dicens eos non vicisse viribus propriis, sed propter iram Dei contra Achaz, arguens eos, quod contribules suos contraherent captivos, quos nisi remitterent paratus esset eis repentinus interitus. Tunc ad consilium Barachiæ, qui magnus erat in Israel, rex Israel exhibuit captivis magnam hospitalitatem, et liberos remisit ad propria. Porro secundo obsêderunt Jerusalem rex Syriæ et rex Israel. Cumque timeret Achaz nimis, confortavit eum Isaias, dicens: « Ne timeas ab his duabus caudis titionum fumigantium (*Isai.* VII). » Sed non credidit ei Achaz, nec voluit quærere signum a Domino, et misit nuntios ad regem Assyriorum Theglathphalasar, dicens: « Servus tuus sum ego: et ascende, et salvum me fac de manu regis Syriæ, et regis Israel. » Et intravit rex Assyriorum Syriam, et vastavit eam, et non rediit Rasin in Damascum. Rex autem Assyriorum cepit Damascum, et interfecit Rasin, et Damascenos transtulit in Cyrenen, quæ est versus Æthiopiam. Est enim alia Cyrene in Africa. Et occurrit ei Achaz rex Juda cum muneribus in Damascum. Cumque vidisset altare Damasci misit ad Uriam sacerdotem in Jerusalem exemplar ejus, ut exstrueret ei consimile. Quo facto cum rediisset Achaz, altare æneum transtulit a facie templi ad aquilonem, et super altare novum obtulit holocausta et pacifica. De altari vero æneo, ut tradunt quidam, fecit illud horologium famosum, de quo postea dicetur. Et præcepit sacerdotibus, ut deinceps super altare novum offerrent; et deposuit Achaz luteres, et mare æneum super pavimentum, ut eis nullus uteretur. Musach** quoque Sabbati, et ingressum regis reclusit in templo Domini, ut cum templo ea profanaret, ut sic placeret regi Assyriorum. Est autem musach gazophylacium regum, sicut corbonam sacerdotum. Ingressum quoque regis quidam dicunt locum, in quo rex adorabat, vel portam per quam ascendebat ad adorandum; quæ omnia obturavit Achaz, sicut et clauserat templum, ne intrarent sacerdotes. Sub eo vidit Isaias onus Babylonis, alia decem vidit sub Ezechia. « Et mortuus est Achaz, et sepultus in civitate David, et regnavit filius ejus pro eo Ezechias. »

**Additio* 1. Tophet dicitur a tophus, quod est lapis spongiosus, per cujus concavitates ignis egrediebatur, per quem trajiciebant parvulos suos, quos mundabant, sicut nos per aquam baptismi: qui ignis fuit in valle filii Ennon, qui etiam dicitur Gehenna, a *ge*, quod est *terra*, et Ennon.

***Additio* 2. Invenitur etiam dici Musach, illud in quo reponebantur sacrificia solemnium dierum, ut Sabbati corbonam, ubi votiva reponebantur; gazophylacium vero, in quo sacrificia aliorum dierum: et sic potes notare dupliciter horum trium acceptionem.

Incidentia.

Sub Achaz Roma condita est in monte Palatino, II Kalendas Maii, a gemellis Remo et Romulo. Anno ad urbe condita tertio, Remus occisus est rastro pastorali a Fabio duce Romuli; consularibus ludis Sabinæ virgines et mulieres raptæ sunt, et pulcherrima

Digitized by Google

virginum Thalamoni sorte data est duci Romuli. A Unde quia bene cesserat ei, locus nuptiarum exinde dictus est thalamus.

CAP. XXVI. *De captivitate decem tribuum.*

« Anno duodecimo Achaz regis Juda regnavit Osee super Israel novem annis. Fecitque malum coram Domino, sed non sicut patres ejus (*IV Reg.* VII). » Traditur enim dedisse licentiam Israelitis, ut ascenderent in Jerusalem ter in anno. « Contra hunc ascendit Salmanasar rex Assyriorum, et factus est ei Osee tributarius. Cumque deprehendisset rex Assyriorum quod Osee rebellare niteretur, per Susac regem Ægypti, cui munera miserat, obsedit eum, et vinctum misit in carcerem Ninive, et obsedit Samariam tribus annis, et cepit eam anno nono Osee, et sexto Ezechiæ, et transtulit Israel in Assyrios, » scilicet septem tribus quæ remanserant, « et posuit eos juxta fluvium Gozan ultra montes Medorum et Persarum. » In prima captivitate trium tribuum creditur captivatus fuisse Tobias, et mansit in Ninive, vel forte cum rege Osee ductus est in Ninive, cujus historia consummata est sub Manasse filio Ezechiæ. Sed nos tractabimus eam post finem libri Regum. Porro rex Assyriorum de diversis regionibus adduxit colonos in Samariam paucos primo, sed post ea Assaradon populavit terram, et habitaverunt in urbibus ejus*. Cumque essent de quinque longinquis regionibus, quinque idola portaverunt in Samariam, quæque regio suum. Et omnes prius vocati sunt Chutæi, a quibusdam potioribus inter eos, qui C venerant de regione Persida, quæ dicta est Chuta, a quodam flumine. Græci vero dixerunt eos Samaritas, qui et in Evangelio Samaritani dicuntur. Hebræi vocaverunt eos Jacobitas, quia supplantaverant Israelitas finibus suis. Qui cum venissent in terram Israel, immisit Dominus in eos leones, et interficiebant eos, et nuntiatum est regi Assyriorum, quod perirent coloni ejus, quia ignorabant legitima Dei Israel, et misit eis unum de sacerdotibus Israel, et legem Moysi inscriptam litteris antiquioribus. Et habitabat sacerdos in Bethel, et susceperunt circumcisionem, et legitima Dei Israel, nihilominus tamen deos suos in excelsis colebant. Unde quandoque Hebræos dicunt sibi propinquos, cum bene erat Hebræis; cum vero male, dicebant nihil sibi esse cum D Israel. Migraverunt autem decem tribus de Juda, post annos nongentos et quadraginta septem ab exitu de Ægypto. A divisione vero regni fluxerant anni ducenti quadraginta et menses septem, et dies septem secundum Josephum. Multi autem ex Israelitis confugerunt in regnum Juda, et multi absconderunt se in abditis, et latuerunt in gentibus circumstantibus. Qui post regressum regis Assyriorum redierunt ad propria, et habitaverunt cum Samaritis.

* *Additio* 1. Adhuc decem tribus ultra montes Caspios captivæ tenentur. Si quæ ergo de redita filiorum Israel ita dicuntur, sub Cyro vel sub Artaxerxe, de duobus tribubus intelligendum.

CAP. XXVII. *De Ezechia, qui fecit rectum, etc.*

« Anno tertio Osee regis Israel regnavit Ezechias Jerusalem. Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et viginti novem annis regnavit. Nomen matris ejus Abi de Jerusalem, filia Zachariæ, » posthumi Zachariæ lapidati (*IV Reg.* XXIV). Qui convocatis sacerdotibus et levitis aperuit templum primo anno, et primo mense regni sui, et vasa Dei reparavit, et restituit sacrificia interminsa. Ipse de consilio sacerdotum fecit phase secundo mense non in tempore suo, quia non potuit populus primo mense convenire in Jerusalem, nec sacerdotes purificati erant. Tamen tanta multitudo fuit, quod multi impurificati comederunt Pascha, et tanta copia victimarum, quod in multis levitæ suppleverunt officium sacerdotum. Et post Pascha solemnizaverunt B aliis septem diebus. « Hic dissipavit excelsa, et contrivit statuas, et lucos succidit, et confregit serpentem æneum, quem fecit Moyses, cui usque ad illud tempus filii Israel adolebant incensum, » et pulverem ejus sparsit in torrentem Cedron, « et vocavit nomen ejus Noestam, » quod interpretatur, ea *eorum*. Quasi dicat: Dicebatur deus, sed non erat. Scripsit quoque filiis Israel, ut redirent ad cultum Dei, quorum quidam nuntios ejus neglexerunt, quidam quosdam interfecerunt. Unde etiam postea, ut prædictum est, meruerunt captivari. Recessit quoque a rege Assyriorum ne serviret ei. « Ipse percussit Philisthæos, usque ad Gazam, et omnes terminos eorum, a turre custodum usque ad civitatem munitam, » id est præsidia et civitates. Anno decimo quarto regni Ezechiæ ascendit Sennacherib, rex Assyriorum, in terram Juda, et cepit civitates eorum, et misit ad eum Ezechias in locis, dicens: « Recede a me, et quod imposueris mihi feram. Et induxit ei rex Assyriorum trecenta talenta argenti, et triginta auri, et juravit quod non noceret ei. Cumque non invenisset Ezechias hanc summam in thesauris domus Domini et suis, recepit laminas auri, quas ipse affixerat in valvis templi. Cumque misisset regi Assyriorum prædictam pecuniam, irritum fecit Sennacherib jusjurandum, et misit ad obsidendum Jerusalem, Tharthan et Rapsacen, et castrametati sunt juxta aquæductum piscinæ superioris, quæ est in via agri Fullonis, et abstulerunt civibus aquam exterioris piscinæ. Cumque vocassent regem ad colloquium, noluit exire, sed misit ad eos Eliacim pontificem, et Sobnam scribam, et Joachin a commentariis, et loquebatur ad eos Rapsaces Hebraice, erat enim Samarites, ut quidam volunt. Fuerunt qui dicerent eum filium Isaiæ, qui transierat ad Assyrios, et susceperat ritum gentium, et factus erat chiliarchus, et ait: « Hæc dicit rex magnus Assyriorum ad te. O Ezechia, in quo confidis, ut audeas rebellare? Si confidis in rege Ægyptio, inniteris baculo arundineo. Si spem ponis in Deo tuo, nunquid dii gentium, et Deus Israel liberaverunt eos de manu mea? Si spem ponis in populo tuo: dabo tibi duo millia

Digitized by Google

equorum, nec poteris apud te invenire ascensores. » Et rogabant nuntii Rapsacem, ut loqueretur eis Syriace, et non Judaice, audiente populo, qui erat super murum. Tunc exclamavit Rapsaces etiam ad populum : « Hæc dicit rex magnus Assyriorum : Facite mecum quod vobis utile est, ne comedatis stercora vestra, et bibatis urinam vestram. Egredimini ad me, et utimini bonis vestris, donec veniam ad vos et transferam vos in terram, quæ est similis vestræ. » Cumque retulissent nuntii comminationes istas ad Ezechiam, scidit rex vestimenta sua, et opertus est sacco, et ingressus est domum Domini, et misit prædictos nuntios, et senes de sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam dicentes : « Hæc dicit Ezechias : Dies hæc, dies tribulationis nostræ est et increpationis divinæ. Ora pro reliquiis Israel, si forte Deus audiat blasphemiam Rapsacis, et vindicet (*IV Reg.* XIX). » Et respondit Isaias : « Hæc dicit Dominus Ezechiæ, noli timere. Ecce ego immittam regi Assyriorum spiritum, et audiet nuntium et revertetur in terram suam, et dejiciam eum gladio in terra sua. » Et recessit Rapsaces a Jerusalem, et invenit regem Assyriorum expugnantem Lobnam. Transivit autem rex ad pugnandam Ægyptum, ut triumphans rediret ad evertendam Jerusalem. Cumque obsedisset Pelusium, audivit Tharacam regem Æthiopiæ, cum multo exercitu venire in auxilium Ægyptiorum, et conturbatus rex dixit Tharacam esse sacerdotem Vulcani, et ideo non dimicaret cum eo. Et rediit in Judæam, et obsedit Jerusalem. Herodotus tamen aliam causam tradit reditus sui. Orante namque rege Ægyptiorum ad Deum, multitudo soricum in una nocte comedit chordas arcuum in castris ejus, et facti sunt Assyrii inermes, et dicit Rapsacem cum exercitu remansisse circa Jerusalem, et Sennacherib rediisse ad eum de Ægypto. Verumtamen ante reditum Sennacherib de Ægypto in Judæam, hæc facta sunt, quæ sequuntur.

Cap. XXVIII. *De signis trium annorum, quæ prædixit Isaias.*

Cum egrederetur Sennacherib Judæam, ut transiret in Ægyptum, misit Ezechiæ litteras terribiles, et comminationis plenas, dicens quod Deus Israel non posset eum liberare de manu sua. Tunc ascendit Ezechias in domum Domini, et expandens litteras coram Domino, oravit, dicens : « Domine Deus Israel, audi verba Sennacherib, quibus exprobravit te nobis, salva nos, obsecro, de manu ipsius. Tunc misit Isaias ad Ezechiam, significans ei verba hæc Domini ad Sennacherib in hunc modum : « Spernet te, Sennacherib, virgo filia Sion, movebit caput post tergum tuum cum fugeris; exprobrasti sancto Israel, viribus tuis ascripsisti quod vastasti Judæam. Sed ex diebus antiquis ego plasmavi illud, et nunc adduxi, » id est ego qui ab æterno disposueram, « quod sic flagellarem peccantes, nunc implevi, ego auctor fui, tu minister, ponam itaque circulum in naribus tuis sicut fit bubalo, et camum in labiis tuis sicut fit equo, et reducam te in terram tuam. » Tunc addidit Isaias verba sua ad Ezechiam, dicens : « Tibi autem, Ezechia, hoc erit signum liberationis tuæ. Tertio anno recedet a te Sennacherib, non rediturus. Ego autem prædico tibi quid facies hoc anno, et quid secundo, ut, cum videris impleta, scias verum esse quod prædixi de tertio. Comede hoc anno quod repereris, » vel secundum Isaiam, « quæ sponte nascuntur (*Isa.* XXXVII), » vel secundum LXX « quæ prius severas. » Imminente messione irruerant Assyrii et vastaverant segetes, vineas, et oliveta, sed quædam inter ungulas equorum calcantium evaserant. Unde dicunt LXX : « Comede quæ prius severas, » etiam de conculcatis quidam sponte germinaverunt. De quibus dixit Isaias : « Comede quæ sponte nascuntur. » Et jam cum præsciissent adventum Sennacherib, congregaverant sibi undecunque victualia, et reposuerant in Jerusalem, de quibus dicit hic liber Regum : « Comede quod repereris. Porro secundo anno comede quæ sponte nascuntur, vel, secundum Isaiam « pomis vescere (*ibid.*), » quod idem est. Secundo enim anno dum moraretur Sennacherib in Ægypto, quia defuerant eis prædicta victualia, multiplicavit eis Dominus abundanter, quæ sponte gignit humus. « Porro in tertio anno, » fugato hoste, « securi seminate, metite et comedite. Et tunc de Jerusalem egredientur reliquiæ, et quod salvatum est de monte Sion, et quod reliquum est de domo Juda mittet radicem deorsum, faciet fructum sursum. » Per simile arboris loquitur, quæ quanto profundius fudit radicem tanto copiosius et altius facit fructum. Et est sensus : Multitudo populi, quæ fugit de Judæa ante faciem hostium et recepit se in Jerusalem, ut servaretur, fugato hoste, redibit in terram suam, et populabit eam. Hoc audito Ezechias gavisus est, et de consilio Isaiæ et sapientium obturavit capita fontium extra urbem, et exitus aquarum in Judæa, ne redeuntes Assyrii invenirent aquarum abundantiam. Tunc obturavit Ezechias superiorem fontem aquarum Gehon, et avertit eas subter ad occidentem urbis David, ut influerent piscinam inferiorem. Fecit etiam ante fontem Siloe, quasi stagnum in quo colligerentur aquæ, et reservarentur civibus in usum obsidionis. Et secundum Epiphanium ad preces Isaiæ copiosius solito egressæ sunt aquæ de fonte Siloe. Hoc autem stagnum vocatur in Evangelio Natatoria Siloe (*Joan.* IX).

Cap. XXIX. *De fuga Sennacherib.*

Factum est autem post annum rediit Sennacherib ab Ægypto, et cum Judæam vastasset, tandem obsedit Jerusalem. Sed in eadem nocte angelus Domini percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia (*IV Reg.* XIX). Et timens Sennacherib fugit, cum decem viris, ut aiunt Hebræi, « et rediit in Ninivem. Cumque adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech et Sare-

Digitized by Google

sar filii ejus, percusserunt eum in gladio, et fugerunt in Ararath partem Armeniæ campestrem, et uberem ad radicem montis Tauri, per quem fluit Arraxes, » et regnavit filius ejus pro eo Assaradon : indignati erant majores filii in patrem, quod filium minorem natu præfecerat eis in regem, eo quod magis diligeret matrem illius, quam ipsorum. In hoc autem ostensus est Sennacherib nequior populo, quod parricidio filiorum est reservatus *. Porro Jerosolymitæ videntes stragem hostium, egressi sunt, et spoliaverunt castra. Spolia vero mortuorum tollentes excusserunt ex eis pulverem tantum; nam ignis divinus latenter eorum cadavera incineraverat.

* *Additio* 1. Aiunt Hebræi, caput et barbam rasa ab angelo in ignominiam, et impletum illud Isaiæ : « In die illa radet novacula conducta in rege Assyriorum caput et barbam. »

CAP. XXX. *De Ezechiæ ægrotatione, et de regressu solis.*

Ezechias autem post inopinabilem et incredibilem triumphum, licet, secundum Josephum, cum populo hostias Deo immolasset, non tamen digne gratias egit. Nam et animo elatus est, et canticum non cantavit, sicut in hujusmodi facere consueverant patres, et propterea « ægrotavit usque ad mortem, et venit ad eum Isaias, et ait. Hæc dicit Dominus : Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives (*IV Reg.* xx). Contristatus Ezechias, eo quod filium non haberet, non quod domum relinqueret desolatam, sed ne forte frustraretur in eo promissio facta David de Christo, conversus ad parietem flevit amare, forte ut secretius oraret, et ne adstantes lacrymas ejus viderent, vel forte ad parietem porticus templi erat, juxta quam cubabat, et quia in porticum ascendere non poterat ad orandum, saltem ad faciem ejus oravit, dicens : « Obsecro, Domine, memento quod ambulaverim coram te in veritate. » Quasi dicat : Et si nunc peccavi, parce, ne pereant apud te quæ feci coram te. Porro antequam egrederetur Isaias medlam partem atrii, dixit ad eum Dominus : « Redi, et dic Ezechiæ : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui. Audivi orationem tuam, et vidi lacrymam tuam. Ecce sanavi te, die tertio ascendes in templum. Diebus tuis addam quindecim annos; de manu regis Assyriorum, cujus reditum times, liberabo te, et urbem hanc, propter te, et propter David servum meum. » Hic apparet quia Manasses nondum natus erat, qui post mortem patris, cum regnare cœpisset, duodecim annorum erat. Et ait Ezechias : « Quod erit signum, quod Dominus sanabit me? Cui Isaias : Vis ut ascendat umbra decem lineis in horologio, an ut revertatur totidem gradibus? » Erat enim hora diei decima, et umbra gnomonis descendebat per decem lineas. Dedit ergo regi optionem signi, utrum vellet, quod sol staret per spatium decem horarum immobilis, vel rediret ad orientem, et iterum inchoaret diem; quodlibet autem istorum, si A fieret, adderentur duodecim horis diei decem horæ. Huic sensui consonat Hebræus dicens : « Vis ut stet umbra decem lineis, an ut revertatur? » In Isaia quoque de reditu solis ad ortum tantum agitur, et non de ascensu umbræ (*Isa.* xxxviii). Verumtamen super librum Regum sic exponitur. Vis ut ascendat umbra decem lineis procedente sole super terram per boreales plagas versus Orientem, sicut quotidie per noctem sub terra procedere solet, et sic completis decem horis, statim redeat ad locum, ubi nunc est, et perficiet diem istum? Et elegit rex, ut rediret sol ad Orientem. Si enim staret, alicui causæ naturali posset ascribi, vel forte quia jam alio tempore factum fuerat, sicut sub Josue, signum inauditum elegit. Et statim sol B stans in oriente, reversus est iterum per decem lineas, per quas jam descenderat *. Tunc fecit Isaias afferri massam ficuum, et cataplasmaverunt « super vulnus ejus. » Hebræus magis proprie dicit « super ulcus ejus. » Quidam suspicantur fuisse apostema, cujus sanies in cutis superficiem provocatur siccioribus ficis contusis. Porro Aquila, Symmachus et Theodotion regium morbum fuisse dicunt, cui quæque dulcia, vel sumpta, vel apposita contraria putantur. Et ita Dei potentia monstrata est, cum per res noxias sanitas restituta est. Et convaluit Ezechias, et tertia die ascendens in templum, ait : « Ego dixi, Domine, » id est dum ægrotarem, penes me cogitavi : « In dimidio dierum C meorum vadam ad portas inferi (*Isa.* xxxviii), » id est nondum suscepta sobole quam exspectabam, descendam ad inferos; et dum hoc cogitarem, « quæsivi » a te, orando, « residuum annorum meorum, » ut prius velles me patrem fieri quam anima mea priver. Huic cantico Ezechiæ præmittunt LXX titulum talem : « Oratio Ezechiæ regis Judæ, » sed melius est in Isaia : « Scriptura Ezechiæ regis Judæ. » Nam in hoc cantico narravit tantum quod cogitaverat, vel oraverat, dum ægrotasset, et non oravit in eo, nisi duobus verbulis tantum, ut ibi : « Domine, responde pro me, » et in fine « Domine, salvum me fac. »

* *Additio* 1. In Sacra pagina usus habet, ut progressus ab occidente ad orientem dicatur ascensus, D quod gressus in contrarium descensus. Ascensus autem iste solis dupliciter potest intelligi : vel quod gradatim, et solito motu puncto decimæ lineæ, in quo jam erat ad orientem reverteretur, et a puncto unde post ortum processerat in momento rediret ad punctum decimæ horæ, in quo nunc fuit; vel quod in momento ad primum punctum orientis rediret; inde gradatim ad punctum decimæ horæ reverteretur.

CAP. XXXI. *De morte Ezechiæ.*

« In illo tempore misit Merodach, filius Baladan, rex Babyloniæ, litteras et munera ad Ezechiam, » petens, ut socius ejus esset et amicus (*IV Reg.* xx). Nam eo tempore rex Medorum et rex Babyloniorum recesserant a monarchia Assyriorum sub Assaro-

Digitized by Google

dach, ne essent sub eo; præcipua tamen causa legationis hujus creditur hæc fuisse. Chaldæi vigebant in astronomia, nec poterant invenire, secundum artem suam, quare dies fere in duplum protensa fuerat, et tandem audierant hoc pro rege Hierosolymorum factum esse, et miserunt ad eum, ut scisitarentur rei veritatem. Præterea Chaldæi adorabant solem, et miserunt regi munera, ut honorarent hominem, quem honoraverat Deus eorum. Et lætatus est Ezechias in adventu eorum, et iterum elatus est in animo suo; nec fuit in domo sua, nec in omni potestate sua, quod non ostenderet eis, etiam domum aromatum; » quam quidam tradunt, fuisse cellam aromatum in templo Domini, in quam inducere gentiles nefas erat; secundum Epiphanium vero, domus erat longissima, quam fecit Salomon, juxta descriptionem patris sui, contra orientem Sion, et fecit occulti aditus compositionem longe a civitate, qua deprehendi ab universo populo nequiverat, pluribus quoque sacerdotibus ignota erat, illicque rex posuit aurum, et aromata, quæ adducta erant de Æthiopia. In ea post sepulcra regum, erant sepulcra pontificum, et postremo sepulcra prophetarum, hoc secretum David et Salomonis, Ezechias gentibus denudavit, et ossa paterna contaminavit ex præsentia profanorum. Et ab ipso die sterilis factus est. Porro cum abiissent legati, venit Isaias ad regem, et ait : « Quid dixerunt viri isti, et unde venerunt ad te. » Qui cum indicasset ei, quod quæsierant, dixit Isaias : « Hæc dicit Dominus : Ecce dies venient, et auferentur in Babylonem omnia quæ in domo tua sunt, et quæ absconderant patres tui. Sed et de filiis tuis erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. » Hoc impletum esse fabulantur Hebræi in Daniele, et sociis ejus, qui cum Joacim filio Josiæ capti sunt. Sed verius creditur eos eunuchos fuisse, non corpore, sed mente. Et respondit Ezechias : « Bonus est sermo Domini. Sit pax et veritas in diebus meis. Et dormivit Ezechias cum patribus suis. » Et celebravit exsequias ejus universus Juda, et sepelierunt eum super sepulcra filiorum David, id est eminentius sepulcrum cæteris fecerunt ei causa pietatis, quia coluit Deum. Ipse enim sic commendatur in libro Regum : « Non fuit similis ei, neque ante eum, neque post eum de cunctis regibus Juda (*IV Reg.*). » In hoc excipitur David, quia nondum erat sub eo regnum Juda. Si quæritur de Josia, dicimus quod Josias melior fuit eo; sed iste præponitur ei in hoc, quod magnificatus est præclaris bellorum titulis, et quod tria inaudita fecit Dominus pro eo, regressum solis, additionem annorum, stragem hostium per angelum.

Incidentia.

In diebus Ezechiæ Syracusa et Cathina in Sicilia conditæ sunt. Romulus milites ex populo sumpsit quasi ex mille unum. Cures, qui sub Statio rege Sabinorum, Romulo favebant, quirites appellavit, centum elegit senes, quos appellavit patres. Romulus apud paludem Capreæ nusquam comparuit, et, sua lecte Lucio, Quirini nomine consecratus est. Post Romulum senes prædicti, singuli per quinos dies, rem publicam rexerunt per annum fere et dimidium. Quod regnum appellatum est inter tempus. Tunc secundus a Romulo regnavit Numa Pompilius, qui prædictos senes senatores appellavit. Hic primus congiarium militibus dedit, id est imperialem largitionem in sui promotione; Januarium et Februarium anno addidit, fundamenta Capitolii fecit. Sibylla Erythræa claruit.

CAP. XXXII. *De Manasse et morte Isaiæ.*

« Post Ezechiam regnavit Manasses filius ejus pro eo; duodecim annorum erat cum regnare cœpisset, et quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem, et fecit malum coram Domino. Ædificavit enim excelsa, quæ dissipaverant patres ejus, et erexit aras Baal, et lucos, et exstruxit altaria militiæ cœli in duobus atriis templi, et posuit idolum luci in templo Domini, et traduxit quemdam filium suum per ignem Tophet; ariolos, augures, pythones, et aruspices multiplicavit, et errare fecit Judam in viis gentium (*IV Reg.* XXI). » Cumque arguerent eum prophetæ missi a Domino, nemini eorum parcebat, sed plateas Jerusalem prophetarum sanguine purpuravit. Insuper aliorum sanguinem innoxium fudit multum nimis, donec impleret Jerusalem, usque ad os. Isaiam quoque avum maternum, secundum Hebræos, vel affinem suum, ejectum extra Jerusalem circa piscinam Siloe serra lignea per medium secari fecit. Qui dum in principio sectionis angustiaretur, petiit sibi dari aquam, ut biberet, et cum nollent ei dare, Dominus de sublimi misit aquam in os suum, et exspiravit, nec tamen carnifices destiterunt a sectione. Et ob hanc aquæ missionem confirmatum est nomen Siloe, quod interpretatur missus, nec sepelierunt eum in sepulcro prophetarum, sed sub quercu Rogel juxta transitum aquarum, quem fecerat Ezechias in memoriam miraculi, quod fecerat Dominus in aquis illis ad preces Isaiæ. Tradit enim Epiphanius quod, dum Sennacherib rediret ab Ægypto, præmisit exercitum ab obsidendam Jerusalem, qui castrametatus est circa piscinam Siloe, ut aquis ejus uterentur. Eratque piscina quasi communis; nam et cives ad eam descendere poterant, et hostes. Orans autem Isaias obtinuit a Domino ut, cum egrediebantur cives, erant ibi aquæ sicut prius. Cum vero accedebant hostes siccabantur aquæ prorsus, ita ut mirarentur Assyrii, unde essent aquæ in urbe. Porro in jugem memoriam hujus facti, adhuc aquæ Siloe non jugiter, sed incertis horis ebulliunt. Cumque in propria persona accessisset Sennacherib, facta est strages supradicta in exercitu ipsius. In tantæ rei memoriam populus gloriose prophetam sepelivit in loco prædicto, ut etiam orationibus ejus, post mortem, indesinenter hujus aquæ beneficio potirentur. Aliqui libri habent in hoc loco orationem Manasse, quam ponitur in fine secundi Paralipomenon, ideo non habet necesse

Digitized by Google

hic poni, cum etiam plura exemplaria eam in hoc loco non contineant.

CAP. XXXIII. *De morte Manasse.*

Immisit ergo Dominus adversus Manassen regem Babyloniorum, qui depopulatus est Judam ; et Manassen dolo captum traxit in Babylonem, et pluribus afflixit tormentis (*II Psal.* XXXIII). Et intelligens Manasses hanc esse manum Domini, egit pœnitentiam, et intente oravit ad Dominum, et misertus Dominus reduxit eum in regnum suum. Qui cum venisset Jerosolymam delevit idola, lucos, et aras, quæ fecerat, ita ut in memoriam priorum nihil superesset. Et restituit cultum Domini, sicut prius, et populum idipsum docuit ; et sic a priori conversatione mutatus est, ut non sine grandi admiratione vitam ageret beatam. Muros quoque civitatis, et turres, et antemuralia multa munitione firmavit. « Et mortuus est Manasses, et sepultus est in horto domus suæ in horto Azam, et regnavit Amon filius suus pro eo (*IV Reg.* XXI). »

Incidentia.

In diebus Manassæ Sybilla Erophila claruit in Samo ; unde et Samia dicta est. Partheni Tarentum condiderunt. Galarphus de Chio insula primus ferri glutinum intra se excogitavit. Tertius Romanorum rex Tullius Hostilius. Hic primus regum romanorum purpura, et fascibus usus est. Qui post longam pacem bellare paravit Albanos, Vegetes, Fidenates vicit, adjecto monte Cœlio ampliavit urbem. Tandem cum domo sua fulmine conflagratur.

CAP. XXXIV. *De Amon et Josia.*

« Porro viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset, et duobus tantum annis regnavit in Jerusalem (*IV Reg.* XXI). » Tamen LXX dicunt duodecim. « Qui fecit malum coram Domino, sicut pater suus in juventute sua fecerat, et tetenderant ei insidias servi sui, et interfecerunt eum in domo sua. Populus autem percussit eos, qui interfecerunt regem, et sepelierunt eum cum patre suo, et statuerunt sibi regem Josiam filium ejus pro eo. Octo annorum erat Josias cum regnare cœpisset, et triginta unum annos regnavit in Jerusalem, et ambulavit per omnes vias David patris sui. Non declinavit ad dextram, neque ad sinistram (*IV Reg.* XXII). Qui in quarto regni sui anno, erat ei duodecim ætatis, ut dicit Josephus, pietatem, et justitiam mirabilem in se jam demonstrabat. Nam populum jam revocabat ab idololatria; et opera prava velut senior emendabat. Porro anno regni sui octavo omnem civitatem et provinciam a cultu idolorum purgavit, ut nullum vestigium idololatriæ superesset. Scrutabantur etiam domos, ne quid latenter remaneret suspectum, et in unaquaque causa justitiam coluit tanquam animæ suæ medicinam. Misitque in totam provinciam ut deferrent ad reparationem templi munera pro sua voluntate unusquisque *, et præposuit huic operi Helciam sacerdotem magnum et Amasiam, qui erat supra civitatem, et Saphan scriba : et facta est reparatio templi fideliter et indilate.

* *Additio* 1. Hieronymus in Paralipomenon dicit, arcam eductam de templo in diebus Achaz pro idolis positis in eo, et fuit in domo Sellum patrui Jeremiæ, patris Ananeel, viri Oldæ, qui habitabat in secunda muri mansione, usque ad Josiam.

CAP. XXXV. *De sancto propheta Jeremia.*

Anno decimo tertio regni Josiæ exorsus est prophetare Jeremias, filius Helciæ, de sacerdotibus Anathot, in terra Benjamin, tertio ab urbe miliario. Et prophetavit, usque ad eversionem urbis quinquaginta annis, et uno anno, præter illud tempus, quo in Ægypto prophetavit in Tannis. Et cum puer esset, dixit ei Dominus : « Prophetam in gentibus dedi te. Qui cum dixisset : A, a, a, Domine, nescio loqui, quia puer ego sum, misit Dominus manum suam, et tetigit os ejus, et ait : Ecce dedi verba mea in ore tuo (*Jer.* I). » Ex tunc licet esset adolescens cœpit prophetare et prædicare, mane consurgens, et frequens stans in porta domus Domini, et in atriis templi, et ostendit ei Dominus signa eversionis Jerusalem, quam prædicabat. Primo significavit ei auctorem illius eversionis Deum. Ostendit enim ei quasi furem vigilantem cum virga, ut damnificaret dormientes. Sic enim Dominus jam vigilabat ad percutiendum populum suum. Secundo vero signo ostendit ei Dominus quo ministro ad hoc uteretur per ollam succensam a facie aquilonis, et ait : « Ab aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores hujus terræ (*ibid.*), » id est a Chaldæis, qui juxta situm Jerusalem ab aquilone venerunt. Has duas visiones vidit sub Josia. De tertia incertum est. Verius enim putatur quod sub aliis regibus vidit eam, sicut cætera quæ sequuntur. In tertia enim visione ostendit ei Dominus causam eversionis, nec fuit hæc visio imaginaria sed corporalis. « Præcepit enim Dominus, ut tolleret lumbare suum, et absconderet illud super Euphratem. Et post multos dies ex mandato Domini revertens, invenit illud putrefactum, et nulli usui aptum, et ait ei Dominus : Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi domum Israel, et domum Juda ; sed quia recesserunt a me, fornicando post deos alienos, quasi putrefient trans Euphratem captivati (*Jer.* XIII). » Reliqua Jeremiæ locis suis tractabimus.

CAP. XXXVI. *De inventione Deuteronomii.*

Porro octavo decimo anno regni Josiæ, præcepit Josias Helciæ, ut residuum pecuniæ, quæ oblata fuerat ad templi reparationem constaretur, et fierent inde vasa ad ministerium Domini. Cumque Helcias omnia diligenter scrutaretur, invenit librum Moysi in templo. Forte aperuit arcam, et invenit Deuteronomium, quem Moyses reponi fecerat in ea, et misit eum regi per manum Saphan. Qui cum legisset coram rege, scidit rex vestimenta sua (*IV Reg.* XXII). » Audivit enim maledictiones scriptas in transgressores legis, et crebras comminationes Dei. Quod si sequerentur idola, ejiceret eos de terra.

Digitized by Google

quam dederat eis, sicut ejecerat Amorrhæos a facie eorum. Et mirabatur quod adhuc esset in terra, et verebatur imminere captivitatem. « Tunc præcepit Helciæ, et viris prudentibus, ut consulerent Dominum super se, et super populum suum. Qui descenderunt ad Holdam prophetissam, uxorem Sellum, quæ habitabat in Jerusalem in secunda, » id est secundo ambitu muri, quem fecerat Ezechias, de quo dixit Sophonias : « Et ululatus a secunda parte (*Sophon.* I), » scilicet quia pars secundo muro circumdata prius capta est. Forte non invenerunt Jeremiam, vel potius nullius adhuc momenti erat. Et respondit Holda : « Hæc dicit Dominus : Ecce adducam mala, quæ scripta sunt in libro legis super locum hunc, et habitatores ejus, qui irritaverunt me in cunctis operibus manuum suarum. Succendetur indignatio mea, et non exstinguetur. Regi autem, qui misit vos dicetis : Hæc dicit Dominus : Pro eo quod audisti verba voluminis, et perterritum est cor tuum, et humiliatus es, differentur hæc mala, nec fient in diebus tuis, et colligam te ad patres tuos in pace. » Quod non est intelligendum de pace ipsius regis : ipse enim occisus est a Pharaone ; sed de pace populi, id est priusquam inferret populo quæ comminatus fuerat. His auditis, mittens rex in omnem provinciam congregavit omnem populum in Jerusalem (*IV Reg.* XXIII), et stans super gradus, legit, cunctis audientibus, omnia verba libri, et percussit fœdus coram Domino, et compulit omnes sacramenta præstare, ut leges Mosaicas per omnia custodirent. Et delevit aruspices, et maleficos omnes, et omnia vestigia idololatriæ redegit in pulverem. Etiam vestigia quædam serpentis ænei, quem comminuerat, sive contriverat Ezechias. Ob hoc in prologo Sophoniæ legitur Josias contrivisse eum, et contaminavit excelsa, et valle Topheth et ignem Moloch. Forte ossa mortuorum ubique sparsit, vel quælibet alia immunda, ut potius abominabilis, quam venerabilis locus appareret. Equos quoque solis, et currus, quos depinxerunt reges Judæ in introitu templi, juxta exedram Nathanmelech eunuchi penitus destruxit. Fecerant ibi Judæi idolum solis, quasi puerum imberbem, quia nullum patitur senium, sed quotidie renovatur. Fecerant et ei equos, et currum, putantes quod in hunc modum Eliam transtulisset. Et ascendens rex in Bethel super altare, quod fecerat Jeroboam, combussit ossa sacerdotum, et falsorum prophetarum, eruta de sepulcris excelsorum, juxta verbum Abdon prophetæ, cujus titulum cum legisset in sepulcro, præcepit ne moverentur ossa ejus, nec etiam illius cum quo sepultus erat. Idipsum fecit in excelsis Samariæ, et in urbibus Manasse, et Ephrain, et Simeon, usque in Nepthalim, ossa de tumulis excelsorum eruta, super altaria comburens, et tam ossa quam altaria in pulverem redigens. Hoc prædictum erat de Josia ante annos trecentos sexaginta et unum. Et reversus in Jerusalem fecit Phase convocans ad illud etiam filios Israel, qui captivitatem Assyriorum aliquo modo effugerant, vel etiam de captivitate aliquo casu redierant. Et traditur de his habuisse ad undecim millia Nathinnæorum. « Non est factum Phase tale a diebus judicum. » In Paralipomenon legitur « a diebus Samuelis (*II Paral.* XXXV), » quod posset dici vitio scriptorum factum, et scriptum esse Samuel pro Salomonis, nisi idipsum in Josepho legeretur. Potest ergo intelligi quod Samuel fecerit Phase, etsi in historia non legatur. Quod autem judices fecerunt Phase, certum est, quoniam Moyses et Josue judices fuerunt, et factum est hoc Phase in Jerusalem decimo octavo anno regni Josiæ.

Cap. XXXVII. *De morte Josiæ*

« In diebus ejus ascendit Pharao Nechao rex Ægypti contra regem Assyriorum (*IV Reg.* XXIII). » Audierat enim eum jam debilitatum, quia Medi, et Babylonii a monarchia ejus recesserant, et æstimabat quod de facile posset obtinere Syriam. Primo aggressus erat regem ad Remon, qui regnabat tunc in Carchamis. Descendit ergo Josias in occursum ejus, prohibens ne transitum faceret per Judæam, et misit Pharao ad Josiam dicens : « Quid mihi et tibi, rex Juda ? non adversum te venio, ad Euphratem propero. Mittit me Deus ad Medos ; sine me, ne Deus qui mecum est, interficiat te. Et non acquievit Josias, sed cum rege ad Remon componebat acies, ut dimicarent adversus Pharaonem. Et forte dum transisset a curru in currum, qui sequebatur eum more regio, occisus est a sagittariis in campo Mageddon, et planxit eum inconsolabiliter ad Remon rex cum exercitu suo. Unde et illud dictum est : Erit planctus, sicut planctus ad Remon. Traditur autem quod juxta arborem, et fontem occisus fuerit, quæ statim aruerunt, et relatus est in Jerusalem, et sepultus est in mausoleo patrum suorum. Et planxit eum universus Juda in Jerusalem, et maxime Jeremias, qui super exsequias ejus scripsit Threnos lamentabiles : Quomodo sedet sola civitas, » etc., quibus utebantur cantores, et cantatrices super exsequias Josiæ. Et longis temporibus in Judæa super Josiam eos replicabant. Quibus postea superaddidit idem Jeremias alias lamentationes super excidio civitatis.

Incidentia.

In diebus Josiæ quartus Romanorum rex Ancus Marcius, Numæ nepos ex filia, Adventinum montem et Janiculum urbi addidit. Supra mare sedecimo ab Urbe milliario civitatem Ostiam condidit, oraculo Dodonæo primum Græcia usa est. Quintus Romanorum rex Tarquinius Priscus, qui circum Romæ ædificavit, muros, et cloacas, et Capitolium exstruxit, ludos Romanos instituit. Arion a delphino in theatrum deportatus est.

Cap. XXXVIII. *De Joakim, vel Joachas.*

Reliquit autem Josias tres filios, Eliacim, qui et Jechonias, primogenitum, viginti quinque annorum, medium autem Joachaz, qui et Sellum dictus est, viginti trium annorum ; et tertium Mathaniam,

Digitized by Google

circiter octo annos (*IV Reg.* xxiii). Tulit populus A terræ medium filium Joachaz, et constituit eum regem pro patre suo; qui tribus mensibus tantum regnavit in Jerusalem. Nam, ut dicit Paralipomenon, veniens Pharao Nechao rex Ægypti in Jerusalem, amovit eum, et imposuit mulctam terræ centum talenta argenti, et unum auri, et constituit regem pro eo fratrem ejus primogenitum Eliacim sibi tributarium (*II Paral.* xxxvi). Et mutato nomine vocavit eum Joakim, ut mutatio nominis esset signum subjectionis, et duxit secum Joachaz in dolo, sub spe honorandi eum in Ægypto. Nam cum venisset in Reblata vinxit eum, et ligatum misit eum in carcerem in Ægypto. « Porro Joakim viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem, et fecit ma- B lum coram Domino juxta omnia quæ fecerant patres ejus. » Cumque argueret eum Urias propheta, comminatus est ei valde, et fugit Urias in Ægyptum. Et misit post eum Joakim, et reduxit eum, et morte turpissima interfecit eum. Anno quarto regni Joakim cœpit regnare in Babylone Nabuchodonosor, qui victo rege Ægypti, tulit omnia, quæ ejus fuerant, a rivo Ægypti usque ad flumen Euphratem, et transiens Euphratem, omnem Syriam usque ad Pelusium cepit, præter Judæam (*IV Reg.* xxiv). Porro anno quarto Joakim, locutus est Jeremias ad omnem populum Juda, et ad cives Jerusalem dicens: « A tertio decimo anno Josiæ locutus sum vobis verba Domini, et hodie est vicesimus tertius annus, C et non audistis me. Propterea hæc dicit Dominus: Adducam servum meum Nabuchodonosor super terram hanc, et super omnes nationes, quæ in circuitu ejus sunt, et servient regi Babylonis septuaginta annis. Cumque impleti fuerint anni septuaginta visitabo super regem Babylonis, et super terram Chaldæorum iniquitates eorum, et ponam illam in solitudines sempiternas (*Jer.* xxv). » Et mirabantur quod tam audacter loqueretur. Nam et in principio regni Joakim cum staret in atriis templi, et dixisset: « Hæc dicit Dominus: Dabo domum hanc sicut Silo, et urbem hanc dabo in maledictionem, apprehenderunt eum sacerdotes et prophetæ, et omnis populus dicentes: Morte moriatur. Et ascenderunt de domo regis principes Juda, et sede- D runt in porta domus Domini, et accusabant Jeremiam sacerdotes et prophetæ. Qui respondit: Misit me Dominus, ut prophetarem adversum locum istum. Ecce in manibus vestris sum, facite, quod rectum est in oculis vestris (*Jer.* xxvi). » Et liberaverunt eum principes a manibus populi, et maxime Aicham, filius Sapham, dicens quod Michæas in diebus Ezechiæ similia prædicasset, et multi prophetæ in diebus regum, nec aliquid a regibus perpessi sunt, sed honorati. Clauserunt tamen principes Jeremiam, ne publice prædicaret. Dixitque tunc Dominus ad Jeremiam: « Tolle volumen, et scribes omnia verba quæ locutus sum tibi adversus Judam, et alias gentes a diebus Josiæ usque ad diem hanc, et convocavit Jeremias Baruch filium Neriæ, et scripsit Baruch ex ore Jeremiæ omnes sermones Domini, et dixit ad eum Jeremias: Clausus sum nec valeo ingredi domum Domini. Ingredere ergo tu, et lege, quæ scripsisti in die jejunii, audiente populo, et universis, qui veniunt de civitatibus suis. Et fecit Baruch, sicut præceperat ei Jeremias, sæpe legens in domo Domini. Factum est autem in anno quinto Joakim, in mense nono prædicaverunt jejunium omni populo in Jerusalem, et universis qui fluxerant de Juda. Et legit Baruch sermones Jeremiæ in introitu portæ novæ domus Domini. Quod cum audisset filius Gamariæ Michæas, descendit ad principes et seniores domus regis, qui sedebant in gazophylacio scribæ. Qui cum nuntiasset eis, quæ audierat, advocaverunt ad se Baruch. Qui cum legisset omnia verba coram eis, obstupuerunt, et dixerunt ei: Abscondere tu, et Jeremias, et nemo sciat ubi sitis. Et ingressi sunt ad regem, qui sedebat in domo hiemali mense nono et posita erat arula coram eo plena prunis. Cumque legisset Judi filius Nathaniæ, tres paginas vel quatuor, scidit rex volumen scabello scribæ, et projecit in ignem donec consumeretur. Quibusdam tamen contradicentibus, præcepit rex servis suis, ut comprehenderent Baruch et Jeremiam; Dominus autem abscondit eos. Et dixit iterum Dominus ad Jeremiam: Scribe rursum in volumine omnes sermones, quos combussit Joakim, et superaddes plures, et præcipue ea quæ dixit Dominus contra Joakim. Non erit ex eo, qui sedeat super solium David, et cadaver ejus projicietur ad æstum per diem, et ad gelu per noctem (*Jer.* xxxvi). Non plangent eum, vel frater, vel soror, » id est non plangent eum frater et soror, dicentes: « Væ; non concrepabunt ei: Væ, domine, et Væ, inclyte. Sepultura asini sepelietur, putrefactus, et projectus extra portas Jerusalem (*Jer.* xxii). »

CAP. XXXIX. *De Nabuchodonosor, et morte Joakim.*

Factum est autem in anno septimo Joakim, ipse est quartus annus Nabuchodonosor, ascendit Nabuchodonosor in Judæam, et depopulabatur eam (*IV Reg.* xxiv). Rechabitæ autem, qui habitabant in tabernaculis seorsum ab omnibus, timentes ascenderunt in Jerusalem, ut salvarent animas suas. « Et dixit D Dominus ad Jeremiam: Vade et introduces omnes Rechabitas in unam exedram thesaurorum juxta domum Domini. Et introduxit eos in gazophylacium filiorum Hanon, et posuit coram eis scyphos, et calices plenos vini dicens: Bibite vinum. Qui responderunt: Non bibemus, quia Jonadab, filius Rechab, pater noster, præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum, vos, et uxores vestræ, et filii vestri, usque in sempiternum; domum non ædificabitis, sementem non seretis, vineas non plantabitis, in tabernaculis habitabitis cunctis diebus, ut vivatis multis diebus super terram, in qua peregrinamini. Tunc ait Dominus ad Jeremiam: Dic habitatoribus Jerusalem: Hæc dicit Dominus: Nunquid non accipietis disciplinam, ut obediatis mihi sicut Recha-

Digitized by Google

bitæ patri suo? Propterea inducam super vos mala, quæ locutus sum; de stirpe vero Rechab non deficiet vir, stans in conspectu meo (*Jer.* xxxv). » Porro cum venisset Nabuchodonosor in Jerusalem, cepit Joakim, et ligavit eum, et trahebat secum in Babylonem, et nobiles cum eo. In itinere vero imposuit ei Nabuchodonosor tributum, et remisit eum in Jerusalem, sed obsides traxit secum pueros de semine regio, Danielemque, et tres pueros, et servivit ei Joakim tribus annis. Sed cum audisset quod rex Ægypti iterum pugnare vellet contra Nabuchodonosor, negavit ei tributum quod promiserat. Et ascendens rex Babylonis in Jerusalem, sub jure fœderis intravit eam. Sed cum intrasset, fidem non servavit, sed juvenes fortissimos quosque occidit una cum rege Joakim, quem et ante muros in sepulcrum projici jussit. Et quia non servaverunt ei fidem hostes, ideo forte liber *Regum* vocat eos latrunculos, dicens: Et immisit Dominus in Joakim latrunculos Chaldæorum, et Syriæ, et Moab, et Ammon, ut disperderent eum juxta verbum Domini (*IV Reg.* xxiv). Nam stigmata sunt inventa in corpore occisi contra legem, id est nomen idoli, quod colebat Codonazer. Et constituit Nabuchodonosor filium ejus regem Joakim, æquivocum scilicet patri, dictum Jechoniam. « Octo decem annorum erat Joakim cum regnare cœpisset, et tribus tantum mensibus regnavit, et decem diebus. » Nam cum recessisset Nabuchodonosor, timuit ne Joakim memor necis paternæ adhæreret Ægyptiis, et pugnaret adversus eum, et ideo rediit, et obsedit Jerusalem. Sed ad vocem Jeremiæ « egressus est Joakim ad eum cum matre, et omni domo sua, et principibus ejus. Et suscepit eos rex Babylonis anno octavo regni sui, et tulit universa vasa aurea de domo Domini, et thesauros domus regiæ, et transtulit in Babylonem cum rege, et matre ejus. » De domo circiter duo millia, de principibus et viris robustis septem millia artifices, et inclusores mille, in summa quasi decem millia, inter quos erat Mardechæus, et Ezechiel adhuc juvenis de genere sacerdotum. Videtur tamen Josephus velle, quod jam duos libros scripserat de futuro urbis excidio, quos reliquit in Judæa. Isti quia sponte se tradiderunt, proprie dicti sunt transmigratio Judæ. Alii vero, qui postea per violentiam tracti sunt, proprie dicuntur captivitas Judæ. Ab hac transmigratione Judæ, scilicet ab octavo anno regni Nabuchodonosor, quidam inchoant numerare septuaginta annos captivitatis.

Cap. XL. *De Sedecia.*

« Et constituit Nabuchodonosor regem in Jerusalem patruum Joakim Mathaniam (*IV Reg.* xxiv), » ut serviret ei sub tributo, interposita religione jurisjurandi, et mutato nomine « vocavit eum Sedeciam. Tricesimum primum ætatis annum agebat Sedecias cum regnare cœpisset, et undecim annis regnavit in Jerusalem, et fecit malum coram Domino, sicut Joakim frater ejus. » Erat enim superbus, cogitans ut adhæreret regi Ægyptiorum, et non servaret jusjurandum regi Babylonis. Decipiebant autem eum pseudoprophetæ dicentes in proximo Babylonios vincendos ab Ægyptiis. Cumque diceret ei Jeremias, ut spem poneret in Domino, et non in homine, dixit ad eum Dominus: « Descende in domum figuli, et ibi audies verba mea. Et descendit. Et ipse figulus faciebat opus super rotam, et dissipatum est vas in manibus ejus, et conversus fecit de eodem luto alterum vas sicut placuit in oculis ejus. Et dixit Dominus ad Jeremiam: Dic domui Juda: Hæc dicit Dominus: Nunquid sicut facit figulus potero facere vobis, ut destruam, et disperdam vos, et pœnitens ædificem, et plantem? » (*Jer.* xviii) Factum est autem in anno quarto regni Sedeciæ, miserunt ad eum nuntios rex Edom, rex Moab, rex Tyri, rex Amon, rex Sidonis, petentes, ut pariter fœderati, unanimiter tributa negarent regi Babylonis. Et dixit Dominus ad Jeremiam: « Fac tibi catenas ligneas, id est retortas sex, et pones unam in collo tuo, et alias quinque dabis in manus nuntiorum quinque regum coram Sedecia, dicens: Hæc dicit Dominus quinque regibus, et regi Juda: Ego feci terram, et dedi eam ei qui placuit in oculis meis, et nunc dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor servi mei. Gens autem et regnum, quæ non servierit ei, in gladio, fame, et peste visitabo super eos. Nolite audire verba prophetarum dicentium vobis: Non servietis regi Babylonis, ne pereatis cum eis. Et cum complevisset Jeremias mandatum Domini coram Sedecia, Hananias propheta de Gabaon, tulit catenam de collo Jeremiæ, et confregit eam, dicens: Hæc dicit Dominus: Sic confringam jugum regis Babylonis de collo istarum gentium post duos annos dierum, et referri faciam omnia vasa Domini, et reducam omnem transmigrationem Judæ ad locum istum (*Jer.* xxvii). » Et ait Jeremias: « Amen, sic faciat Dominus (*Jer.* xxviii); » quasi dicat: Idipsum vellem ego, si fieri posset. « Verumtamen audi, Hanania. Non misit te Dominus, et fecisti considere populum istum in mendacio. Propterea hoc anno morieris post duos menses dierum. Et mortuus est Hananias in anno illo mense septimo (*ibid.*). » Nam hoc prædixerat Jeremias in mense quinto. Territus autem Sedecias ad mortem Hananiæ, misit nuntios in Babylonem cum tributo. Et misit Jeremias epistolam in manibus nuntiorum secreto, ad omnem transmigrationem Judæ, dicens: « Hæc dicit Dominus: Ædificate domus, et plantate hortos, ducite, et tradite nuptui, et quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, et orate pro ea Deum quia in pace illius erit pax vestra. Non vos seducant prophetæ, qui in medio vestri sunt, qui promittunt vos in brevi redituros, quia cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, reducam vos ad locum vestrum. Hæc autem dicit Dominus ad Achab, filium Coliæ, et ad Sedeciam, filium Maasiæ, qui prophetant vobis mendacium: Tradam eos in manus regis Babylonis, et percutiet

Digitized by Google

eos in oculis vestris, assumetur ex eis maledictio dicentium : Ponat te Dominus sicut Sedeciam, et sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne, pro eo quod fecerunt stultitiam in Israel, et mœchati sunt in uxores amicorum suorum, et locuti sunt verbum in nomine meo, quod non mandavi eis (*Jer.* XXIX). » Hos duos tradunt Hebræi fuisse illos duos senes, quos postea diudicavit Daniel. Nec obest, quod dicitur rex Babylonis frixisse, cum Daniel dicat eos lapidatos (*Dan.* XIII). Convictos enim tradiderunt regi ad pœnam, quæ nomine ignis significata est. Cumque redissent nuntii de Babylone, attulerunt litteras ex parte pseudoprophetarum ad sacerdotes in Jerusalem in hæc verba : « Posuit vos Dominus in domo sua super omnem virum arreptitium et prophetantem, ut mittatis eum in nervum, et in carcerem, et nunc quare non increpatis Jeremiam, qui dixit vobis : Ædificate domus, quia non redibitis. Et legit Sophonias epistolam coram Sedecia in auribus Jeremiæ. Et ait Jeremias : Hæc dicit Dominus : Super eos quos transmigrare feci, visitabo verbum bonum, ut reducam eos, super vos autem, qui non estis egressi cum eis, immittam gladium, et famem, et pestem, et ponam vos quasi ficus malas, quæ comedi non possunt (*Jer.* XXIX). » Ostendit enim Dominus mihi signum, et ecce duo calathi pleni ficis positi sunt ante templum. Et dicit Dominus ad me : Quid tu vides, Jeremia? Et dixi : Ficus, ficus bonas, bonas valde, et ficus malas, malas valde. Et ait Dominus : Sicut ficus hæ bonæ, sic cognoscam transmigrationem, quam emisi de loco isto, et reducam eos in terram hanc. Et sicut ficus pessimæ, sic dabo Sedeciam, et reliquos qui remanserunt in hac urbe in vexationem, et opprobrium omnibus regnis terræ (*Jer.* XXIV). »

CAP. XLI. *De lagunculæ testea.*

« Et dixit iterum Dominus ad Jeremiam : Vade et accipe lagunculam figuli testeam, et duces tecum de senioribus sacerdotum, et de senioribus populi ad vallem filiorum Ennom, quæ est juxta introitum portæ fictilis, et conteres lagunculam in oculis eorum, et dices : Hæc dicit Dominus : Sic conteram locum istum, et civitatem hanc, nec vocabitur locus iste amplius Thophet, et vallis filiorum Ennom, sed vallis Occisionis. Implebo enim eum cadaveribus, eo quod non sit alius locus ad sepeliendum (*Jer.* XIX). » Et venit Jeremias de Thophet, et stetit in atrio domus Domini, et dixit ad omnem populum : Hæc dicit Dominus : Ecce inducam super hanc civitatem universa mala quæ locutus sum adversus eam. « Et indignatus Phassur sacerdos percussit Jeremiam, et misit eum in nervum in porta Benjamin superiori in domo Domini. Cumque illuxisset in crastinum eduxit Phassur Jeremiam de nervo, et dixit ad eum Jeremias : Non Phassur vocavit Dominus nomen tuum, sed Pavorem undique (*Jer.* XX). » Interpretatur enim Phassur, vel phaseor, oris nigredo, quasi dicat : Non habebis oris nigredinem, id est potestatem imperandi iniqua, sed pavens undique captivus duceris in Babylonem, et oravit Jeremias ad Dominum : « Domine Deus exercituum, qui vides renes et cor, videam ultionem ex eis; tibi enim revelavi causam meam. »

CAP. XLII *De prima obsidione Jerusalem.*

Porro in anno quinto Sedeciæ, ipse est annus quintus transmigrationis Joakim, exorsus est Ezechiel prophetare in Babylone ad captivos, postquam acceperant epistolam Jeremiæ (*Ezech.* I). Prophetiam cujus, sicut et Danielis, postea prosequemur post excidium urbis, et obitum Jeremiæ. Porro in principio anni noni Sedeciæ Nabuchodonosor obsedit Jerosolymam, quia negaverat ei Sedecias tributum. Et misit Sedecias ad Jeremiam Phassur, et Sophoniam sacerdotes dicens : « Interroga pro nobis Dominum si forte faciat nobiscum misericordiam, et respondit Jeremias : Hæc dicit Dominus : Dabo Sedeciam regem Juda, et servos ejus, et populum ejus in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et percutiet eos in ore gladii, et non flectetur, nec parcet, neque miserebitur (*Jer.* XXI). » Et libere ambulabat Jeremias in medio populi eadem clamans. Porro rex Ægypti egressus est de Ægypto cum exercitu, quasi soluturus obsidionem Jerusalem, et recessit rex Babylonis a Jerusalem, in occursum ejus, et fugavit eum in ore gladii, et de Syria coegit exire. Cumque discessisset Nabuchodonosor a Jerusalem, illuserunt falsi prophetæ Jeremiæ et decipiebant Sedeciam dicentes : « Non revertentur Babylonii, sed redibit transmigratio nostra ad nos, cum omnibus vasis Domini (*Jer.* XXXVII). Jeremias autem contraria his, et vera prophetabat dicens : « Tradetur Sedecias in manu regis Babylonis, et loquetur os ejus cum ore ipsius, et oculi ejus oculos ejus videbunt, et in Babylonem ducet Sedeciam. » Impii vero dicebant Jeremiam a mente excessisse. Porro Jeremias stravit asinum, ut egrederetur ad Anathoth vicum suum, qui viginti stadiis distat a Jerusalem. « Cumque pervenisset ad portam Benjamin, custos portæ Jerias apprehendit eum, dicens: Ad Chaldæos profugis. » Et adduxit eum ad principes. « Qui cæsum miserunt in carcerem, qui erat in domo Jonathæ scribæ. Et sedit ibi Jeremias diebus multis, et venit ad eum Hananeel, filius Sellum, patrui sui ad vestibulum carceris, et ait : « Eme agrum meum, qui est in Anathoth ; tibi enim competit hæreditas, tanquam propinquiori (*Jer.* XXXII). » Et intellexit Jeremias, quod verbum Domini esset, et emit agrum appendens septem stateres, et decem argenteos, et adhibuit testes, et scripsit librum possessionis signatum, et stipulationes, et rata et signa forinsecus, et rescriptum libri fecit apertum et in oculis Hananeel, et testium dedit libros Baruch dicens : « Sume librum emptionis hunc signatum, et hunc librum qui apertus est, et pone eos in vase fictili, ut permanere possint in diebus multis. Hæc enim dicit Dominus : Adhuc possidebuntur, et agri, et vineæ in terra ista, de qua vos dicitis, quia deserta erit. Ecce ego congregabo vos

Digitized by Google

de universis terris, ad quas ejeci eos ad locum istum et habitabunt confidenter, et feriam cum eis pactum sempiternum. »

CAP. XLIII. *De secunda obsidione Jerusalem.*

« Porro anno nono Sedeciæ, mense decimo, decima die, luna vicesima secunda, rediit Nabuzardan princeps exercitus Babylonis, et principes Nabuchodonosor cum eo, et circumdederunt Jerusalem, et exstruxerunt in circuitu ejus munitiones, et clausa est civitas decem et octo mensibus (*IV Reg.* XXV). » Perterritus itaque Sedecias tulit Jeremiam de carcere, et interrogavit eum in domo sua secreto, dicens : « Putasne est sermo a Domino, quia redierunt Chaldæi ? Qui respondit : In manu regis Babylonis traderis. Sed obsecro, domine mi rex, ne remittas me in carcerem Jonathæ, ne moriar ibi. Et præcepit rex ut traderetur in vestibulum carceris, et ut daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento, donec consumerentur omnes panes de civitate. Et clamabat Jeremias in vestibulo carceris : Qui remanserint in civitate, fame aut gladio peribunt ; qui confugerint ad hostes, quodammodo mortem declinabunt. Et convenerunt principes, et seniores civitatis ad regem, dicentes : Rogamus te, ut moriatur homo iste; de industria enim dissolvit manus virorum bellantium (*Jer.* XXXVII). » Plane mentitur cum dicit : Sedecias vinctus ducetur in Babylonem. Ezechiel enim in Babylone prophetavit, dicens : Sedecias non videbit Babylonem. « Et dixit rex ad eos : Ecce ipse in manibus vestris est, nec enim fas est regem vobis quidquam negare. Tulerunt ergo Jeremiam, et deposuerunt eum cum funibus in lacum Melchiæ, in quo non erat aqua, sed lutum, » ut morte propria suffocatus periret : et erat propheta in luto, usque ad guttur, quod erat ei amarius omni morte. « Tunc Abdemelech Æthiops, vir eunuchus de domo regis, secreto dixit ad regem : Peccare te fecerunt viri isti graviter. Qui respondit: Tolle tecum triginta viros, et leva prophetam de lacu antequam moriatur. Qui, assumptis viris tulit pannos veteres de domo regis, qui computruerant, et summisit eos in lacum per funiculos, et dixit ad Jeremiam : Pone pannos veteres sub cubitu manuum tuarum, et super funes. Quo facto, eduxerunt eum de lacu, et vocavit eum ter secreto ad ostium tertium, quod erat in domo Domini, et ait : Interrogo te, ne abscondas a me aliquid. Qui respondit : Si consilium dedero tibi non me audies. Si autem nuntiavero tibi interficies me. Et juravit ei rex, dicens : Vivit Dominus, non occidam te, nec tradam te in manus virorum, qui quærunt animam tuam, et ait Jeremias : Si exieris ad principes Babylonis, salvus eris tu, et domus tua, et civitas hæc non succendetur. Si non exieris, civitas succendetur, et tu cum domo tua non effugies manus eorum. Et ait rex : Facerem quod dicis, sed timeo contribules, qui transierunt ad Chaldæos, ne forte accusent me, et tradar in manu eorum, et illudant mihi. Et ait Jeremias : Non traderis. Tunc rex inquit : Nullus sciat verba hæc. Si quæsierint a te, quid locutus es tibi rex? dices : Prostravi me coram rege, ne reduceret me in carcerem (*Jer.* XXXVIII). »

CAP. XLIV. *De fuga Sedeciæ, capta urbe.*

Porro defecerant victualia in civitate, adeo ut mulieres comederent parvulos suos ad mensuram palmi, sicut legitur in Threnis Jeremiæ (*Jer.* XXXIX; *IV Reg.* XXV). « Capta est autem civitas undecimo anno regni Sedeciæ, quarto mense, nona die mensis *, » secundum Josephum, et librum *Regum*; secundum Hieronymum vero quinto die aperta est civitas circa mediam noctem, et sederunt principes Babylonii in porta media. Fugit autem Sedecias cum omni domo sua nocte, et principes amici ejus cum eo per viam horti regis. Et ingressi sunt ad viam deserti. Quod cum nuntiatum esset a quibusdam traditiiis principibus Babylonis, persecuti sunt eum a diluculo, et comprehenderunt eum in campo solitudinis Jerichontinæ. Plures autem principum dispersi sunt, et recesserunt ab eo. Ipsum vero cum reliquis vinctum traxerunt ad regem Babylonis in Reblatha. Qui locutus est cum eo judicium, dicens eum ingratum fuisse percepti ab eo imperii, et contra munificum hostiliter egisse, et dejurasse in Deum, et addidit : Magnus Deus habens tuam nequitiam odio, te tradidit mihi. « Et occidit filios ejus coram eo, et Saraiam summum sacerdotem cujus filium Josedec reservavit. Occiditque eunuchum, qui erat super viros bellatores, et Sophor principem exercitus, qui probabat tirones, et quinque viros de his, qui steterant coram rege, et tres de senioribus templi, et sex viros probatos de vulgo vel sexaginta secundum Jeremiam (*Jer.* LII). » Oculos vero Sedeciæ effodit, et catenis vinxit eum, ut adduceret in Babylonem et cum eo Josedec. Et redierunt, qui duxerunt eos in Reblatha, ad exercitum Jerusalem.

* *Additio* 1. Quarto mense Junii capta est civitas, sed miserunt nuntios ad regem in Reblatha, quid vellet fieri de urbe, et proinde servi morati sunt, in sexta mense destructa est.

CAP. XLV. *De incendio templi, et urbibus, et Godolia.*

Igitur in undecimo anno Sedeciæ, mense quinto, decimo die mensis, ipse est annus decimus nonus Nabuchodonosor regis Babylonis, Nabuzardan incendit domum Domini, et domum regis, et omnes domos Jerusalem, et totum murum Jerusalem per circuitum destruxit, et tulit omnia vasa domus Domini, et columnas duas, et mare æneum, et ligavit populum, ut adduceret eum in Babylonem (*IV Reg.* XXV ; *Jer.* XL). Et isti proprie dicuntur captivitas Judæ. Et tulit Jeremiam de vestibulo carceris, de quo mandatum acceperat Nabuzardan in hunc modum : « Tolle illum, et pone super eum oculos tuos, et ut voluerit facias ei » Tunc præfecit terræ Godoliam filium Aicham, ut præesset pauperibus qui relicti erant, et agricolis, et vinitoribus; ut redderent singulis annis vectigalia regi Babylonis. Sedit autem Nabuzardan in Rama, et trahebantur ante

Digitized by Google

eum catenati. Et tollens de medio eorum Jeremiam, dixit ad eum : « Veni mecum in Babylonem, et honorabote. Quod si displicet tibi, reside. Omnis terra in conspectu tuo est, habita apud Godoliam, et quocunque volueris vade (*Jer.* XL). » Et tradidit ei Nabuzardan cibaria, et munuscula, et dimisit eum. Similiter et Rechabitas liberos abire dimisit. Sedit itaque Jeremias, et Baruch notarius ejus in medio populi, qui relictus fuerat. Nabuzardan vero abiit in Babylonem, trahens secum captivitatem. Hic fuit exitus regni Hebræorum. Et regnatum est, secundum Josephum, in eo annis quingentis et quatuordecim et mensibus sex, diebus decem. Secundum librum vero Regum, non plene quingentis, et fuerunt in eo reges a David viginti et unus. Ab ædificatione vero templi fluxerant anni quadringenti septuaginta et menses sex, et dies decem. Ab egressu autem populi ab Ægypto anni mille, et sexaginta duo, et menses sex et dies decem. Fuerunt autem in templo per successionem quindecim summi sacerdotes, a primo Sadoc, quem instituit Salomon, usque ad patrem Josedec, quem interfecit rex Babylonis.

CAP. XLVI. *De morte Sedeciæ.*

Porro Nabuchodonosor cum intrasset Babylonem cum triumpho, victimas solemnes immolavit diis suis, et solemnizavit cum omni populo decem diebus. Cumque recumberent exhilarati, præcepit rex ut adduceretur Sedecias in medium, et aliqui de cantoribus templi cum eo, qui psallerent coram convivantibus in musicis instrumentis, et canerent hymnos de canticis Sion. Bibebant autem convivæ in vasis domus Domini, quorum quædam Nabuchodonosor consecravit idolis, quædam vero sibi reservavit. Cumque darent psallentibus potum, clanculo præcepit rex ut Sedeciæ daretur potus laxativus. Et coram omnibus ignominiose laxatus est, et irrisum reduxerunt in carcerem. Qui nimio afflictus dolore, post paucos dies, mortuus est. Et audiens Nabuchodonosor causam mortis ejus, extrahens eum de carcere, cum honore regio sepelivit.

Incidentia.

In diebus Sedeciæ factum est exterminium regni Judæorum, et exordium habuit quinta ætas, cujus anno secundo facta est solis defectio, quam Thales Milesius prædixerat in diebus captivitatis. Romanorum sextus rex Servius, nobilis captivæ filius, tres montes Urbi addidit, Quirinalem, Viminalem, Aquilinum. Fossas circa muros duxit, census Romanorum civium primum instituit. Tandem occisus est a Tarquinio Superbo, Prisci Tarquinii filio. Eo tempore apud Græcos septem sapientes sunt appellati. In hoc loco dignum duximus interponere contrarietates de collatione annorum regum Juda et regum Israel, et determinationes earum, quæ nobis occurrerunt, ut tandem earum historiam expeditius prosequamur

CAP. XLVII. *Sedatio contrarietatum.*

In libro Regum emergunt contrarietates de collatione annorum regum Juda, et regum Israel, quæ quandoque determinari possunt. Ubi vero non inveniuntur determinatio, vitio scriptorum credimus hoc accidisse, qui in propriis nominibus, et numeris sæpe falluntur. Roboam, et Jeroboam primi conregnaverunt annis septemdecim, alter in Judæa, alter in Israel. Post Roboam cœpit regnare Abia filius ejus in Jerusalem. In decimo octavo anno Jeroboam qui viginti et duobus annis regnavit in Israel, conregnavit Abia, Jeroboam tribus annis quod synecdochice dictum est, hoc est duobus annis, et aliqua parte tertii, qui erat vicesimus Jeroboam. Et in reliqua parte anni ejusdem cœpit regnare Asa filius Abia, et quadraginta et uno anno regnavit in Jerusalem. Anno secundo Asa regnavit in Israel Nadab filius Jeroboam duobus annis, id est uno anno, et aliqua parte anni secundi, qui adhuc erat tertius Asa, et occidit eum Baasa. Et cœpit regnare in Israel pro eo anno tertio Asa, et regnavit triginta et quatuor annis, non tamen plenis, quia tunc regnasset usque ad vicesimum septimum annum Asa, sed non regnavit nisi usque ad vigesimum sextum. Hela itaque, filius Baasa, cœpit regnare in Israel anno vicesimo sexto Asa, duobus annis regnavit, id est uno anno, et aliqua parte secundi anni, qui erat vicesimus septimus Asa, et in eodem anno Zamri interfecit Hela, et regnavit pro eo septem diebus. Quo mortuo divisus est populus. Pars quædam sequebatur Thebni, altera sequebatur Amri, et prævaluit Amri, et regnavit duodecim annis in Israel. Hic notandum est, quod contentio de regno inter Amri et Thebni duravit per tres annos, et ultra, quia statim dicit Scriptura, quod Amri cœpit regnare trigesimo uno anno regni Asa. Si enim mortuo Zamri, statim cœpisset regnare Amri, cum electus fuit, ergo regnare cœpisset vicesimo septimo anno, vel octavo regni Asa. Verumtamen postea dicit Scriptura, eum cœpisse regnare in hoc anno suæ electionis, cum dicit filium ejus Achab cœpisse regnare vicesimo octavo anno regni Asa. Si enim duodecim annis regnavit Amri, et inchoavit regnare vicesimo primo Asa, et Asa non nisi quadraginta et uno anno regnavit, palam est quod Amri supervixit Asa per unum annum. Quomodo ergo Achab succedens patri inchoavit regnare trigesimo octavo anno regni Asa? quod sic solvi potest : Quando Scriptura dicit Amri cœpisse regnare trigesimo primo anno Asa, intelligendum est, quia tunc solus, et super totum Israel mortuo Thebni cœpit regnare. Quando autem dicit regnasse eum viginti duobus, alias duodecim annis, a vicesimo octavo anno Asa numerat, quando Israel eum elegit in regem, Quod tempus extenditur, usque ad vicesimum octavum annum regni Asa, quando Achab regnare cœpit. Huic sententiæ sequens Scriptura consonat, quæ narrat Josaphat filium Asa regnare cœpisse quarto anno regni Achab, qui fuit ultimus Asa, quadragesimus scilicet primus. Porro Josaphat regnavit in Jerusalem viginti quinque annis, cujus

Digitized by Google

anno decimo septimo Ochozias filius Achab, cœpit regnare in Israel, et duobus annis regnavit. Huic, quia filium non habuit, frater ejus Joram successit in regnum, et cœpit regnare Joram in Israel anno secundo Joram filii Josaphat. Sed quæritur, si in anno decimo septimo Josaphat, qui viginti quinque annis regnavit, Ochozias cœpit regnare, et duobus tantum annis regnavit, quomodo Joram frater ejus anno secundo Joram filii Josaphat, et non potius octavo decimo vel nono decimo anno Josaphat regnare cœpit. Præterea in sequentibus statim subjungit Scriptura, quod octavo decimo vel nono decimo anno Josaphat Joram filius Achab regnaverit. Hæc contrarietas sic solvi potest : Duo anni quibus regnare dicitur Ochozias illi sunt quibus solus et incolumis, antequam per cancellos domus suæ corruisset, regnavit. Reliqui vero octo vel novem anni, quibus eo languente frater ejus Joram administrationem regni agebat, non sibi, sed fratri deputantur. Unde in octavo decimo anno regni Josaphat, regnasse scribitur Joram, quia tunc regni administrationem pro fratre, qui languebat, suscepit. Scriptura vero quæ dicit, quod Joram filius Achab, anno secundo Joram, filii Josaphat, regnaverit, tempus, quo solus, defuncto jam fratre, regnare cœpit, attendit. Ex diversorum sane scriptis prophetarum collectus est tractatus libri Regum. Unde est quod alius aliud, et alius aliud, secundum rationum diversitatem initium inchoationis regni regum, tam Juda quam Israel assignavit. Joram autem filius Achab viginti duobus annis super Israël regnavit. Illa ergo Scriptura, quæ postea dicit quod anno quinto Joram filii Achab, regis Israel, regnavit Joram, filius Josaphat, regis Juda, tempus attendit quando pro fratre, adhuc vivente, regnum administrare cœpit. Porro Joram, filius Josaphat, triginta duorum annorum erat cum regnare cœpisset, et octo annis regnavit in Jerusalem. Anno duodecimo Joram filii Achab regnavit Ochosias, filius Joram regis Juda. Viginti duorum annorum erat cum regnare cœpisset, et uno anno regnavit in Jerusalem. Quidam mendosi codices habent Joram, filium Josaphat, viginti duorum annorum fuisse tantum cum regnare cœpisset, quod stare non potest. Si enim viginti duorum annorum tantum esset cum regnare cœpisset, et octo annis tantum regnavit, ergo tricenarius erat cum mortuus est, sed filius ejus ei succedens jam viginti duorum annorum erat, ergo quando eum genuit Joram, octo annorum erat, quod est impossibile. Tamen Hebræi tradunt Joram, filium Josaphat viginti annis regnasse, et quadraginta duobus vixisse, quod videtur consonare illi litteræ, quæ dicit eum viginti duorum annorum fuisse, cum regnare cœpisset. Sed tamen dicunt solos octo annos, quibus innocenter vixit, antequam suos fratres occidisset, computatos illi in regnum a Scriptura. Mortuo Ochozia, mater ejus Athalia sex annis regnavit in Jerusalem. Eisdem sex annis conregnavit ei Jehu, qui viginti octo annis regnavit in Israel.

A Anno septimo Jehu cœpit regnare in Jerusalem Joas, et quadraginta annis regnavit. Regnaverunt ergo pariter Joas in Juda, et Jehu in Israel viginti duobus annis. Quibus finitis mortuus est Jehu, et successit ei in regnum Joachas filius ejus, inchoans regnare anno vicesimo tertio Joas regis Juda, et septemdecim annis regnavit in Israel. Sed quæritur, si anno vicesimo tertio Joas, Joachas cœpit regnare, et annis septemdecim regnavit, cum Joas quadraginta tantum annis regnavit, palam est quod usque ad tricesimum nonum vel potius quadragesimum annum ejus regnaverit Joachas; quomodo ergo statim in sequenti dicit Scriptura, quia Joas filius Joachas anno trigesimo septimo Joas regis Juda regnare cœpit? Forte triennio, vivente B patre, simul cum patre regnavit. Forte scriptorum negligentia, qui in numeris sæpe errant, hanc difficultatem peperit. Anno secundo Joas regis Israel regnavit Amasias in Israel viginti et novem annis. Annus secundus Joas, quo Amasias regnare cœpit numeratur, ex quo solus, defuncto patre, regnavit. Vixit autem Amasias rex Juda, postquam mortuus est Joas rex Israel, viginti quinque annis. Et hic oritur quæstio : Supra dictum est quod Amasias anno secundo Joas regis Israël regnare inchoans viginti novem annis regnavit. Joas autem sexdecim annis regnavit. Quindecim itaque annis simul regnaverunt. Mortuo itaque Joas, soli quatuordecim anni superfuerunt Amasiæ, vel ad plus quindecim. C Forte erravit scriptor ponens viginti quinque pro quatuordecim; vel forte Amasias, vivens desiit regnare, et decem, vel undecim annis vixit diutius quam regnavit. Porro anno quinto decimo Amasiæ regnavit in Israel Jeroboam quadraginta et uno anno. Simul itaque regnaverunt Amasias in Juda, Joroboam in Israel, ad plus quindecim annis. Quid est igitur quod sequens Scriptura dicit : Quia vicesimo septimo anno Jeroboam regnavit Ozias filius Amasiæ in Jerusalem? Forte quindecim annis Juda sine rege fuit, quia, ut diximus, Amasias vivens regnum dimisit, et Ozias adhuc parvulus regnare non poterat. Mortuo vero patre cum decem esset annorum, et Jeroboam in Israel vicesimum septimum annum regni sui inchoasset, regnare cœpit in D Jerusalem et quinquaginta duobus annis regnavit. Porro anno tricesimo octavo Oziæ regis Judæ regnavit Zacharias, filius Jeroboam, in Israel sex mensibus. Et hic oritur quæstio : Supradictum est quia anno vicesimo septimo Jeroboam, qui regnavit in Israel quadraginta et uno anno, Ozias regnare cœpit, et quinquaginta duobus annis regnavit. Quatuordecim itaque annis pariter regnaverunt Ozias et Jeroboam, cui Jeroboam, post quadraginta et unum annum defuncto, si statim Zacharias filius ejus in regnum successisset, non in tricesimo septimo, sed in decimo quinto anno regni Oziæ regnare cœpit. Aut igitur regnum Israel viginti tribus annis sine rege fuit, vel potius per istos viginti tres annos Zacharias filius Jeroboam regnavit, qui ta-

Digitized by Google

men illi, quia pessime vixit, in regnum non sunt computati. Soli autem sex menses, quos correctius vixit, in tricesimo octavo anno Oziæ illi sunt computati. In tricesimo autem nono anno Oziæ Sellum occiso Zacharias regnavit in Israel uno mense. Eodem anno Manahen occidit Sellum, et regnavit in Israel decem annis. Anno quinquagesimo Oziæ Phacela filius Manahen regnavit in Israel duobus annis. Anno quinquagesimo secundo Oziæ Phacee filius Romeliæ Phaceam interfecit, et regnavit in Israel viginti annis. Anno secundo Phacee regnavit Joathan in Jerusalem, et sedecim ibi annis regnavit. Quindecim ergo annis ad minus simul regnaverunt Joathan in Juda, et Phacee in Israel. Et annus qui fuit ultimus Joathan fuit Phacee decimus, et ita Phacee regnavit post Joathan tribus annis, in quibus conregnavit ei Achaz filius Joathan. Quod ergo legitur, quod Osee interfecit Phacee, et regnavit pro eo vicesimo anno Joathan filii Oziæ, ex illo tempore regnum Joathan Scriptura numerat, quo patri leproso conregnavit. Ubi autem legitur quod anno secundo Phacee regnavit, et quod sedecim annis regnaverit, ab illo tempore numerat, quo solus mortuo patre regnavit. Porro duodecimo anno Achaz Osee regnavit decem annis in Israel. Si ergo Phacee et Achaz tribus tantum annis conregnaverunt, ut dictum est, tunc quarto anno Achaz occisus est Phacee. Etsi Osee, occisor ejus, non regnavit pro eo, usque ad duodecimum annum Achaz, tunc regnum Israel fuit octo annis sine rege. Itaque prædictæ contrarietates, et aliæ, si quas prætermisimus, determinari possunt, vel per synecdochen, vel quia quidam cum patribus regnaverunt, antequam soli regnarent; vel quia regna quandoque sine rege fuerunt. Explicit historia librorum Regum, in quibus comprehenduntur etiam libri Paralipomenon.

* *Additio* 1. Hoc addit ideo quia dictum est in solutione quia Joas tribus annis patri conregnavit in Israel.

HISTORIA LIBRI TOBIÆ.

Historia Tobiæ exordium habuit in captivitate decem tribuum, quam fecit Salmanasar. Quo vero tempore terminum habuerit, non satis elucet. Videtur enim, secundum litteram historiæ, Tobias vixisse post excidium Jerusalem et incendium templi. Ait enim in cantico suo : « Jerusalem, civitas Dei, castigavit te Dominus, benedic Deum in sæcula sæculorum, ut reædificet tabernaculum suum in te, et revocet ad te omnes captivos (*Tob.* XIII). » In diebus autem mortis suæ, cum prædiceret filiis de reditu captivorum, ait : « Terra deserta replebitur, et domus Dei, quæ in ea incensa est, iterum reædificabitur (*Tob.* XIV). » Si vero attendamus terminum vitæ Tobiæ, filii Tobiæ (fuit enim terminus historiæ, qui fuit ei terminus vitæ) non inveniemus historiam descendisse ad plus ultra tempora Josiæ. Ponamus enim filium cum patre captivatum sexto anno Ezechiæ, et anniculum esse, nonaginta novem annis tantum vixit, circa vicesimum annum Josiæ mortuus est. Hanc historiam transtulit Hieronymus de sermone Chaldæorum in Latinum ad petitionem Chromatii et Heliodori episcoporum. Hanc historiam Judæi inter apocrypha ponunt *. Hieronymus tamen in Prologo suo dicit inter agiographa, quod si esset, tamen esset in tertio ordine canonis Veteris Testamenti; sed, quia de nullo ordine est, dicemus quia Hieronymus diffusius accepit agiographa, ut includeret etiam apocrypha, et quia vicina est lingua Chaldæorum Hebraico sermoni, utriusque linguæ peritum loquacem habens Hieronymus, quidquid ille Hebræis verbis expressit, Latino sermone exposuit, sub brevi et quasi unius diei labore.

* *Additio* 1. Recole supra in principio Josue, dictum quod apocryphum dicitur, vel cujus auctor incertus, vel cujus materia incerta. De materia autem hujus patet et constat. Agiographum *sacra Scriptura* interpretatur, et sic quælibet Scriptura sacra potest dici.

CAP. I. *De Tobia.*

Porro Tobias ex tribu Nephtalim fuit (*Tob.* I). Cumque cæteri ad vitulos aureos, quos fecerat Jeroboam (*III Reg.* XII), irent, ipse ascendebat in Jerusalem, ut adoraret Deum Israël, primitiva et decimas fideliter offerebat, ita ut in tertio anno proselytis et advenis omnem ministraret decimationem, et in omnibus legem Dei puer observabat. Factus autem vir accepit sibi uxorem Annam de tribu sua, et suscepit ex ea filium, quem nomine suo vocavit Tobiam. Captus quidem cum uxore et filio, habitavit in Ninive, et custodivit animam suam ne contaminaretur in cibis gentilium, sed et contribules suos non custodientes se graviter arguebat et dedit illi Dominus gratiam in oculis Salmanasar. Qui dedit ei potestatem, quocunque vellet ire ad captivos, et circa eos facere quæcunque voluisset. Cumque ambularet per regionem cum concaptivis, monita dans salutis, devenit in Rages civitatem Medorum invenitque in ea quemdam contribulem suum, Gabelum egentem, et reliquit ei sub chirographo decem talenta argenti, quæ habebat ex his in quibus fuerat a rege honoratus. Mortuo autem

Digitized by Google

Salmanasar, cum filius ejus Sennacherib filios Israel haberet exosos, Tobias consolabatur eos, et egenis ministrabat. Cumque reversus esset Sennacherib a Judæa, multitudine exercitus nocte ab angelo percussa, fugiens manum Domini, iratus multos Hebræorum fecit occidi, quorum corpora Tobias sepeliebat. Quod cum nuntiatum esset regi, tulit omnem substantiam ejus, et eum jussit occidi. Tobias vero fugiens cum uxore et filio, latuit, quia multi diligebant eum. Post quadraginta quinque dies cum esset occisus rex a filiis suis rediit Tobias in domum suam, et restituta sunt ei ablata. Porro in quodam die festo, cum paratum esset prandium apud Tobiam, dixit filio suo : « Vade, et adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, ut comedant nobiscum (*Tob.* II). » Qui reversus nuntiavit unum de Hebræis jugulatum jacere in platea, et exsiliens Tobias jejunus, tulit occulte corpus in domum suam, et comedit panem in luctu et tremore, et cum sol occubuisset, sepelivit illud; et arguebant eum proximi sui dicentes : « Hujus rei causa interfici jussus es, et iterum sepelis mortuos. Sed Tobias, magis timens Deum quam regem, sepulturæ occisorum sollicitus instabat. Contigit autem ut, quadam die, fatigatus a sepultura domum rediens jactaret se juxta parietem, et obdormivit, et ex nido hirundinum calida stercora super oculos ejus inciderent, et factus est cæcus. » Hæc autem permisit Deus fieri ad ejus probationem, et ad exemplum patientiæ in posterum. Nam et in omnibus benedixit Deum, sicut beatus Job, et proximos suos insultantes ei increpabat dicens : « Nolite ita loqui, filii enim sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus quam Deus daturus est fidelibus suis. Anna uxor ejus ibat ad textrinum opus quotidie, et de labore manuum suarum, quod consequi poterat deferebat. Factum est autem ut hædum accipiens, detulisset domi, cujus balatum vir audiens, ait : « Videte ne furtivus sit. » Ad hæc irata uxor respondit : « Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynæ tuæ perierunt. » — « Et ingemuit Tobias cum lacrymis dicens : Et nunc, Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum meum. Expedit enim mihi mori, magis quam vivere. » Eadem die contigit, ut Sara, filia Raguel, in civitate Medorum, audiret improperium ab una ancillarum suarum, quam increpabat, dicente sibi : Interfectrix virorum tuorum, nunquid occidere me vis, sicut occidisti septem viros? (*Tob.* III.) Fuit enim tradita septem viris, et dæmonium nomine Asmodeus occidebat eos, mox ut ingressi sunt ad eam. Ascendit ergo Sara in superius cubiculum domus suæ, et tribus diebus et noctibus non manducans, nec bibens in oratione persistens aiebat : « Peto, Domine Deus patrum nostrorum, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe de super terram eripias me. » In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in A conspectu Domini. Et missus est angelus Raphael, ut curaret eos.

« Igitur cum Tobias putaret se exauditum, ut moreretur, dicebat ad filium suum : Audi, fili mi, verba mea, et ea quasi fundamenta in corde tuo constitue. Cum moriar sepelies me, et honorem habebis matri tuæ, dum vixerit. Mortuam circa me sepelies eam; semper in mente habeto Dominum, fili mi, et serva mandata ejus, de substantia tua fac eleemosynas, quia eleemosyna ab omni peccato liberat, et magnam præstat fiduciam coram Deo omnibus facientibus eam. Attende, fili mi, ab omni fornicatione, et a superbia a qua sumpsit initium omnis perditio. Consilium a sapiente perquire, a peccatoribus declina. Merces mercenarii non maneat apud B te. Noli timere, fili mi, quia pauperem vitam egimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum. Præterea scito, quia dedi Gabelo decem talenta argenti in Rages, cujus chirographum penes me habeo. Perquire ergo tibi fidelem virum, qui tecum eat, salva mercede sua, ut restituas Gabelo chirographum suum, et ipse restituet tibi depositum (*Tob.* IV). » — « Tunc egressus Tobias, invenit juvenem succinctum, et quasi ad iter paratum, ignorans quod angelus Dei esset (*Tob.* V). » Cumque accepisset ab eo quod omnem Medorum regionem novisset, et Rages civitatem, et Gabelum habitantem in ea, introduxit eum ad patrem suum, et salutavit eum juvenis, dicens : « Gaudium sit tibi semC per. Qui respondit : Quale gaudium erit mihi, qui lumen cœli non video? Cui juvenis : Forti animo esto; in proximo est ut a Deo cureris. Et ait Tobias : Poteris perducere filium meum ad Gabelum? » Qui respondit : « Ego ducam eum, et reducam ad te. » Cumque quæreret Tobias ab eo tribum ejus, et domum, et nomen, respondit : « Ex filiis Israel ego sum, Azarias, Ananiæ magni filius; » quod totum secundum interpretationem nominum verum erat. Erat enim de angelis videntibus Deum, et erat Azarias, id est adjutor, et filius Ananiæ, id est gloriæ Dei. Tunc paratis omnibus, quæ erant opus in via, ambulaverunt ambo simul, « et canis secutus est eos (*Tob.* VI). » Mater autem flevit, dicens ad virum : « Baculum senectutis nostræ tulisti : D nunquam esset pecunia illa, pro qua misisti eum; sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus, quia videbamus filium nostrum. Et ait Tobias : Noli flere, filius noster revertetur ad nos salvus; credo enim, quod angelus Dei bonus comitetur eum (*Tob.* V). »

Porro illi duo prima mansione manserunt circa fluvium Tigrim (*Tob.* VI). « Et exivit Tobias, ut lavaret pedes suos, et piscis immanis egrediebatur, ut devoraret eum, et timens Tobias clamavit dicens : Domine, invadit me. Et ait angelus : Apprehende branchiam ejus, et trahe eum ad te, et extraxit eum in sicco, et palpitabat ante pedes ejus. » Super hunc locum dicit Beda quod, dum Christus

Digitized by Google

in cruce lavaret pedes suos, qui ambulabant super terram, advenit diabolus, quærens si quid peccati inveniret in eo. Unde : « Pater, transfer calicem hunc a me (*Marc.* XIV). » Tunc dixit angelus ad Tobiam : « Exentera piscem hunc, et cor ejus, et fel, et jecur repone tibi, valent enim ad medicamenta. » Tunc Tobias partem piscis assavit, et comederunt, partem vero salsam secum tulit. Cumque simul pergerent, ait Tobias : « Azaria frater, quod remedium habent quæ de pisce servari dixisti? Qui respondit : Particula cordis super prunas posita fumo suo extricat omne genus dæmonum a viro vel muliere. » Nec super hoc mirari debemus, cum fumus cujusdam arboris adustæ eamdem vim habere perhibeatur. Cumque quæsivisset Tobias ubi manerent nocte illa, respondit angelus : « Est hic Raguel propinquus tuus habens filiam unicam, quæ debetur tibi cum omni substantia ejus. Et ait Tobias : Audio quia tradita est viris septem, et occisi sunt a dæmone. Et respondit angelus : Noli timere; super petulantes, et Deum non timentes, potestatem dæmonium habet. Tu autem cum acceperis eam, tribus diebus continebis ab ea, et de nocte vacabitis ambo orationibus. Prima nocte incenso jecore piscis precibus vestris fugabitur dæmonium. Secunda nocte in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris, id est orabitis Deum, ut in participium sanctitatis et pudicitiæ patriarcharum admittat vos. Tertia nocte benedictionem consequeris, ut filii procreentur ex vobis sani et incolumes. » Hanc benedictionem præstabat, vel sacerdos, vel aliquis major inter eos, vicem sacerdotis gerens. « Quarta nocte accipies eam cum timore Dei, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris. » — « Tandem ingressi sunt ad Raguelem (*Tob.* VII). » Cumque diceret Raguel uxori suæ, quam simillimum esse juvenem hunc Tobiæ consobrino suo, dixit ad eum angelus : « Hic est filius illius. » Et lætatus est Raguel, et instauravit convivium. Tunc ait Tobias : « Non manducabo, neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, et promittas mihi dare Saram filiam tuam. Quo audito expavit Raguel, et hæsitanti de responso, dixit ei angelus : Noli timere dare eam sibi conjugem. Huic enim debetur, et propterea alius non potuit habere eam. Tunc ait Raguel : Scio quoniam a Deo venisti, et quod exaudivit Dominus preces, et lacrymas meas, ut conjungeretur hæc filia mea cognationi suæ secundum legem Moysi. Et apprehendens pater dexteram filiæ, tradidit eam dexteræ Tobiæ dicens : Deus patrum nostrorum sit vobiscum, et conjungat vos, et impleat benedictionem suam in vobis. Et fecerunt conscriptionem conjugii, et comederunt benedicentes Deum. » Post cœnam vero introduxerunt juvenem in cubiculum virginis (*Tob.* VIII), et protulit Tobias de cassilide suo, partem jecoris, et posuit super prunas. Tunc Raphael apprehendit dæmonium, et religavit illud in desertum superioris Ægypti. Tunc Tobias ait ad virginem : « Sara, deprecemur Deum hodie, et cras, et secundo, » id est tertio die. « Illis enim tribus noctibus jungimur Deo, quarta nocte in nostro erimus conjugio; filii enim sanctorum sumus; non possumus ita conjungi, sicut et gentes quæ ignorant Deum. » Et oraverunt ambo dicentes simul : « Miserere nobis, Domine Deus patrum nostrorum, miserere nobis, et consenescamus ambo pariter sani. » Porro circa pullorum cantum fecit Raguel parari sepulcrum, ut sepeliret eum, prius quam illucesceret, et misit unam de ancillis ad videndum si jam obisset. Quæ reversa, nuntiavit eos incolumes esse, et secum pariter dormientes. Et laudaverunt omnes Deum, et repleverunt servi foveam quam fecerant prius quam lucesceret, et paraverunt solemne convivium omnibus vicinis, et amicis suis. Et adjuravit Raguel Tobiam, ut duas hebdomadas maneret apud eum, et dedit ei mediam partem omnium quæ possidebat, faciens scripturam, ut reliqua pars quæ supererat, post obitum suum deveniret ad Tobiam. Tunc ait Tobias ad angelum, quem hominem æstimabat. (*Tob.* IX) : « Azaria frater, tu nosti quam gravis sit mora nostra parentibus meis, obsecro ut eas ad Gabelum, et reddes ei chirographum suum, et recipies ab eo pecuniam, et monebis eum venire ad nuptias. » Tunc assumens Raphael quatuor de servis Raguelis et duos camelos, venit ad Gabelum, et accepta pecunia, duxit eum secum ad nuptias. Et ingressus Gabelus invenit eos discumbentes, et benedixit eis. Cumque omnes dixissent, Amen, cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.

Porro cum Tobias moram faceret in nuptiis, sollicitus erat pro eo pater ejus, quod ad diem terminatam non redierat, mater vero lacrymis irremediabilibus flebat dicens : « Heu me! fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, et baculum senectutis nostræ? (*Tob.* X.) Vir autem ejus consolabatur eam. Porro Raguel dicebat ad generum suum : Mane hic, et ego mittam nuntium salutis tuæ ad patrem tuum. » Cumque ille non acquiesceret, tradidit ei Saram, et dimidium substantiæ suæ, in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, in vaccis, in pecunia multa. Parentes vero monuerunt filiam suam honorare socerum suum, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, seipsam irreprehensibilem exhibere. » Cumque reverterentur venerunt ad Charam, quæ est in medio itinere. Et ait angelus ad Tobiam : Præcedamus nos duo, et sequentur nos lento gradu uxor tua et familia cum animalibus; et tolle tecum de felle piscis, et linies ex eo oculos patris tui, et recipiet visum. Porro Anna sedebat secus viam quotidie in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo. Et cognoscens a longe filium suum venientem, cucurrit ad virum suum dicens : Ecce filius tuus venit. Canis quoque, qui simul fuerat in via præcucurrit, et quasi nuntius blandimento caudæ gaudebat. Tunc exsurgens

Digitized by Google

cæcis, data manu puero, processit obviam filio suo, et osculantes filium præ gaudio fleverunt. Cumque adorassent Deum consederunt. Tunc Tobias de felle piscis linivit oculos patris, et sustinuit quasi per dimidiam horam et cœpit egredi albugo de oculis ejus, quasi membranum ovi. Quod apprehendens Tobias, traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit, et glorificabant omnes Deum. Et ait Tobias : Benedico te, Deus Israel, quoniam castigasti me, et sanasti me; et ecce video Tobiam filium meum. Ingressa est et post septem dies Sara uxor ejus cum omni substantia sua, et pecunia, quam receperat a Gabelo; et convenerunt contribules, et vicini ad Tobiam, et congratulabantur ei per septem dies epulantes cum gaudio (*Tob.* XI). »

Cumque narrasset Tobias patri suo, per ordinem, bona, quæ fecerat ei angelus in via, tulerunt angelum in partem, rogantes, ut dignaretur dimidiam partem omnium quæ attulerant acceptam habere. Tunc dixit eis angelus occulte : « Benedicite Deum cœli, et coram omnibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est. Non abscondam a vobis sermonem occultum. Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna. Cumque orabas, et derelinquebas prandium, et abscondebas mortuos per diem, et nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino, et quia acceptus eras ei, necesse erat, ut tentatio probaret te, et misit me Dominus, ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a dæmonio liberarem. Ego enim sum Raphael angelus, unus ex septem, » id est universis, « qui astamus ante Dominum. Qui cum audissent, trementes ceciderunt in facies suas. Et ait angelus : Pax vobis; nolite timere. Cum essem vobiscum, videbar ex necessitate vobiscum manducare, et bibere, sed ego cibo invisibili et potu utor, qui ab hominibus videri non potest. Tempus est ut revertar ad eum, qui misit me. Et hæc dicens ab aspectu eorum ablatus est. Tunc prostrati per tres horas in facies suas benedixerunt Deum, et exsurgentes, narravèrunt omnia mirabilia ejus (*Tob.* XII). Aperiensque Tobias senior os suum benedixit Dominum, et dixit: Magnus es, Domine, in æternum, quoniam flagellas et salvas; deducis ad inferos et reducis. Non est qui effugiat manum tuam (*Tob.* XIII). » Et hortatus est in hoc cantico Jerusalem, et captivum populum Dei, ut exemplo sui converterentur ad Dominum, et facerent justitiam coram eo, et crederent quod cum eis faceret misericordiam. Et prophetavit de Jerusalem dicens : « Omnes fines terræ adorabunt te, nationes ex longinquo ad te venient, et munera deferentes adorabunt Dominum in te : » Quod mystice de tempore gratiæ dictum esse, ex his quæ sequuntur apparet. « Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur, et per vicos ejus alleluia cantabitur. » Erat autem Tobias quinquaginta annorum, quando lumen amisit, sexagenarius vero illud recepit, et postea vixit annis quadraginta duobus, et vidit filios nepotum suorum, complevit annos centum et duos (*Tob.* XIV). Glossa tamen de mysterio videtur velle, eum postquam illuminatus est, quadraginta duobus annis supervixisse referens quasi mystice quadraginta ad labores abstinentiæ, duos vero ad dilectionem Dei et proximi. Cumque videret obitum sibi imminere, vocavit filium suum ad se, et septem filios ejus, dixitque eis : « Prope erit interitus in Ninive. Video quia iniquitas ejus finem dabit ei. Non enim excidet verbum Dei; et fratres nostri qui dispersi sunt a terra Israel, revertentur ad eam, et replebitur, et domus Dei, quæ in ea incensa est, iterum reædificabitur. » Hoc tamen magis videtur prophetali certitudine per verba præteriti temporis prædixisse, quam rem gestam narrasse. Adhuc enim stabat Jerusalem, et templum in ea. Cumque monuisset eos de dilectione Dei, et timore, et eleemosynis faciendis, et ut ipsi eadem mandarent filiis suis, addidit : « Vos autem nolite manere hic; sed quacunque die sepelieritis matrem vestram circa me in uno sepulcro, ex eo dirigite gressus vestros, ut eatis hinc. Et mortuus est Tobias, et postmodum uxor ejus. Et abscessit Tobias ex Ninive cum uxore sua, et filiis, et nepotibus, et reversus est ad soceros suos. Et invenit eos in bona senectute, et curam eorum gessit, et clausit oculos eorum, » Raguelis scilicet et Annæ. Et notandum quod in sacra Scriptura quinque dicuntur Annæ : Mater Samuelis, uxor Tobiæ, uxor Raguelis, mater beatæ Mariæ virginis, et Anna prophetissa. Mortuus est et Tobias minor completis annis nonaginta novem; et sepelierunt eum omnis cognatio ejus, et omnis generatio ejus. In sancta enim conversatione permansit, ita ut acceptus esset tam Deo quam hominibus.

Explicit historia Tobiæ. Nunc ad historiam captivitatis Jerusalem revertemur, et post historiam Judith et Esther locis suis explicabimus.

Cap. II. *De morte Godoliæ.*

Factum est autem cum præfecisset rex Babylonis Godoliam reliquiis terræ, venerunt ad eum omnes qui evaserant manus hostium, et inter finitimas gentes latuerant, vel quibuscunque latibulis salvaverant animas suas : multi quoque de decem tribubus, quibus gravis erat cohabitatio Samaritanorum (*Jer.* XL). Fuerunt etiam inter eos quidam de principibus terræ Johanan filius Carec, Sareias, et Jeconias. Et dixit Godolias ad eos : « Nolite timere, habitate in terra, et servite regi Babylonis, et bene erit vobis. Ego habito in Masphat, ut respondeam præcepto Chaldæorum, qui mittentur ad nos, ut in nullo vos gravemini. » Cumque hoc juramento firmasset, dimisit eos ad provinciæ loca, quæ quisque sibi delegisset. Porro de genere regio erat quidam Ismahel vir malignus. Qui dum obsideretur Jerusalem ad regem evasit Ammonitarum, et ibi morabatur. Et ait Johanan filius Carec ad Godoliam se-

Digitized by Google

creto : « Scio quia Ismahel insidiatur animæ tuæ, invidens tibi dimidium terræ. Vel rex Ammonitarum mittet eum percutere animam tuam, ut occupet terram desolatam. Ibo ergo, et percutiam Ismahel nullo sciente, ne interficiat te, et dissipentur, et pereant reliquiæ Juda. Et ait Godolias : Non facias verbum hoc, ut occidas virum innocentem. Non enim verisimile est, ut in tali desolatione hujusmodi malitiam exerceat. Et factum est in mense septimo ejusdem anni, venit Ismahel, et decem viri cum eo ad Godoliam in Masphath, et splendide suscepit eos (*Jer.* XLI) Cumque post prandium versus esset Godolias in soporem, et convivæ, percussit eos Ismahel, et egressus per noctem Judæos qui erant in civitate, et quosdam milites qui erant a Babyloniis derelicti, trucidavit, et projecit cadavera eorum in lacum, quem fecit rex Asa propter Baasa regem Israel. Altera vero die cum muneribus veniebant de provincia octoginta viri ad Godoliam ; et egressus est Ismahel in occursum eorum dicens : « Intrate ad Godoliam. » Quibus ingressis, occidit eos Ismahel, præter decem, qui dixerunt ei : « Parce nobis, quia thesauros habemus in agro, frumenti, vini et hordei, olei et mellis, et dabimus eos tibi ; et recesserunt ab eo. » Tunc Ismahel duxit captivas reliquias populi, qui erat in Masphath, filias quoque regis, quas commendaverat Nabuzardan Godoliæ. Quod cum audisset Johanan filius Caree, assumptis viris insecutus est Ismahel, et invenit eum ad aquas, quæ sunt in Gabaon, et fugit Ismahel a facie ejus cum octo viris, et eduxit Johanan captivos, et prædam, quam duxerat Ismahel.

CAP. III. *De descensu reliquiarum Judæ in Ægyptum, et obitu Jeremiæ.*

« Et convenerunt omnes reliquiæ Juda ad Jeremiam a parvo usque ad magnum (*Jer.* XLII). » Disponebant enim fugere in Ægyptum, timentes ne occiderentur a Chaldæis pro morte Godoliæ. Et dixerunt ad prophetam : « Ora pro nobis Deum, ut indicet nobis verbum quod faciemus, et quidquid dixerit nobis per os tuum, faciemus. » Post dies septem factum est verbum Domini ad Jeremiam, et convocans universum populum ait : « Hæc dicit Dominus : Si manseritis in terra hac, plantabo vos, et non evellam. Jam enim placatus sum super malum quod feci vobis ; nolite timere a facie regis Babylonis, quia ego vobiscum sum. Sin autem descenderitis in Ægyptum, ut ibi habitetis, gladius Nabuchodonosor, quem formidatis, ibi comprehendet vos, et peribitis gladio, fame, et peste. » Et non audierunt Jeremiam, sed dixerunt : « Mentiris, non misit te Dominus. Sed Baruch incitat te adversus nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum (*Jer.* XLIII). » Et descenderunt omnes cum mulieribus, et parvulis, et omni substantia sua in Ægyptum, et duxerunt secum Jeremiam et Baruch. Et desolata est terra et sabbatizavit multis annis sicut prædixerat Jeremias. Non enim transtulit in eam rex Babylonis colonos, sicut fecerat rex Assyriorum in terram Israel, et habitaverunt reliquiæ Juda in Ægypto in Magdalo, et in Taphnis, et in Memphis, et in terra Phatures, et est nomen regis, a quo illa pars Ægypti sic denominata est. « Et factus est sermo Domini ad Jeremiam in Taphnis dicens : Sume lapides grandes, et absconde eos in crypta, quæ est sub muro latericio in porta domus Pharaonis, et dices ad Judæos : Hæc dicit Dominus : Ecce ego assumam servum meum Nabuchodonosor, et ponam thronum ejus super lapides istos, et percutiet terram Ægypti, et peribitis vos cum Ægyptiis. » Porro mulieres Hebræorum sacrificabant diis alienis, et reginæ cœli, lunæ scilicet, vel Junoni, vel Berecyntiæ offerebant placentas et libamina. Cumque argueret eas Jeremias, dixerunt : « Nunquid sine viris nostris hæc fecimus? » (*Jer.* XLIV.) Cumque ad viros durius loqueretur, dixerunt : « Quando fecimus hæc in urbibus Juda saturati sumus panibus, et bene erat nobis. Ex quo autem cessavimus indigemus omnibus, et gladio, et fame consumpti sumus. » Et respondit Jeremias : « Hæc dicit Dominus : Ego juravi in nomine meo magno, quia omnes viri Juda, qui sunt in terra Ægypti gladio et fame peribunt, donec penitus consumantur. » Et insurrexit populus adversus Jeremiam, et lapidaverunt eum lapidibus, quos absconderat sub muro latericio. Ægyptii vero honoraverunt prophetam sepelientes eum juxta tumulum regum, memores beneficiorum quæ præstiterat Ægypto. Oratione enim sua fugaverat aspides et bestias aquarum, quas Græci crocodilos vocant, quibus prius Ægyptus infestabatur. Tradunt etiam quidam quod adhuc de pulvere ejusdem loci aspidum percussura sanatur, et fugantur crocodili. De eodem ait Epiphanius : Audivimus a viris senioribus, qui ex seniorum Antigoni, et Ptolomæi stirpe descenderant, quod Alexander Macedo veniens ad sepulcrum prophetæ, et cognoscens loci mysterium, transtulit ipsum in Alexandriam, et sepelivit gloriose, et ex tunc a terra illa prohibiti sunt crocodili et aspides penitus. Nam et idem Alexander prius introduxerat illuc serpentes quosdam, qui vice marsorum aspides fugabant, sed non poterant eas penitus exstirpare, quos quia ab Argis Peloponii advexerat, argones nominavit. Hic est Jeremias, qui regibus Ægypti signum dedit, quod eorum idola everti oporteret, cum virgo pareret. Unde et sacerdotes eorum in secreto templi loco, imaginem virginis et pueri statuentes, adorabant. Dum vero Ptolomæus rex interrogaret eos, qua hæc facerent ratione, dixerunt paternæ traditionis esse mysterium, quod a sancto propheta acceperant majores, et credebant in rebus ita fore venturum. Hic est Jeremias, qui templum evertendum prænoscens, arcam testamenti cum his quæ in ea erant, tulit, et precibus suis ea absorberi fecit in petra ; petram vero digito designans, nomen Dei tetragrammaton impressit. Et factum est sigillum in similitudinem scripturæ quæ ferro cavatur ; et ipsum Domini no

Digitized by Google

men nubis operimento ita celatum est, ut ex tunc nec locum quis recognoscere queat, nec ipsum nomen legere, usque in hunc diem et usque in finem. Et pristinæ figuræ instat illic sæpe nubes, ut ignis fit nocturno tempore, eo quod gloria Dei ab ejus lege non desinat. Est autem petra illa in eremi terra inter duos montes, in quibus jacent Moyses et Aaron. Dixitque Jeremias præsentibus : Dominus ex Sion recessit ad cœlos, inde rursus in virtute venturus, et erit signum præsentiæ ejus, quando universæ gentes adoraverint lignum. Dixitque quod hanc arcam nemo præter Aaron producere poterit, et tabulas, quæ in eis sunt nullus aperiet sacerdotum, nullusque prophetarum, nisi electus Dei Moyses ; et in prima resurrectione in futuro, quando mortui resurgent, prima resurget hæc arca, et exibit de petra, et ponetur in monte Sion, et omnes sancti congregabuntur ad eam, regressum Domini sustinentes, et adversarium qui eos quæsiturus est interimere, fugientes.

* *Additio* 1. Tripliciter destructa est, id est tribus vicibus, Jerusalem : Primo per transmigrationem Joachin, et eorum qui secum transmigraverant ; secundo, per captivitatem Sedeciæ et templi destructionem ; tertio, per desolationem, quando solitaria relicta est, reliquiis in Ægyptum descendentibus. Quarta fuit vastatio terræ, quæ tria præmissa præcedebat.

(22) Quæ sequuntur ex diversis sunt resumpta.

CAP. IV. *De captivitate reliquiarum Judæ.*

(22) Factum est post mortem Jeremiæ, anno quinto eversionis Jerusalem, ipse est vicesimus tertius regni Nabuchodonosor, descendit Nabuchodonosor in Syriam inferiorem, et obtinuit eam. Moabitas quoque et Ammonitas subjugavit sibi. Et tandem intravit in Ægyptum, eamque subvertit, et regem, qui tunc erat in ea occidit, aliumque in ea constituens, denuo Judæos captivos duxit in Babylonem. Et ab hac ultima captivitate reliquiarum Judæ, quidam numerant septuaginta annos, usque ad secundum annum Darii filii Histaspis. Hanc etiam captivitatem reliquiarum prædixerat Ezechiel in Chaldæa (cap. XXIV) ; de quo modo prosequentes, altius ordiemur.

HISTORIA LIBRI EZECHIELIS.

CAP. I. *Præfatio.*

Ezechiel propheta de terra Cysare filius Buzi de genere sacerdotum (*Ezech.* I). Hic in Babylonem ductus est cum Joachin, et matre ejus, cum Daniele et tribus pueris. Hic habitabat juxta fluvium Chobar. Factum est autem in tricesimo anno, non solum ætatis ipsius, sed a quadragesimo octavo anno Josiæ, quando inventum est Deuteronomium in templo, in quinto anno transmigrationis, in quarto mense, in quinta die mensis, exorsus est prophetare Ezechiel ad concaptivos propter causas hujusmodi : Legerant in epistola Jeremiæ per septuaginta annos duraturam captivitatem, et flebant pro exsilii prolongatione. Præterea murmurabant adversum Dominum, quod fraudulenter eos ejecisset. Dixerat enim, per os Jeremiæ, remanentes in Jerusalem perituros ; eis vero qui se traderent servo suo Nabuchodonosor bona pollicebatur. Nunc autem in contrarium res elapsa erat. Florebant enim qui remanserant, et ipsi jugo servitutis premebantur. Erant quoque inter eos, qui dicerent quod, dum servierant militiæ cœli, omnibus bonis abundabant ; ex quo vero cessaverant, perierant gladio, fame et peste (*Jer.* XLIV). Ad hæc prophetaverat Ezechiel eversionem urbis, et templi incendium imminere, et eos qui remanserant in urbe fame perituros, et extra urbem gladio. Eos autem qui vivi traherentur gravem passuros servitutem ; ipsos autem in pace, et quasi libera servitute mansuros (*Ezech.* XI). Ut autem auctoritatem præberet ei Deus, ostendit ei quasdam visiones, similitudinem scilicet hominis, leonis, et vituli et aquilæ (*Ezech.* I), non solum ad præfigurandum evangelistas, sed ut ostenderet Deum Israel Dominum esse totius creaturæ, per hæc digniora omnem intelligens creaturam. Homo enim præest cæteris animantibus, aquila rex est avium, leo ferarum, bos jumentorum. Sub animalibus vero vidit rotam in medio rotæ, ut ostenderet circumvolutionem omnium elementorum in Domini esse potestate ; et super hæc vidit firmamentum coloris sapphirini, et super firmamentum erat similitudo throni, et super thronum similitudo quasi aspectus hominis. Et ait Dominus ad eum : « Fili hominis, mitto te ad filios Israel, quia domus exasperans est, si forte audiant, et quiescant, et sciant, quia propheta fuit in medio eorum. Et ecce manus missa ad eum, in qua erat liber scriptus intus, et foris, et scriptæ erant in eo lamentationes, et carmen, et væ (*Ezech* II). » Et ait Dominus : « Comede volumen istud, quia dedi verba mea in ore tuo (*Ezech.* III). » Et ivit propheta ad transmigrationem, juxta fluvium Chobar, ad acervum novarum frugum, et sedens in medio eorum posuit coram eis laterem, et descripsit in eo civitatem Jerusalem, et obsidionem adversus eam, et munitiones, et aggerem et castra et arietes in gyro ; et antepositi sartaginem ferream oculis suis, ne videret eos, et ait : « Sic obfirmavit Dominus faciem suam ad

Digitized by Google

Jerusalem, ne videat eam, et obsidebit eam. Signum est domui Israel (*Ezech.* IV).» Et quia in Jerusalem erant multi de decem tribubus, qui ad eos confugerant, etiam de eis locutus est Dominus ad eum : « Fili hominis, sume tibi frumentum, et hordeum, et fabam, et lentem, et milium, et viciam, et facies tibi panem de eis subcinericium in pondere viginti staterum, et operies illum in oculis eorum, ad coquendum, stercore humano.» Cumque hæc abhorreret propheta, concessit ei fimum boum, pro stercore humano. « Et dices ad eos : Sic comedent filii Israel panem suum pollutum inter gentes, ad quas ejiciam eos.» Dixitque iterum Dominus ad eum : « Sume tibi gladium radentem pilos,» id est novaculam, « et duces illum per caput tuum, et barbam, et tertiam partem pilorum combures igni in medio eorum, et tertiam partem concides gladio in circuitu, et tertiam partem disperges in ventum. Hæc enim dicit Dominus ad Jerusalem : Tertia pars tui fame morietur, et peste in medio tui, et tertia pars tui gladio cadet in circuitu tuo, tertiam vero partem in omnem ventum dispergam (*Ezech.* V.).»

CAP. II. *De elevatione et visione Ezechielis.*

Factum est autem in anno sexto, in sexto mense, in quinta die mensis, levavit spiritus prophetam inter cœlum et terram, et adduxit eum in Jerusalem in visione Dei (*Ezech.* VIII). Et vidit ab aquilone in introitu portæ idolum Baal, et ingressus vidit universa idola domus Israel depicta in circuitu per totum, et septuaginta viri de senioribus stabant, et Joconias sacerdos cum eis, et unusquisque habebat thuribulum in manu sua, et vapor nebulæ de thure consurgebat. Et ingressus per ostium portæ ad aquilonem vidit mulieres plangentes Thammuz mortuum, id est *Adonidem*, et laudantes redivivum, et vidit inter vestibulum et altare viginti quinque viros habentes dorsa ad templum, et adorantes ad ortum solis*. Et dixit Dominus ad eum : « Vidisti, fili hominis, quæ faciunt. Nunquid leve est hoc? Ecce faciam eis in furore, nec parcet eis oculus meus. Et ecce sex viri veniebant, habentes vasa interitus in manibus suis, et erat vir in medio eorum vestitus lineis, et atramentarium scriptoris ad renes ejus (*Ezech.* IX). Et dixit Dominus ad eum : « Transi per mediam civitatem, et signa Tau super frontes virorum gementium et dolentium de abominationibus quas ibi faciunt. Et dixit Dominus sex viris : Transite per civitatem, sequentes eum, et percutite omnem super quem non videri is Tau. Nemini parcet oculus vester, et a sanctuario meo incipite.» Cumque pertransirent, clamavit propheta : « Heu, heu, heu, Domine Deus! Ergone disperdes omnes reliquias Israel?» Et dixit Dominus ad eum qui indutus erat lineis : « Imple manum tuam prunis, et effundes super civitatem (*Ezech.* X), et hoc faciens combussit eam. Spiritus autem Domini levavit Ezechielem, et reduxit eum in Chaldæam (*Ezech.* XI). Et locutus est ad transmigrationem quæcunque ostenderat ei Dominus.

Additio 1. Quod erat contra morem eorum, cum introitus esset ad orientem, versus ad Sancta sanctorum, ipsi versus occidentem orabant. Nos autem versus Jerusalem oramus, vel versus orientem.

CAP. III. *De comminatione Jerusalem.*

Post hæc Ezechiel in conspectu eorum per diem cœpit transportare vasa domus suæ, quasi transmigrans ad alium locum (*Ezech.* XII). Vespere autem perfodit parietem, et per ruinam parietis asportaverunt eum in humeris servi ejus, velata facie, nihil videntem. Et dixerunt ad eum domus Israel : « Quid tu facis? Qui respondit : Super regem, qui est in Jerusalem onus istud est. Parietem perfodient, ut educant eum, in caligine noctis egredietur, capietur in sagena*, adducetur in Babylonem, et eam non videbit, ibique morietur. Postea locutus est ad domum Israel in ænigmate, dicens : « Hæc dicit Dominus : Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis et varietate,» hoc est Nabuchodonosor, « venit ad Libanum,» id est ad templum, « et tulit medullam cedri,» id est vasa Domini, « et summitatem frondium transportavit,» id est Joachin, « et tulit de semine terræ,» id est Mathaniam, « et posuit illud in terra, et crevit in vineam,» id est fecit eum regem, et accepit ab eo jusjurandum. « Et facta est aquila altera grandis,» id est Pharao. « Et ecce vinea ista extendit palmites suos ad illam, ut irrigaret eam. Nunquid prosperabitur, qui fecit hæc? Et qui dissolvit pactum, nunquid effugiet? Vivo ego, dicit Dominus, in medio Babylonis morietur (*Ezech.* XVII).» — « Et factum est verbum Domini ad Ezechielem in anno nono, in mense decimo, decima die mensis, dicens : Fili hominis, scribe tibi nomen diei hujus in qua confirmatus est rex Babylonis adversus Jerusalem hodie. Ecce ego tollam hodie a te desiderabile oculorum tuorum, et ingemisces tacens, non plorabis, non planges, luctum mortui faciens, non velabis ora amictu, nec cibos lugentium comedes, sed calceamenta erunt in pedibus tuis tanquam ad eundum. (*Ezech.* XXIV). Et mortua est uxor sua vespere, et non planxit, sed erat quasi furus, et dixerunt ad eum, quid portenderet hoc. Qui respondit : « Hæc dicit Dominus : Ecce ego polluam sanctuarium meum desiderabile oculorum vestrorum, et præ nimia anxietate non plangetis,» quia quisque de nece sua sollicitus erit. Postea consolationem gentis suæ prædixit propheta, calamitates circumstantium nationum, quæ vel juverant hostes contra Jerusalem, vel insultaverant captivis, id est filiorum Ammon, et Moab, Edom, Philisthiim, Tyri, et Sidonis, Ægypti, et Æthiopiæ (*Ezech.* XXV-XXXII).

Additio 1. Quia sicut piscis per sagenam, sic Sedecias fuit captus in campo solitudinis Jerichontinæ.

CAP. IV. *De consolatione Jerusalem.*

Et factum est in duodecimo anno transmigratio-

Digitized by Google

nis undecimo mense, quinta die mensis, venit ad Ezechielem quidam, qui fugerat de Jerusalem dicens : « Vastata est civitas (*Ezech.* XXXIII). » In præcedenti tamen vespere Ezechiel prædixerat, de nuntio futuro. Et audiens omnis transmigratio excidium urbis, et incendium templi, levaverunt vocem suam, et dixerunt : « Periit spes nostra, abscisi sumus. » Et exclamavit Ezechiel : Hæc dicit Dominus : « Cum sanctificatus fuero in vobis tollam vos de gentibus, et adducam vos in terram vestram ; et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. (*Ezech.* XXXVI). »

CAP. V. *De resurrectione mortuorum.*

« Et facta est super prophetam manus Domini, et eduxit eum in Spiritu, in campum qui plenus erat ossibus siccis vehementer". Et ait ad eum : Fili hominis, putasne vivent ossa ista ? et dixi : Domine, tu scis. Et dixit : Dic ad ea : Ossa arida, hæc dicit Dominus : Ecce dabo super vos nervos, et succrescere faciam carnes, et superextendam vobis cutem, dabo vobis spiritum, et vivetis. Et adhuc eo loquente factus est sonus et commotio, et accesserunt ossa ad ossa, ununiquodque ad junctura suam, et ecce super ea nervi, et carnes et cutis, sed spiritum non habebant (*Ezech.* XXXVII). Et dixit Dominus ad prophetam : Clama ad spiritum, et dices : « Hæc dicit Dominus : A quatuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant » Et sic factum est. « Et viventes steterunt super pedes suos, exercitus grandis nimis valde. Et dixit Dominus : Ossa hæc universa domus Israel est. » Et restituit spiritus prophetam in medio transmigrationis, et locutus est ad eos, quæ monstraverat ei Dominus in signum duorum, scilicet revocationis eorum a captivitate, et resurrectionis corporum in fine. Tulit Ezechiel lignum unum, et scripsit super illud, lignum Judæ, et sociorum ejus, et super alterum lignum scripsit, lignum Ephraim", et sociorum ejus, et conjunxit ea, et tenuit ea in una manu simul, et dixerunt ei : « Quid tibi vis in his ? Qui respondit : Hæc dicit Dominus : Ecce ego congregabo regnum Juda, et regnum Ephraim, et faciam eos in gentem unam, et regnum unum, et servus meus David princeps erit eorum in perpetuum. » — « Et locutus est Dominus ad Ezechielem : Fili hominis, vaticinare adversus Gog et terram Magog, dicens : Hæc dicit Dominus : Ecce ego super te, Gog, princeps Mosoch et Thubal, seducam te, ascendere te faciam de lateribus aquilonis, et adducam te super montes Israel, et cades ibi tu, et omnia agmina tua, et dicam volucribus cœli et bestiis terræ : Properate, et currite undique ad victimam, quam immolo vobis super montes Israel, ut comedatis carnem fortium, et sanguinem principum terræ bibatis. Et ossibus corrosis dabo sepulcrum nominatum, et mittam ignem in terram Magog, et in his, qui habitant in insulis confidenter (*Ezech.* XXXVIII, XXXIX). » Hoc fabulantur "" Hebræi futurum post regnum mille annorum, et quod tantus erit exercitus Gog, quod Hebræi per septem annos usum lignorum habebunt, non de silvis, sed de armis, et colligentur ossa septem annis, et sepelientur in valle, quæ ob hoc dicetur Polyandrum"""", quasi *multorum virorum sepultura.*

"*Additio* 1. Quidam Judæi dicunt, quod campus iste fuerit in deserto, ubi tot Judæorum post adorationem vituli interierunt, in quo deserto quadraginta annis postea erraverunt, ubi omnes prostrati sunt insepulti.

""*Additio* 2. Decem tribus dicebantur esse regnum Ephraim propter Jeroboam, qui regnavit primus super illas, et fuit de tribu Ephraim.

"""*Additio* 3. Non quod sit fabula de Gog. et Magog, imo historia, sed quia sic ab Hebræis appellatur.

""""*Additio* 4. A polys, quod est *multum*, et andros, quod est *vir*, vel a polys, quod est *pluralitas*, et andros, quod est *vir;* inde polyandrum, quasi *virorum multorum sepultura.*

CAP. VI. *Quod facta est manus Domini super Ezechielem.*

« In vicesimo quinto anno transmigrationis, » ipse est annus tricesimus tertius regni Nabuchodonosor, « primo mense, decima die mensis, quarto decimo anno, postquam percussa est civitas, in hac ipsa die facta est manus Domini super Ezechielem (*Ezech.* XL). » Et adduxit eum in spiritu in terram Israel, super montem excelsum, et ostendit ei descriptionem civitatis, et templi, super quam ad litteram nostri siluerunt auctores. Porro Ezechiel, in Chaldæa inter concaptivos judicavit transgressores legis, et præcipue quosdam de tribu Dan et Gad, quod in Dominum committerent impia, legis persequendo custodes. Et fecit, ut dicit Epiphanius, contra eos prodigium magnum, quia filii eorum, et universa pecora a serpentibus perierunt; et prædixit quod tribus illæ non reverterentur ad propria, sed in Mediæ regionibus remanerent; propter quod exacerbati in eum, distraxerunt eum equis per crepidines saxorum, et excerebraverunt eum, et sepelierunt eum in agro Maulim in sepulcro Sem, et Artaxad, in spelunca duplici. In cujus similitudinem Abraham in Hebron sepulcrum Saræ composuit (*Gen.* XXIII). Duplex autem dicitur, eo quod camerata sit, et aversa a superficie terræ summitas ejus a parte una, verum ex parte alia in petra suspensa sit super terram. Iste propheta populo dedit signum in fluvio Chobar, ut quando deficeret sustinerent desolationem terræ suæ, tunc sperarent regressum ad Jerusalem, quando inundaret. Ad eum quandoque convenerat plurima multitudo, de captivorum ad fluvium Chobar ; et Chaldæi rebellionem veriti, irruerunt super eos. Ipse vero precibus suis sistens aquas fluminis super aquas ambulans cum omni multitudine, ad alteram ripam se recepit, et quotquot hostium præsumpserant eos sequi, submersi sunt, et per orationem subito largam piscium copiam populo præstitit ad vescendum. Sæpe quoque multis deficientibus vitam restituit.

Digitized by Google

HISTORIA LIBRI DANIELIS.

CAP. I. *Præfatio*

Prophetavit etiam in Chaldæa Daniel, qui secundum Josephum et Epiphanium, de semine regio Judæ fuit; secundum LXX vero de tribu Levi, qui in titulo fabulæ Belis* ita ponunt: Homo quidam erat sacerdos, nomine Daniel, filius Abdo, conviva regis Babylonis; natus fuit in Beteroth superiore. Et fuit adeo castus, quod a contribulibus suis spado putaretur. Librum ejus transtulit Hieronymus ad petitionem Paulæ et Eustochii cum magna difficultate. Scriptus enim erat Hebraicis litteris**, sed Chaldaico sermone, nec legebatur ab Ecclesia secundum LXX, quia multum a veritate discordabat eorum editio, sed secundum Theodotionem, qui apud Hebræos, nec Suzannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis draconisque fabulam. De quo altius ordiemur, hoc præmittens, quod alii prophetarum longe ante captivitatem duarum tribuum de ea prophetarunt, ut Isaias et Osee; alii ea imminente, et dum fieret, ut Jeremias et Ezechiel; alii infra eam, ut Daniel et Habacuc; alii post eam, ut Aggæus et Zacharias. Factum est autem, cum Nabuchodonosor duxisset in Babylonem nobiliores pueros Judæorum et quosdam de semine regio, pulchriores inter eos et doctiores, qui stare possent in palatio regis, ut ait Josephus, castravit, quod etiam aliis gentibus quas vastaverat fecisse dignoscitur (*Dan.* I). Et tradidit eos præposito eunuchorum, et fecit eos erudiri provincialibus litteris, pariter et Chaldæis. Est autem Chaldæa lingua eadem, quæ et Syra, propinqua Hebrææ, et jussit eis ministrari cibos de mensa sua. Fuerunt autem inter eos quatuor optimi de filiis Juda, Daniel, Ananias, Misael, et Azarias, et mutavit eis rex nomina, et dicti sunt, Baltasar, Sidrach, Misach, et Abdenago. Baltasar autem erat nomen regii generis, quod imposuit Danieli, ut dicit Epiphanius, eo quod jam cogitaret de ejus adoptione. Istis quatuor præpositus eunuchorum specialem posuit procuratorem Malasar. Hi proposuerunt non contaminari cibis gentilium. Sed cum cogeret eos Malasar edere de cibis, ne viderentur coram rege cæteris exiliores, dixerunt ad eum: « Tenta nos, obsecro, diebus decem, et da nobis legumina, et aquam, et post hæc contemplare vultus nostros, et reliquorum qui vescuntur cibo regio, et sicut videris, sic facias nobiscum. » Porro Malasar tollebat cibaria et vinum eorum, et dabat eis legumina. Propter hoc animæ eorum erant limpidæ, non hebetes propter multitudinem ciborum, nec confusæ pro varietate, et corpora eorum laboribus aptiora; et subito facti sunt eruditi, quia dedit eis Dominus scientiam, et disciplinam, et præcipue Danieli intelligentiam visionum et somniorum. Et exactis tribus annis statuti sunt in conspectu Nabuchodonosor***, et de omnibus, quæ sciscitatus est rex ab eis, invenit in eis decuplum super cunctos arioios et magos, qui erant in regno ejus. Et fuit Daniel in honore in Chaldæa, etiam usque ad Darium et Cyrum****. Hic terminatur prima Danielis pericopa*****. Sequuntur autem novem vel decem, quæ visiones Danielis dicuntur, eo quod in eis, vel ipse aliquid viderit, vel visum ab alio explanavit,

**Additio* 1. Scriptum de Bele Hebræi fabulam dicunt, non quin de veritate constet, sed ipsi Danielem hæc scripsisse negant.

***Additio* 2. Sicut videmus Gallicum scriptum Latinis litteris, nec tamen omni cognoscenti litteras hoc patet.

****Additio* 3. Nota quia multitudo ciborum hebetat, varietas confundit ingenium.

*****Additio* 4. Qui regnabant super Medos et Persas, qui et dejecerunt regnum Babylonis.

******Additio* 5. Prima distinctio, quæ non dicitur visio, Hieronymus enim per decem distinctiones divisit, non dico libros.

CAP. II. *Prima visio Danielis.*

Porro in anno secundo regni sui vidit Nabuchodonosor somnium, et conterritus est spiritus ejus, et effugit ab eo somnium (*Dan.* II). Nec est intelligendus secundus annus regni ab origine, sed a consummatione. Consummatum autem ejus regnum dicitur, postquam subjugatis sibi nationibus reliquias Israel duxit ab Ægypto. Convocavit ergo rex conjectores Chaldæorum, et dixit ad eos: Vidi somnium, sed ignoro, quid viderim*. Qui responderunt Syriace: Dicat rex somnium servis suis, et interpretationem ejus indicabimus. Et ait rex. Nisi somnium et ejus conjecturam indicaveritis mihi, peribitis, et domus vestræ publicabuntur. Et dixerunt: « Non est homo super terram, qui sermonem tuum possit implere exceptis diis, quorum conversatio non est cum hominibus. » Tunc præcepit rex in ira magna, ut interficerentur omnes sapientes Babylonis. Et quærebatur Daniel, et socii ejus, ut perirent. Quod cum accepisset Daniel, ingressus, rogavit regem, ut daret ei tempus ad solutionem, per unam noctem tantum, dicit Josephus. Et ingressus Daniel ad domum cum sociis suis oravit Deum, et per visionem noctis revelatum est ei mysterium, et benedicens Deum ingressus est ad regem. Et ait ad eum rex: « Poterisne mihi somnium indicare, et interpretationem ejus? » Qui respondit: Non potest hoc homo, sed est Deus in cœlo revelans

Digitized by Google

mysteria, qui indicavit tibi quæ ventura sunt in novissimis temporibus. Visiones capitis tui, id est cordis tui, « hæ sunt. » In corde enim est sapientia secundum Evangelium, non in capite secundum philosophum. « Tu cogitabas in stratu tuo quis post te mundi teneret principatum, et ostendit tibi Deus regnaturos. Videbas coram te statuam grandem et terribilem, cujus caput et collum erat ex auro, collum et brachium de argento, venter et femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis. Et abscissus est lapis de monte sine manibus, et percussit statuam in pedibus, et contrivit eam, et redacta est in favillam, quæ rapitur vento, et non est inventus locus ejus. Lapis autem factus est mons magnus, et implevit universam terram. Nunc audi, rex, interpretationem ejus. Tu es caput aureum; cum his qui succedent tibi. Et post hoc consurget regnum aliud minus te, » quod intelligendum est de regno Medorum et Persarum tanquam per duo brachia, per quæ dejectum est regnum Babylonis. « Et regnum tertium aliud æneum, quod imperabit universæ terræ, » quod intelligendum est de regno Græcorum, quod vocalius, id est nominatius fuit cæteris, vel propter eloquentiam Græcorum, vel propter famam Alexandri. « Et quartum regnum erit quasi ferreum, quia sicut ferrum domat omnia metalla, sic illud conteret omnia hæc; » quod intelligendum est de imperio Romanorum. « Porro quia vidisti partem pedum testeam, partem ferream, sicut ferrum non potest misceri testæ, sic erunt in eo civiles discordiæ, et pars solidabitur, pars altera conteretur. Tunc suscitabit Deus regnum cœli, quod comminuet universa regna hæc, et stabit in æternum. » Super hoc dicit Josephus : « Significavit et Daniel regi de lapide, quod mihi non placuit indicare. Hoc autem referunt Hebræi ad regnum suum, quod exspectant. » Tunc rex cecidit in faciem suam, et adoravit Danielem, dicens : « Vere Deus vester Deus deorum est. » Et dedit Danieli principatum super omnes provincias Babylonis, et super cunctos sapientes. Obtinuit autem Daniel a rege, ut tres socii ejus principatum haberent super provincias, ipse vero præsset in Babylone, et staret in foribus regi.

* *Additio* 1. Hucusque scriptus est liber hic Hebraice, deinde Chaldaice, usque ad visionem, quam vidit in somniis sub Balthasar.

Cap. III. *Secunda visio Danielis.*

Sequitur secunda visio Danielis, quæ ob hoc tantum visio dicitur, quod vidit in ea rex in fornace quartum similem Filio Dei (*Dan.* III). Porro Nabuchodonosor fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine sex, et statuit eam in campo Dura, fluminis scilicet cujusdam, juxta quem gigantes ædificaverunt turrim. Septuaginta dicunt in campo Peribolom, quod interpretatur *conclusum*. Nam erecta statua circumsepivit rex campum, et convocavit rex omnes principes regionum ad dedicationem statuæ, et præco clamabat valenter : « In hora qua audieritis sonitum musicorum, adorate statuam *. Qui non adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. » Et adoraverunt omnes præter socios Danielis, et accusati sunt ad regem, et succensa est fornax septuplum, et missi sunt vincti cum vestibus in medium fornacis, viros autem illos qui miserant eos, interfecit flamma ignis. Quæ sequuntur, usque, « Tunc obstupuit rex, » dixit se Hieronymus non legisse in Hebræo, sed quia in toto orbe dispersa erant**, veru ante posito ea subjecit, ne apud imperitos partem voluminis videretur detruncasse. Porro fornax succensa erat malleolis, id est sarmentis, et pice, et stupa, et naphta, quod secundum Sallustium historiographum, quoddam genus fomitis est apud Persas, secundum alios autem ossa sunt olivarum arefacta cum amurca***, secundum Plinium in terra Babylonis fluit ad modum bituminis. « Et erupit flamma, et incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis, et effusa est super fornacem cubitis quadraginta novem : » quod geometrica regula comprehensum est. « Angelus autem descendit cum eis in fornacem, et excussit flammam, et induxit quasi ventum roris flantem, » id est refrigerantem eos. Tunc Ananias oravit dicens : « Justus es, Domine, peccavimus enim, et tradidisti nos in manus hostium. Sed in animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur a te, et, sicut in holocaustum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum hodie in conspectu tuo, ut placeat tibi****. » Tunc illi tres quasi uno ore benedicebant Deum dicentes : « Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, » etc. et hortabantur omnem creaturam ad benedicendum Deum, procedentes a superioribus ad inferiores. Ex hoc autem quod prædictum est « in animo contrito et spiritu humilitatis, » et quod in canticis legitur : « Benedicite, spiritus et animæ justorum Domino, » erraverunt quidam dicentes esse in homine, præter Spiritum sanctum duo distincta*****, id est spiritum et animam******. Hucusque in Hebræo non habetur. Tunc obstupuit rex, et surgens propere ait : « Nonne tres tantum misimus in ignem, et ecce video viros quatuor ambulantes in medio ignis, et species quarti similis est Filio Dei? » quod de angelo intelligi potest. Tunc vocavit eos rex, et egressi sunt. Et mirabantur omnes quod capillus eorum non esset adustus, nec etiam saraballa immutata. Et ait rex : « Non est Deus alius, qui ita possit salvare. » Et posuit edictum, ut qui blasphemiam loqueretur in Deum eorum periret, et domus ejus vastaretur; et restituit eis principatum provinciarum.

* *Additio* 1. Inde est quod, cum fiunt ordines, ante orationem Epistolæ, qua dicitur : « Deus qui tribus pueris, » etc., non dicitur flectamus genua.

** *Additio* 2. Ea scilicet quæ sequuntur, canticum et quædam alia dispersa quidem, quia translatio Theodotionis, quæ ubique legebatur, ea continebat,

Digitized by Google

ideo timuit Hieronymus ea non apponere, tamen virgulabat ea per obelum.

****Additio* 3. Ossa olivarum, fructus earum aridi, et amurca intinoti fæce olei.

*****Additio* 4. Hinc collige quod sæpe quis orat in forma Ecclesiæ. Isti enim non commiserant peccatum, pro quo traditi fuissent hostibus.

******Additio* 5. Philosophi in hoc errabant quod spiritum dicebant esse quoddam, quo mediante, conjungatur anima corpori.

*******Additio* 6. Theologi autem dicunt duas esse vires animæ, superiorem, quam rationabilitatem, inferiorem, quam sensualitatem dicunt, et sic forte in sententia non differunt philosophi et theologi.

CAP. IV. *Tertia visio Danielis de arbore*, etc.

Sequitur tertia visio Danielis quam non scripsit Daniel, sed est epistola regis, quam scripsit universo regno suo, postquam de bestia restitutus est in hominem et in regnum (*Dan.* IV). In qua prædicavit mirabilia, quæ fecerat apud eum Deus excelsus, forma autem epistolæ hæc est, quam interseruit Daniel operi suo : « Ego Nabuchodonosor florens, et elatus in superbiam, somnium vidi, quod perterruit me, et, convocatis cunctis sapientibus Babylonis, solutionem ejus non indicaverunt mihi, donec ingressus est collega Daniel cui nomen Balthasar*, qui habet spiritum deorum sanctorum, et dixi ei: Videbam super stratum meum, et ecce arbor in medio terræ, cujus proceritas, usque ad cœlum, et aspectus ejus, usque ad terminos terræ, et esca universorum in ea ; et sub ea habitabant animalia, et bestiæ, et in ramis ejus volucres, et ex ea vescebatur omnis caro. Et ecce vigil**, et sanctus de cœlo descendit, et ait : Succidite arborem, et ramos, et fructus ejus, et fugiant ex ea bestiæ et volucres. Verumtamen germen ejus in terra sinite, et cum feris pars ejus in herbis terræ. Cor ejus ab humano commutetur, et cor feræ detur ei, et septem tempora commutentur super eam. In sententia vigilum decretum est, et petitio sanctorum est, donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum, et cui voluerit dabit illud (*Dan.* IV). Tunc Daniel tacitus cogitabat, quasi hora una conturbatus, quia mala portendebantur regi, et ait : « Tu es rex, arbor illa, qui invaluisti, et potestas tua in terminis terræ, et audisti per vigilem sententiam Altissimi super te. Ab hominibus ejicient te, et cum feris erit habitatio tua. Fenum ut bos comedes septem tempora, » id est anni mutabuntur super te, « donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, et relinquetur tibi germen radicis, quia regnum tuum restituetur tibi. Quamobrem audi consilium meum. Peccata tua eleemosynis redime ; forsan ignoscet tibi Deus (*Dan.* IV). » Factum est autem post annum, deambulabat rex in aula, et loquebatur in spiritu elationis, dicens : Nonne hæc est Babylon, quam ædificavi in robore regni, et in gloria decoris mei ? Adhuc erat sermo in ore ejus, vox de cœlo ruit : Tibi dicitur Nabuchodonosor : Regnum transibit a te, et cum feris habitabis septem temporibus, donec scies quod dominetur Excelsus in regno hominum. » Eadem hora ex hominibus abjectus est, et fenum, ut bos comedit, donec capilli ejus canescentes in similitudinem aquilarum crescerent, et ungues ejus, quasi ungues avium. « Igitur post dies diffinitos a Domino ego Nabuchodonosor levavi oculos ad cœlum, et sensus meus redditus est mihi, et benedixi Altissimo cui potestas sempiterna, et non est qui dicat ei : Quare sic fecisti ? Et requisierunt me optimates mei, et in regno meo restitutus sum, et magnificentia amplior reddita est mihi. » Ex his apparet, et Epiphanius attestatur, quod non corporis mutationem, sed mentis alienationem passus est, et ablatus est usus linguæ ad loquendum, et herba data est naturæ cibus humanæ. Et videbatur ei quod bos esset in interioribus, et in posterioribus leo, secundum mysterium tyrannorum, qui in prima ætate voluptatibus dediti, et cervicosi jugo Belial subduntur ; in fine vero interficiunt, diripiunt, et conculcant. Multi quoque egrediebantur, et videbant eum, solus Daniel non egrediebatur, quia toto tempore alienationis ejus orationi pro eo vacabat, et ad preces ejus anni septem, quos totidem dixit tempora, in septem menses versi sunt. In quibus quadraginta diebus insaniam patiebatur, et per alios quadraginta reversus ad cor hominis flebat, et supplicabat Deo, adeo quod ex nimiis fletibus, ut caro oculi ejus facti erant ; et iterum per alios quadraginta dies vertebatur in insaniam, donec septem menses complerentur. Post quos revocatus est, non tamen regnavit, sed statuti sunt pro eo septem judices, et usque ad finem duodecim annorum pœnitentiam egit, panem et carnes non comedens, et vinum non bibens. Leguminibus utebatur, et herbis, secundum consilium Danielis. Et cum iterum regnasset, voluit Danielem facere cohæredem filiorum suorum. Et ait Daniel : « Absit a me, ut patrum relinquens hæreditatem, incircumcisorum donis inhæream ***. » Hic dicit Josephus quod libros Hebraicos ipse in Græcum transtulit eloquium. Et hic mutat Daniel ordinem historiæ. Nos autem ordinem prosequamur.

* *Additio* 1. Ipse enim rex fecerat eum sibi secundum, et quasi collegam suum.

** *Additio* 2. Vigiles solemus appellare castrorum custodes, vigilantes de nocte, quibus similis erat ille.

*** *Additio* 3. Etsi Daniel ordinem historiæ hic mutavit, magister tamen utens recto ordine enumerat reges Babylonis, ut ostendat sub quo viderit quartam visionem, scilicet sub Balthasar quinto a Nabuchodonosor.

CAP. V. *Catalogus regum Babylonis.*

Et mortuus est Nabuchodonosor magnus, et regnavit filius ejus Nabuchodonosor pro eo, qui de manubiis hostium templum Belis magnifice decora-

Digitized by Google

vit, civitatem reparans, ita ut nequaquam obsidentes valerent fluvium avertere, et paternis regalibus majora superaddidit, et in diebus quindecim consummavit, juxta quæ lapides posuit grandes instar montis, et superplantavit arbores, et hortum, qui suspensilis dicebatur, eo quod uxor ejus, qui in finibus Mediæ nutrita fuerat, regionem suam a longe videre desideraret. Hujus meminit Megastenes in libro *Judiciorum*, et asserit eum fortitudine, et actuum magnitudine Herculem transcendisse. Sed et Diocles in libro *Coloniorum* dicit quod iste Nabuchodonosor obsedit Tyrum tribus annis, et decem mensibus *. Eo mortuo, regnavit pro eo Amilitana pagus. Hic est Evilmerodach, qui trigesimo septimo anno transmigrationis, mense duodecimo, vigesima septima die mensis sublevavit caput Joachim, regis Juda de carcere, et posuit thronum ejus super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone et comedebat coram rege cunctis diebus vitæ suæ, et hanc fecit cum eo misericordiam, quia pater ejus non servaverat ei fidem. Tradunt tamen quidam quod Evilmerodach frater minoris Nabuchodonosor, in diebus electionis paternæ, multa egit impie in terra, et, patre restituto, accusatus apud eum, missus est in carcerem, ubi Joachim erat, usque ad mortem fratris sui. Cumque regnare cœpisset, elevavit Joachim, quem socium habuerat in carcere, timensque ne resurgeret pater suus, qui de bestia redierat in hominem, consuluit Joachim. Ad cujus consilium cadaver patris sui effossum, divisit in trecentas partes, et dedit eas trecentis vulturibus. Et ait ad eum Joachim : « Non resurget pater tuus, nisi redeant vultures in unum. » Hic habuit tres filios Egessarium, qui et Recusat dictus est, et Labosardochum, et Nabar, qui Baltassar recognominatus est, ad quem post regna fratrum, regnum devolutum est.

* *Additio* 1. Tyrus insula tunc temporis fuit, et volebat eam continuare terræ, sed postea Alexander hoc consummavit.

Cap. VI. *Quarta visio Danielis.*

Sequitur quarta visio Danielis, non secundum ordinem libri ejus, sed secundum historiam, in qua vidit secundum imagines quatuor bestiarum, quatuor regna, quæ vidit Nabuchodonosor in statua quadriformi; sed additum est de Antichristo, et die judicii. Porro anno primo Baltassar vidit Daniel somnium, cujus summam scribens ait : « Videbam, et ecce quatuor venti pugnabant in medio mari (*Dan.* VII). » Hæ sunt angelicæ potestates, quæ laborant pro regnis mundi quibus præsunt. « Et quatuor bestiæ ascendebant de mari, prima quasi leæna, et habebat alas aquilæ. Et evulsæ sunt alæ ejus, et sublata est de terra, et super pedes quasi homo stetit, et cor ejus datum est ei. » Hoc est regnum Assyriorum, quod comparatur leænæ propter violentiam et libidinis impatientiam, quia leæna semper in coitum gestit. Alas aquilæ habuit propter longævitatem. Nam in secunda ætate inchoans sub Sarug proavo Abrahæ et descendit usque ad quintam sub Baltassar. Quod autem alæ evulsæ sunt, et stetit ut homo, et cor ei datum est, ad dejectionem Nabuchodonosor respicit, et restitutionem. « Secunda bestia similis urso in parte, et tres ordines dentium erant in ore ejus, et in dentibus ejus principes tres, et dicebat ei : Surge, comede carnes plurimas, hoc est regnum Persarum, quod comparatur urso propter patientiam laboris et victus parcitatem. Nam pro pulmento sale utebantur, et cardamomo, sed similis fuit urso in parte, non ex toto, quia in populum Dei nihil crudeliter egit, unde in Zacharia dicuntur equi albi * (*Zach.* VI). Tres ordines dentium habuit, id est tria regna in principio sui, Medorum, Persarum et Chaldæorum, vel tres principes habuit super centum viginti satrapas. Quod dicebant ei, « comede carnes plurimas, » hoc refertur ad Assuerum, cui dixit Aman, ut occideret Judæos (*Esth.* III). « Tertia bestia quasi pardus, et habebat alas avis, et quatuor capita erant in ea, et potestas data est ei ; » hoc est regnum Græcorum, quod comparatur pardo, qui saltu ruit in mortem propter impetum Alexandri. Et varii colores, diversa sub eo regna significant. Alas habuit, quia nihil velocius victoria Alexandri ; quatuor capita ejus quatuor sunt Alexandri successores **. Nec hanc potestatem habuit a se Alexander, sed fuit virga furoris Domini in filios pestilentes. « Quarta bestia terribilis, et fortis, dentes ferreos habens, comedens, et reliqua pedibus conculcans, » hoc est regnum Romanorum, quod nulli bestiæ comparavit Daniel, ut quidquid ferocius in bestiis cogitamus, intelligamus in Romanis. Hebræus tamen dicit « similem fuisse apro, » secundum illud Psalmistæ : « Vastavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam (*Psal.* LXXVI). » Hoc regnum cætera conculcavit. Quod sequitur « et habebat cornua decem, » respicit ad finem mundi, quia tunc regnum Romanorum dividetur in decem regna ; quod significatum est per decem soles in vaticinio Sibyllæ. « Et ecce cornu aliud parvum ortum est de medio eorum. » Hic est Antichristus de tribu Dan ignobilis, in obscuro loco Babyloniæ nasciturus. Ex seminibus quidem parentum concipietur, sed post conceptum spiritus malignus descendet in uterum matris, cujus virtute deinceps puer aletur, nascetur, adolescet ; unde filius perditionis dicitur. « Et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus, » id est tres reges de decem prius interficiet, regem scilicet Africæ, Ægypti, et Æthiopiæ. Tunc alii septem victori colla submittent. « Et ecce quasi oculi hominis erant in eo, » id est alta et mirabilis scientia, quia magice miracula faciet, et inveniet thesauros absconditos. « Et erit ei os loquens ingentia, » quia Deum se dicet, et circumcidet se, dicet se Messiam esse, confluent ad eum Judæi, reædificabit templum, et solium suum ponet in eo, convertet ad se homines terrore, muneribus, miraculis. Eliam, et Enoch interficiet. « Aspiciebam

Digitized by Google

hæc, » id est potestatem hujus, donec throni positi sunt, de quibus in Evangelio : « Sedebitis super thronos (*Luc.* XXII), et Antiquus dierum sedit, » id est Deus æternus judex, qui apud Joannem solus in throno sedet (*Apoc.* VII). » — « Vestimentum ejus quasi nix candidum, et capilli ejus, quasi lana munda, » gloriam majestatis ejus significant. « Thronus ejus flammæ ignis. Rotæ ejus ignis accensus : » hoc est quod alibi dicitur in Psalmo : « Ignis ante ipsum præcedet (*Psal.* XCVI). » — « Fluvius igneus, et rapidus egrediebatur, a facie ejus ; » quod celeritatem judicii notat, quam dicit Apostolus (*I Cor.* XV), « in momento, in ictu oculi » futuram. « Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei, » inculcatio est ; nam decies centena millia, idem est quod millia millium hoc ad exercitus angelorum refertur. « Judicium sedit, et libri aperti sunt, » id est judicibus sedentibus, conscientiæ singulorum patebunt. « Et vidi quod interfecta esset bestia quarta, aliarumque ablata esset potestas, » quia tunc cessabit omnis prælatio, « cum tradet Christus regnum Deo Patri (*ibid.*). »—« Et ecce cum nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat, » quia Christus bajulis nubibus ascendet in aera, secundum illud : « Ita veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (*Act.* I), » et usque ad Antiquum dierum perveniet, quia Christus per omnia æqualis est Patri, « et dedit ei potestatem et honorem, et regnum sempiternum. » Cumque vidisset hæc Daniel accessit ad unum de assistentibus, et quærebat veritatem. Qui exposuit ei singula, hæc addens de Antichristo : « Sanctos Altissimi conteret, et tradentur in manu ejus usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis, » id est usque ad annum, et duos annos, et dimidium anni. Hebræus enim nomine temporis significat annum, et per numerum pluralem duos annos. Hebræus enim habet dualem numerum, sicut et Græcus. Breve erit tempus hoc, sed nisi abbreviati essent illi, non salva fieret omnis caro.

* *Additio* 1. Ubi quatuor colorum equos legitur vidisse, albos, nigros, rufos, varios.

** *Additio* 2. Alexander invidens alicui post se honorem, quem habuerat, contingere, duodecim qui sibi succederent constituit, quorum quatuor tantum regnaverunt.

Cap. VII. *Visio quinta Danielis.*

Sequitur quinta visio Danielis Hebraice scripta in eo, præcedentes vero Chaldaice. « Anno tertio Baltassar ego Daniel eram in Ælam regione, in Susis, » quæ est metropolis Ælamitarum (*Dan.* VIII) ; quæ in Judith vocatur Ecbatanis (*Judith* I). In qua, ut Josephus dicit, fecit Daniel mausoleum regum. « Et vidi in visione me esse super portam Ulai. » Et est Ulai nomen portæ, vel lacus ante portam. « Et ecce aries unus stabat ante paludem habens cornua excelsa, et unum excelsius altero, atque succrescens ; » hic est Cyrus potentior Dario « Et ventilabat cornibus contra occidentem, aquilonem et meridiem ; et omnes bestiæ non poterant resistere ei. » Hoc ad ipsum regnum refertur, non ad personam. « Et ecce hircus veniebat ab occidente, et non tangebat terram. » Hic est Alexander quasi volans, per invia quæque gradiens, ut hircus, ut ab hircis oculorum, quos diversi coloris habuit. « Et venit ad arietem, quem videram, et efferatus est in eum, et percussit arietem, et comminuit duo cornua ejus, » quia Darium, Arsami filium, percussit, et Medos et Persas sibi subjecit ; « et orta sunt ei quatuor cornua, » id est quatuor successores, de quibus suo loco dicemus. « De uno ex eis egressum est cornu modicum, et factum est grande. » Hic est Antiochus Epiphanes descendens a Seleuco. Qui dum esset obses Romæ, evasit in regnum, et magnificatus est « contra meridiem, » id est contra Ægyptios, « et contra orientem, » id est eos qui in Perside res novas moliebantur, « et contra fortitudinem cœli, » id est filios Israel. « Et dejecit de stellis, et conculcavit eas, et usque ad principem fortitudinis, » id est Deum magnificatus est, « et ab eo tulit juge sacrificium, et dejecit locum sanctificationis ejus, » quia in templo statuam Jovis posuit. « Et audivi unum de sanctis loquentem ad alterum, et dicentem : Usquequo juge sacrificium, et sanctuarium, et fortitudo conculcabitur ? Qui respondit : Usque ad vesperam, et mane, dies duo millia trecenti et mundabitur sanctuarium, » quia primo ingressu Antiochi in Jerusalem, usque ad mundationem templi factam a Juda Machabæo per successiones diei et noctis fluxerunt sex anni, menses tres, et dies viginti. » Cumque quæreret Daniel intelligentiam somnii, Gabriel venit ad eum, et indicavit ei. Et per hujusmodi visiones sanctorum, ut ait Josephus, deprehenditur error Epicureorum, qui hunc mundum sine rectore et sine Dei providentia casu ferri confirmant, quia si mundus sine præsule esset, olim deperisset, sicut navis desolata rectore, nec secundum prophetias omnia provenirent.

Cap. VIII. *Visio sexta.*

Sequitur sexta visio Danielis, quæ quarta est in Daniele, sed Hieronymus sextam eam vocat in prologo Habacuc, et hæc Chaldaice scripta est. Factum est ut Cyrus et Darius obsiderent Baltassar in Babylone. » Baltassar vero fecit grande convivium optimatibus suis mille, et fecit ut afferrentur vasa, quæ asportaverat Nabuchodonosor avus suus de templo Domini, et bibebant in eis rex, et optimates, et uxores, et concubinæ ejus, et laudabant deos suos (*Dan.* V). » Secundum Josephum, solemnitas erat in Babylone instituta ob tuitionem urbis. Fabulantur Hebræi quod Baltassar intellexerat septuaginta annos captivitatis, quos prædixerat Jeremias fluxisse, et tamen Hebræi non erant liberati a jurisdictione sua ; unde exsultabat, et diis suis gratias agebat. Sane illa annorum septuagena nondum fluxerat, sed septima decas jam decurrebat. In eadem hora apparuit contra eum manus scribens in pariete.

Digitized by Google

Cumque rex vidisset, et manum et scripturam, incertum est utrum astantes vidissent manum, scripturam quidem viderunt. Postquam manus evanuit, conturbatus est rex, et genua ejus ad se invicem collidebantur, et exclamavit fortiter ut introducerentur magi Chaldæorum. Et ait ad eos : « Qui legerit scripturam hanc, et interpretationem ejus dixerit, purpura vestietur, torquem auream habebit in collo, et tertius erit in regno meo, id est unus erit trium principum, qui præsunt satrapis. » Illi autem non potuerunt scripturam legere. Et ingressa est regina, non uxor, secundum Porphyrium, sed avia, secundum Josephum, vel mater secundum Origenem. Et ait ad regem : « Est vir in regno tuo, qui spiritum deorum habet, quem pater tuus, » id est avus, « principem magorum constituit. Hic vocetur, et omnia dicet tibi. » Cumque intrasset Daniel promisit ei rex munera, quæ et supra. Qui respondit : « Munera tua sint tibi, vel alteri da. Scriptura autem legam tibi, rex, et exponam. Nosti quod Deus excelsus dederat regnum patri tuo, et non cognovit. Propterea fenum, ut bos, comedit, donec cognosceret. Tu quoque cum scires hæc omnia, adversus Deum cœli elevatus es; et vasa ejus profanasti tradens ea manibus immundis, et bibens in eis, deos laudasti; qui nec vivunt, nec sentiunt, Deum vero qui statum tuum in manu sua habet, non glorificasti, propterea ista coram te exaltata sunt : MANE, THECEL, PHARES, quod sonat *numerus, appensio, divisio*. Et est sensus : « Numeravit Deus regnum tuum, » id est complevit illud, et est dictum per simile pecuniæ, quæ numerata tollitur, et absconditur, « appensus es in statera, et inventus es minus habens, » id est justo Dei judicio minus vives, quam putabas, « divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis, » vel fractum est regnum tuum : nam Phares *fragmentum* significat. Et tradidit rex munera Danieli, quæ promiserat*. Eadem nocte capta est Babylon. Nam Cyrus diviserat Euphratem longe a civitate per plures rivos, ut alveum, qui influebat in civitatem, vadabilem faceret, et per ipsum ingressi sunt hostes in civitatem sub muro, et interfectus est Baltassar, et successit ei Darius in regnum, annos natus septuaginta duo ubi alii libri habent sexaginta duo, alii quadraginta et duo. Nam Cyrus ei tanquam majori honorem in omnibus deferebat. Quod autem eadem nocte visionis capta sit civitas, apparet in Isaia qui loquens ad Baltassar ait : « Pone mensam, et contemplare in specula comedentes, et bibentes, surgite principes, arripite clypeos (*Isa.* XXI). Quidam tradunt quod mater Baltassar, pro qua factus est hortus suspensibilis, filia fuit Darii, et quia Baltassar filium non habebat, Darius festinabat occupare regnum.

* *Additio* 1. Vel ideo, quia putabat hostes recessisse, cum illi ad dividendum fluvium abissent, ut juxta civitatem vadabilem facerent. Vel quia confœderati ei Darius et Cyrus, illis fecit convivium : sed illi inter epulas occiderunt eum

** *Additio* 2. Nec tamen fuit Daniel Simoniacus, quia sponte oblata suscepit.

CAP. IX. *Visio septima.*

Sequitur septima visio Danielis (*Dan.* VI). Porro Darius sumens Danielem duxit eum secum in Mediam. Et fecerat eum unum de tribus satrapis, qui præerant centum vicenis, sed in Daniele spiritus Dei amplior erat. Et cogitabat rex constituere eum super omne regnum. Unde principes invidebant ei, et quærebant occasionem accusandi eum ex latere regis, id est pro eo quod erat ex latere regis. Fabulantur Hebræi, quia quærebant occasionem in sermone, tactu, nutu, vel internuntio ad reginam, vel ad aliquam concubinarum regis, nullamque causam reperire potuerunt, eo quod fidelis esset, et super thesauros erat, dicit Josephus, quia adeo justus erat, ut munera oblata respueret. Et dixerunt principes : « Non inveniemus occasionem adversus eum; nisi in lege Dei sui, » et subripuerunt regi dicentes : « Consilium inierunt cuncti principes regni tui, et satrapæ, et judices, quod quicunque petierit aliquid a quocunque deo, vel homine, usque ad dies triginta, nisi a te rex, mittatur in lacum leonum. Nunc itaque confirma sententiam, et scribe decretum. » Et acquievit rex. Porro Daniel ingressus est domum suam, et fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem, tribus temporibus in die flectens genua, orabat. Tribus horis orabant Judæi in die, scilicet hora tertia, sexta, et nona, sicut legitur de Apostolo, quod tribus vicibus orabat in die; de Petro et Joanne, quod ascendebant ad horam orationis nonam (*Act.* III). In tertia orabant, quia tunc eis datus est decalogus in Sina (*Exod.* XX). In eadem orat Ecclesia, quia tunc est datus Spiritus sanctus super apostolos (*Act.* III). In sexta orabant, quia tunc erectus est serpens æneus in deserto (*Num.* XXI). In eadem orat Ecclesia, quia tunc est Christus suspensus in ligno (*Luc.* XXIII). In nona orabant, quia tunc dedit petra aquam in Cades (*Núm.* XX). In eadem orat Ecclesia, quia tunc de Christo lanceato exivit sanguis et aqua (*Joan.* XIX). Cumque invenissent viri illi Danielem orantem, accusaverunt eum ad regem de transgressione decreti. Et contristatus rex, posuit cor, ut liberaret eum laborans, usque ad occasum solis. Quod intelligentes viri dixerunt : « Scito, quia lex hujus regni est, ut decretum regis non liceat immutari. Tunc miserunt Danielem in lacum leonum, et obsignavit rex annulo suo, et annulis optimatum lapidem, qui pro januis positus erat. Et incœnatus rex, totam noctem duxit insomnem, et diluculo rediit rex ad lacum, et flens exclamavit : « Daniel, serve Dei, valuitne Deus tuus liberare te a leonibus? » Qui respondit : « Deus meus misit mihi angelum suum, et conclusit ora leonum, quia non est inventa in me iniquitas. » Forte quia vidit angelum, vocatur hæc pericopa visio. Et eductus est Daniel de lacu leonum in nullo læsus. Et dixerunt qui accusabant eum, non Dei providentia hoc

Digitized by Google

factum, sed quia saturati erant leones. Tunc rex jussit leonibus multas carnes apponi, eisque satiatis, accusatores Danielis misit in lacum cum uxoribus et filiis, et non pervenerunt usque ad pavimentum, donec arriperent eos leones, et omnia ossa eorum comminuerent. Tunc scripsit Darius universo regno suo dicens : « Paveant omnes Deum Danielis; ipse est enim Deus vivens, et æternus in sæcula. » Et ægrotavit Daniel per dies plurimos. Cumque surrexisset, faciebat opera regis, forte mausoleum in Ecbatanis, quod hactenus manet, ut dicit Josephus, ita mirabile, ut ea die qua conspicitur putetur esse constructum. Ibi sepeliuntur Medorum reges et Persarum pariter, et Parthorum; et cui cura illius committitur sacerdos est Medorum.

Cap. X. — *Visio octava.*

Sequitur octava visio Danielis (*Dan.* IX). « In anno primo Darii filii Assueri, » qui et Astyages dictus est, « qui subjugavit sibi regnum Chaldæorum, ego Daniel intellexi in libris » Jeremiæ, « ut complerentur, » id est ad completionem appropinquarent, « desolationis Jerusalem anni septuaginta, et oravi Dominum in jejuniis, et sacco et cinere, dicens : Justus es, Domine, peccavimus, iniquitatem fecimus, et adduxisti eam super nos. Avertatur, obsecro, ira tua a civitate tua Jerusalem, et a monte sancto tuo. Ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est. Exaudi, Domine, placare, Domine, attende; et fac, ne moreris. Adhuc me loquente, ecce vir Gabriel tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et ait : Ab exordio precum tuarum egressa est liberationis sententia a Deo. Ego autem veni, ut indicarem tibi eam, et etiam quædam alia, quia vir desideriorum es tu. Tu ergo animadverte visionem, et sermonem intellige. » Tunc aperuit ei liberationem spiritualem futuram per Christum, forsan imminentem, pro qua orabat; differt, quia post dicet de ea exauditum, ibi. « Noli metuere (*Dan.* X). » Addidit etiam de destructione per Romanos : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem tuam sanctam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetiæ, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo et animadverte : Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem; usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ erunt. » His verbis Christi incarnationem designat angelus, qui legem, prophetias implevit, peccata tulit, et justitiam adduxit, et unctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis (*Psal.* XLIV). Et proposuit hebdomadas, non dierum, sed annorum, ut septem anni sint hebdomada una. Abbreviatas vero dixit, ut intelligamus annos lunares, qui breviores sunt solaribus undecim diebus. Septuaginta ergo hebdomades annorum solarium faciunt annos quadringentos septuaginta quinque, lunarium vero annorum, faciunt annos quadringentos nonaginta. Est ergo sensus, quod ab exitu sermonis, ut reædificetur Jerusalem, usque ad ducem Christum fluxerunt anni lunares quadringenti nonaginta. Cœpit ergo Beda numerare a vigesimo anno regni Artaxerxis, in quo Nehemias, pincerna ejus, impetravit ab eo ut restituerentur muri Jerusalem, et restituit eos in multa angustia. Ab illa, inquam, licentia a rege accepta usque ad Christi passionem, fluxerunt anni lunares quadringenti nonaginta : et hanc summam annorum computat secundum annos regum, qui descenderunt, usque ad decimum octavum annum imperii Tiberii Cæsaris. Et statim modicum interseruit Daniel, « et reædificabitur platea et muri in angustia temporum » propter timorem. De septuaginta vero hebdomadibus annorum separavit Daniel ultimam dicens : « Confirmabit autem pactum multis hebdomada una. » Quod intelligendum est de tribus annis, et dimidio, quibus prædicavit Christus, et quod patribus promiserat confirmavit. Nam jam tres anni et dimidius hujus hebdomadis novissimæ præterierant, quando baptizatus est Dominus, « et in dimidio » ejusdem « hebdomadis » residuo circa finem, « deficiet hostia et sacrificium, » id est veniente veritate cessabunt umbræ, « et in templo erit abominatio desolationis, » id est abominanda et desolanda erunt sacrificia post mortem Christi, « et usque ad finem » mundi « durabit hæc desolatio. » Supra vero in littera posuit Daniel tempus mortis Christi, dicens : « Et post hebdomades sexaginta duas, » subaudi, et septem, et novissimam, quam in duas partes divisimus, « occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est », « dixerunt enim : « Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX). » Et alibi : « Hunc nescimus unde sit (*Joan.* VII). »

Quod vero sequitur : « Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus, » ad septuaginta hebdomades non pertinet. Sed prophetato tempore adventus Christi et mortis, prophetavit quid venturum erat populo, qui noluit eum recipere, dicens : « Et dissipabit civitatem et sanctuarium, » populus scilicet Romanus, « cum duce suo venturo, et finis ejus erit vastitas, et post finem belli statuta » a Deo in æternum « desolatio. » Et nota quod ex duobus quæ hic leguntur, scilicet « ungetur Sanctus sanctorum, » et « deficiet hostia, » sumitur illud quod solet dici Judæis : Cum venerit Sanctus sanctorum, cessavit unctio vestra. Africanus huic enumerationi Bedæ consonat in principio, sed in fine differt **. Non enim extendit septuaginta hebdomades, nisi usque ad decimum quintum annum Tiberii, in quo baptizatus est Christus. Tertullianus vero inchoat numerare hebdomadas illas a primo anno Darii, in quo egressus est sermo a Domino ad Danielem per angelum, ut iterum reædificarentur muri Jerusalem. Et extendit eas usque ad captivitatem factam per Romanos. Et tunc pertinet ad septuaginta hebdomades; quod dictum est, quia « civitatem, et sanctuarium dissipavit populus cum duce venturo. » Hebræi sic exponunt : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt

Digitized by Google

super populum tuum. » Quasi dicat : O Daniel, scito ab hac die, qua nunc tibi loquor. Erat autem annus primus Darii, qui occidit Baltassar, et regnum Chaldæorum in Persas Medosque transtulit, usque ad septuagesimum annum hebdomadarum, id est usque ad annos quadringentos nonaginta. Hæc populo tuo per partes accident : primum propitiabitur tibi Deus sicut precaris, et delebitur peccatum, et finem accipiet prævaricatio. Nunc enim, urbe et templo destructis, in luctu est populus, sed in brevi restaurabitur, et non solum in his septuaginta hebdomadibus hæc fient, sed nascetur Christus justitia sempiterna, et signabitur visio, et prophetes, ut propheta non inveniatur in Israel, et ungatur Sanctus sanctorum, de quo dicitur in Psalmo : « Propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV), qui dicit : « Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum (*Levit.* XX). » Scito ergo quoniam ab hac die quam nunc tibi loquor et Dei sermonem promitto, quod revertatur populus, et Jerusalem instauretur. Usque ad Christum et desolationem templi, hebdomades numerentur sexaginta duæ, et aliæ septem in quibus, juxta ordinem suum, duæ res fient, de quibus ante dixi, quod revertatur populus, et reædificetur platea a Nehemia et Esdra. In fine ergo hebdomadarum complebitur Dei sententia in angustia temporum, quando rursus destruetur templum, et capietur civitas. Nam « post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui negaturus est eum *** ; » sive, ut quidam Hebræi dicunt, non erit ejus imperium, quod putabat se recepturum. Et quid dico de Christo occidendo et negaturo populo, penitus deserendo, cum et civitatem et sanctuarium dissipaturus sit populus Romanus cum duce venturo, id est Vespasiano. Quo mortuo, transactis septem hebdomadibus, id est annis quadraginta novem, Ælius Adrianus, a quo postea de ruinis Jerusalem urbs Ælia condita est, rebellantes Judæos, Rufo magistro exercitus pugnante, superavit, et tunc defecit hostia et sacrificium, et usque ad consummationem mundi continuabitur desolatio. Non vos moveat, inquiunt Hebræi, si prius numerantur septem hebdomades, et postea sexaginta duæ et rursus in duas partes dividatur una. Est enim hoc idioma Hebræi sermonis, et antiquæ latinitatis, ut ante numerum minorem supputent, post majorem ; verbi gratia, nos juxta proprietatem linguæ nostræ dicimus : Vixit Abraham centum septuaginta quinque annis ; ille econtrario, vixit Abraham quinque septuaginta centum annis. Non igitur ut legitur, ita adimpletur, sed ut totum pariter supputatur, ita finem accepit. Nec ignorandum quosdam illorum dixisse, quod una hebdomada de qua dicitur : « Confirmabit pactum multis hebdomada una, » dividatur in Vespasianum et Adrianum, ut, juxta historiam Josephi, Vespasianus et Titus tribus annis et sex mensibus pacem cum Judæis fecerunt, tres autem annis, et sex menses sub Adriano, computentur, quando Jerusalem omnino subversa est, et Judæi catervatim cæsi, ita ut Judææ quoque finibus propellerentur. Hæc aiunt Hebræi, non magnopere curantes, a primo anno Darii regis Persarum, usque ad extremam eversionem Jerusalem, quæ sub Adriano accidit, computari olympiades centum septuaginta duas, hoc est annos sexcentos nonaginta sex, qui faciunt hebdomadas Hebraicas nonaginta novem et annos tres, quando Corbas dux Hebræorum est oppressus, et Jerusalem usque ad solum diruta est.

Additio 1. — In Hebræo non habetur, « populus qui eum negaturus est, » quorum etiam littera sane non potest legi. « Occidetur Christus, et non erit ejus hoc, » scilicet occidi, sed ex natura nostra.

** *Additio* 2. — Cum hæc forma verborum in Daniele non reperiatur.

*** *Additio* 3.—Unde : « Et illudentes ei dicebant : Ave, rex Judæorum (*Matth.* XXVII). »

CAP. XI. — *Visio nona.*

Sequitur nona visio Danielis, quam cum sequenti quidam dicunt esse unam (*Dan.* X). Sed Hieronymus, secundum Hebraicam veritatem, tradit esse duas, et utraque scripta est in Daniele Hebraice. Porro utramque vidit Daniel : unam quidem vidit, sed alteram audivit, anno tertio regni Cyri regis Persarum, et in eadem die ejusdem anni in hunc modum : « Primo anno Darii, Daniel intelligens imminere septuagesimum annum captivitatis liberandæ, oravit Dominum, ut Darius et Cyrus liberarent populum suum. Et data est sententia a Deo de licentia redeundi danda ; et hanc egressam a Domino, supra nuntiavit Danieli Gabriel. Et ex tunc Darius disponebat de libertate et licentia danda Hebræis, sed præventus morte non implevit. Cyrus autem primo anno regni sui dedit eis eamdem libertatem, quam habebant indigenæ, et licentiam redeundi. Ipsi vero quia fere omnes nati erant in Chaldæa, et possessiones ibi habebant, eligebant remanere in terra nativitatis suæ. Pauci vero, qui ascendere disponebant in Judæam, pigri erant et morosi, etiam usque ad tertium annum Cyri. Quod attendens Daniel, vehementius affligebatur dolore quam prius, et orabat Dominum, ut qui prius dederat regibus animum liberandi, daret et populo animum redeundi. Factum est ergo tertio anno regni Cyri, primo mense, prima die mensis, lugebat Daniel trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedit, carnes, et vinum non gustavit, nec usus est unguento pro balneis, more Persarum. Die autem vigesima quarta, dum esset juxta fluvium qui est Tigris, vidit. Et ecce vir vestitus lineis, accinctus zona aurea, cujus facies quasi fulgor, oculi ut lampades, torax corporis quasi chrysolithus, quæ deorsum erant brachia, scilicet, femora, tibiæ, et pedes quasi æs candens, et sermo ejus quasi vox multitudinis loquentis. Porro viri, qui erant cum eo territi fugerunt, et solus vidit visionem, et corruit in faciem suam. Sed vir ille accessit, et erigens eum, et confortans ait : « Noli metuere, Daniel, quia ex die primo mensis, quo po-

Digitized by Google

suisti cor tuum, ut te affligeres coram Deo, exaudita sunt verba tua, et egressa est sententia a Deo de reditu populi, et eadem die volui ad te venire, ut nuntiarem tibi : sed princeps regni Persarum restitit mihi viginti diebus, et uno. Cumque tunc egrederer, apparuit princeps Græcorum, veniens, ut adversaretur principi Persarum, et mihi, et aliquantulam feci moram. Sed nunc venio, ut certificem te de reditu populi, et in his nemo est mihi adjutor, nisi Michael princeps vester. » Hos duos principes Græcorum et Persarum, dicit Hieronymus, esse angelos malos, qui appositi sunt regnis illis ad exercitium. Laborabat itaque angelus Persarum, ne Hebræi liberarentur a dominio Persarum, tum quia delectabatur afflictionibus eorum, tum ut Persæ diutius affligentes eos, gravius peccarent. Laborabat etiam angelus Græcorum, ut Persæ et captivitas Hebræorum cum eis, transirent in dominium Græcorum. Gregorius autem vult eos fuisse angelos bonos, qui satagebant ne tam cito liberarentur Judæi, ut, si quid adhuc erat purgandum in eis, purgaretur, et decoquerentur usque ad unguem. Præterea addidit vir ille : « Nunc revertar, ut prælier adversus principem Persarum; verumtamen prius annuntiabo tibi, quod expressum est in Scriptura veritatis, » de quibusdam aliis, quorum geris sollicitudinem. Porro a primo anno Darii, orabat Daniel pro eo, ut staret et roboraretur regnum ejus, et sollicitus erat de successoribus regni Persarum, volens eos scire. De quorum manifestatione sequitur decima visio, in qua primum inducitur Daniel loquens sic :

CAP. XII. *Visio decima.*

« Ego autem a primo anno Darii meditabar in conspectu Dei, ut confortaretur et roboraretur ipse Darius (*Dan.* II). » Et statim fit metaplasmus, qui frequens est in prophetis, et introducitur vir ille prædictus, loquens ad Danielem sic : « Et tunc veritatem annuntiabo tibi, » quia ecce adhuc post Darium et Cyrum, qui nunc sunt tres reges stabunt in Perside, Cambyses scilicet, Smerdes Magus, Darius filius Hystaspis, et quartus, scilicet Xerxes, filius Darii super omnes erit, et concitabit omnes adversum regnum Græciæ. De isto legitur, quia succendit Athenas, et bellum navale egit apud Salaminam quando Sophocles, et Euripides clari habebantur, et Themistocles in Persiam fugiens hausto sanguine tauri periit. Tunc vir, qui loquebatur Danieli, prætermisit omnes reges, usque ad Alexandrum Magnum, et ait : « Surget vero rex fortis, et faciet quod placuerit ei, et cum steterit, conteretur regnum ejus, et dividetur in quatuor ventos cœli. » In Ægypto enim, quæ est ad meridiem primus regnavit Ptolemæus, Lagi filius. In Macedonia Philippus, qui et Aridæus, frater Alexandri, quæ est ad occidentem Syriæ et Babyloniæ, et superioribus locis qui sunt ad orientem, præfuit Seleucus. Nicanor imperavit Asiæ, et Ponto, et cæteris in eadem plaga provinciis. Antigonus vero ad septentrionem. Et hoc secundum orbis totius plagas dicimus. Qui autem in Judæa est ad aquilonem Syriam, ad meridiem Ægyptum habet. De regno Ægypti et Syriæ tantum prosequitur Daniel, quia sub his afflictus est populus Dei vicissim. Porro post Alexandrum regnavit in Ægypto Ptolemæus, Lagi filius, a quo sequentes reges Ægypti Ptolemæi dicti sunt. Post Ptolemæus Philadelphus, post Ptolemæus Evergetes, post Ptolemæus Philopater, post Ptolemæus Epiphanes. In Syria post Alexandrum regnavit Seleucus, post Antiochus Soter, a quo successores Antiochi dicti sunt, post Antiochus Theos, post, Antiochus Gallinicus, post Antiochus Magnus, post Antiochus Epiphanes. De his prosequitur vir loquens ad Danielem, incipiens a rege Ægypti sic : « Et confortabitur rex austri. » Hic est Ptolemæus, Lagi filius, adeo fortis ut Pyrrhum regem Epirotarum expulsum restitueret in regnum, et, devicto Demetrio, filio Antigoni, Seleuco regni sui partem, quam Antigonus abstulerat restituit, Cyprum, Phœnicem, et regiones multas et insulas sibi subjugavit. Cui successit Ptolemæus Philadelphus, qui primus ab Æthiopia adduxit quadringentos elephantes, turres ligneas eis superponens, in quibus posuit armatos ad dimicandum, sub quo LXX interpretes claruerunt. Hic pugnavit contra Antiochum Theos regem Syriæ, sed postea fœderati sunt. Nam Antiochus duxit uxorem Berenicem, filiam Philadelphi, repudiata priori uxore Laodice : quæ cum redisset in gratiam viri, occidit veneno virum, et filium quem susceperat de Berenice, Gallinicum vero filium suum fecit regem Syriæ. Evergetes vero, qui successit Philadelpho in ultionem Berenice sororis vastavit Syriam. Sed audito quod principes Ægypti conspiraverant adversus eum, rediit in Ægyptum, trahens secum de Syria prædam multam nimis, et simulacrorum duo millia sexcenta talenta. Porro Gallinicus duos filios reliquit, Seleucum et Antiochum Magnum; sed Antiochus, occiso fratre suo, regnavit, et congressus cum rege Ægypti Philopatre victus est, per desertum fugiens, et pene captus. Philopatri vero successit in Ægypto Epiphanes cum esset quatuor annorum, et cœpit Antiochus Magnus infestare eum. Sed principes Ægypti dimicabant pro puero. Sub Epiphane, Onias sacerdos, assumptis plurimis Judæorum, fugit in Ægyptum, et accepit a rege regionem quæ Heliopoleos vocabatur, et in ea exstruxit templum simile templo Judæorum, asserens se implere vaticinium Isaiæ scribentis : « Erit altare Domini in Ægypto, et titulus ejus in terminis ejus (*Isa.* XIX). » Hoc templum permansit annis ducentis quinquaginta usque ad Vespasianum, qui civitatem ipsam, quæ dicebatur Oniæ, et templum funditus evertit. Porro Antiochus Magnus reliquit duos filios Seleucum et Antiochum Epiphanem; sed Epiphanes, per fraudem ejecto fratre, vel occiso, regnavit in Syria.

Hucusque de ordine historiæ inter Porphyrium, et nostros nulla est contentio : quæ sequuntur exponit Porphyrius de Antiocho tantum. Exposuit

Digitized by Google

enim Danielem, ut infamaret eum. Nos autem mistim exposuimus de Antiocho et Antichristo, quædam tamen specialiter de Antiocho, et quædam de Antichristo, ut illud de Antiocho : « Et comedentes panem cum eo, » et cætera, usque illuc, et venient super eum trieres, et Romani. » Antiochus enim Epiphanes dedit sororem suam uxorem Epiphanio regi Ægypti in dolum, qui suscepit ex ea duos filios. Tunc Antiochus ingressus est Ægyptum, tanquam visurus sororem et nepotes, sed inter epulas fecit occidi virum sororis, et voluit obtinere Ægyptum, sed Ægyptii viriliter resistentes dejecerunt eum. Post biennium reversus obsedit Alexandriam, et ecce legati Romanorum missi sunt ad Ægyptios liberandos, quibus fœderati erant. Cumque applicuissent, egressus est eis obviam Antiochus, et dum starent in littore, dixit ei Marcus Publius Lenas : « Senatus populusque Romanus præcipiunt tibi recedere ab amicis suis. » Cumque ille peteret inducias respondendi, Marcus circa illum fecit circulum in sabulo cum virga, et ait : « Senatus populusque Romanus præcipiunt tibi, ne egrediaris de hoc circulo, donec respondeas. Ad quem Antiochus : « Si sic visum est senatui et populo Romano, recedendum est. « Et recessit ab Ægypto. » Similiter et quod sequitur de Antiocho tantum intelligendum est : « Et erit in concupiscentiis feminarum. » Nam Antichristus castus erit ob simulationem religionis. Quod vero sequitur : « Deum in Moazim in loco suo venerabitur, » utrique congruit. Moazim enim præsidium sonat, et Antiochus in Jerusalem præsidium posuit, et idolum Jovis, Antichristus vero diabolum Deum, et præsidem suum venerabitur. Porro Antichristo tantum congruit id quod sequitur : « Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria. » Apadno interpretatur *solium suum*. Et est sensus : Figet tabernaculum solii sui in Jerusalem, quæ sita est inter mare Mortuum, et Tyrrhenum. Et « super montem inclytum et sanctum, » id est in monte Oliveti, « et ponet tabernaculum suum, et veniet usque ad summitatem ejus, » id est ad locum unde Dominus ascendit, « et nemo auxiliabitur ei, » quia audietur vox in aere dicens : Morere ; et statim fulminabitur.

Postea prosequitur visio de Antichristi tempore, et conversione Judæorum, et resurrectione mortuorum, dicens : « Et veniet tempus quale non fuit ex quo gentes cœperunt esse. Et stabit Michael pro filiis populi tui, et salvabitur ex eis omnis, qui scriptus erit in libro Dei. Et multitudo omnium, qui dormiunt in pulvere terræ evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper (*Dan.* XII). » Non quidem bonos, quia tolletur impius, ne videat gloriam Dei (*Isa.* XXVI), sed ut videant opprobrium suum semper. « Tu autem, Daniel, signa librum, » id est scribe mysteria, sed non expone. « Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia. » Quasi diceret : Relinque posteris materiam exercitii. Et desiderabat Daniel scire quanto tempore duraret persecutio Antichristi. Et vidit principem Persarum stantem in ripa fluminis, et principem Græcorum stantem in altera, et virum indutum lineis stantem in medio super aquas, et dixit ad eum : « Usquequo finis horum mirabilium ? » Et elevans ille utramque manum, juravit per Viventem in æternum : « Quia in tempus et tempora, et dimidium temporis. » Et ait Daniel : « Domine, quid erit post hæc ? Et respondens ille iteravit idem tempus, sed per alia verba, dicens : « Cum ablatum fuerit juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, » hoc est, cum ablato cultu Dei et desolato, Antichristus abominabiliter exhibebit se adorandum, « et erunt dies mille ducenti nonaginta, » id est tres anni et semis. Postea intulit, quid erit post hæc. Respondet dicens : « Beatus, qui exspectat, et pervenit ad dies mille trecentos triginta quinque. » Si diebus mille ducenti nonaginta addantur dies quadraginta quinque, fient dies mille trecenti triginta quinque. Ita post mortem Antichristi dabuntur lapsis quadraginta quinque dies ad pœnitentiam. Et est sensus : Beatus erit, qui post dies persecutionis perveniet ad dies superadditos pœnitentiæ. Tu autem, Daniel, interim vades ad præfinitum tempus vitæ tuæ, et requiesces et in fine dierum stabis in sorte tua, id est resurges in ordine tuo.

Cap. XIII. *De Susanna.*

Sequitur historia Susannæ, quam Hebræus non habet in libro Danielis. Et vocat eam fabulam, non quod inficietur rem gestam, sed quod in ea falsum legitur de sacerdotibus lapidatis, quos Jeremias adustos testatur. Et quia fabulamur eam scriptam a Daniele, cum a quodam Græco scripta fuerit : quod probatur ex eo quod quædam allusio verborum facta sit ibi nominibus arborum, videlicet apotoy, eymi, cyse, apotoy, primi, prise. Tales enim allusiones verborum, et arborum nomina, non inveniuntur in Hebræo. In translatione quidem nostra una ex eis allusionibus qualiscunque legitur, ut cum dixisset sacerdos sub schino, respondit Daniel verbum, quasi alludens nomini, *scindet te medium*. Expressius fieret, si diceretur ita, sub ilice, et adderetur : Illico angelus Domini scindet te. Eadem allusio potest fieri verbi ad nomen temporis, ut si diceretur : Factum est hoc feria secunda, et responderetur : Feriat te Deus. Hanc eamdem historiam vocat Origenes fabulam in decimo *Stromatum*, id est *Instructionum*, forte secundum editionem, quam sub obelo * et asterisco composuit, stromata vocavit, quia per eam plenius nos instruxit. Appareret autem hoc factum esse adhuc recenti captivitate, quia Daniel adhuc juvenis erat. Porro Susanna, uxor Joachim, pulchra erat nimis (*Dan.* XIII). Et exarserunt in eam duo seniores judices illius anni, de quibus dicit Dominus : « Iniquitas egressa est in Babylone a senioribus judicibus. » Tradunt Hebræi quia mulieres in hoc decipiebantur, quia dicebant se esse de stirpe David, et Christum de semine

Digitized by Google

suo nasciturum. « Hi statuerunt in commune tempus, quo Susannam possent invenire solam, » et latuerunt post meridiem in pomario Helciæ. Et ingressa est Susanna volens lavari, id est ungi pro consuetudine terræ, et misit puellas ad afferendum oleum et smegmata. Est autem proprie smegma hordeum cum palea, unde faciunt mulieres decoctionem forte ad nitorem faciei. Tunc currentes senes ad eam dixerunt : « Commiscere nobiscum, alioquin feremus contra te testimonium adulterii. » Et elegit Susanna incidere in manus eorum, potius quam peccare in Deum. Et exclamavit : et accurrentes famuli, erubuerunt, cum audissent senes loqui. Altera die statuta est Susanna in medio populi, et ponentes senes manus suas super caput ejus, contestati sunt se vidisse juvenem et ipsam pariter commisceri, et condemnaverunt eam ad mortem. « Et clamavit Susanna voce magna ad Deum : Domine, tu scis, quia ignorans morior. Cumque traheretur suscitavit Deus spiritum pueri, cui nomen Daniel. » Non est credendum his qui dicunt Danielem mortuum fuisse, et suscitatum tunc, et deinceps fuisse prophetam, sed tunc manifestavit Dominus Spiritum sanctum fuisse in eo, qui prius, quasi latens, quiescebat. Et ait Daniel ad populum : « Revertimini ad judicium, quia falsum locuti sunt adversus eam. » Cumque revertissent, separavit Daniel senes ab invicem, et advocans unum dixit : « Sub qua arbore vidisti eos colloquentes, qui ait : Sub schino, » quam Latini dicunt ilicem, vel lentiscum. Et advocatus alter dixit ; « Sub prino. » Et acclamavit populus in eos propter dissonantiam, et interfecerunt eos, id est regi tradiderunt interficiendos. « Et factus est Daniel magnus in populo in die illa, et deinceps. Et rex Astyages appositus est ad patres suos, et suscepit Cyrus regnum ejus, » id est regnum Persarum **. Forte hic determinatur tempus, quo liberata est Susanna, quando scilicet Cyrus factus est rex Persarum, et Darius rex Medorum. Vel potius determinet tempus sequentis historiæ, quæ hic inchoat, et adhuc stabat regnum Babylonis, et erat in Babylone rex, de quo statim sequitur :

« Erat autem Daniel conviva regis, et honoratus super omnes amicos ejus (*Dan.* XIV). » Cujus nomen, quia tacet historia, potest intelligi fuisse pater Baltassar, vel ipse Baltassar, sub quo factum est a Daniel, quod legitur in fabula Belis, et draconis, quam fabulam appellat Hebræus, eo quod falsum legitur in eo, et impossibile de translatione Habacuc. Et refert Hieronymus, quod cum dixisset ei Hebræus talem translationem corporalem nusquam factam esse, respondit quidam sciolus, qui erat cum eis, Ezechielem translatum de Chaldæa in Judæam. Et irrisit eum Hebræus dicens : In littera expressum est, quod Ezechiel translatus est in spiritu. Unde Apostolus noster caute locutus est dicens : « Sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit (*II Cor.* XII). « Et addidit Hebræus nil in hac fabula propheticum narrari, sed opus tantum ex industria factum

* *Additio* 1. Quid sit obelus et asteriscus require supra cap. XV, in Genesi, *De diversis translationibus*. Cum enim quatuor fuissent translationes, LXX, Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, Origenes translationes illas corrigens quatuor columnas fecit, in prima posuit translationem LXX, in secunda Aquilæ, in tertia Theodotionis, in quarta Symmachi, et convenientiam trium notavit asterisco, discordantis a tribus translationibus notavit obelo.

** *Additio* 2. Transitus est, quem hic facit historia, valens forte ad præcedentia de Susanna, vel magis ad sequentia de idolo Belis. Tempore enim mortis Astyagis, et successione Darii filii ejus adoptivi, et Cyri nepotis, id est filii filiæ ejus Astyages, factum est illud de Bele et illud de Susanna, cum adhuc regnum Babylonis floreret.

CAP. XIV. *De idolo Belis et dracone.*

« Erat autem in Babylone idolum, nomine Bel, et impendebantur ei diebus singulis de simila duodecim artabæ, et oves quadraginta, et vini amphoræ sex (*Dan.* XIV). » Est autem artaba apud Chaldæos eadem mensura, quæ et ephi apud Hebræos, mensura scilicet trium modiorum. « Et rex Babylonis adorabat illud per singulos dies, et dicebat Danieli : Quare non adoras Bel? Qui respondit : Non colo facturam, sed creatorem omnium Deum viventem. Et ait rex : Nonne videtur tibi Bel Deus vivens, qui tanta quotidie comedit et bibit? Qui respondit : Intus luteus est, et foris æneus, nunquam comedit. » Et vocavit rex sacerdotes, et ait : « Nisi dixeritis mihi quis comedit impensas has, moriemini. Si autem ostenderetis mihi, quomodo Bel comedat hoc, Daniel morietur. Erant autem sacerdotes sexaginta, exceptis uxoribus et parvulis. Et venit rex cum Daniele in templum. Et dixerunt sacerdotes : Nos egrediemur foras, et tu rex, pone vinum, et escas, et claude ostium, et signa annulo tuo, et nisi inveneris mane omnia comesta a Bel, moriamur. Et posuit rex cibos ante Bel. Et Daniel cribravit cinerem per totum pavimentum coram rege, et clausum est ostium, et signatum annulo regis. Sacerdotes autem ingressi sunt illa nocte, juxta consuetudinem suam, cum uxoribus, et liberis, et consumpserunt omnia. » Fecerant autem sibi cuniculos sub terra, et absconditum introitum sub mensa. Diluculo venit rex ad templum, et Daniel cum eo, et invenerunt signa salva. Cumque aperuissent ostium, intuitus rex mensam vacuam, exclamavit : « Magnus est Bel, et tenuit Daniel regem ne ingrederetur, et ait : « Animadverte vestigia pedum super pavimentum. Et iratus rex apprehendit sacerdotes, et ostenderunt ei ostiola, per quæ ingrediebantur et egrediebantur. Et occidit eos rex, et dedit Bel in manum Danielis, qui subvertit eum et templum. » Erat autem in eodem loco draco magnus latens in fovea, et adorabant eum Babylonii. Sacerdotes ejus habebant hydraulia, id est vasa facta de coriis vitulorum, et

Digitized by Google

percutiebant ea virgis coraulmis, ut facerent sonitum terribilem, quasi tonitruum, ad quem excitatus draco, quandoque emittebat fumum, quandoque ignem, quandoque visibiliter apparebat. Et dixit rex Danieli : « Non potes dicere quia iste non sit Deus vivens. Et ait Daniel : Da mihi potestatem, et interficiam eum, absque ferro et fuste. Et dedit ei. Tulit ergo Daniel picem et adipem, et pilos, et coxit pariter, fecitque massas, et dedit in os draconis, et suffocatus crepuit. Et indignati Babylonii dixerunt : Judæus factus est rex*. Et dixerunt ad regem : Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te et domum tuam, et compulsus tradidit eis. Qui miserunt eum in lacum leonum, et erat ibi septem diebus. In lacu erant leones septem, et dabantur eis quotidie duo corpora damnatorum, et duæ oves, et tunc non sunt data eis, ut devorarent Danielem. Erat autem Habacuc propheta in Judæa, qui ferebat pulmentum messoribus. Et ait angelus ad eum : Fer prandium in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. Qui respondit : Babylonem non vidi, et locum nescio. Et tulit eum angelus capillo capitis sui, et posuit eum super lacum, et clamavit Habacuc : Daniel serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus. Et gratias agens Daniel comedit. Porro angelus restituit Habacuc in loco suo. Venit ergo rex die septimo, ut lugeret Danielem, et videns eum sedentem in medio leonum, exclamavit : Magnus es, Domine Deus Danielis, et extraxit eum de lacu leonum. Porro illos, qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit, et devorati sunt in momento coram eo. »

* *Additio* 1. Ac si dicerent : Hæreticus, vel publicanus factus est.

Cap. XV. *De Habacuc.*

Porro Habacuc fuit de tribu Simeon. Hic prævidit captivitatem Jerusalem futuram, et advenientibus Chaldæis fugit in Sostratenam, et erat incola in terra Israel. Descendentibus vero reliquiis Judæ in Ægyptum *, quasi peregrinabatur in terra sua ; et scripsit. Et in principio operis causatur adversus Deum, cur impius vastasset populum Dei, et sanctuarium ejus cum ipse clamaret, et non exaudiretur (*Habac.* I). Sed in consolationem aperuit ei Dominus calamitates circumstantium nationum futuras per Nabuchodonosor, longe majores, et tandem ipsum Nabuchodonosor periturum, et ita a murmure conversus est ad preces. Et ostendit illi Dominus adventum Christi dicens : « Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit (*Habac.* II). » Et imprecatus est Habacuc Nabuchodonosor inter plurima dicens : « Væ qui potum dat amico suo mittens fel, et inebriat eum, ut aspiciat nuditatem ejus ; » quod fecit Nabuchodonosor Sedeciæ. Ultimo scripsit canticum : « Domine, audivi, » etc. (*Habac.* III.) Hic dum ferret pulmentum messoribus, dixit domesticis suis : Ibo ad terram longinquam, cito redibo. Si tardavero per dies, ferte cibum messoribus. Et cum fuisset in Babylone subito supervenit messoribus. Intellexit autem, quod celeriter esset populus a Babylone reversurus. Unde patet longe post liberatam Susannam esse factum. Signum autem reditus dedit his qui in Judæa erant, quod visuri essent lumen in ruinis templi, ultimamque templi desolationem prædixit, quod gens occidentalis hanc esset actura. Tunc inquit : « Velamen Sancti sanctorum scindetur, et duarum columnarum epistylia auferentur, et quo sint nullus agnoscet. Ipsa vero in eremo adducentur, et eos in ultimo, qui persecutionem sustinent a serpente, illuminabit Dominus sicut a principio. Et mortuus est Habacuc, et sepultus in agro proprio solus. » Porro de Daniele quantum supervixerit post reditum populi in Judæam nescimus. « Defunctus autem, et sepultus est in spelunca regali solus cum gloria. Hic est Daniel, qui dedit signum in montibus super Babyloniam dicens : Quando pars montium arborea fumigabit, veniet finis Babyloniæ ; quando vero velut ignis ardebit, finis erit universæ terræ ; quando ad partem noti aquæ decurrerint, revertetur populus ad terram suam. Quod si fluxerit sanguine erunt homicidia Belial in universa terra**. »

* *Additio* 1. Id est duarum tribuum. Jam enim captivatæ erant decem tribus, et coloni in earum terras adducti, inter quos latuit Habacuc, quousque recessissent Chaldæi ; postea rediit in terram Judæ; et, discedentibus aliis, in propria terra, quasi peregrinus remansit.

** *Additio* 2. Hæc verba sumpta sunt de libro Epiphanii episcopi Cypri, cui in spiritu revelata sunt quædam secreta prophetarum. Plurima enim prophetiæ absconduntur, ut a quodam dicitur : « Secretum meum mihi (*Isa.* XXIV). » Et liber ille Epiphanii *Secretum prophetarum* dicitur.

Cap. XVI. *De Cyro.*

(23) Post mortem Darii Medi, Cyrus monarchiam tenuit Orientis, cujus sedem posuit apud Persas; licet regnum Medorum majus esset et honorabilius, eo quod Persæ eum sublimaverant in regem. Iste fuit nepos Darii ex sorore, nepos vero Astyagis ex filia. Porro Astyages unicam habuit filiam, et vidit somnium, quod de genitalibus filiæ oriebatur vitis, quæ totam occupabat Asiam, et accepit a conjectoribus se habiturum nepotem ex filia, qui dominus esset Asiæ, et ipsum dejiceret a regno. Quod timens dedit filiam suam uxorem militi plebeio, ne filius ex ea nasceretur nobilis et potens. Præterea filiam prægnantem ascivit, et natum ex ea filium, cuidam participi arcanorum tradidit occidendum. Qui credens regnum transiturum ad filiam suam, filium ejus veritus est occidere, et uni de pastoribus regis tradidit parvulum exponendum in nemore. Qui cum exposuisset eum, et id indicasset uxori, quæ in diebus illis pepererat, supplicavit ei mulier, ut parvulum deferret ei alendum, et pro-

(23) Quæ sequuntur ex diversis historiis sunt excerpta.

Digitized by Google

prium filium pro eo exponeret. Cumque redisset pastor ad puerum, invenit Canem (24) præbentem ei ubera, et a feris et avibus defendentem. Cumque tulisset eum ad uxorem allusit ei tanquam diu notæ, vocavitque puerum Sparticum, id est *catulum*. Spartos enim Persica *canem* sonat. Qui cum esset grandiusculus, a pueris ludentibus factus est rex eorum, et contumaces et inobedientes sibi graviter affligebat. Quod graviter ferentes patres eorum, verbum detulerunt ad regem de filio pastoris. Quem cum advocasset rex, et argueret eum quod pueros plagasset, ille intrepidus se ut regem fecisse respondit. Et admiratus rex, et quædam signa generis sui in eo esse deprehendens, ascito pastore secretius veritatem rei agnovit. Verumtamen timor ejus de nepote mitigatus est, æstimans quod verbum conjectorum de regno impletum esset in regno puerorum, et eidem cui prius commiserat occidendum, commisit alendum, non indicans tamen esse nisi pastoris filium. Filium quidem illius secretarii sui clanculo dedit patri ad comedendum, quia non obedierat ori ejus, et post id ipsum indicavit ei. Factum est autem ut Astyages traderet exercitum illi secretario, ad hostes expugnandos, ipse vero recedit in Media. Porro ille non immemor maleficii regis persuasit exercitui, ut Spartacum regem Persidis sibi eligerent, et cognominavit eum Cyrum, quod interpretatur hæres. Quasi dicat : Licet reluctetur Astyages, hic est hæres. Quo facto, timens Astyages Darium consobrinum adoptavit sibi in filium, et collecto exercitu congressus est adversus Cyrum, et fugerunt Persæ. Uxores autem eorum, et matres egressæ ad eos, et detectis posterioribus suis aiebant : « Vultisne introire in uteros matrum, et renasci. » Hoc pudore excitati Persæ, acriter redierunt in hostes, et victus est Astyages. Cyrus autem magis exhibuit se illi nepotem quam victorem : nam regnum Hircanorum concessit ei. Dario vero, tanquam fratri matris suæ, tradidit regnum Medorum, tamen sub certa spe revertendi ad ipsum.

CAP. XVII. *De licentia redeundi data Judæis.*

Itaque cum universum regnum devolutum esset ad eum, in hujus regni anno primo suscitavit Dominus spiritum ejus, ut impleretur verbum Jeremiæ (*I Esdr.* I, II ; *II Paral.* XXXVI ; *Jer.* XXIX ; *Isa.* XLV). Et dedit libertatem omnibus Judæis, qui erant in universo regno suo, et licentiam redeundi in Judæam, et ædificandi domum Domini. Excitatus autem fuit ex verbis Isaiæ, qui ante ducentos et decem annos scripserat de ipso Dominum dicentem: Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, subjiciam ei gentes, et regna. Ipse reædificabit domum meam in Jerusalem (*Isa.* XLV). Ut ergo hanc munificam scripturam impleret, et scripturam libertatis et licentiæ traduxit in universum regnum suum, dicens : « Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, credo hunc esse quem gens Israel adorabat. » In hac epistola hortatus est etiam Judæos ut ascenderent in Judæam, et qui nollent ascendere, juvarent ascendentes in pecunia, vestibus et jumentis. Porro clarissimi Judæorum habitabant in Babylonia, id est in terra Babylonis eversæ. Babylon enim proprie nomen est civitatis, Babylonia vero nomen regionis, licet unum pro altero sæpe legatur. Inter eos Zacharias natus in Chaldæa jam prophetabat. Hic benedixit Salathiel in filio, vocans eum Zorobabel, quod interpretatur *magister Babylonis*. Quasi dicat : Hic erit magister captivitatis Babylonicæ. Ad hujus prophetæ exhortationem primi surrexerunt viri Juda, ut ascenderent in Jerusalem, postea vero viri Benjamin et Levitæ. Propterea, ut dicit Josephus, a Juda cognominati sunt Judæi. Hujus enim nominis plures fuerunt causæ : super turrim Babel legitur, quod a Dedam, qui cognominatus est Judas, dicti sunt Judæi ; alibi quod a Juda filio Jacob ; alibi quod a Juda Machabæo. Porro ascensuri in Jerusalem, vel in Judæam alios hortabantur, sed paucos invenerunt, qui assentirent eis, et propterea tam in exhortationem quam in apparatu, tres annos compleverunt. Igitur in tertio anno Cyri regressi sunt sub Zorobabel duce, et Jesu magno sacerdote, adhortantibus eos Zacharia propheta, et Aggæo juvene, sed nondum propheta. Erant autem circiter quinquaginta millia. Fuerunt enim de Judæis quadraginta duo milia, et quadringenti et sexaginta. Reliqui vero erant servi, et ancillæ et homines generis promiscui. Et remisit cum eis Cyrus partem vasorum Domini quinque millia, et quadraginta, inter quæ ponit Josephus refrigeratoria, quorum usum non legi. Ascenderunt etiam quidam cum eis, dicentes se esse de genere sacerdotum propter emolumentum. Cumque quærerent scripturam genealogiæ suæ, et non invenirent, recepti sunt in Israel, sed ejecti sunt a sacerdotio, reversi sunt in Jerusalem, et in civitates Judæ.

CAP. XVIII. *De anno septuagesimo.*

Hic est autem annus septuagesimus relaxandæ captivitatis, quam prædixit Jeremias (Cap. XXIII). Nam, et Hieronymus primum annum dicit Cyri fuisse septimum septimæ decadis. Itaque tertius annus Cyri, fuit septuagesimus, cui consonat Josephus, dicens : Primo anno imperii Cyri septuagesimus concurrebat, id est imminebat. De eodem legitur in Paralipomenon (*II Paral.* XXXVI) : Si quis evaserat gladium, ductus in Babylonem, servivit regi et filiis ejus, donec imperaret rex Persarum, et compleretur sermo Jeremiæ, et celebraret terra Sabbata sua, usque dum complerentur desolationis septuaginta anni. De eodem meminit Daniel : « Anno primo Darii, intellexi numerum annorum, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni (*Dan.* IX). » Idipsum plane prædixerat Jeremias, in epistola quam direxit ad transmigrationem. « Cum

(24) Canis hic est proprium nomen personæ, ut vera historia habet, quæ fuit uxor pastoris.

Digitized by Google

cœperint, inquit, impleri septuaginta anni, visitabo, et reducam vos ad locum istum (*Jer.* XXIX). » Alibi tamen videtur velle Jeremias, quod ante eversionem Babylonis completi essent, ubi ait : « Servient gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. Cumque completi fuerint anni septuaginta, visitabo super regem Babylonis, et super gentem istam iniquitatem eorum, dicit Dominus, et ponam terram in solitudines sempiternas (*Jer.* XXV). » Et hac autem auctoritate fabulantur Judæi, ut supra diximus, exsultasse Baltassar, et convivium fecisse. Hic autem loquitur Jeremias de septuaginta annis, non captivitatis, sed iniquitatis Nabuchodonosor, ex quo cœpit opprimere finitimas nationes. Huic opinioni attestatur Africanus agens de Nehemia, et vicesimo anno regis Artaxerxis dicens : Eo tempore regni Persarum centum quindecim anni fuerunt evoluti, captivitatis autem Jerusalem centum septuaginta quinque. Eusebius tamen in libro *Chronicorum*, videtur obloqui prædictis, secundum annum Darii filii Hystaspis dicens fuisse septuaginta, secundum auctoritatem Zachariæ, qui secundo anno Darii scribens audivit virum, stantem inter myrteta, dicentem : « Domine exercituum, usquequo non misereberis Jerusalem, et urbium Judæ, quibus iratus es (*Zach.* I). » Iste jam septuagesimus est annus. Et post pauca : « Cum jejunaretis per hos septuaginta annos, nunquid jejunium jejunastis mihi (*Zach.* VII). » Huic quoque consonat Clemens * in primo *Stromate*, dicens : Et perseveravit captivitas annis septuaginta usque ad secundum annum Darii filii Hystaspis *. Videturque Eusebius distinguere inter septuaginta annos captivitatis, et septuaginta annos desolationis templi, dicens : Secundum nonnullos, usque ad annum vigesimum Cyri colligitur omne tempus captivitatis anni septuaginta, a tertio anno Joachim filii Josiæ. Porro secundum alios ab anno tredecimo Josiæ, usque ad primum annum Cyri colliguntur anni captivitatis septuaginta, desolationis vero templi sub Dario rege complentur anni septuaginta **. Horum opinioni consonat glossa Hieronymi super Ezechielem, ubi agitur de dormitione super latus dextrum dicens, quod primo anno Cyri, fluxerant anni desolationis templi triginta. Porro prior opinio de anno septuagesimo magis certa est, et plurium auctoritatibus sancita. Sola Zachariæ auctoritas nos movet. Iste jam septuagesimus est annus, quod forte determinari potest, ut jam accipiatur de præterito, quasi dicat : Septuagesimus annus iste, notus scilicet et famosus jamdiu est. Forte dictus est in Zacharia septuagesimus annus, non captivitatis, sed quintæ ætatis, quæ, secundum Hebræos, inchoavit anno trigesimo ante Cyri monarchiam.

* *Additio* 1. Qui fuit magister in Alexandria, et post eum Origenes, et fecit ille Clemens *Stromata*, id est instructiones quasdam.

** *Additio* 2. Quotus post Cyrum fuerit Darius require, ita quot etiam annis Cyrus, quot Cambyses, quot Smerdes regnavit, notare poteris.

CAP. XIX. *De reædificatione templi.*

« Porro in anno regressionis in Judæam congregatus est populus quasi vir unus in Jerusalem. Et ædificantes altare, collocaverunt illud super bases suas, et obtulerunt super illud holocausta Domino mane, et vespere. Feceruntque solemnitatem Tabernaculorum (*I Esdr.* III). » Unde vero habuerunt ignem nescimus, nisi forte ex calculis veteris altaris excusserint illum. « Anno autem secundo mense secundo jecerunt fundamenta templi. » Quod audientes Samaritæ venerunt ad eos, et dixerunt : « Ædificemus vobiscum, quia ita ut vos quærimus Deum vestrum (*I Esdr.* IV). » Et responderunt duces Israel : « Commune est nobis et vobis adorare Dominum, sed non ei domum ædificare. Hoc enim tantum nobis rex Cyrus præcepit. » Cumque apparuissent fundamenta super terram, elevavit populus vocem in jubilationem. Porro quidam seniores, qui viderant templum prius, ejulabant voce magna; nec poterat quis cognoscere clamorem lætantium, et planctum ejulantium. Porro Samaritæ indignati impediebant manus eorum *. Cumque se impedire non possent, dederunt munera principibus regis Persarum, qui erant positi super terram. Qui pecuniis corrupti vendiderunt eis, ut impedirent negligentiam ædificationis, Cyro tamen ignorante. Et adeo impedierunt eos, quod in triginta annis, quibus Cyrus regnavit, non erexerunt muros templi, nisi usque ad appodiationem. Porro Cyrus cum percussisset Cresum juxta fluvium Alim, gentem Lydorum bellicosissimam astute redegit in concordiam. Tradidit enim eis solemnitates et ludos, præcipiens eis, ut lusibus, comessationibus et amplexibus vacarent, quasi benevolentiam in eos ostendens. Et in hunc modum eos eviravit, et quos bello non poterat, per libidinem repugnavit. Postea vero transgressus Araxem a regina Massagetarum Thomiri victus, et occisus est. Quæ caput ejus præcisum in utrem plenum sanguine humano projiciens, insultando dixit : Satiare sanguine quem sitisti.

**Additio* 1. Quia cum præceptum fuisset eis a Cyro, ut curam ac diligentiam circa ædificationem templi impenderent, a Samaritis corrupti, negligentes erant in ædificatione templi.

Incidentia.

In diebus Cyri septimus rex Romanorum Tarquinius Superbus, qui causa Tarquinii Junioris filii, sui, qui Lucretiam corruperat, a regno expulsus est. Hic genera tormentorum excogitavit, vincula, taureas fustes, latumias, carceres, compedes, catenas, exsilia, metalla.

CAP. XX. *De Cambyse.*

Mortuo Cyro, post triginta annos sui regni, successit ei filius ejus Cambyses, qui apud Esdram Artaxerxes, vel Assuerus dicitur (*I Esdr.* IV). In historia vero Judith propter malitiam suam vo-

Digitized by Google

catur Nabuchodonosor*. Tunc principes terræ, qui impediebant Hebræos, scilicet Reudethleem, quem Josephus dicit scriptorem omnium accidentium. Et alii qui judicabant Syriam, et Phœnicem, et omnes regiones ultra Euphraten, scripserunt Cambysi regi, quod Judæi reædificabant Jerusalem urbem pessimam, et semper regibus Persarum rebellem, et templum ad similitudinem castri, quæ ob rebellionem pridem destructa fuerat, quibus reædificatis, statim negarent regi tributa, et annonas, nec etiam pateret regi transitus in Syriam. Hæc autem dicebant se commemorare ei, quia non A immemores salis, id est omnis condimenti, quod in palatio ejus comederant, quasi propter beneficia eis collata consulentes, ut interdiceret Hebræis reædificationem. Quibus acquiescens Cambyses potenter interdixit eam per epistolas. Tunc intermissum est opus Dei in Jerusalem, usque ad secundum annum Darii. Porro sub Cambyse factum est quod in historia Judith legitur.

* *Additio* 1. Cambyses, adhuc vivente patre, duodecim annis tenuit regnum Assyriorum Nini; unde, eo mortuo, monarchiam septem annis tenuit.

HISTORIA LIBRI JUDITH.

CAP. 1. *Præfatio.*

Hanc historiam transtulit Hieronymus ad petitionem Paulæ et Eustochii de Chaldæo in Latinum. Hic liber apud Hebræos inter historias computatur, et inter agiographa, quod dicit Hieronymus in prologo, qui sic inchoat: « Viginti et duas litteras, » etc. Si ergo in prologo super Judith, alicubi legitur inter apocrypha, vitium est scriptoris, quod in ipso titulo deprehendi potest, quem synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum recepit. Transtulit autem eum propter varias, et corruptas editiones magis sensum ex sensu, quam verbum ex verbo sequens. Mortuo itaque Cyro, quidam Arphaxad Medus in Ecbatanis surrexit, et raparavit eam, et munivit eam inexpugnabiliter, quasdam partes Mediæ sibi concilians, ut tandem toti Mediæ C imperaret (*Judith* I). Nabuchodonosor vero rex Assyriorum, qui regnavit in Ninive, anno duodecimo regni sui obtinuit Arphaxad in campo Ragau, qui est inter Euphraten et Tigrim. Hic est Cambyses, cui adhuc pater vivens Ninivem et regnum Assyriorum concessit, et Nabuchodonosor cognominavit. Hic mortuo patre duodecimum illius regni annum agebat. Nam in regno monarchiæ, non nisi octo annis regnavit. Qui postquam factus est monarchus, exaltatum est cor ejus*. Et misit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, et Damasco, et Libano, et Carmelo, Galilæa et Samaria, et usque in Jerusalem exigens ab eis tributa longe graviora quam patres sui. Qui omnes uno animo contradixerunt. Tunc D iratus rex juravit per thronum suum, quod defenderet se de omnibus. Igitur anno decimo tertio regni sui præcepit Holoferni principi militiæ, ut egrederetur ad regiones illas, et nulli hominum, vel munitionum parceret oculus ejus. Qui egressus est cum exercitu, et operuerunt faciem terræ sicut locustæ Qui cum vastasset Ciliciam, et Mesopotamiam et Madianitas, miserunt ad eum principes B provinciarum dicentes: « Desinat indignatio tua circa nos. Veni nobis pacificus, et utere servitio nostro, sicut placuerit tibi (*Judith* III). » Et descendit de montibus cum virtute magna, et obtinuit omnes civitates, et destruxit eas, et omnes deos terræ exterminavit, sic enim præceperat Nabuchodonosor, ut ipse solus Deus diceretur ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subjugari.

Et audientes filii Israel, timuerunt valde, ne similia faceret in Jerusalem, et in sanctuario Dei, et miserunt in terminos terræ, per quos poterat iter esse in Jerusalem, et munierunt angusta viarum, et humiliaverunt se coram Domino, ad exhortationem Eliachim sacerdotis, filii Jesu, filii Josedech, vel forte alterius, quem ipse Jesus circummittebat ad exhortationem filiorum Israel in montibus (*Judith* IV). Et operuerunt sacerdotes altare Domini cilicio, et ipsi in cinere, et cilicio offerebant holocausta, et clamabant ad Dominum. « Nuntiatumque est Holoferni quod filii Israel parassent se ad resistendum, et montium itinera conclusissent (*Judith* V), » et vocavit duces Ammon et Moab dicens: « Quis est populus iste, qui montana obsidet, aut quæ est virtus eorum? » Tunc Achior dux filiorum Ammon respondit, replicans ei quomodo primo venisset populus iste de Chaldæa, per Mesopotamiam, in terram Chanaan. Cumque descendissent in Ægyptum, reduxerat eos Deus eorum in terram promissam, cum placatus erat eis, nemo poterat eis resistere; cum vero irritabant eum, flagellabat eos, quia Deus eorum erat odiens iniquitatem. Nuper autem reduxerat eos in Jerusalem de servitute Nabuchodonosor, cui tradiderat eos propter peccata sua, et nunc obtinent montana hæc. Et addidit Achior: « Perscrutare si Deus eorum offensus

Digitized by Google

est eis, et poteris eos expugnare, alioquin non prævalebis eis. » Et iratus Holofernes dixit : « Ut ostendam tibi, quia non est Deus nisi Nabuchodonosor ex hac hora populo illorum sociaberis, ut cum illis pariter pereas (*Judith* IV) **. » Tunc præcepit Holofernes servis suis, ut ducerent eum in Bethuliam, ante quam castrametatus fuerat. Cumque traherent eum, fundibularii egressi sunt adversus eos. Et timentes ligaverunt Achior ad arborem, et recesserunt. Fundibularii vero solventes eum, statuerunt eum in medio seniorum, et populi. Miserant quidem de Jerusalem in Bethuliam duos sacerdotes et principem Oziam de tribu Simeon. Cumque exposuisset eis Achior, quare transmissus esset ab Holoferne ad eos, recepit eum Ozias in domum suam. Factum est autem ut Holofernes inveniret ductum aquarum, quæ influebant civitatem per aviculas ***, quæ ebibebant aquam de alveo, et per latentes rimulas aquæductus, et interrupto aquæductu abstulit eis aquas (*Judith* VII). Erant autem non longe a muris fonticuli, quibus cives furtim utebantur ad refocillandum potius quam ad bibendum. Et dixerunt Ammonitæ ad Holofernem : « Si vis eos obtinere sine bello et sanguine, appone fontibus custodes. » Et apposuit, et defecit aqua de cisternis per viginti dies. Et clamavit populus ad eos, qui venerant de Jerusalem : « Judicet Dominus inter nos, et vos. Melius erat nobis servire Holoferni, quam siti perire. » Et dixerunt sacerdotes : « Sustineamus adhuc per quinque dies, si forte faciet Deus nobiscum misericordiam. »

Erat autem in civitate Judith, vidua tribus annis, mulier pulchra nimis, sed casta, de tribu Ruben, quæ accitos sacerdotes reprehendit, eo quod tentassent Dominum, et terminum dierum imposuissent misericordiæ ejus (*Judith* VIII). Et ait ad eos : « Opus Dei factura sum, quod non indicabo vobis. State hac nocte ad portas civitatis, et Ozias vobiscum, ut egrediar per manum vestram. » Cumque illi abiissent, oravit ad Dominum, dicens : « Domine Deus patris mei Simeon (*Judith* IX), qui dedisti illi gladium in alienigenas, dirige manum ancillæ tuæ (*Genes.* XLIX). » Nec commendavit factum Simeonis quod detestatus est Jacob, sed ultionem factam a Domino per manus impii. Cumque orasset lavit se, et unxit myro optimo, et induit se vestibus jucunditatis suæ, et vocavit abram suam, id est ancillam; vel proprium nomen est ancillæ (*Judith* X). « Et imposuit scapulæ ejus ascoperam vini, et vas olei, et polentam, et lapaces, id est cibum oleribus confectum, et panes et caseum, et profecta est. » Et admirati sunt sacerdotes pulchritudinem ejus, et oraverunt pro ea. Cumque descenderet montem, tenuerunt eam exploratores, et duxerunt eam ad tabernacula Holofernis, qui statim captus est in oculis suis. Sedebat autem Holofernes in canopœo purpura, et auro et gemmis contexto, hoc est sericum reticulum muscarum, dictum sic a Canopo oppido Ægypti in quo inventum est. Alii dicunt conopœum, quoniam instar coni a lato ascendit in acutum. Et dixerunt Assyrii : « Quis contemnet populum Hebræorum, qui tam pulchras mulieres habet, ut pro his merito pugnemus contra eos? » Cumque adorasset Judith, dixit ad eam Holofernes : « Cur placuit tibi, ut ad nos venires? » (*Judith* XI.) Quæ respondit : « Certum est quod in perditionem ibit populus noster; graviter enim offendit Deum suum. Vasa enim Domini impendit pro victualibus alienigenis. Insuper ordinant, ut bibant sanguinem pecorum suorum, quem lex Dei omnino prohibet gustari. Nam et fame et siti jam inter mortuos computantur. Et misit me Dominus hæc ipsa annuntiare tibi, qui dicet mihi, quando reddet eis peccatum suum, et tunc veniens introducam te, usque in Jerusalem, et habebis omnem populum, sicut oves quibus non est pastor. Et ait Holofernes : Si fecerit mihi hæc Deus tuus, erit et Deus meus, » id est in numero deorum meorum habebo eum, « et tu magna eris in domo Nabuchodonosor. »

Et fecit eam introduci, ubi erant positi thesauri ejus (*Judith* XII). Cumque disponeret quod daretur ei de convivio suo, ait Judith : « Ex his quæ mecum detuli, manducabo, ne veniat super me ira Dei. Cui Holofernes : Cum defuerint ista, quid faciemus tibi? Quæ respondit : Vivit anima tua, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua, donec faciat Deus in manu mea hæc quæ cogitavi. » Petiitque sibi dari copiam egrediendi foras nocte ad adorandum Deum suum, et ita per triduum noctibus exibat, et baptizabat se in aquis****, et orabat Deum Israel. Quarto die fecit Holofernes cœnam servis suis, et dixit ad Vagao eunuchum : « Persuade Hebrææ illi, ut sponte consentiat mihi. Fœdum est enim apud Assyrios, ut mulier illudens viro, immunis transeat ab eo. Et ait ad eam Vagao : Non vereatur bona mulier intrare ad dominum meum. Quæ respondit : Quidquid illi placuerit, hoc mihi erit optimum, omnibus diebus vitæ meæ. Et cum ornasset se, stetit ante faciem Holofernis. Qui jucundus factus est, bibitque vinum quantum nunquam biberat in vita sua. » — « Et cum sero esset, festinaverunt servi ad hospitia sua, et erat Judith sola in cubiculo. Porro Holofernes jacebat in lecto nimia ebrietate sopitus (*Judith* XIII). Dixitque Judith puellæ suæ, ut staret foras ad ostium, et observaret, et oravit cum lacrymis, dicens : « Confirma me, Domine Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum. » Et solvit pugionem de columna quæ erat ad caput lecti*****, et percutiens bis cervicem abscidit caput ejus, et tradidit illum abræ suæ, et tollens conopœum egressa est. Cumque venisset ad portam civitatis, clamavit : « Aperite, quia nobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israel. Et occurrerunt ei omnes a minimo, usque ad maximum cum luminaribus, et proferens caput Holofernis et conopœum, ait : « Confitemini Domino, qui dedit nobis victoriam in manu mea, et reduxit me immaculatam. » Et vocatus est Achior, et viso capite Holofernis, præ

Digitized by Google

pavore cecidit in terram, sed resumpto spiritu adoravit Judith. Quæ dixit ad populum : « Suspendite hoc caput super muros, et diluculo facite impetum in hostes, qui turbati pro nece domini sui, vertentur in fugam (*Judith* XIV). » Tunc Achior circumcidit carnem præputii sui, et appositus est ad populum Israel. Misitque Ozias nuntios per civitates Judæ, ut egrederentur post eos. Porro egressi sunt Hebræi mane, et dixerunt Assyrii : « Egressi sunt mures de cavernis suis. » Cumque intrasset Vagao, ut excitaret Holofernem, vidit cadaver sine capite. Et ingressus tabernaculum Judith, non invenit eam. Et exclamavit ad populum : « Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor. Ecce caput Holofernis non est cum eo. »

Et turbati sunt valde fugæ præsidium quærentes (*Judith* XV). Et insecuti sunt eos filii Israel, et percusserunt eos, usque ad extremitates finium suorum. Per dies autem triginta vix collecta sunt spolia Assyriorum, et universa, quæ peculiaria Holofernis erant, dederunt Judith. Joachim autam summus pontifex venit de Jerusalem cum universis presbyteris ad videndum eam, et benedixerunt ei Tunc cantavit Judith canticum Domino, dicens : « Incipite Domino in tympanis, » etc. (*Judith* XVI.) Super hoc canticum invenis quod dicit Hieronymus super psalmum *Domine Dominus noster* (*Psal.* VIII). Quia cum in Hebræo legitur nomen Domine geminatum, sicut hic Adonai Domine Deus. Primum est Tetagrammaton*****, secundum vero nomen Domini commune. In fine cantici prophetavit de die judicii, dicens : « Dominus omnipotens in die judicii visitabit suos, et vindicabit impios, ut urantur in sempiternis. » Post hæc ascendit Judith in Jerusalem cum populo, et obtulerunt Domino vota et repromissiones suas. « Porro Judith universa vasa bellicosa Holofernis, et conopœum obtulit in anathema oblivionis, et solemnizavit omnis populus. » Et diem hanc in numero sanctorum dierum receperunt, vocantes Cambysem secundum Nabuchodonosor. Et refiit Judith filia Merari, Rubenitæ in Bethuliam. Ex matre fuit de tribu Simeon, et fuit in viduitate omnibus diebus vitæ suæ. Et completis centum quinque annis, mortua est, et sepulta cum viro suo Manasse, et dimisit abram suam liberam, et planxit eam omnis populus septem diebus. Porro Cambyses ingressus est Ægyptum, et vastavit eam, et abominatus religionem ejus, et cæremonias, templa deposuit, et ædificavit Babylonem in Ægypto. Cumque reverteretur ab Ægypto ægrotabat, et ferebatur cervicibus regum. Et mortuus est in Damasco.

**Additio* 1. Nam superior eo nullus fuit, voluit enim solus adorari pro Deo. Nec cum ægrotaret volebat in lectica deferri, nisi a cervicibus regum, quasi omnes superaret.

***Additio* 2. Tetranomius erat Cambyses, Artaxerxes, Assuerus, Nabuchodonosor.

****Additio* 3. Mirum videbatur, quod aviculæ in arido loco rostro terræ infixo bibere videbantur, et inde percepit Holofernes aquam subesse.

*****Additio* 4. Simile verbum habes in Luca, cap. XI, ubi legitur Pharisæus quidam invitasse Dominum ad prandium. Pharisæus ante cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium.

******Additio* 5. Cultellum magnum, quo ibat accinctus, sed intrans lectulum appenderat ad columnam.

*******Additio* 6. Tetagrammaton, id est *quatuor litterarum*, י *iod*, ה *he*, ו *vau*, ה *he*. Sed his litteris non repræsentantur elementa illa, quæ de his debent repræsentari; sicut nos per T, quandoque repræsentamus sonum.

CAP. II. *De duobus magis, et Dario filio Hystaspis.*

(25) Post Cambysem unus de septem magis, qui judicabant regnum Persarum, Smerdes nomine, obtinuit regnum Persarum ; ducens Panthæi, filiam Cambyse, in uxorem, simulat se non velle sibi regnare, sed conservare regnum Mergi fratri Cambyse, quia puer erat. Hunc tamen Mergum Cambyses prius occiderat in penetralibus templi, solo isto Smerde conscio hujus sacrilegii et parricidii. Cumque post septem menses regni sui moreretur Smerdes, substituit sibi fratrem, juvenem elegantem forma et viribus, dicens hunc esse Mergum Cyri filium, et Cambysis fratrem. Hæc autem occultatio regum de facili fieri potuit in Perside, quia ad regem nullus fere intrabat præter domesticos ejus. Unus autem de septem magis cœpit illum habere suspectum, suspicans non esse Mergum. Hic magus inter concubinas regis filiam habebat ; qui secretius loquens cum ea, monuit eam, ut de nocte attentius palparet caput regis, et deprehenderet utrum auriculas haberet. Hunc enim fratrem Smerdis, quondam sibi offensum, Cambyses mutilaverat auribus. Cumque puella deprehendisset eum aures non habere, indicavit hoc patri. Qui cum reliquis magis hoc indicasset, conjuraverunt in eum, et occiderunt eum, et non repugnaverunt nisi per annum isti duo fratres. Porro septem magi cum tractarent inter se quis eorum duceret filiam regis, et regnaret pro eo, complacuit eis ut tali vaticinio unus ex eis eligeretur : diluculo venirent super equos soli in atrio palatii ante fores templi, et cujus equus prior hinnitum daret, secundum oraculum deorum rex constitueretur. Erat unus eorum Darius filius Hystaspis, qui secretius loquens cum custode equorum suorum, mandavit ei, ut in loco ad quem in crastino convenire debebant, equo suo de nocte supponeret equam. Quo facto, cum in crastino septem magi ad eumdem locum devenissent, statim ad equæ memoriam, equus Darii hinnitum dedit, et sine cunctatione in regem sublimatus est, et regnavit annis triginta novem regni Persarum. Huic familiaris erat Zorobabel. Cum enim

(25) Ex historiis Josephi et aliis.

Digitized by Google

interdixisset Cambyses reædificationem templi, ascendit ad eum Zorobabel, et per hujus Darii interventum tentavit animum regis mutare, sed non potuit, et tunc persuasit Dario secretius, ut voveret votum Deo Israel; quod si eum regem faceret, restauraret ejus templum, et universa vasa Domini, quæ adhuc erant penes regem Persarum, remitteret in Jerusalem.

CAP. III. *De consummatione templi, et Zacharia, et Aggæo.*

Cum audisset itaque Zorobabel hunc regnare, fiducialiter aggressus est reædificare templum, Aggæo et Zacharia exhortantibus populum (*I Esdr.* v). Qui prædicabant Deum eis offensum, eo quod habitarent in domibus laquentis, et domus Domini esset desolata. Hoc autem signum iræ Dei esse dicebant, quod seminabant multum, et inferebant parum. Principes vero regis Persarum, qui erant trans flumen, interdicebant reædificationem. Cumque respondissent seniores Juda, quod Deus suus hoc eis præceperat, cui nefas est contradicere, placuit utrisque ut res ad Darium referretur. Et ascendit Zorobabel cum nuntiis principum ad regem, et honoratus est ab eo, supra quam speraret. Nam in cubiculo regis dormiebat cum aliis duobus cubicularis. Porro Darius rex cœnam exhibuit satrapis Persarum, et præfectis Indiæ et Æthiopiæ, et magistratibus centum viginti septem provinciarum (*III Esdr.* III). Eadem nocte expergefactus noctem ducebat insomnem, et proposuit quæstionem tribus custodibus corporis sui, quod de tribus fortius videretur, rege scilicet, vino et muliere, promittens ei munera et honorem qui sapientius responderet. In crastinum coram satrapis et magistratibus accesserunt illi tres. Et ait primus regem esse fortiorem cunctis. Cum enim homo præsit cæteris animantibus, rex præest homini, et ad nutum ejus omnia fiunt. Secundus autem prætulit vini fortitudinem, quia cum homo non præsit cæteris, nisi animi fortitudine, vinum superat ipsam animi fortitudinem. Zorobabel vero mulierem fortiorem utroque asseruit (*III Esdr* IV). Nam et regibus, et eis qui vites plantant, mulieres, et vitam conferunt, et almoniam, et ad robur usque perducunt, et pro mulieribus homines animas ponere non timent. Retulit quoque se vidisse concubinam cujusdam regis, alapas regi imponentem; cumque illa risisset, regem arridentem, et ea molesta, regem molestatum. Super hæc omnia vero veritatem dixit esse fortiorem, quæ immutabilis est et sempiterna. Veritas enim Dei omnia creaverat, et ab ejus providentia orbis regebatur, et nil ei resistere poterat. Cumque omnes indicassent fortiorem omnibus esse veritatem, dixit rex ad Zorobabel, ut peteret ab eo quod vellet. Et postulavit Zorobabel fieri templi reædificationem et vasa Domini remitti in Jerusalem. Et gavisus est rex. Nam idipsum meminit se vovisse. Et scripsit principibus suis per epistolam trans flumen, ut nullatenus impedirent Judæos, sed de sumptibus regis juvarent eos, dantes eis per singulos dies hostias, similam, vinum, et sal, ut offerant ea Deo cœli, et orent pro vita regis, et filiorum ejus (*I Esdr.* VI). Et addidit: « Qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo ejus, et configatur in eo, domus autem ejus publicetur. Ego Darius statui decretum, quod studiose impleri velo (*ibid.*). » Remisit quoque Darius vasa Domini per manum Zorobabel (*III Esdr.* VI). Qui reditum faciens per Chaldæam, contribulibus suis regis mandata patefecit, et ascenderunt cum eo multi Jerosolymam[*]. Igitur anno secundo Darii, mense octavo, instabant operi, et compleverunt illud anno septimo Darii, qui erat quadragesimus sextus regni Persarum, secundum quod dictum est in Evangelio: « Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc (*Joan.* II)[**], id est a prima licentia quam dedit Cyrus redeundi, et reædificandi templum usque ad septimum annum Darii, quo consummatum est tot anni fluxerunt. Et mortuus est Aggæus, et sepultus juxta sacerdotum monumenta.

Convenerunt autem filii Israel ad dedicationem templi [***], et dedicaverunt illud mense duo decimo qui apud Latinos Martius dicitur, vicesima tertia die mensis (*III Esdr.* VII). Et hæc est secunda templi dedicatio vernalis. Et celebraverunt filii Israel Phase, secundum legem Domini. De arca vero quomodo, vel quando receperunt eam incertum est. Sed si verum est quod Epiphanus dicit, eam usque ad judicii diem non esse egressuram de latibulo petræ, certum est quod Hebræi, instar prioris, ædificaverunt alteram. Nam inter manubias quas tulerunt Romani de Judæa, leguntur translata arca Domini, candelabrum et mensa. Et mortuus est Zacharias in senectute bona, et sepultus juxta Aggæum. Porro Darius, cum discessisset ab eo Ægyptus, mortuus est.

[*] *Additio* 1. De eodem etiam Hieronymus in quadam epistola dicit: Quod cum maximum et pulcherrimum congregasset exercitum, una vice ascendit cum paucis in tumulum, ut omnes conspiceret, et cœpit flere. Et cum quæreretur cur fleret, cum potius esset illi gaudendum super tanto exercitu, respondit: Ideo fleo, quia nullus istorum durabit vivens post centum annos, sed erunt omnes pulvis et cinis.

[**] *Additio* 2. Hoc dixerunt Judæi quando Dominus dixit: Solvite templum hoc, et iterum excitabo illud.

[***] *Additio* 3. Tres leguntur templi dedicationes, una facta a Salomone, post consummationem templi ab eo facti. Et hæc est facta in Septembri, sicut habes in libro *Regum*, anno undecimo regni Salomonis (*III Reg.* VI); secunda legitur hic facta in vere sub Dario, Zorobabel auctore. De tertia legitur quod facta fuerit per Judam Machabæum, qui, devicto Antiocho Epiphane, dedicavit templum, adeo immundatum et desolatum ab eo, ut etiam frutices in eo pullulasse dicantur. Et dicitur fuisse

Digitized by Google

encænîatum vicesima die Decembris (*I Mach.* IV). Hæc dedicatio stetit in posterum, de qua dicitur in Evangelio : « Facta sunt encænia in Jerosolymis, et hiems erat (*Joan.* X).

Incidentia.

Romæ post exactos reges primum consules a Bruto esse cœperunt, et vix usque ad quintum decimum lapidem Roma tenebat imperium *. Inde tribuni plebis, et dictatores, et rursum consules rempublicam rexerunt, usque ad Julium Cæsarem. Pythagoras mortuus est. Romæ populus a patribus, facta seditione discessit.

* *Additio* 1. Milliaria terminis lapidum distinguuntur, et non plus tunc protendebatur Romanum imperium, quam quindecim milliaria.

CAP. IV. *De Xerxe.*

Post Darium Xerxes filius ejus successit ei in regnum ; qui paternæ voluntatis, honorando Deum, hæres apparuit. Eo tempore princeps fuit sacerdotum Eliachim, sive Joachim filius Jesu, et erat in Judæa cura rerum gerendarum penes sacerdotes, quæ prius sub regibus et judicibus fuerat. Recepit autem Xerxes Ægyptum, quæ a patre discesserat, et Græciam vastavit. De cujus fortitudine multa refert Græcorum historia. Sub hoc dicit Josephus Esdram venisse in Judæam, sed sub Artaxerxe ipse dicit seipsum venisse. Post Xerxem regnavit Artabanus mensibus septem *.

* *Additio* 1. Non determinatur hic, quanto tempore regnaverit Xerxes.

Incidentia.

Eo tempore natus est Socrates : lapis habens formam caprinam in Ægæum mare de cœlo cecidit.

CAP. V. *De Artaxerxe et Esdra.*

Post hæc Artaxerxes, qui et Longimanus dictus est, regnum Persarum obtinuit. Eo tempore Esdras Aaronita legem succensam a Chaldæis reparavit. Novos quoque apices litterarum excogitavit, qui faciliores ad scribendum fierent, et ad pronuntiandum, et propterea velox scriba dictus est (*I Esdr.* VII). Nec est mirandum si per Spiritum sanctum libros reparavit, cum plures in diebus nostris Psalterium, et librum Hymnorum, et plures libros hujusmodi deletos, scirent reparare. Addidit etiam quædam de suo, sicut titulos psalmorum, et plura quæ leguntur in *Pentateucho*. Sicque verisimile est quædam, quæ superflua intellexit, ipsum subtraxisse. Tradunt etiam quidam modum scribendi a dextra in sinistram eum Judæis tradidisse *, cum prius ad modum arantium scriptitarent. Unde et scriptura exaratio solet dici. Scribebant autem a sinistro cornu in dextrum, et a dextro redeundo scribebant in sinistrum. Forte per illum modum scribendi præfiguravit Spiritus sanctus idipsum, quod modo significatur in missa, per translationem libri de dextera in sinistram *. Porro Esdras invenit gratiam in oculis Artaxerxis, et petivit ab eo licentiam ascendendi in Jerusalem, ut in lege quam reparaverat, populum suum erudiret. Dedit ergo ei rex licentiam redeundi, et tradidit ei epistolam ad principes suos trans flumen, et ad custodes arcæ publicæ, ut traderent Esdræ absque mora quæcumque peteret ab eis, usque ad argenti talenta centum, et ad frumenti coros trecentos ac batos ejusdem centum, sal vero sine mensura (*I Esdr.*). Ministros vero templi sacerdotes, levitas, cantores, janitores, et Nathinæos ab omni vectigali, tributo et annonis absolvit. Dedit quoque Esdræ potestatem amovendi et constituendi judices, et præsides trans flumen, secundum sapientiam suam, et puniendi contumaces, sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ, vel certe in carcerem. Hanc epistolam Esdras legit Judæis in Babylonia constitutis. Exemplum vero ejus misit ad filios Israel, qui erant ultra montes Caspios, et venerunt de eis ad Esdram sacerdotes, et levitæ de Nathinæis ducenti viginti. Et fuerunt cum eo mille, et septingenti (*I Esdr.* VIII). Et egressi sunt anno septimo regis Artaxerxis de Babylonia, primo die primi mensis, et convenerunt ad fluvium, qui decurrit ad Ahava. Josephus dicit juxta Euphratem. Et potest esse Ahava fluvius decurrens in Euphraten, vel Euphratis rivulus. Et manserunt ibi tribus diebus, et prædicavit eis Esdras jejunium, ut affligerent se coram Domino, et peterent ab eo viam rectam et securam. Erubuit enim Esdras petere a rege ducatum in via, dicens : « Manus Dei nostri est super omnes qui quærunt eum. » Et separavit Esdras de sacerdotibus duodecim, quibus commisit vasa Domini, et munera quæ mittebat rex in Jerusalem, et principes ejus et populus. Et venerunt in Jerusalem mense quinto, et siluerunt tribus diebus. Quarta die intulerunt in domum Domini, quæ secum tulerant, offerentes holocaustum in gratiarum actionem, dederuntque epistolam regis ducibus trans flumen, qui honoraverunt populum Dei, et domum Dei. Tunc accesserunt ad Esdram principes Israel dicentes. « Non est separatus populus Israel a populo terrarum (*I Esdr.* IX). » Tulerunt enim de filiabus suis sibi et filiis suis uxores. Manus quoque sacerdotum et principum et sacri servorum in hac invenitur transgressione. Tunc scidit Esdras vestimenta sua, et flens, et orans jacuit in terra, usque ad sacrificium vespertinum. Tunc accesserunt ad eum principes, dicentes : « Surge, tuum est discernere quid agamus. Manus nostra erit tecum (*I Esdr.* X). » Tunc adjuravit Esdras sacerdotes, principes, et levitas, ut projicerent universas uxores alienigenas, et eos qui de eis nati erant. Et missa est vox ad omnes filios transmigrationis, et convenerunt in Jerusalem in tertium diem mensis nono, qui Decembris apud Latinos dicitur, vigesimo die mensis. Et surgens Esdras criminabatur illos, quod contra legem Dei semen sanctum commiscuerant semini incircumcisorum, et opus esse ut abjicerent uxores. Et respondit multitudo ; « Populus multus est, et tempus pluviæ, et non sustinemus stare foras, et opus hoc non est diei unius,

Digitized by Google

vel duorum. Elige tibi principes, et transi per universum Israel, et apud quoscunque inveneris mulieres alienigenas, ejice eas incunctanter. » Et inventæ sunt in Jerusalem primo apud filios Jesu filii Josedec, et fratres ejus, et statim ejectæ sunt : nec enim credendum est Jesum magnum sacerdotem habuisse alienigenam. Et quod visus est Zacharias sordidis vestibus indutus, ad filios ejus referendum est. Vel quia cum pontifex esset, populum non arguebat. Idipsum fecerunt per universum Israel, et offerebat unusquisque, apud quem inventa erat hæc transgressio, arietem pro declinatione peccati.

* *Additio* 1. Quidam tradunt Esdram fuisse Josedec patrem Jesu, vel Malachiam.

** *Additio* 2. Hic significatur quod fides unius Dei, qui prius fuit in Judæis per dextram, nunc quiescit in gentibus per sinistram, in fine revertetur ad illos. Propter hoc sciendum est quod, si unum luminare sit in missa proprie semper debet esse in sinistra, ad significandum quod lumen fidei modo tantum quiescit in gentibus.

Cap. VI. *De Nehemia.*

Et factum est in anno vicesimo regis Artaxerxis. Erat pincerna regis Nehemias de filiis captivitatis (*II Esdr.* I). Qui dum esset in Susis castro audivit peregrinos Hebraice loquentes, et accedens sciscitatus est ab eis de statu Judææ et Jerusalem, et accepit ab eis urbem esse sine muris, et habitare in ea populum Dei in afflictione. Nam per dies sustinebant hostium impetus, et noctibus intrabant latrunculi, et plateas implebant cadaveribus occisorum. Et flevit Nehemias, et cibum desiderabilem non gustavit, nocte et die clamans ad Dominum. Cumque staret in mensa, et levaret vinum regi, apparuit quasi languidus ante eum (*II Esdr.* II). Et ait rex : « Quare tristis es, quodve malum latet in corde tuo? Et respondit tremens : « Quia civitas sepulcri patrum meorum deserta est. Si bonum tibi videtur mitte me, et reædificabo eam. » Et ait regina, quæ sedebat juxta regem : « Quando reverteris? Et constituit ei tempus revertendi. Nec fuit hæc regina Esther, ut quidam tradiderunt : Nec in diebus Esdræ historia illa occurrit. Non enim Esdras in volumine suo siluisset. Et dedit rex Nehemiæ epistolam ad principes trans flumen. In qua mandaverat de honore exhibendo Nehemiæ tanquam duci, et legato misso a latere ejus, et impendiis urbis reædificandæ. Et misit eum eo principes militum, et equites, et transitum faciens per Babyloniam, multos de filiis captivitatis secum reduxit, et venit in Jerusalem anno vicesimo quinto regis Artaxerxis secundum Josephum. Porro in Jerusalem summus erat sacerdos Elisaphat, filius Effachim. Et siluit Nehemias tribus diebus, et nocte consurgens cum paucis circumibat ruinas murorum, considerans qualiter reædificari possent. Quarto die locutus est Nehemias ad multitudinem : « Venite, reædificemus muros Jerusalem, et non simus ultra in opprobrium gentibus. Manus enim Dei nobiscum est, verba regis quæ locutus est mihi.

* *Additio* 1. Ab hac reædificatione intelligenda est computatio annorum, quæ innuitur in prophetia Danielis, supra octava visione : « Scito ergo, et animadverte (*Dan.* IX). »

Cap. VII *De reædificatione Jerusalem.*

« Et surrexerunt sacerdotes, et ædificaverunt portam gregis (*II Esdr.* III). » Alia translatio habet, « Ædificaverunt portam et probaticam piscinam. » Hæc est porta juxta templum, per quam inducebantur greges ad offerendum. Hæc alibi turris gregis dicitur. Fuit autem altera turris gregis in via Bethlehem, ubi Jacob pavit pecora sua (*Gen.* XXXV), et pastores vigilantes super gregem suum viderunt multitudinem militiæ cœlestis (*Luc.* II). Secundo filii Asnaa ædificaverunt portam piscium, et statuerunt valvas ejus, et seras et vectes. Hæc respicit Joppen et Diapolim, per quam inferebatur copia piscium. Hæc, secundum Josephum, postea dicta est porta David. Tertio ædificaverunt portam veterem pigmentarii et aurifices. Vestigia enim istius erant in diebus Jebusæorum, et Melchisedech. Quarto, portam vallis, quæ scilicet in vallem ducebat Josaphat, ædificaverunt filii Zanoe. Quinto ædificavit portam sterquilinii Melchias princeps vici Bethacharam. Per hanc portam sordes civitatis effluebant inundantibus fluviis in torrentem Cedron. Sexto ædificavit portam fontis princeps pagi Maspha, et muros piscinæ Siloe. Muros autem inter portas ædificavit populus per vicos, et civitates; unusquisque secundum possibilitatem suam. Nec te moveat si alia nomina portarum invenias, quæ forte in interiori muro factæ sunt, cum aliqua de prædictis, alia postea sortitæ sint vocabula. Nam porta negotiatorum, forte porta est gregis, in qua negotiatores ergasteria sua posuerant ob templi viciniam. Sed et porta judiciaria potuit esse porta vetus, quæ in fronte civitatis prior eminebat. Porta vero aquarum potuit esse porta fontis. Porta vero equorum non fuit porta civitatis, sed statuta erat ante atria templi, usque ad quam ascendere in equis licitum erat. Porro Nehemias cum servis suis instabat operi, nec somno, ac cibo suaviter utebatur, sed sub necessitate. Et consummatum est opus per annos duos, et quatuor menses, licet in multa angustia et plurimis impedimentis. Primo enim finitimæ nationes in manu forti aggrediebantur eos. Nehemias vero mediam partem populi armatam statuit extra civitatem, ut sustinerent impetus aggredientium. Altera vero media pars ædificabat, una manu ponentes lapidem, altera gladium tenentes (*II Esdr.* IV). Porro secundum intervenit impedimentum : fames enim orta est in terra, et obligavit se populus debito sub usuris, sed et agros, et vineas et oliveta vendere compulsi sunt, tandem etiam filios et filias venundare in servos et ancillas (*II Esdr.* V). Et convocata multitudine compulit Nehemias divites et magistratus remittere usuras, et

Digitized by Google

restituere vineas, et servos, et agros, quos emerant. Et excutiens sinum suum, dixit : « Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleverit verbum hoc. Et dixit universa multitudo, Amen. » Ipse quoque annonas quæ regi debebantur, condonavit. Qui cum dux missus esset a rege, tamen annonas, quæ ducibus debebantur, non comedit a prima die qua egressus est a rege, usque dum rediit ad eum. Præterea tertium habuit impedimentum, quod principes trans flumen, qui invidebant ei, corruperunt muneribus quosdam seniorum, qui erant in Jerusalem, ut eum morti traderent (*II Esdr.* VI). Quod cum nequirent, variis eum terrebant rumoribus, ut sic ab opere cessaret, dicentes : « Multi conjuraverunt adversum te, vade et absconde ab eis. » Rursumque aiebant : « Delatum est ad regem quod velis rebellare, et facere te regem in Judæa. Noli exasperare dominum tuum. » Cumque multa fingerent in hunc modum non prævaluerunt, quia manus Domini erat cum eo.

A

B

Cap. VIII. *De inventione ignis.*

Postquam autem ædificatus est murus, quia rari erant habitantes in Jerusalem, præcepit Nehemias ut clauderentur portæ ante solis occasum, nec aperirentur ante calorem solis (*II Esdr.* VII). Cumque immineret mensis septimus, qui fere totus apud eos solemnis est, convenerunt in Jerusalem quasi vir unus (*II Esdr.* VIII). Et accepit Nehemias, quod non habebant ignem de sublimi. Traditumque est ei a senioribus, quod Jeremias in diebus captivitatis absconderat stipites altaris et prunas in inferioribus terræ in valle Josaphat. Cumque venissent ad locum, eruderaverunt puteum, et invenerunt stipites, et prunas, et aquam crassam, tollentes ea super struem lignorum, et hostias, quæ erant super altare projecerunt, et erupit ignis (*II Machab.* I). Et appellavit Nehemias hunc diem Nephthar quod interpretatur *purificatio*. Alii dicunt Nephi. Et orabant sacerdotes, Jonatha inchoante, et cæteris respondentibus *. Nehemias quoque specialem edidit orationem.

C

D

* *Additio* 1. Nota quia hoc quod hic dicimus, magis factum est sub Nehemia, scilicet, orabant sacerdotes, Jonatha inchoante, etc. Romana Ecclesia in quadam epistola, in quodam die jejunii, dicit factum tempore Machabæorum intitulans epistolam : *Lectio libri Machabæorum* : qui fuerunt longe post Nehemiam. Et ita videtur quod hic dicitur contrarium esse Ecclesiæ. Solvetur ergo sic, quia cum secundus liber *Machabæorum*, de quo sumitur illa epistola, non sit historiæ prosecutio, sed tantum epistola quædam missa a Juda et senioribus ad alios Judæos dispersos tantum, a Juda illis dispersis, et hoc factum notificatur, et festivitas, noviter instituta, celebranda mandatur, non principaliter enarratur.

Cap. IX. *De observatione tabernaculorum.*

Porro prima die scenopegiarum dixerunt Esdræ, ut afferret librum legis, et legeret coram populo (*II Esdr.* VIII). Stetitque Esdras super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum juxta partem aquarum, id est portam atrii, secus quam erant luteres, et legit de mane usque ad medium diem. Levitæ vero duodecim silentium faciebant in populo. Flebat autem omnis populus, et dixit ad eos Esdras : « Nolite contristari quia sanctus dies Domini est, sed ite, comedite pinguia, et bibite mulsum, et date partes eis qui non præparaverunt sibi. » Cumque rediissent in diem secundum, invenerunt in lege præceptum esse a Domino, ut habitent filii Israel in tabernaculis mense septimo in die solemni. Et mandante Esdra egressi sunt, et tulerunt frondes olivæ, et ligni pulcherrimi myrti, et palmarum, et fecerunt sibi tabernacula in atriis, et domatibus suis, et in atriis domus Domini, quæ non fecerant a diebus Josue filii Nun. Et observatum est deinceps in Israel, usque in hodiernum diem. Die vero octavo fecerunt collectam, juxta ritum, statuentes ut quisque daret tertiam partem sicli per annum ad oleum, et panes propositionis ad ligna, et sacrificia sempiterna, in diebus festis, et pro peccato. Die vero vicesima quarta quia audierant in lege, Ammonites et Moabites non intrabunt ecclesiam Dei (*II Esdr.* IX), separaverunt ab ecclesia alienigenas, et in mundatione sua statuerunt in crastinum generale jejunium, ut affligerent animas suas homines et jumenta, usque ad pueros septennes, et convenerunt octies ad audiendam legem, quater in die et quater in nocte. Lectione terminata prosternebatur populus ad orandum, et fiebant preces super eum, et tandem benedictio sacerdotalis. Ex his, ut dicit Beda, Ecclesia traxit exemplum : nam, et supra gradus legitur, et levitæ proclamationes faciunt in populo, et octies convenitur ad ecclesiam, etsi non penitus eo modo quo illi. Semel enim in nocte surgimus ad nocturnos, secundum illud : « Media nocte surgebam ad confitendum tibi (*Psal.* CXVIII), etc. » In dies vero septies psallimus, secundum illud : « Septies in die laudem dixi tibi (*ibid.*). » Singulis autem horis legitur lectio, quam capitulare dicimus, postquam prosternitur ad preces in diebus profestis, et subditur oratio pro benedictione.

Cap. X. *De ædificatione muri, et obitu Nehemiæ.*

Porro Nehemias videns urbem fere vacuam factam habitantibus, rogavit optimates, ut habitarent in Jerusalem, et benedixit eis qui se sponte obtulerunt (*II Esdr.* XI). Reliqua vero multitudo misit sortem, et decimum caput fecit habitare in Jerusalem. Post aliquod tempus congregati sunt in Jerusalem ad dedicationem muri, et ascenderunt sacerdotes, et levitæ, cantores cum musicis instrumentis, et psallentes incedebant per murum (*II Esdr* XII). Esdras vero præcedebat, Nehemias, et optimates cum eo super alteram partem muri incede-

Digitized by Google

bant psallentes. Reliqua vero multitudo sequebatur eos super terram, et ducebant choros (26).

His expletis rediit Nehemias ad regem in Perside, anno secundo et trigesimo regni sui, et mortuus est Esdras in senectute veneranda, et cum multa liberalitate sepultus in Jerusalem. Hunc quidam Hebræorum autumant fuisse Malachiam. Sed Malachias post regressum captivitatis natus est in Judæa in Sophis. Quem quia vitæ optimæ fuit, et aspectu decorus, populus appellavit Malachi, id est *Angelum*. Tradunt etiam, quod quæ prophetice dicebat, eadem die angelus Dei apparens iterabat. Et mortuus est dum adhuc juvenis esset, et sepultus in agro suo.

Porro circa finem dierum suorum rediit Nehemias in Jerusalem ex beneplacito regis, et intellexit mala quæ fiebant in ea (*II Esdr.* XIII). Sacerdotes namque in diebus vicis suæ non habitabant in gazophylaciis circa templum, sed in domibus propriis cum omni domo sua, et custodiam vasorum Domini posuerant in domibus sequestratis a templo. Et ædificavit de proprio gazophylacia, in quibus excubabant sacerdotes, et reponebantur vasa. Præterea invenit populum calcantes torcularia in Sabbato, et inferentes in Jerusalem vinum, et uvas, ficus, et omne onus. Gentes quoque inferebant pisces, et venalia, et vendebant in Sabbatis filiis Juda. Et objurgavit optimates, dicens : « Cur profanatis diem Sabbati, et inducitis iram Dei super Israel, et super civitatem hanc? » Et adjuravit eos de custodia Sabbati, et præceoit claudi portas in Sabbato, ne intrarent negotiatores : et manserunt extra Jerusalem semel et bis. Et contestatus est eos Nehemias, quod si deinceps venirent, manum mitteret in eos, et recesserunt. Et fecit Nehemias in Jerusalem bibliothecam, congregans libros de regibus, et libros prophetarum et David, et epistolas regum, et de donariis, et pro his omnibus, quæ fecerat oravit Nehemias ad Deum, dicens : « Memento mei, Deus meus, in bonum. »

Hucusque sumpta est series historiæ ab annalibus Hebræorum præter Esther. Quæ vero post hoc apud Judæos gesta sunt, de scriptis Josephi et Africani exhibentur, et de libro *Machabæorum*, quem quidam ab Hebræis scriptum autumant, quidam a Græcis. Et mortuus est Nehemias vir benignus, et sepultus juxta murum, quem ædificaverat. Post Artaxerxem regnavit Xerxes duobus mensibus, post quem Sogodianus mensibus septem. Post quem regnavit Darius, cognomento Nothus, sub quo Ægyptus recessit a Persis.

Incidentia.

Ea ætate solis defectio facta est, et ignis de Ætna erupit. Plato natus est, Hippocrates medicus claruit, Dionysius in Sicilia tyrannidem exercuit. Post Darium regnavit Artaxerxes, qui cognominatus est Mennon, Darii et Parasitidis filius. Hic ab Hebræis dicitur Assuerus. Sub hoc historia Esther conscripta est.

(26) Ultra Bibliam hæc sunt.

HISTORIA LIBRI ESTHER

Cap. I. *Præfatio.*

Librum Esther transtulit Hieronymus ad petitionem Paulæ et Eustochii de Hebræo in Latinum et quia in Græco corruptus erat per varias editiones relevavit eum de archivis Hebræorum, et diligenter transtulit de verbo ad verbum. Regnavit Assuerus ab India, usque ad Æthiopiam super centum et septem viginti provincias, et erat in Susis civitate solium regni ejus. Tertio igitur anno imperii sui fecit grande convivium cunctis principibus suis et inclytis provinciarum coram se centum et septuaginta diebus (*Esther.* I), » in domo illa mirabili, de qua legitur in historia Alexandri, cujus columnæ erant argenteæ, tectum instar firmamenti concameratum, habens gemmas diversi coloris, in figuram siderum, et signorum dispositas. « Post hos dies convivii invitavit omnem populum, qui erat in Susis, et discubuerunt extra domum septem diebus, in vestibulo horti deliciarum. In horto erat vinea habens vites argenteas, et palmites aureos et botros ex varietate gemmarum distinctos. Super convivantes extensa erant tentoria, quæ appendebantur columnis argenteis, et marmoreis, eburneis circulis insertis, funibus byssinis atque purpureis. Lectuli quoque aurei, et argentei dispositi erant super pavimentum smaragdino et pario stratum lapide. Bibebant autem omnes in aureis poculis vinum præcipuum, et abundans, nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, licet id moris esset apud Persas. Vasthi quoque regina fecit convivium feminarum in palatio regis. Die autem septimo cum rex inealuisset mero præcepit septem eunuchis, ut introducerent reginam in decore suo, ut ostenderet omnibus pulchritudinem illius. Quæ ad imperium regis venire contempsit. Et iratus rex quæsivit a septem sapientibus, qui videbant faciem ejus, cui sententiæ Vasthi subjaceret. Et respondit Mamuchan : Non læsit te solum Vasthi, sed et omnes viros regni tui. Nam ejus exemplo mulieres parvipendent imperia virorum. Egreditur autem edictum a facie tua, ut al

Digitized by Google

tra Vasthi non ingrediatur ad regem, sed altera melior regnet pro ea. Et exiit edictum in omnes provincias per epistolam regis.

« Et dixerunt pueri regis ad eum : Quærantur regi puellæ virgines speciosæ, et tradantur Egeo eunucho ad custodiam, et accipiant mundum muliebrem (*Esther.* II), » id est vestes, et cultus, et ornatus. Unde et ministros talium mundiburdos vocamus, et quæcunque oculis regis placuerit regnet pro Vasthi. Placuit sermo regi, et jussit hoc fieri. Erat tunc in Susis Judæus, vocabulo Mardochæus, de tribu Jemini, qui descenderat de transmigratione Jechoniæ. Hic erat nutritius filiæ fratris Edissæ quæ et Esther vocabatur, quam, orbatam utroque parente, Mardochæus adoptaverat in filiam. Hæc inter cæteras tradita est eunucho, nec indicavit populum suum. Sic enim mandaverat ei Mardochæus, et invenit gratiam in oculis eunuchi, et acceleravit ei cultum muliebrem, et dedit ei septem puellas, ut eam ornarent et excolerent. Porro virgines per sex menses ungebantur oleo myrrhino, et aliis sex quibusdam pigmentis et aromatibus utebantur, ut post annum ingrederentur ad regem, et quæ vespere intrabat egrediebatur mane, nec poterat redire, nisi rex ex nomine jussisset eam venire. Mardochæus autem versabatur in vestibulo domus regiæ curam agens salutis filiæ. Tandem instabat dies quo Esther, filia Abihail, intrare debebat ad regem, nec quæsivit ab Egeo cultum muliebrem ; sed posuit in voluntate ejus, qui tenebatur puellis dare quæcunque petissent. Et intravit ad regem anno septimo regni ipsius, mense decimo qui Hebraice dicitur Thebeth, Latine Januarius, et invenit gratiam apud regem, et fecit eam regnare pro Vasthi. Et celebravit nuptias per mensem, et mandavit per eos, qui *Aggari* dicuntur, id est cursores, requiem in universo regno per tempus nuptiarum. Mardochæus autem, qui frequentius morabatur in Babylonia unde et adducta fuerat Esther, transtulit se in Susis. Eo tempore irati sunt regis duo eunuchi janitores, et machinabantur ut occiderent regem. Quod non latuit Mardochæum, et indicavit Esther, et illa ex nomine Mardochæi detulit ad regem. Quæsitumque est, et inventum, et appensi sunt in patibulo. Et traditum est coram rege in annalibus, » in quibus reges accidentia temporis sui redigebant.

Post hæc Assuerus exaltavit Aman Amalechiten, qui erat de stirpe Agag, quem Samuel trucidavit, et adorabant eum servi regis præter Mardochæum, qui propter patrias leges coram eo genu non flectebat. Quod attendens Aman indignatus est, et accipiens eum Hebræum esse (*Esther* III), ait : Persæ liberi flectunt genua, » hic autem servus dedignatur. Et disposuit perdere Judæos, qui erant in regno Assueri veteri motus odio, quia Judæi deleverant Amalechitas. Duodecimo itaque anno regni Assueri, mense primo, missa est sors in urnam, quæ Hebraice dicitur phur, coram Aman, quo die, et quo mense gens Judæorum deberet interfici, et exivit mensis duodecimus. » Tunc ait Aman ad regem : Interest regi servare pacem ; noverca autem pacis est dissimilitudo. « Est enim gens in regno tuo dissimilis cæteris, novis utens legibus, insuper et regis scita contemnens. Expedit tibi, ut non insolescat, decerne ergo ut pereat. Et ne dispendium sentias in tributis decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ. Tulitque rex annulum, quo utebatur, et dedit illum Aman, dicens : Argentum tuum tibi sit, et de populo age quod tibi placet. Tunc scripsit Aman ex nomine regis litteras annulo regis designatas in omnes provincias, ut occiderentur Judæi a parvulo usque ad senem, et bona eorum diriperentur tertio decimo die mensis duodecimi. Statimque in Susis pependit edictum. »

Quod cum legissent Judæi fleverunt. Sed et Mardochæus indutus est sacco, et aspersus cinere, magna voce ejulabat præ foribus palatii (*Esther* IV). Non enim fas erat indutos sacco intrare palatium. Quod cum accepisset Esther, consternata est, et misit ei vestem, qua indutus intraret ad eam, quam accipere noluit, sed significavit ei per eunuchum causam fletus, et exemplar edicti, quod pendebat in Susis misit ei, monens eam, ut intraret ad regem, et supplicaret ei pro populo suo. Quæ respondit : Jam triginta diebus non sum vocata ad regem, et decretum est ut qui non vocatus accesserit moriatur, nisi forte rex auream virgam ad eam extenderit. Rursumque Mardochæus ad eam : Quid scis utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris ? Si nunc silueris, per alium liberabit Dominus populum suum, et tu et domus patris tui peribitis. Tunc mandavit Esther Mardochæo, ut omnes Judæi, qui erant in Susis per triduum jejunarent, et orarent pro ea, sed et ipsa jejunavit. »

« Die autem tertia induta regalibus stetit in atrio domus, contra basilicam regis cum duabus puellis, quarum unam incumbentem sustinebat, altera sequens longitudinem vestis summis digitis deportabat (*Esther* V). At rex sedebat supra solium contra ostium domus. Qui cum respexisset eam torvo vultu collapsa est. Cumque vidisset Esther lapsam placuit ei, et extendit contra eam auream virgam. Quæ consurgens, et accedens, osculata est summitatem virgæ, et ait rex : Quid vis, Esther ? Quidquid petieris dabo tibi. Quæ respondit : Obsecro ut venias ad me hodie, et Aman tecum ad convivium. Et surgens venit ad eam. Et fovens eam gremio, consolabatur dicens : Noli timere ; pro subditis lex data est, tu vero mihi conregnas. Veneruntque ambo ad convivium reginæ. Cumque bibisset abundanter, ait : Pete quod vis, Esther, et impetrabis. Quæ respondit : Obsecro ut veniat cras rex, et Aman ad convivium, et indicabo eis cor meum. Egressus est itaque Aman lætus. Cumque vidisset Mardochæum non assurrexisse sibi indignatus est, et convocans uxorem et amicos, exposuit eis omnem gloriam suam, addens quod eum solum cum rege Esther vocavit ad convivium. Verumtamen se nihil

Digitized by Google

habere reputabat, dum viveret Mardochæus. Et dixerunt ei : Jube parari trabem quinquaginta cubitorum, et suggere regi, ut appendatur Mardochæus in ea, ut sic eas lætus cum rege ad convivium, et jussit parari crucem. »

« Noctem illam rex duxit insomnem, et jussit sibi legi Annales (*Esther* VI). Et ventum est ad locum ubi scriptum erat, quod Mardochæus nuntiaverat ei facinus eunuchorum. Et ait rex : Quid honoris consecutus est Mardochæus pro hac fide? Et dixerunt ei : Nihil. Et quæsivit rex quis esset in atrio. Et dixerunt pueri, Aman. Ipse enim intraverat, ut suggereret regi de morte Mardochæi. Cumque vocatus intrasset Aman, dixit rex ad eum : Quid debet fieri viro, quem rex vult honorare? Qui cogitans pro se dictum esse, respondit : Debet indui stola regia, et coronari diademate, et sedere super equum regis, et primus de principibus teneat equum, et per civitatem incedens clamet : Sic honorabitur, quem rex voluerit honorare. Dixitque ei rex : Festina, et fac ut locutus es Mardochæo. Cave ne quidquam ex his quæ locutus es prætermittas. Et fecit Aman Mardochæo, ut locutus fuerat. Qui prius renitebatur, putans sibi illudi ab Aman; sed, cognita veritate, consensit. Et rediit Mardochæus ad fores palatii. Aman vero festinabat in domum lugens, et operto capite. Et dixerunt ei amici ejus : Si de semine Judæorum est Mardochæus ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades. »

« Et ecce nuntii regis compellebant eum intrare, et intravit cum rege ad convivium (*Esther* VII). Et ait rex : Pete quod vis, Esther. Quæ respondit : Dona mihi animam meam, et populum meum ne pereamus. Utinam in servos venundaremur, et gemens tacerem. Et ait rex : Quis est, qui hæc audeat facere? quæ respondit : Hostis noster est iste Aman. Quod ille audiens obstupuit. Rex autem iratus surrexit, et intravit in hortum, Aman vero supplicabat reginæ pro anima sua. Cumque reversus esset rex reperit Aman corruisse super lectulum in quo jacebat Esther, et ait etiam reginam vult opprimere, me præsente. Et dixit Arbona eunuchus : En lignum, quod paraverat Mardochæo, stat in domo Aman. Et ait rex : Appendite illum in eo. Et suspensus est Aman in patibulo. »

« Et dedit rex Esther domum Aman (*Esther* VIII). Et ingressus est Mardochæus ad regem. Confessa est enim Esther, quod patruus ejus esset. Et dedit rex annulum Mardochæo, quem Aman recipi jusserat. Esther autem constituit Mardochæum super domum suam. Quæ iterum flens procidit ad pedes ejus, supplicans, ut veteres litteras, quas scripserat Aman contra Judæos novis epistolis irritaret. Et acquievit rex. Et scripsit Mardochæus litteras annulo regis sigillatas ad principes provinciarum, ne occiderentur Judæi, imo illos qui parati erant ad occisionem Judæorum, interficerent Judæi, et manus principum esset cum eis. Et factum est nomen Judæorum celebre, ita ut plures de gentibus religioni eorum jungerentur.

Et recordatus est Mardochæus somnii quod viderat, et interpretationem ejus intellexit (*Esther* X *et* XI). Et hoc erat somnium : Apparuerunt ei voces, et tonitrua, et terræmotus super terram. Et ecce duo dracones parati contra se in prælium, ad quorum clamorem nationes excitatæ sunt, ut pugnarent contra regem justorum, et fuit dies illa tenebrarum et discriminis. Et conturbata gens justorum clamavit ad Dominum, et ecce fons parvus crevit in flumen maximum, et orta est lux magna, et humiles exaltati sunt, et devoraverunt inclytos. »

Porro in secunda epistola quam scripsit pro Judæis excusavit se rex in hunc modum : « Ne putetis si diversa jubemus ex animi levitate venire, sed pro necessitate temporum ferre sententiam, ut reipublicæ poscit utilitas. Multi sublimati a regibus honore collato, abusi sunt in superbiam, et in ipsos qui dederunt moliuntur insidias. Aman et animo, et genere Macedo, et ex obliquo commaculans genus Persarum, adeo intumuit, ut regno nos privare niteretur et spiritu. Nam Mardochæum, cujus fide vivimus, et consortem regni Esther cum omni gente sua, novis machinationibus expetiit ad mortem, cogitans ut illis interfectis, nostræ insidiaretur solitudini, et regnum Persarum transferret in Macedones. Nos vero nutu Dei viventis, cujus beneficio patribus nostris regnum traditum est, et usque hodie custoditum, Judæos absolvimus, et hostes eorum interfici jubemus. » Igitur tertia decima die mensis duodecimi percusserunt Judæi hostes suos plaga magna per provincias, usque ad septuaginta quinque millia (*Esther* IX). Quarta decima vero die celebraverunt convivia cum gaudio, particulas sibi invicem mittentes. In Susis vero interfecerunt quingentos viros. Et in decima quarta die obtinuit Esther a rege, ut adhuc occiderentur in Susis hostes Judæorum, et suspensi sunt decem filii Aman, et de aliis circiter trecenti perierunt. Et ideo Judæi, qui habitabant in Susis duobus diebus occisione vacantes decima quinta die convivia celebraverunt. Et propterea mandavit Esther, et Mardochæus hos duos dies in numero solemnitatum recipi, et dies plurimi, id est sortium, observari a Judæis, ut memoriam facti nulla deleret oblivio (*ibid.*). Hos tamen dies vocat Josephus conversatores, eo quod Judæi de mœrore in gaudium conversi fuerant. Scripsit etiam Mardochæus ad Judam summum sacerdotem in Jerusalem, qui patri suo Elisaphat successerat, ut dies isti solemnes haberentur in Judæa in sempiternum.

Incidentia.

In diebus Assueri Athenienses viginti quatuor litteris uti cœperunt, cum antea sedecim tantum uterentur. Senones Galli duce Brenno Romam invaserunt, et excepto capitolio incensam, vastaverunt, sex mensibus; tribuni militares pro consulibus esse cœperunt. Obiit Anaxagoras physicus, et Hera-

Digitized by Google

clitus tenebrosus, et Democritus, et Socrates in carcere venenum bibit. Diogenes et Isocrates claruerunt. Aristoteles audivit Platonem decimum octavum annum agens.

CAP. II. *De Ocho seu Artaxerxe.*

(27) Post Assuerum regnavit Artaxerxes, qui Ochus dictus est. Hic misit Vagosum præfectum universis regionibus trans flumen Euphratem. Erat autem in Jerusalem summus sacerdos Joannes, qui Judæ patri suo successerat. Erat autem frater Joannis Jesus, qui ad pontificatum aspirabat, et propterea Vagosi familiaritatem sibi comparavit. Qua confidentia Jesus altercatus in templo adversus Joannem adeo incitavit fratrem, ut eum interficeret. Unde Vagosus indignatus ascendit in Jerusalem. Cumque prohiberent eum ab ingressu templi, respondit : « Mundior ego sum cadavere, quo templum plus profanastis. Et ingressus in templum spoliavit illud. Et imposuit iterum ministris templi tributa, et annonas anni septimi, a quibus per interventum Esdræ absoluti fuerant. Porro Artaxerxes, scilicet Ochus, Ægyptum ad suum revocavit imperium, Nethanabo rege in Æthiopiam pulso, in quo Ægyptiorum regnum destructum est. Idem Ochus Apodasmo Judæorum capta, in Hircaniam accolas translatos, juxta mare Caspium collocavit.

Incidentia

Eo tempore Romani Gallos superaverunt. Demosthenes et Socrates claruerunt. Obiit Plato, post quem Speusippus tenuit Academiam.

CAP. III. *De Dario filio Arsami.*

(28) Post Ochum regnavit filius ejus Arsamus. Et mortuo Joanne in Jerusalem successit ei filius ejus Jaddus in sacerdotium. Post Arsamum regnavit filius ejus Darius. Hic præfecit regionibus trans flumen Saraballam de genere Cuthæorum, ex quibus Samaritæ descenderunt. Erat autem Jaddo frater Manasses ad pontificatum anhelans, propter quod Iaacham filiam Saraballæ duxit uxorem. Cumque ministraret in sacerdotio, indignati sunt Jerosolymitæ, et jubebant eum recedere ab uxore, aut non introire sanctuarium. Itaque Manasses cum uxore transtulit se ad socerum suum. Qui pollicitus est, ut ædificaret ei templum instar Jerosolymorum super montem Garizim, sed hoc cum sententia regis Darii faciendum erat. Interim autem condidit ei Abisam, vel Abiglam, qui est Mediterraneus vicus Tyriorum, et insignis. Et transierunt ad Manassen plures de Jerosolymitis, quibus Saraballa pecunias ministrabat, terram colendam deputabat, et habitationem.

Incidentia.

Eo tempore Manlius Torquatus consul Romanorum filium suum, virgis cæsum, securi percussit, quia contra imperium consulum cum hostibus pugnaverat, et tamen expugnaverat.

(27) Ex diversis.
(28) Ex diversis historiis.

CAP. IV. *De Alexandro.*

(29) Per idem tempus Philippus rex Macedonum per insidias peremptus est a Pausania trahente genus ab Oreste. Cui successit Alexander filius ejus adoptivus, quia legitur Notanabi filius, vicesimum agens annum. Qui volens obtinere Syriam, transiit Hellespontum. Et congregati sunt adversus eum duces Darii, qui erant trans flumen, et super Granicum fluvium expugnavit eos. Cumque percurrisset Lydiam et Iconiam, pervenit ad loca Pamphyliæ. Tunc Darius, filius Arsami, electum collegit exercitum, et transivit Euphratem, et montem Ciliciæ Taurum, sperans in Cilicia Macedones expugnare. Tunc gavisus est Saraballa, putans quod post victoriam occurreret Dario, et ædificationem templi ab eo impetraret, quod pollicitus erat genero suo : ipse quidem longævus a præliis vacabat, sed aliter quam speraret evenit. Nam victus est Darius a Macedonibus, et capta matre ejus, uxore et filiis, ad Persas fugiens, remeavit cum paucis. Tunc Alexander cœpit aspirare ad monarchiam Orientis, et intrans Syriam cepit Damascum, et subjugata Sidone Tyrum obsidebat. Tunc Saraballa eligens de suis octo millia in Alexandriam profectus est in auxilium, dicens se libentius obsequi ei quam Dario et quod loca constituta sub potestate sua ei contraderet; et grate susceptus est ab Alexandro. Præterea dixit ei se habere generum Manassem, fratrem principis sacerdotum gentis Judææ, multosque alios cum eo potentes ex ea gente, quos velle aiebat sub eo templum constitutis locis ædificare : quod profuturum Alexandro testabatur, quia potentia Judæorum in duo divisa non rebellaret. Concedente vero Alexandro, in studio ædificavit Saraballa templum et altare, quod permansit, usque ad destructionem factam per Romanos, et in eo Manassem constituit pontificem *. Porro dum Alexander erat in obsidione Tyri, scripsit epistolam ad principem sacerdotum in Jerusalem, invitans eum, ut sibi præberet auxilium et exercitum, venalia præpararet, et redderet sibi tributa quæ prius Dario conferebat. Et respondit Jaddus se Dario sacramentum dedisse, nec, eo vivente, posse transcendere constituta. Tunc comminatus est Alexander genti Judæorum, quod per eum discerent quibus deberent constituta servare. Tunc injectis aggeribus, Tyrum fecit continentem, id est cum prius esset insula, fecit eam conterminiam terræ, qua vastata Gazam obsedit. Et mortuus est Saraballa.

Alexander autem, capta Gaza, in Jerosolymam festinabat. Et timentes Judæi, clamaverunt ad Dominum, et immolabant hostias, et Jaddus orabat pro gente. Qui cum post sacrificium obdormisset, præcepit ei Deus, ut confideret, sericisque, id est cortinis, civitatem ornaret, et ipse pontificalibus indutus, et reliqui sacerdotes cum eo legitimis stolis

(29) Ex diversis historiis.

Digitized by Google

induti, obviam exirent Alexandro. Et surgens a sopore, oraculum omnibus indicavit. Audiensque non longe esse a civitate Alexandrum, processit cum sacerdotibus, et civium multitudine sacra, ad locum, qui Saphim appellatur, quod Latine translatum *scopulum* sonat, unde Jerosolyma et templum Domini videri potuissent. Et factum est contra spem omnium qui sequebantur regem. Nam Alexander intuens antistitem, pontificali stola insignem, et super cidarim laminam auream, in qua scriptum erat nomen Dei, descendit de equo, et adiit eum solus, et nomen Dei adoravit, et pontificem veneratus est. Et obstupuerunt principes exercitus, et ludificatam regis mentem putaverunt. Solus Parmenio quæsivit ab eo, cur sacerdotem gentis Judææ adorasset? Et respondit. Non hunc adoravi, sed Deum, qui principatum sacerdotum gerit. Nam per somnium in tali habitu Deum prospexi, adhuc in Lycæa civitate Macedoniæ constitutus. Dumque mecum cogitarem utrum Asiam possem obtinere, jussit me confidere: nam ipse exercitum meum perduceret, et Persarum mihi traderet principatum. Nunc autem primo vidi in hoc sacerdote ipsius effigiem, et quæ mihi promisit proventura confido, et propterea Deum adoravi, et hominem veneratus sum. Et ingressus est urbem Alexander, et in templo sacrificavit Deo, secundum sacerdotis ostensionem, et attulerunt ei Danielem, in quo scriptum erat, quemdam Græcorum perditurum Persarum potentiam, et arbitrans de se scriptum esse gavisus est. Et in crastinum convocans populum, jussit petere quæ vellet. Et ipsis petentibus concessit Judæos ubique patriis uti legibus, et septimum annum sine tributis esse propter Sabbatum terræ, quia septimo anno non colebatur terra. Et exinde ad alias civitates profectus est. Tunc Samaritæ videntes ejus munificentiam circa Judæos, cognatos se dixerunt esse Judæorum, originem suam ab Ephraim et Manasse recensentes. Et postulaverunt ut templum eorum in Garizim honoraret: quod in reditu se facturum promisit. Cumque peterent ab eo relaxationem septimi anni, quæsivit qui essent. Et dixerunt se Hebræos. Cumque adderet utrum essent Judæi, negaverunt se Judæos esse. Et respondit: Judæis tantum hæc concessi. Porro nos sub silentio pertransimus qualiter Alexander Darium vicit et Porum, et quomodo consuluit: arbores solis, et lunæ**, et cætera admiratione digna, quæ præceptori suo Aristoteli per epistolam indicavit, ad eorquæ circa populum Dei gesta sunt festinantes.

* *Additio.* 1. Ecce tertio legitur Templum ædificatum, a Salomone in Jerusalem, in Ægypto, et hic a Saraballa.

** *Additio.* 2. *Arbores solis et lunæ.* Cumque sol oriebatur, et splendor summitatem arborum tangebat, usque ad radices concutiebantur, et tunc responsum dabatur interrogantibus, ubi Alexander de uxore, et suis recepit, et de morte sua si Babylonem intraret, et ita factum est a sorore. Sacerdotes vero, qui erant utentes pomis arborum solis et lunæ, quadringentos annos vivebant.

Cap. V. *De reclusione decem tribuum, et morte Alexandri.*

(30) Itaque cum venisset Alexander ad montes Caspios, miserunt ad eum filii captivitatis decem tribuum. Ex edicto enim tenebantur egredi non licere, postulantes ab eo egrediendi copiam. Cumque quæsisset causam captivitatis, accepit eos recessisse aperte a Deo Israel, vitulis aureis immolando, et per prophetas Dei prædictum esse eos a captivitate non redituros. Tunc respondit, quod arctius eos includerent. Cumque angustia viarum obstrueret molibus bituminatis, videns laborem humanum non sufficere, oravit Deum Israel, ut opus illud compleret. Et accesserunt ad se invicem prærupta montium, et factus est locus immeabilis. Ex quo liquido apparet non esse Dei voluntatem, ut exeant. Egredientur tamen circa finem mundi, magnam hominum stragem facturi. Et, ut ait Josephus, Deus quid facturus est pro fidelibus suis, si tantum fecit pro infideli? Cumque rediisset Alexander in Babylonem, sumpto veneno usum linguæ amisit, et extremam voluntatem suam scripto expressit. Et noluit monarchiam suam in aliquem transferre, ne aliquis par ei in potentia apud posteros legeretur, et duodecim quos ab adolescentia sua socios habuerat, regni successores instituit. Hæc autem institutio non stetit. Nam quatuor ex his tantum, aliis abjectis, regnaverunt, sicut in historia Danielis est comprehensum. Mortuus est autem cum esset annorum triginta duorum: et duodecim annis regnavit. Et dicitur a quibusdam, quod duodecim Alexandrias ædificavit, pro numero annorum, quibus regnaverat. Ipse in Ammone condidit Parathonium, id est virtutis suæ indicium, scilicet arcum triumphalem.

Cap. VI. *De Ptolemæo Soter.*

(31) Et regnavit post eum in Ægypto Ptolemæus, qui cognominatus est Soter. Qui cum regno suo adjecisset Syriam, apposuit ut adjiceret et Judæam. Et ascendens in Jerusalem die Sabbati, sciens ea die Judæos arma non moturos, sub simulatione sacrificandi Deo nullo contradicente intravit. Unde secundum Josephum, ut ait Cnydius Agatarchides, Judæos ridiculos appellavit, qui pro superflua superstitione grave damnum sustinuerunt. Ptolemæus namque multos de Judæa et Garizim captivos trahens ad Ægyptum rediit. Et venditioni exponens eos, a negotiatoribus nationum distracti sunt et dispersi. Et per hanc captivitatem licet non fuerit generalis, diffusius dispersi sunt in nationes. Unde in *Actibus apostolorum* legitur convenisse in Jeru-

(30) Ex diversis historiis.

(31) Ex diversis historiis.

Digitized by Google

salem Judæos ex omni natione, quæ sub cœlo est (*Act.* II). Jaddo pontifici successit filius ejus Onias, cui successit filius ejus Simon justus, cui successit frater suus Eleazarus, pro Onia, filio Simonis, adhuc puero.

[*Incidentia.*]

Eo tempore Appius Claudius cæcus Romæ claruit, qui aquas Claudias. [*al.* Calidas] induxit, et viam Appiam stravit. Theophrastus philosophus claruit; qui a divinitate loquendi, ut ait Cicero, nomen accepit. Censu Romæ agitato*, inventa sunt civium ducenta septuaginta millia. Conditæ sunt a Romanis Ariminum et Beneventum.

* *Additio.* Quia per hoc numerum civium deprehendunt.

CAP. VII. *De Ptolemæo Philadelpho.*

Post Ptolemæum Soter regnavit in Ægypto Philadelphus. Hic studiosus, et librorum cupidus Demetrium Bibliothecæ suæ præfecit. Cumque quæsisset ab eo de numero librorum viginti mill a adesse respondit, sed paulo post tempore, usque ad quinquaginta millia posse pervenire dixit. Et nuntiatum sibi dixit apud Judæos esse legem ore ipsius Dei editam, et digito ipsius scriptam pro qua summo opere laborandum esse dicebat, ut in Græcum conversa eloquium in archivis regalibus haberetur. Hæc enim erat lex Dei, quem philosophi Zena dicunt, id est viventem. Zeni enim *vivere*, vel *vitam* sonat, quem vulgus appellat Jovem. Et ad ostendendam legis ejus sanctitatem, addidit quod non nisi a Dei viventis cultoribus transferri potuisset. Nam et Theopompus cum historiis, quas scribebat, eam voluisset interserere, versus est in amentiam per dies triginta. Theotecus quoque pro causa eadem factus est cæcus, et pœnitentes sanati sunt. Et suggessit regi ut scriberet pontifici Judæorum, ut Judeos Hebrææ et Græcæ linguæ peritos ad ipsum dirigeret, cum lege Dei, qui ad eam transferendam sufficerent. Quod ut impetraret, munera cum epistolis mittenda censuit. Aderat ibi Aristæus, qui longo tempore Judæorum calamitati compatiens, opportunitate liberandi eos inventa, ait: Quomodo quod postulas obtinebis, tot Judæis in regno tuo servientibus. Solve itaque eos, et nihil gratius erit pontifici Judæorum. Nec ob hoc quod dico, me Judæorum affinem æstimes, sed quia scio tua interesse, si factorem omnium Deum honoraveris. Et liberavit rex de Judæis centum et viginti millia, dans dominis eorum pro capite centum et viginti drachmas argenti. Cumque dixisset rex, hoc magnum esse, dixerunt: Magnum quidem est, sed non regi munifico. Tunc scripsit rex Eleazaro in hunc modum: «Gentem tuam, quæ secus nos erat, libertate donavi, arbitrans hoc Deo esse jucundum, quorum quosdam militiæ assignavi, alios quorum fidem approbaveram constitui in palatio. Leges vero vestras in nostra bibliotheca reponere decrevi. Bene ergo facies mittendo nobis viros seniores, qui valeant interpretationem earum caute nobis relinquere. Transmisi modo argenti centum talenta pro immolationibus faciendis, et separavi quinquaginta talenta auri ad crateres et libatoria facienda, et gemmas sine numero ad artificum optionem. Tu manda nobis quæ ex his volueris fieri, quod gratius amplectemur.»

Tunc mittens ad eum Eleazarus quod postulabat, rescripsit ita: «Ad interpretandam legem, quam postulas, misi viros seniores de unaquaque tribu sex legem ferentes*. Tuæ autem pietatis erit, vel justitiæ, ad nos eam caute remittere.» Hi sunt septuaginta interpretes, qui licet septuaginta duo fuerint, more sacræ Scripturæ septuaginta dicuntur, quæ modicum numerum, si super aliquam summam superexcrescit, sæpe subticet. Qui cum venissent ad regem, benigne ab eo collecti sunt, non tamen ad regem intromissi, usque in diem quintum. Imminebat enim ea die solemnitas triumphalis, pro triumpho scilicet quodam, quem majores sui eadem die habuerant. Ea igitur die suscepit eos, quos, coram universitate principum, decreverat honorare, post susceptionem vero duodecim diebus fuerunt cum rege, et sciscitatus est ab eis quæ in corde suo disposuerat, et præcipue de duobus, de cognitione Dei et gubernatione regni. Cumque instruxissent eum de regni administratione, plenius disputaverunt de uno Deo colendo, et quod nulla creatura Deus esset. Inde est quod ubicunque occurrit eis de trinitate, vel sub silentio transierunt, vel in ænigmate transtulerunt ne tres deos colendos, tradidisse viderentur. Similiter, et de incarnatione Verbi facientes, ut in Isaia**. Qui cum dixisset puerum nobis nasciturum, et addidisset sex ejus nomina, quorum unum est Deus, pro illis sex nominibus transtulerunt, mag i consilii angelus, ne viderentur tradidisse hominem deificatum (*Isai.* IX). Tunc ostenderunt regni rotulum, quem attulerant. Nec sufficiebat admirari rex chartarum tenuitatem et compaginationem, quæ oculis deprehendi non posset, quanquam litteræ aureæ in candore chartarum adeo legibiles apparerent. Introducti autem sunt in domum regis secus mare secretam, quæ erat ad negotiorum deliberationem, et datæ sunt eis cellæ singulæ, et quidquid visum est eis opportunum et commodum ad interpretandum; diluculo egrediebantur ad optandum regi bona, et polichronitudinem ***. Tunc lavabant se ad mare, secundum purificationem Judæorum, postea interpretabantur, usque ad horam nonam. Inde transibant ad cibum, et requiem, et consummaverunt opus septuaginta duobus diebus. Unde quibusdam visum est quod non transtulerunt tunc nisi *Pentateuchum*. Postea vero, vel postquam redirent, vel post, aliqui ex eis ad regem redeuntes, transtulerunt psalmos et prophetas. Verumtamen si miraculose factum est, ut dicit Augustinus, quod una et eadem sine dissonantia inventa sit editio uniuscujusque eorum, minus miraculose fieri potuit, ut in tot diebus interpretati sint legem, psalmos et prophetas. Hieronymus tamen videtur velle quod

Digitized by Google

interpretationes sex dierum, in Sabbato conferebant ex omnibus conflantes unam.

Nec mirandum esse hoc asserit, cum Esdras legem, quam per Spiritum reparaverat, postea cum veteri Scriptura, quæ apud Samaritanos erat, correxit. Opere completo, convocavit Demetrius, qui super libros magister erat, omnes Judæos qui erant in Alexandria et de provincia peritiores. Et lecta est coram omnibus translatio eorum, et approbata, postea delata est ad regem, et coram eo replicata. Cumque peterent interpretes a rege dari auctoritatem, ut immobilis perseveraret, hæc se facturum laudavit, si demum ita caute corrigerent eam, ut quod semel judicatum foret, non cogerentur irritare. Et remisit eos muneribus honoratos. Eleazaro quoque summo sacerdoti transmisit munera. In templum vero misit præter vasa mensam auream gemmis impreciabilibus insignitam, cujus crassitudo, cum esset dimidii cubiti, tamen materiam superabat opus.

* *Additio* 1. Quia etsi decem tribus captæ fuerunt, multi tamen latuerant, qui fugerant in Jerusalem, quidam etiam ad Samaritanos, propter quam commistionem, Samaritani dixerunt se esse Hebræos, ut supra cap. 4, per idem tempus.

** *Additio* 2. Unde in Isaia : « Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis (*Isa.*). » Pro his omnibus transtulerunt : Magni consilii angelus, qua translatione usus est Gregorius, qui ecclesiasticum officium ordinavit, quorum translatione utitur ubicunque, vel posteri, vel alterius auctoritatem induxit, cum tamen Ecclesia translatione Hieronymi, vel Vulgati, utatur in his omnibus.

*** *Additio* 3. Polichronitudo dicitur oratio, quæ fit ab Ecclesia pro regibus, pontificibus, principibus terræ, et optat eis bona spiritualia, et temporalia, et æterna, et temporis longitudinem. Polis enim Græce, *pluralitas*; Latine, chronos *tempus*. Adhuc apud Græcos talis consuetudo est, ut cum surgunt mane, templum respicientes clamant, Polichronitudo basileos, id est *multum temporis vivat rex*.

Incidentia.

Eo tempore Sostratus pharum in Alexandria construxit *, Aratus claruit, argenteus nummus primus in Urbe figuratur; Romanos Carthaginenses navali prælio vicerunt, Metello consule fugato.

* *Additio* 1. Hoc fuit unum de mirabilibus mundi, ut dicit Plinius ; Pharus enim erat turris altissima in littore maris sita, non in terra fundata, sed super cancros quatuor vitreos posita, tantæ magnitudinis, quod ignis in summo positus in nocte totum fere littus irradiabat. Sepulcrum Arati admiratione in Cilicia est dignum, nam in id saxa jactata resiliunt.

CAP. VIII. *De Evergete.*

Post Philadelphum regnavit frater ejus Ptolemæus Evergetes, qui ab Ægyptiis Evergetes dictus est, quod *refectionem* sonat, quia post vastatam Syriam, et Ciliciam, et partes Asiæ inter innumera spolia, quæ cepit, etiam deos eorum, quos Cambyses in Persas transvexerat revexit. Judæorum pontifex Onias, Simonis justi filius, cui successit Simon filius ejus sub quo Jesus filius Sirach librum *Sapientiæ*, qui *Ecclesiasticus* dicitur composuit, quem Græci panarethon* vocant. Et prædicti Simonis in eo facit mentionem**. Porro Onias cum tributa negasset Evergeti, zelo legis, vel potius ex avaritia, ut dicit Josephus, qui eum in honorem fuisse testatur, compulit regem in iram. Et missus est legatus a Judæis, etiam invito Onia ad regem Josephus vir nobilis Tobiæ filius, et sororis Oniæ ; hic habuit filium Hircanum, cujus dum puer esset, probavit pater prudentiam, tradens ei trecenta juga boum, sine loris ***. Qui non solum pacem reformavit, sed remissus est a rege dux Judææ, finitimarum regionum.

* *Additio* 1. A pan, quod est *totum*, et arethon, quod est *virtus*, quasi totus virtuosus.

** *Additio* 2. Tres libros Salomon fecit. *Ecclesiastem*, qui sic incipit : « Vanitas vanitatum ; » parabolas sive *Proverbia*, quæ Hebraicæ Mastot dicuntur, *Cantica canticorum*. Est et quartus, cujus dubitatur autor, qui proprie dicitur liber *Sapientiæ*, et incipit : « Diligite justitiam. » Est quintus, qui *Ecclesiasticus* dicitur, quem composuit Jesus filius Sirach. Quilibet istorum dicitur liber *Sapientiæ*, quod in epistolis notari potest ab his libris sumptis. Ideo autem hanc appellationem sortiti sunt, quia in quolibet istorum sapientia introducitur loquens, vel quia mores informant, vel quia de salute Salomonis propter idololatriam dubitatur.

*** *Additio* 3. Interfecit boves, et comedit carnes, et de coriis fecit lora, et seminavit terram

Incidentia.

Eo tempore Ennius Tarentinus a Catone quæstore Romam translatus est, parco sumptu contentus, et unius ancillæ ministerio. Quadraginta ferme millia Gallorum a Romanis cæsa sunt. Apud Rhodum, colossus magnus terræ motu corruit *

* *Additio* 1. Imago maxima erat miræ magnitudinis, ut sagitta ad summum dirigi non valeret, et caput ejus tantæ magnitudinis, quod capere poterat triginta coros grani, et in inferiori parte in pedibus apertura erat, unde poterat homo intrare, et ascendere in caput.

CAP. IX. *De Ptolemæo Philopatre.*

Post Evergetem regnavit filius ejus Ptolemæus Philopater. Post quem Ptolemæus Epiphanes. Post quem Ptolemæus Philometor, quem vicit rex Syriæ Antiochus magnus, et Judæam sibi subjugavit. Pontifex Judæorum fuit Onias magnus Simonis filius, ad quem, ad reparandum fœdus, quod legitur fuisse inter Abraham, et majores suos, Lacedemoniorum rex Arius legatos misit. Porro Antiochus rex tributa septimi anni et ministrorum templi, quæ Philadelphus relaxaverat a Judæis revo-

Digitized by Google

cavit (*I Machab.* XII). Qui dum finitimas regiones supra modum infestaret, delata est res ad Romanos. Et missi sunt ad eum Scipio Nasica, et Scipio Africanus, et ab infestatione sub religione jurisjurandi amoverunt eum. Insuper tulerunt ab eo obsidem filium ejus Seleucum primogenitum, quem volens recipere ab eis, tradidit pro eo filium minorem natu Antiochum Epiphanem, ita quod esset obses perpetuus, id est non rediturus, propter jusdem Antiochi sævitiam. Descendit Onias in Ægyptum ad Ptolemæum Epiphanem, sicut supra dictum est, et occisus est in Perside Antiochus in fano Nanee, et membratim ejectus a sacerdotibus. Qui in dolo promiserant ei thesauros, et cum paucis induxerunt eum in adytum.

CAP. X. *De Seleuco.*

Post Antiochum magnum regnavit in Syria filius ejus major Seleucus, pessimus, sed iners. Pontifex Judæorum fuit Onias. Nam Onia transeunte in Ægyptum, filius ejus Simon sedit pro eo. Cui successit filius ejus Onias. Sub hoc misit Seleucus nuntium Heliodorum in Jerusalem ad spoliandum commune ærarium templi *. Quo ingresso in templum, surrexerunt duo juvenes de latibulis, et occiderunt eum. Videtur tamen Josephus velle angelos fuisse in similitudine hominum. In secundo *Machabæorum* libro legitur, quia apparuit terribilis sessor equi, et conculcabat eum, et confractus est, et mutus factus, sed non mortuus, et duo juvenes decori flagellabant eum. Timensque Onias indignationem Seleuci orabat ad Dominum pro defuncto, et resurrexit (*II Machab.* III). Qui rediens ad regem, ait: Si habuerit dominus meus aliquos, quorum sitiat sanguinem, mittat eos in Jerusalem, ut spolient templum.

* *Additio* 1. Non vasa, sed donaria in usus templi.

Incidentia.

Eo tempore Aristobolus, natione Judæus, peripateticus philosophus, scripsit commentarios explanationum in Moysen Ptolemæo Philometori.

CAP. XI. *De Antiocho Epiphane.*

Audiens autem Antiochus Epiphanes, qui Romæ obses erat pro patre, patrem mortuum, sciensque fratris inertiam, de regno Syriæ habendo præsumens, clam Romam egressus est (*I Machab.* I et alibi), licet quidam tradunt eum sub conniventia senatorum rediisse. Reversusque in Syriam benignum se omnibus, et munificum exposuit. Strenuus erat in agendis et acer in hostes. Unde et a populo cognominatus est Epiphanes, quod sonat *illustris*. Et mortuo fratre regnavit pro eo. Tunc iniquitatem sibi insitam aperuit, quam pro regno obtinendo palliaverat. Tunc surrexerunt in Jerusalem filii Belial, introducentes ritum gentium, et petierunt ab Antiocho ut faceret in Jerusalem ephebiam, id est lupanar epheborum, et quod Jerosolymitæ scriberentur Antiocheni, et gymnasia in quibus dogmatizabant de ritu gentilitatis (*II Machab.* IV). Et fecerunt sibi præputia, id est non circumcidebant parvulos suos, vel quia ritu præputiatorum vivebant; quidam tamen volunt quod quædam velamina fecerunt circumcisioni suæ, ut in denudatione Græcis apparerent dissimiles. Causa vero hujus flagitii hæc fuit. Onias sine liberis duos habuit fratres, Jesum vel Oniam et Joannem, qui contendebant de pontificatu, et ut placerent Antiocho declinaverunt ad ritus gentium, adeo ut etiam nomina gentium sibi imponerent. Et Jesus dictus est Jason, vel Onias, Joannes vero Menelaus. Cumque plures essent cum Jasone supplicavit Antiocho de faciendo gymnasio in Jerusalem. Et audierunt eum viri pessimi culpabiles in cibo, et violatione Sabbati, et hujusmodi. Postea Antiochus amovit Jasonem, et elevavit Menelaum*. Qui secutus est Oniam in Antiochiam. Hic enim cum vidisset facinus fratrum, descenderat ad regem, si posset mutare animum regis. Quod cum nequiret, sedebat in Antiochia in asylo. Et veniens post eum Menelaus, suasit Andronico, ut occideret Oniam**. Qui evocans eum de asylo occidit eum. Et fratus rex pro morte justi, Andronicum exuit purpura, et flagellatum per civitatem, in eodem loco fecit interfici, ubi ille occiderat Oniam. Porro Antiochus, cum percussisset Ægyptum, in dolo ascendit in Jerusalem, et pro divisione, id est dissensione civium ad libitum fecit in ea, et percussit multos in Jerusalem, et fugebat omnis terra. Cumque redilisset in Ægyptum et esset repulsus per nuntios Romanorum, post biennium rediit in Jerusalem in furore **. Et aperuerunt ei portas faventes sibi. Et interemit contraria sentientes, et exspoliavit templum, Menelao ductore, tollens vasa et lucernas, mensam et sacrariam, et urnam auream. A velis quoque non abstinuit. Et posuit in templo idolum Jovis Olympici, vel hospitalis, vel peregrini. Oblationes Mosaicas fieri prohibuit, altare æreum amovens, et carnem suillam edere, et idolo immolare coegit Judæos, arcemque munivit in civitate David, in qua posuit præsidium Macedonum, qui Judæis erant in omnibus inhumani. Nam quoscunque circumcidisse filios suos reperissent suspendebant, et parvulos ad colla eorum (*II Machab.* VI). Videntes autem Samaritæ Judæos hæc pati, de consuetudine naturæ suæ se non esse cognatos Judæorum fatebantur, et quod hactenus prædicaverunt, templum super Garizim Dei esse maximi, negaverunt scribentes Antiocho in hunc modum:

Deo Epiphani relatio a Sichimitis Sidoniorum.

Majores nostri propter pestes, quamdam superstitionem Sabbatorum secuti sunt, ædificantes in Garizim templum sine numine veniuntque judices vestri ad nos, et similia Judæis nobis inferunt, dum ab initio Sidones esse noscamur. Cohibe judices tuos ab afflictione nostra, et templum super Garizim, nomine Græci Jovis, vel Anxuris, id est hospitalis,

Digitized by Google

petimus dedicari. » Et adjudicavit Antiochus facere petitionem eorum.

**Additio* 1. Dicit Augustinus quod ignis sacrificii, qui per septuaginta annos Babylonicæ captivitatis sub aquis vixerat, exstinctus est Antiocho vendente sacerdotium Jasoni.

**Additio* 2. In secundo tamen *Machabæorum* libro dicitur solus Jason fuisse frater Oniæ, et Menelaus frater cujusdam Simonis, qui invidens Oniæ, persuasit Seleuco de communi ærario spoliando, de quo supra dictum est.

**** Additio* 3. Infra hoc biennium visi sunt in Jerusalem in aere conflictus equitum quadraginta diebus (*II Mach.* v).

LIBER I MACHABÆORUM.

Cap. I. *Machabæorum.*

Tunc multi Judæorum sponte quidem timore regis jussa secuti sunt; probati vero patriis legibus adhæserunt (*I Machab.* I). Erat autem vir de Modin, modico Judææ vico sacerdos, nomine Mathathias, filius Joannis, filii Simonis, filii Asmonæi, de vice Joarib, id est unius illorum viginti quatuor quos David elegit (*I Machab.* II); et in eumdem modum dictus est Zacharias de vice Abia (*Luc.* I). Erantque ei filii quinque Joannes, Simon, Judas, Eleazarus, Jonathas, et quisque suo cognomine censebatur. Sed sufficit de Juda dicere, qui dicebatur Machabæus. Hi videntes mala, indutis cilicïis, planxerunt. Et venerunt emissarii directi a rege in Modin, statuentes idola in loco, quibus cogerent Judæos immolare. Et dixerunt Mathathiæ : « Princeps es in civitate hac, et prior jussa regis impie. Qui clamavit : Et si omnes obediant regi, ego, et filii mei et fratres mei obedientes legi Dei cœli. Non sacrificabimus. » Tunc quidam ex Judæis immolavit in medio. Et surgens Mathathias cum suis, trucidavit eum super aram, et nuntios regis interemit, aram quoque deponens clamavit : « Qui Dei est sequatur me. » Et cum omni tribu sua abiit in solitudinem, omnia relinquens. Multique cum filiis et uxoribus ad solitudines confugerunt, malentes herbis uti quam inquinari. Quos judices regis prius verbis flectere conabantur, ut eligerent quæ prosunt, ne eis tanquam hostibus uterentur. Qui noluerunt eos audire. Tunc emissarii regis aggressi sunt eos in diebus Sabbatorum quibus nefas erat eis arma movere, et percusserunt quosdam, alios in speluncis globis fumiferis suffocantes. Et perierunt ex eis tria millia; alii habent solum mille. Plures autem liberati adjuncti sunt Mathathiæ, et eum Judicem sibi statuerunt. Qui docuit eos pugnare in Sabbatis, dicens : « Si super hoc legem servabitis, eritis hostes legis, dantes causam, ut pereat populus Dei, et lex cum populo peribit. » Et exinde, dicit Josephus, permanet nobis consuetudo pugnandi, etiam si tali die bella consurgant. Colligensque Mathathias armatos, aras deposuit idolorum, et immolantes, quos potuit, interemit, pueros non circumcisos jussit circumcidi. Et anno uno hunc gessit magistratum. Cumque graviter ægrotaret, convocans filios ait : « Ego decretam proficiscor viam, commendo vobis patrias leges, ut pro eis grata mente moriamini. Nam corpora mortalia sunt, sanctorum vero monumenta immortalitatis ordinem consequuntur. Concordiam habete, et Simonem propter sapientiam in consiliis habete patrem. Judam vero propter fortitudinem ducem in armis. Et mortuus est Mathathias anno centesimo quadragesimo sexto, et sepultus in Modin. Et planxit eum Israel planctu magno. Et surrexit pro eo Judas Machabæus filius ejus, et factus est quasi leo defendens Israel clypeo suo (*I Machab.* III).

Cap. II. *De prœliis Judæ Machabæi.*

Tunc Apollonius dux Samariæ in virtute magna egressus est contra Judam (*I Machab* III). Judas autem occurrit ei, et percussit eum, multosque cum eo, et reliqui fugerunt. Tulitque spolia multa, et gladium Apollonii et pugnans in eo omnibus diebus vitæ suæ. Seron autem dux inferioris Syriæ, audiens Judam roboratum, tulit sub se constitutos, et Judæos transgressores, et castrametatus est in Bethsuram. Et occurrit ei Judas, et videns suos, propter paucitatem et jejunium desides, hortabatur eos, non in multitudine, sed in pietate confidere. Et confligens cum Syris, duce eorum interfecto persequebatur fugientes, in descensu montis Bethoron, usque in campum. Et ceciderunt ex eis octingenti viri. Josephus dicit octo millia. Reliqui fugerunt ad maritima loca Philisthiim, et cecidit timor Judæ super gentes. Audiens hoc Antiochus congregavit omnem propriam virtutem, et multos ab insulis mercede conduxit. Cumque militibus stipendia distribueret, vidit thesauros deficere. Non enim ei omnia tributa reddebantur, propter seditiones gentium, et deliberavit ire in Persidem, et accipere tributa regionum. Et reliquit Lysiam de genere regali super negotia regni, ab Euphrate, usque ad fines Asiæ inferioris, et ut nutriret Antiochum filium ejus, donec rediret. Et tradidit ei medietatem exercitus, et elephantes, præcipiens, ut vastaret Judæam, et everteret Jerusalem, et genus Judæorum exstirparet. Ipse vero abiit in Persidem egressus ab Emath, quam reparans Antiochiam nominavit, et perambulavit superiores regiones. Lysias vero elegit Ptolemæum, Nicanorem, et Gorgiam viros potentes ex amicis regis. Et misit cum eis quadraginta millia

Digitized by Google

peditum, et septem millia equitum, ut venirent in terram Juda, et applicuerunt in Emmaus in loco campestri. Et supervenerunt Syri eis ad auxilium, et multi transfugæ Judæorum, et negotiatores quidam sperantes se Judæorum emere captivos. Judas vero cum exercitu venit in Masphat, et hortabatur suos spem ponere in Deum, dimittens, secundum legem, noviter uxoratos, et qui possessiones paulo ante acquisierant (*I Machab.* IV). Et assumpsit Gorgias quinque millia virorum, et tria millia equites electos, ubi alii habent unum mille equitum, et egressi sunt circa solis occasum, ut per noctem irruerent super Judam. Quod præsentiens Judas statuit et ipse castra hostium latenter invadere, et focos plurimos in castris derelinquens, pervenit ad campestria Emmaus. Gorgias vero neminem in castris Judæorum inveniens, arbitrans eos fugisse in montes, quærebat eos in montibus. Diluculo apparuit hostibus in castris Judas cum tribus millibus plus, vel minus, utcunque propter paucitatem. Cumque inopinatos hostes invaderet, multos occidit, reliquos persecutus usque ad Gesseron, et campos Idumææ, et Azoti, et ceciderunt ex eis tria millia. Judas vero dicebat suis prædam contemnere, dum adhuc pugna contra Gorgiam superesset. Videntes autem qui cum Gorgia erant castra suorum incensa ; nam fumus a longe hoc eis indicabat, scientesque suos in fugam versos, et ipsi terga dederunt. Judas vero post plenitudinem victoriæ tulit spolia multa hostium, ad propriam remeans, et laudans Deum. Et adhæserunt Judæ plures, et fuerunt cum eo circiter decem millia virorum. Sequenti vero anno congregavit Lysias exercitum quadraginta millia virorum et quinque millia equitum, et venerunt in Judæam. Et occurrit illis Judas in Bethorot cum decem millibus, et statim percussores prosternens, congressus est cum eis. Et ceciderunt de exercitu Lysiæ quinque millia virorum. Et attendens Lysias Judæorum audaciam, et timens eorum desperationem, nisi eis vivere cum libertate licuisset, rediit Antiochiam, præsidia congregans peregrinorum, ut cum majori apparatu rediret in Judæam.

CAP. III. *De purificatione templi.*

Toties igitur victis Antiochi ducibus, persuasit Judas populo, et ascenderent Jerosolymam, templumque mundarent (*I Mach.* IV). Et invenientes templum desertum, et in eo frutices pullulasse, planxerunt planctu magno. Et elegit Judas milites, qui expugnarent eos qui arcem præsidii custodiebant, dum ipse templum a fœditate purgaret. Quod diligenter emundans, introduxit vasa nova, candelabrum, et mensam, aram quoque ex auro factam *. Et posuit vela in ingressu, et januas restauravit, et deponens altare, quod statuerat Antiochus, de lapidibus novis aliud ædificavit, et encæniatum est templum vicesimo die Decembris. Quæ dedicatio stetit in posterum, aliis duabus habitis in desuetudinem **: « De hac dictum est in Evangelio. Facta sunt encænia in Jerosolymis, et hiems erat (*Joan.* II). » Et obtulerunt holocausta in novo altari, et adoleverunt incensum de veteris altaris calculis igne concepto. Et accenderunt luminaria multa, et dixerunt festum luminum, vel propter multitudinem luminarium, vel quia tunc illuminaverat eos Deus sedentes in tenebris. Et statuerunt Judam summum sacerdotem. Facta sunt autem hæc post tres annos, quibus templum manserat profanatum, secundum Danielis præfationem, quam ante quadringentos annos et octo prædixerat. Et solemnizaverunt octo diebus sub umbraculis secundum ritum Scenopegiæ, memores quod paulo ante in speluncis habitaverant, statuentes ut posteri per octo dies hanc renovationem templi celebrarent ***. Unde Josephus ait : Ab illo tempore, et hactenus illam festivitatem celebramus, vocantes eam Lumina, eo quod præter spem lumen nobis religionis apparuit. Tunc construxit Judas murum in circuitu civitatis, et ædificavit turres, custodes in eis deputans. Sed et Bethsuram munivit, ut ea pro castello adversus hostes uteretur, arcem tamen præsidii nondum obtinuit.

* *Additio* 1. Et eadem die qua destructum fuit templum, eadem die revolutis tribus annis reædificatum est.

** *Additio* 2. Una Salomonis in ædificatione templi, secunda Nehemiæ in reædificatione.

*** *Additio* 3. Nota quod hic habes festum Judæorum per ogdoadem, quod non obest, quia non fuit festum ex lege.

CAP. IV. *De præliis Judæ.*

Porro gentes finitimæ reparationem Jerusalem et robur Judæorum ægre ferebant, et persequebantur eos (*I Machab.* V). Quos Judas viriliter debellabat, et percussit Idumæos plaga magna, et pugnavit contra Timotheum ducem filiorum Ammon, et fugavit eum, et vastavit Gazer, et rediit in Judæam. Et congregatæ sunt gentes, quæ erant in Galaad, adversus Judæos, qui erant in finibus eorum. Qui fugientes in Datheman, miserunt ad Judam, ut ferret eis auxilium, nuntiantes quod festinaret Timotheus capere locum, in quem confugerant. Cumque adhuc legerentur epistolæ, supervenerunt nuntii a Galilæa, indicantes congregari eos, qui erant in Ptolemaide, et Tyro, et Sidone adversus Judæos. Ergo utrobique hostibus nuntiatis, misit Judas Simonem fratrem suum cum tribus millibus electorum in solatium Galilæorum. Ipse vero cum Jonatha fratre suo et octo millibus exiit in Galaaditidem, relinquens in Judæa Josephum et Azariam duces, ut servarent Judæam, sed cum nullo hostium interim bellum committerent. Et venit Simon in Galilæam, et contritæ sunt gentes ab eo, et persecutus est eos usque Ptolemaidem, et tulit spolia eorum, et Judæos, quos trahebant captivos, et rediit in Judæam. Judas vero et Jonathas transeuntes Jordanem ambulaverunt viam trium dierum per desertum. Et occurrerunt eis Nabuthæi, et susceperunt eos pacifice, et narraverunt eis quæ acciderant fratribus eorum in Galaaditide, et quomodo in munitio-

Digitized by Google

ne tenerentur comprehensi. Judas vero prius incendit Bosor, et spoliavit. Et surgens nocte, cum diluculo venisset ad obsidionem, vidit portantes scalas et machinas, ut comprehenderent munitionem. Et venit post eos tribus ordinibus, et insonuit tuba, et castra Timothei cognoverunt, quia Machabæus esset, et fugerunt ab eo, et ceciderunt ex eis fere octo millia, et vastavit Judas civitates gentium in Galaaditide. Post hoc congregavit Timotheus exercitum alium, et sedit secus torrentem. Judas vero abiit obviam illis. Et ait Timotheus principibus suis: « Si transierit Judas ad nos, potens poterit adversum nos. Si vero timuerit transire, et castra posuerit extra flumen, transeamus ad eum, et poterimus adversus eum. » Et transivit Judas torrentem relinquens post se, qui clamarent neminem remanere. Et contritæ gentes fugerunt ad fanum, quod erat in Carnaim. Judas vero succendit fanum cum omnibus qui erant in eo. Tunc congregavit Judas universos Israelitas, qui erant in Galaaditide, et uxores, et parvulos, ut venirent in terram Judæ. Cumque venissent in Ephron petierunt a civibus transitum, et noluerunt eis aperire. Et eradicavit Judas Ephron, et per eam transivit super interfectos, et erat Judas congregans extremos per totam viam, et exhortans. Et transmisso Jordane ascenderunt in montem Sion, et obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis cecidisset. Et redierunt in eadem die Judas de Galaaditide, et Simon de Galilæa. Interim vero dum aberant, Josephus et Azarias volentes sibi facere nomen, congressi sunt cum Gorgia, et fugerunt, et ceciderunt de populo duo millia, et magnificatus est Judas in Israel, qui quasi propheta habebatur, et prædixerat Josepho et Azariæ ne egrederentur. Et vastavit Judas Idumæos et Philisthiim. Et pertransiens Samariam declinavit in Azotum, et combussit aras, et deos eorum, et cum spoliis rediit in Judæam.

CAP. V. *De morte Antiochi Eupatoris in Judæa.*

Cum hæc fierent in Judæa, peramnulabat Antiochus superiores regiones (*I Machab.* VI), et audivit esse civitatem Elymaidem, in Perside opulentam, et templum in ea locuplex, in quo erant velamina aurea, et loricæ et scuta quæ reliquerat Alexander, et quærebat prædari eam, sed non potuit; nam Elymaitæ fugaverunt eum ignominiose, et nuntiatum est in via ei quomodo fracti erant principes ejus in Judæa. Et versus in furorem jussit agitari currum suum sine intermissione, superbe intonans venturum se Jerosolymam, et facere eam poliandrum Judæorum (*II Mach.* IX). Et statim apprehendit eum amarus dolor viscerum, et contigit eum impetu euntem, de curru cadere, et collisus est. Et manifestavit Deus in eo virtutem suam, ut qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, et montium altitudines in statera appendere, in gestatorio portaretur. Et ebullierunt vermes de carnibus ejus, et viventes effluebant, et fetore illius gravabatur exercitus. Cumque nec ipse fetorem suum ferre potuisset, ductus est ad agnitionem sui venire, et ait : « Justum est mortalem subditum esse Deo. » Et vovebat se liberaturum Judæos, et pares Atheniensibus facturum. Pollicebatur quoque se futurum Judæum, et in omni loco prædicaturum Dei potestatem, et desperans scripsit omnia hæc ad Judæos, orans, ut fideliter adhærerent Antiocho filio ejus. Cumque profiteretur se pati hoc propter templi violationem miratus est Josephus Polybium virum bonum dixisse, ideo periisse Antiochum, quia voluit templum Dianæ in Perside devastare. Nam qui nullatenus egit peccatum, sed tamen cogitavit, nullo reatu tenetur. Hic patet secundum opinionem Josephi, quia lex cohibebat manum, et non animum. Tunc vocavit Antiochus Philippum collactaneum suum, et constituit eum tutorem regni, dans ei diadema, et stolam, et annulum, ut ferret ea ad Antiochum filium suum, et poneret eum super solium regni. Et mortuus est Antiochus peregre in montibus et miserabiliter. Quod cum accepisset Lysias, constituit Antiochum quem nutrierat, regem, et vocavit eum Eupatorem. Tunc cogitavit Judas, ut obsideret eos qui erant in arce præsidii et fecit balistas, et machinas, et confortavit aggerem.

Tunc egressi sunt quidam de obsessis, et adjunxerunt se illis aliqui ex impiis Israel, et venerunt ad regem, et dixerunt : Quousque non vindicas nos, qui decrevimus servire patri tuo, et tibi? Ascende, et libera obsessos tuos, et redde nobis hæreditates nostras (*I Machab.* VI). Et iratus rex vehementer collegit exercitum. Sed et de regnis aliis venerunt ad eum conductitii, et erant centum millia peditum, et viginti millia equitum, et elephantes triginta duo. Et applicuit ad Bethsuram, ut expugnaret eam, et recessit Judas ab arce, et admovit castra contra castra regis. Et ordinavit rex diluculo exercitum, et ostenderunt elephantibus sanguinem uvæ et mori, ad acuendum eos in prælium, et astiterunt singulis elephantibus ad custodiam mille pedites, loricati, et equites quingenti et turres ligneæ erant super singulos, et in turre triginta duo viri pugnantes desuper, et intus magister bestiæ. Et distenta est pars exercitus regis super montes, alii per loca ibant humilia. Et resplenduit sol in clypeos aureos, et resplenduerunt montes ex eis, et apparuit Judas in prælio cum suis, et ceciderunt de exercitu regis sexcenti viri. Et vidit Eleazarus, frater Judæ, unam de bestiis cæteris eminentiorem, et arbitrans regem esse in ea cucurrit per hostes, et subiit elephantem, et effodit in umbilico, et cadens elephas oppressit eum. Tunc diverterunt Judæi a prælio, et ascendit rex post eos, et capta Bethsura, positisque in ea custodibus, obsedit Jerusalem, et statuit illic balistas, et machinas, et ignis jacula, et scorpios ad mittendas sagittas, et fundibulas. Escæ autem non erant in urbe, eo quod septimus annus esset, et egressi sunt plures. Tunc audivit Lysias, quod Philippus redierat a Perside, et quærebat suscipere

Digitized by Google

regni negotia, et suggessit regi dicens : « Deficimus quotidie, esca nobis modica est, et munitus est locus, quem obsidemus, et incumbit nobis ordinare de regno. Demus ergo dextras hominibus istis, statuentes ut ambulent in legibus suis, et serviant nobis. Et facta pace juravit rex, et principes ejus, et intravit montem Sion, et videns munitionem loci, rupit jusjurandum, et destruxit murum in gyro. Et reversus Antiochiam invenit Philippum dominantem in ea, et vi occupavit civitatem.

* *Additio* 1. Quinque de causis punit Deus homines : Vel ad correctionem, ut Mariam sororem Moysi ; ad majus meritum, ut Job ; ad conservationem virtutum, ut Paulum per angelum Satanæ ; ad manifestationem gloriæ divinæ, ut de cæco nato legitur, neque hic, neque parentes ejus, etc. Vel ob ostensionem inchoationis pœnæ alicujus hic, et permansuræ in futuro, ut Antiocho.

CAP. VI. *De Demetrio, et Nicanore.*

Eo tempore exiit Demetrius, Seleuci filius, ab urbe Roma, et ascendit in civitates maritimas, et regnavit ibi (*Machab.* VII). Hunc, dum adhuc puer esset, patruus ejus Antiochus Epiphanes privaverat regno et ascendit Romam in accusationem patrui. Audiens vero patruum defunctum rediit, et plures receperunt eum. Sed exercitus ligavit Antiochum, et Lysiam, ut traheret eos ad eum. Quod cum accepisset, ait : « Nolite mihi ostendere faciem eorum*. » Et occidit eos exercitus, et sedit Demetrius super solium patris sui. Tunc venerunt ad regem impii ex Israel, et Alcimus Aaronita dux eorum, qui volebat fieri sacerdos. Et accusaverunt Judam, dicentes : « Perdidit Judas omnes amicos tuos, et nos disperdidit de terra nostra. Mitte ergo virum, cui credis, qui videat exterminium, et vindicet nos. Et constituit rex Alcimum principem sacerdotum, et misit cum exercitu Bacchidem in Judæam. Qui misit nuntios ad Judam et fratres ejus in dolo, loquentes de pace. Et non attendit Judas sermonibus eorum. Multi vero de populo crediderunt eis, dicentes : « Homo sacerdos de semine Aaron venit ; non decipiet nos. Egressi sunt ad Bacchidem, et occidit ex eis sexaginta viros una die, secundum illud : Sanguinem sanctorum tuorum effuderunt in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret (*Psal.* LXXVIII.) » Aliique fugerunt ab eo, dicentes : Non est veritas, et judicium. » Tunc recessit Bacchides a Jerusalem, et applicuit in Bethzecha, et multos ex eis qui ad se refugerant occidit, et projecit in puteum. Et commisit regionem Alcimo, relinquens ei adjutores, et ipse reversus est in Antiochiam ad regem. Tunc Alcimus seducebat omnes verbis, et ad libitum cuique loquens, subito manu valida transfugarum circumseptus est, et fecit mala in Jerusalem plusquam omnes gentes. Quod attendens Judas cessavit exire in regiones, et fecit vindictam in viros desertores. Videns autem Alcimus quod non posset Judam sustinere, rediit ad regem, accusans Judam in multis. Et misit rex Nicanorem, qui cum eo fuerat Romæ in Judæam, mandans ei evertere populum. Et venit Nicanor in Jerusalem cum exercitu, et locutus est ad Judam in dolo verbis pacificis et salutaverunt se invicem. Sed cum Judas intellexisset insidias, exsiliit, refugit ad suos. Postea congressi sunt juxta vicum Capharsalama, et victus Judas fugit in civitatem David. Et egressi sunt sacerdotes ad Nicanorem supplicantes, et ostendentes holocausta, quæ offerebant pro rege, et irridens sprevit eos, et apponens manum capiti juravit : « Nisi traditus fuerit mihi Judas cum rediero, succendam locum istum. Et recessit Nicanor a Jerusalem, et venit in Bethoron, et suscepit exercitum Syriæ sibi destinatum. Et exivit Judas cum tribus millibus post eum, et commiserunt prælium tertia die mensis Adar, et contrita sunt castra Nicanoris, et cecidit ipse primus, et fugit exercitus ejus, armis projectis. Et egressi sunt de castellis Judææ in circuitu, et percusserunt eos usque ad unum. Et caput Nicanoris amputantes, et dexteram quam superbe extenderat, suspenderunt ea contra Jerusalem, et linguam ejus minutatim incisam dederunt avibus ad comedendum. Et statuerunt diem illam solemnem omnibus annis. Et siluit terra Juda a prœliis dies paucos. »

* *Additio* 1. Quia germanus meus est Antiochus, non deceret me occidere eum, sed vos occidite.

CAP. VII. *De fœdere Judæorum cum Romanis.*

Tunc audivit Judas nomen Romanorum, et virtutes eorum, quas fecerant in orbe, et quos volebant, vel privabant regno, vel exaltabant, et quod cum amicis optime conservabant amicitias, et in omnibus istis nemo postulabat sibi diadema (*I Machab.* VIII), et fecerant sibi curiam, et trecenta viginti consilium agentes*. Et misit Romam Eupolemum filium Joannis, et Jasonem filium Eleazari. Qui intrantes curiam dixerunt : Judas Machabæus, et fratres ejus, et populus Judæorum miserunt nos ad vos statuere vobiscum societatem, et ut auferatis ab eis jugum Græcorum. » Placuitque sermo Romanis, et scripserunt fœderis formam, et rescriptum in tabulis æneis miserunt in Jerusalem, ut esset ibi memoriale in hunc modum : « Bene sit Romanis et genti Judæorum, in mari et in terra, et pax in æternum. Quod si institerit bellum Romanis, auxilium feret gens Judæorum, non accipiens stipendia a Romanis. Idipsum facient Romani Judæis. » Tunc scripserunt Romani ad Demetrium : « Quare gravasti jugum tuum super amicos nostros, et socios Judæos ? Si ergo iterum adierint nos ; adversum te faciemus illis judicium, pugnabimus tecum terra marique. »

* *Additio* 1. Respublica Romanorum prius regibus tractabatur, quorum primus Romulus, secundus Remus ; postea per consules, tertio per imperatores, quorum primus fuit Julius Cæsar.

CAP. VIII. *De morte Judæ.*

Interea cum audiisset Demetrius quia cecidit

Digitized by Google

Nicanor cum suis, misit rursum in Judæam Bachidem, et Alcimum, et dextrum cornu cum illis, et applicuerunt exercitum ad Jerusalem (*I Machab.* IX). Et surgentes abierunt in Beream, et Judas posuit castra in Laisa cum tribus millibus electorum. Qui videntes multitudinem hostium timuerunt valde, et subtraxerunt se de castris, nec remanserunt cum Juda, nisi octingenti viri. Sed et Judas corde dissolutus est; nam bellum perurgebat eum, nec habebat tempus congregandi. Et locuti sunt ad eum, qui residui erant : Non poterimus contra eos, sed liberemus animas nostras modo, et revertamur ad fratres nostros, et tunc pugnabimus adversus eos. Qui respondit : « Absit istam rem facere, ut fugiamus ab eis, et superinducamus opprobrium gloriæ nostræ, sed moriamur in virtute propter fratres nostros. » Et congressi sunt cum hostibus, et expugnabant cornu dexterum. Qui autem in sinistro cornu erant, venerunt eis a tergo, et ingravatum est prælium, et cecidit Judas, et cæteri fugerunt, Simon autem et Jonathas, fratres ejus redimentes corpus ejus ab hostibus, tulerunt illud in Modin. Et sepelierunt in sepulcro patrum suorum. Et planxit eum populus terræ planctu magno, et emerserunt iniqui in Israel, et facta est fames magna, et tradidit se Bacchidi omnis regio. Et elegit Bacchides impios viros, et constituit eos dominos regionis; qui persequebantur amicos Judæ. Et congregati sunt amici Judæ, eligentes Jonathan in ducem sibi.

CAP. IX. *De Jonatha.*

Et surrexit Jonathas loco Judæ fratris sui, et quærebat Bacchides eum occidere (*I Machab.* IX). Tunc Jonathas cum suis fugit in desertum Thecuæ, et misit fratrem suum Joannem ad Nabuthæos amicos suos, ut commodarent ei apparatum suum, qui erat pretiosus. Et exeuntes filii Jambri percusserunt Joannem, et tulerunt omnia quæ habebat. Post hoc nuntiatum est Jonathæ, et Simoni fratri ejus, quod filii Jambri facerent nuptias, et ducerent sponsam ex Madaba, et surrexerunt ad eos de insidiis, et percusserunt multos in vindictam sanguinis fratris sui, et redierunt ad ripam Jordanis. Et audivit Bacchides, et venit die Sabbatorum in virtute magna. Et dixit Jonathas ad suos : « Ecce bellum ex adverso, aqua vero Jordanis hinc et inde et paludes, et saltus, et non est locus divertendi. Clamate ergo in cœlum, et pugnemus, et commissum est bellum. » Et ceciderunt ex parte Bacchidis mille viri, et versus est Bacchides in fugam, et reversus est in Jerusalem, et ædificavit in Judæa civitates munitas, et posuit custodiam in eis. Et accepit filios principum regionis obsides, et posuit eos in arce in Jerusalem in custodia. Tunc præcepit Alcimus destrui muros domus sanctæ interioris, et destrui opera prophetarum. Cumque cœpisset destruere, percussus est paralysi, et mortuus est cum tormento magno. Tunc rediit Bacchides ad regem, et siluit terra Juda duobus annis. Post quos viri iniqui in Israel reduxerunt Bacchidem in Judæam. Qui voluit comprehendere Jonathan occulte, sed non potuit; nam innotuit consilium ejus Jonathæ. Qui comprehendens quinquaginta viros de his, qui insidiabantur ei, occidit eos. Et secessit Jonathas cum suis in Bethbessen, quæ est in deserto et confirmavit eam. Et ascendit Bacchides in virtute magna et obsedit Bethbessen. Et egressus Jonathas reliquit Simonem in civitate, et fecit sibi Jonathas numerum, et percutiebat per noctem multos hostium in tabernaculis eorum. « Simon vero egressus de civitate, succendit machinas, et pugnaverunt contra Bacchidem, et contritus est ab eis. Et iratus est Bacchides contra viros, qui reduxerant eum in Judæam. Et multos ex eis occidit. Quod audiens Jonathas misit ad eum legatos, pacem componere cum eo. Qui libenter accepit, et juravit se nihil mali facturum Jonathæ omnibus diebus vitæ suæ, et reddidit ei captivitatem, quam prius erat prædatus in terra Juda, et rediit in terram suam. Et cessavit gladius ex Israel, et sedit Jonathas in Machmas judicans ibi populum, et exterminans impios in Israel. »

CAP. X. — *De Alexandro occidente Demetrium.*

« Eo tempore ascendit Alexander, filius Antiochi Epiphanes, et occupavit Ptolemaidem, et regnavit in ea (*I Machab.* X). » Quod audiens Demetrius congregavit exercitum, et misit ad Jonathan, ut secum faceret pacem, et non cum Alexandro *. Insuper dedit ei potestatem congregandi exercitum, et obsides qui erant in arce, jussit ei reddi. Et venit Jonathas in Jerusalem, et cœpit innovare civitatem, munivit montem Sion in circuitu, et fugerunt custodes, quos posuerat Bacchides in Judæa. Tamen in Bethsura aliqui remanserunt, quæ erat eis ad refugium. Et audivit Alexander promissa, quæ fecerat Demetrius Jonathæ, et prælia, et virtutes, quas ipse fecerat, et fratres ejus, et scripsit ad Jonatham dicens : « Audivimus de te quod vir potens es, et aptus ut sis amicus noster : et nunc constituimus te hodie summum sacerdotem gentis tuæ, et ut amicus regis voceris. Et misit ei purpuram, et coronam auream, et induit se Jonathas stola sancta in die solemni Scenopegiæ, et congregavit exercitum, et fecit arma copiosa. Quod audiens rex Demetrius contristatus est, et remisit ad Jonatham in hæc verba : Manete in amicitia nostra, et nunc absolvo omnes Judæos a tributis, et potestatem arcis, quæ est in Jerusalem, do summo sacerdoti, et omnem animam Judæorum, quæ est in regno meo captiva, relinquo liberam gratis, et quod omnes dies solemnes sint dies immunitatis et remissionis, et dies decreti circa illos, » id est tres ante solemnitatem, et tres post. Ptolemaidem, « et duas civitates confines ejus do summo sacerdoti ad necessarios sumptus sanctorum, et singulis annis quindecim millia siclorum argenti ad instaurandas opera sanctorum, et ad innovandos muros in Jerusalem, et in Judæa sumptus dabuntur de rationibus regis. Jonathas autem et populus non cre-

Digitized by Google

diderunt ei. » Et complacuit eis in Alexandro, et ferebant ei auxilium omnibus diebus. Tunc congregavit rex Alexander exercitum, et movit castra contra Demetrium, et fugit exercitus Demetrii, et cecidit Demetrius in illa die. Tunc misit Alexander ad Ptolemæum, regem Ægypti, dicens : « Da mihi filiam tuam uxorem. Et acquievit Ptolemæus significans, ut occurreret ei Ptolemaide. Et exivit Ptolemæus de Ægypto, et filia ejus Cleopatra, et occurrenti sibi Alexandro in Ptolemaide, dedit ei uxorem. » Tunc Alexander vocavit ad se Jonatham, et veniens Jonathas Ptolemaidem invenit gratiam in conspectu duorum regum. Et venerunt quidam pestilentes ex Israel post eum, et accusabant. Sed non attendit ad eos rex, sed magnificabat Jonathan, et induit eum purpura, et scripsit eum inter primos amicos. Sunt autem quatuor insignia regalia, purpura, fibula aurea, diadema et sceptrum. Et reversus est Jonathas in Jerusalem cum gloria.

* *Additio* 1. — Ab eo tempore, ex quo Antiochus Epiphanes, qui obses erat Romæ, post mortem patris, fratre suo spreto, Demetrio ejus filio in regnum succedit, contentio erat de regno inter successores fratrum illorum.

Cap. XI. *De Demetrio Cretensi.*

Post tres annos venit Demetrius, filius Demetrii a Creta (*I Machab.* x). Hic, occiso patre in prælio, fugit ad Cretenses parentes maternos. Et, resumptis viribus, rediit in maritimam Philisthæorum, et in Syriam Cœles. Et constituit Apollonium ducem exercitus, qui provocavit Jonathan in prælium. Qui assumptis decem millibus egressus est de Jerusalem, et veniens Joppen expulit inde Apollonium, et obtinuit eam. Et ibat Apollonius in Azotum, et insecutus est eum Jonathas, et commiserunt prælium in campo. Et fugerunt equites Apollonii in Azotum, et intraverunt fanum Dagon, ut se tuerentur. Et succendit Jonathas civitatem, et fanum, et eos, qui erant in eo, et fuerunt de occisis in campo, et succensis in fano fere octo millia. Et transivit Jonathas in Ascalonem, et receperunt eum Ascalonitæ in gloria. Et rediit Jonathas in Jerusalem. Et audivit Alexander rex virtutem ejus, et addidit adhuc glorificare Jonathan, et misit ei fibulam auream, quæ solet dari cognatis regum, et dedit ei Accaron, et omnes fines ejus. Et cum uteretur Jonathas duobus insigniis regiis, forte signum erat de renovatione regni Judæorum. Et ascendit Alexander in superiores partes Ciliciæ. « Et egressus est rex Ægypti socer ejus in virtute magna, et quærebat obtinere regnum Alexandri in dolo (*I Machab.* xi). » Et aperiebantur ei civitates, et occurrebant ei ; sic enim mandavit Alexander. Et transiens in singulis civitatibus relinquebat custodias. « Ut appropinquabat Azoto, ostenderunt ei templum Dagon succensum, et cætera demolita, et eorum tumulos qui occisi fuerant, et dicebant : Sic fecit Jonathas, ut invidiam faceret ei : et tacuit rex. » Et occurrit Jonathas Ptolemæo in Joppem, et salutaverunt se. Et abiit Jonathas cum rege usque ad fluvium Eleutherum, et rediit in Jerusalem. Cumque Ptolemæus obtinuisset civitates usque ad Seleuciam maritimam, misit ad Demetrium, dicens : « Veni componamus pactum, et dabo tibi filiam meam. Pœnitet enim me, quod dederim illam Alexandro. » Et tollens filiam suam dedit eam Demetrio, et recessit ab Alexandro manifeste. Et intravit Ptolemæus Antiochiam, et imposuit sibi duo diademata Ægypti et Asiæ. Tunc Alexander venit contra eum in prælium, et victus est a Ptolemæo, et fugit in Arabiam ad parentes maternos cum Antiocho filio suo. Rex autem Arabum timens virtutem Ptolemæi, occidit Alexandrum, et reservavit filium, et misit caput Alexandri Ptolemæo, qui gavisus est. Sed factum est, ut tertia die moreretur, et regnavit Demetrius in solio patrum suorum.

In diebus illis expugnavit Jonathas arcem, quæ erat in Jerusalem, et nuntiaverunt hoc Demetrio quidam iniqui ex Israel. Qui iratus venit Ptolemaidem, et scripsit Jonathæ ne obsideret arcem, sed occurreret ei festinato. Et elegit Jonathas de senioribus Israel, et dedit se periculo. Et accepit pecuniam multam, et vestes, et abiit ad regem, et dans ei munera invenit gratiam in conspectu ejus. Et licet multi accusarent eum, magnificavit eum rex in conspectu omnium, et statuit ei principatum sacerdotii, et quæcunque habuerat prius. Et vidit Demetrius quia siluit terra in conspectu ejus, et dimisit exercitum in loca sua, et retinuit secum exercitum peregrinum, et inimici erant ei omnis exercitus patris ejus. Tryphon autem erat quidam partium Alexandri prius, qui videns quod omnis exercitus murmurabat contra Demetrium, ivit in Arabiam, ut reduceret inde Antiochum filium Alexandri in terra patris sui. Eo tempore dum Demetrius erat offensus suis, misit ad eum Jonathas, ut ejiceret eos, qui erant in arce in Jerusalem, et qui in præsidiis erant quia impugnabant Israel. Et rescripsit Demetrius dicens : « Hæc et majora faciam tibi, cum fuerit opportunum. Nunc autem recte feceris, si miseris mihi viros in auxilium, quia discessit exercitus meus a me : Et misit ei Jonathas tria millia electorum in Antiochiam, et delectatus est rex in adventu eorum. Et surrexerunt Antiocheni centum viginti millia, et volebant interficere regem. Et fugit rex in aulam. Et misit Judæos per civitatem, et occiderunt centum millia hominum, et liberaverunt regem, residui vero civium dederunt dexteras regi, et fecerunt pacem, et glorificati sunt Judæi, et redierunt in Jerusalem. « Et siluit terra in conspectu Demetrii. Et mentitus est omnia, quæ dixerat Jonathæ, et recessit ab eo, et vexabat eum valde. »

Cap. XII. *De Antiocho adolescente.*

Eo tempore reversus est Tryphon de Arabia reducens Antiochum adolescentem, et imposuit ei diadema (*I Machab.* xi). Et congregati sunt ad eum exercitus quos disperserat Demetrius, et pugnaverunt contra Demetrium, et fugit. Et obtinuerunt Antiochus, et Tryphon Antiochiam. Et scripsit An-

Digitized by Google

tiochus adolescens Jonathæ dicens : « Constituo tibi sacerdotium, et constituo te super quatuor civitates ut sis de amicis regis. » Et misit illi vasa aurea, dans ei potestatem bibendi in auro, et esse in purpura, et habere fibulam auream. « Et Simonem fratrem ejus constituit ducem a terminis Tyri, usque ad fines Ægypti, et exiit Jonathas, et perambulabat civitates, et venit Ascalonem, et occurrerunt ei honorifice. » Azotenses vero prius resistentes ei, postea dederunt ei dexteras ; et accepit obsides ex eis, et misit eos in Jerusalem, et perambulabat regiones, usque in Damascum, agens regni negotia. Et audivit Jonathas quia principes Demetrii, qui erant in Cades Galilææ cum exercitu magno, volebant eum removere a negotio regni. Et occurrens illis, relinquens fratrem suum Simonem intra provinciam, congressus est cum eis, et fugerunt omnes qui erant cum Jonatha præter duos, et scidit Jonathas vestimenta sua, et oravit. Et aggressus hostes convertit eos in fugam, et redierunt ad eum, qui recesserant ab eo, et insecutus est hostes, usque ad castra eorum, qui erant in Cades, et ceciderunt ex eis tria millia, et rediit Jonathas in Jerusalem. Et misit Romam renovare cum eis amicitiam (*I Machab.* XII). Spartiatis quoque scripsit, quos supra Lacedæmonios diximus, dicens : « Pridem scripsit nobis Darius rex vester, sub Onia summo sacerdote Judæorum, quia de genere Abrahæ estis et fratres nostri, et fecimus vobiscum fraternitatem. Ex tunc memores sumus vestri in sacrificiis et observationibus nostris, sicut decet nos meminisse fratrum ; et nunc misimus ad vos, ut innovemus fraternitatem. » Et rescripserunt Spartiatæ : « Pecora nostra, et possessio nostra vestra sint, et vestra nostra. » Et innovata est fraternitas. Et audivit Jonathas quod iterum egressi sunt principes Demetrii cum exercitu multo supra quam prius, et egressus est adversus eos. Qui cum audissent adventum Jonathæ nocte fugerunt, relinquentes focos in castris, et mane insecutus est eos Jonathas; et non comprehendit, transierant enim flumen Eleutherum. Et divertit Jonathas ad Arabes, qui dicuntur Zabadæi, et percussit eos. Simon autem in Joppem declinavit. Audierat enim quod vellent præsidium tradere partibus Demetrii, et posuit ibi custodes, et rediit Jonathas in Jerusalem, et innovavit muros in ea, munivit eam valde inter arcem, et civitatem, ut esset civitas singularis in terra, « et nec emant, nec vendant, » id est non indigentes bonis aliorum *. Eo tempore cogitavit Tryphon occidere Antiochum adolescentem, et imponere sibi diadema, sed timuit Jonathan strenuum defensorem Antiochi. Et elegit ut eum prius occideret ; scripsitque Jonathæ, ut occurreret ei in Bethsan. Et venit ad eum Jonathas cum centum quadraginta millibus virorum. Vidensque Tryphon quod non posset extendere manus in eum, honoravit eum, dans ei munera, et præcipiens exercitibus suis, ut obedirent ei sicut sibi. Et ait Jonathæ : « Ut quid vexasti populum. Elige tibi paucos, et veni mecum Ptolemaidem, et tradam eam tibi, et reliqua præsidia, et exercitum, et universos ministeriales regni, et redibo. » Et credidit ei Jonathas, et remisit in Judæam exercitum, et retinuit tantum tria millia, ex quibus dimisit in Galilæam duo millia. Et erant mille cum eo. Cumque intrasset Ptolemaidem, ligaverunt eum cives, et omnes qui erant cum eo interfecerunt. Et planxit omnis terra Juda Jonathan, æstimans occisum esse. Et dixerunt gentes, qui erant in circuitu Judææ : « Non habent principem, tollamus de hominibus memoriam eorum. » Et congregavit Tryphon exercitum ut veniret in terram Juda, ut attereret eam (*I Machab.* XIII). Timensque populus ascendit in Jerusalem, et ait Simoni : « Tu es dux noster loco Judæ, et Jonathæ fratris tui. »

*Additio 1. In libro Machabæorum ita : « Et convocatis senioribus populi, cogitavit innovare muros, et exaltare altitudinem magnam inter civitatem, et arcem, ut separaret eam a civitate, et esset singulariter. »

Cap. XIII. *De Simone.*

Et acceleravit Simon consummare muros Jerusalem, et misit exercitum in Joppem (*I Machab.* XIII). Cognoscens autem Tryphon, quod surrexit Simon loco Jonathæ, misit ad eum legatos dicens : « Pro argento, quod debebat Jonathas, frater tuus, in ratione regis, detinui eum. Et nunc mitte argenti talenta centum, et duos filios ejus obsides, et remittemus eum. « Cumque cognosceret Simon dolum ejus, misit tamen argentum, et pueros, ne murmuraret populus dicens : « Non redemit fratrem, volens regnare. Et mentitus est Tryphon, et intravit regionem, ut contereret eam. Et cum appropinquasset Baschamam, videns quod non proficeret, Jonatham ibi occidit, et filios ejus, et rediit in terram suam. Et misit Simon, et accepit ossa Jonathæ, et sepelivit eum in Modin. Et statuit septem pyramides patri et matri, et quatuor fratribus, et sibi, et circumposuit columnas magnas, et sculpsit in eis arma, et naves ad memoriam æternam. Tryphon autem cum iter faceret cum Antiocho adolescente, dolo occidit eum, et regnavit pro eo in Asia. Tunc ædificavit Simon præsidia in Judæa, et misit ad Demetrium, ut faceret pacem cum eo, et mittens munera rogavit, ut faceret remissionem regioni. Et scripsit Demetrius dicens : « Munera suscepimus, et pacem facimus vobiscum magnam, remittentes ignorantias, et peccata, usque in hodiernum diem, et nunc absolvimus vos ab omni tributo. » Et ablatum est jugum gentium ab Israel. Et ex tunc cœpit scribere populus Israel in tabulis, et gestis publicis annotationes temporis in hunc modum : « Anno primo sub Simone summo sacerdote, magno duce, et principe Judæorum. » Tunc descendit Simon in Gazam; et obsedit eam, et ejecit idololatras, et idola de civitate, et mundavit ædes, et collocavit in ea viros, qui legem facerent ; et munivit eam, et fecit sibi habitationem, et obsedit eos, qui erant in arce Jerusalem. Et clamaverunt ad Simonem, ut acciperent

Digitized by Google

dextras, et dedit illis, et ejecit eos inde, et mundavit arcem a contaminationibus, et intravit eam cum musicis instrumentis, hymnis et ramis palmarum, statuens ut omnibus annis ageretur hæc dies cum lætitia*. Et vidit Simon Joannem filium suum, quod vir esset prælii. Et posuit eum sub se ducem, et dedit ei Gazam ad habitandum. Tunc congregavit rex Demetrius exercitum, et intravit Mediam ad contrahenda sibi auxilia, ut expugnaret Tryphonem (*I Machab.* XIV). Sed Arsaces, rex Persidis et Mediæ, misit unum de principibus suis, qui percussit castra Demetrii, et comprehendit eum vivum, et posuit eum Arsaces in custodiam. « Et siluit terra Juda in diebus Simonis, » qui fecit sibi Joppem in portum, et introitum in insulis maris. « Et dilatavit fines gentis suæ, et abstulit immunditiam, et sedit unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua, nec erat qui eos terreret. » Et misit Simon ad Spartiatas ad innovandam fraternitatem. Romanis quoque misit clypeum aureum menarum mille, et statuerunt ei Romani libertatem, et scripserunt in tabulis æreis fœdus, quæ positæ sunt in titulis in monte Sion.

Additio 1. Et sic tria festa legimus in libro Machabæorum : Primum festum mundationis templi, de quo supra, cap. 3, *Toties igitur victis*. Secundum fuit, occiso Nicanore, de quo supra, cap. 6, *Eo tempore*. Tertium habes hic : nullum tamen horum legale fuit.

Cap. XIV. *De Antiocho Demetrii filio.*

Eo tempore exivit Antiochus, filius Demetrii, in terram patrum suorum, et convenerunt ad eum omnis exercitus, ita ut pauci essent cum Tryphone (*I Machab.* XV). Et scripsit Antiochus Simoni, et genti Judæorum dicens : « Statuo vobis omnia quæcunque remiserunt vobis reges ante me, et permitto vobis facere percussuram proprii numismatis in regione vestra. Cumque obtinuero regnum, magnificabo gentem vestram, et templum in gloria magna. Porro Tryphon fugiens Antiochum per maritima recepit se in Doram. Et insecutus est eum Antiochus, et obsedit civitatem terra et mari. Eo tempore Lucius consul Romanorum scripsit regibus, et regionibus in Oriente, ne inferrent mala Judæis amicis suis, nec opem ferrent inferentibus, sed si qui pestilentes ex Judæis confugerent ad eos, traderent eos Simoni principi sacerdotum, ut vindicaret in eos, secundum legem suam. Antiochus autem rex obsedit Doram secundo, et conclusit Tryphonem ne procederet. Et misit ei Simon duo millia virorum in auxilium, et argentum, et aurum, et vasa copiosa. Qui noluit ea accipere, sed fregit pactum, quod fecerat cum eo, et misit ad eum Athenobium, mandans ei, ut redderet ei arcem, quæ est in Jerusalem, et Joppem, et Gazam, et tributa locorum, quibus dominatus fuerat; alioquin veniret, et expugnaret eum. Et vidit Athenobius in Jerusalem gloriam Simonis, et apparatum copiosum, et affluentiam in auro et argento, et obstupuit. Et respondit Simon : « Terram alienam non sumpsimus, sed hæreditatem patrum nostrorum, quæ injuste ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est. » Et rediit Athenobius ad regem, et renuntiavit ei verba Simonis, et gloriam ejus. Et iratus est rex ira magna. Porro Tryphon fugit navigio in Orthosiada. Rex autem persequens Tryphonem, constituit Cendebæum ducem maritimum, et reliquit ei exercitum, ut expugnaret Judam. Et ædificavit Cendebæus Gedorem, collocans in ea milites, ut vastarent fines Judææ. Quod cum accepisset Simon vocavit duos filios suos seniores, Judam et Joannem. Et ait illis : « Ego, et et fratres mei expugnavimus hostes Israel, ab adolescentia usque in hunc diem. Nunc autem senui, sed estote loco mei, et expugnate pro gente vestra. Auxilium vero de cœlo vobiscum sit. » (*I Machab.* XVI.) Et dedit illis viginti millia pugnatorum, et equites. Et profecti sunt adversus Cendebæum. Et erat fluvius torrens inter eos, et timuit populus transire, et transivit Joannes primus; et secuti sunt eum omnes. Et insonuerunt sacris tubis, et conversus est in fugam Cendebæus, et castra ejus, et ceciderunt ex eis multi vulnerati. Vulneratus est et Judas frater Joannis, et insecutus est Joannes fugientes, usque ad Cedronem. Et ceciderunt ex eis duo millia virorum, redieruntque filii Simonis in pace.

Cap. XV. *De morte Simonis.*

Porro Ptolemæus filius Abobi, constitutus erat dux in campo Jericho (*I Machab.* XVI). Erat enim gener summi sacerdotis, et habebat argentum et aurum multum. Et elevatum est cor ejus, et volebat obtinere regionem, et cogitabat dolum adversus Simonem, et filios ejus, ut tolleret eos. Simon autem perambulabat civitates regionis, gerens sollicitudinem earum. Et descendit in Jericho cum Juda et Mathathia filiis ejus, et suscepit eos Ptolemæus in munitiunculam, quam ædificaverat in dolo, et fecit eis convivium magnum, et abscondit ibi viros, et intravit convivium cum armatis, et occidit Simonem, et duos filios ejus, et reddidit mala pro bonis; nam et uxorem Simonis cum duobus filiis ejus minoribus jugulavit [*al.* vinculavit]. Et scripsit Antiocho regi, ut mitteret exercitum in auxilium, et traderet ei regionem, et civitates, et tributa. Misit quoque nuntios ad tribunos, ut venirent ad se, et daret eis argentum, et aurum, et dona; aliosque misit occupare Jerusalem, et montem templi. Porro alios misit in Gazara, ut interficerent Joannem, sed præcurrens quidam in Gazara, nuntiavit Joanni quæ facta fuerant. Et ipse festinavit occupare Jerusalem, et occidit eos qui venerant eum perdere. Et factus est princeps sacerdotum post patrem suum.

Digitized by Google

HISTORIA LIBRI II MACHABÆORUM.

Præfatio in historiam secundi libri Machabæorum. Secundus liber Machabæorum non est historiæ prosecutio, sed prosecutæ recapitulatio. Est enim epistola quam scripsit Judas Machabæus, et senatus Judæorum Jerosolymitæ dispersioni Judæorum, quæ exsulabat in diversis regionibus Orientis, et maxime in Ægypto, in qua insinuaverunt eis duas a se solemnitates noviter institutas, hortantes, ut eas susciperent, et solemnizarent quotannis (*II Machab.* I). Unam de purificatione Templi, quam fecerant vicesima quinta die mensis Casleu, post tres annos pollutionis factæ ab Antiocho. Alteram quam instituerant decima tertia die mensis Adar, quod est Martii, quæ dicebatur, voce Syriaca, pridie Mardochæi, diem scilicet quam instituerant pro incredibili victoria quam habuerunt interfecto Nicanore, cujus caput et manum contra templum suspensa prædiximus. Nihilominus hortantes, ut solemnem agerent diem Scenopegiæ, et diem ignis, qui datus est de crassa aqua, quando Nehemias obtulit sacrificia. In hoc autem loco hujus epistolæ legitur Jeremias abscondisse arcam et altare incensi in speluncam montis, in quo Moyses ascendit, et vidit Dei hæreditatem (*II Machab.* II, *Deut.* XXXIV). Et accesserunt quidam, qui sequebantur Jeremiam, ut notarent sibi locum, et non potuerunt invenire. Quos culpans Jeremias dixit : « Ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, et propitius fiat et tunc ostendet Dominus hæc, et apparebit majestas Domini, et nubes sicut in diebus Moysi, et sicut cum Salomon fecit (*III Reg.* VIII), ut locus sanctificaretur magno Deo. » Quod ergo supra diximus Epiphanium dixisse Jeremiam aliter de manifestatione arcæ fortasse mysticum fuit. Ne autem Jerosolymitæ viderentur sine causa has instituisse solemnitates, recapitulaverunt in epistola bella quæ fecerant contra hostes, qui frequenter ebullierant de Perside. Et quomodo liberati erant a Deo in manu forti, et signis, et prodigiis innumerabilibus. In hac autem recapitulatione apposita sunt quædam, quæ in prædicta non leguntur historia, quorum quædam jam supra posuimus, suppressa vero ibi nunc supplebimus. Forma vero epistolæ hæc est : « Populus qui est Jerosolymis, et in Juda, senatusque et Judas, Aristobulo magistro Ptolemæi regis, qui est de genere christorum sacerdotum, et his qui in Ægypto sunt Judæis, salutem et sanitatem. Bene faciat vobis Deus, et det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem. Adaperiat cor vestrum in lege sua, et in præceptis suis, et faciat pacem. Exaudiat orationes vestras, et reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. Et nunc hic sumus orantes pro vobis. De magnis autem periculis a Deo liberati magnifice gratias agamus ipsi, » et cætera quæ sequuntur (*II Machab.* I). Pericula vero sua, et liberationes a Deo factas enumerare cœperunt, a morte Antiochi Magni, et a filio ejus Seleuco. Qui cum prius templum honoraret, et de redditibus suis præstaret sumptus ad ministerium sacrificiorum, ad suggestionem Simonis de tribu Benjamin, qui erat præpositus templi, et invidebat Oniæ, misit Heliodorum ad spoliandum commune ærarium, quod dixit non pertinere ad rationem sacrificiorum (*II Machab.* III). Erant equidem hæc congregata ad victualia viduarum, et pupillorum, et pleraque erant deposita divitum. Terminaverunt autem prosecutionem hujus epistolæ in morte Nicanoris in hunc modum : « Igitur his erga Nicanorem gestis, ex illis temporibus ab Hebræis civitate perpessa, vel possessa. Ego quoque in his finem faciam sermonis. Etsi quidem bene, et ut historiæ competit hoc, et ipse velim. Si autem minus digne, concedendum est mihi. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est, alternis autem uti delectabile, ita legentibus si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Hic ergo erit consummatus (*II Machab.* XV.)

Additio 1. Judæi, duce Mardochæo, solemnitatem decima tertia die ejusdem mensis instituerunt in memoriam ejus, quia victoriam de inimicis eorum habuerunt, decima tertia die ejusdem mensis, quando eos occiderunt per provincias, usque ad septuaginta quinque millia, licentia eis data ab Assuero, sicut habes supra in libro Esther, circa finem ejusdem.

CAP. I. *Recapitulatio.*

Porro quædam superaddita in hac epistolari recapitulatione summatim tangere curabimus. Sane in profanatione Antiochi cum cogerentur Judæi a patriis legibus recedere, duæ mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse; quas, infantibus ad ubera suspensis, cum publice per civitatem circumduxissent, carnifices per muros præcipitaverunt (*II Machab.* VI). Eleazarus, unus de primoribus scribarum, et vir ætate provectus, aperto ore hians compellebatur suillas carnes sacrificii manducare. Quidam vero veteres amici ejus carnes licitas secreto afferentes, rogabant ut simularet se ad imperium regis manducare, quod renuens aiebat : « Adolescentibus exemplum forte malum relinquam. » Et plagis peremptus, memoriam mortis suæ, et exemplum virtutis reliquit. Contigit autem et septem fratres una cum matre comprehensos compelli ad esum porcinæ carnis. Quibus renuentibus, jussit rex coram eis sartagines, et ollas æneas succendi, et primogenito linguam amputari, cujus cute

Digitized by Google

capitis abstracta, et summitate manuum et pedum præcisa coram matre et fratribus, missus in sartaginem torrebatur. In eumdem modum singuli fratrum, secundum ordinem genituræ, torquebantur, præmissa tamen unicuique exhortatione, ut regi obediret, et viveret. Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna, singulos hortabatur patria voce, et femineæ cogitationi masculinum animum inferens, dixit ad eos : « Nescio qualiter in utero meo apparuistis, nec enim ego spiritum et animam donavi vobis, nec vitam ; et singulorum membra non ego ipsa compegi, sed qui formavit vos, spiritum vobis iterum cum misericordia reddet, et vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter legem ejus. » Cumque adhuc adolescentior superesset suadebat rex matri ut adolescenti fieret in salutem. Cumque promisisset se suasuram filio, inclinata ad illum patria voce dixit : Fili, miserere mei dignus fratribus tuis effectus, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. Tunc rex indigne ferens se derisum, in hunc crudelius super omnes desævit. « Novissime autem, post filios et mater defuncta est (*II Machab.* VII). »

Pro hac tanti prærogativa martyrii asserunt plurimi de his septem fratribus Ecclesiam solemnizare*. Additur quoque, in eadem epistola, quod, cum Judas adversus Timotheum dimicaret, apparuerunt adversariis de cœlo viri quinque in equis, ducatum Judæis præstantes; ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis circumseptum conservabant, in adversarios autem tela et fulmina jaciebant (*II Machab.* X). Nec multo post tempore cum egrederetur Judas a Jerosolymis, ut dimicaret adversus Lysiam, apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis, hastam vibrans (*II Machab.* XI). Additur quoque quod Joppitæ rogaverunt Judæos, secum habitantes, ascendere scaphas, quas paraverant in die festo ad colludendum (*II Machab.* XII). Cumque in altum processissent, submerserunt ex eis non minus ducentos. Quamobrem Judas in nocte superveniens, portum succendit, scaphas exussit, reſugos ab igne gladio peremit. Jamnitis quoque nocte supervenit, et portum cum navibus succendit, ita ut lumen ignis appareret Jerosolymis a stadiis ducentis quadraginta. Additur quoque quod, prælio commisso apud Jamniam, plures prostrati sunt de Judæis. Et venit Judas cum suis, ut corpora prostratorum tolleret, et in sepulcris poneret paternis. Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt. Omnibus ergo manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse. Et benedixerunt justum Dei judicium, qui occulta fecerat manifesta, et in preces conversi, rogaverunt Deum, ut delictum eorum obliteraretur. At vero vir fortissimus Judas, collatione facta a suis, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerre ea ibi pro peccatis mortuorum, vel delicto illorum in sacrificium. Additur quoque quod, cum sceleratissimus Nicanor, persequeretur Judam post fœdus cum eo initum, et postea factum, et comperit Judam esse in locis Samariæ, et disposuit bellum committere cum eo in die Sabbati (*II Machab.* XV). Judæi vero, qui sequebantur Nicanorem, per necessitatem, dixerunt ei, ut honorem daret diei sanctificationis, et Deo, qui universa conspicit. At ille quæsivit ab eis : « Si potens est in cœlo, qui imperavit eis diem Sabbatorum. Et dixerunt : Est Deus unus in cœlo potens, qui jussit agi diem septimam. At ille ait : Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, et negotia regis impleri. » Machabæus autem cum pauci essent cum eo, formidantes imperium Nicanoris, et multitudinem, singulos illorum Judæorum armavit, non clypei et hastæ munitione, sed sermonibus optimis, et exhortationibus, præsertim exposito eis somnio quod in eadem nocte viderat in hunc modum : Viderat Oniam summum sacerdotem qui a puero in virtutibus exercitatus fuerat, manus protendentem, et orantem pro populo Judæorum**. Post hoc apparuisse, et alium virum ætate et gloria mirabili circa illum, et Oniæ dixisse : « Hic est amator populi Israel, hic est qui multum orat pro populo, et civitate sancta, Jeremias propheta Dei. » Extendisse autem Jeremiam dextram, et dedisse Judæ gladium aureum, et dicentem : « Accipe sanctum gladium munus missum a Deo, quo dejicies adversarios populi mei Israel. » Qua visione confortati, qui erant cum Juda impetum fecerunt in hostes et prostraverunt ex eis non minus quam triginta millia, Nicanore cum eis interfecto, et redierunt Jerosolymam benedicentes Deum ; et caput Nicanoris, et manum cum humero abscissam, contra templum suspenderunt. Itaque omnes communi consilio decreverant nullo modo diem istum absque celebritate præterire. Hic terminatur epistola Judæ ad dispersionem Judæorum. Terminata igitur epistolari recapitulatione ad prosecutionem historiæ revertamur de Joanne, filio Simonis, prosequentes.

*Additio 1. Nomen martyris ad quatuor extenditur. Dicitur martyr, qui pro conservatione legis Dei moritur, ut Machabæi. Dicitur etiam martyr, qui pro veritate prædicationis moritur, ut Jeremias, et alii prophetæ. Dicitur idem martyr, qui loco ipsius Christi moritur, ut infantes. Dicitur et martyr, qui pro confessione fidei, et passionis Christi moritur, ut Petrus et Paulus. Et isti proprie dicuntur martyres, id est testes passionis Christi. Quorum festum facit Ecclesia, cum nullius Veteris Testamenti martyris festum agat, nisi septem Machabæorum. Puerorum quoque festum agit Ecclesia, licet ad inferos descenderint. Unde in eorum festo canticum lætitiæ subticetur. Si objiciatur de Joanne Baptista, dicimus, quia passionis ejus festum non agimus, sed nativitatis, quæ fuit figura nativitatis Christi. Festum ergo Decollationis ejus non est festum passionis, præsertim cum ipse circa Pascha decollatus fuerit, sed tempore tali caput ejus inventum fuerat

Digitized by Google

Alii tradunt duas esse dictiones, eo quod tali tempore collata sint ossa ejus.

** *Additio.* 2. Hinc habes auctoritatem, quod animas sanctorum efflagitare debemus, quod pro nobis orent et intercedant : per quod confutantur Judæi, qui negant alicujus sanctorum auxilium deposcendum.

Cap. II. *De commendatione Joannis Hircani.*

Mortuo Simone, qui ultimus quinque filiorum Mathathiæ Asamonæi dux, et sacerdos fuerat in Judæa, successit ei filius ejus Joannes, cognomine Hircanus a devictis Hircanis (*I Machab.* xvi), quem Josephus in tribus commendat, in religione sacerdotii, in strenuitate ducatus, et quia vir propheta erat. Qui insecutus est Ptolemæum, qui patrem ejus dolo interfecerat, matremque ejus cum duobus parvulis tenebat in vinculis, et confugerat ad oppidum ultra Jerichonta quod Agon vocabatur. Obsesso quidem oppido cum Joannes acrius insisteret, Ptolemæus matrem Joannis, et fratres super muros, usque ad sanguinis effusionem cædebat, fractusque pietate Joannes ab impugnatione se temperabat. Matre tamen clamante, ne pro se sineret scelus Ptolemæi inultum ; mortem enim suam sic indicaret immortalitate meliorem. Ob hoc diutius tractata obsidione septimus advenit annus feriatus a Judæis. Recessitque ab obsidione Joannes, Ptolemæus vero matre ipsius, et fratribus occisis, confugit ad Zenonem Philadelphiæ tyrannum, qui Cotila cognominabatur.

Cap. III. *De institutione Xenodochiorum, et de morte Joannis.*

Post hoc Antiochus Ponticus rex Syriæ obsedit Jerusalem. Quamobrem aperuit Hircanus duos de octo loculis circumstantibus sepulcrum David, et sustulit ex eis plusquam tria millia talentorum deditque trecenta talenta Antiocho, ut ab obsidione recederet. Et ut placaret murmur populi de apertione sepulcri, de reliqua pecunia primus instituit xenodochia pauperum in Jerusalem. Samariam captam solo æquavit, quam post Herodes instaurans Sebastem dixit. Mortuus est autem Joannes, triginta tribus annis rebus optime administratis, relictis quinque filiis, Aristobulo primogenito, et Antigono cum tribus minoribus. Cumque nullus eorum ad regendum populum sufficeret, uxorem suam disertissimam Judææ præfecit et filiis.

Cap. IV. *De restitutione regni Judæorum per Aristobulum.*

Aristobulus vero impatiens dominii materni, matrem cum tribus fratribus minoribus vinculavit in carcerem, et Antigonum, quem diligebat secundum a se constituit. Imposuitque sibi diadema, et restitutum est regnum Judææ. Fluxerant autem a Sedecia, sub quo regnum fuerat interruptum, anni quadringenti septuaginta quinque, et menses tres, vel a reditu de captivitate Babylonis. Unde sæpe legitur intermissum fuisse regnum usque ad Hircanum : et Aristobulum intransitive, id est usque ad Aristobulum Hircani. Nec tantum regnavit Aristobulus nisi per annum, eo quod matrem fame peremerat in vinculis. Cumque ægrotaret Aristobulus in turre, quæ post ab Herode dicta est Antonia, redibat Antigonus de Galilæa, in qua multa præclare fecerat, indutus novis armis, et decentibus. Cumque ingrederetur Jerusalem in diebus Scenopegiarum ob honorem fratris, et ut ostentaret decorem armorum populo, armatus intravit. Quod videntes æmuli ipsius, et maxime uxor fratris, quæ oculos in eum injecerat, sed ipse ei assensum non præbebat, accusabant eum, dicentes Aristobulo : « Fratrer tuus audiens te ægrotantem in manu forti, et armata intravit, ut te perimat, et regnet. Quod ita probare potes. Jube eum venire ad te, si venerit armatus, super his quæ dicimus certus esto. » Posuit ergo ad suggestionem uxoris Aristobulus armatos in subterraneo, qui Pirgus Stratonis dicebatur per quem Antigonus transitum facturus erat, qui, si veniret armatus, eum interficerent. Et advocans fratrem Aristobulus præcepit nuntio, ut diceret ei, ne veniret armatus. Sed regina corrupit nuntium muneribus, ut diceret ei quod cum armis descenderet ; affectaret enim eum rex videre in armorum decore.

Cap. V. *De nece Antigoni.*

Erat autem eo tempore in Jerusalem genethliacus quidam, Judas nomine, de hæresi Esseorum, qui per constellationem indicavit de nativitate puerorum, qui scholasticis suis arte sua prædixerat de morte Antigoni, et diem et locum. Is, cum vidisset Antigonum in armis gloriantem, exclamavit : Papæ! Nunc mihi pulchrum est mori, quando ante me veritas interiit mearumque prædictionum aliquod mendacium deprehensum est. Vivit Antigonus iste, qui hodie moriturus erat in Pirgo Stratonis. « Locus autem ille abhinc sexcentis stadiis distat, horæ vero diei sunt quatuor. » Cumque sic ejularet senex, paulo post occisus est Antigonus cum armatus descenderet per Pirgum Stratonis, seque locorum æquivocatione senex agnovit fuisse deceptum. Audiens autem rex mortem fratris indoluit, adeoque morbus invaluit, ut sanguinem, laceratis visceribus, evomeret. Quem unus de servulis huic officio destinatus foras efferens, ubi Antigonus occisus fuerat, casu effudit super adhuc exstantes cruoris maculas. Quod videns populus exclamavit affirmans nutu Dei in occisi ultionem, sanguinem libatum occisoris. Cumque causam clamoris rex sciscitaretur, nullusque ei auderet prodere, tandem minanti, pro taciturnitate supplicium, verum quod erat ei indicaverunt. Et ingemiscens ait. « Fas non erat, ut Dei lumen scelera mea laterent, quatenus, o corpus improbum, matri fratrique animam damnatam detinebis. Utinam non paulatim eis sanguinem meum libem, sed totum simul accipiant! » Et, his dictis, exspiravit.

Digitized by Google

Cap. VI. *De tyrannide regis Alexandri, et ejus morte.*

Quo mortuo uxor ejus, quia prolem ex ea non susceperat, fratres viri solvit a vinculis, majorem natu Alexandrum regem constituens, qui cognominatus est Jamnæus, qui etiam modestia præstare videbatur. Qui fratrem secundum interfecit, quia ad regnum aspirare videbatur, tertium secum vivere coegit privatim, duxitque uxorem, nomine Alexandram, quæ et Saloma dicta est. Hic adeo nequissimus fuit, quod in septem annis circiter quinquaginta quinque millia seniorum interfecit, quia facinora ejus detestabantur. Cumque offensus esset populo munivit sibi palatium in turri, quæ Baris dicebatur, super quam postea admiratus est Titus, quod eam Judæi deseruerant, cum defendi posset a duobus ab omni vivente. Adeo autem offensus erat Judæis, ut semel percunctanti ei, quoniam pacto eos sedare posset, responderunt, si moreretur. Ob hoc in plateis Jerusalem suspendit octingentos viros uxoratos, uxoresque eorum, et liberos necavit. Cumque quievisset a præliis et quartanis fatigaretur, morbum ex otio natum putans, intempestivis laboribus militiæ se reddidit, et triginta octo regni sui anno mortuus est, duos relinquens filios, Hircanum et Aristobulum. Sciensque filios pro patre Judæis odiosos regnum reliquit uxori. Quæ sibi sub viro benevolentiam populi sæpe comparaverat, tyrannidi ipsius sæpius resistens, etiam simulatam religionem in habitu præferebat.

Cap. VII. *De regno Alexandræ, et de filiis ejus, Hircano et Aristobulo.*

Quæ dum regnaret, Hircanum primogenitum pontificem declaravit, eum futurum regem indicans, quia modestus erat; minorem vero Aristobulum, eo quod ferventis animi videretur, privatim vivere coegit. Eo tempore orta est in Judæa hæresis Pharisæorum, de quibus post cum sectis aliis explicabitur, quorum consilio utebatur in omnibus Alexandra, ita ut eorum consilio optimates quosque Judæorum, aut exsilio damnaret, aut interficeret. Denique Diogenem, qui Alexandro amicissimus fuerat, occidit. Alienigenarum quidem duos sibi conflaverat exercitus, ut in Judæos tutius debaccharet. Proinde multi ad Aristobulum confugerant, ut ejus patrocinio tuerentur. Nono autem regni sui anno ægrotavit Alexandra, et Aristobulus, collecta plurimorum manu, post matrem se regnaturum declaravit *. Ob hoc miserata quærelas Hircani mater, conjugem Aristobuli cum filiis in custodia recludens, obsides accepit, ne regnum sibi Aristobulus usurparet.

* *Additio* 1. His temporibus. Jugurtha contra Romanos dimicans a Marco et Sylla captus est Romæ. Ars rhetorica cœpit haberi edocta a Plotio Gallo. Lucretius poculo amatorio in furorem versus, per intervalla insaniæ aliquos libros conscripsit; tandem interfecit se.

Cap. VIII. *De multiplici discordia fratrum.*

Ea mortua, Aristobulus, collecto exercitu, contra fratrem movit arma. Cumque egressi essent fratres in campis Jerichontinis, victus Hircanus fugit in Jerusalem. Tandem ea lege in concordiam redierunt, ut Aristobulus regnaret, Hircanus vero sub eo quibuslibet fungeretur honoribus. Domos etiam permutaverunt. Erat autem cum Hircano Antipater Idumæus, cujus prudentiam, et strenuitatem timens Aristobulus calumnias ei prætendebat. Hic persuasit Hircano, ut se dolo circumventum quæreretur, et ut ad Aretham regem Arabum confugeret, cujus auxilio rediret in regnum. Noctu igitur egressi venerunt ad regem Arabum in oppidum, quod Petra dicitur, ubi regni sedes erat. Itaque, collecto exercitu, Aretha venit in Judæam, et obsedit Jerusalem, quam et recepisset, nisi dux Romanorum Scaurus solvisset obsidium. Jam enim Syria desierat habere regem, facta Romanis tributaria. Missus erat Pompeius a Romanis contra Tigranem regem Armeniæ, et Scaurum miserunt præsidem Syriæ. Qui, cum audisset dissensionem fratrum in Judæa, ratus tempus esse quo de facili Judæam poneret super tributo, in manu valida fines intravit Judææ. Ad quem legati a fratribus utrinque venerunt, auxilium ei hinc et inde postulantes. Corruptus autem Scaurus trecentis talentis missis ab Aristobulo (quod proprium esse Romanorum Josephus testatur) ad Arabes legatos mittit Romanorum, et Pompeii nomen eis intentans, nisi ab obsidione recederent. Recedens ergo Aretha Hircanum et Antipatrum Philadelphiæ collocavit. Qui frustrati spe Arabum in adversarios spem contulerunt. Cum enim Pompeius Damascum venisset, cum multis muneribus venerunt ad eum, orantes, ut violentiam Aristobuli dignam odio judicaret, et Hircanum regno restitueret. Sed nec Aristobulus sibi defuit corruptione Scauri fretus. Cum autem Pompeius honorem regium ei non exhibuisset, indignans insalutato Pempeio recessit, et recepit se in Alexandriam, propter inexpugnabilem oppidi munitionem. Quem, collecto Romanorum Syrorumque exercitu, insecutus est Magnus, jussitque, ut de oppido ad se descenderet. Is vero, quia pro imperio vocabatur, decreverat potius periclitari quam parere. Consilio tamen suorum descendens ab oppido, relictis ibi custodibus, præcepit, ut non nisi manu sua scriptis epistolis obtemperarent, abiitque Jerosolymam. Quem statim insecutus est Magnus, alacer factus, circa Jerichonta, morte Mithridatis sibi nuntiata, ubi pinguissima Idumææ regio et palmarum plurium, et balsamum nutrit. Cujus inciso lapidibus acutis robore, stillantem lacrymam ex vulneribus colligunt.

Cap. IX. *Quod Pompeius, Jerusalem sibi tradita, templum expugnavit.*

Cumque Jerosolymam properaret, territus Aristobulus occurrit ei, pecuniam pollicens quæ erat in Alexandria, seque de cætero imperio Romano pari

Digitized by Google

turum : sed nihil horum effectum est. Missum enim Gabinium ad recipiendam pecuniam, custodes nec in oppidum receperunt. His commotus Pompeius Aristobulum in custodiam collocavit. Cum autem obsedisset Jerusalem, orta est dissensio in urbe. Nam fautores Aristobuli urbem tueri, fautores Hircani eam tradere Romanis contendebant; sed victa pars Aristoboli in templum cessit. Receptusque in urbem Pompeius templum expugnavit. Cumque septentrionalem vallem aggeribus impleret, labor esset imperfectus, nisi observatis septimis diebus quibus operari Judæis fas non est, aggerem fieri præcepisset. Mense tamen tertio fanum irruptum est. Faustus autem Cornelius, Syllæ filius, primus ingredi ausus est, et irruentes Romani profanaverunt templum, et, ut alibi legitur, equos in porticibus stabulaverunt. Ob quam rem traditur nunquam de cætero pugnasse Pompeium, quin vinceretur, qui hactenus fortunatissimus fuerat. Postero autem die ingressus templum Pompeius admiratus situm, et ornatum, et religionem templi, nihil inde tulit, præcipiens ædituis, ut a sordibus templum mundarent. Cumque imposuisset Jerosolymis tributum, Hircano pontifice declarato, Aristobulum captivum duxit, duosque filios ejus, Alexandrum et Antigonum, cum totidem filiabus. Romamque per Ciliciam properabat, Syriæ et Judææ administratione Scauro commissa, relictis secum duabus cohortibus.

CAP. X. *De divisione Judææ in pentarchias.*

Alexander vero filius Aristobuli ex itinere fugit. Qui magna manu collecta Judæam populabatur, et Hircano imminebat. Obtinebat autem munitissima loca, Alexandrum, Hircanum, et Macheronta. Missus est autem in Syriam Gabinius, ut Scauro succederet, sub quo Marcus Antonius militabat. Qui cum in Alexandria obsedisset Alexandrum, consilio matris, Alexander se tradidit ei, et castra. Quæ Gabinius, consilio ejusdem mulieris, funditus evertit, ne alterius belli fierent receptaculum. Palpabat enim mulier Gabinium obsequiis, viro suo et cæteris captivis metuens qui Romam fuerant abducti. Post hoc Gabinius cura templi mandata Hircano gentem Judæorum in quinque conventus divisit, quasi per pentarchias, Judææ frangens superbiam. Eo tempore factus est Antipater amicissimus Gabinio, et Marco Antonio maxime, adeoque claruit, quod data est ei uxor neptis regis Arabum, Cypris nomine. Qui sustulit ex ea quatuor filios et filiam. Primogenitus fuit Phasælus, secundus Herodes, qui post dictus est Ascalonita, tertius Josippus, quartus Feroras, filia dicta est Saloma.

CAP. XI. *De fuga Aristobuli et ejus iterata captivitate.*

Post hæc casu elapsus est a Roma Aristobulus, qui magna Judæorum manu conflata Alexandriam muro recingebat, ad quem debellandum missus est a Gabinio Antonius. Captusque iterum Aristobulus, cum filiis Romam perductus est. Illum quidem in custodia senatus coercuit, filios autem in Judæam remisit, quia Gabinius ipse scripserat spopondisse, uxori Aristobuli, pro castellorum traditione. Post hoc cum Gabinius detineretur apud Ægyptum, Alexander, Aristobuli filius, Judæos iterum ad dissensionem reduxit. Sed rediens Gabinius pacem fecit, et Hircano pontificium confirmavit. Quo mortuo, missus est præses Syriæ Crassus, ut etiam Parthos, qui jam Romanis imminebant reprimeret. In sumptus vero Parthicæ militiæ omne fere aurum de templo sustulit, et ea quibus Pompeius abstinuerat duo millia talentorum*. Ob hoc auro in os infuso interiit. Cui successit præses Syriæ Cassius, qui in omnibus consilio Antipatri utebatur.

Additio. 1. Cui dictum est : « Aurum sitisti, aurum bibe. »

CAP. XII. *De reditu Aristobuli in Syriam, et ejus nece.*

Eo tempore factum est dissidium inter Romanos pro Pompeio et Julio Cæsare. Cæsar autem post senatus et Pompeii fugam trans mare Ionium, rebus omnibus Romaque potitus, solutum Aristobolum, cum duabus cohortibus in Syriam misit, facile per hunc sibi posse Judæam subjici ratus. Verum spes Cæsaris frustata est. Nam a studiosis Pompeii veneno periit Aristobulus. Servabaturque corpus ejus melle conditum, prohibita sepultura, donec jussu Antonii, in monumentis regalibus sepultus est. Occiditur quoque filius ejus Alexander, Antiochiæ a Scipione securi percussus, secundum Pompeii litteras, accusatione pro tribunali prius habita super his quæ in Romanos admiserat. Solus autem superstes Antigonus cum duabus sororibus suis ad quemdam Ptolemæum, Mennæi filium, qui sub Libano morabatur, confugit. Acceptque Ptolemæus minorem sororem Alexandram uxorem, ex qua, ut quidam tradunt, suscepit Lisaniam, Abinnæ postea tetrarcham.

CAP. XIII. *Quod Antipater transivit in gratiam Cæsaris.*

Post hoc, factum est prælium in Emathia, cui interfuit Antipater, et Judæi sub Pompeio. Qui cum redisset in Judæam, timens Cæsaris impetum, liberos suos ad Arabas cognatos eorum transmisit. Mortuo autem Pompeio, Antipater in clientelam Cæsaris se contulit. Misit autem Cæsar Mithridatem Pergameum ad expugnandum Pelusium, mittens cum eo incolam Libani Ptolemæum, et Antipatrum cum tribus millibus Judæorum, Ubi virtus Antipatri plurimum enituit. Nam, et murum primus transcendit, et Memphitas ad obsequendum Cæsari, prudentia sua inclinavit, et inito prælio cum cæteris Ægyptiis, pluribus occisis, totus perfossus corpore, præter spem, servatus est ex prælio, habitaque victoria, factorum suorum apud Cæsarem Mithridatem testem habuit. Marco etiam Antonio in pluribus eum commendante, factus est amicus Cæsaris. Quem Cæsar Romana civilitate donavit simul et immunitate, et ejus gratia pontificatum confirmavit Hircano.

Digitized by Google

CAP. XIV. *Quod Antipater procurator Judææ creatus est.*

Eo tempore Antipatrum et Hircanum criminabatur Antigonus apud Cæsarem, dicens eorum consilio patrem suum et fratrem interiisse. Ad hoc Antipater, veste projecta, multitudinem vulnerum demonstrans, verbis non opus esse dixit, cum cicatrices, se tacente, clamarent, ipsum fuisse fidelem Romanorum, cum Antigonus filius fuisset fugitivorum, nullusque ipsum a Pompeio, quoad vixit, potuit avellere, nec modo a Cæsare quisquam eum esset avulsurus. Tunc Cæsar cujuslibet dignitatis sub pontifice in Judæa dedit Antipatro optionem. Qui remissa dignitatis mensura in Cæsarem, procurator Judææ declaratus est, impetrans quoque, ut eversa patriæ mœnia renovare sibi liceret. Regnum quoque est concessum Hircano, ita tamen ne rex vocaretur. Sextum etiam cognatum suum Cæsar Syriæ præfecit.

CAP. XV. *Quod Herodes factus est præses Galilææ, et princeps militiæ regis Syriæ.*

Post hæc Antipater filium suum majorem Phasælum Jerosolymis sub se procuratorem statuit, et Herodem Galilææ præfecit : qui cum natura strenuus esset, Ezechiam, quemdam principem latronum, interfecit cum suis sequacibus, adeoque terram quietam reddidit, ut publice Herodes pater Galilææ cantaretur. Phasælus quoque indolem fratris, bona æmulatione superare certabat. Ob hoc etiam pater eorum obsequiis regalibus a gente colebatur, nec propter hoc tamen minus fidelis hic fuerat Hircano. Verum fieri non potest, ut livorem in bene gestis quisque effugiat. Erant ergo qui dicerent Hircano, quod, Antipatro et filiis ejus rebus traditis, ipse vacuo regis nomine sederet. His accensus paulatim Hircanus, causam dicturum Herodem jubet accersiri. Qui munita prius Galilæa ad regem properabat, ferens secum Sexti epistolam præcipientis Hircano, ut Herodem ab omni crimine, et pœna liberaret. Nec multo post factus est Herodes princeps militiæ Sexti, et tunc injuriam prædicatæ vocationis Herodes vindicasset in Hircanum, nisi pater ejus et frater impetum ejus fregissent.

CAP. XVI. *De morte Julii Cæsaris et signis.*

Eo tempore dolo Bruti et Cassii occisus est Cæsar, cum per triennium et menses septem tenuisset principatum. Fuerat quidem Romæ imperatum a Romulo sub regibus septem annis ducentis quadraginta. Post, sub consulibus res acta est annis quadringentis quadraginta quatuor. Obiit autem Cæsar anno ætatis suæ quinquagesimo sexto, corpusque ejus pro rostris combustum est. Statuit autem populus in foro solidam columnam, lapidis Numidici viginti prope pedum, super quam tumulatus est, quæ et Julia dicta est. Centesimo autem die ante mortem ejus cecidit fulmen super statuam ejus in foro, et de nomine ejus super scripto, C litteram capitalem abrupit. Nocte præcedente diem obitus ejus, fenestræ thalami ejus tanto cum A strepitu apertæ sunt, ut exiliens a stratis ruituram domum æstimaret. Eadem die cum iret in Capitolium datæ sunt ei litteræ indices mortis imminentis. Qui dum referretur occisus, in manu ejus nondum solutæ inventæ sunt. Die sequenti apparuerunt tres soles in oriente, qui paulatim in unum corpus solare redacti sunt, significantes quod dominium Marci Lepidi, et Marci Antonii et Augusti in monarchiam rediret. Vel potius, quia notitia Trini Dei, et unius toti orbi futura imminebat. Bos quoque aranti locutus est dicens ; « In brevi magis desituros homines, quam frumenta. »

CAP. XVII. *Quod Herodes adhæsit Cassio.*

Post hæc Cassius venit in Syriam, cujus pridem præses fuerat ; colligensque exercitum contra Augustum adolescentem et Marcum Antonium septingenta talenta a Judæis exigebat. Primus autem Herodes de Galilæa centum ferens talenta, favorem Cassii meruit, moram aliorum indigne ferentis. Præfectus est etiam Herodes cum Cassio ad prælium, qui ei, adepta victoria, regnum Judææ pollicebatur.

CAP. XVIII. *De nece Antipatri vindicata per Herodem.*

Erat eo tempore cum Hircano quidam de amicis suis, nomine Malicus, aspirans ad sacerdotium. Cumque decrevisset Hircanum veneno appetere, statuit prius appetere Antipatrum, immemor beneficiorum ipsius. Suscepto itaque veneno, per ministrum mortuus est Antipater. Malicus vero cum de morte ejus suspectus haberetur, coram Herode in multis se excusabat. Conquæstus autem Herodes per epistolam de patris morte apud Cassium rescriptum ipsius accepit, ut dolum dolo vindicaret. Scripsit etiam Cassius chiliarchis, ut in ista causa Herodi opem ferrent. Vocavit itaque Herodes Hircanum et Malicum ad cœnam : qui, dum irent, circumseptum Malicum chiliarchæ interfecerunt. Hircanus autem stupore dissolutus concidit, vixque recepta anima, Herodem percontabatur quis Malicum occidisset. Cumque unus respondisset, Cassii præceptum, ait : « Me et patriam Cassius servavit incolumem, amborum insidiatore perempto. » Non multo post cum ægrotaret Herodes Damasci, D Phenix, Malici frater, in ultionem fratris movit arma contra Phasælum, fultus Hircani auxilio. Cumque convaluisset, Herodes Hircanum aggredi attentabat ; sed propter affinitatem redierunt in concordiam.

CAP. XIX. *De uxoribus Herodis, et liberis ejus.*

Habebat quidem Herodes uxorem, nomine Dosidem, sed ignobilem, de qua et Antipatrum suscepit, superduxitque Mariannem neptem Hircani, cujus etiam amore circumcidit se, et factus est proselytus. Habuit siquidem Herodes uxores novem : ex quarum septem numerosam suscepit sobolem, sed de his paucos numerare sufficiet. Primogenitus ejus Antipater ex Doside, Alexander et Aristobulus ex Marianne; Archelaus ex Mathaca Samaritide, Hero-

Digitized by Google

des Antipas, qui post tetrarcha fuit, et Philippus ex Cleopatra Jerosolymitide. Herodem tamen hunc quidam Marianne filium putant.

CAP. XX. *Quando Herodes et Phasælus tetrarchæ Judææ facti sunt ab Antonio, et de pugnis eorum*, etc.

Sed ubi Cassio in Philippis interfecto, Cæsar in Italiam, Antonius in Syriam discesserunt, Judæorum optimates Phasælum, et Herodem, apud Antonium accusabant, quod rerum summam vi possiderent, nomen tantum supercsset Hircano. Herodes autem muneribus placavit Antonium, in memoriam revocans ei, patris sui antiquam cum eo familiaritatem. Cum autem denuo Antiochiæ a centum viris Judæis accusaretur, astante etiam Hircano percontabatur Hircanum Antonius, quinam rebus gerendis essent aptissimi. Cumque Herodem et fratres ejus aliis prætulisset, hilaratus Antonius, eos de procuratoribus tetrarchas Judææ declaravit. Abeunte autem Antonio Romam, Pachorus rex Parthorum in manu valida Euphratem transgressus est. Ad quem descendens Lysanias Antigoni nepos, filius Ptolemæi ex Alexandra, ut prædictum est, pollicitus est talenta mille, et virgines quingentas, ut Antigonum in regnum induceret. Acceptis itaque a Pachoro multis millibus Parthorum, Antigonus Jerusalem expugnabat, et Phasælus quidam muros, Herodes domum regiam custodiebat. Sed cum intrasset urbem Antigonus in diebus Pentecostes etiam in foro dimicatum est. Cum autem de pace tractaretur, Antigonus Pachorum regem Parthorum pacis arbitrum in dolo deposcebat. Egressi sunt ergo Hircanus cum Phasælo, et Antigonus ad Parthorum regem properantes. Herodes noluit cum eis descendere, suadente Marianne, ut nunquam fidei Parthorum fidem adhiberet. Hircanus vero, et Phasælus in itinere a Parthis comprehensi sunt. Quo accepto Herodes noctu ad Idumæos contribules suos confugit. Præmisit quidem uxores, et filios et universam supellectilem, et ipse subsequens impetus subsequentium sustinebat. Graviores autem Parthis Judæos in fuga expertus est, cum quibus sexagesimo a civitate stadio dimicavit, ibique ob incredibilem victoriam castrum munitissimum postea firmavit, quod, et Herodion dixit. Dimissis autem uxoribus, et liberis in oppido Massada, sub custodia fratris sui Josippi in Petram civitatem Arabum perrexit. Parthi vero non solum Antigonum restituerunt in regnum, verum etiam Hircanum et Phasælum, vinctos ei tradiderunt verberandos. At ille auriculas Hircani dentibus truncavit, nequando mutatis rebus solutus pontificatum reciperet. Ab integris enim celebrari sacra oportet. Phasæli vero virtute præventus est. Qui cum nec ferri copiam, nec manus liberas haberet, ad saxum fracto capite mortuus est. Cognito quidem quod Herodes evascrat, ait se æquanimiter velle mori, quia ultorem vivum relinqueret. De Hircano sunt qui dicant, quod medicus ab Antigono sibi missus in auriculas ejus venenum pro medicamento infudit, et mortuus est. Josephus vero refert eum ad Parthos missum, et diu habitum ludibrio.

CAP. XXI. *Quod Herodes rex Judææ Romæ creatus est.*

Herodes, accepta morte fratris, Romam properavit nec hiemis asperitate retentus est. Circa Pamphyliam, fracta navi et in Rhodo reparata, ad Romam profectus est, primoque causam viæ exposuit Antonio. Qui miratus ejus casum, et misertus, senatui persuasit, ut Herodem regem declararent. Coronatus ergo Herodes, Augusto et Antonio huic et inde astantibus, in Capitolium ductus est, ubi et decretum senatus super hoc facto repositum est. Remissus est itaque in Judæam Herodes, duoque principes cum eo Ventidius, et Sylo, qui eum in regno collocarent. Cum ergo venissent in Galilæam, Sylonem Antigonus mercede corrupit, et propterea congredi adversus Antigonum simulatis occasionibus differebat. Cumque tandem obsedissent Jerusalem Romani, tum pro hiemis asperitate, tum pro inopia victus, ab obsidione descendentes, in Idumæa et Galilæa hiemabant. Nec tunc tamen Herodes otiosus erat, sed latronum multitudinem persequens, etiam in cavernis eos igne suffocabat. Inter quos erat senior septem filiorum pater, quos ipse occidit in hunc modum. Stans in ore speluncæ, singulos nominatim evocabat, et prodeuntem quemque filiorum trucidabat, novissime, et uxorem, tandem se confossum vulnere, super mortuos misit.

CAP. XXII. *Quod Herodes, pulso Antigono, positus est in throno regni in Jerusalem.*

Eo tempore circa Athenas morabatur Antonius, et jam amore Cleopatræ tenebatur. Ad quem properabat Herodes super dolo Silonis, quærelam facturus. Interim autem, et Josippus, ut aliquid præclare faceret, contempto Herodis imperio, contra Antigonum dimicavit, et victus decapitatus est a Papio principe militiæ Antigoni. Cujus truncum Antigonus calcaribus verberare inhumanitus aggressus est. Dum autem accepisset Antonius dolum Silonis, misit Sosium cum Herode in manu valida. Qui veniens in Judæam, occurrentem sibi Papium vicit, caputque ejus Pheroræ fratri suo, in solatium occisi fratris, transmisit. Tandem quinque mensibus obsessa Jerusalem, cum in sexto Romani irruerent in eam, nemine parcebant ætati, licet Herodes rogaret, ut parceret. Antigonus quoque descendens, ad pedes Sosii prostratus est, quem non miseratus Sosius, sed irridens Antigonam appellavit, et in vincula conjecit. Cum autem omnis militum multitudo ad visenda sancta, et fanum spoliandum incitaretur, refrenabat eos Herodes, acerbiorem sibi quam si victus fuisset fore dicens victoriam, si quod fieri nefas esset, culpa sua visum fuisset. Invehebaturque in Sosium, si vacuefacta viris, et opibus civitate solitudini se regem relinqueret. De suis autem facultatibus mercedem singulis se daturum confirmavit. Cumque promissa complesset Sosius

Digitized by Google

aurea corona Deo dedicata sublata, victum Antigonum deducens ad Antonium remeabat, quem Antonius securi percussit. Confirmatusque est Herodes in regno Judææ, quarto anno ex quo Romæ diadema susceperat. Inde est quod quandoque plures, quandoque pauciores anni regni Herodis leguntur. Translatum est itaque regnum de Juda ad alienigenam, imminente Christi adventu. Audiens Hircanus Herodem regnantem, rediit in Judæam, et in pristinum statum restitutus est, excepto quod non ministrabat.

CAP. XXIII. *De morte Mariannes dolo Salome.*

Facta est autem dissensio inter Mariannem et Salomam sororem Herodis; hæc illi meretricum, illa huic ignobilitatem objiciebat. Consilio vero sororis Herodes Hircanum occidit dolo, eo quod regnum sibi deberi Hircanus diceret. In solatium autem Mariannes Jonathan, fratrem ejus, cum esset decem annorum in pontificem ordinavit, et Dosidem cum filio Antipatro, ad petitionem Mariannes, a Jerusalem expulit, solis tribus solemnitatibus, ad orandum, ascendere eis Jerosolymam permittens. Econtra, Saloma suggerente, occisus est Jonathas, eo quod ad regnum videretur aspirare. Cumque accusaret Saloma Mariannem de adulterio, addidit quod expresse imaginem suam miserat Antonio, ut ad amorem suum eum incitaret : quod ut cognosceret Herodes, properavit ad Antonium, Mariannem sub custodia viri Salome collocans, certa ei tradens intersignia, sub quibus si nuntiatum ipsi foret, Mariannem occideret, dumque moram faceret Herodes ipse, et audiret ab Antonio imaginem illam missam Marianne, quia Antonius adeo diligebat Herodem, quod nihil eum celaret, vir Salome, quæ sibi fuerant imperata Marianne revelavit. Reverso autem Herode, uxor, cum in sinu ejus dormiret, cum lacrymis quæ de morte ejus imperaverat, indicavit. Exsiliensque a stratis Herodes, sciscitabatur a sorore : « Dormivitne vir tuus cum Marianne? quæ ait : Dormivit. » Statimque occidi Mariannem fecit, et virum sororis. Verum de morte uxoris, quam supra modum diligebat adeo indoluit, ut tanquam lunaticus crebro in amentiam verteretur. Cum autem convaluisset Antipatrum cum matre revocavit. Filios autem quos de Marianne susceperat, Alexandrum et Aristobulum, Romam misit, liberalibus artibus erudiendos.

CAP. XXIV. *Quod Augustus addidit regno Herodis Trachonitidem et Ituræam.*

Post hæc commissum est prælium apud Actium inter Augustum et Antonium, cui non interfuit Herodes, missus ab Antonio contra regem Arabum ad petitionem Cleopatræ, ut, quolibet eorum victo, ipsa regnum illius obtineret. Mortem enim regum Orientalium jam tunc moliebatur, ut pro eis ipsa regnaret. Cumque Herodem offensum Antonio reddere moliretur, nec efficere valeret, tamen Jerichontinam terram palmarum et balsami feracem in sui dominium jam transtulerat. Victo ergo Antonio, A cum Augustus Rhodum venisset, nec Antonium victum reputaret, cum superesset Herodes, periculis occurrens Herodes, deposito habitu regio in cultu privato stetit ante Cæsarem, et ait : « Fateor me utilem fuisse Antonio, et fidelem, quod expertus fuisses Actio, si affuissem. Verum nec omnino defui, auxilia, et frumenta mittens ei, nec modo deessem, si mihi acquiescens, Cleopatram, odii vestri fomitem occidisset. Una ergo cum victo victus sum, coronamque cum fortuna deposui, ad te autem veni, spem salutis de virtute præsumens. » Ad hæc Cæsar : « Imo salvus esto, et nunc regnato certius : meritus es, ut plurimos regas, cum amicitiam tanta fide tuearis. Recte fecit Antonius, qui magis Cleopatræ paruit quam tibi. Te enim lucrati sumus per B eum, propter ejus amentiam. Experiar quoque tibi benefacere, ut non quæras Antonium. » Cum autem properaret Augustus in Ægyptum, non solum in præliis virtus Herodis enituit, verum etiam in deserto eunti et redeunti exercitui, ita paravit necessaria, ut nec aquarum deesset copia, nec quidquam utensilium, ita ut miraretur Cæsar. Mortuis vero Cleopatra et Antonio, modicum esse regnum Herodis et Romani conclamabant; ob hoc Augustus, cum restituisset partem regni, quam Cleopatra abstulerat, condidit ei Trachonitidem, et Ituræam, totamque maritimam, usque ad Pirgum Stratonis, quam post in honorem Augusti Cæsaream appellavit. Ædificavit autem in Ascalone domum regiam, et deinceps agnominatus est Ascalonita *. Natione C enim Idumæus fuit ex patre, Arabs vero ex matre. Dedit ei Cæsar quadringentos Galatas satellites, stipatores Cleopatræ, immanes, et sanguinis humani avidos.

* *Additio* 1. Vel proprie dictus est Ascalonita. Avus enim ejus, qui et Herodes, Ascalonita fuit natione, et ædituus templi Apollinis, cujus filium Antipatrem puerulum, rapuere latrones Idumæi, et cum eis tantum fuit, quod etiam post factus est princeps eorum. Unde et Idumæus dictus est.

CAP. XXV. *De Herodianis.*

Qui cum prius Eleutheri dicerentur, a flumine Eleuthero superioris Galilææ, super quod oriundi fuerant, de cætero Herodiani dicti sunt. Cum au- D tem fecisset prius in Jerusalem turrim quam vocavit Antoniam, qui nunc turris David dicitur, fecit et nunc aliam quam vocavit Agrippinam. A Cæsare enim amabatur post Agrippam, et ab Agrippa post Cæsarem. Posuit, et aquilam auream super speciosam portam templi immensi ponderis in honorem Romanorum, Judæis id ægre ferentibus. Fecit quoque Herodion, in quo et sepultus est. Fecit et Phasælum in memoriam fratris. Reparavit Samariam, quam et Sebastem dixit, ubi et templum maximum Cæsari dedicavit. Aliud etiam templum circa Jordanis fontem candido de marmore Cæsari dedicavit *. Prorsus non erat idoneus regni locus, quem vacuum honore Cæsaris relinqueret. Anno quoque quinto decimo regni sui templum Domini magnifice

Digitized by Google

decoravit, nec solum in regno suo, verum etiam in adjacentibus civitatibus memoralia suæ libertatis, quasi industriæ opera reliquit.

* *Additio* 1. Fecit etiam Cæsaream Palestinæ in qua turris Stratonis, in qua contra adventum Augusti porticum de candido marmore construxit, in qua post Cornelius centurio creatus est a Petro episcopus.

CAP. XXVI. *De offensa Herodis in filios.*

Post hæc redierunt a studio filii ejus, et erat Alexander acerrimus perorator. Quorum unus Aristobulus filiam Salomæ amitæ suæ duxit in uxorem; Alter filiam regis Cappadociæ. Jamque licentius cum patre de successione regni disceptabant. Ob hoc pater offensus Antipatrem illis præponere satagebat. In testamento quoque jam aperte declaratus fuerat successor. Proinde prædicti fratres de morte patris occulte tractabant. Quod præsentiens pater a se eos rejecit. Hi vero Romam navigaverunt, ut patris injuriam deferrent ad Cæsarem.

Incidenter adjectæ præmissis historiographis libris Bibliæ a diversis temporum scriptoribus sumptæ historiæ, felicem hic finem sumunt

HISTORIA EVANGELICA.

CAP. I. *De conceptione Præcursoris Domini.*

« Fuit autem in diebus Herodis regis Judææ (effluxis annis regni ejus, videlicet triginta) sacerdos, nomine Zacharias, de vice Abia, et uxor ejus Aaronita, nomine Elisabeth (*Luc.* I). » David enim ampliare volens cultum Domini, viginti quatuor instituit summos sacerdotes, quorum unus tantum major, qui dicebatur princeps sacerdotum. Statuit autem sexdecim viros de Eleazar, et octo de Ithamar; et secundum sortes dedit unicuique hebdomadam vicis suæ. Habuit autem Abias octavam hebdomadam, de cujus genere Zacharias, cum in die propitiationis incensum poneret, prædixit sibi angelus nasciturum filium de uxore. Qui considerans sterilitatem uxoris, et utriusque senectutem, non credidit, et ob hoc obmutuit, usque ad diem partus. Nomen quoque pueri, et magnificentiam cum abstinentia ei indicavit. « Concepit autem Elisabeth, et occultabat se mensibus quinque. »

CAP. II. *De conceptione Salvatoris.*

« Mense autem sexto missus est Gabriel in Nazareth ad Mariam virginem desponsatam Joseph (*Luc.* I). » Cumque, ea salutata, dixisset eam pariturum Jesum, Filium Altissimi, quæsissetque quomodo hoc fieret, cum se non cognituram virum in animo vovisset, nisi aliter Deus disponeret; angelus addidit non de viro, sed opere Spiritus sancti concepturam, et etiam concepisse cognatam suam Elisabeth sibi indicavit. Permistæ enim erant sacerdotalis tribus et regia. Nam et Aaron uxorem habuit de Juda Elisabeth sororem Naasson et Joiada pontifex Jochabed filiam regis Joram. Et ait Maria : « Fiat mihi secundum verbum tuum. » Et statim conceptus est Christus de Virgine, plenus homo in anima, et carne, ita tamen, quod lineamenta corporis et membrorum visibus discerni non possent. Creditur autem conceptus octo Kalendas Aprilis, et, revolutis triginti tribus annis, eadem die mortuus est.

CAP. III. *De ortu Præcursoris.*

« Exsurgens autem Maria abiit in civitatem Juda (*Luc.* II). » Juda nomen est regni, non tribus. Jerusalem enim in tribu Benjamin erat, per quam forte transivit ad oppidum, in quo dicunt tunc Zachariam habitasse, quarto milliario a Jerusalem, et ibi natum Joannem. Et legitur in libro Justorum, quod beata Virgo eum primo levavit a terra. « Et cum salutasset Elisabeth exsultavit infans in utero ejus, » et cum matrem Domini sui et beatam eam prophetaret Elisabeth, edidit Maria canticum Domino, dicens : « Magnificat anima mea Dominum, » etc. Mansit autem Maria ibi mensibus tribus, ministrans cognatæ donec pareret, et tunc rediit in domum suam. Octavo autem die cum circumcideretur puer, et vocarent eum nomine patris sui Zachariam, ait : « Joannes est nomen ejus. » Idipsum scripsit et pater sumpto pugillari. Est autem pugillaris tabula, quæ pugno potest includi, ut calamus scriptoris. Et apertum est os Zachariæ, et prophetans canticum fecit Domino : « Benedictus Dominus Deus Israel. » Hæc duo cantica non cantantur in Ecclesia eo ordine quo sunt edita. Prius enim cantatur, quod secundo est editum. Quia enim in cantico Zachariæ legitur : « Et erexit cornu salutis, » quod est factum in resurrectione, ideo canitur in Laudibus, et loquitur ad puerum, qui fuit aurora Solis. Et quia legitur in cantico Virginis : « Respexit humilitatem ancillæ suæ, » Ecclesiæ scilicet et ipsius Mariæ : quod quidem factum est in sexta ætate. Et agit de incarnatione ibi : « Suscepit Israel puerum suum. » Ideo cantatur ad vesperas, sexto scilicet officio diurno. Tertium canticum Simeonis, quod sequitur cantatur in septimo officio, id est in completorio, quia orat se dimitti in pace, quod fit in septimo quiescentium. Et quia hæc duo cantica evangelica sunt, ideo stantes ea cantamus. « Puer enim crescebat, et confortabatur spiritu, et erat in desertis locis, usque in diem ostensionis suæ ad Israel. » Revertens autem Maria ad Nazareth, inventa est a sponso in utero habens de Spiritu sancto. Qui nolens eam traducere in conjugem, occulte voluit eam dimittere; in somnis autem admonitus est ab angelo, ut acciperet eam in

Digitized by Google

conjugem, et ne suspicaretur adulterium, conceptum puerum de Spiritu sancto indicavit, et ut Jesum vocaret præcepit, quia salvum faceret populum a peccatis eorum. Et hoc cognovit Joseph Deum nasciturum, qui solus peccata dimittit, et accipiens sponsam in uxorem, cum Virgine virgo permansit. Habuit autem Virgo virum, ne gravida infamaretur, et ut viri solatio et ministerio frueretur, et ut diabolo occultaretur Dei partus.

CAP. IV. *De descriptione orbis.*

« In diebus illis exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis (*Luc.* II). » Volens Cæsar scire numerum regionum in orbe, quæ Romanæ suberant ditioni, numerum etiam civitatum in qualibet regione, nomina quoque capitum in qualibet civitate, præceperat, ut de suburbanis oppidis, vicis, et pagis ad suam confluerent homines civitatem, et maxime ubicunque habitarent ad civitatem convenirent, unde traherent originem, et quisque denarium argenteum pretii decem nummorum usualium, unde denarius dicebatur præsidi provinciæ tradens, se subditum Romano imperio profiteretur. Nam et nummus imaginem præferebat Cæsaris, et superscriptionem nominis. Et quia numerus eorum, qui censi capite ferebantur, vel ut alii legunt qui censum capitis ferebant, certo numero determinabatur, et redigebatur in scriptis, ideo professio hujusmodi descriptio vocabatur. « Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino. Prima dicitur quantum ad Cyrinum Syriæ præsidem, quia enim Judæa in umbilico Zonæ habitabilis esse dicitur, provisum est ut in ea inchoaretur, et deinde per circumstantes regiones alii præsides prosequerentur. Vel forte prima universalis, quia aliæ præcesserant particulares. Vel forte prima capitum in civitate fiebat a præside, secunda civitatum in regione a legato Cæsaris, tertia regionum in urbe coram Cæsare. Hic primum Judæa facta est stipendiaria Romanis, hæc descriptio singulis annis fieri videtur, qui in Evangelio legitur : « Magister vester non solvit tributum hoc anno (*Matth.* XVII). » — « Ascendit autem Joseph a Nazareth in Bethlehem, eo quod esset de domo David, ut profiteretur cum Maria uxore sua prægnante. » Si mulieres profitebantur, jungendum est sic, ut profiteretur cum Maria. Si soli viri sic est ordo : « Ascendit Joseph cum Maria. »

CAP. V. *De nativitate Salvatoris.*

« Factum est autem, cum essent ibi, peperit Virgo filium suum primogenitum (*Luc.* II), » non post quem alius, sed ante quem nullus, et pannis involutus, reclinavit eum in præsepio, quia non erat ibi eis locus in diversorio. » Dicitur quod fenum in quo jacuit Jesus, delatum est Romam ab Helena, et est in ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris. Intra basilicam, non longe a præsepio quiescit Hieronymus. Paula quoque et Eustochium in Bethlehem quiescunt. Difficile fuerat pauperibus, præ frequentia multorum, qui ob idipsum convenerant, vacuas invenire domos, et in communi transitu, qui erat inter duas domus, operimentum habens, quod diversorium dicitur, se receperunt, sub quo cives ad colloquendum, vel ad convisendum in diebus otii, vel pro aeris intemperie divertebant. Forte ibi Joseph præsepium fecerat bovi et asino, quos secum adduxerat, in quo repositus est Jesus. Ad quod quidam referunt illud Isaiæ : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui (*Isa.* I). » Et illud Habacuc : « In medio duorum animalium cognosceris. Etiam in picturis ecclesiarum, quæ sunt quasi libri laicorum hoc repræsentatur nobis. Natus est autem Salvator anno regni Augusti Cæsaris quadragesimo secundo. Annos enim duodecim qui a morte Julii duxerant, usque ad Actium bellum, regno Augusti connumeramus *. Anno vero regni Herodis trigesimo universo orbe pacato, Olympiadis centesimæ nonagesimæ tertiæ anno tertio. Anno ab Urbe condita septingentesimo quinquagesimo secundo, natus est Dominus. Natus est autem nocte Dominicæ diei, quia si tabulam computi retro percurras, invenies hujus anni concurrentem quintum, regularem Januarii tertium. Quibus junctis et sublatis septem, remanet unum. Itaque Kalend. Januarii in Dominica invenies quæ concurrunt. Nam ea die qua dixit : « Fiat lux, facta est lux (*Gen.* I), » — « visitavit nos Oriens ex alto (*Luc.* I). » Inchoata vero secundum quosdam septima ætas a Nativitate Christi, secundum Apostolum, qui ait : « Cum venerit plenitudo temporis, » etc. Secundum alios a die qua baptizatus, propter vim regenerativam datam aquis. Secundum alios a passione, quia tunc aperta est porta, et inchoata est quodammodo septima quiescentium. Fluxerant quidem ab Adam anni quinque milleni centum nonaginta sex, aliis nonaginta novem, ab Abraham duo millia duodecim, secundum LXX; secundum Hebræos vero longe pauciores.

* *Additio*. Romæ templum pacis corruit, fons olei erupit, Cæsar præceperat ne quis eum divum vocaret.

CAP. VI. *De cantico angelorum, et circumcisione Domini.*

« Et pastores erant secundo milliario a Bethlehem, in regione eadem custodientes vigilias noctis super gregem suum (*Luc.* II). Mos fuit antiquioribus, in utroque solstitio, vigilias noctis custodire ob solis venerationem. Qui forte mos etiam apud Judæos ex usu cohabitantium inoleverat. « Et ecce angelus Domini stetit juxta illos, annuntians eis natum Salvatorem in Bethlehem, et in signum positum puerum in præsepio nuntiavit. « Et facta est cum angelo multitudo angelorum dicentium : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis *, » quia per Christum glorificatus est Pater, et pax facta inter Deum et hominem, inter angelum et hominem, inter Judæum et gentilem. Pro hac multitudine angelorum, vel pro grege pastorum volunt quidam illum locum prophetice dictum turrim gregis, ibi. Et tu, turris gregis ne-

Digitized by Google

bulosa (*Mich.* IV), cum tamen jam non primo contraxerat hoc nomen locus idem, quia Jacob gregem ibi pavit, cum Rachel parturiret. « Et transeuntes pastores, usque Bethlehem invenerunt verbum, quod factum erat ad eos, et qui audiebant, mirabantur super his quæ dicebantur a pastoribus ad eos. Maria quoque conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo, de qua natus est Jesus, ut putabatur filius Joseph (*Luc.* III). » Christi enim generatio sic erat : Prima quidem hominis conditio de terra, secunda de latere viri, tertia ex viro et femina, quarta sic erat, ut nasceretur sine viro homo de femina. Unde et appropriata circumlocutione pro nomine Christus filius hominis dictus est. Prima et secunda generatio ruerunt, in tertia de ruina generamur, in quarta de ruina suscitamur. Octavo die circumciderunt puerum **, et declaraverunt nomen ejus Jesum, quod impositum erat ei ab angelo priusquam conciperetur (*Luc*, II).

* *Additio* 1. In gestis pontificum legitur quod ea quæ sequuntur evangelica verba Thelesphorus adjecit.

** *Additio* 2. Dicitur quod præputium Domini delatum est ab angelo Carolo Magno in templo Domini, et translatum ab eo Aquisgrani ; etiam post a Carolo Calvo positum in ecclesia Salvatoris apud Carosium. Alii dicunt Antuerpiam delatum, nam illic in summa veneratione habetur.

Cap. VII. *De stella et magis.*

« Tertia decima vero die, ecce magi venerunt ab Oriente Jerosolymam dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum (*Matth.* II). » Successores fuerunt isti doctrinæ Balaam, qui stellam noverunt ejus vaticinio, et a magnitudine scientiæ magi nuncupati sunt. Quos enim Græci philosophos, Persæ magos appellant. Venerunt enim de finibus Persarum et Chaldæorum, ubi fluvius est Saba, a quo et Sabæa regio dicitur. Quidam tamen non eos primo doctos magos putant; sed postquam dolum Herodis fefellerunt per aliam viam revertentes. Chrysostomus dicit stellam multo ante tempore quam Christus nasceretur, apparuisse eis, et ita multo tempore de longinquo venerunt. Potuit tamen fieri, ut in tredecim diebus super dromedarios sedentes longa terrarum spatia transmearent, « Audiens magos Herodes rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo, » timuit rex ne quis de semine Hircani vel Aristobuli natus esset regnaturus, se tanquam alienigenam destituto. Turbatur autem civitas, novitate miraculi percussa. Cumque diligenter didicisset rex ortum stellæ a magis, ut per eum natalem pueri cognosceret, etiam a sacerdotibus et scribis sciscitabatur, ubi Christus nasceretur. » Qui juxta Michæam in Bethlehem Ephrata nasciturum dixerunt (*Mich.* V). Bethlehem prius dicta est Ephrata ab uxore Caleb, quæ ibi sepulta est, quam quidam suspicantur filiam fuisse Ur, et Mariæ sororis Moysi. Postea vero post famosam sterilitatem pro qua Elimelech cum domo sua adiit Moabitis (*Ruth.* I), cum reddita fuisset ei incredibilis ubertas, dicta est Bethlehem, quæ sonat domus panis. Dixit autem rex magis, ut inventum puerum sibi indicarent, ut veniens adoraret eum. Jam enim animum direxerat ad perdendum puerum. Quos egredientes de Jerusalem stella antecedebat, usque dum veniens staret supra domum ubi erat puer. Dicit Fulgentius stellam tunc creatam notabilem, et discretam a cæteris, et in splendore, quia eam lux diurna non impedivit; et in loco, quia neque in firmamento cum stellis minoribus erat, neque in æthere cum planetis, sed in aere vicinas terris tenebat vias; et in motu, quia prius immobilis super Judæam, magis dedit signum veniendi in Judæam, qui ex deliberatione sua Jerusalem tanquam caput Judææ adierunt. Quibus egressis, tunc primo motu notabili præcessit eos stella; quæ facto officio mox esse desiit, revertens in præjacentem materiam, unde sumpta fuerat. Tamen quidam tradunt Bedam voluisse quod in puteum Bethehemitanum ceciderit, et post in diebus Paulæ et Eustochii, quasdam virgines Deo dicatas eam miraculose vidisse, quod, quia fabulosum existimaverunt fratres, cum quibus monasticam ducebat vitam eum a communione sua quandoque separaverunt.

Cap. VIII. *De oblatione et nominibus magorum.*

Ingressi vero magi domum, quam diversorium Lucas nominat (*Luc.* II), obtulerunt puero singuli aurum, thus et myrrham, secundum Sabæis consuetam oblationem (*Matth.* II). Inde significantes eum regem, Deum et mortalem. Nomina trium magorum hæc sunt : Hebraice Appellus, Amerus, Damasius; Græce Galgalat, Magalath, Sarachim ; Latine Baltassar, Gaspar, Melchior. Qui cum deliberarent de reditu, responsum est eis in somnis ne redirent ad Herodem. Et venientes Tharsum Ciliciæ, conducto navigio, redierunt in regionem suam

Cap. IX. *De Hippapanti Domini.*

« Et postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, tulerunt puerum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, » id est offerendo præsentarent, et dederunt hostias pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum, » insuper redemerunt eum quinque siclis argenteis (*Luc.* II). « Et erat in Jerusalem Simeon senex, qui acceperat a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. » Et tunc eodem spiritu venit in templum, et accipiens puerum in ulnas suas, sciens eum Christum, ait : « Nunc dimittis, Domine, » etc. Et prophetans de passione Christi, ait ad Mariam : « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, » id est passio ipsius. Non enim sine materno dolore potuit videre crucifigi Filium, etsi resurrecturum speraret, vel ita. Animam ipsius, quæ et tua est, quam scilicet quasi tuam diligis, pertransibit gladius. « Eadem hora supervenit Anna prophetissa, et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel. »

Digitized by Google

CAP. X. *De fuga Domini in Ægyptum.*

Tunc Herodes vidit quod illusus esset a magis (*Matth.* II). Videns enim Herodes magos nihil sibi renuntiasse, putavit eos visione stellæ deceptos, et erubuisse redire ad eum, et ideo ab inquisitione pueri cessavit. Sed cum audisset quæ dicta fuerant a pastoribus, et maxime prophetias Simeonis et Annæ, sensit se illusum, et de morte Bethlehemitarum tractabat, ut ille quem ignorabat cum eis occideretur. Properea per admonitionem angeli fugit in Ægyptum Joseph cum puero et matre ejus usque ad obitum Herodis. Cumque ingrederetur Dominus in Ægyptum, corruerunt idola Ægypti, secundum Isaiam, qui ait : « Ascendet Dominus nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et movebuntur simulacra Ægypti (*Isa.* XIX). » Tradunt quoque, quod sicut in exitu filiorum Israel de Ægypto non fuit domus Ægypti in qua, Deo procurante, non jaceret mortuum primogenitum, (*Exod.* II), ita nec modo fuit in Ægypto templum in quo non corruisset idolum.

CAP. XI. *De nece puerorum, et quare dilata per annum.*

(33) Herodes autem cum de nece puerorum disponeret, citatus est per epistolam ab Augusto Cæsare, ut Romam iret, accusationi filiorum responsurus. Tamen Josephus dicit quod Alexandrum filium suum secum Romam traxerit, et veneni sibi parati reum apud Cæsarem postulaverit. Quo, cum iter faceret per Ciliciam, audiens naves Tharsensium magos traduxisse, in spiritu vehementi combussit naves Tharsis secundum quod David prophetaverat in quadragesimo septimo psalmo : « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis. » Cum ergo coram Cæsare disceptasset pater cum filiis, hac lege facta est reconciliatio, ut adolescentes patri in omnibus obedirent, ipse autem regnum dimitteret cui vellet. Nondum tamen Herodes a suspicionibus liberatus est. Veniensque Jerosolymam, populo convocato, tribusque filiis astantibus, et concordiam fratrum a Cæsare factam exposuit, et se successoris judicem constitutum, ne Judæi regnum ad suos rediturum æstimarent. Tunc confirmatus in regno Herodes certius quam prius, « mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a magis (*Matth.* II), » quorum maxima pars tertio milliario a Bethlehem usque ad austrum sepulta est. Plurium sententia, et usitatior hæc est: Ortam didicerat Herodes stellam eadem die qua natus erat Dominus, et secundum ortum stellæ Dominum anniculum esse sciebat, et aliquot insuper dierum. Ideoque ipse supra ætatem ejus usque ad bimos et infra usque ad unius noctis infantem desævit in pueros. Timensque pueri morphoseon, id est *commutationem*, ne scilicet puer, cui sidera famulabantur, supra ætatem suam, vel infra faciem suam transformaret. Chrysostomus autem dicit A stellam apparuisse per annum ante Domini nativitatem. Credebatque Herodes, tunc etiam Dominum fuisse natum, et sic putabat Dominum bimum fuisse cum adjectione paucorum dierum, et ideo occidit pueros bimos deinceps usque ad quinque annos, sed non minores bimis. Et exponit bimatum et infra, secundum rationem numeri. Sicut enim ratione temporis minores bimis inferiores sunt eis, quia post nati sunt. Ita ratione numeri majores bimis inferiores sunt eis, quia post eos numerantur. Cui assertioni videtur fidem facere, quod quædam ossa Innocentum habentur adeo grandia, quæ bimorum esse non possent. Potest tamen dici ad hoc, quia longe majoris tunc erant homines quantitatis quam modo.

B CAP. XII. *Quod comminatio Jeremiæ etiam prophetia fuit.*

« Tunc impletum est illud Jeremiæ (*Jer.* XXXI). « Vox in Rama audita est, etc., (*Matth.* II). » Rama locus est juxta Gabaa duodecimo milliario distans a Bethlehem, ubi fere delecta tribu Benjamin propter uxorem Levitæ, pauci superstites planxerunt mortuos suos. Hoc autem videtur Jeremias induxisse potius comminando, quam prophetando. Minabatur enim imminere tantam ruinam duabus tribubus, quanta facta fuerat in filiis Rachel, cum plangentium vox audita est in Rama. Tamen etiam prophetavit de nece parvulorum, ut Matthæus ait, et tunc Rama non est nomen loci. Sed quia Rama *excelsum* C sonat, idem est ac si dixisset : Vox in excelso audita est. Videtur quoque debuisse dici, Lia plorans filios suos, cum Bethlehemitæ de tribu Juda fuerint. Sed quia tribus Benjamin conterminata est Judæ, insinuavit evangelista multos de Benjamin fuisse occisos pro vicinia, ad exaggerandum scelus Herodis. Vel quia Rachel juxta Bethlehem sepulta est, prophetico locutionis modo dicitur ea gessisse quæ in loco eodem gerebantur. « Et noluit consolari, quia non sunt, » id est inconsolabiliter dolebat, de eo quod non sunt, id est de eo quod mortui esse desiderant. Innocentes quidem martyres dicuntur laxato vocabulo, non quia testes Christi, sed quia pro Christo occisi sunt, quem si non loquendo, moriendo tamen confessi sunt, pro quo D etiam Ecclesia pro eis solemnizat, quamvis ad inferos descenderint. Unde et in eorum solemnitate cantica lætitiæ subticentur, scilicet, *Te Deum laudamus*, et *Gloria in excelsis Deo*, et pro *alleluia*, quidam dicunt, *Laus tibi, Christe;* alii, *Cantemus, eia;* alii dicunt tractum.

CAP. XIII. *De nece duorum filiorum Herodis.*

(34) Factum est autem, ut quoniam Herodes multos orbaverat filiis, ipse suis miserabilius orbaretur. Nam per astutiam Antipatri, iterum facti sunt suspecti Alexander et Aristobulus patri. Ob hoc scripsit Herodes Augusto, in multis accusans filios. Misit autem Augustus Saturnium, et Peanum lega-

(33) Ex Josepho.

(34) Ex Josepho.

Digitized by Google

tos cum rescripto, ut coram his duobus coacto consilio procerum filios judicaret, et de eis, si convincere eos posset, faceret quod vellet. Auditis autem hinc et inde partibus, legatos illos damnandos pronuntiaverunt, non tamen morte. Tunc apud Sebasten pater conjecit eos in vincula. Complices vero eorum apposuit torquere pater, ut confessione eorum certioraretur si in animam suam aliquid machinarentur filii. Confessus est autem quidam multa sibi ab Alexandro promissa, si patri venenum propinaret. Confessus est etiam tonsor de promissis sibi muneribus, si dum pararet patri barbam, eum jugularet. Addiditque dixisse Alexandrum non esse spem ponendam in senem, qui canos tingebat, ut videretur adolescens. His motus Herodes, missis speculatoribus, jussit filios occidi, et asportari in Alexandriam, ibique sepeliri cum Alexandro avo suo materno.

Cap. XIV. *De priori testamento Herodis, et odio ipsius, et Antipatre.*

(35) Tunc inscripsit testamentum Herodes, et Antipatrem futurum regem instituit, et Herodem, qui cognominabatur Antipas substituit Antipatri. Antipater vero intolerabile odium populi excepit, cunctis scientibus quod fratribus suis conseruisset calumnias. Ob hoc etiam pater jam eum non recto oculo aspiciebat. Ad hæc etiam Antipater molestus erat patri, quod fratrem sibi substituerat, eo quod ad filios ipsius Antipatris regnum transire noluisset. Alia quoque major causa invidiæ orta est ei in patrem. Nam pupillos filiorum, quos occiderat paterna dilectione fovebat; aliis nepotibus suis eos copulans in matrimonio. Erant autem, secundum Josephum, parvuli relicti de Aristobolo, Herodes Agrippa, qui Jacobum occidit gladio, et Herodias, quam post Herodes Antipas abstulit Philippo fratri suo. Timuit ergo Antipater, ne ad pupillos fratrum suorum quandoque regnum revocaret Herodes, quia eos ex parte matris contingebat. Commovit etiam Pheroram in odium Herodis, adeo ut Pheroras secederet a fratre, et habitaret in terra, quæ concessa ei fuerat trans Jordanem. Ipse vero etiam, patre volente, quibusdam excogitatis occasionibus Romam properavit, efficacissimum venenum a quadam venefica Arabica comparans, et apud uxorem Pheroræ reponens, quod interim, dum ipse abesset, per ministrum quem conduxerat, patri propinaretur.

Cap. XV. *Quod Herodes incarceravit Antipatrem insidiantem vitæ ejus.*

(36) Cum autem Antipater Romæ esset, mortuus est Pheroras, acceptique Herodes de veneno reposito apud uxorem Pheroræ, per ancillam iracunde a domina sua recedentem. Itaque evocatam uxorem fratris relictam, afferre venenum eam jubet. Illa vero quasi allatura egressa, de tecto se dedit præcipitem, sed semiviva ad regem allata, ait : « Cum

(35) Ex eodem.
(36) Ex eodem.

A moreretur frater tuus, vir meus, ait mihi : Affer hinc mulier venenum, quod reliquit nobis Antipater, meque vidente in igne consume, ne ad inferos conscientiam fratricidii ultricem feram. Ego vero magnam ejus partem in ignem consumens, modicum mihi propter dubios casus, et quia te metuebam reservavi. » Cumque pixidem cum veneno protulisset, expiravit. Acceptis quoque aliis pluribus argumentis, quod Antipater in mortem patris grassaretur, Herodes eum mature revocavit, matremque illius repudiavit. Cumque filium de parricidio publice accusasset, præsente Varo Syriæ præside, qui illis diebus Jerosolymam venerat, posuit eum in custodiam apud Jerichonta.

Cap. XVI. *De magnitudine morbi Herodis.*

B (37) Cumque complices filii quæreret pater, ut eos cum filio exquisitis perimeret suppliciis, graviori morbo impeditus est. Accedebat et senectus, cum annos jam septuaginta natus erat, animumque ejus filiorum clades graviter affligebant. Erant autem in Jerusalem duo sophistæ, quos non pauci adolescentium sectabantur, cum leges exponerent, his opportunum visum est rege tabescente, ut aquilam auream dejicerent, quam rex super maximam portam templi contra patrias leges posuerat. Qua dejecta, rex commotus, animi magnitudine morbum superavit, et in concionem procedens in omnes Jerosolymitas injuriam hanc infundere nitebatur. Sed ad preces populi in solos auctores ultus est. Illos ergo, qui in funibus demissi, aquilam conciderant, vivos C incendit cum duobus sophistis. Dehinc variis affligebatur languoribus. Nam febris non mediocris erat, prurigo intolerabilis in omni corporis superficie, assiduis vexabatur colli tormentis, pedes intercutaneo vitio tumuerant, putredo testiculorum vermes generabat, creber anhelitus et interrupta suspiria, quæ ad vindictam Dei ab omnibus referebantur. Ipse vero Jordanem transiens apud Callionem calidis aquis utebatur. Cumque corpus ejus oleo calidiori foveri medicis placuisset, in aream plenam demersum ita dissolutum est, ut etiam lumina, quasi mortuus, resoluta torqueret, tamen ad clamorem astantium respicere visus est.

Cap. XVII. *De nobilibus Judæis occidendis in morte Herodis, et de morte Antipatri.*

D (38) Cumque rediisset Jericho, audiens Judæos mortem suam exspectantes cum gaudio, ex omni Judæa nobiliores collectos, juvenes, concludi præcipit in hippodromo, id est in carcere circi, præcipiens Salome sorori suæ, ut cum animam suam efflaret, statim illos occideret, ut ita omnis Judæa in morte ipsius, etiam invita plangeret. Nuntii vero quos Romam miserat redeuntes epistolam tulerunt a Cæsare, ut Antipatrem in exsilium daret, vel, si mallet, morte damnaret. Quo nuntio paululum recreatus, cum pomum, quo libenter vescebatur, petiisset, cultellum quoque ad incidendum poposcit, statim-

(37) Ex Josepho.
38) Ex eodem.

Digitized by Google

que cum tussi violenta distenderetur, circumspiciens ne quis arbiter impediret, se percussurus dexteram sustulit. Sed Acciabus, consobrinus ejus, dexteram continuit, statimque ululatus est rex, et tumultus in regia domo excitatus est. Quo audito, Antipater exsultans multa custodibus promittebat ut eum solverent. Quod cum accepisset Herodes, gravius tulit exsultationem filii, quam mortem, et continuo missis satellitibus occidit eum, sepelirique præcepit in Hircanio. Statimque mutans testamentum, Archelaum regni scripsit successorem, ita tamen quod ab Augusto susciperet diadema.

CAP. XVIII. *De morte Herodis, et substitutione Archelai.*

(39) Post mortem autem filii, quinque diebus exactis, mortuus est Herodes trigesimo septimo anno postquam a Romanis rex declaratus erat. In aliis fortunatissimus, in rebus domesticis infelicissimus fuit. Salome vero quos occidi mandaverat absolvit. Et sepelivit eum Archelaus in Herodio, juxta mandatum ipsius, nihil regii ornatus in funeris pompa prætermittens, septem autem diebus in lugendo patrem consumptis, epulisque feralibus prolixe populo exhibitis, qui mos Judæorum ob expensas funerum multos depauperavit candida veste indutus ascendit in templum, variisque favoribus a plebe susceptus est, sedensque pro tribunali, dixit, se etiam a regis nomine velle temperare, donec a Cæsare confirmata foret successio, promittens quod patre melior omnibus appareret. Quocirca alii tributa levari, alii vectigalia tolli, quidam solvi custodias acclamabant. Postulatis autem Archelaus annuens, celebratis hostiis, erat cum amicis in epulis.

CAP. XIX. *De lite fratrum pro regno coram Augusto.*

(40) Orta est autem seditio, quæ in novis rebus accidere solet, plurimi enim sophistas, pro defensione legis occisos, lugebant; omnes fere pontificem, quem Herodes pretio creaverat, amovendum proclamabant. Instante autem azymorum die, cum turba ab immolatione prohiberet pontificem, Archelaus, misso chiliarcho, verbis eos prius sedare attentavit. Cum autem vulneratum remisissent chiliarchum, missa grandi manu satellitum, Archelaus circiter novem millia occidit, et per vocem præconis omnes ad propria redire commonens, neglecta festivitate, omnes abierunt. Ipse vero cum Nicolao et Ptolomæo, secretariis patris sui, Romam profectus est, Salomamque, et filios ejus secum duxit, ut cum testamento extremam voluntatem patris sui testarentur, Philippo fratre regni procuratore relicto. Profectus est etiam Romam Herodes Antipas, ut de regno habendo disceptaret cum fratre, oratore Hyrcaneo, propter acrimoniam dicendi, plurimum confisus. Cæsar quoque, ascitis optimatibus Romanorum, partibus prosequendi copiam dedit. Ibique tunc primum Gaium, ex Agrippa, et filia sua natum, filium adoptivum sedere jussit. Archelaus sibi regnum deberi asserebat, et ætatis merito, et secundi testamenti voluntate. Antipas vero primum testamentum debere servari, aiebat, quod pater, quando compos mentis esset, inscripserat. Secundum vero nullum fore, quod ipsum pater mentis impos fecerat. Nam et tunc propria manu se appetierat. Addebat quoque, quod Archelaus umbram regni detulisset ad Cæsarem, cum ipse corpus rerum gerendarum sibi rapuisset; postremo, quod initia potestatis suæ novem millium occisorum sanguine maculasset. Cæsar vero responsum differens, secum de cognitis deliberabat, an aliquem regni successorem constitui oporteret, an toti familiæ distribui principatum, præsertim cum litteras varias de Syria accepisset, Judæos defecisse nuntiantes. Interim quoque mater Archelai mortua nuntiatur.

CAP. XX. *De quatuor regibus in Judæa.*

(41) Eodem sane tempore quatuor reges surrexerunt in Judæa. Nam in Idumæa duo millia veteranorum, qui sub Herode militaverant, regem creaverant. Sephori vero Galilææ Judas, filius Ezechiæ latronum principis ab Herode olim capti, diadema sibi imposuit. Trans flumen quoque Simon quidam ex servis regalibus, vastitate corporis fretus a latronibus rex creatus est. Pastores quoque quemdam proceri corporis, cum pastor esset in finibus Israel, regem sibi statuerant. Ob hæc insinuanda Cæsari missus est Romam a Varo Philippus, duabus tamen incidenter de causis, ut, et Archelao subveniret, et si regnum Herodis nepotibus distribui placuisset, partem aliquam mereretur. Iverunt etiam cum eo quinquaginta de Judæis honorati, qui octo millia Judæorum, Romæ tunc degentium, secum traxerunt ad Cæsarem. Ante enim captivitatem finalem, Judæi, per captivitates particulares, ubique dispersi, et venundati fuerant. Quos ut audiret Cæsar, in palatium Apollinis templi sedit cum amicis. Illi vero tyrannidem Herodis, et filiorum ejus in Judæos explicantes, supplicabant Romanis, ut Judææ reliquias misericordia dignas judicaret, et aut jus antiquum regni sibi restitui, aut Syriæ conjungi finibus, aut per Romanos judices Judæam administrari.

CAP. XXI. *De simulato Alexandro.*

(42) Eo etiam tempore quidam natione Judæus in Sidoniorum oppida educatus, quam simillimus Alexandro Herodis filio, quem, et pater interemerat, venit in Judæam instinctu cujusdam liberti Herodis, qui omnes actus regios optime sciebat, asserens sibi regnum deberi, tum quia major filius Herodis, tum quia ex parte matris suæ Mariannes eum contingebat. Cumque plures Judæorum sequaces haberet, Romam quoque profectus est. Igitur Judæi Romæ tunc degentes visendi ejus studio circumfluebant. Sciscitatusque qualiter viveret, aiebat, lictores miseratos fratrum, alios similes eis morti subjecisse. Aristobolum quoque fratrem adhuc vi-

(39) Ex Josepho.
(40) Ex eodem.
(41) Ex eodem.
(42) Ex eodem.

Digitized by Google

ventem in Cypro, vel Creta latere. Sed Cæsar optime vultum Alexandri sciens, quem, dum Romæ studeret puer, amasium habuerat, cum patre quoque post disceptantem, plenius notaverat, fallaciam similitudinis animadvertit, misitque Celadum, qui et Alexandrum bene cognosceret, ut ad se viventem adduceret, vitam sibi pollicens si tantæ fraudis prodidisset auctorem. Cumque ille confessus esset se talia simulasse ad quæstum, risit Cæsar, suasoremque ejus jussit interfici, falsumque Alexandrum propter habitudinem corporis, numero remigum inseruit. Hunc Alexandrum poeta vocavit formosum Alexim, id est delicias domini (Virgil., eclog. 21).

Cap. XXII. *De divisione regni.*

(43) Tandem de consilio senatus Cæsar monarchiam Herodis distribuit, mediam partem, scilicet Judæam et Idumæam tradens Archelao sub nomine tetrarchæ, pollicitus se facturum eum regem, si se dignum præbuisset. Mediam vero partem in duas secuit tetrarchias, cessitque in partem Herodis tetrarchæ regio trans flumen, et Galilæa. Ituræa vero et Trachonitis, et Auranitis Philippo destinata est. Factus est igitur Archelaus quasi diarchus, monarchus vero nunquam fuit. Cum ergo eum legeris monarchum fuisse novem annis, post patrem intellige, secundum opinionem vulgi dictam, et secundum sui jactantiam, qua se futurum regem secundum promissum Cæsaris jactabat. Et sic remissi sunt in Judæam tres fratres, cum sedissent Romæ quatuor mensibus eventum rei exspectantes.

Cap. XXIII. *De reditu Jesu ab Ægypto, et de morte Glasiræ.*

Archelaus vero non solum in accusatores suos, verum etiam in sibi subditos crudelius patre desævit. Cujus regni anno primo angelus dixit Joseph, ut rediret cum matre, et puero in terram Israel. Qui rediens ab Ægypto post annos septem, cum audiret quod Archelaus pro patre regnaret in Judæa, noluit illo ire. Et admonitus ab angelo ivit in Galilæam, et mansit in Nazareth (*Matth.* II). In hoc loco invenies super Matthæum, et Archelaum totius regni monarcham post patrem, et Herodem regnantem in Galilæa. Porro de infantia Salvatoris, et operibus ejus usque ad baptismum, non legitur in Evangelio nisi quod Lucas dicit duodennem remansisse in Jerusalem, et post triduum inventum a parentibus in medio doctorum audientem, et interrogantem eos (*Luc.* II). (43) Sane Archelaus in contumeliam generis sui repudiavit Mariannem fratris sui filiam, quam ei pater dederat uxorem, duxitque Glasiram, filiam regis Cappadocum, fratris sui Alexandri quondam uxorem, et mortuo Alexandro Jubæ regi Lybiæ nuptam, mortuoque Juba apud patrem modo in viduitate degentem. Quæ cum in Judæam rediisset nupta Archelao, videre visa est, astantem sibi Alexandrum, et dicere : Satis tibi fuerat Libycum matrimonium ; sed rursus reversa ad penates meos, fratri meo impudenter conjuncta es. Te ergo licet invitam recuperabo. Quæ exposito hoc somnio, vix biduum supervixit.

Additio 1. Dicitur ibi fons esse parvus, de quo puer Jesus hauriebat, et ministrabat matri, dum subditus erat ei.

Cap. XXIV. *De exsilio Archelai.*

Tandem crebro accusatus Archelaus, a Cæsare advocatur. Quinto quidem die priusquam vocaretur, aristas plenas, et maximas a bobus comedi somniarat, dumque ascitos magos consuleret, Simon Essæus genere, aristas annos, et boves rerum mutationes interpretatus est, eo quod agros arando verterent, et mutarent. Ideoque novem annis eum dixit regnaturum, varias autem expertum rerum mutationes, moriturum. Nono autem principatus sui anno Romam veniens a Cæsare damnatus, in exsilium pellitur apud Viennam civitatem Galliæ.

Cap. XXV. *De primo procuratore Judææ.*

(44) Finibus autem Archelai in provinciam redactis, procurator illuc missus est a Cæsare Coponius, qui et quondam Cyrini collega fuerat. Cum missus est Coponius in Judæam, censor patrimoniorum, multi sane Judæorum, et maxime quidam Galilæus Simon, populum increpabant, quod post Deum dominos ferrent mortales tributarii Romanorum. Coponio ergo procurante Judæam die Azymorum, cum mos esset media nocte templi portas aperiri, Samaritæ quidam occulte venientes Jerosolymam, per cunctas porticus, et per totum fanum, ossa jecerunt mortuorum, et extunc major templi custodia exerceri cœpit, et ante diem portæ non aperiri.

Additio 1. Provincia dicitur, terra proprie quæ incolitur ab his qui nati et nutriti ibi sunt. Colonia, quæ ab extraneis incolitur terra, ut in Samaria actum est.

Cap. XXVI. *De morte Augusti.*

(45) Eo tempore Philippus Sephorum reparans Juliam nominavit, in honorem Juliæ uxoris Cæsaris, Paneas quoque Cæsaream Philippi dixit. Coponio vero Romam reverso, successit Marcus ei, sub quo Saloma soror Herodis defuncta est. Sed et huic successit Annius Rufus, sub quo mortuus est Augustus, cum regnasset quinquaginta septem annos, et menses sex, et diebus decem ex quibus quatuordecim, vel duodecim annis Antonius cum eo regnavit. Cum enim quadragesimo secundo anno regni ejus natus esset Dominus, qui quinto decimo Tiberii anno tricenarius fuit, Cæsarem mortuum Domino quintum decimum annum agente. Quidam tamen quinquaginta sex, tantum annos regni ejus ponunt. Alii quinquaginta octo, dimidium annum, et dies qui secuti sunt pro anno ponentes. Mortuus est autem anno vitæ suæ septuagesimo septimo, apud Nolam civitatem Campaniæ, gloriatus se urbem

(43) Ex Josepho.
(44) Ex eodem.
(45) Ex eodem.

Digitized by Google

marmoream relinquere, quam latericiam invenerat, et sepultus est in Martio Campo.

CAP. XXVII. *De Tiberio imperatore, et Valerio procuratore Judææ.*

(46) Successit ei tertius Imperator Tiberius Nero, uxoris ejus Juliæ filius, qui Valerium Graccum procuratorem misit in Judæam, qui quæstum putans pietatem, palam vendebat sacerdotii principatum. Qui amovens Annam, Ismaelem pontificem designavit. Sed et hunc non multo post ejiciens, Eleazarum Annæ filium subrogavit post annum, et hunc arcens Simonem instituit, sed et post annum Josippum, qui et Caiphas, apposuit. Tamen post annos undecim relinquens Judæam Romam reversus est. Cujus successor missus a Tiberio Pontius Pilatus sub quo Herodes in honorem Tiberii Tiberiadem ædificavit.

CAP. XXVIII. *De odio Judæorum in Pontium Pilatum.*

(47) His temporibus Tiberius multos reges ad se vocatos non remisit. Inter quos etiam Archelaum Cappadocem retinens, regnum ejus in provinciam vertit, et Mazacham caput regni Cæsaream nominavit. Sane Pilatus Jerusalem veniens, et statuas Cæsaris, quæ et signis militaribus inerant, secum deferens ignorantibus Judæis eas in civitate constituit, Cæsareamque redlit. Cum autem plurimi de Jerosolymitis ad eum descendissent, supplicantes de signis amovendis, nam ob legem Judæorum, qui præcesserant Judææ procuratores sine signis urbem ingredi consueverant, sedit pro tribunali Pilatus, militesque armatos circumponens, mortem eis minabatur, si non quievissent. At illi mortem potius eligebant quam leges patrias profanarent. Admirans ergo Pilatus constantiam Judæorum in legalibus institutis, auferri præcepit imagines. Iterum Pilatus Jerosolymam veniens, vidensque urbem aquæ penuria laborare, aperuit gazophylacia templi, et ex opibus templo dicatis aquæductum cœpit ædificare, suscipiens initium torrentis, quod stadiorum duorum millium intervallo distabat. Judæi vero acclamabant, ut ab illo opere cessaretur. Ob hoc Pilatus multos Judæorum occidit plerosque sauciavit. Intermissum est autem opus, quia Judæi legationem accusationis in Pilatum ad Tiberium direxerunt.

CAP XXIX. *Testimonium Josephi de Christo.*

In hoc loco ponit Josephus commendationem Domini Jesu in hunc modum : « Fuit vero hisdem temporibus Jesus, sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium effector operum, et doctor eorum qui libenter quæ ventura sunt audiunt, et multos quidem Judæorum, multos etiam ex gentibus sibi adjunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis .cum Pilatus in crucem agendum esse decrevisset, non deseruerunt eum, qui ab initio dilexerant eum. Apparuit enim his iterum vivus, secundum quod divinitus inspirati prophetæ, vel hæc, vel alia de eo futura prædixerant. Sed et in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso dicti sunt, et nomen perseverat, et genus. »

CAP. XXX. *De baptismo Joannis, et principio sextæ ætatis.*

« Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, » sub Valeriano et Asiatio consulibus, « procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha Galilææ Herode, Philippo fratre ejus tetrarcha Iturææ, et Trachonitidis regionis, et Lysania Abylinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caipha, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto (*Luc.* III), » ut baptizans, et prædicans solatium redemptionis annuntiaret : « Et venit in omnem regionem Jordanis baptizans baptismo pœnitentiæ, » quia ad pœnitentiam baptizandos monebat, et non nisi quos pœnitentes videbat baptizabat, prædicans futurum baptismum in remissionem peccatorum, pro cujus assuefactione etiam baptizabat. Dicebat enim :« Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* III).» Usque ad hunc annum Tiberii quintum decimum computantur ab Adam anni quinque millia ducenti viginti quinque, secundum LXX, secundum Hebraicam veritatem quatuor millia. Anno vero Tiberii decimo sexto fuit annus jubilæus octogesimus primus. Eodem anno dicunt quidam sextam chiliadem incœpisse. Quorum ratio hæc est, quia sicut in hoc anno terminata est circumcisio, et inchoavit baptismus, ita sexta ætas incipit, et quinta terminata est. Quidam ab Incarnatione Domini initium ejus ponunt hac ratione, quia sicut sub quinta ætate generalis fiebat computatio, anno a prima olympiade tali, vel tali ; ita sub sexta dicitur anno ab Incarnatione Domini tali, vel tali. Alii a passione Domini eam inchoasse testantur, dicentes sextam et septimam quiescentium simul incœpisse. In chronica vero ab imperio Tiberii inchoata legitur. Utebatur autem Joannes cilicio de pilis camelorum, et zona pellicea, quodam locustarum genere esibili vescebatur, et melle silvestri. « Tunc exibat ad eum omnis Judæa, et baptizabantur in Jordane. Videns autem multos Pharisæorum, et Sadducæorum venientes ad baptismum, dixit eis: Progenies viperarum, quis vobis demonstrabit fugere a ventura ira? Facite dignos fructus pœnitentiæ, et ne dicatis : Patrem habemus Abraham, quia potest Dominus de lapidibus istis, » id est de gentibus significatis his lapidibus, « suscitare filios Abrahæ. » Digito autem ostendebat eis Joannes duodecim lapides quos tulerunt duodecim duces tribuum Israel de medio Jordanis in aridam, et totidem de arida in Jordanem, quorum acervus esset in testimonium, quia sicco pede Jordanem transierunt (*Josue* IV).

CAP. XXXI. *De tribus sectis Judæorum.*

Erant autem tunc in Judæa tres sectæ Judæorum,

(46) Ex historiis et Josepho.

(47) Ex iisdem.

Digitized by Google

a communi reliquorum vita et opinione distantes, Pharisæi, Sadducæi, Essæi. Pharisæi cultu austero, et victu perparco utebantur, traditiones suas statuentes, quibus traditiones Moysi determinabant, pittacia chartarum in fronte gerebant, et in sinistro brachio circumligata, quibus Decalogus inscriptus erat, quia dixerat Dominus : « Hoc habebis quasi appensum ante oculos tuos, et in manu tua (*Exod.* III), » et hæc dicebantur phylacteria a *phylassein*, quod est *servare*, et thorath quod *legem* sonat. Isti etiam majores fimbrias aliis ferentes spinas alligabant, quibus puncti in deambulando memores mandatorum Dei fierent. Hi universa Deo deputabant, et Marmeno, id est fato. Agere quidam quæ jussa sunt, vel negligere, in arbitrio hominum plurimum esse dicebant, tamen in singulis adjuvare Marmenem, quam etiam ex motibus superiorum fieri putabant. Præpositis suis et majoribus natu nunquam contrarium respondebant, judicium Dei esse futurum dicentes, omnem animam incorruptam esse, solas bonorum animas in alia transire corpora, usque ad resurrectionem et judicium ; malorum autem æternis retrudi carceribus. Et quia a communi hominum habitu divisi, ideo Pharisæi dicebantur. Sadducæi Marmenem negant, Deum inspectorem omnium esse dicentes, in arbitrio hominum situm esse ut bonum malumve gerant. Animarum generaliter, vel supplicia negabant, vel honores. Nam et resurrectionem mortuorum futuram negabant, animas mori cum corporibus putantes, nec angelos esse dicebant. Solos quinque libros Moysi recipiebant, et his contenti erant. Hi severi nimis erant, nec etiam inter se sociales. Ob quam severitatem Sadducæos, id est *justos* se nominabant. Essæi fere omnibus monasticam agebant vitam, nuptias fastidientes, non quia conjugia et hominum successionem perimendam censerent, sed cavendam intemperantiam feminarum, nullam earum fidem viro servare putantes. Habebant omnia communia, probro oleum ducentes, squalorem decus putabant, dummodo in veste candida semper essent. Nulla eis certa civitas, sed in singulis domicilia habebant, ante solis ortum nihil profanum loquentes, solem ubi oriebatur orantes, post usque ad quintam horam operantes, loti corpore aquis, simul et cum silentio edebant, juramentum habebant pro perjurio. Sectæ suæ neminem adhibentes, nisi sub anni probatione. Receptum autem secum, post annum, duobus aliis annis mores ejus probabant, deprehensum in peccatis a se pellebant, ut herbas more pecorum decerpens, usque ad obitum pœniteret. Cum enim decem simul sederent, nullus, novem invitis, locutus est, spuere in medium, vel in dexteram partem sui vitantes. Adeo Sabbatum observabant, quod nec ea die alvum purgabant. Dolabrum ferebant ligneum, quo in loco secretissimo fodiebant terram ad alvum purgandam, demissa veste se diligenter contegentes ne splendori diurno [*al.* divino] facerent injuriam : ob id etiam statim foveam reimplentes. Vivebant quam longissime ob victus simplicitatem, mortem pro justitia immortalitate judicabant meliorem, animas vero omnes a principio creatas, pro temporibus incorporari. Bonas exutas corporibus ultra Oceanum degere, ubi sit reposita eis perfruitio ad Orientem, malis procellosa, et hibernia loca delegantes. Erant in eis qui futura prædicerent. Quidam conjugibus, sed moderate utebantur : nam si homines abstinendum arbitrarentur, vel arctarentur a conjugio, humanum genus deficeret.

Cap. XXXII. *Quod Joannes confessus est se non esse Christum.*

Cum ergo baptizaret Joannes, « miserunt a Jerosolymis ad eum sacerdotes et Levitas, ut interrogarent eum : Tu quis es? » (*Joan.* I.) Et confessus est se neque Christum esse (quod opinio publica habebat), nec Eliam, nec prophetam. Et dixerunt : « Quid ergo baptizas? » Quæsierant de Elia, et sub nomine prophetæ, de Elisæo, quia in his duobus præcesserat figura baptismi, et de baptismo Christi legerant in prophetia Ezechielis : « Effundam super vos aquam mundam (*Ezech.* XXXVI). » Et ideo putabant ad alium non pertinere baptismum, et respondit : « Ego quidem baptizo in aqua, medius autem vestrum stat, quem vos nescitis; ipse baptizabit vos in Spiritu sancto, et igne; » in Spiritu in baptismo, in igne in pœnitentia *. « Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. »

* *Additio* 1. Potest figurari baptismus Joannis in capitilavio ante baptismum. In Sabbato ante Ramos palmarum, puerorum capita inungebantur oleo, et abluebantur, ut nulla macula ibi remaneret, ita in baptismo omnia peccata delentur, et hoc in signum faciebat.

Cap. XXXIII. *De Jesu baptizato.*

« Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo » (*Matth.* III). » Tres fuerunt causæ præcipuæ cur baptizatus est Jesus a Joanne : ut baptismum Joannis approbaret ; ut omnem humilitatem impleret, et implendam doceret ; ut tactu sui corporis vim regenerativam conferret aquis, etsi forte non statim. De vi enim et institutione baptismi triplex est opinio, ut in *Sententiis* habetur. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, id est tricesimum annum inceperat tredecim tantum diebus ejusdem anni peractis (*Luc.* III). Et secundum hoc vixit Jesus tantum triginta duobus annis, et dimidio ; quia eadem die revoluto anno convertit aquam in vinum, et sequenti Pascha, id est in Pascha tricesimi primi anni, incarceratus est Joannes, et in Pascha sequenti, id est tricesimi secundi anni, decollatus est, et in tertio Paschate, id est tricesimi tertii anni, passus est Dominus, et ita vixit Dominus triginta duobus annis integris, et de trigesimo tertio quantum fluxit temporis a Natali usque ad Pascha, quod pro dimidio anno computatur. Chrysostomus tamen dixit eum jam complevisse tricesimum annum, in homilia decima in Matthæum, sic dicens : « Post triginta annos venit

Digitized by Google

Jesus ad baptisma, legem veterem soluturus. Propterea usque ad hanc ætatem (quæ omnia solet capere peccata) in legis observatione permansit, ne quis diceret, illum ideo legem solvisse, quia ea non potuisset adimplere. » Et infra : « Per triginta annos justitiam legis adimpleverat, et tunc venit ad baptisma Evangelium docturus, quasi cumulum cunctis observationibus legis imponens. » Hoc tamen dixit Chrysostomus occasione illius verbi, quod dixit Dominus : « Sic decet nos implere omnem justitiam. » Et secundum hanc opinionem, vixit triginta tribus annis integris, et tantum de trigesimo quarto quantum est a Natali usque ad Pascha. Joannes autem prohibebat Jesum dicens : « Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me. » Cur dixit se baptizandum Joannes, si in utero sanctificatus, et mundatus erat ab originali, vel saltem in circumcisione? Sed per se genus humanum intellexit, quasi dicat : Homo per te debet mundari. Vel quantum ad plenitudinem mundationis, se adhuc mundandum dixit, quia si jam mundatus, et per sanguinem Christi plenius erat mundandus, sicut quis accepta efficaci medicina, per causam curatus dicitur, per effectus plenitudinem curandus. Cui Jesus : « Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem justitiam, » id est superabundantem humilitatem. Est enim debita humilitas, subdere se majori propter Deum; abundans, subdere se pari; superabundans, subdere se minori. Quasi dicat : Ideo modo subdo me tibi minori, ne dedignentur majores a minoribus baptizari, et regi. Quod intelligens Joannes consentit.

* *Additio* 1. Baptizatus est Jesus tertio lapide a Jericho.

Cap. XXXIV. *De Spiritu sancto, et voce Patris.*

« Factum est autem, cum baptizaretur » fere « omnis populus terræ illius, et Jesu baptizato, et orante » pro baptizandis, ut acciperent Spiritum sanctum *, « confestim ascendit Jesus de aqua, et ecce aperti sunt cœli (*Luc.* III), » id est inæstimabilis splendor factus est circa eum, acsi cœlo aereo, et sidereo reseratis, splendor cœli empyrei terris infunderetur. Et Spiritus sanctus in corporali specie columbæ venit, et sedit super caput ejus, quæ peracto officio suo, in præjacentem materiam rediit, unde sumpta fuerat. Et tunc cognovit Baptista quod dixit se ante nescisse, quod scilicet Christus solus baptizaret, id est potestatem baptismi retineret sibi, sed potestatem baptizandi aliis daret, qui eum miserat ante eum baptizare, cum solitariam duceret vitam, etiam dixerat ei : Quammultos baptizabis, sed inter illos « super quem videris Spiritum descendentem, et manentem, hic *solus* est qui baptizat in Spiritu sancto (*Joan.* I). » Et ecce vox Patris audita est de sublimi : « Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi (*Luc.* III). » Usque post vocem hanc creditur durasse splendorem, et columbam sedisse super caput ejus. Quod alius evangelista dicit : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit (*Matth.* III), » idem est sensus, id est in te et per te placitum meum gerere constitui.

* *Additio* 1. Ob hoc fuerunt hæretici qui dicerent solo die Epiphaniæ debere baptizari, nec dari Spiritum sanctum, si quis alio die baptizaretur. Ob quam hæresim vivacius exstirpandam, decreverunt Patres ea die neminem baptizari, nisi sub necessitate. Ubi nos dicimus : *Vis baptizari?* quidam dicunt : *Quid petis?* Et respondetur : *Fidem peto*, vel *baptismum peto*. Alii utrumque, et : *Quid petis*, et : *Vis baptizari?*

Cap. XXXV. *De Jesu jejunio, et tentatione.*

« Tunc Jesus ductus est a Spiritu » sancto, qui eum designaverat, « in desertum, et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit (*Matth.* IV). » Movebatur diabolus quadraginta dierum jejunio. Sciebat tot diebus aquas diluvii effusas, exploratam terram promissionis per Moysen, legem a Deo datam, filios Israel in eremo tot annis pane angelorum vixisse. Cum vero sensit Dominum esurire, quod non legitur de Moyse, vel Elia, accessit, ut tentaret, si posset eum dejicere in peccatum, et ut exploraret an esset Dei Filius, quia audierat vocem hanc, « Hic est Filius meus dilectus (*Matth.* III), » quem sciebat quandoque venturum, et se per eum potestatem amissurum, sed usque ad judicium futurum non exspectabat. Tentavit autem eum in eisdem tribus, quibus Adam dejecerat, sed non ordine eodem : Primo in gula, ut esuriens, panem videns, immoderato cibi appetitu accenderetur; secundo de avaritia, ubi super montem ostendit ei omnia regna mundi, id est exposuit ei gloriam mundi; tertio de superbia, ut jactanter se ostenderet Filium Dei. Tunc abjecit eum Dominus, et consummata omni tentatione ad quam venerat, recessit a Domino Lucifer ad tempus. Tempore passionis redit, timore mortis putans eum dejicere. Tunc autem omnino devictus, religatus est in inferno, in diebus Antichristi solvendus, secundum Apocalypsim Joannis (*Apoc.* XX). Credendus est autem diabolus hominis assumpsisse formam, in qua Dominum circumducere, et colloqui posset ei. Utrum autem extremo die jejunii solo omnes factæ fuerint tentationes, an per aliquot dies sequentes separatim, nihil interest nostra scire. Jejunavit autem Dominus in deserto, quod est inter Hierusalem, et Jericho *. Exemplo sane ipsius hic numeros dierum in Ecclesia pœnitentialis est, unde et post Epiphaniam non statim jejunat Ecclesia, sed circiter post sexaginta dies, quasi ipso tempore jejunium suum consecutivum jejunii Dominici significans. Ob hoc quoque, ut per pœnitentiam ostendamur ascendere ad requiem, sicut quadragenarius ascendit ad quinquagenarium. Est enim numerus superabundans, et congregatis omnibus suis partibus comparibus ascendit ad quinquaginta.

* *Additio* 1. Secundo lapide a Jericho, qui quarentana dicitur. Sub quarentana fuit rivulus fontis quem sanavit Elisæus. Secundo milliario a quaren-

Digitized by Google

tana contra Galilæam dicitur mons esse, super quem statuit diabolus Jesum.

CAP XXXVI. *De prima vocatione discipulorum.*

Quadam die stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo, quorum unus erat Andreas, et videns Jesum ambulantem, dixit : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » Ob hoc illi duo discipuli ejus secuti sunt Jesum, ut viderent ubi maneret, et manserunt apud eum die illa. Inveniens autem Andreas Simonem fratrem suum, dixit ei : « Invenimus Messiam, quod est interpretatum *Christus*, » Christus Græce, Latine *unctus*. « Et duxit eum ad Jesum. Intuitus eum Jesus dixit : Tu es Simon Barjona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur *Petrus*. » Barjona Hebræum est, et sonat *filius Joanna*, compositum ex integro, et corrupto. Cephas Hebræum est, et Syrum. Petrus Græcum et Latinum. Utrum autem hoc nomen tunc ei imposuerit, an promiserit imponendum, dubium est. Tutius tamen dici potest, quod tunc et imposuit hoc nomen omnino cum dixit : « Tu es Petrus (*Matth.* XVI). » Vel in electione duodecim, ubi dicitur : « Et imposuit Simoni nomen Petrus (*Matth.* X). » Si vero modo imposuit, in sequentibus confirmavit. In crastino volens Jesus redire in Galilæam, invenit Philippum, et dixit ei : « Sequere me. » Hic erat de Bethsaida concivis Andreæ et Petri. Hic inveniens Nathanaelem fratrem suum, dixit ei : « Quem scripsit Moyses in lege, et prophetæ, invenimus Jesum, filium Joseph, a Nazareth. » Et ait Nathanael : « A Nazareth potest esse aliquid boni? » despective, quasi non, ve remissive legitur. Iste enim legisperitus legerat in prophetia : « Nazaræus vocabitur (*Isa.* XI) *, » et signa adventus Domini forte notaverat, et ait : « A Nazareth potest aliquid boni esse, » quasi diceret : Nunc tandem a Nazareth potest aliquid esse boni. « Et adduxit eum Philippus ad Jesum. Quo veniente ad se ait Jesus : « Ecce vere Israelita in quo dolus non est. Et dixit Nathanael : Unde me nosti? Respondit Jesus : Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Respondit Nathanael ei : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel, » quia agnovit iste, Dominum absentem vidisse, quæ solus gesserat, et quomodo, et ubi a Philippo vocatus sit, Christum, et Deum fatetur. Tamen quidam de prædestinatione exponunt hoc ita : Cum eras in lumbis Adæ, latentis sub ficu, prius et etiam prædestinavi te. Et regressus est Jesus in Galilæam.

* *Additio* 1. Quare Agnum vocavit, determinat subdens, qui tollit, id est venit ut tollat, peccata mundi, quia pro peccatis tollendis « pascha nostrum immolatus est Christus (*I Cor.* V). » Vel quia agnus Græce dicitur ab agnon, quod est pium, vel Latine ab agnoscendo, quia in magno grege solo balatu agnoscit matrem. Ideo proprie pro passione Agnus dicitur, quia ibi pius donans nobis pacem, agnovit Patrem obedientia, et Matrem cura. Et hæc est una causa cur in immolatione altaris dicitur ter Agnus Dei, quasi : Agne, qui agnovisti Patrem, miserere nobis; Agne, qui agnovisti Matrem, miserere nobis; Agne, qui obtulisti te pro nobis, dona nobis pacem.

** *Additio* 2. « Et egredietur virga de radice Jesse, et Nazaræus vocabitur, » id est floridus, quod alia editio dicit, « Et flos de radice ejus ascendet. »

CAP. XXXVII. *De variis opinionibus historiæ.*

Hucusque idem est ordo historiæ evangelicæ apud omnes. Deinceps variæ ordinantur, usque ad incarcerationem Joannis. Quidam dicunt, quod circa proximum pascha post baptismum, convertit Dominus aquam in vinum, ideo quia Joannes, consequenter post hoc miraculum, narrat eum ascendisse in Hierusalem, et ejecisse ementes, et vendentes de templo (*Joan.* II), quod nunquam ab eo factum dicunt, nisi in pascha. Sed eis obviat Ecclesiæ consuetudo, quæ in Epiphania factum esse tenet, quotannis solemnizando memorat. Fuerunt etiam qui dicerent, quod eadem die, qua baptizatus est, fecerit hoc miraculum. Sed Matthæus ait : « Tunc Jesus ductus est in desertum (*Matth.* IV), » et Marcus : « Statim expulit Jesum Spiritus in desertum (*Marc.* I). » Habet enim Ecclesia, quod eadem die, sed revolutis annis hæc tria facta sunt. Adventus magorum tredecima die primi anni; baptismus eadem die tricesimi anni, vel tricesimi primi anni; mutatio aquæ eadem die revoluto anno *. Unde Maximus episcopus in sermone, qui sic incipit : Cum plura nobis, fratres, etc. Sic ait : Sicut posteritati suæ fidelis mandavit antiquitas, hodie Salvator a Chaldæis adoratus est, hodie fluenta Jordanis benedictione proprii baptismatis consecravit, hodie invitatus ad nuptias aquas vertit in vinum. Unde et in antiquioribus libris dies Epiphaniorum, id est plurium illustrationum Christi. Epiphania enim *illustrationem* sonat. Has tres tamen manifestationes propriis quidam nominibus distinguunt, epiphaniam vocantes eam illustrationem, quæ facta est per stellam, quasi de sursum factam; theophaniam eam, quæ in baptismo, quasi a Deo id est a Patre factam; Bethaniam eam, quæ in nuptiis, quasi in domo factam. Beth enim *domus* sonat. Verumtamen adhuc restat inter summos et catholicos doctores de ordine historiæ duplex opinio. Quidam enim scribentes unum ex quatuor, imitantes Ammonium Alexandrinum, Eusebium Cæsariensem, Theophilum, qui septimus a Petro sedit Antiochiæ, qui dicunt Dominum post jejunium aperte prædicasse, discipulos congregasse, et sermonem in monte factum, ante vini miraculum, quia legunt Dominum, et discipulos ejus invitatos ad nuptias. Communior autem et veracior opinio est, Dominum post illud miraculum discipulos vocasse occulte, et occulte prædicasse, usque ad Joannis incarcerationem, sed post publice, et hunc ordinem prosequemur, sine alterius ordinis præjudicio.

* *Additio* 1. Beda dicit, quia post revoluto anno eodem die, fecit miraculum de quinque panibus, et duobus piscibus (*Joan.* VI).

Digitized by Google

CAP. XXXVIII. *De mutatione aquæ in vinum.*

« Et factæ sunt nuptiæ in Cana Galilææ, » id est in vico Galilææ sic dicto, « et erat mater Jesu ibi. Et vocatus est Jesus ad nuptias, et discipuli ejus, » quidam scilicet futuri discipuli, quia ad verbum Joannis jam plures audiebant eum occulte, qui post omnino secuti sunt eum. Non est vocatus Joseph, sed Maria. Unde quidam dicunt Joseph fuisse mortuum, et Virginem transisse in custodiam filii, quia nec etiam dcinceps legitur de eo in Evangelio. Quod si nondum mortuus, tamen certum est quod in passione Domini mortuus erat, quia uxor ejus alii commendata est. Quidam autumant has nuptias fuisse Joannis evangelistæ, et ideo vocata Maria, quia matertera ejus, et Dominus, quia consobrinus ejus. Et dicunt, quod Dominus eum volentem nubere, ex his nuptiis vocaverit, quod certum non est. « Et deficiente vino, dixit mater Jesu ad eum : Vinum non habent, » quasi dicat : Da eis vinum. « Respondit Jesus : Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. » Licet mulier sit quasi adjectum nomen fractionis quasi molier, tamen quandoque nomen sexus est, maxime quando virgo viri potens est. Et est sensus : Vis fieri miraculum, sed ad hoc agendum, quid habeo tecum commune ? quasi diceret : Ex natura tibi communi non ago hoc, sed in hora passionis, quæ nondum venit, ex communi natura mihi, et tibi patiar. Nec est credendum, secundum geneaticos, hoc dixisse Dominum, qui putant unumquemque horam suam mortis habere inevitabilem, secundum horam constellationis, in qua natus est, sed vocavit horam suam, id est a se dispositam. Voluntate enim mortuus est, non necessitate. Erant autem ibi sex lapideæ hydriæ, id est vasa aquatica, positæ, secundum purificationem Judæorum. Crebro Judæi baptizabant vasa epulatoria, et si casu aliquid tangerent immundum, nisi loti non comederent. Erant ergo positæ, ut si forte contigisset aliquem de convivis oportere lavari, aquam haberent paratam. « Impleverunt autem eas ministri aqua ad præceptum Domini, et tulerunt aquam vinum factam architriclino, » id est primati inter convivantes in triclinio. Triclinium quidam dicunt fuisse domum tricameratam, vel tres habentem testudines, sub quibus discumbebant. Vel forte tres erant ibi mensarum ordines, ut in refectoriis fieri solet. Et commendavit architriclinus vini bonitatem. Post in communi commendaverunt omnes miraculi novitatem. « Hoc enim initio signorum manifestavit Jesus gloriam suam. » Nec dicitur hoc esse initium, quin et prius signa fecisset, nascendo de Virgine, magos stella prævia ducendo, quadraginta diebus et noctibus jejunando, et hujusmodi. Sed hoc fuit primum publice, et ad publicandum factum, vel primum factum in Cana Galilææ.

CAP. XXXIX. *De instructione Nicodemi.*

« Erat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, et de principibus Judæorum. Hic venit ad Jesum nocte (*Joan.* III), » quia timuit populum offendere, cum esset de principibus. Vel quia magister erat in Israel, palam dicere erubuit. Et ait ad Jesum : Rabbi, scimus « quia a Deo venisti magister ; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo, » quasi dicat : Doce me de regno Dei. « Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non poterit videre regnum Dei. » In Veteri Testamento quasi juramentum erat : « Vivit Dominus. » In novo : « Amen dico, » et cum in aliis simpliciter dicatur, in solo Joanne geminatur, secundum illud : « Sit sermo vester, est, » quasi diceret, verum dico corde et ore. Cumque miraretur Nicodemus, quomodo posset homo secundo nasci, cum nonnisi carnalem nativitatem sciret, edoctus est a Domino de spirituali, quæ fit ex aqua, et Spiritu, quarum neutra iterari potest. Tamen quia adhuc inflatus erat magistrali scientia non poterat intelligere, ideo meruit audire : « Tu es Magister in Israel, et hæc ignoras, » ut sic invitaret eum ad humilitatem. Instruxit etiam eum de humana, et divina sui nativitate, de passione et ascensione, et de pluribus aliis. Quod autem dixit : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, » sensus est : Nemo ascendit nisi Christus cum corpore suo. Vel secundum tropum, quo dicimus, Dominum facere, quæ per eum facimus. Et est sensus : Nemo ascendit nisi quem Deus ascendere facit.

CAP. XL. *De prima ejectione ementium, et vendentium in templo.*

« In proximo pascha ascendit Jesus Hierosolymam, et ejecit vendentes et ementes (*Joan.* II), » hoc enim bis fecisse creditur. Et post illud pascha incarceratus est Joannes. Ait enim Joannes evangelista : « Quia cum post hoc pascha rediisset Jesus in Judæam adhuc erat Joannes baptizans in Ænnon (*Joan.* III). » Interim autem priusquam ascenderet in pascha, quosdam vocavit discipulos, et docuit, et miracula fecit, sed non adeo publice. « Sane ibat Jesus justa mare Galilææ (*Matth.* IV). » Lacus est, qui fit Jordane influente, et dicitur mare, cum sit aqua dulcis, idiomate Hebræo, quia omnem aquarum collectionem vocat Hebræus Tharsis, id est mare ; et dicitur Galilææ, quia præterfluit Galilæam. Quandoque mare Tyberiadis dicitur, quia famosa est civitas hæc, quæ ei imminet. Quod autem dicitur stagnum Genesareth, ex accidenti est. Quandoque enim crispantibus undis, generat ex se auram. Extenditur autem centum et quadraginta stadiis in longitudinem et quadraginta in latitudinem. Dicit tamen Josephus, eum sic dictum a modica regione Genesata, quam præterfluit, quam etiam dicit admirabilem. Nam tota diversissimi generis arbustis consita, nulli eorum ubertatem suam negat, et temperiem. Sunt ibi nuces, quæ maxime frigoribus gaudent, sunt et palmæ quas nutrit calor æstivus, sunt ficus et oleæ, quibus aura mollior destinata est, ut quasi repugnantia bona contentione, studio terræ faveant. Hanc dicit irrigari fonte qui

Digitized by Google

cadit in Capharnaum, quem quidam esse venam Nili opinantur, quia coræstinum piscem generat qui non alibi, nisi in Nilo flumine reperitur.

CAP. XLI. *De secunda vocatione discipulorum.*

« Dum autem turbæ irruerent in eum, vidit duas naves stantes secus stagnum, et ascendens in unam, quæ erat Simonis, pusillum reductus a terra, docebat de navicula turbas ; ut autem cessavit loqui ait ad Simonem : Duc in altum ; et : Laxate retia in capturam. Quo facto concluserunt multitudinem piscium tantam, quod fere rumpebatur rete, innuerunt Simon, et Andreas filiis Zebedæi, qui erant in alia navi, ut venirent, et juvarent eos, et impleverunt ambas naves, ita ut fere mergerentur. Quod videns Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, et ait : Exi a me, Domine, quia peccator sum. Cui Dominus : Noli timere, quia ex hoc eris homines capiens, et subductis ad terram navibus, » id est locatis animo redeundi ad eas, « secuti sunt eum » aliquantulum, et iterum redierunt ad sua (*Luc.* v).

CAP. XLII. *De eo quod Dominus legit in Nazareth.*

Jesus autem venit in Nazareth, et die Sabbati, quando plures conveniebant, intravit in synagogam, ut plures doceret (*Luc.* IV). Et cum legisset in Isaia : « Spiritus Domini super me, etc. (*Isa.* LXI), » dixit, quia « hodie completa est Scriptura hæc in auribus vestris. » Quasi dicat : Ego sum de quo scriptum est hoc, et omnes intendebant in eum.

CAP. XLIII. *Quod discipuli baptizabant, et Joannes.*

Post hæc venit Jesus, et discipuli ejus in Judæam terram, quæ scilicet specialiter a sorte Judæ, vel a regno duarum tribuum specificato vocabulo Judæa dicebatur, et morabatur ibi cum discipulis, et baptizabat, licet non ipse, sed discipuli ejus baptizarent (*Joan.* IV). Sed utrum baptisma Joannis, vel Christi incertum est. « Erat autem Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi. Nondum enim missus fuerat in carcerem Joannes (*Joan.* III). » Salim vero est oppidum ultra Jordanem situm, ubi olim Melchisedech regnavit. Mittebat etiam Joannes multos venientes ad se ad Jesum. Inde turbati discipuli Joanni dixerunt : « Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. » Quorum retundens invidiam Joannes ait : « Vixi vobis, quia non sum ego Christus ; sed quia missus sum ante illum, qui de sursum venit super omnes est. Me ergo oportet minui, illum autem crescere (*ibid.*). » Ut autem cognovit Jesus invidiam illorum, ascendit ad diem festum Paschæ, de quo supradictum est. Sed et ibidem quia præsensit ortam in se Pharisæorum invidiam, maxime cum audisset Joannem traditum in carcerem, reliquit judæam, et iterum abiit in Galilæam.

CAP. XLIV. *Cur Joannes incarceratus est.*

Arguebat enim Herodem Joannes propter Herodiadem, quia secundum legem, quam receperat, non licet fratrem habere uxorem fratris, eo vivente (*Marc.* VI). Super Matthæum legitur, quod Herodias filia erat regis Arethæ, quam auferens Philippo, ortis inter eos quibusdam simultatibus, in odium Philippi dederat fratri Herodi, quia et fratres invicem erant inimici. Josephus tradit Herodiadem fuisse filiam Aristoboli, quem occiderat cum fratre ejus Alexandro pater eorum Herodes, et ita soror erat Herodis Agrippæ, quam avus suus Herodes dederat Herodi filio suo uxorem. Dicit enim, alium fuisse Herodem præter tetrarcham, quem pater susceperat de filia Simonis sacerdotis, Philippum vero jam mortuum cum Gaius regnare cœpisset. Forte et hic Herodes nominabatur Philippus, quia binomius, et ita virum ejus, quem Josephus vocat Herodem, Evangelium vocat Philippum, vel forte prius nupta Herodi, post nupta Philippo. Herode vero tetrarcha uxorem habebat filiam Arethæ regis Damascenorum. Qui Romam iter faciens, transiens per fratrem suum, secreto pepigit cum uxore fratris, quod in reditu suo, repudiata uxore sua, duceret eam in uxorem. Quod tamen non latuit uxorem ipsius Herodis, quæ non exspectans reditum viri sui, festinavit ad patrem. Herodes autem rediens, abstulit Herodiadem fratri suo, et factus est inimicus Arethæ, et Philippi. Super quo cum argueret eum Joannes, suggestione Herodiadis, misit eum in carcerem. Quod cum audisset Jesus venit, et habitavit in Capharnaum in finibus Zabulon et Nepthalim (*Matth.* IV).

CAP. XLV. *De tertia vocatione discipulorum.*

« Ambulans autem iterum Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem et Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare, et ait illis : Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo, relictis retibus et navi, secuti sunt eum, » omnino. « Et procedens inde, vidit duos alios fratres Jacobum, et Joannem reficientes retia sua, cum Zebedæo patre eorum, et vocavit eos. Illi autem, relictis retibus, et patre, secuti sunt eum » omnino (*Matth.* IV). « Et cum transisset inde Jesus, vidit Matthæum, qui et Levi dictus est, filium Alphæi sedentem ad telonium, et ait illi : Sequere me. Qui, relictis omnibus, secutus est eum (*Matth.* IX). » Telos Græce, Latine *vectigal*. Iste ergo erat publicanus (*Luc.* V), id est publica negotia administrans, quæ sine peccato, aut vix, aut nunquam administrantur.

Et nota a quibus, et qualibus orta est Ecclesia : si a sublimibus orta esset, virtus fidei scientiæ eorum, et potentiæ ascriberetur. De vocatione reliquorum determinatum non habemus.

CAP. XLVI. *De aperta prædicatione, et miraculis Domini.*

Et aperte exinde prædicabat, dicens : « Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV). » Unde, et post dixerunt sacerdotes ad Pilatum : « Commovit universam Judæam, incipiens a Galilæa, usque huc (*Luc.* XXIII), » et sic impletum est illud Isaiæ : « Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nepthalim (*Isa.*

Digitized by Google

xi). » Unde, et primitivi conversi a Domino, quia fuerunt de finibus illis, dicti sunt principes Zabulon, et principes Nephtalim. Isaias siquidem prophetavit de captivitate decem tribuum, quæ in tribubus illis inchoata est. Nihilominus tamen, et de alleviatione ab onere peccati, futura in partibus illis ad prædicationem Christi, prædixit. « Et circumibat Jesus totam Galilæam docens in synagogis eorum, et sanans omnem languorem in populo, et abiit opinio ejus in totam Syriam (*Matth.* iv). » Est autem Syria, omnis regio ab Euphrate, usque ad mare Magnum, a Cappadocia, usque in Ægyptum, continens inter alias provincias Palæstinam in qua Judæi habitabant : unde, et super psalmos Thabor et Hermon dicuntur montes Syriæ (*Psal.* lxxxviii). Quandoque vero sic legitur Syria quod nullam includit partem Judææ, et secutæ sunt eum turbæ multæ diversarum regionum. Quas cum vidisset Jesus ascendit in montem.

Cap. XLVII. *De electione duodecim apostolorum.*

Et cum sedisset, vocavit ad se quos voluit ipse, et fecit ut essent cum illo duodecim, quos et apostolos, id est missos, nominavit : Simonem quem agnominaverat Petrum, et Andream fratrem ejus, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus. Et imposuit his duobus nomina Boanerges, id est filii tonitrui, quia unus eorum intonuit dicens : « In principio erat Verbum (*Joan.* i). » Et ambo saepe terrificam vocem Patris audire meruerunt : Philippum, et Bartholomæum, Thomam, et Matthæum publicanum *, Jacobum Alphæi, et Taddæum fratrem ejus, qui et Judas cognominatus est, quem Lucas Judam Jacobi vocat, qui tertio nomine dictus est Lebæus, Simonem Chananæum, et Judam Iscariotem (*Matth.* x). In hoc catalogo nomina apostolorum combinata, quasi parium, ponuntur non satis nota causa. Quare vero Jacobus Alphæi posterior numeretur Jacobo Zebedæi, et minor dicatur, et ille major, cum prærogativa sanctitatis suæ factus sit ab apostolis postea archiepiscopus Jerosolymorum, et senior fuerit, merito quæritur. Ad quod melius videndum dicimus, quod Anna ** mortuo Joachim, de quo susceperat Mariam virginem, quæ data est in uxorem Joseph genero suo, nupsit Cleophæ fratri ipsius Joseph, de quo post susceptam filiam, vocatamque Mariam, ded it in uxorem Alphæo, de qua nati sunt Alphæo quatuor consobrini Domini, Jacobus, Simon et Judas apostoli, et Joseph, qui et Barsabas, qui pro Juda post cum Mathia electus fuit Et hi quatuor præ cæteris consanguineis dicti sunt fratres Domini ; quia non solum cognati, sed et agnati ejus putabantur, tanquam ex duobus fratribus Joseph, et Cleopha descendentes. Inter quos tamen quasi antonomastice Jacobus dictus est frater Domini, quia quam simillimus fuit ei in facie. Item mortuo Cleopha, Anna nupsit viro tertio, scilicet Salome susceptamque ex eo filiam, sicut et alias prius, vocavit Mariam. Et hanc duxit Zebedæus, habuitque ex ea filios, Jacobum majorem et Joannem, qui licet posterior natu, major tamen dictus est, quia prius vocatus est a Domino, et prius adhæsit ei. Quod Romana servat Ecclesia, ut singuli in ordinibus suis priores, sint prius ordinati. Ita dicit Hieronymus. Alii vero videntes mulieres agnominari solere a nominibus virorum, ut Marcia Catonis, dixerunt priorilus viris mortuis, has duas Marias nupsisse Cleophæ et Salome, vel priores viros fuisse binomios, et dictum Zebedæum Cleopham, Alphæum Salomam.

* *Additio* 1. Ante electionem apostolorum quidam ponunt, de sanatione dæmoniaci in synagoga apud Marcum, et de socru Petri, et de sanatione multorum in vespera, et de Scriba, qui accessit in via, et de dormitione Christi in navi, et de dæmoniacis Gerasenis, et paralytico demisso per tectum, et de vocatione Matthæi et de convivio Levi, et de filia Jairi, et Hæmorrhoissa, et duobus cæcis, et dæmoniaco muto, de quibus solus Matthæus.

** *Additio* 2. Non fuit Anna Nazaræa, sed de Sephori circiter duo milliaria a Nazareth.

Cap. XLVIII. *De sermone Domini in monte.*

« Et elevatis oculis in discipulos, docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum, etc. (*Matth.* v; *Luc.* vi). » Hunc sermonem Matthæus, et Lucas varie narrant. Ob hoc quidam tradunt Dominum prius eum fecisse discipulis in supercilio montis sedendo, post in latere montis communiter discipulis, et turbis stando *. Alii vero tradunt nonnisi unum sermonem factum communiter discipulis et turbis. Quod autem horum verum sit, non multum interest nos scire, sicut nec scire interest, an mons in quo hæc facta sunt fuerit Thabor, an alius mons in Galilæa. Sermonem quidem hunc a Domino ad discipulos factum, legimus in Matthæo et Luca tantum.

* *Additio* 1. Sed dicitur quod secundo milliario a Capharnaum est descensus montis, ubi factus est sermo Domini et leprosus mundatus,

Cap. XLIX. *De Oratione Dominica.*

Huic sermoni interseruit Dominus Orationem Dominicam, quæ octo partes habet (*Matth.* vi) : prima est captatio benevolentiæ, quam sequuntur septem petitiones et diriguntur ad Deum Patrem, a quo petimus nobis dari panem nostrum supersubstantialem, id est Filium. Nam et Christus docuit nos ad petendum a Patre in nomine suo. Tres primæ petitiones spectant ad vitam futuram, sicut : « Sanctificetur, » id est firmetur in nobis, « nomen tuum. » In hac vita quasi mobile est nomen patris ad filios, quia et Juda quandoque fuit Dei filius, quandoque non ; pro qua etiam possibilitate movenda, dixit Apostolus : « Timeo ne et ego ipse reprobus inveniar (*1 Cor.* ix). » In patria enim apparebunt filii, et immutabiliter erit Deus Pater eorum. « Adveniat, » id est ad te videndum veniat, « regnum tuum. » ut sit regnum in regno. « Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra, » quasi, sicut cœlestis Ecclesia nihil potest velle, nisi quod scit te

Digitized by Google

velle, ita et illa, quæ adhuc militat in terra, abdicatur voluntati tuæ. Quatuor quæ sequuntur ad militiam hujus vitæ spectant, scilicet « panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie, » id est Christum, qui est supersubstantialis, id est super omnes substantias, et est panis noster in altari. Vel sunt duæ dictiones « super substantialem, » et et est sensus : « Da nobis hodie, » id est in præsenti tempore ; « panem nostrum, » id est Christum, qui proprius est fidelium, et hoc super panem, id est præter panem substantialem, id est necessarium, ad sustentationem ; quasi : Da nobis utrumque panem, animæ et corporis. Lucas posuit « quotidianum (*Luc.* xi), » quod de viatico tantum exponitur. Græcus habet epiusion ; Hebræus vero sogolla, id est *præcipuum*, vel *egregium*, vel *peculiarem*. Ob hoc forte Lucas videns Matthæum dixisse sogolla, quod sonat *peculiarem*, dixit « quotidianum. » Græcus vero interpres Matthæi, quia vidit eum dixisse sogolla, quod sonat *egregium*, dixit epiusion. Tres quæ sequuntur patent. « Amen. » Hebræus in fine ponit unam ex his tribus, amen, sela, salem, quæ sonat, *vere semper pacem*.

CAP. L. *Quod discipuli missi sunt cum potestate curandi.*

« Dum consummasset Jesus verba hæc, convocatis discipulis duodecim dedit eis potestatem ejiciendi spiritus immundos *, et curandi omnem infirmitatem, et misit eos prædicare regnum Dei, et ait : Nihil tuleritis in via, neminem salutaveritis, » scilicet sicut alii, qui non ex studio optandi salutem, consueverunt salutare. « In viam gentium ne abieritis, nec in civitates Samaritanorum intraveritis ; gratis accepistis, gratis date Non portabitis pecuniam, non panem, non duas tunicas, id est superfluas, non calceamenta, non virgam **. » Secundum Marcum vero soleis, vel sandaliis uti jussi sunt, id est peronibus, et virgam ferre, quæ pro potestate accipiendi necessaria ponitur (*Marc.* vi). « Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum ; qui vos recipit, me recipit (*Matth.* x). »

* *Additio* 1. Inde est quod Draco sequitur tertia die Rogationum. Hic primo destruitur potestas diaboli, cum homini datur potestas super eum.

** *Additio* 2. Inde est quod diaconus sumpto codice de altari, sub silentio transit inclinans, donec in ambone salutat populum, quasi intrans domum cui offert pacem, nec portat pulvinar, id est solatia vitæ, sed alius fert ei. Nec obest, quod pulvinar significat onus Evangelii leve. Forte inde est quod diaconus non dicit : *Dominus vobiscum*, nisi cum legit Evangelium, nisi raro. Raro dicitur propter diaconos cardinales, vel benedictionem cerei.

CAP. LI. *De curatione leprosi.*

Cum autem descendisset Jesus de monte, tetigit leprosum, quasi jam solvens figuras, et sanavit eum dicens : « Volo, mundare (*Matth.* viii). » Et addidit : « Vide nemini dixeris, » quasi dicat : Vide quam manifeste, et plene mundatus es. Nemini dixeris, id est nemini necesse habes dicere, adeo res evidens est, sed « ostende te sacerdoti (*Luc.* v), » ad cujus arbitrium revocandus es. Ecce alios nondum decet solvere legem, sanatus tamen ubique prædicavit.

CAP. LII. *De servo centurionis.*

Dum autem intrasset Capharnaum, rogavit eum centurio per interventum seniorum Judæorum, ut sanaret puerum ejus paralyticum (*Matth.* viii). Et ait Jesus. « Veniam, et curabo eum. » Venit autem potentia sanandi, non corpore Et ait centurio : « Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus, » quia et ego solo verbo per ministros meos operor. Forte idola habebat in domo, et immunda Judæis. Et sequentibus se Jesus dixit : « Non inveni tantam fidem in Israel, » subaudi, hujus temporis, nec includuntur in nomine Israel, sequentes eum, quia ad eos loquebatur, quantum in hoc gentili. « Et sanatus est puer in illa hora. » Et ingressus synagogam Sabbato docebat eos, et ibi ejecit ab homine spiritum immundum, clamantem : « Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene ? venisti perdere nos ? scio quod sis Sanctus Dei (*Luc.* iv). »

CAP. LIII. *Se socru Petri.*

« Et cum venisset Jesus in domum Petri, » quam forte habebat in Capharnaum per uxorem, ipse enim erat de Bethsaida, ad petitionem discipulorum, sanavit socrum Petri febricitantem (*Matth.* viii).

CAP. LIV. *De Filio viduæ.*

Dum autem iret in civitatem Naim, quæ est in Galilæa, suscitavit ante portam filium viduæ, tangendo feretrum, et dicendo : « Tibi dico, surge (*Luc.* vii). » Vespere facto, obtulerunt ei energumenos, et male habentes, et sanavit omnes, et voluit ire trans fretum (*Matth.* viii). Et dixit ei unus Scriba : « Rabbi, sequar te, quocunque ieris. » Volebat sequi Dominum, ut disceret signa facere ad lucrum, et ideo non auditur a Domino. Dixit autem Dominus alteri : « Sequere me. » Qui respondit : « Domine, permitte me primum sepelire patrem meum. Cui Jesus : Dimitte mortuos, » in peccatis scilicet, « sepelire mortuos suos. Tu vade, annuntia regnum Dei (*Luc.* ix). » Non prohibuisset Dominus Jesus hunc a sepultura, si non essent alii, qui sepelirent. Et ait alter : « Sequar te, Domine, sed primum permitte me renuntiare his, qui domi sunt. Cui Jesus : Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro aptus est regno Dei. »

CAP. LV. *Quod excitatus imperavit ventis et mari.*

Tunc ascendit Jesus in naviculam, cum discipulis suis, et dormivit in puppi super cervical, et orta tempestate, excitatus a discipulis, imperavit vento et mari dicens : « Tace, et obmutesce (*Marc.* iv); » et cessavit tempestas. Non per errorem hæreticorum imperavit eis, tanquam animantibus, qui occasione hujusmodi verborum, quod omnia leguntur

Digitized by Google

obedire Deo, dogmatizaverunt omnia animata esse. Sed dicuntur ei obedire inanimata, quia solo verbo facit de his, quæ vult, secundum quem loquendi modum solet dici, materia languoris obediens, vel inobediens medicinæ.

CAP. LVI. *De duobus obsessis a legione.*

Dum autem venisset trans fretum, in regione Gerasenorum, quæ est contra Galilæam, occurrerunt ei duo arreptitii, sævi nimis, quorum unus adoravit, et dixit : « Quid nobis, et tibi, Jesu fili Dei ? venisti ante tempus torquere nos (*Marc.* v). » Nesciebant dæmones eum Dei Filium, sed suspicabantur pro miraculis et testimonio Patris. Torqueri autem se dicebant, quia cogebantur exire, et cessare a læsione. Dicebat enim illi Jesus : « Exi, spiritus immunde. » Sciebant autem in judicio se torquendos in abyssum. Cumque Domino quærenti nomen suum, dixisset, se vocari legionem, non quod sic vocaretur, sed quasi dicat : Frustra quæris nomen, quia plures sumus, rogabant eum, ut mitteret eos in gregem porcorum, qui juxta pascebantur. Et intrantes porcos, præcipitaverunt eos in mare. Indigenæ autem rogaverunt eum, ut transiret a finibus eorum. Cumque ascenderet navim, sanatum, licet rogaret, noluit secum ducere. Et redit Capharnaum, quam Matthæus vocat civitatem suam (*Matth.* IX), non origine, sed gente, quia quælibet civitas Galilææ potest dici civitas Galilæorum.

CAP. LVII. *De Paralytico demisso per tectum.*

Et sanavit paralyticum ante se demissum per tegulas, primo remittens peccata ejus (*Luc.* v), quæ fuerant causa morbi, quia quod ob causam fit, cessante causa cessare debet effectus. Et propter Scribas, et Pharisæos, qui putabant eum blasphemasse, dixit paralytico, ut surgeret, et tolleret lectum suum. Et surrexit, et tulit, et abiit. Quia ergo constat, quod pro peccatis quandoque ægrotat homo, medicus visitans ægrum, primo debet eum monere ad pœnitentiam, et confessionem, ne peccato manente, tanquam ferro in vulnere, frustra sit malagma apponere.

CAP. LVIII. *De puteo Samaritanæ.*

Dum autem ascendisset in Judæam, et iterum rediret in Galilæam, oportebat eum transire per Samariam, id est per regionem, cujus caput fuerat Samaria (*Joan.* IV). Civitas ergo nomen antiquum amiserat, et dicebatur Sebaste, sed regio nomen illud retinuerat. Veniens autem juxta Sichem, quæ corrupte Sichar dicebatur *, et erat puteus in prædio, quod emit Jacob a rege Hemor, quod et dedit filio suo Joseph, et fatigatus ex itinere sedit super puteum Jacob, qui hactenus sic vocatus fuerat : ex eventu, qui sequitur, post agnominatus est puteus Samaritanæ. Sunt qui dicunt locum illum esse umbilicum terræ nostræ habitabilis, quia singulis annis quadam die æstatis meridiana hora sol descendit in aquam putei, nusquam faciens umbram, quod philosophi apud Sienem fieri tradiderunt. Ideo enim dictum putant in Deuteronomio : « Constituit eum super excelsam terram (*Deut.* XXXII). » Iverunt autem discipuli in urbem, ut cibos emerent, venitque mulier haurire aquam, quæ Domino petenti potum, quasi notans eum, dixit Judæos non esse Samaritanis, cognoscens ex fimbriis pallii Dominum Judæum esse. Translatis decem tribubus, rex Assyriorum misit Persas et Assyrios ad incolendam sibi terram. Qui ob metum ferarum libros Moysi receperant, et legitima terræ, nec tamen cessabant ab idololatria. Qui primo Cuthæi vocati sunt, a fluvio Persarum, tunc autem Samaritani dicebantur, quasi medii inter Judæos et gentes. Quandoque tamen Judæi vocaverunt eos Jacobitas, id est *supplantatores*, quia terram fratrum suorum, quæ eos contingebat, eis supplantaverant. Horum cibis et vasculis non utebantur Judæi. Cumque colloquendo cum Jesu, accepisset ab eo quod quinque viros habuerat, et sexti erat concubina, ait : « Video quia propheta es tu. » Et statim quæsivit determinationem quæstionis, quæ inter ipsos et Judæos versabatur. Dicebant enim Judæi proprium locum adorandi esse Jerusalem et templum ; Samaritani vero montem Garizim, in quo antiqui patres adoraverunt. Jesus autem dixit tempus venisse in quo, nec in Jerusalem, nec in monte illo adorarent homines. Quasi diceret : Non præfero locum loco in adorando. Ubique enim adoretur Deus tantum in spiritu et veritate, id est ex dilectione, quæ est a spiritu, et pro his quæ vera sunt, id est pro æternis. Cui mulier : « Scio quod Messias venit, » id est in proximo est ut veniat. Forte et Samaritani signa adventus Domini notaverant. Messias Hebraice, *Christus* Græce, *unctus* Latine. Punice quoque messe, dicitur *unge*. Lingua enim Punica et Syra, affines sunt Hebrææ. Dicit ei Jesus : « Ego sum, qui loquor tecum. » Reliquit mulier hydriam, et abiit in civitatem, monens cives egredi, ad videndum hominem, qui dixerat ei quæcunque fecerat, et dicebat : « Nunquid hic est Christus ? » Timuit asserere, quod audierat, et credebat, ne viri indignarentur a muliere doceri. Civibus vero egredientibus vocavit discipulos Jesus, et ait, segetes paratas ad messem, id est paratos ad credendum, cum tamen adhuc superessent quatuor menses ad messem. Unde perpenditur hiemis tempore hoc factum. Jesus autem ad petitionem eorum intravit urbem, et mansit ibi aliquot dies, et multi crediderunt in eum.

Additio 1. Sichem modo dicitur Neapoli, quarto milliario a Sebaste distans. In ea juxta fontem fecit Jeroboam vitulos, quos posuit in Bethel, et in Dan, quod est uno milliario a Sichem.

CAP. LIX. *De filio reguli.*

Venit autem iterum in Cana Galilææ a Judæa, in quam ascenderat (*Joan.* IV). Et erat ibi quidam regulus, id est de potentioribus terræ sub rege, cujus filius infirmabatur, non in Cana, sed in Capharnaum. Et rogabat Dominum, ut descenderet et curaret filium suum. Qui redargutus est a Domino,

Digitized by Google

quia non credebat eum posse sanari, nisi corporali præsentia et tactu. Et ideo dum instaret ille ait ei : « Vade, filius tuus vivit. » Et sic absens, verbo sanavit eum. Descendensque pater, cum cognovisset filium sanatum in hora verbi Dominici, « credidit ipse, et domus ejus tota. » Creditur iste fuisse Judæus, quia dixit ei Dominus : « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. » Judæi enim signa quærunt (*I Cor.* I).

CAP. LX. *De convivio Levi.*

« Et fecit ei Levi convivium in domo sua (*Luc.* V). » Et discumbebant cum eo publicani, qui fuerant socii Levi, quem cum arguerent Pharisæi, quod cum talibus edebat, ait : « Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam (*Matth.* IX). » Excusavitque discipulos de eo quod non jejunabant : tum quia rudes erant, nec difficilia sustinerent, tum quia corporaliter cum eis erat, quia, cum auferretur ab eis, plurimum jejunarent. Ex hoc quidam dicunt quod ablato Christo in ascensione, jejunaverunt discipuli usque ad missionem Spiritus sancti. Et ob hoc jejunant ab Ascensione usque in Pentecostem. Nec etiam tunc celebrant nuptias, quasi jam inchoantes tres hebdomadas ante festum sancti Joannis. Sed non est authenticum, nec in Actibus apostolorum legitur tunc de jejunio eorum, sed de oratione tantum. Quærentibus autem Pharisæis signum de cœlo, negavit eis tanquam indignis, quia deteriores erant Ninivitis et regina austri, qui nec legem Dei, nec prophetas habuerant (*Matth.* XII). Et nota quod in antiquioribus codicibus Ninivitæ legitur.

CAP. LXI. *De filia archisynagogi, et Hæmorrhoissa.*

Et ecce princeps Synagogæ Jairus adoravit eum dicens : Filia mea modo mortua est, id est morti proxima, ut Marcus et Lucas dicunt (*Matth.* V ; *Luc.* IX). « Veni, pone manum super eam, et vivet. » Et dum iret, mulier Hæmorrhoissa ab annis duodecim, retro veniens, tetigit fimbriam vestimenti ejus, et sanata est *. Ambrosius in sermone *De Salvatore* dicit hanc fuisse Martham. Enumerans enim beneficia Christi circa genus humanum, post aliqua præmissa subdit : « Dum languidum sanguinis fluxum siccat in Martha; dum dæmones expellit de Maria, dum corpus redivivi spiritus calore constringit in Lazaro. » Veniens autem in domum Jairi induxit tantum secum Petrum, Jacobum, et Joannem fratrem ejus, qui quasi secretarii ejus erant, et patrem et matrem puellæ. Et ejectis irridentibus eum, quia dicebat : « Puella dormit, » tenens manum puellæ ait : talitha cumi, quod sonat, *Puella, tibi dico, surge.* « Tamen, » tibi dico, « non est de interpretatione. » Et jussit illi dari manducare **. Hoc enim est verum experimentum veræ resurrectionis. Magi enim mortuos suscitant quibusdam characteribus alligatis sub utraque assella, et loqui eos, et incedere faciunt, sed comedere nequaquam possunt.

* *Additio* 1. In Ecclesiastica Historia legitur quod quidam fecit statuam æream in honore Salvatoris, et propius statuam Marthæ ubi sanata est, et quædam herba nascebatur ibi, quæ quandoque crescebat, ita, quod tangebat fimbriam vestimenti, et erat tantæ fortitudinis, quod quicunque sumeret ex ea ab omni languore sanabatur.

** *Additio* 2. Quidam dicunt hoc factum esse in medio Jerusalem, sub regia Salomonis.

CAP. LXII. *De duobus cæcis, et de surdo.*

« Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes : Fili David, miserere nostri (*Matth.* IX). » Cumque venisset domum, id est ad domum suam Nazareth, tetigit oculos eorum, et aperti sunt. Cumque dixisset eis, Videte ne quis sciat, tamen diffamaverunt eum in tota terra illa. Egressis illis obtulerunt ei mutum, dæmonium habentem, et ejecto dæmone, locutus est mutus (*Luc.* XI). In Græco tamen melius sonat surdum, quam mutum.

CAP. LXIII. *De Beelzebub.*

Cumque laudaret eum turba, Pharisæi dicebant : In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmones (*Luc.* XI). A Belo primo nomine idoli, variæ gentes secundum idiomata linguæ suæ cognominabant idola sua. Babylonius dixit Bel, Moabita Beel, Palæstini Baal. Quandoque aliquid superaddebant, ut Beelphegor, id est *Deus tentiginis*, qui est Priapus. Quandoque Baalim, qui est Deus Sydoniorum, et sonat, *vir meus*, id est robur meum et caput. Beelzebub tamen nullius idoli nomen erat, sed Judæi irrisorie vicinum sibi idolum Acharonitarum sic vocabant, et sonat *vir muscarum*, ob sordes immolatitii sanguinis, quas sequuntur muscæ. Nec est finalis littera *d*, vel *t*, vel *v*, sed *b*. Quibus ait Jesus : « Filii autem vestri in quo ejiciunt? » Quasi dicat : Si in filiis vestris hanc expulsionem Deo datis, cur non in me idem facitis? Erant enim de Judæis exorcistæ, qui per exorcismos Salomonis dæmones ejiciebant, maxime si radix cujusdam herbæ poneretur in naribus obsessi. Ait enim Josephus se vidisse quemdam exorcistam captum, et adductum ad Vespasianum, dum obsideret Jerusalem, qui annulum, sub cujus gemma radix erat, posuit in naribus cujusdam obsessi, et adjuravit dæmonem, et egressus est dæmon. Ut autem probaret ejectum dæmonem, posuit pelvim aqua plenam in medio, et adjuravit dæmonem, ut subverteret pelvim ; et subvertit eam. Quod autem in annulis quidam includunt spiritum immundum, per quem impetant aliis dæmonibus, non creditur esse Salomonis inventum. De Cypriano mago martyre dicit Augustinus, quod in pixide quadam eburnea, dum adhuc magus esset, tres habebat dæmones inclusos, per quos quod volebat operabatur, emittendo illos ad quod volebat, et postea redibant. Sed puellam cujus amore tenebatur nunquam potuit adducere, quia illis semper signaculum crucis opposuit. Quo percepto, Cyprianus ad fidem conversus est, postea martyr factus cum Justina virgine.

Digitized by Google

CAP. LXIV *De Maria Magdalena.*

Hic quidam dicunt Dominum vocatum in Nazareth a quodam Pharisæo in domum suam, et ibi Magdalenæ dimissa peccata *, quæ et secuta est eum (*Luc.* VII), plures dicunt in Bethania factum, sed neque locus, nec tempus, quo factum est ex Evangelio certificari potest.

* *Additio* 1. Magdalum oppidum est duobus milliariis a Tiberiade, quæ prius Chennereth dicta est.

CAP. LXV. *De ministerio Marthæ.*

« Factum est autem, dum ascenderet in Judæam Jesus, in quoddam castellum intravit, et Martha excepit illum in domum suam, et ministrabat ei (*Luc.* X). » Sessio autem sororis illius audientis Dominum prælata est a Domino ministerio Marthæ, non quod majoris meriti, sed quia non auferetur ab ea.

CAP. LXVI. *De quæstione Joannis.*

« Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, misit ad eum duos de discipulis suis, dicens: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? (*Matth.* 11; *Luc.* VII.) » Non dubitabat Joannes, qui dixerat : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*Joan.* I). » Sed cum adhuc discipuli ejus dubitarent, misit eos ad Jesum. Quasi dicat : Ite ad eum, et ab ipso quærite utrum ipse sit Christus, an adhuc venturus sit. Tamen Gregorius super Ezechielem videtur velle quod Joannes nesciebat, utrum per se, vel per alium spoliaret infernum. Quasi dicat : Prope est ut descendam ad populum meum. Quia ergo te nuntiavi superis, vis ut inferis te nuntiem? Jesus autem amovit dubitationem eorum, ostendendo certa signa sui adventus. Illis autem abeuntibus, commendavit Joannem turbis dicens : « Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista, » et est hic, mulier, non solum sexus nomen, sed et nomen facturæ. Utrum autem sanctior eo post aliquis fuerit, vel futurus sit indiscussum est. Nec ob hanc laudem credendum est hæreticis, qui dixerunt Joannem esse angelum humanatum, quia etiam Dominus prædixerat de eo fuisse dictum : « Ecce ego mitto angelum meum, etc. » (*Malach.* III). Addiditque Dominus quod omnis lex et prophetæ usque ad Joannem prophetaverunt. Ubi intelligendum est, ex maxima parte, quia post prophetavit Agabus et quatuor filiæ Philippi (*Act.* XXI). Tunc exprobravit civitatibus Galilææ, in quibus plurimas fecerat virtutes, et præposuit illis Tyrum et Sydonem (*Matth.* XI; *Luc.* X). Redeuntes autem quidam apostolorum ad eum, nuntiabant ei, quæ docuerant et fecerant (*Marc.* VI). Et duxit eos in desertum locum, ut requiescerent pusillum, nec enim edendi spatium habebant præ turbis.

CAP. LXVII. *De septuaginta duobus discipulis.*

« Post hæc designavit et alios septuaginta duos discipulos, et mittebat eos binos ante faciem suam* (*Luc.* X). » Reversi sunt autem et hi cum gaudio dicentes : « Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis. » Exsultavit ergo Jesus, et dixit : « Confiteor tibi, Domine Pater cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et nemo novit Patrem nisi Filius, neque Filium nisi Pater. » Erubescat Eunomius, dicens se plenam habere notitiam de Patre et Filio; nec excluditur utriusque connexio : ob hoc enim Arius Spiritum creaturam esse putavit, et non æqualem illis, quia non sciebat quidquid illi.

* *Additio* 1. In coronis ecclesiarum sunt duodecim majores turres, quasi duodecim apostoli, et duodecim minores, quasi duodecim prophetæ, et septuaginta duo candelabra pro his discipulis designandis; et angeli quasi custodes ecclesiæ intelliguntur.

CAP. LXVIII. *De solutione Sabbati, et confricatione granorum.*

Et factum est in Sabbato secundo primo, cum Jesus et discipuli ejus transirent per sata, grana confricata manibus edebant discipuli (*Luc.* VI). Hoc exponitur sic : « In Sabbato secundo primo, » adverbialiter, « cum Jesus intraret per sata, » etc. Vel in Sabbato secundo, a primo, de quo præcessit sermo. Vel est una dictio quam dicit Lucas *deuteroproton*, nos *secundoprimum*. Hoc autem Sabbatum, quod discipuli non observabant, ideo sic vocavit, ut significaret spirituale sabbatum jam inchoari, et legalia cessatura. Est enim sabbatum spirituale secundoprimum, id est superius inferiore, scilicet legali, quasi factum de secundo primum. Quod enim primum fuerit a tempore, factum est secundum munere gratiæ, quasi, caput versum est in caudam. Unde et si quis Christum velit appellare Adam secundoprimum non errabit. Vel sunt duæ dictiones, et dicitur secundum et primum tempore, quia et ante legem sancti Patres sabbatizaverunt, et post, legali Sabbato medio interposito. Cum autem Pharisæi dicerent : « Quid facitis quod non licet Sabbatis? » excusabat eos Dominus multis modis, tum quia necessitas excusabat eos, sicut excusavit David et pueros ejus, quando comedit panes sacerdotales. Nec peccaverunt sacerdotes, circumcidentes et sacrificantes in Sabbato, tum quia, præsente Domino auctore Sabbati, faciebant hoc; quia etiam non peccavit Josue, dum circumivit Jericho septem diebus. Nec etiam hodie æger, si solvit jejunium, reus est. Dixerunt autem Pharisæi hoc non licere Sabbatis; quia alia die licebat, secundum legem, edere grana segetis propinquorum, sed non metere falce. Nota primos apostolos solvisse Sabbatum; quos tamen recipiunt Ebionitæ, cum repudient Paulum quasi legis transgressorem.

CAP. LXIX. *De manco.*

« Factum est autem in alio Sabbato intravit Jesus synagogam; et erat ibi homo manum aridam habens, et observabant eum Pharisæi, si Sabbato curaret (*Luc.* VI). » Cumque quæsisset ab eis si licet Sabbato curare, nec respondissent, curavit languidum, confutans superstitiosos, qui Sabbatis pecus lapsum a fovea extraherent. Ipsi autem colloquebantur

Digitized by Google

quidnam facerent Jesu. Jesus autem sciens, secessit inde; et secuti sunt eum multi, et curavit eos.

CAP. LXX. *De quatuor parabolis ad turbas in navi.*

« Factum est autem in diebus illis, exiit Jesus in montem orare, et erat pernoctans ibi in oratione. Et cùm dies factus est, vocavit discipulos suos, » forte adhuc dormientes, et sedebat secus mare (*Luc.* vi). Cumque congregarentur turbæ, ascendens naviculam, docebat de ea turbas stantes in littore, in parabolis loquens eis, proposuitque eis parabolam seminantis in terram tripliciter malam, nec ferentem fructum, et in unam bonam facientem fructum centuplum* (*Luc.* viii). Secundo proposuit parabolam seminantis bonum semen, cui inimicus homo superseminavit zizania in qua illud quod dicitur : « Sinite utraque crescere usque ad messem (*Matth.* xiii), » videtur Paulo contrarium, qui ait : « Auferte malum de medio vestri (*I Cor* v). » Sed inter triticum, antequam veniat ad spicam, et lolium, grandis est similitudo, et vix distingui possunt. Hoc igitur dictum est de ambiguis, illud Pauli de manifestis. Tertiam proposuit parabolam de grano sinapis (*Matth.* xiii). Quartam proposuit de fermento, quod mulier abscondit in farinæ satis tribus (*ibid*). Satum est genus mensuræ in Palæstina, modium et dimidium capiens. Seorsum autem discipulis disserebat omnia. Tunc dimissis turbis venit in domum, et dixerunt ei discipuli : « Edissere nobis parabolam zizaniorum (*ibid.*). » Primam enim ex eis exposuerat in navi.

Addition 1. Et notn quod super hunc locum habetur in antiqua glossa : « Non est credendum Valentiniano hæretico, qui ex hoc loco trahens fomentum erroris, dicit terras esse in homine, et secundum eas esse tres creatores : Animam, cujus Deus creator; corpus, cujus creator diabolus; animalitatem, sive spiritum quemdam vitalem, communem nobis cum brutis, cujus creatores angeli. Sed hic non tantum tres, sed et quartam addidit; nec de his terris intelligitur. Nec facit vir catholicus, nisi duas in homine, animam scilicet et carnem. Animalitatem autem, vel spiritum vitalem, vel sensualitem, quidquid illis sit commune nobis cum brutis animalibus, sub carne comprehendit, et sic tenet vir catholicus. »

CAP. LXXI. *De tribus parabolis in domo ad discipulos.*

Cumque exposuisset quod quæsierant in parabolis, etiam locutus est eis (*Matth.* xiii). Et proposuit parabolam de thesauro abscondito in agro, pro quo emendo vendidit inventor omnia quæ habuit. Aliam quoque proposuit de inventa et empta bona margarita; tertiam quoque de sagena missa in mare, in qua dicitur, quod in gehenna erit fletus et stridor dentium; in quo innuitur resurrectio corporum futura. Hoc autem nomen gehenna evangelicum est tantum, et creditur a Domino inventum ob ignem inexstinguibilem, qui erat sacratus idolis in valle juxta Jerusalem, quæ dicebatur Topheth; vel etiam Gehennon, quasi terra filiorum Ennon, id est hominis sic vocati per quem idololatræ trajiciebant parvulos suos, sicut nos trajicimus eos per aquam baptismi. Ignis quoque dicebatur Topheth, non satis nota causa. Vel forte quia quædam artificio de visceribus terræ per lapides spongiosos, quos tophos dicimus, jugiter erumpebat.

CAP. LXXII. *De saltu Domini.*

« Et veniens in patriam suam, docebat in synagoga eorum, ita ut mirarentur, et dicerent : Unde huic sapientia hæc? Nonne hic est filius fabri? nonne Maria mater ejus, et fratres, et sorores ejus sunt apud nos? » (*Matth* xiii.) Quod non est intelligendum secundum Elvidium, qui Virginem peperisse Domino fratres de Joseph degm tizabat, vel Joseph de alia uxore liberos suscepisse. Sed consobrini ejus fratres sui dicti sunt, sicut Abraham dixit ad Lot : « Fratres sumus (*Gen.* xiii). » Marcus ait Dominum dictum ab eis fabrum (*Marc.* vi). Credebant enim fabrum, quia Joseph fabri filium dicebant. « Et paucos ibi curavit propter incredulitatem eorum, dicens : Nemo propheta acceptus est in patria sua, et repleti sunt omnes ira. Et ejicientes eum extra civitatem, duxerunt eum usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum, ille autem transiens per medium illorum ibat (*Luc.* iv). » Adhuc ostenditur ibi locus, qui dicitur Saltus Domini, per quem Dominus descendens impressit se rupi, et cedens ei rupes fecit ei locum, quasi latibuli, in quo adhuc vestigia rugarum vestimentorum ejus impressa olim notantur.

CAP. LXXIII. *De decollatione Joannis.*

In illo tempore Herodes Tetrarcha diem natalis sui celebravit, coram principibus suis et primis Galilææ (*Marc.* vi). Ubi puellæ saltanti datum est pro munere caput Joannis Baptistæ in disco. Est autem discus vas rotundum desuper valde extentum, unde et dapifer discoferus dicitur. Quandoque mensa superior discus dicitur. Aliquando mappa, quæ mensale dicitur, discus appellatur, unde et animalia dicuntur apparuisse Petro in disco, quem alibi liber Actuum apostolorum linteum vocat. Credibile est quod Herodes cum uxore, de nece Joannis, sub tali occasione facienda, prius secreto tractaverit. Discipuli vero Joannis tulerunt corpus ejus de carcere, et sepelierunt illud. *Chronica*, et undecimus liber *Historiæ ecclesiasticæ* tradunt Joannem in castello Arabiæ trans Jordanem, dicto Macheronta, vinctum et truncatum. Corpus vero in Sebaste urbe Palæstinæ inter Eliseum et Abdiam sepultum, caput autem Jerusalem humatum est, juxta Herodis habitaculum. Ossa ejus tempore Juliani Apostatæ gentiles sparserunt, invidentes miraculis, quæ fiebant ad ejus monumentum. Quæ rursus collecta, ab eisdem cremata sunt, et pulvis ventilatus. Quod quasi secundum martyrium in jam mortuo quidem repræsentant nescientes, dum in nativitate ejus ossa collecta undecunque, cremant. Cum autem colligerentur ossa, quidam monachi a Jerosolymis, misti laten-

Digitized by Google

ter colligentibus, magnam eorum partem tulerunt, inter quæ etiam digitus, quo Dominum monstravit, fuisse perhibetur quem post beata Tecla inter Alpes attulit, et dicitur esse in ecclesia Maurianensi. Tuleruntque ossa ad Philippum Jerosolymitanum, episcopum nonum, qui misit ea per Julianum diaconum Athanasio Alexandriæ episcopo. Quæ post Theophilus, ejusdem urbis episcopus, reposuit in templo Serapis a sordibus purgato, basilicamque in honore Joannis consecravit, quando scilicet Theodosio jubente, fana gentium destructa sunt. Tempore vero Marciani principis duobus monachis orientalibus, qui ob orationem venerant Jerosolymam, Joannes revelavit caput suum. Sed non multum post incuria perditum, perlatum est ab aliis in Edissam, aliis Emissam, urbem Phœniciæ, et in quodam specu in urna sub terra, non parvo tempore, ignobiliter reconditum; donec denuo idem Joannes caput suum ostendit Marcello religioso abbati, et presbytero, dum in eodem specu habitaret. Quod cum ille Juliano [*al.* Julioramo], ejusdem urbis episcopo indicasset, elevatum est. Ex quo tempore cœpit in eadem urbe Decollatio Joannis celebrari, ipsa die, ut arbitramur, qua caput inventum est, sive revelatum; quod post Constantinopolim translatum est, et inde ad Gallias. Alii tradunt non esse festum Decollationis, sed de Collatione ossium ejus prius facta et combusta. Josephus aliam tradit causam necis Baptistæ, dicens eum prædicasse hominibus justitiam, et obtentu baptismi multos congregasse in unum. Timensque Herodes dispendium populi sui, sequentis Joannem, occidit eum. Et refert Josephus Judæos tradidisse, Herodem ob hoc miserabiliter in proximo victum ab exercitu Arethæ regis.

A

B

C

Cap. LXXIV. *De quinque panibus, et duobus piscibus.*

« Audivit autem Herodes famam Jesu, et ait: Joannem ego decollavi. Quis autem iste est de quo audio talia? et quærebat eum videre (*Luc.* IX). » — « Quod cum audisset Jesus, ascendens in naviculam, secessit in locum desertum seorsum, et secuti sunt eum turbæ pedestres de civitatibus, et curavit eos (*Matth.* XIV). » Erat autem proximus dies festus, qui dicitur Pascha. Vespere autem facto duodecim discipuli dixerunt ei: « Dimitte turbas, ut euntes inveniant sibi escas. Et ait Jesus: Date illis manducare, et facite eos discumbere super viride fenum» per contubernia, id est per diversas societates hominum, qui de viculis venerant. « Et acceptis quinque panibus hordeaceis, et duobus piscibus a puero quodam, qui unus de discipulis fuisse creditur, per apostolos dedit eos populo, quasi quinque millibus virorum, exceptis mulieribus, et parvulis, et de fragmentis impleti sunt cophini duodecim (*ibid.*). » Et statim coegit discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, secundum Marcum, ad Bethsaidam, donec dimitteret turbas (*Marc.* VI). Quod ergo Lucas dicit hoc factum in locis Bethsaidæ (*Luc.* IX), intelligendum est non quod esset in finibus ejus, sed juxta Tiberiadem, ut dicit Joannes, et quia ad eam pertinebant (*Joan.* VI). Quod autem Joannes dicit eos transfretasse ad Capharnaum (*ibid.*), intelligendum est per Bethsaidam transisse Capharnaum. « Jesus autem cum cognovisset, quod homines illi volebant eum rapere, et facere regem, » quia sub tali rege videbatur eis non posse egere, « fugit, et ascendit in montem solus orare (*ibid.*). » Hic est mons in quo sermonem fecit, a quo per milliare distat locus refectionis hujus, qui hodie dicitur Mensa, infra quam est locus ille, in quo post resurrectionem comedit partem piscis assi (*Joan.* XXI); supra vero est pars illa maris, supra quam Dominus ambulavit (*Matth.* XIV), quam alia vice excitatus sedavit (*Matth.* VIII.)

D

Cap. LXXV. *Quod Dominus ambulavit super mare.*

« Navicula vero in qua erant discipuli, jactabatur fluctibus; videns autem eos Jesus laborantes, quarta vigilia noctis venit ad eos, ambulans supra mare (*Matth.* XIV). » Quatuor vigilias noctis faciunt excubantes in castris. Prima dicitur conticinium, in qua omnes simul vigilant; secunda intempestum, in qua adolescentes; tertia gallicinium, in qua viri; quarta antelucanum, in qua senes. Has Dominus aliis nominibus vocavit sero, an media nocte, an galli cantu, an mane (*Marc.* XIII). Cumque putarent discipuli esse eum phantasma, et clamarent, ait: « Ego sum, nolite, timere. » Non dixit quis esset, quia ex nota voce poterant eum agnoscere. Vel ut intelligerent ipsum esse eum, qui Moysi dixerat: « Qui est, misit me ad vos (*Exod.* III). » Post Petrus ivit ad eum super aquas, quem dum mergeretur erexit Dominus. Qui cum ascendisset naviculam, cessavit ventus, et statim fuit ducta navis ad terram, ad quam ibant.

Cap. LXXVI. *De verbis Domini, pro quibus quidam abierunt retro.*

Altera die turbæ, quas paverat Jesus, intraverunt naves supervenientes a Tiberiade, et venerunt Capharnaum, invenientes Jesum, mirabantur quomodo illuc venisset, cum solam vidissent naviculam, quam non intraverat (*Joan.* VI). Cumque comederent cibum, quem eis fecerat, tamen præferebant ei manna dicentes: « Patres nostri manducaverunt in deserto manna, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis Dominus. » Tunc dixit eis Jesus: « Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi. » Murmurabant autem Judæi, dicentes: « Nonne hic est filius Josephi, cujus novimus patrem et matrem? » Et ait Jesus: « Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi, ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? » Tunc addidit Dominus: « Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. » Hoc autem multi ex discipulis audientes, dixerunt: « Durus est hic sermo, quis potest eum audire?

Digitized by Google

Et abierunt retro, et jam cum illo non ambulabant. »

CAP. LXXVII. — *De traditionibus Pharisæorum contra mandata Domini.*

« Rogavit autem quidam Pharisæus Jesum, ut prandaret apud eum (*Luc.* XI). » Cumque vidisset eum, non baptizatis manibus prandere, murmurabat intra se. Cui Dominus ait : Vos, Pharisæi, quod deforis est calicis et catini mundatis, et non quod intus. Quasi dicat : Corpora mundatis, et non animas : stulti, nonne Deus utrumque fecit? Hoc contra Manichæos, qui animas tantum a Deo creatas dicunt, carnem vero a diabolo. Et addidit : « Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. » Quidam quoque Scribæ et Pharisæi, venientes a Jerosolymis, videntes discipulos ejus communibus manibus manducare, dicebant : « Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? » (*Matth.* XV.) Et respondit Jesus : « Quare vos transgredimini mandata Domini propter traditionem vestram? Nam Deus dixit : Honora patrem tuum, et matrem tuam. » Quod non tantum pro reverentia dictum est, verum etiam pro necessariis obsequiis exhibendis. Illi Pharisæi impietatem sub nomine pietatis docebant, dicentes, filios melius facere si Deo vero Patri voverent quæ parentibus offerenda erant, instruentes eos quod parentibus egenis responderent. O pater, « corban quod est ex me, tibi proderit (*Marc.* VII). » Corban est *munus votivum*. Quasi dicat : Quod vovi Deo, vis tibi prodesse, absit! « Et convocatis ad se turbis, ait illis : Non quod intrat in os coinquinat hominem, » intellige apud Deum, « sed quod procedit ex ore (*Matth.* XV). » Primum intellige de ore carnis, secundum de ore cordis. Nam, et vomitus inquinat hominem. Unde, et quidam libri habent, « sed quod procedit ex corde. » Quare ergo idolothytis, et his quæ furtiva sunt et rapta, non vescimur pro scandalo vitando. Cibus enim in se mundus est. Et dixerunt ei discipuli : « Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizantur. » Scalon, vel scandalon *offendiculum pedis*, vel ipsam *ruinam* dicimus. Et respondit : « Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum. » Non enim a veritate pro scandalo recedendum est.

CAP. LXXVIII. — *Quod cibus non transit in virtutem naturæ.*

Cumque intrasset Jesus domum, ait Petrus : « Edissere nobis parabolam istam. » Et respondit : « Non intelligitis quod omne quod in os intrat, vadit in ventrem, et in secessum emittitur? » (*Matth.* XV.) Nihil enim de cibis transit in virtutem naturæ, quæ refulget, sed cibis adjuta, in se tantum crescit et manet *. Et subjunxit : « De corde autem exeunt furta, etc. » Plato principale animæ putavit esse in cerebro, id est rationem, iram in felle, desideria in jecore, sed juxta Christum principale animæ est in corde. Marcus pro « coinquinat, » ponit « communicat (*Marc.* VI), » juxta Hebræum idioma, qui commune immundum dicebant, quia cibos communes vocabant prohibitos in lege, quos immundos judicabant, quia aliæ gentes communiter illis vescebantur.

* *Additio* 1. — Dicunt hæretici Dominum idiotam fuisse, et physicam ignorasse, quia plures cibi per artus, et venas, et medullas, et nervos fundantur, quod probatur per eos, qui jugem vomitum habent sumpto cibo, et tamen corpulenti sunt, sed quælibet humorum purgatio, secessio dici potest.

CAP. LXXIX. — *De muliere Chananæa.*

Surgens inde Jesus abiit in fines Tyri* et Sidonis (*Matth.* XV). Et rogabat eum mulier gentilis Chananæa, Syrophœnissa genere, pro filia sua, quæ male a dæmonio vexabatur. Chananæi quondam Judæi incoluerant, sed post dispersi sunt. Ex hac dispersione erat mulier ista ex Syris et Phœnicibus orta. Quidam tamen dicunt Tyrophœnissa, quia sic Phœnissa erat quod Tyria, sicut et Dido fuit, hoc nomine indicantes regionem mulieris et patriam. Jesus autem non respondit ei verbum, ne sibi contrarius videretur, qui dixerat : « In viam gentium ne abieritis (*Matth.* X). » Pro qua cum intercederent discipuli respondit : « Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. » At illa venit, et adoravit, et ait : « Domine, adjuva me. Cui Dominus : Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus ad manducandum. » Hebræorum more gentiles canes dixit, quia edebant sanguinem, ut canes. Et est sensus : Veni curare Israel primogenitum, et nondum gentes. Cui illa : « Etiam, Domine. Nam, et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. » Quasi dicat : Verum est quod dicis. Fac ergo mihi quod fit canibus, id est modicum panis tu impartire mihi. Et Jesus commendans fidem mulieris ait : « Fiat tibi sicut vis, et statim sanata est filia ejus. »

* *Additio* 1. — Tyrus originem tumulatum celat. Ante Tyrum fuit lapis marmoreus grandis, super quem sedit Jesus, illæsus tempore gentium, sed postea a Francis et Venetianis mutilatus, supra cujus residuum in honore Salvatoris ecclesia constructa est.

CAP. LXXX. — *De surdo et muto.*

« Et iterum exiit de finibus Tyri, et venit ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos, » id est pervenit ad illum locum maris, cui e regione contra posita erat Decapolis, id est regio decem urbium circa Pellam et Gadaram contra Galilæam (*Marc.* VII). « Et adducunt ei surdum et mutum. » Et posuit digitos in auriculam ejus, et ait : « Ephpheta, quod est, adaperire. » Et ad ejus imperium adapertæ sunt aures ejus, et soluta est lingua illius.

CAP. LXXXI. — *De Probatica piscina.*

« Post hoc erat festus dies Judæorum (*Joan.* V). Non determinatur quis, sed potest intelligi festum Novorum, id est Pentecostes, quia prædictum est jam de Pascha, quo decollatus est Joannes. Sequitur vero de Scenopegia, post de Encæniis. Ascendit autem Jesus ad diem festum. « Erat autem Jerosolymis probatica piscina, cognominata Hebraice

Digitized by Google

Bethsaida, quinque porticus habens, in quibus jace- A
bat multitudo languentium, exspectantium aquæ motum; angelus enim descendebat in eam quandoque, et movebatur aqua, et qui primus post aquæ motum descendebat in eam, sanus fiebat a quacunque detineretur infirmitate.» Probaton Græce, Latine *ovis*. Sic ergo dicta erat, quia in ea Nathinnæi hostias lavabant *. Solet autem collecta aqua pisces non habens, piscina dici, quasi per contrarium. De hac motione, incertum est quando cœperit. Quod autem incertum esset, quando moveri debebat, inde perpenditur, quod languidi semper erant ibi, qui ad certam horam convenirent tantum si sciretur. Traditur a quibusdam quod regina Saba vidit in spiritu in domo saltus, quæ Nethota dicebatur, lignum Dominicæ crucis, et nuntiavit Salomoni cum jam B
recessisset ab eo, quod in eo moreretur quidam, pro quo occiso perirent Judæi, et perderent locum et gentem (*Joan.* XI). Quod timens Salomon, defodit illud in terra, ubi post facta est piscina. Appropinquante autem tempore passionis Christi, superenatavit, quasi prænuntians Christum, et exinde cœpit motio prædicta. Sed hoc non est authenticum. Cum autem sanasset ibi Jesus hominem habentem triginta et octo annos in infirmitate sua, præcepit ei, ut tolleret grabatum suum, et ibat ferens illud. Grabatum est lectus pauperum, ubi tantum capiti aliquid substratum est, dictum a graba Græco, quod est *caput*. Erat autem Sabbatum. « Dicebant ergo Judæi : Non licet tibi, tollere grabatum tuum. Qui C
respondit : Qui me sanavit, dixit ut irem et tollerem illud. Cumque quæsissent quis est ille? Respondit : Nescio. Post invenit eum Jesus in templo, et dixit ei : Sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi contingat. Tunc homo nuntiavit Judæis, quod Jesus eum sanaverat. »

* *Additio* 1. Nathinnæi erant aquæ bajuli in templo, quod officium subdiacones, aquam sacerdoti ministrantes, habent.

Cap. LXXXII. *De zelo Judæorum quod Christus Filium Dei se dixit.*

« Cum ergo arguerent eum, quod in Sabbato operabat, ait illis : Pater meus, usque modo operatur, et ego operor (*Joan.* V); » quasi dicat « Non sex dies tantum operatus est Pater, ut putatis, sed D
semper operatur Deus, gubernando, renovando, ut permaneant condita, cum quo ego operor : ergo bonum est quod ago. Constat ergo esse sacramentum, quod de requie Sabbati legitur. Propterea ergo magis quærebant interficere illum, quia Patrem suum dicebat Deum. « Ait iterum Jesus : Pater diligit Filium, Filius, quos vult, vivificat, nec Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, » quia et solus Filius venit in carnem, ut judicaret mundum, id est argueret, et post in judicio sola Filii persona apparebit judicans, et si qua proferetur a judice sententia, proferet eam. Prædixitque eis quod alius, id est Antichristus veniret non in nomine Patris, sed suo, et eum reciperent.

Cap. LXXXIII. *De refectione quatuor millium, et septem panibus.*

« Et relictis illis iterum abiit secus mare Galilææ in desertum. Cumque turba multa ibi esset, ait discipulis : Misereor super turbam, quia jam triduo sustinent me, nec habent quid manducent. Cumque accepisset a discipulis septem panes, et pisciculos paucos, præcepit ut discumberent super terram (*Matth.* XV; *Marc.* VIII). » Forte in alia refectione circa pascha, adhuc erat herba super terram, nunc autem pro fervore terræ illius, jam non erat ibi herba, quia post Pentecosten erat, ut prædiximus. Satiatis autem quatuor millibus virorum, absque mulieribus, et parvulis, de fragmentis impleverunt septem sportas. Est autem sporta vas de juncis et foliis palmarum contextum.

Cap. LXXXIV. *De quodam cæco.*

« Et ascendens Jesus navim cum discipulis venit in partem Magedon (*Matth.* XVI). Eumdem locum vocat Marcus Dalmanuta (*Marc.* VIII), » quia binomius erat, « et obliti sunt discipuli tollere panes, et docebat eos : Cavete a fermento Pharisæorum, et Sadducæorum, et Herodis. » Cumque putarent se tacite notatos de panum oblivione, arguit eos de modicitate fidei, quia, eo præsente, timebant posse egere. Secundum Marcum illuminavit hic cæcum. Sed de similibus sufficit nobis aliqua ponere. Alia transimus, quia concanonica sunt illis.

Cap. LXXXV. *De confessione fidei, quam fecit Petrus pro omnibus.*

« Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi (*Matth.* XVI; *Marc.* VIII). » Philippus in termino Judææ septentrionali constituit sibi civitatem, quam vocavit Cæsaream Philippi, in memoriam Tiberii, et sui nominis, et est in regione Phœnicis ubi ad radicem Libani oriuntur duo fontes, Jor et Dan, quorum rivuli sociati sub montibus Gelboe, sub urbe Cedar, secus medicabilia balnea, Jordanem faciunt. Sed et nomen ejus ex suis nominibus quasi componunt. Tamen Hieronymus dixit quia civitas illa olim dicta est Dan, ubi vitulum aureum posuit Jeroboam, a qua rivus præterfluens dictus est Jordanis, quasi ex nomine fontis et civitatis cognominatus. Civitas eadem nunc Paneas dicitur. Josephus dicit ultra Cæsaream centum viginti stadiis modicum lacum esse, qui a rotunditate Phiala dicitur semper plenus, et nunquam exuberans. Ibi oritur Jordanis, et paulo post terram ingreditur, et ad radicem Libani ebullit, quod primus Philippus tetrarcha deprehendit. Nam missis in Phialam paleis, eas apud Paneas redditas invenit. Sic Josephus vocat fontem sub Libano. Dicit etiam super Seleuciam, ex quodam lacu nasci rivum, quem vocat minorem Jordanem, et ex duobus rivis ad locum, qui dicitur aureum Templum Jovis confluentibus, Jordanis conficitur. Et interrogabat Jesus discipulos suos, dicens : « Quem dicunt homines esse Filium hominis? » (*Matth.* XVI.) Esse Filium hominis, soli Christo convenit. Adam

Digitized by Google

enim filius terræ, alii filii hominum, solus Christus filius hominis unius. At illi dixerunt : « Alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex prophetis, « id est Eliseum. Quia Christus baptizabat, putabant suscitatum Baptistam, vel prophetam aliquem duorum, qui transeuntes Jordanem baptismum præfigurabant, id est Eliæ et Elisei ; Jeremiam vero ideo, quia sanctificatus ab utero legitur (*Jer.* I). Augustinus : Potest movere, quod Lucas dicit Dominum interrogasse discipulos, cum esset solus orans (*Luc.* IX) ; Marcus vero dicit in via (*Marc.* VIII). Sed eum movet, quod nunquam oravit in via. Forte bis quæsivit. Cumque quæsisset ab illis suam, vel ipsorum sententiam, dixit Petrus pro omnibus : « Tu es Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI), » id est tu es homo, secundum quod unctus es præ participibus tuis, et es Deus Filius Dei vivi. Hebræi enim consueverunt Deum vocare vivum, in sugillationem idolorum, quæ non vivunt. Et ait Jesus : « Beatus es, Simon Bar-Jona, » id est Bar-Joanna, id est *filius Joannis*. Dicunt enim quidam vitio scriptorum corrupte positum Jona pro Joanna. Et addidit : « Tu es Petrus. » Quod Latini et Græci dicunt petram, Hebræi et Syri cepham. Idem ergo est : Tu es Cephas. « Et super hanc Petram, » a qua diceris Petrus, « ædificabo Ecclesiam meam. » Vel super hanc Petram, confessus es, quæ sola fundamentum est. Et promisit se ei daturum claves regni cœlorum. Forte tunc ei soli dedit, vel post resurrectionem cum aliis. « Tunc præcepit Jesus discipulis suis, ne cui dicerent, quod ipse esset Christus. » Ubi intelligendum est tunc, donec eo suscitato, quod audierant in aure prædicarent super tecta. « Tunc cœpit eis ostendere, quia oportebat eum ire Jerosolymam, et multa pati, et occidi et tertia die resurgere. » Quo seorsum assumpto, dixit ei Petrus : « Absit a te, Domine, non erit tibi hoc ! « Græcus habet : « Propitius sis tibi, Domine. » Cui Dominus : « Vade post me, Satana, non sapis ea, quæ Dei sunt, » id est sequere sententiam meam, nec adverseris mihi. Satanas enim *adversarium* sonat. Fuerunt qui dicerent Petrum non esse correptum, sed Satanam hoc ei suggerentem, ob ejus hunc errorem, scilicet quia credidit Satanæ, etiam dicunt quod dictum ei est : « Beatus es, » promissionem futuram tantum esse, id est beatus eris. Tunc convocata turba cum discipulis ait : « Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. » Crux vero tripliciter tollitur : Per martyrium, per mortificationem carnis, per proximi compassionem.

CAP. LXXXVI. *De transfiguratione Domini.*

« Et post dies sex assumpsit Petrum, Jacobum et Joannem fratrem ejus, et duxit illos ad montem Thabor excelsum*, ut orarent (*Matth.* XVII ; *Marc.* IX). » Lucas dicit diem octavum eum diem, in quo prædixerat quosdam de eis visuros, antequam morerentur, gloriam regni, et illum in quo viderunt connumerans (*Luc.* IX). Matthæus et Marcus sex medios tantum ponentes. Et notandum quod Matthæus dicit Jacobum fratrem Joannis. Augustinus super Epistolam ad Galatas scribit Jacobum episcopum interfuisse transfigurationi, cui etiam videtur Ambrosius consentire**. « Et factum est, dum oraret, transfiguratus est ante eos, et facies ejus resplenduit sicut sol, et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix, qualia fullo non potest facere super terram. Et apparuerunt illis Moyses et Elias, loquentes cum eo de excessu quem completurus erat in Jerusalem, » id est de morte ejus. Et ait Petrus : « Domine, bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. Et facta est vox de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. » Cumque timore corruissent discipuli tetigit eos Jesus, et ait : « Surgite, nolite timere. » Et descendens præcepit eis, ne cui dicerent, donec resurgeret. Quidam dicunt hanc Christi gloriam in aere circumfuso fuisse, non in corpore, quod tunc habebat mortale ; alii, ad tempus deposuisse mortalitatem ; alii, ipsum semper habuisse tale corpus per naturam, sed, ut videretur et pateretur, fecerat illud mortale ad tempus, et ibi qualis erat per naturam, talem se ostendit ; et talem, ut aiunt, se dedit discipulis in cœna, quia talis in modico potest esse loco ; vanum est autem in hujusmodi laborare et sequi naturam in miraculis. Ita enim in carne mortali ostendit gloriam immortalitatis, sicut post resurrectionem in carne immortali cicatrices, et palpandum se præbuit, et comedit ***. Et sic varie sentiunt auctores de Moyse et Elia. Et super Lucam invenies glossam, quæ dicit eos ibi fuisse. Hoc potuit esse de Elia, qui adhuc vivit. Alia quæ dicit angelos eorum corpora assumpsisse.

* *Additio* 1. Quarto milliario a Nazareth est mons Thabor, in descensu cujus Melchisedech obviavit Abrahæ. Secundo milliario a Thabor est mons Hermon.

** *Additio* 2. Videtur contrarietas esse in verbis expositorum Augustini, et Ambrosii et Matthæi, cum Matthæus dicat Jacobum Zebedæi fratrem Joannis, qui major dictus est, cum esset minor natu interfuisse transfigurationi. Augustinus videtur contradicere Jacobum episcopum interfuisse. Legitur autem quod Jacobus Alphæi minor, scilicet qui et frater Domini dictus est, episcopus Hierosolymitanus fuerit. Quod sic solvi potest, quia omnes episcopi fuerunt, et sic non est contrarium præcipue cum non dicat Hierosolymitanus episcopus, sed simpliciter episcopus. Magis movet, quod dicit Ambrosius, qui primus sacerdotale solium ascendit, quod nequaquam de Jacobo majore potest intelligi ideo dicendum, quod potest intelligi de mystico solio sacerdotali, quia primus martyrium subiit, unde dicitur : « Occidit Jacobum fratrem Joannis gladio (*Act.* XVIII). »

*** *Additio* 3. Quatuor habebunt corpora post resurrectionem, immortalitatem, impassibilitatem, gloriti

Digitized by Google

cationem, agilitatem, et sicut ante passionem, in corpore mortali, Dominus quædam signa immortalitatis ostendit, ut quando discipulis corpus suum dedit, ita etiam, post resurrectionem, quædam signa corporis mortalis ostendit, ut quando Thomæ cicatrices ostendit.

CAP. LXXXVII. *De lunatico.*

« In sequenti die ad preces patris sanavit filium lunaticum quem oblatum sibi discipuli sanare non poterant (*Matth.* XVII). » Non ex vitio lunæ patiuntur lunatici, sed dæmones eos vexant his temporibus, ut per lunam infament lunæ Creatorem. Erubescat Julianus, qui dicit nullum peccatum esse in puero. Legitur enim de isto, quia a pueritia lunaticus fuerat, in quo, si nihil haberet suum dæmon, non illum possideret. Cumque quæsissent discipuli quare ipsi non ejecerint, ait: « Propter incredulitatem vestram, quia si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc, et transibit. » Quod translative de diabolo præsenti, quem ejecerat, potest intelligi, quia a nullo ad litteram legitur factum, nisi quod ad preces Gregorii Neocæsariensis, legitur quidam mons retractus, et dedisse locum basilicæ fabricandæ. Et ad preces cujusdam Patris, lapis translatus de horto. Vel gratia exempli pro quolibet impossibili dictum est. Unde in Luca aliud est exemplum: « Dicetis huic arbori moro transplantare in mare, et obediet vobis (*Luc.* XVII). »

CAP. LXXXVIII. *De verbis Domini, quibus innuit triduum mortis suæ.*

Et accesserunt quidam Pharisæorum ad Jesum dicentes: Vade hinc, id est de Galilæa, quia Herodes quærit te interficere, et ait aliis: « Ite, dicite vulpi illi, quia ecce dæmonia ejicio, et sanitates perficio hodie, et cras, et tertia die consummor (*Luc.* XIII), » quod est: Ipse non occidet me, sed ego ponam animam meam, ita quod prima die mortis intrans infernum, tollam dæmoni tyrannidem suam. In crastino educam captivitatem, quam sanitati restituam, dum portam paradisi apertam ei ostendam, vel ponam eam in paradiso, quæ est in extremis maris ad orientem, quasi restituens hominem sanitati, quam perdiderat. Tertia die resurgam consummatus. Potest tamen hoc referri ad tres annos operationis miraculorum Christi, in quorum tertio consummatus est. Et quasi ostendens Jesus, quod non moreretur in dominio Herodis, addidit, « quia non capit » (script. suppl. aliqua) me « prophetam perire extra Jerusalem. »

CAP. LXXXIX. *De tributo invento in ore piscis.*

Et cum venisset Capharnaum accesserunt quæstores census capitis, et missus a Domino Petrus ad mare, tulit piscem in cujus ore invenit staterem, id est duo didrachmata, et solvit pro se et pro Domino (*Matth.* XVII). Etsi enim Dominus loculos haberet, tamen ea, quæ data erant ei in usus pauperum, in usum proprium noluit expendere.

CAP. XC. *Quod apostoli quæsierunt quis eorum esset major.*

« Cum autem discipuli quæsissent in via, quis eorum major esset, accesserunt ad Jesum, et dixerunt: Quis putas major est in regno cœlorum? » (*Matth.* XVIII; *Marc.* IX; *Luc.* IX.) Quasi dicerent: Dic quis major est inter nos modo, quia ille idem major erit in cœlo, in quo errabant. In futuro enim omnis prælatio cessabit angelorum, et hominum, ut apostolus tradit: Et amplexans Jesus parvulum docuit similes parvulo, id est humiles in via, exaltari in patria, et qui vellet primus eorum esse, fieret omnium minister. Hinc est quod primus omnium in Ecclesia servus servorum Dei se fatetur. Parvulus iste, ut qui dam tradunt, fuit Martialis apostolus Lemovitarum.

CAP. XCI. *De parabola ovis, et drachmæ, et filii prodigi.*

Cumque scandalizatores pusillorum dixisset, per metaphoram membrorum, eruendos, et projiciendos, nec contemnendum unum de pusillis, ad ostendendum quanti sint pusilli apud Patrem, dixit eis parabolam ovis centesimæ reportatæ, relictis nonaginta novem (*Matth.* XVIII). Licet enim pastor plus diligat centum oves quam unam, tamen magis sollicitus est de perdita, quam de manentibus. Pro eodem addidit parabolam de decima drachma inventa. Et est drachma nummus certæ quantitatis habens imaginem regis. Drachma vero drachmatis, quarta pars stateris est *. Tertiam quoque de eodem subdit parabolam, de filio prodigo, in quo non solum gaudium suum de pusillis redeuntibus ostendit, sed etiam invidentium murmur arguit, in qua siliquas porcorum cibum dixit. Et est, secundum quosdam, fructus arboris sonum faciens cum comeditur. Est autem genus leguminis sonoris frondibus et vacuis, quod magis onerat quam reficit. Et nota quia quod in avibus dicitur altile, in animalibus dicitur saginatum.

* *Additio* 1. Dragma dragmatis, genus carminis, de quo dicitur: Dulcia cantica dragmatis. Drama, sine *g*, canticum personarum, quo scriptum est Canticum amoris etiam declinatur a quibusdam dramis, a quibusdam dramatis.

CAP. XCII. *De dimittendo fratri septuagies septies.*

Cumque addidisset Dominus de corripiendo fratre, qui in te solo peccavit, id est te solo sciente, prius secreto, post coram testibus, post coram Ecclesia; et addidisset, « quæcunque ligaveritis super terram, » etc., quæsivit Petrus, an dimittendum sit fratri peccanti usque septies? Respondit Jesus: Imo « usque septuagies septies, » id est quadringentis nonaginta vicibus, et etiam « septuagies septies, » id est omnem injuriam (*Matth.* XVIII). Ut bis legatur septuagies septies, ita scilicet ut prima expositio referatur ad tempus, quasi dicat: Imo semper dimittes. Secunda ad omnem injuriam, quia septuaginta septem* ex numero universitatis, et numero transgressionis, id est ex septem et undecim est compositum.

*Additio 1. Septenarius dicitur numerus universitatis, quia universitas dierum currit per septem dies hebdomadæ. Undenarius numerus dicitur transgressionis, quia unitate transgreditur decem, et non pervenit ad duodecim qui iterum bonus numerus est quan-

Digitized by Google

tum ad significata. Et nota quod qui libet tenetur rancorem animi pro injuria dimittere, etiamsi non petat veniam qui læsit. Quod si petierit, teneor ei dicere ave, subvenire sibi si indiguerit, quod non teneor nisi petat, nisi sim perfectus. Quod autem dimittendum sit petenti Dominus per servi parabolam subostendit, cujus debitum revocavit dominus suus, quia noluit misereri conservi sui.

CAP. XCIII. *Quod ob solam fornicationem uxor potest dimitti.*

Et factum est post sermones istos, migravit Jesus a Galilæa, et venit in Judæam trans Jordanem, et secuti sunt eum Galilæi, et curavit eos ibi. Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes, et dixerunt : « Si licet homini dimittere uxorem, quacunque ex causa? » (*Matth.* XIX.) Quibus ait Dominus quod Deus instituit conjugium, et ideo non licebit homini separare illud, quia etiam sic voluit Dominus, virum adhærere uxori, quem propter eam relinqueret patrem et matrem (*Gen.* II), id est affectum suum magis dirigeret homo ad procreationem liberorum, quam ad curam parentum. Sicut enim humor de radicibus ascendit ad arborem, et transmittitur ad semen, et ad radices non redit, ita affectus a parentibus ad filios transmittitur, nec convertitur, id est major est affectus et pronior parentum ad filios quam filiorum ad parentes. Cumque objecissent de libello repudii concesso a Moyse (*Deut.* XXIV), et dixisset, ob duritiam cordis eorum hoc esse permissum, id est nulla lege punitum. Non enim ordini Dei Moyses superordinaret, addidit quod excepta causa fornicationis, non liceat homini dimittere uxorem. Quod audientes discipuli dixerunt, quia non expedit nubere. Ne autem omnem continentiam meritoriam putarent, distinxit Dominus eunuchos, quia quidam sic nascuntur, qui proprie dicuntur castrati, id est caste nati. Alii facti sunt ab hominibus, qui proprie dicuntur spadones a *spata*. Alii se castrant propter regnum Dei, qui proprie dicuntur eunuchi, id est bene vincentes ab eu, quod est *bonum*, et nuche, quod est *victoria*. Et hæc ultima meritoria est.

Cumque pueris oblatis imposuisset manus et benedixisset eis, abiit inde.

CAP. XCIV. *De Galilæis, quos occidit Pilatus.*

« Post hæc ambulabat Jesus in Galilæam, quia in Judæa quærebant eum interficere (*Joan.* VII). » Aderant eo tempore quidam nuntiantes ei de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificiis eorum. Quidam enim, dicens se Dei Filium, multos seduxerat de Galilæis, quos dum duxisset in Garizim, ubi dixerat, se ascensurum cœlum coram eis, dum sacrificarent ei, superveniens Pilatus, ipsum cum omnibus occidit, timuit enim ne et Judæos seduceret. Cumque putarent eos periisse, ideo quia nequiores essent cæteris Galilæis, ait Dominus : Non minus Judæos his sceleratos, et similiter, nisi pœniterent, perituros, etiam Hierosolymitas, nisi pœniterent, perituros, sicut perierant olim Siloe, octodecim viri oppressi a turre, quam ædificabant, super quo dixit eis similitudinem ficulneæ non facientis fructum, pro qua cultor vineæ vix impetravit annum, ne combureretur, donec probaret eam (*Luc.* XIII).

CAP. XCV. *De muliere incurvata.*

Cumque doceret Sabbatis in synagoga, erat ibi mulier habens spiritum infirmitatis, quam inclinaverat spiritus infirmitatis, alias Satanæ, octodecim annis, imposuit ei manus, et erecta est (*Luc.* XIII).

CAP. XCVI. *De Scenopegia.*

« Erat autem in proximo Scenopegia (*Joan.* VII), » quod sonat umbraculorum fixionem, « et dixerunt fratres ejus ad eum : Transi in Judæam, ut discipuli tui videant opera tua, quæ facis, » qui undecunque illuc convenient. « Si hoc facis, manifestas te mundo, » quasi dicat : Si ex te facis, et non ex Beelzebub, vel *si*, pro *quia*. Illi erant consanguinei Jesu, qui ejus gloriam quærebant, ut inde participes fierent; quibus ipse ait : « Vos, ascendite ad diem festum istum, » id est ad primum. Mediante enim die festo ascendit, sed quasi in occulto. Judæi autem quærebant illum, dicentes : Ubi est ille? « Et murmur erat de illo, quia quidam dicebant : Bonus est; alii quod seductor erat; cumque ascendisset, docebat in templo, et murmurabant, dicentes : Quomodo litteras scit iste cum non didicerit? Cumque quidam dicerent : Nonne hic est Christus? Alii dicebant : Hunc scimus unde sit, Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. » Hoc dicebant, quia Isaias dixerat : « Generationem ejus quis enarrabit? » (*Isa.* LIII.) « Multi autem de turba crediderunt in eum, dicentes : Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quam hic facit? » — « Et ait illi quidam de turba : Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. Qui respondit : Homo, quis me constituit judicem super vos? » (*Luc.* XII.)

CAP. XCVII. *Quod missi ut tenerent Jesum admirabantur verba ejus.*

« Miserunt ergo principes et Pharisæi ministros, ut comprehenderent eum. Et ait Jesus : Quæritis me, et non invenietis, et ubi ego sum, vos non potestis venire (*Joan.* I). » Quasi dicat : Tales non accedetis ad me, sed post resurrectionem multi volent invenire me, si fieri posset corporaliter, et non invenient, fide tamen invenient. « Et dicebant quidam : Hic est vere propheta. Alii : Hic est Christus. Cumque rediissent ministri ad pontifices et Pharisæos, et dixissent ministris : Cur non adduxistis eum? responderunt : Nunquam sic locutus est homo, ut iste loquitur. Et increpabant eos Pharisæi dicentes : Nunquid, et vos seducti estis? Quis principum et Pharisæorum credit in eum? Et ait Nicodemus : Lex nostra non judicat quemquam, nisi prius audierit ab ipso. » Credebat, quod si patienter illum audirent sicut ipse fecerat, similes ministris fierent. « Et dixerunt ei : Nunquid et tu Galilæus es? » id est a Galilæo seductus. « Scrutare Scripturas : a Galilæa non surgit propheta. »

CAP. XCVIII. *De adultera.*

« Jesus autem iterum diluculo venit in templum

Digitized by Google

et sedens docebat populum. Et adduxerunt ei Scribæ et Pharisæi mulierem deprehensam in adulterio, et quærebant quid judicaret de ea faciendum (*Joan.* VIII).» Putabant enim quod Dominus in judicando fieret immisericors, vel injustus, ut immisericordem irriderent, et contra Moysen agentem damnarent. « Jesus autem inclinans se deorsum, scribebat digito in terra. Cumque instarent, erigens se dixit : Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat. » Quid scribebat? Quidam dicunt id quod eis respondit. Hieronymus in quadam epistola ad Studiosum, videtur eum velle scripsisse : Terra, terra, scribe hos viros abdicatos; vel : Terra terram accusat, in epistola ad Iræneum. « Audientes autem exibant unus post alium, et remansit Jesus solus ab illis, et mulier stans in medio discipulorum, et dimisit eam incondemnatam, dicens : Vade et amplius noli peccare. » Et nota, erectus dedit sententiam justitiæ. Item erectus sententiam misericordiæ, quia æque utrumque proprium est Deo misereri et punire, quia omnis Christi actio Christiani est lectio.

CAP. XCIX. *De parabola diritis volentis ampliare horrea sua, et de quibusdam verbis Domini.*

« Tunc dixit ad illos : Cavete ab omni avaritia (*Luc.* XII), » cum sit brevis hominis vita, super quo proposuit eis similitudinem de divite, qui pro fructuum ubertate deliberabat horrea sua ampliare. Cui Deus ait : « Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te; quæ autem parasti cujus erunt? Iterum locutus est Jesus illis multa : Ego sum lux mundi, ego testimonium perhibeo de me, etc.» (*Joan.* VIII.) Inter hæc dixit plane se Dei Filium, et eos in peccato suo morituros, et scituros quis esset, cum exaltarent eum a terra, et ipsos nec filios Dei esse, nec Abrahæ, et quod Abraham videret diem suum, et intulit « antequam Abraham fieret, ego sum. » Ille solus vere est, quo antequam aliquid fieret vere potuit dicere: « Ego sum. » Tulerunt ergo lapides Judæi, ut jacerent in eum. Jesus autem abscondit se, et exivit de templo. Et nota quod Judæi dixerunt : « Quinquaginta annos nondum habes, » quidam opinati sunt ab incarnatione Domini usque ad passionem plures annos fluxisse, quam ex historiis colligamus.

CAP. C. *De cæco nato.*

« Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate. Et luto facto de saliva, cum linivisset oculos ejus, misit eum ad natatoriam Siloe*, et lavit, et vidit (*Joan.* IX). » Siloe fons est ad radicem montis Sion, qui non jugibus aquis, sed incertis horis ebulit, cujus aquæ, ut exciperentur, quasi stagnum non longe a fonte erat constructum, quam collectionem, modo piscinam, modo natatoriam, vocat Scriptura. « Erat autem Sabbatum. » Unde et Pharisæi cum accepissent ab illuminato, quod Jesus eum illuminaverat, dixerunt ei : « Da gloriam Deo. Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit. Cumque ille commendaret Jesum, et adderet : Nunquid et vos discipuli ejus vultis fieri? maledixerunt ei, et dixerunt : Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus, hunc unde sit nescimus, » id est non approbamus. Supra enim dixerunt se eum scire. Putabant autem Jesum maledictum, et omnes credentes in eum maledictos. « Et cum eum ejecissent foras, invenit eum Jesus. Cumque dixisset ei se esse Filium Dei, ille adoravit eum. Et ait illi Jesus : In judicium ego veni in mundum, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant, » quasi dicat : In hoc quod te medicum illuminavi, intellige, quod ego veni separare pauperes spiritu a superbis, qui se sciolos jactant, ut illi illuminentur, isti, id est scioli cæcitatem mentis incurrant.

* *Additio* 1. In valle Josaphat, secundum traditionem Syriorum; Siloe manat sub terra

CAP. CI. *De signis perfectionis, et de impossibilitate intrandi divitem in regnum cœlorum.*

« Et cum egressus esset Jesus, in via adolescens genuflexo rogabat eum : Quid faciam, ut habeam vitam æternam? Cumque injunxisset ei de custodia mandatorum, et audisset eum servasse ea, docuit eum de perfectione, et unum signum perfectionis proposuit, dicens : Vade, et vende omnia quæ habes, et veni, sequere me (*Matth.* XIX; *Marc.* X; *Luc.* XVIII). » Est enim perfectio prælatorum, cujus signum est, relinquere omnia, et ponere animam pro ovibus. Est etiam contemplativorum, cujus signum est habere mortem in desiderio, et vitam in patientia. Est et clericorum, cujus signum est continentia. « Hæc audiens adolescens, abiit tristis, erat enim pecuniosus valde et locuples. Tunc ait Jesus ad discipulos : Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. » Facilius significat hic minus positivo sui contrarii, id est minus est difficile, quia minus est impossibile. Potest enim Deus facere, ut camelus transeat per foramen acus, nullo obstante. Avarum vero, qui hic nomine divitis intelligitur, ponere in gloria, si potest de potentia, de justitia non potest. Gradus vero comparationis inter impossibilia, ne mireris. Impossibilius enim est equum converti in lapidem, quam in asinum cui est accommodatior naturaliter, quam lapidi. Fuerunt qui dicerent, in Jerusalem parvam fuisse portam, quæ Acus dicebatur, ad quam cum veniebant cameli, pro compendio viæ cum oneribus suis, non poterant transire, vel subire eam. Exonerati ergo transibant, et iterum receptis oneribus minabantur; secundum hoc ergo similitudo notatur hic, non impossibilitas. Oportet enim avarum amorem opum dimittere, si vult ingredi ad vitam. Quod autem nomine divitis avarum significasset, hinc patet quod discipuli subdiderunt : « Quis enim poterit salvus fieri? » Plures enim sunt pauperes divitibus, et ita plures possunt salvari, si de possessoribus opum dixisset. « Quibus ait Jesus : Apud homines hoc est impossibile, apud Deum autem omnia possibilia sunt. »

Digitized by Google

Non quod tales Deus possit salvare, sed quia potest eos justificare, et tunc salvare.

CAP. CII. *Quod relinquentes pro Christo omnia judicabunt.*

« Tunc Petrus ait : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te ; quid ergo erit nobis? » (*Matth.* XIX.) Supple, relinquendum ? Illa enim omnia reliquerat Petrus, de quibus dictum : « Et omnia vanitas (*Eccle.* I). » Illa autem omnia sibi retinuerat, de quibus dictum est : « Deus est omnia in omnibus (*I Cor.* XV). » — « Et respondit Jesus : Cum sederit Filius hominus in sede majestatis suæ in regeneratione, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Fit in baptismo prima regeneratio in anima, fiet in judicio secunda in corpore. Ibi contemptores mundi eum Domino judicabunt, non solum cooperatione, sed etiam auctoritate. Duodenarius autem ponitur pro plenitude potestatis, et duodecim tribus Israel pro omnibus judicandis. Duodenarius enim ex septenario, qui est numerus universitatis surgit, id est ex partibus septenarii in se ductis. Quidam tamen hoc solis discipulis dictum dicunt, et impletum jam esse in subjectione mundi, quia quasi potestatem habentes super omnem Ecclesiam sedent. Post ad omnes generaliter sermo directus est : « Omnis qui reliquerit domum, aut parentes, etc., centuplum accipiet, » nunc in hoc tempore, et in futuro « vitam æternam. » Quia præter spiritualia, quæ quasi centuplum sunt comparata carnalibus, sancti viri alios sanctos plus etiam propinquis suis diligunt.

CAP. CIII. *De divite et Lazaro.*

Pharisæi vero audientes eum disputantem de contemptu mundi deridebant eum (*Luc.* XVI), quia lex observatoribus suis bona terræ promittebat. Ipse autem, contra eorum avaritiam, exemplum eis proposuit de divite purpurato, et epulone, qui in inferno cruciabatur, quia receperat in vita sua bona, id est sola illa, quæ putaverat bona. Nec fuit hoc parabola, sed in re ipsa, quod perpenditur, quia nomen mendici ibi ponitur Lazarus scilicet, qui positus est in sinu Abrahæ. Erat enim in superiori margine inferni locus, aliquantam habens lucem, sine omni pœna materiali, in quo erant animæ prædestinatorum, usque ad Christi descensum ad inferos, qui locus propter sui tranquillitatem sinus Abrahæ dictus est, ut sinum matris dicimus. Et dicebatur Abrahæ, quia fuit prima credendi via, ipse enim primus publice prædicavit unum tantum Deum esse. Hunc locum vocavit Job tenebras, pro tædio exspectandi, dicens : « Et in tenebris stravi lectulum meum (*Job* XVII). » Nota quod dives dixit se cruciari in lingua, id est pro peccato linguæ, quia epulones loquaces esse solent. Nec mirum si anima translative dicatur membra habere cum divinitas eodem tropo per membra distinguatur. Fuerunt tamen qui dicerent, et angelos, et animas, corpora habere aerea. Alioquin animæ ignem urentem non sentirent, quod super Genesim invenies. Alii dicunt, quod ad sentiendam ustionem ignis, non est necesse habere corpora, est enim quædam species ignis cui si imponas manum, ardorem senties, sine aliqua læsione manus. Quod autem Abraham *chaos* inter eos firmatum dixit, vel *chaus*, ut veteres codices habent, forte in re ita erat, vel perpetuam bonorum et malorum, dissimilitudinem post hanc vitam notat. Cumque dives rogaret, de mittendo Lazaro ad fratres suos, audivit, habent Moysen et prophetas. Unde et conjicitur quod Judæus fuerit, pro quo etiam forte Abraham vocavit eum filium, et ille ipsum patrem.

CAP. CIV. *De villico iniquitatis.*

Ad discipulos autem proposuit Jesus parabolam de villico iniquitatis (*Luc.* XVI). Et est villicus propriæ villæ custos, sed hic accipitur pro œconomo. Hic timens amoveri et egere, clanculo fecit misericordiam cum debitoribus domini sui, ut, cum ejiceretur, memores beneficiorum, reciperent eum in domus suas. Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, non quia inique, sed quia prudenter egisset. Est enim prudentia, quædam sibi in posterum providentia, et ex hoc quasi a minori intulit Dominus dicens : Si sibi in futurum providens, etiam cum dolo, laudatur, ergo « facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, » quasi dicat : Quanto laudandi magis eritis, si provideritis vobis sine dolo. Mammona lingua Syra *divitiæ*, et mammos *Satanas*, qui opibus seducit. Quæ dicuntur iniquitatis, quia de iniquitate colligi solent. Unde vulgata sententia dicitur : Omnis dives, aut iniquus, aut hæres iniqui. Hoc quidam male intelligentes, rapiunt, ut bene dispensent. Sed qui offert sacrificium de substantia pauperis, idem facit, ac si victimet filium in conspectu patris. Vel potest sic exponi, quia Dominus in hoc verbo, et hic providet nobis, et in futuro, quasi dicat : Vobis reservate de rebus vestris ad solatium vitæ. De superfluo facite vobis amicos. Quod enim ultra necessaria vitæ retinetur, nec proximi necessitatibus erogatur, pecunia est iniquitatis, id est contra æquitatem. In ea enim non servamus æquitatem, quam proximo debemus, quem scilicet sicut nos diligere tenemur. Et nota quod non omnes pauperes possunt nos recipere in æterna tabernacula, sed quia largimur his, recipiemur ab angelis; bonum est tamen eligere bonos pauperes, cum possumus. Et adjecit Dominus : « Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens eam, plagis vapulabit multis; qui autem non cognovit, vapulabit paucis (*Luc.* XII). » Multi propter hoc avertunt aurem, ne audiant verbum Dei, sed hi non nescientes, sed contemptores judicantur.

CAP. CV. *De denario diurno.*

Tunc Dominus proposuit eis similitudinem de patrefamilias, qui conduxit operarios in vineam suam ex denario diurno (*Matth.* XX). Cumque nonnisi quinque horæ diei ibi numerentur, tamen omnes subintelliguntur sex ætates, tam temporis quam

Digitized by Google

hominis. In undecima enim quinta, et sexta ætas, vel chilias intelligitur. In eadem quoque senectus, et decrepita. Identitas siquidem denarii eamdem perpetuitatem notat. Nullius enim vita ibi brevior aut largior erit alia, sed idem « Deus omnia in omnibus (*I Cor.* xv), » notatur in ea. De murmure vero recipientium dici potest, quia ibi non erit murmur invidentium, sed admirantium de magnitudine præmii. Solet enim murmur quandoque accipi pro confusione vocum. Vel potest trahi murmur, ad statum præsentem. Interrogatio vero, cur pares fecisset in gloria, ad futurum. Causam enim dilationis Christi a gloria, pro qua potuerunt murmurare antiqui, tunc demum scient, quam nunquam sciverunt, scilicet ne sine vobis glorificarentur. Admirationem autem, eadem de causa cognita, expressit Dominus sub interrogative : « Annon licet mihi facere quod volo? » Post concludens parabolam ait : « Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi, » id est Judæi et gentes æquabuntur in ingressu regni cœlorum, quia nullus intravit, usque in septimam ætatem quiescentium, quæ incipit plene in ascensione*. In resurrectione quoque corporum, electi cujuscunque ætatis, vel temporis, vel hominis, æquabuntur, nisi forte pauci ante resurrexerint, quasi privilegiati : quidam tamen, quod in hac parabola legitur : « An oculus tuus nequam est? » et in fine : « Multi sunt vocati, pauci vero electi, » dicunt laborantes in vinea, omnes fideles cujuscunque temporis vel ætatis; quorum quidam boni, alii vero mali, et vocant, accipientes cum murmure, malos, putantes se plus accepturos, et quia priores fuerunt in Ecclesia, vel tempore, vel dignitate, etiam plus aliis accepturos. De quibus Propheta dicit : « Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis (*Psal.* xc). » Et Dominus in Evangelio dicit se dicturum talibus : « Nescio vos (*Matth.* xxv). » Quamvis etiam de eisdem videatur sermo fieri, id est de accipientibus denarium, tantum secundum regulam Ciconii de diversis ili agitur, scilicet de accipientibus et non accipientibus, sed putantibus se accepturos, sed nunc nec putabunt, nec accipient. Vel potest esse syneresis, quia si vellent primi murmurare posset rationabiliter murmur eorum comprimi.

*Additio 1. Quod licet incœperit per causam in passione, tamen consummata fuit in ascensione, ut æger, sumpta potione, causam sanitatis habet, sed nondum plene sanus est.

Cap. CVI. *De hydropico, et exhortatione ad humilitatem et misericordiam.*

Et factum est, cum Sabbato manducaret panem in domum cujusdam principis Pharisæorum, erat ante eum hydropicus (*Luc.* xiv). Est autem hydropisis, aquosus humor, subcutaneus, de vitio vesicæ natus, cum inflatione et fetido anhelitu. Observabant autem Pharisæi Jesum si Sabbato curaret. Cum quæsisset ab eis, si licet Sabbato curare? et tacuissent, apprehensum languidum sanavit. Post probavit licere curare, quia pecus lapsum in puteum die Sabbati extrahitur. Mirum autem erat, quod de curationibus in Sabbato eum arguebant. Habent enim in traditionibus suis, determinata operum genera circiter octoginta a quibus vacandum est Sabbato, inter quæ non est curatio, maxime quæ fit solo verbo, sicut Dominus sæpe curabat. Dicebat autem etiam ad invitatos parabolam : « Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco. » Contra superbiam Pharisæorum humilitatem docebat. Et nota quod hoc non est parabola, sed potius exemplum unius operis humiliter faciendi. Quod quia ideo proponitur, ut ad similitudinem ejus cætera fiant, parabola vocatur, quasi similitudo in exemplo. Illum autem, qui eum invitaverat, monebat ad misericordiam, dicens : « Cum facis prandium, noli invitare cognatos et divites, sed pauperes. » Non damnat amicorum invitationem, sed voluntatem luxuriose vivendi, vel edendi, et se invicem reinvitandi ex eo quod Dominus ait hic : « Retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. » Et quidam de discumbentibus intulit : « Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. » Erravit Cerinthus dicens, etiam corporalem ibi futuram refectionem, sicut homo creatus est immortalis, non tamen sine ciborum alimonia.

Cap. CVII. *Quod in Encæniis voluerunt Judæi lapidare Jesum.*

« Facta sunt autem Encænia in Hierosolymis, et hiems erat (*Joan.* x). » Encænia dicuntur, quasi enchænea, a neos, quod est *novum*, et sonat *innovationes*, et est ibi intentivum; quia subvectionem notat, quando scilicet aliqua domus, aut vas, aut vestis a communi usu ad celebrem et divinum usum subvehitur, quod Latinus dicit *dedicationem*. Tamen Hebræus vocat dedicationeem, inchoationem usus novæ rei, ut cum primo inhabitamus novam domum, aut induimus novam vestem. Hic autem Encænia vocantur, festum dedicationis templi, quod annuatim fiebat. Hoc autem festum, non ad primam, vel secundam dedicationem templi spectabat, sed ad tertiam. Prima enim fuit in autumno, quia Salomon dedicavit templum decima die Septembris, et usque ad templi illius eversionem fiebant quotannis duo festa eadem die, dedicatio scilicet, et expiatio. Cum vero reædificatum fuit templum a redeuntibus de Babylone, dedicatum est in vere 12 die Martii, id est 12 luna. Cum autem Antiochus Epiphanes polluisset templum sordibus idolorum, et profanasset utensilia ejus, Judas Machabæus, filius Asamonæi, de genere sacerdotali, mundavit templum, restituit utensilia in locis suis, et quasi dedicavit illud 25 die Decembris. Et hæc dedicatio, in diebus Jesus, observabatur in hieme. Forte adhuc hoc est festum Luminum apud Judæos, quia et Josephus testatur, etiam sub Machabæis vocatum hunc diem, diem Luminum. « Et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis. » Nomine templi sæpe vocatur porticus templi, ut hic : In

Digitized by Google

templum enim non ascendebant nisi ministri templi. Porticus ante illa dicebatur templum Salomonis, in quo solebat stare ad orandum, in qua in die dedicationis erexit columnam æream, supra huam oravit, flexis genibus, cum tamen Judæi soleant stare cum orant. « Et dixerunt Judæi : Quousque animas nostras tollis? si tu es Christus, dic nobis palam? » Ideo quærebant quia si se Christum diceret, tenerent eum, tanquam contra Augustum se erigentem. Ideo Christus responsum temperavit, dicens : « Loquor vobis, et non creditis; opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Cumque dixisset : Ego et Pater unum sumus, sustulerunt Judæi lapides, ut jacerent in eum. Cumque dixissent se velle eum lapidare pro blasphemia, quia, cum esset homo, Deum se faciebat, dixit : Quia Scriptura homines dicit deos, » ut ibi : « Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI). » Ergo multo magis, quem Pater miserat in mundum, dici potest Deus, cum tamen dicatur homo Deus, et verbum Deus, dissimiliter. Hac ambiguitate nominis iram eorum mitigavit. « Quærebant ergo eum apprehendere, et exivit de manibus eorum, et abiit trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans primum. »

CAP. CVIII. *De resurrectione Lazari.*

« Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania de castello Mariæ et Marthæ. Cum autem accepisset Lazarum infirmari per nuntium sororum ait : Infirmitas hæc non est ad mortem (*Joan.* XI), » ad eum scilicet detinendum in morte, « et mansit in eodem loco duobus diebus, » quousque scilicet quatriduum implerctur. « Tunc ait discipulis : Eamus in Judæam iterum. Qui dixerunt : Judæi volebant te lapidari, et iterum vadis illuc. » Jesus autem dixit se esse quasi diem, et ipsos quasi duodecim horas, et ideo non erat eis timendum cum eo ire. Et nota quia si Judas adhuc erat bonus, tunc hora dici erat, et si jam malus pro Mathia, substituto ei, dictum est. Dicitur et aliter, quasi dicat : Putatis Judæos perseverare in voluntate me lapidandi. Sicut horæ mutabiles sunt, sic et affectus hominum. Et etiam sæpius mutatur in die cor hominis quam horæ. Et qui ambulat in die, id est in pace, sicut et ego, et vos, non offendit aliquem, et ideo securi eamus. Et addidit : « Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, quia non eram ibi, » quia dum eis longe posita indicat, roboratur fides eorum. Rediit ergo Jesus in Bethaniam* cum discipulis suis, et Martha occurrit ei extra castellum. Et advocata Maria, multis Hierosolymitis præsentibus, qui venerant ad consolandas sorores, venerunt ad monumentum, et ad vocem Jesu, non solum suscitatus est, sed prodiit licet ligatus institis. Multi ergo de Judæis ad Pharisæos abierunt, et nuntiaverunt quæ viderant **, et celebris erat sermo de eo apud Judæos. Multi enim jam ascenderant ad diem festum ut sanctificarent se. Creditur enim hoc esse factum ea die qua legitur in Quadragesima, scilicet sexta feria ante. Isti sunt dies; prima scilicet die mensis primi, secundum legem.

* *Additio* 1. Bethania enim non distat a Jerusalem, nisi stadiis quindecim.

** *Additio* 2. Ecce duplex miraculum, scilicet quod mortuus resuscitatus est, et quod ad vocem Jesu libere ambulavit, quasi solutus.

CAP. CIX. *Quod pontifices et Judæi conspiraverunt in Jesum.*

« Collegerunt ergo pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant : Quid facimus? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem (*Joan.* XI). » Quasi dicerent : Venerabilis et sanctus haberi locus hic gentibus, quia Alexander, et Pompeius, et alii venerati sunt ipsum, et reges Persarum et Ægypti. Hic autem homo docet, sacra nostra abolenda et vana. Ergo Romani scientes opes templi, tollent eas, audientes, impune tollendas. « Tunc Caiphas, quia pontifex erat anni illius, quid faciendum esset eis decrevit, dicens : Expedit vobis, ut unus moriatur homo, et non tota gens pereat. » Et prophetavit utilem generi humano mortem Christi, licet nescius. « Ab illa ergo die cogitaverunt eum interficere*, » imo conduxerunt, ut inventus duceretur in Jerusalem. « Jesus ergo jam non palam ambulabat apud eos; sed abiit juxta desertum in civitatem, quæ dicitur Ephrem. »

* *Additio* 1. Quia ergo jam destinatus erat morti, ab ipso Sabbato, quo collegerant concilium, inchoamus memoriam Dominicæ passionis, in hymnis maxime, et subticemus : *Gloria Patri*, in responsoriis, et in Introitu missæ, nondum tamen plene, quia nondum traditus erat Dominus in manus lanistarum.

CAP. CX. *De ultimo adventu Domini in Jerusalem.*

(48-49) Factum est autem dum complerentur dies Assumptionis ejus, firmavit faciem suam, ut iret in Jerusalem. Assumptionem Jesu dixit Lucas, non solum tempus, quo assumi debebat de hoc mundo ad Patrem, sed etiam secundum præceptum de agno paschali, qui decima die mensis primi assumebatur de grege, et servabatur usque ad quartum decimum diem. In hunc modum Jesus decima die, id est in Ramis Palmarum venit ad locum passionis, et mansit in eo, usque dum passus est.

CAP. CXI. *De decem leprosis.*

« Et factum est dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Galilæam et Samariam. Et in ingressu cujusdam castelli, occurrerunt ei decem viri leprosi dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri, et respondit : Ite, ostendite vos sacerdotibus, et dum irent, mundati sunt. Quorum unus, ut vidit se mundatum, rediit, et adoravit * Jesum, magnificans Deum. Et hic erat Samaritanus (*Luc.* XVII), » qui

(48-49) De hoc ascensu omnes loquuntur, excepto Joanne.

Digitized by Google

non redierunt Judæi erant, in quo notatur perfidia Judæorum.

* *Additio* 1. Sola unitas Ecclesiæ cadit in faciem, adorans. Inde est quod in profestis diebus prostrati concludimus horas, si non ad terram, saltem super stratorium, ubi quatuor signantur: Infirmitas corporis, quia de pulvere sumpti; et infirmitas animi quia per nos non erigimur; et erubescentia, quia non audemus oculos levare ad cœlum; et prudentia, quia videmus ubi cadimus, id est in terrenis affligimur. Et videmus quare. In privatis orationibus quandoque, flexis genibus, ut Salomon, sed elevata facie, oramus, quasi dicamus: « Trahe me post te (*Cant.* I). » Quandoque stantes, quasi dicamus: « In domum Domini lætantes ibimus (*Psal.* CXXI). » In primo ergo exprimimus conditionem nostram, in secundo desiderium, in tertio spem.

CAP. CXII. *De Samaritanis negantibus hospitium Domino.*

Dumque præmisisset nuntios in civitatem Samaritanorum, non sunt recepti hospitio (*Luc.* IX). Samaritani enim invidebant euntibus in Jerusalem adorare, quia dicebant in monte Garizim esse orandum propter prophetas. Et irati Jacobus, et Joannes dixerunt: « Vis, dicimus, ut ignis descendat de cœlo, et consumat eos? Et increpavit eos Dominus. » Hujusmodi vindicta, quæ laudatur in Elia, in his damnatur, quia ille ex charitate, hi ex ira hoc appetebant.

CAP. CXIII. *De petitione filiorum Zebedæi.*

Et assumens iterum seorsum duodecim ait: Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur prophetiæ de Filio hominis (*Matth.* XX; *Marc.* X). Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, conspuetur, crucifigetur, et tertia die resurget. Quod audientes filii Zebedæi, putantes imminere regnum Jesu in Israel, suggesserunt matri suæ, ut peteret ab eo munus sine nomine, quo concesso, subderet: « Dic ut hi duo filii mei sedeant, unus ad dexteram, alius ad sinistram in regno tuo. Jesus autem non respondit matri, sed petentibus per matrem: Nescitis quid petatis, » quasi diceret: Prælationem quæritis in cœlo, quæ nulla erit ibi. Et male quæritis: rognare enim vultis, qui non meruistis: « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Aut baptismo, quo ego baptizor baptizari? Dicunt ei: Possumus. » Calix * passionem, baptisma mortem signat, et dicitur ad similitudinem lanæ intinctæ. Sicut enim lana intingitur, et accipit alicujus coloris dignitatem, sic nos in mortem, descendimus corporales, et resurgemus spirituales. Calix ad litteram scyphus est quo calidam sumimus potionem. Macrobius Theodosius dicit, scyphum esse, quem invenerunt Cilices **, et dixerunt cilicem, qui nunc mutata littera *i* in *a* dicitur calix. Cassiodorus super psalmos dicit, calix dicitur passio, quia cum mensura bibitur: « Fidelis enim Deus, qui non sinit nos tentari supra id quod possumus (*I Cor.* X). » Est enim calix scyphus, cum quo mensurate distribuitur potus bibentibus. Et secundum hanc distinctionem calicis, et baptismi recte subdidit Dominus: « Calicem quidem meum bibetis, » et tacuit de baptismo. Joannes enim non martyrium, sed passiones multas circa mortem sustinuit. Alii tamen, et calicem, et baptismum pro eodem accipiunt, scilicet pro martyrio. Et dicunt Joannem animo fuisse martyrem, quia animo non defuit martyrium, et in ferventis olei dolium missus est. In hunc modum Hieronymus dicit de monachis: Monachi debent habere puritatem martyrum, siquidem, et ipsi martyres sunt. Addiditque Jesus: Sedere autem ad dexteram, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, subaudi, talibus, quales vos estis, quia estis ambitiosi. Vel vobis, quasi pro nobis, id est quia propinqui mei estis. « Non enim personarum acceptor est Deus (*Act.* I), » ut scilicet personatum aliquem observet sine meritis in dando salutem æternam. Et cum indignarentur decem de duobus fratribus, docuit Dominus hos et illos, non venturos ad regnum, nisi per humilitatem et dedit se in exemplum eis dicens: « Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. » Quia enim homo cecidit per superbiam, per aliam viam redire oportet eum in regionem suam. Ad quod significandum dominus papa in processionibus redit per aliam viam, ab ea per quam egressus est.

* *Additio* 1. Calix est scyphus quo calidam sumimus potionem, id est potum, qui calefacit, ut vinum, cerevisiam, medonem, et hujusmodi, quæ calefaciunt corpus humanum. Scyphus dicitur vas, quo sumimus potum, cibo infunditur tantum ad mollificandum; sicut est aqua simplex, quæ non nutrit, sed soliditatem cibi per membra deportat. Hæc est propria differentia inter scyphum et calicem.

** *Additio* 2. Item Cilices populi sunt, quorum terra calidissima est, qui invenerunt quoddam genus contra calorem, quod Græce *cilicos* dicitur, et per mutationem *i* in *a* dictum est *calicos*.

CAP. CXIV. *De Zachæo et cæco prius illuminato.*

Et antequam ingrederetur Jericho illuminavit cæcum unum et ingressus perambulabat Jericho (*Luc.* XVIII). Zachæus autem princeps publicanorum, quia pusillus erat, ascendit arborem sycomorum ut videret Jesum transeuntem (*Luc.* XIX). Sycomorus ficus fatua dicitur, in foliis moro similis, in aliis similis ficui. Unde dicitur quasi sycomorus, sed altitudine præstans, unde et a Latinis celsa nuncupatur. « Dixit ei Jesus: Zachæe, descende, quia hodie oportet me in domo tua manere. Et descendit, et excepit illum gaudens in domum suam. » Tunc Zachæus dimidium bonorum suorum dans pauperibus, dimidium retinuit, ut inde redderet his quos defraudaverat, in quadruplum, quæ in duplum vel quadruplum restituebantur, secundum legem, sicut supra dictum est. « Et ait Jesus: Hodie huic domui salus facta est, eo quod ipse Zachæus fi-

Digitized by Google

lius sit Abrahæ factus, » scilicet non natus, id est non secundum carnem, sed fidem.

* *Additio* 1. Salus fit Zachæo descendenti. Judæi adhuc in sublimi stantes orant, majores primas cathedras habent in synagogis eorum. Ecclesia descendit, et majores in choro, in processionibus posteriores fiunt.

CAP. CXV. *De duobus cæcis Jerichontinis.*

Et, egrediente eo Jericho, secuta est eum turba multa (*Marc.* x). Pauci enim non audebant ingredi desertum propter latrones. Et ecce duo cæci sedebant secus viam, ex quibus unus Bartimæus erat, id est Timæi filius. Qui cum clamarent : Fili David, miserere nostri, et cum increparentur ut tacerent, magis clamabant. Stetit Jesus, et illis ad se vocatis tetigit oculos eorum, et confestim viderunt, et secuti sunt eum.

CAP. CXVI. *De alabastro unguenti.*

Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit in Bethaniam, Sabbato scilicet ante Ramos Palmarum, quæ dies sexta erat ante Pascha, si numeremus ipsum, et diem Paschæ cum quatuor interpositis, et erat in domo Simonis leprosi (*Matth.* xxvi ; *Marc.* xiv ; *Joan.* xii). Simon fuerat leprosus, et a Domino sanatus, sed tamen adhuc pristinum nomen manebat, sicut et adhuc dicitur Matthæus publicanus. Multique Judæorum venerunt illuc, qui convenerant ad diem festum non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum suscitatum viderent. Cogitaverunt ergo principes sacerdotum, ut Lazarum interficerent. Fecerunt autem ei cœnam, et Martha ministrabat, et Lazarus unus erat discumbentium. Qui, ut ait Augustinus de verbis Domini, convivis interrogantibus loca pœnarum, et sedes inferni, diligenti narratione indicavit. Et ita inferni longis temporibus ignorati, tandem invenerunt proditorem. Maria ergo habebat alabastrum unguenti nardi, id est pyxidem de alabastro plenam unguento nardi. Sicut enim dicimus scyphum vini, scyphum lactis, et hujusmodi, sic dicitur hæc habens alabastrum unguenti. Et est genus marmoris candidi, et perlucidi variis coloribus intertincti, quod incorrupta servat unguenta. Nardus autem est frutex aromatica, crassa radice ; sed brevi, nigra et fragili, cypressini odoris, folio perparvo, densoque, cujus cacumina in aristas se spargunt. Pigmentarii spicas, et folia nardi celebrant, unde ad commendationem unguenti, ait Marcus, spicati pretiosi. Erat enim de nardo Indica. Alia enim genera nardi vilia sunt. Joannes qualitatem expressit, dicens : Libram unguenti nardi pistici *, id est fidelis. Pisteuo enim *credo*, et pistis *fides* dicitur, nulla scilicet adulterina admistione corrupta. Quidam tamen pisticum dictum a loco putant. Fregit autem, vel aperuit Maria alabastrum, et effudit unguentum super caput Jesu, et etiam unxit pedes ejus, et extersit capillis suis, et domus impleta est ex odore unguenti. Et quia eadem die Maria fovit pedes Domini unguento, in memoriam hujus rei, eodem Sabbato dominus papa dicitur multis erogare pauperibus. Hic enim pedes Domini, sedentis in cœlo, adhuc sunt ambulantes in terra. Cujus largitionis occupatione ea die non egreditur ad aliquam ecclesiam, cum cæteris diebus Quadragesimæ stationem ** faciat ad celebrandam missam. Inde est quod in antiquis gradualibus legitur in Rubrica. Sabbatum vacat, quia dominus papa eleemosynam dat. Et in *Romano capitulari Evangeliorum*, fer. vi, datur fermentatum consistorio Lateranensi. Nec moveat te, si ob aliam causam inveneris dictas Dominicas vacantes. Indignabatur autem Judas Iscariotes, quasi deperdito unguento, cum posset vendi trecentis denariis, et dari egenis. Erant et alii indigne ferentes et dicentes : « Utquid perditio hæc unguenti facta est? » Isti quidem propter pauperes indignabantur, quibus forte verbis Judæ persuasum erat. Judas vero propter lucrum, quia fur erat, et loculos Domini habens, quæ mittebantur portabat, id est non solum ferebat, sed asportabat. Habebat enim uxorem et filios, sicut scriptum est de eo : « Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua, etc (*Psal.* cviii). » Uxori ergo et filiis dabat quæ furabatur. « Et ait illis Jesus : Quid molesti estis huic mulieri? Bonum opus operata est in me, ad sepeliendum me fecit. » Quasi dicat : Non est perditio, sed officium sepulturæ. Joannes ait : « Sine illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. » Marcus quasi exponens hoc ait : « Quod habuit, » id est quod potuit, « hoc fecit, prævenit enim ungere corpus meum in sepulturam, » subaudi, ponendum ; quasi dicat : Sine ut faciat vivo, dum potest, quod volet facere mortuo, sed non poterit. Et forte a Spiritu sancto, licet nesciens, sic præoccupavit unctionem sepulturæ mulier. « Tunc dixit Jesus : Opus hoc memorandum ubicunque prædicaretur evangelium hoc, » et bene dixit evangelium hoc. Nondum enim scripta erant Evangelia.

* *Additio* 1. Vel pistici, id est misti, de spicis et foliis confectum, quod est pretiosius, ut dixit Beda super Marcum. Et forte pixis misturam sonat, inde *pixis, pixidis.*

** *Additio* 2. Legitur tamen in quibusdam sacramentis, statio ad Sanctum Petrum. Et potest dici vacans, quia non habet propriam antiphonam ad introitum, sed pridiana repetitur.

CAP. CXVII. *De maledictione ficus, et sessione super asellum.*

Mane autem facto ascendebat Jesus Jerosolymam, et discipuli ejus cum eo (*Matth.* 21 ; *Marc.* xi ; *Luc.* xix ; *Joan.* xii). Et cum venisset Bethphage, qui erat viculus sacerdotum, et in latere montis Oliveti, misit duos de discipulis in castellum, quod contra eos erat, id est in Jerusalem, ut adducerent ei asinam et pullum ejus, qui erant alligati in bivio, et si quis contradiceret, dicerent Dominum his opus habere. Asina hæc dicitur fuisse communis pauperibus, qui propria jumenta non habebant. Cumque quis in ea operatus fuerat pabulum dabat ei, et pullo qui pariter ad opera com-

Digitized by Google

munia nutriebatur. Nondum enim quisque ascenderat eam, et ob ejus ita commune obsequium, quidam eam dictam subjugalem putant, quasi omnium dominio expositam. Sed Græcum nomen est *subjugalis*. *Asina* enim Latine, Græce dicitur *subjugalis*. Et utrumque nomen ob eamdem causam institutum est. Hoc enim jumentum primum insedit homo, et *a sedendo* asinum Latinus dixit, et Græcus *subjugalem*. Hi autem duo missi fuisse creduntur Petrus et Philippus, ad significandum, quia ipsi primum adduxerunt gentes ad Jesum, Petrus Cornelium, et domum ejus, Philippus Samariam (50). In hoc itinere dum ascenderet Jerusalem, putamus eum esuriisse, et accessisse ad ficum, et cum non invenisset in ea nisi folia, et non fructum, ait : « Nunquam amplius ex te exeat fructus ; et statim aruit. » Quod tantum in signum Synagogæ, maledictæ et arefactæ, perversæ scilicet mendacitatis, fecit Jesus. Non enim quærebat fructus ex ea cum nondum tempus ficuum erat, quod licet apud Matthæum legatur sequenti die factum; Marcus quoque dicat, alia die cum exiret a Bethania, esuriit, putamus recapitulando dictum esse. Marcus enim narrat hoc factum esse ante ejectionem vendentium de templo, quam constat die Dominico factam. Nec ob aliud tamen, hunc ordinem Marci sequimur, nisi quia post Matthæum scripsit. Sive autem Matthæus secunda feria dicat factum, recapitulando, sive Marcus ante ejectionem præoccupando, quia de facto non est quæstio, de die arbitrio legentis relinquimus. « Euntes autem discipuli fecerunt sicut præceperat eis Jesus. Et ponentes vestimenta sua super pullum, eum desuper sedere fecerunt. » Marcus, Lucas et Joannes non dicunt eum sedisse, nisi super pullum. Zacharias quoque propheta dixit : « Sedens super pullum asinæ (*Zach.* IX). » Matthæus dicit eum sedisse super asinam et pullum. Quod licet brevis esset via, fieri tamen potuit, ut primo insedisset pullo, et forte quia nondum domitus et lascivus erat, descendit, et insedit asinæ, quod si super pullum tantum, Matthæus tamen super utrumque posuit, quia utrumque fieri potuit in mysterio. Quod autem hoc prophetatum fuerat per Zachariam de Jesu, non cognoverunt discipuli, donec glorificatus fuit Jesus.

Cap. CXVIII. *Quod gloriose susceptus Dominus flevit super civitatem.*

Et cum appropinquasset Jesus ad descensum montis Oliveti, multi descendentium cum eo substernebant vestimenta sua in via, alii cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via (*Matth.* XXI ; *Marc.* XI ; *Luc.* XVI ; *Joan.* XII). Turba autem multa, quæ convenerat ad diem festum, et pueri, et plebecula Hierosolymorum tollentes ramos olivarum, processerunt ei obviam. Et qui præcedebant, et qui sequebantur clamabant : Osanna filio David. Et est Osanna verbum Hebræum, compositum ex corruA pto et integro. Osi enim sonat *salva*, vel *salvifica*. Anna est interjectio obsecrantis, sicut *papæ* admirantis. Quæ quia in Latino eloquio non habetur, pro ea posuit Hieronymus noster *obsecro*. Est ergo Osanna, quasi osi anna, *salva obsecro*. Et est una dictio, ut diximus, vel duæ per elipsim, id est per elisionem, vel per subtractionem unius litteræ, quæ est *i* prolatæ. Vel est una dictio, et construitur ita, dicentes : « Filio David Osanna, » id est *salva obsecro;* vel sunt duæ dictiones, et tunc legitur ita, dicentes : « Osanna, o fili David. » Et post, convertendo sermonem inter se, dicebant : « Benedictus qui venit rex in nomine Domini, » subaudi *sit* vel *est*, et benedictum quod venit regnum patris nostri B David, quasi dicat : Hic est de quo dictum est : « Dabit illi Dominus sedem David patris ejus (*Luc.* I). » Et iterum, convertentes verba ad ipsum, dicebant : « Osanna in excelsis, quia licet forte petebant sublimitatem regni terreni, tamen prophetice nescientes eum Regem cœli et angelorum prædicabant. Et quidam Pharisæorum de turba dicebant ei, ut increparet discipulos. Quibus respondit : « Hi si tacuerint, lapides clamabunt (*Luc.* XIX), » quia in passione his tacentibus præ timore, petræ scissæ clamaverunt eum Dominum mundi. « Et, ut appropinquavit Jerusalem, flevit super civitatem, dicens : Quia si cognovisses, et tu, subaudi *fleres*, quia circumdabunt te inimici tui vallo, et non relinquent in te lapidem super lapidem, quasi dicat : Si cognosceres ruinam tuam futuram, et causam ejus, C quæ abscondita sunt tibi in hac die, quæ ad pacem tibi est, fleres. Quod autem illa Jerusalem prior funditus eversa sit apparet, quia locus Calvariæ, qui tunc erat extra eam et sepulcrum modo sunt in ea. Helius enim Adrianus eam penitus eversam reparavit, mutavitque locum et nomen, vocans eam Heliam. Merito autem eam perituram dixit Dominus, quia, cum milvus et hirundo cognoscant tempus suum (*Jer.* VIII), ipsa non cognovit tempus visitationis suæ. « Et cum intrasset urbem, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic? Turbæ autem dicebant esse Jesum prophetam a Nazareth. » Memoriam hujus processionis Dominicæ semel quotannis recolit Ecclesia. Egrediuntur enim fideles D cum ramis quasi obviam Domino extra muros civitatis, et vadunt usque ad crucem aliquam, in qua ramos, quos gestant, affligentes deponunt, quasi diceret Ecclesia : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi! » (*Gal.* VI.) Ideo autem orando eunt usque ad crucem, quia sic ostenditur eis non esse sperandum in quantalibet gloria mundi, quia extrema gaudii luctus occupat (*Prov.* XIV). Pro eadem significatione in illa die, gaudio processionis subditur evangelium Dominicæ Passionis. Forte quia et Dominus exsultationi inseruit lamentum suum, et nos processioni passionem, quia passio fuit causa eversionis, pro qua flevit. Ecclesiæ

(50) Patet de Philippo Act. VIII, et de Petro, Act. X.

Digitized by Google

quidem illæ, quæ eadem die Dominicalem processionem isti præmittunt, rectius faciunt, quia non pro ista illa est dimittenda. Similiter illæ quæ pontifici suo, extra urbem posito, in prædicto loco crucis ei occurrunt, et ipso populum præcedente, in civitatem regrediuntur, ordinatius faciunt.

CAP. CXIX. *De secunda ejectione ementium et vendentium de templo.*

« Et intravit Jesus in templum (*Luc.* XIX). » Deinde ostendit ruinam urbis, pro qua fleverat, maxime ex sacerdotum culpa processuram. Sacerdotes enim, avaritiæ suæ consulentes, in porticibus templi hostias vendebant cujusque generis, ne venientes de longinquo, nil offerrent, si hostias præsto non invenirent. Et ne etiam pauperes, qui nihil secum attulerant, excusationem prætenderent pecuniæ non habitæ, posuerunt ibidem nummularios, qui mutuam sub cautione darent pecuniam. Sed quia lex non patiebatur, ut a fratribus suis usuras acciperent, excogitaverunt, ut collibistas facerent. Collibia enim apud eos dicuntur vilia munuscula, ut ciceris, et uvæ passæ, et pomorum diversi generis, quasi quod in nummo non licebat in talibus liceret. Quod prohibuit Ezechiel (*cap.* XXII) dicens : « Usuram, et omnem superabundantiam non accipietis. » Sic et hodie quidam sub nomine charitatis usuram palliant. Et facto flagello de funiculis, ejiciebat vendentes et ementes cum hostiis suis de templo' et mensas trapezitarum evertit, et dixit ne domum Patris sui, quæ erat domus orationis (*Isa.* LVI), facerent speluncam latronum. Nec sinebat vas aliquod nisi Deo dicatum transferri per templum. Et tradunt quidam, quia quidam fulgur radiosus egrediebatur ex oculis ipsius, quo territi sacerdotes et levitæ non poterant ei resistere. Secundum hoc recte faciunt qui cereas faculas in ecclesiis vendi non permittunt, nisi forte quia maxime pro mysterio fecit hoc Dominus. « Et accesserunt ad eum cæci, et claudi in templo, et sanavit eos.

**Additio* 1. De laudibus, et quasi oratione exhibita die Dominica, omnes evangelistæ consentiunt, ejectionem vero eadem die factam Matthæus, et Lucas tradunt. Marcus vero sequenti die factam tradit. Forte illis duobus diebus iterato facta est. Similiter forte Ecclesiæ laudes sequenti die iteratæ, quia Glossa super Exodum dicit sequenti die factas, super illum locum, ubi agit de Agno decima die tollendo, et ita, inquit, non est objectio, secundum Bedam, de maledictione ficulneæ, quam dicit Marcus factam ante ejectionem vendentium. Nam et ejectio secunda die facta est, ut habet series Marci. Et sic, inquit, omnia plana sunt.

CAP. CXX. *De excitatione templi in triduo.*

« Et admirantes principes sacerdotum et Scribæ, dixerunt ei : Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? » (*Joan.* II.) Quasi dicant : Significasne aliquid hoc opere inusitato? Vel potius : Non credimus tibi hoc licere, ergo ostende nobis signum, quo credamus tibi hoc licere. Et respondit : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Illi autem dixerunt : Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc, et in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. » Salomonicum templum septem annis completum est. Secundum autem templum sub Cyro triginta annis ædificatum est, sed non super terram, nisi quantum sacerdotes poterant, usque ad medietatem dorsi superinniti. Finitimæ enim gentes ædificationem impediebant. Post intermissum est opus ad imperium Cambyses septem annis, et post uno anno sub duobus Magis, iterum uno anno sub Dario filio Hystaspis, secundo autem anno regni ejus recepta licentia ab eo, in sex annis consummatum est opus. Quod legitur, hunc numerum dierum formationi Dominici corporis congruisse, quantum ad distinctionem membrorum, non ad formationem dictum est. Ab hora enim conceptionis simul formata fuerunt omnia membra, non per intervalla sicut hominis puri, sed forte etiam si viderentur, non ita possent distingui, usque ad tantum tempus. Hoc autem non dixit Jesus imperando, vel consulendo, vel hortando, sed prædicendo et est « Solvite, » id est solvetis.

**Additio* 1. Templum Domini, quomodo est, et Bethel dicitur, quis ædificaverit nescitur. Quidam autem dicunt ædificatum ab Helena post crucis inventionem. Quidam ab Heraclio, cum de Persida triumphans crucem retulit. Quidam a Justiniano Augusto. Quidam a quodam rege Ægypti nomine Allachibis, id est *summi Dei*.

CAP. CXXI. *De duobus minutis viduæ.*

Et respiciebat divites, qui mittebant munera sua in gazophylacium (*Marc.* XII; *Luc.* XXI). Phylaxe Græce, Latine *servare* dicitur, gaza lingua Persica *opes*. Erat autem arca, desuper foramen habens, posita ad dexteram ingredientium circa altare, in qua mittebatur pecunia offerentium ad sartatecta templi restauranda, et servabatur. Tamen erat ibi quædam specialis arca, in qua soli sacerdotes mittebant donaria sua, quæ vocabatur corbanam. Et erat ibi tertia, in qua rex, vel principes tributum mittebant, quæ dicebatur musac. Tamen quidam aliter distinguunt, quia quandoque legitur musac Sabbati. Et dicunt in illa arca tantum reponi oblationes solemnium dierum, et quia corbam *votum* sonat, dicunt in corbanam reponi votiva. In gazophylacio aliorum dierum munera, et spontanea. Tamen quælibet earum generali nomine gazophylacium dicebatur, et etiam locus, in quo erant positæ. Unde habetur : « Hæc locutus est Jesus in gazophylacio (*Joan.* VIII). » In Ezechiele (*cap.* XLIV) quoque thalami sacerdotum dicuntur gazophylacia. « Vidit autem, et quamdam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo, » quod est quadrans, id est duos æreos nummulos, valentes quartam partem sicli, scilicet obolos quinque, et dixit eam misisse

Digitized by Google

plus quam omnes, quia totum victum miserat, alii vero ex superabundanti sibi.

CAP. CXXII. *De Pharisæo et publicano.*

Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant, tanquam justi, pro operibus suis exterioribus, et aspernabantur cæteros, parabolam de Pharisæo, et publicano. Et intulit, quia « omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XVIII). »

CAP. CXXIII. *Quod Dominus pernoctavit in Bethania.*

Et cum vespera jam esset hora, rediit in Bethaniam, et ibi mansit. Erat enim diebus docens in templo, noctibus exiens morabatur in Bethania*. « Et omnis populus manicabat, » id est mane properabat ad eum « in templo audire eum (*Luc.* XXI). » Et multi sequebantur eum, et curabat eos. Unde et Joannes (*cap.* II) ait : « Cum esset Jerosolymis in Pascha in die festo**, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa, quæ faciebat. » Similem curationem refert Matthæus canone, et Marcus in illius concanonico.

**Additio* 1. Quia cum Dominus tota die laborasset prædicando eis, non invenit, qui eum nocte reciperet hospitio.

***Additio* 2. Ideo tota illa septimana pœnosa dicitur, quia per totam illam laboravit Dominus recreando, sicut per primam mundi hebdomadam omnia creando.

CAP. CXXIV. *De voce Patris ad Jesum, quam quidam putaverunt tonitruum.*

« Venerant autem quidam gentiles, ut adorarent in die festo, et dixerunt Philippo : Domine volumus videre Jesum. Qui, assumpto Andrea, dixit hoc Jesu. Et respondit Jesus : Venit hora, ut clarificetur Filius hominis (*Joan.* XII). » Quasi dicat : Plenitudo gentium creditura est, quod tamen post passionem futurum insinuavit, dicens : « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. » Et quia grano frumenti, se comparavit Christus, mos est Ecclesiæ de hoc grano tantum conficere corpus Jesu. Et addidit : « Qui odit animam suam, » id est vitam, « in hunc mundo, in vitam æternam custodit eam, » id est vivet æternaliter. « Si quis mihi ministrat me sequatur, et in æternum mecum erit. » Nunc anima mea turbata est, et quid dicam : « Pater, salvifica me ex hac hora. Pater clarifica Filium tuum. Et venit vox de cœlo : Et clarificavi, et iterum clarificabo, » id est clarum genui, nec desistam. Vel secundum hominem clarificavi in baptismo, in transfiguratione, clarificabo in resurrectione, et ascensione, et judicio. « Et dicebant quidam, tonitruum factum. Alii quod angelus locutus est ei. Et ait Jesus : Propter vos hæc vox facta est, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, » id est princeps amatorum mundi perdet potestatem post se trahendi*. « Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, » id est ex omnibus partibus mundi. Et cum intellexisset crucifixionem, quæ forte usualiter ab eis dicebatur exaltatio a terra, quasi opposuerant ei, quod si exaltaretur, non esset Christus. Audierant enim ex lege, quia Christus manet in æternum, quod non determinans, dixit, quia modicum lumen in eis erat.

**Additio* 1. Quia cum diabolus habuisset manum trahentem et impellentem, trahentem amisit, impellentem habet, hoc significatur per draconem, qui cum aliis tribus diebus in Ascensione portatur ante processionem, in secundo die sequitur.

CAP. CXXV. *De filio, qui se negavit iturum in vineam et ivit.*

Et cum vespera facta esset, redibat in Bethaniam, et iterum rediens diluculo tertii Sabbati in templum, docebat populum. Et accesserunt ad eum principes sacerdotum dicentes : « In qua potestate hoc facis? » (*Matth.* XXI; *Luc.* XX; *Marc.* XI.) Quasi dicant : Quid est quod ejicis de templo, quid vis, cum sis ostiarius, et doces, nobis inconsultis. Jesus autem oppositionem tradidit oppositioni, non solutionem « Interrogo et ego vos : Baptismus Joannis ex Deo erat an ex hominibus? » quasi dicat : Quia certum est, quod ex Deo debetis credere Joanni de potestate mea. Quod quia dixerunt se nescire, quod tamen sciebant, noluit eis aperire de se veritatem. Quod autem aperienda erat veritas aliis, et non ipsis, et quare, indicavit per parabolam duorum filiorum, quorum uni dixit pater : « Vade in vineam, » et respondit, « nolo, tamen post ivit. Dixitque alii pater : Vade in vineam, » qui ait : « Vado, et non ivit. « Et cum quæsisset Jesus, quis eorum fecerit voluntatem patris? dixerunt : « Novissimus, » tergiversando, nolentes dicere veritatem. Veteres codices habent : « Primus, » intelligentes pro ipsis dictum. Unde Jesus subdit : « Publicani et meretrices præcedent vos in regno Dei. »

CAP. CXXVI. *De cultoribus vineæ sanguinariis.*

Iterum proposuit eis parabolam, de patrefamilias, qui plantavit vineam, et locavit eam agricolis (*Matth.* XXI; *Marc.* XII; *Luc.* XX). Qui missos servos, ad recipiendum fructus, occiderunt, sicut Isaiam serraverunt, Ezechielem tractum per aspera excerebraverunt, multos lapidaverunt. Et mittens pater filium, ait : « Forsitan verebuntur filium meum. Dicamus Ario et Eunomio. » Ecce Pater dicitur ignorare, et quidquid pro Patre responderunt, hoc intelligant pro Filio, qui se dicit ignorare* consummationis diem. Quem cum vidissent agricolæ dixerunt : « Hic est hæres, » quia sacerdotes sciverunt illum venisse. Cui Pater dixit : « Dabo tibi gentes hæreditatem tuam (*Psal.* II), » et apprehensum filium ejecerunt. Quid ergo illis faciet dominus vineæ. Et dixerunt secundum Lucam : « Absit! » Intelligentes, quod Messiam occiderent. Matthæus dicit eos dixisse : « Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis. » Hoc autem non dixerunt voce, sed in conscientia. Quod autem Judæi hoc facturi erant probavit Dominus, quia sic

Digitized by Google

prophetatum erat ibi : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, etc. »

Additio 1. Videtur Pater ignorare rei eventum. Forte dicitur pater ignorare, quod facit nos ignorare, et facere, quod facit nos facere.

CAP. CXXVII. *De lapide angulari.*

Ad litteram traditur, fuisse paratus lapis ad templi ædificium, nec tamen congrue in eo poni potuit, donec consummato opere in angulo sursum positus est, ita congrue quod mirarentur omnes, nec præter significationem factum intelligerent. Hic est Christus, qui fundamentum est ita, quod structuræ supereminet.

« Quod cum audissent sacerdotes et Pharisæi voluerunt eum tenere, sed timuerunt turbas (*Matth.* XXI). »

CAP. CXXVIII. *De invitatis ad nuptias, et non habente vestem nuptialem.*

« Et dixit eis iterum in parabolis : Simile factum est regnum cœlorum regi, qui fecit nuptias filio suo, qui cum iterato misisset ad invitatos, ut venirent, et excusantes se noluissent venire, misit servos suos, ut undecunque vocarent convivas. Et induxerunt bonos, et malos, debiles, et claudos (*Matth.* XXII). » Debilitas enim corporis neminem excludit a regno, imo sæpe quasi compellit. Et intravit rex, ut videret discumbentes, quod erit cum venerit ad judicium. Tota enim Trinitas judicabit, id est, reddet pro meritis. Et qui invenietur in Ecclesia sine veste nuptiali, id est charitate, mittetur in tenebras exteriores, id est localiter extra ipsum positas, quia habuit in se ipso interiores. Potest etiam dici de tenebris mentis, quas quidam habent interiores, id est in Ecclesia. Alii exteriores extra Ecclesiam, scilicet ut infideles, et hæretici. Tunc ergo exterius projicientur mali ecclesiastici, ut habeant partem cum infidelibus.

CAP. CXXIX. *De Herodianis, et tributo reddendo.*

Tunc inierunt Pharisæi concilium, ut caperent Jesum in sermone, et miserunt discipulos suos cum Herodianis; venerat enim Herodes tetrarcha ad diem festum, et gentiles milites secum adduxerat (*Matth.* XXII; *Marc.* XII; *Luc.* XX). » Vel de antiquis militibus Herodis Ascalonitæ adhuc supererant isti, qui venientes ad Jesum dixerunt : « Licet dari censum Cæsari, an non? » Jam enim dubitatio erat inter Judæos de tributo reddendo, pro quo etiam post Romani insurrexerunt in eos. « Et ait Jesus : Quid me tentatis, o hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. Numisma est inscriptio in nummo, quæ etiam moneta dicitur, per quam nummi discernuntur. Hic autem pro ipso nummo ponitur. Et est : Ostendite mihi nummum, qui pro censu capitis datur. Dumque quæsisset de imagine cujus esset, et dixissent : Cæsaris, Tiberii scilicet, intulit : « Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, » tributa scilicet communia, « et quæ sunt Dei Deo », scilicet primitias, decimas et oblationes.

CAP. CXXX. *De septemvira muliere.*

In illa die accesserunt Sadducæi, qui resurrectionem non credentes, suggillabant Pharisæos, quærentes de septemvira muliere cujus esset in judicio? (*Matth.* XXII; *Marc.* XII; *Luc.* XX.) Quod vel ipsi confinxerant, quia erat possibile, vel in re forte evenerat. Qui cum eamdem quæstionem proposuissent Jesu, respondit : « In resurrectione non nubent mulieres, nec nubentur viri ab eis, » id est non ducent, quia homines immortales non egebunt propagatione, et est Græco idiomate dictum nubentur. Futuram autem resurrectionem probavit ex verbis Domini, quæ dixit Moysi in rubo : « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob (*Exod.* III); » quia isti prophetas non recipiebant, evidentibus eorum testimoniis, non potuit uti contra eos. Est autem probatio talis. Ipsi putabant animas interire cum corporibus. Hac autem auctoritate probatur, animas vivere post corpora. Alioquin si homo moriens, penitus in nihilum redigitur, tunc dixit Deus, se Deum esse nihili. Manentibus ergo animabus post mortem, recolligi potest, quia corpora resurgent, ut cum eis recipiant animæ, quod cum eis meruerunt. Alioquin frustra incorporantur.

CAP. CXXXI. *De mandato primo; et secundo in lege, et sauciato a latronibus.*

« Pharisæi autem videntes, quia silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum. Et accessit unus legis doctor tentans eum, et dicens : Magister, quod est mandatum magnum in lege? Et ait Jesus : Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est (*Matth.* XXII; *Marc.* XII; *Deut.* VI; *Luc.* X). « Hoc non est de mandato, sed præostendit de quo datum est, quod tale est. « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. » De te simili Deo, hoc secundum est mandatum. Homo enim imago Dei est. Et respondit Scriba : « In veritate dixisti, et hoc est majus omnibus holocaustomatibus » Patet inter Pharisæos et Scribas fuisse quæstionem. Quidam enim opera legis præferebant dilectioni. Alii econtra, eo quod ante legem plures placuerunt Deo per dilectionem sine omni sacrificio. Primum autem, et secundum mandatum dicitur, quantum ad ea de quibus mandatur. « Cui Jesus ait : Hoc fac, et vives. Ille volens justificare seipsum ait ad Jesum. Et quis est meus proximus? » Cui Jesus ostendit, omnem misericordiam facientem esse proximum, et specialiter ipsum Dei Filium, proponens parabolam sauciati, qui incidit in latrones. Nec distabat hæc parabola multum a re facta, quia in illo deserto sæpe latrones sanguinem fundebant. Unde et ab Adommin, quod et *sanguinem* sonat, vocabatur. « Erat autem omnis populus suspensus, et audiens Jesum. »

CAP. CXXXII. *De confutatione Pharisæorum per auctoritatem David.*

« Congregatis Pharisæis, interrogavit eos Jesus : Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei David. Et ait illis : Quomodo ergo David

Digitized by Google

vocat eum Dominum suum, dicens : « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis ? » (*Psal.* cix.) Si David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est ? » (*Matth.* xxii ; *Marc.* xii ; *Luc.* xx.) Quasi dicat : Vos putatis Christum futurum purum hominem, ergo quando erat David, nondum erat Christus, nec ergo erat Dominus David. Mentitus est ergo David, et perperam locutus est. Potius enim patres sunt, et dicuntur domini filiorum, quam filii parentum. Judæi somniant hunc Psalmum scriptum in persona Eliezer, qui post cædem quinque regum, ait : « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, » sed sequentia psalmi non concurrunt.

CAP. CXXXIII. *De doctoribus Pharisaicis audiendis, non imitandis.*

« Tunc locutus est Jesus ad turbas et discipulos : Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Quæ dicunt facite, quæ faciunt nolite facere (*Matth.* xxiii). » Non sanctificat locus hominem, sed homo locum. Non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus sacerdos. Doctrinam accipiamus, non mores, apibus herbæ necessariæ non sunt, sed flores. Et addidit : « Dilatant phylacteria * sua, et magnificant fimbrias, » quibus appendebant spinas, quarum punctione, legis jugiter recordarentur, quod supra expositum est, et amant vocari Rabbi. « Vos autem nolite vocari Rabbi : Unus est enim Magister vester. Et patrem nolite vocare vobis super terram. Unus est enim Pater vester, qui in cœlis est. » Non prohibet Dominus doctrinam super cathedram, nec salutationes in foro, nec nomina Magistri, vel Patris, sed ambitionem et vanam gloriam.

* *Additio* 1. A phylaxe, quod est *servare*, et torac, quod est *lex*. Rotulum enim habebant appendentem collo vel brachio, in quo scripta erant decem præcepta legis, vel phylacteria dicuntur a phylaxe, a terion, quod est *rotundum*, et appellantur phylacteria pyxides, in quibus reponebantur extremitates reliquiarum, ut digiti, vel aliud.

CAP. CXXXIV. *Quibus debetur væ æternum.*

Ad ostendendum autem quæ in Pharisæis doceat cavenda, subdit : « Væ vobis, qui diligitis primas cathedras. Væ vobis, Pharisæi hypocritæ, qui fertis clavem scientiæ, et clauditis regnum cœlorum ante homines. Væ vobis, qui devoratis domos viduarum, væ vobis qui circumitis mare, et aridam, ut faciatis unum proselytum* (*Matth.* xxiii ; *Luc.* xi), » id est aliquem gentilem advenam trahatis ad Judaismum, « et facitis eum gehennæ filium duplo quam vos, quia rediens ad vomitum, pejor est quam ante, quia prævaricator. Væ vobis, qui dicitis, qui jurat per templum nihil est, qui autem in auro templi, debet ; qui per altare, nihil est, qui in re oblata super illud, debet. » Sacerdotes, ut invitarent populum ad immolandum, dicebant, data sibi et oblata sanctiora esse ipso templo et altari. Dominus dixit econtra, quia templum et altare** sanctificabant in eis oblata, quia Deo dicata erant, oblata vero nequaquam sanctificabant illa. Adhuc multi eodem vitio laborant, qui putant majus esse jurare per Evangelium, quam per Deum. « Væ vobis qui decimatis omne olus, et relinquitis misericordiam et judicium. » Hoc verbum, decimatis, dubium est. Nam et qui accipit, et qui dat decimare dicitur. Pharisæi autem ideo olerum decimas dabant, ut diceretur, quomodo aliis non dant, qui has dare non negligunt. Levitæ autem adeo exigebant decimas, quod etiam olerum. Item : « Væ vobis duces cæci, qui colantes culicem, transglutitis camelum. » Per similitudinem lactis, quod colatur dictum est. Et potest referri ad prædicta sic : Minima, sicut culicem, diligenter inquiritis, ut decimas, majora, scilicet misericordiam et judicium, absconditis, ut quod glutitur absconditur. Vel ad id quod dictum est « duces cæci, » trahitur, ita : Minora peccata subditorum diligenter arguitis, projicitis graviora, et dissimulando transitis. Item : « Væ vobis, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ plena sunt omni spurcitia. » Item : « Væ vobis, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et damnatis patres vestros, qui eos occiderunt. Genimina viperarum, vos implete mensuram patrum vestrorum. Unde dicit ad vos sapientia Dei : Mittam ad vos sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et flagellabitis in synagogis vestris. » Hic patet, hæreticum mentiri, qui dicit, alium Deum esse prophetarum, et alium novi testamenti. « Ut veniat super vos, » id est super Ecclesiam malignantium, « omnis sanguis justus, » id est ultio justorum, « a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. »

* *Additio* 1. Proselytus proprie dicitur, qui de gentili factus est Judæus. Quamvis quidam dicant, quod proselytus a *prosiliendo* de gentilitate ad Judaismum, et e contrario dicatur.

** *Additio* 2. Hoc altare mutatum fuit a Saracenis in horologium, et adhuc videri potest.

CAP. CXXXV. *De Zacharia filio Barachiæ.*

Si autem de undecimo prophetatum, vel de patre Joannis Baptistæ dicatur, quod fuerit occisus in templo, non legitur. Potest ergo dici de filio Joiadæ sacerdotis quem Joas occidit, ut legitur in libro Regum (*IV Reg.* ii). Et forte pater ejus cognominatus est Barachias, vel pro nominis interpretatione positum est. Barachias enim *benedictus Domini* interpretatur. Et est filii Barachiæ, id est *benedicti Domini*. In Evangelio Nazaræorum * legitur Joiadæ. Pastorem autem ovium, et sacerdotem tantum commemoravit Jesus, ut duo hominum genera notaret, subditos et prælatos. Nulli enim generi parcit prava generatio.

* *Additio* 1. Nazaræus sonat, *sanctus*, vel *florens*, vel *germinans*, et dicebatur Nazaræi, qui ex voto obligabant se sanctimoniæ, usque ad certum tempus, vel jugiter, ut Samuel : « Et novacula non

Digitized by Google

transibat super caput eorum (*1 Reg.* I). » Unde A Christus et apostoli depingnntur criniti, non in re, sed in sanctitate. Christus tamen dicebatur Nazaræus a Nazareth, et Nazaræus non a loco, sed a sanctitate. Primi itaque discipuli Christi Nazaræi dicebantur, qui Evangelium scripserunt, sed Ecclesia quatuor tantum recipit. Cumque ita primo vocarentur Nazaræi, postea vocati sunt sequentes Christum discipuli, postea, instituente Petro, a Christo, Christiani.

CAP. CXXXVI. *De comminatione eversionis Jerusalem.*

Et convertens sermonem ad Jerusalem ait : « Quoties volui congregare filios tuos et noluisti (*Luc.* XIII), » id est quoties filios tuos voluntate mea congregavi, te nolente, et ingrato feci. « Ecce B relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non videbitis me amodo, donec dicatis : « Benedictus qui venit in nomine Domini, » id est ab hoc tempore passionis, non videbitis Filium hominis, donec ad judicium, ubi videbitis me venientem in gloria dominantis, et fideles magnificabitis me. Etiam cæcitatem eorum usque tunc duraturam prædixit.

CAP. CXXXVII. *De signis eversionis, et adventus sui.*

Hæc locutus abiit, et abscondit se ab eis, et multi ex principibus crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur (*Joan.* XII ; *Matth.* XXIV ; *Marc.* XIII ; *Luc.* XIX, XXI). Cumque egrederetur de templo, accesserunt ad eum discipuli ejus, ostendentes ædificationes templi. Audierant ab eo de eversione urbis, volebant etiam audire de templi eversione, quia videbatur eis, quod nec capi, nec everti posset. Et ait illis : « Venient dies in quibus non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. » Et cum sederet in monte Oliveti * contra templum **, accesserunt discipuli secreto, et quærebant ab eo signa eversionis Jerusalem, et signa sui adventus, et dixit eis quædam propria adventus sui, quædam propria eversionis, quædam communia utrique. Præmunivit autem fideles, ne seducantur, cum audirent multos, dicentes se esse christos. Non enim venturus est, nisi præcedant signa, quæ prædixit. Præmisit autem communia, scilicet prælia et seditiones gentis contra gentem, regni contra regnum, pestilentias, fames, terræmotus per loca, terroresque de cœlo, persecutiones sanctorum. Ante namque eversionem Judææ elementa suum vindicabunt auctorem. Postea posuit proprium signum destructionis.

**Additio* 1. Ex splendore auri, quod erat in templo ex repercussione solis, pars quædam montis Oliveti in opposito directo, semper lucida resplendebat, ubi postea Salomon ædificavit templum mulierculis suis.

***Additio* 2. In accubitu montis Oliveti est mons Ostensionis, dictus sic, quia ibi Salomon posuit idolum Moloc.

CAP. CXXXVIII. *Proprium signum eversionis.*

Cum videritis abominationem desolationis (*Matth.* XXIV), quæ dicta est a Daniele (*cap.* IX), stantem in loco sancto, id est imaginem abominabilem, quæ signum erit desolationis, positam in templo. De imagine Tiberii, quam Pilatus * posuit in templo, quidam hoc exponunt, sed hoc jam factum fuerat. Si dicatur de imagine Caii, de qua post dicemus, hoc de vicino futurum erat, infra scilicet annos decem, et triginta duobus annis ante eversionem Jerusalem. Non ergo congrue dictum esset pro signo ejus. Sed eversa Jerusalem per Titum, Adrianus statuam suam posuit, ubi arca steterat, quia vestigia civitatis adhuc quædam manebant, et Judæi, qui latentes undecunque remanserant, quandoque ad locum sanctum redibant, et iterum multiplicati amoverunt statuam. Ob hoc Adrianus apposuit manum extremam, et funditus evertit urbem, et edixit, ne quis Judæorum remaneret in terra illa. Et de hac ultima eversione videtur subdere Lucas (*cap.* XXI) dicens : « Et captivi ducentur in omnes gentes. »

**Additio* 1. Legitur de Pilato, quod Jerusalem veniens statuam Cæsaris, ignorantibus Judæis, in templo posuit. Tandem videns constantiam Judæorum communiter de hoc dolentium eam amovit. De ea ergo non diceret Dominus, quod esset signum eversionis, cum jam evenerat.

CAP. CXXXIX. *De impedimento fugæ.*

« Cum autem videritis ab exercitu circumdari Jerusalem, tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes (*Matth.* XXIV; *Luc.* XXI; *Marc.* XXIII). » Ecclesiastica Historia narrat : Fideles, qui erant in Judæa, advenientibus Romanis, fugisse in Pellam civitatem admonitione angeli. « Orate autem, ne fiat fuga vestra in hieme, vel Sabbato, » hoc ad litteram non videtur dictum de hieme. Terra enim illa accommodatior videtur fugæ in hieme, quam in fervore æstatis. De Sabbato stare potest, quia secundum legem ultra mille passus, non licebat eis progredi in Sabbato. Sed quia Jesus jam terminaverat observantiam Sabbati, forte utrumque in mysterio dixit. Nisi hiemem pro qualibet aeris asperitate dicamus, quia hiemis nomen *asperitatem* sonat.

CAP. CXL. *Propria signa adventus Judicis.*

Ultimo posuit Jesus signa adventus sui, dicens : « Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, et tunc erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressuram gentium, præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus prætimore, et nisi breviati fuissent (*Matth.* XXIV; *Luc.*, XXI), « id est præsciti adeo breves « dies illi, non fieret salva omnis caro *, » id est rarus, « aut nullus posset sustinere pressuras, et per patientiam salvari. » Et nota breviter Dominum quædam signa judicii tetigisse.

**Additio* 1. Mare enim et fluctus terribilem sonitum dabunt, ita quod homines fugient ab aquis, et alter alterum non audiet.

Digitized by Google

CAP. CXLI. *De signis quindecim dierum ante judicium.*

Hieronymus autem in annalibus Hebræorum invenit signa quindecim dierum ante diem judicii, sed utrum continui futuri sint dies illi, an interpolatim, non expressit. Prima die eriget se mare quadraginta cubitis super altitudinem montium stans in loco suo quasi murus. Secunda tantum descendet, ut vix posset videri. Tertia marinæ belluæ apparentes super mare, dabunt rugitus usque ad cœlum; quarta ardebit mare, et aquæ; quinta herbæ et arbores dabunt rorem sanguineum; sexta ruent ædificia; septima petræ ad invicem collidentur; octava fiet generalis terræ motus; nona æquabitur terra; decima exibunt homines de cavernis, et ibunt velut amentes, nec poterunt mutuo loqui; undecima surgent ossa mortuorum, et stabunt super sepulcra; duodecima cadent stellæ; tredecima morientur viventes, ut cum mortuis resurgant; quartadecima ardebit cœlum, et terra; quintadecima fiet cœlum novum, et terra nova, et resurgent omnes. Et addidit Jesus: « Sicut fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, sic erit adventus Filii hominis (*Matth.* XXIV; *Luc.* XVII), » subitus scilicet, et coruscus, et tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo, id est in aere, supra locum unde ascendit, et ante eum erunt instrumenta mortis suæ, quasi vexilla triumphi, crux, clavi, lancea, et in carne ejus videbuntur cicatrices, ut videant in quem pupugerunt (*Apoc.* I), et in valle Josaphat judicabitur omnis homo, angelis congregantibus eos (*Marc.* XIII).

**Additio* 1. Nota quod dicitur judicium futurum in valle Josaphat. Sed nota quod tunc non erit vallis, quia quarto decimo die æquabitur terra, sed contra illum locum erit. Vel forte propter interpretationem hujus nominis Josaphat, interpretatur enim *judicium*. Vallis ergo Josaphat, humilitatem judicii sonat.

CAP. CXLII. *Quod solus Pater novit diem judicii, et de uno assumpto, et altero relicto.*

Tunc subdit Jesus generalem admonitionem: « Attendite, ne graventur corda vestra curis hujus sæculi, ne superveniat in vos dies illa repentina, sicut in diebus Noe et Lot repentinus interitus tulit nescientes. De die autem illa et hora nemo scit, neque Filius, neque angelus, nisi solus Pater (*Luc.* XVII; *Matth.* XXIV; *Marc.* XIII). » Hic exclamat Arius: Non sunt æquales, qui novit, et qui ignorat. Hieronymus respondit in minori breviario super Psalmos: Humanitas Filii dicit se ignorare finem mundi. Quod Gregorius in Registro quasi exponens ait: Novit Unigenitus Dei horam judicii, sed non ex natura humanitatis. Tamen etiam sic exponitur: Non novit, subaudi, nobis, quibus expedit incertos esse, ut sic vivamus quasi in proximo judicandi. Vel Filius hic dicitur adoptione. « Tunc duo erunt in agro, » id est prælatorum, « quidam boni, quidam mali. « Unus assumetur, » id est rapietur obviam Christo in aera, « et alter relinquetur, » id est non assumetur. « Duæ molentes in unum, una assumetur, et altera relinquetur. » Quod de conjugatis dictum est, qui sunt in rota hujus mundi. « Duo in lecto, unus assumetur et alter relinquetur. » Quod de contemplativis, sive speculativis intelligitur. Et dixerunt ei: « Ubi, Domine, » scilicet assumentur? Et respondit: « Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ, » id est ubi erit Dominus in corpore, congregabuntur aquilæ, id est sancti, resurgendo innovati.

CAP. CXLIII. *De vigilia janitoris, et decem virginibus.*

Interim autem erit Filius hominis, sicut homo, qui peregre profectus, reliquit domum suam, et dans cuique servorum suorum opus suum, janitori præcepit, ut vigilet (*Matth.* XXV; *Marc.* XIII; *Luc.* XXI). Vigilare ergo apostolis et apostolicis viris incumbit. Vigilare super se et super gregem, etiam cuique fideli pro modulo suo. « Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, » id est tunc separabuntur fatui a prudentibus. « Media autem nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obviam ei. » Traditio Hebræorum habet Christum media nocte venturum, ad modum Ægypti, quando Pascha celebratum est. Aliqui etiam sanctorum hoc ipsum opinantur, quia sicut nocte natus est in mundum, et nocte venit ab inferis, ita et nocte venite ad judicium. Unde quidam dicunt fuisse apostolorum traditionem in vigilia Paschæ, non dimitti populum ab ecclesia, ante profundam noctem, ut quasi exspectent adventum Domini, et dicunt horam illam noctis quandoque, imo sæpius diem dici, pro coruscatione venientis, vel typice, pro manifestatione cordium. Alii autem, quod dubium dicit Dominus, non diffinientes, exponunt: « Media nocte, » id est nullo sciente.

CAP. CXLIV. *De commendatione talentorum, et decem mnis.*

Item addidit parabolam, proficiscentis, qui dedit servis suis talenta, alii quinque, alii duo, alii unum (*Matth.* XXV). Et commendatis his, qui duplicaverunt talenta, reprobato viro pigro, qui abscondit suum, ait: « Omni habenti dabitur. » Non habenti autem, qnod videtur habere, auferetur ab eo, id est habenti eo modo, quod debet habere. ut scilicet eo bene utatur. De eodem quoque addidit parabolam de rege, qui abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum, et reverti, et dedit servis suis decem mnas*, et ait: « Negotiamini dum venio. » Mna secundum Græcos quadraginta centum drachmis appenditur. In reditu ejus accessit primus, et ait: « Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Cui Dominus: Eris potestatem habens super decem civitates, » quasi dicat: Pro parvis meritis recipietis insperata.

**Additio* 1. Vocatio servi est canonica electio episcopi, mna datur ei, quando qui imposuit ei manus, dat ei textum Evangelii, et dicit: « Vade,

Digitized by Google

prædica, » et ipse cum primo ingreditur civitatem suam evangelium præfert in pectore, quasi negotiator unam suam ostendens. In quibusdam Ecclesiis cum dat ei archiepiscopus virgam, dicit: « Vade, prædica, » et ille statim benedicit populum, in quo signatur, quod Moyses cum virga missus est in Ægyptum.

CAP. CXLV. *De ventilatione areæ.*

Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo testes futuri actuum humanorum, tunc separabuntur boni a malis et statuentur boni ad dexteram, id est ponentur in æternitatem, mali ad sinistram, id est recipient quæ meruerunt, eligendo sinistram (*Matth.* XXV). Et tunc commemorabit Judex, scilicet opera misericordiæ, quæ sunt pascere esurientem, potare sitientem, colligere hospitem, vestire nudum, visitare infirmum, consolari vinculatum. Septimum legitur in Tobia (*cap.* II, XII), sepelire mortuum. Et non aliud erit hæc commemoratio, nisi quia omnes scient merita sua, pro quibus salvabuntur aut damnabuntur. Et ibunt hi in supplicium æternum, illi autem in vitam æternam.

CAP. CXLVI. *Opiniones de igne æterno.*

De igne æterno dicit Augustinus: « Cujusmodi sit, et in qua mundi parte futurus sit, neminem scire arbitror, nisi per revelationem, » quasi dicat: Unus est gehennæ ignis, sed non uno modo omnes crucians. Sicut ardorem solis non omnes æqualiter sentiunt, sic cum ille ignis æqualiter ardeat, non æqualiter sentietur. Gregorius in Job: Miro modo gehennæ ignis corporeus est, nec lignis nutritur, nec succensione indiget, et est inexstinguibilis a Deo creatus ab origine mundi. Idem: Ultrix flamma vitiorum cremationem habet, lumen non habet, ad consolationem non lucet, ut enim magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam reprobi se visuri sunt in inferno, ut magis doleant, quia et dives Lazarum vidit. In libro tamen *Prænosticorum* de verbis Augustini sic legitur: Est, ut ait Augustinus, inferorum substantia incorporalis. Et ideo merito quæritur, unde sub terris dicantur esse inferi, si corporalia loca non sunt, et unde dicantur inferi si sub terris non sunt. Sed idem doctor dicit: Ideo sub terris dicuntur inferi, quia congruenter in spiritu corporalium rerum similitudines sic monstrantur, ut, quia defunctorum animæ corporis amore peccaverunt, ad illas corporalium rerum similitudin s exhibeantur, quibus carne mortui, solent sub terra condi. Nonnulli ex hac sententia Augustini sentiunt, quod ubicunque peccator fuerit, ibi elementa cruciabunt eum, et in corpore suo, et ex locis adjacentibus. Est enim probabile ut anima, quæ sua sponte sumit a carne fomentum peccandi, nolens ab eadem recipiat fomentum cruciatus. Qui merito infernalis, et sub terra esse dicitur, quia animæ per lapsum terrenæ voluptatis eum incurrent. Augustinus *De civitate Dei*: Cur non dicamus incorporeos spiritus posse pœna corporalis ignis affligi? Idem: Ignis corporalis dæmones cruciabit, et homines. Hieronymus in *Epistolam ad Ephesios*: Infernum sub terra esse, nemo ambigat.

CAP. CXLVII. *De Pascha et diversis acceptionibus hujus nominis.*

Et cum consummasset Jesus sermones hos, ait discipulis suis: « Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur (*Matth.* XXVI). » Hæc eis tertia feria dixerat, et in quinta feria ad vesperam Pascha imminebat, quartadecima luna post vernale æquinoctium. Ambrosius dicit hoc nomen Pascha Græcum esse, et sonare *passionem*. Nomen vero Hebræum Phase sonare *transitum*. Augustinus vero dicit Hebræum esse, non Græcum, et sonare *transitum*, opportune tamen concurrere in hoc nomine congruentiam utriusque linguæ. Qui enim patitur Græce πάσχειν dicitur, unde Pascha *passio* putatur. Sed in Syra lingua *transitum* sonat. Quare autem transitus dicatur hora illa, super Exodum est. Declinatur autem *Pascha*, *Paschæ*, vel *Pascha*, *Paschatis*, et est æquivocum ad tria. Vespera enim qua immolabatur agnus, dicebatur Pascha, sicut hic: « Post biduum Pascha fiet. » Et tota dies præcedens horam illam, nec Pascha dicebatur, nec solemnis erat. Dicitur etiam Pascha agnus, ut ibi: « Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? » Et Apostolus: « Christus immolatus est Pascha nostrum (*I Cor.* V). » Sequebantur septem dies azymorum, quorum primus et ultimus solemnes erant, medii non adeo, sed hi septem quandoque vocabantur Pascha, ut ibi: « Non introierunt prætorium, ne contaminarentur, sed comederent Pascha, id est mundi comederent in Pascha, vel azyma vocat Pascha, quia his diebus usus erat eorum. Nec mirum si dies azymorum dicebantur Pascha, cum et Pascha dicatur dies azymorum, ut ibi: « Festus dies azymorum, qui dicitur Pascha (*Luc.* XXII). »

CAP. CLXVIII. *Qua die et quomodo Judas vendidit Dominum.*

Et tunc, scilicet quarta feria * principes sacerdotum videntes Jesum abiisse et dixisse: Non videbitis me amodo, congregati sunt cum senioribus populi in atrium Caiphæ, et quærebant eum, ut tenerent et occiderent, non tamen in die festo, ne forte tumultus fieret in populo (*Matth.* XXVI, *Luc.* XXII, *Marc.* XIV). Audiens autem eos Judas congregatos, abiit, et pepigit cum eis de Jesu tradendo pro triginta argenteis. Forte, quia, cum audierat Dominum tertia die moriturum, et putavit eum in morte detineri, mortem imminentem sibi lucrativam fieri voluit, et exinde quærebat opportunitatem tradendi eum sine turbis. Illi triginta denarii valebant trecentos usuales, et ita volebat Judas recompensare unguenti perditionem.

**Additio* 1. Quod autem quarta feria ante Passionem venditus fuit Dominus, ostendit ea die Ecclesia lectionem Isaiæ præmittens Epistolæ in qua legitur: « Ecce merces ejus cum eo (*Isa.* XL). » In

Digitized by Google

memoriam etiam hujus venditionis per totum annum in jejuniis pœnitentialibus hæc feria secundum locum habet post sextam feriam, proprium Evangelium, et propriam epistolam sæpe habet, cum iterari debeat Dominica per totam hebdomadam. De missa enim crucis feria sexta inventum est. Similiter missa angelorum feria secunda.

CAP. CLXIX. *De cœna Domini.*

« Prima autem die azymorum (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIII; *Luc.* XXII), » id est ea die, in cujus vespera agnus erat immolandus, et edendus cum azymis, « dixerunt discipuli ad Jesum : Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Et respondit : Ite in civitatem, et occurret vobis homo amphoram aquæ portans. Quocunque introierit, quærite a domino domus locum ad præparandum, et ostendet vobis cœnaculum grande, et ibi parate. » In superiori parte domus faciebant Palæstini cœnacula, inferius autem cubicula. Quod Marcus dicit lagenam, Lucas amphoram, unus expressit genus vasis, alter modum. Ante diem ergo festum Paschæ vespere facto, venit Jesus et discubuit cum duodecim discipulis suis. Et ait : « Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. » Verba Joannis ministraverunt Græcis fomitem erroris. Dicunt enim in parasceve lunam fuisse quartamdecimam*, et ita in vespera ipsius fuit Pascha. Dominus autem sciens se passurum ea die in vespere antecedenti anticipavit comedere Pascha. Et quia ea nocte licite potuit comedi fermentatum, de fermentato conficiunt corpus Domini. Quod si verum est, credibile est Dominum comedisse agnum, ut præceptum erat in lege, et azyma comedisse. Et sic, etiamsi constet quod dicunt, errant consecrando fermentatum. Quod autem Dominus prævenit Pascha, probatur ex verbis Joannis, qui dicit Dominum manducasse ante diem festum Paschæ (*Joan.* XIII), et in parasceve Judæos non intrasse prætorium, ne contaminarentur, sed comederent pascha. Et etiam sacerdotes hoc disposuerant, ne occiderent eum in die festo, id est primo die azymorum. Etiam Evangelium vocat Sabbatum post crucem Domini, magnum diem Sabbati, quod non solet dici, nisi cum festum Sabbato concurrat, et ita in Sabbato fuit prima dies azymorum. Medii enim dies inter primum et ultimum non erant festivi. Etiam mulieres in parasceve paraverunt unguenta, quod non liceret si esset primus dies azymorum. Ad hoc dici potest, quia dies festus Paschæ erat quintadecima luna secundum illud : « Et in quintadecima solemnitatem celebrabitis altissimo Domino. » Ante hunc diem ergo secundum legem Dominus fecit Pascha. Etiam Lucas dicit venisse diem azymorum in quo necesse erat occidi Pascha. Necesse autem erat ex lege, luna quartadecima primi mensis, vel secundi. Casum autem aliquem, in quo necesse esset prævenire lunam quartamdecimam, non legimus. Diem vero magnum Sabbati** vocabant in tribus festivitatibus hebdomadalibus quocunque die septem dierum contingat. Omnes enim septem solemnes sunt, etsi non adeo ut primus et ultimus. Ad comedendum quoque azyma, oportebat eos septem diebus mundos esse Unde quolibet septimo die non poterant intrare prætorium. Quod autem mulieres dicuntur parasse unguenta in die festo, dicimus quia non erant dies aliqui adeo festivi ut Sabbatum, et licuit eis parare, vel emere, sicut et cibos, quod non liceret Sabbato. Quid si multo ante paraverant, quia audierant a Domino sæpe eum in proximo moriturum. Nonne Magdalena videtur jam parasse, et per inspirationem Spiritus sancti præoccupasse unctionem. Quidam autem dicunt quod tertiadecima luna, quarta scilicet feria cœnavit Dominus cum discipulis, et lavit pedes eorum. Quod narrat solus Joannes, et in quarta decima comedit agnum paschalem, et dedit discipulis corpus suum, de quo alii agunt. Sed usus Ecclesiæ contrarius est, quæ ante parasceve pedes pauperum lavat. Etiam si tabulam computi diligenter retro percurramus, inveniemus lunam XXII Kalendis Aprilis feria sexta, ergo in præcedenti sexta feria fuit luna quintadecima. Et nota quod nusquam legitur Dominum comedisse carnes, nisi agni paschalis.

**Additio* 1. Cum in veritate fuerit quintadecima. Quinque autem ponit rationes opinionis eorum.

***Additio* 2. Ab hoc loco ponit rationes eorum : Primam inde sumunt, quod Joannes dicit; secundam inde sumunt, quod dicit Lucas; tertiam inde sumunt, quod dicunt alii; quartam inde sumunt, quia Evangelium vocat Sabbatum post crucem, magnum Sabbatum; quintam inde sumunt, quod mulieres in parasceve paraverunt unguenta.

CAP. CL. *Quod surgens a cœna lavit pedes discipulorum*

« Surgens autem Jesus a cœna, lavit pedes discipulorum (*Joan.* XIII). » Ex eo autem quod dixit : « Qui lotus est, » scilicet in baptismo, « non indiget nisi ut pedes lavet*; vos autem mundi estis, sed non omnes, » perpenditur a quibusdam, quod apostoli baptizati erant. Et cum recubuisset iterum docuit eos quare hoc fecerat. In exemplum, scilicet mutuo sibi serviendi, et in typum mutuo dimittendi injurias, et mutuo subveniendi peccantibus orando pro eis. Unde et Dominus subdidit : « Beati eritis si feceritis ea. » Quæ de sola ablutione pedum non dixisset.

**Additio* 1. Nota quatuor depositiones vestium Christi. In cœna deposuit eas, et resumpsit; ad columnam nudatus est, et reindutus. In illusione militum nudatus et vestitus. Nam ab Herode non legitur nudatus. Ad crucem nudatus, nec reindutus. Prima pertinet ad apostolos, quos in brevi resumpsit; secunda ad illos, qui resumpti sunt in Pentecoste, et paulatim resumuntur; tertia ad reliquias, quæ resumentur in fine; quarta ad perversam medietatem nostri temporis, quæ nunquam resumetur. Secunda et quarta repræsentantur in Ecclesia cum altaria mundantur. Nam et ramunculis

Digitized by Google

quasi flagellis tunduntur, et asperguntur aqua et vino.

CAP. CLI. — *De notatione proditoris, et egressu ejus.*

« Jesus autem turbatus spiritu dixit : Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me hac nocte (*Joan.* XIII ; *Matth.* XXVI ; *Marc.* XIV ; *Luc.* XXII). » Turbatus est Jesus misericorditer compatiens Judæ, quem notabat. Sic et sancti misericorditer turbantur, cum urget eos cura zizaniam a tritico separare ante messem. Mentitur ergo philosophus, qui dicit animi perturbationem non cadere in sapientem. Et dicebant sigillatim : « Nunquid ego sum, Domine? Quibus ait : Qui intingit mecum manum in catino, hic me tradet. » Duodecim in eodem catino cum Domino edebant, et alii non, quasi dicat : Unus de duodecim tradet me. Forte ideo dixit « intingit, quia succus agrestium lactucarum necessarius ad esum agni erat. Catinus in quo liquor, ostendit, quod vas erat fictile, parapsis *vas*, in quo cibi parabantur, quia paria habebat latera. Apsis enim est *extremitas*. Vel, ut quidam dicunt, quadraturam laterum notat hoc nomen, parapsis. Et addidit Jesus : « Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Bonum erat homini illi, si natus non fuisset. » Væ in sacra Scriptura, æternam notat damnationem, et est : Peribit æternaliter. Et ne minutissimam ejus pœnam intelligeremus, addidit, Bonum, etc., id est melius esset ei, si non esset natus de utero, sed periisset in utero. Tunc enim pro solo originali peccato damnatus esset. Vel usualiter dictum est, melius esset ei, non esse, quam male esse. Recumbebat autem discipulus, quem diligebat Jesus in sinu ejus. Et innuit ei Petrus, ut secreto quæreret a Domino, quis traderet eum. Hic non aliter creditur recubuisse supra pectus Jesu, nisi quia discumbebat inclinatus ante pectus Domini. Huic submissa voce quærenti, Dominus submissa voce proditorem expressit, cui scilicet panem intinctum porrigeret. Et buccellam intinctam porrexit Judæ. Inde est quod Eucharistia non datur intincta, et etiam pro hæresi tollenda, quæ dogmatizabat totum Christum esse sub utraque simul, et sub neutra tantum forma. Et tunc introivit Satanas in Judam, non tunc primo, sed ut quasi proprium possideret, sicut apostoli Spiritu jam accepto, iterum dicuntur accepisse Spiritum. Tunc Judas ait : « Nunquid ego sum, Rabbi? ait illi : Tu dixisti. » Nondum coram omnibus exprimit eum. Potest enim sic intelligi : Ego non dico, sed tu dicis. Vel de assertione cordis exponi potest, quasi dicat : Ore quidem interrogas, quasi nescius, sed corde ratum habes, te esse proditorem. « Et exivit Judas continuo, erat autem nox. Tunc ait Jesus : Nunc clarificatus est Filius hominis, » id est ejecto tenebroso, remanserunt soli mundi cum suo mundatore. Et addidit : « Et continuo clarificavit eum Deus, » id est clarificabit. Quod potest intelligi de resurrectione, vel de imminenti traditione, per quam Christus mortuus, apparuit his, qui eum in inferno exspectabant.

CAP. CLII. *De Eucharistia data discipulis, et non Judæ.*

« Cœnantibus autem illis benedixit Jesus panem, et fregit, et dedit discipulis suis, dicens : Accipite, et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter, et de calice ait : Bibite ex hoc omnes *, hic est sanguis meus novi testamenti, » subaudi, confirmatior, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum (*Matth.* XXVI ; *Marc.* XIV ; *Luc.* XXII). Quod ait : « Accipite, et comedite, » forte inculcatio est. Non enim intelligendum est, quod sumptum corpus de manu Domini sibi ministrarent, sed qui consecravit, ipse et ministravit. Sed est ac si diceret : Comedite, utramque hujus sacramenti comestionem innuens. Nec enim de calice dixit : Accipite ; sed ministrans dixit : « Bibite. » Et nota quia in canone cum proferuntur hæc verba : « Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, » ex virtute horum verborum fit transsubstantiatio, unde credibile est cum Dominus eadem verba dixit, mutasse panem et vinum in carnem et sanguinem, et tunc eamdem vim contulit Dominus verbis illis in posterum. Et propterea sic construenda est littera. « Benedixit, » subaudi, dicens : « Hoc est corpus meum. Et tunc fregit, et dedit discipulis suis ; et ait : Comedite. Et iteravit : Hoc est corpus meum. » Vel forte tunc benedixit, benedictione nobis non tradita, sed post, ad institutionem apostolorum, vis benedicendi tradita est a Domino verbis istis : « Hoc est corpus meum. » Quod autem ante traditionem Eucharistiæ diximus Judam exisse, videmur contradicere Lucæ, qui post calicem traditorem commemorat, sed forte Lucas de traditione recapitulat. Hilarius autem super Matthæum probat Judam non interfuisse ; tunc enim bibentes calicem, secum dixit Jesus bibituros in regno Patris ad quod Judas indignus erat. Etiam bibentium nullum excipiens, ait : « Qui pro vobis effundetur. » In aliis autem excepit, dicens, « pro multis. » Dici tamen potest Judam accepisse Eucharistiam, et dictum ab Hilario facile determinari. Cum ergo dixit Jesus : « Hoc facite in meam commemorationem, » instituit hoc sacramentum, et tacite præmissum destituit. Cum ergo dixit se non bibiturum vinum, donec cum eis biberet novum, adverbialiter positum est, id est novo modo, tanquam novus, scilicet non incorporando mihi vinum, ut prius.

Additio 1. « Bibite ex hoc omnes, » sicut tunc ita, et in primitiva Ecclesia omnes qui intererant missæ, sumebant sacramentum unitatis. Nunc autem, quia non possunt omnes digne sumere, sumunt aliud saltem sacramentum unitatis, id est osculum pacis, quod tradens sacerdos ministro dicit : « Habete vinculum pacis et dilectionis, » ac si diceret : Sumite ex hoc omnes, vel accipite et dividite inter vos.

Digitized by Google

CAP. CLIII. *De prædictione negationis Petri.*

« Tunc ait illis Jesus : Omnes scandalum patiemini in me in nocte ista. Scriptum est enim, percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis (*Matth.* XXVI ; *Marc.* XIV). » Zacharias propheta ex persona Ecclesiæ oravit, dicens ad Patrem : « Percute pastorem, et dispergentur oves gregis (*Zach.* XIII). » Evangelista vero videns impletum, quod oraverat propheta, responsionem Patris annuentis posuit, scilicet : « Percutiam pastorem. » Et cum dixisset Petrus : « Et si omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor. Respondit Jesus : « Prius quam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus. » Marcus hoc expressit plenius cæteris. Post primam enim negationem Petri statim gallus cantavit, sed ante secundum galli cantum bis iterum negavit, et ita trina Petri negatio ante primum galli cantum inchoata est, ante secundum completa. Alii autem Evangelistæ dicentes : « Priusquam gallus cantet, ter me negabis, » de inceptione agunt. Et est : Trinam negationem inchoabis. Marcus vero de completione ejusdem scripsit. Et ait Petrus: « Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. » Non mentitur Petrus, quia credit verum esse quod promittit*.

**Additio* 1. Inde est quod in hac die Jovis omnes horæ flebiles sunt, et sola missa solemnis est, in concentu et ornatu ministeriorum tanquam in die suæ institutionis, quasi in suo natali. Eadem quoque die chrisma conficitur, quo fontes liniuntur, quia eadem die postes sanguine agni linichantur. Quam quia sequebatur esus Agni paschalis, differtur linitio baptismalis usque in Sabbatum, ut continuetur esu agni. Confectio vero chrismatis differri non potuit, quia usque ad baptismum non celebratur missa in illis diebus.

CAP. CLIV. *De sermone Domini post cœnam.*

Tunc subdidit Jesus consolando longum sermonem, quem scripsit Joannes (*cap.* XIV) : « Non turbetur cor vestrum neque formidet. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis. » *Minus*, ponitur pro *non*, et est, si quo minus, id est in aliquo non dixissem vobis, non id est si non essent ibi, ego dixissem vobis, id est non celassem vos, imo dixissem vobis, quia non sunt ibi. Sed, subaudi, sciatis « quia vado vobis parare locum. » Jam paratæ erant mansiones, ut dixerat, prædestinatione, sed tamen adhuc parandæ erant apertione, et ipsorum meritoria operatione. Hieronymus autem contra Jovinianum legit totum sub una distinctione sic : « Si non mansiones multæ essent apud Patrem, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum, » hoc est si non unusquisque præpararet sibi mansionem ex propriis operibus, « dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. » Meum autem non est parare, sed vestrum. Et est dictum, sicut illud : « Sedere a dextris, vel a sinistris non est meum dare vobis (*Matth.* XX). » Tamen, et quod quisque sibi parat, etiam Deus ei parat. Parat enim mansiones, mansionibus parando mansiones. Cumque dixisset ei Thomas : « Domine, quo vadis ? Respondit ei Jesus : Ego sum via, veritas et vita, » quasi dicat : Qua vis ire ? Ego sum via, id est me imitare. Quo vis ire ? Ego sum veritas, id est verus et supremus finis, qui solus quærendus est. Ubi vis permanere ? Ego sum vita. Et nota quia modo arguit eos in hoc sermone, quasi nescientes ipsum, modo commendat, tanquam scientes, quod secundum regulam Ticonii de aliis et aliis est intelligendum. Sunt et quædam in hoc sermone, quibus applaudit Sabellius, ut, « qui videt me, videt et Patrem. « Quædam quibus insultat Arius, ut, « verba, quæ ego loquor, a me ipso non loquor. » et « major me est, » et hujusmodi. Etiam promissionem hanc addidit Jesus: « Qui credit in me, opera, quæ ego facio, ipse faciet, et majora horum faciet, » genitivus est pro ablativo more Græcorum. Majus fuit sanari umbra Petri, quam fimbria vestis Christi, quasi dicat : Non erit major me, qui credit in me, sed majora faciam per eum, quam sine eo. Dicit enim Augustinus : Non de omnibus operibus Christi hoc dicitur. Non audeo præcipitare sententiam, ut dicam majus esse salutem fieri peccatorum Christo operante, quam sunt angeli. Intelligat qui potest utrum majus sit justos creare, quam impios justificare, cum hoc sit majoris misericordiæ, illud majoris potentiæ. De verbis justitiæ, quæ tunc fecit, est hic sermo, non de omnibus operibus ejus. Quod autem ait : « Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, » sic est construendum; dabit vobis Paracletum, qui est alius a nobis, id est alia persona a nobis, id est a Patre et Filio. Pater enim, et Filius, et Spiritus sanctus sunt idem *advocatus*, vel *consolator*. Quod dixit Paracletum mitti in nomine suo, hoc est ad notitiam ejus et glorificationem. Vel quia habet idem nomen quod Filius, id est Deus. Nec hoc quod ait : « Sermonem, quem vos audistis, non est meus, » obloquitur ei, quod dixerat, diligentem se, sermones suos servare. Singulariter enim dixit sermonem Patris esse, nec esse suum, id est a se Et dixit eis : « Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis ? » At illi dixerunt, Nihil. Et dixit eis : Qui nunc habet sacculum tollat similiter et peram, et qui non habet gladium, emat (*Luc.* XXII). » Instruit eos Dominus in discretione virtutum. Sunt enim quædam semper tenenda, ut misericordia, humilitas, fides, spes et charitas, quædam pro tempore et loco mutanda, ut fames, sitis, vigiliæ, orationes, labor operandi et docendi. Tempore ergo persecutionis decet necessaria tollere, donec tempus evangelizandi rediret, sopita persecutione. Cumque dixissent : « Domine, ecce duo gladii hic, respondit: Satis est (*ibid.*). » Unus, qui amputaret auriculam, in cujus sanatione virtus Domini monstraretur, alter, qui non evaginatus ostenderet apostolos non permissos facere quidquid possent in Domini defensione. Prædixit quoque eis Jesus : « Ecce veniet

Digitized by Google

hora, etiam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquetis (*Joan.* XVI). » — « Postea elevatis oculis in cœlum, oravit, dicens : « Pater, venit hora, » etc. (*Joan.* XVII.) Et oravit primo pro se, post pro discipulis, tertio pro his qui credituri erant per verbum eorum.

* *Additio* 1. Quasi diceret : Habebitis per modicum tempus persecutionem; et ideo præmunite vos, et in armis ad defensionem, et in sacculis ad necessariorum repositionem.

CAP. CLV. *De trina oratione Domini in villa Gethsemani.*

« Tunc venit cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, quæ est ad radicem montis Olveti trans torrentem Cedron (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV; *Luc.* XXII; *Joan.* XVIII). » Cedron genitivus est Græcus pluralis, qui Latine dicitur *Cedrorum*. « Et introivit Jesus in hortum cum discipulis suis. Sciebat autem et Judas locum illum, quia consueverat Jesus illuc venire cum discipulis suis. Et cum intrasset, dixit eis : Sedete hic donec vadam illuc, et orem, et etiam vos orate ne intretis in tentationem, ne scilicet succumbatis tentationi. Et assumpto Petro, et filiis Zebedæi cœpit contristari, et ait : Tristis est anima mea, usque ad mortem. » Usualiter dictum est, id est multum tristis est anima mea, vel tristis est usque ad timorem mortis et pro timore mortis. Testabatur autem pro ruina apostolorum, vel potest esse *usque* exclusivum. Tristabatur enim, donec se et suos morte sua liberaret. Vel inclusivum, scilicet, donec post mortem suam redirent apostoli ad fidem ejus. « Et progressus ab eis quantum jactus est lapidis, procidit in faciem suam, et orabat : Abba Pater, si possibile est, transfer hunc calicem * a me. » Idem est Abba, quod Pater. Et est *Abba* Hebræum et Syrum, *Pater* Græcum et Latinum. In quo innuit Deum Patrem esse omnium gentium. Ut verus homo horrebat mortem, et vellet non mori, si fieri posset de justitia. Habebat enim justitia Patris, ut Christus pateretur, et a constitutione mundi hoc sacramentum ab eo erat præostensum. Hæc voluntas non moriendi gloriosos martyres fecit. Non enim vult sensus carnis, nisi quod delectat. Si autem delectaret eos mori, non inde viderentur mereri, sed quia hanc moriendi voluntatem subjiciunt Deo, merentur. Unde et Christus subdidit : « Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu. » Quidam tamen adhærentes particulæ demonstrativæ, scilicet *hunc*, dicunt orasse misericorditer pro Judæis, ut si fieri posset, quod intrarent gentes, sine cæcitate Judæorum, non biberet hunc calicem, mortem scilicet a Judæis, quæ sibi imminebat. « Et cum venisset ad discipulos, invenit eos dormientes. Et ait Petro : Sic non potuisti, etc. » Vel ait Petro sic ironice, quasi dicat : Sic erat faciendum? In communi autem dixit illis tribus : Quid dormitis? Spiritus quidem promptus est, subaudi, vester, quasi A promptulum habuistis spiritum, in promittendo mori etiam pro me, sed nunc patet carnis infirmitas. « Secundo abiit, et oravit eumdem sermonem. Et apparuit illi angelus confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat, id est in certamine contra mortem. » Jam quasi vincebat mortem in animo, dum etiam mori volebat, quam post vicit actu ipso, scilicet resurgendo. « Et (51) factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis ** decurrentis in terram. Et rediens ad discipulos invenit eos dormientes. Tertio abiit, et oravit eumdem sermonem. Tunc venit ad discipulos, et ait illis : Dormite jam, et requiescite. Et cum paululum dormissent, ait : Surgite. Sufficit, eamus. Ecce prope est, qui me tradet. »

B * *Additio* 1. Nomine calicis, intelligitur passio ratione mensuræ, quia Dei justitia non patitur aliquem pati supra id quod possit.

** *Additio* 2. Nota, prima effusio sanguinis Christi fuit in circumcisione, secunda in sudore, tertia in flagellatione, quarta in crucifixione, quinta in mortui lanceatione. Prima in exemplum, ut circumcidamus membra nostra; secunda in signum, quia in sanguine suo irrigaret et fecundaret; tertia et quarta ad remedium; quinta ad sacramentum. Inde est quod officium missæ in quinque partitum est. Prima ejus pars est usque ad epistolam, ut ab ea incipiat; secunda pars usque ad evangelium inclusive; tertia usque ad canonem; C quarta usque ad embolismum, quod interpretatur *superexcrescere*, quia novissime superadditur, sed *Libera nos*, etc., quod in quibusdam ecclesiis alta voce dicitur; quinta pars usque ad finem. Sed quia in sola cruce etiam quinaria fuit effusio sanguinis, ideo et solus canon subdividitur in quinque partes. Prima usque *Qui pridie*, secunda usque ad *Memento*, tertia usque *Præceptis*; quarta et quinta usque ad embolismum, vel ad finem.

CAP. CLVI. *De ligatione Domini, et sanatione auriculæ servi.*

Adhuc eo loquente, venit Judas cum cohorte militum, accepta a præside, et turba ministrorum, accepta a principibus sacerdotum, et armis (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV; *Luc.* XXII; *Joan.* XVIII). Et dederat illis signum, quia osculo indicaret eis Jesum, et ipsi ducerent eum caute. Putabat enim quod magicis artibus posset se transformare, et elabi. Et suscepto osculo, vocavit eum Jesus amicum, vel ironice, vel secundum statum præteritum (52). Et primo interrogaverat eos : « Quem quæritis? At illi dixerunt : Jesum. Et cum dixisset Jesus quærentibus se : Ego sum, » abierunt retro, et ceciderunt. Postea tenuerunt Jesum, et ligaverunt eum. Simon autem Petrus amputavit auriculam servo, cui nomen erat Malchus. Jesus autem sanavit eum (53), et ait Petro : Omnis, qui gladium accipit, gladio peribit, illo scilicet, qui vertebatur ante pa-

(51) Hæc solus Lucas.
(52) Solus Joannes hoc dicit.
(53) De sanatione solus Lucas.

Digitized by Google

radisum, vel pro gladio accepto peribit. Nec accipit gladium pro eo, qui datur a Deo, vel a lege, vel a judice.

CAP. CLVII. *De fuga adolescentis.*

Adduxerunt autem Jesum ad Annam primum (54), non quia collega Caiphæ *; sed quia socer ejus. Turpe esset, si domum Annæ antepositam, præterissent. Adolescens (55) autem sequebatur eum amictus sindone super nudo, subaudi, corpore. Aliter enim non habebat indumentum, quam sindonem, qui relicta sindone, aufugit ab eis. Traduut quidam hunc fuisse Joannem, quem tunc fuisse adolescentem, longa ejus vita indicium est. Hieronymus tamen super locum illum Psalmi (*Psal.* XXXII) : « Vim faciebant, qui quærebant animam meam, » ait : Judæi vim faciebant, vel Petro cum dicerent : « Et tu ex illis es. » Vel Jacobo, qui cum traheretur, relicta sindone, nudatus aufugit ab eis. Videtur tamen potius opinando, quam affirmando dixisse.

* *Additio* 1. Id est, primo emerant Caiphas, et Annas summum sacerdotium a Pilato, sed Caiphas illo anno habuit, sed quia domus Annæ erat in transitu eorum, pro reverentia sacerdotali, antequam ad Caipham illuc eum introduxerunt.

CAP. CLVIII. *De prima negatione Petri.*

« Sequebatur autem Petrus a longe, ut videret finem. Joannes vero notus pontifici introduxit Petrum. Quem cum intuita esset ancilla ostiaria, dixit : Nunquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille : Non novi illum, neque scio quid dicis. (*Matth.* XXVI ; *Marc.* XIV ; *Luc.* XXII ; *Joan.* XVIII). » Quidam volentes excusare Petrum dicunt, quod bene dixit, se non nosse illum, quem nemo perfecte novit, nisi Pater. Et cum dixisset : « O homo, non sum, » se negavit, et non Christum. Cumque dixisset, « homo, nescio quid dicis, » dixit se nescire falsa eorum consilia et dolos. Sed stultum est excusare, quem Dominus accusavit. Ipse etiam se reum lacrymis indicavit. Stabat autem cum ministris Petrus ad ignem. Interrogabat autem pontifex Jesum de doctrina ejus. Et cum dixisset Jesus : « Palam mundo locutus sum, interroga eos, qui audierunt, » unus ministrorum dedit alapam Jesu (56). « Et ait Jesus : Si bene locutus sum, quid me cædis? » Ostendit Jesus, percutienti maxillam, non actu ipso præbendam esse alteram, sed animo paratum esse ad patiendum, si opus fuerit. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham.

CAP. CLIX. *De secunda, et tertia.*

Erat autem Petrus stans in atrio (57), et calefaciens se, et dicente alia ancilla : Et hic cum Jesu erat, dixerunt, qui astabant : Vere tu ex illis es, nam et Galilæus es, et loquela tua, id est idioma Galilææ, manifestum te facit. Tunc negavit Petrus cum juramento, et ante hanc negationem exierat, et cantaverat gallus. Et quasi post horam cognatus Malchi dicebat eum se vidisse in horto cum Jesu. Et tunc Petrus cœpit anathematizare, et jurare, quia non novisset hominem, et statim gallus cantavit. Et conversus Dominus, respexit Petrum. Et recordatus Petrus verbi, quod Dominus dixerat, egressus foras flevit amare, fugiens in caveam, quæ modo Gallicantus appellatur, in quo loco ædificata est ecclesia. Secundum hunc ordinem Joannis videtur Petri trina negatio inchoata in atrio Annæ, et consummata in atrio Caiphæ. Secundum alios, qui non faciunt mentionem de Anna, videtur tota facta in atrio Caiphæ. Augustinus in libro *De concordia evangelistarum*, asserit totam factam in atrio Annæ, et quæ dicta sunt inde post missum Jesum ad Caipham, recapitulando dicta. Hieronymus in Matthæum, et Beda in Lucam, videntur velle quod Petrus in atrio Caiphæ negaverit.

CAP. CLX. *De sententia mortis lata in Jesum*

« Mane facto convenerunt apud Caipham sacerdotes, et seniores populi, et Scribæ, et Pharisæi, et quærebant falsum testimonium contra Jesum (*Matth.* XXVI ; *Marc.* XIV). Et dixerunt duo falsi testes : Nos audivimus eum dicentem : Possum destruere templum Dei hoc manu factum, et post triduum non manu factum reædificare. Cumque non respondisset Jesus, exsurgens Caiphas dixit ad Jesum : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei benedicti. Et respondit Jesus : Tu dixisti. Si dixero vobis, non creditis mihi, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli, » quod de secundo adventu ejus congrue intelligi potest, vel de adventu ejus in orbem per prædicatores. « Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua * dicens : Blasphemavit ; » consuetudinis Judaicæ erat audita blasphemia in Deum, scindere vestimenta sua. « Et dixit : Quid vobis videtur? Et dixerunt : Reus est mortis. »

* *Additio* 1. Hoc in lege non habebant, sed signum doloris debuit esse.

CAP. CLXI. *Prima illusio.*

Tunc exspuerunt in faciem ejus (*Matth.* XXVII ; *Marc.* XV ; *Luc.* XXIII *Joan.* XVIII) ; et hoc etiam proprium erat Judæorum spuere in faciem ejus, quem abjiciebant. Et adduxerunt eum vinctum ad prætorium, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi, et non introierunt ne contaminarentur intrando domum gentilis.

CAP. CLXII. *De suspendio Judæ.*

« Tunc Judas pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos, dicens principibus sacerdotum : Peccavi tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : Quid ad nos? Tu videris (*Matth.* XXVII), » quasi dicant : Tu vidisti quid feceris, et sic est præteritum subjunctivi. Vel tu videbis, cum senties in pœna te peccasse, et sic est futurum subjunctivi. Quidam tamen sub una distinctione legunt. Quid ad nos? tu videris, quid scilicet pertinet ad nos. Forte Sata-

(54) Solus Joannes dicit de Anna

(55) Solus Marcus de adolescente

(56) Hæc solus Joannes.

(57) Omnes loquuntur de ista, sed diversimode.

Digitized by Google

nas, qui possederat Judam, postquam fecit, quod voluit, recessit ab eo, et ideo potuit Judas dolere, quod fecerat, ut ex dolore iterum intraret in eum Satanas, ut faceret eum injicere sibi manum. Dicit Hieronymus super cviii psal. quia magis offendit Judas Deum, quando se suspendit, quam in hoc quod eum prodidit. Et projectis argenteis in templo, abiens, laqueo se suspendit et crepuit medius, effusis visceribus, et in hoc quodammodo delatum est ori, quo osculatus erat Dominum, ne per os spiritus effunderetur. Rupto enim laqueo, putatur post cecidisse et crepuisse. Utrum autem eadem die se suspenderit, an distulerit, dubium est, sed quod ante resurrectionem Domini, super psalmum habetur. Quidam tamen dixerunt quod, audita resurrectione, quam non sperabat, se suspendit, quod non est authenticum. Dixeruntque sacerdotes quia non licebat eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis : erat, *mittere*, intellige pro *remittere*, quia inde tulerant eos. Et emerunt ex eis agrum * figuli, in sepulturam peregrinorum, cujusdam scilicet figuli. Vel est Figuli proprium nomen. Et dictus est ager Haceldama, id est *ager sanguinis*. Quia fuerunt pretium mortis, in usum mortuorum tradiderunt eos Tunc impletum est illud Jeremiæ : « Acceperunt triginta argenteos sacerdotes, » vel venditores agri, vel Judas, « et dederunt eos in agrum figuli, » scilicet « pretium appretiati a filiis Israel, » id est Christi, quem appretiaverunt, id est pretio emerunt filii Israel, vel alii, qui erant a filiis Israel nati. Non legitur in Jeremia hoc, sed in Zacharia (*cap.* xi) pene idem sensus est sub verbis aliis. Unde quidam codices habent per prophetam, sine nomine aliquo. Dicit Hieronymus in majori Breviario, quia antiqui codices habuerunt in Asaph propheta, sed vitio scriptorum positum est in Isaia, quia nesciebant quis fuerit Asaph. Unde Porphyrius vocabat Matthæum imperitum cum posuisset Isaiam, sed non erravit Matthæus, sed scriptor. Similiter in Marco dicit Hieronymus fuisse scriptum, hora sexta crucifixum fuisse Dominum, sed scriptores imperiti pro episi, quæ notat 6 nec est littera, sed nota numeri tantum, scripserunt gammam literam, quæ significat 3, et inde forte potest legi glossa, quæ est in Marco. Hoc proprie Marcus, subaudi dixit, sed scriptor corrupit, et vere dixit, tertia, quantum ad mysterium. Nam et cum Hieronymus ita dicat errasse scriptores in Matthæo, qui scripserunt Jeremiam, pro Zacharia, etiam super Matthæum dicit Hebræum quemdam sibi ostendisse librum Jeremiæ apocryphum, in quo hæc scripta ad verbum repererat Origenes in Matthæum : In secretis Jeremiæ hoc reperitur, sicut Apostolus scripturas quorumdam secretorum profert, ut illud: « Quod oculus non vidit, nec auris audivit (*I Cor.* ii). » In nullo enim regulari libro hoc invenietur nisi in secretis Isaiæ **. Augustinus *De concordia evangelistarum* dicit, apud Zachariam esse tantum de triginta argenteis. In Jeremia vero de emptione agri, licet non hujus agri. Et ita dicit hoc capitulum ex duobus compactum. Ultra etiam, ut dicit Augustinus, quædam ex persona evangelistæ, quædam ex persona prophetæ, accipienda sunt.

* *Additio* 1. Super agrum hunc secus viam, quæ ducit in Ephrata, mons Geon est, ubi Salomon inunctus est.

** *Additio* 2. Quia quilibet prophetarum secreta habuit, quæ non revelavit, scilicet, quia solutionem nescivit, unde ipse dixit : « Secretum meum mihi (*Isa.* xxiv). »

CAP. CLXIII. *De verbis Pilati ad Jesum, et Judæos.*

Cum autem Jesus esset in prætorio, exiit ad Judæos Pilatus quærens quam accusationem ferrent adversus hominem hunc (*Joan.* xviii; *Matth.* xxvii; *Marc.* xv; *Luc.* xxiii). Et primum eum accusaverunt in duobus, quia prohibebat tributa dari Cæsari, et quia dicebat se Christum regem esse. Cumque respondisset, ut acciperent eum, et secundum legem suam judicarent, dixerunt : « Nobis non licet interficere quemquam, » subaudi, his diebus. Vel pro potestate translata ad alios, hæc dixerunt. Introivit ergo Pilatus prætorium, primam accusationem quasi nullam reputans, quia forte audierat Jesum dixisse: « Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari (*Matth.* xxii), » de secunda dicit ad Jesum :« Tu es Rex Judæorum? Qui respondit : Dicitur hoc a te, an alii tibi dixerunt hoc de me, » id est in hoc accusaverunt me tibi? Et ait Pilatus: « Nunquid ego Judæus sum? » quasi dicat : Ego non sum Judæus, et ita a me hoc non dico, sed gens tua, scilicet quam tuam dicis, et de qua natus est, tradiderunt te mihi (57*). « Et ait Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo. Cui Pilatus : Ergo Rex es tu? Respondit Jesus : Tu dicis, quia Rex sum ego *. Ego ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Cui Pilatus : Quid est veritas? Et iterum exiens dixit Judæis : Nullam causam invenio in eo. »

« (58) At illi clamabant : Commovit universum populum, incipiens a Galilæa, usque huc. »

* *Additio* 1. Tu dicis, id est quod quæris vere dicere potest quasi dicat : Muta modum pronuntiandi, dic remissive quod dicis interrogative. Dicit Magister, quia bene fecisset Pilatus si responsionem Jesu super hoc exspectasset. In hoc Pilatus arguitur, quod non exspectavit, donec veritas a Domino describeretur, cum a Pharisæis non potuerit describi. Academici enim dicebant eam esse in puteo sine fundo, et non poterant describere.

CAP. CLXIV. *Quod Herodes illusit Domino.*

Cumque accepisset Pilatus, quod homo Galilæus esset (*Luc.* xxiii), quia Herodes, qui præerat regioni illi, Hierosolymis erat his diebus, volens deferri ei honorem misit ei Jesum, ut dominus Galilææ hominem Galilæum, vel absolveret, vel damnaret.

(57*) Hæc Joannes solus.

(58) Hæc Lucas solus.

Digitized by Google

Et ideo reconciliatus est Herodes Pilato, super nece Galilæorum, quam prædiximus. Et gavisus est Herodes, quia ex multo tempore cupierat Jesum videre, et signum ab eo videre. Sacerdotes autem constanter accusabant Jesum coram Herode. Qui cum interrogasset Jesum in multis, nec recepisset responsum ab eo, sprevit eum, et illusit ei, existimans eum fatuum, vel non sanæ mentis. Et in signum illusionis induit eum alba veste.

CAP. CLXV. *De secunda illusione.*

Tunc Pilatus dixit Judæis, quia nec ipse, nec Herodes inveniebant in eo causam, et ideo correctum flagellis dimitteret. Turba autem universa clamavit: « Crucifige eum (*Luc.* XXIII; *Joan.* XIX). » Cumque Pilatus renuisset, accusabant eum Judæi in tertio, quia Filium Dei se fecit. B

CAP. CLXVI. *Quod Pilatus hora quasi sexta sedit pro tribunali.*

Tunc ergo Pilatus magis timuit, et ingressus ad Jesum ait illi: « Unde es tu? » (*Joan.* XIX.) Jesus autem non respondit ei verbum. Cui Pilatus: « Mihi non loqueris, nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et dimittere? Respondit Jesus: Non haberes potestatem in me ullam, nisi datum esset tibi desuper, » id est, a Cæsare, imo a Deo. Et quia quasi timore potestatis superioris angebatur Pilatus, dixit eum Jesus, minus peccare, quam Judæos. Cumque Pilatus quæreret dimittere eum, clamabant Judæi: « Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari. Audiens C hæc Pilatus eduxit Jesum foras, et sedit pro tribunali in loco qui dicitur Græce *lithostrotos*, Hebraice *Gabatha*, quod sonat *varietatem pavimenti*. Erat autem parasceve hora quasi sexta. « Græcis admisti Judæi, crebro utebantur Græcis vocabulis. Parasceve enim Græce, *præparatio* Latine, sic dicebant feriam sextam, quia in ea parabant necessaria Sabbato, sicut et in deserto duplo colligebant manna. Poterat ergo hora sexta esse incepta, et usque ad ejus completionem peracta sunt ea, quæ leguntur usque ad tenebras, et a sexta completa factæ sunt tenebræ. Marcus (*cap.* XV) dicit hora tertia, malens intelligere horam, qua linguis crucifixerunt eum Judæi. Vel Joannes vocat horam sextam præparationem Dominicæ mortis. Postquam enim in nocte judi- D caverunt eum reum mortis, fluxerunt usque ad crucifixionem tres horæ noctis, et tres horæ diei. Reor in medio illarum horarum Dominum crucifixum, ideo modo hanc, modo illam horam positam. Nam Ecclesia inter tertiam et sextam horam celebrat missam *, et cum mane celebratur debet ante cantari tertia. Cumque accusarent eum in multis, nihil respondit. Per diem autem festum Paschæ consueverat præses, noviter introducta consuetudine, dimittere unum de vinctis quemcunque petissent, in memoriam quod ea die egressi erant de servitute Pharaonis, Ægyptiis etiam compellentibus eos exire. Alios occidebant, ut Christum, et duos latrones, in memoriam primogenitorum Ægypti: si adhuc idem faciant nescio. Quod quia factum A est luna 15 constat, et tunc fuisse eam quintamdecimam. Cumque optionem dedisset eligendi Jesum innocentem, aut Barrabam latronem, elegerunt Barrabam. Scribitur Barrabas, et sonat, *filius magistri*, scribitur etiam Barabas, et sonat, *filius patris*.

* *Additio* 1. Quod in jejuniis differtur missa usque post sextam, in Quadragesima usque post nonam, reor pro gastrimargia nostra magis factum esse, quam pro mysterio, ne audita missa ante sextam, quæramus occasionem præveniendi horam prandii. Vel forte quia non solum passionis, sed et mortis, et sepulturæ, et ascensionis sacramenta sunt in missa. In memoriam mortis et ascensionis celebrantur post sextam, in memoriam sepulturæ post nonam, forte in memoriam resurrectionis celebratur mane.

CAP. CLXVII. *Quod Pilatus, quasi nolens, tradidit Jesum flagellatum, ut crucifigeretur.*

« Tunc misit ad Pilatum uxor sua dicens: Nihil tibi, et justo illi. Multa enim passa sum per visum, dormiens, propter eum (*Matth.* XXVII). » Jam Dei natu poterat cognoscere diabolus mysterium crucis, et ideo laborabat, ne Christus moreretur. Forte jam gaudebant sancti in inferno, unde hoc notavit. « Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, lavit manus suas dicens: Innocens ego sum a sanguine hujus justi. Et responderunt omnes: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros, » id est ultio sanguinis. « Tunc Jesum flagellis cæsum tradidit eis, ut crucifigeretur. » Sanctum erat a Romanis, ut crucifigendus prius flagellaretur, vel forte ut Judæi satiati flagellis, a morte desisterent. Adhuc columna cui alligatus fuit Jesus, vestigia cruoris ostendit.

* *Additio* 1. Ideo in illis diebus initia et fines horarum omittimus, quia a nobis ablatus est ille, qui est Alpha et Omega, et traditus est impiis.

CAP. CLXVIII. *De illusione * militum.*

Milites ergo præsidis suscipientes Jesum (*Matth.* XXVII; *Joan.* XIX), et exuentes eum, circumdederunt ei chlamidem coccineam ad similitudinem purpuræ, qua reges utebantur, et potuit in chlamide illa, assutum esse aliquid purpuræ intus, ut in æstiva chlamide fieri solet, quia et Marcus (*cap.* XV) dicit, eum indutum purpura. Pro diademate autem plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus. Qui attentius considerasse se dicunt, spinas illas asserunt, juncos fuisse marinos, quorum acies non minus spina pungit, quia dura est et penetrativa. Unde et poeta:

.... Et acuta cuspide junci.

Credibile est autem aculeos coronæ cruorem de capite extraxisse. Etiam flagellis cruor dorsi extractus est, et sanguineus sudor alias partes corporis tinxit, ut non tantum manus, et pedes, et latus dicamus aspersa sanguine, sed tota veste tincta Christum ascendisse de Bosra (*Isa.* LXIII), pro sceptro autem dederunt in manu ejus arundinem, et illudebant ei, tanquam volenti regnare, nec valenti.

* *Additio* 1. Tertia illusio. Contra has illusiones,

Digitized by Google

quibus ter illusus est præmittimus nos, ante revelationem crucis, tres adorationes dicentes : *Agios*, etc., quasi ter honorantes ter illusum propter nos, et duabus linguis, quia tertia adhuc silet. Etiam contra tres accusationes, tres dicimus excusationes in persona Salvatoris : *Populе meus*, etc. Ubi etiam exprobrat eis Christus tria beneficia sua, liberationem de Ægypto, regimen in deserto, introductionem in terram optimam, quasi diceret Christus : Accusas me de negatione tributi, potius deberes gratias agere, quia liberavi te a tributo. Accusas quia dixi me regem, potius gratias age, quia regaliter pavi te in deserto. Accusas me quia me dixi Filium Dei, potius ora, ut introducam te in terram meliorem et optimam.

CAP. CLXIX. *Tertia illusio.*

« Et, genu flexo, dicebant : Ave, rex Judæorum (*Matth.* XXVII ; *Marc.* XV ; *Joan.* XIX). » Et licet hoc facerent gentiles, quia Judæis auctoribus fiebant, ideo in parasceve cum oratur pro perfidis Judæis, genua non flectimus. Tamen forte Judæi cum militibus hoc agebant. Et expuentes arundine percutiebant caput ejus, et exuentes eum purpura, reinduerunt eum veste sua, et duxerunt eum, ut crucifigeretur, bajulans sibi crucem.

CAP. CLXX. *De Simone Cyrenæo.*

Et exeuntes invenerunt Simonem Cyrenæum, patrem Alexandri et Rufi, et hi duo putantur fuisse discipuli Jesu, et angariaverunt eum tollere crucem post Jesum (*Matth.* XXVII ; *Marc.* XV), id est ad angariam coegerunt eum, quæ est onus personæ et operis ; perangaria autem tantum personæ. « Sequebantur autem Jesum mulieres plangentes eum*. Quibus ipse ait : « Nolite flere super me, sed super vos, et super filios vestros, » quasi diceret : Flete pro imminenti excidio gentis vestræ. Potest esse una de causis, quare in Passione Christi non solemnizamus, quia Dominus præcepit illis, ut flerent.

Ducebantur et duo nequam cum eo, ut interficerentur, et venerunt in locum Calvariæ (59) quod Hebraice dicitur *Golgotha*. Calvaria est proprie os capitis humani nudum. Et quia ibi decollabantur rei, et multa ossa capitum ibi aspersa erant, dicebatur locus Calvariæ, vel Calvarium. Ambrosius *in Epistolam ad Romanos*, videtur velle, quod ibi sepultus fuerit Adam, et a capite ejus dictum calvariam, et ei dictum ab Apostolo : « Surge qui dormis, exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus (*Ephes.* V). » De qua opinione dicit Hieronymus, quod favorabilis est interpretatio, et mulcens aures, non tamen vera. Unde credimus hoc a falsariis positum in Ambrosio, sicut et multa alia. « Cum autem crucifigerent eum dicebat : Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt (60). »

* *Additio* 1. Hanc processionem plangentium post Dominum, repræsentamus, quando litanias pro imminentibus periculis facimus, et juxta mandatum Domini, plangimus super nos et super filios nostros. Sane crux super altare ponenda est, ut de altari tollat eam bajulus crucis ; quia de Christi humeris sublatam tulit eam Simon Cyrenæus.

CAP. CLXXI. *De divisione vestium, et tunica sortita.*

Tunc fecerunt de vestibus ejus, excepta tunica, quatuor partes, quia quatuor erant milites, qui crucifixerunt eum. Tunica autem erat inconsutilis reticulato opere facta, et ideo scindi non poterat, desuper contexta per totum, habens, scilicet pannum aliquem ex transverso super humero positum, ad modum corrigiæ in pelliciis, et sortiti (61) sunt de ea cujus esset.

CAP. CLXXII. *De titulo* (62) *triumphali.*

Scripsit autem Pilatus titulum* causæ ejus, id est in titulo causam mortis ejus : « Jesus Nazarenus rex Judæorum, » quasi dicat : Ideo crucifixus est, quia rex erat Judæorum. Et scripsit illum Hebraice, Græce et Latine, ut diversarum linguarum homines, qui convenerant ad diem festum, illum legere possent, et intelligere. Utrum autem principium tituli** scriptum fuerit tribus linguis incertum est, sed finis, hoc est, rex Judæorum, sic est scriptus, Hebraice *Malcus Judæorum*, Græce, *Basileos exomosoleon (sic)*, Latine *Rex confitentium*. Crux autem non habebat super lignum transversum aliquid, habens formam Tau. Sed Pilatus superposuit cavillam et tabulam affixam, et in tabula erat titulus sic. Dicuntur autem in cruce Domini fuisse quatuor ligna diversa, et forte in totidem diversis generibus : lignum erectum, transversum, tabula superposita, truncus quidam, cui infixa erat crux***, qui in rupe defossus fuit. Invenitur enim lignum Dominicæ crucis, et palmæ et cupressi, et ut quidam tradunt, olivæ et cedri. Dixerunt autem Judæi Pilato, ut mutaret titulum, et noluit, sed confirmavit dicens : « Quod scripsi, scripsi, » id est immobiliter scripsi. Prætereuntes autem blasphemabant, dicentes : « Vah qui destruis templum Dei, etc. » Similiter et sacerdotes illudebant ei, dicentes : « Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. » Quasi dicant : Nunc apparet, quia non ex se, sed in Beelzebub homines sanabat, potius enim se sanaret. Dæmones enim sentientes vires suas fractas esse, hæc agebant, ut descenderet de cruce. Tamen in Tobia super exenterationem piscis legitur, dæmonem stetisse super brachium crucis, et considerasse, an Christus aliquam maculam peccati haberet.

* *Additio* 1. Tres sunt tituli : triumphalis, victorum gesta continens ; præconialis, qui in portis et domibus scribebatur ; memorialis, qui supra sepulcra, id est epitaphium.

** *Additio* 2. Vel etiam tribus linguis significatum est quod omnis religio, quæ per linguam Hebræam, quia apud eos prius religio viguit propter cultum

(59) Omnes locum nominant.
(60) Primum hoc verbum solus Lucas.
(61) De missione sortis super vestimenta omnes ponunt, ut supra.
(62) Omnes de titulo loquuntur.

Digitized by Google

nius Dei, et omnis sapientia quæ per Græcam, et omnis fortitudo quæ per Latinam pro dominio Romanorum, credere deberent illum Deum et hominem.

*** *Additio* 3. Nota quosdam velle, in Domini cruce fuisse tres tantum clavos.

CAP. CLXXIII. *De diversis meritis latronum.*

Etiam unus de simul pendentibus blasphemabat eum, alter autem increpans blasphemantem ait: « Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. » Et audivit a Domino: « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII). » Non intellige de terreno, unde expulsus est Adam, neque de angelico, quia ad illum ante Christum nemo ascendit, sed in requie quod est esse cum Jesu. Vel, hodie eris mecum, quod est esse in paradiso. Forte fuit anima ejus cum anima Christi in sinu Abrahæ, et cum illa regressa. Et quia non tunc penetravit latro cœlos, etiam ex aliis multis locis Scripturarum, erraverunt quidam putantes esse multa loca bonorum præter cœlum, paradisum scilicet Adæ, locaque in aere et terra, ubi beate vivent, nec tamen Deum videbunt. Soli enim perfecti cum angelis fruentur Dei visione. Ob hoc etiam dictum putant: « Multæ mansiones in domo Patris mei sunt (*Joan.* XIV). »

CAP. CLXXIV. *Quod virgo virgini commissa est.*

« Stabant autem juxta crucem Mater Jesu, et Maria Cleophæ, et Maria Magdalene, et Joannes. Tunc dixit Jesus Matri de Joanne: Mulier, ecce filius tuus. Et Joanni * ait: Ecce mater tua (*Joan.* XIX). » Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam, quasi suam habens matrem, vel in suam, quasi potestatem, vel in communionem rerum suarum. Tamen nil creditur habuisse proprium, sed cum esset beata Virgo cum apostolis, iste specialem ejus curam habebat.

* *Additio* 1. Quia Joannes astitit crucifixioni, ideo die eadem legitur passio secundum ipsum, licet merito postremus legatur; quia scripsit postremus.

CAP. CLXXV. *De tenebris factis a sexta usque ad horam nonam.*

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt, usque ad nonam, per universam terram (*Matth.* XXVII; *Marc.* XV; *Luc.* XXIV); non fuit eclipsis solis, ut quidam mentiti sunt, quia luna, e regione fere erat ad solem. Eclipsis autem fieri solet tantum in synodo solis et lunæ. Legitur quia tunc Athenis vigebat studium, et cum inquisissent philosophi causam tenebrarum, nec invenirent, dixit Dionysius Areopagita quod Deus naturæ patiebatur. Et fecerunt ei aram, et superscripserunt: « Ignoto Deo, » de qua legitur in Actibus apostolorum (*cap.* XVI). Tamen Origenes videtur velle quod tenebræ illæ tantum fuerunt super universam terram Judææ, quia si per universum orbem diffusæ fuissent, in aliquibus historiis ethnicorum inveniretur scriptum. Et sicut tribus diebus * super Ægyptis fuerunt tenebræ, in deserto vero Jessen, ubi erant filii Israel, lux erat ita modo quasi econtrario super filios Israel erant tenebræ, aliis nationibus luce fruentibus.

* *Additio* 1. Quia tribus horis prætensæ sunt tenebræ, ideo et nos celebramus tenebras, etiam triduanæ mortis, quasi triduanas facimus exsequias, quia nec albi monachi novem faciunt lectiones, nisi pro mortuis, et tunc etiam primatus tenebrarum insinuatur, quæ in illis diebus cœperunt præcedere diem. Exstinctio candelarum fugam signat apostolorum, vel quia paulatim fit, occisionem prophetarum a prava generatione factam, et tandem mortem intellige.

CAP. CLXXVI. *De clamore Domini ad Patrem.*

Et circa horam nonam Jesus clamavit voce magna dicens: Heli, vel Heloy lamma sabacthani (*Matth.* XXVII). Una dictio est Heli, et sonat *Deus meus.* Hel enim nomen Dei est, oy *iste est meus;* quid autem sonet vox illa Christi, evangelista interpretatus est; hic patet quod Psalmus, qui eisdem verbis incipit de Christo scriptus est, non ut quidam putant ex persona David, vel Esther, vel Mardochæi. « Et dixerunt quidam, Heliam vocat iste. » Hi Romani erant non intelligentes Hebræum. Clamabat autem Jesus, se derelictum a Patre, non quod deitas separata esset ab humanitate, sed quia ita traditus erat a Patre calamitatibus, quod videbatur derelictus, vel se derelictum a Patre dicit, quia tunc fere inutilis videbatur passio ejus, quia de toto genere hominum non videbatur quis redimi, nisi latro qui fere solus credebat in eum. Unde dicit Isaias *: « Factus sum sicut qui colligit stipulam in messe (*Isa.* V). » Et in Psalmo: « Singulariter sum ego donec transeam (*Psal.* CXL), » excepta beata Virgine, quam etiam tunc credidisse credimus, in hujusmodi enim semper ipsa excipitur.

* *Additio* 1. Metaphorice loquitur Isaias cum forte tempore messis proposuit paterfamilias colligere messem, non invenit nisi de spicis stipulam, ita fuit de Christo, cum tempore gratiæ deberet messem suam, id est Judæos, colligere, non invenit, nisi solum latronem fidelem.

CAP. CLXXVII. *De morte Domini post gustatum acetum.*

Postea dixit Jesus: Sitio; vas autem erat ibi positum aceto plenum, et unus ex militibus implevit spongiam aceto, et eam imposuit arundini superpositam hyssopo, et circumligatam, et dabat ei bibere (*Joan.* XIX; *Matth.* XXVII; *Marc.* XV). Fuerunt qui dicerent, crucifixos citius mori, si acetum cum felle biberent, et ideo milites acetum secum tulisse, ut citius possent liberari a custodia, si citius morerentur, quos crucifigerent. Potuit esse, quod vile vinum secum tulerant ad bibendum, et ex calore quasi acetum factum est. Unde ad notandum ejus acredinem, alius Evangelista dicit vinum myrrhatum, alius cum felle mistum. Cumque libasset Je-

Digitized by Google

sus acetum, dixit : « Consummatum est (63). » A quidquid scilicet fieri oportebat antequam moreretur, vel vitium humanæ corruptionis dixit, esse consummatum. Jesus autem clamavit voce magna dicens : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (64), et inclinato capite, tradidit spiritum. »

CAP. CLXXVIII. *De signis in morte Domini.*

« Et ecce velum templi, quod erat ante Sancta sanctorum, scissum est a summo usque deorsum (65). » Remigius dixit, velum, quod dicebatur exterius, scissum est, quod mystice tantum dictum est, vel forte etiam velum appensum ante fores templi, quod ad tegendas fores appositum est, dicit Josephus, cum interiori velo scissum. Nam et in Evangelio Nazaræorum superliminare templi infinitæ magnitudinis fractum esse legitur auditasque voces B in aere : « Transeamus ex his sedibus. Terra quoque mota est, petræ scissæ, monumenta aperta. Et quidam sancti surrexerunt a mortuis, et venerunt in Jerusalem, et apparuerunt multis. » Forte hi fuerunt de quibus, super Epistolam ad Hebræos legitur, quod multi affectaverunt sepeliri in terra sancta, ut Domino resurgente resurgerent : utrum aliqui eorum ita permanserunt, et cum Domino ascendente ascenderint *, nescimus. Quod autem aliqui eorum iterum mortui sunt, postquam Dominum surrexisset testificati sunt, scimus quia corpora quorumdam adhuc quiescunt in Jerusalem, et sanctus Iscarioth **, unus eorum fuisse a quibusdam perhibetur. « His visis Centurio (66) et qui eum eo custodiebant Jesum, timuerunt, et dicebant : Vere filius Dei erat iste. » Quia hora nona mortuo Domino Centurio factus est præco fidei nostræ, et perfidis recedentibus, licuit Joseph, et Nicodemo disponere de funere, et mulieribus accedere propius, ideo hora nona convenimus non ad missale officium, sed quasi ad funeris obsequium. C

* *Additio* 1. Beda super Matthæum, isti credendi sunt, cum ascendente ascendisse simul corpore.

** *Additio* 2. De quo magis Hieronymus dubitat. Dicitur sanctus Iscarioth fuisse abbas, quo mortuo, quidam monachi inconsolabiliter dolentes mortui sunt, et adhuc compaginati videntur.

CAP. CLXXIX. *Quod fractis cruribus latronum Christus lanceatus est.* D

Judæi autem, ne remanerent pendentes in cruce magna die Sabbati, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur crura eorum, et tollerentur, ne festum eorum horrore diuturni cruciatus * fœdaretur (*Joan.* XIX). Cumque milites primi fregissent crura latronum, et venissent ad Jesum invenientes eum mortuum, os non comminuerunt ex eo **. « Sed unus militum lancea latus ejus dextrum perforavit, et continuo exivit sanguis, et aqua, » et qui lanceavit eum, ut traditur quidam, cum fere caligassent oculi ejus, et casu tetigisset oculos sanguine ejus, clare vidit.

* *Additio* 1. Opinio est crucem Domini quindecim pedes habuisse in altum, et tabulam superpositam, pedem et dimidium.

** *Additio* 2. Item super locum, ubi Christus crucifixus est, hoc scriptum est Græce, o Theos, id est, *hic Deus;* Basileos imon, id est *Rex noster;* Proseruas, id est, *ante sæcula;* Glosæ, id est *operatus est;* Sothias, id est *salutem;* Emesotis, id est *in medio;* Gis, id est *terræ*.

CAP. CLXXX. *De sepultura Domini.*

Cum autem sero factum esset, Joseph decurio, id est, unus de ordine curiæ, ab Arimatha, quæ est Ramatha, civitas Helcanæ patris Samuelis, dives et justus, de quo etiam quidam putant conscriptum esse psalmum : « Beatus vir (*Psal.* CXI), » quia non consensit actibus et consiliis aliorum, petiit a Pilato corpus Jesu, sed in occulto (*Matth.* XXVII; *Marc.* XV; *Luc.* XXIII; *Joan.* XIX). Venit quoque etiam cum eo Nicodemus (67), ferens myrrhæ et aloes quasi libras centum. Ista amaritudine sua vermes arcent a corporibus mortuorum, et acceperunt corpus Jesu, et involutum sindone, quam emerat Joseph, ligaverunt linteis albis, quæ creditur attulisse Nicodemus. Erat autem non longe monumentum novum in petra excisum, in quo posuerunt eum. Et quia in simplici sindone involutum est corpus Jesu, instituit Silvester papa, ut sacrificium altaris in lineo tantum panno celebretur.

CAP. CLXXXI. *De sepulcro Domini*

De monumento Domini dicit Beda super Marcum, quod domus fuit rotunda de subjacente rupe excisa tantæ altitudinis, ut vix homo manu extenta culmen posset attingere, introitum habens ab oriente, cui magnus lapis appositus erat pro ostio. In parte ejus aquilonari loculus Dominici corporis de eadem petra factus est, septem pedes habens longitudinis, tribus palmis altius cætero pavimento, eminens quasi sarcophagus superpositus pavimento, vel in ipso pariete loculus factus erat, sicut fit in muris domorum, ad utensilia reponenda. Nam et dicit Beda, loculum illum non desuper, sed a latere meridiano patulum, unde corpus inferebatur, quod tamen et priori sententiæ congruit, et esset quasi sarcophagus inclinatus super latus, aperturam a latere habens desuper. Color vero monumenti, et loculi, rubicundo et albo dicitur esse permistus. « Et erant Maria Magdalene, et altera Maria considerantes, ubi positum erat corpus Jesu. Et revertentes paraverunt unguenta, quandiu licuit eis operari. Sabbato enim quieverunt (68). »

CAP. CLXXXII. *De custodibus sepulcri.*

« Altera autem die (69), quæ est post parasceven convenerunt sacerdotes et Pharisæi ad Pilatum

(63) Sextum verbum solus Joannes ponit.
(64) Septimum verbum solus Lucas.
(65) De hoc Matth., Marc. et Lucas.
(66) De Centurione Matth., Marc. et Lucas.
(67) Solus Joannes de Nicodemo loquitur.
(68) De hoc Matth., Marcus et Lucas.
(69) De hoc solus Matth. XXVII.

Digitized by Google

dicentes : Hic seductor adhuc vivens dixit : Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum, ne discipuli ejus furto sublatum surrexisse dicant. » Secundum hanc litteram patet quia Sabbato hæc facta sunt *. Tamen Remigius exponit hic parasceven præparationem Dominicæ passionis, quæ incepta est a prima vigilia noctis, ut prædiximus. Et legit ita : Altera autem die, quæ est post hanc parasceven, id est post inceptionem hujus præparationis, hæc est ipsa feria sexta, quæ orta est post ejus inceptionem. Visum est forte Remigio, quia ea die posuerunt Judæi custodes sepulcri, et signaverunt lapidem, quod Sabbato non fecissent. Unde Pilatus ait : « Habetis custodiam, » id est do vobis licentiam ponendi custodes. « Ite, custodite. Quod et fecerunt. »

* *Additio* 1. Nota cum in passionibus sanctorum, et mortibus solemnizet Ecclesia, et jucundetur, potius in die mortis Salvatoris sui exsultare, et solemnizare deberet. Sunt ergo tres causæ, quæ assignantur a sanctis Patribus, quare non solemnizat et exsultare non præsumit : Prima pro rubore peccati commissi in Adam, pro quo subiit Dominus ea die patibulum crucis. Secunda pro præcepto, quo « dictum est populo per Moysen : Dominus pugnabit pro nobis, et vos tacebitis (*Exod.* XIV). » Tertia pro mysterio, ut quasi per hoc ostendat Ecclesia se discordare ab inimicis æmulando.

CAP. CLXXXIII. *De adventu mulierum ad sepulcrum.*

« Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati cum adhuc tenebræ essent, venit Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Maria Salome ad sepulcrum cum aromatibus, quæ paraverant (*Matth.* XXVIII ; *Marc.* XVI ; *Luc.* XXIV ; *Joan.* XX). » Quidam non nisi duas venisse dicunt, quia supra tantum duæ dictæ sunt considerasse sepulcrum et revertentes parasse aromata. Et dicunt quod additum est hic, et Salome *, expositio est alterius Mariæ tacitæ. Contra quos sufficit opponere usum Ecclesiæ, quæ tres repræsentat. Etiam Lucas dicit præter Marias adfuisse Joannam, quæ traditur fuisse uxor Chusæ procuratoris Herodis. Nomine vesperis, ut dicit Augustinus *De concordia evangelistarum*, noctem signat, a parte totum. Et est vespere Sabbati, id est nocte Sabbati. Sed ne de ipso vespere, quod est initium noctis intelligamus, mutavit genus, et ait, ut referens ad sensum, non ad nomen, quæ scilicet nox lucescit in prima Sabbati, hoc est cujus finis est diluculum primæ Sabbati, id est Dominicæ, quasi dicat, nocte Sabbati venerunt, non tamen qualibet noctis parte, sed diluculo.

* *Additio* 1. Chrysostomus dicit matrem filiorum Zebedæi vocatam Salomam, quasi binomiam.

CAP. CLXXXIV. *De alio ordine dierum.*

In hac nocte terminatus est ordo dierum naturalium qui erat, ut dies præcederet noctem. Deinceps fit commutatio temporum. Fecit Creator, ut nox præcederet diem. Et hæc nox communis fuit, et Sabbato, et Dominicæ diei *. Et ita per synecdochen dicitur Dominus, fuisse in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus, accipiendo per extremam partem parasceves, totum diem cum nocte sua, et Sabbatum totum, et per noctem Dominicæ diei ipsam Dominicam. Tamen Augustinus videtur velle, hanc mutationem factam in parasceve, ut nox quintæ feriæ fuerit etiam parasceves, et orto jam sole, id est cum cœlum jam ab orientis partibus albesceret, dicebant ad invicem : « Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti ? Et respicientes, viderunt revolutum lapidem, et angelum ** sedentem super eum (*Marc.* XVI ; *Matth.* XXVIII). » Jam enim terræ motus factus erat, Domino resurgente, et clauso sepulcro, egressus erat Jesus. Cuidam autem monacho Sancti Laurentii Romæ extra muros anno ab Incarnatione Domini 1111 miranti de cingulo suo, quo cinctus erat, insoluto et projecto ante eum, vox in aere facta est : Sic potuit clauso prodire Christus sepulcro. Angelus autem post tulit lapidem, ut egressum jam factum indicaret. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, unde jacebant velut mortui.

* *Additio* 1. Per hoc fecit quod nocte Dominicæ diei surrexit, cum in Genesi (*cap.* I) dictum sit primo : « Dixit Deus : Fiat lux, et facta est lux. »

** *Additio* 2. Nota quod de apparitione angelorum videtur contrarietas inter evangelistas. Matthæus enim dicit quod mulieres invenerunt unum sedentem ad ostium monumenti, super lapidem revolutum, neque commemorat plures. Marcus dicit quod invenerunt in dextris loculi sedentem. Lucas dicit quod invenerunt duos stantes. Joannes, qui, tanquam ultimus quasi correctior dicit quod duos invenerunt sedentes, unum ad caput et alium ad pedes. Licet autem diversa sunt hæc, non tamen adversa. Credimus tamen quod tres apparuerunt angeli, unus primo sedit super lapidem qui transtulit se ad dexteram loculi, in quo erant illi duo primo stantes, postea sedentes.

CAP. CLXXXV. *Opiniones de hora resurrectionis.*

De hora quidem resurrectionis quæri solet, de qua varie loquuntur auctores. Hieronymus, in libro scilicet XII *Quæstionum* : « Vespere Sabbati, ait Matthæus. Marcus vero : « Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole. » Hujus quæstionis duplex est solutio : aut enim non recipimus Marcum, omnibus Græciæ libris pene hoc capitulum in fine non habentibus, aut uterque verum dixit : Matthæus quando Dominus surrexit, id est « Vespere Sabbati ; » Marcus quando vidit eum Maria Magdalene, id est mane. Ambrosius in fine expositionis Lucæ : Non vesperascente die, sed noctis vespere Dominus surrexit. Denique Græcus sermo pro vespere habet sero. Sic ergo Domi-

Digitized by Google

nus non in vespertino tempore diei, sed sero id est profunda nocte surrexit. Unde et ad monumentum mulieres potuerunt accedere, custodibus quiescentibus. Et principes sacerdotum dixerunt, quia discipuli ejus in nocte venerunt. Ut autem scias nocte, vel mane factum, mulierum aliæ sciunt, aliæ nesciunt. Sciunt qui noctibus observant, nesciunt quæ recesserunt. * Una Maria Magdalene, secundum Joannem, nescit; altera Maria Magdalene, secundum Matthæum, scit. Nam eadem ante scire, et postea nescire non potuit, denique alteram esse cognosce. Illa admittitur tenere pedes Domini, hæc prohibetur; illa angelum videre meruit, hæc primo cum venit, neminem vidit; illa discipulis Dominum resurrexisse nuntiavit, hæc raptum esse putavit; illa gaudet, hæc plorat; illa Christo occurrit, hæc mortuum quærit. Augustinus, ut supra diximus, dixit eum diluculo surrexisse, cui consentit auctoritas illa, quæ dicit Dominum 40 horis fuisse mortuum, et totidem diebus post moratum in terra ante Ascensionem; quia horis 4 vespertinis parasceves, et 36 duarum noctium et unius diei. Ecclesia quoque assentire videtur, quæ matutinas laudes, pro Christi resurrectione celebrat. Pro prædicta vero sententia Ambrosii facit, quod Samson, in typo resurrectionis Domini, media nocte surgens, tulit portas Gazæ. Sic ergo anima Christi rediit ab inferis, et reddita est corpori facto impassibili **. Utrum autem anima Christi tunc facta est impassibilis cum egressa est a corpore, an tunc demum cum reddita est corpori, ne sine corpore glorificaretur, non memini me legisse. De sanctis, quos eduxit de inferno, si quæritur ubi fuerint post resurrectionem, Deus novit. Vel sicut dicitur de Domino fuerunt, in extremis partibus maris, id est super amplissimos fines orbis. De diversitate adventus mulierum ad monumentum, quæ videtur in evangelistis esse, unde et Porphyrius irridet eos, et de apparitionibus, et de numero angelorum, Glossa Augustini super Matthæum plene diffinit; hoc dixisse sufficiat, quia decem apparitiones Christi post resurrectionem leguntur in Evangeliis. Quinque ipsa die resurrectionis, et quinque postea. In Apostolo legitur, quod visus est Jacobo (*I Cor.* xv) et quingentis fratribus simul, sed nec tempus, nec modum determinat. Quidam dicunt quod, mortuo Domino, Jacobus vovit se non comesturum, donec Christus resurgeret, et ideo dicunt quod eadem die resurrectionis apparuit illi. Fuerunt qui dicerent Joseph eadem vespera, qua sepelivit Dominum a Judæis incarceratum, et Nicodemum latuisse, et demum factum discipulum, et ideo ante alios statim apparuit Joseph in carcere ad consolandum.

* *Additio.* Communis opinio est unam tantum fuisse Magdalenem; potest tamen determinari, quod dicit Ambrosius alteram, id est eamdem alteram.

** *Additio* 2. Forte pro prima sententia Hieronymi facit, quod apostoli tradiderunt, ea nocte non dimitti populum ab Ecclesia, usque ad profundam noctem.

Cap. CLXXXVI. *Quod angeli locuti sunt mulieribus.*

Et factum est (*Luc.* xxiv) cum mente consternatæ essent mulieres de hoc quod viderant, ecce duo viri, id est angeli, in corporibus humanis, steterunt secus illas. Cumque declinarent vultum in terram, dixerunt angeli ad illas : « Quid quæritis viventem cum mortuis? » scilicet in sepulcro, qui locus est mortuorum. « Non est hic, surrexit, sicut dixit vobis, cum esset in Galilæa. » Nota quod sanctæ mulieres non corruerunt, sed inclinaverunt vultum. Et ideo mos ecclesiasticus est ut, exemplo earum et in memoriam Dominicæ resurrectionis et in spem vitæ nostræ omnibus Dominicis diebus, a Pascha usque ad Pentecosten, non flectamus genua, orantes. « Et addiderunt : Ite, dicite discipulis ejus, et Petro, quia surrexit, et ecce præcedet vos in Galilæam. « Et recordatæ verborum Domini, ibant (*Marc.* xvi).

Cap. CLXXXVII. *De cursu Joannis et Petri.*

« Cucurrit autem Maria Magdalene, et venit ad Petrum, et Joannem, et ait : Tulerunt Dominum meum de monumento, et nescio ubi posuerunt eum (*Joan.* xx). » Hoc agebat in ea vis amoris, vel consternatio mentis, ut non inventum, non crederet nisi sublatum. Cucurrerunt ergo illi duo ad monumentum, et non invento corpore, cumque vidissent sudarium capitis, et linteamina posita seorsum, et crediderunt verum esse, quod mulier dixerat, et redierunt ad semetipsos, id est ad hospitia sua.

Cap. CLXXXVIII. *Quod Dominus apparuit Magdalenæ.*

« Maria autem Magdalene, quæ cum eis redierat ad monumentum, remansit foris, plorans. Cumque introspexisset, vidit præfatos angelos sedentes, juxta loculum corporis, unum ad pedes et unum ad caput. Qui dicunt illi : Mulier, quid ploras? Quæ ait : Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Et conversa vidit Jesum stantem, et nesciebat, quia Jesus est. Dicit ei Jesus : Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimans hortulanum esse, ait : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, ut ego eum tollam. Dicit ei Jesus : Maria! et statim cognovit eum, et ait : Rabboni, quod est idem quod Rabbi, et procidens voluit tangere pedes ejus, ut consueverat. Et ait Jesus : Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad Patrem meum, » supple, in corde tuo, quasi dicat : Quem enim mortuum quæris, viventem tangere non mereris. Quem scilicet putas cadaver sublatum, non Filium æqualem Patri, « sed vade et dic fratribus meis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum. » Hoc est, in proximo est, ut me videant ascendentem.

Digitized by Google

CAP. CLXXXIX. *De mandato custodum.*

Cum autem hæc fierent, custodes redierunt, nuntiantes principibus sacerdotum, quæ facta fuerant (70-71). At illi pecunia copiosa corrupti, dixerunt: Nobis dormientibus furati sunt discipuli corpus Jesu. Et mansit hoc verbum apud Judæos, usque in hodiernam diem.

CAP. CXC. *Quod Dominus apparuit mulieribus in via.*

« Venit autem Maria Magdalene jam credens, et inventis aliis, quæ cum illa prius fuerant, ibant simul ad discipulos, jam certæ de resurrectione. Et ecce occurrit eis Jesus dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus adorantes. Dixit eis Jesus: Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt (*Matth.* XXVI). » Hanc visionem sui in Galilæa, præ cæteris Dominus memorat, quia in ea credimus omnes discipulos adfuisse. Exprobrando quibusdam duritiam cordis eorum, eos plenius dicitur certificasse. Abierunt autem mulieres, et nuntiaverunt omnia undeinn lugentibus, et his qui cum eis erant, et visa sunt ante eos, sicut deliramentum verba hæc. « Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, » ut Lucas dicit. Et tunc verisimile est, quod Dominus apparuit ei in via, et si non legatur in Evangelio. De quo dicitur: « Apparuit et Petro. » Quinquies prima die resurrectionis apparuit.

CAP. CXCI. *De duobus euntibus in Emmaus.*

Eadem die visus est duobus discipulis euntibus in Emmaus, quorum unus dicebatur Cleophas, tacito nomine alterius putabatur se Lucas (*cap.* XXIV) inmuisse, more scriptorum sacræ Scripturæ. Sed Ambrosius in Lucam dicit, illum vocatum Amon. Post vastationem Judææ sub Marco Aureliano restaurata est Emmaus, et dicta est Nicopolis; hæc erat a Jerusalem in spatio 60 stadiorum. Tradunt Græci scriptores Herculem gigantem uno anhelitu 125 passus cucurrisse, et stetisse, et a stando spatium hujusmodi vocant stadium. Cumque octo stadia faciant milliare in summa 60 faciunt septem millia passuum et quingentos, id est 7 milliaria et quatuor stadia, id est leucas tres et tres partes quartæ. Ibat autem Jesus cum illis, et oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent, unde videtur aliud in oculis eorum fuisse, ne eum agnoscerent. Et alibi legitur quod apparuit eis in alia effigie, ergo aliud etiam erat in eo, ne eum agnoscerent. Potuit etiam esse, ut mutatio ejusdem corporis mortalis in immortale, non possit fieri sine quadam alteratione, pro qua subito visus non agnosceretur, ut, si quis quem vidisset puerum si paulo post occurentem sibi juvenem videret, non mox eum cognosceret. Et cum cognovissent eum in fractione panis*, et evanuisset ab eis, eadem hora regressi sunt in Jerusalem, et invenerunt congregatos undecim et eos qui cum eis erant dicentes, quia surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni, et illi narrabant, quæ gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

Additio 1. Fregit, et porrigebat illis. Ideo tres fiunt partes hostiæ, una quasi est Domini, duæ porriguntur, una sacerdoti, altera ministro, vel reservatur infirmo.

CAP. CXCII. *Quod Dominus apparuit aliis absente Thoma.*

Quidam autem ex eis non crediderunt, ex quibus unus erat Thomas (*Joan.* XX; *Luc.* XXIV). Quo egresso, cum adhuc alii colloquerentur de his, quæ audierant, et sero jam esset, et fores essent clausæ propter metum Judæorum, stetit Jesus in medio eorum, et ait: « Pax vobis *, ego sum, nolite timere. » Ipsi autem conturbati, putabant se spiritum videre.

Nondum enim credebant, vel tertia die potuisse veram carnem resurgere, vel suscitatam. clausis januis, posse intrare. Et ait illis: « Videte manus meas, et pedes meos, palpate et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere. » Ostendit eis cicatrices manuum, pedum et lateris. Tribus de causis præcipue reservavit Dominus cicatrices in corpore, licet incoruptibili. Ad corroborandam fidem apostolorum, quia surrexerat; et ut semper repræsentet Patri, quale genus mortis tulit pro nobis, quod est quidam modus interveniendi pro nobis; et ut in judicio videant perfidi, in quem pupugerunt (*Apoc.* I). Et ut ostendat omni carni signa victoriæ suæ. Verbi gratia, miles fortiter egit, et multis vulneribus perfossus est. Ait illi medicus: Vis sanari sine omni cicatrice? vel cum cicatricibus sine omni deformitate? Puto quod in signum gloriæ suæ, et pro exemplo alios animandi ad idem, reservaret cicatrices. Et nota quod duo mira secundum humanam rationem, et sibi contraria Dominus ostendit eis, corpus scilicet incorruptibile et palpabile. Nam palpari non potest, quod non corrumpitur, et corrumpi necesse est, quod palpatur. Dicit tamen Beda, quod corpus Domini subtile erat per effectum spiritualis potentiæ, et palpabile per veritatem naturæ, id est palpabile ostensum, ut veritatem carnis probaret. Vel potest dici corpus Domini vere visibile, et palpabile aliis incorruptibilibus; a corruptibilibus vero videri et palpari non potest, nisi miraculose.

Additio 1. Inde est, quod in mittendo partem hostiæ in calicem, ubi signatur resurrectio, subditur: *Pax Domini sit semper vobiscum.* Et episcopus cum primo convertit se ad populum in missa dicit: *Pax vobis.* Osculum vero longe post introductum est, pro causa supradicta.

CAP. CXCIII. *Quod postquam comedit cum eis insufflans dedit Spiritum sanctum.*

Adhuc illis nunc credentibus ait Jesus: Habetis hic aliquid, quod manducetur. Et obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis. Et manducans reliquias dedit illis (*Luc.* XXIV; *Joan.* XX). Sed scien-

(70-71) Ex Evangelio Nicodemi, et Matthæi.

Digitized by Google

dum est cibos a Domino sumptos post resurrectionem, non solum sumptos, sed etiam absumptos, sicut aqua missa in ignem absumitur. Ante mortem vero sumptos in alimoniam. Aliter enim absorbet aquam terra sitiens, aliter radius solis cadens. Et ait illis. « Hæc sunt verba, quæ locutus sum cum adhuc vobiscum essem, » id est similis vobis passibilis. « Tunc aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis. Vos eritis mihi testes horum in omnes gentes incipientes a Hierusalem'. »

Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino, id est agnito. Dixit ergo eis iterum : « Pax vobis, » supple, sit, vel est. Tamen cum vicarius Christo pontifex, scilicet, dicit populo : « Pax vobis, » tantum subintelligitur, sit. Qui ut ostendat se Christi vicarium. Quandoque dicit : « Pax vobis, » tunc scilicet cum primo vertitur ad populum in missa, quia hæc fuit prima vox Christi ad discipulos post resurrectionem. Instar vero aliorum sacerdotum dicit postea : *Dominus vobiscum*, ut se unum et nobis esse ostendat. « Hæc cum dixisset insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta erunt. » Huic sententiæ, quidam adhærent, dicentes : Neminem posse solvere, vel ligare nisi habeat Spiritum sanctum, quo auctore hoc faciat. Sed attendere debent, quia etiam ante resurrectionem dedit eis Jesus eamdem potestatem, sine insufflatione, nec tamen legitur ibi dedisse Spiritum sanctum eis". Quæ duo prædixit Moyses ibi, « suxerunt mel de petra, » id est potentiam ligandi et solvendi, et miraculorum, a Christo immuni a peccato quamvis mortali, et postea, « oleum de saxo durissimo (*Deut.* XXXII), » id est eamdem potentiam cum Spiritu sancto de Christo impassibili.

'*Additio* 1. Inde est, quod audita prænuntiatione Evangelii, vertimur ad orientem, quasi ad Hierusalem gratias agentes, quia inde venit ad nos Evangelium.

"*Additio* 2. Apostoli dicuntur accepisse Spiritum sanctum ter. Primo ad gratiam curationum, secundo ad remittendum peccata, tertio ad loquendum variis linguis.

CAP. CXCIV. *Quod apparuit Thomæ.*

« Cumque evanuisset ab eis, rediit Thomas. Dixeruntque alii ad eum : Vidimus Dominum. Qui dixit se non creditorum, nisi videret et tangeret cicatrices vulnerum. Post dies autem octo cum essent discipuli intus, et Thomas cum eis, stetit Jesus in medio » januis clausis, et ait Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide manus, et latus, et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas : Dominus meus, et Deus meus, scilicet es tu. « Et ait Jesus : Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt, et crediderunt (*Joan.* XX). » Tamen quidam dicunt Thomam tantum vidisse, nec ausum tangere, quia Christus tantum dixit, quia vidisti me. Sed quia visus pro quolibet sensu poni solet, potest dici vidisti, id est tetigisti, præsertim quia Dominus dixerat : « Infer digitum tuum huc, et vide. » Hæc et alia fecit Jesus ad robur fidei nostræ, et multa quæ non leguntur in Evangelio.

CAP. CXCV. *De apparitione ad mare Tiberiadis.*

« Post hæc autem manifestavit se Jesus ad mare Tiberiadis. Piscabantur autem discipuli septem nocte quadam, ut haberent cibos. Et cum nihil prendidissent, mane stetit Jesus in littore. Cumque ad præceptum jus in dexteram navigii rete misissent, impleverunt illud 153 magnis piscibus. Et ait Joannes : Dominus est. Tunc Petrus misit se in mare. Alii navigio venerunt, et invenerunt prunas in littore, et piscem superpositum, et panem juxta positum, et assantes simul de piscibus quos prendiderant, manducaverunt cum Jesu, scientes quia Dominus est (*Joan.* XXI). » Et fuit hæc tertiæ diei manifestatio, sed post quot dies ab octava die resurrectionis non est determinatum. « Tunc dixit Jesus Petro : Simon Joannis diligis me plus his? Interrogabat Dominus quod sciebat. Sed innuit, ut et corde credamus et ore confiteamur. Et ait Petrus : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. » Non est sic distinguendum, « etiam Domine, » ut scilicet dixisset se diligere plus aliis. Hoc enim nesciebat, sed abundant etiam idiomate Hebræo. Tacens ergo quod ignorabat, respondit quod sciebat. Vel ita, « Domine, amo te, et etiam tu scis quia amo te, » quasi dicat : Te ipsum testem invoco, quia amo te. « Dixit ei Jesus : Pasce agnos meos, » quasi dicat : Exhibitio operis sit probatio dilectionis. Cum quæsisset id ipsum secundo, et idem respondisset Petrus, iterum subdidit; « Pasce agnos meos. » Post tertiam vero responsionem subdidit : « Pasce oves meas, » quasi dicat : Pasce docendo, pasce operando, pasce moriendo. « Tunc dixit ei Jesus : Cum esses junior cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis, » significans quia crucifigeretur, nolens secundum sensum carnis. Et addidit : « Sequere me, » id est sequeris me in genere mortis.

CAP. CXCVI. *Opiniones de morte Joannis Evangelistæ.*

« Tunc cœpit Jesus abire, et cœpit Petrus eum sequi, putans hoc sibi a Domino mandatum. Sequebatur etiam eum Joannes. Conversus Petrus vidit illum sequentem, et ait ad Jesum : Domine, hic autem quid? » (*Joan.* XXI.) Supple, patietur. Postquam enim audierat se crucifigendum, voluit etiam fratris exitum cognoscere : « Respondit Jesus. Sic eum volo manere donec veniam. » Putaverunt ergo discipuli Joannem non moriturum, donec Christus veniret ad judicium. Sed non erat magnum dare dilecto non mori, cum dissolvi et esse cum Christo melius sit (*Phil.* I). Dixit ergo Dominus, quod in pace senium finiret. Tamen fuerunt qui dicerent, sic eum vivere, quia cum in defossum sibi tumulum, post celebratam missam, descendisset, lux magna per aliquot horas fulsit, et circumstantes, qui aderant ceciderunt. Cumque post lucem surgentes accessissent ad tumulum ejus, vacuum invenerunt, tamen

Digitized by Google

terra levis scaturiebat in fundo, sicut in fontibus solet arena bullire, et adhuc quandoque eadem scaturigo bullire ibi videtur. Unde multi putaverunt eum vivere sub terra, et anhelitu ejus scaturiginem heri, alii autem jam translatum ad cœlum putant, de hujusmodi vero melius est pie dubitare, quam temere diffinire.

CAP. CXCVII. *De apparitione Domini in Galilæa, ubi mandatum est discipulis, ut docerent gentes, et baptizarent.*

« Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam ad montem ubi constituerat illis Jesus. Et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt. Et exprobravit illis duritiam cordis eorum. Et ait : Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra (*Matth.* XXVIII; *Marc.* XVI), » id est nunc apparet omnipotentia mea. Vel ita diveram vobis, in viam gentium ne abieritis, sed quia Judæi abjecerunt me, quasi dederunt mihi potestatem, mittendi ubique terrarum sub cœlo. Unde igitur subdidit : « Ite in orbem universum, et prædicate Evangelium omni creaturæ, » id est homini, pro quo facta est omnis creatura. Vel qui habet participationem cum omni creatura. Unde et homo microcosmus, id est *minor mundus* dicitur. Et addidit : « Docete omnes gentes, » id est omnia genera gentium, servare quæ dixi vobis, « baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » In inchoatione operum nostrorum eamdem proponimus formam verborum, sed invocando orantes, ut ad honorem Trinitatis fiat opus, quod inchoamus, et ut Trinitas nobis cooperetur. In baptismo autem dicitur affirmando, et est : *Baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, id est mysterium baptismi ego, sed auctoritas penes Trinitatem est. « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui non crediderit, condemnabitur. » Non ait, nec baptizatus fuerit. Sine baptismo enim salvatur homo, cum eum excludit articulus necessitatis, non contemptus religionis. Unde quod dictum est : « Nisi quis renatus fuerit, » etc. (*Joan.* III), sic intelligitur : Qui contempserit renasci. Ordini verborum Domini adhærent hæretici hujus temporis dicentes, non oportere baptizari nisi credentem, et ideo non recipiunt Baptismum parvulorum. Sed non intelligunt tempus, quo hoc dictum est. Primo enim, quia prædicabatur adultis, baptizandi erant adulti, quorum fides exigitur in baptismo. Postmodum parvuli eorum, ergo pro adultis potest intelligi hoc esse dictum. Vel si pro omnibus sic expone : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, » hoc est qui in fide baptizabitur. Oportet enim baptizandum, vel per se, vel per alium credere. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur : « In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis", serpentes tollent, » etc., et hoc quoque pro tempore dictum est. Tunc enim signa fiebant, pro infidelibus convertendis. Quia ergo signa non sunt necessaria, non modo fiunt, sicut passim tunc fiebant. Nos enim cum arbusta plantamus, tandiu infundimus aquam, quousque in terra coalescant.

*Additio 1. Quasi diceret : Quod in aure audistis prædicate super tectum. Inde est quod Evangelium legitur in edito, tanquam ubique et ab omnibus audiendum, et coram omnibus. Primo fit signum crucis super librum, quasi dicat : Hic est liber Crucifixi, post in fronte, et pectore, quasi in utroque superliminari.

"*Additio 2.* Generale enim fuit in primitiva Ecclesia, quod illi qui exibant de fonte, statim loquebantur linguis.

CAP. CXCVIII. *De ascensione Domini.*

Die autem ascensionis venit ad eos in Jerusalem, et ait : « Sedete in civitate, quousque induamini virtute ex alto (*Luc.* XXIV; *Marc.* XVI). » Cumque comedisset cum eis, unde intelligitur sextam horam transisse, eduxit eos foras in montem Oliveti versus Bethaniam. Et elevatis manibus, benedixit eis. Et videntibus illis elevatus est in cœlum, et nubes lucida bajulabat eum ministerio angelorum*. Cumque jam subtractus esset ab oculis discipulorum, tamen adhuc intuebantur in cœlum, propterea duo angeli, in forma virorum, steterunt juxta illos, et dixerunt : « Viri Galilæi, quid aspicitis in cœlum (*Act.* I). » Quasi dicat : Recedite, ne exspectetis Jesum, ut modo redeat tamen in fine temporum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, bajulis scilicet nubibus, descendet in aera. Illi autem regressi sunt in Jerusalem, et exspectabant promissum Spiritum sanctum. Quo accepto, temporibus suis profectis, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, et sequentibus signis. Et nota differentiam. Translatus Enoch est, subvectus est Elias, ascendit Jesus propria sui virtute.

*Additio 1. Hanc ultimam processionem post Jesum repræsentat Ecclesia Dominicis diebus, egrediendo de Ecclesia, et redeundo ad eam, quasi de Jerusalem exiens, et rediens in Jerusalem, et sequendo crucem, ut illi crucifixum. Et licet illi redierint sine Jesu, tamen nos redimus cum cruce, quia ipse dixit : « Vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi. » Et nota quia primitiva Ecclesia observavit diem Dominicam, ut et modo, et etiam feriam quintam in memoriam ascensionis, et tunc quinta feria fiebat processio. Sed multiplicatis solemnitatibus sanctorum, sublata est solemnitas quintæ feriæ, et processio translata est ad Dominicam. Unde dicitur, quod quinta feria cognata sit Dominicæ.

Digitized by Google

HISTORIA LIBRI ACTUUM APOSTOLORUM.

CAP. I. *Quoties apparuit Dominus discipulis infra quadraginta dies.*

Anno nonodecimo imperii Tiberii Cæsaris, adhuc procuratore Judææ Pilato, præside Syriæ Vitellio, mortuus est Dominus, et resurrexit. Resurgens autem, veritatem resurrectionis multis comprobavit argumentis, multa in corpore proprio ostendens, præter naturam corporis immortalis, ut sic veritatem resurrectionis astrueret, et ab apostolis, et eorum posteris, omnem omnino causam hæsitationis amoveret, comedit enim, et bibit cum eis, cum corpus spirituale ciborum alimonia minime indigeat. In corpore proprio cicatrices ostendit, cum a natura corporis immortali penitus aliena sit omnis deformitas cicatricis. Præter hæc argumenta Lucas scribens historiam Actus apostolorum, ponit alia. Fuit enim argumentum vere resurrectionis, quod per dies 40 apparuit eis, loquens de regno Dei. Non est autem intelligendum quod singulorum 40 dierum tempore apparuit apostolis, sed infra numerum tot dierum decies apparuit eis, ut ex evangelica historia colligitur. Ipsa namque die resurrectionis quinquies apparuisse legitur. Primo Mariæ Magdalenæ. Secundo mulieribus redeuntibus de monumento, quando tenuerunt pedes ejus et adoraverunt eum. Tertio Petro, licet non expresse habeatur de Evangelio. Quarto duobus euntibus in Emmaus : Quinto apparuit decem apostolis absente Thoma; sexto post dies octo apparuit eisdem præsente Thoma. Septimo septem discipulis apparuit in piscatione ad mare Tyberiadis, octavo in monte Thabor quando convenerant in Galilæam, et ita ante diem Ascensionis apparuit octies. Ipsa vero die Ascensionis bis apparuit, semel undecim apostolis comedentibus in cœnaculo (*Act.* I). Omnes, tam Apostoli quam alii discipuli, necnon mulieres, habitabant in illa parte Hierusalem quæ dicebatur Mello, scilicet in monte Sion, ubi David construxerat sibi palatium, et ibi erat cœnaculum illud grande stratum, in quo præcepit Dominus sibi parare Pascha. Et in cœnaculo illo tunc habitabant undecim apostoli. Cæteri autem discipuli, et mulieres habitabant circumquaque per diversa hospitia.

CAP. II. *Quod apostoli fuerunt baptizati.*

Et dum comederent undecim in cœnaculo, apparuit eis Dominus, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis, et comedit cum eis. Et convescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, id est ab ipso promissam, vel a Patre per ipsum, et Patris auctoritatem complendam dicens : « Joannes baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies (*Act.* I). » Ac si diceret : Spiritus sanctus super vos descendens, vos purificabit, et roborabit. De baptismo autem apostolorum solet dubitari. Sed super hunc locum dicunt Beda, et Augustinus, quod fuerint baptizati. Ait enim Beda : Baptizabimini, quod est in Spiritu sancto, non ad illud tempus respicit, quo apostoli et cæteri fideles illius temporis, baptizati sunt aqua in remissionem peccatorum gratia Spiritus sancti a Domino percepta, sed ad illud, quod Domino mittente Spiritum sanctum, plenius acceperunt. Ideo nondum fuerant baptizati, non dico aqua, sed Spiritu sancto, quos intelligimus baptizatos baptismo Joannis, vel quod credibilius est baptismo Christi. Conveniens enim erat eos esse baptizatos, qui baptizabant alios. De eodem Augustinus : Scriptum est quando baptizatus est Paulus, qui ab Anania baptizatus est. Sed non scriptum est quando baptizati fuerint alii apostoli. Sed debemus intelligere baptizatos esse, propter illam Dominicam sententiam : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei (*Joan.* III). » Sic capere volunt Beda, et Augustinus, quod baptizati fuerint baptismo Christi, et de quibusdam satis videtur quod baptismo Joannis fuerint baptizati, ut de Andræa, Philippo et Petro, de quibus constat, quod fuerunt ejus discipuli. Hoc dicto præcepit eis ut egrederentur de civitate, et statim evanuit ab oculis eorum.

CAP. III. *Quid respondit Dominus indiscrete quærentibus.*

Ecce nona apparitio. Et statim post comestionem undecim apostoli, et alii discipuli, et mulieres de civitate unanimiter egressi, juxta præceptum Domini, venerunt in montem Oliveti, et statim Dominus apparuit eis. Quomodo autem præceperit eis, ut egrederentur de civitate, et evanuerit ab oculis eorum, et quomodo egressi de civitate venerunt in montem Oliveti, et ibi Dominus apparuit eis, in Historia subticetur, quia brevis est. Tunc qui convenerant, cœperunt eum interrogare, dicentes : « Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? (*Act.* I) » temporale, quantum ad quosdam imperitos, et carnaliter sapientes, qui videntes alienigenam regnare, et Judæos esse sub præside, quærebant de restitutione regni Israel temporalis, putantes tunc a Domino restituendum, sicut et duo discipuli dicentes : Nos sperabamus quod ipse esset redempturus Israel. Alii magis instructi scientes illam restitutionem, non nisi finaliter futuram, scilicet circa tempora judicii, quærebant de restitutione regni Israel spiritalis, scilicet de dilatatione Ecclesiæ. Ac si dicerent : Nunquid in hoc tempore facies, quod promisisti Ecclesiæ? Dominus autem

Digitized by Google

non certificavit eos super hoc : Ex quodam tamen verbo in responsione ejus posito, si scioli essent, possent intelligere restitutionem illam multis temporibus differendam. » Non est, inquit, vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, » id est numerum temporum et momentorum, usque ad finem sæculi, quæ tantum Patris patent scientiæ. Ac si diceret : Nihil ad vos quærere de secretis hujusmodi, nec ad ea percipienda estis idonei. Sed de his, quæ ad vos spectant, estote solliciti, quia vos revera « accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti, » cujus virtute roborati, « eritis mihi testes » resurrectionis meæ, primo « in Jerusalem, » secundo in Judæa, « postea in Samaria, » tandem « usque ad ultimum terræ. » Ac si tacite diceret : Ante regni illius restitutionem non solum Hierosolymam, sed et omnes Judææ fines, et Samariæ, mundi etiam terminos, per circuitum fama Evangelii percurret.

CAP. IV. *De ortu et processu prædicationis.*

Primo siquidem prædicatum est evangelium in Hierusalem, sed propter lapidationem Stephani, et mortem Jacobi gladio occisi, egressi sunt de Hierusalem, prædicantes in finibus Judææ. Postea transierunt ad Samaritanos, et deinde processerunt per universum orbem. « Et cum hoc dixisset (*Act.* I), » secundum alium evangelistam, elevatis manibus « benedixit eis (*Luc.* XXIV). » Et post benedictionem illam, « videntibus illis elevatus est. Et nubes suscepit eum ab oculis eorum, » quia quasi quodam in globo bajulæ nubis ascendit. Non tamen ideo, quod ad ascendendum egeret ministerio nubis, sed ut per hoc ostenderetur quia omnis creatura parata est obsequi suo Creatori.

CAP. V. *Quid fecerint abeunte Domino.*

De loco Ascensionis dixit Sulpicius episcopus, Hierosolymitanus, quia ibi cum postea ædificata esset Ecclesia, locus ille in quo institerunt vestigia Christi ascendentis, nunquam potuit sterni pavimento, imo resiliebant marmora in ora collocantium. Calcati etiam pulveris a Domino, hoc dicit esse documentum, quia vestigia impressa cernuntur, et eamdem adhuc speciem, velut pressus vestigiis, terra custodit. Cum jam Dominus raptus esset a conspectu eorum, adhuc tamen suspensis vultibus, stabant aspicientes in cœlum, cum potius reverti in Hierusalem debuissent, quia dictum erat eis : « Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto (*Luc.* XXIV). » Et ne diutius ibi morarentur, missi sunt angeli instruentes eos. Unde sequitur : « Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, » id est illo abeunte, ut accusativus ponatur pro ablativo absolute, pro quo ponitur genitivus in Græco. « Vel cum prius intuerentur euntem illum, et adhuc intuerentur in cœlum, ecce duo viri, » id est duo angeli in forma « viri, astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt (*Act.* I). »

CAP. VI. *Quibus ex causis angeli apparuerunt.*

« Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum (*Act.* I), » quasi obliti quid facere debeatis « Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, » id est in eadem carnis substantia, in qua assumptus est a vobis in cœlum, « sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, » id est sicut bajulis nubibus vidistis eum ascendentem in cœlum, sic bajulis nubibus videbitis eum in aere ad judicium venientem. Duplici de causa hi duo angeli apparuerunt, scilicet, ut mœstos de absentia Domini confortarent, et ut eum vere ascendisse in cœlum demonstrarent, scilicet in regionem angelorum. Non sicut Elias, qui raptus est in igneo curru, et ascendit usque ad sublunarem regionem (*IV Reg.* II; *Eccli.* VIII), nec eam transcendit, sed tantum translatus est in paradisum terrestrem, quia adeo eminet, ut pertingat ad sublunarem regionem, nec tamen transcendit. « Tunc reversi sunt Hierosolymam a monte, qui vocatur Oliveti, » propter copiam olivarum, « Sabbati habens iter, » id est itinere. Sabbati distans a Hierusalem, scilicet spatio milliarii, quia non ampliori spatio licebat Judæis in Sabbato pregredi de civitate, vel illa, in qua erant, sed per mille passus poterant circa deambulare. Vetus editio habet a monte trium luminum. Sic autem dictus est mons Oliveti, quia de nocte ex parte occidentis illuminabatur igne templi ; quia erat ignis jugis in altari, mane ex parte orientis primo excipiebat radios solis, antequam illustrarent civitatem. Habebat etiam copiam olei, quod est fomentum luminis.

CAP. VII. *In quo imitamur apostolos.*

« Cumque regressi essent in Hierusalem omnes unanimiter, apostolos, usque ad eorum hospitia conduxerunt, deinde ad propria redierunt (72). » Hanc processionem discipulorum, qui unanimiter de civitate sunt egressi, et post unanimiter regressi repræsentat Ecclesia singulis Dominicis diebus processionem faciens. Unde sicut illi egressi sunt præcedente Crucifixo, ita et nos de Ecclesia egredimur crucem præferendo. Et licet non redierit cum eis crucifixus, nos tamen redeuntes crucem reportamus. Quia licet non redierit cum eis præsentia corporali, rediit tamen cum eis præsentia spirituali, juxta quod dixit : « Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » In eo ergo, quod egredimur crucem Domini præferendo, repræsentamus, quia illi egressi sunt præeunte Crucifixo. In eo quod crucem Domini reportamus, cum non redierit cum eis præsentia corporali, repræsentamus quod ait : « Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. » In primitiva autem Ecclesia hujusmodi repræsentatio fiebat in Ecclesia quinta feria, quæ tunc temporis æque solemnis erat sicut prima. Quinta pro veneratione ascensionis. Prima pro reverentia resurrectionis. Unde in vulgare pro-

(72) Ex Evangelio Nicodemi.

Digitized by Google

verbium versum est, ut Dominicæ diei dicatur conjuncta dies Jovis, quia antiquitus fuit æque solemnis. Sed quia supervenerunt festa sanctorum, et celebrare tot festa erat quasi onerosum, ut in die Dominica fieret processio, deinceps in institutum.

CAP. VIII. *Ubi, et cum quibus se collegerunt.*

« Tunc ascenderunt apostoli in cœnaculum, ubi manebant, scilicet Petrus et Jacobus, Joannes et Andræas, et alii (*Act.* I). » Et mutatur hic series catalogi. Solent enim apostoli in catalogo in hunc modum combinari : « Petrus et Andræas, Jacobus et Joannes. » Forte et alibi ita combinantur pro carnis affinitate. Hic autem pro meritorum paritate, quia intellexit Lucas in spiritu pares esse in merito Petrum et Joannem, quia forte præ cæteris dilexerunt. Unde et præ aliis simul ad monumentum cucurrerunt. « Et erant omnes unanimiter perseverantes in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, » quæ a mulieribus distinguitur, quia non potest proprie dici mulier, quasi mollier, id est mollitiem passa. Interdum tamen mulier pro sexu, non pro corruptione ponitur, ut ibi : « Quid mihi, et tibi est mulier (*Joan.* II). » — « Et fratribus ejus, » quod de illis debet intelligi, de quibus ante passionem dictum est. Neque enim fratres ejus credebant in eum, nunc autem credebant. Nota quod dictum est, « perseverantes in oratione, » et non est addictum de jejunio. Quidam tamen a festo Ascensionis, usque ad Pentecosten jejunant exemplo apostolorum, quos aiunt in spatio illo jejunasse, quia in Evangelio dictum est : « Venient dies, in quibus auferetur sponsus ab eis, et tunc jejunabunt (*Matth.* IX), » et potuit ita esse, hic tamen non habetur.

CAP. IX. *De sermone Petri.*

« In diebus illis (*Act.* I), » id est in illo meditullio temporis inter ascensionem et Spiritus sancti missionem, « exsurgens Petrus in medio fratrum, dixit. » Constat enim in spatio illo factam esse Matthiæ electionem, licet non sit determinatum qua die. Unde quasi indefinite dictum est : « In diebus illis. » Et inde quasi ex forma scripti assumpsit Ecclesia formam legendi. Unde quia in Actibus apostolorum frequenter invenimus : « In diebus illis, » ideo cum in Ecclesia particulæ Epistolarum præmittitur : « In diebus illis. » Et quia in Evangeliis sæpe legitur : « In illo tempore, » ideo cum singulis diebus leguntur in Ecclesia particulæ evangeliorum, præmittitur : « In illo tempore. » — « Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David (*Psal.* CXIII), de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum, » qui duxit cohortem, et regis ministros ad hortum, in quo orabat Dominus. Vel quia osculo dedit proditionis indicium, et ita præbuit eis ducatum, « qui connumeratus est in nobis, » id est sortitus est sortem ministerii hujus, scilicet et apostolatus, qui quasi forte ut Dominica electione obtinuit apostolatum. Et eleganter dictum est connumeratus, quia numero, non merito, inter apostolos computatus est. Vel respicit ad hoc quod dixerat, « qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum, et sortitus est sortem ministerii hujus, » scilicet ducatus, id est habuit hunc ducatum. « Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis. » Quod quidem mystice exponunt, id est pro accepto pretio proditionis possedit infernum, qui dicitur terra morientium, sicut paradisus terra viventium. Alii dicunt Judam ibi sepultum, et ita possedisse, sed non est authenticum. Dictum est ergo, « possedit, » id est possideri fecit, quia de possessione ejus propria emptus est, et ab aliis possessus, et suspensus crepuit medius, « et diffusa sunt viscera ejus. » sed non per os ejus, ut sic parceretur ori, quo Salvatorem osculatus fuerat. Non enim tam viliter debuit inquinari, quod tam gloriosum, scilicet os Christi contigerat. Dignum enim erat, ut viscera quæ proditionem conceperant rupta caderent, guttur quoque quo vox proditionis exierat laqueo arctaretur. Sæpe enim modum pœnæ exprimit modus culpæ. Unde abscidituir homini caput corporis, quia ipse sibi abscidit caput mentis, id est rationem, sicut et Judas mortuus est in aere, tanquam aeris potestatibus sociandus. Congruum enim erat, ut separaretur ab angelorum et hominum regione, qui offensus fuerat utrisque. Et ita modus et locus pœnæ congruit culpæ.

CAP. X. *De electione Matthiæ.*

« Et notum factum est hoc omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Haceldama (*Act.* I). » Quod est dictum eorum, dicunt quidam hæc non fuisse verba Petri cum Judæus esset, et ad Judæos loqueretur, sed Lucæ, qui Græce scripsit, et in Hebræo nomen agri expressit, alii dicunt quod Latinus interpres hoc addidit, sed melius a Petro dictum accipitur, et continuatur ei quod dixerat : « Notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille Haceldama lingua eorum, » id est Jerosolymitarum, quia cum Petrus Galilæus esset et eadem esset lingua Galilæorum sicut Jerosolymitarum, tamen diversa erant linguæ idiomata, unde Petro dictum est : « Vere Galilæus es, nam et loquela tua manifestum te facit (*Matth.* XXVI), » id est idioma linguæ Galilæorum : « Scriptum est enim in libro Psalmorum, » non est dictum in libris. Unde insultat Augustinus Hieronymo librum Psalmorum per quinque volumina distinguenti. Tunc enim dici debuit in quarto libro Psalmorum : « Fiat habitatio eorum deserta, et non sit qui habitet in ea (*Psal.* CVIII), » de suis scilicet, « et episcopatum ejus accipiat alter, » id est alius, quia de multis discipulis 72 electus est Matthias, eique substitutus est. Vel ideo dictum est, quia Matthias fuit longe alter ab eo, quia vir sanctus, Judas vero nequam, vel alter duorum, quorum sortes missæ sunt : « Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregari in omni tempore, quo intravit, et exivit Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem, quo assumptus est a

Digitized by Google

nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. » Quasi dicat : Quia mortuus est Judas, et sic prophetatum est, quia episcopatum ejus accipiet alter. Ergo oportet, ut aliquem ei substituamus qui testetur nobiscum resurrectionem ejus, quia dictum est nobis : « Eritis mihi testes in Jerusalem, » resurrectionis meæ scilicet, « et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ. » Et quia testis non nisi de his quæ vidit, vel audivit debet testimonium ferre, eligendus est de his viris, qui a baptismo Joannis postquam cœpit Jesus facere et docere, usque in diem ascensionis, nobiscum fuerunt, et Domini miracula viderunt, et doctrinam audierunt. Et nota quod dictum est, ex his viris, non de sexu infirmiori, et ad hoc minus idoneo : « Et statuerunt, illos duos aliis præferentes, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Matthiam, » de cujus laude subticetur, quia sufficit ei pro laude, quod in apostolum eligitur. Joseph vero commendatur, ne tanquam indignus respui videretur. Et habemus hic plane in glossa, quia iste Joseph, qui vocabatur Barsabas, fuit Barnabas, qui postea cum Paulo in apostolatum electus est (*Act.* IV). Sed non est huic opinioni adhærendum, quia ex sequentibus evidens fiet hoc non constare. Iste namque Joseph fuit frater trium apostolorum filiorum Alphæi, nec fuit apostolus : « Et orantes dixerunt : Tu, Domine, qui nosti corda omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus, accipere locum ministerii hujus, et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. Et dederunt eis sortes. Et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim. » Non est modo utendum sortibus, ut tradit Hieronymus pro hac auctoritate, quia privilegia paucorum non faciunt legem communem. Nondum tamen missus est Spiritus sanctus, necdum figuræ legales penitus cessáverant. Ideo adhuc positæ sunt sortes, sicut in Veteri Testamento sæpe factum legitur. Nam Saul sorte electus est, Jonathas, et armiger ejus sortes jecerunt. David quoque sortes jecit quando 24 summos sacerdotes elegit (*I Reg.* X ; *I Par.* XXIV). Si quis tamen compellitur ut sortibus apostolos imitetur, præmissa scilicet oratione ad Dominum. Facta est ergo electio Matthiæ inter Ascensionem et Spiritus sancti missionem, sed qua die incertum est.

CAP. XI. *De missione Spiritus sancti.*

« Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco (*Act.* II), » in quo facta est electio Matthiæ. Sed videtur perperam dictum, cum complerentur, cum hæc fuit prima 7 dierum quibus protelabatur festum Pentecostes. Tria enim erant festa quæ 7 diebus protelabantur, scilicet Pascha, Pentecoste et Scenopegia. Videtur ergo potius dicendum fuisse cum inciperent dies Pentecostes. Sed Pentecostes æquivocum est ad quinquagenam, et ad eam solemnitatem septem diebus protelatam. Pentacon enim interpretatur *quinquaginta*, inde Pentecoste, quod quinquagenam significat, et est Græcum vocabulum Pentecoste sicut parasceve, et Scenopegia. Sed de hoc nomine Pascha quæstio est. Habent enim Hebræi multa Græca vocabula, quia sæpe per multas captivitates particulares dispersi sunt, et fuerunt inter Græcos, a quibus multa vocabula retinuerunt. Et sit ergo sensus : « Et cum complerentur dies Pentecostes, » id est quinquagenæ, illa enim dies erat quinquagesima a resurrectione, et cum inchoarentur dies Pentecostes, id est illius solemnitatis septem diebus protelandæ, erant omnes discipuli in cœnaculo : « Et dum essent pariter in eodem loco, factus est repente de cœlo, » id est de aere, « sonus, » quia fragor quidam insonuit in aere, « tanquam advenientis spiritus, » id est soni vehementis, ut sit tanquam nota similitudinis. Ac si diceret : Venit Spiritus sanctus in similitudine venti vehementis, vel tanquam Spiritus sancti vehementis. Et erit tanquam expressivum veritatis, quia vere Spiritus sanctus dicitur vehemens, quasi *vehens a mente*, id est a mentis affectibus alienans. Vel juxta quod ait ille Clarevallensis abbas Bernardus, merito dicitur vehemens, quasi *væ adimens*, id est æternam damnationem. Potest ergo et ad sonum et ad Spiritum sanctum referri, quod dictum est, « tanquam advenientis spiritus, » quia Spiritus æquivocum est ad utrumque sicut *Ruha* in Hebræo, *Pneuma* in Græco : « Et replevit sonus ille, » vel Spiritus sanctus « totam domum ubi erant sedentes, » id est viros et mulieres in domo sedentes, implentes quod dictum erat eis : « Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto (*Luc.* XXIV). » — « Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, » radioli ignei in modum lingnarum insidentes capitibus singulorum. Ipsa autem species creaturæ in qua Spiritus sanctus descendit visibiliter ad quem usum tunc descenderit in apostolos, expressit species ignis, ostendens Spiritum sanctum, tunc datum eis ob robur, species linguarum ad scientiam. Lingua enim scientiam explicat, ignis testam roborat. Datus est etiam Spiritus sanctus apostolis ante passionem, quando missi sunt ad prædicandum, et dictum est eis : « Ægros sanate, dæmones ejicite, mortuos suscitate (*Marc.* VI). » Post resurrectionem etiam datus est eis ad alium usum, quando insufflavit, et dixit eis : « Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* XX). » Ubi forte claves, quas dederat Petro (*Matth.* XVI), dedit et aliis : « Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, » qui « dividens singulis prout vult, ubi vult, quando vult, quantum vult, quomodo vult, quibus vult, spirat (*I Cor.* XII). » Inde est quod apostoli, vel una tantum lingua scilicet Hebræa loquebantur, ita quod ab omnibus intelligebantur. Vel quod verius est linguis omnibus loquebantur, quibus inspiraverat Spiritus sanctus omnium lingnarum notitiam, juxta quod in Sapientia legitur : « Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod con-

Digitized by Google

tinet omnia, » id est homo convenientiam habens cum omni creatura, vel propter quem facta est omnis creatura « scientiam habet vocis (*Sap.* I), » id est linguarum, ac si diceretur : « Spiritus Domini replevit orbem terrarum, » et dedit discipulis scientiam linguarum.

CAP. XII. *De miraculo linguarum.*

« Erant autem in Jerusalem Judæi, viri religiosi, » et in Judæa habitantes, et præter illos alii multi supervenientes fere « ex omni natione, quæ sub cœlo est, » quia multis captivitatibus dispersi fuerant Judæi, præcipue sub Antiocho Epiphane, quæ captivitas fuerat vicinior, huic facto, et modo ad diem festum omnes convenerant. Audito ergo fragore, qui insonuerat in aere, convenerunt omnes ad discipulos, et mirati sunt, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Et merito dictum est singulariter, lingua sua, quia non sciebant solum linguas, sed etiam linguarum idiomata. « Alii autem irridebant eos dicentes : Musto pleni sunt, » id est vehementer ebrii, quia vehementior est ebrietas de musto, quam de vino defæcato.

CAP. XIII. *Quod Petrus convicit mentientes auctoritate prophetarum.*

Tunc surrexit Petrus cum undecim ostendens eos non esse ebrios, sed Spiritu sancto repletos, dicens : « Non sunt ebrii hi, cum sit hora diei tertia (*Act.* XXV). » Quasi dicat : Nondum est tempus comedendi, nec solent inebriari jejuni. Et quia sciebat legem, et scientibus legem loquebatur, ostendit prophetatum esse a Joel Spiritus sancti adventum. Et cum non inducat prophetiam Joelis, nisi ut ostendat prophetatum esse adventum Spiritus sancti, incidenter annectit de die judicii, quia prædixit Joel judicii signa quædam jam impleta, quædam adhuc implenda. « Erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, » id est super utrumque sexum, non super omnem hominem « et prophetabunt filii vestri, » ut Agabus, et Simon Niger, « et filiæ vestræ, » ut filiæ Philippi, « et juvenes vestri visiones videbunt, » ut Paulus raptus usque ad tertium cœlum, « et senes vestri somnia somniabunt, » ut Petrus, de quo legitur : « Æstimabat autem se visum videre (*Act.* XII). » Hucusque de adventu Spiritus sancti.

CAP. XIV. *De prodigiis in cœlo sursum impletis.*

« Et dabo prodigia in cœlo sursum (*Act.* II). » Quod impletum est cum ad indicium Dominicæ Nativitatis nova stella in aere apparuit. Et secundo in aere in passione, quando sol obscuratus est, « et signa in terra deorsum. » Quod impletum est cum, Christo spiritum emittente, terra contremuit, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt. Sanguinem Dominici vulneris, vel sudoris, quando factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis, quod præter naturam fuit, et ita signum fuit, sic et sanguis de latere Domini mortui profluens præter naturam, signum fuit. « Et ignem, » Spiritus sancti vehementis supervenientis. « Et vaporem fumi, » id est fervorem compunctionis de Spiritus sancti ardore tanquam fumus de igne procedentis. « Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, » in passione sol in tenebras versus est. Sed cum tunc plenilunium esset, utrum tunc luna in sanguinem versa sit, hominibus innotescere non potuit, cum esset sub terra, et visibus humanis objectu terræ subtracta ; de altero itaque istorum constat, quia jam impletum est. Forte adhuc reliquum est implendum. Et hæc omnia fient antequam veniat dies Domini magnus spatio, quia nox ei non succedet, opere, quia in eo totus mundus examinabitur, claritate, quia sol fulgebit septempliciter.

CAP. XV. *Exponit verba David de Christo.*

« Viri Israelitæ (*Act.* II), quibus specialiter locuti sunt prophetæ, audite verba hæc, » id est intelligite jam completum esse, quod prophetavit Joel (cap. II), de Spiritus sancti missione, quia missus est, Spiritus sanctus ab eo, quem vos interemistis, qui, alto consilio paternæ dispensationis, traditus est in manus vestras, quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni. Vel quantum ad ipsum, quem dolores pœnarum inferni non læserunt, vel quantum ad alios, qui per eum ab inferni doloribus absoluti sunt, quod palam est ex Græco, ubi dicitur : « Solvens per ipsum dolores mortis. » Quod autem a Deo suscitatus sit probat per prophetam David. Et ponit plures versus Psalmi. Sed ad hæc probandum, sufficit ille solus. « Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem (*Psal.* XV). » Sunt enim verba Christi ad Patrem, quasi dicat : Non patieris, o Pater, animam meam ad inferos descendentem, ibi detineri, nec corpus meum sanctificatum corrumpi, vel incinerari. Postea de David non esse hoc intelligendum ostendit, arguens Judæos de David perperam interpretantes, dicens : « Viri fratres, liceat audenter dicere vobis de patriarcha David, quoniam defunctus est, et sepultus est apud nos, » et corpus ejus incineratum, et adhuc cineres ejus apud nos sunt. Unde patet non de se illud dixisse : « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. » Sed prophetavit « de resurrectione Christi, qui neque derelictus est in inferno, nec caro ejus vidit corruptionem. Quem suscitavit Deus, cujus nos testes sumus, qui ad dexteram Patris sedens, misit in nos Spiritum sanctum, qui operatur in nobis, quæ videtis. » Quod autem exaltatus sit ad dexteram Dei Patris, iterum probat auctoritate David prophetæ dicentis : « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis (*Psal.* CIX). » Quod de David, vel alio homine, non potest intelligi. « Certissime ergo scitote hunc Jesum ita esse exaltatum, et Spiritum sanctum misisse, quem vos crucifixistis. »

CAP. XVI. *De impleta prophetia Joel.*

« His auditis, compuncti sunt corde (*Act.* II), » et ita impleta est prophetia Joelis, quia post ignem Spiritus sancti secutus est vapor compunctionis. Et dixerunt ad Petrum et ad reliquos apostolos :

Digitized by Google

« Quid faciemus, viri fratres? Ad quos Petrus : Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti » ut loquamini variis linguis, sicut et nos. Et hoc erat signum familiare in primitiva Ecclesia, quia fere omnes ascendentes de lavacro loquebantur omnibus linguis. Et nota quod ait Petrus : « Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi. » Formam namque traditam a Domino, qua exprimitur Trinitas, diu in primitiva Ecclesia subticuerunt apostoli, utentes hac forma verborum. « Baptizo te in nomine Jesu Christi, » ut ita dilatarent nomen Christi. « Aliis verbis pluribus exhortatus est eos Petrus. Et qui receperunt sermonem ejus baptizati sunt. Et appositæ sunt numero fidelium in die illa, » scilicet ipsa die Pentecostes, « animæ circiter tria millia. Et erant perseverantes in doctrina apostolorum, et in communione fractionis panis, » et Eucharistiæ, quia in primitiva Ecclesia crebro unanimiter conveniebant, ad percipiendam eucharistiam, vel in communione fractionis panis quotidiani, qui singulis quotidie ab apostolis frangebatur, nihil enim habebant proprium. Sed et prædia vendiderant, et posuerant pretia ante pedes apostolorum, qui singulis diebus mane ascendebant in templum ad orationem. Sed postea redeuntes singulis distribuebant panem, « prout cuique opus erat. »

Cap. XVII. *De paralytico curato a Petro.*

Cum autem quadam die ascenderent Petrus et Joannes in templum ad horam orationis nonam, erat quidam claudus a nativitate, qui in Glossa *paralyticus* dicitur, juxta portam templi, quæ dicitur Speciosa, a speciali quodam ornamento, quod apposuit ei Alexander Hircanus. Ibidem etiam posuit Herodes aquilam auream, et erat porta atrii virorum mundorum. Iste claudus quotidie portabatur in grabato suo ad portam illam, « ut peteret eleemosynam ab ingredientibus in templum. » Et rogabat Petrum, et Joannem, ut eleemosynam acciperet ab eis, cum ascendissent in templum ad horam orationis nonam. Fuit enim consuetudo Hebræorum tribus horis orare. Unde Daniel (cap. VI), dato edicto regis, qualibet de his tribus horis orabat, ascendens fenestram cubiculi sui. Et hæc consuetudo confirmata est ab Ecclesia, quæ eisdem horis erat, scilicet tertia, sexta, nona, quia Dominus hora tertia flagellatus est, sexta crucem ascendit, nona animam posuit. Intuentes Petrus et Joannes claudum, dixerunt : « Respice in nos. » Ac si dicerent : Attende paupertatem nostram, non habemus quod porrigamus tibi. At ille intuebatur in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Ad quem Petrus : « Argentum, et aurum non est mihi. » Non enim erat suum quod reservabat in usus pauperum qui reliquerant patrimonia sua, projicientes ad pedes apostolorum. « Quod autem habeo hoc tibi do : In nomine Jesu Christi Nazaræni, surge et ambula in pace. Et apprehensa manu ejus dextera elevavit eum, et protinus consolidatæ sunt bases ejus, et plantæ. Et stetit, et ambulabat, et introivit cum illis in templum, ambulans, et exiliens. » Quod additum est a Luca, ut ostenderet illud impletum : « Saliet sicut cervus claudus (*Isa.* XXXV). » — « Et vidit omnis populus claudum ambulantem, et laudantem Deum. Et impleti sunt stupore, et extasi in eo quod contigerat illi, scientes quod a nativitate claudus fuerat. Et cum viderent Petrum et Joannem, cucurrerunt ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, » id est in ea parte in qua stabat Salomon dum oraret ; Et videns Petrus populum admirantem super hoc miraculo, locutus est ad eos. »

Cap. XVIII. *Quod sibi nil ascribebant, sed omne Deo.*

« Viri Israelitæ, quid admiramini nos, quasi virtute nostra hoc fecerimus miraculum (*Act.* III). » Quasi dicat : Non virtute nostra hoc fecimus, sed « Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti, » et vos potius judicastis Barabbam dimittendum (*Matth.* XXVII ; *Marc.* XV ; *Luc.* XXIII ; *Joan.* XVIII). « Nomen ejus, » id est nominis ejus invocatio, « et fides habita de eo, dedit isti integram sanitatem in conspectu omnium vestrum. Et nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. » Sed quia sic prædictum erat ab omnibus prophetis, oportebat impleri. « Pœnitemini ergo, et convertimini, ut cum venerint tempora refrigerii a facie Domini, » scilicet tempus incarnationis, quod revera fuit tempus refrigerii, vel discretio universalis judicii, et redemptio justorum, « deleantur peccata vestra. » Tunc enim plene delebuntur peccata, cum virtute resurrectionis mors destruetur novissima, « et cum miserit eum, qui prædicatus est vobis Jesum Christum, quem oportet cœlum suscipere, » id est ad dexteram Patris sedere « usque in tempus resurrectionis omnium nostrum, quæ locutus est Dominus a sæculo per os omnium prophetarum, » id est usque ad communem omnium resurrectionem. Tunc enim revera omnia complebuntur de Christo a prophetis prædicta. Et ponit exempla de his quæ prædixerunt de Christo, et præmittit Moysen (*Deut.* XVIII).

Cap. XIX. *De invidia Sadducæorum in apostolos.*

Loquentibus autem apostolis ad populum supervenerunt sacerdotes et magistratus templi, et indignati sunt omnes communiter, quia magnificabant eum, quem ipsi damnaverant quasi reum (*Act.* IV). Et Sadducæi specialiter dolentes, quia prædicabant resurrectionem quam ipsi negabant, et injecerunt manus in eos, et posuerunt in carcere, quia jam vespera erat, et non poterant eos judicare. « Multi autem, qui audierant verba eorum, crediderunt. » Et fuerunt qui eadem die ad fidem conversi sunt, quinque millia. Et hoc est, quod sæpe legitur, quia

Digitized by Google

tria millia una die ad fidem conversi sunt, quod ipsa die Pentecostes factum est, alia die quinque millia.

CAP. XX. *Quod constanter responderunt ad interrogata in concilio.*

« Altera die congregati sunt princeps sacerdotum (*Act.* IV), » id est qui principatum habebant inter viginti quatuor seniores sacerdotes, qui nominatim exprimuntur. « Annas princeps sacerdotum, qui omnibus præeminebat, et Caiphas, et Alexander, et Joannes. » Hi post Annam erant excellentiores, « et quotquot erant de genere sacerdotali, » et seniores, et Pharisæi, traditionum inventores, et Scribæ legis expositores, legem scilicet aliis exponentes. Horum distinctionem frequenter habemus in Evangelio. « Et statuentes eos in medio concilii, interrogaverunt eos, in qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc? Tunc Petrus Spiritu sancto plenus respondit, » primo quæstionem eorum temerariam esse ostendens. « Nunquid pro beneficio judicamur, » id est ad judicium trahimur, et tanquam rei arguimur? Quasi dicat : Stulte nos arguitis. « Notum sit vobis omnibus, quia in nomine Domini nostri Jesu Christi, quem vos crucifixistis, iste sanus astat coram vobis, quem Deus suscitavit a mortuis. Hic est enim lapis angularis a vobis ædificantibus reprobatus (*Matth.* XXI; *Marc.* XII; *Luc.* XX), » id est a vobis crucifixus, qui postea suscitatus a Patre, « factus est in caput anguli, id » est factus est princeps duorum populorum, qui in ipso, tanquam in angulari lapide, sunt uniti, « et non est in alio aliquo salus. Non est enim aliud nomen sub cœlo datum hominibus quam nomen Christi, in quo oportet nos salvari. Videntes autem Petri et Joannis constantiam, attendentes quod illi essent idiotæ, et illitterati, admirabantur, cognoscentes eos, quia cum Jesu viderant eos, et quia præsens erat cum eis, quem sanaverat non poterant contradicere. » Nota quod aliam hic habemus etymologiam hujus nominis idiota, quam ab Isidoro. Nam secundum Isidorum, idiota dicitur quasi divisus ab auribus, idi, enim, *divisio*, ota *auris* interpretatur, ut dicatur, idiota, quasi divisus ab intellectu, scilicet fatuus. Sed secundum etymologiam, quam hic ponitur dicitur idiota, quasi ab idiomate. Dicti sunt ergo idiotæ, quasi contenti solo idiomate linguæ suæ Hebrææ quam satis noverant, et nihil aliud. « Jusserunt autem eos foras extra concilium secedere, et conferebant ad invicem, dicentes : Quid faciemus hominibus istis? Manifestum est miraculum quod fecerunt, negare non possumus; sed ne amplius divulgetur, comminemur eis, ne ultra loquantur, in nomine hoc, ulli hominum. Et vocantes eos, denuntiaverunt eis, ne omnino loquerentur, vel docerent in nomine Domini Jesu. Ad quos Petrus, et Joannes : Vos ipsi judicate an potius obediendum sit Deo præcipienti, an vobis prohibentibus. » Quasi dicat : Erratis prohibentes quæ Deus præcepit, nec estis audiendi. Ubi enim superior præcipit, et inferior contradicit, non est audiendus inferior. « Non possumus, quæ vidimus et audivimus, non loqui. At illi comminantes, dimiserunt eos, non audentes manus in eos injicere propter populum. Dimissi « autem redierunt ad suos » in Sion, « et annuntiaverunt quanta eis principes sacerdotum, et seniores dixissent, » et quomodo eis responderant. « Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem, dicentes : Domine, qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, qui in Spiritu sancto per os David (*Psal.* I) patris nostri pueri tui dixisti : Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Convenerunt enim in civitate ista adversus puerum tuum Jesum, quem misisti, Herodes, et Pilatus, cum regibus, et populo Israel, facere, quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri. Nunc, Domine, respice in minas eorum, et da servis tuis, cum omni fiducia loqui verbum tuum. » Nota, quia de hoc verbo solet frequenter apponi, convenerunt Herodes, et Pilatus, facere, quæ manus Dei, et consilium, decreverunt fieri; sed adhære duobus verbis, facere, fieri, quia revera ipsi convenerunt ad exercendam pravam actionem. Deus decrevit fieri illam passionem, quia actio illorum fuit prava, passio bona. « Cum autem orassent, motus est locus in quo congregati erant, » et iterum missus est Spiritus sanctus, « et repleti Spiritu sancto loquebantur verbum Dei cum fiducia. »

CAP. XXI. *De mutua charitate inter apostolos*

« Et multitudinis credentium erat cor unum, et anima una (*Act.* IV). » Nec quisquam, eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebant, sed erant illis omnia communia, et gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot autem erant possessores domorum, aut agrorum vendebant, et ponebant pretia ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat. Tunc Joseph, qui cognominatus est Barnabas ab apostolis, quod interpretatur *filius consolationis*, levites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum, et posuit pretium ante pedes apostolorum. » Unde cum dixisset levites, ne videretur, non habere proprium, quia levitæ non habebant hæreditatem in terra, additum est. Cyprius genere, ut ostenderetur, natus in dispersione, et inter gentiles, et ideo licebat ei proprium habere. Sed est adhærendum verbo Bedæ super hunc locum, et tenendum hunc fuisse socium Pauli, non illum qui cum Matthia statutus est, quando cecidit sors super Matthiam, et quidam arbitrantur, ut dicit Beda, minus intuentes; quia hic Barnabas apellatur, id est *filius consolationis*, ille Barnabas, id est *filius quietis* interpretatur. Unde Lucas nominis interpretationem scienter addidit, ut hujus ad illum differentiam insinuaret.

Digitized by Google

CAP. XXII. *De morte Ananiæ, et Saphiræ.*

« Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore sua (*Act.* v), » voluit esse in collegio justorum, ut haberet necessaria vitæ sine labore, et ita lucrative voluit sibi acquirere præbendam. Et cum voluisset totum pretium agri venditi ponere ante pedes apostolorum, non solvens votum, « defraudavit de pretio agri, conscia uxore sua, » mediam partem sibi reservans, reliquam ad pedes apostolorum ponens. Quod statim Petrus prævidens in Spiritu ait : « Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? Cur fraudasti de pretio agri? Non es mentitus hominibus, sed Deo, » qui scrutatur corda, et perdit omnes qui loquuntur mendacium. « Audiens hoc Ananias recidit, et exspiravit. » Ubi notandum quia, licet in Evangelio Dominus dixerit : « Qui te percusserit in maxillam dexteram, præbe ei et aliam (*Matth.* v; *Luc.* vi), » tamen in primitiva Ecclesia, quandoque exercuit vindictam. Quando enim primo promulgantur leges, solent ad eas sanciendas graves vindictæ exerceri, ut rigorem promulgatæ legis sanciat severitas vindictæ. Unde in initio legis nascentis pro collectione lignorum in Sabbato lapidabatur homo (*Levit.* x). In initio sacerdotii duo filii Aaron igne consumpti sunt, pro oblato igne alieno. Sic Ananias, defraudans de pretio agri, corruit et exspiravit, pro terrore aliis incutiendo, quia tam velox vindicta magnum timorem aliis incussit. « Factus est enim timor magnus in omnes qui audierunt. » Et est anticipatio, quia solius viri mortem ante uxoris exitum pauci audierunt. « Surgentes autem juvenes asportaverunt cadaver, et sepelierunt. Et factum est quasi horarum trium spatium, et uxor ejus nesciens, introivit. Ad quam Petrus : Dic, mulier, si tanti agrum vendidisti? Ad quem illa : Etiam tanti. Ad quam Petrus : Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum stant ad ostium, et efferent te. » Ac si verbo brevi concludens diceret; morieris. Qui enim sepelitur mortuus est, « et confestim corruit ante pedes ejus, et exspiravit, » quia fuit conscia fraudis. « Et intrantes juvenes, » qui stabant ad ostium, « invenerunt eam mortuam, et asportaverunt, et sepelierunt ad virum, id est juxta virum suum. » Fuit enim hæc consuetudo Hebræorum, uxores sepeliri juxta viros suos, ut conjunctionem carnis sequeretur conjunctio pulveris, et quia mulier formata est de costa viri (*Gen.* ii).

CAP. XXIII. *De signis quæ fiebant ab apostolis.*

« Per manus autem apostolorum fiebant signa, et prodigia multa in plebe, et erant omnes unanimiter in porticu Salomonis. Nemo autem infidelium audebat se ficte conjungere illis (*Act.* v), » quia territi erant exemplo Ananiæ. « Et augebatur in Domino credentium multitudo, et ponebant in plateis infirmos in lectulis et grabbatis, ut, veniente Petro, umbra illius corporis obumbrati, liberarentur ab infirmitatibus suis. » Quia Petrus privilegiatus erat in miraculis, et majora legitur fecisse quam Christus. Secundum quosdam scribitur grabbatum per duo *b* sicut Sabbatum, et sic dicunt debere proferri media correpta, alii dicunt grabatum, quasi gravatum, et mutatur *v*, in *b* et sic debet produci, quod est verius *.

Additio 1. Et vide quia grabatum proprie dicitur lectisternium pauperum, in quibus nihil corpori substernitur, sed tantum supponitur capiti substramentum.

CAP. XXIV. *De incarceratione apostolorum.*

« Exsurgens autem princeps sacerdotum, et Sadducæi repleti sunt zelo, et injecerunt manus in apostolos, et posuerunt eos in publicam custodiam (*Act.* v), » id est in carcerem. Nota quod supra dictum sit pluraliter principes sacerdotum, hic dicitur singulariter, quia forte unus eorum mortuus erat, scilicet Annas. Vide quoque, quia Sadducæi dicti sunt, quasi Seducæi, a sedech, quod interpretatur *justitia*, unde Melchisedech quasi *rex justitiæ*. Usurpabant enim nomen justitiæ, cum essent injusti. Vel dicti sunt Sadducæi, a Sadoch sacerdote, ad quem transtulit Salomon sacerdotium ab Abiathar, quia gloriabatur se esse de genere ejus. Isti consentiebant principibus sacerdotum in persecutione apostolorum, quia prædicabant resurrectionem, quam ipsi negabant.

CAP. XXV. *Quomodo per angelum de carcere sunt educti.*

« Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, et educens eos, dixit : Ite, et loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus (*Act.* v). » scilicet vitæ Christianæ, quod addere non fuit necessarium, quia jam famosa erat secta Christianorum. Non est autem intelligendum angelum aperuisse januas carceris. Sed quod dictum est, aperiens, sic accipiendum est, ac si diceretur : Ita eos educens, ac si januæ essent apertæ. Credendum enim est, juxta quod tradunt sancti, clausis januis eductos esse de carcere, quod factum est ad eorum confirmationem, et Judæorum confutationem. Nam quomodo hæsitaret Thomas Christum in carne et ossibus, clausis januis ad discipulos intrasse, cum se ipsum viderat, clausis januis, de carcere eductum esse. Judæi quoque dicentes, corpus Christi furto sublatum de monumento, quo furto dicerent apostolos eductos esse de carcere clauso. Juxta præceptum angeli apostoli intraverunt diluculo in templo, et docebant plebem, quia præceperat angelus, ut prædicarent in templo, scilicet in loco celebriori, et a sacerdotibus frequentato.

CAP. XXVI. *Quomodo obstupuerunt illis eductis.*

« Adveniens autem princeps sacerdotum, et qui cum eo erant convocaverunt consilium (*Act.* v), » ut deliberarent quid faciendum esset de eis. Ad hoc enim missi fuerant in carcerem, ut ad judicium traherentur. « Et miserunt ad carcerem, ut adducerentur. Cumque reversi essent ministri, renuntiaverunt eis, dicentes : Carcerem quidem clausum in-

Digitized by Google

venimus cum omni diligentia, et stantes ad januam custodes, aperientes autem neminem intus invenimus. Ut autem audierunt hos sermones magistratus templi et principes sacerdotum, » id est potentiores et sapientiores, ambigebant quomodo hoc factum esset. « Et ecce quidam adveniens, dixit eis : Viri, quos posuistis in carcere stant in templo, et docent populum. »

CAP. XXVII. *De responsione eorum.*

« Tunc abiit magistratus cum ministris (*Act.* v), » id est princeps sacerdotum. Et est magistratus singularis numeri, et eodem modo in præcedenti secundum Græcum. « Et adduxit eos sine vi, » non audens eis violentiam facere, propter populum qui favebat eis. « Et statuerunt eos in consilio, et ait illis princeps sacerdotum : Præcipiendo præcepimus vobis » auctoritate scilicet pontificali, « ne doceretis amplius in nomine isto, » scilicet in nomine Jesu, « et ecce replestis Hierusalem doctrina vestra. Nunquid vultis inducere super nos sanguinem hominis hujus? » id est sanguinis vindictam. Quasi dicat : Nunquid arguistis nos quasi reos sanguinis innocentis, prædicando eum innocentem, quem condemnavimus? Et responderunt unanimiter omnes apostoli ex fervore et zelo, non patientes unum pro omnibus loqui. « Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis suspendentes in ligno, et exaltavit illum ad dexteram suam, et nos testes sumus horum verborum, et Spiritus sanctus, quem dedit, » non solum nobis, sed « omnibus obedientibus sibi. » In quo ad pœnitentiam eos provocant. Ac si dicant : Etiam vobis si velitis obedire : « Hæc audientes dissecabantur cordibus suis. »

CAP. XXVIII. *De consilio Gamalielis.*

« Tunc surgens in concilio quidam Pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctorum honorabilis, universæ plebi præcepit ut ad breve homines amoverentur (*Act.* v). » Iste Gamaliel, ut dicit Clemens in epistola quadam, fuit discipulus apostolorum, sicut Nicodemus, et erant de consilio apostolorum inter Judæos, ut sæpe mitigarent iram eorum adversus eos. Locutus est ergo Gamaliel in concilio in hunc modum : « Viri Israelitæ, attendite vobis quid acturi estis super hominibus istis. » Quasi dicat : Non debetis subito judicare, sed exspectare, quia si opus eorum est opus tantum hominum, per se destruetur; si autem est opus Dei stabit, nec poterit destrui. Et hoc ostendit exemplo duorum, scilicet Theodæ et Judæ Galilæi. Theodas Magus, ut tradit Josephus, dicebat se prophetam, ad cujus persuasionem multi, venditis omnibus suis et sublatis ex urbe facultatibus, ad ripas Jordanis venerunt, et promisit se facturum Post triduum, ut divideretur Jordanis, et transirent sicco pede, sicut transierant filii Israel. Et dum exspectarent, in triduo illo superveniens procurator præsidis Syriæ cum multitudine equitum, multos ex eis occidit, et caput ipsius Theodæ Hierosolymam reportavit.

CAP. XXIX. *Aliud exemplum de eodem.*

« Post hunc exstitit Judas Galilæus in diebus professionis (*Act.* v), » id est descriptionis generalis ab Augusto factæ, quando unusquisque solvens censum capitis sui, profitebatur se subditum Romano imperio. Iste Judas Galilæus fuit Essæus genere. Et, ut tradit Josephus, persuadebat Judæis ut negarent tributa Romanis, asserens eos, qui decimas et primitias Deo solvebant, non debere solvere tributa hominibus. Et in tantum prævaluit hæc doctrina ejus, ut Pharisæi et magna pars populi quærerent ab ipso Domino an solvendum esset tributum Cæsari, an non; « postea periit ipse, et quotquot ei consenserunt. » Consenserunt ergo exhortationi Gamalielis, et convocantes apostolos flagellaverunt eos et flagellatos dimiserunt, prohibentes sub comminatione mortis, ne amplius loquerentur in nomine Jesu. « Et ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. » Ecce quantum erat in eis jam robur fidei, qui nec verbis prohiberi poterant, nec flagellis, id est non destiterunt primo verbis prohibiti, modo flagellis cæsi.

CAP. XXX. *De causa murmuris inter Christianos.*

« In diebus autem illis, crescente numero discipulorum (*Act.* vi), » id est Christianorum qui eo tempore dicebantur discipuli, « factum est murmur Græcorum, » id est advenarum gentilium in civitate conversantium, vel Judæorum, qui fuerant in dispersione nati, et inter Græcos nutriti; « adversus Hebræos, ex eo quod despicerentur viduæ eorum in ministerio quotidiano, » quia viduæ Hebræorum erant magis peritæ, et ideo aliis præferebantur in dispensatione administrationis quotidianæ. Et potest intelligi causa murmuris dupliciter. Vel quia viduæ Græcorum in quotidianum ministerium non admittebantur, vel quia in ministerio quotidiano nimis gravabantur. Forte faciebant eas focarias, et hujusmodi vilia administrare. Videntes autem apostoli eam murmurationem ortam pro administratione viduarum, quas ideo necesse erat administrare, quia non poterant ipsi ad hoc sufficere, ut singulis distribuerent, « multitudinem convocantes, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis testimonii septem, plenos Spiritu sancto, et sapientia, quos constituamus super hoc opus, » ut ipsi ministrent, vel præsint ministrantibus, « nos vero orationi et prædicationi vacabimus. Et placuit sermo iste multitudini, et elegerunt septem, scilicet Stephanum, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam Antiochenum. » Qui solus dictus est advena, quia alienus. Vel quia solus erat advena, vel quia notabilis solus erat futurus, dicitur advena, quasi alienus. « Hos statuerunt illi, qui elegerant ante conspectum apostolorum. Et orantes apostoli imposuerunt eis manus horum; » vicem habent in Ecclesia archidiaconi, propterea instituti, ut postea

Digitized by Google

pondus negotiorum, ut episcopi liberius vacent doctrinæ et orationi. Sed episcopi nostri temporis, quia deprehenderunt archidiaconos in hujusmodi administratione minus circumspectos provida quadam cautela dant operam huic operationi, id est administrationi. Et vide quod quia apostoli orantes leguntur manus eis imposuisse, ideo in ordinationibus fiunt orationes. Hac etiam auctoritate in quibusdam ecclesiis manus imponuntur diaconibus in ordinatione. Qui autem eis manus non imponunt, secum habent auctoritatem Bedæ. Quod autem dictum est, et orantes imposuerunt eis manus, dicit, intelligendum esse factum post, quia postea eosdem ordinaverunt ministros ad ministerium sacri altaris, et Dominici corporis et sanguinis, et tunc eis manus imposuerunt. Unde et sacerdotibus cum ordinantur manus imponuntur. « Verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Hierusalem. Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. »

CAP. XXXI. *De commendatione beati Stephani.*

« Et Stephanus plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga Libertinorum (*Act.* VI), » a regione sic dictorum. Vel libertinorum, id est manumissorum, qui cum prius fuissent servi, postea fuerant de libertate donati, et sic de servili conditione fuerunt, qui primo restiterunt fidei Christi, « et Cirenensium » a Cirene civitate, « et eorum qui erant a Cilicia et Asia » Minori, quæ sibi proximæ sunt, « disputantes cum Stephano; et non poterant resistere sapientiæ, et Spiritui sancto, qui loquebatur in eo. Tunc introduxerunt duos falsos testes, qui testificarentur eum dixisse blasphemiam in Deum et in Moysen, et commoverunt plebem, et seniores, et scribas, et adduxerunt eum in concilium et surrexerunt duo falsi testes, et dixerunt : Homo iste non cessat loqui adversus locum sanctum et Moysen. » Quasi dicant : Detrahit templo, et legi. « Audivimus eum dicentem, quoniam Jesus Nazarenus destruet locum istum, et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses. Et omnes qui intuebantur eum, sedentes in concilio, videbant faciem ejus tanquam faciem angeli. » — « Et dixit princeps sacerdotum : Nunquid hæc ita se habent ? » (*Act.* VII.) Tunc aggressus est beatus Stephanus facere grandem sermonem. Et quia arguebatur de blasphemia in Deum et Moysen, ideo præmittit in principio sermonis commendationem Dei, dicens . Deum, qui locutus est patribus et prophetis esse Deum majestatis et gloriæ. Et statim accedit ad commendationem Moysi, inchoans ab altiori, scilicet a commendatione patrum, a quibus descendit Moyses. Incheat itaque ab Abraham, quomodo egressus de Chaldæa venit in Mesopotamiam, et inde in Charan, et inde Judæam.

CAP. XXXII. *De sermone ejusdem.*

« Viri, inquit, fratres et patres, audite : Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraham cum esset in Mesopotamia, prius quam moraretur in Charan, et dixit ad illum : Exi de terra tua, et de cognatione tua (*Act.* VII). » Tertium additur in Genesi (cap. XII), scilicet de domo patris tui. Sed a Stephano prætermittitur, quia scientibus loquebatur. Ideo historiam breviter tangit, vel transit quasi notam. Sed videtur obloqui libro Genesis, ubi videtur continere, quod post mortem patris, scilicet Thare, dictum fuerit hoc, scilicet Abrahæ, de quo constat quia mortuus est in Charan, ubi et filius ejus cum eo habitavit, et ita dictum est in Charan. Quid est ergo quod hic dicitur, priusquam moraretur in Charan, potuit ei utrobique dici. Vel ubi dicitur : « Et dixit ad illum, » supple, postea in Charan. Sed sive in Mesopotamia, sive in Charan, sive utrobique dictum sit ei, quomodo ergo dictum est ei : « Exi de terra tua, » quæstio est. Nunquid jam non exierat de Chaldæa ? utique : Sed adhuc ibi tenebatur spe, et desiderio redeundi. Præceptum est ergo ei, ut exiret mente, qui jam exierat corpore. Vel potest dici, quod Mesopotamia, et Charan in Chaldæa sunt. Et ita egressus de Chaldæa, id est de quadam parte Chaldææ, venit in Mesopotamiam, in aliam partem scilicet Chaldææ, et inde venit in Charan, quæ adhuc erat Mesopotamia. Tunc exiit de terra Chaldæorum, et de Mesopotamia quantum ad hoc, quod videtur bis dictum, et venit postea in Charan. Et inde similiter de Charan, « postquam mortuus est pater ejus, transtulit eum Dominus in terram istam, in qua vos habitatis. » Vel tunc exiit de terra Chaldæorum mente, et inde, id est demum, scilicet post depositionem illius voluntatis, post mortem patris translatus est in terram istam. Vel si intelligatur dictum, Venit in Charan plane legitur hæc littera. Et vide quia in Hebræo dicitur de Ur Chaldæorum, id est de igne Chaldæorum. Chaldæi enim ignem adorabant, et per ignem trajiciebant parvulos suos, sicut nos trajicimus per aquam baptismi. Et tradunt Hebræi quod quia Thare, et filii ejus, cum essent in Chaldæa, nolebant adorare ignem, projecti sunt a Chaldæis in ignem, et combustus est Aram frater Abrahæ. Abraham vero a Domino liberatus est. Unde sæpe dictum est ei a Domino : « Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum (*Gen.* XV). »

CAP. XXXIII. *De prosecutione narrationis.*

Postquam autem liberatus est cum patre suo Thare, et Nachor fratre, et Lot nepote, et tota familia, venit in Charan, et inde post mortem patris, ibi remanente fratre ejus Nachor, venit in Judæam. Tamen « non dedit illi hæreditatem Dominus in ea, nec passum pedis (*Act.* VII), » id est nec etiam minimam partem, quia nihil possedit ibi, nisi titulo emptionis. Speluncam enim cum agro non hæreditate possedit, sed pretio emit ab Ephron filio Seor Æthæo, « sed repromisit Deus dare illam in hæreditatem semini ejus post ipsum, cum non haberet filium, dicens : Erit semen tuum accola, » id est peregrinum « in terra aliena (*Gen.* XV) » 430 annis, et in parte hujus temporis « subjicient eos

Digitized by Google

servituti, et male tractabunt eos Ægyptii; quia centum quadraginta quatuor annis fuerunt in servitute Pharaonis regis Ægypti, « et gentem cui servierint ego judicabo, dicit Dominus, et post exibunt, et mihi deservient in loco isto. » Sic ordinata constructione litteræ, nil scrupuli surgit inde. Hos quadringentos triginta annos computant Rabanus a die qua facta est hæc promissio Abrahæ, usque ad egressum de Ægypto. A tempore namque promissionis factæ Abrahæ, usque ad ingressum Jacob in Ægyptum, fluxerunt ducenti quadraginta anni, et ab ingressu ad egressum totidem. Sic Rabanus. Cui consonare videtur Apostolus dicens, « quia post quadringentos et triginta annos facta est lex (*Gal.* III). »

CAP. XXXIV. *Quomodo computentur* 430 *anni.*

Beda et Augustinus, quia dictum est : « In Isaac vocabitur tibi semen (*Gen.* XXI), « adhærentes huic verbo computant 430 annos a nativitate Isaac usque ad mortem duorum regum, scilicet Seon regis Amorrhæorum, et Og regis Basan. Prosequitur exinde breviter Stephanus historiam. « Et dedit illi testamentum circumcisionis, et genuit Isaac, et circumcidit eum octava die. Et Isaac Jacob, et Jacob duodecim patriarchas. Et patriarchæ æmulantes Joseph, vendiderunt eum in Ægyptum negotiatoribus, qui transtulerunt eum in Ægyptum (*Act.* VII), » quod breviter transit. « Et erat Deus cum eo, et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus, et dedit ei sapientiam et gratiam in conspectu Pharaonis regis Ægypti, et constituit eum præpositum super Ægyptum, et super omnem domum suam. Postea facta est fames magna in universa terra. Et audiens Jacob frumentum esse in Ægypto, primo misit filios, postea ipse cum septuaginta quinque animabus descendit in Ægyptum. » Veritas habet secundum librum Geneseos (cap. XLII), quod cum 70 animabus intravit, et computantur ipse Jacob et Joseph, cum duobus filiis, non sunt ibi nisi 70. Lucas addit quinque per anticipationem, computans nepotes Joseph, sequens editionem LXX Interpretum, quæ magis erat authentica. Quam nisi sequeretur, forte minus crederetur ei; et opus ejus suspectum haberetur. « Et defunctus est ipse Jacob in Ægypto, et patres nostri, » scilicet duodecim patriarchæ, « et translati sunt in Sichem. » Hoc de solo Joseph legitur, quia filii Israel, ad ejus petitionem, ossa ejus de Ægypto transtulerunt; quæ etiam prophetasse leguntur, et sepulta sunt in Sichem (*Gen.* XLVIII). Quid est ergo quod pluraliter dictum est, « translati sunt in Sichem. »

CAP. XXXV. *Opinio Bedæ de eodem.*

Credendum est, ut dicit Beda, Stephano, credendum est Hieronymo, qui in historia Paulæ dicit, eam transisse per Sichem, et ibi invenisse sepulcra duodecim patriarcharum. Primo ergo translata in Sichem, posita sunt postea in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Emor, filii Sichem in spelunca scilicet duplici, quam emit quadrigentis siclis ab Ephron, filio Seor Ethæo, scilicet in Abrahamio, ubi sepultus est Adam cum Eva, Abraham cum Sara, Isaac cum Rebecca, Jacob cum Lia. Sed quid est quod dictum est, « in sepulcro, quod emit Abraham a filiis Emor, filii Sichem, » cum constet Abraham emisse sepulcrum ab Ephron Ethæo? Ideo sic construunt quidam litteram : Translata sunt in Sichem, Sichem dico emptam a filiis Emor, filii Sichem. Sed quid est quod dicit, Emor, filius Sichem, cum constet Sichem fuisse filium Emor? Potuit esse, quod fuerint duo Sichem, quorum alter dicitur a Luca pater Emor, alter in Genesi dicitur filius ejus. Vel ita ordina constructionem, ut jungas principium sermonis, et finem hoc modo : A filiis Sichem filii Emor. Et ita hic locus congruit libro Geneseos. Ut ergo excludatur omnis dubitatio, ita construatur littera : Translati sunt in Sichem, Sichem dico emptam a filiis Sichem scilicet, a filiis Sichem filii Emor. Ac si diceretur in illam partem Sichem, quam emit Jacob, non Abraham, et inde postea positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham ab Ephron Ethæo, scilicet in Abrahamio.

CAP. XXXVI. *Redit Stephanus ad ordinem historiæ.*

Postea redit Stephanus ad ordinem historiæ, quia quodam modo digressus fuerat, et continuatur ei, quod dictum est : Post hæc exibunt, et deservient mihi in isto loco. « Cum autem appropinquaret tempus repromissionis, crevit populus, et multiplicatus est in Ægypto, quoadusque surrexit alius rex in Ægypto, ignorans beneficia Joseph (*Act.* VII), » id est immemor beneficiorum Joseph. « Hic afflixit patres nostros præcipiens necari parvulos nostros. Et eo tempore, » quo dedit edictum occidendi parvulos, « natus est Moyses, et fuit gratus Deo. » Ecce quomodo descendit ad commendationem Moysi, quia arguebatur blasphemasse in eum. « Qui cum nutritus esset tribus mensibus in domo patris sui, projectus est in flumen, et sustulit eum filia Pharaonis (*Exod.* II), » quæ venerat ad flumen, ut lavaretur, « et enutrivit eum sibi in filium. Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, et erat potens in verbis, et operibus suis, » id est eloquens et fortis. « Cum autem esset quadraginta annorum, visitavit fratres suos filios Israel » in terra Jessen, ubi occidit Ægyptium rixantem cum Hebræo, putans fratres intelligere, sicut ipse intelligebat in spiritu, quod per manum illius Dominus filios Israel de manu Ægyptiorum esse liberaturus. At illi non intellexerunt. Et cum sequenti die vellet reconciliare duos Hebræos rixantes, qui injuriam faciebat alteri, repulit eum, dicens : « Quis te constituit principem et judicem super nos? Nonquid me vis interficere sicut heri interfecisti Ægyptium? Quo audito timens sibi Moyses fugit in terram Madian, ubi de Sephora, filia sacerdotis Madian quam duxit, duos genuit filios. Expletis autem annis quadraginta apparuit illi Deus in deserto montis Sinai (*Exod.* III), » cum minaret gregem ad interiora deserti in rubo, « et facta est vox De-

Digitized by Google

mini ad eum, dicens : Ego sum Deus patrum vestrorum, et tremefactus est Moyses. Dixit autem illi Deus : Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est. Vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, et gemitum eorum audivi, et descendi liberare eos. Et nunc veni, mittam te in Ægyptum. Hunc Moysen, quem negaverunt dicentes : Quis te constituit principem super nos? » misit Deus principem, et redemptorem eorum de servitute Ægypti, « cum manu, » id est opere, vel auxilio « angeli, qui apparuit ei in rubo. Hic eduxit eos faciens signa et prodigia in terra Ægypti, et in mari Rubro et in deserto annis quadraginta. Idem Moyses dixit filiis Israel (*Deut.* xviii): Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, ipsum tanquam me audietis. Hic est qui fuit in Ecclesia, » id est in congregatione populi Israel « in solitudine Sinai cum angelo, qui loquebatur ei in monte cum patribus nostris, quia accepit verba vitæ dare nobis, cui noluerent obedire patres nostri, sed repulerunt eum, et aversi sunt cordibus suis in Ægyptum ad Aaron dicentes (*Exod.* xxxii) : Fac nobis deos qui præcedant nos. Et fecerunt vitulum, et hostias ei obtulerunt. »

CAP. XXXVII. *Commendat tabernaculum, ne videatur damnare locum sanctum.*

Postea quia dicebant eum depravare locum sanctum, subdit de commendatione tabernaculi. Quod dictum est tabernaculum testimonii, vel quia in eo erat arca testimonii, vel quia ante fores tabernaculi causæ sub testibus diffiniebantur. « Tabernaculum (*Heb.* viii), inquit, testimonii fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit Deus loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam, quam viderat in monte. » Hoc habuerunt patres nostri, usque in diebus David. In diebus autem Salominis templum tabernaculo successit. Postea incipit eos arguere, postquam purgavit se a crimine sibi a falsis testibus objecto. « Dura, inquit cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut et patres vestri? Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri. Hoc audientes dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. »

CAP. XXXVIII. *Quod lapidaverunt Stephanum.*

« Cum autem esset Stephanus plenus Spiritu sancto, intuens in cœlum, vidit gloriam Dei, et Jesum in forma humana stantem a dextris virtutis Dei (*Act.* xii). » Stans apparuit ei crucifixus, ne titubaret lapidandus. Et in ipso quo stabat, se paratum ei subvenire, monstrabat, quia stare pugnantis est, vel adjuvantis. « Ecce, inquit, video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei. Tunc exclamantes voce magna, clauserunt aures suas, « quasi abhorrentes audire blasphemiam, » et impetum fecerunt unanimiter in eum, et ejicientes eum extra civitatem lapidabant, » in hoc secundum legem se agere æstimantes, quia secundum legem blasphemus educebatur extra castra, et lapidanant eum universus populus. « Et testes, » duo scilicet falsi, qui primi secundum legem tenebantur lapides projicere, quia in lege dictum est de blasphemo : Prima manus testium lapidabit eum. Et « deposuerunt vestimenta sua : » ne inquinarentur tactu illius, « secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus, » Postea vocatus est Paulus. Cui, teste Beda, in hoc Deus misericorditer providit, quod non est manus ejus sanguine innocentis polluta. Sed tantummodo servavit lapidantium vestimenta, et consensit eis, unde tanquam dignus morte periret, nisi Deus per gratiam ei pœnitentiam inspiraret. « Lapidaverunt ergo Stephanum levitam, invocantem, et dicentem : Domine Jesu, accipe spiritum meum, » sicut et Christus ad Patrem ait: « In manus tuas commendo spiritum meum (*Luc.* xxiv). » — « Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens : Domine, ne statuas illis hoc peccatum, » quia « nesciunt, quid faciunt. » Multi enim ex eis ipsum occidendo, æstimabant se legem implere, juxta quod Dominus prædixerat : « Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo (*Joan.* xvi). » — « Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. Et facta est persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis (*Act.* viii), » quia occiso beato Stephano uno de principibus Ecclesiæ, quasi primicerio septem diaconorum, cœperunt alios persequi graviter, in tantum, quod omnes discipuli, præter apostolos, qui ut pastores gregis, cæteris erant constantiores, « dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, » fugientes a facie persecutorum, juxta quod præceperat Dominus : « Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. » — « Curaverunt autem Stephanum viri timorati, » id est juxta morem terræ diligenter curam habentes sepulturæ, « et fecerunt planctum magnum super eum. » Tunc apostoli prævidentes, quod ad gentes in posterum essent transituri, providentes fidelibus, qui erant in Jerusalem remansuri, ordinaverunt Jacobum Alphæi episcopum Hierosolymorum, et imposuerunt ei manus Petrus, et Jacobus, et Joannes. Ideo non a paucioribus quam tribus episcopis, episcopus hodie consecratur.

CAP. XXXIX. *De prima persecutione Saulis.*

« Saulus vero devastabat Ecclesiam, discurrens per domos, trahens viros ac mulieres, et detrudens in carcerem. » Neminem tamen occidebat, Domino custodiente manus ejus, ne sanguine innocentium polluerentur. Qui ante dispersi fuerant pertransibant de loco ad locum evangelizantes verbum Dei nihilominus, quia dispersi constantes erant in prædicatione evangelii. « Philippus autem » diaconus secundus a Stephano, « descendens in civitatem Samariæ prædicabat ibi Christum, et intendebant turbæ unanimiter his, quæ a Philippo dicebantur, videntes miracula quæ faciebat, quia multos dæmoniacos liberabat, multos paralyticos sanabat, et claudos erigebat. Erat autem ibi Simon Magus se-

Digitized by Google

ducens gentem, cui auscultabant omnes, a minimo usque ad maximum, » quia magicis artibus multa faciebat, unde dicebant ipsum esse virtutem Dei magnam, æstimantes ipsum esse prophetam, vel angelum, vel Dei Filium, quia mentes eorum dementaverat, id est magicis artibus subverterat. Cumque crederent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, et mulieres, et Simon simulavit se credere, et baptizatus est. Videns enim Philippum facere miracula, qualia et quanta ipse facere non poterat, nec ita facile, putavit ex quadam industria fieri, ideo ficte baptizatus est, ut familiarius ei adhæreret, et addisceret artem, qua similia posset facere.

CAP. XL. *De petitione Simonis magi.*

« Cum autem audissent apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum (*Act.* VIII) » visibiliter, quod forte nondum fecerant, « nondum enim in quemquam illorum venerat, » id est visibiliter descenderat. Constat enim quia invisibiliter Spiritum sanctum acceperant cum « baptizati essent in nomine Domini Jesu Christi. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum, » ita quod visibili signo ostendebatur, cum linguis omnibus loquerentur. Constat hunc Philippum diaconum fuisse, non apostolum. Quod videtur ex glossa super Matthæum; quia manuum impositionem reservavit apostolis, quæ propterea reservatur hodie solis eorum vicariis, id est episcopis qui manus imponunt, et frontem liniunt in confirmatione, ubi datus Spiritus sanctus ad robur. Si enim Philippus iste apostolus esset, statim baptizatis manus imponeret, nec ad hoc alios exspectaret. « Cum autem Simon vidisset, quod per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus sanctus, » putans ex quadam industria hoc ab eis fieri, et hanc posse ab eis pretio comparari, « obtulit eis pecuniam, dicens : Date mihi hanc potestatem, ut cuicunque manus imposuero, accipiat Spiritum sanctum, » et sic voluit emere hanc potestatem ad lucrum. Ad quem Petrus : « Pecunia tua tecum sit in perditionem. » Quod sic potest distingui, ne videatur imprecari pecuniæ. Pecunia tua tecum sit, supple, ducens te in perditionem. Vel imprecando ait : In perditione pecunia tua tecum sit, id est pecuniam tuam habeas, et pro ea pœnam æternam luas. Sancti enim cum sententiam maledictionis proferunt, non ex voto ultionis, sed intuitu justitiæ in eam prorumpunt. « Non est tibi pars in sermone isto, » ut ad manuum tuarum impositionem detur Spiritus sanctus. « Cor enim tuum non est rectum coram Domino. Pœnitentiam itaque age pro hac nequitia tua, et roga Deum, ut si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse. » Sciebat eum Petrus in Spiritu, pœnitentiam non acturum, sed ad hoc eum exhortari erat ejus officium. Simon autem sciens se indignum a Deo exaudiri, noluit orare, sed ait apostolis : « Precamini pro me, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis. Petrus vero, et Joannes redibant Hierosolymam, et multis civitatibus Samaritanorum evangelizabant. »

CAP. XLI. *De eunucho baptizato a Philippo.*

« Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens : Surge, et vade contra meridianum, ad viam quæ descendit a Jerusalem in Gazam (*Act.* VIII), » id est in Africam. Quasi dicat : Vade ad viam per quam a Jerusalem per Gazam descenditur in Africam. Hæc scilicet Gaza destructa est. Vetus enim Gaza, quæ olim erat terminus Chananæorum juxta Ægyptum, destructa erat, et loco ejus ædificata est alia. « Et surgens ablit. Et ecce vir Æthiops eunuchus, potens in domo Candacis reginæ, qui erat super omnes gazas ejus. » Erat enim consuetudo eunuchorum custodire thesauros potentum, « venerat adorare in Jerusalem. » Et, ut traditur in aliis historiis, per eum miserat multa dona templo in Jerusalem Candacis regina Æthiopum. Et vide quia omnes reginæ Æthiopum dicebantur Candaces; sicut Romani imperatores dicebantur Cæsares, nec habebat regimen regio illa nisi a feminis. « Cumque reverteretur Æthiops ille, sedens super currum, et legens Isaiam prophetam, dixit Spiritus Philippo : Accede, et adjunge te currui. Accedens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam, et dixit : Putasne intelligis quæ legis? Qui ait : Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Et rogavit Philippum, ut ascenderet currum, et sederet secum. Erat autem hic locus Scripturæ quam legebat qui, Domino procurante, sic legendus occurrerat : Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum (*Isai.* LIII). Respondens autem eunuchus Philippo, dixit : Obsecro te, domine, ut dicas de quo propheta hæc dicit? de se, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens a Scriptura hac, » de qua scilicet quærebat, « evangelizavit illi Jesum. Et dum irent per viam, pervenerunt ad quamdam aquam. Et ait eunuchus : Ecce aqua, quis prohibet me baptizari? Ad quem Philippus : Si credis ex toto corde, licet tibi baptizari. Ad quem ille : Credo Dei Filium esse Jesum. » Et vide, quia cum in Spiritu videret Philippus eunuchi fidem, voluit tamen ab eo extorquere confessionem manifestam, nolens eum subito baptizare, ut daretur exemplum baptizantibus et baptizandis interrogandi et confitendi. Unde hodie cum quadam dilatione et protelatione scrutiniorum, celebratur solemne baptisma in Sabbato paschali, quia incipiunt scrutinia in media Quadragesima ab ea die, qua cantatur : *Dum sanctificatus fuero* (*Ezech.* XXXVI). « Et jussit stare currum, et descenderunt ambo de curru, et baptizavit Philippus eunuchum. Et cum ascendisset de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum eunuchus, sed ibat

Digitized by Google

per viam suam gaudens. Philippus autem inventus est in Azoro, et pertransiens, evangelizabat cunctis civitatibus, donec veniret Cæsaream. » In qua legitur domum habuisse, cujus usque hodie apparent vestigia ; nec non et cubiculum quatuor filiarum ejus virginum prophetissarum. Nunc redit historia ad ordinem suum prosequens de Paulo, et continuatur ei quod supra dictum est. Saulus devastabat Ecclesiam. Quod enim dictum est de Philippo, et conversione eunuchi, quasi incidens fuit.

CAP. XLII. *De excæcatione Sauli.*

« Saulus adhuc spirans minarum, et cædis in discipulos Domini (*Act.* IX), » id est adhuc comminans eis et in eos conspirans, et ad cædem eorum aspirans, » accessit ad principem sacerdotum, » zelo furoris eum concitante, et petiit ab eo litteras ad synagogas singulas Judæorum, quæ erant Damasci, ut ejus auctoritate, « si quos inveniret Damasci, hujus viæ viros, et mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco, et subito circumfulsit eum lux de cœlo, et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi : Saule, Saule, quid me persequeris ? » id est in membris meis. « Qui ait : Quis es, Domine ? » An Deus es vel angelus ? « Ego, inquit, sum Jesus, quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare, » id est potentiori rebellare « Et tremens ac stupens, dixit : Domine, quid me vis facere ? » Ac si diceret, voluntatem tuam indica mihi, quia præsto sum tibi obedire. Ad quem Dominus : Surge, et ingredere civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere. « Viri autem qui comitabantur cum stabant stupefacti, audientes quidem vocem ipsius Pauli, non ejus qui loquebatur cum eo, neminem autem videntes » juxta quod ipse Paulus infrà dicit : « Qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem ejus non audierunt, qui loquebatur mecum (*Act.* XXII). » — « Et surrexit de terra, et apertis oculis nihil videbat. » Factus est cæcus corpore, qui prius fuerat cæcus mente. « Ad manus autem illum trahentes, manibus scilicet suis manus ejus tenentes, et quasi cæcum ducentes introduxerunt eum Damascum. Et erat ibi tribus diebus, non videns, neque manducans, neque bibens. » In quo triduo creditur a Spiritu sancto didicisse Evangelium. Unde gloriatur in Epistola ad Galatas, se non habuisse hominem magistrum, dicens : « Neque ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi (*Gal.* I). » Imponebatur enim ei a pseudo, quod edoctus esset ab Ania, non a Spiritu sancto, unde vocabant eum apostolum Ananiæ. Nec removeat si quandoque legatur, conversio ejus facta, primo anno Dominicæ passionis, quandoque secundo, alterum de anno usuali, alterum de anno emergenti dicitur. Si enim computes primum annum Dominicæ passionis a Kalendis Januarii, qui est annus usualis, tunc secundo anno conversus est Paulus. Si autem computes ab ipso die passionis usque in sequentem diem passionis anno revoluto, qui est annus emergens, in primo anno Dominicæ passionis conversus est.

CAP. XLIII. *Quomodo ex mandato Domini Ananias visitavit Paulum.*

« Erat autem Damasci discipulus quidam (*Act.* IX), » id est Christianus, « nomine Ananias. Et dixit Dominus ad illum in visu, » id est in visione noctis : « Anania. Et ille ait : Ecce, Domine, ego paratus sum tibi obedire. Ad quem Dominus : Surge, et vade in vicum qui vocatur Rectus, et quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem. Ecce enim orat » Forsan Judas erat proprium nomen hospitis sui, vel forsan erat de tribu Judæ, ut sit sensus : In domo Judæ, id est inter Judæos, qui ibi erant de illa tribu, vel in domo Judæ, id est in vico Judæorum. Vicus autem dicitur a vicinia civitatis, ut dicit Rabanus, ut proprie dicantur vici viciniora rura civitatis. Hoc tamen, et sæpe alibi aliter accipitur. Ne timeret Ananias venire ad Saulum, quem noverat acerrimum persecutorem Christianorum, addidit Dominus : Ecce enim orat, quasi diceret : Non est timendus quia factus est de Saulo Paulus, et de lupo agnus. Et ego etiam revelavi ei advenatum tuum. Jam enim « vidit in Spiritu te introeuntem ad se, et imponentem ei manus, ut visum recipiat. Tunc Ananias : Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Jerusalem, et habet potestatem a principibus sacerdotum alligandi omnes qui invocant nomen tuum. Ad quem Dominus : Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, » id est vas electum, et in fornace tribulationis probatum, « ut portet nomen meum coram regibus, et gentibus, et filiis Israel. Et tu quidem baptizabis eum, sed non docebis eum, ego enim solus docebo eum, et ostendam ei, quanta oporteat eum pati pro nomine meo, » ut per multas tribulationes probetur vas electum, et mala, quæ intulit sanctis patiatur cum sanctis. « Abiit Ananias, » et veniens ad hospitium Pauli intravit ad eum, et imponens manum, dixit : Saule frater, Dominus Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, misit me ad te, ut videas interiori et exteriori oculo, « et implearis Spiritu sancto, » id est Spiritum sanctum plenius accipias postea in baptismo. « Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, et visum recepit et surgens baptizatus est, et cum accepisset cibum confortatus est. Et fuit cum discipulis, qui erant Damasci per dies aliquot, et continuo ingressus synagogas prædicabat Dominum Jesum, quoniam hic est Filius Dei. Stupebant autem omnes, qui audiebant, et dicebant : Nonne hic est qui expugnabat in Jerusalem eos qui invocabant nomen istud, et ad hoc huc venerat, ut vinctos eos duceret ad principes sacerdotum ? Saulus autem magis convalescebat in Christo, et confundebat Judæos, qui erant Damasci, affirmans quia hic est Christus. »

CAP. XLIV. *De invidia Judæorum in Paulum.*

« Cum autem implerentur dies multi » a baptismo

Digitized by Google

Pauli concilium fecerunt Judæi, ut eum interficerent (*Act.* IX). Ex eo quod dictum est : « Cum implerentur dies multi, » potest videri, hoc non fuisse factum, in hoc primo adventu Damasci, sed in secundo, quia forte transiit in Syriam, et Ciliciam, et ibi prædicavit, et multos convertit. Postea cum iterum venit Damascum, quia magis suscitaverat invidiam Judæorum in secundo adventu Damasci, statuerunt concilium, ut eum occiderent, sed notificatæ sunt ei insidiæ Judæorum, et custodiebant portas civitatis die, ac nocte, ut eum dolo interficerent, non Judæi, sed cives Damasci; et præpositus gentis Arethæ regis ad petitionem Judæorum, sicut ipse Apostolus in Epistola secunda ad Corinthios (cap. XI) refert, dicens: « Damasci præpositus gentis Arethæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet. » Discipuli autem ejus nocte dimiserunt eum in sporta per murum. Et vide, quod in Græco additum non est ejus, sed dictum est simpliciter discipuli, quia non habebat Paulus discipulos, sed omnes Christiani tunc dicebantur discipuli, quia nondum inventum erat hoc nomen Christianus. Elapsus Paulus a manibus Damascenorum, venit in Hierusalem, et volens se jungere discipulis Domini, scilicet apostolis, sed « omnes timebant eum, non credentes, quod esset discipulus. » Tunc Barnabas Cyprius Levites genere qui, ut supra dictum est, pretium agri venditi posuit ad pedes apostolorum Domini, apprehensum illum duxit ad apostolos, narravitque quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu. Quos autem apostolorum invenerit in Hierusalem in Epistola ad Galatas ostendit, scilicet Petrum, et Jacobum episcopum Hierosolymorum, cum quibus mansit 15 diebus, sicut ipse in Epistola ostendit, dicens: « Deinde post annos tres, scilicet conversione mea, veni in Hierusalem, videre Petrum, et mansi apud eum 15 diebus, alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini (*Galat.* I, 18). » « Et erat cum illis, » scilicet Petro, et Jacobo, et aliis discipulis, qui erant in Jerusalem, « intrans, et exiens » per 15 dies. Deinde venit in partes Syriæ, et Ciliciæ, et ibi « loquebatur gentibus, et disputabat cum Græcis, » id est Judæis inter Græcos dispersis. Hæc autem historia, præ nimia sui brevitate, rei veritatem confundit, quasi totum in Hierusalem factum sit. Ita enim procedit series historiæ. Et erat cum eis, intrans, et exiens in Hierusalem, fiducialiter agens in nomine Domini. « Loquebatur autem gentibus, et disputabat cum Græcis. Illi autem, » scilicet Judæi conversantes inter Græcos, cum quibus disputabat, « voluerunt eum occidere. Quod cum cognovissent fratres deduxerunt eum Cæsaream, quæ civitas est Palestinæ, et inde dimiserunt eum Tarsum, » quæ est civitas Ciliciæ, unde ipse oriundus fuit. Postea redit historia ad Petrum, de Actibus apostolorum agens, quasi modo intercalari.

Cap. XLV. *De curatione Æneæ.*

« Factum est autem, ut Petrus dum prædicando discurreret, venit Lyddam. Invenit autem ibi hominem quemdam Æneam nomine, paralyticum ab annis octo in grabato jacentem. Et ait illi Petrus; Ænea sanet te Dominus meus Jesus Christus, surge, et sterne tibi lectum (*Act.* IX).» Qui prius nec etiam poterat de lecto surgere. Et continuo surrexit. Et viderunt illum omnes qui habitabant Lyddæ, et Saronæ, et conversi sunt ad Dominum. Erat autem in Joppe discipula quædam Christiana, quæ Hebraice dicitur *Tabita*, Græce *Dorcas*, Latine autem *Damula*. vel *Caprea*, Super Marcum tamen habemus, quia Tabita interpretatum est *puella*. Unde *Tabitacumi*, interpretatum est *puella surge*, et secundum hoc sunt diversæ interpretationes hujus nominis. « Hæc autem erat plena operibus bonis, et eleemosynis, quas faciebat, » et præcipue in consuendis vestibus pauperum, multum laboris impendebat. « Factum est autem in diebus illis » in quibus Petrus venerat Lyddam, « ut infirmata moreretur. Cumque lavissent corpus, posuerunt in superiori cænaculo. Et cum Lydda prope esset Joppen, discipuli audientes, quia prope esset Petrus Lyddæ, miserunt ad eum duos viros, dicentes : Ne pigriteris venire usque ad nos, » et non aperuerunt ei causam. « Exsurgens autem Petrus, venit cum illis. Et cum advenissent, duxerunt eum in cœnaculum, » ubi jacebat mortua Tabitha. « Et circumsteterunt eum omnes viduæ flentes, et ostendentes ei vestes, quas faciebat illis Dorcas, » ut operibus misericordiæ ipsam operam dedisse, ostenderent, et sic Petrum ad compassionem commoverent. Tunc Petrus omnes ejecit, non tanquam perperam aliquid facturus, quod vellet alios latere, ut hi qui magicis artibus vel consilio dæmonum aliquid machinantur, sed Magistrum suum volens imitari, qui filiam archisynagogi suscitaturus omnes de domo ejecit, paucis exceptis. Vel forte, quia nonnulli erant visione miraculi indigni. « Ejectis omnibus foras, facta genuflexione oravit, et conversus ad corpus ait : Tabita, surge. At illa aperuit oculos, et viso Petro resedit, et dans illi manum, erexit eam, et convocatis, qui exierant, reddidit eis eam vivam. Et notum factum est miraculum per universam Joppen, et multi crediderunt in Deum. Et moratus est Petrus in Joppe multis diebus apud Simonem coriarium, » vel curiarum, vel a corio, vel curia, quia forte curialis erat, ideo dictus curiarius, vel quia parabat coria, ideo dictus est coriarius. »

Cap. XLVI. *De conversione Cornelii.*

« Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, centurio cohortis, quæ dicebatur Italica (*Act.* X), » quia missa fuerat a Romana civitate, quæ est Italica, quia Romani imperatores mittebant milites suos per civitates, ad custodiendas munitiones. Et hic erat « religiosus et timens Deum, » religiosus supra gradum timoris, timens infra gradum religionis, id est pietatis, quia in graduali

Digitized by Google

ascensu donorum Spiritus sancti gradus pietatis *, est supra gradum timoris. In quantum ergo religiosus supra gradum timoris, in tantum timens Deum infra gradum religionis, ut nomine religionis intelligas spiritum pietatis. Erat, inquam religiosus cum omni familia sua, quæ religiosa erat et timorata, « faciens eleemosynas multas plebi, » non acceptor personarum. « Iste, cum esset » quasi hora nona diei, « vidit in visu manifeste, » id est manifesta visione, non per somnium, vel in exstasi, « Angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi: Cornēli. At ille intuens in eum, timore correptus, dixit: Quis es, Domine? Ad quem angelus: Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Joppen, et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus domus est juxta mare » Tyrrhenum, quia Joppe civitas terræ promissionis erat, mari Tyrrheno proxima, et in ipsius orientali littore sita, et ex parte littoris sita erat domus Simonis coriarii hospitis Petri. « Hic, inquit, dicet tibi, quid te oporteat facere. » Ecce Cornelio dictum est ab angelo. « Exauditæ sunt orationes tuæ. » Unde constat eum tunc fidem habuisse, quia in hoc consonant sancti, quod merito fidei venitur ad opera, et non vice versa. Nondum tamen credebat Christum incarnatum, quia de tempore incarnationis incertus erat, ignorans, an jam incarnatus, an adhuc incarnandus. Non tamen suberat falsitas fidei ejus, quia cum fidem incarnationis haberet, salva fide, poterat esse in ambiguo, an jam venisset, an adhuc in carne venturus esset. Quia nonnullos sanctorum Patrum latuit, Christum natum esse, postquam natus est, ut Simeonem, usque ad quadragesimum nativitatis ejus diem. Non tamen putandum est, eos fidem incarnationis non habuisse, quia tempus non est de articulo fidei, imo cum nondum esset eis prædicatum, vel inspiratum, quod jam natus esset salva fide, licuit eis esse in ambiguo, an jam natus esset, an adhuc nasciturus. « Cum discessisset angelus a Cornelio, vocavit duos domesticos suos, et militem metuentem Dominum, » quod de domesticis non est dictum, quia constabat familiam ejus religiosam esse et timoratam. « Quibus cum narrasset singula, misit illos in Joppen. »

Additio 1. Pietas æquivocum est, ad cultum Dei et ad compassionem proximi.

CAP. XLVII. *De visione Petri.*

« Postera autem die iter facientibus illis, et appropinquantibus civitati Joppe (*Act.* x), » vel apparentibus, secundum aliam litteram, ut jam possent videri de hospitio Petri, scilicet de domo Simonis coriarii sui, « ascendit Petrus in superius cœnaculum hospitii sui, circa horam sextam, ut in secreto oraret, et post orationem comederet, » quia tempus erat comedendi; et ipse patiebatur esuriem. « Et parantibus prandium ministris, cum ipse esset in oratione, cecidit super eum exstasis, » qua Domino operante, passus est alienationem mentis, ita ut non uteretur sensibus humanis. Et in hujusmodi exstasi « vidit cœlum apertum, » id est aerem, et de aere aperto « descendens vas quoddam, velut linteum magnum de cœlo submitti in terram quatuor » linteis, vel litiis, vel « initiis, » quæ littera verior est. Dicuntur autem initiæ, funiculi molles, quibus circumligantur pueri in cunabulis, facti de stupea materia, vel de serico ad opus nobilium. Videbatur ergo ei vas illud quasi linteum, quatuor initiis, quatuor cornibus alligatis, in aere appensum, et ita « demitti in terram, et in eo esse omnia genera animalium, quadrupedia, serpentia terræ. Et cum esuriret, facta est vox ad eum, dicens: Surge, Petre, macta, et manduca. » Ac si diceretur ei in spiritu: Transi ad gentes, et occide in eis vitia, et sic Ecclesiæ incorpora. « Absit! inquit, Domine, quia nunquam manducavi commune, id est immundum. » Et est idioma Hebræorum, reputantium cibos immundos, quibus communiter utebantur gentes. Unde vocabant communes, quasi immundos. Abhorruit ergo Petrus, quod dictum est ei « manduca, » quia ostensa ei fuerant quadrupedia et serpentia, secundum legem immunda, quia grave videbatur ei uti cibis in lege prohibitis, et maxime timebat reprehensionem Judæorum, si uteretur cibis gentilium. Et ideo cum ita cuncta abhorreret, facta est vox secundo ad eum, dicens: « Quod Deus purificavit, commune ne dixeris. » Quod constat ei spiritualiter dictum fuisse de gentibus, jam in Dei præscientia per fidem purificatis. De quarum purificatione instruxerat Petrum vox prima facta ad eum, dicens: « Occide, et manduca. » Cum autem ostensa fuissent ei serpentia terræ, constat ea non fuisse a Deo purificata, nec alicui, sive Judæo, sive gentili, ad comedendum munda. « Hoc autem factum est ei ter, » scilicet vas semel, iterato, et tertio in terra demissum, et vox ter audita est, pro commendanda veritate visionis, vel fide Trinitatis. Nam, ut dicit Ambrosius, in catechismo fit trina interrogatio, scilicet, credis in Deum? abrenuntias Satanæ? vis baptizari? Similiter trina unctio, in vertice, sive fronte; in scapulis, in pectore; in baptismo quoque fit trina immersio. Post trinam vasis ostensionem, « receptum est vas in cœlum. Et dum intra se cogitaret Petrus, quid sibi vellet hæc visio. Ecce tres viri, qui missi fuerant a Cornelio, inquirentes domum Simonis coriarii, steterunt ad januam, quærentes si Simon, qui agnominatur Petrus, illic haberet hospitium. Et cogitante Petro de visione, dixit ei Spiritus: Ecce tres viri quærunt te. » Causam tamen cur eum quærerent, ei subticuit, quam ipse postea ab eis didicit. Quia ad conservandam humilitatem, aliquando prophetice Spiritus ex parte animum tangit et ex parte non tangit. « Surge, inquit, et descende, et vade cum eis nil hæsitans, quia ego misi illos. Descendens autem Petrus ad eos dixit: Ecce ego sum quem quæritis, quæ causa est pro qua venistis? Ad quem illi: Cornelius

Digitized by Google

centurio, vir religiosus, ac timens Deum, et testimonium habens ab universa gente Judæorum responsum accepit a Spiritu sancto, ut accerseret te in domum suam, et audiret verba a te. Et introduxit eos in hospitium suum, » et fuerunt cum eo nocte illa. « Sequenti autem die, profectus est cum illis, et quibusdam fratribus, qui eum comitati sunt a Joppe, ut ei testes essent. »

CAP. XLVIII. *Quod Petrus venit ad Cornelium vocatus.*

« Altera autem die (*Act.* x), » secunda ab egressu de Joppe, « introivit Cæsaream. Cornelius vero exspectabat illos, convocatis cognatis suis et amicis necessariis. » Amici necessarii dicuntur, qui non deserunt hominem in articulo necessitatis. « Et cum introisset Petrus, obvius occurrit ei Cornelius, et procidens ad pedes ejus, adoravit eum, » ipso gestu corporis exprimens devotionem mentis. « Petrus vero elevavit eum dicens : Surge, quia ego homo sum ut tu. » Et cum multi adessent, cognati scilicet, et amici convocati, locutus est eis Petrus dicens : « Vos scitis, quam abominabile sit viro Judæo accedere ad alienigenam. Sed ostendit mihi Deus, nullum hominem immundum esse, propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo quam ob causam accersistis me ? Ad quem Cornelius : A nudius quarta die orabam hora nona in domo mea. » Ac si diceret : Quarta die ab hac hora, secundum innovationem dierum. Prima enim die vidit angelum, et misit nuntios, secunda venerunt nuntii in Joppen, tertia profectus est Petrus cum eis, et illa nocte remanserunt in via, quarta venerunt Cæsaream, « et ecce vir stetit ante me in veste candida, et ait : Corneli, exaudita est oratio tua, et eleemosynæ tuæ a Deo acceptæ, mitte in Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus ; et statim misi ad te, et tu bene fecisti, veniendo. Nunc ergo omnes nos adsumus in conspectu tuo, prompti obedire tibi in omnibus, quæcunque præcepta sunt tibi a Domino. Tunc Petrus aperiens os suum, dixit : Nunc in veritate comperi, quoniam non est personarum acceptor Deus, nec discernit inter Judæos et gentes, sed in omni gente, qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi. Vos scitis, » quod Joannes prædicavit Jesum a Nazareth, scitis etiam « quod factum est verbum, » id est prædicatio Evangelii « per universam Judæam, » incipiens a baptismo Joannis, quo baptizatus est Jesus, postea prosequens « quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute, qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes a diabolo oppressos. Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, et quod eum suspenderunt in ligno, » et tertia die suscitatum a Deo. Cujus nos testes sumus, « qui manducavimus, et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis, quibus præcepit prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo Patre Judex vivorum, et mortuorum, » quia Pater dedit illi omne judicium. Nec nos solum, sed etiam « omnes prophetæ illi testimonium perhibent, quia omnes per nomen ejus remissionem peccatorum accipiunt, qui credunt in eum. »

CAP. XLIX. *Quod baptizavit Cornelium, et eos, qui cum eo erant.*

« Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus, et descendit repente super omnes qui audiebant verbum (*Act.* x). » Utrum autem in igneis linguis, vel in alia specie visibili, descenderit incertum est. « Et obstupuerunt, qui erant cum Petro fideles de circumcisione, quia etiam in nationes, » id est in gentiles, « gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebant enim eos loquentes linguis, et magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus : Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos? » quod majus est quam baptizari. « Et jussit eos baptizari in nomine Christi, » subticens formam baptismi a Domino traditam pro dilatatione nominis Christi. In quo nomine intelligitur ipse, qui unctus est, et Pater, a quo unctus, et Spiritus sanctus, quo unctus est. « Tunc rogaverunt eum. Et mansit rogatus cum eis aliquot diebus, » in quibus primo creditur usus fuisse cibis gentium, unde postea redargutus est. Dilatatumque est ubique, et delatum usque ad « fratres, qui erant in Judæa, quia gentes receperant verbum Dei (*Act.* xi). » Et hic fuit primus transitus particularis apostolorum ad gentes, in quo conversus est Cornelius cum familia sua.

CAP. L. *Quomodo redargutus est Petrus a Christianis.*

« Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant adversus eum fideles de circumcisione, dicentes : Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum illis? (*Act.* xi) » Quasi dicerent : In duobus contra legem fecisti, quia intrasti ad eos, et quia cibis eorum cousus es. Tunc « incipiens Petrus, exposuit eis per ordinem, » ostensam a Deo sibi visionem, et quomodo apparuerat angelus Cornelio. Et in tota prosecutione non addidit, nisi unum verbum, quod dictum est Cornelio : « Mitte, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, » ubi addidit « qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu, et universa domus tua. » Et ex eo quod statim subdidit, « cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut et super nos ab initio, » præsumitur quod super Cornelium et familiam suam, descenderit Spiritus sanctus in linguis igneis, sicut descenderat super apostolos die Pentecostes. Et tunc, inquit, « Recordatus sum verbi Domini, quod nobis dixit : Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sanctos (*Joan.* i). » videns hoc impletum in Cornelio, et in familia sua. Audita Petri excusatione multiplici, destiterunt ab increpatione ejus, et gratias egerunt Salvatori, et ita impleta est prophetia Job : « Ab aquilone veniet aurum, et ad Deum formidolosa laudatio (*Job* xxvii). » Id est pro congelatione infidelitatis gentiles, comparabiles aquiloni, qui in tenebris erant, id est in cæcitate animi, percipient lucem fidei, pro quarum illumina-

Digitized by Google

tione dirigitur ad Deum formidolosa laudatio, quia pro inopinata et repentina gentium conversione, fideles de Judæa timentes, « glorificaverunt Deum. »

CAP. LI. *De continuatione historiæ.*

Nunc redit historia ad ordinem suum. Quod enim intersertum est de Philippo, Petro, et Joanne, et Paulo postquam supradictum est, igitur qui dispersi erant pertransibant evangelizantes verbum Dei, quasi incidens fuit. Prosequitur ergo in hunc modum : « Et illi qui dispersi erant a tribulatione, quæ fuerat a morte Stephani, perambulaverunt usque ad Phœnicen (*Act.* xi), » provinciam Syriæ occidentalem, « et Cyprum nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis. Erant autem quidam cum eis de Cypro, et Cyrene. Qui cum introissent Antiochiam loquebantur ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum, et erat manus Domini cum eis. Et multus numerus credentium conversus est ad Dominum. » Super hunc locum dicit Beda, quia post revelationem sindonis cœpit Ecclesia crescere. Unde conjicitur quod speciem sindonis, vel linthei, vidit Petrus in visione, cum alibi dicatur vas fuisse, alibi discus. Delatum est autem « ad aures Ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis » de conversione Antiochenorum, et volentes plene certificari, « miserunt Barnabam in Antiochiam. Qui cum venisset et videret gratiam Domini, gavisus est et exhortatus est omnes, ut in proposito cordis manerent in Domino, quia erat vir bonus, plenus Spiritu sancto, et fide. » Et dicit super hunc locum Rabanus, Barnabam ideo multipliciter commendatum, ne putetur pro indignatione sua amisisse apostolatum. Et erat Rabanus in ea opinione, secundum quam dicitur Barnabas, ille super quem projecta est sors cum Matthia, postea tamen cum Paulo in apostolatum electus est. Nos aliam sequimur opinionem. Videns autem Barnabas, quod non sufficeret ad erudiendam tantam multitudinem, « venit Tarsum, ut quæreret Saulum, et inventum perduxit Antiochiam, et per annum conversati sunt ibi, et docuerunt turbam multam. » Et tunc primo sequaces Christianæ religionis, a Christo capite, denominati sunt Christiani, qui prius dicebantur discipuli, et fuit institutio gentilium satis elegans. Visum est enim incongruum, et indecens gentilibus ad fidem conversis, sequaces Christianæ religionis communi nomine censeri. Sed potius denominandos esse a nomine Magistri, sicut in sectis philosophorum sequaces denominabantur a nominibus magistrorum, ut ab Epicuro epicuri. « In his autem diebus supervenerunt prophetæ ab Hierosolymis Antiochiam. Et surgens ex eis unus, nomine Agabus, prophetavit per Spiritum sanctum, famem futuram in universo orbe terrarum, » et maxime in Judæa, « quæ facta est sub Claudio, » scilicet quarto anno Claudii.

CAP. LII. *De collecta pauperibus facta.*

Tunc proposuerunt discipuli, facere collectam (*Act.* xi), ut daret unusquisque pro modulo suæ facultatis, et mitterent aliquid pauperibus, qui erant in Hierusalem, qui venditis omnibus posuerant pretia ad pedes apostolorum, ut præmunirent eos contra famem. Et tunc primum facta est collecta in usus pauperum, quæ missa est per Barnabam et Paulum in Hierusalem.

CAP. LIII. *De morte Jacobi Majoris.*

« Eo tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio (*Act.* xii). » Ut autem intelligatur locus iste, de quo scilicet Herode sit accipiendum, expedit ad tempus prætermittere historiam Actuum apostolorum, et prosequi historiam Romanorum imperatorum. Non est putandum hunc fuisse Herodem tetrarcham, qui cognominatus est Antipas, sed Herodem Agrippam. Ille enim non fuit rex, sed tetrarcha, ille scilicet filius Magni Herodis, qui consensit Pilato de nece Domini, qui remisit eum ad Pilatum indutum veste alba, qui jam deportatus fuerat in exsilium Viennam, et ibi mortuus est. Pilatus ergo mortuus jam erat, qui, ut a principio hujus historiæ prætaxatum est, anno 19 imperii Tiberii Cæsaris erat procurator Judææ, Vitellio præside Syriæ, et accusatus est in multis apud Tiberium. Accusatus est a Judæis de violenta innocentum interfectione. Accusatus est etiam, quod Judæis reclamantibus, ponebat imagines gentilium in templo. (73) Accusatus est etiam, quia pecuniam repositam in corbonam redegerat in usus suos, inde faciens aquæductum in domum suam. Et pro his omnibus deportatus est in exsilium Lugdunæ, unde oriundus erat, ut ibi in opprobrium generis sui moreretur. Vide quia *musac* erat arca, in qua reponebantur donaria regum vel principum ; corbona, in qua reponebantur donaria sacerdotum ad reficienda sarta tecta templi ; Gazophylacium, in quo reponebantur donaria transeuntium.

CAP. LIV. *Quis fuerit substitutus procurator mortuo Pilato.*

(74) Mortuo Pilato substituit Vitellius fratrem suum procuratorem Judææ. Et volens placere Judæis, satisfecit voluntati eorum in quibusdam. Scilicet de amotione Caiphæ, et promotione filii Annæ, quia ad petitionem eorum amovit Caipham a sacerdotio, et substituit filium Annæ, qui jam mortuus erat, reddiditque ei stolam, scilicet illam solemnem, et antiquam, quam debebat habere sacerdos in potestate sua, ut ea uteretur in festivis diebus. Pilatus vero transtulerat eam in domum suam, et cum in festivis diebus necessaria erat sacerdoti, non poterat eam habere, nisi pretio præcedente. Tempore Tiberii mortuus est Philippus tetrarcha Iturææ, et Traconitidis regionis, frater Herodis tetrarchæ Abilinæ. Et ita vacabant duæ tetrarchiæ, et aspirabat Herodes Agrippa ad alteram earum.

(73) Ex historiis Josephi, et aliis.

(74) Incidentia sunt et de historiis sumpta.

Digitized by Google

CAP. LV. *De proposito Herodis Agrippæ.*

(75) Erat autem Herodes Agrippa vir magnanimus, et bellicosus, sed pauperrimus, nepos Herodis tetrarchæ, et frater uxoris ejus Herodiadis. Fuit enim filius Aristobuli filii Magni Herodis, et ipsa filia ejusdem. Disposuit ergo venire Romam, si forte posset impetrare a Tiberio alteram tetrarchiam vacantium. Cumque venisset Romam, videns eum Tiberius militem strenuissimum retinuit eum secum, fecitque adhærere filio suo Druso, cui jam in vita sua condiderat imperium. Nec est iste Drusus ille, qui dormit Moguntiæ. Erat autem Herodes Agrippa vir magnæ liberalitatis, et ut sibi conciliaret animos Romanorum multa expendebat, et multis debitis se obligaverat, et, ut tradit Josephus, non fuit homo, in quo mutabilitas fortunæ adeo posset deprehendi. Primo in hoc male ei contigit, quia mortuus est Drusus filius Tiberii, de cujus morte adeo inconsolabiliter doluit Tiberius, ut omnes a præsentia sua amoveret, qui familiariter adhæserant Druso, ne reducerent ei ad memoriam mortem ejus. Et compulsus est Herodes Agrippa redire in Judæam, et desperans præ nimia paupertate, intravit turrim, ut ibi afficeret se fame, et ita moreretur. Quod significavit uxor sua, sorori ejus Herodiadi, uxori Herodis tetrarchæ, quæ supplicavit viro suo, ut revocaret eum a turri, et daret ei necessaria. Et acquievit ei, et statuit eum in Tiberiade, et ibi assignavit ei domum, et dedit ei necessaria vitæ. Et quadam die cum esset Herodes tetrarcha in Tiberiade, et epularetur, factus hilarior solito, quia incaluerat mero, cœpit improperare Herodi Agrippæ, qui epulabatur cum eo, beneficia, quæ contulerat ei, scilicet quod liberaverat eum a peste famis. Et doluit inde Agrippa ultra modum, et disposuit iterum redire ad Tiberium, si forte inveniret animum ejus immutatum. Et in reditu ejus invenit eum Petronius, vel Tiberius, et honorifice receptus est ab eo, et venit cum eo Romam. Et cum haberet Tiberius duos nepotes, alterum de filio Druso, id est Tiberium et alterum de fratre Germanico, scilicet Gaium, volebat sibi substituere filium filii, quia magis diligebat eum.

CAP. LVI. *De causa invidiæ Tiberii, et Herodis Agrippæ.*

Herodes autem Agrippa magis diligebat Gaium, et familiarius adhærebat ei, unde sibi suscitavit indignationem Tiberii latentem, quam nondum ei indicabat, sed latens odium in corde reservabat. Quadam autem die cum sederet Agrippa in curru suo cum Gaio, levatis manibus in cœlum dicebat: Utinam viderem mortem importuni senis, et te dominum totius orbis, qui idoneus es imperare universo orbi! Hoc audivit quispiam, scilicet auriga ipsius Agrippæ, qui post aliquot dies cum damno rerum Agrippæ aufugiens, captus est et vinculatus. Et dum traheretur ad carcerem, petiit duci ad imperatorem, dicens quia in aure loqueretur ei, quod esset ad ejus utilitatem. Et præsentatus est imperatori, et dixit ei consulto, quia sic optaverat Agrippa mortem ejus, et dominium Gaii. Tiberius autem non multum curabat verba vinculatorum et detrusus est ille in carcerem. Et cum sæpe instaret Agrippa, ut judicaretur et occideretur, respondit Tiberius: Frater sufficit tibi, quod vinculatus est, et ita differebat. Quia, ut refert Josephus, in omnibus negotiis suis morosus erat. Unde cum statueret procuratores in provinciis, vix aut nunquam mutabat eos. Et cum sæpius quæsitum esset ab eo quare scilicet non mutaret procuratores, respondit se in hoc parcere plebeculæ. Scientes enim procuratores se ad modicum habere procurationem, emungunt usque ad sanguinem et tanto dominantur gravius, quanto brevius, et qui recentes superveniunt, dissipant quidquid inveniunt. Quod ostendit eis exemplo cujusdam vulnerati, qui cum jaceret in via, et non amoveret multitudinem muscarum a vulnere superveniens alter putavit, quod hoc omitteret ex imbecillitate, et abegit muscas, quæ operuerant vulnus. Ad quem ille: Male fecisti mihi, quia muscæ, quas amovisti jam plenæ erant sanguine, et parcius molestabant me; quæ autem recentes supervenient, acrius pungent me. Sic et procuratores, vel officiales recenter substituti acrius desæviunt in subditos.

CAP. LVII. *In quo Herodes offendit Tiberium.*

Cum quadam die, more solito incitaret Agrippa Tiberium, ut traheretur auriga ejus de carcere, respondit Tiberius, id ipsum ei non expedire, cum in præsentia ipsius vellet eum vinculatus accusare. Et cum in nullo sibi conscius esset Agrippa, testatus est se velle, ut extraheretur, et accusaret eum. Eductus ille de carcere arguit eum de crimine læsæ majestatis, quia oraverat mortem imperatoris. Tunc ait Tiberius carcerario: Liga hunc. Intellexit carcerarius hoc præceptum esse de eo, qui eductus fuerat, et ligatum retrusit in carcerem. Quadam autem die cum deambularet Tiberius in hippodromo, id est in circo equorum, et teneret Agrippam per manum, vocato carcerario dixit ei: Liga hunc. Et miratus est iste, et universi, quod præciperet Agrippam ligari, cum purpuratus incederet, et quia erat de regio semine. Cum autem duceretur Agrippa ad carcerem, patiebatur sitim intolerabilem, quia splendide comederat, et forte occurrit ei portitor aquæ, et dedit ei bibere. Et postquam refocillatus est, promisit ei quod in proximo remuneraret eum in regno Gaii, confidens quod in proximo Gaius esset regnaturus, et positus est in carcere. Et dum quadam die in carcere manens staret innixus arbori, cujus frondibus insidebat bubo, accessit ad eum unus de concaptivis, et locutus est ei: Noli, inquit, æstimare quod adulando loquar tibi, cum sis concaptivus meus. Volo enim indicare tibi, quod indicaverunt mihi dii. Erat autem peritus in auguriis. Cito, inquit, liberaberis a carcere, et in tan-

(75) Incidentia sunt, non de textu Bibliorum.

Digitized by Google

tum sublimaberis, ut etiam invideant tibi omnes amici tui et noti, et in hac prosperitate morieris, relinquens bona tua filiis tuis. Quam cito autem hujus generis alitem videris amplius super te, scio quia quinta die morieris.

CAP. LVIII. *Quomodo liberatus est Herodes in morte Tiberii.*

Cum autem esset Herodes in carcere, deferebat ei honorem dominus carceris, sciens eum esse virum nobilem, et familiarem Gaii, et sustinebat, tanquam ignorans, multas commoditates sibi fieri in carcere ab amicis suis, et fuit in carcere per sex menses. Postea cum esset Tiberius apud Campas, cœpit infirmari infirmitate qua postea mortuus est. Etsi in Chronicis alibi legatur mortuus, non est curandum ubi mortuus sit. Videns autem se moriturum, convocatis nobilibus imperii sui et duobus nepotibus Gaio et Tiberio, statuit, ut in crastino substitueret sibi successorem. Sed prius voluit consulere mentem deorum, et oravit deos suos, ut intimarent ei, quem nepotum suorum vellent ei substitui in imperio, Et statuit apud se, ut illum qui prius veniret ad eum in crastino, constitueret imperatorem, ut ita quasi per sortem eligeret, et tamen significavit Tiberio, ut prior veniret. Qui mane noluit venire nisi pransus. Et cum mitteret Tiberius nuntios ad nepotes suos, non invenerunt nisi Gaium. Et venit Gaius prior ad Tiberium. Quem videns Tiberius, flevit amare, dolens quia alter non venerat, quem volebat substituere, quia tenerius eum diligebat, sed dissimulabat. Et locutus est ad eum Tiberius: Fili, tu succedes mihi in imperio; quod patius debebatur Tiberio, quasi jure hæreditario, tanquam filio filii. Sed ego video te utilem imperio, et novi mentes deorum. Cave ergo ne molestes eum, sed semper habeas eum tanquam fratrem. Satage, ut negotia imperii sapienter disponas, et exsequias funeris mei imperiali honore perficias. Et, convocatis nobilibus, denuntiavit eum imperatorem et mortuus est. Et statim aliquantulum insonuit fama in civitate Romana de morte Tiberii, et venit quidam Hebræus amicus Herodis Agrippæ ad carcerem, et Hebraice dixit ei: Mortuus est leo.

Et cœpit Agrippa mirabiliter gratulari, adeo ut quæreret ab eo dominus carceris, quæ esset causa tantæ exsultationis. Et confessus est, quia ille significaverat ei Hebraice mortem Tiberii. Et statim dominus carceris liberavit eum, et statuit sibi collateralem in mensa. In crastino insonuerunt alii rumores, scilicet quod Tiberius convaluerat, et tertia die Romam venturus erat. Tunc arguit eum dominus carceris, quia deceperat eum, timens, ne in caput ejus redundaret, quod liberavit eum, et mirabiliter verberavit eum, et retrusit eum in carcerem. Postea increbuerunt certi rumores de morte Tiberii, et substitutione Gaii. Et venit Gaius Romam, et sepelivit Tiberium honorifice, et ipsa die voluit liberare Agrippam, sed dissuasum est ei, ne videretur facta Tiberii subito in irritum velle revocare. Postea per aliquot dies liberavit eum, et sublimavit eum, et dedit ei duas tetrarchias, scilicet tetrarchiam Philippi, qui erat tetrarcha Iturææ, et Traconitidis regionis, et tetrarchiam Abilinæ, et imposuit ei diadema, et sublimatum in regem remisit in Judæam, et inviderunt ei omnes propinqui ejus, etiam soror ejus Herodias, quæ miserata fuit infelici, modo invidit felici, præcipue quia habebat nomen regis, quia vir suus erat major natu filius, Magni Herodis, et nunquam meruit rex appellari, sed tetrarcha. Persuadebat itaque viro suo de die in diem, ut iret Romam et satageret omnibus modis, ut sibi compararet nomen regis. At ille malebat esse in otio, quia opulentus erat, unde sæpe uxor exasperata dicebat: Pereant opes tuæ, quia magis diligis opes quam honores. Tandem victus instantia uxoris ivit ad Gaium cum magno apparatu, et ipsa cum eo, et invenerunt Gaium Bais. Herodes autem Agrippa, qui præsens erat, quod non pro bono suo issent, disposuit ire post eos, sed præmisit nuntium quemdam familiarem suum, et amicissimum Gaio, per quem direxit epistolam Gaio, in qua continebatur, quia Herodes tetrarcha etiam vivente Tiberio firmaverat amicitiam cum rege Parthorum, ut esset rebellis Romano imperio, et in argumentum hujus rei significavit ei, quia in civitatibus suis habebat arma, quæ sufficerent septuaginta millibus armatorum.

CAP. LIX. *Quod Gaius mandavit statuam suam erigi in Templo.*

(76) Cumque venisset Herodes tetrarcha, et Herodias uxor sua ad Gaium, et satis honorifice accepisset eos, supervenit nuntius Herodis Agrippæ, et porrexit epistolam Gaio ex parte Herodis Agrippæ. Perlecta epistola, Gaius quasi aliunde recipiens, cœpit inquirere de statu Herodis tetrarchæ, et inter cætera quæsivit ab eo, utrum in civitatibus suis tanta copia esset armorum, quantam ipse audierat, et non negavit. Et tunc credens Gaius, verum esse, quod significaverat ei Herodes Agrippa, relegavit eum in exsilium, uxori autem suæ, quia erat soror Herodis Agrippæ, quem maxime diligebat, dedit libertatem redeundi, ut haberet terram suam. Ipsa autem comitata est virum in exsilium dicens, quia non dimitteret eum in adversis, cui communicaverat in prosperis, et deportati sunt in exsilium Lugdunum, ubi postea miserabiliter mortui sunt. Et dedit Gaius Galilæam, quam habuerat Herodes tetrarcha Herodi Agrippæ, et ita habuit tres tetrarchias. Fuit autem Gaius in initio imperii sui per biennium satis mansuetus, postea evanuit cor ejus in elationem, et in tantam prorupit vesaniam, ut ab universis hominibus imperii sui vellet coli tanquam deus, et dicebat se fratrem esse Jovis.

(76) Incidentia sunt, et non de Bibliis.

Digitized by Google

Unde etiam filiam unicam quam habuit ponebat inter genua Jovis, ut ita quasi communis utrique videretur, postquam egressa fuerat de genibus Jovis. Misit ergo imaginem suam per universum imperium suum, ut omnes adorarent eum, et sic fecerunt, omnes, exceptis Judæis. Unde cum in Alexandria civitate orta esset seditio inter Judæos et gentiles, et venisset utraque pars ante Gaium, ut discuteretur controversia, inter cæteras allegationes, quas habuerunt gentiles contra Judæos, objecerunt eis, quod deum suum, quem communiter omnes gentiles receperant, ipsi inhonorabant; quia imaginem Gaii nolebant adorare. Et tunc primo scivit Gaius, quia Judæi non adorabant imaginem suam. Significavit autem Petronio præsidi Syriæ, ut statuam suam poneret in templo in Hierusalem, ut facilius reciperent eam in circumstantibus civitatibus. Quod si forte Judæi reclamarent, collectis Romanis legionibus, intraret Judæam, et nemini parceret manus ejus. Collecto ergo exercitu, intravit Petronius Judæam, et venerunt ad eum Judæi de Hierusalem cum amicis Herodis Agrippæ, qui erant præcordiales Gaio, et supplicaverunt ei, ne ad hoc eos arctaret, quia prius permitterent se occidi, et parabant jugulos, et dicebant, quia nunquam amplius colerent terram, ut sic inedia affecti morerentur. Et respondit Petronius, non de consilio suo hoc processisse, sed non audebat resistere mandato imperatoris. Videns tamen quia gravem jacturam incurreret Gaius, si amitteret tributa totius Judææ, promisit, quia opponeret se Gaio pro eis, et misit epistolam suam Gaio per viros honoratos, ut desisteret ab hoc mandato. Qui cum venissent ad Gaium, non ausi sunt præsentare se conspectui ejus, sed accesserunt ad Herodem Agrippam, ut subveniret Judæis, quia una de tetrarchiis suis, scilicet Galilæa, in Judæa erat.

Cap. LX. *De morte Gaii imperatoris.*

Tunc Herodes invitavit Gaium in crastino, ut comederet cum eo. Et cum in crastino esset in convivio admiratus est delicias convivii. Et cœpit memorare Gaius, quanta fuerat passus pro eo Herodes, scilicet vincula Tiberii, et alia multa, et præcepit ei, ut peteret quidquid vellet. At ille respondit ei, sufficere sibi gratiam suam. Et cum ille instaret, ut aliquid peteret, petiit ne poneret statuam suam in templo, in Hierusalem. Et iratus est Gaius, tamen consideravit animositatem Agrippæ, quia noluerat petere opes, vel honores, acquievit ei, et scripsit Petronio in hunc modum : « Si nondum posita est statua in templo, non est necesse ut ponatur. » Et sic non est posita ejus statua in templo. Postea resipiscens Gaius, rescripsit Petronio in hunc modum : « Quia contempsisti mandatum imperatoris, et potius dilexisti munera Judæorum, elige tibi genus mortis, quod vis, ut discant omnes, non esse tutum obviare mandato imperatoris. » Sed Deo procurante, ita factum est, ut prius audiret famam mortis ejus, quam videret nuntios hujus legationis. A Cum enim esset Romæ, et rediret a ludis circensibus, consilio senatorum, interfectus est a duobus, et orta est in civitate dissensio, inter curiam, et milites, et populum. Curia dicebantur senatores et viri consulares, id est qui de genere consulum, vel digni, ut fierent consules. Quia ergo viderant senatores sævitiam imperatoris, et incommoda, quæ inde contingerant reipublicæ, voluerunt penitus exstirpare imperium imperatoris ab Urbe, et voluerunt eam redigere ad antiquum statum, in quo erat ante Julium Cæsarem, ut esset regimen civitatis in arbitrio consulum et senatorum. Econtra milites et populi, timentes avaritiam senatorum, et amantes donativa imperatorum, constituerunt imperatorem Claudium avunculum Gaii virum mansuetum et pium. B

Cap. LXI. *De eodem.*

Tunc venit Herodes Agrippa ad senatores, ducens secum de nobilioribus, qui erant in curia, simulans se favere parti eorum, cum haberet eos exosos, propter mortem Gaii. Consuluit ergo eis, ut significarent Claudio, ne moveret schisma in civitate, sed desisteret ab hoc incepto. Et senatores rogaverunt Herodem, ut pergeret cum eis ad Claudium. Et professus est se libenter fungi hac legatione. Et missus est ad Claudium cum aliis. Et eis audientibus, dixit ei quod dixerat coram senatoribus, quod vellet Claudius desistere ab incepto. In aure autem dixit Claudio, ut non desisteret ab incepto, quia ipse satageret, ut major pars nobilium faveret parti ejus, et renuntiavit senatoribus, quod nollet Claudius desistere ab incepto, et cœpit eis persuadere, ne contra irent, quia non possent impedire. Et allexit quosdam, et tandem omnes, et ita sine contradictione factus est Claudius imperator. Et ad persuasionem Herodis Agrippæ, omnes occisi sunt, qui consenserant in mortem Gaii. Et petiit ab eo Herodes Agrippa, ut decretum Gaii do statua sua adoranda revocaret in irritum, quia impium erat. Et acquievit ei, et præcepit ei, ut epistolæ revocationis per singulas civitates Judææ ponerentur in loco eminenti, ut viderentur ab omnibus C

Cap. LXII. *Quomodo occiso Jacobo, voluit apprehendere Petrum.*

Postea voluit Herodes accipere licentiam a Claudio, et redire ad propria, et tunc Claudius dedit ei quartam tetrarchiam, scilicet Judæam, et ita sublimatus rediit ad propria. Et venit primo in Judæam, et honorifice susceptus est a Judæis, quia in multis juverat eos. Et cum prope essent dies Azymorum, venit in Jerusalem ante diem festum, ut purificaretur, et mundus interesset diei festo (*Act.* XII). Et ante dies Azymorum occidit Jacobum, fratrem Joannis; postea in diebus Azymorum, « videns quia placeret Judæis, apposuit, ut apprehenderet et Petrum. » De Jacobo autem refert Clemens Alexandrinus, quia cum detrusus esset in carcere, nocte convertit ad fidem custodem suum, et in D

Digitized by Google

crastino confessus est se esse Christianum. Et cum ambo traherentur ad martyrium dixit Jacobo: Pater da mihi remissionem. At ille parum deliberans ait: Pax tibi. Et osculatus est eum, et simul ambo capite truncati sunt. Petrum autem apprehensum misit Herodes in carcerem, quia in diebus Azymorum non licebat aliquem occidere, et præter custodes carceris, « tradidit eum custodiendum quatuor quaternionibus militum volens post Pascha producere eum populo, » ut ipse populus occideret eum, non ipse Herodes, ut Jacobum, quia magis videbatur eis gloriosum, si ipsi occiderent eum, quia erat Princeps apostolorum.

CAP. LXIII. *Quomodo liberatus est Petrus de manu Herodis.*

« Cum autem in crastino producturus eum esset Herodes populo, ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus (*Act.* XII), » quæ adhuc Romæ esse dicuntur, « et custodes jacentes ante ostium, custodiebant carcerem. Et ecce angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo carceris, » et miraculose factum est ut solus Petrus videret lumen, « percussoque latere Petri excitavit eum dicens: Surge velociter. Et statim ceciderunt catenæ duæ de manibus ejus. Et dixit Angelus ad eum: Præcingere, et calcea te caligis tuis. » Deposuerat enim cingulum propter molestiam carceris, ut tunica circa pede demissa temperaret frigus noctis. In quo datum est exemplum sanctis viris, quod in angustiis licet aliquid relaxare de rigore ordinis. Legimus enim apostolos, et prophetas duris cingulis usos, propter afflictionem carnis, et Petrum ad tempus deposuisse cingulum pro molestia carceris. Et fecit Petrus juxta mandatum angeli, et addidit angelus: « Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me. Et exiens, sequebatur eum, et nesciebat, quia verum est, quod fiebat per angelum, » id est non putabat hoc in rei veritate fieri, sed imaginaria visione ostendi. Unde sequitur: « Existimabat visum videre, » et hoc sibi ostensum imaginaria visione. « Transeuntes autem primam custodiam, » id est custodes carceris custodiæ deputatos, « et secundam, » id est duos quaterniones. Vel primam custodiam, id est primum quaternionem cum suis, « venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, » quæ putatur fuisse in atrio carceris. Carcer enim habebat atrium et erat in exteriori parte civitatis, sive extra civitatem, « et ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt in vicum unum, et continuo discessit angelus ab eo, » ut sciret se in rei veritate de carcere eductum, qui putabat sibi hoc imaginarie ostensum, « Et tunc ad se reversus, » id est ad mentem suam, quia fuerat in maximo stupore, « dixit: Nunc scio vere, quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum. Et considerans ubi esset, venit ad domum Mariæ, matris Joannis, qui cognominabatur Marcus, » non evangelista, « ubi erant multi congregati causa orationis, ut orarent pro Petro. Et cum pulsaret Petrus ad januam, egressa est puella ad videndum nomine Rhode. Et ut cognovit vocem Petri præ gaudio, non aperuit januam, sed recurrens nuntiavit, Petrum stare ad januam. Et dixerunt illam insanire, » scientes Petrum incarceratum esse. « Illa autem affirmabat, rem se sic habere. Alii autem ex eis dicebant: Angelus Petri est. » Super quem locum dicit Hieronymus: Tantam dignitatem esse animarum, ut unaquæque ab ortu nativitatis suæ habeat angelum sibi in custodiam deputatum. « Petrus autem perseveranter pulsabat. Et cum aperuissent, viderunt eum, et obstupuerunt. Et innuit eis manu, ut tacerent, » ut sub silentio miraculum viderent, vel audirent. Vel forte ideo, ne clamore gaudentium adventus ejus in civitatem propalaretur. « Et narravit, quomodo eduxit eum Dominus de carcere, et ait: Nuntiate hoc Jacobo, et fratribus, » scilicet Jacobo Alphæi episcopo Hierosolymorum, quia alter jam fuerat decollatus ab Herode. « Et egressus eadem illa nocte abiit in alium locum, timore Herodis et Judæorum. »

CAP. LXIV. *De morte Herodis.*

Crastina autem die post eductionem Petri de carcere, « erat non parva perturbatio inter milites, et custodes quidnam esset factum de Petro (*Act.* XII). » Unde apparet, quia clausum reliquerat carcerem, alioquin non esse ambiguum, eum evasisse. « Herodes autem cum requisisset eum, et non invenisset, » diligenter inquirens de custodibus utrum nossent quidnam factum esset de eo, « jussit eos adduci ad se, » ut vindicaret in eos; non tamen vindicavit, Domino procurante, ut solutio Petri nulli noceret. Imminente enim negotio, Herodes descendit a Judæa in Cæsaream Palestinæ propinquam Tyro, et Sidoni, ut noceret Tyriis, et Sidoniis, quibus iratus erat. Quod audientes Tyrii et Sidonii, venerunt ad Blastum, qui erat cubicularius Herodis, et custos thesaurorum ejus, quia erat amicus eorum et patronus, et eo interprete reconciliati sunt Herodi. Non enim poterant sustinere inimicitias regis tam vicini. « Sequenti autem die Herodes vestitus veste regali, sedebat pro tribunali apud eos, et concionabatur ad eos, blandiens eis. Populus autem acclamabat dei voces, et non hominis, » id est exhibebant ei laudes Deo debitas, et non homini. Et dum adulatoriis favoribus demulceretur, et oblatos sibi divinos honores non respueret, respiciens supra se, vidit imminentem et insistentem capiti suo in funiculo angelum, id est bubonem, mortis ejus proximæ nuntium, et tunc, ut tradit Josephus, inclinavit se ad eos, qui sibi applaudebant, et dixit eis: Ecce ego deus vester morior. Sciebat enim juxta quod dixerat ei augur, cum traheretur ad carcerem, se infra quinque dies post visionem bubonis moriturum. « Et confestim, » ut habetur in historia, « percussit eum angelus Domini, » id est facta est super eum vindicta Dei; quia per quinque dies ventris dolore cruciatus est, et corrodebant vermes viscera

Digitized by Google

ejus, et ita paulatim « consumptus a vermibus ex- A spiravit. »

CAP. LXV. *De Agrippa.*

Reliquit autem filium, qui dictus est Agrippa, non cognominatus Herodes, qui adhuc Romæ erat, nec habuit totum regnum patris, sed partem. Habuit autem terram duarum tribuum, et dimidiæ ultra Jordanem. Unde legitur, quia fidelos in Judæa imminente eversione Hierusalem, ad admonitionem angeli secesserunt in regnum Agrippæ istius, scilicet filii Herodis Agrippæ.

CAP. LXVI. *Reditus historiæ ad ordinem suum.*

Et tunc redit historia ad ordinem suum, et continuatur ei, quod supradictum est, collectam factam a fidelibus Antiochiæ, missam pauperibus in Jerusalem per Barnabam, et Saulum (*Act.* XI) ; quod B enim intersertum est de Herode, de morte Jacobi, de incarceratione, et liberatione Petri, quasi incidens fuit. Prosequitur ergo de reditu Barnabæ, et Hierosolymis historia in hunc modum. « Verbum Domini crescebat, et multiplicabatur. Barnabas autem, et Saulus reversi sunt ab Hierosolymis assumpto secum Joanne, qui cognominabatur Marcus (*Act.* XII), » post expletum ministerium. « Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, » præter eos, qui venerant ab Hierosolymis « prophetæ, et doctores, inter quos erat Simon, qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus (*Act.* XIII), » id est eodem cum illo lacte nutritus. Et possunt iidem C accipi prophetæ doctores. Vel potest ita distingui : prophetæ de futuris, et doctores de præteritis. Et vide quia iste Simon dictus est de colore Niger si sit Latinum vocabulum ; vel si est Hebræum, dictum est Niger, quasi ascendens de virtute ad virtutem. Niger est Hebræum, et interpretatur *ascendens*. « Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit eis Spiritus sanctus : Segregate mihi Barnabam et Paulum in opus ad quod assumpsi eos. » Qui audito consilio Spiritus sancti remiserunt Saulum, et Barnabam in Hierusalem ad Petrum, et Jacobum, et Joannem, qui erant ibi. Qui gavisi sunt audito mandato Domini vel Spiritus sancti, « et jejunantes, et orantes imposuerunt eis manus, » in modum ordinandorum. Utrum autem D præter impositionem manuum aliam ordinis solemnitatem circa eos celebraverunt, incertum est. Nec de ordine apostolorum aliquid legitur, vel quod Dominus eis imposuerit manus. De Petro tamen certum habetur quod Antiochiæ missam celebraverit. Sed potuit apostolis pro ordinatione sufficere, quod dictum est eis a Domino. « Hoc facite in meam commemorationem. » Et licet non interfuerit Barnabas, et Paulus, tamen quia postea electi sunt ad apostolatum consilio Spiritus sancti, forsan in hoc cum aliis fuerunt privilegiati, nec alia solemnitas ordinationis circa eos celebrata est. Multi in primitiva Ecclesia sine hac solemnitate ordinationis ad sacerdotium promoti sunt, et multi laici sine diaconio, et præcedentibus ordinibus sacerdotes facti sunt. « Et imponentes eis manus dimiserunt eos. Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto, » eodem duce itineris, qui separaverat eos a cæteris, « abierunt Seleuciam, et inde navigaverunt Cyprum. Et cum venissent Salaminam prædicabant verbum Dei in synagogis Judæorum, » propter reverentiam, sive duritiam eorum, et « habebant secum in ministerio » prædicationis « Joannem, » qui cognominabatur Marcus.

CAP. LXVII. *Quod Paulus et Barnabas converterunt Sergium proconsulem.*

« Et cum perambulassent universam insulam Cyprum, scilicet usque Paphum, invenerunt quemdam virum magum pseudoprophetam Judæum, cui nomen erat Barjesu, qui erat cum Sergio Paulo viro prudente (*Act.* XIII), » qui erat homo magnæ dignitatis. Erat enim proconsul, id est secundus a consule. « Hic accersitis Barnaba et Paulo desiderabat audire verbum Dei; tamen resistebat eis Elymas magus. » Et vide quia alterum est interpretatio alterius. Elymas enim interpretatur *magus*, et sic nomen commune maleficorum appropriatum est isti. « Saulus autem, qui et Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens eum, dixit : O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. » Nota, quod dictum est, « Saulus, qui et Paulus. » Tradunt enim sancti quod a Sergio Paulo ad fidem converso, dictus est Paulus. Unde hic primo fit mentio de nomine Paulus. Solus Origenes dicit, quia semper fuerit binominis, dictus scilicet Saulus, et Paulus. Vel in apostolatus acceptione, primo sortitus est hoc nomen, ut qui primo a Saule persecutore dicebatur Saulus de superbo factus humilis, pro Saulo dictus est Paulus, quasi modicus et humilis. Unde quasi nomen suum interpretando, dicit se minimum apostolorum. Videtur autem tertio decimo anno a passione Domini promotus ad apostolatum cum Barnaba, et sortitus Pauli vocabulum, et decimo quarto profectus est ad magisterium gentium. Cui satis Ecclesiastica historia concordat, ubi legitur præceptum apostolis esse, ut post passionem per duodecim annos prædicarent in Judæa. Decimo autem tertio anno, cœperunt paulatim transire ad gentes, nondum tamen ex toto ; postea omnino exierunt de finibus Judææ. « Et nunc, inquit, ecce manus Domini super te, » id est vindicta Dei exercebitur in te. « Eris enim cæcus » lumine capitis, sicut cæcus es lumine mentis, « non videns ad tempus solem » materialem, quia non vides solem justitiæ per fidem. « Et confestim cecidit in eum caligo, et tenebræ, et cæcutiens, » id est in modum cæci in circumitu se vertens, « quærebat qui manum ei daret, » ut duceret eum. « Et statim proconsul, viso miraculo, credidit, admirans super doctrina Domini. »

CAP. LXVIII. *De discessu Joannis ab eis.*

« Cum autem a Papho navigasset Paulus, et Bar-

Digitized by Google

nabas cum eo, venerunt Pergen civitatem Pamphiliæ, et tunc Joannes discedens ab eis reversus est Hierosolymam (*Act.* XIII), » unde venerat cum eis. Et forte reprehensibilis fuit causa quare discessit ab eis, et hæc fuit causa dissidii inter Paulum et Barnabam, de qua habebis inferius. Paulus vero et Barnabas « venerunt Antiochiam Pisidiæ, » quod additum est ad differentiam alterius Antiochiæ, quæ dicitur Antiochia Syriæ, quæ olim dicebatur Reblatha, quam nos adhuc vocamus Antiochiam. « Et ingresi synagogam die Sabbati sederunt » quasi audituri legem, non prædicaturi. « Post lectionem autem legis et prophetarum dixerunt ad eos principes synagogæ : Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis, dicite. »

CAP. LXIX. *De prædicatione Pauli et Barnabæ in synagoga.*

« Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens (*Act.* XIII), » aggressus est facere grandem sermonem, inchoans ab altiori. « Viri, inquit, Israelitæ, et qui timetis Deum de gentibus audite. Deus plebis Israel patres nostros elegit, et exaltavit plebem, cum essent incolæ in Ægypto, » servientes in luto et latere, de qua eduxit eos in manu forti. « Et quadraginta annis sustinuit mores eorum in deserto, » postea, introducens eos in terram promissam, « destruens septem gentes, » quæ habitabant in terra, « sorte distribuit eis terram, quasi post quadringentos quinquaginta annos. » Et intelligendum est, a nativitate Isaac, usque ad exitum Israel de Ægypto fluxerunt anni quadringenti[et quinquageni]quinque. Postea, completis quadraginta annis in deserto, usque in terram Chanaan, divisa est terra. A nativitate ergo Isaac, usque ad divisionem terræ fluxerunt quadringinti quinquaginta anni. Et post quadringentos quinquaginta annos dedit Dominus judices populo suo et extunc fuit populus Dei sub judicibus, usque ad tempus Samuelis, « et exinde postulaverunt regem, et dedit eis Saul, » qui regnavit super eos quadraginta annis, computatis simul annis Samuelis. Sic enim habetur in Chronicis Hebræorum. « Et eo sublato de medio, suscitavit eis David regem (*I Reg.* XVI), cui testimonium perhibens ait : Inveni virum secundum cor meum, » ex cujus semine suscitabit Deus Jesum Salvatorem Israel, cujus adventus fuit præco Joannes.

CAP. LXX. *Ad hoc de eodem.*

« Viri, inquit, fratres, filii generis Abraham (*Act.* XIII), et qui inter vos de gentibus sunt timentes Deum, vobis specialiter verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant in Jerusalem, et principes ejus, hunc ignorantes esse Jesum, ignorantes etiam voces prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, » adjudicantes eum morti, eas implevernnt, nescientes. « Deus vero suscitavit eum tertia die a mortuis, et visus est per quadraginta dies his qui simul ascenderunt cum eo de Galilæa in Jerusalem, qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta, quoniam hanc Deus adimplevit filiis vestris resuscitans Jesum. Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur ab omnibus, » scilicet peccatis, « a quibus non potuistis in lege Moysi justificari. Qui credit in hunc justificatur. Videte ne sitis contemptores, ne veniat super vos » vindicta Dei, quæ comminatur contemptoribus in hunc modum : « Videte, contemptores, et admiramini, et disperdimini, » id est videntes admirabimini, et disperdimini, « quia opus operor in diebus vestris, quod non creditis (*Habac.* I), » id est quia non creditis operi, « quod operabor in diebus vestris, » id est incarnationi.

CAP. LXXI *Quare transierunt ad gentes.*

« Exeuntibus autem illis rogabant ut sequenti Sabbato loqueretur (*Act.* XIII) » adhuc in synagoga. Et cum egrederentur de synagoga « multi Judæorum et advenarum, » id est gentilium, vel Judæorum dispersione venientium « secuti sunt Paulum et Barnabam. Sequenti vero Sabbato pene universa civitas convenit ut audiret verbum Dei. Quod videntes, Judæi repleti sunt zelo » invidiæ quo commoti coperunt contradicere « his, quæ dicebantur a Paulo, blasphemantes. » Blasphemus enim est, qui ex invidia obloquitur veritati. « Tunc » repleti zelo Dei « Paulus et Barnabas constanter dixerunt : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, » juxta verbum Domini, dicens : « Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel (*Matth.* XV, 24). » « Sed quia repellitis illud, et indignos vos facitis, ecce convertimur ad gentes. » Et nota, cum hoc legatur hic dictum a Paulo et Barnaba in Antiochia Pisidiæ, quæ non in Judæa est, sed in Græcia, in plerisque locis legitur dictum ab apostolis in Judæa, scilicet cum vellent transire ad gentes postquam per duodecim annos prædicatum est in Judæa. Ecce non moveat te, quia potuit utrobique dici. « Sic enim præcepit nobis Deus. Posui te in lucem gentium, ut sis eis in salutem, usque ad extremum terræ. » Et sunt in Isaia (cap. XLIX) verba Patris ad Filium. Ac si diceret Pater Filio : Misi te, ut post tenebras infidelitatis, usque ad terminos terræ, gentibus disseminares lucem veritatis. Sed cum specialiter dictum sit Christo, non est contrarium, quod hic legitur dictum Paulo, quia tanta est unio capitis et membrorum, ut quod dictum est capiti, membra dictum reputent sibi, sicut caput Christus persecutionem membrorum reputat inflictam sibi dicens : « Saule, Saule, quid me, persequeris ? (*Act.* IX) » id est in membris meis.

CAP. LXXII. *De recepta prædicatione a gentibus.*

« Audientes autem gentes » mentionem de salute sua « gavisæ sunt, et glorificabant Deum. Et crediderunt ex eis multi (*Act.* XIII). » Judæi tamen zelo, et livore invidiæ succensi, « concitabant mulieres religiosas et primarios civitatis, et excitabant persecutionem in Paulum et Barnabam, et ejecerunt eos de finibus suis. At illi, excusso pulvere pedum, »

Digitized by Google

juxta quod præceperat Dominus in testimonium illis, « venerunt Iconium. » Et ingressi civitatem locuti sunt in synagoga (*Act.* XIV), et credidit « copiosa multitudo Judæorum, et Græcorum. Et demorati sunt ibi multo tempore fiducialiter » prædicantes, Domino prædicationem eorum miraculis confirmante. Nonnulli tamen de Judæis in incredulitate pertinaces, « suscitaverunt, et ad iracundiam concitaverunt animos gentium adversus » credentes. Et divisa est civitas, quibusdam faventibus Judæis, aliis faventibus apostolis. « Et cum factus esset impetus gentilium, et Judæorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent apostolos, et lapidarent, » id est lapidibus fugarent eos, « confugerunt ad civitatem Lycaoniæ, scilicet Lystram, et Derben. » Et cum hic dictum sit venerunt Lystram, juxta consequentiam sermonis, in sequenti ubi dicitur. Erat quidam infirmus Lystris, potius dicendum fuit Lystriæ. Sed potest nomen civitatis multiplicem habere declinationem, ut dicatur *Lystra*, *Lystræ*, vel *Lystræ*, *Lystrarum*, vel *Lystris*, indeclinabile. Unde sequitur: « Et erat quidam vir Lystris, » quod Græco consonat ubi habetur: « Paulus et Barnabas morabantur in Lystris. » Erat autem vir iste « infirmus pedibus, claudus ex utero matris suæ, » et sedebat, quia nec ambulare, nec stare poterat, « nec unquam ambulaverat. Hic audivit Paulum loquentem. Quem intuitus Paulus, et videns » Spiritu sancto revelante, « quia haberet fidem, ut salvus fieret, » scilicet tantam, quæ ad salutem sufficeret. Vel videns, quia se salvandum crederet, « dicit magna voce: » In nomine Domini nostri Jesu Christi « surge, » et sta « super pedes tuos rectus. Et statim exsiliit, et ambulabat. Turbæ autem cum viderent, quod fecerat Paulus » putabant ipsum, et socium Barnabam deos esse, et in forma humana eis apparuisse, « et levaverunt vocem dicentes: Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Jovem, » quia prior esse videbatur, « Paulum vero Mercurium, » qui semper juxta eorum opinionem, Jovem comitabatur, qui eloquens, et litteratus fuisse traditur, et facundiam hominibus præstare videbatur. Unde Mercurius, quasi medius currens inter aures et linguas a Latinis dicitur, a Græcis vero *Hermes*, id est *interpres* dicitur. « Sacerdos quoque Jovis, qui erat in civitate voluit sacrificare Barnabæ et Jovi, afferens tauros ad immolandum, et coronas. » Vel ad ornandum faciem templi, juxta ritum gentilium, vel ut capitibus eorum imponerent ad ornatum, aut pro aliqua alia causa, vel religione nobis ignota. Ut autem audierunt Paulus et Barnabas, quod divinos honores vellent eis exhibere, sciderunt vestimenta sua, quod semper faciebant Judæi audita blasphemia in Deum, et prohibuerunt sibi talia exhiberi, dicentes se esse homines mortales, qui potius venerant, ut eos revocarent ab idololatria, « et vix sedaverunt turbas, ne sibi immolarent. »

Cap. LXXIII. *De persecutione, quam passi sunt.*

Demorantibus autem eis, et docentibus in Lystra supervenerunt ab Iconio et Antiochia Judæi, et concitatis turbis in persecutionem Pauli lapidabant eum et ejecerunt eum quasi vile cadaver (*Act.* XIV), « æstimantes eum esse mortuum. » De qua lapidatione ad Corinthios loquens ait: « Semel lapidatus sum (*II Cor.* XI), » postea discipuli ejus circumdederunt illum assistentes ei, et respiravit, et nescientibus Judæis, reportaverunt eum in civitatem, et convaluit. « Et postera die profectus est cum Barnaba in Derben, » et prædicavit ibi sicut fecerat in Lystra. Postremo redierunt per easdem civitates, per quas illo venerant confirmantes fratres in fide, et constituentes in magnis civitatibus presbyteros, id est episcopos, quia eo tempore eodem nomine censebantur episcopi et presbyteri. Et proinde constituebant pro se episcopos, quia erant migraturi, et incerti utrum ad eos essent amplius reversuri. Et cum redeuntes transirent Lystram, et Iconium, venerunt ad Antiochiam Pisidiæ. « Et transeuntes Pisidiam, venerunt in Pamphyliam » regionem, in qua est civitas Pergen, in qua locuti sunt verbum Dei, descenderunt in Attaliam civitatem, et inde navigaverunt Antiochiam, » unde prius exierant, segregati a Spiritu sancto ad prædicationem Evangelii.

Cap. LXXIV. *De quæstione circumcisionis determinata.*

Cumque venissent Antiochiam, et congregassent fideles Antiochiæ revelaverunt eis quanta fecerat Deus per eos in gentibus, et morati sunt ibi non modico tempore cum discipulis (*Act.* XIV). Et dum ibi moram facerent (*ibid.*), descenderunt quidam de Judæa Christiani, adhuc tamen judaizantes, et fuerunt de secta Pharisæorum. « Facta est ergo non minima seditio inter eos, et Paulum, et Barnabam, » quia prædicabant fidem absque legalibus ad salutem non sufficere. Et consentiebant eis multi, veteri consuetudine imbuti. Et statuerunt, ut pro hac lite dirimenda, ascenderent in Jerusalem ad majores apostolos, scilicet ad Petrum, et Jacobum episcopum Hierosolymorum. Et ascendit Paulus cum Barnaba, assumpto et Tito, sicut ipse refert in Epistola ad Galatas (cap. V). Et qui descenderant de Judæa, ascenderunt contra eos, « quidam » scilicet « de hæresi Pharisæorum » ad fidem conversi. Qui cum venissent Hierosolymam, et essent in præsentia apostolorum Petri, et Jacobi, et seniorum, « surrexerunt » contra Paulum, et Barnabam, « dicentes: Oportet circumcidi fideles, et servare legem Moysi. » Et audita utriusque partis sententia, « convenerunt apostoli et seniores, ut dijudicarent super hoc, » et post multam disceptationem, et inquisitionem factam inter apostolos, et seniores, surgens Petrus, rationabiliter ostendit, non esse imponendum fidelibus jugum legis, quia ipse consilio Dei baptizaverat Cornelium, et gentibus prædicaverat verbum Evangelii, et Deus prædicationem

Digitized by Google

ejus confirmaverat, fide mundans corda eorum, et antequam baptizarentur visibiliter mittens super eos Spiritum sanctum, nec indicens eis observantiam legalium : « Quid igitur, inquit, nunc tentatis, imponere jugum super cervices discipulorum quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus. » Et statim cœperunt Paulus et Barnabas narrare, « quanta signa et prodigia Deus fecerat in gentibus per eos, » et tacebat multitudo audiens eos.

CAP. LXXV. *De sermone Jacobi fratris Domini.*

Et facto silentio, locutus est Jacobus, adhærens verbo Petri : « Viri, inquit, fratres, audite me. Simon narravit quemadmodum Deus primum visitavit gentes, vocans eos ad fidem et testimonia prophetarum (*Act.* xv). » Et inductis testimoniis diversorum prophetarum, auctoritate pontificali protulit diffinitivam sententiam, dicens : « Propter quod ego judico, non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum, sed consulo, ut dirigamus ad eos epistolam, ut abstineant se ab idololatria, et fornicatione, et suffocato, et sanguine. » Idololatria siquidem ex gentibus maxime pullulaverat, fornicatio, quasi naturale quoddam et nullius reatus reputabatur inter gentes. Ideo specialiter decreverunt apostoli prohiberi ista gentibus. Erant etiam proni ad effundendum sanguinem. Consueverant etiam bibere sanguinem immolatum diis suis. Ideo specialiter prohibiti sunt a sanguine effundendo, et bibendo. Quare autem ad litteram prohibuerint eis animal suffocatum, non est satis perspicuum. Et placuit hoc consilium Jacobi apostolis et senioribus. Et communi consensu elegerunt viros, per quos mitterent Epistolam cum Paulo, et Barnaba, Judam scilicet et Silam, et præmissa est salutatio in hunc modum.

CAP. LXXVI. *De epistola missa conversis ex gentibus.*

« Apostoli, et seniores fratres, fratribus ex gentibus conversis, salutem (*Act.* xv). » Fuit autem post salutationem hic textus Epistolæ : « Auditum est, quia quidam descendentes a Judæa turbaverunt vos evertentes animas vestras, volentes vestris imponere cervicibus jugum legis. Ideo de communi consensu decrevimus eligere viros, et mittere ad vos cum charissimis viris nostris Paulo et Barnaba. Visum est enim Spiritui sancto, et nobis, ultra nihil vobis imponere oneris, quam ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, a sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus abstinentes bene agetis. Valete. »

CAP. LXXVII. *Quomodo consolati sunt conversos ex gentibus.*

Descenderunt igitur Paulus (*Act.* xv), et Barnabas in Antiochiam, et duo illi missi sunt cum eis. Cumque descendissent, congregata multitudine tradidit eis Epistolam. Et audita consolatione, de jugo legis non imponendo sibi, gavisi sunt fratres de gentibus. Judas autem et Silas, cum essent prophetæ, consolati sunt eos, et multum confortaverunt in fide. Non est autem hoc prætereundum, quia de præfato ascensu suo in Jerusalem pro dirimenda lite prætaxata scribit Apostolus ad Galatas in hunc modum : « Deinde post annos quatuordecim a conversione mea ascendi Hierosolymam cum Barnaba assumpto et Tito, et contuli cum eis Evangelium, quod prædico in gentibus (*Gal.* II). » Ex quo annorum numero colligitur, quia eodem anno quo Paulus ascendit Hierosolymam, scilicet 14 a conversione sua, Petrus ascendit Romam, et eodem anno sedit in cathedra episcopali, in qua sedit viginti quinque annis. Quatuordecim vero, et 25, 39 reddunt. Vicesimo autem quinto anno a promotione beati Petri in sedem Romanam, scilicet ultimo anno Neronis, passi sunt Petrus et Paulus, et sic 39 anno a conversione Pauli. Unde colligitur Paulum ad fidem conversum eodem anno, quo Dominus passus est, cum constet Petrum, et Paulum 38 anno a Passione Domini, qui fuit ultimus Neronis, passos esse martyrium. Si autem legatur aliquando Paulus conversus ad fidem secundo anno a passione Domini, intelligendum est secundo anno emergente, non tamen eodem usuali, sicut alibi determinatum est. Quarto decimo ergo anno a passione Domini, scilicet quarto anno Claudii ascendit Petrus Romam, et sedit in cathedra episcopali decem annis sub Claudio, qui regnavit quatuordecim annis, et Nero post eum totidem annis.

CAP. LXXVIII. *Determinat quando beatus Petrus sedit Antiochiæ, et quando Romæ.*

Potest autem quæri, quo tempore sederit Petrus in sede Antiochena. Constat enim, quod sedit Antiochiæ septem annis in sede episcopali, quod necessario de septem illorum, et quatuordecim oportet intelligi, qui a passione Domini fluxerunt, usque ad ejus promotionem in sedem Romanam. Post septem autem annos, quibus sedit in sede Antiochena, consilio Domini de Jerusalem ascendit Romam, sed in ascensu transiit per Antiochiam, ut confirmaret subditos suos in fide. Et ut habetur in Chronicis, substituit Eudochium in sede Antiochena. Et in hoc transitu per Antiochiam redargutus est a Paulo, quia comedens cum quibusdam fratribus de Judæa, timens eos molestare, discernebat cibos, et ita cogebat gentes judaizare. Unde Paulus ait : « Cum venisset et Cephas Antiochiam in faciem ei restiti (*Gal.* II). »

CAP. LXXIX. *De causa dissensionis inter Paulum et Barnabam.*

Eo autem anno quo ascendit Petrus de Antiochia Romam, Paulo et Barnaba Antiochiæ remanentibus, erat quidam procurator in Judæa, qui per violentiam sibi voluit usurpare potestatem constituendi summum pontificem, et mutandi pro arbitrio suo, et ut posset summum sacerdotem unum vel duos constituere eodem anno. Et videntes Judæi, quod non possent ei resistere, petierunt ab eo licentiam consulendi Claudium imperatorem Romanorum, ut ejus voluntate hanc potestatem obti-

Digitized by Google

neret, alioquin desisteret, et concessit eis. Et cum misissent nuntios Romam, erat ibi Agrippa, filius Herodis Agrippæ, quem pater decedens in manu Claudii dimiserat. Claudius autem differebat eum mittere in Judæam tanquam dominum tum propter sœvitiam Judæorum tum propter teneritudinem ætatis ejus. Iste audiens, quod causa populi sui ageretur, intercessit pro eis et obtinuit. Et rescripsit Claudius procuratori, ut ab hujusmodi exactione desisteret, et destitit. Et rescripsit Judæis, ut super hoc gratias agerent Agrippæ ad cujus intercessionem hoc obtinuerant, et Judæi significaverunt ei, ut mitteret eis Agrippam, et faceret eum tanquam regem et dominum, ipse tamen adhuc distulit. Postea vero quando visum est ei, misit eum in Judæam, non tamen reddidit ei totam terram patris, qui totum regnum integre obtinuit, sed dedit ei Galaditidem regionem, scilicet ultra Jordanem, terram duarum tribuum, et dimidiæ tribus, et dedit ei potestatem constituendi summum sacerdotem in Jerusalem pro arbitrio suo, quam negaverat procuratori. Iste fuit Agrippa, in cujus regnum secesserunt fideles de Judæa imminente excidio Jerusalem, ab angelo prænoniti, sicut habes super Matthæum. Sed nunc prosequamur de Paulo et Barnaba, qui adhuc demorabantur in Antiochia evangelizantes verbum Dei, et Judas abierat, Sila cum eis remanente (*Act.* xv). Post aliquot dies visum est eis commodum, reverti per civitates, in quibus prædicaverant verbum Dei, et visitare fratres, et confirmare eos in fide. « Barnabas autem voluit habere in comitatu suo Joannem, qui cognominabatur Marcus. » Paulus autem noluit, dicens : Non assumendum esse, quia in fronte aciei constitutus nimis trepide steterat, et quia timore mortis a prædicatione destiterat, quando scilicet a Pamphylia descendens reversus est in Jerusalem. Ideoque non erat assumendus ad prædicationem, ne alios malo exemplo læderet. « Et facta est dissensio, ita ut discederent ab invicem. » Et excusant eos sancti, quia non discesserunt odio commoti, sed a Spiritu sancto ad hoc excitati, ut divisi pluribus locis prædicarent, et plures lucrifacerent. « Barnabas autem, assumpto Marco, navigavit Cyprum. » Ex eo autem, quod noluit dimittere eum, perpenditur fuisse ejus cognatus. Leguntur autem fuisse consobrini. « Paulus autem profectus est assumpto Sila, » quem Dominus ad hoc remanere fecerat, ut ei cooperaretur, et « perambulabat Syriam et Ciliciam. » « Postea venit in Derben et Lystram (*Act.* xvi), « ubi erat quidam Christianus nomine Timothæus, filius mulieris viduæ, vel Judææ, natus de patre gentili, cui perhibebant testimonium religionis omnes fideles, qui erant Lystris. » Hunc constituit Paulus episcopum eorum, sed circumcidit eum pro tollendo scandalo Judæorum, ne scandalizarentur, quod haberent episcopum incircumcisum, non quod legalia post veritatem Evangelii essent necessaria, paulatim tamen non subito Judæis erant tollenda, et quasi cum honore mater sepelienda fuit. Postea eduxit secum Paulus Timotheum, et « transeuntes per civitates præcipiebat observari decreta apostolorum, et seniorum, qui erant in Jerusalem, et Ecclesiæ confirmabantur et multiplicabantur. »

CAP. LXXX. *Quod prohibiti sunt apostoli ne irent quo volebant.*

« Transeuntes autem Phrygiam, et Galatiæ regionem volentes ire in Asiam Minorem, prohibiti sunt a Spiritu sancto (*Act.* xvi), » qui sciebat corda hominum, quia tunc non essent crediturі. Noluit ergo Spiritus sanctus, sanctum dari canibus, et impios de contemptu prædicationis gravius damnari. Voluit etiam has provincias aliis apostolis reservari. Philippus namque et Joannes prædicaverunt in Asia Minori. Lucas in Bithynia a qua similiter a Spiritu sancto sunt prohibiti, et ita duæ causæ redduntur quare prohibiti sunt ab hujusmodi provinciis. Vel ne sanctum daretur canibus, vel quia destinati erant a Spiritu sancto aliis apostolis, Asia Minor Joanni, Bithynia Lucæ. Origenes, ubi agit de primitiis et de decimis dandis sacerdotibus, reddit tertiam causam. Dicit enim quod Deus providens servis suis alimoniam corporalem, ab hujusmodi provinciis discipulos propter famem prohibuit, propter illam scilicet maximam famem, in qua Helena sustentavit fratres pauperes, qui erant in Hierusalem, quæ facta est quarto anno Claudii. Nec fuit hæc Helena mater Constantini [*sic*], sed regina Abigenorum, cujus amore captus est rex Abigenorum, et eam in uxorem accepit, et concepit ex eo. Et cum nocte dormiret cum ea, et posuisset manum suam super uterum prægnantis, audita est ab eo vox in hunc modum : Vide ne lædas puerum, quia magnus futurus est in mundo. Et audita voce hujusmodi stupefactus dixit hoc uxori suæ. Postea puerum natum cum summa diligentia nutrierunt, et mortuo patre, puer factus est rex, et commendatur iste in multis. Et hæc est causa commendationis, quia audiens unum Deum coli a Judæis, coluit eumdem, et suscepit circumcisionem, et ritus Judæorum. Hujus mater Helena veniens Hierusalem, invenit fideles in Hierusalem inedia laborantes, quia erat tempus famis, et emit granum undequaque, quia attulerat argenti copiam ad emendum, et sustentavit fratres, qui erant in Hierusalem. Et cum adhuc esset in Judæa, nuntiatum est ei quod mortuus esset filius ejus, et statim rediit, et fecit extrahi cadaver de sepulcro, et reportavit in Judæam, et fecit non longe ab Hierusalem exstrui duo mausolea, et in altero reposuit corpus filii, et præcepit, cum mortua esset, in altero corpus suum reponi, et sic factum est, et adhuc apparent vestigia mausoleorum, et putant multi decepti esse mausoleum Helenæ matris Constantini.

CAP. LXXXI. *De visione quæ apparuit Paulo nocte.*

« Cumque pertransissent Mysiam Paulus et socii ejus, venerunt Troadem, et ostensa est Paulo visio per noctem (*Act.* xvi). Apparuit ei vir Macedo, » id

Digitized by Google

est angelus illius gentis assimilatus viro Macedoni, proprietate linguæ, vel forma speciali, « stans, et deprecans eum, et dicens : Transiens in Macedoniam, adjuva nos. » Ex hoc verbo videtur fuisse homo, non angelus. Non enim egent angeli auxilio, nisi Dei. Sed hoc ait angelus assumpta persona Macedonum. « Ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quod vocasset nos Deus evangelizare eis. » Et nota quod dictum est, « quæsivimus. » Hic enim primo ostendit Lucas se comitem fuisse Pauli, forte et nunc primo adhæsit ei, unde nusquam in præcedenti ait, venimus, sed ubique venerunt, et similia. Hic autem primo commiscuit se sociis Pauli, vide quoque, quod ubi dicitur, « erat vir Macedo stans. » Super hoc verbo, « stans, » Glossa habetur modica. Angeli semper stare dicuntur. Cui plerique adhærentes, in antiphona paschali : « Sedit angelus, » emendant, « stetit angelus, » sed errant. Intelligendum est semper in hoc libro, cum legantur in Evangelio angeli sedisse ad monumentum. « Navigantes autem a Troade, recto cursu venimus Samothraciam, et sequenti die Philippis, quæ est prima civitas Macedoniæ, » id est venientibus a mari prima occurrit, « et erat colonia. » Dicitur autem colonia civitas illa, quæ defectu indigenarum nobis cultoribus impletur. Unde et colonia, quasi a novis cultoribus dicitur. « Fuimus enim per dies aliquot, et die Sabbatorum egressi sumus extra portam juxta flumen, ubi videbatur esse locus congruus orationi, » id est locutioni vel supplicationi. Orare namque accipitur, et pro perorare, et pro supplicare.

CAP. LXXXII. *Quod recepti sunt a muliere purpuraria.*

« Et sedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant (*Act.* XVI). Et mulier quædam Lydia nomine, purpuraria civitatis Thyatirenorum audiebat nos loquentes. » Potest autem intelligi purpuraria, quasi utens purpura, quia forsan erat de regio semine. Vel potius purpuraria, quia textrix purpuræ, vel quia vendebat purpuram. « Cum autem baptizata esset, et domus ejus tota, deprecata est nos, dicens : Si judicatis me fidelem, introite in domum meam, et manete mecum. Et intravimus coacti. » Adhuc enim abhorrebant intrare domos gentilium pro vitando scandalo Judæorum.

CAP. LXXXIII. *De spiritu pythonico a puella ejecto.*

« Factum est autem, exeuntibus nobis ad orationem, ut obviaret nobis quædam puella habens spiritum pythonicum (*Act.* XVI). » Potest autem intelligi pythonissa, vel per spiritum pythonicum operans, arte magica, vel spiritu pythonico vexata. His enim duobus modis accipitur in sacra Scriptura hoc nomen, vel pythonissa dicitur, quæ per spiritum pythonicum suscitationem mortuorum operatur arte magica, ut quæ ad petitionem Saulis ab inferis vocavit animam Samuelis, vel potius pro ea spiritum immundum. Hæc autem species artis magicæ ab Apolline Pythone inventa est, et ab ejus cognomine cognominata est. Dicitur enim pythonissa, quæ a spiritu pythonico possidetur, et eo utitur, quasi organo suo ad divinandum, qualiter hic potius videtur accipi. Et erat quæstuosa dominis suis, quia multum percipiebant emolumentum ex divinatione ipsius « Hæc subsecuta Paulum, et socios ejus clamabat, dicens : Isti homines sunt servi Dei excelsi, qui annuntiant nobis viam salutis. » Et sic clamabat multis diebus, forte per bonum naturæ, vel potius Spiritu sancto spiritum pythonicum, ut per eam verum loqueretur, urgente. « Conversus autem Paulus, ipsa post eum, clamante dixit spiritui » immundo : « Præcipio tibi in nomine Jesu Christi, exi ab ea. Et exiit ab ea, » quia indignum erat ut verbum Evangelii per eam spiritus mendax annuntiaret. « Videntes autem hoc domini ejus scientes, quia maximum inde sumerent incommodum, apprehenderunt Silam et Paulum et duxerunt eos ad forum ad principes, et offerentes eos magistratibus dixerunt : Isti homines conturbant civitatem nostram, cum sint Judæi, prædicantes novam quamdam religionem, quam non licet nobis suscipere, cum simus Romani. » Jam enim decretum erat a Romanis, ut nullus deus de novo coleretur, nisi approbante senatu. « Et cucurrit plebs adversus eos, et magistratus, et scissis eorum tunicis jusserunt eos vergis cædi (77), et flagellatos miserunt in carcerem, præcipientes custodi, ut diligenter custodiret eos. Qui accepto mandato misit eos in carcerem interiorem pedes eorum stringens ligno. »

CAP. LXXXIV. *De terræmotu unde aperta sunt ostia carceris.*

« Media autem nocte, Paulus et Silas decantabant hymnos, et orantes laudabant Deum (*Act.* XVI). » Et dum media nocte orarent « subito factus est terræ motus, quo scilicet terræ motu omnia fundamenta carceris commota sunt, ostia aperta, vincula omnium, » qui erant in carcere, « rupta » non solius Pauli et Silæ, sed et aliorum. « Expergefactus est autem custos carceris, et videns januas carceris apertas, evaginato gladio volebat se interficere, autumans omnes incarceratos aufugisse. » Et, cum esset Paulus in medio carceris tenebrosi, videns hoc in spiritu exclamavit : « Nihil tibi facias mali. Universi enim quos custodiebas hic sumus. » Sciebat enim quod tunc volebat sibi manum injicere, quia putabat omnes aufugisse, « et petito lumine a ministris introgressus est custos carceris, et tremefactus, » tum pro his quæ facta fuerant in terræ motu, tum quia intellexerat Paulus, quod se vellet interficere « procidit Paulo et Silæ ad pedes, et educens eos de carcere, ait : Quid me, domini, oportet facere, ut salvus fiam? Ad quem illi : Crede in Dominum Jesum, et salvus eris tu, et domus tua tota. Et locuti sunt ei verbum Domini, et omnibus qui erant in domo

(77) De hoc habetur *II Cor.* XI.

Digitized by Google

ejus, et tollens eos in illa hora, lavit plagas eorum, et baptizatus est, » et sic lavit, et lotus est.

CAP. LXXXV. *Quomodo a magistratibus sunt dimissi.*

« Cumque perduxisset eos in domum suam (*Act.* xvi), apposuit eis mensam, et lætatus est cum omni domo sua, credens in Deum. Et cum dies factus esset, miserunt magistratus nuntios ad custodem carceris, dicentes : Dimitte homines illos ; » tanquam despectos, dimittebant autem illos, ne plures crederent, quia jam innotuerat eis miraculum. « Et nuntiavit custos verba hæc Paulo : Miserunt magistratus ut dimittamini. Nunc igitur exeuntes ite in pace. Ad quem Paulus : Miserunt in carcerem flagellatos licet indemnatos, homines Romanos, » id est Romano imperio per subjectionem censi capite professos, et libertate Romana donatos, « et nunc occulte ejiciunt. Non sic, sed veniant ipsi, et nos ejiciant. » Et cum renuntiatum esset hoc « magistratibus, timuerunt, audito quod Romani essent. Et venientes eduxerunt eos, et rogabant ut egrederentur de urbe. Et exeuntes transierunt per Lydiam, et visis fratribus, consolati sunt eos. Et » inde « profecti venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum (*Act.* xvii). » Paulus autem, ut consueverat, introivit synagogam, et per tria Sabbata disseruit eis de Scripturis, prædicans Christum mortuum, et resurrexisse. Et crediderunt aliqui ex eis, et adjuncti sunt Paulo et Silæ, mulieres non paucæ, et de proselytis, et gentibus multitudo magna. Zelantes autem Judæi, et assumentes quosdam malos de vulgo concitaverunt civitatem adversus eos.

**Additio* 1. Ut sicut in eos publica fuit manuum injectio, ita et publica fiat ejectio.

CAP. LXXXVI. *Quod invidia Judæorum Jason accusatus est.*

« Et venientes in domum Jasonis » apud quem hospitati fuerant (*Act.* xvii), « quærebant eos producere in populum, » et non inventis eis, putantes eos a Jasone fuisse occultatos, « traxerunt Jasonem, et quosdam fratres, ad principes civitatis, dicentes : Isti sunt qui urbem concitant, quos suscepit Jason, et ipsi suscipientes eos faciunt contra decreta Cæsaris, regem alterum dicentes esse quam Cæsarem, et concitaverunt principes adversus eos. Et accepta satisfactione a Jasone, et cæteris, dimiserunt eos. »

Forte Jason, et alii fratres negaverunt se suscepisse eos, et si confessi sunt, satisfecerunt, « per noctem dimiserunt Paulum et Silam in Beræam. Et introierunt synagogam Judæorum, et prædicaverunt ibi, et multi de Beræensibus crediderunt, et mulieres honestæ non paucæ. »

CAP. LXXXVII. *Quid Paulus Athenis fecerit.*

« Et audierunt Judæi, qui erant Thessalonicæ, quod a Paulo prædicaretur verbum Dei in Beræa, et venerunt illuc concitantes multitudinem Et statim dimiserunt Paulum fratres, ut iret usque ad mare (*Act.* xvii), » quia magis persequebantur eum Judæi, eo quod esset dux verbi. « Silas autem et Timotheus remanserunt ibi. Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum, usque ad Athenas, et videns civitatem idololatriæ deditam, » cito remisit ad Timotheum et Silam, ut venirent ad eum, et venerunt. Et disputabant cum Paulo Epicurei, qui ponebant felicitatem hominis in sola corporis voluptate, et Stoici, qui in sola animi virtute. Et inter se dissentientes, in impugnatione Apostoli unanimiter consentiebant, dicentes : « Quid vult semini verbius iste dicere? » Vere Paulus seminator verborum erat, sed messor morum, de hujusmodi messione exspectans uberem fructum. Alii autem dicebant : « Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse. Et apprehensum duxerunt ad Areopagum, » id est *ad vicum Martis*, in quo scilicet erat templum Martis, quia Athenienses singulos vicos denominaverunt a diis, quos colebant, ut vicum, in quo colebatur Mars vocabant Areopagum, quia Arioth dicitur *Mars*. Vicum in quo colebant Pan, vocabant *Panapagum*, et ita a singulis diis singulos vicos denominabant. Erat autem vicus excellentior Areopagus, quia ibi erat curia magistratuum, et scholæ liberalium artium.

CAP. LXXXVIII. *De ara Ignoti Dei.*

Et cum esset Paulus in præsentia philosophorum, dicebant : « Nova quædam infers auribus nostris. Possumus scire, quæ est hæc nova doctrina? » (*Act.* xvii.) Quasi dicant : Posses rationem reddere super his quæ dicis? « Stans ergo Paulus in medio Areopagi ait : Viri Athenienses, per omnia judico vos superstitiosos. Præteriens enim vidi simulacra vestra. Inter cætera autem inveni aram cujus superscriptio erat hæc : Ignoto Deo, » vel Ignoti Dei. Ac si dicatur : Hæc ara dedicata est Ignoto Deo. Singulis « nim aris superponebatur titulus indicans, cui essent dedicatæ. « Hunc, inquit, Deum Ignotum, cui hanc aram consecrastis, ego annuntio vobis. Hic est Deus, qui fecit mundum, et omnia, quæ in eo sunt, in quo vivimus, movemur et sumus. » Quomodo autem hæc ara illi Deo ignoto consecrata est, historia Actuum apostolorum non prosequitur, ideo nostrum est hoc supplere, scilicet dicere.

CAP. LXXXIX. *Quod philosophi Athenienses dixerunt Deum naturæ pati.*

(78) Die enim Dominicæ Passionis philosophi, qui Athenis erant, videntes tenebras factas super universam superficiem terræ, non potuerunt causam earum invenire in naturalibus causis. Tandem ad hoc inducti sunt, ut dicerent, quia Deus naturæ patiebatur. Et dixerunt Athenienses : Constituamus aram illi Deo, et dedicata est ara, et superpositus est titulus : Ignoto Deo. Et cum vellent offerre holocausta, et victimas illi Deo ignoto, dixerunt philosophi : Bonorum nostrorum non eget, sed facietis genuflexiones ante aram ejus, et supplicabitis ei,

(79) Incidens est et ex historiis.

Digitized by Google

quia non quærit oblationem pecorum, sed devotionem animorum. Hunc Deum ignotum annuntiavit eis Paulus asserens eum mortuum fuisse, resurrexisse et ascendisse in cœlum, in fine orbem judicaturum (*Act.* xvii). « Et cum prædicaret resurrectionem mortuorum, quidam irridebant. Quidam autem » nec respuebant, nec recipiebant, dicentes : « Audiemus te de hoc iterum. Et exivit Paulus de medio eorum, et quidam adhærentes ei crediderunt. Inter quos fuit Dionysius Areopagita, » quem postea ordinavit Apostolus episcopum Corinthiorum : Cujus conversionis modum, quia prætermittit historia Actuum apostolorum, nostrum est supplere.

CAP. XC. *De Dionysio Areopagita.*

(79) Iste Dionysius magister erat in Areopago, et quamvis ad exhortationem Pauli de facili crediderit, tamen non nisi post longam disceptationem Pauli confessus est se credere. Sed post multam disceptationem dum adhuc cum Paulo disceptaret, forte transiit cæcus per viam coram eis, et statim ait Dionysius Paulo : Si dixeris huic cæco in nomine Dei tui vide, et viderit, ego statim credam. Sed ne utaris verbis magicis, quia forte nosti verba, quæ habeant hujusmodi efficaciam, ego præscribam tibi formam verborum ; hac, inquit, forma verborum dices ei : In nomine Jesu Christi nati de Virgine, crucifixi, mortui, qui resurrexit, et ascendit, in cœlum, vide! Et ut omnis tolleretur suspicio præcepit Paulus Dionysio, ut ipse eadem verba proferret. Et in ea forma verborum dixit Dionysius cæco, ut videret, et statim vidit, et Dionysius confessus est se credere. Et cum prædicaret Paulus Athenis, et multos convertisset, venit Corinthium, et ibi invenit « quemdam Judæum nomine Aquilam cum uxore ejus Priscilla (*Act.* xviii), » quos sæpe commemorat Apostolus, ubi salutat amicos suos. Isti « nuper venerunt de Italia, Judæis omnibus ex edicto Claudii imperatoris de regno ejus exire compulsis, » eo quod uxorem ejus Agrippinam præ nimia familiaritate, quam habebat cum eis, adeo traxerant ad ritus suos, ut jam judaizaret. « Et hospitatus est Paulus apud Aquilam, et Priscillam, eo quod eamdem artem exercerent, » quam et ipse consueverat exercere, de proprio labore manuum sibi victum acquirens, « scilicet artem scenofactoriam. » Faciebant enim tentoria, sive papiliones, quæ necessaria erant indigenis terræ propter immoderatum calorem, vel commeantibus. Ut dicatur ars scenofactoria a scenos, quod interpretatur *umbra*, vel secundum alios a scenos quod interpretatur *funis*. Erant enim funicularii. « Et cum venissent Silas, et Timotheus de Macedonia, » ubi dimiserat eos, « prædicabat Paulus instanter verbum Evangelii » coadjuvantibus illis. Et vili pendentibus Judæis prædicationem, juxta quod præceperat Dominus, excussit pulverem de pedibus in testimonium, dicens illis : « Mundus sum a sanguine vestro, » quia quantum in me fuit, volui vos revocare ab impietate vestra. Sed quia pertinaces estis, « transeo ad gentes. Et migrans inde transiit ad domum cujusdam gentilis nomine Titi, cujus domus erat conjuncta synagogæ. » Nec est intelligendum hoc de Tito, cui Apostolus Epistolas scripsit, qui ejus fuit discipulus, quem etiam Cretensem episcopum ordinavit. « Et conversus est Crispus archisynagogus cum universa familia sua, » ille scilicet de quo Apostolus ait, scribens ad Corinthios : « Gratias ago Deo, quia neminem ex vobis baptizavi nisi Crispum, et Gaium (*I Cor.* i). » « Et multi Corinthiorum audientes conversionem ejus, crediderunt, et baptizati sunt. Et apparuit Dominus Paulo per visionem, dicens : Noli timere, sed loquere, et ne taceas ; quia ego tecum sum, et nemo apponet manum, ut noceat tibi, et fuit ibi per annum, et sex menses. »

CAP. XCI. *Quod Judæi concitaverunt Gallionem in Paulum.*

« Insurrexerunt ergo unanimiter Judæi in Paulum, et traxerunt eum » ad præsentiam Gallionis, qui erat procurator Achaiæ, et regionis in qua erat Corinthus (*Act.* xviii). Et accusaverunt eum, quod contra legem prædicaret, et locutus est Gallio ad eos : Si argueretis hominem istum de aliquo scelere manifesto, super eum judicarem ; sed quia disceptatio est de lege vestra, non curo judicare. Et videntes gentiles, quod non faveret procurator parti Judæorum, « coram eo apprehenderunt Sosthenem principem synagogæ, et percutiebant eum, et nihil horum erat curæ procuratori. Paulus autem cum adhuc sustinuisset in dies multos, » et esset in Cenchris, qui est portus Corinthi, ascensurus navem, ut navigio veniret in Syriam totondit comam, quam nutrierat quia fuerat Nazaræus ex voto. Nazaræi enim ad tempus ex voto comam nutriebat, et completo tempore voti radebant, et in ignem sacrificii ponebant Quidam codices habent totonderunt. Unde quidam hoc referunt ad Aquilam et Priscillam. Sed Augustinus et Hieronymus ad Paulum hoc referunt.

CAP. XCII. *Quod Paulus disputabat Ephesi contra Judæos.*

Et venit Paulus in Syriam ducens secum Aquilam et Priscillam (*Act.* xviii). « Et cum venisset Ephesum, ingressus synagogam disputavit cum Judæis, et rogantibus illis, ut cum eis amplius remaneret, non consensit, Sed valefaciens fratribus, profectus est ab Epheso » dimittens ibi Aquilam et Priscillam, et ipse perambulavit Galatiam, et Phrygiam confirmando fratres. Et cum essent Ephesi Aquila et Priscilla venit Ephesum quidam Judæus, nomine Apollo, Alexandrinus genere, vir facundus et peritus in Scripturis. Iste baptizatus erat baptismo Joannis, et jam credebat Christum esse Messiam in lege promissum, et recte sentiebat de Patre et Filio, sed nihil adhuc audierat de Spiritu sancto. Et cum viderent Aquila, et Priscilla fiducialiter prædi-

(79) Incidens captum de historia sancti Dionysii

Digitized by Google

cantem, assumpserunt eum, et diligentius exposuerunt ei unum Deum. Utrum autem baptizaverint eum baptismo Christi, non legitur. Cum autem Apollo vellet redire Corinthum, Aquila, Priscilla, et cæteri fideles, qui erant Ephesi, scripserunt fidelibus, qui erant Corinthi, ut susciperent eum, nec abhorrerent eum tanquam Judæum. Et cum venisset Corinthum, multum contulit fratribus, qui erant Corinthi. Vehementer enim Judæos convincebat, unde multum confirmati sunt fratres.

CAP. XCIII. *Quomodo baptizati sunt, qui baptisma Joannis acceperant.*

« Factum est autem (*Act.* XIX), cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos a Joanne baptizatos, nondum tamen confirmatos, quia post baptismum non acceperant manuum impositionem, et interrogavit eos : Accepistisne Spiritum sanctum credentes? » id est manuum impositionem, qua datur Spiritus sanctus. Ad quem illi : « Sed nec de Spiritu sancto mentionem audivimus. » Ad quos ille : « Non sufficit baptismus Joannis. » Et statim baptizati sunt in nomine Domini Jesu Christi. Et cum imposuisset eis manus post baptismum, acceperunt Spiritum sanctum, et loquebantur variis linguis. Et quidam eorum prophetabant prædicentes futura. Erant autem omnes fere duodecim, forte undecim, vel decem erant, et est appositum *fere* ad temperamentum. Et prædicavit ibi Paulus apostolus cum fiducia per tres menses, disputans et suadens de regno Dei. Et qui prius prohibitus fuerat a Spiritu sancto prædicare in Asia Minori, nunc eodem Spiritu sancto inspirante, prædicabat Ephesi. Ex quo patet, quod admiranda sunt judicia Dei. Cum autem prædicaret Ephesi, quidam obstinati, et incredulitate pertinaces, maledicebant doctrinæ ejus coram multitudine. Descendens autem ab eis segregavit secum discipulos, disputans in schola cujusdam tyranni, id est nobilis, vel forte nomen proprium est illius, a quo conduxerat domum, in qua docebat discipulos suos, tanquam regens scholas, et hoc fecit per biennium. Et in eodem bienno scripsit Epistolam primam ad Corinthios. Et faciebat Deus magnas et multas virtutes per manus ejus, ita ut sanarentur languidi, quibus superponebantur semicinctia. Dicuntur autem semicinctia, vestes tantum ab uno latere pendentes, vel quædam zonæ, vel quoddam genus sudarii, quo Hebræi utuntur, quo laborantium sudor abstergitur.

CAP. XCIV. *De potestate nominis Jesu.*

Videntes autem quidam exorcistæ (*Act.* XIX), quod ad invocationem nominis Jesu Paulus ejiceret dæmones, excogitaverunt uti eadem forma verborum ad ejectionem dæmonis, quia licet per exorcismos Salomonis dæmones ejicerent, non tamen, absque labore multo, sed quibusdam herbis et gemmis adhibitis, ut tradit Josephus. Ut ergo facilius ejicerent dæmones, adjurabant eos in hunc modum : « Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat, » et sic exibant dæmones ab obsessis. Erant autem septem filii Scevæ principis sacerdotum, qui præcipue adjurabant dæmones in hunc modum. Et dum quadam die adjurarent dæmonem, ut exiret de corpore obsesso, respondit eis dæmon : « Jesum novi, et Paulum novi, sed vos qui estis? » Et insiliens in eos verberavit eos. Et increbuit fama per universam regionem, et incussus est timor omnibus exorcistis, et magis, ut non auderent amplius in hunc modum dæmones adjurare. Et congregati sunt omnes magi, qui per artem magicam imperabant dæmonibus, et combusserunt libros suos ante pedes Pauli. Postea Paulus proposuit ire Jerosolymam, et inde Romam. Præmisit autem Timotheum et Erastum in Macedoniam ad præparandas collectas, quas erat delaturus in Jerusalem ad usus pauperum qui erant in Jerusalem. Ipse autem ad tempus remansit in Asia Minori

CAP. XCV. *De tumultu excitato per Demetrium.*

Et facta est in tempore illo turbatio magna in Epheso (*Act.* XIX). Demetrius enim argentarius (qui faciebat ædes et imagines argenteas Dianæ) convocavit operis ejusdem opifices, et locutus est eis in hunc modum : Scitis quia de hujusmodi artificio multum nobis lucrum comparamus. Paulus autem prædicat non esse deos manufactos. Si ergo invaluerit ejus doctrina, nihil amplius lucrabimur, et etiam templum magnæ Dianæ pro nihilo reputabitur, et majestas ejus destruetur, quam veneratur universus orbis, et statim ira repleti, clamaverunt unanimiter, discurrentes per civitatem : Magna Diana Ephesiorum ! Et rapto Gaio, et Aristarcho sociis Pauli contraxerunt eos in theatrum, spectaculum scilicet in quo rei puniebantur. Et cum Paulus, hoc audito, vellet venire in theatrum, non formidans se morti objicere, dissuasum est ei a quibusdam amicis suis propter conventum populi. Postquam autem cessavit tumultus (*Act.* XX), vocatis Paulus discipulis exhortatus est eos, et valefaciens eis profectus est in Macedoniam, et inde Athenas. Ubi cum fuisset tribus mensibus, positæ sunt ei insidiæ a Judæis in Syriam navigaturo, scientibus quod deferret collectas. Olim cum esset vacuus viator, non posuerunt illi insidias. Habuit igitur consilium, ut reverteretur in Macedoniam, ut ita vitaret insidias. Quidam enim de sociis ejus profecti sunt recta via. Et præcedentes nos, dicit Lucas, substituerunt nos Troade per circumitum venientes. Nos vero navigavimus post dies azymorum Philippis quæ est prima civitas Macedoniæ, et in quinque diebus venimus Troadem, ubi demorati sumus septem diebus. Una autem Sabbati cum perendinaremus disputabat Paulus cum eis, in crastino profecturus, et protraxit sermonem in mediam noctem, et erant lampades copiosæ in cœnaculo, ubi congregati eramus.

CAP. XCVI. — *De mortuo resuscitato a Paulo.*

Et cum sederet quidam adolescens super fene-

Digitized by Google

stram (*Act.* xx), et gravaretur somno, cecidit de tertio cœnaculo deorsum, et sublatus de terra, oblatus est Paulo mortuus, et dicebatur Eutichus. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum, et complexus eum, ait : « Nolite turbari; anima enim ipsius in eo est adhuc. » Hoc autem ait, ut tolleret desperationem ab eis. Simili verbo usus est Dominus, dicens : « Puella non est mortua, sed dormit (*Matth.* ix). » Et suscitatus est adolescens, et gustavit cibum, et confortatus est. Sic inter verba prædicationis occurrit occasio cugationis, ut ostensione miraculi confirmaretur doctrina Pauli, et ut arctius infigeretur eorum mntibus memoria magistri ab eis discessuri. Nos autem ascendentes, dicit Lucas, navigavimus in Asson, ut ibi exspectaremus Paulum; sic enim disposuerat ipse, per terram interim iter facturus. Et cum redisset ad nos, assumpto eo, venimus Miletum. Proposuerat enim Paulus in transitu navigare Ephesum, moram non facturus. Festinavit enim si possibile esset ut in die Pentecostes esset Jerosolymis. A Mileto autem non navigavit; sed misit Ephesum, et vocavit majores Ecclesiæ. Et vocati venerunt Mileto, et exhortatus est eos dicens se ascendere Jerosolymam. « Ecce, inquit, alligatus Spiritu, » id est Spiritu sancto, ad id me coarctante, « vado in Jerusalem, quæ ventura ibi mihi sunt ignorans, » licet Spiritus sanctus mihi per alios protestetur quia vincula et tribulationes me ibi manent. Aliis enim revelaverat Spiritus sanctus de ipso, quod non ipsi. « Sed nihil, inquit, horum vereor, nec facio animam meam, » id est vitam temporalem, « pretiosiorem quam me, » id est quam animam meam, « dummodo consummem cursum meum, et ministerium, quod accepi a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei. Et nunc ecce scio, quia amplius non videbitis faciem meam. » Et post multam exhortationem, positis genibus una cum omnibus illis, oravit. Et procumbentes super collum Pauli, flentes osculabantur eum, dolentes maxime de eo quod dixerat, quoniam faciem ejus non erant amplius visuri, et deduxerunt eum usque ad navem. Et abstracti ab eis transeuntes multas urbes (*Act.* xxi) et regiones venimus Tyrum, ubi mansimus septem diebus, inventis ibi discipulis quibusdam per spiritum propheticum Paulo prædicentibus, quæ illi eventura erant in Jerusalem, et dissuadentibus ne ascenderet. Postea profecti sumus deducentibus nos omnibus cum uxoribus, et filiis, usque foras civitatem. Et valefacientes eis ascendimus navem. Illi autem redierunt in sua. Nos autem ascendimus Ptolemaidem, salutatis fratribus mansimus cum eis una die.

CAP. XCVII. *De hoc quod Agabus Paulo prædixit.*

Altera autem die venimus Cæsaream (*Act.* xxi), et introivimus domum Philippi diaconi. Huic erant quatuor filiæ virgines, prophetissæ, prædicentes Paulo quod erat ei eventurum in Jerusalem. Et cum moraremur ibi per aliquot dies, supervenit propheta de Judæa, nomine Agabus. Qui cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli, et ligans sibi manus et pedes, ait : « Hæc dicit Spiritus sanctus : Virum, cujus est hæc zona, sic alligabunt in Jerusalem Judæi, et tradent in manus gentium. » Hæc audientes, rogabamus nos et qui erant loci illius, ut non ascenderet in Jerusalem. Et respondit : Quid fletis affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed etiam mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu Christi. Et cum non possemus ei dissuadere, quievimus, dicentes : « Domine, fiat voluntas. » Postea præparati ascendimus Jerusalem, et nonnulli de discipulis, qui erant in Cæsarea nobiscum, adducentes Jasonem hospitem nostrum. Et cum venissemus Jerusalem, libenter exceperunt nos fratres. Sequenti autem die introivit Paulus nobiscum ad Jacobum, qui erat episcopus Jerosolymorum, de quo dicit Beda super hunc locum, quod triginta annis rexit Ecclesiam Jerosolymitarum, scilicet usque ad septimum annum Neronis, qui secundum Josephum exerebratus est pertica fullonis. Beda dicit, quia præcipitatus est de templo. Alibi legitur, lapidatus. Et potuit esse, quia postquam præcipitaverunt eum, lapidaverunt eum, quasi vile cadaver. Sed cum Beda dicat mortuum Jacobum septimo anno Neronis, palam est non esse authenticum, quod legitur in epistola Clementis, qui, juxta tenorem illius epistolæ, dicit sibi esse mandatum a Petro, cui successit in apostolatu, ut post ejus mortem, Jacobo episcopo epistolas destinaret, ut ab eo instrueretur. Sed cum Jacobus episcopus mortuus sit septimo anno Neronis, et Petrus vixerit usque ad decimum quartum, constat hoc nihil esse.

CAP. XCVIII. *De hoc quod obtulit de consilio, secundum legem.*

Cum autem intrasset Paulus ad Jacobum, collecti sunt seniores (*Act.* xxi). Quibus salutatis narrabat per singula quæ et quanta fecerat Deus in gentibus per ejus ministerium. Qui cum audissent, magnificabant Deum, et dixerunt Paulo : « Vides, frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt. Omnes tamen adhuc sunt æmulatores legis, » volentes pariter cum fide suscepta observare legalia, et audierunt de te, quod prædices abolitiones legis, et odibilis factus es, quasi destructor legis Moysi. Convenit ergo multitudo, audiens te supervenisse. Unde consulimus tibi, ut sanctifices te secundum legem, cum quatuor qui habent votum super se, ut sic appareat falsa opinio, quæ increbuit de te. Et statuerunt de ejus consensu, ut Judæis ad fidem conversis non prohiberetur observatio legalium, duntaxat ne ponerent spem in eis. Et distingue quatuor synodos in primitiva Ecclesia Jerosolymis celebratas. Primam de substitutione Matthiæ loco Judæ. Secundam de electione septem diaconorum. Tertiam de legalibus, qua statutum est, conversis ad fidem ex gentibus, non esse imponendum onus, quando ascenderunt Paulus et Barnabas de Antio

Digitized by Google

chia in Jerusalem. Quartam de qua hic agitur, qua statutum est non prohiberi Judæos a legalibus observantiis, dummodo non ponerent spem in eis.

CAP. XCIX. *Quod ligatus est Paulus a præside ad clamorem Judæorum.*

Postera die purificatus Paulus cum quatuor viris (*Act.* XXI), intravit templum cum eis, et obtulit oblationem suam, sicut alii. Consummatis autem septem diebus, Judæi, qui venerant de Asia persequentes Paulum, cum vidissent eum in templo, qui viderant Trophimum Ephesium deambulantem cum eo per civitatem, putaverunt quod introduxisset eum in templum, hominem scilicet gentilem, et concitaverunt omnem populum contra eum, et injecerunt manus in eum, dicentes : « Viri Israëlitæ, adjuvate. Hic enim est homo, qui contra populum, et legem, et locum istum prædicat ubique terrarum, et insuper gentiles induxit in templum, et contaminaverunt locum sanctum. » Commota est ergo universa civitas, et facta est dissensio populi. Et apprehendentes Paulum, traxerunt extra templum, et clauserunt januas, ne fugeret in templum, et quærentibus eum occidere, nuntiatum est tribuno cohortis, scilicet Claudio Lisiæ, qui missus fuerat a Felice præside. Et cum assumptis militibus et centurionibus occurrisset, videntes eum desierunt percutere Paulum. Et apprehendit Paulum, et jussit eum ligari catenis duabus, donec de causa ejus cognovisset. Et cum non posset audire præ tumultu, jussit eum duci in castra, scilicet in turrim regiam. Et cum venisset ad gradum, forte ad gradum templi, vel ad gradum domus propriæ, portabatur Paulus a militibus propter impetum populi, sequebatur enim omnis populus clamans : « Tolle eum, » ad mortem scilicet. Et cum induceretur Paulus in castra, ait tribuno : « Licet mihi loqui aliquid ad te. Ad quem tribunus : Nosti Græcam linguam? Ait : Novi. » Locutus est enim tribunus Græce, ne Judæi intelligerent. Nunquid tu es Ægyptius ille, qui ante hos dies tumultum concitavit, et inde eduxit secum in desertum quatuor millia virorum sicariorum? Josephus dicit quod cum pluribus millibus, et potuit primo venire cum paucioribus, postea habere plura.

CAP. C. *De Ægyptio, qui populum seduxerat.*

Ægyptius iste per artem magicam sibi comparat nomen prophetæ, et congregatis triginta millibus Judæorum, eduxit eos per desertum, usque ad montem Oliveti, volens irruere in Jerusalem, ut eam caperet. Sed occurrens ei Felix præses cum multis millibus armatorum, fugavit eum cum paucis, et alios occidit. Respondens Paulus tribuno ait : « Homo sum Judæus, non Ægyptius, a Tarso Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps (*Act.* XXI). » Non est natus tamen in Tarso, sed in oppido Galilææ nomine Giscallo. Quo capto a Romanis, translatus est Tarsum cum parentibus, et ibi educatus, unde ab educatione se dicit Tarsensem, licet in Giscallo fuerit natus, Christus Nazarenus dicitur, licet in Bethlehem sit natus. Non est educatus in Tarso; sed in municipiis adjacentibus civitati, unde non vocat se civem, sed municipem, a municipio et territorio civitatis, in quo nutritus est. Dicuntur autem municipia, vicina rura civitatis, quæ munera debita, vel tributa solvunt civitati.

CAP. CI. *Quod cognitus a populo permissus est loqui præsidi.*

In sequentibus autem magis declaratur, quare se dixerit Paulus civem Romanum, et est summa, quia pater suus per obsequiorum diligentiam sibi comparaverat gratiam Romanorum, et donatus est ab eis Romana libertate, ut putaretur civis Romanus ipse, et hæredes sui, et sic jure hæreditario habebat Paulus consortium Romanæ civilitatis. « Rogo ergo te, permitte me loqui ad populum. » Et permissus cœpit loqui Hebraice. Quod audientes magis præstiterunt ei silentium. « Viri fratres (*Act.* XXI), ego sum homo Hebræus natus in Tarso Ciliciæ, nutritus in hac civitate secus pedes Gamalielis, et ab eo eruditus, et fui æmulator legis, sicut et vos, et persecutus sum Christianos. Cujus rei testis est mihi princeps sacerdotum, a quo accepi litteras in Damascum, ut si quos ibi invenirem Christianos, vinctos perducerem in Jerusalem. » Postea prosecutus est quomodo percussit eum Dominus cæcitate in via, quomodo conversus, et baptizatus ab Anania, quomodo post multum circumitum de Damasco rediit in Jerusalem. Et dum oraret in templo factus est in exstasi, et vidit, et audivit Christum dicentem sibi : « Festina, et exi velociter de Jerusalem, quia non recipient testimonium tuum de me. » Ad quem ipse respondit : « Domine, ipsi sciunt, quia persequebar sectatores nominis Christiani, et interfui lapidationi Stephani, custodiens vestimenta lapidantium. » Quasi dicat : Debet eis sufficere hoc exemplum conversationis meæ. Et Dominus ad eum : « Vade, quoniam ad nationes mittam te longe. » Quasi diceret : Nec propter hoc credent tibi Judæi, ideo mittam te ad gentes, quæ tam loco quam animo a Judæis sunt longe.

CAP. CII. *Quod Paulus civem Romanum se fecit.*

Cumque usque ad hoc verbum in silentio audissent eum Judæi, audito (*Act.* XXII) quod destinatus esset gentibus, unanimiter vociferati sunt, proji-cientes vestimenta sua, et pulverem jactantes in aera præ magnitudine tristitiæ, quasi furorem exprimentes, dicentes tribuno : « Tolle de terra hominem hujusmodi : non est enim fas eum audire. » Et jussit eum tribunus adduci in castra, in turrim scilicet illam, quæ dicebatur Antonia, et Agrippina, et cædi flagellis, et torqueri ita, ut non occideren: eum, tormentis ejus satiati. Et cum astrinxissent eum loris, dixit Paulus astanti Centurioni : « Licet vobis flagellare hominem Romanum indemnatum? » id est de nullo reatu ordine judiciario convictum. « Quo audito, accessit Centurio ad tribunum dicens : Quid acturus es? Hic homo civis Romanus

Digitized by Google

est. » Et accedens tribunus ad Paulum, quæsivit ab eo, an Romanus esset. Et confessus est. Et ait tribunus : Ego multa summa pecuniæ hanc civilitatem emi. Ego, inquit Paulus, in ea natus sum; quia pater suus, ut prætaxatum est, antequam gigneret eum, comparata sibi gratia Romanorum, civilitate Romanorum donatus est ab eis in se et in hæredibus suis. Et statim discesserunt inde, qui erant eum torturi, quia timuit tribunus, audito quod esset civis Romanus.

CAP. CIII. *De schismate orto inter Judæos ex industria Pauli.*

Postera autem die volens scire diligentius causam accusationis Pauli (*Act.* XXII), solvit eum, et jussit convenire sacerdotes ad concilium. Et producens Paulum, statuit eum inter eos. Et cœpit Paulus palam loqui consilio (*Act.* XXIII) : « Viri fratres, inquit, ego omni conscientia bona conversatus sum apud Deum, usque in hodiernum diem. » Et statim princeps sacerdotum Ananias præcepit astantibus, ut percuterent os ejus, quasi impudenter gloriantis. Ad quem Paulus : « Percutiet te Deus, paries dealbate. » Quasi dicat : Vindicabit in te Deus, o hypocrita, quia cum sedeas super cathedram Moysi, quasi secundum legem videris judicare, et judicas contra legem, quia cum me reputes blasphemum, non me judicas legis ordine, quæ præcipit blasphemum extra castra educi, et eductum ab omni populo lapidari. Vel forte prophetavit Paulus de abolitione sacerdotii Judæorum, dicens : « Percutiet te Deus, » quasi dicat : Destruet te Deus, et sacerdotium tuum, sacerdotium scilicet Judæorum. Tunc qui astabant dixerunt : « Summum sacerdotem Dei maledicis? tunc Paulus ait : Nesciebam, fratres, principem esse sacerdotum ; revera si hoc scirem, reus essem. Scriptum est enim : « Principem populi tui non maledices (*Exod.* XXII). » Vel quasi mystice ait se nescire, id est sacerdotium Judæorum reprobatum esse, quia licet noverit hunc non esse vere principem sacerdotum, tamen temperate respondet, instruens alios, ut modestius se haberent erga prælatos suos. Tunc timens Paulus imp. tum Judæorum, excogitavit, quomodo moveret schisma inter eos. Et cum præsentes essent Pharisæi et Sadducæi, coram omnibus professus est se esse de secta Pharisæorum (*Philipp.* III), ut ita conciliaret sibi animos eorum, et eorum beneficio evaderet manus aliorum. Et cum professus esset, facta est dissensio magna inter Pharisæos et Sadducæos.

CAP. CIV. *Quod Dominus confortavit Paulum.*

« Et exsurgentes quidam Pharisæorum, pugnabant pro Paulo contra Sadducæos, dicentes : Nihil mali inveninus in homine isto. Quid si spiritus locutus est ei, vel Angelus? » (*Act.* XXIII.) Hoc autem contra Sadducæos dicebant, negantes angelum esse, vel spiritum, vel animam. Et cum facta esset tanta dissensio, timens tribunus ne discerperetur Paulus a Sadducæis, scilicet volentibus eum rapere, jussit milites descendere et rapere eum de medio eorum, ac deducere in castra, et sic factum est. Sequenti autem nocte apparuit Dominus Paulo, dicens : « Constans esto, sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic oportet te et Romæ testificari. »

CAP. CV. *Quo modo conjuratum est in mortem Pauli.*

Facto autem die, collegerunt se quidam ex Judæis (*Act.* XXIII), et devoverunt se maledictioni, si comederent, vel biberent, donec occiderent Paulum, pro quo in Græco habetur, anathematizaverunt. Et erant plus quam quadraginta viri, qui hanc conjurationem fecerant, et accesserunt ad principes sacerdotum et seniores, dicentes : Devotione devovimus nos, nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. Persuadete ergo tribuno, ut adhuc perducat eum in medium ad vos, tanquam aliquid sitis certius cogniturí de eo. Nos vero parati erimus interficere eum. Forte hoc audiens nepos Pauli, filius sororis ejus, intravit in castra, et nuntiavit hoc Paulo. Et advocans Paulus unum de centurionibus ait : « Adolescentem hunc produc ad tribunum, habet enim aliquid indicare ei. » Et cum venisset adolescens ad tribunum exposuit dolos, et insidias Judæorum contra Paulum. Tunc dimittens adolescentem tribunus præcepit ei ne alicui hoc revelaret. Et convocatis duobus centurionibus ait illis : Parate milites ducentos, ut eant usque Cæsaream pedestres, et equites septuaginta, scilicet qui non eant pedestres, et lanceartos ducentos a tertia hora noctis, et parate jumenta decem Paulo et comitibus suis, et perducite eum sanum et incolumem ad Felicem præsidem.

CAP. CVI. *Quod ante præsidem contra Tertullum oratorem contendit.*

Scripsit quoque tribunus præsidi epistolam in hunc modum (*Act.* XXIII). « CLAUDIUS Lysias optimo præsidi, FELICI salutem. » Nec servavit quod in epistolis nostris servamus. Non enim excellentioris personæ præmisit nomen, imo nomen suum, qui erat inferior persona præside. Postea exposuit in epistola causam accusationis Pauli, et modum, et ordinem actionis. Cumque venissent Cæsaream nuntii cum Paulo, tradita epistola præsidi statuerunt Paulum ante eum, et epistola perlecta, cognito quod esset de Cilicia, ait præses : « Audiam te cum accusatores tui venerint, et jussit eum custodiri in prætorio Herodis. » Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum (*Act.* XXIV) Ananias, cum senioribus et cum oratore quodam Tertullo, qui esset advocatus eorum. Et peroravit Tertullus ante Felicem, et in multis accusavit Paulum. Postea annuente præside, respondit Paulus ostendens quia nihil dignum morte commiserat, et quod persequebantur eum Judæi pro veritate, scilicet quod prædicabat resurrectionem. Et audito quod esset controversia de lege eorum, parvipendens Felix ait : Audiam vos cum tribunus Lysias descenderit, et jussit Paulum esse in libera custodia, ut liberè

Digitized by Google

posset ingredi, et egredi, et deambulare, et non prohiberetur quisquam de suis ei ministrare. Post aliquot vero dies, venit Felix cum uxore sua Drusilla, et vocavit Paulum. Ista Drusilla Judæa erat pulcherrima, quam olim concupierat Lazitus, rex Amazonum. Et cum vellet eam ducere, negavit dicens, quia nullo modo nuberet incircumciso. Postea ille circumcidit se, et duxit eam.

CAP. CVII. *Quod Felix voluit pecuniam extorquere a Paulo*

Cùm autem missus esset Felix a Claudio præses Judææ, sollicitabat eam per Judæos, ut nuberet ei. Et tandem inducta est ab hoc exemplo cognatæ suæ Beronice, quæ olim dimisso viro suo nupserat ditiori, scilicet Agrippæ regi, filio Herodis Agrippæ, qui habebat terram ultra Jordanem. Dimisso igitur priori viro, scilicet Lazito rege Amazonum, nupsit Drusilla Felici; hæc Drusilla, quia Judæa erat, libenter audiebat Paulum de fide, quæ est in Jesum Christum. Et cum disputaret Paulus de justitia, et castitate, et de judicio futuro, tremefactus est præses audiens se judicandum. Et ait Paulo : « Vade, tempore opportuno accersiam te (*Act.* XXIV). » Hoc autem dicebat, sperans se aliquid ab eo accepturum. Putabat enim Paulum habere pecuniam, unde frequentius eum accersiens, loquebatur cum eo. Biennio autem completo successit Festus Felici missus a Nerone. Si autem intelligatur biennio a præsidatu Felicis, non poterit stare, cum a longe retro constitutus præses a Claudio. Festus autem missus est a Nerone qui successit Claudio. Si autem intelligatur biennio ab accusatione Pauli, nec sic poterit stare. Non enim adhuc fluxerant duo anni, ex quo venerat in Hierusalem. Intelligendum est ergo biennio ab accusatione Felicis, ex quo scilicet accusatus est a Judæis.

CAP. CVIII. *De seditione inter Judæos et gentiles.*

Orta est enim dissensio inter Judæos et gentiles in Cæsarea de honore civilitatis; Judæi enim præferebant se gentilibus, quia Herodes Ascalonita, qui circumcisionem accepit, fuerat conditor civitatis, et appellaverat eam Cæsaream in honorem Cæsaris. Gentiles se præferebant Judæis, dicentes quod a gentilibus facta est primaria ædificatio civitatis, quæ antequam reædificaretur ab Herode dicta est Pyrgo Stratonis. Felix autem primo fovit partem Judæorum, donec exhausit marsupia eorum, postea fovit partem gentilium in tantum quod militibus gentilium dedit licentiam intrandi domos Judæorum, et diripiendi bona eorum. Unde accusatus est a Judæis ad Neronem, et biennio ab accusatione amotus est a præsidatu, et substitutus est ei Festus. Volens autem in fine præsidatus sui placere Judæis, reliquit Paulum vinctum (*Act.* XXIV). Festus autem cum venisset in provinciam (*Act.* XXV), post triduum ascendit Hierosolymam a Cæsarea, et rogaverunt eum principes sacerdotum, et primi Judæorum, ut juberet adduci Paulum in Hierusalem, parantes ei insidias, ut occiderent eum in via. Festus autem respondit se in Cæsaream maturius descensurum, et eorum accusationem, si pariter descenderent, ibidem auditurum.

CAP. CIX. *De appellatione Pauli.*

Demoratus autem Festus in Hierusalem paucis diebus, descendit in Cæsaream (*Act.* XXV), et sedit pro tribunali, et productus est Paulus in medium, et accusatus est in multis ab his, qui descenderant de Hierusalem, sed non poterat probare, quæ objiciebantur ei, Paulo in omnibus rationem reddente. Festus autem volens placere Judæis, ait Paulo : « Vis ascendere in Hierusalem, et de his judicari apud me? Ad quem Paulus : « Ad tribunal Cæsaris sto, ibi oportet me judicari. » Erat autem sedes in Cæsarea, juxta quam stabat Paulus, quam paraverat Herodes Cæsari, ut in ea sederet, si quando veniret in Cæsaream, vel quos mitteret judices. Et excusabat se Paulus dicens : « Judæis non nocui, sicut nosti. Si quid dignum morte commisi, volo mori; si vero nihil commisi, nemo est qui audeat me tradere illis, quia Cæsarem appello. Tunc Festus cum consilio respondens, ait : Ad Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis. »

CAP. CX. *De hoc quod Agrippa rogabat Festum.*

Et cum dies aliquot transacti essent (*Act.* XXV), descendit Agrippa in Cæsaream cum uxore sua Berenice. Josephus dicit de Berenice : Non est intelligendum, quod fuerit uxor ejus, sed quasi uxor. Erat enim soror ejus, id est cognata secundum idioma Hebræum, et tenerrime eam diligebat, et imponebatur ei quod abutebatur ea. Descendit autem rex Agrippa in Cæsaream, audito quod ibi esset Festus, ut accusaret Judæos apud eum. Iste namque Agrippa infestus erat Judæis, quia cum accepisset potestatem a Romano imperatore constituendi summum sacerdotem in Hierusalem, constituebat eos sacerdotes qui non erant Aaronitæ. Fecerat enim in palatio suo fenestram eminentem, unde poterat videre quæcunque fiebant in templo sacrificia. Quod moleste sustinentes Judæi, fecerant appositum murum fenestræ, eminentiorem fenestra. Venerat ergo specialiter Agrippa rogaturus Festum, ut murum illum obrueret. Causam tamen descensus Agrippæ in Cæsaream, non habes in historia Actuum, sed Josephus supplet.

CAP. CXI. *Quomodo peroravit Paulus coram Festo et Agrippa.*

Cumque descendisset Agrippa, honorifice receptus est a Festo, et cum per dies plures moram fecisset cum eo, consuluit eum, quid faceret de Paulo, et exposita ei accusatione Judæorum contra Paulum respondit Agrippa se velle videre Paulum (*Act.* XXV). Altera die venerunt Agrippa et Berenice cum multa ambitione, id est cum multa turba eos ambiente, vel cum multa ambitione, id est cum multiplici apparatu vel cum multa ambitione, id est cum multo desiderio audiendi Paulum. Et cum introissent auditorium cum tribunis, et viris principalibus civitatis, jubente Festo, adductus est Paulus, et dixit Festus. Agrippa rex, et vos omnes, qui adestis simul, vi-

Digitized by Google

dete hunc, super quo universa multitudo Judæorum interpellavit me Hierosolymis, dicentes eum dignum morte. Ego autem nihil in eo comperi dignum morte. Ideo cum appellaverit ad Augustum, eum Romam mittere decrevi. Sed irrationabile mihi videtur mittere aliquem vinctum, et causam ejus non significare. Ideo consulo te super hoc, rex Agrippa; quia non habeo quid certum scribam de eo. « Tunc Agrippa ad Paulum: «Permittitur tibi loqui pro te. » Tunc Paulus extensa manu more concionantium, vel ad faciendum silentium, cœpit de omnibus reddere rationem, super quibus accusabatur a Judæis. Beatum, inquit, me reputo, rex Agrippa, quia in audientia tua sum responsurus, cum peritus sis in lege Moysi, et noveris consuetudines Judæorum. « Propter quod obsecro, ut patienter me audias. » Et prosecutus est modum conversionis suæ, et super quo accusaretur a Judæis. Et post multos sermones Pauli, respondit Festus magna voce: Insanis, Paule: multæ litteræ te faciunt insanire. Non insanio, inquit Paulus, optime Feste, sed sobrietatis et veritatis verba loquor. Scit enim rex Agrippa, in cujus præsentia loquor. Nihil enim horum eum latere arbitror. Nec enim quidquam horum in angulo factum est. Credis, Agrippa, prophetis? Scio, quia credis. Ad quem Agrippa: In modico suades me fieri Christianum. Ad quem Paulus: Opto apud Deum, non tantum te, sed et omnes, qui audiunt hodie, fieri tales quales ego sum, exceptis vinculis meis. « Nolo enim vinculatos esse. »

Cap. CXII. *Quod Paulus missus est Romam.*

Tunc surrexit rex, et præses, et Berenice (*Act.* XXVI), et qui assidebant eis. Et cum secessissent, loquebantur adinvicem, dicentes: Nihil dignum morte aut vinculis fecit homo iste. Et ait Agrippa ad Festum: « Dimitti poterat homo iste, si non appellasset ad Cæsarem. » Et decrevit Agrippa, quia appellaverat, mittendum esse ad Cæsarem. Et traditus est Paulus Julio centurioni cohortis Augustæ (*Act.* XXVII), militum scilicet, qui missi fuerant ab Augusto, et pariter miserunt Romam nuntios Judæi contra Agrippam, adversus quem multas habebant querelas, quia, ut supra prætaxavimus, constituerat Ismaelem summum sacerdotem, cum non esset de genere Aaron. Et hic ponit Josephus catalogum sacerdotum, qui fuerant ab institutione sacerdotii, usque ad terminum ejusdem, sub distinctione trium temporum, ab Aaron usque ad tempus David, et fuerunt singuli 13, unus post alium in 612 annis, et succedebant filii patribus, primogenitus filius Aaron, scilicet Eleazar, successit ei in summum sacerdotem, filius Eleazari successit ei, et ita in posterum. Nam de Ithamar non erant summi sacerdotes, sed minores, nisi pauci circa tempora David. Nam in Heli sacerdotium translatum est ad filios Ithamar. Abiathar quoque erat de Ithamar, quem deposuit Salomon, et ejus loco statuit Sadoch, qui erat de Eleazar.

Cap. CXIII. *Quod incidenter narrat de sacerdotibus Judæorum.*

David autem volens ampliare cultum Dei, videns, quod non sufficeret unus summus sacerdos ad ministrationem, quia si infirmaretur, non erat interim qui incensum poneret, quod necesse erat singulis diebus offerri, instituit viginti quatuor summos sacerdotes, quorum sexdecim erant de genere Eleazar, octo de genere Ithamar. Unus tamen illorum ex viginti quatuor, summus erat, qui dicebatur princeps sacerdotum. Administrabant autem per septimanas, quæ jure hæreditario devolutæ sunt ad posteros eorum. Et unusquisque viginti quatuor summorum sacerdotum cum administrabat, secum habebat viginti quatuor minores sacerdotes, et totidem Levitas, et totidem janitores duplicato numero Nathinæorum. Fuerunt autem octodecim principes sacerdotum a tempore David usque ad transmigrationem Babylonis in quadringentis et sexaginta sex annis. A transmigratione autem cessavit sacerdotium, usque ad reditum de captivitate sub Zorobabel et Jesu magno sacerdote. Et inde, usque ad tempora Machabæorum fuit tempus sacerdotum. Tempus autem Machabæorum non deputatur sacerdotio, quia idem erant duces et sacerdotes, et sic usque ad Herodem, qui fecit occidi quotquot invenerat de genere sacerdotum, ne iterum ad eos devolveretur regnum. Et vendebat summum sacerdotium quandoque uni, quandoque pluribus similiter. Et fuerunt omnino usque ad eversionem Hierusalem viginti novem summi sacerdotes. A tempore autem Herodis, usque ad eversionem Hierusalem non posuit Josephus summam annorum, sed constat fuisse centum quinque, cum Herodes ante nativitatem Domini triginta annis regnavit, et Dominus triginta tribus annis vixit, et a morte Domini usque ad eversionem Hierusalem quadraginta duo anni fluxerunt. Sed de his hactenus.

Cap. CXIV. *De tempestate in mari, quam prædixerat Paulus.*

Traditus est Paulus Julio centurioni (*Act.* XXVII), ut prætaxatum est. Et dedit Dominus gratiam Paulo in oculis ejus, ut humane tractaret eum, nec prohiberet amicos ejus in civitatibus, per quas transibat, ei ministrare. Prosequitur ergo Lucas de progressu itineris. Ascendentes, inquit, navem Adrumetinam, incepimus navigare circa Asiæ loca. Quidam syllabicando, volunt distinguere, ad Rumentinam, ut dicatur secundum eos, navis ad Rumentinam, scilicet Romam, tendens, sed melius a nomine civitatis dicitur Adrumetina. Adrumetis enim est civitas Africæ. Postea enumerat Lucas civitates per quas transibant, quas non est necesse enumerare, nisi in quibus aliqua gesta sunt non prætermittenda. Inter cætera venerant Listram, ubi habuit Paulus plures amicos, qui ministraverunt ei. Ibi inveniens centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit nos in eam, ut dicit Lucas, de navi scilicet quam prius ascende-

Digitized by Google

ramus, nos transtulit in illam. Et cum multis diebus navigavimus lente, vento scilicet ire liberius prohibente, tandem adnavigavimus Cretæ, et inde vix devenimus in locum qui dicitur Boni portus, et ibi multo tempore fuimus, non ausi ingredi mare, cum non esset apta navigatio, eo quod jejunium præterisset, id est fames magna in navigio, ad navigandum reddens nautas infirmiores. Vel de jejunio septimi mensis intelligi potest, quod est inter diem Propitiationis, et Scænopegiæ, scilicet inter x diem Septembris et xv, et sic probat non esse tutam navigationem, quia jam erat septimus mensis, qui inferius est hieme secundum Hebræos, qui Aprilem primum computant. In hieme autem non est tutum navigare. Vel potest intelligi de jejunio instituto in memoriam mortis Godoliæ, quod fit in fine Septembris. Vel de jejunio decimi mensis, quod scilicet fiebat in Januario, quod constituerunt auditis rumoribus de constructione templi in Babylone. Cum autem molestum esset centurioni, et aliis, quod non possent navigare, consolabatur eos Paulus, dicens : « Viri, video, » forte ex signis tempestatis, vel in spiritu prophetico, quia non sine « multo damno, non solum oneris et navis, sed etiam animarum vestrarum, potestis navigare. » Centurio autem magis credidit nauclero, sive naviculario, quam Paulo, scilicet domino navis. Nauclerus enim dicitur, in cujus sortem cedit dominium navis. Cleros enim *sors* dicitur. Hoc autem compulit centurionem, magis credere nauclero, quam Paulo, quia portus, in quo erant non erat idoneus ad hiemandum, et ideo consulebant omnes inde navigare, si quo modo possent ad alium portum pervenire, qui magis esset idoneus ad hiemandum. Et contra consilium Pauli, aspirante austro, ad portum propositum anhelantes, intraverunt mare. Et cum aliquantulum processissent, insurgens ventus typhonicus, irruit contra navem, qui dicebatur euro-aquilo. Dicitur autem ventus typhonicus, quasi inflans mare, et faciens intumescere. Typhos enim interpretatur *inflatio*. Et cum arrepta esset navis, et non posset conari contra ventum, cessante remigio, ferebamur in incertum, decurrentes ad insulam quamdam, quæ dicitur Cauda, et vix potuimus obtinere scapham de navi in mare depositam in adjutorium navis, quia impetu fluctuum fere rupta est. Scapha dicitur levis navicula, de una tantum arbore concavata. Vel dicitur modica navis viminea, crudo corio tecta cujusmodi utuntur piratæ. Et dicitur a scaphon, quod interpretatur *speculum*, quia hujusmodi navibus utuntur piratæ ad speculandum et explorandum, et deferuntur hujusmodi naviculæ in navibus et imminente naufragio deponuntur in mare ad subveniendum navi, quia his navis accingitur, et in procinctu tempestatis armatur. Cum autem sic tempestate valida jactarentur, sequenti die fecerunt jactum, id est ejectionem utensilium de navi.

A CAP. CXV. *Quod constitutos in periculo Paulus confortavit.*

Et cum neque sol in die, neque in nocte luna et sidera apparerent, ablata erat omnis spes salutis (*Act.* xxvii). Et cum fecissent diuturnum jejunium, forte voluntarium, pro amovenda tempestate, vel necessarium, quia forte arctabantur penuria victualium, omnibus projectis in aquam, stans Paulus in medio eorum, dixit : « Sanum erat consilium acquiescere mihi, et lucrifacere injuriam hanc, et jacturam. Nunc tamen suadeo vobis bono animo esse. Certi estote quia nemo periclitabitur ex vobis, nec patiemini jacturam, nisi navis. Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cui servio dicens : Ne timeas, Paule, Cæsari oportet te assistere. Et ecce, B donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum, » id est merito tuo conservabit, ut nemo ex eis periclietur. « Propter quod, inquit, bono animo estote. Credo enim Deo meo, quia sic erit quemadmodum dictum est mihi, et in insulam quamdam oportet nos venire. » Ideo autem de hoc prædicit eis veritatem, ut videntes hoc impletum, certius sperent salutem. « Sed postquam xiv, die nox supervenit, circa mediam noctem suspicabantur nautæ, apparere sibi aliquam regionem, et submittentes pondus plumbi, quo maris profunditas exploratur, invenerunt passus viginti. Et pusillum inde separati, invenerunt passus quindecim, et timentes ne in aspera loca inciderent, de puppi mittentes anchoras quatuor optabant diem fieri. »

C CAP. CXVI. *De constantia Pauli*

Et cum vellent nautæ aufugere demittentes scapham in mare (*Act.* xxvii), videns hoc Paulus in spiritu, ait centurioni, et militibus : « Nisi in navi manserint homines isti, non potestis salvi fieri. » Et statim milites absciderunt funes scaphæ, et abiit per mare. Cum autem illucesceret dies, rogabat Paulus omnes, ut sumerent cibum, ut fortiores essent ad laborem sustinendum. Quartadecima, inquit, dies est hodie, ex quo exspectavimus serenitatem aeris, et permanetis jejuni, nihil accipientes. Forte die illa nihil comederant, vel forte dies plures sine cibo transierant. Confortamini, inquit, et cibum sumite; quia nec etiam capillus de capite D vestro peribit. Et hoc dicto sumebat panem in conspectu omnium, cum gratiarum actione, juxta morem solitum, et cum fregisset cœpit manducare. Alii quoque animæquiores facti, sumpserunt cibum, et erant animæ in navi ducentæ septuaginta sex.

CAP. CXVII. *Prosecutio historiæ.*

Tunc confortati cibo, alleviabant navem, jactantes triticum in mare (*Act.* xxvii). Cum autem dies factus esset, non agnoscebant terram. Sinum autem quemdam considerabant habentem littus, in quem cogitabant, si possent, ejicere navem. Et cum anchoras sustulissent, committebant se mari sine conatu remigii. Et levato artemone, juxta quod ventus eos ducebat, tendebant ad littus. Artemo dicitur modicum velum directioni navis potius accom-

Digitized by Google

modatum, quam celeritati. Et cum incidissent in A locum bithalassum, impegerunt navem. Bithalassus propriè, lingua terræ dicitur in mare protensa, mari hinc et inde circumdata. Et dicitur bithalassum, quasi *mare bifidum*, terræ interjectu divisum. Et cum navis offendisset in bithalassum, prora manebat immobilis. Puppis vero frangebatur maris impetu supervenientis. Et consulebant milites omnes vinctos occidi, ne forte natando aufugerent.

CAP. CXVII. *De verbo Pauli ad centurionem.*

Centurio vero (*Act.* xxvii), volens servare Paulum, prohibuit hoc fieri, et permisit quotquot, et quocunque modo possent evadere, et juxta quod prædixerat Paulus, evaserunt omnes, egressi in insulam, quæ vocabatur Mitilene. Et cum egressi essent, barbari habitatores insulæ officia humanitatis diligenter exhibuerunt eis. Accensa enim pyra reficiebant eos. Et dum Paulus colligeret sarmenta (*Act.* xxviii), et congereret in pyram, vipera, inter sarmenta latens, adhæsit manui ejus. Cum autem viderent barbari viperam in manu ejus pendentem, ad invicem dicebant : « Utique homicida est homo iste, nam cum de naufragio evaserit, ultio divina eum amplius vivere non permittit. » Excutiens autem Paulus viperam in ignem, nihil mali passus est. At illi exspectabant, ut intumesceret manus ejus, quia tumor solet sequi post venenum. Et cum diu exspectassent et nullam in manu ejus deprehenderent læsionem, convertentes faciem suam ad se invicem dicebant : Homo iste Deus est. B

CAP. CXIX. *Quod sanavit principis patrem, et alios.*

Contigit autem patrem Publii principis insulæ febribus et dysenteria laborare (*Act.* xxviii), id est fluxu ventris. Ad quem cum Paulus introisset, et orando imposuisset ei manus, sanavit eum. Quo facto, omnes, qui erant in insula infirmi accedebant ad eum, et sanabantur. Post menses autem invenerunt navem Alexandrinam, quæ in insula Mitilene hiemaverat, cui nomen erat castrum insigne, cui scilicet insulæ, quia adhuc ibi apparebant quorumdam castrorum vestigia, quæ antiquitus ibi fuerant ædificata, vel cui navi, quia in modum castrorum, erant insignia velis intexta. Alia translatio habet cui erat insigne Castorum, qui gemini sunt Castores, scilicet Castor et Pollux, quos gentiles præcipue in periculo maris invocant, et ideo in littore maris eis templum fecerant. Hoc autem ex alia translatione evidentius est, ubi habetur, cui erat insigne filiorum Jovis. Fabulantur enim gentiles Castorem et Pollucem fuisse filios Jovis. Cum autem ascenderent navem multis honoribus, honoraverunt nos, et posuerunt necessaria in navi. Et cum venissent Syracusam, manserunt ibi triduo, et inde venerunt Rhegium, et inde post unum diem, flante austro venerunt Puteolos, pro quo alii libri habent Puteolosum. Et est nomen insulæ, ubi invenerunt fratres, et rogati ab eis manserunt ibi septem diebus. Cum autem audissent adventum eorum fratres qui erant Romæ, occurrerunt eis, usque ad forum Appii, id est ab Appio in littore maris constitutum, et de nocte applicantes ibi, invenerunt victualia venalia, ubi constituerant tres tabernas, tres scilicet domos in littore, in quibus exponerentur cibi venales. C

CAP. CXX. *Quod receptus est a fratribus Christianis.*

Et cum vidisset Paulus fratres ad se venientes (*Act.* xxviii), gratias agens Deo, accepit fiduciam, minus scilicet timuit. Et quia ante adventum Pauli jam Romæ erant Christiani, patet ex hoc loco Petrum et Paulum non primo prædicasse Romanis. Quod si quandoque legatur de constitutione, vel confirmatione fidei intelligendum est, non de primaria institutione. Cum autem venissent Romam, nondum erat Nero confirmatus in regno, nec invaluerat nequitia ejus. Et audiens controversiam esse de lege Judæorum et Christianorum, vilipendit. Et permissus est Paulus libere ire per civitatem, cum uno tantum milite eum custodiente ; timuit autem ne forte Judæi, qui persecuti eum erant in Judæa, misissent litteras ad Judæos, qui erant Romæ, ut in dolo eum occiderent. Ideoque post tertium diem convocavit primos Judæorum. Et cum convenissent, dicebat eis : Ego, fratres, non veni gentem meam accusare ; sed coactus sum appellare ad Cæsarem, quia injuste traditus sum a Judæis in manus Romanorum. Propterea volo vos, fratres, scire quia nulla est causa mortis meæ, nisi quia prædico resurrectionem mortuorum. At illi dixerunt ad eum : Neque litteras accepimus a te de Judæa, nec adveniens aliquis fratrum locutus est de te malum. Volumus autem a te audire, quæ sentis de secta Christianorum, cui adhæres ; audivimus enim, quod ei ubique contradicitur. Et die assignata venerunt ad eum plures in hospitium suum quibus exponebat legem, et prophetas, prædicans de Jesu a mane, usque ad vesperam. Et quidam credebant his, quæ dicebantur, alii non credebant. Et cum discederent dissentientes, cœpit eos Paulus arguere in hunc modum : « Bene Spiritus sanctus de vobis locutus est per Isaiam (cap. VI ; *Matth.* XIII), dicens : Vade ad populum istum, et dic ad eos : Aure audietis nec intelligetis, et videntes videbitis, et non percipietis. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis, et auribus audiant, et convertantur, et sanem eos, quoniam in gentibus missum est hoc Salutare Dei, et ipsi audient. » D

CAP. CXXI. *Quo tempore libere prædicavit.*

Mansit autem Paulus toto biennio in hospitio, quod ipse conduxerat (*Act.* xxviii), in libera custodia, et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans verbum Dei, et docens de Domino Jesu Christo cum omni fiducia, sine prohibitione. Et vide quia ante adventum Pauli Romam, jam regnaverat Nero duobus annis. Et veniens Romam per biennium fuit in libera custodia, et postea per decennium in magis libera, quia Nero nondum

Digitized by Google

confirmatus in regno erat, et dedit ei liberam licentiam deambulandi, et circumeundi per partes Occidentis, et prædicandi.

CAP. CXXII. *Quo Neronis imperii anno passus fuerit.*

Quartodecimo vero anno imperii Neronis, cum jam ejus nequitia invaluisset, et jam in Judæos conspirasset, positus est Paulus Romæ in carcerem, ubi multos de familia Neronis convertit, et familiaritatem Senecæ magistri Neronis comparavit. Et eodem XIV. anno, ultimo scilicet imperii Neronis, martyrio coronati sunt ipse et Petrus. Unde patet eos errare, qui dicunt, non eodem die occisos esse, nisi intelligatur eadem die anno revoluto, quod stare non potest, cum constet eodem anno, scilicet quartodecimo, esse occisos, et eadem die

A CAP. CXXIII. *In quibus locis puniti fuerint Petrus et Paulus.*

De loco autem vident minus sentire quidam, qui putant in eodem loco occisos, quia legitur: Gloriosi principes terræ quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati. Potius tamen videtur Paulus, tanquam civis, honorabiliori morte occisus, quia gladiatus, et in catacumbis versus occidentem. Petrus vero crucifixus in Vaticano, in vico scilicet, qui est extra civitatem, ubi fiebant dolia, et ita Paulus honorabiliori morte mortuus est, quia gladiatus. Gladio enim perimebantur nobiles, et in loco magis honorabili, scilicet in catacumbis.

PETRI COMESTORIS SERMONES.

(*Bibliotheca Patrum Lugdun.*, tom. XXIV, p. 1388, ad calcem Operum Petri Blesensis.)

De his sermonibus hæc Petrus a Gussanvilla in Prolegomenis ad Petrum Blesensem (80): « *Quod sermones a Busæo sub nomine Petri Blesensis editi, sint Petri Comestoris aut Manducatoris, luce clarius est. Sed venia danda Busæo, viro alioquin doctissimo, qui cum sciret sermones quosdam a Petro Blesensi fuisse conscriptos, nullumque ipsi illorum suppeteret exemplar, tandem unicum nactus sibi Lovanio missum, in quo titulus erat:* Sermones M. Petri, *suspicatus est sermones esse Petri Blesensis. Verum non esse ipsius, sed Petri Manducatoris quamplurimi mss. qui in variis bibliothecis reperti sunt, clarissime indicant. Quinque autem aut sex mss. codices, quos vidimus et contulimus, proferemus. Primus est Mentelianus, scilicet Jacobi Mentelii, doctoris medici Paris., qui antiquus codex sermones istos legitimo auctori Petro Manducatori restituit, ac sic inscribitur:* Ordo Sermonum magistri Petri Manducatoris per anni circulum. *In fine autem codicis hæc habentur:* Expliciunt Sermones magistri Petri Manducatoris. *Secundus codex est Majoris Monasterii, optimæ et antiquæ notæ, utpote qui circa tempora ipsius Comestoris exscriptus sit, ut apparet ex his verbis quæ ad calcem codicis habentur, eadem prorsus manu qua reliquum opus:* Liber iste est S. Martini, etc. Factus est liber in tempore Guillelmi Armarii, anno octavo Hervei abbatis. *Hervæus autem iste* [*ut patet ex Elencho abbatum Majoris Monasterii qui habetur in notis ad Guibertum de Novigento*] *ab anno Christi* 1178 *ad* 1186 *pastorale munus protraxit. Initium codicis tale est:* Incipiunt capitula Sermonum magistri Petri Manducatoris, qui continentur in hoc volumine, etc. *Tertius est Corbeiensis codex ms., non infimæ notæ, in quo nullus habetur titulus. Sunt autem ildem sermones qui in priori. Quartus est Carthusianus, ex cœnobio Vallis Dei in Perticensi agro; qui quidem codex, a* 500 *fere annis exaratus, sic habet in fronte:* Ordo Sermonum magistri Petri Manducatoris per anni circulum in synodo, etc. *Tandem vidimus tres insignes codices sermonum istorum in bibliotheca monasterii Sancti Victoris Paris., cujus in ecclesia sepultus est Petrus Comestor. In quibus et idem titulus habetur, scilicet:* Sermones magistri Petri Manducatoris; *et præter illos quos Busæus edidit, reperiuntur plures alii ejusdem Petri Manducatoris sermones, qui nondum in lucem venerunt* (81).

SERMO PRIMUS

IN ADVENTU DOMINI.

Erat *Jerosolymis probatica piscina, cujus aqua movebatur ad descensum angeli et qui primus descendebat in eam, sanabatur a quocunque languore, vel infirmitate detinebatur* (*Joan.* v). Προβατον Græce, *ovis* vel *pecus* dicitur Latine, probatica itaque dicta est piscina, quia in ea Nathinæi carnes hostiarum lavabant ad cremandum super altare holocaustorum. De causa autem hujus motus miraculosi, et tempore, in Annalibus nostris non habetur. Verumtamen credibile est imminente adventu Salvatoris accidisse; alioquin Chronici priorum temporum sub

B silentio non præterissent. De causa vero duplex traditio habetur. Prior est, quoniam a diebus Salomonis lignum Dominicæ crucis ibidem in visceribus terræ occultatum fuerat, quod in adventu Salvatoris superenatavit, et inventum est. Proinde pro inventione salutiferæ crucis factus est in ea potus salutaris. Secunda traditio verisimilior est. *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (*I Tim.* II) adventum suum in carnem visibilibus signis demonstravit gentibus ab Oriente et gentibus ab Occidente. Credibile est quod Judæis in umbilico gentium positis præcipue, cum ad eos mittebatur, manifestum tradidit signum et visibile, præsertim cum Judæi signum quærerent; Orientalibus nova

(80) Vide *Patr.* t. CCVII. Ex his etiam quos Busæus edidit, nonnulli, sermones scilicet 7, 15, 17, 21, 22, 23, 25, 26, 28, 34, 35, 40, 51, leguntur inter Hildeberti Cenomanensis Opera. EDIT. PATR.

(81) P. Comest. cap. 81 *Hist. evangel.*

Digitized by Google

stella novi Regis ortum indicavit (82). Neque indecenter; ipsi enim in diebus Nemrod ignem adoraverunt, et militiam cœli. Eventus etiam nostros contingentes motibus siderum ascribebant. Unde per novam stellam indicatum est eis regem ortum in terris, qui superstitionem siderum terminaret in excelsis. Occidentalibus etiam Romæ signum dedit, non solum, quod fons olei erupit et fluxit usque in Tiberim; sed etiam in hoc, quod in eadem nocte, qua virgo peperit, templum Pacis penitus corruit. Romani enim, in monarchia orbis florentes, templum Pacis ædificaverunt multo labore, grandibus expensis et ambitione multa, quod erat admirabile in oculis intuentium. Consulentes autem Apollinem de ejus diuturnitate, responsum est eis, ipsum permansurum donec virgo pareret. Super hoc gavisi, titulum præ foribus inscripserunt: TEMPLUM PACIS ÆTERNUM. Eadem itaque nocte, qua virgo peperit, mirabiliter corruit, et miserabiliter, ac si aperte diceretur eis: Natus est Salvator, Deus vivus et verus, ante cujus faciem corruent idola surda et muta: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth.* I). Judæis vero datum est signum in aqua dedicata usibus hostiarum, ac si diceretur eis: *Veritas de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV) et cessabunt hostiæ figurarum. Verumtamen, quoniam *omnia in figura contingebant illis* (*I Cor.* X), facta autem et scripta sunt hæc propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt, spiritualem illius motionis significationem perscrutemur. Probatica piscina B. Virginem significavit; ipsa enim non solum ovina propter simplicitatem et innocentiam dici potuit, sed etiam ovis. Agnum enim peperit, *qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I). Probabile vero fuit, si agnum peperit, quod ovis fuit. Descendit in eam magni consilii Angelus (*Luc.* I), et mota est triplici motione, scilicet in separatione carnis, in remotione fomitis, in virtute benedictionis. Cum obnubilaret eam virtus Altissimi (*Ibid.*), separavit ab ea carunculam, ex qua formata est caro Salvatoris. Extinctus est etiam in ea fomes ille naturalis, languor naturæ, ex quo surgunt in nobis illiciti motus, qui in nostra potestate non sunt. Benedictionem vero attulit illi angelus dicens: *Ave benedicta inter mulieres* (*Ibid.*), id est sola robusta inter molles (83). Mulier enim *a mollitie* sumitur, quasi mollier. Hæc est illa mulier fortis, de qua scriptum est: *Mulierem fortem quis inveniet?* (*Prov.* XXXI) in cujus fortitudine dictum est diabolo: *Ipsa conteret caput tuum* (*Gen.* III); antiquus enim ille cerastes, duobus maxime cornibus impugnat nos, elatione animi et immunditia carnis. Hæc duo cornua contrivit in se illa mulier fortis, contraria contrariis curans, humilitate dejiciens superbiam animi, voto virginitatis carnis immunditiam. Hæc est mulier fortis, quæ manum suam misit ad fortia. Duo enim prosecuta est simul, quæ vel difficile, vel impossibile est simul implere; vovit enim virginitatem, et simul consensit in conjugem. Fuit etiam in ea quarta motio quam sub silentio præterire fas non est, quæ ex levi nominis inflexione concipi potest. Virgo enim, *o* mutato in *a*, fit virga. In hunc modum facta est virga, secundum illud: *Virgo Dei genitrix virga est*. Natus enim Salvator tres habuit virgas: virgam sustentationis, qua utuntur senes; virgam eruditionis, qua utuntur doctores in gymnasiis suis; et virgam dominationis, qua utuntur reges. In hunc modum tres virgas habuit Salvator: carnem Virginis, clamorem prædicationis, calicem passionis. Prima fuit radicis, secunda deserti, tertia regni. De prima scriptum est: *Egredietur virga de radice Jesse* (*Isa.* II); de secunda: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini* (*Isa.* XL); de tertia: *Virga æquitatis virga regni tui* (*Heb.* I). Per primam in similitudinem hominum factus, habitu inventus est ut nos (*Phil.* II). Per secundam erudivit nos, per tertiam liberavit nos. Fuit ergo virgo virga sustentationis in hunc modum. Senex ille Antiquus dierum, cujus egressus a diebus æternitatis (*Mich.* V), quem vidit Daniel (cap. VII) cano capite et pedibus metallinis, in lingua sua loqui non poterat, neque ambulare, sitire non poterat aut esurire, neque cætera nostri defectus argumenta poterat prosequi. Innixus autem huic virgæ defectus nostros prosecutus est, quos oportuit et decuit.

Post hanc aquæ motionem unus est in ea sanatus. Hæc est unitas Ecclesiæ, quæ per fidem incarnationis Dominicæ salutem consecuta est a Domino. Verumtamen movere nos potest, quod post incarnationem Domini factam credentes in eum a peccatis dicuntur salvari: cum certum sit etiam patres antiquos sine fide incarnationis salvari non potuisse. Qui præcedebant enim, et qui sequebantur, omnes clamabant: *Hosanna in excelsis* (*Matth.* XXI). Attendendum est itaque diligenter quid intersit inter nos et illos. Hoc sane interest, quod post incarnationem sanantur descendentes, ante quam sanabantur ascendentes; exspectatio enim rei futuræ, ad quam tendimus, tanquam ascensus est. Recordatio vero rei præteritæ, ad quam recurrimus, descensui similatur. Præterea fuerunt et aliæ piscinæ, in quibus operatus est Salvator in diebus carnis suæ; quarum collatione cum probatica piscina clarius elucescent *magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* CX). Fuit enim natatoria Siloe, ad quam cæcus inunctus luto abiit et vidit (*Joan.* IX). Fuit et extra Hierusalem piscina in Agro fullonis ad usus abluendarum vestium (IV *Reg.* XVIII). Fuit et piscina in Samaria, in qua canes linxerunt sanguinem Achab, cum sagittatus esset a suis in Ramoth Galaad (III *Reg.* XXII). Per natatoriam itaque Siloe non incongrue evangelica significatur doctrina, in qua populus gentium cæcus a nativitate visum recepit juxta illud: *Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis* (*Matth.* IV). Piscina fullonum, in qua abluebantur vestes, et non homines, lex Mosaica, cujus emundatio secundum Apostolum (*Hebr.* IX) *ad emundationem carnis*, et non spiritus, valuit. Immundus enim quis tactu morticini, leprosus, et seminis fluxum patiens, mulier puerpera vel menstruata, et hujusmodi, ab ingressu templi arcebantur (*Lev.* XII): nec communem usum hominum habere poterant, donec mundarentur legali mundatione: ad declinationem vero peccati hujusmodi non valebant. Piscinæ vero Samariæ traditiones sunt philosophorum, qui nihil putant verum, nisi ratio humana præbeat eis experimentum. In ea canes, id est dæmones gentium lambebant sanguinem, id est omnem vigorem naturalium donorum, et industriam hominum ad se colendos inclinabant. Hi sunt medici, in quibus hemorrhoissa erogavit omnem substantiam suam, et non profuerunt ei (*Luc.* VIII). De his scriptum est: *Lamiæ nudaverunt mammas, dederunt ubera catulis suis* (*Thren.* IV). Porro videamus quid in singulis harum operatus sit Dominus. Quod ut luceat, propriis nominibus annominemus eas. Prima ut diximus, dicta est probatica; secunda dicatur Dominica, tertia ecliptica, quarta sophistica. Legem autem Moysi ecliptican dicimus, quoniam instar Syrtis habuit aquam reticulatam et arenam. Habuit enim quædam mandata mundantia ad justificationem; alia vero, quæ neminem mundabant ad salutem. Prima piscina fuit solitudinis, secunda satietatis, secundum illud: *Qui sitit, veniat ad me, et bibat* (*Joan.* VII); tertia promissionis; quar-

(83) Hier. in *Quæst. Heb. in Gen.* P. Com. *Histor. Genes.*, cap. 37.

(83) Isid., l. XI *Etym.*, c. 2.

Digitized by Google

ta deceptionis. Salvator primam fecundavit, secundam derivavit : nam *in omnem terram exivit sonus* ejus (*Psal.* XVIII) ; tertiam adimplevit ipso attestante, cum ait : *Non veni solvere legem, sed adimplere* (*Matth.* V) ; quartam exsiccavit, juxta illud : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*I Cor.* I). et alibi : *Percutiam Ægyptum in septem rivis, ut per eam transeant calceati* (*Isa.* XI). In primam descendit, et est mota ; secundam statuit, et est immota ; tertiam implevit, et est permota ; percussit quartam, et est remota. Hæc autem quatuor operatus est in quatuor regionibus legationis suæ. Missus enim a Patre ad oves Israel, quæ perierant, legatus : datæ sunt ei quinque regiones, ut in singulis proprio fungeretur legationis officio. Regiones vero illas sic determinare possumus : interum Virginis, medium orbis, patibulum crucis, domum fortis, extrema maris. In prima regione calceavit se, circumligavit sibi ligaturam calceamentorum suorum, cujus explanationis se non esse dignum Baptista confessus est (*Marc.* I), visibiliter ad nos egredi volens *tanquam sponsus de thalamo suo* (*Psal.* XVIII). In hac regione probaticam piscinam fecundavit. Egressus ad secundam, scilicet ad medium orbis, *operatus est salutem in medio terræ* (*Psal.* LXXIII). *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII), incipiens a Galilæa per medios fines Decapoleos pertransiens universam Judæam (*Matth.* IV), prædicavit Evangelium regni, collegit discipulos, mira fecit in oculis hominum, et sic Dominicam piscinam derivavit. Ascendens ad tertiam regionem torcular calcavit solus (*Isa.* LXIII), factum est rubrum indumentum ejus, veram hostiam obtulit Deo Patri, et ita legalium figurarum promissiones adimplevit. Descendens in quartam regionem ligavit fortem, et vasa ejus diripuit, baculavit eum, qui habebat mortis imperium, rabiem canum compescuit, ne sanguinem lamberent hominum violenter (*Matth.* XII). Sane in quinta regione non ita operatus est in facie hominum, sed captivam, quam secum traxerat, captivitatem posuit in extremis maris, id est super amplissimos fines sæculi, ut tandem in ascensione membra cum capite cœlos penetrarent. In hac regione, deambulavit ab iis, quos posuerat in extremis maris, ad eos, quos collegerat in cœnaculo motis ; *multitudinis* quorum *erat cor unum et anima una* (*Act.* IV) ; quos relicturus erat in terris, ut darent ei testimonium in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Veniens ergo ad istos, aiebat : *Pacem meam relinquo vobis ;* ad illos autem : *Pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV), tanquam utrisque dicens : *Pax vobiscum.* De cætero, adhuc semel venturus est Salvator, sed non *sicut pluvia in vellus* (*Psal.* LXXI), sed tanquam ruina trahens inevitabile pondus : Veniet, inquam, *tanquam potens crapulatus a vino* (*Psal.* LXXVII), et nemini parcet ; gaudium quidem his, qui a dextris ejus erunt, terribiliter autem intonabit his qui a sinistris auditionem, scilicet malam, et verbum asperum. Ab hac autem *auditione mala et a verbo aspero* (*Psal.* XI) liberet nos Jesus Christus Dominus noster, judex noster, *qui venturus est judicare vivos et mortuos.*

SERMO II.

IN ADVENTU DOMINI II.

Habitus in scholis.

Converti me ad viam portæ sanctuarii exterioris, quæ respicit ad orientem, et erat clausa, et dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit, nec aperietur. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino (*Ezech.* XLIV). Sustinet hic Ezechiel personam generis humani de lacu miseriæ, et de luto fæcis evadere cupientis (*Psal.* XXXIX). Ac si dicat : Ego exterris a patria beatitudinis, et dejectus in hanc convallem plorationis, per omnes retro ætates oculos circumferens, quæsivi viam salutis, et non inveni. Non potuit me liberare cœlum, non terra, non mundus cum omni supellectili sua, non homo : omnes enim sumus coafflicti et cœgrotantes ; non angelus, qui potius meum aspernatur, quam reveretur defectum. Nunc tandem *converti me ad viam portæ sanctuarii*, id est ad partum Virginis. Porro nemo sanum sapiens ignorat Dominum Jesum Christum ex duabus et in duabus esse naturis. Divina natura sanctuarium interius est, quia eos, qui sunt intus, angelos loquor, et spiritus beatorum, qui jam in patria, jam in palatio, imo jam in cubiculo quiescunt, torrente voluptatis suæ potat. Humana sanctuarium est exterius, quia Ecclesiam militantem, quæ adhuc sub sole habet tabernaculum suum, reficit participatione corporis et sanguinis sui. Vel potius illa sanctuarium interius dicitur, quia latet : ista exterius, quia patet. Trinitatem namque personarum in unitate essentiæ non videbit homo et vivet ; sed Trinitatem substantiarum in unitate personæ scimus, loquimur et explicamus. Veniens Dominus ad nos, ut innovaret nos, novum fecit super terram, trinitatem scilicet temporalem, quæ Trinitati æternæ tanquam ecntrario responderet. Sanctuarium itaque interius est Verbum in principio apud Patrem, *portans omnia verbo virtutis suæ* (*Hebr.* I). Sanctuarium exterius, Verbum caro factum in tempore *purgationem peccatorum faciens* (*ibid.*) infirmitatis nostræ interioris. Porta est Deus Pater, dicente Filio : *Ego exivi a Patre, et veni in mundum* (*Joan.* XVI). Unde et Psalmista : *A summo cœlo egressio ejus* (*Psal.* XVIII), et illud : *Egressus est a Patre, regressus ejus ad Patrem.* Exterioris vero porta fuit B. Virgo, per quam in nostram Deus inhumanatus ingressus est civitatem ; non illam, inquam, de qua Dominus per prophetam : *Ego Dominus, et civitatem non ingredior* (*Isa.* XXXVII) : sed illam, de qua ipse ait : *Non potest abscondi civitas super montem* sita (*Matth.* V), cujus *fundamenta in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI) quam impetus fluminis, id est spiritus Filii lætificavit. Hæc est Ecclesia civitas Regis magni, et hæc *respicit ad orientem.* Omnes enim qui ex complexu non sine concupiscentia gravidantur, etsi in lucem partus suos efferant, tamen, quia saccum et meritum sacci secum ipsi trahunt, caligine peccati fuliginantur, et sedent in tenebris, et in regione umbræ mortis. Solus Virginis filius, sic editus in lucem est, ut non solum sit ipse lux, sed *illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I).

Et hæc clausa erat. Licet de virginitate Virginis nulli veniat in dubium, tamen ut certum fiat certius auctoritate Domini, in assertionem subdit propheta dicens : *Et dixit Dominus ad me : Porta hæc clausa erit, non aperietur ; vir non transibit per eam.* Idem est quod tertio inculcatur. Sane, *vir*, accipitur hic, non pro sexu, sed pro conjuge, ut aliquid expressius intimetur ; quasi dicat : Nec etiam vir ejus, id est Joseph cognoscet eam. Congrue autem clausa retro memoratur, quia et ante partum, et in partu, et post partum virgo fuisse non dubitatur. Sequitur : *Et erit clausa principi*, illi nimirum, de quo Dominus ait : *Nunc princeps mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII). Et item : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV). Verum sicut per id quod dictum est : *Vir non transibit per eam*, notatur integritas carnis ; ita, per id quod dicitur : *Non aperietur principi*, notatur integritas mentis, cum omnem malæ suggestionis consensum eliminavit a mente. Quod vero sequitur : *Princeps sedebit in ea*, de prænominato principe non est intelligendum. Qui enim non permittitur intrare, quo pacto sedere perhiberetur in ea ? Hic autem ille est, de quo dicitur : *Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Pater futuri sæculi, Princeps pacis* (*Isa.* IX). Sessio siquidem pro humilitate ponitur, ut ibi : *Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam* (*Psal.* CXXXVIII). Et item : *Surgite, postquam sederi-*

Digitized by Google

tis (*Psal.* CXXVI), id est post humilitatem exaltationem sperate. Non modica quidem Verbi fuit humiliatio, formæ servilis assumptio.

Sequitur : *Ut comedat panem coram Domino.* Ipse siquidem ait : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* IV). Obediens ergo Patri usque ad mortem (*Phil.* II), reconcilians nos Deo, et cætera in hunc modum faciens comedit panem coram Domino, voluntate ejus nobis restituens libertatem. Ecce audistis hæc expausta de partu Virginis, de integritate ejusdem, de fructu nostræ salutis. Possunt tamen hæc eadem nobis non indecenter aptari, qui lecturi, et sacræ Scripturæ operam damus. Nos enim ex maxima parte figmenta prætarum, qui ranis loquacibus comparantur, præterivimus, præternavigavimus pallida sophistarum argumenta, qui Deo odibiles dicuntur (*Eccli.* XXXVII). Va e fecimus pomposis philosophorum opinionibus, qui dum adhuc essent inter nos, conati sunt oculos attollere super cœlos, quorum pericones, Academicos loquor, confessi sunt, veritatem tanquam in puteo abyssi latere. Dimisimus, inquam, linguam magniloquam, ut habeamus linguam humiliatam loquentem, linguam vaniloquam, sequentes linguam verificam. Quæsivimus enim sapientiam, sed ecce non erat in terra suaviter loquentium. *Audivimus eam in Ephrata*, id est in *speculo*, vel *spelunca*, id est in imagine et latentem, sed ecce *invenimus eam in campis silvæ* (*Psal.* CXXXI), id est in manifestatione et obscuritate novi et veteris testamenti. Unusquisque, inquam, nostrum jam vere dicere potest : *Converti me ad viam portæ sanctuarii, extra quam respicitur ad orientem.* Sicut duæ sunt partes Ecclesiæ, militans et triumphans, illa in via, hæc in patria, ita alia sanctitudo illius, alia hujus. Sanctuarium ergo exterius, id est sanctitas præsentis Ecclesiæ, quæ adhuc extra est : justificatio est per fidem et bona opera. Hujus porta est sacra Scriptura, quæ docet nos recte conversari in medio hujus pravæ nationis ; per quam, quicunque *ingredietur et egredietur, pascua inveniet* (*Joan.* X). Via hujus portæ charitas est. Homo quidem, qui in quadrivio hujus mundi positus est, et quasi in umbilico terræ stans, divertere potest ad orientem, ad occidentem, ad austrum, ad aquilonem. Quatuor enim sunt viæ hominis : via infirmitatis, via necessitatis, via vanitatis, via veritatis. Via infirmitatis Hierichuntina, per quam transit homo in imagine Dei more fluentis aquæ, per successiones temporum transiens, donec in pulverem suum revertatur. Hæc vergit ad austrum, qui calidus est. Quodam enim naturali calore vivimus ; quo exstincto, aliam viam ingredi est necesse, viam scilicet necessitatis. Hæc est via universæ carnis, per quam transit spiritus vadens et non rediens, de qua poeta :

Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.
(HORAT. lib. I, ep. 6.)

Hæc vergit ad occasum. Via vero vanitatis est vita in peccatis, quæ aptius præcipitium dici potest, per quam ruimus de sanguine in sanguinem, trahentes longam vestem. Hæc est via lata, quæ ducit ad mortem, cui per campos licentiæ debachamur, de qua dicitur : *Viæ illorum tenebræ et lubricum* (*Psal.* XXXIV). Et item : *Viæ illorum scandalum ipsis* (*Psal.* XLVIII). Hæc vergit ad aquilonem, ad illum scilicet qui ait : *Ponam sedem meam ad aquilonem* (*Isa.* XIV), de qua Salomon : *Aquilo frigidus* et durus nomine tanquam dextera ligans aquas (*Eccle.* XLIII), id est fluenta congelans gratiæ. Viæ veritatis est charitas, de qua dicit Apostolus : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro* (*I Cor.* XII), hæc vergit ad orientem, quia hæc est via, quæ ducit ad vitam, et ideo contendendum est intrare per eam. Per hanc ad sacram Scripturam eundum est. Nec tamen dissimulare possumus, quin per aliam viam multi ad eam incedamus. Quidam, ut multa scientes, alios excellunt, alii ut lucrentur, alii ut laudentur, alii ut se ipsos ædificent, alii ut etiam proximos. Sed audi, quid super his dixit quidam (84) : Velle scire ut sciamus superbia est ; velle scire ut sciamur, inanis gloria est ; velle scire ut lucremur, Simonia est ; velle scire ut ædificemur, prudentia est ; velle scire, ut ædificemus, charitas est. Cæterum porta hæc ad orientem respicit, sed ad Deum. Quicunque enim dedit de semine suo idolo Moloch, morte morietur, et lapidabit eum populus terræ (*Lev.* XX). *Semen est verbum Dei* (*Luc.* VIII). Idolum, id est formula, tanquam diminutivum ab εἶδος, quod est *forma*. Moloch *rector* interpretatur ; idolum vero Moloch diabolus est, qui non vere, sed quasi dominatur in mundo. Qui ergo verbum Dei pro aliquo emolumento mundano, vel addiscit, vel docet, de semine suo dat idolo Moloch, et hic talis morte animæ morietur. Sicut anima vita est corporis, ita vita animæ Deus, quo discedente moritur anima. Non enim societas est Deo cum idolo ; angustus enim est lectus, *et pallium breve, utrumque operire non potest* (*Isa.* XXVIII).

Nec bene conveniunt nec in una sede morantur
(OVID. I *Metam.*)

majestas Dei et amor mundi. Amicus enim mundi, inimicus efficitur Dei (*Jacob.* IV). Durum est, quod dicimus, et difficile est ad implendum. Sed nobis dictum reputate : *Issachar asinus fortis accubans inter terminos* (*Gen.* XLIX), doctrinam scilicet utriusque Testamenti, *vidit requiem, quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum ad portandum* (*Matth.* VII). Vos itaque, quia jam estis in via, *quærite, et invenietis*, quia jam accessistis ad portam ; *pulsate, et aperietur vobis*. Aperiat autem vobis sensum ad intelligendum Scripturas, qui aperuit oculos cæci nati (*Joan.* IX), Jesus Christus Dominus noster magister noster, judex noster, qui judicaturus est vivos et mortuos, et sæculum per ignem

SERMO III.

IN FESTO S. NICOLAI.

Habb. in scholis.

Qui non humiliaverit se sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cœlorum (*Matth.* XVIII ; *Marc.* X). Verba sunt Salvatoris, quæ audistis per os meum. Emerserat quæstio inter apostolos, quis eorum esset major ; sed quia hæc erat de supercilio Pharisæorum, qui amabant primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi (*Matth.* XXIII), ideo humilis magister et doctor humilitatis ad humilitatem revocans eos, statuit parvulum in medio eorum, Martialem, ut tradunt, apostolum Lemovicarum (85), et ait : *Qui non humiliaverit se, sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cœlorum.* Quasi dicat : Qui non erit humilis beneficio virtutis, sicut hic parvulus beneficio ætatis, non intrabit in regnum cœlorum. Salva tamen pace Salvatoris, possunt hæc verba esse moderni temporis, possunt esse hodiernæ solemnitatis. Ecclesia Dei est, *ut castrorum acies ordinata* (*Cant.* VI). In acie prælianlium præmittuntur fortiores, in fine ordinantur fortissimi, in medio formidolosi et imbecilles. In hunc modum in primitiva Ecclesia fuerunt viri fortes, qui primos impetus hujus sæculi sustinuerunt, qui Ecclesiam Dei fundaverunt sanguine suo. In fine erunt fortissimi ; quorum erit tanta tribulatio, quod si fieri posset, invebuntur electi (*Matth.* XXIV). Temporibus vero nostris tenera quædam est evangelica medietas, quæ vix credere sufli-

(84) S. Bern., serm. 36 *in Cant.*
(85) P. Comest., c. 90 *Hist. evangel.* Vide Baron. tom. I *Annal.*, 75.

Digitized by Google

cit; nedum prælari. Utatur ergo ad hos debiles mater Ecclesia verbis prætaxatis, et ordiamur altius ejus admonitionem, et quasi sub quodam dialogo interloquantur mater et filioli. Ad quos mater : « Filioli, vir meus pater vester rediit ad eum, qui miserat ipsum, et reliquit me in utero habentem; verba autem sua posuit in ore meo, ut, quos de cætero effunderem in lucem, hortarer ad sequendum eum indilate; præcessit enim parare nobis locum. Audivi enim dicentem eum : *Si quo minus dixissem vobis : Vado parare vobis locum* (*Joan.* XIV). Ite ergo, filioli, proficiscimini post patrem vestrum; nam et viaticum reliquit vobis. Ad quam unus pro omnibus : « Mater, arcta est via et difficilis, et non potero ad eam. Præterea latro sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat transeuntes. Timendus est latro : *Dixit enim : Non morebor a generatione in generationem sine malo* (*Psal.* X). Timendi sunt divites, pro quibus magnus ille viator Psalmista loquor, titubans ait : *Mei autem pene moti sunt pedes*, etc. (*Psal.* LXXII.)

Ad quem mater : Fili, tollé signaculum patris tui tecum, quod ipse reliquit mihi dicens : *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam et sequatur me* (*Marc.* VIII). Ego autem in ecclesiis manufactis in edito statui illud, ut omnes intrantes videant et recogitent, quia demum Domini fuerit exitus mortis, et quicunque volnerit, tollat illud. Multi jam præcesserunt filii, etiam virgines delicatæ, et evestigio sequentes patrem; sequere clavatam eorum. Adeo tutus eris cum sigillo, quod etiam quædam ejus manualis representatio inter quæ ibet pericula consolatio est; ita quod etiam de Judæo dixit dæmon : « Vas vacuum, sed signatum (86). » Ad quam filius : Quid est, quod dicis, mater? *Nemo carnem suam odio habuit* (*Eph.* V), etiam Christus horruit mori. Petrus ductus est ad crucem nolens (*Joan.* XXI). Apostolus optabat, si fieri posset, superindui (*I Cor.* V), non spoliari. Quid ergo faciet virgula cedri, ubi concutitur cedrus Libani? Nosti teneritudinem meam, mater, determinatis horis vix orare sufficio, statutis diebus non jejuno, quia ad luxuriosam cœnam servem ventrem meum. Licet promptuaria mea plena sunt eructantia ex hoc in illud, tamen vix mihi separo duo minuta, quæ porrigam pauperi. Vestes habeo extensas in pericis, plicatas in manicis in pabulum tantum tinearum; vix veteres panniculos, et nulli usui aptos mihi tollo ad fovenda latera pauperum, et tu dicis, mater, quod intingam pedem meum in sanguine. Muta, mater, vocem, muta viam : hæc est via robustorum, barbati incedunt per eam.

Ad quem mater : Noli timere, fili mi, est alia via,

lactea nomen habet ;

(Ovid. II *Metam.*)

si non potes sequi patrem per viam rubicundam, sequere eum per candidam. Nam et ipse *Dilectus meus candidus et rubicundus* (*Cant.* V). Vidi quidem eumdem illum per viam rubicundam, in horto scilicet ligatum, colaphis expalmatum, sputis illitum, flagellis cæsum, spinis coronatum, opprobriis saturatum, in patibulo clavatum, post mortem lanceatum : verumtamen prius per candidam viam incessit, per viam scilicet humilitatis. Vidi eum humiliatum in præsepio, humiliter pendentem ad ubera Virginis, suppositum manibus sacerdotum, dum invocarent super eum nomen Domini, et gestaretur tremulis manibus Simeonis. Vidi eum cum parentibus suis in Nazareth, *et subditus erat illis* (*Luc.* II) : imo, ut perhibent, de fonticulo, qui ibi est, aquam matri ministrabat indies (87). Vidi caput ejus verendum angelis, et tremendum regibus, inclinari sub manibus Baptistæ (*Matth.* III). Baptista autem contremuit, nec audebat tangere eum, donec Dominus ait : Sine modo, sic decet nos implere omnem humilitatem. Si ergo, fili, terret te via passionis, gradere per viam humilitatis. Verumtamen, fili, diligenter adverte! quam viam teras. Quadrivium enim est humilitatis. Sunt quidam humiles, dum omnia succedunt eis; si autem tetigerit eos manus Domini, excandescunt, et statim ponunt os suum in cœlum. Sunt qui humiliantur, ut ascendant; sunt qui humiliantur, ut evadant. Impetu enim venti quercus frangitur, quem calamus evadit. Prima ergo humilitas est domestica, secunda erratica, tertio sophistica, quarta Dominica. Prima enim est naturalis, secunda volatilis, tertia versipellis, quarta admiralis. Per primam incedunt pusillanimes, per secundam murmurantes, per tertiam hypocritæ tristes, per quartam columbæ sine plices. De prima legitur : *A pusillanimitate spiritus et tempestate* (*Psal.* LIV) ; de secunda : *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei* (*Psal.* XLVIII) ; de tertia : *Gloriosa res humilitas, quæ pallari se appetit. Superbia ne intralescat ;* de quarta : *Qui non humiliaverit se, sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* XVIII). Parvulus hic, fili mi, de quo prædixit Isaias : *Vitulus, leo, et ovis pascuntur simul* (*Isa.* XI), et puer parvulus minabit eos : qui dictus est parvulus non pro diminutione staturæ, quia *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV), sed pro minoritate pœnalitatis humanæ. Pœnam enim habuit, non culpam. Caterum humilitas Dominica subdividitur. Est enim debita, abundans, superabundans. Debita est, subdere se majori propter Dominum. Primam et secundam pater tuus docuit, tertiam et habuit, et docuit. Considera, fili, quid habes amplius, et minoribus fratribus ministra tanquam subditus eis. Habes substantiam, eroga non habenti; habes doctrinam, pone eam ad usuram, ut recipias cum augmento ; habes exhortationem, *deriventur fontes tui foras* (*Prov.* V), ita ut bibant homines et jumenta. Habes laborem manuum tuarum (*Psal.* CXXVII), *redde* decimam Domino Deo tuo. Reliquum *quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit* (*ibid.*). Habes quietem, elongasti fugiens, et mansisti in solitudine (*Psal.* LIV), ora pro populo, intercede pro relicta minorum multitudine, clama ad Dominum, et dic : *Aut dimitte eis, aut dele me de libro vitæ* (*Exod.* XXXII). Audi fratrem tuum magistrum Paulum dicentem : *Cum liber essem ex omnibus, servum omnium me feci* (*I Cor.* IX). Juxta ergo doctrinam ejus mores tuos honora duplici honore, pares tuos honore prævenias, infirmos in fide suscipe : *hoc fac et vives* (*Luc.* X) : hæc via patris tui, humiles incedunt per eam. Potest quoque prædicta exhortatio Salvatoris spectare admemoriam beati confessoris, pro quo hodie Ecclesia solemnizat in terris, et exsultat in excelsis, et sit maxime ad viros scholasticos. Nam et noster Nicolaus scholasticus erat, cum vocatus est a Domino, ut sederet in cathedra cum senatoribus terræ. Nec recedemus a tenore dialogi, ut loquatur didascalus ad discipulum, tanquam pater ad filium. Et intelligitur *per regnum cœlorum* sacra Scriptura, secundum illud : *Auferetur a vobis regnum cœlorum, et dabitur genti facienti fructum* (*Matth.* XXI). Aperiens ergo os suum pater, inquit : fili, omnium expetendorum prima est sapientia, sed *non invenitur in terra suaviter viventium* (*Job* XXVIII). *Qui enim non humiliaverit se sicut parvulus iste, non intrabit in regnum cœlorum.* Ecce, fili, primus ingressus ad eam est humilitas. Audis et philosophum, cum quæsitum esset ab eo quæ necessaria sint ad studendi formam, ait : *Mens humilis, studium quærendi, vita quieta, scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena.* Attende quia præposuit humilitatem, et in tribus determinavit eam, ne scripturam sciliret aliquam vilipendas, quia non omnia reperiuntur in Catone, nec ab aliquo addiscere erubescas, quia

(86) Gregor., lib. III *Dial.*, c. 7

(87) P. Com., cap. 23 *Hist. evang.*

Digitized by Google

Quod tu non nosti, fortassis novit Otellus :

nec minus scientes elatus despicias. Tibi vero, fili, amplior necessaria est humilitas. Nisi enim abundaverit humilitas tua super humilitatem philosophorum, non intrabis in regnum cœlorum, id est Scripturæ sacræ non attinges arcanum ; nisi, inquam, habueris humilitatem Nicolai.

Ad quem filius : « Edissere, pater, quæ sit illa, ut ingrediar per illam. » Cui pater : « Dum adhuc penderet ad ubera matris quarta et sexta feria semel in die papillas sugebat. » Ad quem filius quasi subridens : « Numquid, pater, iterum introibo in uterum matris, et natus denuo superincumbam matris uberibus? » Cui pater : « Non est ita, fili : mystica sunt, quæ dicuntur : frange os litteræ, et invenies medullam intelligentiæ. » Sex enim ubera sex species scientiæ significant, et sex feriæ, tempora inventionis earum. Quæ merito dicuntur feriæ, quia tempore otii addiscitur scientia. In principio mundi nascentis hostis antiquus primis parentibus scientiam tradidit noxiæ libertatis, non essendi sub Domino, et relationem superbam criminis, ut contra culpam suam tacite obloquarent in auctorem suum. Secundo, miser homo contra multiplices defectus solatium invenit mechanicarum artium, quas et post extendit ad abusum superfluitatis. Tertio non contentus his, caulas naturales, quas Deus in rebus ipsis occultaverat, ausus est rimari, adeo quod, ac si interesset sideribus, motus eorum, ortus et occasus, combustiones et respectus se deprehendisse existimans, et contingentes rerum eventus, fatali necessitate astrictos esse dogmatizavit. Quarto, Pater misericordiarum videns hominem inutiliter laborantem, scientiam vitæ in canone utroque Testamenti promulgavit. Quinto, abierunt quidam post vanitates adinventionum suarum, et simplicitatem ecclesiasticam irridentes, sacram Scripturam maculis hæresum, quasi quadam lepræ varietate, resperserunt. Sexto, surrexere viri habentes zelum Dei, et primis disputationibus suis quasi quadam theriaca vehementi virus infusum repulerunt. Postmodum manum supponentes chartis, numerosam reliquerunt nobis multitudinem expositionum. Vides, fili, sex verba traditionum suis temporibus quasi sex feriis emersisse. Solum restat Sabbatum, ubi nemo dicet alii : *Doce me* (*Psal.* CXVIII). *Omnes enim erunt docibiles Dei* (*Joan.* VI). Audi adhuc, fili, et tace : Considera idiomata singulorum uberum, ut scias cui debeas os admovere, et a quo amovere. Primum uber fuit serpentis, secundum Ægypti, tertium philosophi, quartum Dei, quintum hæretici, sextum viri catholici. De primo, manavit lac venenosum ; de secundo, lac acetosum, quia multis amaritudinibus respersa est dulcedo humanæ felicitatis ; de tertio, lac ampullosum ; de quarto, lac coagulatum ; de quinto, lac aqua mistum : pessimi enim caupones vinum aquæ miscuerunt ; de sexto, lac sincerum. Primum ergo est rejiciendum, secundum illud : *Vade retro, Satana* (*Matth.* XVI). Secundum temperandum, secundum illud : *Victum et vestitum habentes, his contenti simus* (*I Tim.* VI). Tertium excolandum, ut quod liquidum est in philosophis reponatur : abjiciatur, quod fæculentum est. Quartum hauriendum, unde : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (*Isa.* XII). Quintum vitandum, secundum illud : *Hæreticum hominem post primam et secundam admonitionem devita* (*Tit.* III). Sextum bibendum, juxta illud : *Bibite et inebriamini, filii* (*Jer.* XXV). De primo scriptum est : Fovit aspis ova, dedit ubera catulis suis ; de secundo : *Fili mi, si te lactaverint peccatores, non acquiescas eis* (*Prov.* I) ; de tertio : *Sed et lamiæ nudaverunt mammas, lactaverunt catulos suos* (*Thren.* IV). Hæ sunt medici, in quibus mulier hemorrhoissa omnem substantiam suam inutiliter erogavit (*Luc.* VIII) : de quarto : *Memores erimus uberum tuorum super vinum : recti diligunt te* (*Cant.* I) ; de quinto : *Da eis, Domine, vulvam sine liberis et ubera arentia* (*Osee.* IX) ; de sexto : *Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris* (*Cant.* VII). Adhuc insiste, fili, et propriis nominibus proprietatem eorum concipe. Primum dicitur paralogia, secundum scenologia, tertium physiologia, quartum theologia, quintum cacologia, sextum pantologia ; ista enim ad omnes pertinens per singulas tanquam ad caput redit ; ipsa enim cacologiam expugnavit, theologiam explanavit, physiologiam spoliavit, scenologiam temperavit, paralogiam conculcavit. Restat, fili, Sabbatum, ubi tantum audietur *alleluia*. Nosti, fili, ubera sextæ feriæ tantum tibi posita, non tamen sugenda, non in die, id est in his quæ intelligi possunt : reliquum igni comburatur, et non nisi semel. *Unus enim Dominus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV), una debet esse catholica doctrina. Audi, fili, quam gloriosa est humilitas, sal et condimentum reliquarum virtutum. Humiliemur ergo sub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore tribulationis Jesus Christus Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO IV.

IN ADVENTU DOMINI, ET DE S. LUCIA.

Habitus ad regulares.

Et rex David senuerat, nec calefiebat, cum operiretur pellibus : inventa est Abisag Sunamitis, quæ dormirit cum rege, et calefecit eum. Rex autem non cognovit eam (*III Reg.* I). In quo ædificamur juxta litteram, quia morbis et naturæ defectibus etiam supervenientibus pressuris quoad possumus humano consilio debemus obviare, ne totum Deo committentes potius eum videamur tentare, quam implorare. De alia legimus Sunamiti, quod cum Elisæus pergeret in via, tenuit eum Sunamitis magna, et in celebriori loco domicilii sui paravit ei sellam et mensam, candelabrum et lectum (*IV Reg.* IV). In quod ad litteram ad tria ædificamur. Insinuatur enim nobis virtus hospitalitatis, cum dicitur : *Tenuit eum*. Tantus enim debet esse affectus hospitalitatis, quod etiam cogendi sunt hospites. Unde et Lot renitentes ange os oppido compulit, ut intrarent sub tecto culminis sui (*Gen.* XIX). Et discipuli euntes in Emmaus coegerunt Dominum, ut maneret cum eis (*Luc.* XXIV). Secundo ostenditur hic opus virtutis, cum legitur, quod honeste collegit eum, et paravit usibus humanis necessaria. Pro loco enim et tempore, et persona hospites sunt honorandi. Tertia merces operis, cum legitur, quod prophetæ hospitæ filium dedit, et postmodum mortuum suscitavit. De tertia quoque Sunamiti legitur apud Salomonem, quam quarta vocatione vocavit fugientem. *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere ut intuemur te* (*Cant.* VI). Hæc autem in figura tantum posita est. Quartam Sunamitem non legimus ; sed in Luca (cap. XXI) legitur de vidua, quæ obtulit duo minuta, unde meruit a Deo commendari. Quæ secundum mysticam intelligentiam non indecenter additur prætaxatis : quam etiam ratione consortii liceat nobis nominare Sunamitem. Hæ quatuor in figura præcesserunt. Sunamitis enim juvencula figuravit beatam Virginem, Sunamitis Salomonica gentilitatem, Sunamitis magna, virginem martyrem, puta Luciam, Sunamitis evangelica, venerabile collegium speculatorum ; qui omnia contemnentes pro Christo, tanto tutius et citius sequuntur eum, quanto expeditius. De his itaque quatuor etiam secundum temporis rationem prosequamur. Prima est Sunamitis modica, secunda Sunamitis misera, tertia Sunamitis magna ; quarta Sunamitis vidua. Prima est Virgo singularis, secunda virgo generalis, de qua Apostolus : *Despondi enim vos uni viro virginem castam* (*Cor.* XI). Tertia, virgo particularis ; quarta virgo specialis. Prima

Digitized by Google

fuit Dei mater et filia, secunda meretrix et sponsa, tertia fortis et delicata, quarta pauper et compedita. Prima David antiquum calefecit, secunda ad Salomonem rediit, tertiæ filium propheta suscitavit, quartam Dominus omnibus offerentibus prætulit. Primam inhabitavit Dominus purpura et sacco indutus, scilicet naturis. Ad secundam venit in igne et gladio, secundum illud : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?* (*Luc.* XII ; *Matth.* X.) Item : *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium.* At tertiam suscepit cum rosa et lilio, quartam humiliavit in cinere et cilicio. De prima legitur : *Et rex Davia senuerat* ; qui est ante tempora, per quem facta sunt tempora, nunquid senuit per tempora? Absit! sed senuerat, id est usque ad senium temporis distulerat reparationem humani generis, et ut plenius dicam, universitatis. Semiruta enim erat Ecclesia primitivorum, diruta erat humana natura in protoplastis terra maledicta in opere eorum, luminaria cœli mutata in diminutione luminis et assiduitate laboris. Postremo omnis creatura ingemiscens erat, et parturiens erat usque adhuc (*Rom.* VIII) : hanc universitatis confusionem omnipotens quasi dissimulando pertransibat, non calefiebat, id est nullum fere caloris effectum exhibebat nobis. Est enim ignis Dominus (*Deut.* IV), est ignis Domini, est ignis Domino, id est Spiritus sanctus, et motus, qui cooperatione liberi arbitrii surgit ex eo, et opus exterius, quod fit Deo, id est ut inde glorificetur Deus. Neminem inhabitabat Spiritus, in nemine surgebat motus, nullius videbatur opus, licet operiretur multitudine sacrificiorum sine æstimatione et numero. Quæsita est ergo adolescentula Sunamitis. Quotquot prædixerunt de partu Virginis, quasi missi sunt ad quærendum eam. Missus est David, qui quasi latentem in lumbis suis seminaliter tanquam præsentem alloquitur : *Audi, filia, et vide*, etc. (*Psal.* XLIV). Quæsivit eam Isaias dicens : *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ*, etc. (*Isai.* XVI). Jeremias tanquam certus ait : *Mulier circumdabit virum* (*Jer.* XXXI). Ezechiel nimiæ solitudinis suæ imagines quasi somnians, vidit portam solis orientalem semper clausam (*Ezech.* XLIV). Cumque nullus eorum invenisset eam, tandem missus est Gabriel angelus ferens chartam salutationis in manu, et invenit Virginem in Nazareth ; cumque salutasset eam, inventa est in utero habens (*Luc.* I).

Et dormivit cum David, id est caro de carne Virginis unita est Verbo Dei in unitatem personæ, et calefactus est nobis David. *Apparuit* enim *benignitas, et humanitas Salvatoris nostri Dei* (*Tit.* III). Venit ergo Creator hominum ad sterquilinium hominum pro salute hominum in similitudinem hominum, sed eam non cognovit, id est clausam reliquit, et adeo incanduit igne dilectionis in nos, quod gustarit pro nobis mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II), et ibi apparuit David, id est *manu fortis*. Manus enim non armata, sed clavis confixa aerias stravit potestates, Judæos quoque et mortem. Mortuus vero factus est Salomon, quia sanguine suo pacificavit terrena cœlestibus, hominem scilicet Deo, hominem angelo, hominem homini, Judæum, scilicet gentili : et videns gentium populum fugientem, quasi meretricem sequentem amatores suos, qui pollicebantur ei frumentum, vinum et oleum, lanam et linum, exclamans post eam semel, et iterum, et tertio, et quarto inculcavit : *Revertere* (*Cant.* VI). Quatuor enim diligenda sunt charitate. Tenetur homo diligere Deum, seipsum, proximum suum, et corpus proprium. Gentiles enim recesserant ab amore Dei, *qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed* abeuntes in vanitatibus suis, *potius servierunt creaturæ quam creatori* (*Rom.* I). Quod se non diligerent, patet, quia *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X). Sed nec proximos diligebant, quia etiam filios suos initiabant dæmoniis, trajicientes eos per ignem idolis sacratum. Corpora etiam sua afficiebant ignominia, ita ut robur viri evirarent in feminam. Salomon ergo noster clamans aiebat : *Revertere Sunamitis* ad dilectionem Dei, *revertere* ad dilectionem tui, *revertere* ad dilectionem proximi, *revertere* (*Cant.* VI) ad dilectionem corporis proprii : qua recepta in conjugem, Salomon factus est Eliseus, id est calvus. Tantæ enim clavitiei fuit Eliseus, quod derisui habebatur a pueris clamantibus : *Ascende calve, ascende calve* (*I Reg.* II). Per capillos sæpe bona terrena solent intelligi, quod figuratur in tonsura ecclesiastica. Unde et Levitæ tempore oblationis suæ raserunt omnes pilos carnis suæ (*Num.* VIII). (88) Christus ergo in Ecclesia lactenti quasi calvus erat, quia prædia et possessiones non habuit Ecclesia usque ad tempus Constantini, imo tanta laborabant inedia fideles, quod Julianus Apostata paupertatis opprobrium eis incutiens Galilæos pannosos eos vocare consuevit. Hunc talem tenuit Sunamitis magna, magnæ scilicet virtutis virgo Lucia et virago, mulier fortis inventa in finibus Syracusanis procul. Quæ in virginitate, quam Deo dicavit, lectum stravit Christo, in miraculis quæ fecit, candelabrum ; de quibus beata Agatha perhibuit ei testimonium ; in doctrina mensam : docuit enim matrem quam sanaverat, suspectas esse eleemosynas, quæ fiunt in extremis, cum opes tunc potius deserant hominem, quam deserantur. (89) Et per triennium dicitur institisse mater in distrahendis facultatibus in usus pauperum. Sellam paravit in constantia animi, quam etiam in corpore ipsius significavit Deus, cum nullis viribus hominum vel boum trahi potuit ad lupanar. Eliseus vero hospes ejus, filium ejus suscitavit, id est spiritum ejus tradidit in manibus ipsius, ut quasi Christi pedissequa, cum vellet, et quantum vellet, teneret animam suam, et cum vellet, poneret eam. In medio enim ignis succensi pice et oleo etiam transverberata glacio stetit prædicans, et prædicens pacem Ecclesiæ redditam mortuo Maximiano, non cessavit, donec collectis omnibus sacerdotibus, valefaciens eis exspiravit. Sed, Deo gratias, jam siccata est in Ecclesia aqua contradictionis, transivit per aquam intolerabilem innumeris martyrii genus introduxit Jesus noster, totiens enim inimica est animæ (*Eccl.* XXXIII). Fundata sunt cœnobia tuba Spiritus sancti per orbem intonante : *Ecce quam bonum et quam jucundum est, habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Obtulit Sunamitis vidua duo minuta, humilitatem spiritus et habitus mediocritatem. Verumtamen, quod post martyres introduximus cœnobitarum martyrium diuturnius est intelligendum, quantum ad principium et exordium, non quantum ad initium. Ad modum enim arboris tria considerantur in progressu religionis. Dum enim semen germinat in visceribus terræ, arbor habet initium, ab *initiando*, id est intus jactum a *jacendo* dictum. Cum vero rupta terræ superficie tenuis et unica emergit virgula, tunc habet principium, id est *primum caput*. Cum vero beneficio auræ clementioris derivatur in ramulos, tunc habet exordium, cum ex uno multa scilicet oriuntur. In hunc modum Regularis cohabitatio fratrum initium habuit in Sion temporibus apostolorum, initiata vero est in tribus, in charitate fraterna, in communi substantia, in communi obedientia. De primo dictum est : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (*Act.* IV). De secundo : *Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat* (*ibid.*). De tertio : *Omnia ponebant ad pedes apostolo-*

(88) Gregor. Naz., or. I *in Julian.* Chrysost., *contra gentil.*

(89) Vide Surium, tom. VI.

Digitized by Google

rum (*Act* IV), tanquam profitentes eis debitam subjectionem. Pro his tribus dicitur eis : *Estote prudentes sicut serpentes* (*Matth.* X), id est caput custodite. In his enim nulla ratione licet dispensare. Principium vero habuit quædam a domino Benedicto, quædam a doctore Augustino (90). Rudem enim quasi imaginem colorantes, addiderant de ariditate ciborum, de modicitate vestium, de austeritate lectorum, de custodia laborum, de temporibus jejuniorum, de modis et distinctionibus orationum, de consolatione laborum, et in his licet primitus admittere dispensationem, sed in simplicitate cordis. Unde additum est : *Et simplices sicut columbæ* (*ibid.*) Quidam enim primus aucupantur occasionem dispensandi, quam exspectent. Exordium vero habuit in diebus nostris, sub incertis tamen auctoribus, derivationes enim multæ exortæ sunt. Quidam eum albis, quidam nigris, quidam griseis, gaudent indumentis, tanquam idiomatibus suis. Quidam fructibus possessionum, et obsequiis familiarium sustentantur, alii de labore manuum suarum, et pecorum egressibus tenuem victum sibi quæritant. Alii largitione eleemosynarum pascuntur, vitam suam Deo committentes. Alii crucem præferentes pro tuitione Ecclesiæ sanguinem suum exponunt : omnia in nomine Domini facientes, quasi mutuo sibi dicant : *Magnificate Dominum mecum* (*Psal.* XXXIII). Hanc Sunamitem compeditam diximus. Audierat enim, quia Dominus audit gemitus compeditorum, et injecit pedes suos in compedem sapientiæ, et collum suum in torquem ejus. Cum licuit ei epulari, affixit se jejuniis ; cum licuit dormire, intempestæ noctis vigilias sibi indixit ; cum loqui licuit, posuit custodiam ori suo ; cum deambulare licuit, etiam muris materialibus sepivit pedes suos. Postremo quasi oculis suis abstulit visum, auribus auditum, naribus olfactum, linguæ eloquium, manibus tactum, pedibus gressum. Hæc compeditio mortificationem carnis operatur, et expeditam contra cujuslibet generis hostes excusationem, quod adversus eam etiam adversarius mutire non potest. Accedit enim quis ad compeditum, et volens eum trahere ad illicita dicit : « Egrediamur foras : videamus ludos theatrales, choreas virginum, palæstras adolescentium, gyros equitum, et hujusmodi. » Cui compeditus : « Quid provocas me ad videndum ? non habeo oculos. » Ad quam ille : « Nunquid video in capite tuo duo luminaria micantia et diffundentia visum usque ad objectionem corporum ? » Cui compeditus : « Oculi, quos vides, non sunt mei, eos contuli in alium : lumina sunt veritatis. » Absit ! ut oculi videant opera vanitatis. In hunc modum satis idonea est et elegans responsio in excusatione membrorum. Sane hæc Sunamitis compedita, et Sunamitis misera, adhuc militant in terris : aliæ quæ triumphant in cœlis, quarum precibus et meritis trahat vos de malitia ad triumphum, de mundo ad Deum Jesus Christus Dominus noster, judex noster cum venerit judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

SERMO V

DE EODEM ADVENTU DOMINI.

Ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et movebuntur simulacra Ægypti (*Isa.* XIX). Isaias in spiritu loquens adventum Domini in carnem prædixit, et licet multis in locis Dominici prænuntius adventus fuit, ut ibi : *Tunc saliet claudus, sicut cervus, et aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt* (*Isa.* XXXV) : verbis tamen prædictis specialiter prænuntiavit adventum Salvatoris, id est incarnationem. Refertur ab illis (91) qui Chronica scribunt, quod Domino fugiente in Ægyptum, non fuit templum in Ægypto, in quo non fuerit idolum. Legitur et in Annalibus (92), quos conscripserunt Judæi, quod egressis filiis Israel de Ægypto idola Ægypti corruerint. Sed ad ingressum alterius idola Ægypti ruere non legitur, nisi adventante matre cum puero. Hoc Isaiæ capitulum specialiter prænuntiavit primum Domini adventum. Nubes illa levis caro est Redemptoris, ea a peccatis magis aliena, quo minus originali culpæ obnoxia. Nubis levitas peccati est immunitas : solet enim peccatum nos ad ima trahere, ideoque recte intelligi habet ponderosæ rei nomine. In Zacharia legitur : *Sedet iniquitas super talentum plumbi* (*Zach.* V), et alibi dicitur : *Sicut plumbum in aquis vehementibus. Nubem* ergo *levem* ascendens Dominus Ægyptum est ingressus, ut ab ea, quibus tegebatur, nubes amoveret (*Exod.* XV). Quadruplici enim nube obvoluta erat : est namque nubes caliginis, est nubes roris, est nubes grandinis, et nubes umbræ mortis. Ut autem hæc plenius videantur, altius est inchoandum, quatenus quod præmissum est, eo fiat planius quod fuerit expositum plenius. Pater et Filius, et Spiritus sanctus in primâ hominis creatione quasi secum deliberando dixerunt : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem* (*Gen.* I), et similem nobis.

Quatuor item regis primogenitæ virgines Deo in creatione hominis sunt cooperatæ : veritas, misericordia, justitia et pax. Veritas, quia sicut promisit se facturum Dominus, rei executione perduxit ad effectum ; misericordia, quia, ut supplieretur defectus angelicus, homo est creatus ; justitia, homo enim rationalis præfectus est aliis creaturis, ut qui præcellebat creationis beneficio super alia, justo efferretur dominio. Pax est cooperata, quoniam cum ex tam diversis persona humana sit compacta, carne scilicet et anima, ita ut omnia elementa hic in unum collegerit, ita ut non sit qui dissideat, ut alterum alterius conjunctione gaudeat, sintque unum unius compositione, donec illi physicales nodi rumpantur, et cum maximo dolore, quæ conjuncta erant, separentur, unde dicitur : Non est dolor, sicut dolor morientium. Istæ filiæ, sicut in creatione hominis Deo sunt cooperatæ, sic in ejusdem justa dejectione. *Homo* enim, *cum in honore esset, non intellexit* (*Psal.* XLVIII), et ideo de paradiso ejectus miseriis hujus mundi merito peccati est subjectus. Et quia in lapsu hominis differenter peccaverunt serpens, Adam et Eva, differenter sunt puniti, ut qui alio magis excessit in culpa, plus alio inveniretur in pœna. Unde divina ultione factum est, ut una maledictione Adam puniretur, Eva duabus, serpens tribus. Dictum est ad Adam : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* II). Ad mulierem vero dixit : *Subjecta eris viro tuo et in dolore paries* (*Ibid.*). Ad serpentem sic : *Terram comedes, et super pectus tuum gradieris ; ponam inimicitias inter te et mulierem, et tu insidiaberis calcaneo ejus, et ipsa conteret caput tuum* (*ibid.*). Prædictæ regis filiæ, sicut non defuerunt Deo creante hominem, sic non defuerunt eodem puniente peccatorem. Quem enim post lapsum Dominus punivit, ante lapsum sic, si peccaret, se puniturum esse comminatus fuit, sicut dicitur : *Quacunque die comederitis, morte moriemini* (*Gen.* II). Misericordia est cooperata, quia qui peccando fecerat se miserum, mortalis factus est in miseriæ remedium, cum enim miseria sit, miserum esse, gravissima esset sarcina sine fine miseriam adesse. Vitæ brevitas mi eris est in remedium, qui hoc ipso, quod cito moriuntur, tolerabilius cruciantur. Justitia ibi non defuit, nam magis puniri dignus, magis est punitus. Pax adfuit. Ex ratione enim humanæ naturæ indita homo cognovit Deo se reconciliari posse, si

(90) S. Benedictus, et S. Augustinus addidere quædam regulæ religiosorum.

(91) P. Com., *Hist. evang.*, cap. 10. Athan. *De incar. Verbi.* Orig. hom. 3, *in Num.*

(92) Baron., tom. I *Annal.*

Digitized by Google

pacem, quam perdiderat peccando, recuperaret condigne pœnitendo. Hinc est quod tunicas pelliceas ad tegendam nuditatem parentes primi habuerunt (*Gen.* III), quatenus mores humanæ conditionis pœnitendo redirent ad pacem Conditoris. Has regis filias longe fecit Dominus a viis hominum. Istæ virtutes homines deseruerant, his tenebræ succedentes genus humanum nubibus obtexerant, unde Osee clamans dixit : Nusquam veritas, nusquam misericordia, ubique homicidium, ubique furtum (*Ose.* IV, 2). Nubes quatuor sunt, ut diximus, et prædictis opponuntur filiabus regis, scilicet virtutibus. Prima nubes est caliginis, secunda roris, tertia grandinis, quarta umbræ mortis : prima fuit promittens, secunda decipiens, tertia puniens, quarta perimens : prima fuit ab oriente ; secunda a meridie, quia sufficiente umbra pollebat ; tertia ab occidente, quia lumen tegebat ; quarta ab aquilone, quia lumen non habebat. Per nubem caliginis ea recte intelliguntur, quæ celativa erant veritatis. Quod enim Abel occisus est (*Gen.* IV), quod aries pro Isaac immolatus est, hoc totum quid aliud significabat, non aperte, sed sub quadam caligine, nisi futuram Domini incarnationem ? Per nubem roris recte philosophorum accipi potest scientia, qui tanquam tenues scientia disputabant de supernis invisibilibus et ignotis, tanquam de sensibus subjectis. Sed quia tales idipsum quod sapiebant, sibi et non Deo attribuebant, quid justius erat, quam ut ejus privarentur munere, cui se ingratos exhibebant ex elationis tumore. Per nubem grandinis pœnæ intelliguntur, quæ secundum differentias peccatorum sub statu veteris legis colla premebant Judæorum. Unde quidam attendentes asperitatem legis, sarcinam servilis oneris, in hanc lapsi sunt insaniam, ut dicerent : Legis esse datorem, non Deum, sed principem tenebrarum. Per nubem umbræ mortis peccata intelliguntur, quorum exigentia ad mortem tendebant universa. Nubes prima veritati opponebatur, secunda justitiæ ; philosophi enim justitiæ oblivisecebantur ; aut quod habebant Dei munere, suæ attribuebant naturæ. Tertia opponebatur misericordiæ, quarta paci, quia per multitudinem peccatorum pax recesserat a cordibus peccantium. De prima nube dictum est : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* (*Psal.* XVII). De secunda dicitur : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum* (*Isa.* XLV) ; de tertia legitur : *In conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis* (*Psal.* XVII) ; de quarta habetur : *Opposuisti nubem, ne transeat oratio* (*Thren.* III). His nubibus tanquam errorum tenebris mundus erat involutus. Sed Dominus indutus carnem Ægyptum intravit, et luce suæ præsentiæ nostras tenebras illuminavit. Prædictis itaque nubibus tanquam obstaculis quibusdam amotis, quatuor regis primogenitæ gratantes prodiere. *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt* (*Psal.* LXXXIV). Hujus prophetiæ non nisi in quarta septimana Adventus Domini meminit Ecclesia, quia præmissis tribus recolit desiderium Patrum antiquorum Christi adventum desiderantium. Unde et in prima legitur, de asinæ solutione, per quam significata est solutio synagogæ. In secunda et tertia exprimitur, quanto desiderio Domini adventus sit expectatus, et ideo in secunda cantat Ecclesia : *Populus Sion*, etc. ; in tertia : *Gaudete in Domino semper*, etc. Idipsum septem vocales antiphonæ significant, quarum singula ab *O* incipit et in fine clauditur verbo imperativi modi, imo deprecativi ; quibus aperte expectantium desiderium et fervor aperitur. Et sicut ad litteram corruerunt simulacra Ægypti in adventu Domini, ita spiritualiter animorum cecidere simulacra, quando *Oriens ex alto nostra visitavit* infirma (*Luc.* II). Unde in prima dicitur antiphona : *Veni ad docendum nos ;* in secunda : *Veni ad liberandum nos ;* in tertia : *Veni ad redimendum ;* in quarta : *Veni et educ vinctum ;* in quinta : *Veni ad illuminandum ;* in sexta et septima : *Veni ad salvandum*. In prima, doctrina petitur, per quam ignorantia, quæ triplex fuit, fugetur ; ignorabat enim homo Deum, ignorabat seipsum, ignorabat virtutes. Sed hæc ignorantia tanquam simulacrum Ægypti ruit, quando lux in tenebris luxit. In secunda rogatur, ut nos liberet a servitute, quæ item fuit triplex ; fuit enim servitus diaboli, peccati et debiti, id est pœnæ peccato debitæ. In tertia petitur redemptio, et hoc tripliciter, a litterali lege, a labore et ab hoste. In quarta, ut a carcere educamur, id est ab inferno, in cujus ora, medio et imo tunc quidam tenebantur. In quinta, ut nos illuminet, petimus, quatenus per ipsum illuminati tres supernorum gratias mereamur oculo fidei, ut quandoque recepti in eorum consortium de eis confruamur. In sexta et septima, salus geminatur : per quod significatur, quod per ipsum a nobis amovebitur, et carnis mortalitas, et carnis passibilitas : et sicut Dominus nubem carnis, indutus ingressus est Ægyptum, sicutque bajulis nubibus ab Ægypto egressus ascendit in cœlum, sic ad judicium veniet separaturus grana a paleis, agnos ab hœdis, bonos a malis, vos ad dexteram positurus Jesus Christus Dominus noster, qui veniet judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

SERMO VI.

IN NATIVITATE DOMINI.

Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu, etc. (*Sap.* XVIII.) Tempus illud, quo ad nos omnipotens Sermo Dei nobis de nostra locutus salute advenit, descendens de sinu et corde Patris in uterum matris Scriptura prædicta denuntiavit. Deus enim, qui *multifarie multisque modis locutus* fuerat *Patribus in prophetis, diebus nostris nobis locutus est in Filio suo* (*Hebr.* I), de quo ait : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite* (*Matth.* III, XVII). Ipsum, inquam, audite, id est ipsi obedite vos, qui de valle lacrymarum in montem gaudiorum vultis ascendere. Venit igitur sermo Dei ad nos, Dei Verbum, Dei Filius, a regalibus sedibus se humilians, ut nos exaltaret, pauperans ut ditaret, humanans ut deificaret. Venit, inquam, ad nos, quando ? *dum medium silentium tenerent omnia*, in nocte, post galli cantum. Primum gallis cantantibus, qui cantaverunt et adhuc cantaturi sunt, fit inter clamores præcedentes, et secuturos clamores quoddam silentium, quod conticinium appellatur. Conticinium autem illud, sive silentium inter anteriores et secuturos clamores medium est, in quo, si quid fieret, *dum medium silentium tenerent omnia*, non absurde fieri diceretur. In hujus sæculi nocte, et nocte intempesta et profunda, quasi quidam galli fuerunt prophetæ, genus humanum valde sopitum suis clamoribus excitantes, ortum quoque solis præconantes. Hoc etiam missa, quæ in sanctissima nocte in galli cantu dicta est, repræsentat. Quasi quidam gallus Moyses, rupto noctis intempestæ silentio, exclamavit : *Prophetam suscitabit* vobis *Deus de fratribus vestris, tanquam me ipsum* audietis (*Deut.* XVIII). Erit autem omnis anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de populo suo. Clamabat iterum clamosus alius gallus, et dixit : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, ipse erit expectatio gentium* (*Gen.* XLIX). Clamabat Isaias tanquam gallus Domini ; clamat, inquam, et dicit : *Ecce virgo concipiet*, etc. (*Isa.* VII.) Clamabat Jeremias : *Ecce Dominus faciet novum super terram, mulier circumdabit virum* (*Jer.* XXXI). Virum plane, *qui solus non abiit in consilio impiorum* (*Psal.* I), quem mulier circumdedit in utero, et edidit, nec perdidit integritatem. Clamabat Daniel : *Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit prævaricatio*, etc. (*Dan.* IX.) Taceo prophetas alios, quos etiam numerare longum

Digitized by Google

est : quibus tanquam gallis Dominus dedit intelligentiam (*Job* XXXVIII), ut adventum veræ lucis longe ante ejus ortum præscii præconarent. Clamaverunt igitur galli, tanquam concinentes et dicentes: *Habitantibus in regione umbræ mortis, et populo, qui ambulat in tenebris, lux orietur* (*Isa.* IX). Siluerunt isti. Apostoli vero et ipsi galli, tanquam in ipso lucis crepusculo cantaturi silebant adhuc. Clamaturi tamen erant, et in tantum, quod *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII). Annon tibi gallus videtur qui ait : *Evigilate, justi, et nolite peccare?* (*I Cor.* XV.) Et iterum : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit* (*Rom.* XIII). Tenebant medium cuncta silentium, prophetæ qui clamaverant, et apostoli, qui clamaturi erant. Silentium autem hoc medium et medians erat inter clamores amborum, et eorum, scilicet, qui clamaverant, et eorum, qui pro Christo clamaturi erant.

Dum igitur medium silentium tenerent omnia, omnipotens sermo, id est Verbum Patris, *a regalibus sedibus venit*. Et pulchre in medio silentio *mediator Dei et hominum* (*I Tim.* II) homo ad homines, immortalis mortales, morte mortuos salvaturus advenit. Qui etiam mediationis suæ non immemor, operatus est salutem in medio terræ, in medio cœli et terræ, tanquam cœlum terramque concilians, exaltatus a terra, in cruce mortuus est. Vide ergo dispensationem. In medio oritur, in medio moritur, in medio salutem operatur. Jam hujus etiam rei sacramentum, dum nox in suo cursu medium iter ageret, a regalibus sedibus venit. Quæ est ista nox? forte hoc tempus, quo a mundi origine usque in ultimi sæculi finem in hac tenebrosa Ægypto vivunt filii Adam, graves ignorantiæ suæ tenebras sustinentes et ne alterum minime cernentes. Nunquid non se vident, qui sua vicissim corda non vident? Propter has invisorum cordium tenebras, mendacio et fallaciæ patet locus, dum se hac nocte occultunt, qui mentiuntur et fallunt. In hujus noctis medio, venit ad sedentes in tenebris *lux* illa, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I), tunc vere omnes tenebras depulsura, cum *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* IV). Viderat hujus noctis medium iter, qui dicebat : *Domine, audivi*, etc., *opus tuum, in medio annorum* vivificabis *illud* (*Hab.* III).

Cæterum, si cui displicet intellectus iste, non ago pugnanter, meliori sententiæ assentiens libenter. *Cum ergo medium silentium tenerent omnia, dum nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus a regalibus sedibus venit*. Venit sermo in silentio, venit sermo ad silentes. Urbana inter homines, et curialis consuetudo est, ut cum honoratior et præpotens persona loqui voluerit, qui circumstant, teneant silentium. Unde et Job loquente linguam suam cohibebant duces, *et digitum superponebant ori suo* (*Job* XXIX). Quando igitur *Deus deorum locutus est*, vocans ad fidem *terram* suam *a solis ortu usque ad occasum* (*Psal.* XLIX), silent prophetæ et conticescunt. Veniat nunc sermo Dei ad silentes, audiamus quid Dominus Deus loquatur nobis : *Audi, Israel, præcepta vitæ, et ea in corde tuo scribe, quasi in libro, et dabit terram fluentem lac et mel* (*Deut.* IV). Istis Domini verbis tria nobis ostenduntur, quo nomine debemus censeri, et quid agere, quid in præmium exspectare. Nomen nostrum magnum est : Hoc nomine nihil majus, nihil excellentius. Dicimur enim Christiani a Christo. Quid amplius creaturæ potuit deferre, quam Creatoris sui nomine censeri? Si ergo convenimus nomine, conveniamus et re. Dicitur enim : *Qui dicit se in Christo manere, debet quemadmodum ambulavit et ille ambulare* (*I Joan.* II). Magnum est illud, non modicum est istud, quo hic nominamur. Dicimur hic Israel qui est vir videns Deum, secundum genus videndi Deum, et quomodo potest quis videre Deum? Nonne legitur : *Deum nemo vidit unquam?* (*Joan.* I.) Et : *Vivet homo, et non videbit me?* (*Exod.* XXXIII.) Sed sciendum, cum homo habeat duos oculos corporis, quibus utique Deum, quia spiritus est, videre non possit, (cum nec etiam angelos, nec animas) habet duos interiores, fidei et dilectionis, quibus videt Deum *per speculum in ænigmate* (*I Cor.* XIII), ut post videat ipsa re, quæ est vita æterna. *Hæc est enim vita æterna, ut cognoscant te* (*Joan.* XVII). Cum vero ista visio sit quasi meritum, illa præmium, *quando videbimus facie ad faciem* (*I Cor.* XIII), ecce de nomine ostenditur quid debeamus facere. Dicitur enim. *Audi præcepta*, nec solum audi, sed *scribe in corde tuo*. Sed forte, inquiunt aliqui inter nos : Quomodo potest scribere, qui non novit litteras vel libros componere? non præcipitur in pergameno, sed in corde, ut ante liqueat, quomodo possis in corde scribere. Audi libri compositionem, ut et omnia in corde tuo comparare studeas. Prius traditur rasori, ut cum rasorio omnem superfluitatem, pinguedinem, scrupulos et maculas tollat, deinde supervenit pumex, ut quod rasio auferre non potuit pumice deleatur, scilicet pili et talia minuta. Ad hæc, antequam scribatur, opus est regula ne tortuose ducatur linea : Sic et tu, quasi rasorio, amaritudine pœnitentiæ carnem seca, arbusta criminum conscinde, ut si qua per voluptatem carnis contraxisti crimina, per ejusdem punitionem deleas. Aufer avaritiam, luxuriam, invidiam a corde tuo, et talia. Macera carnem tuam, assume disciplinam. Sed quam pauci, qui ista faciant? Cum præcipitur jejunare, ipse se excusat, quomodo jejunarem, et alii comederent? Et si præcipitur assumere disciplinam, ipse respondet : Non potest pati natura mea; statim morerer. Si præcipiatur dare nummum, respondet, se non habiturum usque ad mensem. Ecce rasum est pergamenum, omnia criminalia sunt ablata. Hoc modo faciebat Job, athleta Christi, qui radebat scabiem testa (*Job* II). Sed quia adhuc restant alia sine quibus vita ista non agitur, quæ dicuntur venialia, quia leviter consequuntur veniam, adhuc opus est pumice, id est eleemosyna et oratione, quia extinguunt ista venialia, quæ sunt, ridere immoderate, bibere quandoque ultra quod satis est, quia et continue esset criminale. Sed antequam scribas in isto libro, assume regulam, exempla sanctorum Patrum Petri, Pauli, Stephani martyris. Secundum regulas istas dirige cor tuum, ut sit rectum, non tortuosum. Tortuosum est cor murmurantium adversus Dominum, in parte laudantium, in parte blasphemantium, in adversis blasphemantium, in prosperis laudantium. *Confitebitur enim tibi, cum benefeceris ei* (*Psal.* XLVIII). Noli sic murmurare tortuosum habens cor. Considera, si placet Deo creatori tuo, si propriæ contradicas dispositioni. Vide, quia *pater flagellat filium quem recipit* (*Hebr.* XII). Habe cor rectum in omnibus benedicens Deum, sciens quia si tibi immittat adversitatem ad correptionem est pro peccato. Si prosperitatem, ut aliis tribuas, etc. Benedic ergo semper cum Propheta dicens : *Benedicam Dominum in omni tempore*, etc. (*Psal.* XXXIII.) *Lætamini in Domino*, etc. (*Psal.* XCVI), ut et tibi benedicat Dominus. *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde, non perverso* (*Psal.* LXXVII). *Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris* (*Psal.* XVII). Modo paratum est cor, non restat, nisi ut te doceam, quid scribas. In primo folio scribe : *Deus tuus unus est* (*Deut.* VI), id est, Patrem omnipotentem crede, et dilige. In secundo eodem folio scribe : *Non accipies nomen Dei tui in vanum* (*Exod.* XX). Crede Filium missum minorem Patre secundum humanitatem, quia æqualis ei secundum divinitatem. Inhonorat enim Patrem, qui non credit proprium habere Filium æqualem sibi, tanquam impotentem, vel invidum. Tertio crede Spiritum sanctum, in quo

Digitized by Google

datur requies, et hic in tranquillitate mentis, et in futuro in beatitudine. Hæc in primo folio scribe, quæ pertinent ad Dei cultum. In secundo, quæ sequuntur, quæ pertinent ad proximum. Quorum primum : *Honora patrem et matrem* (*ibid.*), non solum verbis defendendo, sed res necessarias administrando. Nos autem, non solum non exhibemus, quantam debemus reverentiam, vel necessaria tribuimus, sed rebus propriis spoliamus.

Filius, ante diem, patrios inquirit in annos.
(Ovid. I *Metam.*)

Attamen subvertitur fructus, cum dicitur : *Ut sis longævus super terram* (*ibid.*). Et hoc in terra morientium fieri videmus, et super terram promittitur. Morientium terra est ista, ubi nullus descendit, nisi moriatur, vel mortuus est. Quomodo diliget alienos, si suos non diligit ? Quinto scribe : *Non occides* (*ibid.*), ut nec corpore occidas, nec mente. Potes enim homicida esse voluntate, sic ut nec corpus, nec animam occidas. Occidis enim animam proximi, cum te, scilicet exemplar constituis mali, quem etiam in errorem inducis, illius animam interficis. Sexto scribe : *Non furtum facies* (*ibid.*), id est desiste non solum esse violentus exactor, sed usurarius fraudulentior. Quis callidius potest sua proximo furari, quam qui quadraginta mutuata, debitore non reclamante, per quadraginta petit multiplicari ? Septimo scribe : *Non mœchaberis* (*ibid.*), noli cognoscere feminam, nisi nuptiali copula tibi copulatam. Quodcunque enim alio modo fiat, criminale est. Et etiam in legitima potes excedere. Octavo : *Non falsum testimonium dices* (*ibid.*). Hic interdicitur jurare, ex quo inciditur in perjurium. Nonus versiculus est : *Non concupisces rem proximi tui, non bovem, non asinum, non fundum, non vineam* (*ibid.*). Nonne hoc superius prohibitum ? non, ibi actus, hic voluntas : *Non concupisces uxorem proximi tui*, imo etiam hoc ibi : *Non mœchaberis*. Nam ibi actus, hic voluntas, quod quidem criminale est, si tantum excrescat, quod possis dicere : Non remanet in me, si haberem facultatem. Quare ita exardescis libidine ? non potest una, quam habes, tibi sufficere ? Ecce compositus est liber inscriptus. Scriptura bona, scriptura Dei, sed insidiatur diabolus, tanquam simia. *Averte oculos tuos* (*Cant.* VI), statim ipsa accedens apponit manum, delet quæ scripsisti, et apponit litteras suas. Sic diabolus, ni caveas, superponit contraria ; *Omni* ergo *custodia serva cor tuum*, ut ait Salomon (*Prov.* IV), ne possit antiquus evellere, quæ plantasti. Adde ergo libro quasi firmatorium gratiam Dei, quæ præsto est omnibus, si consentiant. Hunc librum poles tecum ferre ; nec erit opus bajulatore. Satis est parvus iste liber ; in quo clausis oculis potest inspici tam a clerico quam a laico. Si istum librum scripseris, audi quid et quantum tibi promittat ipsa veritas, quæ non mentitur, nec mentiri potest.

Dabo tibi terram fluentem lac et mel. Lac liquor est de carne proveniens, mel de cœlo, de temperie scilicet. Sic in nobis duæ sunt naturæ ; caro et anima. Per fluentem, accipe plenam et perfectam abundantiam. Et est : Dabo tibi plenitudinem beatitudinis, quoad corpus, et quoad animam prævalet hæc terra, cujus incolas nos faciat Jesus Christus, Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO VII.

IN APPARITIONE DOMINI VEL EPIPHANIA.

(*Exstat inter sermones Hildeberti Cenomanensis. Vide* Patr. *tom.* CLXXI, *col.* 409, *serm.* 14.)

SERMO VIII.

DE SANCTO VINCENTIO.

Ad claustrales.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei (*Apoc.* II). Audistis promissionem, et cui facta sit promissio. Vincenti enim promittitur esus ligni. Sed a quo promittatur, et quo tempore sit facta, ex serie verborum non est perspicuum. Qui promittit princeps est : principum enim talis est promissio. Hi enim suis exhortationibus animant animum vel animos pugnantium, dicentes : Pugnate et viriliter agite, et confirmate corda vestra (*Deut.* XXXI). Sic ergo dicit Pater : *Vincenti dabo edere*, etc. Princeps ipse non est princeps hujus mundi, nec est sua promissio, nec ejus participatio, quia ejectus est de paradiso a Domino, unde : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X), Et Isaias : *Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris ?* (*Isa.* XIV). Quis est ergo, qui promittit ? Dominus est. Pater, scilicet ; nam de Filio est promissio, quod est lignum vitæ in medio paradisi. Filius enim est vita. Sed qui prius erat apud Patrem tantum vita, unde et in ipso vita erat, factum est *lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum* (*Psal.* I), id est defectus hominum, ut qui prius invisibilis erat, sicut sol in rota fieret nobis visibilis in carne humana. Unde non tantum lignum, nec tantum vita modo est, sed lignum et vita, id est Deus et homo. Hoc lignum Deus Pater vincenti promittit dicens : *Tibi dabo edere de ligno vitæ*. Victori dicit, tibi do. Dilatorium est hoc verbum, *Dabo ;* sed favorabile est, Do, potest dicere vincens et pugnans. Datur enim in patria, sed vincenti promittitur in via. Sed si verborum sensum subtilius attendamus, et vincenti dat, et vincenti promittit nunc in sacramento ; in futuro insatiabiliter, unde : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI). Hoc lignum dedit in pretium ; dedit et nobis in viaticum, quod promittit in præmium. Habemus itaque quod promittit, et cui, et quid. Quo autem tempore facta sit hæc promissio ex superficie historiæ potest perpendi. Joannes enim evangelista, cum adhuc adolescens esset, tempore passionis rejecta sindone fugit (*Marc.* XIV), sed post cum senuisset et in Pathmos insulam relegatus fuisset (*Apoc.* I), ibi suam Apocalypsim vidit, in qua continetur.

Et angelo Ephesi scribe : *Vincenti dabo edere*, etc., et factum est hoc tempore gratiæ. Quod etiam ratione potest probari. Tria enim sunt tempora : ante legem, sub lege, et sub gratia. Ante legem nullus pugnabat, sub lege nullus resistebat, nullus ergo illis vincebat temporibus. Ante legem enim, quidquid erat libitum, licitum esse credebat. Nullus ergo pugnabat cum diabolo, imo quisque sequebatur eum volens, et sic nullus erat vincens. Non igitur tunc facta est promissio. Nec sub tempore legis. Lex enim tantum peccata ostendebat (*Rom.* III), sed neminem ad perfectum ducebat (*Hebr.* VII) ; sed quemlibet diabolus secum invitum trahebat. Nullus ergo resistebat, nullus igitur vincens, non ergo tunc facta promissio. Facta est igitur tempore gratiæ. Et quia tandiu ab eo ligati sumus, quomodo ab ejus dominio liberari, et ei resistere poterimus ? triplici fiducia, promissione Patris, exhortatione Filii, consolatione Spiritus sancti.

Dum medium silentium tenerent omnia, sermo tuus a regalibus sedibus venit (*Sap.* XVIII). Tria sunt tantum, quæ possunt silere, Deus, angelus et homo. Deus enim silebat, cum quasi dissimulabat, quasi non curans hominum liberationem. An cum esset homini inimicus, homini non consulebat ? Homo quasi longo tædio affectus clamare desistebat, et ita *dum medium silentium tenerent omnia*, omnipotens *sermo tuus a regalibus sedibus venit*, ut eos qui in mundo sunt redimeret. Ipse enim vita erat et lux, vita immarcescibilis, lux incomprehensibilis. Venit ergo vita et lux : venit vita, ut auferendo mortem daret vitam ; venit lux, ut fugando tenebras daret lucem, et sic liberavit nos a peccato et dæmonum jugo : *Venit ergo sermo tuus*, etc. Loquitur Pater, loquitur Filius, loquitur Spiritus sanctus. Pater loquitur

Digitized by Google

verba promissionis, Filius verba exhortationis, Spiritus sanctus verba consolationis. Filius igitur loquitur exhortando, Pater promittendo, Spiritus sanctus consolando. Vis audire verba exhortationis? *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed* vitam, *ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII). Vivo ego, quasi vivi Dei sacramentum erat in lege. Non est juratio Domini, sed sarcasmus, id est, hostilis irrisio; quasi dicat : Judæi putaverunt me detinere in mortem, quando me occiderunt, sed surrexi, ideo quasi deridendo dixit : *Vivo ego, et ideo nolo mortem peccatoris*, etc. Magna est exhortatio. Vis audire consolationem Spiritus sancti? *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). Hac triplici fiducia confisi pugnare debemus, ut vincamus. Tres enim habemus hostes, carnem, mundum, diabolum. Caro est hostis domesticus, et ideo magis timendus; mundus hostis sophisticus, et ideo cavendus; diabolus hostis antiquus, et ideo magis odiendus. Caro suadet suavia, mundus inania, diabolus iniqua : caro ligat, mundus nos suggillat, diabolus nos necat : caro suggerit luxuriam, mundus avaritiam, diabolus superbiam : caro deprimit nos infra nos per luxuriam, mundus trahit nos extra nos per avaritiam, diabolus erigit nos supra nos per superbiam. Carnis suggestio valde est timenda, ipsa enim ligat nos : quam interficere non audemus, sed ei necessaria alimenta ministrare tenemur. De hac inquit Apostolus : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Et ille miles fortis Christi, Job (cap. VII) : *O custos*, inquit, *hominum, quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis?* senserat enim intestinum bellum inter carnem et spiritum. Hæc est Dalila Samsonis, de qua Salomon dicit : *Ab illa, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui* (*Mich.* VII). De secundo hoste dicitur : *Qui mundum diligit, inimicus est Deo* (*Jac.* IV). Hic est ille Nabuzardan, qui obsidens Jerusalem, posuit custodes ad portam, ne liceret alicui civium exire (*Jer.* LII). Hic est mundus, qui animæ portas obsidet, visum, auditum, odoratum, gustum, tactum. Cum anima quandoque exit per portas oculorum, videt mulierem ad concupiscendum eam, videt vanam supellectilis varietatem, et infinitæ pecuniæ, allicientem, etc, quid per singula? non potest egredi, quin mundi milites inveniat. Si vero exit per portas aurium, objicit ei mundus inanes fabulas, mendacia palliata et infinita perjuria. Si per portam exit narium, olfactoria muscо colorata prætendit ei mundus, aerem variis odoribus invenit vitiatum, pigmentum pretiosis speciebus conditum. Si vero per portam gustus exierit, objicit ei panem omni arte pistoria compositum; vinum odore, sapore et colore optimum. Quidquid etiam terra, aer, mare habet delicatum cum salsamentis proportionaliter compositis. Si vero per portas manuum, vestis pretiosæ lenitatem invenit; unum non sufficit pulvinar cui incumbat, sed simul diversa coacervantur, ut in eis se totum immergat; ad tactum alienæ carunculæ hilarescit. Ecce quacunque porta egrediatur, sophistice agit cum ea inimicus.

Restat adhuc hostis antiquus, et ideo magis timendus, malleus universæ terræ. Ipse suggerit nobis iniqua. Sed quomodo huic nefandæ trinitati, carni, mundo, diabolo scilicet, poterimus resistere? Ex nobis nequaquam. Quid ergo faciendum? Habemus Trinitatem ineffabilem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, cujus auxilio vincere possumus. Per Patrem, diabolum; per Filium, mundum; per Spiritum sanctum carnem vincimus : nonne aliquis istorum sufficiet ad resistendum? Non utique, certe necessaria est tota Trinitas, aliter resistere ei non valemus, nisi fide et auxilio. Sed quid a Patre contra diabolum, quid a Filio contra mundum, quid a Spiritu sancto contra carnem habemus? Audi : beneficio Patris et consilio resistimus diabolo, mundo, verbo Filii et exemplo, carni obumbratione sancti Spiritus et incendio. Vultis audire beneficium Patris? Misit Filium suum, qui fortem alligavit diabolum (*Matth.* XII). Consilium dedit nobis, quando dixit : *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite* (*Matth.* XVII), et non alium. Verbo Filius nos docuit : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*Matth.* XIX); et alibi : *Beati pauperes spiritu*, etc. (*Matth.* V.) Exemplo docuit, quando de paupercula Virgine natus in præsepio positus, vilibus pannis involutus non habuit, ubi caput suum reclinaret (*Matth.* VIII). Pauperculæ etiam mulieres, quæ eum sequebantur, de propria sua substantia ei necessaria ministrabant. Obumbratione Spiritus, *virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I). Incendio enim charitatis incentiva carnis repellit : sicut mulier poetica calorem æstivum calore repellebat (93), alia serpyllum et herbas olentes ministrabat mesoribus : hæc fides, scilicet sanctæ Trinitatis in baptismo exigitur, ut nefandæ trinitati valeat quisque resistere. *Vincenti* ergo hæc omnia *dabit Deus edere de ligno vitæ*, etc., ergo et B. Vincentio vincenti : ipse enim hæc omnia vicit. Nullum enim testimonium firmius est quam quod perhibetur ab inimicis, sui quidem tortores pœnæ confessi sunt : Victi sumus. Huic ergo dat *edere de ligno vitæ, quod est in medio paradisi.* Bene dicit, *in medio*, quia sunt et alia ligna quæ istud lignum comedunt, unde : *Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani* (*Psal.* CIII), et comedent. Cum enim radix arboris, vineæ Sorec vitis, et palmites in ea arbusta cooperientia montes, ligna campi omnifructifera in domo Dei, malogranata, quæ assimilantur genis sponsæ (*Cant.* IV), sint, de quibus per singula non est dicendum : Vobis ergo, qui ad hujus martyris obsequia excubatis, esus hujus ligni promittitur. Vos enim in agone suo hæredes reliquit; et, ne putetis me adulatorie loqui, vos martyres estis. Gravius enim est illud quod sustinetis martyrium in claustro, quam illud sit, quod fit gladio. Illud materiale et momentaneum, vestrum spiritale et diuturnum, et ideo magis periculosum. Rigor enim vestri ordinis, nisi emolliatur, est vobis in martyrium. Memoria enim præteritorum delictorum, et dilectio sunt quasi gladius pertransiens animas vestras. Intelligite tentationes, quas sustinetis. De quo gladio dicitur : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* (*Luc.* II). Vobis igitur, qui jam vincentes estis duorum hostium, carnis scilicet, et mundi, hujus ligni esus promittitur.

Restat adhuc cum tertio pugna, cum dæmone : mundo scilicet renuntiastis, carni vestræ ex tenore Regulæ multa subtraxistis. Hostis tantum restat antiquus, cujus est delicatus cibus. Iste non comedit grossum fœnum, sed subtile et tenuissimum, sicut bos. Fœnum istud est religiosus monachus, vel quicunque jejuniis macilentus, afflictionibus nocturnisque vigiliis pallidus. Huic ergo fortiter resistendum; sed non potest vinci sine oratione. Orandus est ergo Deus, ut de istis inimicis det nobis victoriam, ut digni inveniamur ad esum ligni vitæ, quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat nunc et in æternum. Amen.

SERMO IX.

IN HYPAPANTE DOMINI VEL IN PURIFICATIONE BEATÆ VIRGINIS.

Ad claustrales.

Oblatus est, quia voluit (*Isa.* LIII). Quoties oblatus est Dominus, quia ipse voluit? Primo oblatus est in templo, postmodum in ligno. Primo tanquam

(93) Virg., *Eclog.* II.

Digitized by Google

puer oblatus est a parentibus (*Luc.* II), postmodum tanquam perfectæ ætatis seipsum obtulit pro parentibus. Prima oblatio fuit purificationis, ultima immolationis; sed utrobique *oblatus est, quia ipse voluit*. Sicut enim *quæcunque voluit fecit* (*Psal.* CXXXIV), sic omnia quæ fecit, quia voluit, fecit. Propheta tamen de oblatione loquens immolationis, cum præmisisset : *Tanquam ovis ad occisionem ductus est*, etc. (*Isa.* LIII), quasi summam totius passionis exprimens causam, sic præmissa conclusit. *Oblatus est, quia voluit*. Salva tamen pace prophetæ, expressius videtur dictum de oblatione purificationis; propterea, quia additum est, quia ipse voluit. Licet enim natus, circumcisus, *oblatus*, baptizatus, passus sit, *quia voluit :* tamen quæque singula suis determinationibus expressius distingui possunt in hunc modum. Circumcisus est, quia debuit, *oblatus quia voluit*, baptizatus quia profuit, passus quia oportuit. Sane parvulus natus est de muliere, factus sub lege, quam ne solveret, sed adimpleret, quasi tenebatur circumcidi, lege cogente parvulos de filiis Israel circumcidi, pœnam mortis incircumcisis intentans, cum diceret : *Anima quæ non circumciderit carnem præputii sui peribit de populo Israel* (*Gen.* XVII). Nec in corpore legis erat, quo posset excusari Christus, si mansisset incircumcisus. Si diceret, peccatum non habeo ego, non egeo remedio circumcisionis, non secundum legem excusaretur, quia nec hanc addidit exceptionem. Offerri vero die purificationis non debuit secundum legem, imo ipsa lex videtur eum exclusisse a purificatione et hostia pro ea. In lege sic scriptum est : *Mulier quæ suscepto semine pepererit masculum*, etc. (*ibid.*), ac si aperte dicat : Ne accedas, Domine Jesu, ad purificationem, tu immunis a peccato, fide mundans corda tuorum, tu sine semine conceptus, et natus de Spiritu sancto, exspecta donec teipsum offeras pro mundo. Ne accedas, Virgo sanctissima, tu enim neque proprie mulier, neque semine suscepto peperisti (94). Mulier enim proprie quasi mollier dicitur, quæ mollitiem sentit, quæ muliebria corporis sui jam passa est. Itaque lege quasi ex adverso prohibente, non ex debito *oblatus est*, sed *quia voluit :* quare voluit? quia sic nos docuit, omnis enim Christi actio, Christiani est lectio. Docuit enim nos debitis supererogare indebita; quia quanto indebita, tanto magis gratiora. Baptizatus vero est, quia profuit : contactu enim corporis sui vim regenerativam contulit aquis. Passus, quia oportuit, id est sic redimere opportunius fuit (95). Fuit quidem et alius modus redimendi nos possibilis Deo, sed nullus convenientior : nihil enim æque potuit nos incitare ad intelligendum Deum, quam quod animam posuit pro nobis. Hæc autem dilectio sola movet pedem redeuntium a Babylone. Hæc quidem simpliciter sic exposita pascunt nos, sed nondum ædificant. Moraliter autem intellecta, quæ hodie circa Dominum gesta sunt, pascunt et ædificant, et maxime contemplativos, qui non, divisi, partim serviunt Deo, partim mundo, neque hostiis salutaribus occupati, seipsos in holocaustum offerunt, *hostiam vivam, sanctam et Deo placentem* (*Rom.* XII). Quæ enim hodie gesta sunt circa Dominum a parentibus ejus gesta leguntur. Contemplativi vero ejus parentes sunt. Unde et *ipse extendens manum in discipulos ait : Hi sunt fratres mei*, etc. (*Matth.* XII.) Sed cum plurima gesta sint, quatuor ex his excipimus inquirenda. Primum, quia *oblatus est, quia voluit* (*Luc.* VIII); secundum, quia obtulerunt pro eo *par turturum, aut duos pullos columbarum* (*Luc.* II). Tertium, quod Simeon suscepit eum in ulnas suas; quartum, devotio fidelium, quæ adinvenit luminarium gestationem. Hæc ædificant virum contemplativum : sic ad amplexus Rachelis transeundum est, sic immorandum. His enim quatuor, quatuor religionis status insinuantur : ortus, modus, progressus, exitus. Oblatio voluntaria ortum religionis indicat, aviculæ oblatæ modum. Simeon gestans progressum, luminaria gesta exitum. Votum sane religionis et continentiæ nemini imponitur. Induit Moyses Aaron fratrem suum in die, quo initiatæ sunt manus ejus vestibus sanctis, exceptis femineis illis, ipse se indult (*Lev.* VIII). De eodem Veritas ait : *Non omnes capiunt verbum hoc. Qui potest capere capiat* (*Matth.* XIX). Est igitur ortus religionis et continentiæ voluntarius, dictum est : *Vovete*, hoc est voluntatis : *et reddite* (*Psal.* LXXV), hoc est post votum, necessitatis. Alibi etiam ortum hunc voluntarium esse declarat Christus, ait enim : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes*, etc. (*Matth.* XIX.) Et alibi : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XVI) : initium perfectionis et innovationis suæ statuens in hominis voluntate. Sicut Christus *oblatus est, quia voluit*, sic quilibet ad districtionem ordinis accedens, offert se, quia vult. Aviculæ vero modum religionis et vitæ post oblationem consecuturæ exprimunt. Has solas aviculas Dominus sibi voluit offerri sub lege, scilicet turturem et columbam. Ecce aviculæ duæ hic, satis est, duæ sunt hominis partes : anima et caro. Sit anima simplex et innocens, sit caro immaculata et continens. Ecce hostiæ duæ hic satis est. Adaptationi vero turturis ad carnem, et columbæ ad spiritum supersedemus, quia et crebrius auditur, et sæpius lectitatur (96). Id solum de turture exprimimus, quia amisso compari suo nunquam deinceps nisi arido insidet ramo : quam exquisitam habet sedem continentia, si aridæ paupertati insideat. Liber experientiæ quemque nostrum docuit quam amica sit continentiæ ciborum ariditas, quam contraria eorum mollities et ingurgitatio. Omnem revolvite vitam Salvatoris ab utero Virginis usque ad patibulum crucis, non invenietis in eo nisi stigmata paupertatis. Non sine causa sermo Dominicus in monte, ubi totius religionis est documentum a paupertate exordium habuit : *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* V). Nihil liberius, nihil tutius paupertate. Qui opes congregat, ignem in sinum portat; cum colubro dormit, qui opes ambit. Opes, ut ait quidam, cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, nunquam sine dolore amittuntur. Quam eleganter insultavit opibus philosophus (97), qui pretium rerum suarum quas vendiderat in pondus auri redactum in mare submersit, dicens : *Ite pessum pessimæ divitiæ, submergam vos, ne submergar a vobis*. Quis est hic et laudabimus eum? Quam dulce vehiculum sit justo aridus ramus paupertatis, noverat ille qui dixit : *Elegi abjectus esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* (*Psal.* LXXXIII). Et alibi : *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas* (*Psal.* XXXVI) (98). De columba vero nec hoc silendum duximus, quia columbæ quædam ad colli mutationem mutant etiam colorem. Alius enim apparet color in collo, si vergatur in lævam, et alius, cum in dexteram. Hinc etiam a collo quidam existimant dictam esse columbam. Sic et contemplativus loco et tempore omnibus omnia fit, ut omnes lucrifaciat. Hanc vicariam colorum varietatem habuit Apostolus, qui ait : *Sive mente excedimus, Deo, sive sobrii sumus, vobis* (*II Cor.* V). Sapientiam loquebatur inter perfectos; inter minores vero nihil se scire judicabat nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum (*I Cor.* II). Alterius coloris hinc, et alterius inde videbatur. Hæc est scala, in qua vidit Jacob an-

(94) Isid., lib XI *Etym.*, cap. 7.
(95) Beda in cap. X *Luc.* Aug., l. XIII *De Trin.*, cap. 10.
(96) S. Bern., serm. 59 *in Cant.*
(97) *Crates Thebanus.* — Hieron, l. II *in Jovin.*
(98) Isid., l. XII *Etym.*, cap. 7.

Digitized by Google

gelos ascendentes et descendentes (*Gen.* XXVIII); cum viri scilicet, supra se rapiuntur contemplando, infra se ponuntur minoribus condescendendo. Nec vacat, quod duo pulli utriusque aviculæ oblati sunt. In quibus duo genera contemplativorum figurantur. Sane, sicut sunt duo rami contemplationis, lectio, scilicet, et oratio, in quibus tota meditatio contemplantis versatur : ita sunt qui orationi magis operam dantes lectioni minus insistunt, et hi sunt claustrales. Sunt alii qui lectioni invigilant, rarius orantes, et hi sunt scholares. Postmodum sequitur de progressu, qui notatur in gestatione Simeonis. Tres leguntur Dominum portasse : Virgo in utero, Simeon in ulnis, et tandem Joseph super humeros, cum fugisset in Ægyptum. Hic est progressus religionis : ut scilicet primo sit vir justus aud.tor, post doctor, tandem si Dominus vocaverit, pastor. Novem mensibus virgo tulit Dominum in utero; nec tamen etiam, cum prodiit in lucem : nam nisi in quadragesimum diem gestatus est a Simeone. Considera ista, vir bone, qui Christum niteris imitari. Si surgat in corde tuo subreptio in hunc modum : Jam diu religiose vixi, nobilis sum, et notus, et gnarus in exterioribus : sufficit mihi scientia ad instruendum subditos : ego prior et abbas potius illo esse debui, et honorem cathedræ pontificalis honorare, dic animæ tuæ : Anima, nondum venit hora mea, nondum plene roboratus est Christus ut manibus senis circumferatur. Senex erat Simeon, consenesce in religione, priusquam publiceris. Etiam Simeon, *audiens tristitiam* sonat. Sed et tu, si distraharis ad publicum, si vocaris, audias unde tristeris, et dicas : *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos?* (*Cant.* v.) Non est itaque, viri claustrales, surgendum nobis nisi post longam sessionem. *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris* (*Psal.* CXXVI), non est itaque sine nutu Dei. Nam et Simeon venit in spiritu in templum. Ut quid egrediendum vobis de luce ad tenebras, de lecto ad volutabrum luti, de paradiso ad agrum Damascenum, ubi periit Abel justus? utquid vultis pro croceis amplexari stercora? Absit a vobis et ne fiat vobis hoc. Multo ergo difficilius trahi debetis ad cathedram. Si sola tam meticulosa est inter intrinsecos doctrina, grave est super humeros portari infantem jam grandiusculum. Meticulosa res est descendere in Ægyptum ad omnigenum monstrum deorum. Verumtamen viri sunt magnarum carnium Ægyptii; super ollas carnium sedentes quæstum putant esse pietatem. Ex Ægypto vocavit Dominus Filium suum (*Matth.* II) in luto et latere servientem (*Exod.* I). Noli illuc redire, fili Dei, nisi ad similitudinem Christi corruant ante faciem tuam simulacra Ægypti. Nec nisi Deo specialiter vocante; angelus enim in somnis admonuit Joseph, ut iret in Ægyptum (*Matth.* II).

Restat de exitu. Idem est exitus conversationis sanctæ, qui et vitæ : non est utilis sanctimonia, nisi finiatur cum vita, unde : *Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X). Finis enim, non pugna, coronat. Nam et *Dominus judicat* fines terræ (*I Reg.* II). In cujus rei figura caudam hostiæ sibi præcepit offerri, et ὑποδύτην hyacinthina indutus est Aaron (*Levit.* VIII). Hanc perseverantiam luminarium gestatio gestantium mentibus imprimit. Nemo enim accendit lucernam et ponit sub modio, vel exstinguit, sed accensam super candelabrum statuit, ut indesinenter coruscans sua tenebras illustret claritate (*Matth.* V). Vel quia in face cerea designatur Christus; exemplo perseverantiæ Christi ad perseverandum ipsis luminaribus hodie instruuntur fideles; ac si nobis dicatur : Videte quid gestetis in manibus, typum Christi gestatis. Fidem ejus gestate in mente, confessionem nominis ejus in ore, imitationem in opere. Tres siquidem substantiæ in una Christi persona per accensum luminare designantur. Per ceram, caro Christi designatur; apicula enim, quæ non resolvitur in libidinem, quæ commistione sexuum non frangitur, ceram operatur. Sic caro Christi, nec ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed ex illibata Virgine ex Deo facta est. Ellychnium latens in cera est anima, carnis domicilio tecta. Ignis utrumque absumens divinitas ejus, quia *Deus noster ignis consumens est* (*Heb.* XII). Inde est quod et Simeon Christum lumen appellavit factum *ad revelationem gentium, et gloriam plebis Israel* (*Luc.* II). Hoc ergo hodie gestatur in manibus. Ponitur exemplum gestantibus, maxime vero contemplativo; proponitur exemplum patientiæ usque ad mortem, mortem autem crucis (*Phil.* II). Non erat Jesus missus nisi *ad oves quæ perierant domus Israel* (*Matth.* X). Elevatus ergo Jesus in crucem, cum coram starent filii Israel, et dicerent : *Descendat nunc de cruce, et credimus ei* (*Matth.* XV); audiens de facili se posse implere, ad quod venerat, quare non descendit? Quare, Domine Jesu, per facilem descensum de cruce, non intravit plenitudo Judæorum, ut sine eorum cæcitate *plenitudo gentium intraret?* (*Rom.* XI.) Aliquid est, etsi nos lateat : quare non audisti eos? aliquid est clausum, sed tu, Domine, aperi nobis, ut et vos similiter faciatis; vos, inquam, viri contemplationis cruci affixi estis cum Domino, quia vultis ire post eum, tollitis crucem vestram, supple, obedientiæ et pœnitentiæ; ut dicat quisque : *En colligo duo ligna* (*III Reg.* XVII), ex quibus scilicet compaginatur crux nostra. Audeo ego, et dico : In districtiori cruce pendet vir contemplativus, quam Christus; quia et diuturnior, et in pluribus coercens eum. Conferamus crucem Christi, et crucem contemplativi, liquidum fiet, quod dicimus : Christi membra sic clavis confixa sunt, ut officiis suis uti non valerent, lingua tamen libera a crucifixione loquebatur, oravit enim ibidem pro crucifixoribus. In manibus Patris commendavit spiritum suum (*Luc.* XXIII). Vir autem contemplativus sic omnia membra sua clavis obedientiæ arctavit, ut nec etiam lingua loqui valeat; sed etiam in necessariis manus, innuens matræ subveniat sorori. Quid itaque in hac cruce nobis faciendum? Utique quod Christus fecit in sua, moriendum est in ea, quia Christus mortuus est in sua. Si perstrepat mundus, si dæmones, si caro propria, et dicat : *Descende de cruce;* juvenis es, circa senium ascendere poteris. Dic ei : Nihil certius morte, nihil incertius hora mortis : vigilabo et stabo in cruce, donec, inclinato capite, tradam spiritum. Nec diffidat quisquam vestrum, si caro quasi invita tanta patitur, ne quod quasi nolens agit, inutiliter agat. Erit enim, cum caro nostra super his exsultabit, cum horum meminisse juvabit. Consuluit olim natura spiritum suum, tanquam patrem super medela vulnerum suorum, et audivit a Spiritu : « Fili, curari non potes, nisi patiaris te ligari, secari et uri. » Et illa : « Assentio, Pater. » Alligata est ergo funibus regulæ, quam suscepit. Secatur et uritur, dum vivit in vigiliis multis, in fame et siti, in frigore et nuditate. Necessario clamat ergo ad spiritum : « Pater, solve me, solve me, Pater. » Astat spiritus compatiens, et ait : « Modicum, fili, et solveris. » Memento quod, te volente, factum est hoc. Non solvit Pater, donec manus medicantis ex contingentibus nil omiserit; sic et caro nostra in quibusdam modo clamat, donec ex longa consuetudine sic vivendi, quod asperum fuerat, leve fiat : tunc ligatam se fuisse gaudebit, et dicet : *Cor meum et caro mea exsultavit in Deum meum* (*Psal.* LXXXIII). *Viriliter ergo agite et confortamini* (*Deut.* XXXI), gestantes luminare minus in manibus, luminare majus in mentibus, donec ad lucem inaccessibilem perducat vos Jesus Christus, Dominus noster, judex noster, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem.

Digitized by Google

SERMO X.

IN CAPITE JEJUNII VEL IN DIE CINERUM.

Cum jejunaveris, faciem tuam lava, unge caput tuum oleo, ne videaris hominibus jejunans (*Matth.* VII). Si verba, quæ audistis ex ore meo nostra putarentur, ridiculosus viderer: ludicrum est enim et detestabile jejunanti esse lotum facie, et delibutum unguento. Jejunantis autem est sordes quærere, in cinere et cilicio sedere, sordidas vestes habere, esse in carnis maceratione, in victus attenuatione, in vultus tristitia et pallore, faciem non lavare, nec ad mensas opulenti capite delibuto sedere. Unde ille agricola in Evangelio (*Luc.* XVIII), cum præciperetur ei, ut arborem succideret, ait: Sine hoc anno, ut fodiam, et stercora ponam, ut fructificet, non dicit: Ponam unguentum, sed stercora et sordes. Simile etiam verbum audiamus ab illo summo sapiente Salomone scilicet, cujus sapientiam omnes mirabantur, ait enim: *Oculi sapientis in capite ejus semper* (*Eccle.* II), quid stultius? quid mirabilius? non enim oculos habet stultus, quos sapiens, nisi in capite. Verba vanitatis videntur esse, tam Salomonis verba, quam a nobis proposita. Sed tamen sunt veritatis et sapientis, et sunt verba contraria vanitati. Quare ergo tam puerliter loquitur veritas? tam stulte ille Sapiens, cujus ab omnibus admirabatur sapientia. Dicit Joannes Scotus: Sic solet Scriptura loqui deivido generi humano, non pedisequo. Est namque sicut ipse dicit, duplex genus hominum, pedisequum, et quoddam deividum. Pedisequum genus hominum est, qui Deum cognoscere non possunt per intelligentiam Scripturarum, sed vestigia ejus quoquo modo indagant per visibilia hujus mundi. Per visibilia enim hujus mundi invisibilia conspiciunt Dei (*Rom.* I). Huic generi hominum prædicta non proponuntur, sed deivido, qui scilicet, Deum videt per intelligentiam Scripturarum, ut sunt scholares et litterati claustrales, quæ ad hoc illis proponuntur, ut laborent in justa significatione verborum illorum, prætermittentes superficiem eorum, ut ita sciant sub puerili verborum superficie aliud intus latere, aliud exterius sonare. Nobis igitur ad mensam divitis opulentam sedentibus, quasi jam saturatis, diversis et pretiosis fercu'is, ad sublevandum fastidium proponit paterfamilias parvum et vile ferculum, supple nucem. Sed nux testam habet inedibilem, et nucleum intus edibilem et dulcem, ad comedendum suavem. Frangamus ergo nucem, ut accipiamus nucleum; projiciamus folia, ut inveniamus fructum. Dicimus ergo, quod in hac verborum superficie eruderemus puteum, ut aquam vivam hauriamus. Faciamus, sicut propheta, cui dictum est: Propheta vir Dei mors in olla, cui apposuit farinulam, ut dulcoraretur olla (*IV Reg.* IV). Apponamus et nos farinulam mysticæ intelligentiæ, ut dulcoretur cortex et superficies litteræ. Dicimus ergo, quod in hac superficie verborum tria nobis apponuntur: jejunare, faciem lavare, caput ungere. Hæc sunt illa tria in quibus constat perfectio humanæ religionis. Quæ sunt illa? declinare a malo, facere bonum, utrumque ad Deum referre, et totum, quod habemus, Deo tribuere. Ecce quidquid continet humana religio. Jejunare ergo est a malo declinare, in verbo enim jejunii abstinentia a vitiis solet notari; faciem lavare, est bonum facere; caput ungere, est Deo utrumque tribuere, et nil sibi nisi malum tribuere.

Sed forsitan poteris dicere: Brevis est hæc expositio, non sufficit nobis: profundius posses eruderare puteum et haurire aquam vivam, non nisi glaream nobis propinasti. Videamus igitur, si melius, si utilius, si acutius possit exponi. Sicut diximus, tria sunt ibi proposita, sed tamen his quæ persuasit antiquus hostis primo homini per antithesin posita, id est suæ trinæ persuasioni contraria. Primo enim persuasit, ut Deum ostenderet; secundo, ut faciem suam a facie Dei deambulantis in paradiso ad meridiem absconderet; tertio, ut de ligno vitæ comederet. Hic econtra dicitur, ibi enim dictum est, ut caput pungeret, hic ut ungeret; ibi ut faciem velaret, hic ut lavaret; ibi ut comederet, hic ut jejunaret. Et est credendum huic, qui jejunare, etc., præcipit, et non illi, qui contraria persuasit. Audi Patrem: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite* (*Matth.* III); illum repellite. Attende etiam hic ter esse propositum modum jejunandi, et qualiter non sit jejunandum.

Modus jejunandi est, ut laves faciem et ungas caput. Qualiter non sit jejunandum, ostenditur, cum dicitur: *Ne videaris hominibus jejunans;* est igitur jejunium commendabile et est jejunium damnabile. Damnabile jejunium est, quod vident homines, sed jejunia, quæ vident homines, sunt quatuor. Nam jejunat ægrotus, jejunat fastiditus, jejunat avarus, jejunat hypocrita. Ægrotus jejunat ut valeat, fastiditus ut appetat, avarus ut parcat, hypocrita ut appareat. Jejunium ægroti facit medicina, jejunium fastiditi gulositas, avari parcitas, hypocritæ vana gloria. Jejunium ægroti videt et approbat medicus, jejunium fastiditi Epicurus, jejunium avari hæres institutus, jejunium hypocritæ populus. Jejunium ægroti est sanitas, jejunium fastiditi gulositas, avari parcitas, hypocritæ simulata religio. Hæc jejunia, etsi non omnia sint periculosa, ut ægroti, tamen sunt fructuosa. *Cum* ergo *jejunaveris, ne videaris hominibus jejunans:* sed *cum jejunaveris, faciem tuam lava, et caput tuum unge.* Et sunt hæc verba quasi Patris directa ad Filium tanquam propositum sit a Filio, et dictum: Pater, delevisti iniquitatem meam, et lavisti me. Sed adhuc peto: *Amplius lava me ab iniquitate me* (*Psal.* L). Et respondet Pater: Ego te lavi, fili, lavacro regenerationis; tu ergo modo lava faciem tuam. Sed potest dicere filius: quomodo lavabo faciem meam, aquam non habeo. Si vero vis, ut lavem faciem meam, fac mecum in bonum: mihi enim non sufficio: omnia bona quæ habeo, tibi tribuo, et mihi tantum mala. Sed præcipit Dominus: *Cum bona feceritis, dicite, servi inutiles sumus* (*Luc.* XVII), unde Paulus: *Non est volentis neque currentis hominis, sed Dei miserentis* (*Rom.* IX). Audiens ergo pater filium dicentem: non habeo aquam, et sitio eam, sicut cervus, qui desiderat ad fontes aquarum (*Psal.* XLI), vocat et invitat eum sic dicens. *Sitientes, venite ad aquas, et haurite cum gaudio de fontibus Salvatoris* (*Isai.* XII). Triplex est hic aqua de fontibus Salvatoris: Aqua lacrymarum, qua flevit super Lazarum, et super sanctam civitatem dicens: *Quia si cognovisses et tu,* etc. (*Luc.* XIX.) Aqua, quam posuit in pelvim, quando discipulis pedes lavit (*Joan.* XIII). Aqua, quam cum sanguine de latere ejus inundavit. Est igitur aqua interior, est aqua superior, est aqua exterior. Aqua interior est aqua lacrymarum, superior aqua sacramentorum, exterior discipulorum. Prima est contritionis, secunda confessionis, tertia satisfactio operis; prima mentem lavat, secunda refrigerat, tertia fecundat. Aqua igitur contritionis, sive ablutionis lavat lectum conscientiæ, unde Propheta: *Lavabo per singulas noctes lectum meum,* etc. (*Psal* VI). Secunda, quæ est confessionis, lavat faciem a vitiis, unde dicitur (99): in confessione omnia lavantur. Tertia, quæ est satisfactio operis, lavat manus, unde dicitur: *Lavabo inter innocentes manus meas* (*Psal.* XXV). Prima igitur debetur Deo, secunda prælato, tertia proximo. Deo debemus conteri, prælato confiteri, proximo bene operari. Prima aqua est ad sanitatem, de qua dicitur: *Commovisti, Domine, terram tuam, et conturbasti eam;*

(99) S. Bern. serm. 2 *De resurr.*

Digitized by Google

sana contritiones ejus, quia commota est (*Psal.* LIX). Secunda est ad justificationem, non quod justum faciat, sed quia justus facit eam, unde dicitur: *ut justificeris in sermonibus tuis* (*Psal.* L). Tertia ad coronam, de qua Apostolus: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, reposita est mihi corona justitiæ* (*II Tim.* IV). Sed hæc peccatorum confessio debet esse pura, sincera, humilis, fidelis. Nisi enim pura fuerit, inanis est (100). Sunt enim nonnulli, qui sua dimidiant peccata, quædam confitendo, quædam subticendo: talis non cooperitur pallio Dei, quia suus non est, sed diaboli. Tamen ad sui erroris confirmationem auctoritates Novi et Veteris Testamenti inducunt, dicentes: Non teneor confiteri; quia lacrymæ lavant delictum, quod pudor est ore confiteri. Et alibi: Pluit Dominus super unam civitatem, et super aliam non pluit; et una ex altera parte est completa, et in altera parte remanet arida (*Amos* IV). Et illud: *In quacunque hora pœnitentiam ingemuerit*, etc. Dicunt etiam (101): Lacrymas Patri legi, confessionem non legi (*Ezech.* XXXIII, juxta LXX). Et illud: Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum (*Eccli.* III). Certe non est ita, oportet ut singula peccata confiteantur. Humilis debet esse confessio, non arrogans; humilis est confessio, quæ cum initio jejunii initium habet confitendi, aliter non proficit jejunium. Unde et in hoc Capite jejunii solet legi, ut significetur, quod cum initio jejunii debet esse initium confitendi. Unde et illud verbum cum hoc supplemento debet legi, ut sic dicatur: *Cum jejunaveris, etiam faciem tuam lava*, etc. Quasi dicat: Statim confitere, cum cœperis jejunare. Sed quia non possumus vivere, quin venialia contrahamus, non aufertur confessio venialium in fine, sed præcipitur, unde in fine quadragesimæ de ablutione pedum discipulorum legitur, vel dicitur: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus* (*Joan.* XIII). Non dixit, qui lavandus est, sed, *lotus*; nec dixit, nisi ut faciem et pedes lavet, sed tantum *pedes*, ac si dicat: In principio jejunii debet quis criminalia peccata lavare, pure et humiliter confiteri; in fine, venialia quæ contraxit. Sunt etiam nonnulli, qui peccata sua attenuant, et quodam verborum pallio palliant, ut ita fateantur se minus peccasse, quam peccaverint, quod est præter humilitatem nec est faciendum. Quod ad rem attinet, de humilitate confessionis vis audire quam sit utilis, et quantum distet ab arroganti? Audi David regem de peccato Uriæ a Nathan redargutum statim confitentem: *Peccavi* (*II Reg.* XII); et sedit in cinere et cilicio, cujus humilitatem Dominus respiciens, statim remissus est Nathan dicens ei: *Transtulit Deus peccatum tuum a te* (*ibid*). Ecce utilitas et exemplum humilis confessionis. Vis audire de arroganti confessione? Redarguitur Saul a Samuele, ait: *Peccavi;* sed quia arroganter dixit, statim meruit audire: *Transtulit Deus regnum tuum a te* (*I Reg.* XV). Ecce quanta differentia inter confessionem humilitatis et arrogantis. Debet esse fidelis, non desperans, qualis fuit Judæ confessio, qui dixit: *Peccavi* (*Matth.* XXVII); et statim cucurrit ad laqueum et se suspendit. Et Cain: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (*Gen.* IV). Sit ergo confessio vera, ut nihil remaneat; humilis, ut sine pallio verborum confiteatur et non diffidat; fidelis, ut bene speret, et non præsumat. Ergo *cum jejunaveris, lava faciem tuam*, id est, statim confitere.

Sed non hoc sufficit, unde subjungit: *Unge caput tuum oleo. Caput mulieris est vir, caput viri Christus, caput Christi Deus* (*I Cor.* XI). Caput igitur nostrum Deus est, quia *Mediator Dei et hominum* (*I Tim.* II) caput Ecclesiæ est. *Unge* ergo *caput tuum*, id est Deum. Sed quid est hoc, quod hic dicitur? quomodo possum caput meum ungere, cum ipsum sit ad dexteram Patris? Mirum est: quis eum unxit? quomodo potest ungi? Unctio Dei triplex est, et triplicem unctionem habere debuit; sub tempore enim legis tres personæ ungebantur tantum: rex, sacerdos et propheta. Sed prophetæ unctio raro invenitur; ipse autem rex fuit; unde ipse per prophetam: *Ego autem constitutus sum rex ab eo* (*Psal.* II). Ipse fuit sacerdos, seipsum veram hostiam offerens pro nobis. Ad quem Pater: *Tu es sacerdos in æternum*, etc. (*Psal.* CIX.) Ipse fuit propheta, unde Moyses: *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, ipsum tanquam me audietis* (*Deut.* XVIII). Sed a quo unctus est? a Patre, unde dicitur: *Unxit te Deus Deus*, etc. (*Psal.* XLIV.) Et a Spiritu sancto, sicut in Isaia legitur: *Spiritus Domini mansit super me, eo quod unxit me, ad evangelizandum misit me gentibus* (*Isai.* LXI). In hac ergo unctione tota Trinitas intelligitur: Filius unctus, Spiritus sanctus, quo unctus; et Pater, qui unxit. Unxit eum Maria Magdalena, de qua legitur (*Luc.* VII), quod unxit et pedes et caput. Tertiam unctionem præparaverant illæ tres mulieres, sed non unxerunt, quia in monumento eum non invenerunt (*Marc.* XVI). Prima ergo unctio est plenitudinis, et illam non habemus; secunda devotionis, quam hic habere possumus, tertia gratiarum actionis, quam in futuro consummabimus. Respectu enim gratiarum actionis futuræ parva est, vel nulla gratiarum actio quam hic agimus? quod significat tertia unctio, quæ non potuit consummari. Jejunemus ergo, lavemus facies nostras, caput ungamus oleo, id est declinemus a malo et faciamus bonum. Benedicamus Domino, ut tandem audiamus illam benedictionem filiorum, quæ est: *Venite, benedicti Patris mei*, etc. (*Matth.* XXV.) Audiamus, inquam, a Domino Jesu Christo judice nostro, qui veniet judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XI.

IN QUADRAGESIMA

Ejicite lapides de plateis (*Jer.* L). Dominus Jesus medicus noster salutaris ad similitudinem medicinæ corporum paravit nobis medicamenta animorum. Quandiu enim noxii humores sunt in corpore, inutile est medicamenta superaddere: cum ferrum est in vulnere, non est malagma apponere. Ad expellenda itaque a nobis vitia in Quadragesima catholica consuevit Ecclesia quædam etiam visibilia operari, quibus non tantum vitia depellat, sed etiam in his diebus maxime repellenda fidelibus insinuet. Cum autem universitatem criminum non sufficiat numerare lingua hominis, de septem principalium fuga sufficiat aperire, quæ sunt hæc: superbia, avaritia, luxuria, gula, invidia, ira, acedia. Hi sunt lapides ejiciendi de plateis; hi sunt hostes, de quibus in Deuteronomio (cap. XXVIII) dicitur: *Per unam viam venient ad te hostes tui, et per septem fugient a te*, quia per solam voluntatem propriam omnia vitia veniunt ad nos. Unde Veritas ait: *De corde exeunt furta, homicidia, adulteria*, etc. (*Matth.* XV.) (102) Tolle propriam hominis voluntatem, jam non erit peccatum, non erit gehenna. Quam abjiciendam pro communi utilitate in se ipso Christus declaravit, cum suam propriam licet bonam communi postposuit. Ejus erat voluntas propria ne moreretur, non enim hoc volebat Pater, non angelus reparandus, non homo redimendus. Erat alia in eo voluntas, sed communis, ut scilicet moreretur. Hoc volebat sancta Trinitas, hoc rationalis creatura, hoc etiam ipse. Prior erat bona: hæc autem melior, et inde maluit fieri communem et dixit: *Non sicut ego volo, fiat, sed sicut tu* (*Matth.* XXVI). Per hanc solam peccamus: quæ etiam adeo audax est, et impudens ut in suum armetur auctorem. Vellet enim impius impu-

(100) S. Ambr., l. X *in Luc.* cap. 96.
(101) S. Ambr., lib. cit.
(102) S. Bernard., serm. 3 *De resurrect.*

Digitized by Google

nitatem suorum criminum habere, ergo vellet Deum injustum, et sui similem esse, ergo vellet non esse Deum. Cum ergo prædicta vitia ad nos veniunt, gravissimi hostes nobis sunt. Superbia enim aufert homini Deum, luxuria se ipsum, avaritia proximum, gula decipit eum, invidia suggillat, ira flagellat, acedia ligat. Hos autem hostes mater Ecclesia a filiis suis etiam visibiliter, ut diximus, expellit septem modis, tanquam per vias septem in diebus jejuniorum. Primo enim die, qui Caput jejunii dicitur, et fere ultimo, in Cœna, scilicet Domini potionem expulsivam superbiæ nobis opponit; nec incongrue primo et ultimo, quia hoc vitium primum est et ultimum. Primum enim fuit recedentibus a Deo, id est diabolo et homini primo; et ultimum est redeuntibus ad Deum : ipsa enim post omnes virtutes sævit, quod in *Psychomachia* Prudentii declaratur : contra quam saluberrima fit medecina, cineris impositio, ac si in ingressu certaminis hominis dicatur : *Quid superbis, terra et cinis?* (*Eccli.* x.) Quid est caro, nisi caro? induatur caro purpura et serico, non est tamen caro nisi caro. Ecce humilitas opus celeberrimum, quasi potio superbiam excludens. Nihilominus èt in Cœna pedibus pauperum abluendis inclinamur? ac si nobis dicatur. Sic decet nos omnem implere humilitatem. Contra avaritiam nihilominus medicinam tunc temporis sumimus. Institutum est enim, ut diebus singulis fratres, antequam comedant, pedes pauperum lavent, et victualia eis ministrent. (103) In capite etiam Ecclesiæ dominus papa in Sabbato palmarum in signum hujus rei dat eleemosynam, de quo et legitur. Sabbato vacat, quia dominus papa eleemosynam dat. Sicut enim ea die legitur parasse Martha Domino convivium, in quo et Maria caput ejus unxit, et Lazarus suscitatus interfuit (*Luc.* x); ita et Ecclesia in eadem die corpus Christi, id est membra, quæ adhuc sunt super terram reficit. Quæ sane refectio magis placet Deo, quam illa in qua refectio est in corpore proprio. Hoc enim corpus suum, quod est Ecclesia, magis ipse dilexit, quam etiam illud, quod traxit de Virgine : illud enim verberibus et plagis, imo et morti exposuit, ut isti incolumitatem pararet. Ecce quam efficax contra avaritiam medicina, nempe rerum nostrarum distributio.

Apponitur etiam contra gulam medicina major, id est solito major abstinentia. Consuevit quidem Ecclesia in diebus, in quibus non jejunat, officium missæ inter horam tertiam et sextam celebrare, ut ea hora, qua Christus creditur immolatus, eadem ipsius repræsentetur immolatio. Cum enim unus evangelista (*Marc.* xv) dicat eum crucifixum hora tertia, et alius (*Matth.* xxvii) hora sexta, conjicimus eum in medio harum horarum spatio crucifixum. Sic enim in narrando aliqua quæ vidimus media temporum spatia nominibus extremorum varie nominamus. Cum itaque non jejunamus, post missarum officia et sextam relici consuevimus. Temporibus vero jejuniorum post sextam differtur missæ officium, ut usquè post nonam protrahatur abstinentia ciborum. (104) In Quadragesima vero etiam usque post nonam differtur missale officium, ut etiam usque post Vesperas refectio differatur. Major ergo solito abstinentia gulæ venenum eliminat. Quæ, etsi ad luxuriæ compressionem sufficere possit, (105) quia sine Cerere et Baccho friget Venus, est tamen eodem tempore adversus luxuriam specialis introducta medicina. Interponitur enim velum inter psallentes et populum, alterius quidem et majoris gratia significationis, sed ad hoc tamen, ut lasciviam tollat oculorum et licentiam, per quorum fenestras mors luxuriæ crebrius solet introire. In primis quidem

A Ecclesiis, et fere usque ad modernorum tempora sic psallebatur in choro, quod ab humeris supra psallentes a populo videbantur, sicut et in atrio sacerdotum ante templum; sed tempore Quadragesimæ, Interpositis aulæis, mutuus negabatur aspectus.

Cæterum iræ, sicut et cæterorum apponitur nobis medicina, scilicet genuflexio, nihil enim facilius frangit iram, quia eum qui passus est injuriam genuflexio provocat ad veniam, et eum qui intulit ad lacrymas naturaliter induxit. (106) Naturalis quippe oculorum et genuum est quædam affectio; quia, ut asserunt, qui de rerum naturis agunt, puer in utero matris oculos superpositos genibus habet; unde et a genis superpositis genua dixerunt : Flexis ergo genibus naturaliter oculi prorumpunt ad lacrymas, tanquam collactaneis suis naturali respondentes affectione.

Verum et adversus invidiam conveniens parata
B est nobis medicina; in fine videlicet missæ capitis humiliatio, ac si dicatur nobis : Invidus visis rebus alterius opimis macrescit; tu autem fidelis humilia oculos tuos, ne videas, unde doleas; vel, quod verius, unde pereas. Similiter et contra acediam. Est autem acedia sæculi tristitia, quando damnis rerum, vel molestia corporum sic afficimur, ut etiam tædeat nos orare, vel legere, vel quidpiam hujusmodi agere; quæ, quia est proxima præcipitio desperationis; acedia, quasi ad casum, id est juxta casum sita, nominatur. Ad hunc torporem evacuandum, etiam actualem corporis motum instituit Ecclesia, ut scilicet fiant processiones ab ecclesia ad ecclesiam; quod quidem pontifex Romanus fere omni die Quadragesimali observat. Sed aliæ Ecclesiæ quædam in pluribus, quædam in paucioribus diebus exire consueverunt. In hunc modum ejectionem criminum a nobis hoc tempore figuramus : inanis autem est figura sine veritate. Vere ergo mundemur
C in conspectu Domini, ut mundos de mundo transferat nos ad se, qui mundavit nos sanguine suo, Jesus Christus Dominus noster, judex noster cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XII.

DOMINICA I IN QUADRAGESIMA.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur (*Psal.* xc). *Inclinavit cœlos* Altissimus, *et descendit* (*Psal.* 17) et adeo descendit, quod *in similitudinem hominum factus est, et habitu inventus est ut homo* (*Phil.* ii). Adeo descendit quod sub manu servi humiliavit se baptizandum. Unde et Baptista contremuit, cum videret sub manibus ejus inclinari caput tremendum regibus, potestatibus adorandum (*Matth.* iii). Adeo humiliavit se, ut cum jejunasset et esurisset, ausus sit ad eum accedere tentator (*Matth.* iv), ut eisdem jaculis eum confoderet, quibus primum hominem semivivum reliquit vulneratum.
D Sed victus est tentator, et vicit eum Altissimus. Sed quo adjutorio usus est Altissimus ut eum vinceret? estne usus adjutorio potentiæ suæ? Nequaquam : posset enim statim conterere Satanam sub pedibus suis, quod non fecit, cum de membris suis scriptum sit : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem* (*Psal.* xc). Estne usus adjutorio justitiæ suæ? nequaquam : posset enim de jure dicere : Vade jam, Satana, *in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv). Estne usus adjutorio angelorum? nequaquam, quia legitur quod angeli a longe stabant spectantes agonem Domini sui. Quod ergo fuit adjutorium Altissimi? sacra Scriptura auctoritatibus ejus et devicit. Utamur et nos hoc ad-

(103) Albin. Flacc., l. *De div. offic.*
(104) Cap. *Solent, De consecr.*, dist. 1.— S. Bern., serm. 3 *de Quadrag.* — *Microl.*
(105) Terent. in *Eunuch.*
(106) Isidor., lib. xi *Etym.*, c. 1.

Digitized by Google

jutorio Altissimi, et maxime in hoc certo et brevi quadraginta dierum numero quia nunc acrius insistit, graviora nunc molitur certamina. Sed dicetis : Beati ergo sunt litterati, quibus præsto est sacra Scriptura, qui paratas habent auctoritates utriusque Testamenti, quibus possint ignea tela inimici exstinguere : si sic est, utique beati ; sed utique non sic : non enim omnes litterati habitant *in adjutorio Altissimi*. Sunt enim quidam, qui sacram Scripturam timent, alii etiam irrident, alii eam destruunt, alii eam contemnant, alii per eam transeunt, alii habitant in ea. Qui timent eam pigri sunt; qui irrident, superbi sunt ; qui destruunt, hæretici ; qui contemnunt, falsi fratres ; qui transeunt, hospites ; qui habitant in ea, cives. Sunt enim quidam, *quorum Deus venter est* (*Phil.* III) ; qui, cum audiunt, *qui apponit scientiam, apponit et dolorem* (*Eccle.* I), videntes laborem et dolorem considerantes, malunt quiescere et nescire, quam cum labore addiscere, dicentes, quia scientia non est nisi *labor et afflictio spiritus* (*ibid.*). Ac si dicant : *Anima, habes multa bona in annos plurimos, quiesce, bibe, comede* (*Luc.* XII). Sapiens enim et stultus peribunt. Ex adjutorio etiam Altissimi solatium suæ imperitiæ quærunt ; scriptum est enim : Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, vapulabit multis ; nesciens vero, nec faciens vapulavit paucis (*ibid.*). Et alibi : Melius est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retro ire (*II Petr.* II). Sed timeo de his timentibus, ne cum venerit plenus dierum et libri omnium aperti erunt et clausa janua, dicent : *Domine, Domine, aperi nobis*, dicat eis : *Nescio vos* (*Matth.* XXV) ; ac si dicat quia nescistis me, neseio vos.

Sunt alii qui linguas suas magnificant, dicentes sacram Scripturam non esse scientiam, nec esse litteraturam. Non enim scientiam dicunt esse nisi quibusdam verborum minutiis, quasi capillos capitis perquirendo, sciamus disserere probando vel improbando, vel philosophicis rationibus rerum cognoscere causas, vel sub judice rhetoricis declamationibus perorare. Quæ enim, inquiunt, scientia est scire, quod Abraham duos filios habuit ; quod Noe cum septem animabus in arca salvus fuit ? et cætera in hunc modum : confabulantium peritia hæc est, non litteratura. Aut quæ scientia est scire numerum boum Abrahæ, vel asinorum Sebeon, vel camelorum Job ; trapezitarum est hæc scientia, non est litteratura. Sed audiunt quid dicat citharœdus noster : *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini* (*Psal.* LXX). Litteraturam scilicet, quæ est scientia inflans, quam habent, qui volunt esse sicut dii scientes bonum et malum (*Gen.* III). Sed timeo de his, ne cum venerit legislator, qui primam legem scripsit digito suo in cordibus hominum, et eamdem scriptam in tabulis lapideis iteravit, et legem gratiæ ore proprio tradidit, dicat eis : Quia erubuistis me et meos sermones coram hominibus, erubescam et ego vos coram Patre meo et sanctis angelis (*Luc.* IX).

Sunt alii qui destruunt : hi sunt, qui evanuerunt in cogitationibus suis ; qui imagines cordis sui in pagina sacræ Scripturæ depingunt, qui litteram renitentem suis adinventionibus accommodant, et intellectum Scripturæ usque ad sanguinem emungunt ; qui ad modum geniminis viperarum latera matris concutiunt, ut ea moriente egrediantur pulli sanguinarii carnibus vescentes et rapina. Sed vereor de his, ne cum venerit ille, de cujus ore egreditur gladius bis acutus, cujus caput album ut lana, et pedes similes aurichalco (*Dan.* X), cuilibet eorum dicat : Amice, tu dilatatus, impinguatus, incrassatus recalcitrasti, et quia simplices tergiversationibus tuis circumligasti, et potius exteriora, quam medullam in littera quæsisti, ligatis manibus et pedibus projicieris in tenebras exteriores (*Matth.* VIII).

Sunt etiam qui Scripturam contemnunt : hic timeo parti nostræ : hi sunt clerici ecclesiarum. Nos sane sacram Scripturam legimus, exponimus, approbamus, quia vestit et pascit nos, sed nihil eorum quæ jubet aut parat, opere adimplemus, similes crucibus, quæ in compitis viarum euntibus viam ostendunt ; quasi dicamus : Bonum est Scripturæ jugum, quod dicis, sed non possumus portare modo. Et, ut pauca de multis perstringam, bona ecclesiarum in victum et vestitum concessa ; bona, inquam, pauperum Christi in superfluos usus consumimus. Qui sunt enim, qui epulantur quotidie splendide ? clerici. Qui sunt, qui exquisitis [illegible]e et mari et terra vescuntur cibis ? clerici. Qui sunt qui omni tempore pacem et securitatem habentes, in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellantur ? clerici : nos itaque falsi fratres Christi sumus, patrimonium enim quasi de jure fraternitatis possidemus ? sed quam falsi simus, lippis et tonsoribus patet. Patrimonium enim, quod sibi tam gloriose comparavit, nos gulose consumimus. Ipse emit illud colaphis et flagellis ; et nos consumimus illud in cyathis et scutellis ? ipse in opprobriis et persecutionibus ; nos in conviviis et ebrietatibus ; ipse morte crucis, nos in luxu carnis. Vide quomodo ex opposito respondeat falsitas veritati. Timeo, ne cum redierit ille frater noster, qui quasi peregre modo profectus est, rationem ponat nobiscum super patrimonio nobis credito. Quid autem poterimus dicere ? Hoc sane : Frater, nos habuimus omnia tua, nec his contenti fuimus, nec secuti sumus te ; quid ergo erit nobis ? Et ipse vere poterit respondere : Mementote, fratres, quia recepistis bona in vita vestra, nunc vos recipietis mala. Imo potius vereor ne cadat super nos sine misericordia, secundum prophetam, qui inducit Dominum loquentem ad angelos de mitigatione pœnarum, et dicentem : *Nunc misereamini impio, iniqua enim gessit in terra sanctorum* (*Isa.* XXVI) ; ac si diceret aliis impiis parcendum est, sed istis non, quia flagitiosa fecerunt in terra sanctorum quam possederunt.

Sunt qui per eam transeunt : hi sunt scholares, qui studio sacræ Scripturæ jugiter *invigilant*. Sed timeo ne per eam ad transitoria transeant, ne sic velint honoribus ampliari, possessionibus locupletari, favoribus dilatari. Vereor, inquam, ne sicut Ismaelitæ, transeant et emant Joseph, ut vendant postea Putiphari archimagiro regis Ægypti (*Gen.* XXXIX). Quibus timendum est, ne cum venerit rex Gerari cum principe exercitus sui ad Isaac juxta puteum Satietatis, dicat : *Amicè, ecce dives et potens factus es nimis, recede a nobis* (*Gen.* XXVI). Sed quo ibunt, si recesserint ab eo ? nullus locus medius est : qui non erit in regno, erit in inferno.

Sunt qui habitant in ea, qui quod ore astruunt opere exsequuntur, qui scilicet habent eam, et stant in ea, habitare enim ex habitu et stando dicitur : qui os turturis retorquent ad axellas (*Levit.* I), et infulæ pontificalis lingulas super utrumque humerum portant, ne similes torpentibus sint, qui etiam manum ad os porrigere non sufficiunt. Huic autem inhabitanti quid promittatur subsequenter attende : *In protectione Dei cœli commorabitur*, id est in utraque protectione Dei morabitur, et in utraque parte sui. Ad duo enim respicit, morari. Est gemina Dei protectio, corporalis et spiritualis, promissio vitæ quæ nunc est, et futuræ, unde et in sequentibus scuto comparatur, ibi : *Scuto circumdabit te veritas ejus*. Scutum enim in superiori dilatatum, infra est angustatum : ita et Dominus in præsenti arctam dat protectionem, quia sic expedit ; victum scilicet, et vestitum præbens, et his contenti sumus. Sed, ne timeamus insufficientiam. Non est vilior cibus pane et aqua ; tamen in fortitudine cibi illius ambulavit Elias quadraginta diebus et quadraginta noctibus (*III Reg.* XIX). Protectio futura latitudinem habet. Dicitur enim nobis : *Mensuram bonam, et confertam, coagitatam et super-*

Digitized by Google

effluentem reponent in sinum vestrum (*Luc.* VI), et in anima et corpore protegetur. *Etenim passer invenit sibi domum et turtur nidum, ubi reponat pullos suos* (*Psal.* LXXXIII). Anima domum sibi ædificat ex fundamento, pariete et tecto. Sed quædam ædificat sibi Bethaven, id est *domum idoli*, quædam Bethel, id est *domum Dei*. Quæ enim substernit concupiscentiam carnis quasi fundamentum; et concupiscentiam oculorum, quasi parietem; superbiam superponit quasi tectum. Ipsa enim est quæ post omnes virtutes sævit, quæ quia natione cœlestis est, mentes sublimium inhabitat, et domus idoli sibi vindicat celsitudinem. Quæ vero ex opposito substernit sobrietatem exigens pro pariete justitiam, et superponit humilitatem, domum suam ædificat supra firmam petram, juxta consilium Apostoli (*Tit.* II), sobrie, et juste, et pie vivens. Sic et turtur, id est caro vel animalitas comparat sibi nidum. Nidus fit ex aridis et vilibus stramentis. Sed et caro, si attendat fragilitatem et vilitatem suam, opera reponit in nido, unde dictum est : *Fili, memorare novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli.* VII). Novissima carnis nostræ sunt quinque : materia vilis, actus humilis, ingressus flebilis, status difficilis, egressus horribilis. De vilitate materiæ audi philosophum, qui tyranno interroganti quid fui, quid sum, quid ero, sufficienter singulis respondet : Vile sperma, vas stercorum, esca vermium. Quam humilis sit de tali materia operatio, attende quia S. Zacharias, cum S. Joannem de S. Elisabeth gigneret, noluit videri. De ingressu flebili patet, quia quotquot nascuntur ab Eva, clamant vel *E*, vel *A*, tanquam facti prophetæ suæ miseriæ imminentis. De difficultate status consule Boetium, qui ait (107) : Nemo est qui cum aliqua parte sui status non rixetur; quia quis statum alterius non existimet meliorem ? De horrore exitus, audi B. Martinum (108), qui videns astare dæmonem sibi egressuro, ait : « Quid hic stas, cruenta bestia?» (109) In Tobia (cap. VI), super piscis exenterationem, legitur, quia diabolus astitit Christo morienti in cruce, ut videret si aliqua macula peccati esset in eo. Quid ergo de nobis possumus exspectare? In horum recordationem turtur habens nidum in protectione Dei cœli commoratur. Nihil ergo timebit eorum quæ sub cœlo sunt, quem protegit Deus cœli. Habitemus ergo in adjutorio Altissimi, non transeamus per ipsam Ægyptum, sed transeamus usque in Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod ibi factum est. Imo sequamini præcedentem. Sicut enim in ortu fuit Bethlehemites, in progressu Nazarenus, in morte Hierosolymites; sic et nos in Scripturis tanquam in domo panis saturemur, postea Nazareni, id est *germinantes*, ut ex his quæ audivimus fructificemus; in obitu simus videntes pacem, *quæ exsuperat omnem sensum* (*Phil.* IV); ad quam trahat nos, *qui captivam* secum *traxit captivitatem* (*Ephes.* IV), Jesus Christus Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

SERMO XIII.

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA.

Expulit Jesum spiritus in desertum, et tentabatur a Satana, et jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus : eratque cum bestiis, et angeli ministrabant ei (*Marc.* I; *Matth.* IV). Omnis Christi actio Christiani est lectio. Sicut enim docuit, ut hominem doceret, mortuus est, ut homo viveret, sic jejunavit, ut hominem erudiret. Jejunavit ergo homo Deus inter nos; jejunavit, sed propter nos; jejunavit, tamen supra nos. In quadragesima enim dierum nec semel cibum gustavit. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris, et non possumus ad illud. Jejunat tamen Ecclesia pro modulo suo consequenter, et, ut verius dicamus, subsequenter. (110) In die Epiphaniarum ascendit Jesus de Jordane in desertum, ut jejunaret. Ecclesia vero consecutivo tempore jejunat, tanquam caput suum sequens de vestigio. Legit enim dictum sibi in Petro : *Tu me sequere* (*Joan.* XXI). Et alibi : *Vade retro me* (*Matth.* XVI). Est tamen specialis causa, ut Ecclesia non jejunet eo tempore quo et Christus, ad evitandam scilicet hæresin quorumdam. Fuerunt hæretici, (111) qui dicerent super illum locum : *Et Jesu baptizato et orante* (*Luc.* III), Jesum orasse, ut hi tum acciperent Spiritum sanctum, qui eadem die baptizarentur, quo et Christus ut eodem tempore jejunarent. Sed absit hoc a Patre misericordiarum, ut clementia ejus alicui certo tempori alligetur ad faciendam misericordiam in filios adoptionis. Ad quod retundendum instituit Ecclesia subsecutivo tempore esse jejunandum, et ut hæresin illam vehementius exstirparet, sub anathemate interdixit, ne aliquis die Epiphaniarum baptizet, si articulus necessitatis non interdicat. Præterea non est transeundum sub silentio, quoniam Quadragesimæ vocabulum triplicem habet significationem. Dicitur enim quandoque Quadragesima, Dominica, quæ nunc agitur; quandoque spatium temporis, quod usque ad Pascha protenditur; quandoque quadraginta dies jejunabiles quorum quatuor jam observastis, et triginta sex supersunt. Primam hujus nominis significationem Hieronymus ad Marcellum insinuat (112). Habentur enim in Ecclesia duæ septuagesimæ; altera dierum, altera hebdomadarum : quæ cum simul incipiant a *Circumdederunt me*, non simul terminantur. Septuagesima dierum Sabbato in albis terminatur. Septuagesima hebdomadarum in *Sitientes venite ad aquas*. Sub earum observatione duas revocamus ad memoriam septuagesimas, alteram ætatum, alteram annorum. Famosa sane est captivitas illa qua afflictus est populus Dei sub Chaldæis septuaginta annos secundum illud Jeremiæ (cap. XXV) : Trademini in manu hostili, et servietis septuaginta annis regi Nabuchodonosor. Hanc repræsentat Ecclesia in septuagesima dierum, diem ponens pro anno. Unde et cantica lætitia subticet in his diebus juxta illud : *Auferam a vobis vocem gaudii et lætitiæ, vocem sponsi et sponsæ* (*Baruc.* II), et præcipue cantica angelorum, *Alleluia* et *Gloria in excelsis Deo*, quia scriptum est : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* (*Psal.* CXXXVI.) Septuagesimam autem dicimus ætatum sex ætates morientium, et septimam resurgentium. In quibus miser homo in sudore vultus sui vescitur pane suo (*Gen.* III), ex traduce peccati et mortis tanquam hæreditariam trahens calamitatem. Hanc generalem humani generis miseriam deplorat Ecclesia in septuagesima hebdomadarum, hebdomadam ponens pro ætate. Tamen, quia in sexta ætate quiescentium, licet plures affligantur in purgatoriis, quidam quiescunt in ea, de quibus dictum est : *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis* (*Apoc.* XIV). Præterea in septima hebdomada dicit Ecclesia : *Lætare, Jerusalem*, secundum hanc Septuagesimam hebdomadarum Dominica hæc quadragesima nominatur. Prima enim dicitur Septuagesima, secunda Sexagesima, tertia Quinquagesima, quarta Quadragesima nominatur, quod nequaquam secundum septuagesimam dierum stare posset. Quatuor autem istæ Dominicæ propriis agnominantur vocabulis, sed tres sequentes nequaquam, quia in his

(107) Lib. II *De consol. phil.*, pros. 4.
(108) Sulpit. *in Vita.*
(109) Aug., ser. 4 *De Petro et Paulo.* Prosper., *De promiss.*, p. II, cap. 19. Glossa ord. *in Tob.*
(110) Bar., tom. I *Annal.*, p. 117.
(111) Vide Bel., l. I *De bonis oper.*, c. 16, in fine tom. III.
(112) In ep. 15 *De laudibus Asellæ*, et 54 secundo significatu accipit. — Leo I, ep. 4, c. *Si quis*, *De consecr.* dist. 4.

Digitized by Google

quatuor a diversis incboatur jejunium Quadragesimale. Regulares enim cœnobitæ incipiunt a Septuagesima; Græci vero a Sexagesima, clerici nostri, auctore Telesphoro papa (113), a Quinquagesima; universus exercitus Christianæ militiæ, juvenes et virgines, senes cum junioribus ab hac Quadragesima. Cur autem tempus usque ad Pascha, licet quadraginta duobus diebus protendatur, Quadragesima dicitur, Augustinus respondit in libro *De doctrina Christiana*. Repræsentat enim Ecclesia afflictionem populi Dei, quam sustinuit quadraginta annis in deserto in terra invia et inaquosa, juxta illud : *Quadraginta annis offensus fui generationi illi*, etc. (*Psal.* xciv.) Populus enim duræ cervicis, et sæpe Deum ad iracundiam provocans prostratus est in deserto laboribus insolitis et mortibus insuetis, ut novellæ eorum generationi terra daretur desiderabilis, et quia in illis quadraginta annis quadraginta duas attigerunt mansiones, ideo in hac Quadragesima quadraginta duo dies inveniuntur. Et sicut illi evolutis annis et mansionibus transito Jordane comederunt polentam illius anni et fructus palmarum, ita in fine hujus Quadragesimæ catechumeni nostri transeuntes per aquas baptismi ad edulium salutis accedunt.

Quadraginta vero dies jejunabiles, qui Quadragesima dicuntur, a diversis temporibus constituti sunt. Apostolica enim traditio fuit triginta sex diebus jejunare ante Pascha. Audientes enim in lege primitias fructuum et decimas sibi Dominum vindicare, nihilominus primitias dierum et decimas Deo sanctificare statuerunt, jejunia quatuor temporum tanquam primitias instituentes, in quibus duodecim dies tanquam primitiæ duodecim mensium observantur. Et 366 dierum decima pars 36 dies, ideo et hos dies tanquam decimam dierum jejunio consecraverunt. Subsequenter vero Patres apostolici quatuor superadderunt, ut numerus Dominici jejunii adimpleretur. Fuit tamen et alia causa superadditionis horum quatuor dierum, quam aperire dignum duximus; ut quatuor jejunia, quæ scilicet fiunt coram hominibus, evacuarent. Est enim jejunium infirmi, jejunium fastiditi, jejunium avari, jejunium Pharisæi. Jejunat ægrotus ut valeat, jejunat avarus ut parcat, fastiditus ut appetat, Pharisæus ut appareat. Inde est quod in capite jejunii legitur : *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes* (*Matth.* vi). Et quia dictum quo numero dierum jejunandum est, ad imitationem Christi, dicendum est et de modo.

Modum breviter insinuat Marcus in capitulo prætaxato, sex quidem determinans circa Christum jejunantium ducem; scilicet ipsius, et locum jejunii, passionem ejus et actionem, cohabitationem bestiarum, et ministerium angelorum. In hunc modum jejunet Christianus, nec moveatur, si quædam istorum sunt quæ terrent; quia sunt et quædam quæ mulcent. Dux quidem jejunantium est fidelis, locus autem horribilis, passio inevitabilis, actio difficilis, cohabitatio flebilis, finis desiderabilis. Sane dux confortat, locus inquietat, passio suggillat, actio lætificat, cohabitatio molestat, finis vivificat. Itaque ducem sequamur, locum ingrediamur, in passione non deficiamus, in actione perseveremus, cohabitatoribus compatiamur, finem comprehendamus. Satis diligenter ista ordinator ecclesiastici officii assignavit per antiphonas ad Introitum, quibus inofficiavit Dominicas hujus temporis. In prima enim Dominica, quæ nunc agitur, dux jejunantium quasi clamoribus eorum excitatus dixit : *Invocabit me, et ego exaudiam eum* (*Psal.* xc). In secunda miser homo attendens locum horroris et vastæ solitudinis, angustias scilicet quas patitur in corpore mortis hujus, clamat ad ducem suum : *Reminiscere miserationum tuarum, Domine* (*Psal.* xxiv). Et post pauca : *Libera nos, Israel, ex omnibus angustiis nostris* (*ibid.*). In tertia, attendens tentationes Satanæ tanquam laquam intolerabilem, et laqueos inextricabiles, clamat : *Oculi mei semper ad Dominum, et ipse evellet de laqueo pedes meos* (*ibid.*). In quarta, attendens opera misericordiæ et justitiæ, quæ Deus operatur in eo tanquam respirans, et deambulando exsultans, ac si diceret : *In via testimoniorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis* (*Psal.* cxviii), erumpit in gaudium, et dicit : *Lætare, Jerusalem* : et post pauca : *Gaudete in lætitia, qui in tristitia fuistis.* In quinta considerat quoniam habitat in medio nationis pravæ, frater draconum, et socius struthionum, et videns amurcam cum oleo, paleam cum grano, acetum cum vino, volens separari, non immerito exclamat, dicens : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* xlii), etc. Et in sexta, videns jam ministerium angelorum imminere, videns in conspectu suo mensuram parari, festinans præ desiderio, ait : *Domine, ne longe facias auxilium tuum a me*, etc. (*Psal.* xxi)

Præterea lucidius singula persequamur. Dux quidem jejunantium est spiritus, sed non omni spiritui credendum est, et ideo facienda est discretio spirituum. Est enim spiritus iniquitatis, est spiritus mundi, est spiritus carnis, est spiritus hominis, est spiritus veritatis. De spiritu iniquitatis dicit Apostolus : *Est nobis colluctatio adversus spiritualia nequitiæ* (*Ephes.* vi); de spiritu mundi gaudet, quia quidam, quibus prædicaverat, non erant ei subjecti; de aliis vero dolet, quia spiritu carnis erant inflati. De spiritu hominis testatur, quia ipse solus novit, quæ sunt spiritus hominis (*I Cor.* ii). *Spiritus* autem veritatis *replevit orbem terrarum* (*Sap.* i), *nec est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* xviii). Vis inter hos spiritus discernere : a suggestionibus eorum cognoscetis eos. Spiritus iniquitatis suggerit mortifera, spiritus mundi vana, spiritus carnis suavia, spiritus hominis rationabilia, spiritus veritatis impossibilia. Asserit enim, quod hominem Deum faciet, et corpus licet incinerntum, suscitabit configuratum corpori claritatis Christi. Securus autem de duce jejunans eligat desertum, id est membra ipsius consuetas desideriorum carnalium deserant officinas, deserant oculi videre vanitatem, desinant aures intendere fabulosis nugationibus, vel fabulis nugacibus, et his quæ ad rem non pertinent; deserat lingua loqui dolos et mendacium; deserat gula ingurgitari cibo, et inebriari vino, in quo est luxuria; desinant manus innoxium effundere sanguinem; desinant pedes currere post filios alienos, qui *inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis* (*Psal.* xvii). In tali deserto non timebit jejunans quadriformem Satanæ tentationem; quia si lubricaverit pes ejus, dux suus supponet ei manum, juxta illud : *Scuto circumdabit te veritas ejus; non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano* (*Psal.* xc); quæ tanquam nota pertransimus. Actio quidem jejunantis triplex est : jejunium, eleemosyna, oratio, in quibus comparabilis est hœdo : licet in hœdo tria sint, quæ detestamur, nihilominus tamen sunt tria quæ commendantur : olidum animal est, petulcum, et hispidum, quæ abjicienda sunt. Commendatur in eo, quia pascitur erectus, et amaris, et alta petit. In hunc modum jejunans in deserto pascatur amaris, jejunio scilic et fletu, et planctu : panem tanquam cinerem manducet, et potum suum cum fletu misceat (*Psal.* ci). Si videat fratrem suum necessitatem patientem, non contrahat manum suam sed erigat, ut in subveniendo pauperi totus ad Deum erigatur. In orando petat sublimia. Est enim oratio subtilis illa avicula, quæ penetrat cœlos, et attingit pedes Domini, nec desistit, donec peroraverit. Quid autem cohabitantibus debeat jejunans, pater gentium docet : *Alter alterius onera*

(113) Telesph. in ep. ad omnes episc., dist. 5, c. *Statuimus.*

Digitized by Google

portate (*Gal.* VI), ut sitis invicem membra ; cum his vero quinque accedat securus ad ministerium angelorum. Angeli enim sunt sacerdotes, juxta illud Malachiæ : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt de ore ejus, angelus enim exercituum Domini est* (*Mal.* II). Apostolus etiam præcepit mulierem velatam orare in Ecclesia propter subjectionem, et propter angelos (*I Cor.* XI). Ministerium eorum est dispensare corpus et sanguinem Domini accedentibus post jejunium. Panis enim qui de cœlo descendit formatus in utero virginis, decoctus in clibano crucis, dispensatur per eos super mensam altaris. Oremus ergo singuli, oremus universi, ut mundati per abstinentiam jejuniorum digne accedamus ad ministerium angelorum, ut tandem nos trahat ad consortium primitivorum Jesus Christus Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XIV.

IN HEBDOMADA MEDIA VEL DOMINICA *Lætare*.

Lætare, Jerusalem, et conventum facite, omnes qui diligitis eam ; gaudete in lætitia, qui in tristitia fuistis, ut exsultetis, et satiemini ab uberibus consolationis vestræ (*Isai.* LXVI). Quid est, quod tam solemniter Ecclesia hodie hortatur nos ad lætandum ? nec sufficit dicere ut lætemur, sed ingeminat, ut gaudeamus, imo et addit, ut exsultemus consolati. Quid sibi vult hæc triplex exhortatio ad gaudendum ? sane minus congrua videtur esse ; non enim respondet tempori, non consonat actioni. Tempus enim afflictionis et mœroris ad redimenda peccata ; lacrymæ vero lavant delicta, non catechumeni. In principio enim hujus temporis Quadragesimalis præfixus est nobis modus vivendi ab Ecclesia in jejunio, et fletu, et planctu, et cantica lætitiæ sunt suppressa. Actio vero hujus temporis est carnis maceratio, frequens oratio, intempestæ noctis vigiliæ, genuum susceptio, genuum flexio, et cætera in hunc modum : quæ omnia, sunt argumenta, non gaudii sed mœroris. Adhuc magis nos movet, quod hæc hebdomada est contigua Dominicæ passioni. Sed quis ad ejus memoriam nisi Judæus aut Judaizans possit exsultare ? Non itaque dubitandum est, quod sub altioris intelligentiæ mysterio hodiernam exhortationem ad lætandum, et non unam, sed triplicem tam celebriter agit Ecclesia ; siquidem hæc triplex exhortatio, trium exsultationum est repræsentatio, præteritæ, quotidianæ, et consecutivæ. Est autem recordatio præteritæ, inculcatio quotidianæ, commendatio consecutivæ. Est autem præterita, cum filii Israel transmigrati super flumina Babylonis sederent prius et flerent (*Psal.* CXXXVI), postmodum accepta licentia exeundi exsultaverunt. Quotidiana, cum miser spiritus adhuc laborans in corpore mortis hujus, per gratiam Dei sopitis ad tempus tentationibus vel saltem mitigatis aliquantulum, in libertatem sui respirat, ut vel modico tempore soli Deo vacare possit. Consecutiva est, cum jam liber spiritus a mole corporis, tanquam e carcere evolavit, et requiescit a laboribus suis exspectans in gaudio gloriosam corporis sui resurrectionem. Triplex ergo hæc exhortatio gaudii recolit præteritam, hortatur ad quotidianam, commendat consecutivam. Sed quare potius in hac Dominica, quam in aliis, attendamus. Septuaginta annis continuata est captivitas Israel. In septuaginta sunt decades septem : finitis vero sex annorum decadibus in ipsa septima decade, in septimo ejusdem decadis anno, egressa est sententia a facie Cyri regis, ut excusso jugo servitutis libere rediret Israel ad terram nativitatis suæ. Quo accepto adeo exsultaverunt Hebræi, ut eodem anno Jubilæum fecisse dicantur.

Ad hanc annorum Septuagesimam significandam, duas in hoc tempore instituit Ecclesia Septuagesimas : alteram dierum, alteram hebdomadarum. Ambæ siquidem in eadem die exordium habent, Dominica scilicet, *circumdederunt me*, sed in diversis temporibus terminantur. Illa enim dierum, terminatur Sabbato in albis, sed quæ est hebdomadarum, hanc hebdomadam terminalem habet. Ad repræsentandum itaque post sex decades quod Israel in septima exsultavit, post sex hebdomadas in septima in canticum gaudii prorumpit Ecclesia. Similiter post sex generales tentationes inspirans exsultat spiritus miser, unde : *In sex tribulationibus liberabit, in septima non tanget te malum* (*Job* V). Ad eumdem modum post sex ætates hominum in septimo gaudens exsultat spiritus liber ; sex vero generales tentationes, quæ miserum premunt spiritum, et fere opprimunt, secundum sex locales corporum positiones considerantur, ante scilicet, et retro, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum. In hunc modum tentatur miser spiritus ab inferiori, a superiori ; ab anteriori, a posteriori ; a dextris, a sinistris. Est autem inferior tentatio contemptibilis, superior admirabilis, anterior terribilis, posterior deformis, dextra volatilis, sinistra gravis. Ab inferiori tentatio est a carne propria, quæ blando susurrat nobis eloquio, ut sequamur desideria ejus ; ac si dicat nobis miser spiritus : Utquid tantum laboras invigilans, et quid stulto labore consumeris ? cur semper fugitivam sequeris sapientiam in fame et siti, in frigore et nuditate, in vigiliis plurimis et laboribus ? Æque moritur doctus, et indoctus, idem est interitus hominum et jumentorum, epulare, comede, dormi et quiesce, et sic accipies partem de labore tuo. Verumtamen quia crassa est, et supina hæc admonitio, sub specie recti spiritum aggreditur eruditum. Quatuor sunt, quæ ex charitate teneris diligere, mi spiritus, Deum, teipsum, proximum tuum, me vehiculum tuum. Memento, si me negligis, charitatem contemnis : nisi defectus meos suppleveris, charitatis canonem non explebis. Tu vero eum debeas mihi vitæ solatia, ingeris laboris negotia : non sunt hæc nutrimenta, sed detrimenta. Verum est, quod proponit caro de necessariis sibi ministrandis. Sed nos inter carnis necessaria et superflua arbitri constituti non ex æquo pensamus, ad subintroducenda superflua proniores. Hæc autem carnis tentatio contemptibilis est. Quis enim non abjiciat hominem desideria carnis sectantem, tanquam suem in volutabro, ranas in cœno, vermes in sterquilinio ? Ipsi etiam philosophi gentium Epicurum voluptatem carnis honestati præferentem, tanquam hæreticum ab ecclesia philosophantium abjecerunt. In contemptum enim carnis philosophus respondit cuidam quærenti, quid fui, quid sum, quid ero ? et ait : Vile sperma, vas stercorum, esca vermium.

Secunda tentatio est a superiori, id est a ratione, quæ est animæ pars superior, cum scilicet ratio consentit ei, et delectatur, et quasi captiva trahitur ad obsequium pedisequæ, cui debuerat dominari ; Hæc est admirabilis. Verbi gratia : quanta subiret te admiratio, si videres asellum equitantem sessorem suum ? hominem ab illo agi frenis, et urgeri calcaribus ? Non dissimile hic est illi miraculum. Verisimile est, si Axa filia Caleph asinum (*Jud.* I), quem equitabat, suis coram patre gestasset humeris, potius abjiceretur ab eo, quam exaucciretur.

Tertia est ab exteriori ; hæc est dæmonum timenda suggestio, qui in via qua ambulamus abscondunt nobis laqueos ; quos evasisse gloriatur propheta dicens : *Ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero* (*Psal.* XC). Sed cum audio laqueum, et venantes totus horrore contremisco, et nostram recolens miseriam ingemisco. Ergone bestiæ summus nos ? Sumus plane : *Homo enim cum in honore esset, non intellexit : comparatus est ju-*

Digitized by Google

mentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII). Quot autem, et quanti sunt horum venantium laquei? nec in cor hominis ascendit, nec lingua sufficit explicare: beatus tamen Antonius (114) vidit eos in spiritu et expavit. Tamen ut aliquem de his laqueis proponamus, audiamus Apostolum, nam et ipse spiritum Dei habet: *Qui volunt*, inquit, *divites fieri in hoc sæculo, incidunt in laqueum, et in tentationem diaboli* (*I Tim.* VI). Ergo divitiæ sunt laqueus diaboli. Sed quam inextricabilis sit laqueus iste, audi Veritatem in Evangelio: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum cœlorum intrare* (*Matth.* XIX). Non enim facile de avaritia triumphat, de quo ipsa semel triumphavit. Proh dolor! potius quærimus his laqueis intricari quam extricari. Si venatores cum cornibus clangendo nos insequerentur, minus horrenda esset hæc tentatio, quia facilius cavenda. Sed ipsi insidiantur in occulto, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quarta est a posteriori: hæc est memoria præteritorum peccaminum ad delectandum, cum quis exsultat in rebus pessimis, quas gessit, et sæpe in recordatione accenditur, ut redeat in id ipsum. Nec est talis recordatio leve reputanda delictum: non enim sufficit homini Deum contempsisse, imo quasi in os illi improperat, quod contempsit. Memento filios Israel adorasse vitulum conflatilem: in ultionem cujus criminis levitæ transeuntes per medium castrum, tria millia leguntur interfecisse (*Exod.* XXXII). Recolite de sepulcris concupiscentiarum, cum in mentem venissent populo ollæ carnium, allia et pepones, quibus abundarat in Ægypto, et murmurassent, perierunt ex eis quatuordecim millia (*Num.* XI). Quid est, quod majori pœna punita est recordatio ciborum cum murmure, quam idololatria? Horrenda est sententia, non discutienda. Hæc est tentatio deformis, similis est enim gibbo dorsum hominis deformanti, qui ex contractis simul humoribus induruit.

Quinta est a dextris, id est a prosperitate, cum, scilicet, arridet hominis fortuna, et prosperitas hominis non interpolatur miseria, *oves* enim *fætosæ, abundantes in egressibus suis: promptuaria* ejus *plena, eructantia ex hoc in illud: Beatum* dicunt hominem *cujus hæc sunt;* tu autem propheta, quid dicis, non est ita: sed *beatus populus cujus est Dominus Deus ejus* (*Psal.* CXLIII). Dic etiam tu, Salomon, quid inde sentias: *Prosperitas*, inquit, *parvulorum interficiet eos* (*Prov.* I). Dic et tu poeta, qui prosperitatis incommodum in libro experientiæ legisti:

. . . . . *O munera nondum*
Intellecta Deum. . . . .
. . . . . *Fecunda virorum*
Paupertas fugit. . . . .
(Luc. I. v.)

Prosperitas est, quæ virtutes animi enervat, viros effeminat, oculos mentis excæcat, vitalem spiritum suffocat. Hæc autem tentatio volatilis dicitur: est enim similis formicæ volanti, quæ adeo hilaris est, quod oblita ciborum tabescit volando, et moritur. Talem reddunt hominem opes hyperiphanæ, ut vere dicere possit. *Aruit tanquam testa virtus mea* (*Psal.* XXI), quia oblitus sum comedere panem meum.

Sexta est a sinistris, hæc est adversitas premens, quæ in tantum miserum suggillat spiritum, quod aut murmurantem eum reddit, aut blasphemum. Sæpius hoc agit, ut puteus desperationis claudat super eum os suum, maxime cum videt perditissimum quemquam prosperari in via sua mala. A Moles hæc oppressum exstinxisset Boetium (115), nisi philosophiæ consolantis a Deo recepisset solatium. Psalmographus noster sub hac se pene defecisse commemorat, dicens: *Mei pene moti sunt pedes; pene effugerunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns* (*Psal.* LXXII). Istis sex tentationibus tanquam procellis circumtonantibus vallatur miser spiritus, sed per tanquam inter malleum et incudem positus: nisi, quia quandoque ne deficiat, ad respirandum paululum removetur ab eo in hunc modum. Tertia est exsultatio post hanc vitam, transactis sex ætatum curriculis. Habet siquidem unaquæque ætas insitam sibi, et nativam molestiam, quibus quasi torrentibus per singulas ætates miser raptatur spiritus, quasi vectigalia miseriarum exigenti referens naturæ, quas ex collatione sex ætatum mundi facile est deprehendere. Prima fuit ab Adam usque ad Noe: hæc suam habuit molestiam, quia Cain fratrem interfecit in B ejus initio (*Gen.* IV); secunda a Noe usque ad Abraham; hujus nota est molestia, quia cataclysmus aquarum operuit faciem terræ (*Gen.* VII); tertia ab Abraham usque ad David. (116) In hac Abraham cum fratre suo Aram a Chaldæis projectus est in ignem, per quem ipsi traducebantur. Abraham quidem eductus est a Domino, sed Aram exspiravit; quarta a David usque ad transmigrationem: in hac quam difficilis passus sit David a Saule, ab inimicis, a filio, paucos credimus ignorare; quinta a transmigratione usque ad Christum: in hac populus Dei captivatus est, urbs sancta eversa, templum dirutum, lex combusta; sexta, quæ nunc agitur, in hac Christus flagellatus, irrisus, consputus, opprobriis saturatus, morte turpissima condemnatus. Secundum has molestiæ ætatum hominis assignantur, quia in infantia major frater occidit minorem; in pueritia diluvium patitur homo, etc., in hunc modum. Sed hanc assignationem alibi faciendam dignum duximus, ne prolixior sermo potius gravaret, C quam ædificaret auditorem.

SERMO XV.

IN DIE PALMARUM.

(*Exstat inter Opera Hildeberti Cenomanensis. Vide* Patr. *tom.* CLXXI, *col.* 476, *Serm.* 29.)

SERMO XVI.

IN HEBDOMADA PŒNOSA.

Dispone domui tuæ quia morieris tu, et non vives (*Isa.* XXXVIII). Familiaris fuit hæc admonitio, et semel facta per Spiritum sanctum ad Ezechiam, qui regnabat super Judam et Jerusalem. Generalis est, et quotidiana ad quamlibet fidelem animam; specialis vero et annua in hoc tempore Quadragesimali, in quo certus et brevis dierum numerus ad corrigendas aliorum temporum negligentias nobis constitutus est. Cum enim Ezechias post innumerabiles triumphos elatus fuisset in superbiam, nec dignas D Deo gratias egisset, ægrotavit ad mortem, et venit Isaias in spiritu, et ait: *Dispone domui tuæ*, id est provide quis succedet tibi in regem; nisi enim de superbia tua pœnitentiam egeris *morieris*. Generaliter etiam ad unumquemque nostrum de die in diem clamat Spiritus sanctus: *Dispone domui tuæ;* quia nisi disposueris, morte animæ morieris, et postmodum morte æterna (117). Et non credas Origeni dogmatizanti, quia in æternum non irascetur Dominus, imo etiam dæmonum quandoque miserebitur. Etenim *non vives*, id est nunquam deinceps revocaberis ad vitam. Specialiter autem in hoc tempore unicuique nostrum dicitur: *Dispone domui tuæ*, tanquam vitreæ ampullæ, super quam si ceciderit lapis vel ipsa super lapidem, confringetur. Imminet

(114) S. Athan. in *Vita* ejus.
(115) Boet., lib. v *De cons. philos.*
(116) Hieron. in *Quæst. Hebr. in Gen.* ait esse fabulam P. Comest. c. 41. *Hist. Gen.*
(117) Hieron., tom. II *ad Avitum.*

Digitized by Google

tibi dies Paschæ, præpara te ad communicandum eucharistiæ, quia hoc tempus est quasi parasceve Paschæ; si enim indisposita domo accesseris, *morieris*, quia judicium tibi manducabis et bibes; sin autem pro domo indisposita accedere volueris, *morieris*, quoniam ad mortem peccabis. In prima enim Ecclesia, quotquot intererant consecrationi eucharistiæ communicabant eidem. Inde est quod Collectæ, quas post Communionem dicimus, plurali numero censentur, verbi gratia: *Refecti cibo potuque spirituali*, etc. Et iterum: *Sacramenta quæ sumpsimus*, etc. Postquam autem crevit numerus fidelium, nec omnes accedere ad eucharistiam visum est, statutum est ut saltem diebus Dominicis fideles communicarent. Cum vero paleæ supercrescentes cœperunt cooperire grana, et multorum refriguit charitas, et crevit iniquitas, et perpauci inventi sunt idonei, qui calicem salutaris acciperent, decretum est ut saltem per tres solemnitates in anno fideles communicarent. In Pascha, Pentecoste et Natali; quia in hunc modum præcepit Dominus Patribus antiquis, ut omnis masculus in Israel ter in anno appareret, in conspectu ejus, sed non vacuus. Nunc autem, quoniam dies mali sunt, et omnes fere declinaverunt, et inutiles facti sunt (*Psal.* XIII), non audeo dicere, ex præcepto Ecclesiæ, sed ex tacita permissione ipsius introductum est, ut semel in anno congregentur in Ecclesia ad communicandum, quod præterire fas non est. Ut sicut ea die filii Israel typicum agnum comedebant perpetuo (*Exod.* XII); et eadem die Dominus discipulis suis carnem suam et sanguinem dedit, et in memoriam sui id ipsum faciendum commendavit (*Matth.* XXVI), ita et nos eadem die carnem Agni, *qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I), edamus.

Sed videndum est, cui patrifamilias loquatur Spiritus sanctus, et de qua domo præcipiat disponenda. Sane quatuor domus leguntur in Theologia: domus dæmonis, domus hominis, domus animi, domus Domini. Domus dæmonis sunt filii diffidentiæ, vasa iniquitatis, de quibus ipse ait: *Revertar in domum meam, unde exivi* (*Matth.* XII). Sed quia pater ille familias induratus est tanquam lapis, ad eum non dirigitur hæc admonitio: proinde de aliis tribus considerandum est. Domus itaque hominis est manufacta et visibilis, domus animi creata et rationalis, domus Domini regenerata et spiritualis. Domum suam homo inhabitat, animus dispensat, Dominus illuminat: homo per necessitatem, animus per naturam, Dominus per gratiam. De domo hominis dictum est a villico iniquitatis. *Ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas* (*Luc.* XVI). De dispositione hujus domus non creditur facta esse præsens admonitio, cum potius contemnenda præcipiatur, quam diligenda, cum Abrahæ dictum est sic: *Exi de terra tua et de cognatione tua* (*Gen.* XII). Et sponsæ præceptum est: *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui* (*Psal.* XLIV). Siquidem domus animi est homo ipse. Animum vero voco rationem, cui tanquam patrifamilias carnis et animæ nostræ credita est custodia, et mandata dispositio. De hac domo legitur: Tria ejiciunt de domo hominem, fumus, stillicidium et mala uxor, id est peccatum ignorantiæ, peccatum suggestionis, peccatum primæ concupiscentiæ, quæ non tantum rationem in domo sua dominari non permittit, verum etiam ancillari cogit. Domus autem Domini est animus ipse. Et ita mirum in modum animus domus est hominis et domus Dei, unde Apostolus: *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput Christi Deus* (*I Cor.* XI). De hac domo legitur: *Sapientia ædificavit sibi domum*, etc. (*Prov.* IX.) Tantum patremfamilias amovere de dispensatione domus suæ insipidum esset et vanum. Quis enim adjuvit spiritum Domini, *aut consiliarius ejus fuit?* (*Rom.* XI.) Patet itaque, quod animo dictum est: *Dispone domui tuæ*. Dispositio autem hæc plurimum difficilis est, et multa indiget diligentia. Ipsi enim, per quos fit, indigent dispositione: sicut enim difficile est invenire custodiam, si custodiendi sint ipsi custodes; sic dispositionem, si disponendi sunt disponentes. Sane virtutes sunt, per quas disponit animus domui suæ, quæ et ipsæ disponendæ sunt, ne supra modum silvescant. Sicut enim cavendum est, ne quid parum; sic etiam, ne quid nimis. Quod brevi exemplo liquet. Minuendi sanguinis duplex est ratio: qualitas, scilicet, et quantitas: nec minus perniciosa est superfluitas quam corruptela. Quid autem amicabilius est humanæ naturæ, quam sanguis? quid jucundius homini quam virtus? Virtus ergo quanloque minuenda est. Audi medicum sub lege peritissimum, qui ait: *Noli nimis justus esse; est justus qui perit in justitia sua* (*Eccli.* VII). Audi alterum sub gratia peritiorem, qui dixit: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII). Cui putas venæ virtutum parcendum est, si justitia et sapientia indigent minutione? Quamobrem si sapiat spiritus miser, respondeat Spiritui sancto, et dicat: Domine, quid jubes me disponere domui meæ? Hoc labor est ante me. *Velle mihi adjacet, perficere autem non invenio* (*Rom.* VII.). Doce ignorantiam meam, adjuva impossibilitatem, quia sicut sine te nihil scio, ita sine te nihil possum facere. Dicet ei profecto Spiritus sanctus: Scrutare Scripturas (*Joan.* V), quas per me scripsit Filius, quia ego sum *lingua et calamus scribæ velociter scribentis* (*Psal.* XLIV), et invenies plene dispositam, domus tuæ dispositionem. Legat itaque Scripturas animus noster, et inveniet quod quærebat. Potens est autem iste paterfamilias, clientelam habet multam nimis, clientes habet exteriores, et ad exteriora discurrentes. Habet et interiores, qui vultui ejus semper assistunt. Exteriores sunt quinque sensus corporis, id est membra sensibus deputata. Quorum dispositio et crebro, et de facili legitur in Scriptura. Legitur enim: *Averte oculos tuos, ne videant vanitatem* (*Psal.* CXVIII): *cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolos* (*Psal.* XXXIII). Obtura aures tuas, ne acceptum habeant opprobrium adversus proximum suum. Comprime nares, ne peregrinis quærant odoribus delectari. Claude manum tuam, ne accipiat munera super innocentem. Injice pedes tuos in compedes sapientiæ, ne currant ad effundendum sanguinem. Et multa in hunc modum sunt, quæ spectant ad eorum dispositionem. Interiores vero clientes, præcipue sunt quatuor animi affectus, quorum meminit poeta dicens:

Hinc cupiunt, metuunt, gaudentque, dolentque.
(VIRG. *Æneid.*, lib. VI.)

Hi, inquam, sunt, gaudium et dolor, spes et timor; quia sicut dives paterfamilias carere non potest janitore, dapifero, pincerna, cubiculario, ita et hi velut in modum eorum ministrantes nobis assistunt. Est enim timor pro janitore, dolor pro dapifero, gaudium pro pincerna, spes pro cubiculario. Legitur de timore: *Timor supplicii, janua regni*. Et alibi: *Initium sapientiæ timor Domini* (*Eccli.* I). Iste duas habet portas et ostiolum in medio valvarum; quas objicere et claudere debet, si forte perversæ cogitationes ad animum velint irruere; quæ abjiciendæ sunt tanquam muscæ morientes, ne perdant suavitatem unguenti (*Eccli.* X), sicut et volucres, quas abigebat Abraham (*Gen.* XV). Altera portarum est, carere visione Dei; altera ignis, qui non exstinguetur; ostiolum, vermis conscientiæ, qui non morietur (*Isa.* LXVI). Irruentibus ergo hostibus objiciat ista timor, et dicat: Nequaquam intrabitis, ne propter vos forte dominus meus careat visione Dei, igne crucietur æterno; conscientia propria teste et accusante pereat. De duabus portis meminit Sophonias: *A prima*, inquit, *porta erit clamor, et a secunda ululatus* (*Soph.* I). Clamabunt enim impii, cum sua conscientia eos

Digitized by Google

accusabit. Ululabunt, cum audient verbum asperum: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus* (*Matth.* xxv). Dicat ergo animus janitori, ut vigi'et, ne sicut Isboseth, ancilla ostiaria dormiente, a latronibus percutiatur in inguine (*III Reg.* iv). Vigilante siquidem janitore tutior sedens et tranquillius vocet dapiferum, et dicat: *Pone mensam, præcinge te, ministra mihi* (*Luc.* xvii), accederet dolor, et primo panes apponat lacrymas, scilicet pro delictis. Hic est panis quotidianus, quem pro quotidianis manducare debemus excessibus. Hoc pane vescebatur, qui dicebat: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* xli). Et item: *Cibabis nos pane lacrymarum* (*Psal.* lxxix). Dicat autem animus dolori: *Puer, nunquid pulmentarium habes?* (*Joan.* xxi.) *Non in solo pane vivit homo* (*Matth.* iv). Appone coctionem, alioquin arida sedebit anima mea. Apponat itaque dolor fercula coctionum: primo miseriarum nostrarum memoriam, secundo recordationem exsilii et patriæ dilationem, tertio difficultatem redeundi. Apponens ergo primum dicat: *Memento quia cinis es, et in cinerem reverteris* (*Gen.* iii). Et hoc: *Fili, recordare novissima tua, et non peccabis in æternum* (*Eccli.* vii). Apponens secundum dicat: *Heu* tibi, *quia inquilatus* tuus *prolongatus est;* habitas *cum habitantibus Cedar: multum incola* erit *anima* tua (*Psal.* cxix). Et item: *Super flumina Babylonis* sedes, et flere debes, cum recordaris *Sion* (*Psal.* cxxxvi). Apponens tertium, dicat: *Vix justus salvabitur, et tu miser ubi parebis?* (*I Petr.* iv.) Quid facies, virgula deserti, ubi concutietur cedrus Libani? Durus est dapifer iste et infrunitus, sed fidelis. Asper est cibus, sed salutaris; amarus est in gustu, sed, cum deglutitus fuerit, dulcorabitur. Condimentum ejus est humilitas, quia ipsa est primogenita filia summi Regis, sal et condimentum reliquarum virtutum. Refectus autem animus cibo tali vocet pincernam, et dicat: *Sitio* (*Joan.* xix), misce potum, quo exhilaretur facies mea, quia cibus confortavit cor meum; quia, sicut scriptum est: *Beati, qui nunc fletis* (*Matth.* v). Similiter scriptum est: *Exsultate, justi, in Domino* (*Psal.* xxxii). Acceleret gaudium, et tria genera potuum propinet. Primum est, infusio primæ gratiæ operantis; secundum cooperatio gratiæ subsequentis; tertium perseverantia finalis. Primum apponens dicat: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, et ideo dedit *lætitiam in corde meo* (*Psal.* xlvii). Secundum apponens dicat: *Cantabiles mihi sunt justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ* (*Psal.* cxviii). Apponens tertium, dicat: Habe charitatem, et fac quidquid vis: omnia difficilia facilia sunt amanti.

Gutta cavat lapidem:
(Ovid. lib. iv *De Pont.*, eleg. 10.)

Exspecta Dominum, viriliter age, et confortabitur cor tuum (*Psal.* xxvi). Ii aris est iste pincerna, et amplectendus; felix est hæc ebrietas, quæ sobrios reddit. Suspectus est aureus calix Babylonis, malo sitire. Accedat quartus cliens, spes, scilicet, quæ cubiculum stravit, et dicat: Edisti satis, atque bibisti; surge, veni, cuba, quiesce. Ego etiam tria tibi lectisternia paravi. Carnis resurrectionem, sanctorum communionem, vitam æternam. Indubitanter spera, quia hoc mortale induet immortalitatem, hoc corruptibile incorruptionem (*I Cor.* xv). Præter hoc, gaudium omnium erit singulorum; non minus gaudebis de bono alieno, quam de tuo. Super hæc vita vives beata et interminabili. Audiendus est iste cubicularius, qui stratum quod versaverat homo in infirmitate sua, iste ad ordinem debitum convertit. Felix est animus si in hunc modum domui suæ disponat. Satagamus ergo singuli, satagamus universi, ut de mensa doloris digne transeamus ad mensam communionis; ut de utraque postmodum transferamur ad mensam patris, hæredes facti Dei, cohæredes autem Christi judicis nostri, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XVII.

IN CŒNA DOMINI.

Cum dilexisset Jesus suos, qui erant in mundo, etiam in finem dilexit eos (*Joan.* xiii). Quos vocat suos Jesus, ambigi potest, cum ejus sit orbis terrarum et universi, qui habitant in eo. Potest quidem convenienter exponi, quod præmisimus de omnibus electis, vel de inter electos præelectis, sive de omnibus Christianis. De electis sic: *Cum dilexisset suos*, etc. Hic videndum est quis, quomodo, quos et quantum dilexerit. Quis? Dominus Jesus; quomodo? gratis; quos? inimicos; quantum? usque in finem mundi, et maxime in fine, id est sexta ætate, quando pro nobis humiliatus sua nos exaltavit passione. Ab æterno nos elegit Deus salvandos, secundum illud: *Novit Deus, qui sunt ejus* (*II Tim.* ii). Et illud: *Novit Dominus numerum jumentorum suorum* (*Prov.* xii). Quod Deus sit, qui dilexit, ostendit Propheta dicens: *Tu es Deus meus* (*Psal.* xv). Quod gratis nos dilexerit, consequenter nobis aperit, cum subjungitur: *Bonorum meorum non eges* (*ibid.*). Quos dilexit Apostolus (*Rom.* v) docet, cum dicit: *Cum inimici essemus*, ipse prior dilexit nos. Quantum vero nos dilexit, patet ex passione, quam pro nobis sustinuit. Potest et de præelectis exponi, quos in carne elegit sub patre; dignatus est enim eos idiomate sui characteris insignire, et quadam dilectionis familiaritate sibi unire, mittens eos in orbem terrarum, ut essent sibi testes in Jerusalem, Judæa, et Samaria (*Act.* i). Hic item videndum, quis dilexerit, quomodo, et quos, et quantum? Quis? Magister et Dominus; quomodo? familiari dilectione; quos? infirma mundi, imo minima, piscatores scilicet, et pauperes idiotas, ignobiles. Hi in mundo erant, sed non de mundo; eorum enim cordi arue-rat mundus. Quantum eos dilexerit, et quam familiarius, declarat Cœna die hodierna celebrata. Cœli Conditor, hominum Creator et recreator surrexit a cœna linteo præcinctus, et lavit pedes *discipulorum* (*Joan.* xiii). Humiliatæ sunt ad pedes servorum manus Salvatoris, ut hujus humilitatis exemplo a cordibus humanis abstergeretur tumor elationis. Tribus proprie causis in ministerio abluendi pedes humiliavit se Dominus; propter humilitatis exemplum, propter dilectionis argumentum, et propter sacramentum. De humilitatis exemplo ait: *Exemplum dedi vobis, ut et vos ita faciatis* (*ibid.*). Et item: *Hoc mando vobis, ut diligatis invicem* (*Joan.* xv). Sacramentum vero ejus ablutionis innuens Dominus ait Petro: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Nec hoc de exteriori ablutione est intelligendum, sed de significatione per eam, id est peccatorum venialium remissione. Demum in cœna corpus suum sub forma panis et vini discipulis dedit ad comedendum, et de cætero ad conficiendum, dicens: *Accipite et comedite: hoc est corpus meum* (*Matth.* xxvi). Et item: *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* xxii). Fuit Christus nobis in cruce pretium, in via viaticum, in patria erit præmium, existens cibus grandium, id est perfectorum. Hunc cibum Elias accepit, et in ejus fortitudine quadraginta diebus ambulavit, donec ad montem Dei Oreb pervenit (*III Reg.* xix). Hic est mons, de quo Propheta ait: *Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* (*Psal.* xiv.)

Per quadraginta dies, omne tempus, quo in præsenti vivitur, accipitur, per quod viatica corporis Christi fidelis anima reficitur. De Christianis vero et hoc accipi potest, facta modica verborum mutatione. Et sic Dominus dilexit suos, ut in finem diligat eos. *Suos*, id est bonos et malos. Malos quidem saltem participatione sacramentorum, etsi non finali operatione. His omnibus confert gratis gratia Salvatoris plura beneficia: confert parva, confert et magna;

Digitized by Google

parva benedictione sinistræ, magna benedictione dexteræ; parva in temporalibus, magna in spiritualibus. De benedictione sinistræ dicitur: *Homines et jumenta salvabis, Domine* (*Psal.* xxxv). Confert Deus Christianis magna, adversa repellendo, dando prospera, conservando collata: repellit adversa, ne molestiis succumbamus; largitur prospera, ut largitorem diligamus; conservat collata, ne per ingratitudinem a largitoris gratia resiliamus. Et notandum quamdam miserationem Dei magnam, quamdam majorem, quamdam maximam: magna in patientia, major in disciplina, maxima in justificatione. In patientia exspectat ad emendationem, in disciplina corripit ad justitiam, in justificatione sublevat ad palmam. Et horum quodque consistit in tribus: patientia in malorum repulsione, bonorum collatione, et collatorum conservatione; disciplina in dictis comminationis, in factis delectationis: *Flagellat enim Deus filium quem diligit* (*Hebr.* xii); et in exemplis imitationis. Diligamus ergo Deum sine præsumptione, timeamus sine desperatione, imitemur sine simulatione. Justificatio etiam in tribus consistit, vel notatur: in gratiæ infusione, in liberi arbitrii cooperatione, tandem in consummatione: primum est incipientium, secundum proficientium, tertium pervenientium. Est etiam maximum bonum, boni continuatio, de bono ad melius promotio, ripi in optimo. In optimo rapit sanctos Deus; etsi enim fieri posset, ut amplius viverent post diem obitus præscitum, non magis mererentur; sic et de damnandis, licet plus viverent, quam victuros eos Deus præscivit, si fieri posset, de cætero minus mali non facerent. Rogemus ergo, fratres, Dominum, ut nos usque in finem diligat, et sua benignissima miseratione ad viam vitæ dirigat. Nec cum illo fratre adolescentiore hircum rogemus, quem cum amicis comedamus (*Luc.* xv): hircus fetidum animal est, et petulcum, et pro peccatis consuevit offerri, per quod peccata intelliguntur. Carnes hædinas petit et edit, qui licet manus cohibeat ab opere, intus tamen æstuat perversa cogitatione. Is qui vitæ arctioris proposito obedientiæ jugo collum submisit, si de cætero vigiliarum macerationes aspernatur, lecti minus mollis modicitatem pati dedignatur, carnes hædinas comedit, et cum amicis, si a proposito resiliens dimissa repetit. Alii sunt, qui licet non cum amicis, tamen in eis vel pro eis hircum edunt. In eis edunt, qui eis peccantibus consentiunt, et quos deberent corripere consensu pravitatis per vitiorum abrupta docent diffluere. Pro eis edunt, qui bona Ecclesiæ ad eorum superfluitatem fovendam distribuunt communia tanquam propria largientes. Hi vel nesciunt, vel scire dissimulant, quod naturæ modicum sufficit, superfluitati nihil. Unde illud: *Divitias et paupertatem ne dederis mihi; sed tantum victui meo tribue necessaria* (*Prov.* xxx), et illud: *Habentes victum et vestitum, his contenti simus* (*I Tim.* vi). Rogemus ergo simul, rogemus singuli, ut qui pro nobis est humiliatus in terra nos ad cœlum sublevet per humilitatis exempla Dominus Jesus rex noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XVIII.

IN CŒNA DOMINI II.

Scitis quia post biduum Pascha fiet (*Matth.* xxvi). *Mediator Dei et hominum Jesus Christus* (*I Tim.* ii), cum prædixisset discipulis sciscitantibus signa eversionis Jerusalem, et adventus sui ad judicium, subdidit: *Scitis quia post biduum pascha fiet.* Non fecit taliter Israeliticæ nationi, nec secreta sua sic manifestavit eis, dum loqueretur per Moysen. Servis, qui nesciunt voluntatem domini sui de futura veritate agni Paschalis, multiplicavit sermonem, figuris occuluit veritatem. Istis autem tanquam amicis, et scientibus, quid velit Dominus suus, unde et præmisit: *Scitis*, sub compendio veritatem tradidit; nec tantum sub brevitate sermonis, quantum sub brevitate temporis. Post biduum enim coram ipsis *Pascha nostrum immolatus est Christus* (*I Cor.* v); pro ipsis *oblatus est, quia ipse voluit* (*Isa.* liii). Verumtamen possunt hæc eadem verba non indecenter esse matris Ecclesiæ. Sicut enim Christus et Ecclesia duo sunt in carne una (*Ephes.* v), ita sæpenumero possunt esse duo in voce una. Hortatur ergo mater Ecclesia filios uteri sui, ut præparent se ad esum escæ salutaris, dicens: Filioli, *scitis quia post biduum Pascha fiet.* Prope est dies festus azymorum, qui dicitur Pascha. Accedendum vobis est ad escam unitatis, usque ad cornu altaris. *Probet autem se homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat* (*I Cor.* xi). Si adhuc estis in Ægypto, vel si emenso tantum unius diei itinere processistis, nondum datum est vobis Dominicam cœnam manducare: eundum est prius itinere duorum dierum. David rex et propheta, cum interfuisset in spiritu curiæ cœlesti, de excelso cœlorum habitaculo reportavit nobis hujus bidui procinctum, dicens: *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* xxxvi). Ita ergo proficiscimini, filii, per diem et diem, declinantes scilicet a malo, et facientes bona; exstirpantes nociva, et seminantes utilia, et estote parati in diem tertium, ne *mensa* salutis *fiat* vobis *in laqueum et in retributionem, et in scandalum* (*Psal.* lxviii). Plus solito, aut præter solitum colite pietatem; modestiam exhibete, humilitatem sectamini, induite gravitatem, ut Christo patienti quodammodo compati videamini, qui in vita sua operatus est passionem passivam; in morte vero passionem activam, per quam operatus est salutem nostram in medio terræ. Talis nimirum admonitio matris Ecclesiæ utilis est quidem, sed adhuc tenuis, aqua refocillans, sed nondum satians. Quocirca eruderemus cum Isaac puteum abundantiæ, donec egrediantur aquæ largissimæ, ita ut bibant homines et jumenta (*Gen.* xxvi), id est duo genera hominum in Ecclesia. Sane secundum hierarchiam Dionysii (118) duo sunt genera fidelium in Ecclesia Dei. Primum, quod dicitur Deividum; alterum, quod appellatur pedissequum; Deividos dicimus ministros Ecclesiæ, quibus credita sunt eloquia Dei, quibus dictum est: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis* (*Matth.* xiii): quibus Christus ait: *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* xv). Pedissequos vero dicimus populum multitudinis: qui sedet secus pedes Deividi, ut audiat legem ex ore ipsius, et percipiat de manu ejus in tempore opportuno. Illi sunt boves arantes, isti asinæ pascentes juxta eos. Illi sunt Aaronitæ, quibus arcam testimonii et Cherubin gloriæ revelata facie videre concessum est, isti sunt Caathitæ, qui sancta portant humeris, sed nonnisi involuta: hi sunt gemelli fetus Ecclesiæ. Ad hos duos loquitur mater Ecclesia, propria tamen et separata cuique admonitione. Aliter enim admonendi sunt Deividi, aliter pedissequi. Deividos tanquam celerius currentes post gigantem, qui *exsultavit ad currendam viam* (*Psal.* xviii), hortatur dicens: Filii, *scitis quia post biduum Pascha fiet.*

Hanc de triduo admonitionem prius prosequemur, et est sensus: Filioli, mementote, quia post triduum sedebitis ad mensam divitis. Videte diligenter quæ vobis apponuntur; scitote similia vos debere ei præparare. Paravit Christus mensam in conspectu vestro, dicens: *Hoc facite in mei commemorationem* (*Luc.* xxii); quod sane intelligere debetis, non pro memoria tantum recordationis, sed potius imitationis. *Christus enim passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*II Petr.* ii). Ad quam unus pro omnibus res-

(118) L. *De eccl. hierarchia.*

Digitized by Google

pondet : Dic nobis, mater, quæ reliquit nobis Christus imitanda? Ad quem mater : Vidi eum in horto ligatum, in atrio pontificis expalmatum, sputis illitum, in prætorio judicis irrisum, virgis cæsum, spinis coronatum, in patibulo crucis toto corpore extensum, clavatum, lancea perforatum, in sepulcro decurionis clausum, custodibus vallatum. Hi sunt ingressus Dei mei : hæc est via Christi. Christianus incedit per eam. Ad quam filius : *Durus est hic sermo*, mater, *et quis poterit audire eum* (*Joan.* XII.)? Difficilis est hæc imitatio, et non potero ad eam. Ad quem mater : Noli timere, fili, sed audi et tace : *Ecce nunc tempus acceptabile* (*II Cor.* VI) sequendi Christum. Siccata est aqua illa contradictionis ; siccatus est torrens, de quo bibit Christus in via. Primitivam viam martyrum, qui tinxerunt pedem suum in sanguine, temperavit Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis. Si non potes fundere sanguinem, saltem funde aquam, in quo tibi nulla est excusatio. Ad quam filius : « Unde mihi hæc aqua, mater? Cui illa : *Hauries aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (*Isa.* XII), qui clamans aiebat : *Omnes sitientes, venite ad aquas* (*Isa.* LV). Hæc sunt tria genera aquarum, quas vidi Christum effundentem. Vidi ipsum effundentem lacrymas super civitatem sanctam (*Luc.* XIX), et dum staret ad Lazari monumentum (*Joan.* XI). Vidi eum effundentem aquam in pelvim, quando Creator omnium rerum Deus inclinavit se ad lavandos pedes hominum (*Joan.* XIII). Vidi, quando unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit distincte sanguis et aqua (*Joan.* XIX). In hunc modum triplicis aquæ necessaria est tibi ablutio, sicut triplex macula te polluit, cordis, oris et operis. Effunde ergo aquam primam, secundam et tertiam. Prima est interior, secunda superior, tertia exterior : prima est contritionis, secunda confessionis, tertia satisfactionis. Prima lavat lectum, secundum illud : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI). Secunda lavat faciem, secundum illud : *Unge caput tuum, et faciem tuam lava* (*Matth.* VI). Tertia lavat manus, unde : *Lavabo inter innocentes manus meas* (*Psal.* XXV). Prima lavat ad munditiam, unde : *Lavamini, mundi estote* (*Isa.* XVI), secunda lavat ad justitiam, unde : *Dicta iniquitates tuas, ut justificeris* (*Isa.* XLIII); tertia lavat ad coronam, unde Apostolus : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, reposita est mihi corona justitiæ* (*II Tim.* IV). Sufficit tibi, fili, hæc triplex aquæ effusio, ut ingrediaris, in conspectu Dei tui sine macula. Hoc est triduum, quod tibi proposueram : hoc itinere trium dierum emenso Pascha facies *in azymis sinceritatis et veritatis* (*I Cor.* V). » Superest, ut de admonitione ad Deividum prosequamur. Ad quem mater : Fili tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt : primitias, decimas, oblationes, votiva et spontanea dedi tibi. Itaque patienter *inclina aurem tuam in verba oris mei* (*Psal.* LXXVII). Exaltavit te Christus tanquam electum de plebe sua, et dixit : *Qui mihi ministrat me sequatur* (*Joan.* XII); oportet ergo te eum sequi, quocunque ierit. Scito, *quia post biduum Pascha* facies, id est non in aqua tantum, sicut frater tuus, sed in aqua et sanguine. Triduum fratris tui pone tibi pro die primo. Restat tibi dies secundus, sed prolixior priore in quinaria sanguinis effusione. Nam et Christus, quem sequeris, quinquies sanguinem fudit. *Vade, et tu fac similiter* (*Luc.* X), ne requiratur a te sanguis ejus, qui effusus est pro te. In circumcisione terrum pertransivit carnem ejus. In nocte hac cum prolixius orasset, *factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (*Luc.* XXII). In crastinum alligatus est columnæ, et virgis cæsus, adeo quod vestigia cruoris, notantur in columna usque in diem hodiernum. Postmodum suspendentes eum in ligno foderunt manus ejus et pedes (*Psal.* XXI), et aspersa est sanguine caro ejus. Postremo de latere dormientis exivit sanguis et aqua. Toties fudit sanguinem suum Christus, non tantum, ut te redimeret, sed ut te erudiret. Prima ergo effusio facta est tibi in documentum, secunda in exemplum, tertia in testimonium, quarta in pretium, quinta in sacramentum. In his docet te Christus, quid debeas tibi, quid fratri, quid mihi. Circumcisionem tibi, sudorem fratri, flagellationem mihi. De circumcisione pertranseo, quia sæpenumero eam inculcavi, et plenius in sermone (119), qui inchoat : *Eruditimini*, et hic inseri potest : fratrem tuum, qui tanquam terra, et scabellum pedum tuorum, rigare debes : ut germinet in labore et sudore vultus tui. Nec desistas, etiamsi tuam ipsius animam pertransibit gladius (*Luc.* I) : mihi vero, quia sum columna et firmamentum veritatis, insolubiliter alligari debes ; ita quod neque fames, neque nuditas, neque periculum, aut gladius separet te a fidei confessione : verum potius eligas mori, quam separari, etiam tempore pacis. Nolite implicare sæcularibus negotiis, et respicere retro. Porro, si elevatus fueris a terra, ut ponant te in cathedra seniorum, et judices cum senatoribus terræ, contige manus tuas, excute scilicet eas ab omni munere. Noli sequi retributiones, ne faciant te senem abocellum ; ne vox sonet Jacob, et manus sint Esau (*Gen.* XXVII); crucifige pedes tuos ; sta in porta domus Domini, clama importune opportune (*II Tim.* IV), et *non moveantur vestigia tua* (*Psal.* XVI). Dinumerabilia sint ossa tua, id est luceant opera bona coram hominibus, ut glorificent patrem tuum, qui est in cœlis (*Matth.* V). Postremo, si non ortuus fueris mundo ; si elongaveris fugiens, ut quiescas in solitudine (*Psal.* LIV), interdicas omni sensui tuo usum ad exteriora, aures habebis et non audies, oculos et non videbis, manus et non palpabis, pedes et non ambulabis (*Psal.* CXIII). Ad Deum tuum clamabis in gutture tuo : tantum de latere dormientis fluet aqua humilitatis, et sanguis obedientiæ. *Qui facit hæc, non movebitur in æternum* (*Psal.* XIV). Cum his non apparebis vacuus in conspectu Dei tui, et securus Pascha facies : quod necesse est quantumvis perfecto. Licet enim sanatum sit ulcus criminis in baptismo et pœnitentia, tamen manet pruritus ulceris, quem mitigat Eucharistia. De cætero, sicut sciebant apostoli post biduum Pascha fieri, scimus et nos quia *post biduum Pascha fiet*. Scimus quia qui accedit indigne, judicium portabit quicunque est ille. Paremus ergo nos ad mensam communionis, qui sedemus in Scriptura ad mensam refectionis, ut tandem vocet nos ad mensam patris Jesus Christus Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XIX.

IN ANNUNTIATIONE B. VIRGINIS

Habitus in scholis.

Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum hodie mater sua (*Cant.* III). Gloriosa dicta sunt sæpe de gloriosa matre Dei. Et ego forte, *si linguis hominum loquar et angelorum* (*I Cor.* XIII), tamen in irritum cedet labor meus, quia *puteus altus est* (*Joan.* IV), et in quo hauriam non habeo. Verumtamen obmutescere non possum, unde omnis loquitur creatura : tantum jucundum sit eloquium meum, et non erit infructuosum. Quid gloriosius inter nos judicatur, quam videre regem in decore suo, incedere purpuratum, coronatum diademate suo? longe gloriosius coronatus est hodie Rex noster in thalamo matris suæ. Hodie quidem impletum est illud Jeremiæ (cap. XXXI) : *Novum faciet Dominus super terram ; mulier circumdabit virum ;* post annuntiationem enim angelicam, *concipies et*

(119) Sermo 39.

Digitized by Google

paries filium, et verecundam Virginis concessionem, *Fiat mihi secundum verbum tuum* (*Luc.* I), conceptus est Dei Filius, vel, ut verius dicam, inceptus. Non enim ex diversis seminibus simul captis, conceptus est, sed ex sola Virginis carne formatus, non per intervalla temporum, ut cæteri, sed statim homo in omnibus membris suis, statim animatus ejusdem potentiæ et virtutis, cujus erat, dum tricenarius prædicaret; unde et viri nomine censetur in prophetа. Quomodo autem hodie ibidem coronatus fuerit, ad videndum nos hortatur Scriptura : *Filiæ Sion, egredimini*, etc. Ad nos sane præcipue dirigitur sermo, ad litteratos, inquam, quibus *datum est nosse mysteria, cæteris autem in parabolis* (*Luc.* VIII), et his maxime, qui ecclesiasticis operam dant disciplinis, qui postposita facunda, sed infecunda philosophorum loquacitate veniunt, ut hauriant aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (*Isa.* XII), qui non immerito per filias Sion intelliguntur. Per Jerusalem enim et Sion intelligitur Ecclesia. Filia itaque Sion, et filiæ Jerusalem filii sunt Ecclesiæ; Israel ad litteram juxta Sion sita est, cujus municipium, quod Mello dicebatur (*III Reg.* IX), in Sion positum fuit. Per filias ergo Jerusalem laicos tanquam minus peritos, et custodia municipii egentes intelligimus; per filias Sion litteratos, tum propter scientiæ eminentiam, tum propter aliorum custodiam et instructionem, tum quia Sion *speculatio* interpretatur. Prophetæ enim dictum est, et nobis in prophetа : *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel* (*Ezech.* III).

His, inquam, dicitur : *Filiæ Sion*, quibus Dominus aperuit sensum, ut intelligeretis Scripturas (*Luc.* XXIV), *egredimini*. Idipsum dictum Abrahæ homini Dei : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui* (*Gen.* XII). Tria sunt, quæ nos peccare compellunt : suggestio propriæ carnis, suggestio proximi, et suggestio dæmonis, vel mundi. Egrediamur itaque *de terra* nostra, id est Evam nostram reprimamus; *et de cognatione*, id est proximo male suadenti aures claudamus, *sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones* (*Psal.* XXXVII). *Et de domo Patris;* id est mundum, et principem ejus, id est diabolum suis nos illudentem oblectamentis fugiamus confugientes ad Altissimum, ut scapulis suis obumbret nobis et sub pennis ejus speremus (*Psal.* XC). Quod si Scriptura non moneret nos egredi, ipsius tamen loci importunitas nos egredi compellit. Quis nostrum, si jaceret in luto, non mallet egredi, quam manere? Quis est iste mundus, et omnis concupiscentia ejus, nisi lutum et fæces? Audi de amatoribus mundi quid dicatur : *Computruerunt tanquam jumenta in stercoribus* (*Joel.* I). Audi Apostolum, qui reputat ea tanquam stercora (*Phil.* III). Quantis autem sordibus sterquilinium hoc cumuletur in evidenti est. Adam primus et maximus omnium gigas sordes inobedientiæ super nos evomuit, cujus tanta fuit labes, ut universam posteritatem miserabiliter macularet. Secundus Cain stercus fratricidii injecit, Lamech fetorem digamiæ superfudit (*Gen.* IV). Etiam ante diluvium mulieres supergressæ viros, et viri muliebria corporis sui patientes, fæces fæcibus cumulaverunt (*Gen.* VI). Pensct, qui potest, quantis usque in hodiernum diem sordibus hæc vallis usque ad fetorem intolerabilem repleatur. Quocirca citissime *egredimini, filiæ Sion;* ut quid pro croceis amplexamini stercora? homines estis, non sues. Et vos quidem, qui studere venistis, egressi estis de terra, et cognatione vestra, venientes cum regina Saba audire sapientiam Salomonis (*Reg.* X). Sed egrediendum potius mentis affectu, quam corporis incessu. Vobis etiam plurimum expedit exire, quia qui comedit uvam acerbam, dentes ejus obstupescunt, et frangere non potest panem (*Jer.* XXXI). Sed quid est in causa? Numquid A dentes pristinum robur amittentes mollificati sunt? nunquid panis cæteris cibis suavior jucunditate sua privatus est? nequaquam, stupor in causa est. Ita quis studio militans si sæcularibus implicet se negotiis, consuetudine obstupescit. Sufficit nobis natura ad studendum, suavis est disciplina, stupor consuetudinis frangere panem perhorrescit. *Egredimini* ergo, *et videte regem Salomonem*. Salomon trinomius fuit : dictus est Idida, Salomon, Ecclesiastes. Idida, *dilectus Domini* vel a Domino, dicitur. Hic est Christus, secundum quod est a principio apud Patrem, ac si diceret Scriptura : Non dico, videte Ididam quia, ut est apud Patrem, alius apud alium, cum sit homo in Sion eum cum patre non videbit homo, et vivet. Credere potestis, videre nondum potestis. Neque dico, videte Ecclesiasten, hoc est *concionatorem*. Hoc enim adhuc futurum est, cum videbit omnis caro Salutare Dei, et in tanta concione quibusdam intonabit in verbo B aspero dicens : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV), aliis blando subridebit alloquio, dicens : *Venite, benedicti* (*Ibid.*). Intelligite itaque Ididam, quia est irreprehensibilis. Exspectate Ecclesiasten, quando erit terribilis. Nunc videte Salomonem, quia nunc est placabilis et desiderabilis aspectu. Salomon enim *pacificus* : hic est Christus homo, qui *est pax nostra, qui fecit utraque unum, parietem* inimicitiarum *solvens* inter nos et Deum (*Ephes.* II). Hunc videte : hic ab omnibus visus est : viderunt oculi nostri Salutare Dei (*Luc.* II), et licet abjectum et opprobriis saturatum, tamen videte regem, quia simul in unum est dives et pauper. Hodie vero *videte* eum *in diademate* suo. Aliud est corona, et aliud est diadema. Corona simplex est circulus aureus, quo utuntur reges in minoribus solemnitatibus. Diadema est quasi duplex corona, cum ipsi coronæ quasi alius circulus gemmis superpositus superadditur. Ex ipsa enim Græci C nominis interpretatione, duplicitatem sonat. Corona itaque animæ sunt bona naturalia : gemmæ vero superpositæ, ut faciant diadema, bona sunt gratuita. Cum enim naturales animæ affectiones ordinatæ sunt in ea, coronant eam et exornant; inordinatæ enim ludibrium sunt ei, unde Salomon : *Mulier pulchra et fatua, circulus aureus est in naribus suis* (*Prov.* XI). Quatuor sane sunt naturales affectiones, timor, spes, gaudium, dolor, unde poeta :

> ... *Cupiunt, metuunt, gaudentque dolentque.*
>
> (VIRG. *Æneid.* VI.)

Hæc autem sic ordinari debent, ut caput animæ coronent. Timor est in fronte. *Initium enim sapientiæ timor Domini* (*Eccl.* I); spes est in capite, quia de futuris est tantum, et de his quæ non videntur. Gaudium est a dextris, ut omne gaudium sit in Domino, qui ponet nos ad dextram; dolor sit a D sinistris; pro excessibus enim dolendum est, qui sunt causa positionis hædorum ad sinistram. His autem si superponantur quatuor principales virtutes ordinate, diadema fit animæ. Hæ quidem sunt : justitia, prudentia, temperantia, fortitudo. Timori superponenda est justitia, quia *qui timet Deum, faciet bonum* (*Eccli.* XV), et Deo reddit quod suum est et proximo. (120) Justitia enim est constans, et perpetua voluntas, jus suum cuique tribuens. Spei superponenda est prudentia : spes enim duo habet collateralia sibi plurimum timenda, abyssum desperationis, et ceraunia præsumptionis. Sperandum itaque est prudenter, ne quis nimiam justitiam Dei attendens cum Cain dicat : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (*Gen.* IV); vel nimis attendens misericordiam Dei præsumens dicat : *Et si obliviscitur mater filii sui, Deus tamen non obliviscetur nostri* (*Isa.* XLIX). Gaudio superpo-

(120) Ulp. l. *Justitia*, ff. De just. et jur.

Digitized by Google

nenda est temperantia; semper enim exsultandum est cum tremore; quod plane innuit Apostolus, qui cum dixisset : *Gaudete in Domino semper;* statim addidit : *Modestia vestra nota sit omnibus* (*Phil.* IV). Dolori superponenda est fortitudo, ne absorbeat nos profundum doloris, neque puteus urgeat super nos os suum. Sic ornatur anima *per arma justitiæ a dextris et sinistris* (*II Cor.* VI).

In hac ergo die Dominicæ conceptionis, Christus homo hoc diademate coronatus est in utero matris, quia et naturalia et gratuita in eo fuerunt, eaque ordinatissima. Per hoc autem, quod dicitur eum coronasse mater sua, intelligitur, quod et alius, et alter eum coronavit. Siquidem coronavit eum noverca sua, coronavit eum pater suus, coronavit eum familia sua. Coronavit eum noverca sua, id est Synagoga, cujus caput tremendum angelis coronam spineam in ignominiam tulit; sed in die resurrectionis coronavit eum pater suus corona immortalitatis et gloriæ. In die ventilationis extremæ coronabit eum familia sua. Veniet enim *cum senatoribus terræ* (*Prov.* XXXI), quia veniet Dominus, et omnes sancti ejus cum eo, in medio autem omnes dijudicabit. Corona matris fuit corona misericordiæ, miseratione enim sola voluntatis suæ humanatus est. Corona novercæ corona fuit miseriæ, quæ autem patris, fuit gloriæ. Unde Apostolus : *Reposita est mihi corona gloriæ* (*II Tim.* IV). Ultima erit corona potentiæ : veniet enim *tanquam potens crapulatus a vino* (*Psal.* LXXVII). In corona matris imitabilis, in corona novercæ contemptibilis, in corona patris admirabilis, in corona familiæ horribilis. Videbunt eum impii in corona potentiæ, et peribunt; videbunt eum justi in corona gloriæ, et gaudebunt. Agite ergo ne pereamus et nos cum pereuntibus; præparemus nos ad adventum judicis cuncta cernentis. Si enim nos impræparatos invenerit, quid poterit nos excusare? excusabit nos pœnitentia? sed eam in carne contemnimus. Excusabunt nos bona opera? sed in tempore agendi non agimus. Excusabit nos fragilitas carnis? sed ex adverso stabunt virgines, quæ in carne carnis fragilitatem vicerunt. Merito dicet nobis : *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV), ubi *ignis non exstinguetur, et vermis non morietur* (*Isa.* LXVI), ubi continuus gemitus, dolor summus, pœnalis sensus. Ponamus ergo ante oculos quam malum est cœlestis patriæ exlorres fieri, communione sanctorum privari, mori beatæ vitæ, morti vivere sempiternæ, a qua liberet nos Jesus Christus Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XX.

IN LITANIA MAJORE.

Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos (*Psal.* LXXVII). Ad litteram exprobrat Propheta Judæis, populo duræ cervicis, semini nequam, filiis sceleratis beneficia a Deo collata, et ipsorum ingratitudinem. In deserto enim panem de cœlo fastidientes, carnes Ægypti desideraverunt, et dedit eis Dominus carnes secundum desideria eorum : carnes in abundantia tanta, quia dedit, *sicut arenam maris volatilia pennata* (*ibid.*). Sed dum *adhuc escæ eorum* essent *in ore ipsorum, ira Dei ascendit super eos,* quia inopinata morte prostrati sunt, et putruerunt cadavera eorum in deserto. Hoc propheticum tamen non tantum exprobratio est apud Judæos, ut dictum est, sed et prophetia est, et comminatio. Est ergo exprobratio quantum ad eos, qui præcesserunt, prophetia ad futuros, comminatio ad præsentes. Sed cum est exprobratio, hic est sensus : *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum,* sed doleant, quia *ira Dei ascendit super eos.* Cum vero est prophetia, hic est sensus : *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum;* sed timeant, quia ira Dei ascendet super eos. Cum autem est commination, hic est sensus : *Adhuc escæ eorum*, etc., sed caveant, ne ira Dei ascendat super eos. Exprobratio itaque tetrasyrtica est, id est ad quatuor trahi potest, id est ad quatuor præcedentes commode refertur, prophetia vero tetrasyrtica, comminatio autem annualis. Quatuor enim præcesserunt prophetiam, quibus non incongrue potest hoc exprobrare. Primi parentes, genus humanum temporibus Noe, Sodomitæ, filii Israel in deserto. Acceperant enim primi parentes mandatum, ne gustarent de ligno scientiæ boni et mali, sed noluerunt intelligere, ut bene agerent (*Psal.* XXXV), et evanuerunt in cordibus suis, putantes fieri sicut dii, scientes bonum et malum, et transgredientes mandatum, comederunt cibum vetitum (*Gen.* III). *Et adhuc escæ erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos.* Pœna inflicta est eis pro peccato, quia dejecti sunt in lacum miseriæ et in lutum fæcis. Quam miseriam aperit Job, dicens : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*, etc. (*Job* XIV), et Psalmista : *Circumdederunt me gemitus mortis* (*Psal.* XVII). et Apostolus : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII)? Tamen ira Dei ascendit, stans quasi super eos, nec cecidit super eos, ut scilicet tota mole eos premens contereret eos penitus, sine spe, scilicet resurgendi, sicut contrivit diabolum : mediocriter enim punivit eos, quando miseriæ eorum addidit mortalitatem. Mirum est quod dicere gestio, sed plane verum est. Mortalitas enim, etsi pœna sit homini, tamen verius attendenti misericordia est. Si enim cum miseria illata, fuisset sibi immortalitas conservata, ergo miseria ejus fuisset immortalis, et sic æterna, et ita non distaret a dæmonum miseria. Sicut autem per mortalitatem temperata est miseria, et facta est transitoria, et positus est ante paradisum gladius versatilis (*Gen.* III), id est aptus ad versandum, *nempe* ad removendum, sic homo lapsus a beatitudine, in qua erat cum Deo, non tamen descendit in abyssum miseriæ interminabilis cum diabolo, sed medium sortitus locum, miser est, sed cum termino. Potest etiam adaptari prædicta exprobratio hominibus dierum Noe, quia, ut ait Veritas in Evangelio (*Matth.* XXIV) : In diebus Noe edebant et bibebant, et repentinus super eos venit interitus. Itaque *dum escæ eorum* essent *in ore ipsorum, ira Dei ascendit super eos.*

Potest etiam non incongrue adaptari Sodomitis. Legitur (*Ezech.* XVI) enim quod peccatum Sodomorum fuit superbia vitæ et abundantia panis et saturitatis. Inter ipsas ergo comessationes et ebrietates, *dum adhuc escæ* essent *in ore ipsorum, ira Dei ascendit super eos.* Potest nihilominus adaptari filiis Israel in deserto, sicut primo expositum, et etiam super hos ira Dei ascendit; nam contrivit eos; quia, ut ait Hieronymus (121), non debet reputari Deus iniquus, quod genus humanum submersit diluvio, Sodomitas igne consumpsit et sulphure, filios Israel prostravit in deserto, quia sic puniti sunt, ne in æternum puniret eos. Cæterum prophetia est, ut diximus tetrasyrtica. (122) Prophetice enim prædixit David destructionem urbis Jerusalem factam per Romanos et pœnam malorum in judicio, etiam pestem inguinariam in Romanos; pro cujus remotione instituta fuit Romæ hodierna Litania. De die enim judicii dicit Veritas : Quia sicut factum est in diebus Noe, cum comederent homines et biberent, et dicerent : Pax, pax et securitas, supervenit eis hora, quam non sperabant (*Matth.* XXIV). Væ ergo illis prædicitur. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum*, etc. De Judæis etiam

(121) In cap. I *Nahum.*

(122) Greg. Turon. lib. X *Hist. P. Diac.*, lib. III, c. 11.

Digitized by Google

legitur (123), quod cum venerant Hierosolymam ad diem festum Paschæ, in quo secundum legem agnum comedebant paschalem et azymos panes; in ipsis vero diebus azymorum ex improviso supervenit Romanus exercitus, et infra mœnia urbis in angustia cibi et potus infinitam multitudinem Judæorum conclusit. Et sic vere David prævidens desolationem urbis suæ in ultionem Dominici sanguinis factam prophetavit : *Adhuc escæ eorum erant in ore*, etc. Romani vero similiter in diebus paschalibus non dijudicantes corpus et sanguinem Domini, quod sumpserant, maxime comessationibus, ludis et luxuriæ vacabant, qui tamen in diebus jejuniorum continenter vixerant, tanquam terminus resurrectionis Dominicæ terminum fecisset eis continentiæ; et qui, dum exspectabant Domini sui susceptionem, tanquam mundum hospitium ei paraverant, suscepto eo frena licentiæ suæ laxarent. Ergo dum adhuc escæ Dominici corporis, et comessationes, quibus præmissa jejunia quasi redimere volebant; B dum, inquam, *hæ escæ* adhuc *erant in ore ipsorum, ira Dei ascendit super eos*, pestis scilicet inguinaria. Apparebat enim tumor in inguine, et aliquantus rubor in facie, et fere sine sensu doloris passim moriebantur, in mensa, in via, in colloquiis et ludis. Et tantum etiam hæc pestis extensa est, quod etiam Pelagius illius temporis papa eadem peste occubuit. Cui substitutus est beatus Gregorius (124) adhuc diaconus, qui, si forte converteretur Dominus, et ignosceret, instituit ut universus populus Romanus hac die jejunio se affligeret, et cum summa humilitate basilicam Beati Petri adiret in qua Dei misericordiam lacrymabilibus Litaniis imploraret. Qui prostratus cum omni multitudine ad orationem ante gradus basilicæ cum surrexisset ab oratione, vidit super castrum Crescentii angelum, qui gladium cruentatum detergens revocabat eum in vaginam, intelligens, quod cessaret grassatio; tum de simul prostratis ad orationem circiter octoginta C mortui sunt inventi; et deinceps, mutato nomine, dictum est castrum Angeli. Comminatio, ut diximus, annualis est. Cum enim singulis annis legitur Apostolus, dicent : *Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit; non dijudicans corpus Domini : ideo inter vos multi imbecilles et infirmi, et dormiunt multi* (*I Cor.* XI) Quid aliud est quam si diceret : Cavete, ne esca salutaris sic sit in ore vestro, quod ideo ira Dei ascendat super vos, ne esca, quæ datur vobis in resurrectionem, fiat vobis in ruinam. Sed non arbitror prætereundum quod pluraliter dicimus : *Escæ eorum*. Est enim esca jumentorum, est esca fidelium, est etiam esca grandium. Esca jumentorum grandis et necessaria, de qua dicitur : *Qui dat jumentis escam ipsorum* (*Psal.* CXLVI). Hæc sunt victualia de fructibus terræ, et animantibus nobis concessa ad reficiendas ventris ruinas. Esca D vero fidelium salutaris est et mystica : Eucharistiam loquor. Solus enim fidelis dicit Domino : *Parasti in conspectu meo mensam* (*Psal.* XXII). Et ad solum filium Salomon dirigit verba dicens : *Fili, sedisti ad mensam divitis. Appone cultrum gutturi tuo, et vide quæ tibi apponuntur* (*Prov.* XXIII). Scito te debere ei similia præparare. *Christus* enim *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*II Petr.* II). De hac esca dicit propheta : *Faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium medullatorum, convivium vindemiæ defæcatæ* (*Isa.* XXV), quasi dicat : In valle Tophet, id est in synagoga factum est convivium pinguium et mulsi, qui ibi calix in manu Domini plenus misto. Sed in monte hoc, id est Ecclesia, est esca medullata, et A potus defecatus. Quod autem fidelium tantum esca sit hic, aperit Ecclesia in scrutiniis catechumenorum, qui usque ad Secretam officii missæ intersunt, et deinceps ejiciuntur; ac si diceret eis : *Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus* (*Matth.* XV). Esca vero grandium spiritualis est et intellectiva. Hæc est sacra Scriptura, quæ quot habet documenta, totidem proponit fercula litterato. Grandes enim in Ecclesia litteratos dicimus : de quibus Apostolus : *Vos qui majores estis, instruite hujusmodi* (*Gal.* VI). Ipsi enim dati sunt speculatores domui Israel, unde et prælatos nostros episcopos vocamus. (125) De his dicit sapientia : Cibus grandium ego sum specialis. Sane cibus gratia Domini ibi assignatur. *Vetustissima veterum comedetis; sed supervenientibus novis projicietis vetera* (*Lev.* XXVI). Vetustissima enim ante vetera, mortalia sunt præcepta sacræ Scripturæ; quæ etiam natura duce digito Dei scripta sunt in cordibus nostris. Vetera vero, quæ post illa significativa sunt B legis Mosaicæ præcepta, quæ donec res significata veniret, erant observanda. Nova vero supervenientia, evangelica est perfectio. *Nisi abundet*, inquit Christus, *justitia vestra super justitiam Scribarum et Pharisæorum* (*Matth.* V); ac si diceret nobis propheta : Vos futuri grandes in Ecclesia, qui super senes intelligitis, qui sublato velamine litteræ cornutam Moysi faciem irreverberatis oculis videbitis, mortalia et evangelica servate, cæremonialia vero abjicite. Itaque post tot exempla pereuntium, cavendum nobis est impendio, ne dum escæ spirituales adhuc sunt in ore nostro, ira Dei veniat super nos, et pereamus; imo flagitemus ipsum quem recipimus, ut post escas hujus temporis sacramentales, trahat nos ad mensam Patris Jesus Christus Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XXI.

IN ASCENSIONE DOMINI.

(*Exstat inter Opera Hildeberti Cenomanensis. Vide* Patr. *tom.* CLXXI, *col.* 583, *serm.* 30.)

SERMO XXII.

DE SANCTA TRINITATE.

(*Exstat ibid., col.* 595, *serm.* 53.)

SERMO XXIII.

DE SANCTA MARIA MAGDALENA.

(*Vide ibid., col.* 671, *serm.* 69.)

SERMO XXIV.

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI, SANCTI CHRISTOPHORI MARTYRIS, ET GERMANI CONFESSORIS.

Ad regulares.

In ore duorum aut trium stabit omne verbum (*Deut.* XVII; *Matth.* XVIII). Moyses, in Deuteronomio, imo Dominus per Moysen filiis Israel, quibus formam judiciorum dederat, sufficientem etiam numerum testium ad decisiones causarum annotavit. Sed quoniam *omnia in figura contingebant illis* (*I Cor.* X), potest ibi non incongrue pronuntiari numerus testium, qui necessarii nobis erunt in die extremæ ventilationis, quando omnes astabimus ante tribunal judicis æterni reddituri rationem de his, quæ gerimus secundum corpus. Deus enim noster qui *tanquam ovis ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum* (*Isai.* LIII), manifeste veniet, et non silebit, cum sederit, scilicet Antiquus dierum, cujus capilli candidi velut nix, et pedes ejus similes auricha co, et throni circa eum positi, et libri omnium aperti erunt (*Dan.* X) : et habebit ventilabrum in manu sua, et separabit grana a pa-

(123) *Microl.*, cap. 57. Joseph., lib. V *De bello Judaico*, c. 14.

(124) Joan. diac. in *Vita B. Greg.*, lib. I, cap. 36. Gregor., lib. XI *Ep.*, cap. 2. Baron., tom. VIII pag. 6.

(125) Aug., *Confess.* c. 10, citat hunc locum.

Digitized by Google

leis; paleas autem comburet igne inextinguibili; grana vero recondet in horreum suum (*Matth.* III). In hac ventilatione sub præfato numero testium, vel absolvetur quisque, vel condemnabitur. Sed quia sunt et alii testes, ut de istis planior fiat intelligentia, de aliis quoque disseramus. Sane tres sunt ordines testium: primus, medius, ultimus. Primus in cœlo, secundus in Ecclesia, ultimus in terra. De primo dici potest: *In ore trium testium stetit omne verbum*; de secundo: *In ore trium testium stat omne verbum*; de tertio: *In ore trium testium stabit omne verbum*. Primum aperit Joannes in Epistola catholica dicens: *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo: Pater, et Filius, et Spiritus sanctus* (*Joan.* V). De ultimo quoque subjunxit: *Et tres sunt, qui testimonium perhibent in terra: spiritus, aqua et sanguis* (*Ibid.*). Medius ordo sunt apostoli, martyres et confessores. Quod apostoli testes sint, audi Christum dicentem: *Vos eritis mihi testes in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ* (*Act.* I). De his quoque legitur: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Christi* (*Act.* IV). Martyres ipsi nomine *testes* indicantur, qui antonomastice nomen generale sibi speciale vindicaverunt, quia non solum loquendo, sed etiam moriendo confessi sunt. Confessores vero testes ostendit Dominus loquens Ezechieli: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, tu audies ex ore meo verbum, et contestaberis, vel annuntiabis eis ex me* (*Ezech.* III). Et alibi: *Fili hominis, contestare, et dic: Venit finis, finis venit* (*Ezech.* VII). Hi tres in Ecclesia contestantur, quid credendum, quid vitandum sit. Primus itaque testium ordo est principalis, secundus doctrinalis, tertius judicialis. Primus est adorandus, secundus imitandus, tertius cum timore exspectandus. Primus enim creat, et incrementum dat, secundus plantat et rigat, tertius absolvit et condemnat. Primus facit oves cum hædis, secundus facit oves de hædis, tertius segregat oves ab hædis. De primo itaque dictum est: *In ore trium testium stet omne verbum*. Nomine verbi opus intelligitur secundum illud: *Non faciet Dominus verbum quod non revelaverit ad servos suos prophetas* (*Amos* III). Non est autem opus in corpore universitatis, quod non exeat ex aula summi imperatoris, vel agendo, vel permittendo, ut fiat. Porro si non est malum in civitate, quod Deus non faciat (*ibid.*), profecto liquet, quia non est bonum, quod ab ipso non fiat, vel aliter. Omne opus universitatis in tribus est. Est enim opus creationis, opus reconciliationis, opus glorificationis. Mundus enim quasi hortus est, quia ex eo, et in eo oriuntur omnia. Vel potius, quia ex cognitione rerum oritur cognitio Creatoris. Sicut ergo in horto tria sunt tempora, plantationis, maturitatis, collectionis; ita et in mundo tria quæ prædiximus. Hæc autem tria distincte tribus attribuuntur personis, non quod opera Trinitatis divisa dogmatizemus, sed ad insinuandam personarum distinctionem, opera per personas distinguere Scriptura consuevit et doctrina. Itaque Pater creavit, Filius reconciliavit, Spiritus sanctus glorificavit, inde est, quod Pater dicitur auctor, Filius mediator, Spiritus sanctus consolator. Quamobrem Pater est laudabilis, Filius amabilis, Spiritus sanctus desiderabilis. Audi Scripturam, quæ Patri attribuit creationem: *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I), id est Pater in Filio. Audi Apostolum de reconciliatione Filii: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum*, et alibi, *in corpore suo solvit medium parietem inimicitiarum* (*Eph.* III). Spiritus vero requiem præstat post laborem, unde scriptum est: *Amodo enim jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis* (*Apoc.* XIV); opera siquidem tunc erunt spiritualia, nam corpora etiam nostra fient spiritualia, corpus adhærebit spiritui, et Spiritus Deo, ut fiat unus spiritus cum illo. De creatione Patris dixit Filius: *Pater meus hucusque operatus est*; et de reconciliatione sua subdidit: *Ego autem nunc operor* (*Joan.* V). De glorificatione poterit dicere Spiritus. Pater et Filius hucusque operati sunt, deinceps ego operabor, et faciam cœlum novum et terram novam (*Isa.* LXV).

Sequitur de secundo ordine testium, *in ore* quorum *stat omne verbum*. Horum omnis doctrina in tribus est; in spirituali generatione, in speciali dilectione Verbi incarnati, in forma Christianæ religionis. Causas quidem carnalis geneseos et rationes nobiles philosophi gentium satis diligenter et caute nobis tradiderunt. Etiam Moyses de generatione cœli et terræ, et omnium quæ in eis sunt, prosecutus est. Carnales etiam generationes Patrum, de quorum femore Christus nasciturus erat contexuit, sed spirituales generationes sub silentio transierunt. Etiam de dilectione Dei Vetus Testamentum nos instruxerat ibi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc. (*Deut.* VI; *Matth.* XXII), sed de modo diligendi hominem Deum nusquam expresserat. Frequenter quidem dicitur, sed non frequenter explicatur, quod Christus secundum hominem minus est diligendus Deo, et plus proximo. Forma vero religionis veterum erat in figuralibus, et in conjugio, quia maledictus erat, qui non faciebat semen in Israel (*Exod.* XXIII); longe alio schemate Christiana religio figurata est. Proinde necessario testes Ecclesiæ præfati contestati sunt de his tribus, spirituali scilicet generatione Dei, hominis dilectione, forma religionis Christianæ. (126) Porro quodlibet istorum trium in tribus est: est autem spiritualis generatio innovatio spiritus, de qua dictum est. Deponentes veterem hominem induite novum, qui secundum Deum creatus est (*Ephes.* IV). Et hoc fit in baptismo, in pœnitentia, in martyrio. Prima quidem necessaria est omni viventi, secunda omni peccanti, tertia congrua est prædicanti. Primam sub pœna præcepit Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.* III). Tertiam conclusit, dicens: *Qui perdiderit animam suam propter me et propter evangelium, in futuro servabit eam* (*Matth.* X). De eisdem Petrus ait: *Pœnitemini et baptizetur unusquisque vestrum* (*Act.* II), et alibi: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus* (*I Petr.* II). Sunt itaque in hac vita quatuor generationes una carnalis, et tres spirituales. Harum quatuor, prima est naturalis, secunda sacramentalis, tertia pœnitentialis, quarta triumphalis. Prima fit per traductionem, secunda per tinctionem, tertia per contritionem, quarta per conflictationem; quinta erit unica, quam exspectamus, quando scilicet mortale hoc induet immortalitatem, et corruptibile hoc incorruptionem (*I Cor.* XV). De his quinque generationibus ait Propheta: *Permanebis cum sole et ante lunam, in generatione et generationem* (*Psal.* LXXI). Lunam dixit Ecclesiam quæ est generationis consecuta generationem. Non enim in his quatuor habet Ecclesia manentem civitatem, sed quintam futuram inquirit. Inde est quod sacra Scriptura sæpenumero per quadragenarium numerum præsentem vitam, per quinquagenarium futuram significat. Quadraginta enim sonat, quatergeniti, quod congruit viæ, in qua quater generamur. Quinquaginta quinquies geniti, quod congruit patriæ, in qua quinto generabimur.

Sequitur de dilectione Verbi humanati, quæ nihilominus triplex est: est enim diligendus Christus dulciter, sapienter, fortiter. Dulcis est recordatio eorum, quæ pro nobis gessit in carne. Consideremus regem gloriæ molestias parvuli vagientis sustinuisse, vilibus pannis involutum fuisse, fatigatum

(126) Hieron. lib. I *in Jovin.* et *in c.* LVI *Isai*

Digitized by Google

ex itinere resedisse, doctorem veritatis in dictis habuisse contradictores, in factis observatores, in tormentis irrisores ; attendamus filium Virginis illitum sputis, palmatum colaphis, lividum plagis, confixum clavis ; Creatorem cœli et terræ pendentem in cruce, pallidum in morte, deformem in corpore. Horum adeo dulcis est memoria, quod lacrymas elicit, oculos suffundit, vultus humectat. Hæc dulcis Christi dilectio maxime nobis necessaria est in orando, ut cum ante ipsum prostrati jacemus, quasi pedes crucifixi vicissim deosculando amplectamur eos manibus, rigemus fletibus, cruorem tergamus crinibus. Hoc modo tantum diligebat eum Petrus, cum audivit : *Vade retro me, Satana, non enim sapis quæ Dei sunt* (*Matth.* xvi), qui sapientem Dei dispositionem vis impedire. Non enim sufficit quod tenere diligis, quia nondum diligere sapis. Diligendus ergo est Christus sapienter, ut hominem illum intelligamus esse etiam Dei virtutem et sapientiam ; teneamus hominem illum, cum Patre omnia fabricantem, angelos creantem, elementa sociantem, terminos orbis separantem, omnia cum Patre gubernantem, in nullo Patri dissimilem. Tenere hoc, sensus consummatus. Hæc est sapientia, pro qua perdita est sapientia sapientum, et prudentia prudentum reprobata (*I Cor.* i). Hæc est virga Moysis, quæ virgas magorum devoravit (*Exod.* vii), de qua dictum est : *Absorpti sunt juncti petræ judices eorum* (*Psal.* cxl). Hæc sapientia maxime necessaria est nobis in pressuris adversitatum. Si enim considerabimus omnia justo Dei judicio fieri, licet occulto, non murmurabimus in adversis, imo cum B. Job (*Cap.* i) clamabimus : Benedictus Deus. Quia enim sapienter sapientem diligemus, de sapienti ejus dispositione gratulamur. Hoc modo diligebat Petrus, cum ait : *Tu es Christus filius Dei* (*Matth.* xvi). Dulciter diligebat Paulus, cum dicebat : *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* vi). Sapienter, cum C aiebat : *Etsi noverimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus* (*II Cor.* v). Cæterum, quia passus est pro nobis Christus, diligendus est fortiter a nobis, ut potius animam pro eo ponamus, quam confessionem ejus nominis deponamus. Quem modum diligendi, quia Petrus non habuit, cum ad vocem ancillæ negavit, utrumque quem habuerat amisit. Simulaverat quidem se fortiter diligentem, cum dixit : *Animam meam pro te pono* (*Joan.* xiii) ; sed fortis dilectio eclipsin non patitur, flecti nescit, timorem non admittit, sed tandem fortiter diligens perdita restaurat. Hæc dilectio maxime in extremis valet, ut sic diligamus solventem nexus proportionales animæ et corporis, quod placeat nobis, quia solvit, et dicamus : *Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* cxv).

Sequitur de forma religionis Christianæ, quæ nimirum triformis est, quam breviter Apostolus terminat D dicens : *Sobrie, et pie, et juste vivamus in hoc sæculo* (*Tit.* ii). Sobrie in nobis, juste ad proximum, pie ad Deum. His gradibus itur de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion (*Psal.* lxxxiii). Hæc est scala, per quam Jacob vidit angelos ascendentes et descendentes (*Gen.* xxviii). Sic itur ad astra, brevis est scala, non laboriosa, tribus tantum distincta ascensoriis. Etiam quodlibet ascensorium trium est palmarum. Est enim sobrietas, in sumendis, in apponendis, in adjiciendis. Sumenda dicamus cibum et potum, quibus sumptus ruinas ventris naturaliter supplemus. Apponenda vestes, quæ nobis superponimus, ut intemperiem aeris non sentiamus. Adjicienda, domos et utensilia earum cum omni supellectili necessaria, quæ usibus humanis circa nos adjiciuntur. Justitia ad proximum nihilominus in tribus est, quæ Dominus tradidit, dicens : *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, orate pro persequentibus, et calumniantibus* (*Matth.* v) Jus A itaque suum proximo tribuimus, diligendo, benefaciendo, orando. Pietas ad Deum similiter in tribus est, in credendo, timendo, diligendo. Cum enim Deus sit, etiam Dominus est et Pater. Dicat ergo Christianus, *credo in Deum*, timeo Dominum, diligo Patrem, sic enim distinctum est in propheta : *Si Dominus sum, ubi est timor meus ? si Pater, ubi est amor meus ?* (*Mal.* xvi) Rogat de tertio ordine testium, in his dicitur : *Duorum aut trium*, quod in prædictis tacitum est. Hi sunt, ut dictum est, *spiritus, aqua et sanguis* (*I Joan.* v). Sufficiet quidem, si cui testimonium fidei dabit Spiritus sanctus inhabitans, et baptismus, vel spiritus et martyrium, vel etiam solus spiritus, ubi articulus necessitatis aquam exclusit, non contemptus religionis. Ubi autem tres convenerint, consummatum erit testimonium. Sane de secundo ordine testium in honorem trium testium agitur hodie festum Jacobi apostoli, Christophori martyris, Germani confessoB ris. Satagamus ergo sic solemnizare, ut principi testium cedat ad gloriam, glorificatis testibus ad venerationem, nobis venerantibus ad salutem. Timendi sunt testes isti, sed præcipue vobis, quibus loquimur, qui ad pedes S. Germani jugiter excubatis. Timendus est testis tantus. Ipse quidem datus est speculator huic domui et habitantibus in ea. Custos vester est, non dormitat, nec dormit, omnia conservat in corde suo conferens quæ agitis. Putasne, qui in hora silentii confabularis alicui, possis dicere : Nemo me audit? Unicus est, et amicus cui loquor, parietes aures non habent, et non audiunt. Noli errare, S. Germanus non irridetur. Custos tuus audit quæ dicas, et cui dicas, et quo loco, et tempore dicas, et sæpe quo animo dicas. Si forte cibos communes et regulares fastidieris, et præter corporis necessitatem, et loci ac temporis opportunitatem, seratis januis, fenestris clausis mollius debito curabis te, dicens : Nemo me videt, procul est omnis arbiter, noli errare, Germanus te videt. Putas, quod non advertat manus, manus inuncto tactu carnium, ructationes salsamentorum, inter calices scintillationes oculorum? advertit plane, et animadvertit, donec, qui rigorem ordinis sui pervertit, a pervertente se avertit. Sed dices : Fugiam a facie Germani, cellas habemus remotiores et privatas ubi vivere licebit, ut libuerit. Ibi quoque sequetur te oculus Germani, imo honestius ibi vivere te oportet, si sermo tuus circumspectus prius veniat ad limam, quam semel ad linguam, incessus modestus, tenuis victus, mediocris habitus, ut videant homines opera tua bona, et glorificent Patrem tuum, qui est in cœlis, et Germanum tuum, patronum tuum, qui est in terris. Cæterum testes hi secundi ordinis plurimum nobis timendi sunt, quanto detestabiliora publice, quod gravius est, perpetramus. Timendi sunt, ne agatur contra nos ; implorandi, ut propter nos. Magis autem timendus est judex, ne puniat ; implorandus, ut parcat. Imploremus itaque eum singuli, imploremus universi, ut liberet nos ab auditione mala et a verbo aspero (*Psal.* cxi), Jesus Christus Dominus noster, judex noster, in die illa tremenda, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XXV.

IN FESTO EORUMDEM.

(*Exstat inter Sermones Hildeberti Cenomanensis Vide* Patrol. *tom.* CLXXI, *col.* 644, *serm.* 63.)

SERMO XXVI,

IN FESTO S. PETRI AD VINCULA.

(*Vide ibid.*, col. 627, serm. 59.)

SERMO XXVII.

IN FESTO S. PETRI AD VINCULA.

Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis (*Psal.* cxv). Petrus vinculatus ad

Digitized by Google

Herode potuit dicere : *Dirupisti vinculamea*, quando de carcere Herodis eductus est ab angelo, quando ipse dixit : *Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione Judæorum* (*Act.* XII). Idem positus in vaticinio crucis potuit eructare hostiam laudis, hanc scilicet : Gratias tibi ago, Domine, quia hostia tibi fieri merui, et ita ipse potuit dicere : *Tibi sacrificabo hostiam laudis*, et ita cum David tempore suo istud prophetasset, potuit et Petrus spiritu prophetico hoc prædixisse de genere mortis et passionis suæ, subsequenter etiam de gratiarum actione, cum dixit : *Tibi sacrificabo hostiam laudis*. In morte siquidem Petri soluta sunt ejus vincula, physicales scilicet nodi, sive mavis dicere proportionales, quibus ita amicabiliter vinciuntur corpus et anima, ut etiam cum anima inde egreditur, si posset fieri, egredi nollet, sed superindui, sicut dicit Apostolus (*I Cor.* V). Sic ergo versiculus iste psalmi de vinculis Petri potest exponi, et adhuc forte melius; sed quia quibuslibet forte hæc manifesta cognovimus, alia vincula secretiora quæramus. Quanto enim doctrina secretior, tanto jucundior; quanto morosior, tanto gratior. Ergo vinculorum alia sunt vanitatis; alia veritatis. Veritatis alia sunt necessitatis, alia voluntatis, et ita subdivide : Vincula vanitatis sunt generaliter peccata maxime septem principalia vitia, ut avaritia, superbia, etc. Sed quia istorum doctrina non est istius temporis, et forte tanta, quia non potero ad eam, consuetudinem sequens, prout potero, quoniam septenarius est numerus universitatis, sub septenario omnia vanitatis vincula comprehendam. Primum est negligentia, secundum curiositas, tertium cupiditas, quartum experientia, quintum consuetudo, sextum contemptus, septimum malitia. Istis septem victor diabolus hominem vincit. Vide ergo quæ et qualiter circa victum victor exerceat : primo dejicit, secundo distrahit, distractum capit, captum ligat, ligatum incarcerat et incarceratum vexat, vexatum deprimit, et suffocat. Sed est, quando victus homo resurgit, et victorem dejicit, dejectum distrahit, distractum capit, captum ligat, ligatum incarcerat, incarceratum vexat, vexatum deprimit, et suffocat; et sic qui primo tenebatur vinculis, jam solutus est a vinculis. Solutus ergo a vinculis negligentiæ, quam laudem, quam hostiam debet Domino dicere? *Domine, eduxisti pedes meos de lacu miseriæ, et de luto fœcis* (*Psal.* XXXIX). Et iterum : *Eduxisti oculos meos a lacrymis, et pedes meos a lapsu* (*Psal.* CV). Eductus de laqueo curiositatis quid dicet? *Averte oculos meos, ne videant vanitatem; in via tua vivifica me* (*Psal.* CXVIII). Eductus de laqueo cupiditatis quid dicet? *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo* (*Psal.* CXLI). Et cum eductus fuerit de laqueo experientiæ, quid dicet? *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI). Eductus de laqueo contemptus, quid dicet? *Humiliatus sum, et liberavit me* (*Psal.* CXIV). Eductus de laqueo consuetudinis, quid dicet? *Vota mea reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Dei nostri* (*Psal.* XXI). Eductus de laqueo malitiæ (quæ ultimo loco ponitur, sicut sapientia in septimo loco inter dona Spiritus sancti : sapientia a sapore dicta; sicut malitia omnino insipidum reddit hominem) quid dicet? *Domine, eduxisti ab inferno animam meam; salvasti me a descendentibus in lacum* (*Psal.* XXIX). Istis laqueis homo se, vel diabolus hominem illaqueat. Ab his solvit Petrus, cui data est potestas ligandi atque solvendi; quia quæcunque ligaverit super terram, erunt ligata et in cœlis (*Matth.* XVI). Hæc sunt vincula vanitatis. Necessitatis sunt duo, quibus homo in baptismo ligat se; confessione, ut cum quæritur ab eo : *Vis baptizari? volo*. Et cum quæritur : *Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ? Credo*; vel anathematizando, cum dicitur : *Abrenuntias diabolo, et omnibus pompis ejus? Abrenuntio* : ista cuilibet Christiano sunt necessaria. Ista ligat Petrus, id est Ecclesia. Hic sunt; spes, fides, etc. Istis solvitur hic in extremis agens, quia ex tunc fides et spes evacuabitur, et talis solutus quam laudem dicit? generalem in omnibus Christianis necessariam. Scire quid sit Deus in se, quid in angelo, quid in mundo, quid in electo, quid in reprobo. Dicat : In se Deus est *principium et finis* (*Apoc.* XXII); in angelo, dulcedo et sapor; in mundo, admiratio et decor; in electo sustentatio et adjutorium; in reprobo terror et horror. Hæc est hostia Deo placens et generalis. Vincula voluntatis sunt obedientia et professio regularis. Istis se ligat homo volens, regularem loquor : grave siquidem est consueta relinquere. Magnum vero sibi vinculum injicit, qui solebat esse suus liber, et modo se addicit alterius voluntati. Magnum sibi apponit vinculum, qui solebat ire per campos licentiæ confabulando cum sociis, et subdit se modo silentio regulari. Magnum sibi imponit vinculum, qui ad libitum suum solebat interesse comessationibus et poculis, et modo non potest comedere, neque bibere, nisi in horis statutis. Hæc sunt prædicta vincula secreta, de quibus hic diximus, quibus et homo se ligat, et ligatur. Superest ergo, ut quia Petro data est potestas ligandi et solvendi, oremus et nos : Deus, qui B. apostolum Petrum a vinculis absolutum illæsum fecit abire, nostrorum quæsumus absolvat vincula peccatorum, Dominus noster, judex noster, Jesus Christus, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XXVIII.

IN ASSUMPTIONE BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

(*Legitur inter Hildeberti Cenomanensis Opera. Vide* Patr. *t.* CLXXI, *col.* 627, *serm.* 59.)

SERMO XXIX.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

Ibo mihi ad montem myrrhæ, et ad colles Libani, et loquar sponsæ meæ (*Cant.* IV). Sponsus quidam hic loquitur, qui sponsam habet, et spondet se visitaturum illam. Nota ergo quod non semper domi est sponsus iste. Cavet enim forte, ne vilescat amor suus; et quia citius in tædium veniret, si semper præsens esset, ideo aliquando se subtrahit, aliquando ad tempus recedit; ut, dum requiritur absens, strictius teneatur præsens. Et tunc forte aberat, quando hæc dicebat. Sed ne rursus longior mora aliquatenus oblivionem gigneret, redire disponebat, et ait; *Ibo mihi;* secum loquitur quod facturus est, quia ad dicendum dulce est quod dulce est ad faciendum, et nescio quo pacto quod multum cupimus, nunquam loqui fastidimus. *Ibo*, inquit, *mihi* Sibi vadit; quia singularis amor participem secreti non recipit; sibi vadit, quia non vult sodalem itineris, quia non patitur consortem amoris. Sed quæris quis sit iste talis sponsus, quæ sponsa ejus? Sponsus est Deus, sponsa est anima. Tunc autem sponsus domi est, quando per internum gaudium mentem replet. Tunc recedit, quando dulcedinem contemplationis subtrahit. Sed qua similitudine anima sponsa dicitur? ideo sponsa, quia donis gratiarum subarrhata. Ideo sponsa, quia illi casto amore sociata; ideo sponsa, quia prole virtutum fecundata. Nulla est anima, quæ hujus sponsi arrham non acceperit. Sed est quædam arrha communis, quædam specialis. Communis arrha est, quod nati sumus, quod charismata virtutum accepimus, quod sentimus, quod sapimus, quod discernimus. Specialis arrha est quod regenerati sumus, quod remissionem peccatorum consecuti sumus, quod charismata virtutum accepimus : et quod quisque habet, hoc cuique arrha est. Arrha est diviti divitiæ suæ, quibus fovetur, ne eum molestia paupertatis frangat; arrha est pauperi paupertas sua, qua castigatur, ne abundans per incontinen-

Digitized by Google

tiam defluat; arrha est forti fortitudo sua, qua roboratur, ut ad bonum opus convalescat; arrha est debili debilitas sua, qua stringitur, ne malum perficiat; arrha est sapienti sapientia sua, qua illuminatur, ut proficiat; arrha est insipienti simplicitas sua, qua humiliatur, ne superbiat : et omnino quidquid in hac vita humana fragilitas tolerat, hoc pius Conditor, quantum in sua bonitate est, vel ad correctionem pravitatis vel ad perfectum virtutis dispensat. Ideo in omnibus gratias agere debemus, ut dum ubique misericordiam ejus agnoscimus, semper in ejus amore proficiamus.

Ibo, inquit, *mihi ad montem myrrhæ*, etc. Myrrha quæ amara est ad gustandum, et corpora mortuorum a putredine servat, significat mortificationem carnis. Libanus, quod interpretatur *decandidatio*, significat munditiam cordis. Hæc ergo est via, per quam sponsus ad sponsam venit. Mons myrrhæ et colles Libani, quia primum per abstinentiam concupiscentiam carnis occidit, deinde per munditiam cordis ignorantiam mentis abstergit, postremo quasi tertio die ad colloquium sponsæ veniens desiderio suo animam occidit. Ideo convenienter dixit : *Mons myrrhæ*, non collis myrrhæ; *et colles Libani*, non montes Libani, quia in afflictionem debemus esse constantes, et in successu virtutum humiles. Altitudo enim montis eminentiam significat magnanimitatis et mediocritatis, collis temperantiam humilitatis. Item, quod montem singulari numero posuit, et colles plurali, significat quod in mortificatione exterioris delectationis parum est, quod perdimus, et in illuminatione mentis intrinsecus multiplex est bonum, quod invenimus. In monte myrrhæ accipimus fortitudinem contra carnis concupiscentiam, in collibus Libani accipimus illuminationem mentis contra ignorantiam; in colloquiis sponsi, accipimus charitatem contra malevolentiam, et cordis obdurationem. Potentia ad Patrem, sapientia ad Filium, charitas ad Spiritum sanctum pertinet. Hoc est quod dicitur, peccare in Patrem, peccare in Filium, peccare in Spiritum sanctum. Quando enim ex fragilitate peccamus, peccamus in Patrem, quasi contra potentiam; quando vero ex ignorantia peccamus, peccamus in Filium, quasi contra sapientiam; quando vero ex malevolentia peccamus, peccamus in Spiritum sanctum, quasi contra dilectionem, et ideo peccare in Patrem, sive in Filium hic, sive in futuro remittitur (*Matth.* XII); quia, qui ex fragilitate vel ignorantia peccat, sicut aliquam excusationem habet in culpa, ita aliquam remissionem debet habere in pœna, sive in hoc sæculo, si pœnituerit, ut facilius consequatur indulgentiam; sive in futuro sæculo, si in malo perseveravit, ut tolerabiliorem sentiat pœnam. Qui vero ex malitia peccant, eorum delictum nullam habet excusationem, et ideo pœna eorum remissionem habere non debet, quia, si pœnituerint in hoc sæculo, plena satisfactione mulctandi sint : si vero non pœnituerint, plena damnatione in futuro sæculo puniendi : et ideo hi tales, nec hic, nec in futuro sæculo remissionem accipiunt, non quia pœnitentibus venia denegetur, sed quia pleno peccato plena retributio debeatur.

Loquar, inquit, *sponsæ meæ*. Duobus modis loquitur Deus ad animam, aliter item ad fornicariam, aliter ad sponsam; aliter ad fœdam, aliter ad pulchram; aliter ad peccatricem, aliter ad justificatam : illius fœditatem increpat; hujus pulchritudinem laudat; illam increpando timore concutit, istam laudando ad amorem accendit. Illi loquitur, quando maculas suas ei ostendit, isti loquitur, quando dona quæ contulit, ei ad memoriam reducit; illius tenebras illuminat, ut agnoscat quid sit, et defleat quod fecit; istam affectu dulcedinis internæ tangit, ut recolat quid acceperit, et non obliviscatur eum qui dedit. *Loquar*, inquit, *sponsæ meæ*. Si ergo sponsus sum, si ad sponsam locutus sum; scitote, quod præter mortem nil loqui possum. Postquam igitur hæc secum dixerat sponsus, continuo iter arripuit, veniensque et videns sponsam, mox quasi ejus specie in admirationem ductus, in hæc verba prorupit : *Tota speciosa es, proxima mea*, etc. (*Cant.* IV). Vel cum præcedenti hoc conjungitur : *Loquar sponsæ meæ;* sic scilicet, *Tota speciosa es, proxima mea;* sed illud gratius accipitur : *Tota speciosa es, proxima mea.* Omnis anima vel aversa est a Deo, vel conversa ad Deum. Aversa autem, alia remota, alia remotissima. Conversa autem, alia propinqua, alia proxima. Quæ remota est, turpis jam est : item quæ propinqua est, speciosa est, sed adhuc non tota, Quæ proxima est, tota speciosa est, *Tota speciosa es proxima, et macula non est in te* (*ibid.*). Totus speciosus est, cui nihil deest pulchritudinis; totus speciosus est, cui nihil inest turpitudinis. Ego totus speciosus sum, quia omne quod pulchrum est, in me est. Tu *tota speciosa es*, quia nihil quod turpe est, in te est. *Macula non est in te.* Veni ad Libanum sponsa. Hactenus qua via sponsus ad sponsam venerit; quid veniens ad ipsam dixerit, audivimus. Deinceps sponsa ad sponsum, qua via venire debeat, audiamus : *Veni*, inquit, *ad Libanum.* Invitat eam, et vocat; quia non ideo ad illam venit, ut cum illa permaneret, sed ut illam ad se traheret. *Veni ad Libanum, veni, ad Libanum venies.* Bis invitando dicit. *Veni;* tertio affirmando, subjungit : *Venies.* Sed quid est hæc affirmatio, nisi congratulatio, qua bono proposito nostro congaudet; ac si diceret : Obedientiam laudo, propositum video, devotionem non ignoro; voco, et respondes: invito et operata es, ergo venies. Sed quare bis dicit, *veni?* ut qui extra se est, primum ad se redeat, qui in se est supra se ascendat. Primum in nobis est, et prævaricatores ad cor redire monet. Deinde supra nos est, ut justificatos ad se invitet. *Veni*, inquit, *veni*, veni deforis intus ad te; veni de intus, intrinsecus super te ad me. *Veni ad Libanum, sponsa*, veni ad Libanum; *veni de Libano, veni ad Libanum, veni de Libano* (*ibid.*), decandidato; ad Libanum, non decandidatum, sed candidum. Veni de corde mundato ad mundatorem cordium, non mundatum, sed mundum. Non pervenis ad me, si remanes in te; ascende super te, et invenies me. Venies ad me, et transibis ad montem Seir, vel Sanir, Seir interpretatur, *hispidus*, vel *pilosus*. Sanir *nocturna avis*, vel *fetor*. Et est Seir idem qui Edom, id est Esau. Esau et Jacob duo erant fratres (*Gen.* XXV). Esau prior natus, sed a post nato Jacob supplantatus. Esau venator, et studiis agrestibus deditus fuerat. Jacob vir simplex domi habitabat. Quid autem hi duo fratres, nisi duos motus, qui in homine sunt, designant, hoc est concupiscentiam carnis et spiritus. Scimus autem quod dicit apostolus, *non prius quod spirituale* (*I Cor.* XV), sed quod carnale est, prius est : hoc est Esau prius nascitur. Cum vero spiritus concupiscentia roboratur, concupiscentia carnis marcescit : hoc est Esau a post genito Jacob supplantatur. Item concupiscentia carnis quasi Esau venator foris pascitur, concupiscentia vero spiritus, quasi Jacob vir simplex intus delectatur. Est ergo Seir pilosus carnis motus turpis et indecorus; et bene pilosus, quia sic pilus in carne radicem figit, sed excrescendo carnem excedit, ita carnis motus de necessitate oritur, sed excrescendo in voluntatem usque profluit. Et quemadmodum pilus præcidi potest sine dolore, sic appetitus carnis, quantum ad superfluitatem pertinet, quasi extra sensum carnis sine detrimento præciditur, sed quantum ad necessitatem spectat, quasi intra carnem non sine detrimento exstirpatur. Ecce diximus quid sit Seir, nunc quid sit mons Seir videamus. Habet enim Seir iste montem, habet et vallem; et ut plus dicam, habet montem, habet campum, habet vallem; sed in valle debilis, in campo est fortis, in monte insuperabilis. Seir in monte est appetitus carnis in necessitate. Seir in

Digitized by Google

valle, est appetitus carnis in voluptate. Quando ad vivendum tantum caro sustentamentum accipit, Seir in monte est; quando vero ad robur nutrimentum quærit, Seir in campo est. Quando autem ad lasciviendum delicias poscit, Seir in valle est. Quare ergo in monte insuperabilis est? quia sustentamentum carnis in hac adhuc carne degentibus necessarium est. Quare in campo fortis? quia et robur carnis aliquando profectibus animæ utile est. Quare in valle debilis? quia voluptas carnis semper superflua est. In valle prohibetur, in campo conceditur, in monte remuneratur; in valle servit, in campo pugnat, in monte regnat; in valle est luxuria, in campo temperantia, in monte parcimonia. In valle, adjuvante gratia, facile calcatur; in campo cum difficultate vincitur, in monte ne superari valeat, ipse ei quotidianus noster defectus vires jugiter subministrat. Qui superflua resecat, Seir in valle conculcat; qui vero etiam de necessariis aliquid minuit, Seir in campo vincit, qui autem ad sustentamentum tantum naturæ necessaria tribuit, quasi Seir in monte exactori obsequium reddit. Sciendum tamen quod Seir iste ibi sine difficultate vincitur, ubi periculosissime dominatur; ibi vero prorsus insuperabilis est, ubi sine periculo tolerari potest. Si vero legatur Sanir, quod interpretatur *nocturna avis*, vel *fetor*, ad eumdem carnalem motum congrue referri potest. Qui vel ideo nocturnus dicitur, quia occultus venit, dum specie necessitatis irrepit voluptatis illecebra, vel quia per delectationem carnis nascitur excæcatio mentis. Nocturna ergo avis est occultus et improvisus motus carnis. Quare vero concupiscentia carnis fetor dicatur, hoc jam expositione non indiget.

Et Hermon (*Cant.* IV). Hermon interpretatur *anathema ejus;* cujus ejus, nisi ipsius anathematis? Primum ergo quærendum est quid sit anathema; deinde, quid sit anathema anathematis, adjungendum. Anathema, hoc est separatio; anathema anathematis, separatio separationis. Et fortasse, si separatum esse, malum sit; tamen separatum esse a separato bonum erit. Quis autem melius potest dici anathema, quam apostata angelus, qui se primum per superbiam a societate illius supernæ civitatis separavit, et ex merito prævaricationis suæ, dum capitis membrum esse noluit, ab unitate corporis illius præcisus caput iniquorum omnium factus est? Constat autem quod omnis homo secundum primam generationem, qua in peccato concipitur, cum peccato nascitur, hujus capitis membrum est, et ad illius societatem pertinet. Sed quisquis per sacramenta fidei regeneratus membrum Christi efficitur, ab unitate hujus corporis separatur. Quis est ergo anathema, nisi diabolus et membra ejus? et qui sunt anathema anathematis, nisi hi, qui separati a corpore diaboli facti sunt membrum Christi? Quid significet Hermon jam diximus; nunc quid significet mons Hermon videamus. Nam, quemadmodum supra de Seir dictum est, ita et nunc de Hermon dici potest: quod videlicet alii sint mons Hermon, alii vallis Hermon. Vallis Hermon dici possunt, qui per fidem quidem a diabolo jam separati sunt, sed adhuc per vitam carnalem in infimis desideriis prostrati jacent. Campus Hermon sunt hi fideles, qui medium quemdam statum tenentes, nec per voluptatem carnis in imo depressi sunt, neque per spiritualem conversationem ad superna erigi possunt. Mons vero Hermon sunt hi, qui non solum per fidem a diabolo sunt separati, sed etiam per eminentiam virtutis, et per constantiam mentis contra diabolum sunt erecti: et hi profecto sunt, quibus antiquus hostis magis invidet; quos non solum a se divisos, sed etiam contra se erectos videt. Hi sunt ergo, quos jugiter persequendo opprimere nititur, quos et a se recessisse, et stare contra se conspicatur. Isti ergo tanto graviores tribulationes sæpe sustinent, quanto magis communem omnium hostem sibi singulariter infensum habent. Nihil ergo melius per montem Seir quam parcimoniam, nihil melius per montem Hermon quam patientiam sanctorum accipimus.

Sequitur deinde: *A cubilibus leonum* (*ibid.*) Quid per cubilia leonum, nisi ut ita dicam, sopita crudelitas intelligitur? Et quid est sopita crudelitas, nisi carnis voluptas? quæ improvidos quosque nunc quidem delectat per experientiam prius, post vero cruciat per conscientiam, deinde per pœnam. Attende quomodo nunc in delectatione carnalis voluptatis dormit crudelitas venturæ damnationis. *Favus*, inquit Salomon, *distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus, novissima autem ejus amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps* (*Prov.* V). Et rursum: *Quis est parvulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est: Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior. Et ignoravit quod gigantes ibi sint, et in profundis inferni convivæ ejus.* (*Prov.* IX). Et Dominus ad B. Job de antiquo hoste loquens, ait: *Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus* (*Job* XL). In illis enim mentibus diabolus pausat, quæ intus a calore divini amoris frigidæ, foris nunc influxa carnalium voluptatum delectatione gaudent, et quæ subinde amaritudo secutura sit, non prævident. Cubilia ergo leonum sunt blandimenta carnalium voluptatum, quæ nunc quidem mollia videntur per experientiam, post vero crudelia sentientur per pœnam. Nunc siquidem leo cubat et dormit, quia mentibus carnalium nunc per delectationem peccati diabolus blandum se simulans, nondum qualis futurus sit ostendit. Sed tunc evigilare incipiet, quando eos, quos illicitis nunc delectationibus seducens spontaneos tenet in culpa, post aperte sæviens invitos trahet ad tormenta.

Sequitur: *A montibus leopardorum* (*Cant.* IV). Leopardus a leone et pardo procreatur. Leo crudelis est, leopardus maculosus. Si ergo leo propter crudelitatem dæmones, pardus propter varietatem congrue hæreticos designat qui, quia unitatem fidei diversis et perversis dogmatibus scindunt, quasi quibusdam maculis corpus infectum gerunt. Qui sunt ergo leopardi nisi superbi amatores hujus sæculi, quos primum diabolus per doctrinam hæreticorum ad perfidiam generat, ac deinde per hujus mundi amorem ad vitia inflammat? Montes leopardorum divitiæ sunt et pompæ hujus sæculi, in quibus perversi se extollunt, et electorum viam tanto acrius insectantur, quanto eos in hoc sæculo abjectos et humiles aspiciunt. Bene ergo dicitur ad sponsam: *Venies, et transibis ad montem Seir et Hermon, a cubilibus leonum, a montibus leopardorum.* Quasi diceretur, transibis ad montem Seir, a cubilibus leonum, transibis ad montem Hermon, a montibus leopardorum. Sed quid est de cubilibus leonum ad montem Seir, nisi de incontinentia ad castitatem, de voluptate ad parcimoniam? Et quid est de montibus leopardorum ad montem Hermon, nisi de superbia ad humilitatem, de crudelitate ad patientiam? Et nota quod dixit, *de cubilibus*, non, de cubili; *de montibus*, non de monte; et *ad montem*, non ad montes. De cubilibus ergo ad montem, de multis ad unum progredimur, quia, quanto magis mundum fugiendo Deo appropinquare incipimus, tanto magis in unum congregamur, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui veniet judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XXX.

IN FESTO S. AUGUSTINI.

Ad regulares.

Melior est canis vivus leone mortuo (*Eccle.* IX). Litteræ superficies arida quidem et exsanguis videtur, sed *puteus altus est* (*Joan.* IV). Eruderemus ipsum, et fortasse inveniemus aquam vivam et suavem ad bibendum. Ecclesiastes sapientissimus

Digitized by Google

hominum temperavit nobis grande ferculum in vase brevi, pretiosum in fictili, cibum grandem et cibum grandævum. Sub metaphora enim canis vivi et leonis mortui, contulit, et prætulit Christianum simplicem, humilem et abjectum in domo Dei sui, Judæo de justitia legis glorianti, et philosopho gentium, de sapientia mundi superbienti. Ille enim ex fide sua vivit (*Habac* II); isti tanquam mortui dormiunt in sepulcris, quorum non est adhuc memor Dominus (*Psal.* LXXXVII). Verumtamen non est de eis desperandum; quia qui dormit, adjicere potest, ut resurgat, surgere ut vivat. Unde Apostolus : *Surge, qui dormis, exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V). Sicut enim justus in præsenti vivit vita mortali, postmodum victurus vita vitali, sic impius in præsenti morte mortali, in futuro moriturus morte vitali. Prædicta itaque metaphora usus est Salomon in commendationem fidelium. Verumtamen possumus et nos uti eisdem verbis transsumptive, et verbum notum reddere novum, et verba Salomonis facere nostra, et ex eis nostrum et novum formare intellectum ad commendationem P. Augustini. Fortassis est aliquis commendans P. Augustinum, dicens eum fuisse philosophum, inter summos nominatum; commendat in eo torrentem eloquii Tullianum, admiratur in eo quod anhelantibus verbis Demosthenis suos rebus novit maritare sermones, et omnem philosophorum peritiam in eo fuisse protestatur. Ad quem respondere possumus. Frater modicum est, vel in quo commendas P. Augustinum. Sane dum esset philosophus, facundus erat, sed infecundus doctor, sed indoctus leo, sed mortuus. Sed per Dei misericordiam factus est de leone mortuo canis vivus, de doctore erroris doctor veritatis, custos Dominici gregis, de eo qui fuerat inimicus et impugnator fidei, factus est defensor Christi, secundum illud : *Domine, lingua canum tuorum ex inimicis* (*Psal.* LXVII); et sic elucet, quia *melior canis vivus leone mortuo*. A mortuo enim, quasi non sit, perit confessio juxta illud : *Non mortui laudabunt te, Domine* (*Psal.* CXIII). Et ne ignoremus, de quo genere leonis fuerit Augustinus, adjectiva dictione determinatum est, cum dicitur *mortuus*.

Quatuor enim genera leonum leguntur in sacra Scriptura; est enim leo Deus, et est leo Dei, qui Hebraice dicitur Ariel; est leo Zabulus, et est leo Zabuli. Primus est leo vita; secundus leo vivus; tertius leo mors; quartus leo mortuus. Primus stat in specula, secundus gradiitur in via, tertius jacet in spelunca, quartus fremit in platea. De primo legitur : *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* V), qui stat in specula, sedens ad dextram Patris, et prospicit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum; de quo legitur in Isaia, quod cum vidisset speculator *ascensorem cameli*, subditur : *et clamavit leo. Ego sto super speculam Domini jugiter per diem et noctem* (*Isa.* XXI). Leo vivus proprie dicitur martyr, qui non timet quid faciat sibi homo. De quo Salomon : Tria sunt quæ bene gradiuntur, et quartum, incedit feliciter. *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius parebit occursum*, (*Prov.* XXX). Hic est martyr, qui pedem suum tingit in sanguine ut tandem volet super pennas ventorum. Leo Zabulus latet in spelunca; insidiatur, ut rapiat bene gradientes, et dividat prædam catulis suis, de quo Petrus : *Leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* V). Leo mortuus fremit in platea, terret et atterit eos, qui latam terunt viam, quæ ducit ad mortem; de quo Salomon : *Dicit piger : Leo fortis est, in medio platearum occidendus sum* (*Prov.* XXVIII). Hic intelligi potest princeps impius, secundum illud : *Leo fremiens princeps impius super pauperem populum* (*Prov.* XXVIII). Sed verius intelligitur philosophus, qui comparatur regi animalium, quia præibat erudiendo animalem populum, docens cum non solum inutilia et nocua, sed etiam quid esset summum bonum in vita, sed vario et non vero modo. Summum enim bonum in vita dixit Epicurus voluptatem corporis, Stoicus contemptum mortis, Peripateticus virtutem mentis : quod secus est a veritate. Summum enim bonum in vita est gratia Dei per Jesum Christum. Unde Apostolus : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum* (*Rom.* VII). Talis leo fuit P. Augustinus, sed sapientia mundi inflatus, sapientia carnis distractus, quarum utraque est inimica Deo. Erat enim leo mortuus; per sapientiam mundi sapere, desipere est; per sapientiam carnis sapere, insanire est, unde Dominus : *Perdam sapientium sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*I Cor.* I). Postmodum, ut diximus, factus est de leone mortuo canis vivus. Quam sit utilis vigil custodia canum *in Philippica* Demosthenis legitur (127) : « Philippus Macedo obsederat Athenas : dumque colloquerentur de pace, dixit legatis Atheniensium : *Date mihi ex vobis decem oratores, quos elegero, et recedam, eroque vobis fœderatus in perpetuum.* » Et respondit Demosthenes : *Non damus.* Lupi enim et pastores jurgium habebant, et colloquentibus dixerunt lupi : *Sola causa et seminarium odii inter nos sunt canes vestri. Date nobis canes.* Et circumventa simplicitas pastorum dedit eis canes. Tunc lupi audacter greges sine custode invaserunt, et sævierunt in eos ad libitum suum. » Porro in sacra Scriptura, canis et tetris, et aureis litteris scribitur, id est et in bono, et in malo accipitur. Adeo enim, et in lege canis detestabilis est, quod qui primogenitum canis redimit, occidi mandatur. Quatuor vero in cane commmendantur : latratus utilis, lingua medicinalis, sagacitas mirabilis (quia solo tractu aeris longe positas sentit venationes), et fidelitas commendabilis, quia Dominum suum per pervia et invia mortis sequitur, et obsequitur usque ad mortem. Hæc omnia in Patre Augustino, qui libros ejus diligenter inspexerit, indubitanter cognoscet. Quasi latrans contra hæreticos et falsos fratres disputavit. Quasi medicans verba vitæ æternæ habuit, quod est salubre antidotum contra molestias sæculi et animi languores; cujus experimentum non est fallax. Nam et, quid esset Deus, quantum humana fragilitas capere potest, scripto nobis insinuavit, docens quid est Deus in se ipso, quid in mundo, quid in angelo, quid in electo, quid in reprobo. In se ipso est alpha et omega, in mundo creator et rector, in angelo decor et sapor, in electo liberator et adjutor, in reprobo terror et horror. Quasi sagax; quid, cui, quando et quomodo diceret, diligenter consideravit. Quasi fidelis in eloquio suo nihil opinionis adulterinæ interseruit : totum pisticum fuit et fidele, probatum terræ, purgatum septuplum; ita ut de eo non solum vere, sed admirative possit dici : *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore* (*Matth.* XXIV); ecce quanta sit utilitas canis suscitati de leone mortuo. Sed hæc quidem est generalis omnium; fuit autem et altera ipsius utilitas specialis in eruditione Canonicorum Regularium. Ipse enim vitam canonicam restauravit, non instauravit; ipsa enim est vita apostolorum et pauperum post mortem Salvatoris in Jerusalem communiter viventium : multitudinis quorum erat cor unum et anima *una*, qui pretia rerum suarum ponebant ad pedes apostolorum, nihil proprium reservantes (*Act.* IV). Cujus vitæ canonicæ caput instituerunt apostoli in tribus; in communi substantia, in communi obedientia, in communi dilectione superna. Hanc sopitam per intervalla

(127) Plutarch, in *Vita Demosth.*

Digitized by Google

temporum suscitavit P. Augustinus non solum verbo, sed etiam exaravit scripto; quædam superaddens ad venustatem ordinis, vel potius ad stercorationem ficulneæ sterilis, ne succidatur et in ignem mittatur : videlicet, de sobrietate ciborum, de modicitate vestium, de custodia labiorum, de temporibus jejuniorum, de distinctionibus orationum, et alia in hunc modum. Porro hæc particularis utilitas inventa est in leone mortuo, sed aliter mortuo, quam prius, id est occiso ut viveret. Juxta quem modum dicit Dominus : *Ego sic occidam, et sic vivere faciam* (*Deut.* xxxiii). Juxta quod dictum est Petro : *Macta et manduca* (*Act.* x). Hic enim leo occisus a Samsone, in cujus ore inventus est favus mellis (*Jud.* xiv). Samson enim noster gener Thamnathæi confregit eum sicut hædum caprarum, id est sicut peccatorem et filium peccatorum. Sine peccator assimilatur hædo in tribus. Hædus enim animal est olidum, petulcum, hispidum. Fetor peccantis est in consuetudine, petulantia, et instabilitate, asperitas in vermis corrosione. De fetore legitur ibi : *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos. Moti sunt velut ebrii* (*Psal.* cvi). De asperitate ibi : *Terra tua spinas et tribulos germinabit tibi* (*Gen.* iii). In ore hujus leonis occisi inventus est favus mellis (*Jud.* xiv), id est dulcisona ordinatio disciplinæ regularis. Sicut enim in uno corpore favi plures comprehenduntur cellulæ mellis fluentes, ita in eodem loco plures viri canonice Deo militantes, in uno, videlicet, loco orationis, in uno loco refectionis, in uno loco dormitionis, in uno loco correctionis. Hujus vitæ dulcedinem admiratur Propheta, dicens : *Ecce quam bonum, et quam jucundum est habitare fratres in unum* (*Psal.* cxxxii). Verumtamen de favo mellis minutius persequi libet. Tria commendantur in melle. Est enim dulce, nec est dulcedo sicut dulcedo mellis : est mundificativum, est descendens. Contra enim naturam aliorum liquorum, quod grossum est in eo, et fæculentum superenatat? quod liquidius descendit ad ima. Secundum hunc modum tria sunt, quæ canonicis regularibus Pater Augustinus præstitit : mediocritas, castitas, humilitas : mediocritas confertur dulcedini, castitas mundificationi, humilitas descensui. Dulcedinem mediocritatis attendens philosophus, auream mediocritatem appellavit. Etenim

Fas est et ab hoste doceri.
[Horat. od. 10, lib. II.]

Martialis quoque de dulcedine vitæ mediocris ad filium Martialem scribens, ait :

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundissime Martialis, hæc sunt :
. . . . . *toga rara,* . . . . . .
Convictus facilis, sine arte mensa.
Quod sis, esse velis.

[Martial. *Epigram.* lib. x, ep. 47.]

Verum dulcedinem mediocritatis altius exprimere possumus. Tria sunt, quæ comitantur mediocritatem : sufficientia, tranquillitas, securitas. Sufficiens est, quia non inhiat quærendis, nec incubat quæsitis, non se cruciat pro amissis. Tranquilla est, quia non exsanguinatur curis, non distrahitur negotiis, non laceratur opprobriis. Secura est, quia non timet calumnias proximorum, non insidias latronum, non impetus hostium. Sequitur de munditia corporis, de qua scriptum est : *Laramini, mundi estote* (*Isa.* i), quam Dominus sanctificationem vocat, dicens Moysi : *Descende, et sanctifica populum hodie, et cras* (*Exod.* xix) Sed et David vasa puerorum munda esse dixit, quoniam continuerant ab heri et nudiustertius (*I Reg.* xxi). Porro tria sunt, quæ munditiam castitatis roborant et servant. Si quis jugiter recolat dissolutionem corporis, examen judicis, cruciatum pœnæ gehennalis. De primo legitur : *Fili, memorare novissima tua, et non peccabis in æternum* (*I Reg.* xxi). Pro secundo orat Propheta : *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui* (*Psal.* cxviii). Tertium insinuat ibi : *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus* (*Psal.* lix). Tertio loco superest humilitas, quæ plurimum necessaria est viro Regulari, qui pauper Christum pauperem sequi prælegit. *Quid superbis, terra et cinis?* (*Eccl.* x.) Satan superbivit in cœlo, claustralis in sterquilinio. Tolerabilior in divite superbia, quam in paupere. Vera humilitas est injuriam non posse facere, et factam posse tolerare. Et cum omnia fecerimus, dicamus : *Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus* (*Luc.* xvii). (128) De commendatione humilitatis legetur in hunc modum. Hæc est primogenita filia summi regis, sal et condimentum reliquarum virtutum, dulce vehiculum compeditis, qui injecerunt pedes suos in compedes sapientiæ. Porro tria sunt, quæ radicatam nutriunt humilitatem; assiduitas subjectionis : *Beatus enim qui portaverit jugum ab adolescentia sua* (*Thren.* iii); consideratio propriæ fragilitatis; comparatio viri melioris, ut scilicet, semper consideret homo, quid sibi absit, et quid aliis adest. Ecce quam dives paterfamilias est Pater Augustinus, qui convivis ad mensam suam copiosissimas apposuit duas missiones, alteram doctrinæ salutaris, alteram disciplinæ Regularis; alteram Theologis, alteram canonicis; alteram quasi partem piscis assi, id est sequelam Christi passi, alteram quasi favum mellis, quo characterizavit Canonicos a planta pedis usque ad verticem. Verumtamen qui hic edunt, adhuc esurient; qui hic bibunt, adhuc sitient; et *beati qui esuriunt, quoniam saturabuntur* (*Matth.* v), cum torrente voluptatis suæ satiabit eos Dominus. Quocirca oremus singuli, oremus universi, ut de mensa patris nostri Augustini trahat nos ad mensam Patris sui Jesus Christus Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XXXI.

IN EODEM FESTO S. AUGUSTINI.

Fili, mel invenisti, comede quod sufficit, ne forte satiatus evomas illud (*Prov.* xxv). Salomon in proverbiis moralem nobis tradidit eruditionem satis diligenter et sufficienter. Quod diligenter, elucet, cum auditorem suum tanquam filium proposuit erudiendum; diligenter autem pater erudit filium, quia patris est gloria filius eruditus. Unde : *Interroga patrem tuum, et dicet tibi; majores tuos, et annuntiabunt tibi* (*Deut.* xxxii). Quod autem sufficienter, patet, quia multipliciter erudivit filium, aliquando nescientem aliquando jam alios erudire sufficientem. Nescientem, ut ibi : *Vade piger, ad formicam, et considera vias ejus, et disce sapientiam* (*Prov.* vi), et alibi : *Beatus homo, qui invenit sapientiam, et affluit prudentia* (*Prov.* iii). Et jam scientem, ibi : *Fili, mel invenisti, comede quod sufficit*, etc. Alios erudire scientem, ibi : *Deriventur fontes tui foras, et aquas tuas in plateis divide* (*Prov.* v). Et in visione Samuelis : *Fili, aperi os tuum muto, et causis omnium transeuntium* (*Prov.* xxxi). In prætaxata vero parabola, de moderato edulio mellis inventi moraliter nos instruit ad moderatas inquisitiones sacræ Scripturæ, ut aliquid residuum sit in ea, quod igne comburatur; ne supra vires conantes ardua, deficiamus scrutantes in scrutinio. Verumtamen præter moralem, sub eadem parabola latet sensus mysticus, tanquam duo nuclei sub eodem cortice commanentes. Fecit enim nobis rex Salomon grande ferculum in vase brevi pretiosum, in fictili apponens non solum moralem sensum, tanquam cibum parvum et cibum parvulorum, sed et mysticum tanquam cibum grandem et cibum

(128) Basil. in *Hexaem.*

Digitized by Google

grandium. Sane moralis simplex est, mysticus vero multiplex. Trisyrtica enim in eo est admonitio : prima est generalis, secunda singularis, tertia specialis ; prima enim fit ad generalem justum, secunda ad Patrem Augustinum, tertia ad Regularem canonicum. Primo enim Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis admonet generalem Ecclesiam, tanquam Filium unicum, quam diligit anima sua, in hunc modum : *Mel invenisti*, tanquam per antithesin ad eum loquens : Fili, dum per ea, quæ facta sunt, a creatura mundi Deum cognovisti, nec sicut Deum glorificasti, imo potius serviisti creaturæ, quam Creatori (*Rom.* I), et gloriam incorruptibilis Dei convertisti in similitudinem hominum, volucrum, quadrupedum, atque serpentum, fel invenisti, fel draconum insanabile (*Job* XX), comedisti uvam fellis et botrum amarissimum. Sed apposito forti et salubri antidoto per manum mediatoris fel evomuisti; cum autem cognovisti me, et quem misi Jesum Christum, et consubstantialem nobis Spiritum, esse unum, et solum, et verum Deum, *mel invenisti*, id est fidem et cultum unius et trini Dei. Nec indecenter, fili, fidem catholicam mel voco, ratione similitudinis. Mel enim mundificativum est, et de fide legitur : *Fide mundans corda eorum* (*Act.* XV), et alibi. *Mundati per fidem in Spiritu sancto.*

Sed attende, fili, quod sequitur : *Comede quod sufficit tibi*, hoc est comede tantum, et non bibe. Sunt enim qui sinceritatem aliis liquoribus admistis adulterant, nec mel comedunt, sed liquorem mellitum bibunt. (129) Quidam enim aquam miscent melli in potum hydromelis. alii acetum in potum oxymelis. Ebionitæ dogmatizantes fidem non sufficere ad salutem, legales observantias fidei miscuerunt tanquam melli. Noli errare, fili ; siccata est aqua Mara, quam filii Israel bibere non poterant præ amaritudine (*Exod.* XV). Mutata est in vinum aqua sex hydriarum (*Joan.* II), quæ positæ erant secundum purificationem Judæorum. Illi vero acetum melli miscent, qui cum fide ritus gentilium et superstitiones observant. Sunt enim qui sequuntur augurio et conjecturas somniorum, et sortium divinationes. Sunt, qui observant dies, menses, et annos, omina rerum gerendarum ex eis aucupantes. Lunam quintam operibus inchoandis tanquam infaustam fugiunt, septimam vel decimam tanquam faustam sequuntur. Sunt alii qui magis superstitiose, quam religiose spem incolumitatis suæ ponunt in ablutionibus quorumdam fontium, in incisionibus arborum, in alligationibus pittaciorum. Detestare, fili, putus mellis noxios, *et comede mel* sincerum, *quod sufficit tibi* ad salutem, *ne forte evomas illud*, id est ne forte, quod sumpsisti ad mundificationem, cedat tibi ad pollutionem : vomitus enim vomentem inquinat. Quod si tu evomueris illud, *incipiam et ego te evomere de ore meo* (*Apoc.* III).

Sequitur secunda admonitio, in qua mater Ecclesia loquitur ad unum de filiis, qui cum pridem in sapientia mundi gloriaretur, factus est in ea insipiens, ut sapiens esset apud Deum : puta ad beatum Augustinum. Prætereo admonitionem matris ejus secundum carnem, quæ propter incomparabilem, et tanquam unicam dilectionem in filium Monica non indecenter appellata est : quæ diu noctuque satagebat, ut filium de philosopho redderet catholicum. Quæ muliebriter non expavit longos tractus aeris, terræ et maris, sed ubique filium est secuta, vivis exhortationibus prosecuta, donec id quod intendebat est consecuta. Prætereo, inquam, exhortationem matris, de qua natus est per naturam filius iræ : venio ad exhortationem, de qua renatus est per gratiam filius vitæ, quæ sic exorsa est : *Fili, mel invenisti.* Sed quoniam Augustinus inter augustos doctores circa inquisitionem fuit augustior, etiam patienter audiamus ejus inquisitionem. Respondet ergo matri in hunc modum : Quid est, mater, quod mecum agis de mellis commendatione ? Legi et relegi in sacra Scriptura magis infamiam mellis, quam commendationem. Per Moysen Dominus prohibuit offerri sibi mel et fermentum (*Lev.* II). Sacerdoti quidem hæc quandoque offerebantur, sed Domino nunquam. Jonathas propter edulium mellis fere subiit damnationem mortis (*I Reg.* XIV). Salomon quoque ait : *Mel distillant labia meretricis* (*Prov.* V). « Judæi quoque circumdantes Jesum sicut apes, favum mellis dicuntur habuisse in ore, et aculeum in dorso. » Ad quem mater : « Fili, argute dixisti ; est enim mel detestabile et est mel commendatione dignum. » Nomen enim mellis tetris et aureis litteris scribitur in sacro eloquio. Porro unicum est mel, quod tibi proposui commendare ; mel, scilicet, de petra, quod in summo beneficio datum populo Dei legitur : ibi, *ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo* (*Deut.* XXXII). Ut autem distinguere scias mel a melle, considera diversa genera mellis in rerum natura, quia præter mel silvestre, quod ex arundinibus colligitur, quo forte usus est præcursor Salvatoris (*Matth.* III), quatuor sunt genera mellis (130). Invenitur enim mel super faciem agri in foliis vel herbis : invenitur mel in truncis arborum, de quo primitivi homines, qui glandibus et fagina vescebantur, tenuem sibi victum quæritabant. Colligitur mel de casulis fabrefactis, quas alvearia dicunt, quas pastor Aristeus excogitavit ad colligendum examen apum, cum ex putrefacto juvenci cadavere apes reparasset. Reperitur quoque mel in foramine petræ. Secundum hæc quatuor genera mellis, quatuor scientiarum genera collige. Prima enim est philologia, quam philosophus vocat theoricam ; secunda, quam dicit practicam ; tertia, quam appellat sophisticam ; quartam ignoravit philosophus, quam nos dicimus evangelicam. Prima est tanquam mel sub facie agri, quia causas naturales, quas Deus in rebus conditis occultaverat, in eminenti posuerunt philosophi, ut et ipsi eminerent, secundum illud : *Linguam nostram magnificavimus* (*Psal.* XI). Practica est, tanquam in truncis, quia necessitatibus hominum necessaria esse dignoscitur. Sophistica est tanquam mel latens in casulis ; est enim appetens, et non existens. Ad quam mulier audax et fatua provocat, aquas transeuntes furtivas et suaviores, et panem absconditum jucundiorem esse protestans (*Prov.* IX). Evangelica est quasi mel de petra : agens, scilicet de petra, super quam fundata est Ecclesia (*Matth.* XVI). Circa primam versatur philosophus, circa secundam politicus, circa tertiam hæreticus, circa quartam catholicus. Prima agit de secretis naturæ, secunda de negotiorum gestione, tertia de morte animæ, quarta de æterna beatitudine. Prima ergo est quasi mel inflativum, secunda mel pungitivum, tertia mel exstinctivum, quarta mel nutritivum. Prima enim inflat, secundum illud : *Scientia sine charitate inflat* (*I Cor.* VIII) ; secunda cruciat, juxta illud : *Humanæ felicitatis dulcedo multis amaritudinibus respersa est* ; tertia necat, unde legitur : *Melior est canis vivus leone mortuo* (*Eccl.* IX) ; quarta vivificat, tanquam fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam, unde ait Petrus : *Domine, ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes* (*Joan.* VI). Vides ergo, fili, tres prædictas habere superficiem scientiæ, non medullam, imaginem non veritatem ; quartam vero esse veram sapientiam. Cum enim nomen sapientiæ denominetur a duobus, a sapiendo scilicet, et sciendo : hæc sola vere sapientia est, quæ facit ut sapias, et ut sapientia vitæ æternæ habeas, de qua dicitur : *In malevolam animam non*

(129) Tertull., *De præscript.*, c. 48. Aug., *De hæres.*

(130) Just., l. III. Virg., *Georg.*, l. IV.

Digitized by Google

Introibit sapientia (*Sap.* I). id est sapida scientia. Errasti ; fili, sciolum te putabas, cum dividebas theoricam per intellectilem, per intelligibilem, per rationalem : hoc est, per Theologiam, per philologiam, per physiologiam : per eam scilicet, quæ agit de Deo, per eam quæ de spiritibus, per eam quæ de corporibus : te prudentem existimabas, cum separabas practicam per privatam, per domesticam, per politicam. Admirabaris, fili, torrentem eloquii Tulliani, ventilatas exhortationes Isocratis, anhelantia verba Demosthenis, qui res gerendas vivis sermonibus animabant. Laborasti super complexiones Aristotelis festinatas, quas adeo breves edidit, ac si non edidisset. In his omnibus facunda quidem est sapientia, sed infecunda. Non enim spiritus et vita sunt, de quibus dixit Dominus per prophetam : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (*Isa.* XXIX ; *I Cor.* I). Nunc tandem, *fili, mel invenisti*, id est cognitionem de utraque natura Christi, nosti mysterium nostræ redemptionis occultatum a sæculis ; tenes Ecclesiæ sacramenta, tanquam malagmata vulnerum nostrorum et alligaturas, in certa spe beatitudinis jucundaris. »

Ad quam Augustinus : « Quid est, mater, quod a consueta similitudine recessisti ? Evangelium melli comparans et non argento ? De eo enim legitur : *Eloquia Domini casta, argentum igne examinatum*, etc. (*Psal.* XI). » Ad quem mater : « Nova quidem, fili, est similitudo, sed exquisita. In melle enim contra naturam aliorum liquorum, quod fæculentum et spissum est superenatat ; quod autem liquidius ad ima descendit. Considera id ipsum in operibus Christi, quæ evangelica narrat historia. Fecit Deus prodigia et signa magna in populo. Lucida quædam et formosa coram hominibus operatus est, inferiora tamen fuerunt opere ipsius finali, et quasi fæculento. Extremum opus ejus, et tanquam fæculentum dico, sputa, flagella, alapas, mortem turpissimam, mortem latronum. Hoc tamen eminentius fuit cæteris. Majus enim fuit per mortem nos a morte liberare, quam mortuos suscitare. Hoc opere de morte et diabolo triumphavit. Propter hoc datum ei nomen, quod est super omne nomen ; data est ei potestas in cœlo, et in terra ; et in mari (*Phil.* II). Sed attende, fili, quod sequitur. *Comede quod sufficit tibi.* Non enim amoveo potum quasi per taciturnitatem, sed est sensus : Quandoque bibe, quandoque comede illud. Ipse quoque Christus ad potum nos invitavit, dicens : *Qui sitit, veniat ad me et bibat* (*Joan.* VII), et in propheta : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (*Isa.* XII). Evangelica ergo doctrina, ubi facilis est, potui assimilatur ; si quid autem difficile quasi corpulentius inveneris, comede, mastica, divide, id est pie et diligenter considera quid, de quo dicas, quid propter quid, et secundum quid dicas, ne forte evomas illud, sed potius eructes. Evomunt, fili, qui male sentiunt ; eructant, qui conservis cibaria dividunt in tempore opportuno. Sed attende quod eructatio saporem rei comestæ secum trahit ; et tu, fili, cum de fide disputaveris, profanas fuge novitates verborum, et rebus, de quibus agis, cognatos et authenticos attribue sermones. »

Sequitur tertia admonitio, secundum quam loquitur Pater Augustinus ad canonicum Regularem, cui et tradidit vitæ regularis instituta et in chartulis exaravit, non quidem principium vitæ communis (hæc enim fuit apostolorum traditio, et ejus multitudinis, quorum erat cor unum et anima una in Deo) (*Act.* III) cui Pater Augustinus quasdam superaddidit supererogationes de mediocritate vivendi et munditia. Ait ergo Augustinus ad canonicum : *Fili, mel invenisti*, dum eras in sæculo aculeis sollicitudinum torquebaris, quia secundum Ecclesiasten in omnibus negotiis, quæ fiunt sub sole, non est nisi labor et afflictio spiritus ; tu autem elongasti fugiens, et manes in solitudine (*Psal.* LIV), in otio contemplationis et paradiso claustrali. *Mel invenisti*, id est vitæ mediocritatem, quam auream (131) philosophus appellavit. Character enim ordinis tui est, mediocritas in victu, vestitu, habitu, incessu, tonsura, in psallendo, et hujusmodi. Superfluitas talium sæpe parit intemperantiam : nimia austeritas quandoque parit impatientiam, quandoque occultam superbiam. Tu autem attende dulcedinem mediocritatis in tribus : sufficiens est, tranquilla est, secura est. Sufficiens est, quia non inhiat quærendis, non incubat quæsitis, nec cruciatur amissis ; tranquilla, quia non exsanguinatur curis, non distrahitur negotiis, non maceratur opprobriis ; secura, quia non timet calumnias proximorum, non insidias latronum, nec impetus hostium. Hanc dulcedinem mediocritatis comede et non bibas, id est non extenues soliditatem, neque emollias ordinis rigorem ; ut tanquam privilegiatus velis edere lautius, bibere sapidius, cubare mollius, loqui licentius, vigilare parcius, orare tenuius. Comede autem mel inventum in hunc modum ; obedias sine disceptatione, vivas in communi sine singularitate, lege cum modestia et simplicitate, ora cum fiducia et devotione. Postremo nihil dispenses de ordine sine recompensatione, aut cogente necessitate. Accepisti triplicis mellis comestionem, comedat quisque mel sibi destinatum ; comedat Christianus mel fidei ; credat Deum trinum et unum, manducabit. Comedat litteratus mel evangelicæ eruditionis ; quid de quo dicat, quid propter quid, et quid secundum quid, pie et diligenter attendat. Comedat canonicus Regularis mel mediocritatis, ne super ascendens rumpatur et ruat, vel ima petens dissolvatur et pereat. Comedamus ergo singuli, comedamus universi donec ad manducandum panem super mensam Dei trahat nos obviam in aer Jesus Christus Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

(131) Horat., od. 10, lib. II.

SERMO XXXII.

IN EODEM FESTO S. AUGUSTINI.

Ad claustrales.

Tolle filium tuum Isaac, quem diligis, et offer illum mihi super unum montium, quem dixero tibi. (*Gen.* XXII). Series historiæ simpliciter intellecta plurimum ædificat filios obedientiæ, et virtutis. Sicut enim obediendum est libenter, sic et hilariter, sic et velociter. Obedientia sine mora placet Deo : non placet autem Deo morosa et disceptatrix obedientia, quæ, si quid præcipitur, disputando quærit quare, quamobrem præcipiatur. Hujus obedientiæ exquisitum proponitur nobis exemplum Abraham pater noster : sicut enim vere dicitur senex, fidelis, prima credendi via ; sic, et non minus verè dici potest, senex, fidelis prima obediendi via. Præcepit enim Dominus ut immolaret filium, sed quem filium ? audi, et obstupesce, filium magnæ promissionis. Dictum enim erat ei : *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen.* XXII) : et erit semen tuum sicut stellæ cœli, et sicut arena, quæ est in littore maris, filium extremæ senectutis (*Gen.* XXII). Centenarius enim genuerat eum de anu sterili, filium propriæ uxoris. Nam de Agar ancilla sagittarium susceperat Ismaelem : filium mirabiliter promissum, mirabilius susceptum, religiose educatum. Inter hæc tamen non contradixit Abraham, sed nec murmuravit, sed nec hæsitavit, sed nec vultum dolentis exhibuit, imo tanquam exuens patrem pia crudelitate in filium se armavit, ut obediret. Attendat hic filius obedientiæ, tu qui votum obedientiæ, et professionem fecisti : *vade et tu fac similiter : hoc fac et vi-*

Digitized by Google

ves (*Luc.* x). Eris enim semen Abrahæ. *Abrahæ autem et semini ejus factæ sunt promissiones* (*Gal.* III). Verumtamen nescio quid majus murmurat, quid affectuosius susurrat vox ista in auribus nostris. Licet enim tanto tempore facta sint hæc ante nos, scripta tamen sunt propter nos, quæ sunt per allegoriam dicta. Discutiamus ergo folia vineæ, ut inveniamus fructum supernaturalis intelligentiæ, tanquam sub cortice nucleum, tanquam sub palea granum, tanquam sub terra thesaurum. Verum ut hodiernæ solemnitati satisfaciamus, consideremus utrum ea quæ sunt de patre nostro Abraham, inclinare possimus ad patrem nostrum Augustinum. Tentemus super hoc aliquid dicere dono Dei, quod et Deo cedat ad gloriam, et Patri Augustino ad venerationem, et nobis venerantibus ad salutem. Secundum Hebræos Abraham sub tribus temporibus tria sortitus est nomina. Primo dictus est Ram, secundum illud : Eliu filius Barachel Buzites de cognatione Ram (*Job* XXXII), quod sonat *excelsum*, dum adhuc esset in Chaldæa, in terra et cognatione sua, in domo patris sui (*Gen.* XII). Postea ascendens in terram Chanaan ad Dei vocationem dictus est Abram, quod interpretatur, *pater excelsus*. Tandem in die circumcisionis suæ, quando characterizavit eum Dominus, dictus est Abraham (*Gen.* XVII) hoc est *pater multarum*, et *gentium* subauditur. Attende hæc eadem in Patre Augustino. Primo fuit excelsus, philosophus erat inter magnos nominatus, liberalium artium sagacissimus indagator. Excelsus, inquam, erat, celsitudine tumoris, non charitatis; celsitudine scientiæ, quæ inflat, non quæ ædificat. Cedrus erat odorifera, foliis abundans, sed non habens fructum esibilem. Excelsus erat secundum illud : *Vidi impium exaltatum, et elevatum sicut cedros Libani* (*Psal.* XXXVI). Sed accessit ad eum prædicatio Salvatoris, vox Domini confringentis cedros, et comminuit Dominus cedrum Libani, et factus est dilectus tanquam vitulus Libani (*Psal.* XXVIII), id est hostia viva, sancta, Deo placens, factus est enim Christianus, et tandem pontifex Hipponensis, et sic demum dictus est Abram, id est, *pater excelsus*. Pontifices enim sacri, sicut dicuntur pastores gregis, ita et Patres plebis pro cura et sollicitudine paterna, tunc de cedro comminuta factus est oliva fructifera in domo Domini. Præsules enim olivæ comparantur propter vim triplicem olei, oleum enim illuminat, pascit, fessa fovet membra. Sic et præsules illuminant nos verbo, pascunt exemplo, fovent egentes temporali beneficio. Pater autem Augustinus posteriorum oblitus in anteriora se extendit. Apposuit enim non solum animum, sed et manum ad expositionem sacræ Scripturæ, ut turrim Davidicam mille voluminibus, tanquam mille clypeis pendentibus ex ea muniret, vel potius munitam declararet. Ordinavit etiam Regulam clericorum canonice degentium, lineam canonicæ mediocritatis extendens, ut sapiens architectus, juxta quam communiter viverent apostolicam vitam agentes, ut sit eis cor unum et anima una in clerum, et nullus proprium habens inter eos (*Act.* IV). In his duobus factus est Abraham, id est *pater multarum gentium*. Ab ortu enim et occasu, ab aquilone et austro viget ejus expositio, viget ejus regularis institutio, et tunc demum factus est tanquam vitis abundans in lateribus domus Dei. Duo latera sunt, legentes et orantes, id est theologi scholares et canonici regulares. Theologis dedit abundanter doctrinam, canonicis disciplinam. Illis propinavit vinum pungitivum, vinum fervoris; istis vero miscuit vinum soporiferum, vinum quietis. De doctrina quidem ejus sub silentio transimus, quoniam de re manifesta supervacuum est multiplicare sermones. De regulari vero disciplina breviter aliquid prosequamur. Revertamur autem ad historiam præ- A taxatam, qua insinuat nobis circa Regularem disciplinam, ortum et progressum, et exitum. Dictum est enim à domino Patre Augustino, regulariter vivere volenti, et etiam cuicunque volenti canonicari.

Tolle filium tuum, etc. Quasi dicat ei Dominus : Fili, vis canonicari? Ergo *tolle filium tuum quem diligis Isaac*. Isaac interpretatur *risus* : hæc est propria hominis voluntas; in cujus exsecutione plurimum exsultat et delectatur homo. Hæc primo offerenda est Deo, ut non sibi vivat homo, nec sibi quidpiam velit; sed Domino offerenda est, super unum montium, quem monstraverit Dominus. *Verbo Domimini cœli*, id est libri, *firmati sunt* (*Psal.* XXXII), in quibus multa genera montium monstravit nobis Dominus, sed de quatuor loqui tantum sufficiat. *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (*I Tim.* II) mons dicitur secundum illud : *Erit in novissimis diebus mons domus Domini super verticem* B *montium* (*Isa.* II); de quo Psalmographus : *Mons Dei mons coagulatus, mons pinguis* (*Psal.* LXVII); et dicatur a nobis mons hujusmodi Ecclesia; quæ quoque dicitur mons Sion, secundum illud : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* (*Psal.* II). Porro de monte *Hermon descendit ros in montem Sion, sicut unguentum de capite in barbam barbam Aaron, et usque in oram vestimenti ejus* (*Psal.* CXXXII). *Omnes enim de plenitudine ejus accepimus* (*Joan.* I). Apostoli quoque dicuntur montes, ut ibi : *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (*Psal.* LXXXVI). Et hi dicuntur coagulati, juxta illud : *Utquid suspicamini montes coagulatos?* (*Psal.* LXVII.) Virtutes etiam montes dicuntur, sed excelsi; ut ibi : *Montes excelsi cervis* (*Psal.* CIII). Porro secundum Matthæum Christus sedens super montem Thabor sermonem fecit ad discipulos enumerans octo virtutes, quas beatitudines nominavit (*Matth.* V). Quocirca audi rem stupendam. Mons Hermon sedens super montem Thabor, ut muniret montem C Sion. Loquebatur montibus coagulatis, agens de montibus excelsis. Super unum horum montium excelsorum, id est primum, videlicet paupertatem spiritus offerenda est voluntas canonicari volentis. Unum quippe plerumque pro primo ponitur, ut ibi : *Una Sabbati* (*Joan.* XX), id est prima Sabbati. Et cum dicitur luna, id est luminum una, id est prima. Hæc est paupertas voluntatis, super quam radicatur firmiter disciplina religionis. Hæc est ramus aridus, super quem sedit turtur electæ castitatis (132). Quantum enim impedimentum, quam grave dispendium inferat religioni superfluitas et opum abundantia potius legimus in libro experientiæ, quam possumus verbo declarare. Nam et Sodomorum peccatum legitur fuisse abundantia panis et superbia vitæ (*Ezech.* XVI). Vermis enim divitiarum est superbia, et comes individuus luxuria; quibus evitatur religio, mutatur color optimus, dispergun- D tur lapides sanctuarii. Sane ex collatione aliarum paupertatum commendatio paupertatis voluntariæ plenius elucet. Sunt enim quinque genera paupertatum : Paupertas infelicitatis, paupertas cupiditatis, paupertas superfluitatis, paupertas calliditatis, paupertas voluntatis. Primam habet mendicus, secundam avarus, tertiam prodigus, quartam paries dealbatus, quintam vir compeditus. Prima est flagellum, secunda venenum, tertia ventilabrum, quarta umbraculum, quinta ædificium. Prima est misera, quia cruciat; secunda est noxia, quia necat; tertia ventosa, quia inflat; quarta est dolosa, quia dissimulat; quinta est gloriosa, quia coronat (133). Nec mirum, si Christianus amator sobrietatis paupertatem spiritus commendat, cum Epicurus præceptor voluptatis commendaverit eam, dicens : « Felix paupertas læta. » Nec tamen paupertas est, si læta est. Super hanc itaque propriam voluntatem homo

(132) Varro, l. IV, *De ling. lat.*

(133) Seneca, epist. 2.

Digitized by Google

devotus offert quod præcipue sit in voto et professione obediendi. Et hæc de ortu regularis disciplinæ sufficiant.

Sequitur de progressu. Stravit Abraham asinum, duos pueros secum ducens : Isaac portabat ligna, Abraham vero ignem et gladium. Ligatus est Isaac, sed pro immolatione arietis solutus (*Gen.* XII). Asinus est caro nostra, cui debetur virga et onus, et pabulum : hic in itinere regendus est et castigandus, ne impinguatus, incrassatus, dilatatus recalcitret, et inobediens fiat, sicut dicit Apostolus : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte reprobus efficiar.* (*I Cor.* IX). Duo pueri ad nutum Abrahæ obsequentes, quinque sunt sensus corporis ; quos tamen duos diximus, quoniam cuique sensuum ad executionem sensus proprii duo instrumenta membrorum mancipata sunt. Hoc ergo agit Abraham in canonico regulari, ne cor luxuriet, ne mors per fenestras sensuum ingrediatur ad animam. Portat Isaac ligna arida, quæ sunt supervacaneæ cogitationes, quæ revocant ad mentem bona præterita ; mala vero instantia statuunt ante faciem cogitantis. Redit sæpius in mentem affectio cognatorum, coævorum congratulatio, varia supellex utensilium. Recordatur temporis illius, in quo dicebat animæ suæ : *Anima, habes multa bona in annos plurimos ; quiesce, comede, bibe, epulare* (*Luc.* XII). Recolit temporis illius, quando licuit ei quod libuit, quando liber suus fuit. Cogitat etiam de malis instantibus ; tenetur enim relinquere consueta, congredi cum natura, aggredi gravia, exspectare graviora. Hæ sunt mordaces curæ, quæ non cessant succurrere, et cribrare sanctum viri propositum. Inter has vir sanctus coquitur, donec ad solidum excoquatur. Hæ sunt *muscæ morientes*, quæ *perdunt suavitatem unguenti* (*Eccl.* X). Hæc sunt volatilia, quæ abigit Abraham portans ignem et gladium (*Gen.* XV) ; Porro gladius est aliqua regularis occupatio, lectionis, orationis, meditationis, vel alicujus operis regularis. Quasi dicat Abraham : Fili, semper aliquid operare : ne te mordaces curæ otiosum inveniant.

Otia si tollas, pereunt arentia ligna
Quæ tecum tollis ;

nec tamen sufficit gladius, nisi addatur ignis Spiritus sancti. *Deus enim noster ignis consumens est* (*Deut.* IV). Ligna, fenum, stipulam incinerat, virtutes purgat, de talium exustione elegantem significationem nobis tradidit quidam Patrum (134), qui cum plures a charis accepisset epistolas, nullas tamen legit, sed collectas in unum projecit in ignem, ac si diceret : Ite in ignem chartulæ nugaces, fallaces epistolæ, et ad evertendum propositum plurimum efficaces ; comburam vos, ne comburar a vobis. Præterea ligatur Isaac : septem enim sunt laquei obedientiæ, quos Pater benedictus plenius exaravit quorum silentium nobis imposuit sermonis prolixitas. Alias quoque ligatur Isaac : licuit ei loqui, posuit silentii custodiam ori suo ; licuit deambulare, injecit pedes suos in compedes sapientiæ ; licuit epulari, in chamo et freno constrinxit maxillas oris sui ; licuit dormire, media nocte surgit ad confitendum Domino ; et ut breviter concludam, licuit ei quod libuit, nunc non licet, nec quod alii libet. Solvitur tamen Isaac, et solutus deambulat, si tamen aries immoletur. Porro aries est viscosa et rebellis consuetudo antiquæ conversationis et pravæ ; quæ murum mentis stabilem ictibus arietinis labefactare conatur ; sed et novitatem vitæ reddit insuavem ; ut puta si comederis uvam acerbam, dentes obstupescunt : dum stupor manet, panis tibi est insuavis, stupore sublato, sentis cibi suavitatem. In hunc modum, si immoletur in te consuetudo vitæ sæcularis, disciplinæ regularis sentis suavitatem : placet tibi sobrietas salutis ? placet tranquillitas mentis, placet munditia corporis, placet securitas mortis, et certa exspectatio salutis. Solvitur itaque Isaac noster et deambulat. Statuit enim Dominus in loco spatioso pedes ejus ; nam si forte ad exteriora trahatur occasionaliter, grave videtur ei jugum et importabile. Hæc de progressu sufficiant. Porro exitus regularis disciplinæ idem est, qui et vitæ. Nam et Christus non nisi mortuus depositus est de cruce. Exit autem, cum spiritus humanus solvitur de carcere corporis ejus, cum solvuntur vincula, et nodi physicales : quibus ab origine caro spiritui fœderatur. Et redit Isaac ad matrem suam Bersabee. *Sursum est Jerusalem, libera mater nostra* (*Gal.* IV). Bersabee quidem interpretatur *puteus satietatis*, vel *puteus septimus*, vel *puteus juramenti* quæ concurrunt. Hæc est enim satietas æternæ beatitudinis, de qua scriptum est : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI), et, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, in qua per gratiam septiformis Spiritus Christus diligentes se configurabit corpori claritatis suæ, quam *juravit Dominus, et non pœnitebit eum* (*Psal.* CIX), daturum se nobis. Ibi judicabit Isaac nationes et regnabit in æternum. Has ergo habentes promissiones, charissimi, *viriliter agite et confortetur cor vestrum* (*Psal.* XXX), et sustinete Dominum. Cum autem dederit nobis judicii sedem, det et nobis vobiscum refrigerii sedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem Jesus Christus Dominus noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XXXIII

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Ad claustrales.

Nolite considerare quis ego sum, qui loquor vobis, aut vos qui estis, quibus loquor. Ego tanquam pulvis, quem projiciet ventus a facie terræ contemptibilis (*Psal.* I), et sic sermo contemnendus. *Vos estis cives sanctorum et domestici Dei* (*Ephes.* II), qui sapitis quæ Dei sunt, non quæ super terram (*Matth.* XVI). Nolite, inquam, ne forte quilibet vestrum tacitus mihi respondeat : Non est opus medicus bene habentibus. *Medice, cura teipsum* (*Luc.* IV). Sed mementote, tam me qui loquor, quam vos qui auditis, homines esse, et quod verbum Domini est quod auditis per os meum. Attendite ergo, non quis dicam, imo cujus verba dicam. Verba sunt viri nobilis et urbanæ eloquentiæ, Isaiæ scilicet, dicentis : *In die illa faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ* (*Isa.* XXV). Ad litteram prophetia est de collectione sanctorum, quæ fiet in die judicii, in die extremæ ventilationis ; quando, scilicet, plenus dierum habens ventilabrum in manu sua ventilabit aream suam, ut recondat grana in horrea, paleas vero comburat igne inextinguibili (*Matth.* III) ; quando separabuntur oves ab hædis, non tantum merito, verum et loco. Hora vero, illa dies consuevit dici in sacra Scriptura ad differentiam dierum, qui modo aguntur : si enim proprie velimus loqui, dies isti non minus noctes quam dies dici possunt ; quia æque interpolata vicissitudine dierum et noctium circumvolvuntur ; sed tunc sol et luna stabunt immobiles alter in oriente, alter in occidente, et erit continuus dies in regno, sicut tenebræ interminabiles in inferno. *In illa* inquam, *die faciet Dominus convivium hoc*, id est per angelos messores colligentur sancti ab oriente et occidente, ut recumbant cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno Patris, et quasi comedant super mensam ejus (*Matth.* VIII). Ibi enim, sicut lætantium omnium habitatio erit, ibi sonus confessionis quasi

(134) Cassian., lib. V *Instit.*, c. 32.

Digitized by Google

sonus epulantis (*Psal.* XLI), et secundum hoc adhuc exspectatur implendum. Exponitur tamen aliter, tanquam in pletum de mensa Dominici corporis, de pane benedictionis, qui factus est pro nobis in cruce pretium, in peregrinatione viaticum, in patria futurum est præmium. Fecit ergo nobis *Dominus convivium pinguium medullatorum*. Ponitur plurale pro singulari : convivium, scilicet, vituli saginati, quem occidit pater pro salute filii, qui mortuus fuit et revixit, qui salvum recepit illum (*Luc.* XV). Hic est agnus, qui occisus est ab origine mundi, sed oblatus in fine temporum, occisus in lacte matris suæ (*Apoc.* XIII). Et quia sub duabus speciebus sumitur in altari, additum est : *Vindemiæ defæcatæ*, ut pinguia referamus ad esum carnis, vindemiam ad potum sanguinis. Esca hæc salutaris defæcata dicitur; cætera enim hominum caro concepta est in iniquitate : caro vero Christi nec peccatum contraxit, nec ipse in ea peccavit. Potest etiam tertio modo exponi : trisyrticum enim potest esse illud propheticum quia nec incongrue ad præsentis diei solemnitatem trahi potest. Sane in die ista facit Dominus convivium : hic secundum Isaiæ vaticinium dies accipitur tempus plenitudinis, tempus gratiæ et veritatis. Ante adventum quidem Salvatoris, genus humanum duplici tenebrarum obscuritate involvebatur, tenebris, scilicet, ignorantiæ, et tenebris peccati. Ignorabat enim homo Creatorem suum, ignorabat se ipsum, ignorabat natale solum. Et quid obscuritate hac obscurius? Præterea multa nesciebat, cum essent, esse peccata; pauca putabat esse gravia, vel pœna digna; nulla credebat a Deo esse punienda. Et quid hac nocte nocivius? Venit autem Dei Filius, et revelavit abscondita. Venit lux vera, et illuminavit omnem hominem (*Joan.* I); venit sol justitiæ (*Mal.* IV), et illuxit nobis. *Populus* enim gentium, *qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam* (*Isa.* IX; *Matth.* IV). Merito ergo tempus hoc dies dicitur ab illuminatione. A dian enim, quod est *claritas*, dies denominatur. De hoc tempore dixit Propheta : *Hæc est dies, quam fecit Dominus*, etc. (*Psal.* CXVII). Hoc *tempus*, cum dixisset Apostolus *acceptabile*, quasi exponens subintulit : *Ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI). In hoc itaque die fecit Dominus convivium in monte hoc, id est in Ecclesia hac; demonstrative enim ad præsentem refertur hoc Ecclesiam, in qua adhuc gemimus subjecti vanitati.

Duæ enim sunt partes Ecclesiæ : militans, et triumphans, et utraque mons dicitur in sacra Scriptura. Militans mons dicitur propter celsitudinem vitæ; triumphans propter eminentiam gloriæ. De hac dicit Propheta : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* (*Psal.* XIV.) id est in Ecclesia militanti; et post hoc, imo et propter hoc, *quis requiescet in monte sancto tuo?* (*ibid.*) : id est in triumphante. Militans vero mons dicitur, ibi : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus* (*Psal.* II). De hoc profecto monte loquitur, in quo et prædicavit, et sic de militanti tantum loquitur Ecclesia, quia in eo tantum prædicavit. In hoc itaque monte fecit Dominus in die ista *convivium pinguium*, id est memoriam Omnium Sanctorum; licet enim legatur hoc constituisse Bonifacius IV papa (135), cum a Phoca Cæsare sibi dari Pantheon impetravit; tamen a Domino factum est istud, et est mirabile in diebus nostris. Nunquid enim ex ore Altissimi progrediuntur et bona et mala? si non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit (*Amos.* III), liquet quod nec bonum, quod Dominus non faciat. Sane sancti *pinguium* nomine non vocantur; sed additur, *medullatorum*. Est enim quædam pinguedo detestanda : est quædam commendanda, id est exterior et interior pinguedo. Et est exterior, quando *a fructu frumenti, vini et olei sui* multiplicatur (*Psal* IV), homo confidit in multitudine divitiarum suarum (*Psal.* XLIV), cum *promptuaria ejus plena, eructantia ex hoc in illud* (*Psal.* VI), non sinunt eum ponere Deum adjutorem suum, sed ventrem deum sibi faciunt, et spem ponit brachii sui in carne baculo innixus arundineo, qui non solum dejicit innitentem, sed et perforat manum tenentis. De his dictum est : *Prodiit ex adipe iniquitas eorum* (*Psal.* LXXII) : hanc pinguedinem maledixit Dominus in vaccis pinguibus Samariæ (*Amos.* IV); pro hac *dilectus impinguatus, dilatatus, incrassatus recalcitravit* (*Deut.* XXXII). De talibus conqueritur Christus, dicens : *Tauri pingues obsederunt me* (*Psal.* XXI). Est autem interior pinguedo desideranda, cum scilicet, charitas per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris (*Rom.* V), et impinguatur in oleo caput mentis nostræ. Hanc optabat, qui dixit : *Sicut ex adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII). De hac legislator spiritualiter intellexit, cum diceret : *Omnis adeps Domini erit jure perpetuo in cunctis generationibus vestris* (*Lev.* III). Secundum hanc paterfamilias evangelicus dixit (*Matth.* XXII), altilia sua occisa, quam altilia, quæ, supple, alendo impinguant. Sancti ergo pingues sunt medullati, id est interiori pinguedine pleni, quoniam distribuit Spiritus singulis prout vult (*I Cor.* XII). Sed quia sancti adhuc militant sub sole, quorum nondum memoriam solemnizans celebrat Ecclesia, ideo additur, *vindemia*.

(136) Vindemia quippe dicuntur uvæ, non tantum, cum sunt in vite, sed cum colliguntur a vite : est enim vindemia quasi uva a vite dempta. Talium ergo sanctorum hodie celebratur memoria, qui jam a corporibus suis tanquam e carcere evolarunt, a statu præsentis Ecclesiæ, quasi a vite dempti. Incongruum autem forte videtur quod dicimus. Christus enim vitis est, ut ipse testatur : *Ego sum vitis, vos palmites* (*Joan.* XV). Sancti itaque decedentes, cum, scilicet, transeunt de morte ad vitam, de mundo ad Patrem, nunquid tunc subtrahuntur a Christo? Absit! imo tunc tanto verius quanto beatius sunt cum Christo. Quodam vero modo desinunt esse cum Christo. Christus enim et vitis dicitur et vita : vitis in via per fidem, quasi via vitæ; vita in patria per speciem. Desinunt ergo esse in Christo vitæ, et verius sunt in Christo vita, id est jam non habent fidem et spem, sed speciem et rem; desinunt credere, et incipiunt vivere. Verumtamen adhuc sunt electi quidam in purgatorio, quidam forte usque ad judicium, quidam brevius, quidam diutius purgandi. Sed non talium est præsens solemnitas, et ideo additur, *defæcatæ*. Qui ergo vindemiati sunt ab Ecclesia præsenti, nihil feni, ligni, stipulæ (*I Cor.* III), id est nihil cremabile contraxerunt. Hi, inquam, hodierna solemnitate a fidelibus honorantur. Non autem cursim prætereundum puto, cur adeo frequenter plenitudinem æternæ beatitudinis, convivium, prandium, cœnam, nuptias Scriptura sacra nominare consuevit : quod non tantum propter jucunditatem et plenitudinem gaudii reor esse dictum, sed translative differentias lætantium voluit insinuare. Sicut enim convivæ per triclinia separantur, et in diversis recumbunt cœnaculis, ita et in domo Patrisfamilias magni multæ mansiones sunt beatorum (*Joan.* XIV). Quod non tantum verbo significavit ejus Filius, imo etiam opere intimavit, cum in refectione de septem panibus miraculosa fecit homines discumbere; alios centenos, alios quinquagenos (*Marc.* VI) : *differt enim stella a stella in claritate* (*I Cor.* XV). Has differentias hodie beatorum commemorans Ecclesia, sub septenario eos inclusit, a septiformi, scilicet, Spiritu edocta. Primo enim tam in legendo quam in psallendo memoriam agit

(135) Beda, *De gestis Angl.*, l. II, cap. 4; P. Diac., *De gestis Longob.*, l. IV, cap. 11; Anast. in *Chron.*

(136) Varro, l. IV *Ling. lat.*

Digitized by Google

Beatæ Virginis, secundo angelorum, tertio Patrum Veteris Testamenti, quarto apostolorum, quinto martyrum, sexto confessorum, septimo virginum. Ad hunc modum in illa feriali oratione, in qua sanctorum omnium postulat suffragium, eadem utitur distinctione, dicens : *Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercessio nos sanctæ Dei genitricis, semperque Virginis Mariæ*, etc. Hic est ordo convivii pinguium.

(137) Nota tamen convivium proprie hic dici, non a convivando sed a convivendo. Est ergo hic ordo conviventium per simile dispositus ad modum convivantium. *In regno enim Dei nec nubent, nec nubentur* (*Matth.* XXII), nec comedent, nec bibent, halentes corpora spiritualia, et ita non indigentia alimoniis, sed quæ vere vivent, quia beate vivent. Præsumptuosum forte videbitur, quod Ecclesia dum adhuc est in terris, sic audet distinguere modos beatitudinis, quos *nondum oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis* ascenderunt (*I Cor.* II). Sed mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, Ecclesiæ institutor et rector has differentias, et verbo docuit, et per Levi, quem de telonio assumpserat (*Luc.* V), scriptum reliquit. In principio enim sermonis habiti in monte, dum septem beatitudines cum retributionibus suis ordinavit, ordinem præfatæ distinctionis, si dissimulare non volumus, nobis tradidit. Primum enim locum dedit humilibus, secundum mitibus, tertium lugentibus, quartum esurientibus justitiam, quintum (ut liceat hic ordinem mutare) mundis corde, (tamen et in Græco sic dicuntur ordinari), sextum misericordibus, septimum pacificis (*Matth.* V). Idem est ordo prædictus, sed diversis annotatur verbis. Humiles, qui primo ponuntur, sunt Christus homo, et B. Virgo, qui super cæteros, et præ cæteris perfruitione fruuntur Deitatis Tanta sane fuit humilitas Salvatoris, ut quasi videretur respondere ipsius majestati; quia sicut erat Filii Dei incomprehensibilis majestas, ita fuit in hominis Filio inæstimabilis humilitas. Cum enim esset in sinu Patris, inclinavit cœlos et descendit, *formam servi accipiens* (*Phil.* I), de paupercula virgine pauperior natus, satiatus opprobriis, morte latronum condemnatus, et cum obiisset, lanceatus. Paupertatis etiam suæ ipse testis est. *Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet* (*Matth.* VIII), et ita sicut ipse docuit, recumbens in novissimo loco, meruit audire a Patre : *Amice, ascende superius* (*Luc.* XI). Propter etiam humilitatem excellentem in eodem dicitur cœnaculo recumbere B. Virgo. Cum enim esset de semine regio, et audisset ab angelo : *Ave, gratia plena* (*Luc.* I), et se Filii Dei matrem cognovisset, non muliebriter est elata, sed humilitatem cordis exprimens lingua carnis ait : *Ecce ancilla Domini* (*ibid.*), ancillam se profitens, angelorum regina et hominum. In cantico etiam, quod cantavit Domino, quasi nihil in se commendabile reputans, solius meminit humilitatis : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*ibid.*).

Secundum cœnaculum mitium est, id est angelorum. In tribus siquidem mansuetudo consideratur : si quis scilicet socialis est, ut cum quibuscunque vivat, gratiosus sit eis. Sic Paulus *omnibus omnia factus* (*I Cor.* IX), si quis etiam lædentem non lædit : postremo, si etiam lædenti benefacit. Hæc præcipue in angelis eminent. Cum enim imprudens et impudens ille Lucifer se a Deo, et sodalibus desociaret angelis, ipsi in societate perstiterunt in mansuetudine sua roborati. Injurias quoque, quas eis quotidie inferimus, dum custodiæ eorum refragamur, patienter sustinent, nec læsi nos lædunt, imo mitius compatiuntur nobis, et quod verisimile est, tanquam medici majorem sollicitudinem infirmis impendunt, quam sanis; et magis gaudent A *super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia* (*Luc.* XV).

Tertia mansio est lugentium, id est Patrum Veteris Testamenti, qui attendentes captivitatem suam, et videntes differri redemptionem, lacrymabiliter conquerebantur : *Usquequo, Domine, oblivisceris nos in finem?* (*Psal.* XII.) Sic flebat cytharœdus noster, quamvis esset rex in Israel, dicens : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar* (*Psal.* CXIX). Hanc captivitatem deflevit Jeremias in Threnis quadruplici alphabeto, dicens : *Videte, si est dolor sicut dolor meus* (*Thren.* I). Cum quantis lacrymis, cum quantis singultibus interrumpentibus sermonem credimus eum locutum, qui dixit : Putas durabo? putas videbo? o si me inveniet illa nativitas (138). In hunc modum et alii super flumina Babylonis sedebant et flebant (*Psal.* CXXXVI); tamen dum euntes ibant et flebant, præ- B mittebant semina sua (*Psal.* CXXX), id est meritoria salutis.

Quarta mansio est esurientium justitiam, id est apostolorum; cum enim singuli fideles et universi singulorum et omnium hominum desiderent justitiam, præ aliis apostoli justitiam nostram affectaverunt, ponentes animas suas, ut nos lucrifacerent (*I Cor.* IX). Videte, quantum sitiebat fratrum justitiam, qui dicebat : *Optabam anathema esse a Jesu pro fratribus meis* (*Rom.* IX). Hi fuerunt *onagri* plenitudinem gentium *expectantes in sitis suis* (*Psal.* CIII). Tradunt enim qui de naturis rerum agunt, quod in diebus æquinoctiorum onagri horas diei et noctis rugitibus suis distinguunt, et quasi naturales horoscopi prima hora diei, ubicunque terrarum sunt, rugitum emittunt (139). Similiter in secunda, et tertia, et deinceps : idipsum de horis noctis sentientes, ut naturæ beneficio quasi suum gnoma horologicum habeant fere in cubilibus suis. *Ad hunc* C *modum* apostoli sermone suo in omnes fines terræ opera lucis et tenebrarum distinxerunt, opera carnis ab operibus spiritus secernentes, qui et ipsi duodecim horæ diei a Domino nominati sunt (*Joan.* XI), ut non tantum verbo sed etiam numero diem ac tenebras distinguere cognoscantur. Ipsi enim sunt vituli, qui totum mundum suis mugitibus repleverunt, quia *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII; *Rom.* X).

Quinta mansio est mundicordium, id est martyrum. Et est dictum a simili; quia sicut quispiam scopis mundans aream suam, ad plenum mundare non potest, quin aliquæ vel in angulis, vel in cavis paleæ lateant locis; si vero supervenerit flatus alicujus auræ vehementis, a quibuslibet paleolis tota mundatur area. In hunc modum credibile est corda martyrum ante horam martyrii aliquibus levibus cogitationibus humanitus occupari, sed in D hora illa superveniente spiritu vehementi abstergit Deus a cordibus eorum omnem motum carnis, ita ut nec vita sentiat se naturaliter amari. Cum enim ducerentur ad martyrium, parentes suos, uxores, et liberos unguibus ora lœdantes, miserabiliter post ipsos clamantes etiam torvo vultu, et siccis oculis respiciebant, quasi nil juris jam in eis haberet natura. Quis aream cordis eorum ab his pene mundaverat, nisi Spiritus fide mundans corda eorum?

Sextus locus est misericordium, id est confessorum. Hi sunt viri olei, qui primo miserentes animæ suæ *carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Gal.* V). Secundo misericordes in proximum manum miserunt ad opera misericordiæ : nec fuit terminus miserendi, nisi qui et vivendi. Et hi dicuntur confessores, non confitentes; confitens enim proprie dicitur a confessione peccati, confes-

(137) Cic., *De senect.*

(138) Videtur loqui de S. Aug., l. VIII *Confess.*, c. 11.

(139) Isidorus. C. Gesn. l. I *Hist. anim.*

Digitized by Google

sores a confessione laudis. Confitentes enim discedunt, qui manente incolumi fundamento sine ligno, feno et stipula non transeunt (*I Cor.* III)]: sub quorum confessione deinceps salvi quasi per ignem transeunt. Confessores versi sunt, qui nil sibi conscii, de mensa præsentis vitæ pleni surgentes, quasi cructant hymnum Deo : Agimus tibi gratias pro universis beneficiis tuis.

Septimus est pacificorum, id est virginum et sanctarum mulierum, non quia omnes integritatem carnis habuerint, quæ regnant cum Domino, sicut beata mulier illa, quæ fuit in civitatepeccatrix, experta est virum (*Luc.* VII), sed a digniori parte totum collegium earum nomen sortitum est. Vel ab integritate mentis omnes virgines dici possunt. Verius enim posse dici Lucretiam virginem reor, quam intactam, quam nemo cognovit. Istæ nomine pacis denominantur, ut ostendantur i, so nomine ablatum ab eis quasi naturale mulieris opprobrium. Animal enim inquietum est mulier, apta jurgiis et contentionibus, seminandis discordiis accommoda. Prima etiam fuit auctrix discordiæ inter hominem et Deum. Naturaliter etiam major lucta est inter carnem et spiritum mulieris quam viri; quanto enim caro ejus infirmior, et spiritus minus promptus, tanto pugna difficilior, et desperationi proximior, victoria et pax commendabilior; unde ei promittitur filiatio Dei : quantum ad vocis superficiem præmissis retributionibus eminentior merces, sed quantum ad intelligentiæ medullam eadem cum illis; forte ne et de inferiori cœnaculo posse conqueri viderentur quasi majoris mercedis solatium subinferretur. Nihilominus etiam præcedentibus ordinibus subillatæ retributiones non indecenter adaptantur; humilium quippe est regnum cœlorum, quia Christus non solum eos participat, sed tanquam Dominus, cui vult dispensat. Angelorum est possessio terræ viventium quasi continuata hæreditatis adeptio. Homines enim extorres fuerunt ab ea usque ad januæ apertionem; angeli vero, quam cito facti, statim in brevi confirmati possederunt eam. Patribus veteris testamenti data est consolatio cum viderent captivam duci a Domino captivitatem (*Ephes.* IV), cum jam devicta morte scirent animæ, quia mors corporis absorbebitur in victoria. Apostolis saturitas datur, cum vident a finibus terræ Ecclesiam ad Dominum clamare. Martyrum est videre Deum; unde et primicerius eorum diaconus Stephanus vidit cœlos apertos, et Jesum stantem ad dextram virtutis Dei (*Act.* VII). Quod etiam pluribus eorum inter ipsa tormenta creditur accidisse. Confessoribus, quia misericordiam fecerunt, fiet judicium cum misericordia (*Jac.* II). Hunc ordinem c nvivii pinguium medullatorum hodie statuit Ecclesia solemni venerari memoria. Dominum enim non amare convincitur, qui sanctos ejus qua potest devotione, non veneratur; indevotus enim est capiti, qui membris ingratus exstiterit. Vobis autem præcipue incumbit sanctos venerari, qui convivium eorum etiam imitari proposuistis in terris. Elegistis enim habitare viri unius moris in domo Dei, quibus est idem victus, nec impar cultus, idem locus epuli, idem somni vel disciplinæ, idem et orationis. Tamen in nomine differt ab illorum congregatione vestra congregatio. Vester enim conventus dicitur, quasi a via : convenitis enim tanquam socii in via, ut ex jucunditate societatis minor sit labor itineris. Illorum vero congregatio dicitur convivium a vita, ut dictum est.

State ergo in viis vestris, tenete sancti conventus propositum, ut tandem mereamini ad illorum pervenire convivium, ubi præcinget se, et transiens ministrabit vobis Jesus Christus (*Luc.* XII), Dominus noster, judex noster, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XXXIV.

IN EODEM FESTO.

(*Vide Hildeberti Cenomanensis serm.* 73, Patr. *tom.* CLXXI, *col.* 695.)

SERMO XXXV.

IN EODEM FESTO.

(*Vide ibid., col.* 739, *serm.* 85, *cui titulus :* IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.)

SERMO XXXVI.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudine dierum (*Psal.* XCII). Dominus domus sanctus est: sancta est domus Domini : et quid decet sanctum, nisi sancta? sicut enim poetice et vere dictum est :

Parvum parva decent :

sic religiose et vere dici potest : Sanctum sancta decent. Domum ergo Domini sanctam decet sanctitudo, non tamen quælibet, non p rfunctoria, non horaria sanctitudo, sed sempiterna. Unde Dominus ait : *Estote sancti, sicut et ego sanctus sum* (*Lev.* XIX). Sicut indesinens est mea sanctitudo, sic et vestra, duratura usque in longitudinem dierum. Dies dicuntur præsens vita, in qua multi dies per noctium interpolationem sibi succedunt. Longitudo vero consecutura dierum, vita sequens quæ sub unius dici continuatione interminabilis extendetur. Sanctitudo ergo domus Domini non sub his diebus terminabitur, imo consummabitur in longitudine dierum; neque unam domum Domini decet sanctitudo, sed omnem; habet enim plures domos. Numerum vero domorum ejus perpendimus in numero domorum, quas sibi ædificant cœnobitæ : ab his enim, de hujusmodi documenta sumenda sunt, qui in omnibus Dominum imitari pro posse decreverunt. Ipsi enim omnia reliquerunt, sicut et Christus non habuit *ubi caput suum reclinaret* (*Luc.* IX). Crucem ferunt post Christum obedientes, sicut et Christus tulit, non ut Simon angariatus ut tolleret (*Matth.* XVII). Pauperes et nudi currunt post gigantem, qui exsultavit ad currendam viam, tanto expeditiores in itinere, quanto liberiores ab onere. Verisimile ergo est, etiam in habitaculis suis Dominum eos habuisse præceptorem. Porro communem talium habitationem quatuor domibus concludi videmus, unde et merito claustrum nuncupatur. Est ibi quædam domus Dei, quædam refectionis, quædam quietis, quædam plenitudinis; apoth cam loquor, in qua usibus necessaria reponuntur. In hunc modum Dominus quatuor domus habet, domum orationis, eamdem quam et illi; de qua ipse ait : *Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus* (*Isa.* LVI). Habet etiam domum universitatis, id est mundum, unde : *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* XXIII). Et ipse: *Cœlum et terram ego impleo* (*Jer.* XXIII). Et alibi : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum* (*Isa.* LXVI). Habet etiam domum quietis, id est, animam justi, unde : Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea? (*Isai.* LXVI.) Habet etiam domum refectionis, id est corpus immaculatum, unde Apostolus : An *nescitis, quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti*? (*I Cor.* VI.) Domus autem refectionis dicitur, quia quot membrorum officia justitiæ serviunt in sanctificationem, tot quasi fercula Deo proponuntur ad refectionem. Propter has quatuor domos, quatuor nominibus solet appellari; Deus, Dominus, Sponsus, Paterfamilias: Deus in templo, Dominus in mundo, Sponsus in animo, Paterfamilias in corpore sancto. Quælibet istarum domuum suam habet sanctitudinem. Sed de sanctitudine mundi sub silentio prætermus, de sanctitudine reliquarum præsens solemnitas loqui nos compellit.

Digitized by Google

Dicitur autem templi dedicatio, sanctificatio corporis, religio animi, filiorum adoptio. Dedicata est enim ecclesia, id est semel confirmata in usus divinos, ut communibus usibus ea deinceps non utamur; dedicare enim, confirmare est, quasi Deo dicare. Religio vero proprie membrorum est: per peccatum enim primi parentis membra proruperunt in motus inordinatos, qui nisi sub timore Dei religentur, ferentur in ruinam turpitudinis. Membra sua sic ligari optabat Propheta dicens: *Confige timore tuo carnes meas* (*Psal.* CXXVIII). Anima vero sola adoptione, id est gratia præveniente sanctificatur. Nec miremini, si dixerimus præsentem solemnitatem ad sanctitudinem non tantum templi, sed etiam hominum pertinere. Celebrior enim est dedicatio hominum, quam templorum. De dedicatione templi solemnizant homines in terris: de dedicatione hominis exsultant angeli in cœlis. Illa visibilis, et semel facta, et in brevi consummata; ista invisibilis et sempiterna, hic incepta in longitudine dierum consummabitur. Hic est ædificatio, ibi dedicatio; illam celebravit pontifex, qui homo erat similis nobis passibilis, istam operatur Christus assistens pontifex futurorum bonorum; illa imaginaria est istius, ista veritas est imaginis ejus. Videamus autem, in quibus consistit templi sanctificatio, ut ex eis mystice colligamus hominum sanctitatem. In quinque, ut arbitror, impletur templi dedicatio, quæ sunt, aspersio, inscriptio, unctio, illuminatio, benedictio. Aspergitur vero aqua, cui admiscentur tria: sal, cinis, vinum; aspersorium vero de hyssopo fieri debet: postea vero pavimentum inscribitur alphabeto Græco et Latino, lineis ab angulo in angulum directis ad modum crucis in medio sese intersecantibus: deinceps in duodecim locis chrismate sancto linitur, et post super eadem loca duodecim cereis illuminatur: postremo episcopali benedictione dedicatio concluditur. Horum institutio, et significatio alterius est inquisitionis; sed quomodo in hunc modum hominum sanctificatio perficiatur præsentis est prosecutionis. Aspergitur siquidem primo vir sanctus aqua pœnitentiæ et lamenti. Hac aqua Petrus aspersus est cum flevit amare, ut maculam ternæ negationis ablueret (*Matth.* XXVI). De eadem dicit Propheta: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI). Et alibi: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI). Quam vero necessaria sit hæc aqua videamus. Salomon ait: Fili, sedisti ad mensam divitis, vide quæ tibi apponuntur: memento similia ei debere præparare (*Prov.* XXIII). Dives est Christus ad cujus mensam sedemus, carni ejus et sanguini communicantes. Aquam et vinum apposuit nobis ille: *non enim venit in aqua tantum, sed in aqua et sanguine* (*Joan.* V). Forte nec tempori congruit, vel paupertas vestra non suppetit, ut ei vinum apponatis. Primicerius martyr domnus Stephanus vinum illi apposuit, tanto dulcius, quanto novius. Apposuerunt ei sancti martyres vinum, qui sanguine suo Ecclesiam Dei fundaverunt. Tempus quidem vindemiandi abiit: forte pusillanimitas spiritus in causa est, ne modo hominum manus queat vinum invenire; ergo vel aquam ei apponere necesse est; sed non est simplex hæc aqua. Tria secum habere debet: salem, cinerem et vinum. Sal timor Domini, unde in Levitico: *In omni sacrificio pones sal fœderis Domini Dei tui* (*Lev.* I). Timor enim Domini domes est per omnes gradus: quicunque enim sacrificia operum offert Christianus, in omnibus debet esse timor Dei ante oculos ejus. Cinis est memoria circuitus humani; vita enim nostra quasi linea est circumducta rediens ad idem punctum; a pulvere enim incipiens, et per defectus naturales quasi circulariter progrediens ad pulverem revertitur. Hunc modum inevitabilem fecit nobis mamis Domini impellentis, cum ait: *Terra es et in terram ibis* (*Gen.* III). Vinum autem memoria Dominicæ passionis. Hæc tria aquam pœnitentiæ sanctam faciunt, et Deo placentem. Quis enim timorem Domini habens, et memoriam novissimorum recolens Dominum pro se morte turpissima condemnatum, non resolvatur in lacrymas? Quis tam lapideus, qui non totus concutiatur, et tremat, dicens: *Commovisti, Domine, terram meam et conturbasti eam: sana contritiones ejus, quia commota est?* (*Psal.* LIX.)

Sequitur de inscriptione. Hic est rigor ordinis vestri, a sanctis Patribus vobis traditus, et in scriptis redactus. Hæc sunt elementa religionis vestræ, quibus initialem canonicum imbui necesse est. Gemina vero est inscriptio, quia et in tabulis cordis, et in pavimento corporis nostri indelebiliter scribi debet, non sicut in glacie ad faciem solis. In utroque vero ab angulo in angulum. Sed nunquid cor angulosum dolosum dicitur et detestari solet? Hic autem duos cordis angulos vocamus, cor humile, et cor altum. Cor humile est, cum quis se nihil esse reputans, cum omnia fecerit, dicit se servum inutilem (*Luc.* XVII). De hoc corde dicitur: *Prævaricatores, redite ad cor* (*Isa.* XLVI). Cor altum, cum quis mente sursum rapitur, dicens: *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII); de quo dictum est: *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* (*Psal.* LXIII). A corde ergo humili usque ad cor altum, id est sive humilia de vobis sentiatis, sive mente excedatis, inscriptos vobis limites firmo corde teneatis, ne forte dicatur de vobis: *Hic homo cœpit ædificare et non potuit consummare* (*Luc.* XIV). Hæc etiam inscriptio facta est in corporibus nostris. Stigmata enim Domini Jesu portatis in corpore vestro; characteris enim insigne vobis impressum est, quo de facili ordinis vestri distinctio etiam visibus patet. Tonsura enim capitis, vestium vilitas et mundities, ciborum arida sobrietas, motus, incessus, gestus, et habitus compositus, et cætera in hunc modum inscriptiones sunt vobis impressæ, et signa Dei vestri, ut dicere possitis: *Posuit signum in faciem meam ut nullum præter eum amatorem admittam* (140). Hæc autem signa sunt, ab angulo corporis in angulum, id est a capite usque ad pedes, ut nulla enormitas a planta pedis usque ad verticem in vobis habere locum videatur, vel ab initio professionis vestræ usque in finem vitæ quia citra veritatem sacrificii est caudam hostiæ non offerre (*Lev.* III).

Sequitur de unctione. Duodenariam unctionem vestram possumus intelligere, imitationem apostolicam, quam proposuistis vobis. Alii enim cœnobitæ, quos monachos appellamus, ne alter alterius onere premeretur, singularem quisque sui custodiam elegerunt; inde est, quod nec baptizare, nec aliis prædicare, nec pœnitentias injungere eis licet. Vos autem imitatores apostolorum *multitudini, quorum cor est unum et anima una* (*Act.* IV) vobis et aliis providere potestis et debetis. Verumtamen quia unctio spiritualis gratiæ infusio dici solet, et hanc duodenariam infusionem, ad duodecim virtutum largitionem referre non incongrue possumus, quod paucis absolvi potest. Quatuor enim sunt virtutes, quas cardinales dicimus. Justitia est, quæcunque reddit quod suum est, id est Deo, sibi, et proximo; prudentia, quæ est in præcavendis peccatis et molestiis; temperantia in prosperis; fortitudo in adversis. Quælibet harum duas secum habet collaterales virtutes: justitiæ enim asaistunt misericordia et veritas; nisi enim misericordia obviet veritati, jam non est misericordia, sed miseria; et nisi veritas obviet misericordiæ, jam non est veritas, sed severitas. Prudentiæ assistunt carnis mortificatio et obedientia; per carnis enim macerationem a multis nobis providemus in posterum excessibus. Nam, ut alia omittam,

Sine Cerere et Baccho friget Venus (141).

(140) S. Agnetis dicta.

(141) Terent. in *Eun.*

Digitized by Google

Quid autem valilius arcet nos ab illicitis, quam votum obedientiæ? cui vos totos astrinxistis? Temperantiæ vero assistunt, humil.tas et benignitas. Solent enim opes esse hyperiphanæ, id est superbæ, et tenacitatem secum trahere in prosperis. Ergo necesse est humilem esse et benignum proximis erogando. Porro fortitudini assistunt, spes vitæ, et mundi contemptus. Unde putas Laurentium tam fortem in adversis, ut inter incendia etiam jocari videretur, dicens : Assatum est, versa et manduca? nisi quia spem vitæ immarcescibilis habebat immarcescibilem? Unde putas sanctum Job inter tot corporis ulcera et rerum subita detrimenta tam sæpe et constanter Deum benedixisse, nisi, quia hæc omnia arbitrabatur velut stercora? Sequitur de illuminatione, quod tamen jam elucet : charitas enim non potest abscondi. Lucerna hæc super candelabrum posita A *ficet Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* v)? post lumbos enim præcinctos lucernæ sunt ardentes in manibus vestris (*Luc.* xii). De benedictione vero finali dicimus, quia tunc fiet, cum apparuerit gloria vestra, cum mortale hoc induet immortalitatem, cum misero spiritui dicet sacer Spiritus ut requiescat a laboribus suis (*I Cor.* xv)? In lapidum enim positione non audietur in Jerusalem sonitus mallei, vel securis. Nunc ergo asperi per pœnitentiam, inscripti per disciplinam, inuncti per gratiam, illuminati per operationem, exspectatis extremam benedicentis manum. Scitis enim, cui credidistis, et certi estis, quia vobis apponet justus judex benedictionem exspectatam. Qua benedictione nos vobiscum benedicat Jesus Christus Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

cit. lucent opera vestra coram hominibus, ut glori-

Sequuntur sermones habiti in synodis.

SERMO XXXVII.

Si dixerit vobis Pharao, Quod est opus vestrum? respondete : Viri pastores sumus (*Gen.* xlii). Salubre et grande hic datur consilium. Unde refert scire, quis dederit, et quibus, et ubi, Joseph dedit; quibus? fratribus; ubi? in Ægypto. Dum Joseph in terra nativitatis suæ fuit non legitur dedisse consilium fratribus, imo fratres sibi insultasse, tunica nudasse, iniquum consilium in eum ineuntes Ismaelitis vendidisse, Ismaelitas Ægyptiis. Sed postquam sublimatus est in Ægypto, consilium salubre fratribus dedit : *Si dixerit vobis Pharao*, etc. Fratres, cum *omnia in figura* contigerint *illis* (*I Cor.* x), hoc de summo Joseph accipi potest, in cujus figura Joseph præcessit in Ægyptum, Joseph namque interpretatur, *augmentum*. Hic est Christus, qui suos augmentat hic pro modulo viæ, eos demum magnificaturus in gloria. Hic dum fuit in terra nativitatis suæ, scilicet in Judæa, ut Joseph, a fratribus est derisus, tunica spoliatus, venditus, crucifixus. Tunicam enim suam, id est carnem in sanguine proprio tinxerunt, eum crucifigentes. Hic verus Joseph, verum et salubre consilium dedit fratribus suis dicens : *Si dixerit vobis*, etc.; sed quibus fratribus? omnes enim Christiani, qui suam faciunt voluntatem, fratres ejus sunt, ut ipse ait in Evangelio : *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, hic pater meus, et frater, et soror, et mater est* (*Matth.* xii). Non autem fratribus suis omnibus hoc consilium dat, sed quasi unicis et privilegiatis fratribus prælatis, quibus curam gregis commisit Dominici, quos præmunit in terra, sciens Pharaonem, id est diabolum, semper suos inquietaturum, et nunquam a pravis cogitationibus desiturum, dicens : *Si dixerit vobis Pharao*, id est diabolus, *quod est opus vestrum?* Quid statis otiosi? nimis estis in rebus tenues, in voluptatibus implendis impotentes. Scitis, quia antiquum et verum est proverbium : Quantum habes, tantum vales : provideatis vobis de crastino, colligite pecuniam, auro potestis abundare et argento, et supellectili pretiosa et multiplici. Congregate in horrea vestra, ut promptuaria vestra sint plena eructantia ex hoc in illud. Si hac, inquam, falsa suggestione vos decipere voluerit, vel intenderit, respondete : *Viri pastores sumus*. Hæc vero nomina, scilicet, *Viri*, et *pastores*, sibi invicem congruunt, imo congrue jungintur : quorum alterum est nomen ætatis, et etiam dignitatis, reliquum laboris. Unde in Apostolo : *Cum essem parvulus loquebar ut parvulus : cum autem factus sum vir, evacuavi, quæ erant parvuli* B (*I Cor.* xiii). Indicat ergo hoc nomen, *vir*, et ætatem, et etiam sacerdotii dignitatem : hoc vero nomen, *pastor*, Dominici gregis sollicitudinem. Sacerdotes ergo et viri sunt, et pastores; sed caveant sibi ne sint viri detestabiles. Sunt enim et viri detestabiles, sunt et boni viri. Detestabiles sunt, ut viri de senioribus Israel, de quibus in Ezechiele legitur, quod erant *dorsa habentes contra templum Domini*, contemnentes Creatorem, quia *facies* eorum *ad orientem, et adorabant ortum solis* (*Ezech.* viii), non Creatorem, sed solem. Item viri detestabiles sunt, qui volunt suam condere justitiam, *quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi* (*Phil.* ii). Tales non oportet esse sacerdotes, sed quales leguntur sex viri fuisse in Ezechiele, qui venientes *de via portæ superioris, quæ respicit ad aquilonem*, et tenentes gladium in manibus quærebant ulcisci injuriam Creatoris (*Ezech.* ix). Vel, ut apertius dicamus, tales esse oportet, quales alloquitur Petrus dicens : *Viri Israelitæ, et qui timetis Dominum audite* (*Act.* ii). Et, ut expressius dicatur, dicam vobis, non solum quales sed quos oporteat esse sacerdotes. Oportet illos esse tres viros, qui leguntur in Ezechiele, scilicet, Noe Daniel et Job (*Ezech.* xiv), id est rectores, continentes, conjugatos. Per Noe, qui rexit arcam in mediis fluctibus intelliguntur prudentes : per Danielem mundi, per Job misericordes. Oportet unumquemque sacerdotem istos tres viros esse, id est prudentem, mundum, misericordem; et sic erit et *vir* et *pastor* : sic etiam cavebit, ne cum sit alter eorum qui sunt in agro, ipse relinquatur, et alter assumatur (*Matth.* xxiv). Omnes ergo sumus, ut habetur in Evangelio in agro Domini; imo ut convenientius dicatur, in agris Domini. Sunt enim quatuor genera agrorum in domo Domini, sicut dogmatizaverunt et illi qui de naturalibus tractaverunt. Primus est ager floridus, secundus pascuus, tertius sationalis, quartus consitus. Primus estis vos; sacra Scriptura secundus, quæ vos pascit et reficit; tertius est grex subditus, in quo seritur, quartus pœnitens quilibet pedibus vestris affusus. Primus est inter vos, secundus ante vos, tertius subtus vos, quartus juxta vos. Primus habet flores, quos determinat Apostolus in Epistola ad Titum dicens : *Oportet episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem; non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem* (*Tit.* i). Secundus habet duo pascua, Vetus et Novum Testamentum, in quibus homo spiritualis debet exerceri, vacando ora-

Digitized by Google

tioni et lectioni ; sic demum poterit verbum Dei in grege subdito serere, in tertio scilicet agro sationali. Quartus habet vineam multiplici labore excolendam. Magnus namque labor impenditur in vinea excolenda : utpote, quæ primum est putanda, secundo fodienda, tertio paxillanda, ad ultimum stercoranda. Hic multiplex labor est Vinea Domini Sabaoth excolenda. Primum oportet eam putare, id est peccatorem peccata confiteri, et pedibus astantem exquirere, non tantum quid fecit, sed quam voluntatem faciendi habuit, et quandiu in ea mansit, quia secundum hoc majus minusve onus debetis injungere ; nec tamen in peccatis, quæ confitetur, persistere, sed etiam, si talia vel talia commiserit, cum quadam cautela ab ore ejus elicere ; quia si unum dixerit, et aliud reticuerit sanari non poterit ; utpote de vulnere, quod quandiu ferrum in se cœlat, est incurabile, quamvis medicinæ apponantur. Secundo restat, in vinea fodere, id est peccatorem deterrere, ne ut canis ad vomitum redeat, ne consimile de facili committat. Tertio restat vineam paxillare, id est ipsi pœnitenti, ne in desperationem incidat, paxillum, quo sustentetur, alligare, id est exemplum de peccatore, cujus misertus est Dominus, ut de David, qui homicida fuit, qui etiam adulterium commisit ; de Paulo persecutore Ecclesiæ, de Maria beata peccatrice. Quarto restat, vineam stercorare, id est peccatori pœnam injungere juxta voluntatem et discretionem vestram, magnam, parvamque secundum peccati qualitatem, pœnitentis contritionem facultatem, et virium corporalium sufficientiam. Sic debetis excubare in vinea Domini. Si vero tales excubias invenerit, occurretis ei *in virum perfectum ; in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV) Domini nostri, judicis nostri, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XXXVIII.

In manibus prophetarum assimilatus sum, dicit Dominus (*Ose.* XII). Quis est Dominus qui hoc dicit ? utique prophetarum Dominus ; ac si diceret : In manibus prophetarum meorum assimilatus sum : prophetæ sui Patris, sunt sui Filii, sui Spiritus sancti. Patris, ut a quo mittuntur : Filii, ut de quo loquuntur : Spiritus sancti, ut quo replentur. Quod Patris sint, patet ex auctoritate, quæ ait : *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis* (*Hebr.* I). Quod Filii, ut de quo locuti, manifestum per hoc quod dicitur, est : ut *implerentur omnia quæ dicta sunt de eo in lege, psalmis et prophetis* (*Luc.* XXIV). Spiritus sancti sunt organum, per eos enim Spiritus S. secreta quædam loquitur, quibus humana infirmitas eruditur. Et notandum, quod verbum a nobis præmissum diasyrticum est. Ad duo enim trahi potest convenienter expositum, ad prophetas scilicet, et Leviticos, et ad evangelicos. Ad Leviticos sic : *In manibus prophetarum*, etc. Prophetæ voce et opere Dominum prænuntiaverunt, erantque ejus, ut Creatoris creatura, præco ejus, quod prænuntiat, David qui latens, Dei inter Judæos latentis typum gessit. Quod ad portas civitatis tympanizavit (*II Reg.* VI), Christum in cruce passurum præsignavit, unde dicitur : *Dinumeraverunt omnia ossa mea* (*Psal.* XXI). In cruce enim extensus, sicut corium in tympano propter peccata nostra nos a peccatis lavit. In spelunca David se abscondit (*I Reg.* XXII) ; et Dominus in sepulcro, cujus typus fuit spelunca, in qua jacuit David. Post secundam unctionem in pace regnavit, et *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur : mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Recte ergo dicitur : *In manibus prophetarum assimilatus sum*. Potest et ad evangelicos prophetas, id est ad sacerdotes referri id, quod præmisimus. *In* quorum *manibus*, id est operibus, *assimilatus est Dominus*, id est quibusdam similitudinis ostensus. Sacerdotes Dei in multis tenent similitudinem. Deus est fundamentum et ipsi fundamenta, Deus mons et ipsi montes, Deus pastor et ipsi pastores ; ostium vero solus Deus. Sacerdotes profunda sapientiæ considerant : puteum eruderant, ut in profundo limpidissimam aquam bibant, id est in littera spiritualem intelligentiam inveniant. Isti sunt, qui inveniunt sub folio fructum, in palea granum, in cortice nucleum. Ad hoc designandum liber evangelicus ad alios clausus, ad eos ut ipsum osculentur defertur apertus tanquam eis dicatur : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis* (*Matth.* XIII). Et cum in pluribus typum Domini sacerdotes habeant, præcipue tamen in quatuor, quæ excellenter in capite fuerunt, et a capite ad membra descenderunt, quæ sunt : prædicatio, pro inimicis intercessio, vel oratio, corporis Christi dispensatio, et exemplaris conversatio. Dominus enim Jesus prædicavit, oravit, corpus suum dispensavit, exemplum vivendi reliquit. Quod *prædicaverit*, habeo ex eo, quod dicitur : *Clamavi, raucæ factæ sunt fauces meæ* (*Psal.* LXVIII). Et alibi : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus* (*Psal.* II). Oravit Dominus sicut in cœna, cum dixit : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi* de mundo, sed et eos qui credituri sunt per verbum eorum in me (*Joan.* XVII). Et in passione : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Corpus enim suum in specie vel sub specie panis et vini discipulis dedit, seipsum nobis exemplum dedit : secundum illud : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI). Et item : *Si quis vult in Christo manere, debet, sicut ambulavit, et ipse ambulare* (*Joan.* II). Hæc in sacerdotibus requirit Dominus, hæc in eis debent inveniri, ad hoc ut pro se et pro aliis digne possint exaudiri. Prædicare tenentur, Domino dicente : *Fili hominis, prædicatorem dedi te domui Israel* (*Ezech.* XXXIII). Et illud : *Clama, ne cesses, exalta in fortitudine vocem tuam* (*Isa.* XL). Orare debet pro aliis : *Peccata enim populi comedunt* (*Osee.* IV), id est oblationes pro peccatis. Tales esse debent, ut pro peccatoribus intercedant ad Dominum, pioque interventu confugere faciant populum ab irato ad placatum : unde illud : Cum peccaveris, offer hostiam pro peccato, sacerdos autem oret pro te (*Lev.* IV). In negotiis exterioribus quamplurimum cavetur, ne is qui ad interveniendum eligitur offensus judici inveniatur. Male enim pro aliis constituit se intercessorem, qui in seipso judicem offendere non timuit : temerarius est, qui patronum in eo negotio se exhibet, in quo et ipse patrono indiget. Corpus Domini conficiunt, sumunt, sumendum aliis tribuunt. Eorum ministerio panis et vinum in carnem Christi transsubstantiatur. Magna debet eorum sanctitas esse, quorum dignitas in tam sanctis habet efficaciam. Exemplari conversatione saluti aliorum debent studere, ut alii eorum bona opera videntes glorificent Patrem eorum, qui est in cœlis. Unde unus sanctorum ait : *Estote imitatores mei, fratres charissimi, sicut et ego Dei* (*I Cor.* XI). Propter hoc ministerium sacerdos dicitur, quasi sacrum dans (142). Dat enim sacrum de Deo, id est prædicationem, sacram Deo orationem, sacrum Deo, id est carnem et sanguinem, dat sacrum pro Deo, vivendi exemplum. Hæc Domino sacerdos debet offerre, et cum libamentis. Prædicationem cum vino et oleo, intercessionem cum rosa et lilio, corpus et sanguinem cum igne et gladio, exemplarem conversationem in mensura, numero et pondere. Prædicando debet terrere per supplicia, mulcere per præmia. Vinum prædicatio sapit dum pœnarum incutit timorem, oleum infundit, dum inculcat supernorum amorem ; intercessionem cum rosa et

(142) Isid., lib. VII *Etym.*, c. 12.

Digitized by Google

lilio sacerdos offert. In rosa martyrium significatur, in lilio vitæ innocentia. Tria sunt genera martyrii : in sanguinis effusione, in carnis maceratione, in proximi compassione. Sacerdos ergo dum zelo compassionis proximo condescendit, dum in seipso innocentiam custodit, offert Domino orationem cum rosa et lilio. Cum igne et gladio corpus Domini est offerendum; per gladium circumcisio membrorum accipitur; oculos circumcidit qui eos avertit, ne videant vanitatem; manus circumcidit qui eas a noxio cohibet opere; pedes circumcidit qui eos ad viam veritatis dirigit; labia autem cum pedibus circumcidit qui implet vivendo quod docet loquendo. Sicut gladius ad carnem, ita ignis pertinet ad animam. Est ignis Deus : unde illud : *Deus noster ignis consumens est* (*Deut.* IV). Est ignis Dei ministerium sacerdotis, unde illud : *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis* (*Psal.* CIII). Est ignis Deo spiritus contribulatus, secundum illud : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* L). Sacerdos ergo ne quid immundi retineat, membra circumcidat, spiritum habeat contribulatum, et sic gratum Domino offeret sacrificium. In exemplari conversatione mensuram tenere debet sacerdos, in dispensatione numerum, in propriæ facultatis consideratione pondus. In omnimoda discretione talis debet esse sacerdos, qui vasa Domini fert, qui hostiam Domino offert, qui subditorum vota pia meditatione ad Deum refert. Sed dicet sacerdos aliquis : Quid est, quod tanta exiguntur a nobis, cum pauca ab antiquis? Audiat quid legis tempore sacerdotibus sit prohibitum. Suis vicibus, quando quis erat serviturus, prohibebatur a mulierum complexibus, a sicera, et vino, imo ab omni quod inebriare potest, a communi colloquio. Multo magis evangelici sacerdotes ab his se abstinere debent, ne inter munditiæ officia subrepat vitæ immunditia. Antiochus Epiphanes, tempore Machabæorum templum Domini violenter ingressus, idolum Olympici Jovis in eo juxta arcam testamenti posuit. Machabæi prævalentes postea locum invenerunt pollutum, et post ejectas spurcitias multis purgationibus locum mundaverunt (*I Mach.* I). Quicunque ergo ad altare Domini accedit inquinatus luxuria, juxta Filium Virginis idolum ponit Veneris. Qui sacra illius verba sacramenti ore immundo profert, in faciem Salvatoris spuit; et cum in os immundum sanctissimam crucem ponit, eam quasi in lutum platearum projicit (*I Cor.* XI). Ad suum judicium ad hoc sacramentum accedit, qui adhuc alienæ cuticulæ tactu hilarescit, qui æstibus vitiorum inardescit. Ad hoc sacramentum, ut tam digne accedamus, adjuvet ipse qui fecit nos, judex noster, Dominus noster, Jesus Christus, qui venturus est judicare vivos et mortuos.

SERMO XXXIX.

Erudimini, qui judicatis terram (*Psal.* II). Nolite arbitrari, quod alienum a vobis sumpserim exordium. Si enim dissimulare non vultis, vos estis, *qui judicatis terram*. Porro *Pater omne judicium Filio dedit* (*Joan.* V), qui peregre profectus sedens in gloria Dei Patris, duos sub se judices ordinavit in infimis, judicem poli, et judicem fori, certos limites judicandi utrique distinguens. Judex fori judicat homines terræ, judex poli judicat terram hominum, id est terrenitatem peccatorum, quasi de terra contractorum. Judex fori judicat inter virum et virum, inter causam et causam; judex fori inter sanctum et profanum, inter culpam et pœnam. Ad vos ergo clamat Propheta : *Erudimini qui judicatis terram*. Nolite autem applaudere vobis super verbo eruditionis, tanquam modo liceat vobis erudiri : erudiri proprie est addiscere; non autem licet ei addiscere, qui jam ex officio tenetur docere; non debet manum supponere ferulæ magistri, qui jam sedet super cathedram Moysi. Est ergo sensus : *Erudimini*, A id est estote eruditi, extra omnem scilicet ruditatem positi. Est enim duplex ruditas, mentis scilicet, et corporis. Ruditas mentis est ignorantia, ruditas corporis est immunditia. Vestrum itaque est habere utrumque, sapientiam et munditiam. Sicut enim dictum est vobis : *Estote prudentes* (*Matth.* X): ita dictum est : *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII). Sicut dictum est vobis : *Vos estis sal terræ* (*Matth.* V) propter sapientiam : ita dictum est vobis : *Vos estis lux mundi* propter munditiam, *ut luceant opera vestra munda coram hominibus* (*ibid.*). De sapientia vestra scriptum est : *Labia sacerdotis custodiunt sapientiam, et legem requirunt ex ore ejus, Angelus enim Domini exercituum est* (*Mal.* II). De munditia vero scriptum est : Expiabit autem immundum homo mundus (*Num.* XIX). Nec sufficit sacerdoti una sine altera uti, nec sufficit ad ambulandum pes unus sine altero. Sapientia sacerdotis sine munditia est tanquam uva quæ detumit in acinum; sicut ignis, qui evanuit in fumum. Munditia B vero sine sapientia est tanquam lucerna sine lumine, cibus sine sale. Quod vero additur : *Qui judicatis terram :* non tantum substantive, sed etiam temporaliter intelligendum est, ac si diceretur : Tunc maxime erudimini, quando judicatis terram. Ibi enim major adhibenda est cautela et diligentia, ubi nulla opitulatur doctrina. Nec enim in discretis Patrum, neque in authenticis scriptis veterum expresse exaratum est de judicio pœnitentium. In aliis vero quæ ad nos spectant, habetis sufficientiam Scripturarum, cui intenditis *tanquam lucernæ in caliginoso loco* (*II Pet.* I), quæ non patitur vos deviare. Tria enim ad vos præcipue spectant. Forma vivendi, ordo ministerii vestri, modus judicandi. De forma vivendi traditum est, quia circumcisa debet esse vita sacerdotis. Non enim sufficit sacerdoti vita interrasilis, ut cum bonis simul operetur mala; nec vita eclyptica, ut quandoque declinet a C bono et faciat mala, sed ut semper candida sint ejus vestimenta. Tradita est autem hæc forma videndi, exemplo et verbo. Circumcisus est enim Abraham senex, et puer Jesus. Sane vos senes estis, et parvuli. Senes, inquam, custodes filiæ Sion : senes, inquam, in quibus viget sapientia. *Nisi vero efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* XVIII) : habentes, scilicet, beneficio virtutis, quod parvuli habent beneficio ætatis; Nam et Dominus *intellectum dat parvulis* (*Psal.* CXVIII). In pluribus quoque sacræ Scripturæ locis forma videndi nobis exprimitur. Tu ergo, qui nosti litteraturam, et intrasti in potentias Domini, audi breviter circumcisionem vitæ tuæ. Si ascendit prava cogitatio in cor tuum, contere eam sub pedibus tuis, et elide ad petram. Averte oculos tuos, ne videant vanitatem, obtura aures tuas, ne audiant vocem venefici incantantis vehementer (*Psal.* LVII) : *Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum* (*Psal.* XXXIII). *In camo et freno maxillas tuas constringe* (*Psal.* XXXI), ne regnent in te crapula et D libido. Sint lumbi tui præcincti in fortitudine (*Luc.* XII), injice pedes tuos in compedes sapientiæ. Si videris furem, non curras cum eo, et cum adulteris portionem tuam non ponas. Superabundans vero circumcisio necessaria est manibus tuis, quibus corporaliter contrectas Verbum vitæ. Sed forte gloriaberis de munditia manuum, et dices : Non effudi sanguinem, non contrectavi rem alienam invito Domino, excussi manus meas ab omni munere. Nec sufficit tibi, sacerdos Dei summi, ne ad contactum alienæ cuticulæ miser exhilaretur spiritus, et immunda fiat manus. Porro de ordine ministerii vestri scriptum est : *Sine intermissione orate* (*I Thes.* V), *ne intretis in tentationem* (*Luc.* XXII), non intermittendo scilicet horas regulares. Octo sunt quippe horæ regulares, quarum numerus ab Esdra sumpsit exordium (*II Esdr.* IX). Modus vero psallendi traditus est a Psalmista. Legitur enim

Digitized by Google

quod Esdras in diebus scenopegiorum in Jerusalem super pulpitum legem Domini, quam reparaverat, audiente universo cœtu Israel legebat quater in nocte, quater in die, Levitis facientibus signum in populo et silentium, et post singulas lectiones supra populum prostratum fiebat oratio sacerdotum. Nos tamen, etsi octies psallamus, non tamen nisi semel in nocte, secundum illud : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Psal.* CXVIII). Nec dicitur media nox, noctis meditullium, sed quidquid scilicet est inter crepusculum et diluculum. Septies autem in die psallimus, sicut scriptum est : *Septies in die laudem dixi tibi, Domine* (*ibid.*). Causæ vero psallendi in his maxime sumptæ sunt ex Evangelio. Media nocte psallit Ecclesia, quia nocte natus est Christus, quando pastores custodiebant vigilias noctis super gregem suum (*Luc.* II). Media quoque Christus surrexit, quod præfiguraverat Samson, quando media nocte surgens tulit portas Gazæ in supercilium montis (*Jud.* XVI). De judicio quoque nocte futuro scriptum est : *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei* (*Matth.* XXV). Quod præfiguratum est, cum exterminator angelus *percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus* (*Exod.* XII). Diluculo celebrat Ecclesia laudes matutinas, quia tunc notificata resurrectione per angelos reddita est discipulis ad matutinum lætitia, et erecti sunt qui titubaverant. Unde et in cantico matutinali dicitur : *Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui* (*Luc.* I). Hora prima psallit Ecclesia, quia tunc Dominus Jesus traditus est, vinctus a Pilato. Eadem etiam hora post resurrectionem apparuit septem discipulis piscantibus, stans in littore, et dicens : *Pueri, nunquid pulmentarium habetis?* (*Joan.* XXI.) Hora tertia psallimus, quia tunc linguis Judæorum crucifixus est Dominus, secundum illud : *Dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI). Eadem etiam hora die Pentecostes in cœnaculo Sion super centum viginti viros Spiritus sanctus in igneis linguis descendit (*Act.* II). Hora sexta psallimus, quia tunc super lignum extensus est Dominus, et aceto potatus, et tenebræ factæ sunt per universam terram. Hora nona psallimus, quia tunc Dominus Jesus, inclinato capite, tradidit spiritum, et lancea perforatus duo (*Matth.* XXVII) sacramenta salutis nostræ nobis propinavit : *Velum templi scissum est, terra mota est, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt* (*ibid.*). Hora vespertina psallimus, quia tunc Dominus in cœna corpus suum et sanguinem sub forma panis et vini discipulis tradidit, et in memoriam sui, sic deinceps faciendum instituit (*Luc.* XXII). Eadem quoque hora sepultus est, et eadem hora in fractione panis agnitus est a discipulis. In crepusculo psallimus, quia tunc Dominus in agonia prolixus oravit, et factus est sudor ejus tanquam guttæ sanguinis descendentis in terram (*Luc.* XXII ; *Joan.* XX). Eadem quoque hora vallatus est custodibus, et eadem hora, clausis januis, stetit in medio discipulorum, et ait : *Pax vobis* (*Luc.* XXIV).

Satis elucet, quomodo de forma vivendi et de ordine ministerii vestri in Scriptura sufficientem habetis eruditionem. Vestrum autem est diligenter considerare de modo judicandi ; arbitraria enim est sententia pœnitentialis, nec tempus satisfactionis expressum est, quoniam apud Deum plus valet mensura doloris, quam temporis. Ecce ovicula Domini sedet ad pedes tuos, confitens ad pedes confessoris, flens et gemens tanquam conscia erroris sui, ut aperiat coram Domino os suum, exspectans judicium Domini per os tuum. Quid incumbit tibi agendum, sacerdos Dei summi? Primo duo tibi occurrunt : confortatio et exhortatio. Vide peritum medicum, in ingressu suo confortat ægrotum. *Vade, et tu fac similiter* (*Luc.* X), ne desperet de magnitudine peccati, ne de enormitate commissi, ne de multitudine criminum ; propone ei exempla de Petro qui, præsente Domino Dominum negavit, qui per pœnitentiam conversus confortavit fratres suos. Dic ei de Paulo, qui de persecutore Ecclesiæ factus est vas electionis (*Act* IX) ; dic ei de muliere, quæ fuerat in civitate peccatrix, quomodo facta est apostolorum apostola. Post hæc brevem subdas exhortationem, dicens : *Effunde, sicut aqua cor tuum, fili, coram Domino.* Cæteri liquores cum effunduntur, quasi cum mora et difficile exeunt, et aliquid sui fæculentum in vasculis suis relinquunt. Aqua vero cum effunditur, de facili et tota simul egreditur. Sunt autem quidam, qui cum difficultate et mora confitentur, tanquam per ambages excusando, vel extenuando peccatum suum. Non est hæc effusio similis aquæ. Sunt qui non totum effundunt : quædam retinent, vel timore perterriti, vel pudore irretiti, vel diffidentia cessandi retracti. Talibus dicendum est : Curari non curat, qui curanda occultat : non est malagma apponendum, dum ferrum est in vulnere. Verumtamen, si non licet tibi confortare et exhortari singulariter pro brevitate temporis, et multitudine pœnitentium, in principio Quadragesimæ publice prædicando proponas ea communiter. Tandem audi confessionem pœnitentis patienter. Quo audito, transi de porta ad portam per medium castrorum ; sicut fecit Moyses accinctus gladio, consecrans manus suas etiam in sanguine propinquorum (*Exod.* XXXII). Transire de porta ad portam, est diligenter inquirere causas peccatorum, initiales, scilicet, et finales. Utrum, scilicet, casu hoc fecerit, an ex deliberatione voluntatis ; utrum alterius suggestione, an ex propria mentis malignitate ; utrum scilicet in eo peccatum seminatum fuerit, vel innatum. Porro si innatum fuerit, gravius judicabis, quam seminatum. Sic enim judicavit Dominus crimen dæmonis innatum, judicans irremediabile ; crimen homini seminatum, judicans remediabile. Sic etiam et natura rerum te docet. Gravius fetet, et efficacius aera corrumpit lutum fœcis, quam lutum platearum. Illud enim vitiose innatum est, istud autem ex stillicidio pluviarum et pulvere solo superimposito. Diligenter etiam requiras causam finalem, utrum ex adipe prodiit iniquitas ejus, an ex macie. Sunt enim, qui furantur quædam, vel rapiunt, necessitate compulsi. Sunt alii, qui voragine cupiditatis, cui nihil sufficit, eadem committunt. Istos nequiores judica prioribus. Transeas vero per medium castrorum nemini ex amore parcens, vel ex odio lædens. Palponibus dictum est : Væ vobis cœmentarii subdoli, linientes parietem absque temperamento (*Ezech.* XIII). Onerantibus vero plus debito dictum est : Væ vobis legisperiti, qui imponitis onera importabilia super humeros hominum, digito autem vestro ea movere non vultis (*Matth.* XXIII). Porro in judicando de operibus malis audi Apostolum dicentem : *Manifesta autem sunt opera carnis, fornicatio, immunditia*, etc. ; de quibus ita concludit : *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur* (*Gal.* V). Lege ergo diligenter in Apostolo catalogum criminalium ; noli aliquod eorum extenuare : *Deus enim non irridetur* (*Gal.* VI). De judicio perversæ locutionis non adeo expressa auctoritas ; pauca tamen de pluribus excipere possumus. Est enim verbum otiosum, est verbum vanum, est verbum impudicum. De primo legitur : *De omni verbo otioso, quod locuti sunt homines, reddent rationem* (*Matth.* XII) ; de secundo scriptum est : *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum* (*Psal.* XI) ; de tertio dicit Apostolus : *Turpis sermo non procedat de ore vestro* (*Eph.* IV). Primum plerumque fit in privatis collocutionibus ex suavitate quadam colloquendi ; secundum fit in compitis viarum, in publicis confabulationibus, quando, omissis propriis, aliena negotia tractant de negotiis principum, de otio clericorum, de immunitate monachorum. Tertium fit in judiciis.

Digitized by Google

adinventionibus histrionum. Hæc et his similia, si raro, et animi malignitate non fiant, venialia judicabis. Est prætérea verbum falsum, verbum dolosum, verbum iniquum. De primo legitur : *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium* (*Psal.* v), cum scilicet, dicitur in testimonium adversus proximum (*Psal.* II); de secundo legitur : *In corde et corde locuti sunt* (*ibid.*); de tertio : *Verbum iniquum constituerunt adversum me* (*Psal.* XL) : mala, scilicet, de Deo sentiendo. Hæc et his similia, etiam semel dicta criminalia judicabis. Vide autem, cum hæc judicas, ne in his judicandus existas, ne dicatur tibi : *Quid tu vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non consideras?* (*Matth.* VII.) Plerumque enim, quod veniale est plebi, criminale est sacerdoti; quod erroneum est ovi, peremptorium est pastori. Discrete ergo judicate, qui judicatis terram, ne tandem districte judicet vos Dominus Jesus Christus, Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XL.

(*Exstat inter Opera Hildeberti*, Patr., *t.* CLXXI, *col.* 761, *serm.* 90.)

SERMO XLI.

Et nunc, reges, intelligite, erudimini qui judicatis terram (*Psal.* II). Reges enim timentur ab omnibus, ipsi neminem timentes : quis ergo est qui tam imperiose loquitur et imperat regibus, ut intelligant et erudiantur? Ipse est in cœlo, qui imperat vento et mari, per quem reges regnant et principes tenent terram (*Prov.* VIII). Hic est ille terribilis, qui aufert spiritum principum, terribilis apud reges terræ (*Psal.* LXXV). Rex vero supremus regibus quod ordinavit inferius imperat, dicens : *Ecce nunc, reges, intelligite.* Sunt autem regum quatuor genera : reges gentium, reges animarum, reges tenebrarum, reges corporum. Reges gentium sunt isti terreni, de quibus Dominus in Evangelio : *Reges gentium dominantur eorum* (*Luc.* XXII). Reges tenebrarum, dæmones sunt, de quibus Apostolus : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes tenebrarum harum* (*Eph.* VI). Reges animarum sunt sacerdotes, de quibus scriptum est : *Dum discernit cœlestis super eam, reges dealbabuntur in Selmon* (*Psal.* LXVII). Reges corporum sunt animæ, unde Salomon : *Cor regum in manu Dei est* (*Prov.* XXI), animarum scilicet, quæ corpora sua regunt. Primi dicuntur benefici, secundi venefici, tertii veridici, quarti pacifici : benefici, quia norunt :

Parcere subjectis, et debellare superbos.
(VIRG., *Æneid.*, I.)

Unde et Dominus addidit; *Et qui potestatem habent super eos benefici vocantur* (*Luc.* XXII). Venefici, *quia sedent cum divitibus in occultis, ut interficiant innocentem.* Veridici, quia sedent super cathedras Moysi, doctores veritatis, verba vitæ æternæ habentes (*Matth.* XXIII) Pacifici, quia cum *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Gal.* V), mens quæ præsidet, utrique pacem interponit, tenuem tamen, qualis scilicet potest haberi in corpore mortis, præsertim inter homines originarios. Spiritus enim ab origine corruptus corrupit carnem, caro post originem corrupta corrupit spiritum. Primi dominantur nobis, secundi adversantur nobis, tertii famulantur nobis, unde Apostolus : *Cum liber essem ab omnibus, servum me feci omnium* (*I Cor.* IX), quarti operantur in nobis. Sed quibus regibus loquitur hic Dominus? Ad reges siquidem tenebrarum non loquitur Dominus, quia non sunt digni nec merentur audiri, nec sermo Dominicus caperetur in eis. Obduratum est enim cor eorum tanquam lapis. Ad reliquos igitur trium generum reges dirigitur sermo Dominicus, quorum quisque terram suam habet, quam judicat. Quadruplex enim terra legitur, præter terram pereuntium, quæ tradita est in manus impii. Est quidem terra quam terimus, est terra quam quærimus, est terra quam gerimus, est terra quam fecimus. Terra quam terimus, est terra ista visibilis, et communis, de qua in Psalmo : *Domini est terra* (*Psal.* XXIII). Terra, quam quærimus, est patria cœlestis, unde Psalmista : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* XXVI). Terra, quam gerimus, est corpus nostrum, unde Isaias : *Veritas de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV), id est de carne Virginis; terra, quam fecimus, est peccatum, unde Dominus : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum* (*Isai.* LXVI). Prima dicitur terra morientium, secunda viventium, tertia mortalium, hominum scilicet, quarta dormientium, id est peccatorum. Prima dicitur elementum, secunda elevamentum, tertia figmentum, quarta detrimentum. Prima nos portat, secunda nos vocat, tertia nos gravat. *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam* (*Sap.* IX), quarta nos conflat. Hoc est conflatorium juxta quod Dominus sedet, conflans et emundans filios Levi (*Mal.* III). Superest attendere, qui reges, quam terram judicent. Reges gentium, judicant terram morientium, reges corporum terram mortalium, reges animarum terram dormientium. Terram viventium solus judicat Deus et regit. Ad hanc ergo regum triplicitatem loquitur hic beata Trinitas; ita quod Pater ad reges gentium, Filius ad reges corporum, Spiritus sanctus ad reges animarum. Siquidem in nativitate Verbi incarnati Pater quasi locutus est ad reges dicens : *Et nunc, reges, intelligite.* Christo enim nato, cum venissent magi ab Oriente, dicentes : *Ubi est, qui natus est rex Judæorum? turbatus est rex Herodes, et omnis Hierosolyma cum illo* (*Matth.* II). Contra quam turbationem Pater inquit : *Et nunc*, id est tempore gratiæ, vos reges terræ, nolite turbari, sed potius *intelligite* quantus est rex, qui natus est. Primo per signa, quæ facta sunt in Judæa, ante nativitatem Domini, ut fuit aqua probaticæ piscinæ, ad cujus motum per angelum sanabatur languidus, et in nativitate sicut fuit multitudo cœlestis exercitus, quæ cecinit : *Gloria in excelsis Deo* (*Luc.* II). Secundo per signa, quæ facta sunt gentibus in ipsa nativitate; apparuit enim stella notabilis juxta vaticinium Balaam : *Orietur stella ex Jacob* (*Num.* XXIV). Tertio etiam *intelligite* ex signis, quæ facta sunt in Occidente. Romæ namque fons olei erupit de terra, et fluxit usque in Tiberim. Ibidem templum pacis æternum eadem nocte funditus corruit juxta vaticinium idolorum, quæ prædixerant illud non ruiturum, donec Virgo pareret. Hoc intellecto, *erudimini, qui judicatis terram* a doctoribus veritatis, a præconibus regis nati, qualiter ei serviatis. Ego autem compendiose vos erudio : *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore* (*Psal.* II). Eisdem verbis Filius suscitatus a mortuis loquitur ad reges corporum. Porro philosophi nobiles per ea, quæ facta sunt, invisibilia Dei intellexerunt (*Rom.* I). Per ineffabilem quoque gubernationem intellexerunt Omnipotentem. Ex motibus enim planetarum et firmamenti intellexerunt motus illicitos motu rationis comprimendos, futuram tamen corporum resurrectionem non intellexerunt, unde Christus suscitatus veram carnis resurrectionem ostendens discipulis per quadraginta dies intrans et exiens, comedens et bibens, apparens eis et loquens de regno cœlorum, quasi in hanc vocem prorupit : *Et nunc*, id est saltem post tot argumenta resurrectionis, vos *reges* corporum, *qui judicatis terram*, id est animæ, quæ regitis corpora vestra, *intelligite et erudimini*, quid deinceps sentiendum sit vobis, *mortificate membra vestra super terram* (*Col.* III), quoniam cum domus ista terrestris destruetur, eadem non manufacta reædificatur in cœlis. Hoc

Digitized by Google

mortale induet immortalitatem, hoc corruptibile induet incorruptionem (*I Cor.* xv). Jam superest videre quomodo Spiritus, scilicet, ad reges animæ loquitur verbis prætaxatis. Mutemus ergo numerum pluralem in singularem, ut quod uni dicetur, cæteris dictum intelligatur. Loquitur itaque tanquam Pater ad Filium, Spiritus sanctus ad sacerdotem celebrantem divina, quando, scilicet expansis manibus tanquam crucifixus vero crucifixo astat, imo cum in crucem ante se positam imaginem crucifixi visibiliter intuetur.

Ait ergo Spiritus ad eum : « Fili, quid agas cum aliis occupationibus detineris, *et nunc*, id est saltem in conspectu Domini Dei tui intellige. » Ad quem sacerdos : « Quid intelligam Patri? » Cui Spiritus : « Intellige, inquam, Christum, cui astas, qui vere mortuus est, vere vivus, judicem tuum futurum, cui non astabis securus, sicut modo, sed redditurus rationem de te et de fratre tuo, dispone hic sermones tuos, quos facturus es in judicio (*Psal.* cxi). » Ad quem ille : « Pater, mirabilis est hæc intelligentia, et per me non potero ad eam. Doce igitur me, quid mihi et quid fratri debeam, præsertim cum, Christo testante, tu debeas docere nos omnem veritatem (*Joan.* xiv). » Cui Spiritus : « Non longe, o fili, documenta petantur ex his quæ circa te sunt, intellige quid tibi debeas. Ex his autem, quæ coram te sunt posita, quid fratri tuo. Astrinxisti fauces tuas amictu circumjecto, cujus initias circumductas ante pectus molliter ligasti ; indutus camisia linea quadam, quæ communi nomine dicitur Alba; quam propter sui diffusionem circa renes fortiter astrinxisti, cujus manicæ adeo sunt strictæ et manibus aptatæ, ut rugam ibi non habeant. Sed attende quod hac eadem veste sacerdos leviticus est usus ; sed adeo stricta erat tunc, et corpori aptata, ut nunquam rugam haberet, præfigurans angustias illius temporis. Acceptant enim spiritum servitutis in timore. Circa te vero habet latitudinem propter libertatem adoptionis filiorum, qua liberavit vos Filius, et intellige, fili, quatuor in te esse alligata fauces, pectus, renes et manus, ac si dicatur tibi : Non ascendant pravæ cogitationes in cor tuum, *prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum* (*Psal.* xxxiii). *Sint lumbi vestri præcincti*, etc. (*Luc.* xii). Certe ligaturam pectoris desiderabat ille, qui dixit : *Cor mundum crea in me, Deus* (*Psal.* l) ; nihilominus et ligaturam faucium, dicens: *Pone, Domine custodiam ori meo* (*Psal.* cxl). Renes quoque et manus castigari voluit, cum aiebat : *Confige timore tuo carnes meas* (*Psal.* cxviii). Sed attende, fili, circa fauces et pectus, levem et quasi remissam esse ligaturam, circa vero renes et manus arctissimam, motus enim animi in tua potestate non est, et ideo in his venialiter peccare potes. Elias prius clausit cœlum quam animum, existimans se solum remansisse de prophetis Domini, cum adhuc superessent septem millia virorum, qui non curvaverant genua sua ante Baal (*III Reg.* xix). Similiter et lingua facile labitur, quia in madido sedet. Nam et Princeps apostolorum ad vocem ancillæ negavit. Et quia linguam de facili reprimere non potes, in ea venialiter potes peccare. In renibus autem, fili, noli errare, ut dicas lapsum carnis venialem, tanquam naturalem motum, vel debitum vectigal naturæ : *Deus enim non irridetur* (*Gal.* vi). Assumpsisti tibi feminalia, aperuisti os tuum in votum continentiæ. Mundus esto, ut munde tracies mundi mundatorem. Cohibe ergo manus tuas, fili, non dico, a furto, a rapina, et hujusmodi, quæ nemini licent, sed excute manus tuas ab omni munere. Noli diligere munera, noli sequi retributionem. Gratis accepisti sacramenta, gratis da (*Matth.* x). Comede ut evangelizes, non evangeliza ut comedas. Si fueris exactor muneris, cum accesseris ad Dominum Jesum Christum, poterit tibi dicere : *Noli me tangere* (*Joan.* xx). Vox tua Jacob sonat, manus autem tuæ sunt Esau (*Gen.* xxvii), manus sunt Briarei, non presbyteri. Ecce in his ligaturis, fili, *potes* intelligere quomodo debeas declinare a malo ; quomodo autem debeas facere bonum, ex reliquis intellige ornamentis, ex sudario, scilicet, et orario et planeta. Sudarium namque, quod et manipulus dicitur, gestas in læva. Quondam messores ob sudorem detergendum zonæ alligatum sudarium portabant, intellige ergo te messorem esse. *Messis quidem multa, operarii autem pauci* (*Matth.* ix), et ideo misit te Dominus messis ad metendum, id est ad colligendum undecunque in Ecclesia fideles verbo et exemplo, et sacramentorum participatione. Hæc quidem messis nunc hominum est, finitima vero erit angelorum, quando colligent omnia scandala de regno Dei (*Matth.* xiii). Patres antiqui sudarium ferebant ad tergendam lacrymarum affluentiam, quibus dictum est : *Beati, qui nunc fletis*, etc. (*Matth.* v), Beda dicit in Martyrologio suo, quod Pater Arsenius semper sudarium ferebat, aut in sinu, aut in manu propter lacrymarum affluentiam. Quocirca intellige, o fili, ex sudario, quantos exitus aquarum deducere debent oculi tui; flere namque debes pro excessibus propriis, pro excessibus gregis tui, pro incolatus prolongatione et pro patriæ desiderio. Orarium, quod et stola dicitur, super collum geris, cujus brachia ad minus extenduntur usque ad genua, et cancellari debet per medium pectus in modum crucis, ac si dicas : Onus crucifixi leve, et jugum ejus suave. Orarium autem dicitur, quia propter offensas populi tui cum humili genuflexione Domino debes supplicare, tuis precibus indignationem placare. Planeta, quæ et casula dicitur, totum te circumdat et protegit, et cæteris supereminet. Hæc est charitas, de qua dicit Apostolus (*I Cor.* xii) : *Adhuc supereminentiorem viam demonstro*, sine qua cætera, cum adesse possint, prodesse non possunt, eodem Apostolo attestante : *Si linguis hominum loquar et angelorum, si fidem habuero, ita ut montes transferam ; si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum* (*I Cor.* xiii). Ergo sine charitate, fili, nihil es, imo sine prædictis sacerdos dici potes, esse autem non potes. Forte pastor es in facie hominum, sed raptor es in facie angelorum, lupus es, non aries; latro, non minister. Nonne igitur Christus astans poterit tibi dicere : Fili, quomodo huc intrasti non habens vestem sacerdotalem? Et iterum : Quis tu hic? ecce autem asportaberis tanquam gallus gallinaceus (*Isa.* xxii), timeo ne ligatum manus et pedes projiciat te in tenebras exteriores (*Matth.* xii). Superest, fili, ut ex his quæ coram te sunt, intelligas quid fratri tuo debeas. Vides Deum et hominem coram te in cruce pendentem, plagis lividum, in cruce elevatum, proprio sanguine cruentatum, inclinato capite mortuum, in dextero lanceatum, tum dum vixit pro crucifixoribus orantem. Et tu, fili, crucem portes sequens præambulum tuum, in compassionibus proximi, et carnis mortificatione. In hac etiam pro persequentibus orare non desinas. Si populus tuus detraxerit tibi, si debitam reverentiam negaverit, si bovi trituranti os alligaverit debita stipendia subtrahendo, ne reddas malum pro malo (*Rom.* xii), sed potius vince malum in bono, sed potius ora pro illis, dicens : Domine, ignosce illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* xxiii). Forte lupus invadit gregem tuum, et opponas te murum pro domo Israel; lupus autem, ut amoveat te a defensione, pedes tuos perforabit, id est vernaculos et domesticos tuos, qui ad negotia tua discurrent, aggredietur, et eorum alios aporiabit, id est pauperabit, alios in carcere vinculabit, quosdam morte afficiet. Manus quoque tuas perforabit, fructu frumenti, vini et olei privabit (*Psal.* iv). Necessaria vitæ, quæ opere manuum proveniunt, dilapidabit, latus tuum forte aggredietur, parentes scilicet, qui os tuum et caro tua sunt, aggredietur laborans, ut offendas

Digitized by Google

Deum, ne propinquum amittas. Fortasse vitæ tuæ insidiabitur, sanguinem tuum sitiet. Sed inter hæc noli moveri, cum Christo crucifixus, noli descendere de cruce. Dic tyranno : Non movebor a defensione hac in æternum. Dic Domino : Domine, propter te mortificamur tota die, facti sumus sicut oves occisionis. Hæc igitur prædicta, tu, fili, et omnes animarum reges intelligite, et erudimini, qui judicatis terram. Eadem enim *mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis* (*Matth.* VII). Mensuram autem bonam et confertam, et coagitatam, et superefluentem reddat in sinum vestrum Jesus Christus Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

Amen.

SERMO XLII.

Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion (*Thren.* II). Verbum Jeremiæ plangentis, quod audistis per os meum, plangebat enim Jeremias desolationem urbis et squalorem pulveris, in quo sedebant senes coram facie Dei Israel, qui, cum sedere deberent in cathedra Moysi, sedebant in fetore sterquilinii. Potest etiam sub horum tenore verborum assignari lamentatio Salvatoris, negligentiam et taciturnitatem senum filiæ Sion plangentis. Fuit quidem et brevis et temporanea lamentatio prophetæ lugentis. Est autem jugis et assidua conquestio mediatoris. Sane conqueritur sponsus super negligentia custodum sponsæ suæ. Nois namque filius Turgaten duxit uxorem virginem filiam Sion, id est Dei Verbum. Deus Dei filius Ecclesiam sibi copulavit per fidem et dilectionem incorruptam sine macula criminis, sine ruga duplicitatis tempore nuptiarum cum ea præsentialiter fuit, in terris visus est, et cum hominibus conversatus est secundum tempus præfinitum a Patre. Quo consummato, rediit ad Patrem. Egressus enim ejus fuit a Patre, et regressus ejus usque ad Patrem. Unde ipse ait : *Exivi a Patre, et veni in mundum, et iterum relinquo mundum, ut revertar ad Patrem* (*Joan.* XVI). Quando vero ad Patrem rediit, senibus sponsam suam custodiendam commendavit, id est presbyteros ad custodiam ejus tanquam vicarios reliquit. πρεσβύτης enim Græce, *senex* est Latine. Presbyteri autem dicuntur senes, non tam ætate quam morum gravitate. *Cani enim hominis sunt sensus ejus* (*Sap.* IV). Et dicuntur senes hac similitudine, quia quod senes habent beneficio ætatis, id isti habent exercitio virtutis. Per longam siquidem temporum experientiam in senibus viget sapientia, et ex defectu caloris naturalis in eisdem viget continentia. De sapientia testimonium habemus prophetæ Malachiæ : *Labia sacerdotis custodiunt sapientiam, et ex ore ejus requirunt scientiam* (*Mal.* II). Alibi de continentia dicit Dominus : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (*Luc.* XII). Nec discordat commendatio ista facta per manum Salvatoris, ab usu humanæ consuetudinis. Principes enim terrarum uxores suas eunuchis ad custodiendum solent tradere ; sic et Dominus sponsam suam eunuchis tradidit custodiendam. (143) Non dicimus hic eunuchos per violentiam, quos spadones a spata vocamus : nec eunuchos per naturam, quos castratos, id est caste natos, nominamus, sed eunuchos per gratiam, et virtutem hic intelligimus, *qui se castraverunt propter regnum cœlorum* (*Matth.* XIX). Horum negligentiam et desidiosam, custodiam deplorat Salvator dicens : *Sederunt in terra, conticuerunt senes, custodes filiæ Sion.* Officium sacerdotum est deambulare et sedere in navicula Simonis, turba sedente in terra, sicut et Christus ambulavit super mare, dum colligeret discipulos. Sedit in navicula, et de navicula docuit turbas quæ erant in littore. De ambulatione dicit Veritas in Evangelio : *Ecce ego mitto vos, ut eatis, et fructum afferatis* (*Joan.* XV). Et alibi : *Ite, docete omnes gentes* (*Matth.* XVIII). Etiam de ambulatione sacerdotum vidit Ezechiel in spiritu. Deambulare autem debent de ove ad ovem, de morbida ad confractam, de confracta ad erroneam, de erronea ad validam. Morbidam debent confortare, confractam consolidare, erroneam revocare, validam conservare, ne incurrant illud propheticum : Quod morbidum fuerat, non confortastis ; quod confractum, non consolidastis : quod erroneum, non revocastis ; quod pingue et forte, devorastis (*Ezech.* XXXIV). Præterea debent sedere in navicula Simonis. Nec videatur vobis parvum in navicula Simonis sedere ; est enim summus et supremus gradus in via sedendi sedere in navicula Simonis. Alius quidem est summus et major isto gradus sessionis ad mensam Patris, vel in throno judicis, de quo dictum est : *Sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Sed hic est supremus in patria, ille in via. Tres sunt namque gradus sedendi in via : primus est minor, secundus major, tertius supremus. Primus est generalis, secundus particularis, tertius spiritualis. Primus est sedere super flumina Babylonis (*Psal.* CXXXVI) ; secundus est sedere ad mensam divitis ; tertius, sedere in navicula Simonis. In primo sedent fideles, in secundo juvenes, in tertio senes. In primo renati, in secundo litterati, in tertio prælati. Primus justificat, secundus illuminat, tertius consummat. Sedendum est super flumina Babylonis, hoc est super fluxum aquæ mundi, non contemnendo aquam, sine qua non vivimus ; sed mobilitatem, cupiditatem et superfluitatem, cum quibus male vivimus. Sedendum est, non super axem, sed super rotam fortunæ.

Mensa divitis sacra Scriptura est, in qua plura et delicata nobis proponit fercula Salvator noster, cujus divitiarum altitudinis non est finis. Copiosus est præ filiis hominum, *promptuaria* enim ejus *plena, eructantia ex hoc in illud* (*Psal.* CXLIII). Sedere in navicula Simonis est, quod Dominus dicit : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis* (*Matth.* XVI). Nos vero per antithesin facimus sessiones istis contrarias. Cum enim deberemus sedere super flumina Babylonis, sedemus super ollas carnium in Ægypto ; qui deberent sedere ad mensam divitis, sunt tales, de quibus dicitur : *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere* (*I Cor.* X), id est deludere. Prælati vero, quorum est sedere in navicula Simonis sedent in terra, quod Dominus deplorat, dicens : *Sederunt in terra senes*, etc. Cum ambulare deberent, sederunt, nec sederunt in navicula Simonis, ut docerent turbas in terra, sed quod dolendum est, sederunt in terra, id est totum sacerdotale officium converterunt ad terrenum emolumentum, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi (*Phil.* III). Sedentium vero in terra quidam sedent in terra aliena, quidam in terra sua. Illi sedent in terra aliena, qui agros agris, domos domibus continuant, opes opibus cumulant, non sibi, sed nepotibus, quos educaverunt, vel, quod deterius est manzeribus (144), quos de concubinis suis susceperunt. Illi vero sedent in terra sua, qui proprio commodo suo laborant deservientes voluptati, vel vacantes valetudini. Non sic docuit Salvator noster. Non est hic de schola ejus. Qui enim dediti sunt voluptati, non sunt in schola Christi, sed Epicuri. Qui student valetudini non sunt in schola Salvatoris, sed Hippocratis. *Omnia tempus habent* (*Eccle.* III), sed isti commutant tempora, procurantes sanitatem, cum magis deberent procurare salutem. Salus quippe est animæ sanitas corporis. Nunc est tempus salutis, unde Apostolus : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce dies salutis* (*II Cor.* VI). In futuro erit tempus sanitatis, quando hoc

(143) Isid., l. x *Etym.*

(144) *Manzer*, vox Heb., id est *de scorto natus.*

Digitized by Google

mortale induet immortalitatem, unde Apostolus : *Exspectamus Jesum Christum, Salvatorem nostrum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* (*Phil.* III). Dictum est, qualiter senes sederint in terra, nunc dicendum est qualiter conticuerint. Potuit dicere, tacuerunt, sed expressius dictum est, *conticuerunt*, id est simul tacuerunt, quia utramque partem loquendi omiserunt. Dum sunt partes loquendi, vita et doctrina, quibus sacerdotes debent præfulgere, sicut præeminent honore, utrumque enim necessarium est. Quantum enim prodest bona conversatio exemplo, tantum nocet silentio ; verumtamen non imitantes Salvatorem, de quo scriptum est : *Cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I). Nec exemplo instruunt, neque verbo docent. Præterea, *conticuerunt*, id est omnes modos loquendi suppresserunt. Tres sunt modi loquendi : docere, monere, orare : docere veritatem, monere ad conversationem, orare ad intercessionem. Docere veritatem de fide et articulis, monere de moribus, orare ad intercessionem pro sua et populi ignorantia. De primo loquitur Dominus : *Ite, docete* (*Marc.* XVI) ; de secundo legimus in Jeremia : *Ecce constitui te super gentes, et regna, ut evellas, et destruas, et ædifices, et plantes* (*Jer.* I) ; et de tertio ait Apostolus : *Primum omnium rogo in vobis fieri obsecrationes, postulationes, orationes*, etc. (*I Tim.* II). *Conticuerunt* etiam, id est omnem causam tacendi habuerunt. Tres sunt causæ tacendi : ignorantia, impotentia, negligentia. Ignorantia est turpis, impotentia difficilis, negligentia pinguis. Quid enim est turpius quam incipere discere, cum deberemus docere. Ludiculosa quidem res est, elementarius senex, teste philosopho. (145) Impotentia est difficilis, quia nonnunquam novit prælatus docere, sed non potest conscientia obstaculum præbente, et os ejus claudente, qui est quasi calculus in ore positus : hic est ranunculus obstruens ora canum. (146) Est enim quoddam genus ranæ mutum, non vocale, viride, modicum, quod dicitur calamita, quia manet inter calamos, et in os canum projectum clamorem eorum prohibet. Non secus conscientia mordicans criminosum prohibet eum docere, neque iterum, quod difficillimum est, permittit eum silere. Væ igitur ampullæ, si vult loqui, conscientia respondet ei I cum dixisse peccatori : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum ?* (*Psal.* XLIX.) Si autem formidans docere, disponit tacere, surgit tunc, et dicit : Quare taces ? nonne teneris prædicare ? nonne audisti Scripturam comminantem : *Væ vobis canes muti* (*Isa.* LVI) ? Negligentia est pinguis. Quidam enim considerantes laborem et dolorem, malunt otio se tradere, quam in vinea Domini laborare, de quibus scriptum est : Væ vobis, canes muti, pigri, somnolenti, non valentes latrare. Et alibi : *Maledictus, qui facit opus Domini negligenter* (*Jer.* XLVIII). Audivistis lamentationem Salvatoris, sed magis timendum est, ne incurramus ejus increpationem ex indignatione maxima profectam. Gravior namque est increpatio, quam lamentatio. Nos enim venenum malitiæ palliamus, lupinum animum tegimus sub pelle ovium, occultamus scelera nostra sub tonsura regulari, habitu vili, incessu humili, et aliis hujusmodi. Tandem solemniter induti ad altare accedentes orationem incipimus. *Aufer a nobis, Domine, iniquitates nostras*, et altari osculum infligimus. Nonne Christus econtra potest stare et dicere : *Juda, tradis osculo Filium hominis ?* (*Luc.* XXII). Ne ergo de vobis juste possit conqueri Salvator, ne justius increpare, ne justissime damnare, ite, docete de navicula turbas, ut cum sederit Filius in sede majestatis suæ, de sessione navis, per sedem judicis trahat vos ad mensam Patris, Jesus Christus, Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XLIII.

Qui mihi ministrat, me sequatur (*Joan.* XII). Verbum hoc abbreviatum fecit Dominus super terram, loquens ad ministros suos de modo ministrandi. Sed quis Dominus, et ad quos ministros ? De Domino absolutum est, quia sicut unus Magister, et unus Pater est nobis super terram, sic et unus Dominus. De quo : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV). Ille solus, cujus *est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo* (*Psal.* XXIII). De ministris vero ambigi potest, quia idem Dominus ministros habet diversorum locorum, et in eodem loco, ministros diversorum temporum, et in eodem loco, et tempore ministros diversorum ordinum. Quocirca videndum est, ad cujus loci, temporis, ordinis ministros loquatur. Audi de locis : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo ?* (*Psal.* XIV.) Habet ergo tabernaculum, habet sanctum, habet Ecclesiam militantem, habet triumphantem. Ministri autem montis sunt omnes administratorii spiritus missi pro eo (*Hebr.* I). Unde : Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis (*Psal.* CIII), et alibi : *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei* (*Dan.* VII). His ministris loci hujus dicitur : Qui mihi ministrat, mè fruatur. Restat ergo quod ministris tabernaculi dictum est : *Qui mihi ministrat, me sequatur*. Sed et in hoc tabernaculo sunt ministri diversorum temporum. Distinguimus enim Ecclesiam militantem per tria tempora. Habuit tempus ante Verbi incarnationem, habuit, cum Dominus in similitudinem hominum factus est, et habitu inventus, ut homo (*Philip.* II) ; habuit, cum homo peregre profectus a nobis, reliquit servis suis bona sua unicuique secundum propriam facultatem (*Marc.* XIII). Sub primo tempore Christus disponebat venire ad nos, sub medio medius stetit inter nos. Sub tertio abivit a nobis, sed propter nos, ut ipse ait : *Vado parare vobis locum* (*Joan.* XIV). Sub primo fuit exspectatus, sub medio manifestatus, sub tertio absconditus. Ministris primi temporis dixit : Qui mihi ministrat, me præstoletur ; ministris secundi : Qui mihi ministrat, mecum gradiatur ; ministris tertii : Qui mihi ministrat, me sequatur. Verumtamen et in tempore hodierno ministri sunt diversorum ordinum. Sunt janitores, sunt Nathinæi, sunt levitæ, sunt sacerdotes. Ministri tamen propriè, qui et dispensatores, qui filiis, servis mercenariis, cibaria dividunt in tempore opportuno, qui panem frangunt parvulis, qui escam salutarem conficiunt, et confectam distribuunt. Ad hos sermo Domini est ; ad vos ergo, o Patres. Sed forte respondebitis Domino : *Domine, quo vadis ?* (*Joan.* XVI), *quo ?* ut sequamur te. Sed si dissimulare non vultis, et viam scitis, et quo, et qua ambulavit scitis, et qui vult Christo ministrare, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Sane inexcusabiles sumus, Domine Jesu. Vidimus ingressus tuos, Deus, ingressus Dei nostri, ambulationem ipsius et sequelam vestram, nec nos ad memoriam revocare, nec nos pigeat audire. Audi de ambulatione ipsius : *Ero Deus eorum, et inambulabo in eis* (*Lev.* XXVI ; *II Cor.* VI). Audi de sequela ministri. Moyses felicissimus minister meus in omni domo mea (*Hebr.* III ; *Num.* XII), ergo in domo propria deambulavit Christus, et in eadem secutus est eum minister. Sed attendendum quod dicit, *omni*. Non est enim nisi domus una, de qua : *Unam petii a Domino, hanc requiram*, etc. (*Psal.* XXVI.) Et alibi : *Qui habitare facit unius moris in domo* (*Psal.* LXVII). Una est enim columba, una ami-

(145) Senec. epist. 56. c. Gesn. l. II *De quadrup.* Ovid. Isid. l. XII *Etym.*

(146) Plin., l. XXXII, c. 10.

Digitized by Google

ca (*Cant.* VI), unica unici. Dicit itaque, in omni domo, id est in omni parte domus. Quare videndum est, quæ sint partes domus, et quomodo Dominus deambulavit in eis, et quomodo minister debet sequi, et quibus viis.

Imperatoriæ majestatis est tres partes habere in palatio : cœnaculum, in quo suos reficit; auditorium, in quo lites dirimit; cubiculum in quo dormiens requiescit. Ad hunc modum imperator noster qui imperat ventis et mari in cœnaculo fuit, erudiendo nos; in auditorio dijudicando nos; in cubiculo moriendo propter nos. Erudiendo operibus et verbis, dijudicando pro singulorum meritis, moriendo pro nobis vivificandis. Cæterum, attende quomodo in singulis harum partium deambulaverit. In cœnaculo modo majores, modo minores refocillavit panibus. Sicut enim in parabolis docuit turbas, ita et aperiens os suum, elevatis oculis in discipulos suos, ait : *Beati pauperes spiritu*, etc. (*Matth.* V), in auditorio modo arguens malos, modo commendans bonos. Sicut enim dixit : *Væ vobis, Pharisæi hypocritæ* (*Matth.* XXIII), et multa in hunc modum, ita et ad discipulos : *Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ* (*Matth.* V). *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* X). De cubiculo ipse testatur : *Ego dormivi et soporatus sum, et exurrexi, quia Dominus suscepit me* (*Psal.* III). Deambulavit ergo in cubiculo de strato doloris ad lectum quietis, de ligno crucis ad monumentum decurionis. Quia *omnes dolores nostros et languores ipse portavit* (*Isa.* LIII), stratum doloris versavit sibi in infirmitate sua. Vidisti, minister Domini, præambulum tuum deambulantem, oportet te sequi eum, quocunque ierit; alioquin non eris fidelissimus in omni domo Domini, ut Moyses (*Num.* XII). Reor ideo dictum fidelissimum, ut tres partes domus notet. Dicitur enim fidelissimus, respectu fidelis et fidelioris. Ob hoc etiam reor Dominum tria adjectiva apposuisse servo, dicens, eum bonum, fidelem, prudentem, ibi : *Euge, serve bone et fidelis* (*Matth.* XXV); et alibi : *Fidelis servus et prudens* (*Matth.* XXIV). Necesse est ergo ministro deambulanti per partes domus, ut sit fidelis, fidelior, fidelissimus : prudens in cœnaculo, fidelis in auditorio, bonus in cubiculo. In cœnaculo, ut sobrie erudiat; in auditorio, ut juste definiat; in cubiculo, ut pie intercedat. Erudiat, quia seminiverbius, definiat quia prælatus, intercedat quia advocatus. Seminiverbius in cathedra, prælatus in curia, advocatus in missa. Restat, ut videas, quomodo in his deambules, ingredere cubiculum conscius juventutis, ut congrue dicas : *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam* (*Psal.* XLII). Ingredere auditorium, nescius negotiationis, ut dicas : *Quoniam non cognovi negotiationem, introibo potentias Domini* (*Psal.* LXX). Ingredere cœnaculum memor circuitionis, ut dicas : *Circuivi, et immolavi Domino hostiam vociferationis* (*Psal.* XXVI). Stans ad altare, esto vir, de quo dicitur : *Fuit vir unus in Ramathaim sophim* (*I Reg.* I). Unde Sapientia : *O viri, ad vos clamito* (*Prov.* VIII). Non habeas senectutem vetustatis, nec pueritiam fatuitatis. Putasne, cum sto coram Deo meo, qui in altari est corporaliter, licet invisibiliter, si olfecerit in me rancorem vetustatis, dicet mihi : *Inveterate dierum malorum* (*Dan.* XIII), hodie venient mala super caput tuum; quæ prius operabaris? Si senserit in me pueritiam fatuitatis, qui debeo psallere sapienter : nec tamen intelligam, quæ dico, vel ago, vel quare : nonne maledicet mihi cum pueris clamantibus : *Ascende, calve, ascende, calve?* (*IV Reg.* II.) Amen dico vobis, satius mihi esset edere carbonem vivum, quam Jesum pro nobis mortuum. Sedens in auditorio, ignora negotiationem; excute manum tuam ab omni munere, ne parcas pauperi, ne munera exoculent te, et faciant senem abocellum, ne diligens munera et sequens retributiones inebriatus obliviscaris judiciorum Dei. Recumbens in cœnaculo, recordare circuitionis; circuitria, multos, multa, multum. Multas, scilicet, oves languidas, erroneas, robustas : illas curando, has revocando, istas confortando. Audi magistrum Paulum, circumeuntem : *Græcis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum* (*Rom.* I). Multa vero, quia *bonus homo profert de thesauro suo nova et vetera* (*Matth.* XII). Audi eumdem Paulum : *Sapientiam loquimur inter perfectos* (*I Cor.* II). Et alibi : *Nihil judicavi scire me in vobis, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* (*ibid.*).

Multum quoque oportet currere, ne tribulatio, vel angustia, vel fames, vel nuditas separet te a verbo Dei, sed juxta Apostolum : *Prædica ministerium, fac opus Evangelii, insta opportune, importune* (*II Tim.* IV). Superest videre, quibus viis deambulandum est nobis, id est, quo nomine prætaxatæ tres viæ censentur. Via cœnaculi dicitur via mandatorum, via auditorii, via veritatis, via cubili, via testimoniorum. De prima dicit Propheta : *Viam mandatorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*Psal.* CXVIII); de secunda : *Viam veritatis elegi* (*ibid.*); de tertia : *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis* (*ibid.*). Currentem, id est promptum et dilatatum esse necesse est doctorem mandatorum Dei. Unde Petrus : De fide et spe quæ in nobis est, parati sumus reddere rationem omni poscenti (*I Petr.* III). Et Apostolus : *Cor meum dilatatum est ad vos, o Corinthii!* (*II Cor.* VI.) Quod in auditorio tenenda sit via veritatis, non est qui ambigat. Hæc est regia via, qua incedendum est, non declinandum, ad dexteram vel ad sinistram. Prima ergo :

Lactea nomen habet,
(Ovid, l. II. *Metam.*)

id est doctrinalis. Secunda nomen habet, via cubiculi, id est judicialis; ob hoc dicitur testimoniorum, quia quæcunque in missa fiunt aut dicuntur, testimonia sunt eorum quæ fecit aut dixit Dominus circa mortem et in morte, unde ipse ait : *Hæc quotiescunque feceritis, in meam memoriam facietis* (*Luc.* XXII). Et Paulus : *Quoties hæc feceritis, mortem Domini annuntiabitis* (*I Cor.* XI). Ut autem pauca de pluribus, quæ scilicet, visibiliter fiunt, eliciamus, operæ pretium est, ut attendatis. Stat sacerdos innovatus mente et habitu ad altare, orationem dirigit ad Patrem, quæ collecta dicitur, quia tanquam advocatus omnium orationes colligit et defert ad Dominum. Via testimoniorum hæc est. Testatur enim et ad memoriam revocat, quod Christus in cœna orationes omnium contulit ad Patrem. Cum enim pro præsentibus quos dederat Pater de mundo orasset, addidit : *Non pro eis tantum rogo, sed pro his qui credituri sunt per verbum eorum* (*Joan.* XVII). Orat vero, quæ postulat fieri, *per Dominum nostrum*, id est Christum, memorans illud : *Si quid petieritis a Patre in nomine meo dabit vobis* (*Joan.* XIV). Numerus etiam orationum via testimoniorum est. Tamen secundum primariam institutionem et ordinem Romanum, una præmittenda est oratio, sicut unum graduale, unum alleluia, una epistola, unum evangelium, sed per Patrum institutionem quandoque dicuntur tres, quandoque quinque et septem. Præter has alius numerus est, non dico reprehensibilis, sed extraordinarius. Cum ergo dicit tres, memorat quod Dominus ter oravit eumdem sermonem, dicens : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI). Cum dicit quinque, recolit quinquepartitam Domini passionem, quæ in quinque vulneribus summata est. Cum vero septem, continentiam Dominicæ orationis memorat in septem petitionibus comprehensam; quarum numerum excedere forte præsumptuosum dici debet. Cum transit de dextro cornu altaris ad sinistrum, ut in eo quandoque legat evangelium, et in fine redit ad dextrum, contestatur transitum evangelicæ prædicationis, de Judæis ad gentes, sed in fine rediturum ad Judæos. Cum pertransit canonem manibus expansis, formam

Digitized by Google

crucis exprimit, in qua Dominus manus suas expandit ad populum non credentem. Cum inclinatus dicit : *Supplices te rogamus*, etc., figurat quod Christus, *inclinato capite, tradidit spiritum* (*Joan.* IX). Cum iterum erigitur, et aliquantulum, voce elevata, dicit : *Nobis quoque peccatoribus*, etc., tunditque pectus, commemorat Centurionem, et alios quosdam rediisse, tundentes pectora sua et dicentes : *Vere Filius Dei erat iste* (*Luc.* XXIV). Dicturus : *Oremus, præceptis salutaribus*, etc., detegit calicem, qui huc usque tectus erat, magis pro reverentia quam pro mysterio, et detectum elevat. Item deponit eum, et tegit. Via testimoniorum est. Recolit enim quod Joseph de cruce corpus Domini tulit, et posuit in monumento involutum sindone, et advolvit lapidem ad ostium monumenti (*Matth.* XXVII), et quia per triduum Dominus clausus est in monumento, ideo prius prosequitur tres positiones canonis, antequam iterum amoveat velamen. Primo enim dicit præfationem Dominicæ orationis, quæ protenditur a *Præceptis salutaribus*, usque, *audemus dicere?* Secundo dicit orationem ipsam, quæ a B. Gregorio primo ibi introducta est Tertio dicit embolismum ejusdem orationis, quæ est : *Libera nos, quæsumus*, etc. His expletis, quasi triduo consummato, detegit calicem, et fracta hostia in latere dextro, particulam quam frangit deponit in calicem, admiscens eam sanguini, commemorans animam et carnem, quæ in illo triduo separata fuerant ab invicem, in resurrectione, quæ notatur in amotione velaminis, rediisse in pristinam notatur unionem. Demum offert pacem circumstantibus quia et post resurrectionem Christus stans in medio discipulorum, ait : *Pax vobis* (*Joan.* XX). Instruens etiam nos, quia si quis accedit ad Eucharistiam sine pace et unitate Ecclesiæ, judicium sibi manducat et bibit. Inde est quod in missis pro defunctis pax non offertur, quia et mortui in Christo translati sunt ab osculo pacis significativo ad veram pacem, id est de figura pacis ad veritatem pacis. Sane dicitur in missa in diebus festis finaliter : *Ite, missa est;* in profestis, *Benedicamus Domino*, et id ipsum via testimoniorum est non operum Christi, ut prædicta, sed cujusdam traditionis Ecclesiæ. In diebus enim Ecclesiæ nascentis, Dominicis et festis diebus tantum, fideles, qui sæcularibus solent occupari negotiis, conveniebant ad audiendum missarum solemnia, quibus rite expletis, ne insolenter recedere viderentur, licentia redeundi ad propria denuntiabatur, ne quando inexpleto redire præsumerent. In diebus vero profestis, qui solis divinis mancipantur officiis, intererant missæ; quibus nec fuit, nec est danda licentia abeundi retro. Qui enim militat Deo, non implicat se sæcularibus negotiis (*II Tim.* II). Sane, si in modum prædictum ministrabitis Christo, adimplebitis quod dictum est a principio : *Qui mihi ministrat, me sequatur;* nos autem ministramus ei, itaque sequamur ipsum. Sequamur vero, ut tandem consequamur; consequamur autem, ut demum comprehendamus. Comprehendamus quidem, ut in æternum conregnemus cum Jesu Christo, Domino nostro, judice nostro, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XLIV.

Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis (*Thren.* IV). Flevit Jeremias in Threnis destructionem civitatis, commemorans crudelitatem matrum, quæ, matrem exuentes, filios suos ad mensuram palmi coxerunt, et devoraverunt eos. De pastoribus etiam Israel, qui curam gregis non agebant, dicit Dominus : *Væ pastoribus Israel* (*Ezech.* XXXIV). Et convertens ad eos sermonem, ait : *Quod pingue erat, comedistis, quod confractum, non consolidastis; quod erroneum, non revocastis; quod infirmum, non sanastis : nec solum lanis operiebamini, sed lanissæ facti estis* (*ibid.*). Et vos similiter, fratres, videte, ne uni vestrum pro omnibus dicat Dominus : Dispensatorem posui te super familiam meam, et tu panem non ministrasti eis, imo de dispensatore factus es dissipator, de speculatore spiculator. *Serve nequam*, mittam te in tenebras exteriores, quousque reddas novissimum quadrantem (*Matth.* XVII). Distribuendus est itaque, fratres, panis Dominicæ filiis esurientibus. Sed videte quia est panis mundus, qui distribuendus est filiis, et est panis immundus, qui distribuendus, vel dandus est servis. Sunt autem isti panes adhuc conjuncti in domo Dei, sicut in area palea cum granis. Tres autem species panum legimus in sacra Scriptura : sunt enim panes Pharaonis, panes oblationis, et panes propositionis; primi panes laici, secundi panes levitici, tertii panes propositionis sive salutis. In primo estis judices, in secundo sacerdotes, in tertio pastores. Panes Pharaonis in epistola Canonica dividuntur in tres partes, in concupiscentiam carnis, et in concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ (*I Joan.* II). Prima est luxuria, secunda est avaritia, tertia superbia. Luxuria enervat, avaritia cruciat, superbia inflat. Luxuria est proferens immunditiam, avaritia est generans invidiam, superbia pariens injustitiam. Luxuria est premens hominem infra se, avaritia trahens extra se, superbia rapiens eum supra se; infra per pollutionem, extra per vagationem, supra se per elationem. Luxuria deprimit eum infra se; quia cum sit factus ad imaginem Dei ut porcus vivit. Avaritia trahit hominem extra se, quia facit eum amplexari stercora pro croceis. Superbia extollit eum supra se, ut ponat os in cœlum; et sic per luxuriam vadit in vitiis delectari, per avaritiam in transitoriis consolari, per superbiam de potestate gloriari. De luxuria judicatis auctoritate Phinees, qui percussit Hebræum coeuntem cum Madianitide (*Num.* XXV). De secundo, auctoritate Domini, qui ejecit ementes et vendentes de templo (*Joan.* XV). De tertio, auctoritate Eliæ, qui igne cœlitus emisso duos quinquagenarios cum suis combussit (*IV Reg.* I). Debet ergo luxuria transfigi, avaritia ejici, superbia uri. Panis oblationis est quasi thus, et thymiama quod offerebat sacerdos Domino, id est oratio, de qua dicitur : *Intret oratio mea in conspectu tuo, sicut incensum*, etc. (*Psal.* CXL). Iste panis triplex est : Debet enim oratio ampla esse, devota et pura. Ampla, ut pro inimicis oretis, secundum illud. *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Matth.* V). Devota, ut non remisse petatis, quia, quidquid petieritis pie et perseveranter pro vobis, dat itur vobis statim, vel post. Puritas in tribus consistit. Videndum est, qualis petat, et qui petat et a quo petat. Qualis? qui dignus est impetrare. Quid? vitam, vel meritum vitæ, vel appendentia ad vitam. A quo? a patre; quia qui pater est vult dare. Hoc faciendo, sacerdotes estis. (147) Est enim sacerdos, quasi sacrum dans. Is enim sacra dat Deo, qui prædicto modo offert orationem suam Deo. Panis propitiationis sive salutis triplex est. Panis angelorum, id est Eucharistia, de quo dictum est : *Panem angelorum manducabit homo* (*Psal.* LXXVII); panis filiorum, id est verbum doctrinæ, de quo dictum est : *Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus* (*Matth.* XV); panis amicorum, id est exemplum vitæ, de quo dicitur : *Amice, accommoda mihi tres panes* (*Joan.* XXI). Propter hunc triplicem panem dictum est ter Petro : *Pasce oves meas* (*Luc.* XI), ac si diceret ei Dominus : Pasce Eucharistia, pasce doctrina, pasce bona vita. Quod autem dictum est Petro et apostolis omnibus est dictum, et vobis eorum vicariis et successoribus. Ergo pascite pane angelico, pascite verbo, pascite exemplo, ut de pascuis sollicitudinis trahat vos Dominus ad pascua satietatis,

(147) Isid., l. XVII. *Etym.*, c. 12.

Digitized by Google

Jesus Christus, Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XLV.

AD SACERDOTES.

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus (*Psal.* XL). Fratres mei et domini, magna est eminentia dignitatis vestræ, ordinis vestri et officii, nisi sponte dissimulare vel negare velitis, quod verum est. Scitis quanta sit vobis indicta necessitas servandi continentiam, pie et religiose conversandi inter homines, quibus divina misericordia vos præfecit in spiritualibus. Verbum breve et verum, vestra in pace dixerim. Quanto dignitate, ordine et officio aliis sumus altiores, tanto in conspectu Dei sumus despectiores, si dignitati indigna conversatio contradicit, si ordini inordinata vita obloquitur, si officii nostri munditiam vitæ incontinentia impugnat. Concorditer conveniunt, et convenienter concordant, sacer ordo et continentia. Si in sacro ordine sine continentia invenimur, quanto ordine erigimur, tanto incontinentia deprimimur. Opera pietatis semper sunt a nobis exercenda, et maxime in hoc tempore, quo divina misericordia piis fletibus et pœnitentiæ indulsit, quatenus ad eum, a quo recesseramus peccando, revertamur pœniteudo, confitendo, carnem macerando. Caro læta traxit nos ad culpam, afflicta retrahat ad veniam. Alio tempore parum religionis habuit, qui hoc tempore religiosior non exstiterit. Quod sit pietatis opus, et quæ merces operis aperit Propheta, ubi dicit : *Beatus qui intelligit*, etc. Verba hæc adeo sunt plana, adeo evidentia quod quidquid in expositione eorum dictum fuerit, potius rem involvit, quam evolvat ; tenebras inducit, et non lucem. Est tamen per misericordiam Dei aliquid subtilius investigandum. Propheta *egenum et pauperem* vocat Jesum, qui ex magna miseratione nostra carnem indutus apud nos tanquam pauper et egenus est conversatus, nec tantum proprii habens, secundum quod homo, ubi caput reclinaret, juxta illud : *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos ; Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet* (*Matth.* VIII). Reclinatum tamen illud in ara crucis, moriens ut verus homo, ne alii homines morerentur morte æterna. Super hunc egenum et pauperem intellige, qui Jesum Christum, licet captum, licet fustigatum, licet in cruce extensum, licet lanceatum, licet sputis illitum, Deum credit et Dei Filium. Qui pia fide hæc cernit, qui fide et virtute ista complectitur, licet aliquando ex carnis fragilitate excedat, divina tamen misericordia ab eo finaliter non recedit, quia *liberabit eum Dominus in die mala*. Diem malam appellat, diem judicii, non quia mala sed quia multis amara propter amaritudinem futurorum in ea. Quid enim magis amarum quam trudi in pœnas nunquam desituras, pati miseriam sine fine, sustinere tenebras absque lucis vicissitudine ? In tantis pœnis vivere, est continue mori, et nunquam deficere, juxta illud S. Gregorii (148). Cujus vita moritur in culpa, ejus mors vivet in pœna. Quæ poterit major esse erubescentia, quam in conspectu sanctorum angelorum, et omnium sanctorum aperiri conscientias singulorum ? Unde dicitur : *Sedit Antiquus dierum, et ecce libri aperti sunt* (*Dan.* VII). Libri conscientiarum tunc aperientur, qui modo iniqua obstinatione sigillati tenentur. Si modo alicujus nostrum omnia secreta ad omnium nostram notitiam prodirent, vix præ pudore subsisteret, quia sic detectum conspiceret. Nullus nostrum adeo correcte vixit, nullius nostrum adeo correcta sunt opera, quin miro perfunderetur rubore, si videret reserari omnibus latebras conscientiæ. Recte ergo dies judicii amara dicitur, in qua nihil operum, quod non revelctur. Differentiam vel eminentiam nostri status ad alios, clericorum ad laicos Osee propheta insinuat, ubi dicit : *Si fornicatus est Israel, saltem Juda ne delinquas ; nolite ingredi in Galgala, et in Bethaven ne ascenderitis* (*Ose.* IV). Verba hæc sunt Osee prophetæ, qui nomine et opere Salvatorem præfiguravit. Osee enim interpretatur *salvator*, cum significans Salvatorem, qui salvum fecit populum suum a peccatis eorum (*Matth.* I). De quo alibi dicitur : *Ipse veniet, et salvabit nos* (*Isa.* XXXV) ; venit enim quærere et salvum facere, quod perierat. Osee præcepto Domini uxorem duxit fornicariam : et Filius Dei Patri obediens in ara crucis sibi Ecclesiam junxit. Ducta est ab Osee quæ fuerat fornicata, et gentilitas sordibus idololatriæ polluta sanguine Christi est abluta, et sic eidem data in sponsam, in triumphantibus, nec rugam habens, nec maculam (*Ephes.* V). Ecce quanta convenientia significantis ad significatum, præconis ad præconizatum, umbræ ad rem, promissionis ad veritatem. *Si fornicatus est Israel*, etc. Mos est sacræ Scripturæ nomine Israel decem significare tribus, nomine Juda duas. Duæ tribus arcem obtinuerunt regni, et dignitatem sacerdotii. Tribus enim levitica, quæ pro aliis orando et offerendo intercessit, a tribu Juda et Benjamin non recessit. Ante regni divisionem omnes tribus dicebantur Israel, sed post factam divisionem, nomen quod omnibus fuit commune, majori parti, id est Christi tribubus factum est speciale. Recte ergo per Israel significantur laici, per Judam clerici, qui licet sint numero pauciores, sunt tamen dignitate eminentiores. Si ergo Israel, id est laici fornicantur, saltem Juda, ne delinquas. Non enim debent clerici altaris ministri, et prælati exemplo peccantium trahi ad peccandum, sed verbo et exemplo trahere alios ad munde vivendum. Si laicos luxuria inquinat, saltem ecclesiarum prælatos vitæ munditia non deseral, ut quanto dignitate aliis præferuntur, tanto munditia spectabiliores habeantur. Beatus homo, qui sicut honoribus, sic excellit et moribus. Sit comes dignitatis nostræ, fratres mei, munda conversatio, ne reverentiæ, quam dignitas nostra expostulat, perversus vivendi modus contradicat. Israel interpretatur *vir videns Deum*. Attendat populus se creatum ad videndum Deum : vivat caute, ne decidat ab eo, ad quem interpretatio nominis excitat (*Ose.* I). Juda sonat *confitens*. Ad duplicem confessionem tenentur clerici, peccati proprii et laudis divinæ. Simus diligentes, ne muti in alterutro illum perdamus, ad quem suspirat devota confessio. Et notandum, quod loquens de Juda dicit *ne delinquas*. Is delinquit, qui quod facere debet, relinquit. Prælatis non solum mortale est perpetrare mortalia, sed et perpetrantes non arguere, juxta illud Apostoli : *Insta opportune, importune, argue, increpa, obsecra in multa patientia* (*II Tim.* IV). Qui alios tenetur arguere, et non arguit, pœnæ graviori se subjicit (149), unde illud : *Maledictus homo, qui prohibuerit gladium suum a sanguine* (*Jer.* XLVIII). Non caret scrupulo societatis perversæ, qui manifesto facinori desinit obviare.

Nolite ingredi in Galgala, et in Bethaven ne ascenderitis. Galgala locus fuit in deserto, ubi populus secundo est circumcisus (*Jos.* V), non in personis eisdem, sed in aliis multitudinis ejusdem. Aliquanto tempore circumcisio in deserto dilata fuit, sed ubi ad Galgala perventum est, iterata, non in prius circumcisis, sed in de novo circumcidendis. Huic loquendi modo simile est illud : *Cum occideret eos, quærebant eum et revertebantur* (*Psal.* LXXVII), non occisi, sed metu occisorum alii. Bethaven locus est ubi Jacob gloriosam illam vidit visionem, angelos ascendentes et descendentes, et dixit : *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam*

(148) Greg., l. XV *Moral.*, cap. 9.

(149) C. *Facientis*, dist. 86.

Digitized by Google

(*Gen.* XXVIII), unde et ocus iste dictus est Bethel, id est *domus Dei*. Populus postmodum fatuo errore seductus in eodem loco idola adoravit, et dictus est locus Bethaven, id est *domus idoli*. Per Galgala et Bethaven duo vitia significantur, luxuria et avaritia; a quibus eo difficilius liberamur, quo gravius per hæc impugnamur. Galgala *volutabrum* interpretatur, et significat luxuriam, in qua, qui carnis spurcitias amat, volutatur, juxta illud : *Sus lota in volutabro luti, et, canis reversus ad vomitum* (*II Petr.* II) : unde alibi dicitur : « Vir luxuriosus ad omnia inutilis. » Bethaven sonat *domus idoli*, et significat avaritiam. *Avaritia enim servitus idoli est* (*Gal.* V). Ne ingrediamur, fratres mei, Galgala, nos inquinando per luxuriam, neque ascendamus in Bethaven idolis serviendo per avaritiam. Propheta in præcipiendi modo notavit, qua cautela sit opus in vitando vitio. *Nolite ingredi Galgala*, non ad egressum monet, sed ingressum prohibet. Nunquam enim luxuria facilius vincitur quam fugiendo, nusquam cautius vitatur quam ab ea declinando, nunquam perfectius expugnatur quam ab ejus congressu se cohibendo; unde Apostolus : *Fugite fornicationem* (*I Cor.* VI), et David : *Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram* (*Psal.* CXXXVI), et iterum :

Et neglecta solent incendia sumere vires.

Hinc Hieronymus (150), hostem, id est luxuriam, dum parva est, interime, nequitia elidatur in primo semine. Et illud :

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.
(Ovid. l. I *De rem. amor.*)

Præcidentes ergo omnem occasionem cadendi per luxuriam, Galgala non ingrediamur; non tantum detestantes luxuriam, sed fugientes omnem occasionem trahentem ad ipsam, videlicet loca, personas : loca ad libidinandum apta, personas ad decipiendum idoneas. Hæc enim omnia retibus diaboli sunt plena. In Galgala populus secundo fuit circumcisus; et duplex circumcisio ad hoc exigitur, ut plene luxuria vincatur. Circumcisio cordis, et circumcisio corporis. Corde et corpore circumcidimur, quando et corpus custoditur ab immundo opere, et cor cohibetur a turpi cogitatione. unde dicitur : *Ure renes meos, et cor meum, Deus* (*Psal.* XXV). Et iterum : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII). Lumbi dixit, et non : lumbus non enim sufficit præcingere lumbum corporis, nisi et præcingamus lumbum cordis. Ezechiel vidit hominem præcinctum podere usque ad renes (*Ezech.* XXIII), Joannes in Apocalypsi vidit hominem succinctum usque ad mamillas (*Apoc.* I). Succingamur ergo non tantum usque ad renes corpus custodiendo, sed usque ad mamillas cor ab immundis cogitationibus cohibendo. Neque ascendatis in Bethaven, ubi Propheta, imo Dominus per prophetam avaritiam prohibuit, bene ascensionis meminit; hoc ipso ostendens avaritiam non solum minores, sed et majores involvere : *Omnes enim amant munera, et sequuntur retributiones* (*Isa.* I), et nonnunquam carne edomita per abstinentiam subrepit avaritia, quæ polluit, et cruentat totam conscientiam. Pauci enim inveniuntur, quos odor munerum non inclinet, et incurvet; sed beatus, *qui excutit manum suam ab omni munere* (*Isa.* XXXIII). Hæc pestis multos secum trahit, difficile vincitur, mentemque inflammat ad rapiendum, ad servandum autem semper tenaciter laxat. Propheta ab utroque dehortans, ait : *Rapinas noli concupiscere. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere* (*Psal.* LXI). Hæc *duo* vitia *filiæ sunt sanguisugæ*, de qua Salomon loquitur (*Prov.* XXX). Sanguisuga vermis est, a sugendo sanguinem dictus. Hujus vermis natura est, ut sanguini sugendo appositus, non prius cesset sugere, quam vivere. Ubi enim sugere desinit, mori incipit. Talis est diabolus, qui quandiu potest et quantum potest, nec non cessat fallere, et quanto nos nequius decipit, tanto graviori pœnæ seipsum subjicit. Hujus sunt filiæ, luxuria et avaritia, quæ in hominem, quem sugere incipiunt, magis et magis inardescunt. Quot millia hominum is pater per has filias ad infernum perduxit? Puto quod tertia pars hominum pereat occasione harum filiarum. Luxuria quandoque ad modicum temperatur, sed postmodum eo fortius revertitur, quanto debilius ei resistitur. Avaritiæ nihil satis est. Avari animus dum ignescit ad id quod non habet, modicum putat quidquid habet :

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.
(Horat. *De arte poet.*)

Præcepto Apostoli acquiescentes, sicut exhibuimus membra nostra immunditiæ ad iniquitatem, sic exhibeamus ea justitiæ ad sanctificationem (*Rom.* VI). Luxuriam fugientes, avaritiam detestantes, nec ingredientes in Galgala, nec ascendentes in Bethaven. Nos, fratres, qui viri dicimur, qui robusti sumus, qui masculinos animos habere debemus, quid dicemus coram judice nostro, nunc mansueto, terribili in futuro? Virgunculæ ætate infirmæ, sexu fragiles, scilicet Agnes, Cecilia, nos judicabunt. Harum altera tertio decimo anno ad martyrii gloriam pervenit. Istæ virginitatem custodientes gloriose pro Christo sunt passæ. Nos miseri corpore robusti, sed animo infirmi ad ætatem maturam jam pervenimus, et quid unquam pro Domino sustinuimus? nullas mundi delicias intactas reliquimus, omne pratum lasciviæ nostræ percurrunt desideria. Vereor ne illud terribile nostris auribus licet invitis, *insonet* : *Potentes potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI), et quia per nos vitiis resistere non valemus, rogemus omnes, rogemus singuli pium confratrem nostrum Jesum Christum, quatenus ipse nos adjuvare dignetur, qui in præsenti carnis suæ edulio nos reficit, et in futuro Trinitatis visione satiabit benignus magister noster Jesus Christus, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XLVI.

Stetit angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua, et data sunt ei incensa multa (*Apoc.* VIII). Unus est sermo, quem audistis, et duo sunt sacramenta quæ revelavit Dominus servo suo Joanni in Apocalypsi sua, alterum de Christo, alterum de Christi ministro, id est sacerdote. De Christo sic : Angelus est nomen officii, nam et nuntii sunt (*Hebr.* I). Omnes autem beatorum ordines spirituum mittuntur in ministerium salutis humanæ. Omnes ergo angeli sunt, juxta illud : Qui facit angelos suos spiritus; determinantur autem sæpe in S. Scriptura ex potestate sibi tradita. Alii enim præsunt regionibus, de quibus in Daniele (*cap.* X) : *Princeps Græcorum, princeps Persarum*; alii præsunt Ecclesiis, de quibus in Apocalypsi (*Cap.* II) : *Die angelo Ephesi, angelo Laodiciæ*; alii præsunt personis, unde in Actibus apostolorum (*cap.* XII) : *Angelus Petri stat ad ostium*. In prælaxato autem capitulo nulla additur determinatio, ut intelligatur non angelus Domini, sed angelus Dominus, qui est Christus Jesus, magni consilii Angelus, qui resurgens stetit juxta aram. Ara dicitur, quasi arida; quæ enim cremantur, arefiunt in cineres. In ara crucis arefacta est caro Christi, sicut testa in fornace, unde : *Aruit tanquam testa virtus mea* (*Psal.* XXI), quia moriens jacuit super aram, resurgens stetit juxta aram, id est fluxu mortalitatis erectus est in statum sempiternæ immortalitatis. *Jam enim non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Statim *data sunt ei incensa multa*. Incensum quandoque est typus orationis unde : *Intret oratio*

(150) Hieron. ep. 4, ad Demetr.

Digitized by Google

mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine (*Psal.* CXL). Quandoque exaltationis, ut ibi : *Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus per desertum* (*Cant.* III). Christus autem resurgens multum exaltatus est majestate, potestate, cognitione. De majestate legitur : *Propter quod exaltavit illum Deus, et dedit illi nomen quod est super omne nomen* (*Phil.* II); de potestate ipse testatus est : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra, et in mari* (*Matth.* XXVIII); de cognitione etiam ipse prædixit : *Vos eritis mihi testes in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ* (*Act.* I). Habuit autem Christus resurgens *thuribulum aureum in manu sua*. Per aurum sapientia significatur. Est ergo caro Christi thuribulum aureum, *in quo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt absconditi* (*Colos.* II). Hæc est urna aurea, manna plena (*Hebr.* IX), quæ dum pateretur, erat in manibus lanistarum, juxta illud : *Terra data est in manibus impii* (*Job* IX). Cum autem refloruit, reposita est in manu Mediatoris. Superest ut, quod prædiximus, sacerdoti assignemus, et tunc determinate dici potest : *Stetit angelus Domini, juxta aram templi*. Nam et sacerdos est angelus, unde in Malachia : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et ex ore ejus requirunt sapientiam. Angelus enim Domini exercituum est* (*Mal.* II).

Sane in hoc capitulo tria considerantur : Officium illud sacerdotis, quod est : *Introire ad altare Dei*, et duplex causa intrandi. Prima est, ut *thuribulum aureum ferat in manu sua*, id est corpus Domini verbo consecratum manibus tractet, ministerio dispenset. Secunda est, ut multiplici orationum intercessione divinam gratia populo mitiget indignationem. Quod ut elucescat, altius ordiendum est de triplici sacerdotum officio, et unumquodque singulis exprimatur capitulis. Est enim pastor, est et judex, est et intercessor, pastor in Ecclesia, judex in cathedra, intercessor in missa. Pastor, ut sane erudiat, judex ut juste definiat, intercessor, ut pie subveniat. Singula quoque latius prosequamur. De primo sic : Deambulavit angelus Domini circa atria templi, habens virgas in manu sua, et data sunt ei pascua multa ; de secundo sic : Sedit angelus Domini super cathedram templi, habens calicem aureum in manu sua, et data sunt ei pocula multa ; de tertio sic : Stetit angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua, et data sunt ei incensa multa. Sane pastoris est deambulare, juxta illud : *Elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis* (*Joan.* XV). Quatuor fuerunt atria templi : primum sacerdotum, secundum virorum, tertium mulierum, quartum immundorum, juxta hunc modum quatuor sunt genera ovium sub pastore, oves infirmæ, oves confractæ, oves erroneæ, oves robustæ, secundum illud Ezechielis : *Quod infirmum est, non sanastis ; quod confractum est, non solidastis ; quod erroneum, non revocastis ; quod robustum, confirmastis* (*Ezech.* XXXIV). Infirma ovis est, quæ ad tempus credit, et in tempore tentationis recedit, sicut Petrus, qui confessus est Filium Dei, postea ad vocem ancillæ negavit. Hanc, ne deficiat, foveat pastor in hunc modum : *Fili* accessisti *ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II). Fidelis est Deus, qui non permittet te tentari super id quod potes (*I Cor.* X). *Castigat autem pater omnem filium, quem recipit* (*Hebr.* XII), ut hæreditatem tribuat castigato. Ovis contracta est, quæ computruit in stercore suo (*Joel.* I), quæ exsultat in rebus pessimis, et gloriatur cum malefecerit (*Prov.* II). Hanc, ut surgat, excitet pastor in hunc modum : *Surge qui dormis, exsurge a mortuis, et illuminabit tibi Christus* (*Ephes.* V). Si vero ad manum tangentis non evigilavit, adhibeat punctiones comminationum, dicens : Ignis tuus non exstinguetur, et vermis tuus non morietur (*Isa.* LXVI), transibis de aquis nivium ad calorem, ubi *erit fletus, et stridor dentium* (*Matth.* VIII). Ovis erronea est, quæ sequitur gregem alienum, quæ si vadit post Arium, dicat ei, quod Veritas dixit : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X). Si secundum Nestorium duas asserit personas in Christo, audiat a pastore : Non duo tamen, sed unus est Christus. Ovis robusta est, quæ cum Apostolo posteriorum oblita, in anteriora se extendit, hæc confortanda est in hunc modum. Sta in viis tuis, et considera quæ sit via æternalis. *Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum* (*Psal.* XXVI). Sic ergo deambulans pastor, quinque virgas habet in manu sua. Prima est virga potentiæ, secunda disciplinæ, tertia doctrinæ quarta misericordiæ, quinta custodiæ. Per primam punit, per secundam corrigit, per tertiam erudit, per quartam præcipit, per quintam munit. Prima est terribilis, secunda est favorabilis, tertia utilis, quarta dulcis, quinta laudabilis. Primam habet in elatos, secundam in inquietos, tertiam in parvulos, quartam in devotos, quintam in universos. Tali nimirum dantur pascua multa : talis enim pastor profert de thesauro suo nova et vetera. Horum summam tradidit homo Deus Petro, cum ter dixisset : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI), tria pascua designavit, ac si diceret : Pasce doctrina, pasce vita, pasce morte tua. Superest ut de judicio disseramus : *Sedet angelus Domini super cathedram templi*, dum dijudicat inter causam et causam, cum separat mundum ab immundo, sed attendat, quem calicem habeat in manu. *Est calix aureus Babylonis* (*Jer.* LI), de quo potionavit Jeremias reges terræ, in quo miscetur vinum erroris et vinum vertiginis. Hæc est *sapientia mundi*, quæ *est stultitia apud Deum* (*I Cor.* III), et sapientia Dei, {*F. leg.* carnis} quæ est inimica Deo. Prima suadet insania, secunda suavia ; per primam sapere, desipere est ; per secundam, insanire. *Est et calix in manu Domini vini meri plenus misto* (*Psal.* LXXIV). Hunc sacerdos habeat in manu sua, ut non consideret vultum potentis, ut non misereatur pauperi in mala causa non exoculatus muneribus, non inebriatus odio vel amore oblivisatur judiciorum Dei. Maxime cum scale (*sic*) confessor calicem habet in manu sua, in quo dantur ei pocula multa, tria scilicet vini genera. Primum est purgativum, secundum exhilarativum, tertium soporiferum. Primum est austeritatis, secundum jucunditatis, tertium quietis. Prima enim est comminatio pœnæ æternæ, secunda certitudo veniæ cum pollicitatione vitæ, tertia est injunctio cessationis a peccato, ac si diceret : *Vade, jam noli peccare* (*Joan.* V).

Superest aperire de intercessione. Stat angelus juxta aram templi, dum canitur antiphona ad introitum. Sic enim in Apocalypsi legitur, dum canerent septem angeli tubis : *Stetit angelus juxta aram templi*, etc. Cœlestinus quadraginta quinque antiphonas instituit ad introitum decantari, sub tripudio, id est sub trina repetitione. Introitus enim sacerdotis ad altare adventum Christi in carnem repræsentat, qui fuerat a prophetis prænuntiatus, tandem ab apostolis est testificatus, in ipso vero Christo manifestatus. Cantatur ergo antiphona, primo, ut repræsentetur vaticinium prophetarum ; cantatur secundo, ut figuretur testimonium apostolorum ; cantatur tertio propter manifestationem Domini Jesu ; unde sacerdos in typo Christi, dum canitur *Gloria Patri*, convertitur ad cantantes, ac si diceret Christus : Ecce adsum. Tamen in primitiva institutione alia fuit causa conversionis. Tandiu enim cantabatur antiphona, donec sacerdos conversus elevata manu innuebat cantori, ut diceret : *Gloria Patri*. Stans ergo sacerdos quasi in medio juvenculorum tympanistriarum, accedit ad osculandum altare ; ac si dicat Christus : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Deinceps *dantur ei incensa multa*, id est multiplicium orationum suffragia. Nec hoc dictum reor pro

Digitized by Google

numero orationum, quas quidam usque ad tædium multiplicant. Proprie enim, sicut unum est Evangelium, una epistola, unum graduale, unum alleluia, sic esse debet una collecta, una secreta, una post-communionem. Ne tamen quasi traditiones Patrum subterfugere videamur, tolerabilis est multiplicatio, si septenarium non excedat. Nam sub hoc numero petitiones orationis Dominicæ includuntur. Dicuntur ergo incensa multa : quia propriæ sunt decem, scilicet orationes in missa. Prima dicitur collecta ; secunda, secreta ; ultima, post-communionem. Septem sunt in canone, præter orationem Dominicam. In prima orat sacerdos, vel pro bonis, ut adsint, vel pro malis, ut absint. Et dicitur collecta quia petitiones omnium in unum collectas, solus refert ad Dominum. Præsalutat tamen eos, pro quibus orat in hunc modum : *Dominus vobiscum*. Quæ forma salutandi, licet sumpta videatur ab angelo, qui dixit Gedeoni : *Dominus tecum, virorum fortissime* (*Jud.* VI), vel a Booz, qui dixit messoribus : *Dominus vobiscum* (*Ruth.* II); melius tamen a Paralipomenon sumitur ; ubi regi Asa, et populo, qui secum collectus erat ad prælium, dixit sacerdos : Audi, rex Asa, et omnis populus Juda et Benjamin : *Dominus vobiscum* (*II Par.* XV), qui collecti estis ejus facere voluntatem. Responsio autem populi in secunda Epistola ad Timotheum (cap. IV) legitur, ubi scriptum est : *Dominus Jesus cum spiritu tuo*. In omni autem salutatione convertitur ad populum, præter illam, quæ præfationem antecedit. Jam enim accedit ad consecrationem Dominici corporis, jam quasi posuit manum ad aratrum, jam non licet ei respicere retro.

Collecta utitur ante hostiam, ubi orat pro hostiæ benedictione. Quæ quia a solo fit sacerdote, Secreta dicitur, sicut et sequentia, quæ ab ipsa solo fiunt. Est tamen causa specialis, quare secreta dicatur. Traditur enim quod quidam Patrum, dum secretam, elevata voce, diceret, irrisus fuisset a pastoribus juxta modum ipsius cantantibus. Quibus cum maledixisset, fulminati sunt. Proinde introductum est, ne audiatur a populo. In illis vero septem, quæ sunt in canone : prima est pro Ecclesia sancta catholica, ut eam Deus custodire et regere dignetur in toto orbe terrarum una cum pastore suo papa nostro. Quod vero quidam addunt de rege et antistite suo, nova est traditio. In secunda orat pro circumstantibus, quorum fides Deo cognita est. Inde est, quod catechumeni, quia nondum sacramenta fidei receperunt in principio canonis sub canone excluduntur (150*). In tertia, pro seipso orat, ut oblationem servitutis suæ Dominus placatus accipiat. Tandem ad divini corporis consecrationem accedit, qua confecta, quarto suppliciter orat, pro acceptatione hostiæ, ut per manus angeli in conspectum divinæ majestatis perferatur. Quinto orat pro mortuis in Christo quiescentibus. Sexto, pro peccatoribus, ut eos Dominus veniæ largitor admittat. Tandem elevata voce, præfationem cum oratione Dominica proferens, septimo dicit embolismum ejus, quod sonat superaccrescens. *Libera nos*, scilicet. In embolismo secreto orat pro pace danda.

In ultima, quæ, post-communionem dicitur, spiritualiter orat pro his qui ad communionem Domini accesserunt. Sane hæc sunt incensa sacerdotis multa. Cavendum est summopere, ne super ignem alienum hæc offerat. In epistola quidem Canonica tripertitus ignis alienus describitur, *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ* (*I Joan.* II), id est luxuria, avaritia, superbia. Prima inquinat, secunda cruciat, tertia inflat. Nadab et Abiu in die consecrationis suæ super ignem luxuriæ obtulerunt ; in præcedenti enim nocte uxores suas cognovisse traduntur, et adeo ignis devoravit eos (*Num.* XXVI). Chore, et cum eo ducenti, id est ambientes sacerdotium super ignem avaritiæ obtulerunt, et devoravit eos ignis (*Num.* XVI). Ozias usurpans sacerdotium cum regno lepra in fronte percussus est (*II Par.* XXVI). In hunc modum sacerdos, qui offert super ignem alienum, non evadet ignem æternum, a quo liberet nos Jesus Christus, Dominus noster, judex noster, cum veneri judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XLVII.

AD SACERDOTES ET PRÆLATOS.

Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipicutibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII). Deus ultionum Dominus sæpenumero per servos hos prophetas memorat et beneficium, quod homini contulit, et peccatum, quod homo attulit, et pœnam quam judex intulit, ut ita det metuentibus se significationem, ut fugiant a facie arcus. Porro magnus ille figulus, qui formavit auroram et solem, plangit his verbis primogenitum hominem, plasma suum nobile, quod sibi formaverat in honorem, sed vitio suo transfusum est in contumeliam, quia cum per se ipsum esse voluit, se ipsum perdidit, et in omnem posteritatem hæreditariam transfudit perditionem. Ne vero posteritas conqueri queat, tanquam quæ non rapuit exsolvens, omnem causam perditionis humanæ refert figulus in figmentum, Deus in hominem : qui cum factus esset ad imaginem Dei, ventilatorio spiritu repletus genuit nos ad imaginem sui, quia lege naturæ, qualis pater, tales filii. Verumtamen possunt prædicta verba significanter dici ad ministros Ecclesiæ, ad gregis Dominici pastores, ad exequiendam ab eis negligentiam, et cautelam inculcandam, quibus summopere, et præ omnibus cavendum est a lapsu, cum quanto gradus eorum altior, *tanto gravior* casus, et fit eis persuasio tanquam a *minori*, ac si dicatur eis : Pensate vos Domini, qui estis regale sacerdotium, gens sancta, positi in superlativo gradu hominum, si tantus est lapsus a gradu positivo, quam gravior est a superlativo? si tantus ab infimo, quantus a supremo? Sane, ut de aliis omittamus, quatuor sunt gradus, quibus ascendit sacerdos Dei summi, ut stet super speculam ad custodiendum vigilias noctis super gregem suum. Primus est naturæ, secundum gratiæ, tertius excellentiæ, quartus potentiæ. In primo nascimur, in secundo renascimur, in tertio promovemur, in quarto præficimur. Per primum sumus homines, per secundum fideles, per tertium sacerdotes, per quartum pastores, videlicet, nati, renati, signati, prælati. Est autem singulorum graduum cuique suum idioma. Primus est in honore, secundus in decore, tertius in dignitate, quartus in potestate. Sane de honore hominis in primo gradu neminem credimus ignorare. Factus est in anima ad imaginem et similitudinem Dei sui (*Gen.* I), in corpore erecto ipsius animæ similitudinem gerens, os habens sublime, ut *contempletur* cœlum et cœli lumina, propter quem factus est mundus sensilis cum omni supellectili sua. Dominus animantium terræ, accola paradisi, angelorum concivis, domesticus Domini Sabaoth, de homine futurus tanquam Deus, qui *cum in honore esset, non intellexit*, ut subesset plasmatori suo, sed coesse volens corruit *comparatus jumentis insipientibus, et similis factus est illis ;* non solum in necessitatibus suis, quia partitur cum jumentis cibum terræ, sed etiam in affectionibus cordis pectore et ventre serpit, dolosus vulpem, avem instabilis, luxuriosus suem, iracundus ursum, superbus equum, stolidus asinum vivit, et quod detestabilius est, in corpore erecto animæ similitudinem tenet. In anima vero curvata Dei similitudinem bestiali mutavit similitudine. Porro tres gradus reliquos, fidelis scilicet, sacerdotis, pastoris, nescierunt philosophi, nesciunt

(150*) Gul. Durand., l. XIV *Ration.*, c. 36.

Digitized by Google

infideles. Proinde confitemur tibi : *Domine cœli et terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI). Nos itaque, quibus datum est nosse mysteria regni (*Matth.* XIII), attendamus gradus ascendentis, fidelis enim ascendens de lavacro, decorem indutus est, de honore imaginis ascendens ad decorem adoptionis. Hic est decor, quem Propheta nivi comparat, et præfert, dicens : *Lavabis me, et super nivem dealbabor* (*Psal.* L). Hic est decor, pro quo sponsus alludit sponsæ, inquiens : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (*Cant.* IV). Hic est decor, ad quem hortatur Psalmistes noster rex in Israel filiam suam. *Audi, filia, obliviscere populum tuum, et domum patris tui : et concupiscet rex decorem tuum* (*Psal.* XLIV). Hæc est vestis Christi nivea, qualem non potest fullo facere super terram. Hæc est vestis candida, quæ superinduitur baptizato. Verumtamen *homo* Dei, *cum* in hoc decore esset, *non intellexit*, imo Spiritui sancto contumeliam faciens, vestem fidelium mutans in similitudinem pellis Æthiopum *comparatus est*, *jumentis* lascivientibus, *et similis factus est illis*, quæ contra stimulum calcitrantes jugum sibi impositum distrahunt, a via divaricant, et ideo cæduntur, donec quiescant, vel si inter flagella insolentiores fuerint, abjiciuntur; et parcit virgæ pater pro odio filii? Summa vero miseria est, ubi non adhibetur correctio, quia desperatur emendatio, unde Dominus ad Hierusalem : *Ultra non irascar tibi* (*Ezech.* XVI). Superest, imo nostra interest, attendere tertii gradus dignitatem : quantus scilicet, sit sacerdotii gradus. Ubi primo notandum occurrit, quia productior est ascensus ad hunc gradum nunc, quam in primitiva Ecclesia. In qua qui tantum fidelis erat, diaconus fiebat, vel sacerdos. Introducti postea sunt quidam minorum ordinum gradus, per quos, tanquam per cantica graduum ascenditur ad sacerdotium. Hic est thronus eburneus, cujus reclinatorium aureum est, ad quem ascenditur sex gradibus purpureis media charitate constratis propter filias Hierusalem, ubi sacerdos Dei summi ascendit ad dignitatem familiaritatis. In opere creationis non fuit, qui adjuvaret spiritum Domini, aut consiliarius esset. In mysterio vero redemptionis nostræ voluit habere coadjutores, dicens : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII). Est ergo sacerdos coadjutor redemptoris, consiliarius Domini Sabaoth, cujus consilio offensi redeunt in gratiam Dei sui. Hic est dapifer mensæ Christi, offerens Patri cibum cum servis, cujus verbum accedit ad elementum, et fit sacramentum, ejus manu conficitur medicamentum medicatum sapienter, quo restituuntur sanitati vulnerati a serpente. In exterioribus quoque elucet dignitas sacerdotis. Quantum est, quod ad elevationem manus ejus inclinantur capita populi, ut invocet super eo nomen Dei sui? Quantum est, quod reges gentium et principes populi flexis genibus offerunt ei munera, et deosculantur manum, ut ex ejus contactu sanctificentur? Verumtamen homo a secretis, cum in hac dignitate esset, non intellexit, sed quærens quæ sua sunt, sedens in insidiis adversus Dominum suum, comparatur jumentis insanientibus, et insanior factus est illis, quæ vel artus suos morsibus discerpunt, vel in quæque obstantia ruendo excerebrantur, vel, facto impetu, in præceps submerguntur. In eumdem modum oratio illius fit ei in peccatum; fit ei mensa Domini in laqueum, et in retributiones, et in scandalum. Si docet, aut silet, væ ampullæ, docenti enim dicit Deus : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* (*Psal.* XLIX.) Silens vero incurret væ canis somnolenti, et muti, et non valentis latrare, et descendet in infernum vivens (*Isa.* LVI). Postremo de quarto et ultimo gradu considerandum est; cum scilicet de dignitate sacerdotis homo ascendit ad potestatem judicis, ad sollicitudinem pastoris, ut vocatus a Domino sicut Aaron audiat ab eo : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI), et ut breviter dicam, ordinatur in infimis Christi vicarius, Ecclesiæ prælatus, habens in sententia primatum, et curiæ cœlestis ascensum, piscator hominum, pastor animarum, ultor injuriarum, ultor pœnitentium, fidejussor præmiorum, ambulans super aspidem et basiliscum, conculcans leonem et draconem. Verumtamen *homo* sublimis, *cum in* hac potestate *esset*, *non intellexit*, *sed* impinguatus, incrassatus, dilatatus, magnificavit super Dominum supplantationem, et ideo *comparatus est jumentis* morientibus, et putridior factus est illis; cujus error trahitur in exemplum, cujus fetor a mari usque ad mare, malitiosus ut Lucifer, qui traxit tertiam partem stellarum secum; piger ut Adam, qui sociam non correxit (*Gen.* III), avarus ut Saul, qui pinguia quæque reservavit (*I Reg.* XV), fraudulentus ut Antichristus, et ideo interfecit eum Dominus spiritu oris sui (*II Thess.* II). Ergo, *qui stat* in sublimi, *videat ne cadat* (*I Cor.* X). Vos itaque, quibus Dominus dedit gentes hæreditatem suam excolendam et possessionem suam terminos terræ, laborate per diem hodiernum, et nolite timere, quia cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum, Jesus Christus Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XLVIII.

AD PRÆLATOS.

Descendit Jonas ad interiora navis, et dormiebat sopore grari (*Jon.* I). Facta sunt hæc ante nos a diebus antiquis; scripta vero sunt propter nos, in quos fines sæculorum devenerunt. Factum est verbum Domini ad Jonam, filium Amathi, ut iret et prædicaret Ninivitis pœnitentiam, et annuntiaret eis scelera eorum. Qui missus contempsit, contemnens fugit, fugiens obdormivit. Quem forte deprehensum, in mareque missum, deglutivit cetus; sed pœnitentem et orantem restituit in aridam. Historia Jonæ præcipue ædificat missum a Domino ad prædicandum, cui dictum est : *Clama, ne cesses, exalta vocem tuam, annuntia populo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum* (*Isa.* LVIII); scilicet piscatorem hominum, pastorem animarum, annuntiatorem scelerum, intercessorem pœnitentium, fidejussorem præmiorum. Per eam enim potest intelligere gradum suum, timere casum, vitare periculum, sperare solatium; gradum in legatione, casum in temeritate; fugere periculum in deglutitione, solatium in restitutione. Ut sciamus gradum, videamus quis mittitur, et a quo mittitur, et quo mittitur a Domino; quia *non intrat per ostium*, etc. (*Joan.* X). Si intrusus per violentiam fuerit, si ingesserit se per Simoniam, si introductus per falsam suggestionem, longe est a veritate pastoris. Sic Ozias, Simon Magus, ducenti quinquaginta assentientes Chore. *Jonas*, *filius Amathi* mittitur, id est *columba*, *filius veritatis*. Magister enim columbæ, id est Ecclesiæ, comminister columbæ, id est Spiritus sancti, non debet differre a conformitate columbæ, si neminem læserit, si in cavernis petræ ædificaverit, si gemitum pro cantu habuerit. Columba est etiam, si ad mutationes coli, id est prædicationis mutet colorem. Aliter enim admonendi sunt senes, etc. Prædicet infirmis ovibus consolationem, confractis solidationem, erroneis revocationem, validis exhortationem. Columbæ etiam quadam alarum extensione inter se contendunt. Hæc est contentio sola sacerdotum, bona scilicet, virtutum æmulatio. De qua : *Æmulamini charismata meliora* (*I Cor.* XII), id est *imitatores mei estote*, charissimi, *sicut et ego Christi* (*I Cor.* XI). Studeant bonos imitari, vel parificari, vel transgredi. Ecce gradus. Est enim Christi vicarius homo columbinus, veritatis filius, Ecclesiæ prælatus. Si parum est esse hominem, magnum est esse fidelem, majus esse sacerdotem, maximum

Digitized by Google

esse pastorem. Sit etiam verax in animo, dicto et facto. Sicut enim vere dicitur : Verba sacerdotis, aut vera, aut sacrilega, ita non minus vere dicta et facta sacerdotis, aut vera, aut sacrilega. Ad Ninivem mittitur, id est Ecclesiam, de qua : *Tota pulchra es, amica mea*, etc. (*Cant.* IV), et itinere trium dierum intratur ad eam, cum dicitur : *Baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* De casu fugit a facie Domini, non populi. Sumus enim quasi sepulcra dealbata, etc. in tonsura ecclesiastica, in veste candida, in psallendo solemniter, in intercedendo jugiter, in comedendo peccata populi multiformiter : *Ad interiora navis*, sentina non potest remanere in medio, inferius cæteris cadit, quia præit cadentes. Navis Noe quinque mansiones habet (*Gen.* VII). In summa, homines et aves, prælati et contemplativi, quia soli Deo vacare habent. In secunda, immitia animalia, id est activi, qui divisi sunt. Post immitia, qui nomine tantum, et non numine, in sentina stercora, aqua paulatim intrans, pondus trahens superiora. Est enim avarus, ut Saul, piger ut Adam, malitiosus ut Satan, et est malitia malum alliciens : *Dormit somno gravi*, est sopor infirmitatis, necessitatis, veritatis, vanitatis, brevis, grandis, levis, gravis, admittendus, exspectandus, amplectendus, abjiciendus; quia utilis, inevitabilis, amabilis, detestabilis. Et pone auctoritatem de unoquoque periculo. Devorat eum Leviathan draco, qui factus est in mari ad illudendum ei (*Psal.* CIII), desolatio. Sed ne desperet servus fugitivus si pœnitnerit, si de profundis clamaverit, eruet eum Dominus de visceribus ceti, de faucibus inferni, et statuet eum a dextris inter oves, inter quas statuat nos Dominus noster Jesus Christus, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO XLIX.

AD MONACHOS.

Omni custodia cor tuum custodi, fili mi; ex ipso enim procedit vita (*Prov.* IV). In superficie litteræ apparet quia pater loquitur ad filium, sed quis pater ad quem filium, non satis elucet. Est enim pater carnalis, est et pater spiritualis. De primo secundum carnem nascimur ad laborem; natura filii iræ (*Ephes.* II); de secundo per aquam et spiritum renascimur ad justitiam, per adoptionem filii gratiæ. Verumtamen, si carnalis pater loqueretur, verisimile est, quod humano et veteri proverbio usus esset de custodia corporis, dicens : *Omni custodia custodi corpus tuum, fili mi.* Bonum enim castrum custodit, qui corpus suum custodit. Restat ergo ut pater spiritualis loquatur de justitia spiritus. Verum is quoque subdividitur. Primus pater spiritualis est, qui nos generat verbo veritatis, vel regenerat virtute baptismatis. Secundum hunc modum dicitur Marcus Petri filius (*I Petr.* V). Et Paulus ad Galatas aiebat : *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Gal.* IV). Secundus pater spiritualis est, Pater Domini nostri Jesu Christi (*II Cor.* I), Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Primus est pater noster, qui est in terris; secundus est Pater noster, qui est in cœlis. Proinde, quia primus adhuc est unus ex nobis, similis nobis passibilis, commodius dixisset : Omni custodia custodiamus cor nostrum, fili mi.

Superest ergo, ut Pater Deus loquatur ad Filium, vel ut verius dicamus, loquatur Deus Pater ad filios, cujus tres sunt filii, Job, Daniel et Noe, activus, scilicet et contemplativus, et utriusque prælatus. Primus est filius gratiæ, secundus filius obedientiæ, tertius filius dexteræ, qui dextera remum amplexans, tanquam fortis nauclerus naviculam Petri gubernabat. Primus nascitur in baptismate, secundus in ordinis professione, tertius in canonica promotione. Statuamus itaque istos tres filios ante faciem Patris eorum. Nam et ipse dixit : *Ubicunque fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Et elevatis oculis in filios suos, aperiens os suum dicat : « Filioli, audite patrem vestrum, inclinate aurem vestram in verba oris mei ad custodiendum ea; nam in custodiendis illis retributio multa. » Ad quem filii : « Loquere, Pater, et audiemus te; præsta nobis, ut quæ dixeris, custodiamus, quia nec saltem cogitare aliquid boni sufficimus ex nobis quasi ex nobis (*II Cor.* III). » Ad quos Pater : « Vobis tribus ex necessitate incumbit communiter cordis custodia. Vita enim et mors in manibus cordis. De morte legistis in Evangelio : *De corde exeunt furta, homicidia, blasphemiæ* (*Matth.* XV) : stipendium quorum mors est æterna. Quod autem vita sit ex corde, audite discipulum meum unius noctis Salomonem, qui ait : *Ex corde vita procedit* (*Prov.* IV). Sed et alius discipulus meus trium dierum Paulus inquit : *Corde creditur ad justitiam* (*Rom.* X). Verum præter hanc communem vobis custodiam, o fili gratiæ, tibi incumbit custodia etiam corporis. Adhuc enim habitas in medio nationis pravæ, frater draconum et struthionum socius : adhuc gemis, sicut lilium inter spinas, sicut granum inter paleas. Proinde tua interest, ut custodias quinque sensuum officinas, ne per fenestras eorum mors ingrediatur ad animam tuam. Concupiscibilia quotidie vides, audis ludicra, odoras fragrantia, gustas jucunda, tangis suavia. Sed et tibi, o fili dexteræ, nihilominus eadem sit carnis custodia. Vos enim duo lucetis in medio pravæ nationis tanquam lux fixa in firmamento. Super hæc autem commissa est tibi custodia fratrum. *Speculatorem te dedi domui Israel* (*Ezech.* III). Quocirca tu *fili* dexteræ *omni custodia custodi cor tuum*, et carnem tuam, et gregem tuum. Tu vero *fili* gratiæ, *omni custodia custodi cor* tuum et carnem tuam, ut dicas cum Psalmista : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum meum* (*Psal.* LXXXIII). Tu vero fili obedientiæ, elongasti fugiens, et manens in solitudine carnem tuam in tuto collocasti, tanquam in arce sublimi, ne circumlatrantium fluctuum incursibus concutiatur a longe. Sonum littorum audis, naufragium vero non perhorrescis. Quocirca *omni custodia custodi cor tuum, fili mi;* hujus enim unius custos es, unde et monachus appellaris. Præterea, filioli, diligenter attendite, quare dixerim cor custodiendum omni custodia; translative enim dictum est, sub ratione similitudinis. Vides quempiam sub divo ambulantem, cereum faculam succensam in manibus ferentem, utraque manu circumposita custodit eam, ne ventorum exstinguatur, et si quandoque aduritur, ustionem sustinet patienter. In hunc modum cor vestrum illuminatum gestatis, tanquam lucernam ardentem in manibus, ut dicatis : *Anima mea in manibus meis semper* (*Psal.* CXVIII). Illuminatur vero cor, quando scit Deum, scire autem, est custodire mandata ejus, secundum illud : *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*I Joan.* II). Illuminatur autem per tria, per pœnitudinem accenditur, per correctionem ardet, per sollicitudinem lucet. Hanc lucem, nisi custodiatur, tres venti exstinguunt. Caro ob oriente, *corpus enim, quod corruptum est originaliter, aggravat animam, et terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX). Mundus ab occidente, transit enim in occasum mundus, et omnis gloria ejus. Diabolus ab aquilone. Auster vero nutrit ignem lucernæ. Porro duæ manus custodientes lucernam in activo sunt eleemosynæ et jejunium. In prælato doctrina et vita; in contemplativo, lectio et oratio. Audistis patrem loquentem cum filiis de custodia cordis contra ventorum violentiam. Verumtamen diffusius agere possumus de numero ventorum, et violentia. Sunt enim generales sex tentationes, quæ miserum premunt spiritum, et fere opprimunt : quæ secundum sex locales corporum positiones considerari pos-

Digitized by Google

sunt : ante scilicet, retro, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum. In hunc modum tentatur spiritus ab inferiori, a superiori, ab anteriori, a posteriori, a dextris, a sinistris. Inferior quidem tentatio est contemptibilis, superior admirabilis, anterior terribilis, posterior deformis, dextra volatilis, sinistra gravis. Est enim inferior tentatio oblectamentum carnis, superior consensus rationis, anterior incursus dæmonis, posterior memoria præteritorum revocans, dextra prosperitas elevans, sinistra adversitas frangens. Ab his tentationibus liberet vos, qui creavit vos, et recreavit vos, et congregavit vos, ut essetis unius moris in domo (*Psal.* LXVII), et de pulvere suscitabit vos Jesus Christus, Dominus noster, judex noster, qui veniet judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO L.

AD MONACHOS

Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam (*Psal.* CXVIII). Satis accurate, nec sine brevitate morosa formam sacræ religionis propheta nobis expressit : dicendo videlicet, quid, inspirante Deo, elegerit, et quid ex voto promiserit. *Portio mea, Domine*, ecce electio; *Dixi custodire legem tuam*, ecce professio; de qua etiam est illud : *Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ* (*ibid.*). In altero quorum initiatur ad religionem; in altero, si tamen observatur, ascendit ad perfectionem. Alterum voluntar e eligitur, secundum illud : *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII); per alterum in facie Ecclesiæ, præsentibus angelis, astante vicario Christi, monachus obligatur. In his duobus summa est totius monasticæ religionis, disciplinæ regularis, tanquam grande ferculum in vase brevi. Porro de electione prius videamus. Vir ergo claustralis, vir compeditus qui injecit pedes suos in compedes sapientiæ, eligat Dominum in partem sibi, non cum aliis, non præ aliis, sed solum sine aliis, et dicat : Alii alia eligunt, quidam voluptatem corporis sectando porcum vivunt; alius thesaurizat, et ignorat, cui congregat ea. Hi in curribus, et hi in equis gloriantes allevantur, donec fodiatur peccatori fovea. Tu autem solus es *portio mea, Domine*. Dispositissima commutatio est, relinquere omnia propter eum, qui est super omnia. Verumtamen, qui omnia relinquere disponit, se quoque inter relinquenda numerare meminerit, imo principaliter abneget semetipsum propter eum, qui propter nos exinanivit seipsum (*Phil.* II), ut secure possit dicere cum Petro : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* XIX). Sano quippe utitur consilio, qui eligit gloriari in Domino, potius quam deliciari in carne, et circumagitari in sæculo : audierat credo, et expavit ad vocem illius qui dixit : *Si secundum carnem vixeritis, moriemini* (*Rom.* VIII). Audierat et alterum dicentem : *Amicus hujus mundi, inimicus constituitur Dei* (*Jac.* IV). Periculosa nimis amicitia, in qua, et per quam incurritur divina offensa. Hoc pensans vir claustralis, et carnalium voluptatum venena deposuit virulenta, gravemque sarcinam, et molam asinariam negotiorum rejecit sæcularium, Deum, qui vere bonus est, et unice suavis, in partem sibi eligens, imo *propter verba labiorum* ejus custodiens vias duras (*Psal.* XVI), et in militiam Domini interposito professionis vinculo conjurans; et, ut breviter concludam, electionis vestræ utilitatem paucis attendite (151). Electio vestra provida est, necessaria est, secura est. Provida est ad melius eligendum. Maledictus, qui partem suam fecerit deteriorem. Vir autem claustralis, vel optimam partem elegit sibi, quæ non auferetur ab eo (*Luc.* X). Necessaria est ad comprehendendum : opus est enim celeri et expedito cursore, qui eum cursu æquare voluerit, qui *ut gigas exsultavit ad currendam viam* (*Psal.* XVIII). Nec curretem sequi poteris oneratus. Secura quoque est ad quiete vivendum; si enim solum Dominum elegeris, non inhias quærendis, non incubas quæsitis, non te crucias pro amissis. Porro quam salubris est obligatio professionis brevi exemplo perpendere potestis. Pater filium habet ægrotum, qui sanari non potest absque incisione et cauterio. Consulit pater filium, utrum ligari velit. Ille, sanitatem desiderans, rogat se ligari, incidi et uri. Ligatus autem, cum ferrum et ignem incipit sentire, clamat, furit, solvi deposcit; sed a Patre non solvitur, donec sanetur. In hunc modum monachus, se regulari disciplinæ sponte et scienter obligavit, si quid molestiæ et afflictionis sensorit, patienter sustinebit, quæ post tentationem sustinuisse gaudebit. Patientia enim quasi farinula Elisæi est (*IV Reg.* IV), quæ totius cibi amaritudinem novit dulcorare, ne mors sit in olla. Porro ad habendam patientiam duo sunt necessaria : collatio pœnæ, quam sustines, et præmii quod exspectas, et memoria Dominicæ passionis. Confer ergo in corde tuo, quia *non sunt condignæ passiones* (*Rom.* VIII), quas sustines ad præteritam culpam, quæ tibi remittitur, nec ad futuram gloriam, quæ tibi promittitur. Hæc attendens patienter sustinebis. Revoca ad memoriam quanta pro te sustinuit Deus tuus, qui cum esset Patris unicus, mortuus est pro nobis, ne remaneret unus. Emit sibi fratres sanguine suo, dum alapis cæsus est, sputis illitus, opprobriis saturatus, coronatus spinis, crucem sibi bajulans, inter sceleratos deputatus, in ligno extensus, clavis confossus, post mortem lanceatus. Quis monachus attendens hæc non admiretur et dicat : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* (*Psal.* CXV.) Turpe est membrum esse delicatum sub capite spinato, cutem habere nitidam, sub carne Christi cruentata. Superest, ut de lege, quam divisti esse custodiendam, prosequamur. Si intellexeris hoc de lege mandatorum Dei, quæ est *immaculata, convertens animas* (*Psal.* XVIII), de qua scriptum est : *Beatus, quem de lege tua docueris, Domine* (*Psal.* XCIII), ejus custodia necessaria est omni credenti, omni qui diligit vitam, et diligit dies videre bonos. Aliam tibi legem elegisti, legem scilicet apostolicam, quam Domino inspirante constituerunt apostoli, legem scilicet vitæ communis, quæ in tribus maxime consistit, in communi dilectione fraterna, in communi substantia, in communi obedientia; de primo dicitur : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una in Deum* (*Act.* IV).

De secundo : *Et nullus quidquam eorum, quæ possidebat, dicebat esse proprium* (*ibid.*); de tertio : *Ponebant omnia ad pedes apostolorum, et obediebant eis* (*ibid.*). Hæc tria caput sunt monasticæ religionis. *Estote ergo prudentes sicut serpentes* (*Matth.* X). Caput hoc diligenter custodite. In his nulla ratione dispensandum est nec contra hoc homini obediendum (*Act.* IV). Non servavit Judas charitatem fraternam; et suspensus crepuit medius. Ananias et Sapphira peccaverunt in communem substantiam, et ad pedes Petri exspiraverunt (*Act.* V). (152) Simon Magus a suscepta recessit obedientia, et factus est vagus et profugus super terram, et tandem toto corpore confractus interiit (*Act.* VIII). In superadditis quidem dispensare potestis, vel mutando, vel subtrahendo, vel superaddendo; dominus enim Benedictus huic capiti quædam superrogavit ornamenta, vel, ut verius dicam, circa sterilem ficulneam fodit, ut fructum ferret, et stercora apposuit, ut plus ferret; de aridita'e scilicet ciborum, de vilitate vestium, de humilitate lectorum, de temporibus jejuniorum, de custodia labiorum, de exercitio laborum, de di-

(151) S. Bern., lib. I *De consid.*, c. 4.

(152) Niceph., l. II *Hist. eccles.*, cap. 36.

Digitized by Google

stinctionibus orationum. Verumtamen ante caput prædictum, et hæc superaddita ante adventum Christi in carnem elegerunt Rechabitæ habitationem solitudinis et parcimoniam vitæ austerioris (*Jer.* xxxv), bibentes traditionem de calore patris (153) sui Rechab. Sed et Joannes Baptista formam vobis secretæ conversationis reliquit, et vitæ asperioris exemplum (*Matth.* III). Verumtamen hunc ordinis rigore quasi jurejurando professionis sanctum quædam vitia latenter emolliunt, maxime si vitium curiositatis ebulliat. quæ, quod deterius est, sola esse non potest. Erubescibilis enim est vico manifesta curiositas; quocirca caputiari se appetit, ne vilescat. Quandoque enim sub obtentu sanitatis egreditur monachus ad propinquos, ad natale solum redit, ut ibi liberum et consuetum aera bibat per aliquos dies, vel forte aliquam refectionem referat fratribus ab amicis. Quandoque sub obtentu utilitatis fratrum egreditur monachus ad principes terræ, rogator importunus, quæstum quocunque modo factum pietatem appellat. Cum redierit, horam ingressus sui diligenter explorat, ne oporteat eum ingredi ad communem fratrum mensam, vel ad orationem communem. Et cum sub obtentu boni hoc se facere proponat, verior tamen causa, quoniam olera claustri semicocta fastidit, et inuncta, et vinum aqua mistum, silentium, sessionem in claustro carcerem reputans. Appetit enim edere lautius, bibere sapidius, loqui licentius, cubare mollius, vigilare parcius, orare tenuius. Sed non manens in claustro, vitium curiositatis evadit (154). Gerit enim quemdamanimi pruritum, et furtiva propriæ voluntatis quærit diverticula: quotidie novas et exquisitas occupationes, novas actionum vel laborum affectiones, lectiones diversas, non ad ædificandum, sed ad fallendum diei spatium; crebrius egreditur ad hospites, et quasi calamitatibus pauperum compatiens de pace principum terræ quærit; sermonem faciens, de acerbitate militum, de superfluitate clericorum, interpolatum suspiriis, tanquam misericordia motus super eos. Ad sonitum campanæ necessarium abire proponit; non omittit tamen auribus insidiare, ut si venerit abbas vel prior, meminerint apud eos ipsum commendare. Periculosum valde est hujusmodi vitium; et verendum, ne qui hujusmodi est, tandem fiat *sicut pulvis, quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* I). Verumtamen detestabilius isto est vitium singularitatis. Qui singularis est, aspernatur cæteros, et se solum religiose vivere protestatur, susurro in fratribus fomitem odii et seminaria discordiæ ministrans, quibusdam latenter detrahit, quorumdam benefacta patenter decolorat: manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum. Timendum est, ne exterminet eum aper de silva, et singularis ferus devoret singularem (*Psal.* LXXIX). Contra hæc et hujusmodi estote suspicientes in cœlum, puras manus in oratione levantes, solliciti observatores conscientiæ, sectatores bonorum operum. Regia via sequimini patres vestros præcedentes, donec transferat vos de via ad patriam, de agone ad palmam, de labore ad quietem Jesus Christus, Dominus noster, judex noster, cum venerit judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

SERMO LI.

DE VIRGINIBUS, AD MONIALES.

(*Vide Hildeberti serm.* 125, Patrol. *t.* CLXXI, *col.* 905.)

(153) Forte *ab ore patris.*

(154) *Evadit* pro *incurrit.*

ANNO DOMINI MCLXXX

HERBERTUS TURRITANUS

(Vide *Patrologiæ* t. CLXXXV, in Append. ad Opera S. Bernardi)

ANNO DOMINI MCLXXIII-MCLXXXVIII

GUIGO II

CARTHUSIÆ MAJORIS PRIOR GENERALIS

(Vide *Patrologiæ* t. CLIII, col. 785.)

Digitized by Google

INDEX IN ADAMUM SCOTUM.

Revocatur lector ad numerales notas crassiori charactere textui insertas

A

Aaron sustinens manus Moysis quid mystice designet, 407.

Abel typus oblationis religiosæ, 247.

Abisag Sunamitis fovens David, idea est divinæ gratiæ, 89. Item contemplationis charitate accendentis electos, 470. Item sapientiæ, 139 et sequentibus. Abisag quadripartitum munus, designat quadripartitum munus sapientiæ, 140, 141.

Abrahæ fides et obedientia laudantur, 125. Abram ex etymo nominis importat excelsum, et designat virum religiosum et devotum, 150. Abraham unigenitum suum offerens, typus oblationis religiosæ, 247.

Absalonis typi mundanorum hominum cæsaries, quid significet, ejusque infausta mors, 464.

Abstinentia primitiva Prænonstratensium, 237. Abstinentia commendatur, 277, 280.

Accusatio festiva iniquitatis propriæ post commissum peccatum signum magnum salutis, 179.

Acolyti quare teneant cereos accensos ad Evangelii decantationem, 393

Actiones nostræ quomodo instituendæ, 436. Activæ vitæ modus debitus, 436.

Adami peccatum quantum humanæ naturæ damnum intulerit, 98. Ejus inobedientia in re levi cur adeo gravis, 314.

Adulationis vitium fugiendum, 256.

Advenienti Salvatori quomodo occurrendum, 6. Adventus Salvatoris exspectandus ut adventus sponsi, 13. Adventus Domini incœpit ab initio mundi in sanctis viris, prophetis et sacrificiis, 27, 28.

Adversitas, quæ triplex est, animam purgat, 181. Adversa non semper salutaria, 216.

Ægypto, quod est tenebræ, et designat sæculum, excedere, est sæculo renuntiare, 416. Ægyptus et opprobrium ejus quid designent, 179.

Ægyptia mulier sollicitans Joseph typus est luxuriæ, 463.

Æternitas Dei explicatur, 450.

Altari (de) thymiamatis disceptatio, 361. Altare hoc quadrum erat et unde dictum, 374. Designat orationem, 424. Item mentem mundam orationis thymiama Deo offerentem, 428. Altaris holocausti quantitas et qualitas, 363. Item 374. Altare æneum sacrificiorum, designat sacrificium pœnitentiæ, 431.

Alvredus, adhuc puer, ob relucentia virtutis indicia, a summo pontifice Romæ rex Angliæ inunctus, 398.

Amandus amans nos Christus, 11.

Ambitio quam sæpe sit simulata, 139. Ambitiosorum genius describitur, 321.

Amicus noster Christus, 10.

Amnon designat amaritudinem carnalis voluptatis transactæ, 184.

Amor est porta mortis vel vitæ : bonus vel malus est : malus cupiditas, bonus charitas vocatur, 459. Amoris perfecti genius, 134.

Amyton sive lignum paradisi in igne mundatur, nec consumitur. 375.

Anachoretarum status similis secreto thalamo sponsi, 414. Solebant anachoretæ futuri prius probari in cœnobiis, 414.

Angelicus intellectus cœlum quoddam est, 119. In hoc cœlo quis sol, luna, stellæ, 120.

Angelorum novem chori et singulorum officia, 127.

Angelus apparens Joseph viro Mariæ internas designat inspirationes, 145, 148.

Angliæ regum series texitur, narranturque eorum præcipuæ virtutes, 398. Erga sedem Romanam eorum munificentia et observantia, 398.

Anglorum numerosa classis trium millium et sexcentarum navium, 400. Angli ab antiquo regicidæ regumque proditores, ideoque secundum S. Dunstani oraculum non deficiet ab eis sanguis et gladius, 400.

Anima devota in octo templis per contemplationem habitet, 176. Superfluas passiones tempore putationis resecet, 178. Anima, quantumvis spiritualis, sæpius desolationem quam consolationem sentit, 170. Animæ amantis spiritualis languor ob desiderium sponsi, 80. Ejus dilecto jam fruentis status, 80. Anima fidelis est quoddam cœlum, 117. Anima infirma et nondum perfecta filia Sion vocatur, 131. Animæ quis thorus et spiritualis viduitas, 170. Anima devota sit cauta sibi, utilis proximo, devota Deo, 168. Ut prophetissa oculos ante et retro consideret iniquitatem præteritam, et infirmitatem præsentem, 168. Consideret dignitatem creationis et pietatem salvationis. Pœnas inferni et gaudia cœli, 168. Anima nostra quoddam est templum et Deo sanctificandum, 175. In quibus consistat ejus integritas, 175. Animæ convivium spirituale, 14. Ejus pacate status describitur, 41. Anima in hac vita continua eget emundatione, 91. Animæ sponsæ Dei dignitas, 204. Illam Deus perficit circa illam operans, 204, 207, 208. Ejus exardescentis amore sponsi emblema, 206. Ejus deflentis peccata sua vox, 204. Disponitur ad gratiam per exercitia corporalia et spiritualia, 209. Animæ peccatricis curvitas designata per mulierem evangelicam curvam, 226. Animæ potentiæ quomodo ordinandæ, 418. Animæ morbi triplicis curatio, adscribitur: infirmitatis in memoria, Patris potentiæ ; ignorantiæ in intellectu, sapientiæ Filii; pravitatis in voluntate, Spiritus sancti dilectioni, 432. Animæ periculum imminens a seipsa et a suo corpore, 432. Animæ et urbis obsessæ analogia, 434. Anima agro et horto comparata, 443. Animæ passionibus et vitiis obnoxiæ miseria, 452. Animæ definitio et explicatio, 457. Animæ ob diversa munia diversa nomina, 460. Animæ præstantia, 460. Per singulos illa operatur sensus, 459. Passionum et affectuum mutationibus subjecta, 459. Animæ justæ in hac vita consolatio. 443. Malæ remorsus et pœna, 443.

Annæ prophetissæ virtutes, 172. Typus est animæ piæ quæ sibi et proximo prodest, 166.

Anni quatuor tempora cum humana ætate comparantur, 456.

Annulus aureus designat æternam beatitudinem, 419. Annuli arcæ quatuor designant sanctos evangelistas, 425. De annulis aureis tabernaculi quæstio, 340.

Apostolicæ vitæ norma, 267, 268.

Apostrophe ad Jesum suscipientem peccatores ad pœnitentiam, 52. Ad Jesum primitus natum et matrem ejus beatam Virginem, 97.

Aqua sapientiæ quæ, 133. Aquam Christus fudisse legitur, 433. Aquæ redemptionis Christi, sunt SS. Sacramenta, 64. Aquarum variæ significationes in bonam et malam partem in Scripturis, 65.

Aquilo prodromus est mali, et ejus significatio, 426, 383.

Arca tabernaculi quid in se continuerit, 359. Arcæ et contentorum in ea mystica explicatio, 372, 425, 427.

Archelaus typus jactantiæ, 151.

Architriclinius convivii discretionem designat, 217

Arcturi gyrus, designat militantis Ecclesiæ labores, 390.

Argenti et plumbi morale discrimen, 418.

Aser vox quid importet, 170.

Atrium tabernaculi exterius denotat incipientes et novitios, 391. Atrii introitus significat ingressum in sanctam Ecclesiam, 392.

Attributa Dei explicantur, 450, 451.

Auctoris libri sui ipsius humilis submissio, 165, 166, 310, 329, 341.

Auditus utilitas, 454. Auditio libens verbi Dei signum electionis ad gloriam, 43. Auditorum verbi Dei quatuor gradus singulorumque explicationes, 43, 44. Auditorum vitia, 60. Pro meritis auditorum movetur a Deo lingua prædicatorum, 66.

Augustinus (S.) quid sentiat de altari thymiamatis, et de basibus tabulis subjectis, 344.

Aures internæ intellectus et voluntatis, 279.

Aurum quid denotet, 101. Quid aurum optimum, 333. Aurum sapientiæ nascitur ex parturitione novæ vitæ, 333.

B

Babel turris ædificatores typus superborum, 462.

Baculi pastoralis significatio, 442.

Digitized by Google

Balaam typus sæcularium maledicentium religiosis quos imitari neg igunt, 155.
Baptismus Christi nostram designat justificationem, 191. Exemplum est humilitatis, 198.
Bases tabulis suppositæ, quid mystice significent, 383. Quid moraliter, 418. Quid allegorice, 420.
Bdellium arbor nigra aromatica orationem significat, 533.
Beatitudo æterna electis confert triplex munus, potentiam, sapientiam, amorem, 101, 102, 420. Consistit in Dei visione, 389. Significatur per annulum aureum, 420.
Beda (V.) quem scribendi modum servet, 538.
Beneficiorum Dei consideratio 52, 53, 98. Quinque a Deo nobis sunt præstita, 425.
Beneficium vocationis ad religionem, 53.
Bethlehem quid significet, 50, 85, 86, 87.
Bethlehem sive domus panis quadruplex cum singulis suis panibus describitur, 56, 57. Bethlehem mystice est Ecclesia, 63. Designat congregationem religiosam, 195.
Bona temporalia cum amore possidentur, cum dolore amittuntur, cum labore acquiruntur, 406.
Byssus retorta moraliter est continentia carnis, 531.

C

Cæsaries Absalon est superfluitas bonorum temporalium, 464.
Caini, reproborum typi, peccatum et fraterna invidentia, 462.
Cana Galilææ est zelus revelationis, 193.
Candelabrum aureum describitur, 360, 378. Designat Christum, 386. Item internæ contemplationis puritatem, 441
Canonici ordinis præeminentia, 223. Canonicus regularem sonat, 225, 234. Canonicus ut res nomini conveniat regularis sit, 226. Ejus debitum, 235. Canonicus sæcularis quid sit, 235. Canonici regulares sæcularibus sint perfectiores. Canonici Præmonstratenses; vide titulum Præmonstratenses.
Capillis pedes Domini tergere, quid, 105.
Capitularis loci disciplina, 327. Per totum.
Carnalis vitæ initium suave ut vinum bonum, finis miser ut vinum deterius, 217. Carnalis homo designatus per Amnon, 464.
Caro refrenanda sed non perdenda, 105.
Carolus Magnus primus ex Francis electus imperator Romanorum, et quare, 396. Ejus stirps quando defecerit, 396.
Castitatis cautela, 281, 282.
Castra Israelitarum urbis speciem præ se ferebant, 376.
Charitatis, spei et fidei inter se proportio, 192. Charitas contemplatione et operatione melior, 193. Ejus encomium, 26, 299. Charitas Dei, sui ipsius, et proximi est finis legis, 270. Illi designatæ per lignum vitæ reliquæ actiones militent 332. Charitatis quindecim gradus: 107, per totum sermonem.
Cherubin arcæ fœderis, 372. Designant duo Testamenta, 425.
Christi erga nos dilectio, 10, 11. Est sponsus Ecclesiæ, 12. Quare ad nos venerit, 15. Quid nobis prosit ut homo et quid ut Deus, 19. Ab origine mundi variis modis ad nos venit, 27. Ejus gemina nativitas describitur, 70. Humilitas ejus refulsit in baptismo nobis imitanda, 198. Est quidam paradisus voluptatis, 100, 101. Ipse patitur in sanctis suis 111. Est quoddam cœlum, 118. Ejus vita deambulatorius quidam decursus fuit, 129. Quid in illo præcipue mirandum, 129. Illum videre stantem, ambulantem, sedentem, quid sit, 128, per totum sermonem. Illi tribuenda quælibet in aliis creaturis perfectio, 129, 130. Ejus actiones et passio breviter proponuntur, 168. Ejus corpus templum cui jugi meditatione immorandum ut fulcro spei nostræ et remedio concupiscentiæ, 173. Christus flos est designatus per Nazareth, 177. Ejus patientia in contumeliis imitanda, 182. Ejus diabolum superantis, typus David Goliath prosternens, 187. Christus nascens, vivens et moriens abstulit miserias hominum nascentium, viventium, morientium, 189. Ipsius vita et mors spes nostra est, 189. Ejus Baptismus nostram justificationem designat, 191. Ejus corpus habuit receptacula, uterum virginis, præsepe, crucem, sepulcrum, designantia gradus perfectionis, 241.
Christus mons est sacrificiis destinatus, 249. Speculum est obedientiæ perfectæ, 316. Candidus est ut Deus, rubicundus ut homo, 387. Quomodo via, veritas et vita? 389. Significatur per vaccam rufam, 390. Christus vectis est tabernaculi conjungens utrumque testamentum, 385. Designatur per candelabrum aureum, 386. Septem ordinum officia præstitit, 386. Ejus imago mystica et moralis graphice depicta, 387. Ad illum per tres gradus ascenditur, servitutem, vilitatem et asperitatem, 387. Christus magis delectatur Magdalenæ lacrymis, quam Simonis officiis, 472. Ejus humanitas significata per nubem quæ lucebat per diem, et divinitas per ignem qui lucebat per noctem, 407. Christi caput et pedes ungere est eum ut Deum et hominem adamare, 414. Ex Christo quatuor flumina eruperunt: lacrymarum, sudoris, sanguinis et aquæ, 433. Christus est liber scriptus intus et foris, 435. Christus homo Deus designatus per arcam, 425, 153.
Cibi voluptas et deliciæ vitandæ sanis, indultæ ægris, 280.
Circumcidenda in nobis concupiscentia, 177.
Circumcisio in anima et corpore, facienda per cultros disciplinæ et compunctionis, 178. Per totum sermonem.
Claustralium religiosorum quies, felicitas, et commoda demonstrantur, per triginta septem figuras, 334, 335, 336.
Claves Petro collocatæ, quæ sint, 395.
Clericorum præ monachis dignitas et obligatio, 225. Clericorum quorumdam sæcularium circa vestes abusus, 226. Clerici seculares quomodo vocentur canonici, 235. Clerici unde nomen sumpserint, 405. Clerici specialiter ad sanctitatem obligantur, 410. Clerici in monasterio sunt quasi flores in horto, 410. Clericorum plures mali, quam boni, 410. Clericorum veteris et novi testamenti analogia, 392.
Coccus bis tinctus est Dei et proximi dilectio, 584
Cœlum varie acceptum in sancta Scriptura, 116. Cœli et Ecclesiæ analogia, 117. Hujus cœli obscuratio multa, 117. Cœli et animæ fidelis analogia, 117. Cœli et sanctæ Scripturæ analogia, 117. Cœli et occulti mysterii analogia, 118. Cœli et sanctitatis vitæ analogia, 118. Cœlum omnium sublimissimum Deum esse explicatur, 118, 121. Cœlum sublime Christus explicatur, 118. Cœli et intellectus angelici analogia, 119. Cœli et mundi analogia, 119. Cœlum visibile est hoc aereum volucrum, 119 Cœli et angelorum cœtus analogia, 120. Cœli pluraliter varia designant: 1 angelos, 2, apostolos, 3, prædicatores, 4, sapientes in Ecclesia, 5, viros spirituales, 6, modos contemplationum, 124. Cœlos hos apertos videre quid sit, 125, 126, 127. Per totum sermonem.
Cœnobia indisciplinata describuntur, 196. In cœnobiis puritas sancta et interna gratia est puer Jesus cum Maria in stabulo, 196.
Cogitatio mala, semen est peccati, 227. Claudendum illi ostium mentis, 228. Cogitationum humanarum instabilitas, 228. Illarum triplex genus triplici modo superandum, 228. Cogitationum bona ordinatio designata per ligna Sethim, 417, 418. Cogitationum quinque genera designata moraliter per quinque spatia tabernaculi, 443.
Color sapphirinus triumphantem, purpureus militantem Ecclesiam designat, 590. Sapphirinus clericos, viridis laicos significat, 405. Purpureus designat afflictiones status conjugalis, 406. Colorum diversitas est virtutum varietas, 430. Colores hyacinthinus, purpureus, coccineus quid significent, 430.
Columnæ in altum sustollentes et sustinentes tentoria sunt Ecclesiæ doctores et prædicatores, 392, 384 Columna ignis et nubis Christum designat, ignis divinam, nubes naturam humanam, 407. Columnæ quinque significant quinque sensus externos, 421. Columna nubis conscientiam bonam refrigerantem, ignis malam torquentem significat, 443. Columna nubis et ignis, designat prælatos modo terrore pravos, lenitate modo bonos moderantes, 442.
Compunctio triplex, 142. Ejus necessitas, 179. In compunctione consideranda, 431.
Concionari verbum Dei quis aptus, 124.
Concionator prius incipiat facere quam docere, 165. Medicus est spiritualis in præfat. 5 Concionatores sunt custodes Ecclesiæ, 60. Discant ex exemplis sanctæ Scripturæ non dejici animo cum despiciuntur, 116. Quomodo et quo ordine peccatores convertere satagant, 57 et seq. Conciones audientium gradus quatuor recensentur, 43. Concionator laudem omnem Deo tribuat, 58. Ejus lingua sæpe præter prævium intentum movetur a Deo, 59. Modo copia modo inopia verborum laborat, 59. Et vana gloria fugienda, 59. Linguæ eorum flectuntur sæpe pro meritis vel demeritis auditorum, 66.
Concordia fraternæ unitatis commendatur, 234, 235, 268, 270, 275.
Concupiscentiæ damna, 177. Designata per dominam Ægyptiam sollicitantem Joseph, et per Dalilam, 465. Concupiscentia et ignorantia duo Satanæ vincula a Christo in electis dissoluta, 104.
Confessio externa necessaria ad salutem, 50. Ad illam

Digitized by Google

tria excitant, 51, 52. In confessione pudor pudore, timor timore superandus, 51. Confessio laudis, 52, 53. Confessio quadruplex et modus uniuscujusque, 54, 55. Confessionem externam fidei tres considerationes suadent, 54. Confessio beatorum in cœlo, 55. Confessionis sacramentalis uti itas, 73, 74. Sit humilis, pura, fidelis, 434. Confessio novitiis et incipientibus necessaria, 333. Confessio duplex est laudis et accusationis, 176.

Conformitas voluntatis humanæ cum divina, 74.

Conscientia bona designata per columnam nubis, mala ignis, 443. Conscientiæ malæ duplex supplicium, culpæ præsentis remorsus et pœnæ instantis terror, 443. Conscientiæ bonæ duplex solatium ob meritum præsens et præmium futurum, 443. Conscientiæ bonæ descriptio, 444, item malæ, 443. Conscientiæ remorsus ex variis motivis, 185, 186. Conscientiæ bonæ gaudium et gloria, 225, 226.

Consolatio divina non infunditur nisi ad tempus unctio subtrahatur, quia illam diu ferre non valet conditio hæc mortalis, 14. Modo adest, modo abest, 15. Consolationes in suis electis quam provide Deus temperet, 77.

Conspiratio malorum pessima, 114.

Constantini imperatoris elogium, 396.

Contemplatio creaturarum iis insistendo vana, 22. Contemplationum variæ species et ad quos pertineant, 23, 24, 25. Contemplationis puritas designata per candelabrum aureum, 424. Contemplationis genus tripartitum: quam Deus in se incomprehensibilis, in electis amabilis, in reprobis sit terribilis, 438 Contemplationis secretum, 437. Contemplationis triplex genus, et effectus, 479, 480. Contemplatio de sole et luna, 452.

Contemptus præcepti superiorum mortalis, 314.

Conversio a sæculo ad religionem est opus dexteræ Excelsi, 17. Conversio animæ describitur, 148. Conversio electorum describitur, 416.

Convivium spirituale mentis describitur, 14.

Corpora et corda justorum templum sunt sancti Spiritus, 275. Corporis nostri templum quomodo Deo sanctificandum sit, 175. Corporis imbecillitas ad actus virtutis, 215. Corporis nostri diversorium duplex: mundus hic et sepulcrum, 97. Corporis naturalis et mystici analogia, 467.

Correptio lubenti animo accipienda, 115. Correptionis zelus bonus quem format veræ dilectionis affectus, 115. Correptionis modus et mensura, 284 et seq. Correptio quandoque excedit modum, 296. Correptionis fraternæ obligatio, 284.

Core, Dathan et Abyron, typus rebellionis et superbiæ, 463.

Cortinæ tabernaculi earumque dispositio, 330, 331. Quid designent, 430.

Creatio hominis describitur, 7. Ejus beneficium, 9. Creationis dona, 98.

Creator mirabilis, cujus adeo mirabilis creatura, 451. A Creatore aversio, et ad creaturam conversio describitur, 462. Creatoris ad creaturam, et e contra proportio ac improportio, 451.

Creatura respectu Dei esse nihil est, nec immortalitatem habet, 458. Creaturæ omnes ad amorem Creatoris nos excitant, 12. Creaturæ quomodo a Deo impleantur, sustententur, gubernentur, 456. Creaturæ rationalis nobilitas, 478. Creaturarum multitudo clamat sapientiam creatricem cujus non est numerus, 453. Magnitudo illarum Dei immensitatem demonstrat, 453. Species speciosum Creatorem denuntiat, 453. Mutabilitas Creatoris immutabilem essentiam ostendit, 456.

Cubitus apud Hebræos qualis, 361.

Culter compunctionis superflua animæ, disciplina corporis resecat, 181.

Cultri, vide circumcisio.

D

Dæmon prius nebulas offundit menti, deinde excitat concupiscentiam, 426.

Dalila typus excæcantis libidinis, 463.

Daniel in medio nationis pravæ, virtutibus fulget, 469.

David typus regularium, 67. Illum vestibus non calefieri, est electos non affici terrenis consolationibus, 130, 470. Ejus lapsus et pœnitentia, 471. Patientia in contumeliis, 181. De Goliath triumphans typus Christi diabolum subigentis, 187. In David peccante et resurgente elucet misericordia Dei erga electos, 471.

Debitum hominis triplex: Deo, sibi ipsi et proximo, 184.

Decalogus quomodo conscriptus, 361.

Decimarum usus, 398.

Descriptio universi orbis ab Augusto, quid designet, 92. Per totum sermonem.

Detractores increpantur, 84. Detractio quam fugienda, 256.

Dei nomina ipsi in sancta Scriptura attributa explicantur, 7 et seq. Deus amabilis in angelis, 28. Suavis in electis, 29, 122, 438, 466, 471. Deum in se hospitio suscipiendi dispositio, 77. Dei et cœli analogia, 121. Deo omne bonum ascribendum, 152, 153. Deus solus justus, 165. Deo servientium hic felicitas, et postea merces, 237, 238. Dei præsentia semper præ oculis habenda, 283. Deus terribilis in reprobis, 122, 438, 479. Dei incomprehensibilis essentia proponitur, 121, 438. Deus quantum diligendus, 441. Deus cur asinam Balaam loqui fecerit, 415, Deus omnia in omnibus, 458. 456. Deus æternus est, invisibilis, incomprehensibilis ex quo, per quem, in quo sunt omnia, 450. Est eminenter omnia in omnibus, 451. Est thesaurus absconditus, 454. Deum esse omnia clamant, qualis sit dicere non norunt, 448. Deum mirabilem esse ostendunt creaturæ, 451. In illo temporum differentiæ non inveniuntur, 458. Illius respectu creaturæ quasi nihil sunt et mortales, 458. Deo nulla inest mutatio passionum, 459. Deus trinus et unus proponitur, 461. Deo sunt et fuerunt et erunt omnia semper ab æterno, in æternum præsentia, 474. Deus super omnia, subtus omnia, intra omnia, extra omnia esse demonstratur, 447. Deus comprehenditur esse incomprehensibilis; 477. Deus nobis a dorso et supra verticem est, 476. Dei conversentis peccatorem cum patrefamilias, pulchra similitudo, 472, 473.

Diaboli astus in excitando, quandoque homines ad virtutum opera, ut postea in se superbiendo turpius labantur, 202.

Dies est vita justi, 445. Dies quid mystice designet, 90, per totum. Dies Mercurii quare ab Anglis vocetur Wodnesdei, 397.

Dilectio inter regulares sit spiritualis, non carnalis, 297. Dilectionis Christi erga nos magnitudo, 10. Dilectionis sui ipsius modus est dilectio Dei. 298. Dilectio Dei et proximi est coccus bis tinctus, 344. Dilectio duplex, qualis esse debeat, 440. Dilectio Dei et proximi, propter Deum, similis suavitatis melis et favi, 441. Diligendi sic homines, ut non diligantur vitia, 286

Disciplina conservat bona acquisita, 170. Est quadruplex, 181. Disciplina superflua resecanda. 182.

Discipulos Christi quomodo nos exhibebimus, 9.

Discordia Christum fugat, 85. Discordias seminans increpatur, 84. Est filius diaboli, 291, 295. Discordiæ malum et damna, 291.

Dispensator fidelitatem et prudentiam habeat, 67.

Divina beneficia recolere delectabile, 449. Diadema regum quid designet, 403.

Doctores in Ecclesia subsecuti sunt apostolos et martyres, 95. Designantur per columnas tabernaculi, 384, 392.

Domus in Palæstina construendæ modus, 352.

Dotes quatuordecim beatorum, septem animæ et septem corporis, 389.

Draco rufus in Apocalysi typus superbiæ, 144.

Dragma decima perdita et inventa est genus humanum, 408.

Dunstani (S.) oraculum de regicidis Anglis, 400.

E

Ecclesia electorum designata per descriptum orbem ab Augusto, cujus cardines sunt prælati, 92, per totum sermonem. Ecclesia sanctum templum est, cui immorandum ut salvi fiamus, 174. Ecclesia primitiva agro similis, 412. Ecclesiæ typi Rebecca, Jerusalem et regina Saba, 30. Ecclesiæ status triplex in hac via; quartus in cœlum, per quid designatus, 33, 34, 35. Ecclesiæ Veteris Testamenti descriptio in vocatione populi Hebraeorum, cujus status triplex, 93, 94. Ecclesiæ Novi Testamenti ex gentibus collectæ, facta descriptio, ejusque prærogativa, 95. 96. Ecclesia militans cœlum quoddam est, 117. Ejus obscuratio, 117. Ecclesiæ præstare tenemur quidquid possumus qui membra ejus sumus, 263. Ecclesiæ militantis studium et labor, 382. Ecclesiæ designatæ per tabernaculum Moysis ab initio mundi tria tempora et sex ætates, 382. Ecclesiæ primitivæ decus designatum per tentorium in introitu tabernaculi, 384. Ecclesiæ triumphanti color Sapphirinus, militanti purpureus convenit, 390. Ecclesiæ militantis labores, designati per Arcturi gyrum, 390. Ecclesiæ militantis et triumphantis unio in cœlo, designata per conjunctionem Pleiadum et dissipationem gyri Arcturi, 390. Ecclesiæ ingressus designatus per introitum atrii, 399. Ecclesiæ ab origine mundi quinque ætates designatæ per quinque spatia tabernaculi, 411. Ejusdem post

Digitized by Google

adventum Christi quinque status designati per eadem quinque spatia, 412.
Ecclesiasticorum dignitatum et officiorum mutua subordinatio, 312.
Edgarus rex Angliæ, in ejus nativitate auditus cantus est angelorum, 399. Ejusdem classis millium sexcentarum navium, 400.
Edmundus rex Angliæ dictus ob robur corporis liseren side, quod est ferreum latus, 401.
Edredus rex Angliæ in ejus obitu auditus cantus angelorum, 399.
Electio prælatorum, earquæ mala cavenda, 321, 322, 323.
Electi sunt tales ex sola gratuita voluntate Dei, 470. Electi nunquam excidunt omnino a favore Dei, 474.
Electorum Dei continuus profectus, 84. Electorum et reproborum una sors nascendi, diversi mores vivendi, 84, 467. Electorum typus Joseph vir Mariæ, 85. Electis solis prodest accepisse gratiam Dei, 102, 103. Virtutes capitis sui Christi imitantur, 102, 103, 104. Electos suos quare Deus relinquat incertos suæ salutis, 465, 466, 475. Electorum felicitati applaudit auctor, 466. Electorum typis Noe, Abraham allisque viris sanctis applauditur, 467, usque ad fol. 470. Electos suos Deus quamvis cadere permittat, tandem tamen mirabiliter illos ad se convertit per gratiam suam, 473. Electionis Dei propositum est immutabile, 473 Electorum peccata sunt æternitati quasi non præsentia, 438, 474. Electi quomodo sint impeccabiles, 474. Nunquam peccant ad mortem quasi damnandi post mortem, 475 Electi contra tria reproborum offendicula, arrogantiam, ignorantiam, diffidentiam muniuntur a SS. Trinitate, 480. In electis suis Deus amabilis, 29, 122, 438, 466, 471. Electis omnia etiam peccata cooperantur in bonum, 466. Electi et reprobi designati per tredecim figuras, 465. Electi designati per micantes pleiadas, 390.
Elias fugiens Jesabel quid significet, 333. Quid designet oculos et vultum pallio operiens, 437. Virtutes ejus, 468.
Elizæi virtutes, 469.
Emmanuel symbolisat cum nomine Jesu, 188.
Enoch filius Cain typus mundanorum, 462.
Epitomes sive compendia librorum quam utilia, 448.
Esau figura gulosi, 463.
Eucharistia habet tria : species visibiles, sacramenti veritatem, et virtutem spiritualem, 391.
Euphrates designat religiosos claustrales, 334.
Evangelistæ quatuor graphice depicti, 392.
Evangelium Christi est libellus perfectionis, 266
Evilath sonat *parturiens*, 433.
Exorcistæ officium, 396.
Ezechiæ regis Judæ lacrymæ, 469.

F

Facies Dei vere in sanctis Scripturis accipitur, 169.
Famæ odor bonus in ædificationem proximi designatus per stellam magos ad Christum adducentem, 195. Famæ bonæ conciliandæ et servandæ modus, 196. Famæ stabilitas provenit ex perseverantia virtutis, 196. Famam negligens crudelis sibi est et proximo, 194, 418.
Familiaritas Dei quæ stabilis est, non instabilis regum ambienda, 135.
Feria quarta a quo et quare appellata Wodensdaegh, 397.
Ferrum de manubrio lapsum et restitutum, quid designet, 153.
Fidei confessio necessaria ad salutem et considerationes ad illam excitantes, 54.
Fiducia in Deo, 40. Sit mista timori, 150.
Fiduciæ sui ipsius damnum et remedium, 183. Fiducia nostra tota est in Jesu vita et morte, 189.
Filiæ Jerusalem animas adhuc infirmas denotant, 146.
Finis operis boni debet esse Deus, 436.
Fluvius egrediens de paradiso gratiam denotat, 100. Ejus capita quatuor sunt totidem gratiæ insignia, 100. Quadruplicem religiosorum statum designant, 333. Designant item quadruplices lacrymas seu compunctiones, 433
Fletus Jesu super Lazarum et Jerusalem, quid designent, 453.
Fortitudo corporis Edmundi regis Angliæ dicti Ferreum latus, 410.
Fragilitas nostra continuæ gratiæ robore indiget, 217.

G

Galilæa quid designet, 8.
Gaudium hujus mundi transitorium, 112.
Gedeonis mystica oblatio, 468.
Gentium electio ad fidem, et gratiam, et gloriam, 408.
Gladius pertransiens animam Mariæ, quid designet, 156, 157. Gladii in Scripturis varia acceptio, 137. Gladius quadruplex : tribulatio, Dei vindicta, malitia diaboli, mortis angustia electis est in bonum, reprobis in malum, 157. Gladii mali et fugiendi qui, 157. Boni desiderandi qui, 158. Gladiorum spiritualium triplex species inter se collata, 158. Gladii boni pertranseuntes animam Mariæ mystice, 159. Gladiorum horum utilitas, 159, 160. Gladius Jesu quis, 164.
Gloriæ cœlestis felicitas, 42, 219. Ampla merces, 69, 70. Est dies sine vespera, 81. Ejus desiderium, 78, 81. Gloriæ cœlestis et cœli materialis analogia, 121. Glorificatio nostra designata per glorificationem Jesu in nuptiis Canæ Galilææ, 191.
Gloria mundi, vide titulum Vana gloria. Gradus quibus ad Deum ascenditur, 207.
Gratiæ agendæ Deo tam de præservatione a peccatis, quam de remissione illorum, 18 Gratiarum acceptionem pro beneficiis tria suadent, 52. Gratitudo pro acceptis nova beneficia advocat, 52. Gratia eadem Salvatoris angelum conservavit, quæ lapsum hominem erexit, 10. Gratiæ Dei omne bonum tribuendum, 87, 152, 153. Ejus necessitas, 89. Designata per Abisag, 89. Gratiæ perseverantis et finalis incertitudo, 89, 91, 465, 469, 473. Gratiæ præsentis, et gloriæ futuræ analogia, 96. Gratia Dei triplex ; creatrix, salvatrix, confirmatrix, 98, per totum sermonem. Salvatrix designata per fluvium paradisi, præstantior creatrice, 100. Gratiæ quatuor insignia designata per quatuor capita fluvii paradisi, 100. Gratia semen est gloriæ, 101. Gratiæ per effecta recapitulatio, 101. Gratia Salvatoris omnibus apparet, solos electos erudit ad salvationem, 102, 103. Gratia creatrix est Patris, salvatrix Filii, confirmatrix Spiritus sancti, 110. Gratia gloriæ est totius sanctissimæ Trinitatis, 110. Gratiæ Salvatoris nos in quatuor erudienti correspondent quatuor dona gratiæ confirmatricis, 109. Gratiæ consolatricis accessus et recessus, quam dispensatorius sit in electis, utque in illis anima se gerat, 80, 171, 77. Ad illam recuperandam quæ necessaria, 77. Illa absente anima turbatur, 78. Præsente quiescit, 79. Gratiæ in hoc statu necessitas, 473. Gratia intellectum et voluntatem perficit, 164. Gratiarum diversarum diversis *distributio* quam sit dispensatoria. 167. Gratiæ specialis opus est emendatio vitæ, 105. Gratiæ internæ diffatio in electis quam sit dispensatoria, 211. Gratiæ internæ adumbratæ per benedictionem Simeonis, benedictio necessaria ad opus perfectæ virtutis, 163.

H

Hæretici per sacram Scripturam redarguendi, 338
Herodis quod sonat pellis gloria, regum designat luxuriam et superbiam, 193.
Hevilath terra, id est dolens, designat novitiorum invitæ conversionis difficultates, 333.
Historicus sensus sive litteralis quandoque difficilior est spirituali, 341.
Hominis creatio describitur, 7. Homo imago Dei, quæ sursum sunt sapiat, 8, 229. Hominis integri felicitas quanta : lapsi miseria triplex, 15, 98, 387. Homini lapso statim de medicina providit Deus, 27, 28. Hominis lapsi miseriæ quadruplici subventum per quadruplicis gratiæ beneficium, 99. In homine quatuor consideranda, 329. Hominem formare quodammodo est ipsum illustrare, 331. Homo triplex beneficium accipit a Deo, 340. In protoplasto a trina felicitate excidit, 387. Quomodo illa recuperanda, 387. Homines tot salvabuntur, quot angeli cœlo remanserunt, 389. Hominibus contendere, placere, quam stultum, 418. Est habere bases plumbeas, 418. Homo habet liberum arbitrium et quid illud sit, 421. Homo interior et exterior graphice depingitur, 422. Homo sine Dei gratia malum facere potest : bonum non potest, nisi illa præveniente, aspirante, adjuvante, prosequente, 449. Homo nescit utrum odio an amore dignus sit, 466. Homo post lapsum, sine speciali gratia salvari nequit, 473. Hominis bonum est duplex, 478. Homo reprobus ob culpam non pertingit ad beatum esse, ob dignitatem naturæ, non amittit esse, 478. Homo SS. Trinitatis imago, 460, 475. Hominis creati ad æternitatem Deus servitio mundum universum creavit, 478. Hominis reprobi justo et occulto Dei judicio destinatur ad pœnam, nec eorum opera acceptantur ad gloriam, 478.
Honoris appetitus quantus, quanquam simulatus et occultus in filiis hominum, 132. Honor verus appetendus quis, 132.
Horæ septem canonicæ in sacris Scripturis præfiguratæ, 276.
Humana natura quodammodo pristinæ felicitati reddita est, 16. Humanæ mentis scrutantis abyssum, divinitatis hebescit acies, 477. Humanæ loquelæ commoda, 454.
Humilitas est submissio auctoris, 2 et 3. Humilitatis triplex gradus, a Christo imitandus, nobis proponitur, 141 Humilitas ficta, 142. Humilitas gratiæ acquisitrix, custos

Digitized by Google

et restauratrix, omne donum Dei a se mutuo acceptum reputat, 198. Humilitas Christi in ejus relucet baptismo, 192, 193. Humilitatis tres gradus, totius continent mensuram justitiæ, 199. Humilitatis actus quis exemplo Christi exercendus, 199. Humilitas sit in corde, ore, opere, 199. Humilitas a lenos defectus extenuat, suos incusat ut arbor radice, flore, fructu, decora, 200. Humilitas operis sex continet modos, 200. Humilitati veræ intentio recta necessaria, 201. Humilitas quidlibet impetrat, 210. Humiliet se homo ob fragilitatem et indulgentiam divinæ opis, 217. Sine humilitatis custodia nullus est fructus sanctitatis vel augmentum virtutis, 162, 163, 168, 332. Humilitas a triplici nos sorde expiat, 202 Humilitas obedientiæ prodroma et radix. Per totum hydriæ in nuptiis Canæ Galilææ designant meditationes sex, 316, 212.

Hyacinthinus color, quid designet, 384.

I

Ignis alius est peccati, alius gehennæ, 408. Ignis designat severitatem, 445.

Ignorantia et concupiscentia sunt Satanæ vincula, 125. Ignorantiæ et concupiscentiæ vincula a Christo dissoluta, 104. Ignorantia mentis triplex est, 426.

Imago SS. Trinitatis homo est, 460, 475.

Imperator Romanus, caput est laicorum, 396. Ejusdem vestitus graphice depingitur, 396. Imperatorum ornamenta quid significent, exponitur, 403. Imperatoris officii descriptio, 403. Imperii translatio ad Francos quando et quare facta, 396.

Incarnatio Filii Dei, 16. Incarnatio Filii Dei, opus Dei maximum est, 98. Incarnatio Filii Dei fecit nos fratres ipsius, et filios adoptatos Dei Patris, 18. Illius sublimitas et incomprehensibilitas, 82. Mirabilis naturarum in una persona unio, per illam, 99.

Incorrigibilis ejiciendus e congregatione, 286.

Inferni pœna triplex, 433. Inferni consideratio, 169, 433.

Infirmorum et infirmitorii in monasteriis disciplina, 328. Infirmorum minister qualis esse debeat, 289. Infirmitatis corporis et spiritus analogia, 54 Infirmitas spiritus quadruplex describitur, ejusque curatio, 54. per totum. Infirmitas corporis ad quid prosit, 181, 182. Infirmis corpore indulgendum est, 279. Iniquorum prosperitas, 464.

Innocentum (S.), nascente Christo in terris, natalis in cœlis, 111.

Inobedientia plena, peccatum est mortale, 313. Inobedientia in parvis potest esse gravis, 314. Inobedientiæ exempla enarrantur, 103, 106. Inobedientiæ soror est extorta venia, 106. Inobedientiæ malum et periculum, exemplis probatur, 312.

Inimicus diligendus propter Deum, similitudine ostenditur, 441.

Inspiratio quando bona, 212. Inspiratio Spiritus sancti sequenda est, 421. In inspirationibus cavenda Satanæ fallacia, 211.

Intellectus creati capacitas est templum quoddam, 175.

Intentio bona et recta commendatur, 85, 253. Sine rectitudine intentionis non est fructus boni operis, 86. Intentionis bonæ necessitas, 124, 201. Intentio bona designata per columbam, 124. Intentio bona quæ, 232. Intentionis bonæ rectitudo, signum est perfecti operis, 161. Intentio bona basis est cogitationis, 418

Invidia abest a sanctis, 343. Invidiæ genius, 262. Invidentiæ fraternæ typus Cain, 462.

Ira hominem ad spiritualia ineptum reddit, 292. Iræ motus præcavere prudentiæ est, comprimere patientiæ, 113. Iræ motus refrenandus est, 114. Irascentium duo genera describuntur, 293.

Isaac meditans hic inata die, typus Christi advenientis ad finem sæculi, 30. Isaac typus oblationis religiosæ, 247.

Issachar symbolum religiosæ professionis, 218

Iter trium dierum ex Ægypto est moraliter munditia cordis, puritas oris, perfectio operis, 417

J

Jacob patriarchæ typi electorum virtutes, 467.

Jactantiæ genius, 59. Jactantia designatur per Archelaum regem, 151. Damna ejusdem regis, 463.

Jeremiam e lacu veteribus pannis levari, quid sit, 469.

Jesu nominis appellatio divino consilio revelata, 187. Jesu nomen ex re est jubilus in corde, favus in ore, 188. Jesu et Emmanuel nominum synonymia, 188. Jesu salvantis typus fuit David Goliath superans, 187. Jesu vita et mors, spes et fiducia nostra, 189. Jesu, Lucæ II, designat exercitia perfectionis, 154.

Jejunium animam ad gratiam disponit, 209.

Joannis (S.) præ cæteris discipulis cum Christo familiaritas, 111, 134. 135 Joannis (S.) laus per totum sermonem, 133. Joannes honoratus a Christo in vita tripliciter, familiaritate, virginitate, intelligentiæ perspicacitate, 132. Joannes aquilæ comparatur, 133. Joannis in amore prærogativa, 134. Joanni commendatur cura Virginis Mariæ, 135. Joannes in morte tripliciter honoratur, 136.

Jobi patientia commendatur, 182.

Jordanes quod sonat descensum, significat humilitatem, 192.

Joseph filii Jacob mansueta fratrum correptio laudatur, 115, Ejus virtus, 126, 468. Joseph castus quos figuret, 463. Joseph, quod est accrescens, vir Mariæ, designat animam in virtute continuo crescentem, 138, 139. Joseph Lucæ II, designat moraliter prælatum congregationis religiosæ, 134. Joseph vir Mariæ typus electorum, 85.

Josias typus electorum, invento libro, consulit prophetidem, 469.

Juda quid designet, 50. Designat Ecclesiam, 64.

Judæorum invidentia et reprobatio figurata, 32, 408. Judæorum conversio ad Christum, 32. Judæorum furor in corde, exprobratio in ore, conspiratio in mortem adversus S. Stephanum, 112.

Judex hominum attendat supra se judicem esse Deum, 307. Judicantes male proximum increpantur, 84.

Judicia occulta Dei timenda sunt, 149. Judicia Dei justa et occulta perpenduntur, 213, 216. Judicium extremum est quædam descriptio universi orbis, 96. Judicium extremum, 217.

Juliani Apostatæ vitæ brevis descriptio, 396.

Justificationis nostræ ordo per similitudinem ædificii docetur, 192. Justitia quinque modis servatur et quinque violatur, 304. Justitia insignis Edwardi regis Angliæ, 399. Justitiæ quinque modi observandi a sæculari potestate, 404. Justitiæ Dei rigor in reprobos designatus per virgam arcæ, 425. Justitiæ et misericordiæ affectus, 142. Justus nullus est respectu Dei adeoque omnis justus merito in principio accusator est sui, 165.

L

Laboris levis magnum præmium, 419

Labrum æneum tabernaculi designat compunctionis et lacrymarum ablutionem, 431.

Lacrymarum sive compunctionum quatuor speciæ designatæ per quatuor flumina paradisi, 453. Lacrymatus Christus bis legitur, 453.

Laicorum exercitium salutis sex corporalia misericordiæ opera, 395. Laicorum caput imperator, 396. Laicorum status colore viridi designatur, 405. Laicorum in sæculo status similis agro, in quo plures herbæ malæ quam bonæ sunt, 410.

Languor spiritualis diligentis animæ ob desiderium sponsi, quis sit, 80.

Laudatur Deus in gloria ab electis ob quinque titulos, 423 Laus hominum fugienda, 85, 86.

Lazarus resuscitatus designat novitios in religione, 413.

Lectio pia speculum mentis est, 309. Sæpius ruminanda est, 324.

Legis veteris pauci noverunt Deum incarnandum, 94. Lex vetus imago futurorum fuit, 94.

Lepra corporis luxuriæ imago, 202.

Liam tradere ancillam est subdere carnem rationi, 209.

Liberi arbitrii motus ut bonus sit, sequi debet ductum Spiritus sancti, 421. Libertas filiorum Dei, 17. Libertas per onagrum figurata est quadruplex, 416.

Libido mentem excæcat, 283. De librorum scribendorum veritate Augustini gnomologia, 343.

Libri Agiographi Veteris Testamenti sunt tot quot sunt litteræ in alphabeto Hebraico, 586.

Ligna altaris incombustibilia, unde sumpta et qualia, 366, 375. Lignum vitæ, et lignum scientiæ boni et mali, quid mystice significent, 332. Lignum Sethim quale fuerit, 347. A ligno mors et vita, 29. Lignum plantatum secus decursus aquarum est vita viri religiosi et timentis Deum, 417.

Linguæ geminum laudabile officium : Deum laudare et prædicare, 190. Linguæ custodia, 232, 233. Linguæ gladius vere acutus, 295. Lini genus incombustibile, 366.

Litigantium graphica expressio, 291. Litigium malitiæ seminarium : mentis statum evertit, 290, 291.

Litterarum utilis inventio, 1.

Locorum varietates describuntur, 496. Locus voluptatis Ecclesia Præmonstratensis, 532. Locus unde Deus hominem posuit in paradiso quare non exprimatur, 336. In labore externo mens non cessat ab interna meditatione, 324.

Loquelæ humanæ commoda, 454.

Lucernæ septem candelabri aurei designant septem ordines ecclesiasticos Item septem dona Spiritus sancti, 586.

Digitized by Google

Lucifer similitudinem Dei male affectans, 19.
Luna dat Deo testimonium, 452.
Luxuria pœna superbiæ, 49. Luxuriæ typus Ægyptia mulier Joseph sollicitans, 465. Luxuriæ perpetratæ amaritudinis typus Ammon Thamar stupratus, 461.

M

Magdalena designat religiosos claustrales, 413, 414. Magdalenæ conversio cujus lacrymis plus Christus delectatur, quam Simonis obsequiis, 459.
Magi tres evangelici interius illuminati fuerunt, 191. Magorum vocatio gentium vocationem designat, 191. Magorum munera designant tria religiosorum exercitia : aurum lectionem, sive studium sapientiæ, thus orationem, myrrha actionem bonam, 197.
Magnitudines variæ ponderantur creaturarum, 435.
Malum Punicum symbolum unitatis fraternæ, 254.
Manuum, quæ designant actiones, ablutio quid denotet, 391.
Maria virgo porta orientalis est, 61. Maria primo omnium Deo votum fecit virginitatis, 62. Maria gratiæ habet plenitudinem pils communicandam fidelibus, 62. Maria virgo et stella maris, gratiæ divinæ typus est, 89. Maria ascendens in Bethlehem et pariens quid designet, per totum sermonem, 86. Maria veniens ad nuptias, quid moraliter designat, 208. Maria rationem, Joseph conscientiam moraliter designant, 161. Maria templum est quoddam nobis immorandum ejusque encomium, 174. Maria Lucæ II designat congregationem religiosam, 154. Maria pariens est moraliter sapientia fructum salutis pariens, 139. Mariæ encomium, 62. Mariæ querela ad Jesum de defectu vini, quid significet, 210. Mariam et Joseph Lucæ II, mirari, quid moraliter significet, 155.
Martyr ; in martyribus suis Christus patitur, 111.
Medicinæ corporalis et spiritualis analogia, 54.
Meditationum sex species designatæ per sex hydrias, 212. Meditationum genera faciunt ad emendationem sensuum internorum, 218. Meditatio de statu præterito et de præsenti nunquam religiosis intermittenda, 213, 214.
Melchisedech ante dictus Viderhem, 397.
Memoranda peccata ad compunctionem, non delectationem, 214. Memoriæ vis et oblivio, 459. Memoriam infestant tria cogitationum genera, 452. Memoriæ nostræ et divinæ discrimen, 459.
Mensa tabernaculi quid moraliter designet, 424. Mensa propositionum qualis et quanta, 360, 362, 373.
Mentis instabilitas, 215.
Mercedis magnitudo minuit laborem, 419
Meretrices excœcant amatores suos, 463.
Meritum hominis in quo consistat, 340.
Milites Christi quomodo nos exhibebimus, 10.
Miraculorum trium, quorum mentio fit in officio Epiphaniæ ordo discutitur, 190. Illorum loca examinantur, 191. Miracula hæc tria designant vocationem, justificationem et glorificationem nostram, 191.
Miseria hominis lapsi, 13 Miseria hominis sublata est a Christo, 189 Miseriæ quadruplici hominis subventum est per quadruplex beneficium, 99.
Misericordia Christi Samaritani nostri, 16. Misericordia Dei in electos figurata per manna in arca, 425. Misericordiæ divinæ consideratio, 52. Misericordiæ Dei consideratio jungenda considerationi propriæ iniquitatis et justitiæ Dei, 151. Misericordiæ opera sex corporalia, laicorum fidem commendant, 393.
Missa figurata per sacrificium vaccæ rufæ, 390.
Moderatio corporis et animæ, 104.
Modestia commendatur, 325.
Monasteria quæque habent Martham, Mariam, et Lazarum, id est novitios, claustrales et officiales, 413. Monasteria indisciplinata carpuntur, 196. Monasterium est voluntarius carcer, 60.
Montes Babylonis et Jerusalem quid designent, 31.
Morbi corporis et animæ enumerantur, 432.
Mors bona effectus vitæ bonæ, 69. Mors porta ferrea dicitur ob angustias ejus, 70. Mortis hora terribilis, 137, 214, 216.
Mores externi rectificandi, 233. Mores in religioso quales esse debeant, 252. Mores corrupti quorumdam religiosorum carpuntur, 233.
Moyses laudatur, 126. Moyses defendens puellas quid mystice significet, 335. Moyses, sapientissimus, paret aliorum consiliis, 341. Moyses prophetavit de adventu Christi, 409. Moysis facies cornuta quid significet, 436. Moysen ad tabernaculum recurrere quid significet, 434. Moysis virtutes, 468.
Mulier Apocalyptica, amicta sole, quid moraliter designet, 143. Mulieres excubantes ad ostium tabernaculi quales fuerint, 365. Mulieris evangelicæ curvæ significatio moralis, 226.
Multitudines creaturarum demonstrantur, 433.
Mundanorum typus Absalon, 454. Item Enoch filius Cain, 462. Mundus hic cœlum quoddam est, 119. Mundus habuit quinque status, 412. Mundus creatus ob usum hominis, 478. Mundi fallacia, et tristis exitus, 217. 219. Mundi vitia tria calcanda, voluptas, curiositas, superbia, 250, 251.
Mundities cordis triplex, 142.
Munera trium magorum quid designent, 256.
Musica symphonia, 434. Musicam spiritualem Deus animam audire facit, 454. Musica creaturarum pulchre describitur, 454.
Mutatio creaturarum est quasi mors earum, 450. Mutatio in creaturis materialibus quadruplex est secundum quantitates mensurarum, qualitates formarum, varietates locorum, et motus temporum, 456.

N

Naaman Syrus et leprosus gerit typum hominis superbi et luxuriosi, 201.
Nativitas Christi Domini duplex explicatur, 70. Nativitatis Christi circumstantiæ personæ, loci, temporis explicantur et considerantur, 83 et seqq. 92; per totum sermonem. Natus Jesus humilitatis et mansuetudinis est exemplum, 97. Natus Jesus humilitatis, castitatis, paupertatis exemplum, 103. Natalem Domini cur SS. Stephani, Joannis et Innocentium excipiant festa, 111. Ad natum Jesum et matrem ejus apostrophe, 97. Nativitas eadem, sed non finis, electorum et reproborum, 84.
Nazareth quid designet, 87; per totum sermonem.
Negotia hujus vitæ mentem affligunt, 227.
Nigredo quid significet, 354.
Nobilitas virtuti innititur, adeoque de nobilitate sanguinis gloriari indecorum, 275.
Noe laudatur, 125.
Nomini vita conveniat, 234.
Novitii describuntur, 67; instructio pro illis, 67. Novitiis triplex panis spiritualis necessarius, 68. Per flumen Phison novitii significantur, 333. Cum illis necessaria confessio, significantur per flumen Hevilath, ipsorumque status quanta bona includat, 333. Novitiorum cum Lazaro analogia, 413.
Nox pro quiete accipitur, 146. Nox est vita peccatorum, 443.
Nubes significat levitatem, 443.
Numerus quinarius, centenarius, octonarius, millenarius quid significent. 394.
Nuptiarum Canæ Galilææ occasio et ordo, 202. Nuptiæ symbolum amoris, quo Deus sponsus, cum anima sponsa copulatur, 203. Ad nuptias veniens Jesus cum Maria et discipulis quid significet, 208. Ad nuptias anima Jesum vocet, 209. Ad nuptias Jesus vocatur per tres ministros corporis, rigorem jejunii, instantiam vigiliarum, maturitatem silentii : per quatuor mentis ministros, meditationem, desiderium, humilitatem, perseverantiam, 209. In nuptiis vinum deficere quid sit, 210.

O

Obedientia superioribus quomodo præstanda, 103, 106. Obedientia sit prompta, grata, sincera, perseverans, 106. Obedientiæ perfectæ prototypus Christus, 106, 316. Obediendum Deo magis quam hominibus et prælatis iniqua præcipientibus, 262. Obedientia perfecta qualis, 303. Ejus commendatio, 311, 315. 319. Ejus norma in David, Samuele, B. Virgine expressa, 315. Obediendo miseremur superiorum, 308. Obedientia duo requirit, tolerantiam in adversis et perseverantiam, 316, 317. Obediendum superioribus propter Christum, 318. Obedientiæ votum medicina est vitiorum, 320.
Oblatio possessionis religiosæ reliquis omnibus oblationibus Deo gratior, 217 et seqq. Oblatio operum Deo sit pura et perfecta, non mutila nec corrupta, 252.
Obsidionis urbis et animæ analogia, 434.
Oculorum visus concupiscentiæ seminarium, 272. Ideoque continendus, 281 et seq. Oculorum lascivus aspectus non stat simul cum pudico affectu, 282.
Odii malitia et damna describuntur, 262 et 291.
Odorum fragrantia suavem Dei bonitatem demonstrat, 454
Officia septem ordinum a Christo exercita, 386. Officia septem ordinum, 393.
Officiales monasterii significati per fluvium Gihon, 334 Item per Liam, 334. Quales esse debeant, 334.
Oleum olivarum cæteris præstantius, 373.
Onychinus lapis similis ungui humano quod significet, 35.

Digitized by Google

Opus minimum non erit absque mercede, 69. Opus plumarium quid sit, 351, 370.
Operatio recta quinque postulat : bonitatem, spontaneitatem, puritatem, discretionem, firmitatem, 456.
Oraculum S. Dunstani de Ang is regicidis, 400. Oraculum unde sic dictum, 372.
Orans ad quatuor attendat : quis oret, quem, quid, quomodo, 248.
Orantium diversa gratia, 428.
Oratio, quomodo fundenda, 277, 325. Oratio trip'ici cogitatione turbatur, 428. Præcedat illam præparatio, injuriæ remissio et miseratio proximi. 428, 429.
Ostiarii officium, 393.

P

Pacificus quis, 142.
Pacis perturbatores perstringuntur, 85 et seq. 253, 254. Describuntur designati per serpentem in paradiso, 337. Fugant Christum in se nasciturum qui pacem amat, 83. Pax mutua religiosis commendatur, 254, 253, 295. Pax in opere bono est sapor in ferculo, 263. Pax quibus detur et annuntietur, 467 et seq.
Palpabilia Deum esse testantur, 455.
Panis spiritualis quadruplex, 56. Panis reprobus triplex, ejusque effectus, 63. Panes Ecclesiæ decem, 65. Panis triplex novitiis necessarius, 68. Panes propositionis quot, quales et quomodo offerebantur, 362. Unde sic dicti, 373.
Paradisi custodia est status religiosi recta conversatio et perseverantia, 337. Paradisi quatuor flumina mystice describuntur, 433. In paradiso a Deo poni quid sit, 434. Paradisus voluptatis designat plenitudinem suavitatis in Christo, 100, 101.
Parietes tres tabernaculi Moysis quid designent, 421.
Passus hominis quid mystice significent, 391.
Pastoralis baculi moralis significatio, 442.
Patientiæ et patientis definitio, 113. Patientiæ gradus triplex, 141. Patientiam conferunt inspecta sanctorum, ut Davidis, Job et præcipue Jesu Christi exempla, 181, 182.
Patres (SS.) Scripturas exponentes adhuc spicas quasdam post se colligendas aliis reliquerunt, 338.
Patriæ cœlum duobus pedibus aditur, meditatione et desiderio, 248.
Patriarchæ Ecclesiæ quatuor, Alexandrinus, Aquileiensis, Antiochenus, Jerosolymitanus, 392.
Pauli (S.) conversio, 267. Encomium, 472. Item, 34. Ejus conversio mirabilem in electos Dei misericordiam demonstrat, 472.
Paupertas quæ sit voluntaria et honesta, 181.
Peccata, quot modis committantur, 338. Peccata in memoriam revocanda ob compunctionem, non ob delectationem, 214. Peccata electorum, quamvis in ordine ad tempus sunt præterita, in æternitate non sunt Deo præsentia, 474. Peccati gravitas ex multis titulis ponderatur, 185, 186. Peccato commisso transit voluptas et manet remorsus quod significatur per Ammon stuprantem Thamar, 184. Peccatum languor quidam est, 75. Peccatum unius, præcipue proprietatis, facit quandoque ut tota communitas aliqua patiatur, sicuti factum est filiis Israel ob furtum unius Achan, 74. Peccatum religiosi gravius quam alterius, 195. Peccatum animam diabolo subjicit, 226. Peccatum hominem ligat, 416.
Peccandi impossibilitas in electis quomodo intelligatur, 474.
Peccatorem quomodo prædicator convertere debeat, 57. Peccatorem Deus minis et blanditiis corrigit, 57. Peccatorem duplex angit remorsus, culpæ præsentis et pœnæ instantis, 443. Peccatorem ab æterno gratis electum quomodo in tempore ad se suaviter Deus vocet, 472, 473. Peccatoris plangentis peccata sua prosopopœia, 81. Peccatoris labentis et resurgentis graphica ab experientia descriptio, 184
Pedum ablutio quid significet, 391. Pedes in Scriptura quid significent, 39. Pedibus duobus incedere est facere et docere, 414. Pedes Domini capillis tergere quid sit, 403. Perfectio tria requirit, 266
Perseverantiæ virtus æternitatis quædam imago, 110. Perseverantiæ in bono incertitudo, 149.
Petri (S.) conversio mirabilem Dei erga electos misericordiam prædicat, 472.
Phanuel significat faciem Dei, 169.
Pharao typus vanæ gloriæ quid designet, 152.
Philosophiæ studium sine studio sacræ Scripturæ reprehenditur, 338. Philosophorum gentilium ob superbiam cæcitas, 48, 49.
Phison fluvius, quid significet, 101. Designat novitios, 333.
Pleiades designant electos, 390.
Plumarium opus quid sit, 351, 370.
Plumbi et argenti discrimen morale, 418.
Pœnitentia signum prædestinationis, 88. Pœnitentiæ prosopopœia, 81. Pœnitentiæ necessitas post lapsum, 179.
Pœnitentis animæ meditatio, 214, 215. Pœnitentis vox, 185, 186. Pœnitentium prototypon, 472.
Pontifex summus quare vocetur papa, 394. Ejus potestas, 394. Ejus prærogativæ, 395. Pontifex singulis annis semel introiens in Sancta sanctorum, quid designet, 425.
Porta orientalis designat virginem Mariam, 51. Portæ diversa significatio, mystica in Scripturis, 61.
Potestati sæculari quinque modi justitiæ observandi, 404.
Prædestinatio ad gloriam est omnino gratuita, 14. Item 470. Item 46. Prædestinationis incerti etiam beneventes, 89. Prædestinationis signa quæ, 88, 184, 179. Prædestinationem cur non expediat scire, 465, 466, 475. Prædestinationis liber quis, 474. Prædestinationis essentia 474. Prædestinationis propositum est immobile, 473
Prædicatorum summa octo capitibus absolvitur, 437.
Prælati sunt paranymphi sponsæ Ecclesiæ, 12. Prælatorum licentiosa vita ab auctore deploratur, 13. Prælatorum officium per saga tebernaculi designatur, 430. Prælati per columnam nubis bonos foventes et per columnam ignis malos punientes significantur, 442. Prælati quales esse debeant, 442. Prælati et subditorum mutua obligatio, 155. Prælati significantur per fluvium Tigris, 334. Illorum auctoritas cui bono, 334.
Præmium quam amplum maneat religiosos, 69, 70.
Præmonstratenses dum se prosternunt ad terram in vigilia Nativitatis Christi in capitulo, quid velint designare, 70, 71. Quis illis superpellicearum usus, 237. Illorum professionis formæ explicatio, 246. Præmonstratensis ordo charitati militat, 332. Præmonstratensis ecclesia fons est et magistra cæterarum istius ordinis, 331. Præmonstratensis ecclesia comparatur paradiso voluptatis e qua egrediuntur quatuor flumina, 332. Præmonstratensium canonicorum rigor primævus in vestitu, 236. In victu, 237. In colloquiis sæcularium, 326 Præmonstratensium professorum laus, 332. Ad Præmonstratensium ecclesiam singulis annis ex toto orbe concurrebant abbates, nulla habita sumptuum, aut periculorum ratione, 331.
Præparatio animi ferventius facienda, quando magnæ festivitates instant, 71. Præparatio ad adventum Domini et gratiæ octo requirit, 76.
Præsentia Dei præ oculis habenda, 109.
Principiis obstandum, 283.
Propitiatorium quid fuerit, 350. Quare sic dictum et quid significet, 372.
Proprietarii arguuntur, 273, 287.
Proprietas rei temporalis et affectus ad illam religiosis prohibitus, 271, 272. Proprietatis vitium magis familiare illis qui in sæculo fuerunt pauperes, 273. Proprietas in religioso est anathema, 74.
Prosperitas magna in hoc sæculo suspecta est animæ plæ, 216.
Prostratio in terram indicium est admirationis, devotionis, humiliationis, 71.
Proximi virtutes imitandæ, defectus excusandi, 200. Proximo justitia reddenda, 103; proximo superiori quid debeamus, 107; quid æquali, 108, 109; quid proximo cuique, 109. Proximus noster quis, quare et quomodo diligendus, explicatur per similitudinem mellis et favi, 440 441.
Prudentia et simplicitas Christiana quæ, 340.
Pudor inutilis in confessione, pudore utili contrario coram Deo et angelis superandus, 51.
Puerorum genius et inclinatio, 153.
Pugnæ spiritualis graphica descriptio, 40.
Pulchritudo creaturarum pulchritudinem Creatoris demonstrat, 453.
Purpura quid significet, 384. Vide color purpureus.

Q

Qualitatum formarum crebra in creatis mutatio, 456.
Quantitatum mensurarum crebra in creaturis mutatio, 456.
Quies in solitudine corporis et animæ vera, 417.
Quinarii numeri mysterium, 384.
Quinque status mundi ab initio usque ad finem, et quinque status Ecclesiæ post adventum Christi per quos

Digitized by Google

designentur, 411, 412 Quinque sensus Deo creatori testimonium perhibent, 455.

R

Rebecca typus Ecclesiæ, 30.
Rebelles viriliter coercendi, 334.
Rebellium superborum typus Core, Dathan et Abiron, 365.

Rectitudo animi in tribus consistit, 227 et seq. 232.
Reges Angliæ Christianissimi vocantur, 397. Eorum series texitur, 397 et seq. Eorum virtutes heroicæ describuntur, 400, 401, 402. Et observantia erga sedem apostolicam, 402. Regum Scotorum series deducitur usque ad Adam, 397. Regibus quinque modi justitiæ observandi, 404. Regum maxima dignitas, nulla in Ecclesiam Dei præsumpta potestas, 398. Reges sunt sancti, dominantes vitiis et affectibus suis, 388. Rex noster Christus, 10.

Regiorum ornamentorum mystica interpretatio, 403.
Regula religiosorum mentis speculum, 308. Regulæ canonicæ S. Augustini summa, 269.

Regulares obedientiarii qui et quod illorum munus, 67. Regulares claustrales, qui et quod illorum munus, 68. Illorum felicitas, et quies, et commoda enumerantur per triginta septem figuras, 334 et seq. Regularium triplex exercitium, actio, lectio, oratio, 68, 197, 198, 323, 413. Regularium tres gradus : novitii, claustrales, et obedientiarii, 66 et seq. 413. Regularium novitiorum etiam diversæ ætatis munus, 67. Regularium quadruplex gradus designatus per quatuor flumina paradisi, 332.

Regularis. Vide canonicus. Regularis vitæ synopsis, 331. Regularis vitæ merces copiosa, 69, 70.

Religiosa congregatio designata per Mariam, prælatus illius per Joseph, 154. Per Bethlehem Juda, 193.

Religiosi et pii viri vita, compiratur ligno plantato secus decursus aquarum, 417. Religiosi non solum membra, sed viscera sunt Christi, 72, 73. Religiosi non solum familiares, sed et consanguinei sunt Christi, 413. Religiosi unius communitatis tenentur omnia sua in unum conferre, 167. Religiosi status super cæteros prærogativa, 154. Comparatur regno Salomonis, et lapidi abscisso sine manibus, 156. Religiosi dyscoli, sæculares et novitios scandalizantes arguuntur, 161, 179, 180, 195, 196, 250, 253, 254, 337. Religiosum in statum quorumdam sæcularium dicax maledicentia, 155. Religiosorum proborum per quos nomen Domini laudatur, commendatio, 195, 196, 180. Religiosus proprietarius fur est et sacrilegus, et quare, 219. Religiosi a quibus sibi cavere debeant, 154. Religioso quid necessarium, 252. Religiosus debet munditiam Deo, æqualibus concordiam, superioribus obedientiam et honorem, 301. Religioso quomodo laborandum manibus, 324. Religiosæ vocationis beneficium, 53. Religiosi status conversatio et perseverantia, designatæ per operationem et custodiam paradisi, 337. Religiosi ordines varie recensentur, 412. Reprobi eamdem cum electis nascendi sortem, sed non eumdem finem habent, 84. Reprobis omnia etiam bona cooperantur in malum, 49, 84, 216. Reproborum gradus et incrementa perditionis, 49. Reprobis apparet gratia Dei ut electis, sed non erudit illos ut electos, 102, 103, 104. Celebrant cum reliquis nativitatem Christi, sed imitari non curant, neque amplectuntur eius virtutes, 104. Reproborum triplici vitæ vitio, correspondet triplex inferni tormentum, 433. In reprobis Deus terribilis, et perditio ipsorum cogitatu formidabilis, 438, 449, 464, 479. Reprobi a Deo illustrantur nec inflammantur finaliter, 450. Aversi a Deo conversi sunt ad creaturas, 462. Reproborum varii typi Absalon, etc., 462, 463, 464. Reprobi indurantur a Deo quatuor modis, qui illorum voluntatem quadrupliciter bene disponit et ordinat, 464, in fine, 465. Reprobi sic ob culpam damnantur æternaliter ad pœnam, ut tamen ob naturæ dignitatem non amittant unquam suum esse, 479. Reproborum tria offendicula, 479.
Rosa mystice explicata, 337

S

Sacerdos Veteris Testamenti manus abluere, sacerdotes vero Novi Testamenti pedes abluere debent : et quare, 391. Sacerdotes mali faciunt ut nomen Dei blasphemetur, 180. Sacerdotes sacrosancta mysteria tractaturi prius se spiritualiter abluant, 431.

Sacerdotii suscipiendi eadem ætas requisita in Veteri, sicut in Novo Testamento, nempe viginti quinque annorum, 376.

Sacramenta pro diverso statu fuerunt diversa, prioris status abrogata aut in melius mutata, 64.

Sacrificii incruenti missæ iterata oblatio, est singulare contra concupiscentias, et peccatum antidotum, spei nostræ et fiduciæ fulcrum, 173. Sacrificium ut Deo placeat, debet præcedere cum proximo offenso reconciliatio, 293. Sacrificiorum veteris legis tria genera, quid designent, 294.
Sæcularium multorum in statum religiosum quos imitari negligunt dicax malevolentia, 455. Sæculares hi similes sunt Balaam, 155. Sæcularium quandoque justa de religiosorum indisciplinatione querla, 197. Sæculari potestati quinque modi justitiæ observandi, 404.
Sagum tabernaculi quid sit, et a quibus inventum, et quare duplicatum, 352, 353, 370, 371.
Salutis æternæ incertitudo, 89. Quare illa, 91, 463, 466, 473.
Salvatoris Christi gratiæ quæ nobis apparuit, magnitudo expenditur, 99, 100. Major est quam gratia Creatoris, 100.
Salvatoris actiones et passio breviter proponuntur, 168.
Samaria interpretatur *custodia*, 67.
Samaritana mulier typus est Ecclesiæ, 45.
Samaritani Christi nostri pietas, 15.
Samaritani Evangelici parabola explicatur toto sermone, 16.
Samuel laudatur, 126, 417.

Sancta sanctorum significant beatitudinem æternam : sancta vero præsentem hanc perfectorum fidelium vitam, 391. Item quid insuper significant, 425, 419, 422. Sancta et sancta sanctorum tabernaculi quæ loca vocarentur, 309, 349. Sancti veteris testamenti designati per hases tabernaculi Moysis : novi vero per tabulas, 585. Sancti veteris testamenti aliquo modo repræsentarunt Ecclesiam, 383. Sancti sunt reges regum et domini dominantium, 388. Sanctificatio requirit munditiam carnis, et actionem bonam, et sedulitatem confessionis, 73 Sanctificatio in vigiliis solemnitatum quæ requiratur, 76. Sanctitas vitæ in quo consistat, 85. Sanctitas interior in tribus consistit : exterior vero in exercitiis, 422. Sanctitatis hujus vitæ imperfectio evacuanda in altera, 425. Sanctorum congregatio templum quoddam est cui nobis mente immorandum, 17. Sanctorum studium quale fuerit, 339. A sanctis perfectis abest invidentia, 343. Sanctorum ætas est profectus virtutum, 170. In sanctis tria consideranda, 420. Illorum exempla ad tria nos excitant, 419. Sanctorum veteris testamenti laudes, 467, 468, 469. Sanctorum mentis cibus est bona operatio, 413.

Sapientia Dei cuncta creans et disponens, 45, 46. Sapientia ab æterno genita, in tempore cuncta creavit et disposuit, 45, 46. Sapientiæ divinæ secretum in reprobatione et electione rationalis creaturæ, 47. Sapientia aura comparatur, 101. Sapientia salutis fructum pariens designata per Mariam Christum parientem, 139, 140, 141. Sapientia designata per Abisag Sunamitidem, 139, 140. Sapientia vera quæ sit, 333.

Saporum suavitas, Dei suavitatem nos gustare docet, 453
Sara significat prudentiam, 152.
Satanæ mirus astus et deceptio, 202.
Scandalum generatum per religiosos dyscolos, 195, 161, 179, 250.
Scientia damnabilis quam non comitatur dilectio, 48. Scientiæ veritatis adsit justitia operationis ne sit ruinæ occasio, 48, 49.
Scotorum regum stemma et series a Wilhelmo usque ad Adamum, 397.

Scriptura (S.) cœlum quoddam est, 117. Ejus cortex patet et nucleus latet per quem hæretici oppugnandi, 558. Illam SS. Patres exponentes, spicas aliquot posteris colligendas reliquerunt, 338. S. Scripturæ lectionis assiduæ fructus et commoda, aliaque elogia, 340. S Scriptura continet in se quatuor sensus e quibus litteralis quandoque difficilior spirituali, 341. Est S. Scriptura similis agro Booz, 342. S. Scripturæ documenta et exempla sunt quasi speculum quoddam mentis, 265, 309. S. Scripturæ mysteria sunt multum abscondita, 44. S. Scripturæ quatuor notabilia, ejusque quatuor sensus explicantur, 385. S. Scripturæ reliquæ scientiæ deserviunt, 386. S. Scriptura Veteris Testamenti habet viginti duo libros, quot sunt litteræ in alphabeto Hebraico, 386. S. Scriptura est quasi mensa quadruplici sensu quasi quatuor pedibus subnixa, 424.

Digitized by Google

Secreti revelati pœna, 463.
Securitas nimia perniciosa animæ, 183.
Sensus quinque Deo Creatori testimonium perhibent, 455.
Sentiendi bene de aliis modus, 237.
Serpens in paradiso designat perturbatorem pacis, et seminatorem discordiæ in communitate, 337.
Seth Latine est resurrectio, 397.
Sethim quale lignum, 347, 368. Sethim lignum in corruptibile, designat incorruptam humanitatem Christi, 423.

Silentium commendatur, 324. Silentium per quid designetur et quotuplex sit, 147. Silentii triplicis maturitas animam disponit ad gratiam, 209. Silentium perniciosum est dicenda tacere, 284.
Similari Christo debemus in virtute, ut ei similemur in gloria, 19.
Simile sumptum a viatoribus, 122. Similes Deo reddit nos visio ejus, 21.
Similitudinem fidei quam male affectaverit Lucifer, 19. Similitudo Dei qualis a nobis desideranda, 19.
Simon Machabæus, exemplum zeli pro bono communi, 250.
Sobrietas quid, 104. Corpori non negat necessariam sustentationem, 105.
Sol Deo creatori suo testimonium perhibet, 452.
Solis diversa operantis et contraria, et Dei similitudo, 459.
Solitudinis secretum juvat ad acquisitionem virtutum et perfectionis, 243. Solitudo triplex est, mentis, negotii et loci, 414. Solitudinis elogium, 417. Solitudo quadripartita et uniuscujusque effectus, 416.
Somni tres Joseph viri Mariæ, quid designent, 146, 147. Somniorum fallacia. 23.
Sonitus vocum strepitusque creaturarum, verbum Dei euphoniam nos docet, 454.
Specula mulierum circumposita labro æneo quid, 365.
Spes sit mista timori, 150. Spes conscientiam bonam animat, 162. Spes nostra innititur gratuitæ Dei electioni et bonitati, 470. Spes nostra est vita et mors Christi, 189.

Spina symbolum peccati, 425.
Spiritus sancti operatio multiplex, 24. Spiritu sancto quis plenus, 123, 124. Spiritus sanctus quare apparuerit in specie ignis, linguæ et columbæ, 123. 124. Spiritus sancti nomen cur appropriatum tertiæ personæ SS. Trinitatis, 461. Spiritus creati et increati discrimen, 458. Eorum similitudo, 460.

Sponsæ Dei circa quam Deus quatuor operatur, dignitas, 204. Illam quomodo Deus perficiat, 208.

Stabilitas in loco quam religiosi aliquorum ordinum faciunt, quid sit et quomodo intelligenda, 258, 268, 269.
Status conjugalis est honorabilis, 393. Ejus afflictiones, 406. Status sive ætates quinque mundi designatæ per quinque spatia tabernaculi, 411.
Stella magorum designat famam bonam piæ conversationis, quæ proximum ædificat, 194. Stellæ testimonium Creatori perhibent, 453.
Stephani (S.) inter martyres primatus, 111. Ejus charitas ad compassionem, zelus ad correctionem, oratio ad emendationem, 112.
Superbi designati per ædificatores turris Babel, 462, Item per Core, Dathan, Abiron, 463.
Superbia totius ædificii spiritualis ruina est, 163, 164. Superbiæ, elationis et securitatis nimiæ damna et remedia, 149, 151, 163, 164, 183. Superbiæ palliatæ occultus astus designatus per Herodem, 142. Superbia et luxuria regnum Satanæ, 193. Superbia designata per Dragonem rufum, 144. Superbia bonis operibus insidiatur, 231, 252, 274. Superbia intolerabilior in pauperibus, 274, 279.
Superiores non nimis ardua imponant, 108. Absit ab eis nimia imperiositas et severitas, 108. In correptione modum servent, 284. Superiores sunt animarum medici, 304, 319. Non dominari, sed prodesse affectent, 304. Ardeant charitate, 305 Prius exemplo quam verbo doceant, 306. Superiorum quorumdam indiscretio in jubendo taxatur. 312. Superioribus quomodo obediendum, 105. Etiam dyscolis et malis obediendum est, 106 Superiorum contemptus grave est peccatum, 105, 106, 314. Superiorum erga subditos triplex debitum, discretio, mansuetudo, disciplina, 107, 108. Superiorum unius communitatis mutua sit dependentia, auxilium et concordia in bono, 301, 302 Superiorum vita non est discutienda, 313. Illorum famæ consulendum est, 318. Illorum iniqua præcepta non superbe rejicienda, sed humiliter declinanda, 318.
Synagogæ reprobratio et invidentia adumbrata, 32. Ad illam in fine crediturum apostrophe, 32.

T

Tactus alium a se Deum rerum creatorem clamat, 455.
Tabernaculi parietes tres erant ex tabulis ligneis, 345. Tectum non erat sublimatum, sed planum, quale habebant domus in Palæstina. Ejus longitudinis et latitudinis dimensio, 352. Ejus structura in plano, longitudo et latitudo, 377. Tabernaculi duæ partes Sancta, et Sancta sanctorum quid significent, 422, 423. Tabernaculum Moysis, figura Ecclesiæ : de eo Patres antiqui parum scripserunt, 338. De tribus tabernaculis specialiter Scriptura disserit, 342. Tabernaculum quid proprie vocaretur, 353. Describitur tabernaculum cum pertinentibus, 377 381. Tabernaculum construere, est quieti animæ suæ insistere, 416. Tabernaculum nostrum cordis secretum est, quod requirit aurum serenitatis cordis, argentum puritatis oris, æs fortitudinis operis, 417. Quomodo illud intus et foris deaurandum, 418. Fundamentum tabernaculi spiritualis est fides, spes fabricam erigit, charitas ædificium perficit, 419.
Tabulæ tabernaculi ex lignis Sethim basibus superpositæ, quid significent, 383, 418, 420.
Talentorum tria genera, 360, 374.
Templi significatio in Scripturis varia, 172. 1. Templum est corpus Christi cui jugi cogitatione et spe immorandum, 173. 2. Templum est beata virgo Maria, cujus patrocinio immorandum : ejus encomium, 174. 3. Templum est sancta Ecclesia cui immorandum est ut salvus fias, 174. 4. Templum est sanctorum virorum et mulierum conventus, a quorum imitatione nullatenus discedendum, 175. 5. Templum est corpus nostrum, animæ nostræ habitaculum Deo sanctificandum, 175. Templum sextum est anima nostra, Spiritus sancti hospitio sanctificanda et quomodo, 175. Templum septimum intellectus creatus Dei capax, 175. Templum octavum cœlestis patria, 176.
Temporum Quatuor anni, cum humana ætate similitudo, 456. Temporum motus varii, 456. Temporum differentiis Deus non subjicitur, 458. Tempus triplex, naturæ, legis et gratiæ, 382. Tempus triplex ante adventum Domini, legis naturalis, scriptæ et prophetarum, 28.
Tentationes et stimuli vitiorum sunt quasi reges a quibus se regi patiuntur peccatores, 388. Tentationum utilitas, 182. Non desunt Dei servitio se primum addicentibus, 40. Ad salutem electis cooperantur, 40.
Tentorium introitus tabernaculi designat decus primitivæ Ecclesiæ, 484. Tentorium columnas protegens significat contemptum rerum terrenarum quinque sensus protegentem, 421. Tepiditatis in pietate periculum et malum, 6.
Thamar, quod est amaritudo, puella speciosa, designat amaritudinem voluptatis et peccati præteriti, 184.
Tigris fluvius, id est *sagitta*, significat rectores et prælatos, 334.
Timor amoris prodromus, 9. Timor pœnæ æternæ, 51. Timor sit mistus spei, 150. Timor porta mortis vel vitæ, partim bonus, partim malus est, 439. Timor quadruplex est. Duo boni filialis et initialis, duo mali servilis et mundanus, singulorumque genius concinne describitur, 440.
Tobiæ utriusque laus, 470.
Transitus ad alium ordinem dissuadetur, 259, 260. Item 261 Et comparatur arbusculæ sæpe replantatæ et ariditati obnoxiæ, 261. Illius rationabiles causæ, 262, 263, 264.
Trinitas personarum explicatur, 458, 460, 461, 475, 476. Trinitatis imago in homine, 469, 462, 475. Sanctissimæ Trinitatis operatio circa electos, 467.
Turbatoris pacis genius describitur et increpatur, 83, 233, 234.
Turma est proprie triginta militum, diciturque cuneus, 376.
Turris Babel moralis exstructio, 462.

U

Ungues quare in digitis sint et quid mystice significent, 333.
Urias Hethæus typus et exemplum fervoris, et affectus ad bonum commune, 250.

Digitized by Google

V

Vacca rufa designat Christum, 390.

Vanæ gloriæ genius, 59, Ejus damna, 86, 87. Eius typus fuit Pharao, 152. Ejus remedium, 183, 152. Aufert utilitatem boni operis, 168.

Vectes auro obducti quid significent, 410. Vectis conjungens parietes tabernaculi, designat Christum facientem utraque unum, 385. Vectis conjungens parietes et columnas firmans, quid significet, 421. Vectium connexio significat omnium virtutum in sanctis connexionem, 419.

Velum tabernaculi describitur, 349, 370.

Verbi Dei auditorium quatuor gradus, 43. Verbi divini et humani analogia et antilogia, 457, 458. Verbum Dei quomodo audiendum, quæque in eo audiendo cavenda, 60. Verbum Dei cibus est animæ, 64. Gladius est pertransiens animam, 139. Ex verbo Dei lecto, quæ cogitationes revelentur, 139. Verbum Patris, id est Filius Dei, quantum distet a verbo humano, 454.

Vestimenta mystica veteris et novi testamenti, 238. Vestis linea sive superpelliceum vel rochetum quid designet, 257, 258. Vestis internæ cura habenda, 287. Vestis sæcularis quid significet, 456. Vestis candida significat fulgorem conversationis, et solemnitatem futuræ resurrectionis, 258-246. Vestitus modestia commendatur, 281.

Via cœli præcognoscenda, 339. Quænam ilia sit, 340.

Viduitas et spiritualis torus animæ quid, 170.

Vincula animæ sunt quadruplicis generis, 416.

Vineæ nomine multa designantur, 30.

Vinum designat gaudium spirituale, 210. Vinum sapidius in vase aureo quam ligneo, 329. Vinum bonum ponit mundus, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, 217. Idem facit diabolus, 464.

Virginitas designat sterilitatem animæ, 172.

Viridis circulus signum beatitudinis æternæ, 389.

Virtutes cardinales per quid designentur, 85. Virtutes omnes inter se sunt concatenatæ, 419, 265, 266. Virtutum fidei, spei et charitatis inter se proportio, 192. Virtutum cardinalium objecta, quomodo differant in via et in patria, 423.

Visibilia ad invisibilem auctorem sternunt viam, 455.

Visio Dei omnis boni satietas, 20. Nos Deo similes reddit, 21. Visio Dei in creaturis, 22. Visio Dei per visitationem divinam, 25. Per fidem, 25. Visio interna per Spiritus sancti unctionem, 24. Visionum in hac vita varia genera, 21. Non omnis visio prophetam efficit, 21. Visiones Moysi, Jacob, Isaiæ mystice explicantur, 21, 22. Visionum quinque genera inter se conferuntur, 22. In visione quæ nebulæ cavendæ, 22. Satanæ fraudes cavendæ, 23, 24. Visiones hæ quatuor ad quos pertineant, 25.

Visitatio est ordinis et disciplinæ renovatio et irrigatio, 332.

Vitæ activæ et contemplativæ directio a Deo est, 26. Vitæ utriusque idea, 436. Vitæ activæ operatio quinque requirit : esse bonam, spontaneam, puram, discretam, firmam, 436. Vita hæc est peregrinatio et tantum diversorium, 91. Illius brevitas, 112. Est mors quædam, 247. Vitæ clericalis et laicalis antithesis, 495. Vitæ religiosæ idea Maria Magdalena, 414. Vitæ regularis synopsis, 531. Vita religiosa sumpsit initium a primitiva Ecclesia, 414. Illius duæ sunt pestes, discordia et proprietas, 414. Vita præsens designata per sancta, vita futura per Sancta sanctorum : et utriusque vitæ antithesis, 423. Item, 426.

Vocatio nostra designata per vocationem magorum, 191, 192.

Vocis humanæ commoda, 454.

Voluntatis creatæ et increatæ latum discrimen, 459.

Voluptatis balitæ amaritudo designata per Ammon violantem Thamar, 184. Voluptatis excæcantis typus Dalila, 463.

Votorum religiosorum reddendorum grandis obligatio, 224. Vide titulum Religiosus.

W

Wodens rex Angliæ ita celebratus fuit a gentilibus, ut ab ejus nomine diem Mercurii vocaverint.

Wodensdei, id est diem Wodens, 397.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

ADAMUS PRÆMONSTRATENSIS.

Prolegomena.

Epistola dedicatoria. 9

Introductio ad lectorem. 11

Prolegomena de vita auctoris. 20

Cap. I. — Virorum illustrium gesta, et scripta cognitu utilia. 20

Cap. II. — Dicendorum circa auctoris vitam ratio ac unde petita. 21

Cap. III. — Quo tempore Adamus noster vixit. Errores castigati 23

Cap. IV. — Nomen ejus ab aliis discretum, agnomen item et patria. 25

Cap. V. — De adolescentia in sæculo transacta, ac amplexu religiosi status. 28

Cap. VI. — In qua ecclesia vitam religiosam professus se primum Deo devovit, claustralis quietis præco singularis. 31

Cap. VII. — Qualitas ordinis et disciplinæ Præmonstratensis, sedis apostolicæ approbatio, invida insectatio. 34

Cap. VIII. — De contemplativæ atque activæ studiis, quibus præcelluit. 38

Cap. IX. — Humilitas animi, devotio singularis circa tremenda missæ mysteria, charitas. 41

Cap. X. — De libris veterum deperditis querimonia, et Syllabus operum Adami. 46

Cap. XI. — A quibus scriptoribus noster celebratus. Cur vetustæ impressioni præmissus titulus : « Liber beatissimæ Dei genitricis Mariæ, et S. Joannis Baptistæ. » 49

Cap. XII. — De ecclesia Candidæ Casæ, seu Wilhernæ, cui præfuit Adamus; ac cathedralibus ecclesiis a Præmonstratensibus jure ordinario et præterordinario insessis. 51

Cap. XIII. — A regulari Præmonstratensium institutio alienum non esse majores minoresve administrare ecclesias. 58

Cap. XIV. — Beata mors episcopi Præmonstratensis Anglici, verisimiliter Adam, miraculis illustris, ex Cæsario Heisterbacensi, lib. III, cap. 21 et 22. 61

Cap. XV. — Elogia Regulæ S. Augustini : cui servanda oratio et lectio. 64

Cap. XVI. — Commentatores in S. Augustini Regulam celebres : et quomodo ea S. Norberto tradita. 72

Cap. XVII. — Singularis cultus Præmonstratensium erga S. Augustinum, Regula ejus canonica. Nec Præmonstratenses sub alia regula. 77

Adami præfatio in sermones sequentes. 91

SERMONES.

Sermo primus. — Dominica I in adventu Domini. — De nominibus Christi, et quomodo ei advenienti occurrere debemus. 97

Sermo II. — Item Dominica I in adventu Domini. 102

Sermo III. — Item Dominica I in adventu Domini. — De eo quomodo Christo sponso venienti occurrendum sit. 106

Sermo IV. — Item Dominica I in adventu Domini. — De magna miseria hominis, et de beneficio Salvatoris. 111

Sermo V. — Item Dominica I in adventu Domini. — De quinque generibus visionum. 119

Sermo VI. — Item Dominica I in adventu Domini. — De cautela quæ in spiritualibus visionibus habenda est, et de mysterio adventus Christi. 127

Sermo VII — Dominica II in adventu Domini. — De fide sanctæ Ecclesiæ et de vocatione Synagogæ ad fidem. 133

Sermo VIII. — Item Dominica II in adventu Domini. — De triplici sanctæ Ecclesiæ statu. 141

Digitized by Google

Sermo IX. — Item Dominica II in adventu Domini. — De tribus quæ ad timorem Dei, et de tribus quæ ad amorem ejus pertineant. 146
Sermo X. — Item Dominica II in adventu Domini. — De pugna et pace, et de contemplatione eorum. 151
Sermo XI. — Item Dominica II in adventu Domini. — De bonis et malis auditoribus, et quid responsorium « Egredietur Dominus, » etc., significet, et de sapientia Dei. 157
Sermo XII. — Item Dominica II in adventu Domini. — Quibus modis Dei invisibilis ad nos cognitio veniat. 162
Sermo XIII. — Item Dominica II in adventu Domini. — De confessione peccatorum et laudis divinæ, et de modo utriusque. 168
Sermo XIV. — Item Dominica II in adventu Domini. — De quadripartita confessione, et de quatuor panibus, ac de quatuor generibus ægritudinis humanæ. 174
Sermo XV. — Item Dominica II in adventu Domini. — De modis quibus mentes prædicatorum in docendo disponuntur, et moventur, et de fastidiosis auditoribus. 181
Sermo XVI. — Item Dominica II in adventu Domini. — De adventu Christi ad Ecclesiam per virginem Mariam. 186
Sermo XVII. — Item Dominica II in adventu Domini. — De eo quod in sacramentis Veteris Testamenti Dominus ad Ecclesiam venit. 190
Sermo XVIII. — Item Dominica II in adventu Domini. — De triplici ordine cœnobitarum. 194
Sermo XIX. — In vigilia Nativitatis Domini. — De prostratione quæ eo die fit in capitulo. 200
Sermo XX. — Item in vigilia Nativitatis Domini. — De sanctificatione et munditia, qua videamus majestatem Dei in nobis. 203
Sermo XXI. — Item in vigilia Nativitatis Domini. — De spirituali Verbi ad animam adventu. 208
Sermo XXII. — In vigilia Nativitatis Domini. — De interna gratia animam visitante. 213
Sermo XXIII. — In die natalis Domini. — De sublimitate incarnationis Christi, et de spirituali electorum profectu. 219
Sermo XXIV. — Item in die natalis Domini. — De spirituali profectu sanctorum, et de magna multitudine dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, perfecit autem sperantibus in se. 220
Sermo XXV. — Item in die natalis Domini. — De triplici summi imperatoris edicto. 235
Sermo XXVI. — Item in die natalis Domini. — De triplici gratia Dei et de beneficiis ejus triplicis gratiæ. 244
Sermo XXVII. — Item in die natalis Domini. — De eo quod solis electis prodest gratia Dei, et de debito, quo erga nos ipsos tenemur obstricti, atque de obedientia exhibenda prælatis. 251
Sermo XXVIII. — Item in die natalis Domini. — De quindecim gradibus charitatis, tribus scilicet majoribus debitis, tribus subditis, et tribus cœqualibus et aliis sex omnibus debitis; et de sobrietate, justitia, pietate et perseverantia, et triplici gratia scilicet Creatoris, Salvatoris et confirmatoris. 259
Sermo XXIX. — In die Sancti Stephani protomartyris. — De tribus festis quæ diei Nativitatis Dominicæ proxime succedunt; et virtute charitatis atque patientiæ. 263
Sermo XXX. — Item in die S. Stephani protomartyris. — De diversitatibus cœlorum et luminaribus eorum. 272
Sermo XXXI. — Item in die S. Stephani protomartyris. — De gloria Spiritus sancti et de spiritualibus cœlis. 284
Sermo XXXII. — Item in die S. Stephani protomartyris. — De duabus naturis Christi, et de spiritualibus cœlis. 293
Sermo XXXIII. — In die S. Joannis apostoli et evangelistæ. — De triplici honore, quo Dominus eumdem beatum Joannem honoravit in vita et in morte. 299
Sermo XXXIV. — In die sanctorum Innocentium. — De fructu salutis, quem superna nobis Sapientia infundit, et quomodo superbia in nobis persequitur humilitatem. 309
Sermo XXXV. — Item in die sanctorum Innocentium. — De triplici somno spiritualis Joseph, et de trina angeli apparitione ejusque terna admonitione. 320
Sermo XXXVI. — Item in die festo sanctorum Innocentium. — De eadem re unde supra. 328
Sermo XXXVII. — In Dominica infra octavam Nativitatis Domini — De exercitio sanctæ religionis, et de statu interioris hominis nostri. 334
Sermo XXXVIII. — In eadem Dominica infra octavam Nativitatis Domini. — De interno cordis nostri statu. 342
Sermo XXXIX. — In eadem Dominica infra octavam Nativitatis Domini. — De interna puritate mentis, quæ soli Deo offerenda est. 352
Sermo XL. — In eadem Dominica infra octavam Nativitatis Domini. — De exercitio religiosæ conversationis. 363
Sermo XLI. — In die Circumcisionis Domini. — De spiritualibus cultris, quibus facienda est circumcisio. 372
Sermo XLII. — Item in die Circumcisionis Domini. — De spiritualibus cultris, quibus facienda est circumcisio spiritualis, et de nominibus Christi Jesu et Emmanuel. 382
Sermo XLIII. — In die Epiphaniæ Domini. — De trina apparitione Domini. 393
Sermo XLIV. — Item in die Epiphaniæ. — De vocatione et ablutione nostra spirituali. 401
Sermo XLV. — Dominica II post Epiphaniam. — De spirituali nostra ablutione, quæ in humilitate consistit : et de internis nuptiis mentis, quas simul celebrant Deus sponsus et anima sponsa. 410
Sermo XLVI. — Item Dominica II post Epiphaniam. — De eadem festivitate, quam in internis nuptiis suis simul celebrant Deus sponsus, et anima sponsa. 420
Sermo XLVII. — Item Dominica II post Epiphaniam. — Quomodo debeamus nosmetipsos diligenter considerare, et ea quæ ad nos pertinent salubriter investigare. 429

LIBER DE ORDINE, HABITU ET PROFESSIONE CANONICORUM ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

ADAMI PRÆFATIO. 440
Sermo primus. — De debito quo astricti sunt canonici. De dignitate ordinis eorum. De terna rectitudine cogitationis. De tribus gradibus pravæ cogitationis, ex suggestione, delectatione et consensu. 443
Sermo II. — De trina rectitudine affectionis, et vitiis oppositis, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ. De triplici rectitudine intentionis, et de modestia exterioris conversationis nostræ. 452
Sermo III. — De ordine Canonicorum : de diverso habitu clericorum. De usu vestitus linei in divinis officiis, et candidæ vestis morali significatione. 461
Sermo IV. — De duplici significatione candidæ vestis : et de quatuor locis, in quibus requievit corpus Domini Jesu, mystice quatuor perfectionis gradibus correspondentibus : de apparitione angelica in resurrectione Dominica, et mysterio transfigurationis. 469
Sermo V. — De verbis professionis Præmonstratensium. De oblatione, et sui ipsius traditione Ecclesiæ, in qua Deo servitur. De typica oblatione SS. Abel et Isaac. De spe mercedis æternæ, et sacrilega sui usurpatione. 479
Sermo VI. — De promissione conversionis morum, et de his quæ ad eamdem faciunt. De integra et mutila oblatione. De decore ac indecoro conversationis religiosæ, fugienda detractione, et de adulatione, et de morali Magorum donatione. 487
Sermo VII. — De stabilitate loci in professione promissa, et qualiter hæc sponsio tenenda sit. De mercede famulatus temporalis, ac æterni. De stabilitate primæ professionis servanda, et quibus de causis transitus ad alium ordinem sit consultus, vel licitus. 496
Sermo VIII. — De eo quod in professione nostra dicimus : secundum Evangelium Christi, et secundum apostolicam institutionem, et secundum canonicam Regulam B. Augustini. De SS. exemplis, et perfectione evangelica, de præstantia et œconomia vitæ communis. De dilectione Dei et proximi. De animorum et bonorum externorum unitate, et fugienda proprietate. 507
Sermo IX. — In Regulam beati Aurelii Augustini, ab eo loco : « Qui aliquid habebant in sæculo » usque ad « melius enim est minus egere, quam plus habere. » De unitate concordiæ, et communione corporalis sustentationis; de virtute humilitatis, de puritate orationis et abstinentia discreta. 519
Sermo X. — Ab eo loco Regulæ B. Augustini : non sit notabilis habitus vester usque ad « indigentibus necessaria dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur. » De venustate honestatis. De castitate corporis. De spontanea confessione. De communibus custodiis vestium. De ablutione vestimentorum. De cura infirmorum, atque de libris quotidie petendis. 532
Sermo XI. — Ab iis verbis S. legislatoris Augustini « lites aut nullas habeatis, » usque ad « spiritualis inter vos debet esse dilectio. » De cavendo litigio. De partis læsæ reconciliatione et fraterna dilectione. 547
Sermo XII. — Ab eo loco B. Augustini : « Præposito tanquam Patri obediatur, » usque ad finem Regulæ. De reverentia exhibenda prælatis. De officio eorum atque de sollicitudine hujus observantiæ regularis. 561
Sermo XIII. — De virtute perfectæ obedientiæ, et de singulari prærogativa ipsius : et qualiter votum obedientiæ usque ad mortem in Christo, in professione Regulari

Digitized by Google

intelligendum sit. 580
Sermo XIV. — De eo, quod obedientiam promisimus successoribus Patris nostri, et quænam sit sanior pars congregationis, cujus electio rata habenda est : et de religiosis exercitiis cœnobitarum. 594
DE TRIPARTITO TABERNACULO.
Prœmia. 610
Epist. F. Adæ ad Ecclesiæ Præmonstratensis canonicos, de libro atque pictura tripartiti tabernaculi, et de primatu ac dignitate ejusdem Ecclesiæ. 610
Epist. Joannis abbatis Ecclesiæ B. Dei genitricis Mariæ de Kelchou ad Adamum, in qua eum adhortatur de scriptione tabernaculi Moysis, atque de ejusdem operis in tres partes distinctione. 624
Epist. Adami Joanni abbati, de materiali fabrica tabernaculi Moysi transmissa. 627
PARS PRIMA. — De tabernaculo Moysis in sensu litterali. 633
Cap. I. — De difficultate tractandi de materiali factura et dispositione tabernaculi Moysi 633
Cap. II. — De tabulis trium parietum tabernaculi, de basibus earumdem tabularum et de incastraturis earum. 636
Cap. III. — Ex libro Exodi de eodem. 636
Cap. IV. — Expositio litteralis capitis præcedentis. 636
Cap. V. — Verba Venerabilis Bedæ pre byteri super caput istud. 638
Cap. VI. — De trium parietum vectibus, de connexione et erectione eorumdem parietum De tentorio introitus, et ejus quinque columnis. De velo ante Sancta sanctorum, et quatuor columnis ejus. 639
Cap. VII. — Item in libro Exodi de eodem. 640
Cap. VIII. — Expositio litteralis præcedentis capitis. 640
Cap. IX. — Super caput istud verba Venerabilis Bedæ presbyteri. 642
Cap. X. — De cortinis, et sagis, et de operimentis tecti tabernaculi. 643
Cap. XI. — Item in libro Exodi de eodem. 643
Cap. XII. — Expositio littera is capitis præcedentis. 644
Cap. XIII. — Verba Venerabilis Bedæ presbyteri de eodem.. 649
Cap. XIV. — De eo, quod in extensione sagorum et cortinarum Josephus, et Judæi a Venerabili Beda dissentire videntur. 651
Cap. XV. — De arca et oraculo, quod super eam erat; de mensa propositionis ; de candelabro luminis, et de altari thymiamatis. 654
Cap XVI. — Ex libro Exodi de eodem. 655
Cap. XVII. — Expositio litteralis capitis præcedentis. 656
Cap. XVIII. — Super capite præcedenti verba Venerabilis Bedæ presbyteri. 660
Cap. XIX. — De altari holocausti, et labro æneo. De atriis tabernaculi, et tentoriis atriorum. De columnis tentoriorum, et de basibus columnarum. 663
Cap. XX. — Item ex libro Exodi de eodem. 664
Cap. XXI. — Expositio litteralis super caput istud. 664
Cap. XXII. — Super capite præcedenti verba Venerabilis Bedæ presbyteri. 667
Cap. XXIII. — De duodecim tribubus, quæ circa tabernaculum metabantur, et de Levitis, qui tabernaculum portabant. 669
Cap. XXIV. — De dispositione tabernaculi, et ejus erectione. 670
Cap. XXV. — Repetitio omnium supradictorum, cum qua quædam superadduntur, quædam vero alio modo dicuntur. 671
Cap. XXVI. — De fine primæ partis ; et quod nec error excusandus, nec correctio respuenda sit. 684
PARS SECUNDA. — De tabernaculo Christi quod est in fide. 684
Cap. I. — De difficultate pingendi tabernaculum in plano. 684
Cap. II. — Quomodo tabulæ parietum tabernaculi in plano depingendæ sunt, et quomodo ad invicem conjungendæ sunt et sumendæ. Qualiter etiam hi tres parietes cum introitu erigendi. 685
Cap. III. — De loco qui Sancta, et de illo, qui dicitur Sancta sanctorum ; quæque in loco uno, quæque in altero debeant poni. 686
Cap. IV. — Quomodo cortinis et sagis prædicti parietes operiendi sint ; et qualiter pellibus arietum rubricatis, et hyacinthinis tectum debeat operiri. 687
Cap. V. — De atriis et tentoriis atriorum, et quæ in ipsis atriis ponenda sint. 689
Cap. VI. — De basibus et tabulis parietum allegorice expositis. 690
Cap. VII. — De tentorio, quod ad introitum pendet, et de vecte ipsius introitus, et de tribus parietibus tabernaculi allegorice expositis. 694
Cap. VIII. — De picturis quæ in Sancta sunt, quomodo secundum sensum allegoricum debeant intelligi. 696
Cap. IX. — De imagine quæ in pavimento tabernaculi depicta est. 699
Cap. X. — De picturis, quæ ad altare holocausti, et ad æneum labrum spectant. 704
Cap. XI. — De tentoriis atriorum, et de columnis eorum. 706
Cap. XII. — De clericis Veteris et Novi Testamenti. 707
Cap. XIII. — De fidelibus utriusque temporis laicis. 712
Cap. XIV. — De diverso statu clericorum et laicorum. 727
Cap. XV. — De Levitis ad ostium tabernaculi tubis clangentibus ; et de columna ignis, et nubis, quæ tabernaculo præminebat. 729
Cap. XVI. — Super capite præcedenti alia expositio allegorica 732
Cap. XVII. — De quinquepartita distinctione picturæ. 735
Cap. XVIII. — De significatione quinquepartitæ distinctionis. 737
Cap. XIX. — Altera expositio de eodem. 738
PARS TERTIA. — De tabernaculo animi, quod est in interna cogitatione.
Cap. I. — De difficultate tertiæ partis tractandæ. 743
Cap. II. — Quare in Ægypto populus Israel non ædificavit tabernaculum ; et de tribus metallis, quæ ad idem tabernaculum pertinebant. 745
Cap. III. — De tabulis et basibus moraliter expositis. 747
Cap. IV. — De vectibus, et annulis, et de *iconibus*, quæ in tabulis et basibus positæ sunt. 749
Cap. V. — De tribus parietibus tabernaculi. De vecte, qui est ad introitum ejus : et de quinque columnis, quæ sub eo em vecte erectæ sunt. 751
Cap. VI. — De duabus partibus, in quas divisum erat tabernaculum Moysi, et quid per eas moraliter accipiendum sit. 753
Cap. VII. — Quod duæ tabernaculi partes cum his quæ in eis erant, juxta sensum tropologicum geminum *hominis* statum designent. 755
Cap. VIII. — De gemina tabernaculi divisione ; et *quid* ea quæ in Sancta erant juxta intellectum moralem, quid etiam ea, quæ in Sancta sanctorum erat juxta sensum anagogicum designent. 757
Cap. IX. — De capite vermis, quod ad aquilonem contra candelabrum in Sancta depictum est : et de septem ejusdem candelabri lucernis moraliter expositis. De tabulis, virga, atque manna quæ in arca fuerunt. 760
Cap. X. — De altari thymiamatis, et de his quæ ad idem altare pertinent, picturis. 765
Cap. XI. — De operimentis et picturis tabernaculi quæ ad altare holocausti pertinebant, quomodo juxta sensum moralem sint intelligenda. 765
Cap. XII. — De labro æneo et de picturis quæ ad idem pertinent labrum. 768
Cap. XIII. — De tentoriis tabernaculi : et de ingressu Moysi in tabernaculum, et de ejus egressu. 773
Cap. XIV. — De duplici imagine Moysi. Et quomodo *illa*, quando extra tentorium posita est, imago Moysen tropologiæ designat. 774
Cap. XV. — De illa imagine Moysi, quæ in tabernaculo depicta est : et de duobus spatiis, in quibus Veteris Testamenti clerici et laici depicti sunt : quomodo juxta sensum moralem debeant intelligi. 777
Cap. XVI. — Quid per duos Levitas, *tubis* argenteis ad ostium tabernacuii clangentes, moraliter accipiendum sit. 780
Cap. XVII. — Quomodo duæ columnæ ignis, et nubis, quæ ex utraque tabernaculi parte depictæ sunt, juxta sensum tropologicum debeant intelligi. 784
Cap. XVIII. — Alia de eodem capite alio modo juxta sensum moralem expositio. 785
Cap. XIX. — De quinque picturæ spatiis ; quid per ea moraliter accipiendum sit 789
ADAMI EPISTOLA ad canonicos Ecclesiæ Præmonstratensis, de triplici præfati tabernaculi pictura : et de triplici genere contemplationis. 791
DE TRIPLICI GENERE CONTEMPLATIONIS.
PARS PRIMA. — Consideratur Deus in seipso incomprehensibilis

Digitized by Google

§ I. — Quod Deus sit invisibilis, immortalis, ex quo, per quem, et in quo omnia. 795
§ II. — Animæ sanciæ oleum misericordiæ efflagitatur. 798
§ III. — Indigna anima rerum creatarum theorema assumit. 799
§ IV. — Lapidum et saxorum de Creatore suo confessio. 799
§ V. — Oculorum ad solem et lunam conversio et responsio. 799
§ VI. — Stellarum pulchritudo et multitudo mirabilem Creatorem suum prædicant. 800
§ VII. — Creaturæ innumeræ sapientiam creatricem, cujus non est numerus, indicant. 800
§ VIII. — Rerum creatarum magnitudo Deum, cujus magnitudinis non est finis, loquitur. 800
§ IX. — Rerum omnium pulchritudo speciosum Creatorem suum denuntiat. 801
§ X. — Strepitus omnis, vocumque blandientium sonitus verbi illius, quod Deus est, euphoniam nos docet. 801
§ XI. — Odorum fragrantia suavem Dei spiritum demonstrat. 802
§ XII. — Sapores Deum suum gustare nos admonent. 802
§ XIII. — Hæc palpabilia alium a se auctorem clamant. 803
§ XIV. — Divinitatis thesaurus nequidquam intra terræ ambitum quæritur. 803
§ XV. — Per hæc visibilia ad invisibilium auctorem sternitur gradus. 803
§ XVI. — Quinque sensuum circa exteriora judicium 803
§ XVII. — Varia hæc rerum sublunarium commutatio divinam virtutem sui sustentatricem contestatur. 803
§ XVIII. — Omnia in cœlo et in terra ordinat, atque adimplet Deus, verbo virtutis suæ. 804
§ XIX. — Intime præest, ac inest omnibus, qui est super omnia. 805
§ XX. — Seposita mole corporea, in spiritu et veritate Numen indagatur. 805
§ XXI. — Inter spiritum creatum et increatum: verbum hominis, et verbum Patris æterni, analogia investigatur, et antilogia. 806
§ XXII. — Ad investigandum Creatorem nulla sufficit similitudo creaturæ. 807
§ XXIII. — Animus dat singulis officium sensibus. 808
§ XXIV. — Abest a Deo, quæ est in homine, affectionum vicissitudo. 808
§ XXV. — Non est in Deo oblivio et reminiscentia cui omnia sunt semper præsentia. 808
§ XXVI. — Voluntatis creatæ ac increatæ magnum discrimen est. 809
§ XXVII. — Quidquid anima nostra intelligit et sapit, id omne ab æterna Sapientia recipit. 809
§ XXVIII. — In homine per similitudinem Trinitatis processio ac unitatis confessio. 810
§ XXIX. — In divinis est identitas substantiæ et personarum distinctio, et proprietatum reperitur discretio. 810
§ XXX. — A Deo æterno est Verbum æternum; ab utroque Spiritus sanctus, qui est amor utriusque æternus. 812
PARS SECUNDA. — Consideratur quam Deus sit terribilis in reprobis. 812
§ I. — Væ illis, qui a Creatore aversi, ad creaturas se convertunt. 812
§ II. — Invidi, cosmophili, arrogantes, gulosi, graphice damnantur. 813
§ III. — Concupiscentia carnis et oculorum, ac vitæ superbia censura typica castigatur. 814
§ IV. — Modicam peccati pruriginem, quæ delectat, consequitur æternum supplicium, quod cruciat. 815
§ V. — Terribilis Deus in damnatione reproborum super filios hominum. 816
§ VI. — Quadrupliciter voluntatem impiorum moderatur Deus, suavi tamen ac forti consilio. 817
§ VII. — Cur nesciat homo in hac vita, utrum odio an amore dignus sit 817
§ VIII. — Nemo de electione securus, et de sui reprobatione nemo non sit pavidus. 818
PARS TERTIA. — Consideratur quam amabilis et suavis sit Dominus in electis.
§ I. — Filiorum Dei benigna est adoptio; quorum peccata commissa in tempore, non apparent in æternitate. 819
§ II. — Singularis sanctissimæ Trinitatis favor erga electos. 820
§ III. — Pax iis denuntiatur, qui immaculati ab hoc sæculo, cum Deo ambularunt. 821
§ IV. — Singulare trium virorum regnum et adoptio. 822
§ V. — Virorum illustrium catalogus, qui mystica virtutum operatione splenduerunt. 823
§ VI. — Ejusdem argumenti prosecutio, et fausta appreatio. 824
§ VII. — Mirabili dulcedine ac favore Deus electos suos sic dirigit per temporalia, ut non amittant æterna. 825
§ VIII. — Ex incomprehensibili consilio eos quandoque delicere permittit in via, quos eligit Deus hæredes in patria. 826
§ IX. — Vas electionis Apostolus in prototypum datur. 828
§ X. — Deus filiis regni sui iratus, misericordiæ tamen recordatur. 828
§ XI. — Divinæ gratiæ erga electos singulare præsidium. 829
§ XII. — Liber prædestinationis scriptus ab æterno conservat inscriptos in æternum. 830
§ XIII. — Peccandi impossibilitas, ex mente dilectissimi apostoli, in electis cum gaudio perpenditur. 831
§ XIV. — Exteriorum quinque sensuum de Conditore, omnium brevis symphonia. 832
§ XV. — Sensuum interiorum cum aliis animalibus senaria dos communis est. 833
§ XVI. — SS. Trinitatis imago in homine impressa elucidatur. 833
§ XVII. — In una Deitatis substantia altius inquiritur personarum processio et differentia. 835
§ XVIII. — Deus super omnia, subtus omnia, intra omnia, extra omnia demonstratur. 835
§ XIX. — Humanæ mentis hebescit acies, scrutantis abyssum divinitatis. 836
§ XX. — Sic homo mundum universum accepit in fomentum necessitatis, ut post hæc reciperet consummationem felicitatis. 837
§ XXI — Quidam ex creatura rationali, occulto, sed justo Dei judicio, sic destinantur ad pœnam, ut nunquam eorum opera acceptentur ad gloriam. 838
§ XXII. — Ex hac triplici theoria animæ contemplatrici totidem accedunt charismata. 839
§ XXIII. — Ignorantia, arrogantia, diffidentia, tria sunt reproborum offendicula. 839
§ XXIV. — Triplicis mali virus evacuat hæc theoria perfundens animum triplici munere, 840
Admonitio in opusculum subsequens. 843
SOLILOQUIA DE INSTRUCTIONE ANIMÆ.
LIBER PRIMUS.
Prologus. 843
CAP. I. — Status religionis non vacat tentationibus. Nec id admodum mirandum aut curandum, sed eo potius omnis cura conferenda est, ut ne a tentationibus anima superetur. 843
CAP. II. — Quarum rerum meditatione, quibusque modis ac remediis vehementes carnis tentationes ab homine religioso vincendæ ac perdomandæ sint. 845
CAP. III. — Capitulum, in quo culpæ fratrum proclamantur, non nisi superbia et iracundia delusis infestum est, nec id carcer et ergastulum, sed porta paradisi et janua cœli dicendum est. 847
CAP. IV. — Multitudo et asperitas mandatorum, quæ a superioribus eduntur, religiosum movere non debent, cum vox præcipientis superioris vox Dei sit. Denique crimen non est deesse quibuscunque mandatis superiorum, sed ea contemnere, etc. 851
CAP. V. — Magnitudo et obligationis gravitas in mandatis etiam ex præcipientis auctoritate colligendæ sunt, Nihil ad hæc spernendum, sive parvum sive magnum sit, quod præcipitur. 852
CAP. VI. — Lex claustri quæ quosdam vagationum cupidos vehementer premit, sancta est, utilis et animæ commoda, et valetudini corporum accommodata. 854
CAP. VII. — Divina psalmodia nulli oneri esse debet. Imo eo potius opera conferenda est, ut quæ ore proferimus corde meditemur. 855
CAP. VIII. — Multum viris religiosis prodest et convenit, ut nonnunquam in opere corporali pro tempore et necessitate exerceantur. 855
CAP. IX. — Nihil turpius et homine religioso indignius, quam cutem molliter fovere, lautitias ciborum appetere ac denique ventrem Dei loco habere. 856
CAP. X. — Vigiliæ magni faciendæ sunt, propterea quod animam rerum divinarum contemplationi aptiorem reddant. Contra defugienda religioso officia curarum seminaria, nisi aliud obedientia præcipiat. 857
CAP. XI. — Silentium religionis veluti murus et propugnaculum est, sine quo diu veræ pietatis studium ne-

Digitized by Google

quit persistere. 858

LIBER SECUNDUS.

Cap. I. — Finis, quo motus in religionem ingressus est religiosus, ob ejus oculos perpetuo observetur, diligenterque expendat, quid Deo in professione voverit. 859

Cap. II. — Exponitur formula professionis in ordine Præmonstratensi usitata, et explicatur quid voveant qui conversionem morum suorum et loci stabilitatem vovent. 860

Cap. III. — Explicantur reliqua, quæ eadem professionis formula continentur, ostenditurque quam periculosum et grave peccatum proprietatis in religiosis abdicationem proprii professis. Ad hæc, quæ sit obedientia majoribus debita et quæ sanior pars eligentium prælatum, docetur. 863

Cap. IV. — Quomodo expiandæ sint multiplices votorum ac legis divinæ transgressiones. Cui confitenda peccata, etc. 865

Cap. V. — Pluribus ostenditur, peccata religiosorum non nisi propriis prælatis esse confitenda, nec quemquam facile ab hoc absterreri debere metu publicationis et infamiæ. 866

Cap. VI. — Nihil magis in religione necessarium est quam mutua inter prælatos et subditos dilectio. Quid de privatis operibus pietatis sentiendum? 869

Cap. VII. — Conclusio operis, in qua quisquis religiosus jubetur fervens, in omni bono opere constans, humilis et sanctus esse, etc. 870

GODEFRIDUS VITERBIENSIS.

Notitia. 872

PANTHEON SIVE MEMORIA SÆCULORUM.

Ludovici Antonii Muratorii præfatio. 872

Ad dominum papam Urbanum hujus nominis tertium Godefridi Viterbiensis epistola ac proœmium. 876

PANTHEON.

PARS XVI. Imperium transfertur ad Græcos.

De Maxentio imperatore, filio Maximiani. 879

Hic transfertur imperium a Roma in Byzantium. 882

Item de eodem Constantino imperatore, tricesimo quarto ab Augusto. 884

De tribus filiis Constantini, scilicet Constantio, Constantino et Constante, tricesimi quinti ab Augusto. 885

Item de filiis Constantini versifice narratur. 886

De Juliano apostata, imperatore tricesimo sexto ab Augusto. 887

Item de Juliano. 887

Item de eodem Juliano imperatore versifice demonstratur. 888

Julianus apostata divino telo necatur. 889

Is morte ita præventus, non potuit efficere ea, quæ jam contra patriam divi Basilii, et etiam contra ipsum Basilium decreverat. 889

Julianus imperator cruorem suum spargit contra cælum, Christo palmam præbens victoriæ. 889

Item de Juliano, quomodo rex Persarum fecit eum excoriari, sicut legitur in Vita sancti Fabiani. 889

De Joviano imperatore, tricesimo septimo ab Augusto. 890

De eodem Joviano imperatore, versifice subinfertur. 890

De Phoca cæsare, tricesimo octavo ab Augusto. 891

De Valentiniano imperatore, tricesimo nono ab Augusto. 891

Item de Valentiniano versibus narratur. 891

De Valente imperatore, quadragesimo ab Augusto. 892

Gothicæ litteræ hoc tempore fuerunt inventæ. 892

De Gratiano imperatore, quadragesimo primo ab Augusto. 893

De Theodosio imperatore, quadragesimo secundo ab Augusto. 893

Item de eodem Theodosio imperatore versifice narratur. 894

De Arcadio et Honorio fratribus, imperatoribus, simul regnantibus, quasi quadragesimus tertius ab Augusto. 894

De Joanne Chrysostomo. 895

Item de Arcadio et Honorio imperatoribus versifice narratur. 895

Honorius, defuncto Arcadio, imperat solus, quadragesimus quartus ab Augusto. 895

De Honorio et Theodosio imperatoribus versifice. 897

Item de Theodosio juniore imperatore, quadragesimo quinto ab Augusto. 897

De Attila, et ejus origine. 898

De eodem Theodosio imperatore, versifice narratur. 898

Quomodo diabolus apparuit Judæis in specie Mosi. 898

De Martiano et Valentiniano imperatoribus, quadragesimis sextis ab Augusto. 898

Undecim millium virginum tempus et martyrium. 901

Item de eodem Martiano imperatore, versifice narratur. 901

De papa Leone. 901

De Simplicio papa et Felice. 901

De Gelasio papa. 901

De Leone Bissa Græcorum imperatore, quadragesimo septimo ab Augusto. 901

De Zenone imperatore, quadragesimo octavo ab Octaviano Augusto. 902

Item de Zenone imperatore, versifice narratur. 902

De Anastasio imperatore, quadragesimo nono ab Augusto. 903

Item de Anastasio imperatore, versifice narratur. 904

Miraculum in blasphemum Arianum. 904

Miraculum in baptismo Ariani cujusdam. 904

De Justino imperatore, quinquagesimo ab Octaviano Augusto. 905

Item de eodem Justino imperatore versifice narratur. 905

De Felice papa. 905

De papa Bonifacio. 905

De Justiniano imperatore, quinquagesimo primo ab Augusto. 905

De Lombardis, et Prisciano grammatico, item de Regula S. Benedicti. 906

Item de eodem Justiniano imperatore versifice narratur. 906

De papa Joanne et Agapeto. 907

De Sylverio papa et Theobaldo rege Gothorum, secta Arianorum. 907

De Vigilio papa, et altero Gothorum rege. 907

De Pelagio papa. 907

De Joanne pontifice, et portento quodam. 907

De Justino juniore, imperatore Græcorum, quinquagesimo secundo ab Augusto. 907

De eodem Justino versifice, et de papa sui temporis. 908

De papa Pelagio. 908

Lombardi Romam et Italiam premunt; inundatio magna, et Fabianus papa est. 908

De Tiberio Constantino imperatore Græcorum, quinquagesimo tertio ab Augusto. 909

De eodem Tiberio imperatore, et de papa *sui temporis*, versifice narratur. 909

De Mauricio imperatore, quinquagesimo quarto ab Augusto, et de papa sui temporis. 909

Item de eodem Mauricio, et de papa sui temporis. 910

De Mauricio imperatore, et papa Gregorio, qui scripsit in Job et Ezechielem. 911

De Phoca imperatore, quinquagesimo quinto ab Augusto. 911

Item de eodem Phoca, versifice ponitur. 911

De papa Bonifacio, qui a Phoca imperatore primatum omnium Ecclesiarum obtinuit. 911

De templo Pantheon, Bonifacio dato. 912

De papa Deusdedit. 912

De inclinatione Romæ sub Phoca imperatore. 912

De Heraclio juniore, imperatore Græcorum, quinquagesimo sexto ab Augusto. 912

Item de Heraclio et de Exaltatione *sanctæ crucis*, et de papa sui temporis. 913

De Chosroe. 914

De aula Chosroe et filio ejus. 914

Heraclius Persarum victor. 914

Chosroes decollatur. 914

De Severino papa. 914

De Honorio papa et Joanne. 914

De Pyrrho patriarcha Constantinopolitano. 915

De pontifice Eugenio. 915

De Heraclio Constantino imperatore, filio Magni Heraclii, et chronica sui temporis. 915

Item de eodem Constantino tertio, et papa sui temporis, versifice narratur. 915

De papa Deodato. 915

De pontifice Dionysio. 915

De Agapeto papa. 915

De Constante imperatore, filio Constantini, quinquagesimo octavo ab Augusto, et chronica sui temporis. 915

Item de eodem Constante, imperatore Heraclio, et de papa sui temporis. 916

De Benedicto pontifice. 916

Digitized by Google

De Theodosio imperatore, filio Constantis Heraclii, et chronica sui temporis. 916
De Justiniano imperatore, filio Theodosii, sexagesimo ab Augusto, et chronica sui temporis. 917
Progenies omnium Carolorum, ab Ansgisio filio Arnoldi episcopi Metensis, qui prius fuerat dux Francorum et majordomus. 917
De Philippico Constantinopolitano imperatore et chronica regum Francorum per idem tempus. 917
De Anastasio imperatore, sexagesimo secundo et chronica sui temporis. 918
De Theodosio secundo imperatore, sexagesimo tertio ab Augusto. 918
De Leone imperatore Græcorum, sexagesimo quarto ab Augusto. 918
De ultimo Constantio imperatore Græcorum, sexagesimo quinto ab Augusto. 919
Item de Theodosio imperatore, versifice, et de papa sui temporis. 920
PARS XVII. Imperium transfertur ad Francos.
Proœmium auctoris. 920
De ultimo Leone imperatore Græcorum, sexagesimo sexto ab Augusto; cujus temporibus imperium Græcorum ad Francos est devolutum; et de Romanis pontificibus illius temporis, et chronica diversorum. 922
De genealogia Caroli Magni, a temporibus atavi sui Pipini Grossi, et qualiter ipsa progenies obtinuit regnum Francorum, quæ postea sortita est Romanum imperium et totum orbem. 922
De Carolo Martello. 923
De primo adventu Gothorum in Italiam, tempore Leonis, imperatoris Græcorum, quando Carolus Martellus Italiam a Gothis liberavit. 923
De morte et sepultura Caroli Martelli, et de filio ejus Pipino Nano, cum duobus fratribus suis. 924
His temporibus Pipinus dux Francorum factus est patricius Romanorum. 924
Pipinus fit rex Francorum. 925
De Gothis et de Lombardis a quibus Pipinus Ecclesiam Romanam, et totam Italiam liberavit. 925
Chronicum. 926
Pipini origo. 926
Item de Pipino qualiter fit rex Francorum per papam Zachariam. 926
Chronicum. 927
De obitu Luitprandi regis Lombardorum, et de Astulphi regis exaltatione, et de primo introitu Pipini in Italiam. 927
De secunda rebellione Astulphi regis, et de secunda victoria Pipini super eum. 927
Item de eodem Pipino versifice narramus. 928
De exaltatione Desiderii regis Lombardorum, et de Rachisio adversario ejus. 928
Carolus Magnus filius Pipini, erigitur in regnum Francorum, mortuo Pipino. 929
De Leone imperatore Græcorum sexagesimo primo supra memorato, et chronica ipsius temporis. 929
Item de Pipino, et de generatione ipsius, versifice narramus; et quomodo Carolus vocatus est in auxilium Romanæ Ecclesiæ in Italiam. 929
Historia Lombardorum, qui prius Vinuli vocabantur. 931
Albuinus rex Lombardorum uxorem suam Rosimundam cogit bibere ex testa capitis patris sui Cunimundi, regis Gepidorum : quam ipse in similitudinem scyphi fecerat præparari. 936
Item de Albuino et de Rosimunda versifice, qualiter illa se vindicat, et ipsa tandem veneno moritur. 937
De Constantino imperatore Græcorum, sexagesimo septimo ab Augusto, regnante in Francia Carolo Magno. 938
Leo papa Romæ fuisse cæcatus et lingua mutilatus, et iterum a Deo redintegratus. 939
Item de eodem Leone papa tertio, versifice, quomodo cæcatus est, et lingua truncatus. 939
Leonis querela apud Carolum et de Campulo et Paschali reis. 940
Qualiter et quando Carolus Magnus factus est Romanorum imperator, sexagesimus octavus. 940
Item de coronatione Caroli Magni versifice narratur. 940
Carolus Romæ coronatus, cogitat invadere imperium Græcorum. 941
Nicephorus Græcorum imperator, a Bulgaris occiditur, Michael gener ejus erigitur, Carolo jam Romæ imperante. 941
De Leone Græcorum imperatore, jam Carolo Romæ imperante. 941
Item de pactione facta inter Carolum et Græcorum imperatorem, versibus explicamus. 942
De quatuor principalibus sedibus imperii Romani, in Occidente. 942
Carolus pergit peregrinus Hierosolymam, per Constantinopolim, sed revertitur per Siciliam, Calabriam et Apuliam. 943
Carolus revertitur a Hierosolymis. 943
Item de eodem. 944
Angelus Domini præcepit Carolo pergere contra Hispanos. 944
Ludovicus filius Caroli exaltatur in imperium, sexagesimus nonus ab Augusto. 946
Item de eodem Ludovico imperatore versifice narramus. 947
De Lothario imperatore, filio Ludovici, septuagesimo ab Augusto. 947
Item de eodem Lothario imperatore, versifice narramus 949
De Carolo secundo, imperatore Romanorum, septuagesimo primo ab Augusto. 949
De nativitate regis Francorum Arnulphi septuagesimi secundi ab Augusto. 950
De illo rege Carolo qui a fratribus suis acceperat Alemaniam in portionem, septuagesimus tertius ab Augusto. 950
De rege Cendebuldo filio Arnulphi imperatoris. 952
De Ludovico puero rege Francorum, filio Arnulphi regis, septuagesimo quinto ab Augusto. 953
Item de eodem rege Ludovico puero versifice narratur. 954
De primo Conrado rege post Ludovicum puerum, septuagesimo septimo ab Augusto. 954
Item de eodem Conrado rege primo, ultimo autem Carolorum, versifice. 955
De Henrico primo, rege Francorum, qui cognominatur Auceps. 955
Item de eodem Henrico primo, versifice subnotatur. 956
De primo Othone, imperatore Romanorum, septuagesimo octavo ab Augusto. 956
Item de eodem Othone primo versibus subrogatur. 959
De secundo Othone, imperatore Romanorum, septuagesimo nono ab Augusto. 960
Item de eodem Othone secundo, imperatore, versifice subnotamus. 961
De Othone tertio imperatore, octuagesimo ab Augusto. 961
Item de tertio Othone imperatore versibus subrogatur. 962
De secundo Henrico, scilicet Claudo, imperatore Romanorum octuagesimo septimo ab Augusto. 963
Item de eodem secundo Henrico imperatore Romanorum, Claudo : et de civitate et gloriosa ejus ecclesia, quæ vocatur Babenberg, id est Mons Pavonis, versifice dicamus. 964
De ecclesia Babenbergensi. 964
De Monte Pavonis, et ejus forma situque. 964
De sepultura Cæsaris Henrici. 964
Babenbergæ auctor prius studuit. 964
Item de eodem Henrico Claudo laudes scribuntur. 965
De secundo Conrado, imperatore Romanorum, octuagesimo secundo ab Augusto. 965
Item de eodem Conrado imperatore versifice narratur. 966
De Cuano duce, et lusoria voce ejus pro rata accepta. 967
Item de eodem Cuano duce, et nepote ejus Conrado. 967
De edicto Conradi imperatoris et Lupoldi casu. 967
Item de eodem Conrado imperatore, et de pace sui temporis, versibus explicamus. 968
De tertio Henrico imperatore, filio Conradi secundi imperatoris, octuagesimo tertio ab Augusto. 971
De eodem Henrico tertio. 972
De quarto Henrico imperatore Romanorum octuagesimo quarto ab Augusto. 972
Terra Roberti Guiscardi in Apulia. 973
De recuperatione sancti sepulcri, anno Domini millesimo sexagesimo septimo. 973
Item de eodem Henrico quarto imperatore. 976
Item de eodem Henrico quarto, versibus subnotatur. 978
Henricus junior tollit imperium adversus patrem suum. 979
Northmanni invadunt Apuliam tempore quarti Henrici imperatoris. 980

Digitized by Google

Robertus Viscardus combussit Lateranum, dum imperator papam, Paschalem captum, Romæ teneret. 980
Item de quinto Henrico juniore filio quarti Henrici, octuagesimo quinto ab Augusto. 980
De Hierosolymis. 981
Auctor. 981
De Henrico quarto. 982
Henricus quintus capit papam Paschalem. 982
Item de captivitate papæ Paschalis, et de guerra inter imperium et Ecclesiam versibus suborn atur. 984
De excommunicatione imperatoris Henrici quinti, propter papæ Paschalis captivitatem. 984
Disputatio inter imperialem curiam et papalem; quis eorum esset major in illo tempore. 985
Allegatio in contrarium de imperatore. 985
De Lothario imperatore, octuagesimo sexto ab Augusto, post Henricum quintum. 986
Item de Lothario versifice, et de duce Conrado contra eum erecto, sed tandem pontificato. 986
De exaltatione Conradi tertii post Lotharium imperatorem, octuagesimo septimo ab Augusto. 987
Item de Conrado tertio, qualiter rex Rogerius contra eum tulit Apuliam, et per Welfonem ducem infestat regnum Theutonicum. 989
De duobus Wilhelmis. 989
De pace inter imperatorem Fridericum et Lombardos. 989
Item de Conrado tertio, qualiter ultra mare perrexit cum exercitu Christianorum. 989
De exaltatione imperatoris Friderici primi, nepotis Conradi tertii, octuagesimi octavi ab Augusto. 990
Item de eodem Friderico imperatore, versifice notamus. 991
De civitate Mediolani et de guerra ejus cum Friderico imperatore. 991
De Astensi civitate. 992
Item de eadem Asta civitate. 992
De civitate Terdona per Fridericum ter desolata. 992
Qualiter a Terdona Romam consecrandus processit. 992
Verba auctoris. 995
Qualiter imperator ab apostolico Adriano coronatus est apud Sanctum Petrum, sine Romanorum consensu; unde pugnatum est cum Romanis, sed imperator obtinuit. 993
De Spoleti destructione. 993
De Veronensium traditione inter Alpes, ubi imperatorem, et totum exercitum inter angusta montium conclusum exstinguere cogitaverunt. 994
De nuntio schismatis inter Alexandrum et Octavianum, tempore prædicti imperatoris. 994
De civitate Alexandria, quæ nunc dicitur Cæsarea in Lombardia. 994
De rege Henrico sexto, filio domini Friderici imperatoris, octuagesimo nono ab Augusto. 995
Item de rege Henrico sexto, adhuc adolescente, proponitur quædam forma regnandi, qualiter imperium debeat laudabiliter gubernare. 995
Item ad regem Henricum admonitio. 996
De nuptiis Henrici sexti. 997
PARS XVIII. — De Anglis et Saxonibus.
De nonnullis Ecclesiæ persecutoribus 997
De Maximiani prole. 997
De Voltigerno Anglorum duce. 997
Quamobrem Saxones Oceanum transfretarunt. 997
Saxones a Voltigerno duce humaniter recepti. 998
De Orsone, et Engisto. 998
Saxonum commendatio. 999
De Angria regina et regione et cæteris actis. 999
Defuncto Aurelio rege Anglorum, eligitur Uter, qui et Pendragon dicitur. 1003
De Merlino propheta Anglorum. 1004
De eodem. 1005
Uter Pendragon rediens a collusione ducissæ, invenit ducem occisum, et castrum ejus captum. 1006
Item de Hierna ducissa, obsessa in arce sua. 1006
Loquitur cum ducissa. 1006
Hierna ducissa recognoscit dicta regis, et tradit se illi. 1007
PARS XIX. — De regalibus insignibus, videlicet de Sancta Cruce, de gladio, de lancea sacra, de sceptro, de pomo aureo, de corona, de diadem te: quid significent gemmæ in corona, quid significet crista in corona. 1007
Quid significat illa crux. 1007
Quid significat gladius regalis, vel imperialis. 1008
Quid significat sceptrum regale. 1008
Quid significat lancea imperialis, et unde venit. 1009
Quid significat globus aureus, qui regum manibus gestatur. 1010
Quid significat crux posita super aureum pomum. 1010
Quid significat diadema imperiale. 1010
Quid significant gemmæ pretiosæ in corona et qui eas instituit. 1010
Quid significat aurum in coronis. 1010
Quid significat crista in corona imperiali. 1010
PARS XX.
Catalogus omnium pontificum Romanorum, et omnium imperatorum Romanorum. 1011
Catalogus regum Italicorum. 1019
Catalogus regum Assyriorum. 1021
Catalogus regum Medorum. 1022
Catalogus regum Persarum. 1023
Catalogus regum Hebræorum. 1023
Catalogus regum Trojanorum. 1024
Catalogus regum Græcorum. 1024
Catalogus regum Sicyoniorum. 1024
Catalogus regum Ægyptiorum. 1025
Catalogus regum Ægypti et Antiochiæ post mortem Alexandri Magni. 1026
Catalogus regum Argivorum 1027
Catalogus regum Babyloniorum 1027
Catalogus regum Francorum. 1027
Catalogus regum Gothorum 1029
Catalogus regum Lombardorum. 1030
Catalogus paparum et imperatorum synchronus. 1032
PETRUS COMESTOR.
Notitia 1045
Notitia altera 1047
HISTORIA SCHOLASTICA.
Epistola nuncupatoria. 1049
Præfatio ad lectorem. 1051
Prologus epistolaris. 1053
Incipit historia scholastica theologiæ disciplinæ. 1054
HISTORIA LIBRI GENESIS.
Cap. I. — De creatione empyrei et quatuor elementorum. 1055
Cap. II. — De primaria mundi confusione. 1056
Cap. III. — De opere primæ diei. 1057
Cap. IV. — De opere secundæ diei. 1058
Cap. V. — De opere tertiæ diei. 1059
Cap. VI. — De opere quartæ diei. 1060
Cap. VII — De opere quintæ diei. 1061
Cap. VIII. — De opere sextæ diei. 1062
Cap. IX. — De creatione hominis. 1063
Cap. X. — De institutione conjugii. 1064
Cap. XI. — De quiete Sabbati, et sanctificatione. 1064
Epilogus. 1065
Cap. XII. — De creatione animæ protoplasti. 1066
Cap. XIII. — De paradiso et lignis ejus. 1067
Cap. XIV. — De fonte paradisi, et quatuor fluminibus ejus. 1068
Cap. XV. — De præcepto, et prohibitione edulii. 1068
Cap. XVI. — De impositione nominum animantium principaliter, et mulieris formatione. 1069
Cap. XVII. — De somno Adæ, et formatione mulieris de costa ejus. 1070
Cap. XVIII. — De nominibus mulieris. 1070
Cap. XIX. — De prophetia Adæ. 1071
Cap. XX. — De statu innocentiæ eorum ante peccatum. 1071
Cap. XXI. — De suggestione serpentis, sive dæmonis. 1072
Cap. XXII. — De esu pomi, et statu post peccatum. 1073
Cap. XXIII. — De maledictionibus serpentis, viri et mulieris. 1073
Cap. XXIV. — De ejectione eorumdem de paradiso, et romphæa ignea 1074
Cap. XXV. — De generationibus Adæ. 1076
Cap. XXVI. — De oblationibus fratrum. 1076
Cap. XXVII. — De morte Abel. 1077
Cap. XXVIII. — De generationibus Cain. 1078
Cap. XXIX. — De Seth, et ejus generatione. 1080
Cap. XXX — Epilogum interserit. 1080
Cap. XXXI. — De causa diluvii. 1081
Cap. XXXII. — De arca Noe, et quomodo Dominus locutus est Noe. 1082
Cap. XXXIII. — De ingressu in arcam. 1083
Cap. XXXIV. — De inundatione et cataclysmo. 1084
Cap. XXXV. — De egressione Noe, et iride. 1085
Cap. XXXVI. — De ebrietate Noe, et maledictione Cham 1087
Cap. XXXVII. — De dispersione filiorum Noe, et Nemrod. 1087
Cap. XXXVIII. — De turre Babylon. 1089
Cap. XXXIX. — Primum incidens. 1089
Cap. XL. — De morte Beli, et ortu idolorum. 1090

Digitized by Google

CAP. XLI. — De generatione Sem. 1090
CAP. XLII. — De ingressu Thare, et suorum de Chaldæa. 1091
CAP. XLIII. — De annis Abræ post mortem patris, et egressu suo de terra sua. 1091
CAP. XLIV. — De adventu Abræ in terram Chanaan. 1092
CAP. XLV. — De descensu Abræ in Ægyptum, et de reditu ejusdem. 1093
CAP. XLVI. — De victoria Abræ, et occursu Melchisedech. 1094
CAP. XLVII. — De ortu Jubilei. 1095
CAP. XLVIII. — De sacrificio Abræ post promissionem hæredis. 1095
CAP. XLIX. — De fuga Agar, et ortu Ismaelis. 1096
CAP. L. — De pacto circumcisionis, et mutatione nominum Abræ, et Sarai. 1097
CAP. LI. — De tribus angelis susceptis ab Abraham. 1098
CAP. LII. — De duobus angelis descendentibus in Sodomam. 1099
CAP. LIII. — De subversione Sodomorum. 1100
CAP. LIV. — De incestu Lot. 1101
CAP. LV. — De peregrinatione Abrahæ apud Abimelech regem Geraris. 1102
CAP. LVI. — De ortu Isaac, et ejectione Agar cum filio. 1103
CAP. LVII. — De puteo Juramenti. 1104
CAP. LVIII. — De immolatione arietis pro Isaac. 1104
CAP. LIX. — De morte Saræ. 1106
CAP. LX. — De legatione Eliezer in Mesopotamiam. 1106
CAP. LXI. — De adventu Rebeccæ ad Isaac. 1107
CAP. LXII. — De morte Abrahæ post susceptam sobolem de Cethura. 1108
CAP. LXIII. — De ortu regnorum. 1108
CAP. LXIV. — Aliud incidens. 1109
CAP. LXV. — De morte Ismaelis. 1109
CAP. LXVI. — De labore Rebeccæ in partu geminorum. 1109
CAP. LXVII. — Tertium incidens. 1110
CAP. LXVIII. — De venditione primogenitorum Esau. 1111
CAP. LXIX. — De descensu Isaac in Geraris. 1111
CAP. LXX. — Quartum incidens. 1112
CAP. LXXI. — De uxoribus Esau. 1112
CAP. LXXII. — De benedictionibus Jacob. 1113
CAP. LXXIII. — De somno Jacob cum fugeret in Mesopotamiam, et de separatione Jacob et Esau. 1114
CAP. LXXIV. — De duabus uxoribus Jacob. 1115
CAP. LXXV. — De quatuor filiis Liæ, et de filiis ancillarum. 1116
CAP. LXXVI. — Quintum incidens. 1116
CAP. LXXVII. — De reliquis filiis Liæ, et ortu Joseph. 1116
CAP. LXXVIII. — De diversicoloribus virgis et fetibus. 1117
CAP. LXXIX. — De fuga Jacob et fœdere inito cum Laban. 1119
CAP. LXXX. — De visione angelorum a Jacob, et de muneribus præmissis Esau. 1120
CAP. LXXXI. — De lucta Jacob cum angelo, et mutatione nominis. 1121
CAP. LXXXII. — De occursu Esau, et emptione agri in Sichem 1121
CAP. LXXXIII. — De morte Sichimitarum pro raptu Dinæ. 1122
CAP. LXXXIV. — De morte Rachel in partu Benjamin. 1123
CAP. LXXXV. — De morte Isaac, et regibus Edom. 1123
CAP. LXXXVI. — Sextum incidens. 1124
CAP. LXXXVII. — De venditione Joseph. 1125
CAP. LXXXVIII. — De ingressu Joseph in Ægyptum. 1126
CAP. LXXXIX. — Quod Judas genuit Phares et Zaram de Thamar. 1127
CAP. XC. — De incarceratione Joseph. 1128
CAP. XCI. — De expositione somniorum Pincernæ, et Pistoris. 1128
CAP. XCII. — De sublimatione Joseph pro expositione somniorum. 1129
CAP. CXIII. — De ingressu fratrum Joseph in Ægyptum. 1130
CAP. XCIV. — De reditu fratrum ad patrem. 1131
CAP. XCV. — De ingressu fratrum in Ægyptum, cum Benjamin. 1131
CAP. XCVI. — Quod Joseph indicavit se fratribus. 1132
CAP. XCVII. — De descensu Israel in Ægyptum. 1133
CAP. XCVIII. — Quod Joseph occurrit patri suo, et introduxit eum ad regem. 1134
CAP. XCIX. — De ratione sive annona quintæ partis frugum instituta. 1134
CAP. C. — De juramento quod fecit Joseph patri. 1135
CAP. CI. — De benedictione Ephraim et Manasse. 1135
CAP. CII. — De benedictionibus duodecim tribuum. 1136
CAP. CIII. — De Ruben. 1136
CAP. CIV. — De Simeon et Levi. 1137
CAP. CV. — De Juda. 1137
CAP. CVI. — De Zabulon. 1138
CAP. CVII. — De Issachar. 1138
CAP. CVIII. — De Dan. 1138
CAP. CIX. — De Gad. 1138
CAP. CX. — De Aser. 1138
CAP. CXI. — De Nephtalin. 1139
CAP. CXII. — De benedictionibus Joseph. 1139
CAP. CXIII. — De Benjamin. 1140
CAP. CXIV. — De morte Jacob, et translatione ejus in Hebron. 1140
CAP. CXV. — De reditu Joseph, et ejus morte. 1141
HISTORIA LIBRI EXODI.
CAP. I. — Præfatio. 1141
CAP. II. — De servitute filiorum Israel. 1141
CAP. III. — De dolo obstetricum. 1142
CAP. IV. — De submersione parvulorum. 1145
CAP. V. — De ortu, et educatione Moysi. 1145
CAP. VI. — De uxore Moysi Æthiopissa. 1144
CAP. VII. — De fuga Moysi, et affinitate Jethro. 1145
CAP. VIII. — De Dei visione in rubo. 1145
CAP. IX. — De signis datis Moysi. 1146
CAP. X. — De reditu Moysi in Ægyptum, et dimissione uxoris. 1147
CAP. XI. — De primo ingressu ad Pharaonem. 1147
CAP. XII. — De afflictione filiorum Israel. 1148
CAP. XIII. — De mutatione virgarum in colubrum. 1149
CAP. XIV et XV — De plagis Ægypti, et de aqua versa in sanguinem. 1149
CAP. XVI. — De ranis. 1150
CAP. XVII. — De sciniphibus. 1150
CAP. XVIII. — De cœnomyia. 1150
CAP. XIX. — De morte pecorum. 1151
CAP. XX. — De ulceribus, et vesicis. 1151
CAP. XXI. — De grandine. 1151
CAP. XXII. — De locustis. 1152
CAP. XXIII. — De tenebris. 1152
CAP. XXIV. — De diebus Ægyptiacis. 1152
CAP. XXV. — De diebus azymorum, et agno paschali. 1153
CAP. XXVI. — De morte primogenitorum. 1155
CAP. XXVII. — De exitu Israel de Ægypto. 1155
CAP. XXVIII. — De sanctificatione primogenitorum. 1156
CAP. XXIX. — De deserto Ægypti 1156
CAP. XXX. — De ducatu columnæ, et mari Rubro. 1157
CAP. XXXI. — De transitu maris Rubri. 1157
CAP. XXXII — De dulcoratione aquæ Mara. 1158
CAP. XXXIII. — De duodecim fontibus, et septuaginta palmis Elim. 1159
CAP. XXXIV. — De coturnicibus, et manna. 1159
CAP. XXXV. — De aqua data in Raphidim. 1161
CAP. XXXVI. — De pugna contra Amalec. 1161
CAP. XXXVII. — De subdivisione magnatum ad concilium Jethro. 1161
CAP. XXXVIII. — De perventu ad montem Sinai. 1162
CAP. XXXIX — De datione legis verbotenus. 1165
CAP. XL. — Explicatio Decalogi. 1165
CAP. XLI. — De altari faciendo. 1166
CAP. XLII. — De judiciis. 1166
CAP. XLIII. — De fœdere firmato aspersione sanguinis vitulorum. 1168
CAP. XLIV. — De primo ascensu Moysi in montem. 1169
CAP. XLV. — De tabernaculo faciendo. 1169
CAP. XLVI. — De schemate arcæ. 1170
CAP. XLVII. — De propitiatorio, et cherubim. 1170
CAP. XLVIII. — De mensa, et columnis. 1171
CAP. XLIX. — De panibus propositionis. 1171
CAP. L. — De vasis libaminum 1172
CAP. LI. — De candelabro aureo 1172

Digitized by Google

CAP. LII. — De parietibus tabernaculi. 1173
CAP. LIII. — De distinctione tabernaculi et utroque velo. 1175
CAP. LIV. — De cortinis et sago. 1176
CAP. LV. — De modo tegendi secundum Bedam. 1177
CAP. LVI. — Josephus aliter. 1178
CAP. LVII. — De pellibus superpositis. 1178
CAP. LVIII. — Quid figurabant prædicta. 1179
CAP. LIX. — De altari holocaustorum. 1179
CAP. LX. — De situ altaris, et vasis ejus. 1181
CAP. LXI. — De atrio circa tabernaculum. 1181
CAP. LXII. — De lucernis tabernaculi. 1182
CAP. LXIII.—De communibus vestibus sacerdotis. 1182
CAP. LXIV. — De pontificalibus indumentis. 1185
CAP. LXV. — De mitra et tiara. 1186
CAP. LXVI. — De typo vestium. 1186
CAP. LXVII. — De compositione altaris incensi, et loco ejus. 1187
CAP. LXVIII. — De compositione thymiamatis. 1187
CAP. LXIX. — De confectione sanctæ unctionis. 1188
CAP. LXX. — De labio æneo. 1188
CAP. LXXI. — De redemptione numeratorum. 1189
CAP. LXXII. — De electione artificum, et datione tabularum. 1189
CAP. LXXIII. — De vitulo conflatili. 1189
CAP. LXXIV. — De prece Moysi, et minis Dei 1190
CAP. LXXV. — De translatione prioris tabernaculi. 1191
CAP. LXXVI — Quod Moyses vidit posteriora Domini. 1191
CAP. LXXVII. — De secundis tabulis, et gloria vultus Moysi. 1192
CAP. LXXVIII. — De compositione tabernaculi, et erectione. 1193

HISTORIA LIBRI LEVITICI.

CAP. I. — Præfatio. 1193
CAP. II. — Permittitur divisio utilis. 1194
CAP. III. — De holocaustis, et modo offerendi. 1195
CAP. IV. — De sacrificiis pacificis et salutaribus. 1196
CAP. V. — De oblatione inanimatorum. 1197
CAP. VI. — De hostiis pro peccato. 1198
CAP. VII. — Pro peccato sacerdotis. 1198
CAP. VIII. — Pro peccato Synagogæ. 1199
CAP. IX. — De hostia pro peccato principis. 1199
CAP. X. — De hostia pro peccato animæ. 1200
CAP. XI. — De igne jugi, et ejectione cinerum. 1200
CAP. XII. — De esu adipis et sanguinis prohibito. 1200
CAP. XIII. — De consecratione summi sacerdotis et minorum. 1201
CAP. XIV. — De potestate offerendi eis data, et accipiendi partes suas. 1201
CAP. XV. — De prima oblatione sacerdotum, et igne dato de sublimi. 1202
CAP. XVI. — De morte Nadab et Abiu. 1203
CAP. XVII. — De discretione ciborum. 1204
CAP. XVIII. — De purificatione puerperæ. 1205
CAP. XIX. — De cognitione leprarum. 1205
CAP. XX. — De purificatione leprosi. 1207
CAP. XXI. — De viro spermatico, et muliere hemorrhoissa. 1208
CAP. XXII. — De vitula rufa, hirco apompeio, et cineribus aspersionis. 1209
CAP. XXIII. — De purificatione immundorum. 1211
CAP. XXIV. — De personis exclusis a matrimonio. 1211
CAP. XXV. — Catalogus quorumdam præceptorum. 1212
CAP. XXVI. — De tribus generibus panum. 1213
CAP. XXVII. — De sanctimonia sacerdotum. 1213
CAP. XXVIII. — De pœna blasphemi. 1214
CAP. XXIX. — De talione legis datæ. 1214
CAP. XXX. — De observatione jubilæi anni. 1214
CAP. XXXI. — De benedictionibus et maledictionibus. 1216
CAP. XXXII. — De decimis et votivis 1216

HISTORIA LIBRI NUMERORUM.

CAP. I. — Præfatio. 1217
CAP. II. — De excubiis circa tabernaculum. 1217
CAP. III. — De commutatione primogenitorum pro Levitis. 1217
CAP. IV. — De ætate ministrantium in tabernaculo, et de differentia ministrorum. 1218
CAP. V. — De quodam modo reddendi rem alienam. 1219
CAP. VI. — De judicio zelotypiæ 1219
CAP. VII. — De sanctimonia Nazaræorum. 1220
CAP. VIII. — De benedictione super populum. 1221
CAP. IX. — De oblationibus duodecim dierum in dedicatione tabernaculi. 1221
CAP. X. — De consecratione Levitarum 1222
CAP. XI. — De his qui non possunt facere Phase primo mense, ut faciant secundo. 1222
CAP. XII. — De tubis argenteis, et modo clangendi in eis. 1223
CAP. XIII. — De recessu Israel ad montem Sinai. 1224
CAP. XIV. — De electione septuaginta seniorum. 1225
CAP. XV. — De datione carnium, et ira Dei super eos. 1226
CAP. XVI. — De plaga Mariæ, et causa lepræ. 1227
CAP. XVII. — De duodecim explorationibus. 1227
CAP. XVIII. — De murmure populi pro quo per quadraginta annos in deserto perierant. 1228
CAP. XIX. — De lapidatione colligentis ligna in Sabbato. 1229
CAP. XX. — De schismate Core, Dathan et Abiron, et plaga eorum. 1230
CAP. XXI — De exustione populi exstincta per Aaron. 1231
CAP. XXII. — De virga Aaron, quæ nocte una floruit, et fronduit, et peperit nuces. 1231
CAP. XXIII. — De reditu in Cades in quadragesimo anno. 1232
CAP. XXIV. — De morte Mariæ et aquis contradictionis. 1233
CAP. XXV. — De circuitu Idumææ. 1233
CAP. XXVI. — De morte Aaron. 1234
CAP. XXVII. — De victoria post votum anathematis. 1234
CAP. XXVIII. — De serpente æneo contra ignitos serpentes. 1234
CAP. XXIX. — De scopulis torrentium qui gestierunt. 1235
CAP. XXX. — De cantico ad puteum. 1236
CAP. XXXI. — De morte Sehon regis Amorrhæorum, et Og regis Basan. 1236
CAP. XXXII. — De itinere Balaam, et quod ei locuta fuerit asina. 1236
CAP. XXXIII. — De ariolathesi Balaam, et ejus prophetia. 1238
CAP. XXXIV. — Quod amore mulierculorum initiatus est Israel Beelphegor. 1239
CAP. XXXV. — De zelo Phinees. 1240
CAP. XXXVI. — Secundus numerus bellatorum. 1240
CAP. XXXVII. — De jure successionis hereditariæ. 1241
CAP. XXXVIII. — De substitutione Josue. 1241
CAP. XXXIX. — De libaminibus. 1241
CAP. XL. — De jugi sacrificio. 1242
CAP. XLI. — De Sabbato et oblationibus ejus. 1242
CAP. XLII. — De Neomenia. 1243
CAP. XLIII. — De Phase. 1243
CAP. XLIV. — De Pentecoste. 1243
CAP. XLV. — De festo Tubarum. 1244
CAP. XLVI. — De festo Propitiationis. 1244
CAP. XLVII. — De Scenopegia. 1245
CAP. XLVIII. — De votis. 1246
CAP. XLIX. — De destructione Madian, et prædæ divisione. 1246
CAP. L. — De sorte duarum tribuum et dimidiæ. 1247
CAP. LI. — Catalogus quadraginta duarum mansionum. 1247
CAP. LII. — De urbibus Levitarum, et suburbanis. 1248
CAP. LIII. — De matrimonio contribulum. 1248

HISTORIA LIBRI DEUTERONOMII

CAP. I. — Præfatio. 1247
CAP. II. — Epilogus cum additionibus et determinationibus. 1249
CAP. III. — De civitatibus refugii trans Jordanem. 1249
CAP. IV. — De præcepto dilectionis. 1250
CAP. V. — De decima secunda. 1251
CAP. VI — De appellatione populi ad summum sacerdotem. 1253
CAP. VII. — De justitia regis per eos electi. 1253
CAP. VIII. — De maleficis abjiciendis. 1253
CAP. IX. — De talione regis. 1253
CAP. X. — De timidis et sollicitis removendis ab exercitu. 1254
CAP. XI. — Ne fœdus inirent cum gentibus. 1254
CAP. XII. — De his quibus non erat fas intrare Ecclesiam Dei. 1255
CAP. XIII. — De prohibitione prostibuli, et libello re-

Digitized by Google

pudii. 1256
Cap. XIV. — De plagis, quarum major erat quadragenaria. 1256
Cap. XV. — De suscitatione seminis, et modis discalceandi. 1256
Cap. XVI — De semine agrorum. 1257
Cap. XVII. — De deletione Amalecitarum. 1258
Cap. XVIII. — Quod Moyses tradidit Deuteronomium Levitis 1258
Cap. XIX. — Canticum testimonii. 1259
Cap. XX. — De morte Moysi postquam benedixit populo. 1259
HISTORIA LIBRI JOSUE.
Præfatio in historiam libri Josue. 1259
Cap. I. — De Josue. 1260
Cap. II. — De exploratoribus, et Rahab. 1261
Cap. III. — De transitu Jordanis. 1262
Cap. IV. — De circumcisione in Galgalis. 1263
Cap. V. — De angelo apparente Josue, et eversione Jericho. 1263
Cap. VI. — De lapidatione Achor. 1264
Cap. VII. — De incendio Hai. 1265
Cap. VIII. — De dolo Gabaonitarum, et mulcta. 1266
Cap. IX. — De quinque regibus suspensis. 1266
Cap. X. — De viginti quatuor regibus percussis a Josue. 1267
Cap. XI. — De altare in Hebal, et prima distributione terræ. 1267
Cap. XII. — Quod Hebron data est Caleb. 1268
Cap. XIII. — Quomodo Josue sorte divisit terram decem tribubus. 1268
Cap. XIV. — De irriguis Axæ datis a patre Caleb. 1269
Cap. XV. — De reditu duarum tribuum et dimidiæ. 1270
Cap. XVI. — De fœdere quod statuit populus ad Deum. 1271
Cap. XVII. — De morte Josue et Eleazar. 1271
HISTORIA LIBRI JUDICUM.
Cap. I. — Præfatio. 1271
Cap. II. — Quomodo Judas pugnavit Chananæum. 1271
Cap. III. — De Cinæis, et transgressione populi. 1273
Cap. IV. — De loco Flentium in Galgalis. 1275
Cap. V. — De Othoniele populi liberatore, et ejus morte. 1274
Cap. VI. — De Aod, et Sangar liberatoribus Israel. 1274
Cap. VII. — De Debbora prophetissa, et Barach, Sisara, Jahel, et Jabin. 1275
Cap. VIII. — De alio misso, et de Gedeone. 1277
Cap. IX. — De Abimelech qui septuaginta fratres suos occidit. 1281
Cap. X. — De Thola duce Israel. 1283
Cap. XI. — De Jair Galaadite duce Israel, et morte ejus. 1283
Cap. XII. — De pœnitentia filiorum Israel propter idololatriam suam, et de Jephte. 1283
Cap. XIII. — De Abessan duce Israel 1285
Cap. XIV. — De Ahialon. 1285
Cap. XV. — De Abdon duce. 1285
Cap. XVI. — De Samsone. 1285
Cap. XVII. — Quomodo Samson accepit uxorem, et interfecit leonem. 1286
Cap. XVIII. — Quomodo interfecit multos cum mandibula asini. 1288
Cap. XIX. — Quomodo tandem deceptus fuit Samson. 1289
Cap. XX. — Incidentia. 1290
Cap. XXI. — De Micha et ejus sacerdote. 1290
Cap. XXII. — De uxore Levitæ. 1291
HISTORIA LIBRI RUTH.
Caput unicum. — De Ruth. 1293
HISTORIA LIBRI I REGUM.
Cap. I. — Præfatio. 1295
Cap. II. — De parentibus Samuelis. 1295
Cap. III. — De Phenenna et Anna uxoribus. 1296
Cap. IV. — De ortu Samuelis. 1297
Cap. V. — De filiis Heli. 1298
Cap. VI. — Quod tertio Dominus vocavit Samuelem. 1299
Cap. VII. — De morte Heli, et filiorum ejus, et captione arcæ a Philisthiim. 1300
Cap. VIII — De remissione arcæ. 1300
Cap. IX. — Quod, orante Samuele, vicit Israel Philisthiim. 1302
Cap. X — De malis filiis Samuelis, et quod Israel petiit regem. 1303
Cap. XI. — De unctione Saulis et electione. 1303
Cap. XII. — De Naas et secunda unctione Saulis, post victoriam contra Ammon. 1305
Cap. XIII. — Quod Samuel prædixit Sauli de translatione regni. 1306
Cap. XIV. — De clade Philisthiim, et favo quem comedit Jonathas. 1307
Cap. XV. — Quod Saul vicit Amalec. 1309
Cap. XVI. — De unctione David in domo patris. 1310
Cap. XVII. — De bello Philisthiim contra Israel, et de morte Goliæ. 1311
Cap. XVIII. — Quod Saul persecutus est David. 1312
Cap. XIX. — Quod Michol deposuit David persecutum a Saul per fenestram. 1313
Cap. XX. — De fuga David in Nobe. 1315
Cap. XXI. — De fuga David ad Achis. 1315
Cap. XXII. — De morte Abimelech, et octoginta quinque sacerdotum. 1316
Cap. XXIII. — De Ziphæis et quod David latuit in spelunca fugiens a facie Saul. 1317
Cap. XXIV. — De morte Samuelis et Nabalis. 1318
Cap. XXV. — De fuga David ad Achis. 1319
Cap. XXVI. — De congregatione Philisthiim contra Israel et pythonum occisione, et suscitatione Samuelis. 1320
Cap. XXVII. — Quod David vicit Amalech. 1321
Cap. XXVIII. — De morte Saul et filiorum ejus. 1322
HISTORIA LIBRI II REGUM.
Cap. I. — De planctu David super Saul et Jonathan. 1323
Cap. II. — De prima unctione David in regem super tribum Judæ in Hebron. 1325
Cap III. — De regno Isboseth. 1325
Cap. IV. — De filiis David. 1326
Cap. V. — De interfectione Abner. 1326
Cap. VI. — De morte Isboseth, et secunda unctione David super omnem Israel. 1327
Cap. VII. — Quod David expugnavit Jerusalem, et munivit. 1328
Cap. VIII. — Quod David vicit Philisthæos. 1329
Cap IX. — De reductione arcæ in Jerusalem. 1329
Cap. X. — De victoriis David, et officialibus ejus. 1330
Cap. XI. — De Miphiboseth, et quod Ammon dehonestavit nuntios David. 1332
Cap. XII. — De adulterio David, et morte Uriæ, et pœnitentia David. 1333
Cap. XIII. — De Thamar, quam Ammon oppressit. 1334
Cap. XIV. — De morte Ammon et fuga Absalon et reditu ad David. 1335
Cap. XV. — Quomodo Absalon persecutus est David patrem suum. 1336
Cap. XVI — De consilio Chusai, et morte Achitophel. 1338
Cap. XVII. — De morte Absalon. 1338
Cap. XVIII. — De reditu David in Jerusalem. 1340
Cap. XIX. — De morte Amassæ et Siba. 1341
Cap. XX. — De fame trium annorum, et de septem viris suspensis in ultione Gabaonitarum. 1342
Cap. XXI. — De quatuor prœliis David. 1342
Cap. XXII. — Catalogus fortium David. 1343
Cap. XXIII. — De numero populi, et altari erecto a David. 1345
HISTORIA LIBRI III REGUM.
Cap. I. — De unctione Salomonis in regem. 1347
Cap. II. — De secunda unctione Salomonis. 1348
Cap. III. — De morte David. 1349
Cap. IV. — De morte Adoniæ, et Joab et Semei. 1350
Cap. V. — De somnio Salomonis. 1351
Cap. VI. — De judicio Salomonis facto propter contentionem meretricum. 1351
Cap. VII. — De præfectis Salomonis, et inventione exorcismorum. 1352
Cap. VIII. — De operariis templi. 1353
Cap. XIX. — De ædificatione templi. 1354
Cap. X. — De ornatu inferioris domus. 1355
Cap. XI. — De duobus cherubim. 1358
Cap. XII. — De porticu. 1358
Cap. XIII. — De cubiculis, et cœnaculis hebdomadariorum. 1360
Cap. XIV. — De atrio sacerdotum. 1360
Cap. XV. — De atrio mundorum. 1361
Cap. XVI. — De atrio mulierum. 1362
Cap. XVII. — De atrio immundorum. 1362
Cap. XVIII. — De altari, et mari æneo. 1362
Cap. XIX. — De luteribus. 1363
Cap XX. — De vasis altaris. 1364
Cap. XXI. — De dedicatione templi. 1365
Cap. XXII. — De domo Saltus. 1367
Cap. XXIII. — De basilica et domo regia. 1368

Digitized by Google

CAP. XXIV. — De oppidis datis Hiram 1368
CAP. XXV. — De operibus Salomonis. 1369
CAP. XXVI — De regina Saba. 1369
CAP. XXVII. — De feminis adversariis Salomonis, et morte ejus. 1370
CAP. XXVIII. — De Roboam, et divisione regni. 1372
CAP. XXIX. — De Jeroboam, et Abdo, et vitulis. 1373
CAP. XXX. — De morte Abiæ et Jeroboam. 1374
CAP. XXXI. — De Abia rege Juda. 1375
CAP. XXXII. — De Asa, et regibus Israel Nadab, et Baasa et Hela. 1376
CAP. XXXIII. — De Zambri et Amri. 1377
CAP. XXXIV. — De Achab, et Jezabel et Elia propheta. 1378
CAP. XXXV. — De sacerdotibus Baal, quos interfecit Elias. 1379
CAP. XXXVI. — De fuga Eliæ, et vocatione Elisæi. 1380
CAP. XXXVII. — De prima obsidione Samariæ, et reliquis. 1381
CAP. XXXVIII. — De victoria Achab. 1382
CAP. XXXIX. — De vinea Naboth. 1383
CAP. XL. — De Josaphat, et morte Achab et Ochosiæ. 1385

HISTORIA LIBRI IV REGUM.

CAP. I. — De Ochosia rege Israel 1385
CAP. II. — De raptu Eliæ. 1387
CAP. III. — De sale Elisæi. 1388
CAP. IV. — De tribus regibus qui obsederunt regem Moab. 1388
CAP. V. — De superabundantia olei. 1389
CAP. VI. — De suscitatione filii Sunamitidis. 1389
CAP. VII. — De colocynthidis, et superabundantia panum. 1390
CAP. VIII — De Naaman. 1391
CAP. IX. — De securi et acrisia Syrorum. 1392
CAP. X. — De fame, et secunda obsidione Samariæ. 1393
CAP. XI. — De fame septem annorum, et peregrinatione mulieris Sunamitidis. 1394
CAP. XII. — De morte Benadad. 1394
CAP. XIII. — De Joram rege Juda. 1394
CAP. XIV. — De Jehu rege Israel inuncto tempore Elisæi. 1395
CAP. XV. — De septuaginta filiis Achab, et eorum morte, et de morte Jehu. 1396
CAP. XVI. — De Athalia et Joas. 1397
CAP. XVII. — De gazophylacio. 1398
CAP. XVIII. — De obitu Elisæi. 1399
CAP. XIX. — De Amasia, et Joas rege Israel. 1400
CAP. XX. — De Jeroboam rege Israel, et Amos propheta. 1401
CAP. XXI. — De Ozia, sive Azaria leproso rege Judæ. 1402
CAP. XXII. — De Zacharia, Sellum, et Manahen. 1404
CAP. XXIII. — De initio captivitatis decem tribuum. 1404
CAP. XXIV. — De Joathan. 1404
CAP. XXV. — De Achaz. 1405
CAP. XXVI. — De captivitate decem tribuum. 1407
CAP. XXVII. — De Ezechia, qui fecit rectum, etc. 1408
CAP. XXVIII. — De signis trium annorum, quæ prædixit Isaias. 1409
CAP. XXIX. — De fuga Sennacherib. 1410
CAP. XXX. — De Ezechiæ ægrotatione, et de regressu solis. 1411
CAP. XXXI. — De morte Ezechiæ. 1412
CAP. XXXII. — De Manasse et morte Isaiæ. 1414
CAP. XXXIII. — De morte Manasse. 1415
CAP. XXXIV. — De Amon et Josia. 1415
CAP. XXXV. — De sancto propheta Jeremia. 1416
CAP. XXXVI. — De inventione Deuteronomii. 1416
CAP. XXXVII. — De morte Josiæ. 1418
CAP. XXXVIII. — De Joakim, vel Joachaz. 1418
CAP. XXXIX. — De Nabuchodonosor, et morte Joakim. 1420
CAP. XL. — De Sedecia. 1421
CAP. XLI. — De laguncula testea. 1423
CAP. XLII — De prima obsidione Jerusalem. 1424
CAP. XLIII. — De secunda obsidione Jerusalem. 1425
CAP. XLIV. — De fuga Sedeciæ, capta urbe. 1426
CAP. XLV. — De incendio templi, et urbibus, et Godolia. 1426
CAP. XLVI. — De morte Sedeciæ. 1427
CAP. XLVII. — Sedatio contrarietatum. 1427

HISTORIA LIBRI TOBIÆ.

Præfatio. 1431
CAP. I. — De Tobia. 1432
CAP. II. — De morte Godoliæ. 1436
CAP. III. — De descensu reliquiarum Judæ in Ægyptum, et de obitu Jeremiæ. 1439

HISTORIA LIBRI EZECHIELIS.

CAP. I. — Præfatio. 1441
CAP. II. — De elevatione et visione Ezechielis. 1443
CAP. III. — De comminatione Jerusalem. 1444
CAP. IV. — De consolatione Jerusalem. 1444
CAP. V. — De resurrectione mortuorum. 1445
CAP. VI. — Quod facta est manus Domini super Ezechielem. 1446

HISTORIA LIBRI DANIELIS.

CAP. I. — Præfatio. 1447
CAP. II. — Prima visio Danielis. 1448
CAP. III. — Secunda visio Danielis. 1449
CAP. IV. — Tertia visio Danielis de arbore, etc. 1451
CAP. V. — Catalogus regum Babylonis. 1452
CAP. VI. — Quarta visio Danielis. 1453
CAP. VII. — Visio quinta Danielis. 1455
CAP. VIII. — Visio sexta. 1456
CAP. IX. — Visio septima. 1458
CAP. X. — Visio octava. 1459
CAP. XI. — Visio nona. 1462
CAP. XII. — Visio decima. 1465
CAP. XIII. — De Susanna. 1466
CAP. XIV. — De idole Belis et dracone. 1468
CAP. XV. — De Habacuc. 1469
CAP. XVI. — De Cyro. 1470
CAP. XVII. — De licentia redeundi data Judæis. 1471
CAP XVIII. — De anno septuagesimo. 1472
CAP. XIX. — De reædificatione templi. 1474
CAP. XX. — De Cambyse. 1474

HISTORIA LIBRI JUDITH.

CAP. I. — Præfatio. 1475
CAP. II. — De duobus magis, et Dario filio Hystaspis. 1480
CAP. III. — De consummatione templi, et Zacharia, et Aggæo. 1481
CAP. IV. — De Xerce. 1483
CAP. V. — De Artaxerce et Esdra. 1485
CAP. VI. — De Nehemia. 1485
CAP. VII. — De reædificatione Jerusalem. 1486
CAP. VIII. — De inventione ignis. 1487
CAP. IX. — De observatione tabernaculorum. 1487
CAP. X. — De ædificatione muri, et obitu Nehemiæ. 1488

HISTORIA LIBRI ESTHER.

CAP. I. — Præfatio. 1489
CAP. II. — De Ocho seu Artaxerce. 1495
CAP. III. — De Dario filio Arsami. 1495
CAP. IV. — De Alexandro. 1496
CAP. V. — De reclusione decem tribuum, et morte Alexandri. 1498
CAP. VI. — De Ptolemæo Soter. 1498
CAP. VII. — De Ptolemæo Philadelpho. 1499
CAP. VIII. — De Evergete. 1501
CAP IX. — De Ptolemæo Philopatre. 1502
CAP. X. — De Seleuco. 1503
CAP. XI. — De Antiocho Epiphane. 1503

HISTORIA LIBRI I MACHABÆORUM.

CAP. I. — Machabæorum. 1505
CAP. II. — De præliis Judæ Machabæi. 1506
CAP. III. — De purificatione templi. 1507
CAP. IV. — De præliis Judæ. 1508
CAP. V — De morte Antiochi Eupatoris in Judæa. 1509
CAP. VI. — De Demetrio, et Nicanore. 1511
CAP. VII. — De fœdere Judæorum cum Romanis 1512
CAP. VIII. — De morte Judæ. 1512
CAP. IX. — De Jonatha. 1513
CAP. X. — De Alexandro occidente Demetrium. 1514
CAP. XI. — De Demetrio Cretensi. 1515
CAP. XII. — De Antiocho adolescente. 1516
CAP. XIII. — De Simone. 1518
CAP. XIV. — De Antiocho Demetrii filio. 1519
CAP. XV. — De morte Simonis. 1520

HISTORIA LIBRI II MACHABÆORUM.

Præfatio in historiam secundi libri Machabæorum. 1521
CAP. I. — Recapitulatio. 1522
CAP. II. — De commendatione Joannis Hircani. 1525
CAP. III. — De institutione Xenodochiorum, et de morte Joannis. 1525
CAP. IV. — De restitutione regni Judæorum per Aristobulum. 1525
CAP. V. — De nece Antigoni. 1526
CAP. VI — De tyrannide Alexandri regis, et ejus

Digitized by Google

morte. 1527
Cap. VII. — De regno Alexandræ, et de filiis ejus, Hircano et Aristobulo. 1527
Cap. VIII. — De multiplici discordia fratrum. 1528
Cap. IX. — Quod Pompeius, Jerusalem sibi tradita, templum expugnavit. 1528
Cap. X. — De divisione Judææ in pentarchias 1529
Cap. XI. — De fuga Aristobuli et ejus iterata captivitate. 1529
Cap. XII. — De reditu Aristobuli in Syriam, et ejus nece. 1530
Cap. XIII. — Quod Antipater transivit in gratiam Cæsaris. 1530
Cap. XIV. — Quod Antipater procurator Judææ creatus est. 1531
Cap. XV. — Quod Herodes factus est præses Galilææ, et princeps militiæ regis Syriæ. 1531
Cap. XVI. — De morte Julii Cæsaris et signis. 1531
Cap. XVII. — Quod Herodes adhæsit Cassio. 1532
Cap. XVIII. — De nece Antipatri vindicata per Herodem. 1532
Cap. XIX. — De uxoribus Herodis, et liberis ejus. 1532
Cap. XX. — Quod Herodes et Phasælus tetrarchæ Judææ facti sunt ab Antonio, et de pugnis eorum, etc. 1533
Cap. XXI. — Quod Herodes rex Judææ Romæ creatus est. 1534
Cap. XXII. — Quod Herodes, pulso Antigono, positus est in throno regni in Jerusalem. 1534
Cap. XXIII. — De morte Mariannes dolo Salome. 1535
Cap. XXIV. — Quod Augustus addidit regno Herodis Trachonitidem et Ituræam. 1535
Cap. XXV. — De Herodianis. 1536
Cap. XXVI. — De offensa Herodis in filios. 1537

HISTORIA EVANGELICA.

Cap. I. — De conceptione Præcursoris Domini. 1537
Cap. II. — De conceptione Salvatoris. 1537
Cap. III. — De ortu Præcursoris. 1537
Cap. IV. — De descriptione orbis. 1539
Cap V. — De nativitate Salvatoris. 1539
Cap. VI. — De cantico angelorum, et circumcisione Domini. 1540
Cap. VII. — De stella et magis. 1541
Cap. VIII. — De oblatione et nominibus magorum. 1542
Cap. IX. — De Hypapanti Domini. 1542
Cap. X. — De fuga Domini in Ægyptum. 1543
Cap. XI. — De nece puerorum, et quare dilata per annum. 1543
Cap. XII. — Quod comminatio Jeremiæ etiam prophetia fuit. 1544
Cap. XIII. — De nece duorum filiorum Herodis. 1544
Cap. XIV. — De priori testamento Herodis, et odio ipsius, et Antipatre 1545
Cap. XV. — Quod Herodes incarceravit Antipatrem insidiantem vitæ ejus. 1545
Cap. XVI. — De magnitudine morbi Herodis. 1546
Cap. XVII. — De nobilibus Judæis occidendis in morte Herodis, et de morte Antipatri. 1546
Cap. XVIII. — De morte Herodis, et substitutione Archelai. 1547
Cap. XIX. — De lite fratrum pro regno coram Augusto. 1547
Cap. XX. — De quatuor regibus in Judæa. 1548
Cap. XXI. — De simulato Alexandro. 1548
Cap. XXII. — De divisione regni. 1549
Cap. XXIII. — De reditu Jesu ab Ægypto, et de morte Glasiræ. 1549
Cap. XXIV. — De exsilio Archelai 1550
Cap. XXV. — De primo procuratore Judææ. 1550
Cap. XXVI. — De morte Augusti. 1550
Cap. XXVII. — De Tiberio imperatore, et Valerio procuratore Judææ. 1551
Cap. XXVIII. — De odio Judæorum in Pontium Pilatum. 1551
Cap. XXIX. — Testimonium Josephi de Christo. 1551
Cap XXX. — De baptismo Joannis, et principio sextæ ætatis. 1552
Cap. XXXI. — De tribus sectis Judæorum. 1552
Cap. XXXII. — Quod Joannes confessus est se non esse Christum. 1554
Cap. XXXIII. — De Jesu baptizato. 1554
Cap. XXXIV. — De Spiritu sancto et voce Patris. 1555
Cap. XXXV. — De Jesu jejunio, et tentatione. 1556
Cap. XXXVI. — De prima vocatione discipulorum. 1557
Cap. XXXVII. — De variis opinionibus historiæ. 1558
Cap. XXXVIII. — De mutatione aquæ in vinum. 1559
Cap. XXXIX. — De instructione Nicodemi. 1559
Cap. XL. — De prima ejectione ementium et vendentium in templo. 1560
Cap. XLI. — De secunda vocatione discipulorum. 1561
Cap. XLII. — De eo quod Dominus legit in Nazareth. 1561
Cap. XLIII. — Quod discipuli baptizabant, et Joannes. 1561
Cap. XLIV. — Cur Joannes incarceratus est. 1561
Cap. XLV. — De tertia vocatione discipulorum. 1562
Cap. XLVI. — De aperta prædicatione, et miraculis Domini. 1562
Cap. XLVII. — De electione duodecim apostolorum. 1563
Cap. XLVIII. — De sermone Domini in monte. 1564
Cap. XLIX. — De Oratione Dominica. 1564
Cap. L. — Quod discipuli missi sunt cum potestate curandi. 1565
Cap. LI. — De curatione leprosi. 1565
Cap LII. — De servo centurionis. 1566
Cap. LIII. — De socru Petri. 1566
Cap. LIV. — De filio viduæ. 1566
Cap. LV. — Quod excitatus imperavit ventis et mari. 1566
Cap. LVI. — De duobus obsessis a legione. 1567
Cap. LVII — De paralytico demisso per tectum. 1567
Cap. LVIII. — De puteo Samaritanæ. 1567
Cap. LIX. — De filio reguli 1568
Cap. LX. — De convivio Levi. 1569
Cap. LXI. — De filia archisynagogi, et hæmorrhoissa. 1569
Cap. LXII — De duobus cæcis, et de surdo. 1570
Cap. LXIII. — De Beelzebub. 1570
Cap. LXIV. — De Maria Magdalena. 1571
Cap. LXV. — De ministerio Marthæ. 1571
Cap. LXVI. — De quæstione Joannis. 1571
Cap. LXVII — De septuaginta duobus discipulis. 1571
Cap. LXVIII. — De solutione Sabbati, et confricatione granorum 1572
Cap. LXIX. — De manco. 1572
Cap. LXX. — De quatuor parabolis ad turbas in navi. 1573
Cap. LXXI. — De tribus parabolis in domo ad discipulos. 1573
Cap. LXXII. — De saltu Domini. 1574
Cap. LXXIII. — De decollatione Joannis. 1574
Cap. LXXIV. — De quinque panibus, et duobus piscibus. 1575
Cap. LXXV. — Quod Dominus ambulavit super mare. 1576
Cap. LXXVI. — De verbis Domini, pro quibus quidam abierunt retro. 1576
Cap LXXVII. — De traditionibus Pharisæorum contra mandata Domini. 1577
Cap. LXXVIII. — Quod cibus non transit in virtutem naturæ. 1577
Cap. LXXIX. — De muliere Chananæa. 1578
Cap. LXXX. — De surdo et muto. 1578
Cap. LXXXI. — De probatica piscina. 1578
Cap. LXXXII. — De zelo Judæorum quod Christus Filium Dei se dixit. 1579
Cap. LXXXIII. — De refectione quatuor millium, et septem panibus. 1580
Cap. LXXXIV. — De quodam cæco 1580
Cap LXXXV. — De confessione fidei, quam fecit Petrus pro omnibus 1580
Cap. LXXXVI — De transfiguratione Domini. 1581
Cap. LXXXVII. — De lunatico 1583
Cap. LXXXVIII. — De verbis Domini, quibus innuit triduum mortis suæ. 1583
Cap. LXXXIX. — De tributo invento in ore piscis. 1583
Cap XC — Quod apostoli quæsierunt quis eorum esset major. 1583
Cap. XCI. — De parabola ovis, et drachmæ, et filii prodigi 1584
Cap. XCII. — De dimittendo fratri septuagies septies. 1584
Cap. XCIII. — Quod ob solam fornicationem uxor potest dimitti. 1585
Cap. XCIV. — De Galilæis, quos occidit Pilatus. 1585
Cap. XCV — De muliere incurvata. 1586
Cap. XCVI. — De Scenopegia 1586
Cap. XCVII. — Quod missi ut tenerent Jesum admirabantur verba ejus. 1586
Cap XCVIII. — De adultera 1586

Digitized by Google

CAP. XCIX. — De parabola divitis volentis ampliare horrea sua, et de quibusdam verbis Domini 1587
CAP. C. — De cæco nato. 1587
CAP. CI. — De signis perfectionis, et de impossibilitate intrandi divitem in regnum cœlorum. 1588
CAP. CII. — Quod relinquentes pro Christo omnia judicabunt 1589
CAP. CIII. — De divite et Lazaro. 1589
CAP. CIV. — De villico iniquitatis. 1590
CAP. CV. — De denario diurno. 1590
CAP. CVI — De hydropico, et exhortatione ad humilitatem et misericordiam 1591
CAP CVII. — Quod in Encæniis voluerunt Judæi lapidare Jesum. 1592
CAP. CVIII. — De resurrectione Lazari. 1593
CAP. CIX. — Quod pontifices et Judæi conspiraverunt in Jesum. 1594
CAP. CX. — De ultimo adventu Domini in Jerusalem. 1594
CAP. CXI. — De decem leprosis. 1594
CAP. CXII. — De Samaritanis negantibus hospitium Domino. 1595
CAP. CXIII. — De petitione filiorum Zebedæi. 1595
CAP. CXIV. — De Zachæo et cæco prius illuminato. 1596
CAP. CXV. — De duobus cæcis Jerichontinis. 1597
CAP. CXVI. — De alabastro unguenti 1597
CAP. CXVII. — De maledictione ficus, et sessione super asellum. 1598
CAP. CXVIII. — Quod gloriose susceptus Dominus flevit super civitatem. 1599
CAP. CXIX — De secunda ejectione ementium et vendentium de templo. 1601
CAP. CXX. — De excitatione templi in triduo. 1601
CAP. CXXI. — De duobus minutis viduæ. 1602
CAP. CXXII. — De Pharisæo et publicano. 1603
CAP. CXXIII. — Quod Dominus pernoctavit in Bethania. 1603
CAP. CXXIV. — De voce Patris ad Jesum, quam quidam putaverunt tonitruum. 1603
CAP. CXXV. — De filio, qui se negavit iturum in vineam et ivit. 1604
CAP. CXXVI. — De cultoribus vineæ sanguinariis 1604
CAP. CXXVII. — De lapide angulari. 1605
CAP. CXXVIII. — De invitatis ad nuptias, et non habente vestem nuptialem. 1605
CAP. CXXIX. — De Herodianis, et tributo reddendo 1605
CAP. CXXX. — De septemvira muliere. 1605
CAP. CXXXI. — De mandato primo, et secundo in lege, et sauciato a latronibus. 1606
CAP. CXXXII. — De confutatione Pharisæorum per auctoritatem David. 1606
CAP CXXXIII. — De doctoribus Pharisaicis audiendis, non imitandis. 1607
CAP. CXXXIV. — Quibus debetur væ æternum 1607
CAP. CXXXV. — De Zacharia filio Barachiæ. 1608
CAP. CXXXVI. — De comminatione eversionis Jerusalem. 1609
CAP. CXXXVII. — De signis eversionis, et adventus sui. 1609
CAP. CXXXVIII — Proprium signum eversionis. 1610
CAP. CXXXIX — De impedimento fugæ 1610
CAP CXL. — Propria signa adventus Judicis. 1610
CAP. CXLI. — De signis quindecim dierum ante judicium. 1611
CAP. CXLII. — Quod solus Pater novit diem judicii, et de uno assumpto, et altero relicto. 1611
CAP. CXLIII. — De vigilia janitoris, et decem virginibus. 1612
CAP. CXLIV. — De commendatione talentorum, et decem mnis. 1612
CAP. CXLV. — De ventilatione areæ. 1613
CAP. CXLVI — Opiniones de igne æterno 1613
CAP. CXLVII. — De Pascha et diversis acceptionibus hujus nominis. 1614
CAP. CXLVIII. — Qua die et quomodo Judas vendidit Dominum 1614
CAP CXLIX. — De cœna Domini. 1615
CAP. CL. — Quod surgens a cœna lavit pedes discipulorum. 1616
CAP. CLI. — De notatione proditoris, et egressu ejus. 1617
CAP. CLII. — De Eucharistia data discipulis, et non Judæ. 1618
CAP. CLIII. — De prædictione negationis Petri. 1619
CAP. CLIV. — De sermone Domini post cœnam. 1619
CAP. CLV. — De trina oratione Domini in villa Gethsemani. 1621
CAP. CLVI. — De ligatione Domini, et sanatione auriculæ ser i. 1622
CAP. CLVII. — De fuga adolescentis. 1623
CAP. CLVIII — De prima negatione Petri. 1623
CAP. CLIX — De secunda et tertia. 1623
CAP. CLX. — De sententia mortis lata in Jesum 1624
CAP. CLXI. — De prima illusione. 1624
CAP. CLXII. — De suspendio Judæ. 1624
CAP. CLXIII. —De verbis Pilati ad Jesum, et Judæos. 1625
CAP. CLXIV. — Quod Herodes illusit Domino. 1626
CAP. CLXV. — De secunda illusione. 1627
CAP. CLXVI. — Quod Pilatus hora quasi sexta sedit pro tribunali. 1627
CAP. CLXVII. — Quod Pilatus, quasi nolens, tradidit Jesum flagellatum, ut crucifigeretur. 1628
CAP. CLXVIII. — De illusione militum. 1628
CAP. CLXIX. — Tertia illusio. 1629
CAP. CLXX. — De Simone Cyrenæo. 1629
CAP. CLXXI. — De divisione vestium, et tunica sortita. 1630
CAP. CLXXII. — De titulo triumphali. 1630
CAP. CLXXIII. — De diversis meritis latronum. 1631
CAP. CLXXIV. — Quod virgo Virgini commissa est. 1631
CAP. CLXXV. — De tenebris factis a sexta usque ad horam nonam. 1631
CAP. CLXXVI. — De clamore Domini ad Patrem. 1632
CAP. CLXXVII. — De morte Domini post gustatum acetum. 1632
CAP. CLXXVIII. — De signis in morte Domini. 1633
CAP. CLXXIX. — Quod fractis cruribus latronum Christus lanceatus est. 1633
CAP. CLXXX. — De sepultura Domini. 1634
CAP. CLXXXI. — De sepulcro Domini. 1634
CAP. CLXXXII. — De custodibus sepulcri. 1634
CAP. CLXXXIII. — De adventu mulierum ad sepulcrum. 1635
CAP. CLXXXIV. — De alio ordine dierum. 1635
CAP. CLXXXV. — Opiniones de hora resurrectionis. 1636
CAP. CLXXXVI. — Quod angeli locuti sunt mulieribus. 1638
CAP CLXXXVII. — De cursu Joannis et Petri. 1638
CAP. CLXXXVIII. — Quod Dominus apparuit Magdalenæ. 1638
CAP. CLXXXIX. — De mandato custodum. 1639
CAP. CXC. — Quod Dominus apparuit mulieribus in via. 1639
CAP. CXCI. — De duobus euntibus in Emmaus 1639
CAP CXCII. — Quod Dominus apparuit aliis, absente Thoma. 1640
CAP. CXCIII — Quod postquam comedit cum eis insufflans dedit Spiritum sanctum. 1640
CAP. CXCIV. — Quod apparuit Thomæ. 1641
CAP. CXCV. — De apparitione ad mare Tyberiadis. 1642
CAP. CXCVI. — Opiniones de morte Joannis Evangelistæ 1642
CAP. CXCVII. — De apparitione Domini in Galilæa, ubi mandatum est discipulis, ut docerent gentes, et baptizarent. 1643
CAP. CXCVIII. — De ascensione Domini. 1644

HISTORIA LIBRI ACTUUM APOSTOLORUM.

CAP. I. — Quoties apparuit Dominus discipulis *infra* 40 dies. 1645
CAP. II. — Quod apostoli fuerunt baptizati 1645
CAP. III. — Quid respondit Dominus indiscrete quærentibus. 1646
CAP. IV. — De ortu et processu prædicationis. 1647
CAP. V. — Quid fecerint abeunte Domino. 1647
CAP. VI. — Quibus ex causis angeli apparuerunt. 1648
CAP. VII. — In quo imitamur apostolos. 1648
CAP. VIII. — Ubi, et cum quibus se collegerunt. 1649
CAP. IX. — De sermone Petri. 1649
CAP. X. — De electione Matthiæ. 1650
CAP. XI. — De electione Spiritus sancti. 1651
CAP XII. — De miraculo linguarum. 1653
CAP. XIII. — Quod Petrus convicit mentientes auctoritate prophetarum. 1653
CAP. XIV. — De prodigiis in cœlo sursum impletis. 1653
CAP. XV. — Exponit verba de Christo. 1654
CAP XVI. — De impleta prophetia Joel. 1654
CAP. XVII. — De paralytico curato a Petro. 1655
CAP. XVIII. — Quod sibi nil ascribebant, sed omnia

Digitized by Google

Deo. 1636
Cap. XIX. — De invidia Sadducæorum in apostolos. 1656
Cap. XX. — Quod constanter responderunt ad interrogata in concilio. 1657
Cap. XXI. — De mutua charitate inter apostolos. 1658
Cap. XXII. — De morte Ananiæ et Saphiræ. 1659
Cap. XXIII. — De signis quæ fiebant ab apostolis. 1659
Cap. XXIV. — De incarceratione apostolorum. 1660
Cap. XXV. — Quomodo per angelum de carcere sunt educti. 1660
Cap. XXVI. — Quomodo obstupuerunt illis eductis. 1660
Cap. XXVII. — De responsione eorum. 1661
Cap. XXVIII. — De consilio Gamalielis. 1661
Cap. XXIX. — Aliud exemplum de eodem. 1662
Cap. XXX. — De causa murmuris inter Christianos. 1662
Cap. XXXI. — De commendatione B. Stephani. 1663
Cap. XXXII. — De sermone ejusdem. 1664
Cap. XXXIII. — De prosecutione narrationis. 1664
Cap. XXXIV. — Quomodo computentur 430 anni. 1665
Cap. XXXV. — Opinio Bedæ de eodem. 1665
Cap. XXXVI. — Iiedit Stephanus ad ordinem historiæ. 1666
Cap. XXXVII. — Commendat tabernaculum, ne videatur damnare locum sanctum. 1667
Cap. XXXVIII. — Quod lapidaverunt Stephanum 1667
Cap. XXXIX. — De prima persecutione Saulis. 1668
Cap. XL. — De petitione Simonis magi. 1669
Cap. XLI. — De eunucho baptizato a Philippo. 1670
Cap. XLII. — De excæcatione Sauli. 1671
Cap. XLIII. — Quomodo ex mandato Domini Ananias visitavit Paulum. 1672
Cap. XLIV. — De invidia Judæorum in Paulum. 1672
Cap. XLV. — De curatione Œneæ. 1673
Cap. XLVI. — De conversione Cornelii. 1674
Cap. XLVII. — De visione Petri. 1675
Cap. XLVIII. — Quod Petrus venit ad Cornelium vocatus. 1677
Cap. XLIX. — Quod baptizavit Cornelium, et eos, qui cum eo erant. 1678
Cap. L. — Quomodo redargutus est Petrus a Christianis. 1678
Cap. LI. — De continuatione historiæ. 1679
Cap. LII. — De collecta pauperibus facta. 1679
Cap. LIII. — De morte Jacobi Majoris. 1680
Cap. LIV. — Quis fuerit substitutus procurator mortuo Pilato. 1680
Cap. LV. — De proposito Herodis Agrippæ. 1681
Cap LVI. — De causa invidiæ Tiberii, et Herodis Agrippæ. 1681
Cap. LVII. — In quo Herodes offendit Tiberium. 1682
Cap. LVIII. — Quomodo liberatus est Herodes in morte Tiberii. 1683
Cap LIX. — Quod Gaius mandavit statuam suam erigi in templo. 1684
Cap. LX. — De morte Gaii imperatoris. 1685
Cap. LXI. — De eodem. 1686
Cap. LXII. — Quomodo, occiso Jacobo, voluit apprehendere Petrum. 1686
Cap. LXIII. — Quomodo liberatus est Petrus de manu Herodis. 1687
Cap. LXIV. — De morte Herodis. 1688
Cap. LXV. — De Agrippa. 1689
Cap. LXVI. — Reditus historiæ ad ordinem suum. 1689
Cap. LXVII. — Quod Paulus, et Barnabas converterunt Sergium proconsulem. 1690
Cap. LXVIII. — De discessu Joannis ab eis. 1690
Cap. LXIX. — De prædicatione Pauli et Barnabæ in synagoga. 1691
Cap. LXX. — Adhuc de eodem. 1691
Cap. LXXI. — Quare transierunt ad gentes. 1692
Cap. LXXII. — De recepta prædicatione a gentibus. 1692
Cap. LXXIII. — De persecutione quam passi sunt. 1694
Cap. LXXIV. — De quæstione circumcisionis determinata. 1694
Cap. LXXV. — De sermone Jacobi fratris Domini. 1695
Cap. LXXVI. — De epistola missa conversis ex gentibus. 1695
Cap. LXXVII. — Quomodo consolati sunt conversos ex gentibus. 1695
Cap. LXXVIII. — Determinat quando beatus Petrus sedit Antiochiæ, et quando Romæ. 1696
Cap. LXXIX. — De causa dissensionis inter Paulum et Barnabam. 1696
Cap. XXXL. — Quod prohibiti sunt apostoli ne irent quo volebant. 1698
Cap. LXXXI. — De visione quæ apparuit Paulo nocte. 1698
Cap. LXXXII. — Quod recepti sunt a muliere purpuraria. 1699
Cap. LXXXIII. — De spiritu pythonico a puella ejecto. 1699
Cap. LXXXIV. — De terræmotu unde aperta sunt ostia carceris. 1700
Cap. LXXXV. — Quomodo a magistratibus sunt dimissi. 1701
Cap. LXXXVI. — Quod invidia Judæorum Jason accusatus est. 1701
Cap. LXXXVII. — Quid Paulus Athenis fecerit. 1701
Cap. LXXXVIII. — De ara ignoti Dei. 1702
Cap. LXXXIX. — Quod philosophi Athenienses dixerunt Deum naturæ pati. 1702
Cap. XC. — De Dionysio Areopagita. 1703
Cap. XCI. — Quod Judæi concitaverunt Gallionem in Paulum. 1704
Cap. XCII. — Quod Paulus disputabat Ephesi contra Judæos. 1704
Cap. XCIII. — Quomodo baptisati sunt, qui baptisma Joannis acceperant. 1705
Cap. XCIV. — De potestate nominis Jesu. 1705
Cap. XCV. — De tumultu excitato per Demetrium. 1706
Cap. XCVI. — De mortuo resuscitato a Paulo. 1706
Cap. XCVII. — De hoc quod Agabus de Paulo prædixit. 1707
Cap. XCVIII — De hoc quod obtulit de consilio, secundum legem. 1708
Cap. XCIX. — Quod ligatus est Paulus a præside ad clamorem Judæorum. 1709
Cap. C. — De Ægyptio, qui populum seduxerat. 1709
Cap. CI. — Quod cognitus a populo permissus est loqui præsidi. 1710
Cap. CII. — Quod Paulus civem Romanum se fecit. 1710
Cap. CIII. — De schismate orto inter Judæos ex industria Pauli. 1711
Cap. CIV. — Quod Dominus confortavit Paulum. 1711
Cap. CV. — Quomodo conjuratum est in mortem Pauli. 1712
Cap. CVI. — Quod ante præsidem contra Tertullum oratorem contendit. 1712
Cap. CVII. — Quod Felix voluit pecuniam extorquere a Paulo. 1713
Cap. CVIII. — De seditione inter Judæos et gentiles. 1713
Cap. CIX. — De appellatione Pauli. 1714
Cap. CX. — De hoc quod Agrippa rogabat Festum. 1714
Cap. CXI. — Quomodo peroravit Paulus coram Festo et Agrippa. 1714
Cap. CXII. — Quod Paulus missus es. Romam. 1715
Cap. CXIII. — Quod incidenter narrat de sacerdotibus Judæorum. 1715
Cap CXIV. — De tempestate in mari, quam prædixerat Paulus. 1716
Cap. CXV. — Quod constitutos in periculo Paulus confortavit. 1717
Cap. CXVI. — De constantia Pauli. 1718
Cap. CXVII. — Prosecutio historiæ. 1718
Cap. CXVIII. — De verbo Pauli ad centurionem. 1719
Cap. CXIX. — Quod sanavit principis patrem, et alios. 1719
Cap CXX. — Quod receptus est a fratribus Christianis. 1720
Cap. CXXI. — Quo tempore libere prædicavit. 1720
Cap CXXII. — Quo Neronis imperii anno passus fuerit. 1721
Cap. CXXIII. — In quibus locis puniti fuerint Petrus et Paulus. 1722

SERMONES PETRI COMESTORIS.

Sermo primus. — In adventu Domini. 1721
Sermo II. — In adventu Domini. 1725
Sermo III. — In festo S. Nicolai. 1728
Sermo IV — In adventu Domini, et de B. Lucia. 1732
Sermo V. — De eodem adventu Domini. 1735
Sermo VI. — In nativitate Domini. 1738
Sermo VII. — In apparitione Domini, vel Epiphania. 1741
Sermo VIII. — De sancto Vincentio. 1741

Digitized by Google

Sermo IX — In Hypapante Domini, vel in Purificatione B. Virginis. 1744
Sermo X. — In capite jejunii vel in die Cinerum. 1749
Sermo XI. — In Quadragesima. 1752
Sermo XII. — Dominica I in Quadragesima. 1754
Sermo XIII. — In Dominica Quadragesimæ. 1757
Sermo XIV. — In hebdomada media, vel Dominica *Lætare*. 1761
Sermo XV. — In die Palmarum. 1764
Sermo XVI. — In hebdomada pœnosa 1764
Sermo XVII. — In cœna Domini. 1768
Sermo XVIII. — In cœna Domini. 1769
Sermo XIX. — In Annuntiatione B. Virginis. 1772
Sermo XX. — In Litania majore. 1775
Sermo XXI. — In Ascensione Domini. 1778
Sermo XXII. — De sancta Trinitate. 1778
Sermo XXIII. — De sancta Maria Magdalena. 1778
Sermo XXIV. — In festo S. Jacobi apostoli, S. Christophori martyris, et S. Germani confessoris. 1778
Sermo XXV. — In festo eorumdem. 1782
Sermo XXVI. — In festo S. Petri ad vincula. 1782
Sermo XXVII. — In festo ejusdem S. Petri. 1782
Sermo XXVIII. — In Assumptione B. Virginis Mariæ. 1784
Sermo XXIX. — In festo Assumptionis B. Mariæ Virginis. 1784
Sermo XXX. — In festo S. Augustini 1789
Sermo XXXI. — In eodem festo S. Augustini 1792
Sermo XXXII — In eodem festo S. Augustini. 1796
Sermo XXXIII. — In festo Omnium Sanctorum. 1800
Sermo XXXIV. — In eodem festo. 1806
Sermo XXXV. — In eodem festo. 1806
Sermo XXXVI. — In Dedicatione ecclesiæ. 1806
SERMONES HABITI IN SYNODIS.
Sermo XXXVII. 1809
Sermo XXXVIII 1811
Sermo XXXIX. 1813
Sermo XL. 1817
Sermo XLI. 1817
Sermo XLII. 1821
Sermo XLIII. 1824
Sermo XLIV. 1825
Sermo XLV. — Ad sacerdotes. 1829
Sermo XLVI. 1832
Sermo XLVII. 1836
Sermo XLVIII. — Ad prælatos. 1838
Sermo XLIX. — Ad monachos. 1839
Sermo L. — Ad monachos. 1841
Sermo LI. — De virginibus, ad moniales. 1844

HERBERTUS TURRITANUS.
(Vide *Patr.* t. CLXXV.)

GUIGO II CARTHUSIÆ MAJORIS PRIOR GENERALIS.
(Vide *Patr.* t. CLIII.)

FINIS TOMI CENTESIMI NONAGESIMI OCTAVI.

17 +

Ex typis L. MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google